image
not
available

8
2 E
11

Digitized by Google

11

PE

Digitized by Google

Digitized by Google

8.42.E.11

M. Fr. VINCENTII FERRE VALENTINI

ORDINIS PRAEDICATORVM,
Filij Conventus S. Stephani Salmantini, Eiuſ-
demque Cœnobij quondam Prioris, & nunc
Studiorum Præfecti, & á decem & octo annis
in Collegio Sanct. Thomæ de Vrbe
Regentis.

BIBL. S. PVDEN DE VRBE

TRACTATVS THEOLOGICI
IN PRIMAM PARTEM D. THOMAE
A QVÆSTIONE VIGESIMA SEPTIMA
vſque ad centeſimam quintam.

BIBL. S. PVDEN DE VRBE

TOMVS TERTIVS.

DIVÆ THERESIÆ
SACRVS.

Catholicæ Maieſtatis Privilegio, & Superiorum permiſſu.

SALMANTICÆ:
Ex Officina Lucæ Perez. Anno Domini
M. DC. LXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD DIVAM THERESIAM AVTHORIS PRAEFATIO.

DEDICATORIA.

THERESIÆ Templum oſsibus odoris ſacratum Virginis eximiæ laudes declamando, qui vidi, nec volo, nec valeo cor gratum detinere, ne eructet verba doctrinæ,doctrinæ ſplendori dicando. Ab Angelo orſus, homine mediante, perveni in hanc ideam puritatis, & ſociam Angelorum; vt cui principium dedit Angelus; det finem Virginitas, par munere,æqualis merito,pulchro honore cognata. Tibi Thereſia Theologicus hic liber debetur, tibi omnis mea cogitatio cõfitetur, te laudat doctrina inſignem orbis lumen,perfectionis Magiſtram, & Thomæ lucis connubio meritò ſociandam. Doctor Doctrici, Magiſtra Magiſtro iungantur; Angelus Virgini,Virgo Viro Angelico adhæreat; vt ſint duo in luce vna, vno ſpiritu inſtructi, quos Dei nutu ſociat, vnus ſpiritus veritatis. Vnus in Angelo,vnus in Virgine eſt ſplendor, vnus in Virgine, vnus in Angelo candor, vnus ardor,vnus ſpiritus,vnus pro Eccleſia zelus. Thereſia lachrymis errantium hæreticorum tenebras deplorabat: Thomas radijs cœli lucis, & ſplendore fugabat. Thereſia florum non tantum æmula,ſed Magiſtra, ambitum mundi cœleſti replebat odore: Thomas ſiderum glorioſo lumine victor, totam Eccleſiam ſuo ditabat, & exornabat ſplendore. Thereſia floris ſacris artubus diffundit odorem; Thomas Solis elogijs miris emittit ſplendorem.

Digitized by Google

Vt ergo Solis, & floris cognatio quadam eſt
Vtrumque in lucis perplexo fœnore miſcens,
Ambiguam faciens, pulchroque iuvamine formam?

Ita vt ſit ad diſcernendum difficile nimis, ſi roſa rubore ſuo Solis ſplendorem augeat; aut Solis radius ruborem roſæ venuſtet. De quo certamine quidam olim Poetarum Canebat.

Ambigeres, raperet ne roſis aurora ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies
Ros vnus, color vnus, & vnum mane duorum
Sideris, & floris eſt domina vna Venus:
Forſan & vnus odor, ſed celſior ille per auras
Difflatur, ſpirat proximus iſte magis.

Sic Thereſiæ, & Thomæ ſplendor; ſic mihi videtur miro quodam, atque ineffabili modo, & nitere in claro, & latère in ambiguo, dum ſe ſe collata luce mutuo honore decorant. Nam ſicut Solis ſplendor non obſcurat roſæ colorem, ſed auget; nec rubor roſæ Solis ſplendorem evacuat, ſed implet, quia vno odore, vno colore, vno ſplendore emicant; ita nec Thereſiæ candor minuit Thomæ ſplendorem, nec Thomæ ſplendor Thereſiæ denigrat candorem. Sunt ergo duo luminaria, quæ mutuo ſe iuvant, duo (inquam) luminaria magna, quæ condidit Deus, vt ſint in ſigna, veluti duo mundi portenta, vt ſint in firmamento cœli, & illuminent terram: quia in Chriſti Eccleſia in domo Domini firmiter ædificata, quæ bene fundata eſt ſupra firmam petram, vterque velut flos pulcher mundum replet odore, vterque velut Sol clarus cœlum ornat ſplendore; redolet enim vterque pura virginitate, vterque rutilat cœleſtis doctrinæ claritate. Iungantur ergo Thereſia, & Thomas pulchro connubio Solis, & floris; & quos Deus ita coniunxit, non ſeparet homo. Neque coniugium hoc ſpirituale ab Eccleſia eſt arcendum, nec illud vt in auditum horrere quis audeat, etſi de Sanctis in cœleſti patria ſcriptum eſſe meminerit, quod *non nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli in cœlo*: quia hoc connubium non eſt carnis, ſed mentis; non corruptionis, ſed illuminationis; non fœditatis, ſed pulchritudinis; non eſt horroris, ſed honoris; non tædij, ſed gaudij; non eſt moleſtiæ, ſed modeſtiæ; non diſcordiæ, ſed pacis. Nec conſummatur à deditis amori carnali incubilibus, & impudicitijs, ſed à plenis charitate, & dilectione incubilibus, & in hortis aromatum. Neque vt novum mirari quis debet, cum cœlo, terraque radians vbique celebretur, & in ſuperna curia vbi pax eſt, & vnitas plena atque

Digitized by Google

atque perfecta, quæ eſt perennis ſocietas Sanctorum, illud indiſſolubile vinculum concivium ſit, ſicut ſacrum, atque iugi convivium, ſic Sanctum, atque perenne connubium. Propterea enim quidam Sanctorum dicebat, quod *nec illæ, quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris, & ſanctitatis in Eccleſia obtineant, ſine nuptijs ſunt*; nam & ipſæ pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptijs Sponſus eſt Chriſtus; de quo etiam addit, quod *eſt Virginis Filius, & Virginum Sponſus, virginali vtero corporaliter natus, virginali connubio ſpiritualiter coniugatus.* Datur ergo virginale connubium, datur & ſpirituale coniugium, quo non ſolum tota Eccleſia Chriſto nubit, ſed ſibi in Chriſto vniverſa Eccleſiæ membra invicem copulantur. Hæc eſt communio Sanctorum, ideſt, communis vnio, qua vno corde, & vna anima nuptias celebrant ſemper, ſicut ſcriptum eſt: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna in Domino.* Quid ergo amplius Thereſiæ, & Thomæ, ſi hoc coniugium eſt vniverſali Eccleſiæ commune; & magnum illud myſterium de quo Paulus ait: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*? Quid ſingularius in hoc ſacrato coniungio? Quid ſublimius in hoc cœleſti conſortio? Quid æſtimabilius in hoc fœdere? Quid laudabilius in hac pace? Multum per omnem modum. Primò quidem, quia eſt connubium Angeli cum Virgine, Solis cum flore, Doctricis cum Doctore; & vbi ſingularis eſt cognatio, magis ardet dilectio. Nec decebat quòd Angelus niſi Virginum cognatam duceret, nec decebat quod virgo niſi Angelo cognato nuberet. Hoc Abraham prophetaſſe videtur cum dixit ſervo ſuo: *Pone manum tuam ſuper femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Cananæorum, inter quos habito, ſed ad terram, & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias vxorem filio meo.* Tale ergo decebat coniugium Virginem, tale decebat Angelum: ſemper enim eſt Angelis cognata Virginitas. Et quia virgo ad ſuum cognatum nimio amore vrebatur, quia flos in Solem exceſſu, & paſsione feruebat, ideo Thereſia

Se Dominicam in paſsione dicebat.

Sed aliã nolo huius ſingularitatẽ connubij obliviſci, quã in prima Orbis conditione præſagio honoris inſignis æſtimo prælibari. Plantavit Dñs Deus Paradyſum voluptatis à principio vmbroſum nemore, arboribus conſitum, florum varietate adornatum, fertilem, & redundantem

Digitized by Google

fructibus: flos perpetuus roſarum, ver perpetuum agebat, candebant lilia, rubeſcebat crocus, ſudabat balſamum, manabant fontes, ſcatebant amnes, fluebant rivi, ſpirabat odor pigmentorum, & aromatum liquor, & poma de arborum ramis pendula delectabant, vere enim Deus Paradyſum fecerat voluptatis, ſicut dicit ſcriptura, in quo poſuit hominem, quem formaverat, inſpirando in faciem eius ſpiraculum vitæ, & divina arte artus omnes ſapienter aptando; vt qui ad imaginem Dei formabatur, totius vniverſi pulchritudinis brevis eſſet pictura. Fecit Deus hominem rectum, hominem natura, Angelum gratia, Angelum puritate, Angelum innocentia, Angelum ſcientia; & hunc Magiſtrum orbis conſtituit infuſione doctrinæ, quem omnium fecerat parentem conditione naturæ. Et dixit; *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Et quia Adæ non inveniebatur adiutor ſimilis eius; videte quid fecit Deus. Dedit illi adiutricem. *Immiſsit enim Deus ſoporem in Adam; cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, vt videret eam*, quaſi diceret pius conditor pro vnione duorum, cum primum mundi celebraretur coniugium; vide adiutricem tibi ſimilem naturæ forma, idèa artis, mentis rationalis honore. Dixitque Adam ad Evam: *O nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt.* Qui eventus ita clare prænunciat coniugium inter Thereſiam, & Thomam, coniugium (inquam) Angeli cum Virgine, Solis cum flore, Doctricis cum Doctore, vt idem prorſus eſſe videatur legiſſe, quæ dicta ſunt, & vidiſſe dicenda. Nonne Chriſtus Sanctam fundavit Eccleſiam ſicut Dei Paradyſum, claram Apoſtolorum trophæis, triumphis glorioſam Martyrum, Virginitatis flore vernantem, Doctorum luce fulgidam, roſis, lilijs, violarumque odore fragrantem? In hac igitur poſſuit Deus Thomam, quem formaverat hominem natura, Angelum gratia, Angelum puritate, Angelum innocentia, Angelum ſcientia. Hunc mundi conſtituit Doctorem, *elegit enim eum ex omni carne, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael*; & dixit, non eſt bonum Angelum eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Thomæ vero in toto orbe non inveniebatur adiutor ſimilis eius: propterea dedit illi Chriſtus adiutricem ſimilem ſibi, ſimilem ſanctitate, ſimilem virginitate, ſimilem doctrina.

Hæc

Hæc eſt dignitate mater, puritate virgo, conditione fœmina, luce ſtella, Eccleſiæ decus; forma virginum; nutrix, & Magiſtra, ardore Seraphin, ſplendore Cherubin, cordium flamma, mentium lucerna, doctrix eſt enim *diſciplinæ Dei, & electrix operum illius.* Hæc eſt ergo adiutrix ſimilis Thomæ. Quod ſiquis nolit Thereſiam Thomæ appellare vxorem, appellet ſororem: in qua tam magnæ ſimilis miratur honorem, exemplo Abraham Patris credentium, qui Saram ſororem appellavit, quando coniugium diſsimulare expediens iudicavit. Hæc etiam melius quam Eva vocabitur virago, quoniam de viro Angelico ſumpta eſt. Quid enim aliud eſt virago, quam mulier fortis? Quæ fortior Thereſia? Quæ purior inter Virgines? Quæ inter ſponſas, fidelior? Nulla plane. Non loquor de Matre Dei, quæ & corporaliter generavit, & virgo permanſit: quia de iſta merito dictum eſt, *quod nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.* Sed præter iſtam; quæ fœmina eſt tam mirabilis, vt ſit Mater & virgo? Quæ tam laudabilis, vt fœmina maneat, & viros ſubijciat? Subiecit Thereſia viros Angelo fidem dando, quia Eva ſubiecta eſt viro ſerpenti conſentiendo. *Sub viri* (inquit) *poteſtate eris*: ſic ad Evam Dominus. Ad hanc autem; *Eſto virago ſuper viros*, quia Angelo dediſti fidem, non ſerpenti conſenſum. Sed videamus ſi congruat hiſtoria. Sopore mortis in Thomam miſſo, & ipſo in cœlum mortis dormitione elevato, adiutor ſimilis eius Thomæ quærebatur; ſed non inveniebatur. Tulit igitur Dominus Deus coſtam Thomæ, quæ eſt doctrina ſolida Thomæ, & ædificavit eam in mulierem; quæ non retinuit, ſed refudit in homines gratiam, dum Thomæ ſolida doctrina rigat totam Sanctam Eccleſiam. Hinc Thereſia Thomam reſpiciens clamat, *Dilectus meus mihi, & ego illi. Nunc ergo exite, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum ſponſa ſua*, videte Thomam Principem, & Regem Theologorum; de quo oraculum Eccleſiæ protulit: *Ecce pluſquam Salomon hic*, corona lucida circundatum Patrum Diſcalciatorum, circulo cinctum Sanctorum, & illuſtrium virorum. Videte Patres Diſcalciatos toto orbe diffuſos, vt ſolis radios contra errorum nebulas fuſos, *Dilectus* (inquit) *meus mihi, & ego illi.* Et Thomas; *Mulier, quam dediſti mihi, genuit mihi filios, & accepi.* Nam quid eſt aliud Doctricem Doctori diſcipulos dare, niſi Doctricem Doctori filios generar Cognovit Adam vxorem ſuam, & filios *illi carnales* peperit: cognovit Thomas Thereſiam, quæ diſcipulos genuit. Neque miretur aliquis

dictum eſſe quod Thomas cognovit Thereſiam; quia Solem florem illuminare, cognoſcere eſt. *Cognoſcere Dei* (aiebat Bernardus) *eſt fœlicem facere, cognoſcere hominis gratias agere.* Sic ille ſermone 40. inter varios. Vnde & Chriſtus in Evangelio dixiſſe fertur fatuis Virginibus; neſcio vos, quaſi diceret: Non vobis confero beneficia, ſed decerno ſupplicia: ergo cognoſcere Thomam Thereſiam, eſt illluminare, cognoſcere Thereſiam Thomam, eſt Thomæ diſcipulos generare. Thereſia ergo Angelo credidit, & concepit, quæ eius doctrinam à filijs propagandam ſuſcepit. Diſcipuli Thomæ Thereſiam doctrina Thomæ iuverunt, filij Thereſiæ Thomæ doctrinam illuſtraverũt. Merito ergo Thereſia Thomam reſpiciens repetit, *dilectus meus mihi, & ego illi.*

Tibi ergo ſideri claro, flori pulchro, ſplendido admodum luminari, tibi Thomas, quia tu illi. Tibi liber hic debetur, qui eſt Thomæ rivulus, de fonte illo præclaro procedens, liber de Trinitate beata, liber de Potentia Patris, de Sapientia Filij, de Bonitate Spiritus Sancti, liber de Angelorum Natura, de Fabrica Mundi, de Terræ Ornatu, Cœli Sphœrico, & luminoſo ſplendore, cui niſi tibi? Cui melius, quam tibi donabitur? Cum ſis Trinitatis filia, & Angelorum ſocia, orbis conditi lux, honor, beataque pulchritudo. Tibi cui æternus liber ſacrum continens beatæ Trinitatis arcanum ita apertus, atque revelatus patuit in carne viventi, vt clare agnoſceres, quomodo Deus poſsit eſſe ſimul Trinus, & Vnus. Tu tradis, & tibi, credidi, hanc Deum lucem dediſſe: nam quamvis tu teſtimonium perhibeas de te ipſa, teſtimonium tuum verum eſt. Tibi ergo liber debetur de Trinitate diſſerens. Tibi cui oranti, placidaque quiete ſuſpenſæ, Angelorum militia aſsiſtebat, cuius cor Seraphin iaculo vulnerabat amoris. Liber de Angelorum motu, cuſtodia, & officio, ſimili, ac pari iure debetur. Tibi, cui Deus totum orbem, ſi non feciſſet; faceret. Liber demum de Fabrica Mundi debetur. Vtinam à te honoretur. Vtinam mihi faveas.

TASSA

Digitized by Google

TASSA.

MIGVEL Fernandez de Noriega, Secretario del Rey nueſtro ſeñor, y Eſcrivano de Camara mas antiguo del Conſejo, certifico, que aviendoſe viſto por los ſeñores dèl vn libro intitulado *Tractatus Theologici in primam partem D. Thomæ à quæſt. 27. vſque ad* 105. *incluſivè*, compueſto por el M. R. P. M. Fr. Vicente Ferre, Regente del Convento de San Eſtevan de Salamanca, Orden de Predicadores, que con licencia de los dichos ſeñores hà ſido impreſſo, taſſaron à ocho maravedis cada pliego: y el dicho libro parece tiene docientos y ſeſenta y ſeis, ſin principios, ni tablas, que al dicho reſpecto monta dos mil ciento y veinte y ocho maravedis: y al dicho precio, y no mas, mandaron ſe venda el dicho libro, y que eſta certificacion ſe ponga al principio de cada vno, para q̃ ſe ſepa el precio à que ſe ha de vender. Y para que conſte doy la preſente: En Madrid à nueve de Febrero de mil y ſeiſcientos y ſetenta y ocho años.

Miguel Fernandez de Noriega.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAG. 18. col. 1. linea 10. loco ſecundum, lege primum. Pag. 34. col. 1. lin. 49. loco repræſentativi, lege repræſentativum. Pag. 42. col. 2. lin. 15. loco ſubſtineri, lege ſuſtineri. Pag. 62. col. 2. lin. 25. loco antea, lege à mea. Pag. 63. col. 1. lin. 15. loco relativi, lege relativè. Pag. 65. col. 2. in fine loco coget, lege cogat. Pag. 72. col. 1. lin. 35 loco de eſſentia divina, lege de relatione divina. Pag. 92. col. 2. lin. 13. loco in tranſitivo, lege in tranſitivè. Pag. 108. col. 2. lin. 16. loco intelligarent, lege intelligerent. Pag. 116. col. 2. lin. 42. loco aſtrahi, lege abſtrahi. Pag. 129. titulo 5. 2. loco ſignificat, lege ſignificet. Pag. 150. col. 2. lin. 46. loco Monetoia, lege Montoya. Pag. 155. col. 2. lin. 37. loco reſolvat, lege vt reſolvat. Pag. 214. col. 1. lin. 3. loco divinium, lege divinum. Pag. 409. col. 1. lin. 22. loco qui hæc, lege quia hæc. Pag. 448. col. 1. lin. 21. loco modum, lege nodum. Pag. 494. lin. 13. loco viſum eſt, lege dictum eſt. Ibid. lin. 15. loco deſuper. Bene ſcribere, lege ſic deſuper benè ſcribere. Pag. 1007. col. 2. lin. penult. loco ex Sybilat, lege exibilat. Pag. 1009. col. 1. lin. 43. loco impugna, lege in pugna. Pag. 1023. col. 1. lin. 51. loco cedat, lege cadat. Ibid. col. 2. lin. 35. loco nutritur, lege nutriatur. Pag. 1024. col. 1. lin. 12. loco capeſcendam, lege capeſſendam. Ibid. lin. 30. loco in materiales, lege immateriales. Ibid. col. 2. lin. antepenult. loco An, lege nam. Pag. 1025. col. 1. dele totam primam lineam. Pag. 1028. col. 2. lin. 28. loco vi voluntarij, lege involuntarij. Pag. 1029. col. 1. lin. 13. loco Analogicum, lege Anagogicum. Ibid. lin. 28. loco adimpletio, lege in adimpletione. Ibid. lin. 40. loco at dicent, lege vbi dicit. Pag. 1032. col. 2 lin. 1. loco de ſummo, lege deſumo.

His demptis correſpondet ſuo originali. Die 28. Ianuarij, anno Domini 1678.

M. Petrus à Mendez.
Correct. Vniverſ.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA R. A. P. Fr. IOANNIS DE ARATA, *Lectoris Theologiæ Conventus Sanct. Stephani Salmantini.*

OMNIS conſummationis vidi finem cum commentaria hæc pulchra, ſive Theologicos tractatus in primam partem D. Thom. à 27. quæſt. vſque ad finem mente hilari, corde avido, totius animi attentione percurri. Plenus ſapientia & intellectu tota vita manerem, ſi caperem, quæ capit hic liber. Templum ſanè eſt Minervæ, & operoſum, lucidum, fulgens, cultum, opimum, ſublime, grande, arduum, ſacrum, non marmoreum, non eburneum, ſed planè cœleſte. Certè huius templi artifex eſt & conditor homo, ſed ſapientia magnus, peritia clarus, eruditione inſignis, ſtudio laborioſus, ingenio altus, & perpetuo labore indefeſſus. O quis imperat Magiſtri examinare ſententias! O quis iubet peritiam ſenſus probare! Certè dum iubeor, laudare me iuſtum exiſtimo, non examinare, nam quis locus cenſuræ, aut examini vbi nihil deficiens, nihil rationi aut ſanctorum documentis contrariũ, nihil à Fide Catholica devians, nihil morum honeſtati extraneum, nihil detractioni expoſitum, nihil punitione damnandum, nihil denique, quod correctione ſit dignum. Materia eſt gravis immò cœleſtis, ſtilus brevis, & clarus, eruditio vtilis & copioſa, doctrina ſolida & vera, facilitas & grata, & innata. Tantus denique, ac talis eſt liber, vt ab arrogantia alienus, & ſine metu intrepidus audeam dicere lecturis per orbem hominibus, quod ſiquis abſque illo rerum, quas tractat ſcientiam ſibi voluerit arrogare ſe ipſum irridet. Omnis ergo conſummationis vidi finem cum ex mandato, R. A. P. N Fr. Ludovici de Villazan noſtræ Provinciæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum Præſulis, Sanctæ & Supremæ Inquiſitionis ex Officio Cenſoris tractatus hos Theologicos vidi à SS. P. M. Fr. Vincentio Ferre, olim Romæ Theologiæ magno luminari, modo Salmanticæ in hoc Sancti Stephani Collegio Studiorum Regente, labore magno, fœlici ſtudio, claroque ingenio conſummatos. Operis eſt completum complementum, primæ partis clauſula fœlix & mira. Nam ita omnia exactè tractat, ſapienter reſolvit, atque eleganti ſubtilitate diſcurrit, vt in hoc opere poſſent mundi ingenia maiora quieſcere ſi vellent pura veritate ſatiari. In eam namque ſcientiæ altitudinem perveniſſe videmur ſtudio tam præclari Magiſtri in qua iam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil deſiderandum videtur remanere, nihil de rebus quas tractat quærendum latere. Opus egregium luce D. Thomæ perfuſum; opus electum Dei generatione ſacratum, opus inſigne ſpiritus proceſsione divinum, opus præclarum tota Trinitate honoratum, opus ſapientiæ cœli intelligentijs repletum, opus potentiæ mundi creatione exornatum, prodire debere in lucem gentium vſque ad extremum terræ inſtanter ſuadet neceſsitas, perſuadet vtilitas. Sic credo, ſic cenſeo, ſic dico in hoc Conventu Sancti Stephani Salmanticenſis, die 2. Nobembris, anni Domini 1677. *Fr. IOANNES DE ARATA.*

LICENCIA DE NVESTRO PADRE PROVINCIAL.

EL Maeſtro Fr. Luis de Villazan, Provincial de la Provincia de Eſpaña, Orden de Predicadores, aviendo remitido à Perſonas graves, y doctas de eſta nueſtra Provincia, vn libro, que ſe intitula *Tractatus Theologici, in primam partem D. Thom. à quæſtione 27. vſque ad 105. incluſive*, compueſto por el muy R. P. M. Fr. Vicente Ferre, Regente de los eſtudios de nueſtro Convento de S. Eſtevan de Salamanca, y tenido noticia de la aprobacion, y vtilidad de que ſe imprima: damos licencia al dicho muy R. P. M. para que guardando las ordenes de eſtos Reynos, pueda imprimir el dicho libro: y para que en ello merezca mas, ſe lo mandamos en merito de ſanta Obediencia. En fee de lo qual lo firmamos de nueſtro nombre, y lo mandamos ſellar con el ſello de nueſtro Oficio, y refrendar de nueſtro Secretario, y compañero. Dada en nueſtro Convento de San Antonio de Yepes, en 22. dias del mes de Abril de 1676.

M. Fr. Luis de Villazan.
Prior Provincial.

Por mandado de ſu Paternidad muy Reverenda.
Fr. Diego Cordero.
Compañero, y Secretario.

CEN.

Digitized by Google

CENSVRA REVERENDI P. M. Fr. IOSEPH GONZALEZ, CATHOLICÆ MAIESTATIS THEOLOGI IN REGIO Conſeſſu Immaculatæ Conceptionis, in Salmanticenſi Academia Cathedra Scoti publici Profeſſoris, Caſtellanæ Provinciæ olim Provincialis, nunc Diffinitoris Generalis, ac Socij RR. Patris Generalis. Regalis Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum.

CLARISSIMVM opus, controverſias de Trinitate, & Angelis amplectens ex commiſsione D. D. Ioannis de Mier & Salinas, Archiepiſcopi Maioris Collegij Togati; in Conventis de Sancta Fee Regij Indici Senatoris, Salmanticenſis Ordinarij, ac Vicarij Generalis, ſedulo evolui, & ingentiſsimo animi ſtudio, ac oblectamento, non ſemel inſpexi. Opus quippe vulgatur Authore dignum, & hæc editi voluminis ſumma laus, RR. ſiquidem ac SS. P.M.Fr. Vincentius Ferre, quæ diu optima mente conceperat facili, & formato partu communicat. Nec enim ſedere potero cenſor, cum Scriptoris nomen geminata prole fœlicis quos prætendit iudices faciat Alumnos. Puritatem igitur operis, quæ præceſſere ſtabiliunt; nequit plane à tanto Doctore aliquid vel ambiguum, vel non ſolidum ſub oriri. Vbique Angelici Præceptoris Doctrinam eructat. SS. PP. ſententias redolet; Saniorum Thomiſtarum dogmata firmat, validiſsimeque propugnat: quod vel ipſum Authoris nomen præſagire proſpicio, nam iuxta Bercorium, Ferrum in pleriſque auro, & argento præponitur. *Ferrum* (ait lib. 9. Reductorij, cap. 76.) *In multis utilius eſt hominibus quam ſit aurum, nam ferro Reſpublica gubernatur, malorum audacia coercetur, bonorum ſecuritas cuſtoditur.* SS. igitur *Ferre* docente literaria Angelici Doctoris Reſpublica, quæ prima Theologorum merito & iure nuncupatur ad veritatis ſcopum dirigitur, impugnantium argutiæ, quibus illibatam SS. Thomæ doctrinam obnubilare tentant evaneſcunt, victrix inſuper Vincentij, vincentis opera, calamo celebratur, & onerata triumphis gratiſsima pace potitur; quæ Angelica Thomæ diſciplina vſque adeò præſtantiſsimos rapuit viros, vt rite conſcripſerit V. P. Ludovicus de la Puente, ſcientia & virtute clariſsimus, ſpecioſumque Societatis ornamentum, Tom. 1. meditat. in exordio: *Vnum Divum Thomam Doctorem Angelicum pro decem millibus teſtibus computari, propterea, quia eius doctrina certa, ſecura, nimiſque commendata ſit.* Quæ omnia liber iſte demonſtrat non ferrea, ſed aurea ætate conſcriptus; etſi probatiſsimum eſt apud Plinium Magnetem inconſpectu adamantis vim ſuam amittere, & ferrum minime attrahere, mirabili ſane virtute Ferrum hoc coram Eccleſiæ precioſiſsimo Adamante D. Thoma Magnes efficitur, omniumque mentes in ſe rapit, & intentas habet. Detur ergo liber prælo, & prælio Thomiſtarum, vt acèrrimo Duce roboratæ phalanges in dies triumphent dignus enim eſt luce publica, qui in nullo offendit, in omnibus placet; in eo enim SS. Magiſter collucet (vt appoſite ſcripſit S. Proſper lib. 3. vitæ contemplativæ, cap. 3.) *Acer ingenio, ſuavis eloquio, in quotidianis diſputationibus clarus, in quæſtionibus diſſolvendis acutus, in revincendis hæreticis circumſpectus, & in explicandis ſcripturis cautus.* Hoc noſtrum iudicium, Salmanticæ prolatum in Collegio Veræ-Crucis Regij Ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede, die 22. Mai, Anno Dñi 1676.

Fr. IOSEPH GONZALEZ.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Lic. D. Iuan de Mier y Salinas, Colegial en el Mayor del Arçobiſpo de la Ciudad de Salamanca, Proviſor, y Vicario general en ella, y ſu Obiſ[illegible]do, &c. Por la preſente damos licencia à qualquier Impreſſor, para que guardando las leyes, y pregmaticas de eſtos Reynos, pueda imprimir el libro contenido en la cenſura, y parecer de arriba, dado por el RR. P. M. Fr. Ioſeph Gonçalez, de la Orden de N. Señora de la Merced, Cathedratico de Eſcoto en eſta Vniverſidad de Salamanca, compueſto por el RR. P. M. Fr. Vicente Ferre, de la Orden de Santo Domingo en ſu Convento deſta dicha Ciudad, intitulado, *Tractatus Theologici in prima parte, &c.* ſin que por ello ſe incurra en pena, que para ello damos licencia en forma. Dada en Salamanca, à veinte y tres de Mayo de mil y ſeiſcientos y ſetenta y ſeis años.

Lic. D. Iuan de Mier y Salinas.

Por Eſpinal
Manuel Sanchez. Not.

CEN.

Digitized by Google

CENSVRA RR. P. M. Fr. PETRI DE SALAZAR, TOTIVS Regalis Ordinis BB. V. M. de Mercede Redemptionis Captivorum Magiſtri Generalis Abſoluti; Supremi Inquiſitionis Senatus Qualificatoris, & à Secretioribus eiuſdem Tribunalis Conſilijs, Catholicæ Maieſtatis Concionatoris

SVPREMI Senatus Caſtellæ iuſſu pervolui controverſias de Trinitate, & Angelis, quas in libro hoc exarabit Reverendiſsimus P. Magiſter, & eximius Doctor Fr. Vincentius Ferre, eaſque, ſi religionem ſpectemus, pietate plenas eſſe, ſi doctrinam, quæſtionibus ſubtiliſsimis, iiſque ſolidiſsimè ſolutis, imò evacuatis, refertas inveniſſe, vtpote deſcriptas ſtylo acutiſsimo, puriſsimo, ornatiſsimo, omnes, & ſingulæ ſunt vita, ſunt ingenio plenæ, materia, forma, ſtylus, methodus. Meritò dignas cenſeo, quæ cedro inſculptæ, æternitati conſecrentur: altera nanque manu mænia Hieroſolimitana reedificat, altera ſtrictum bibrat gladium, quo incurſantium hoſtium velitationi obſiſtit, inſtar Iſraelitici populi: veritatis namque præco, illuminandis, & erudiendis ignaris operam navans, Scholaſticam diſciplinam inſtaurat fœliciter, ac lapides illos, ex quibus Cœleſtis Hieruſalem extruitur, ingenij ſui lima politos, Eccleſiæ Triumphantis ædificio adaptat, gladio deinde, errores, nodos Vincentius diſſecando vincit. Opus hoc ſummo cum fructu evolui, quàm multa, quàm fortia, quàm varia, quàm erudita & docta, quàm omnia vivida, & dialectico rigori inſiſtentia, & quoniam ipſa, ſubtili ingenio, prudentia ſumma, integritate eximia, & libera ſinceritate pertractantur, dum legendo proficio, authorem non amare, & non venerari, non poſſum. O quantum Theologia, acutiſsimis his diſputationibus nobilitata, eximio Vincentio debet; quantum Angelici Præceptoris Schola condecorata, & propagata, tot doctiſsimis libris in Orbem literarium miſsis: quicumque enim voluerit militare in arena Scholaſtica, det nomen triumphanti vexillo, ſi dubia occurrant, quid Thomas definiat, attendat; hic nanque Doctor, vt vmbra corpus, ſic ſequitur veſtigia Doctoris Angelici; liber nanque iſte, ideò eſt biſariam Angelicus: Angelicus, quia Angelicè de Deo, & Angelis diſſerit; Angelicus, quia inſtar motricis intelligentiæ Cœlum, Solem vertit, & convertit; Cœlum erratici ſplendoris expers, Solem, inquam, Thomam divum, Sole, Cœlo præſtantiorem, nam Sol cognovit Occaſum ſuum, iſto tamen libro Thomas Scholæ Sol, oritur ſemper, occidit nunquam; ſemper tamen occidit. Oritur ſemper, quoties enim relegitur, novo lumine mentes illuſtrat; occidit nunquam, quia nulla eſt in mundo Catholico vniverſitas, in qua doctrina Thomiſtarum non vigeat: occidit nuſquam, quia ſecura fundamenta ſuppoſuit, æternitatiq; Scholæ ſuæ maieſtatè evexit. Occidit ſemper, quia ſempèr vincit, ſemper triumphat, vniverſoſq; errores, vmbras, ſui luminis veritate extinguit; non enim eſt, qui ſe abſcondat à calore eius. Fovet, comburit, atterit. Fovet enim, & conformat Catholicos in ſuggeſtu, & in Cathedra: comburit, & atterit vehementium rationum fulminibus, & vbertate proccelloſa recedentes à via veritatis ſuffocat. Panegyriſtæ potius, quam cenſoris verba ſuggerere licet. Admiror huius Sapientiſsimi Magiſtri ingenij vivacitatem à Deo indultam, aciem, inquam, ingenij, aſsiduo annorum plurium labore exultam, & induſtria exornatam veneror, quieſcere non poteſt, ſemper concipit, ſemperque conatur parturire: difficultates ſuccollat, controverſias difficillimas dirimit. Fundamenta dilucidat, & quo exponi modò debeant, præſcribit. Iure optimo Authorem Salmanticenſes, Parthenopei honorant, Romanique Doctores celebrant, & opus hoc tanquam Polare Sydus, navigantes in proceſſoſo litterario Oceano, controverſiarumque tempeſtate dirigens, ampleɔtuntur. Relegi iterum, quia

Nec legiſſe ſemel ſatis eſt, iuvat vſque morari.

Non informem maſſam edit doctiſsimus, & Reverendiſsimus Magiſter, inſtar vrſæ, vt & tanquam vrſinum fœtum lambendum, lambendoque reformandum, figurandum, corrigendum, cenſurandumque lectoribus ſubmittat, nam ipſe concepit librum, edidit, formavit, & nimio figuravit ſtudio, vt lucem videat; & inſtar Phœnicis avis, Soli Sacræ, mentem di-

Digitized by Google

divino Soli Vno & Trino, Angeliſque conſecrat, vt ſibi ſit corona, ſibi palma; phœnix nanque palma eſt, vt Vincentius palmam, vincens reportet. Liber, qui magnam impertitur ingenijs lucem, dignus eſt, vt lucem videat, nec locus eſt, vt cum Ovidio dicam:

Hunc correcturus, ſi licuiſſet, eram.

Nam nihil in eo eſt orthodoxæ fidei; rectitudinique morum diſſonum, imò in omnibus ita reſolutionum ſecuritatem, & fœlicitatem, methodi concinnitatem, & facilitatem, ingenij vivacitatem, & profunditatem, eximia devotione colo; & debito applauſu veneror, vt fatear, me altiùs mente concipere, quàm lingua, aut calamo explicare. Ita ſentio in Conventu Matritenſi Regij Ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede, die octava Ianuarij, Anno Domini 1678.

Fr. Petrus de Salazar.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maeſtro Fr. Vicente Ferre de la Orden de Predicadores, Conventual en el Convento de San Eſtevan de la Ciudad de Salamanca, ſe nos ha repreſentado aviades eſcrito vn libro, intitulado, *Commentaria in primam partem D. Thomæ à quæſt. 27. vſque ad quæſt.* 105. y por tener licencia del Ordinario, y aprobacion, y deſſeavades imprimirle, ſe nos ſuplicò nos ſirvieſſemos de concederos licencia, y privilegio para poder imprimir, y vender el dicho libro por tiempo de diez años, ò como la nueſtra merced fueſſe; y viſto por los del nueſtro Conſejo, y como por nueſtro mandado ſe hizieron las diligencias que por la pregmatica vltimamente hecha ſobre la impreſsion de los libros ſe diſpone, fue acordado deviamos mandar dar eſta nueſtra Cedula para vos en la dicha razon, y nos lo tuvimos por bien. Por la qual os damos licencia, y facultad para que por diez años primeros ſiguientes, y no mas, podais imprimir, y vender vos, ò la perſona que vueſtro poder tuviere, y no otra alguna, el dicho libro, que original en el nueſtro Conſejo ſe viò, que va rubricado, y firmado al fin de Miguel Fernandez de Noriega nueſtro Secretario, con que antes que ſe venda ſe traiga ante los del nueſtro Conſejo, juntamente con el original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſtà conforme à èl, ò traigais fee en publica forma, como por Corrector por nos nombrado ſe viò, y corrigiò la dicha impreſsion por el dicho original, y ſe taſſe el precio porque ſe ha de vender: y mandamos al Impreſſor que imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que vno ſolo, con ſu original, al Autor, ò perſona à cuya coſta ſe imprimiere, y para effecto de la dicha correccion,

Digitized by Google

cion, haſta que antes, y primero el dicho libro eſtè corregido, y taſſado por los del nueſtro Conſejo, y eſtandolo, y no en otra manera, puedan imprimir el dicho principio, y primer pliego, y ſegundo, donde ſe ponga eſta nueſtra cedula, y la aprobacion que cerca de ello ſe hizo por nueſtro mandado, y la taſſa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las leyes, y pregmaticas de eſtos nueſtros Reynos, que ſobre ello diſponen: y mandamos, que ninguna perſona ſin vueſtra licencia, pueda imprimir el dicho libro, y ſi lo hiziere aya perdido, y pierda todos, y qualeſquier libros, moldes, y aparejos que de ellos tuviere, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis; la tercia parte para la nueſtra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que la ſenteciare, y la otra tercia parte para el denunciador: y mandamos à los del nueſtro Conſejo, Preſidentes, y Oydores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la nueſtra Caſa, y Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Aſsiſtente, y Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Iuezes, y Iuſticias qualeſquier de todas la Ciudades, Villas, y Lugares de eſtos nueſtros Reynos, y Señorios, y à cada vno en ſu juriſdicion, que os guarden, y cumplan eſta nueſtra Cedula, y contra lo en ella contenido no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar en manera alguna, pena de la nueſtra merced, y de cinquenta mil maravedis para la nueſtra Camara. Dada en Madrid à veinte y ſiete dias del mes de Enero de mil ſeiſcientos y ſetenta y ocho años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro ſeñor
D. Iuan Teran y Monſara.

IN-

INDEX QVÆSTIONVM ET PARAGRAPHORVM.

TRACTATVS XIV.

De Sacroſancto Trinitatis Myſterio. fol. 1.

QVÆSTIO PRIMA.

De Proceſsione Divinarum Perſonarum. fol. 1.

§. Vtrùm ſecundum fidem Catholicam tenẽdũ ſit dari proceſsiones in divinis? Ibi.

§. 2. Solvuntur obiectiones contra concluſionem. fol. 3.

§. 3. Vtrum perfectæ Proceſsiones ſint intra Deum? fol. 4.

§. 4. Referuntur, & reiiciuntur aliqui modi dicendi circa præſentem punctum, fol. 5.

§. 5. Explicatur mens Auctoris, fol. 7.

§. 6. Vtrùm præfatæ Proceſsiones ſint immediate à natura? An ab intellectu, & voluntate? fol. 9.

§. 7. Solvuntur argumenta. fol. 12.

§. 8. Vtrùm Proceſsio per intellectum ſit formaliter Intellectio, & Proceſsio per voluntatem ſit formaliter volitio? fol. 13

§. 9. Solvuntur argumenta, fol. 14.

§. 10. Vtrùm intelligere eſſentiale, & notionale differant, tanquã duo actus? f. 16.

§. 11. Solvuntur argumenta. Ibid.

§. 12. Vtrũ n in Deo detur duplex intelligere, aliud abſolutũ, & aliud relativũ? f. 17.

§. 13. Soluuntur argumenta, fol. 18.

§. 14. An huiuſmodi Proceſsiones ſint veræ actiones? An tantum ſint quædam emanationes intelligibiles? fol. 19

§. 15. Solvuntur argumenta, fol. 20.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Generatione Verbi Divini, fol. 21.

§. 1. De generatione cõmuniter dicta. Ibid.

§. 2. De generatione viventium, fol. 23.

§. 3. Vtrùm Generationi Verbi Divini cõveniat diffinitio generationis communiter dictæ? fol. 24.

§. 4. Vtrum Proceſsio Verbi ſit generatio? fol. 26.

§. 5. Solvuntur argumenta cõtra veritatem Catholicam, fol. 27.

§. 6. Vtrum ex hoc quod intelligere Dei eſt eſſe Dei, convincatur Proceſsionem Verbi eſſe generationem? fol. 29.

§. 7. Solvuntur obiectiones contra noſtram reſolutionem, fol. 30.

§. 8. Vtrùm Proceſsio Verbi Divini ita ſit generatio, vt idem prorſus ſit eſſe Verbũ, ac eſſe Filium? fol. 31.

§. 9. Solvuntur argumenta, fol. 33.

QVÆSTIO TERTIA.

De Proceſsione Spiritus Sancti, fol. 35.

§. 1. An per actus voluntatis creatæ producatur aliquis terminus manens intra voluntatem? fol. 36.

§. 2. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol. 37.

§. 3. Ob quam rationem Proceſsio Spiritus Sancti generatio non ſit? fol. 41.

§. 4. Refertur, & refutatur alter modus dicẽdi, fol. 42.

§. 5. Refertur, & refutatur alter modus dicendi, fol. 44.

§. 6. Aſsignatur vera ratio, ob quam Proceſſio Spiritus Sancti generatio non ſit, f. 46.

§. 7. Vtrùm ſint in Deo plures Proceſsiones, quam duæ? fol. 52.

§. 8. Solvuntur argumenta, fol. 54.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO QVARTA.

De relationibus Divinis, fol.56.

§.1. Vtrum ſolum in his quæ dicuntur ad aliquid inveniantur aliqua ſecundum rationem tantum? Ibid.
§.2. Solvuntur obiectiones contra hanc doctrinam, fol.57.
§.3. Explicatur, & defenditur alia doctrina, quã habet D.Th. in articulo primõ, f.60.
§.4. Solvuntur obiectiones, fol.62.
§.5. Vtrum inter relationes divinas, & eſſentiam Dei detur aliqua diſtinctio entitativã realis? fol.65.
§.6. Vtrum inter eſſentiam, & relationes ad ſit diſtinctio realis modalis? fol.66.
§.7. Solvuntur argumenta Durandi, fol.67
§.8. Vtrum eſſentia, & relatio diſtinguantur ex natura rei? fol.68.
§.9. Solvuntur argumenta, fol.71.
§.10. Vtrum inter relationes, & eſſentiam adſit diſtinctio rationis ratiocinatæ? f.74.
§.11. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol.75.
§.12. Vtrum diſtinctio virtualis, quæ reperitur inter naturam, & relationẽ ſit maior ea quæ reperitur inter naturam, & eius attributa abſoluta? fol.76.
§.13. Vtrũ diſtinctio rationis ratiocinatæ eſſentiæ à relationibus formetur à Deo? fol.78.
§.14. Vtrũ tanta ſit identitas formalis inter relationes, & eſſentiam vt relatio ſit de conceptu quidditativo eſſentiæ, & eſſentia ſit de conceptu quidditativo relationum? Ibidem.
§.15. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol.82.
§.16. Solvuntur alia argumenta maioris efficaciæ contra concluſionem, fol.84.
§.17. Vtrum eſſentia ſub conceptu naturæ ſit de conceptu relationum? fol.86.
§.18. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol.87.

QVÆSTIO QVINTA.

De exiſtentia, & ſubſiſtentia divinarum relationum, fol.88.

§.1. Vtrũ præter exiſtentiã abſolutam dentur in Deo tres exiſtentiæ relativæ? f.89.
§.2. In quo conſiſtit ratio ſubſiſtentiæ? f.95.
§.3. Solvuntur argumenta, fol.97.
§.4. Statuitur ſecunda concluſio. Ibidem.
§.5. Solvuntur argumenta, fol.99.
§.6. Statuitur tertia concluſio, fol.101.
§.7. Solvuntur argumenta, fol.102.
§.8. Vtrum in Deo detur aliqua ſubſiſtentia abſoluta? fol.105.
§.9. Solvuntur argumenta, fol.107.
§.10. Vtrum in Deo dentur ſubſiſtentiæ relativæ? fol.110.
§.11. Reſolvitur quæſitum, fol.111.
§.12. Solvuntur rationes in oppoſitum, ſuperius adductæ, fol.113.
§.13. Vtrũ ratio ſubſiſtẽtiæ relativę ſit vnivoca ad tres ſubſiſtentias relativas? f.115
§.14. Vtrum in ſubſiſtentijs relativis reperiatur perfectio de linea relationis? f.117.
§.15. Solvuntur argumenta, fol.120.
§.16. Vtrum præter tres relationes ſubſiſtẽtes detur quarta relatio in Deo? fol.126.

QVÆSTIO SEXTA.

De Perſonis Divinis, fol.127.

§.1. An ratio Perſonæ proprie reperiatur in divinis? Ibidem.
§.2. Vtrum hoc nomen *Perſona* ſignificet relationem? fol.129.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De pluralitate divinarum perſonarum, f.131.

§.1. Vtrum ſit ponere plures perſonas in divinis? Ibidem.
§.2. Vtrum ſit ponere in Deo plures perſonas, quam tres? fol.136.

QVÆSTIO OCTAVA.

De pertinentibus ad vnitatem, vel pluralitatem in divinis, fol.138.

§.1. Vtrum poſsimus prædicare in divinis tres ſubſtantias? Ibidem.
§.2. Vtrum poſsit dici in Deo ſunt tres eſſentiæ? fol.140.
§.3. Vtrum nomen *ens* ſubſtantive ſumptum pluraliter dicatur in divinis? fol.142.
§.4. Solvuntur quædam obiectiones contra hanc concluſionem, fol.144.
§.5. Vtrum ſint admittendæ in Deo plures veritates? fol.147.
§.6. Vtrum ſit Trinitas in divinis? fol.149.
§.7. Vtrum nomine Trinitatis vtendum ſit in divinis? fol.150.
§.8. De alijs conducentibus ad exactum modum loquendi in divinis, fol.154.

QVÆSTIO NONA.

De Divinarum Perſonarum cognitione, f.157.

§.1. Vtrum Trinitas perſonarum poſsit per rationem naturalem cognoſci? Ibid.
§.2. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol.156.
§.3. Solvũtur rationes Raimũdi Lullij, f.163
§.4. Solvuntur alia argumenta, fol.164.
§.5. Vtrum intellectus perfectus aliquo lumine naturali ſibi intrinſeco, poſsit evidenter cognoſcere myſterium Trinitatis quoad an eſt? fol.167.
§.6. Statuuntur aliqua Corolaria, fol.171.
§.7. Vtrum lumen naturale ſolum confortatum extrinſeca revelatione fidei poſsit

evi-

Digitized by Google

denter cognoſcere myſterium Trinitatis quo ad an eſt? fol. 173.
§. 8. Solvuntur rationes Richardi, fol. 174.
§. 9. Vtrum poſsit extra viſsionem beatam communicari clara viſsio Trinitatis quã-tum ad quæſtionem quid eſt? fol. 175.
§. 10. Solvuntur argumenta, fol. 178.

QVÆSTIO DECIMA.

De Notionibus divinis. fol. 180.

§. 1. Vtrum dentur notiones in divinis? Ibid.
§. 2. Statuitur concluſio, fol. 181.
§. 3. Solvuntur obiectiones contra hanc rationem D. Thomæ, fol. 182.
§. 4. Vtrum ſint tantum quinque notiones in divinis? fol. 185.
§. 5. Solvuntur obiectiones, fol. 186.
§. 6. Proponitur ſolutio Domini Caietani, fol. 187.
§. 7. Stabilitur vera ſolutio ex mente D. Th. & aſsignatur ratio diſcriminis, fol. 189.
§. 8. Solvuntur alia argumenta contra concluſionem, fol. 192.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Perſona Patris, fol. 195.

§. 1. Vtrum Patri competat eſſe Principiũ? fol. 195.
§. 2. Vtrum nomen *Pater* ſit nomen divinæ perſonæ? fol. 197.
§. 3. Vtrum hoc nomen *Pater* ſecundum quod perſonaliter ſumitur per prius dicatur in divinis? fol. 198.
§. 4. Solvuntur aliqua dubiola. Ibidem.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Perſona Filij, fol. 202.

§. 1. Vtrum nomen *Verbum* in Deo ſecundum propriam acceptionem ſolum dicatur perſonaliter? Ibidem.
§. 2. Solvuntur argumenta, fol. 205.
§. 3. Vtrum Verbum procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo formaliter? fol. 207.
§. 4. Refellitur ſententia Scoti, fol. 208.
§. 5. Solvuntur argumenta Scoti, fol. 209.
§. 6. Refellitur doctrina Puteani, fol. 211.
§. 7. Solvuntur argumenta Puteani, fol. 212.
§. 8. Refellitur ſententia Vazquez, fol. 214.
§. 9. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol. 215.
§. 10. Vtrum Verbum per ſe procedat ex cognitione poſsibilium? fol. 217.
§. 11. Probatur ſpecialiter concluſio contra Scotum, fol. 221.
§. 12. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol. 223.
§. 13. Solvuntur alia argumenta, fol. 226.
§. 14. Solvuntur alia argumenta, fol. 229.
§. 15. Vtrum Verbũ per ſe procedat ex cognitione creaturarum futurarum? fol. 230.
§. 16. Solvuntur argumenta, fol. 232.
§. 17. Statuitur ſecunda concluſio, fol. 234.
§. 18. Solvuntur argumenta, fol. 235.
§. 19. Vtrum in nomine Verbi importetur reſpectus ad creaturas? fol. 237.
§. 20. An proprie, & perfecte loquendo de imagine, ratio imaginis ſoli Filio conveniat in divinis? fol. 238.

QVÆSTIO XIII.

De Perſona Spiritus Sancti, fol. 240.

§. 1. Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio? Ibidem.
§. 2. Vtrum ſi Spiritus Sanctus realiter nõ procederet à Filio, adhuc realiter diſtingueretur ab illo? fol. 241.
§. 3. Solvuntur argumenta, fol. 245.
§. 4. Solvuntur alia argumenta contra concluſionem, fol. 249.
§. 5. Solvuntur alia argumenta, fol. 252.
§. 6. Inferuntur aliqua ex dictis in hoc quæſito, fol. 255.
§. 7. Vtrum ſecunda ratio qua Div. Thomas probat Spiritum Sanctum procedere à Filio bona ſit? fol. 256.
§. 8. Solvuntur rationes dubitandi, fol. 257.
§. 9. Expenditur tertia ratio D. Thomæ, fol. 259.
§. 10. Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium? fol. 261.
§. 11. Vtrum Pater & Filius ſint vnum principium Spiritus Sancti, fol. 264.
§. 12. Expenditur ſecunda ratio, qua D. Thomas probat, quod Pater, & Filius ſunt vnũ principium Spiritus Sancti, fol. 264.
§. 13. Vtrum ly vnum principium Spiritus Sancti ſupponat pro aliquo cõmuni ſubſiſtente Patri, & Filio? fol. 267.
§. 14. Efficacius probatur communis ſententia, fol. 269.
§. 15. Solvuntur argumenta contra noſtram reſolutionem, fol. 270.
§. 16. Vtrum Spiritus Sanctus ad ſui productionem per ſe exigat perſonam Patris, & perſonam Filij? fol. 272.
§. 17. Solvuntur argumenta, fol. 274.

QVÆSTIO XIV.

De nomine Spiritus Sancti, quod eſt amor, fol. 278.

§. 1. Vtrum Amor ſit proprium nomen Spiritus Sancti? Ibid.
§. 2. Vtrum Pater, & Filius diligant ſe Spiritu Sancto? Ibid.
§. 3. Defenditur hic modus dicendi, fol. 281.

QVÆSTIO XVI.

De nomine Spiritus Sancti, quod eſt donum, f. 283

§. 1. Vtrum ratio doni conveniat Spiritui San-

Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis? fol.284.
§.2.Solvuntur argumenta,fol.286.

QVÆSTIO XVI.

*De Perſonis ad eſſentiam relatis, fol.*288.
§.1.Vtrum nomen ſubſtantivum ad ſui pluralitatem requirat, non ſolum pluralitatē formæ, ſed etiam ſuppoſitorum? fol.289.
§.2.Solvuntur argumenta contra concluſionem,fol.291.
§.3.Vtrum nomina eſſentialia concreta poſsint ſupponere pro perſona? fol.293.
§.4.Vtrū ly *Deus* in hac propoſitione *Deus creat*, Supponat pro eſſentia, fol.294.
§.5.Vtrū ly *Deus*, in hac *Deus generat* ſupponat reſtricte pro perſona Patris, fol.295
§.6.Vtrum hæc propoſitio ſit falſa Pater genuit Deum,qui eſt Deus Pater? fol.298.
§.7.Vtrum nomina eſſentialia in abſtracto ſignificata poſsint ſupponere pro perſona? fol.299.
§.8.Vtrum iſtæ ſint per ſe Pater eſt Deus, Deus eſt Pater? fol.300.

QVÆSTIO XVII.

De conſtitutivo Divinarum Perſonarū, f.302.
§.1.Vtrum in Divinis Perſonis ſint aliquæ proprietates quibus conſtituantur, & diſtinguantur? Ibidem.
§.2. Solvuntur argumenta contra concluſionem,fol.303.
§.3.Vtrum proprietates diſtinguentes perſonas ſint abſolutæ? fol.304.
§.4.Solvuntur argumenta contra concluſionem,fol.305.
§.5.Vtrum perſonæ conſtituantur per relationes? fol.310.
§.6.Vtrum relationes per modum originis conſtituant perſonas? fol.312.
§.7.Probatur concluſio alia ratione, f.314.
§.8. Solvuntur argumenta contra concluſionem,fol.315.
§.9.Vtrū relatio conſtituat perſonā ſecūdū cōceptū *in*, vel ſecūdū cōceptū *ad*? f.317.
§.10.Vtrum relatio vt concepta, non vero vt exercita conſtituat perſonam? fol.318.
§.11.Vtrum relatio per modū actus primi conſtituat perſonam, non vero vt referēs in exercitio per modū actus ſecund.? Ibid.
§.12 Vtrum perſona Patris conſtituatur per conceptum innaſcibilis, & fecundi ad generandum, fol.319.
§.13.Vtrum relatio ſecundum quod forma hypoſtatica eſt perſonā cōſtituat? fol. 321
§.14.Vtrum antecedenter ad generationem antecedentia ſola noſtri modi intelligendi intelligatur ratio Patris ſubſtantive, licet non relative? fol.322.
§.15.Solvuntur argumenta contra reſolutionem? fol.324.
§.16.Solvuntur argumenta contra concluſionem.fol.326.

QVÆSTIO XVIII.

De perſonis in comparatione ad actus notionales, fol. 329.
§.1.Vtrum actus notionales ſint attribuendi perſonis? Ibidem.
§.2.Vtrum actus notionales ſint voluntarij? fol 331.
§.3.Vtrum proceſsio Spiritus Sancti ſit libera? fol.332.
§.4 Solvuntur argumenta Scoti,fol.334.
§.5.Vtrū ante actū generationis divinæ detur in Deo actus quo vellit generare? f.336.
§.6 Quid ſit potentia generativa & ſpirativa in Deo? fol.339.
§.7 Solvuntur argumenta. Ibidem.
§.8.Vtrum actus notionales ad plures perſonas poſsint terminari? fol.343.
§.9.Explicatur vis primæ rationis, fol.345.
§.10.Exponitur ſecūda ratio D. Th. f.346.
§.11.Expenditur tertia & quarta ratio. Ibid.

QVÆSTIO XIX.

*De equalitate, & ſimilitudine Divinarum Perſonarum ad invicem, fol.*348.
§.1.Vtrum equalitas locum habeat in divinis? Ibidem.
§.2.Solvuntur obiectiones,fol.349.
§.3.An equalitas aſsignata relative ſumpta ſit relatio realis? fol.350.
§.4.Solvuntur argumenta contra concluſionem,fol.352.
§.5.Vtrum in ſententia admittente perfectiones relativas debeat poni in Deo equalitas formalis realis relativa? fol.355
§.6.Quæ prioritas ſit admittenda in divinis? fol.356.
§.7.De modo quo vna perſona exiſtit in alia, fol.358.

QVÆSTIO VIGESSIMA.

De Miſsione divinarum perſonarum, fol.359.
§.1.Vtrum alicui perſonæ divinæ conveniat mitti? Ibidem.
§.2.Solvuntur argumenta,fol.360.
§.3.Vtrum ratio miſsionis quam diximus convenire divinis perſonis ſit tantum metaphorica? fol.363.
§.4.An cuilibet perſonæ divinæ conveniat mitti? fol.364.
§.5.Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol.366.
§.6. Vtrū ad hoc quod vna perſona dicatur mitti ab alia requiratur, quod ab illa procedat, vel ſufficiat procedere ab aliqua? f.367.
§.7.Solvuntur argumenta contra noſtrā reſolutionem, fol.370.

§.8.

Digitized by Google

§.8. Vtrum ex perſonis quæ mittuntur poſsit vna mitti ſine alia, fol.371.
§.9. Vtrum miſsio rectè dividatur inviſibilem & viſibilem, fol.374.
§.10. Examinatur ſecundum punctū, fol.376
§.11. An miſsio inviſibilis divinarum perſonarum ſolum fiat per dona gratiæ ſanctificantis? An etiam per alia dona? fol.380
§.12. Soluuntur argumenta contra concluſionem, fol.384.
§.13. An per alia dona ſupernaturalia diſtincta à gratia ſanctificāte fiat miſsio perſonæ divinæ ſecundum quid? fol.387.
§.14. Vtrum per augmentum gratiæ, ſive intenſivum, ſive extenſivum, perſonæ divinæ mittantur? fol.388.
§.15. Vtrum in miſsione inviſibili divinæ perſonæ ex ſola ratione dicatur mitti quod dona gratiæ ab ea procedentia nobis donantur? fol.390.
§.16. Refelluntur rationes Araujo, vt minus efficaces, fol.393.
§.17. Refertur modus dicendi Ioannis à Sancto Thō. & defenditur vt verus, fol.394.
§.18. Soluuntur obiectiones contra iſtum modum dicendi, fol.396.
§.19. Vtrum miſsio divinæ perſonæ dici debeat æterna, vel temporalis, fol.398.
§.20. Soluuntur obiectiones contra hanc doctrinam, fol.399.

TRACTATVS XV.

De Creatione, fol.401.

QVÆSTIO PRIMA.

De creatione quo ad an eſt, & quo ad quid eſt. Ibidem.

§.1. Vtrum ſit de fide Deum hunc mundum viſibilem creaſſe producendo illum ex nihilo? Ibidem.
§.2. Soluuntur obiectiones, fol.402.
§.3. Vtrum ratione naturali poſsit oſtendi Deum poſſe creare producendo aliquid ex nihilo? fol.404.
§.4. Proponuntur, & ſoluuntur difficultates, quæ militant contra hanc rationem. Ibid.
§.5. Soluuntur argumenta probantia impoſſibilitatem creationis, fol.407.
§.6. Proponitur aliud argumentum, fo.411.
§.7. Vtrum creatio ſit vera, & realis mutatio, fol.415.
§.8. Soluuntur argumenta contra concluſionem, fol.416.
§.9. Quid ſit creatio prout ſe tenet ex parte Dei active creantis? fol.419.
§.10. Quid ſit creatio prout tenet ſe ex parte creaturæ? fol.422.
§.11. Soluuntur argumenta contra concluſionem, fol.423.
§.12. Soluuntur argumenta contra hunc modum dicendi, fol.426.
§.13. Expenditur mens propria circa huiuſmodi punctum, fol.427.

QVÆSTIO SECVNDA.

De His quæ propriè creantur, fol.430.

§.1. Vtrum propriè creari ſolum conveniat ſubſiſtentibus, & compoſitis? Ibidem.
§.2. Vtrū gratia habitualis creetur? fol.432.
§.3. Soluuntur argumenta contra concluſionem, fol.435.
§.4. Vtrum compoſita ſint apta creari vel non? fol.441.
§.5. Soluuntur argumenta, fol.442.
§.6. Vtrum materia prima propriè & per ſe creetur? fol.447.
§.7. Soluuntur aliquæ inſtantiæ contra hanc doctrinam, fol.450.
§.8. Vtrum accidens ſeparatum à ſubiecto poſsit creari? fol.453.

QVÆSTIO TERTIA.

De virtute principaliter creativa, fol.455.

§.1. Vtrum vis principaliter creativa poſsit communicari creaturæ? Ibidem.
§.2. Alijs rationibus efficaciter probatur concluſio, fol.457.
§.3. Soluuntur inſtantiæ contra hanc rationem, fol.459.
§.4. Examinatur ratio P. Vazquez, fol.463.
§.5. Vtrum ſaltim inſtrumentaliter creatura aliqua poſsit creare? fol.464.
§.6. Soluuntur inſtantiæ contra hanc doctrinam, fol.467.
§.7. Alia ratione probatur cōcluſio, fol.469
§.8. Soluuntur argumenta contra concluſionem, fol.470.

QVÆSTIO QVARTA.

De alijs quæ ſpectant ad creationem, fol.473.

§.1. Vtrum creare ſit proprium alicuius perſonæ? Ibidem.
§.2. Enodatur difficultas iuxta tertium ſenſum quæſiti, fol.474.
§.3. Soluuntur ea quæ facere videntur in favorem huius ſententiæ, fol.477.
§.4. Explicatur mens D. Thomæ circa præſens quæſitum, fol.478.
§.5. Vtrum in creaturis neceſſe ſit invenire aliquod veſtigium Trinitatis, fol.480.
§.6. Soluuntur quædam quæ videntur militare contra hanc doctrinam, fol.481.
§.7. Vtrum Angelus ſit perfectior imago Trinitatis quam homo? fol.484.
§.8. Vtrum gratia gratum faciens ſit imago Trinitatis? fol.485.

Digitized by Google

§.9 Vtrũ gratia ſit expreſsio Trinitatis? f.487
§.10. Vtrum creatio ad miſceatur in operibus naturæ, & artis? fol.491.

TRACTATVS XVI.
De Angelis, fol.494.

QVÆSTIO PRIMA.
De ſubſtantia Angelorum, fol.495.

§.1. An dentur Angeli in rerum natura. Ibid.
§.2. Solvuntur Inſtantiæ contra hanc rationem, fol.496.
§.3. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol.499.
§.4. Vtrum Angeli ſint compoſiti ex materia eiuſdem rationis cum noſtra? fol.501.
§.5. Solvuntur argumenta, fol.504.
§.6. An Angelus ſit compoſitus phyſice ex materia pure ſpirituali? fol.506.
§.7. Solvuntur argumenta, fol.508.

QVÆSTIO SECVNDA.
De multiplicatione Angelorum, fol.511.

§.1. Vtrũm Angelorũ multitudo ſit maior multitudine ſpecierum materialium? Ibi.
§.2. Vtrum Angeli ſint plures numero; quã individua rerum ſenſibilium? fol.513.
§.3. Vtrum multitudo Angelorum ſit maior multitudine omnium hominũ? f.514

QVÆSTIO TERTIA.
De multitudine Angelorum intra eandem ſpeciem, fol.515.

§.1. Vtrum intra eandem ſpeciem ſint poſſibiles plures Angeli naturaliter ex hoc, quod ex natura ſua ſint ordinati ad corpora, vel per modum cuſtodium, vel motorum? Ibid.
§.2. Vtrum Angeli intra eandem ſpeciem plures ſint ex hoc, quod per ſpeciẽ æque univerſalem in repræſentando alter altero perfectius cognoſcat? fol.518.
§.3. Vtrũ iuxta mentẽ D. Th. poſsint Angeli multiplicari intra eandẽ ſpeciem? f.521.
§.4. Soluuntur argumenta, fol.522.
§.5. Vtrũ poſsint naturaliter Angeli multiplicari intra eandem ſpeciem? fol.524.
§.6. Solvuntur obiectiones contra concluſionem, fol.525.
§.7. Vtrum natura Angelica poſsit de potẽtia abſoluta Dei multiplicari in varia individua? fol.531.
§.8. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol.534.
§.9 Vtrum ex vi ſecundæ rationis D. Thomæ probari poſsit Angelus eſſe immultiplicabiles adhuc divinitus? fol.541.
§.10. Solvuntur argumenta, fol.543.
§.11. Vtrum cum hac noſtra doctrina de ſui multiplicabilitate Angelorum componi poſsit, quod natura Angelica ſit ſpecies prædicabilis? fol.545.
§.12. Defenditur concluſio contra Auctores aliis viis impugnantes eam, fol.548.
§.13. Solvuntur argumenta, quæ prætendũt probare naturam non præſcindere à ſua ſingularitate, fol.540.
§.14. Solvuntur argumẽta ex aliis capitibus impugnantia aſſertum noſtrum, fol.553.
§.15. Vtrum Angeli ſint incorruptibiles ex natura ſua? fol.555.
§.16. Solvuntur argumenta contra concluſionem, fol.558.

QVÆSTIO QVARTA.
De comparatione Angelorum ad corpora, f.563.

§.1. Vtrum Angeli poſsint aſſumere ſibi in vnitatem perſonæ aliquam naturam corpoream? fol.564.
§.2. Vtrum Angeli aſſumant corpora, ſic, quod per illa repræſententur? fol.565.
§.3. Quid requiratur ad hoc, quod Angelus corpus aſſumat? fol.566.
§.4. Ex qua materia formentur ab Angelo corpora ab eo aſſumpta? fol.567.
§.5. An Angeli in corporibus aſſumptis poſſint exercere opera vitæ? fol.569.

QVÆSTIO QVINTA.
De comparatione Angelorum, fol.571.

§.1, Vtrum eſſe in loco proprie conveniat Angelo? Ibid.
§.2. Solvuntur argumenta, fol.573.
§.3. Vtrum ſubſtãtia Angeli ſit ei ratio proxima, & immediata eſſendi in loco? f.574.
§.4. Solvuntur argumenta fol.577.
§.5. Vtrũ ratio formalis eſſendi in loco ſit quidã modus vnionis ad corpus per liberã Angeli locabilis volũtatẽ product⁹? f.580
§.7. Vtrum Angelus ſit in loco per modum præſentiæ, ſeu aliquod vbi? fol.581.
§.7. Vtrum Angelus ſit in loco per ſuam operationem? fol.582.
§.8. Solvuntur argumenta, fol. 585.
§.9. Solvuntur alia argumenta, fol.588.
§.10. Vtrum Angelus ſit in loco violento per meram paſsionem? fol.592.
§.11. Solvuntur argumenta, fol.595.
§.12 Explicatur quid ſit vbi Angelicũ, f.597
§.13. Solvuntur argumenta, fol.598.
§.14. Vtrum poſsit eſſe vnus Angelus in duobus locis adæquatis ſibi? fol.600.
§.15. Solvũtur difficultates contra reſolutionem noſtram, ibidẽ.
§.16. Vtrum poſsit Angelus ex ſola virtute ſibi naturali eſſe in duobus locis inadæquatis, inter ſe diſtãtibus, ſine eo quod ſit in intermediis? f.602,

Digitized by Google

§. 17. Solvuntur argumenta.
§. 18. Vtrum poſsint eſſe plures Angeli in eodem loco? fol.606.
§.19. Vtrum Angelus poſsit ſe locare in puncto? fol.608.

QVÆSTIO SEXTA.

De motu Angelorum. Fol.610.

§.1. Vtrũ poſsit Angel⁹ moveri localiter? Ib.
§.2. Vtrum Angelus poſsit moveri motu continuo? fol 612.
§.3. Vtrum Angelus moveatur motu diſcreto? fol.613.
§.4 Vtrum Angelus poſsit tranſire de extremo ad extremum, ſine tranſitu per medium? fol.617.
§. 5. Solvuntur argumenta contrá concluſionem? fol.619.
§.6. Vtrum motus Angeli per ſpacium poſſit fieri in inſtanti? fol.623.
§. 7. Solvuntur argumenta contra concluſionem: fol.624.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De quidditate cognitionis Angelicæ.

§.1. Vtrum intelligere Angeli ſit eius ſubſtantia? fol.629.
§.2. Examinatur alia ratio qua ſpecialiter probatur Angelum non eſſe ſuum intelligere. fol.631.
§.3. Vtrum intelligere Angeli ſit eius eſſe? fol.633.
§.4. Vtrum Angeli ſubſtantia ſit ſua potẽtia immediate operativa? fol.634.
§.5. Probatur concluſio alia ratione Divi Thomæ. fol.636.
§.6. Alia ratione probatur concluſio. f.637.
§.7. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol.638.
§. 8. Solvuntur alia argumenta. fol.640.

QVÆSTIO OCTAVA.

De medio cognitionis Angelicæ. Fol.644.

§.1. Vtrum Angeli omnia quæ cognoſcũt, cognoſcant per ſuam ſubſtantiã? fol.644.
§.2. Vtrum Angeli alia à ſe intelligant per ſpecies à rebus ſenſibilibus receptas? f.647.
§.3. Probatur ratione alia concluſio noſtra. fol.649.
§. 4. Solvuntur argumentá contra concluſionem. fol 650.
§ 5. Vtrum Angelus poſsit abſtrahere ſpecies intelligibiles à rebus pure ſpiritualibus? fol.653.
§. 6. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol.657.
§. 7. Vtrum Angeli intelligant per ſpecies infuſas à Deo, ab initio ſuæ conditionis? fol.658.
§. 8. Solvuntur inſtantiæ contra hanc rationem. fol.659.
§. 9. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol.662.
§. 10. Vtrum ſpecies Angelicæ orlantur ab ipſa natura tanquam veræ proprietates eius. fol.665.
§. 11. Solvitur argumenta contra concluſionem. fol.666.

QVÆSTIO NONA.

De univerſalitate ſpecieı Angelicæ. Fol.671.

§.1. Vtrum intelligant per ſpecies vniverſales in repræſentando? fol.671.
§.2. Solvuntur argumenta. fol.674.
§.3. Vtrum Angeli quo ſuperiores ſunt, eò per vniverſaliores, & pauciores ſpecies intelligant? fol.680.
§.4. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol.683.

QVÆSTIO DECIMA.

De obiecto cognitionis Angelicæ. Fol.688.

§. 1. Vtrum Angelus cognoſcat ſe ipſum per propriam ſubſtantiam tanquam per propriam ſpeciem? fol.688.
§.2. Reſolvitur quæſitum, & ſtatuitur concluſio. fol.691.
§.3. Vtrũ cognoſcãt ſe ipſum per propriam ſubſtantiã, tanquam per Verbum? f.689.
§. 4. Solvuntur obiectiones contra concluſionem. fol.694.
§.5. Vtrum Angelus per ſuam ſubſtantiam, tanquam per ſpeciem impreſſam Dei, Deum cognoſcat? fol.695.
§ 6. Vtrum Angelus per propriã ſubſtantiã cognoſcat omnia accidentia eius? f.698.
§.7. Vtrum Angelus inferior vi ſua naturali comprehendat ſuperiorem? fol 700.
§. 8. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol.705.
§.9. Per quam ſpeciem Angelus ſingularia cognoſcat? fol.708.
§.10. Solvuntur argumenta. fol.911.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De cognitione futurorum contingentium. F.913.

§.1. Vtrum Angelus vi ſua naturali cognoſcere poſsit futura contingentia ante quam ſint? fol. 913.
§.2. Refertur, & refutatur modus dicendi Illuſtriſsimi Domini Araujo. fol.914.
§. 3. Refertur & refutatur modus dicendi à Sancto Thoma. fol.915.
§.4. Eligitur modus dicendi D.Th. f.718.
§.5. Solvuntur inſtantiæ contra rationem, & doctrinam. fol.719.
§.6. Vtrũ de potentia abſoluta poſsit Angelus cognoſcere abſtractivè futura? f.723.

§ 7.

§.7. Vtrum de potentia abſoluta etiam ordinis gratiæ poſsit Angelus intueri futura? fol. 724.

§.8. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 726.

§.8. Vtrum cognitio Angelica poſsit menſurari aliqua menſura in qua ea quæ reſpectu noſtri ſunt futura, illi ſint præſentia? fol. 729.

§.9. Solvuntur argumenta. fol. 731.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De cognitione Angelica ſecretorũ cordis. f. 734.

§.1. Vtrum Angelus poſsit viribus ſolius naturæ cognoſcere ſecreta alterius independenter ab eorũ manifeſtatione? fol. 734.

§.2. Vtrũ Angelus viribus ſolis naturæ poſsit liberas cognitiones alterius ſaltim quò ad ſubſtantiam cognoſcere? fol. 735.

§.3. Vtrum non cognoſcere naturaliter Angelũ cogitationes alterius oriatur ex eo quod Deus non vult concurrere cum Angelo ad cognitionem earum? fol. 736.

§.4. Vtrum non poſſe Angelũ cognoſcere cognitiones liberas alterius oriatur ex defectu ſpeciei eorũ repræſentativæ? f. 737.

§.5. Proponitur ratio D. Thomæ, & explicatur efficacia eius. fol. 738.

§.6. Solvuntur argumenta. fol. 740.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De modo cognitionis Angelus. Fol. 744.

§.1. Vtrum Angelus neceſſario ſe ipſum cognoſcat? fol. 744.

§.2. Vtrum Angelus Deũ neceſſario cognoſcat, vt Auctorem ſuæ ſubſtantiæ? f. 746.

§.3. Vtrum Angelus poſsit ſimul multa intelligere? fol. 747.

§.4. Vtrum Angelus poſsit circa naturalia diſcurrere? fol. 750.

§.5. Solvuntur argumenta contra cõcluſionem. fol. 754.

§.6. An circa ſupernaturalia poſsit Angelus vti diſcurſu formali? fol. 756.

§.7. Solvuntur inſtantiæ contra concluſionem. fol. 757.

§.8. Vtrum Angelus intelligat componendo, & dividendo? fol. 760.

§.9. Solvuntur argumenta, Ibid.

§.10. Vtrum poſsit Angelus idem obiectum cognoſcere immediate, & mediate. f. 763.

QVÆSTIO QVARTADECIMA.

De volitione Angelorum. Fol. 765.

§.1. An poſsit dari ſubſtantia intellectiva, quæ volitiva non ſit? Ibid.

§.2. Vtrum intellectus, & voluntas realiter inter ſe, & à ſubſtãtia diſtinguãtur. f. 767.

§.3. Vtrum Angelus neceſsitate quoad exercitium neceſſario diligat ſe? fol. 770.

§.4. Solvuntur argumenta. fol. 771.

§.5. Vtrũ Angelus diligat Deũ Auctorẽ naturæ neceſſario quoad exercitium? f. 772.

§.6. Vtrum Angelus Deum Auctorem naturæ pluſquam ſe ipſum diligat? fol. 774.

QVÆSTIO QVINTADECIMA.

De perfectione Angelorum in eſſe gratiæ, & gloriæ. Fol. 776.

§.1. Vtrum Angeli fuerint in ſua creatione Beati? Ibid.

§.2. Vtrum aliqui ex Angelis nempe ſupremi ab initio creationis Deũ viderint per eſſentiam? fol. 778.

§.3. Vtrum Angeli ad convertendum ſe in Deum indiguerint gratia? fol. 779.

§.4. Vtrum omnes Angeli in ſua creatione habuerint gratiã ſanctificantem? fol. 780.

§.5. Vtrum Angeli acquiſierint gratiã ſanctificantẽ per propriã diſpoſitionẽ? f. 781.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De malitia Angelorum quoad culpã. Fol. 783.

§.1. Vtrum poſsit dari creatura intellectualis ſimpliciter impeccabilis? Ibid.

§.2. Vtrum Angelus poſsit peccare directe contra Deum Auctorem naturæ? f. 785.

§.3. Solvuntur difficultates, quæ militant contra hanc rationem. fol. 788.

§.4. Alia efficaciſsima ratione D. Thomæ probatur concluſio. fol. 789.

§.5. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 791.

§.6. Solvuntur argumenta P. Eſparza contra noſtram concluſionem. fol. 794.

§.7. Vtrum Angelus potuerit peccare in primo inſtanti ſuæ creationis ſaltem potentia phyſica? fol. 796.

§.8. Solvuntur argumenta P. Eſparza. f. 800.

§.9. Solvuntur alia argumenta. fol. 804.

§.10. Vtrum Angelus in primo inſtanti potuerit peccare peccato puræ omiſsionis? fol. 812.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De peccato Angelorum. Fol. 814.

§.1. Vtrum peccatum primum Angeli fuerit commiſsionis, vel omiſsionis? fol. 815.

§.2. Vtrũ hoc peccatũ commiſsionis, quod primum fuit, fuerit ſuperbia? fol. 816.

§.3. Solvuntur argumenta Scoti. fol. 818.

§.4. Vtrũ Angelus in ſua ſuperbia appetierit eſſe vt Deus? fol. 819.

§.5. Vtrum ſuperbia Dæmonum conſtiterit in appetitu vnionis hypoſtaticæ? fol. 822.

§.6. Vtrum prima ſuperbia Angeli fuerit circa beatitudinem ſupernaturalẽ? fol. 823.

§.7. Vtrum prima ſuperbia Angeli fuerit circa

ca

Digitized by Google

ſtà ſuam beatitudinē naturalem. fol. 826.
§.8. Per quot inſtantia duraverit via beatorum Angelorum? fol. 828.
§.9. Solvuntur argumenta. fol. 830.
§.10. Per quot inſtantia duraverit via malorum Angelorum? fol. 835.
§.11. Qua via peccatum irrepſit ad Angelos? fol. 836.
§.12. Solvuntur argumenta. fol. 837.

QVÆSTIO XVIII.
De pœna Dæmonum.

§.1. An in Dæmonibus manſerit integra cognitio eorum, quæ per ſola naturalia cognoſcebant? fol. 839.
§.2. Solvuntur obiecta contra hanc doctrinam. fol. 840.
§.2. Quomodo cognitio veritatis, quæ eſt per gratiam in ſola ſpeculatione conſiſtens nō ſit in Dæmonibus totaliter ablata, ſed ſolum diminuta? fol. 842.
§.4. Vtrum voluntas Dæmonis ſit obſtinata in malo? fol. 843.
§.5. Reſolvitur quæſitum. fol. 842.
§.6. Statuitur ſecunda concluſio. fol. 844.
§.7. Solvuntur aliæ difficultates contra rationem D. Thomæ. fol. 847.
§.8. Solvuntur aliæ difficultates contra rationem D. Thomæ. fol. 850.
§.9. Solvuntur obiectiones contra concluſionem. Ibidem.
§.10. Solvitur aliud argumētū difficile. f. 854
§.11. Solvuntur alia argumenta. fol. 856.
§.12. Vtrū Dæmones poſsint facere aliquod opus bonum morale nulla circunſtantia vitiatum? fol. 860.
§.13. Solvuntur argumenta contra hanc rationem. fol. 862.
§.14. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 866.

QVÆSTIO XIX.
De pœna ſenſus. Fol. 869.

§.1. Vtrum ſit in Dæmonibus? Ibid.
§.2. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 870.
§.3. Vtrum dolor Dæmonū ſit tantus quod nullā ſecū cōpatiatur delectationē? f. 872.
§.4. De modo quo Dæmones torqueantur ab igne inferni. fol. 876.
§.5. Impugnantur alij modi dicēdi. fol. 879.
§.6. Statuitur tertia concluſio. fol. 881.
§.7. Per quid fiat hęc phyſica aligatio? f. 882
§.8. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 885.
§.9. Vtrū ut Angelus localiter alligetur igni ſufficiat quod ignis agat in Angelū? f. 890.
§.10. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 892.
§.11. Vtrum iſtæ qualitates locativę, vel detentivæ in loco, ſubiectentur in ſubſtātijs? An in potentijs Dæmonum? fol. 894.
§.12. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 895.
§.13. Vtrūm præter pęnam aligationis Dæmones patiantur in inferno alia tormenta? fol. 896.
§.14. Solvuntur argumenta. fol. 898.

QVÆSTIO XX.
De illuminatione Angelorum. Fol. 903.

§.1. Vtrū vnus Angelus aliū illuminet? Ib.
§.2. Solvuntur argumenta. fol. 907.
§.3. Quomodo vnus Angelus alium illuminet? fol. 909.
§.4. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 915.
§.5. Explicatur modus quo fit illuminatio. fol. 918.

QVÆSTIO XXI.
De quibus ſuperior Angelus inferiorem illuminet. Fol. 922.

§.1. De his quæ ſpectant ad ordinem naturæ. fol. 923.
§.2. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 925.
§.3. Explicatur illuminatio circa ea, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ. fol. 928.
§.4. Explicatur illuminatio circa ea; quæ ſpectant ad ſtatum gloriæ. fol. 930.
§.5. Vtrum Angelus inferior ſuperiorem illuminet? fol. 932.
§.6. Vtrum Dæmones ſuperiores Dæmones inferiores illuminent? fol. 935.

QVÆSTIO XXII.
De locutione Angelorum. Fol. 937.

§.1. Vtrum locutio Angelica fiat per aliquā ſigna ſive corporalia, ſive ſpiritualia? f. 937
§.2. Solvuntur argumenta. fol. 941.
§.3. Vtrum locutio Angelica fiat per productionem ſpeciei impreſſę in mente audiētis repræſentativæ ſecreti cordis? fol. 942.
§.4. Solvuntur alia argumenta. fol. 944.
§.5. Vtrum locutio Angelica fiat per hoc, quod Angelus loquens dirigat conceptum ſuum ad Angelum audientem? fol. 945.
§.6. Solvuntur argumenta contra concluſionem. fol. 948.
§.7. Solvuntur alia argumenta. fol. 951.
§.8. Vtrum Angelus inferior ſuperiorem loquatur? fol. 956.
§.9. Explicatur alia propoſitio D. Th. f. 957.
§.10. Explicatur alia propoſitio difficilis in litera D. Thomæ. fol. 959.
§.11. Explicatur alia doctrina difficilis, quæ habetur in litera D. Thomæ. fol. 963.

§.12.

Digitized by Google

§.12. Vtrum Angelus Deo loquatur. f.965.

QVÆSTIO XXIII.

De Hierarchijs, & ordinibus Angelorũ. F.969.

§.1. Examinatur vtrum omnes Angeli ſint vnius Hierarchiæ? Ibid.

§.2. Vtrum Hierarchia ex hominibus conſtãs diuidatur in plures Hierarchias? f.974.

§.3. Explicãtur ordines Angelorum. f.976.

§.4. Vtrum in quolibet ordine ſint plures Angeli? fol.978.

§.5. Vtrum diſtinctio Hierarchiarum, & ordinũ in Angelis ſit à natura? fol.980.

§.6. Vtrum ordines Angelorum convenienter numerentur? fol.982.

§.7. Soluuntur argumenta contra præcedentem doctrinam. fol.984.

§.8. Vtrum ordines remaneant poſt diem iudicij? fol.986.

§.9. Vtrum homines aſſumantur ad ordines Angelorum? fol.989.

§.10. Vtrum Angelus Michael ſit de ordine Seraphim? fol.991.

QVÆSTIO XXIV.

De miſsione Angelorum. Fol.993.

§.1 Vtrum Angeli in miniſterium mittantur? Ibid.

§.2. Vtrum omnes Angeli in miniſterium mittantur? fol.996.

§.3. Vtrum Angeli qui mittuntur, aſsiſtant? fol.1000.

§.4. Vtrum omnes Angeli ſecundæ Hierarchiæ mittantur? fol.1001.

QVÆSTIO XXV.

De cuſtodia bonorum Angelorum? Fol.1002.

§.1. Vtrum homines cuſtodiantur ab Angelis? Ibid.

§.2. Vtrum ſinguli homines à ſingulis Angelis cuſtodiantur? fol.1006.

§.3. Soluuntur quædam obiecta contra reſolutionem principalis quæſiti. fol.1008.

§.4. Vtrum perſonis publicis, nempe Principibus, Prælatis, & huiuſmodi præter Angelum particularem, alius deputetur Angelus, qui dirigat hominem, vt perſona publica eſt? fol.1010.

§.5. An cuſtodire hunc, vel alium conveniat Angelis ex principijs naturalibus ſuis? fol.1011.

§.6. Vtrum cuſtodire homines pertineat ſolũ ad infimum ordinem Angelorum? f.1013.

§.7. Vtrum omnibus hominibus Angeli ad cuſtodiam deputentur? fol.1015.

§.8. Vtrum B. V. Maria habuerit cuſtodem Angelum? fol.1017.

§.9. Vtrum Antechriſtus habiturus ſit Angelum cuſtodem? fol.1019.

§.10. Vtrum Angelus deputetur homini ad cuſtodiam à ſua natiuitate? fol.1021.

§.11. Vtrum Angelus cuſtos quandoque deſerat hominem? fol.1024.

§.12. Vtrum Angeli doleant de malis eorũ quos cuſtodiunt? fol.1027.

§.13. Vtrum inter Angelos poſsit eſſe pugna, ſeu diſcordia? fol.1029.

QVÆSTIO XXVI.

De impugnatione Dæmonum. Fol.1032.

§.1. Vtrum homines impugnentur a Dæmone? fol.1032.

§.2. Vtrũ tentare ſit proprium Diaboli? f.1037.

§.3. Vtrum omnia peccata procedant ex tentatione Diaboli? fol.1038.

§.4. Vtrum Dæmones poſsint vera miracula facere ad ſeducendum? fol.1038.

§.5. Vtrum Dæmon qui ſuperatur ab aliquo propter hoc ab impugnatione arceatur? fol.1041.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS DECIMVSQVARTVS,

DE SACROSANCTO TRINITATIS MYSTERIO, IVXTA MIRAM DOCTRINAM D. THOMÆ AQVINATIS.

PROOEMIVM.

CONSIDERATIS His, quæ ad Divinæ Eſſentiæ vnitatem pertinent, reſtat conſiderare de his, quæ pertinent ad Trinitatem Perſonarum in Divinis. Et quia Perſonæ Divinæ ſecundum relationes originis diſtinguuntur, ſecundum ordinem doctrinæ primo conſiderandum eſt de origine, ſive proceſsione, ſecundo de relationibus originis, tertio de Perſonis. Tractatus hic, quanto celebris eſt, tanto celebratur altiſsimus, & præ omnibus profundiſsimus. Vnde de ipſo dicitur Eccleſiaſt. 7. *Alta profunditas, quis inveniet eam:* ducit enim homines peritiſsimos, & ſapientia Veteranos duces in altum diſputationis, & ibi cogit laxare rete proprij ingenioli, ſed fere ſine fructu, nam vix habetur piſcium captura. Vnde & dicitur: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Hic habetur funiculus ille triplex, qui difficile rumpitur; nubes, & caligo in circuitu eius, nam poſuit tenebras latibulum ſuum. Vnde dum Seraphin triſagium cātant, domus repletur fumo, obſcuritatis quidem, & denſitatis; nam

tanti myſterij lux in tenebris lucet, & tenebræ mentis noſtræ non apprehēdunt eam:nam dum Sacroſancta Triados elevatur, cadit humana trinitas, nempe intellectus, memoria, & voluntas, & cadit in miſeriæ trinitatem, nempe in impotentiam, ignorantiam, & carnis concupiſcentiam. Sed Divina Providentia, quæ non deficit in neceſſarijs, vt lapſum mentis noſtræ repararet, & caſum animum ad ſuperum Triados erigeret, aliam invenit trinitatem, nempe fidem, ſpem, & charitatem, volens nobis indicare, quod, dum in via ſumus, circa Sacroſanctum Trinitatis Myſteriū tantum poſſumus credere, ſperare, & diligere: claram autem myſterij notitiā habere nequimus.

QVÆSTIO I.

De Proceſsione Divinarum Perſonarum.

§. I.

Vtrùm ſecundum fidem Catholicam tenendum ſit dari proceſsiones in divinis?

2 CONCLVSIO Eſt affirmativa. Et probatur ex illo Ioann. 8. vbi Chriſtus de ſe ipſo dicit, *ego ex Deo proceſsi.* Eccleſiaſtici 24. Sapientia genita clamitat: *Ego ex ore altiſsimi prodivi.* Sapientię 7. de ipſa dicitur, quod ſit *emanatio quædam claritatis virtutis Dei.* Micheæ 5. dicitur: *Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* De Spiritu Sancto Ioan. 15. habetur, quod ſit *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Et Filius de ſe ipſo Ioann. 16. ait: *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Et Pſalm. 2. *Ego hodie genui te,* de qua generatione Proverbiorum 8. dicitur: *Ante omnes colles ego parturiebar:* vel vt legunt Septuaginta: *Generabat me.* Et Iſaiæ 66. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Ex quibus tale formo argumentum. Illa veritas eſt immediate de fide, quæ immediate habetur expreſſa in Scriptura Sacra; ſed dari proceſsiones in Deo habetur immediate expreſſum in Scriptura Sacra: ergo erit immediate de fide dari in Deo proceſsiones. Conſeq. eſt bona, Min. conſtat ex adductis locis, & Mai. in bona Theologia eſt infallibilis.

Secundo prob. Concluſio authoritatibus Conciliorū. Etenim in ſymbolo Concilij Niceni habetur: *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius unigenitum, & ex Patre natum.* Et etiam: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* De Spiritu Sancto etiam habetur Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere: de quo etiam dicitur in Concilio Conſtantinopolitano: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, & ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum.*

Tertio prob. Concluſio. Nam de fide eſt dari in Deo tres Perſonas in vnitate eſſentiæ; ſed hæc diſtinctio realis Perſonarū nequit intelligi abſque proceſsione vnius ab alia: ergo de fide erit dari in Deo reales proceſsiones. Min. probat Angelicus 1. Contrag. cap. 42 ſic: Omnis multitudo ſicut debet reduci ad vnum, ita debet derivari ab vno principio: ergo multitudo realis Perſonarum & debet reduci ad vnū, & debet derivari ab vno principio; hæc autem derivatio ab vno, vt à principio, fit per proceſsionem: ergo præfata diſtinctio Perſonarum in Deo nequit intelligi ſine proceſsione vnius ab alia. Tum etiam: Quia ceſſante proceſsione, ceſſat oppoſitio originis; hac autem ceſſante, non poſſunt plures Perſonæ diſtingui niſi diverſitate naturæ: ergo cum ſint tres Perſonæ, & eiuſdem numero naturæ, nequibunt realiter inter ſe diſtingui, ſi non adſit proceſsio in divinis. Hac ratione vtuntur aliqui Thomiſtæ; ſed licet illa Theologice probetur dari in Deo proceſsiones, non tamen ea convincitur eſſe de fide: vnde recurrendum eſt ad duas rationes prius à Nobis adductas.

Digitized by Google

§. II.

Solvuntur obiectiones contra Concluſionem.

3 PRIMO Obijcitur. Nequit eſſe de fide id, quod repugnat; ſed dari in Deo proceſſiones repugnat: igitur non eſt de fide dari in Deo proceſſiones. Prob. Min. Hoc ipſo, quod in Deo dentur proceſſiones, ponetur neceſſario, quod vna perſona ab alia ſit per veram actionem; at hoc repugnat: ergo. Prob. Min. Repugnat, quod id, quod eſt omnino à ſe per excluſionem veræ actionis, ſit ab alio; ſed Deus eſt ens omnino à ſe per excluſionem veræ actionis: ergo repugnat ei, quod ſit ab alio per veram actionem. Ad hoc reſpondetur ab aliquibus, negando Min. Ad prob. neg. Min. Ad prob. diſt. Mai. ſit ab alio per veram cauſalitatem, conc. Mai. ſit ab alio omni dependentia cauſalitatis ſecluſa, nego Mai. Et diſt. Min. ſed Deus eſt omnino à ſe, per excluſionem veræ actionis, ſecluſa dependentia omnis cauſalitatis, conc. Min. non ſecluſa, nego Min. Et diſt. Conſeq. eadem diſtinctione. Itaque Deus dicitur ens à ſe, id eſt, ens incauſatum, non ens à ſe per repugnantiam eſſendi ab alio per veram actionem; nam licet Deus habeat repugnantiam eſſendi ab alio quoad primam perſonam, quæ omnibus modis eſt à ſe: non tamen hoc repugnat ei in ſecunda perſona, quæ vt ſecunda ſit, requiritur neceſſario, quod ab alia procedat.

Sed contra ſolutionem inſto. Repugnat, quod aliquid ſuum eſſe habeat ab alio per veram actionem, & tanquam à principio per ſe, & non dependeat in ſuo eſſe ab illo: ergo dum ponitur, quod vna perſona per veram actionem ſuum eſſe accipiat ab alia, tanquam à principio per ſe, ponetur indiſpenſabiliter, quod in ſuo eſſe dependeat ab illa. Ad argumentum bene dictum eſt. Ad replicam diſt. Antec. ſi accipiat idem numero eſſe, nego Antec. ſi accipiat diverſum eſſe, conc. Antec. & nego Conſeq. quia vna perſona non accipit ab alia aliud eſſe, ſed idemmet numero eſſe, quod habet in ſe, communicat alteri per veram actionem: & ſic quamvis vni perſonæ per ſe conveniat accipere eſſe ſuum ab alia, non inde infertur, quod in ſuo eſſe dependeat ab illa.

Sed inſtas. Perſona ab alia procedens vere realiter producitur ab illa: ergo accipit eſſe diſtinctum ab illa: nam inter producens, & productum indiſpenſabilis eſt diſtinctio. Secundo: Eſſe identificatum cum diverſo nequit non eſſe diverſum; ſed eſſe, quod vna perſona accipit ab alia, eſt identificatum cum diverſo, nempe cum producto: ergo nequit non eſſe diverſum. Ad primam diſt. Conſeq. eſſe, quod ſignificat diffinitio, conc. Conſeq. eſſe veræ exiſtentiæ, vel veræ naturæ, nego Conſeq. Itaque eſſe eſt duplex, aliud veræ exiſtentiæ, vel perfectionis, aliud eſt eſſe, quod explicat diffinitio, quæ non ſolum diffinit eſſe perfectum, ſed etiam ipſas imperfectiones, vel ipſas non perfectiones: primum non multiplicatur, neque producitur, dum vna perſona procedit ab alia, bene vero ſecundum: de quo non eſt inconveniens, quod ſit diſtinctum ab eſſe producentis, prout etiam hoc dicit eſſe, quod explicatur per diffinitionem.

Ad ſecundam, diſt. Mai. quando eſt diverſum diverſitate orta ex limitatione, conc. Mai. quando eſt diverſum diverſitate orta ex ſola oppoſitione relativa, nego Mai. & diſtincta Minori ſub eadem diſtinctione, nego Conſeq. Itaque, quando vnum identificatur cum diverſo, quod ſolum eſt diverſum, quia relative opponitur alteri, non oportet, quod ipſum etiam fiat diverſum ab illo altero, quia cũ illo nõ habet oppoſitionem, quæ ſola in divinis facit diverſitatem: ſicque contingit inter eſſe abſolutum, & relativum productũ; hoc enim ſolum eſt diverſum à producente, quia ei relative opponitur: & quia eſſe abſolutum cum relative producto identificatum non opponitur producenti relative, ſit inde, quod quamvis relativum productum ſit diverſum à producente, non tamẽ eſſe abſolutum ſit diverſum ab illo.

4 Secundo obijcitur. Quod accipit eſſe ab alio, & non habet omnibus modis à ſe, indiget illo alio, à quo recipiat eſſe: ergo ſi ponatur, quod vna perſona procedat ab alia cum ab illa debeat accipere, eſſe ponetur, quod indigeat alio; hoc autẽ nequit dici de Perſona Divina: ergo nequibit quoque dici de illa, quod ab alia procedat. Ad hoc reſpondet D.Thom. q. 10. de Poten. art. 1. ad 13. quod recipiens, antequam recipiat, indiget; ad hoc enim accipit, vt indigentiam repleat: ſed poſtquam iam accepit, non indiget; habet enim id, quo indi-

gebat: ſi ergo aliquid eſt, quod receptioni non præexiſtit, ſed ſemper eſt in recepiſſe, hoc nullo modo eſt indigens; Filius autem non ſic accipit à Patre, quaſi prius non habens, & poſtea accipiens: vnde non ſequitur, quod ſit indigens. Vnde in forma, diſt. Antec. ſi præſupponatur ad receptionem, vel ſecundum eſſe exiſtentiæ, vel poſsibilitatis, conc. Antec. ſi nullo modo præſupponatur ad id, quod accipit, nego Antec. & Conſequentiam; quia Perſona Divina procedens pro nulla prioritate durationis præſupponitur ad hoc, quod eſt accipere eſſe: & ſic pro nullo priori intelligitur indigens alio ad habendum eſſe.

Inſtas. Quamvis perſona procedens ab alio non præſupponatur ad primam receptionem illius, quod ab alio accipit, tamen vt primo habens præſupponitur ad hoc, quod eſt ſemper habere: ergo cum hoc, quod eſt ſemper habere, habeat ab alio, ſemper erit indigens alio. Reſp. negando ſuppoſitum illius termini *vt primo habens*; primo enim habere ſupponit aliquando non habuiſſe: vnde cum perſona procedens ſemper habeat id, quod habet, & ſemper habuerit, nequit de ipſa verificari primò habere: in eſſe enim eſſentialiter æterno non datur primum, nec vltimum.

§ III.

Vtrùm præfatæ proceſsiones ſint intra Deum?

5 ARRIVS, & Sabellius videntes Scripturam Sacram paſſim vti in rebus divinis nominibus ad proceſsionem pertinentibus, non auſi ſunt negare dari in divinis proceſſiones, ſed dictarunt præfatas proceſsiones eſſe in ordine ad extra, non in ordine ad intra. Vnde Arrius poſuit in Deo proceſsionem, ſecundum quod effectus procedit à cauſa: vnde dixit Filium procedere à Patre, ſicut primam eius creaturam, & Spiritum Sanctum procedere a Patre, & Filio ſicut creaturam vtriuſque. Sabellius autem poſuit proceſsionem in Deo, ſecundum quod cauſa dicitur procedere in effectum: vnde & dixit ipſum Deum Patrem Filium dici, ſecundum quod carnem ſumpſit ex Virgine, & eundem dici Spiritum Sanctum, ſecundum quod creaturam rationalem ſanctificat, & ad vitam movet. Quos duos errores refert, & refutat Div. Thom. hic, art. 1. Primum reijcit ex eo, quod Ioann. vltimo dicitur de Filio Dei: *Vt ſimus in vero Filio eius, hoc eſt verus Deus*, quæ vera non forent, ſi Filius prima creatura eſſet. Et de Spiritu Sancto dicitur 1. ad Corinth. 3. *Neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti: templum autem habere ſolius Dei eſt.* Secundum errorem reijcit, ex eo, quod dicitur Ioann. 5. *Non poteſt facere à ſe Filius quidquam*, & multa alia, per quæ oſtenditur, quòd non eſt ipſe Pater, qui & Filius.

Ex quibus infero, quod poſtquam actum eſt in §. de divinis proceſsionibus, an dentur in Deo adhuc reſtat videndum vtrum illæ proceſsiones ſint intra Deum, an vero ſint in ordine ad extra. Reſolvit ergo D. Thom. has proceſsiones eſſe in ordine ad intra. In cuius probationem advertit, quod actio eſt duplex, alia, quæ manet in agente, & alia, quæ tendit in exteriorem materiam; per primam producitur terminus, qui manet intra agentem, & per ſecundam producitur terminus, qui extra agens fit: cum ergo proceſsio fiat per aliquam actionem, iuxta duplex genus actionum dabitur duplex genus proceſsionum, per quarum alterum id, quod procedit, manet intra illum, à quo procedit, & per alterum id, quod procedit, fit extra id, à quo procedit.

Doctrinam proceſsionis ad intra exemplificat D. Thom. in intellectu, cuius actio, quæ eſt intelligere, dum in intelligente manet, id, quod per illam procedit, etiam intra intelligentem fit; quicumque enim intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, & ex eius notitia procedens, quod dicitur verbum cordis ſignificatum verbo vocis: cum ergo Deus ſit ſuper omnia ea, quæ in Deo dicuntur, non ſunt intelligenda ſecundum modum infimarum creaturarum, quæ ſunt corpora, ſed ſecundum ſimilitudinem ſupremarum creaturarum, quæ ſunt intellectuales ſubſtantiæ, à quibus etiam ſimilitudo accepta deficit à repræſentatione divinorum. Non ergo accipienda eſt proceſsio, ſecundum quod eſt in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicuius cauſæ in exteriorem effe-

effectum ; vt calor à calefaciente in calefactum ; ſed ſecundum emanationem intelligibilem , vtpote verbi intelligibilis à dicente , quod manet in ipſo. Et ſic fides Catholica proceſsionem ponit in divinis.

6 Hæc ratio clariſsima eſt; illam tamen inturbidare videtur illa propoſitio vniverſalis Div. Thom. *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ.* Nam vel hæc propoſitio accipitur vniverſaliter pro omni intelligente, & ſic eſt falſa ; ſiquidem beati in ſchola Div. Thom. Deum perfectè intelligunt, & tamen verbum non formant: ſimiliter Filius divinus ; & Spiritus Sanctus verbum non formant, & tamen perfectè Deum intelligunt. Quod ſi illa propoſitio tantum accipiatur pro intelligentibus viatoribus, eſto veriſsima ſit, quia quicumque eorum , ex quo intelligit, verbum format ; non tamen per illam prout ſic acceptam videtur Div. Thomas ſuum intentum concludere : ſiquidem non bene valet: Viatores, quos experimur, in ſui intellectione formant verbum : ergo & Deus in ſui intellectione formabit verbum : ſicut nec bene valet, viatores in ſua intellectione formant verbum : ergo & comprehenſores formant verbum. Et ratio quare non bene valeat, ea eſſe videtur, quia viatores ex eo ex neceſsitate formant verbum, quia nullum obiectum intellectionis, quæ ſit in via, ſe ipſo intranſitive eſt tantæ actualitatis, quod poſsit immediate intrinſece terminare intellectionem. Vnde oportet, quod, ad hoc vt actu intelligatur, intellectus formet de tali obiecto aliquam conceptionem, quæ maneat intra ipſum, in qua immediate obiectum ſpeculatur.

Quæ ratio non militat in Beatis, neque in Deo : cum enim Beati immediate intelligunt Deum, ipſe Deus ſe ipſo intranſitive, cum ſit vltima actualitas, vnitur mentibus eorum, terminando immediate eorum intellectionem. Deus etiam, cum ſit vltima actualitas generis intelligibilis, & intellectivi, ſicut ſe ipſo eſt intelligens, ſic ſe ipſo eſt intrinſece intellectus: vnde non indiget, vt intelligatur à ſe ipſo, quod per eius intellectionem procedat Verbum. Si ergo ea ratio, quæ militat, vt viatores intelligendo forment verbum, non militat, vt Deus, intelligendo ſe ipſum, Verbum formet, ex illa vniverſali pro ſolis viatoribus reſtricte accepta non poterit concludi Deum per ſui intellectionem formare Verbum.

§. IV.

Referuntur, & reijciuntur aliqui modi dicendi circa præſentem punctum.

7 CIRCA intelligentiam præfatæ propoſitionis Div. Thomæ, varij ſunt modi dicendi. Primus eſt aliquorum antiquorum Thomiſtarum, qui prædictam propoſitionem in ſenſu vniverſaliſsimo acceptam veram exiſtimant : vnde & dicunt Beatos formare verbum, & ad argumentum de Filio, & Spiritu Sancto verbum non formantibus, & perfectè intelligentibus Deum, reſpondent, quod omni intellectioni debet correſpondere ſua productio verbi ; ſed non oportet, quod omni intelligenti per illam verbi productio reſpondeat, ſed tantum illi, qui in intelligendo per illam aliqua prioritate alios antecedat : cumque omnes tres divinæ perſonæ vnica indiviſibili intellectione intelligant, ſed inter ipſas Pater prioritate originis alias præcedat intelligendo, fit inde, quod ſolus Pater Verbum producat : non vero Filius, & Spiritus Sanctus.

Epiſcopus Segovienſis Araujo vim faciens in illis verbis: *Ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum*, aſſerit omni intellectioni ex conceptu generico intellectionis, id eſt, ex hoc, quod intellectio eſt, eſſentialiter convenire, quod ex illa procedat verbum: cum quo tamen ſtat, quod aliquando hoc ipſi repugnet ex ratione differentiali. Vnde inquit viſioni beatæ ex conceptu generico intellectionis convenire formare verbum, licet de facto non formet ex repugnantia rationis differentialis, hoc eſt, quia eſt notitia immediate Dei in ſe ipſo : cumque aſcendendo ad Deum, non repugnet verbi productio, neque ex parte rationis genericæ, neque ex parte rationis differentialis, rectè Div. Thom. concludit ex vi talis propoſitionis ſic intellectæ Deũ intelligendo ſe producere verbum.

Tertius modus dicendi eſt M. Serra, qui aſſerit dictam propoſitionem debere in-

Digitized by Google

intelligi de omni intellectione creata, cuius obiectum ſe ipſo, nequit habere rationem termini intellecti. Vnde iuxta hunc authorem fiet hic ſenſus: quicumque intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit, ſi obiectum ſe ipſo rationem intellecti non habeat, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ. Quartus modus dicendi eſt Salmanticenſium Carmelitarum Diſcalceatorum hic, qui dicunt prædictam propoſitionem debere intelligi cum diſtributione pro generibus ſingulorum, non vero pro ſingulis generum; ita vt fiat ſenſus, in qualibet natura intellectuali oportet dari aliquam intellectionem, ex qua formatur verbum, licet non quælibet intellectio de facto verbum producat: & ſic intellecta dicta propoſitio ſufficienter convincit, quod, cum Deus ſit in natura intellectuali, in aliqua Deitatis perſona debeat efformare Verbum.

8 Cæterum omnes iſti modi dicendi à veritate deficiunt. Primus quidem; quia ponit Deum poſſe videri à Beatis per aliquam ſimilitudinem creatam immediate repræſentantem Deum: cuius oppoſitum docent Thomiſtæ cum ſuo Authore ſupra q. 12. art. 2. & Nos ibidem ad longum in 1. tomo. Secundo deficit ex eo; quia nihil poteſt eſſentialiter poſitive convenire alicui ex conceptu rationis genericæ, ſi repugnat illi ratione conceptus differentialis: cum ergo iuxta illum Authorem formare verbum repugnet viſioni beatæ ex ratione differentiali ſua, puta ex eo, quod Dei eſt immediata notitia, implicabit, quod productio verbi illi conveniat eſſentialiter poſitive ratione gradus generici. Explico hoc: Licet ſpeciei ea, quæ conveniunt ratione conceptus generici, non ſit neceſſe, quod conveniant ratione conceptus differentialis; eſt tamen neceſſarium, & oppoſitum eſt inintelligibile, quod repugnent ſpeciei ratione gradus differentialis. Cuius ea eſt ratio: quia de ratione gradus differentialis eſt, quod contrahat, & determinet rationem genericam ſecundum omnia prædicata poſitive illi actu convenientia: ergo ex terminis implicat aliquod prædicatum eſſentialiter poſitive convenire ſpeciei ratione gradus generici, & illi poſitive repugnare ratione gradus differentialis.

Nec valet, ſi opponas hanc rationem habere manifeſtam inſtantiam in ea ſententia, quæ aſſerit peccatum conſiſtere in aliquo poſitivo; ſiquidem iuxta illam debemus dicere, quod ſpeciei peccati commiſsionis competat eſſentialiter poſitive cauſari à Deo, ex capite entitatis poſitivæ: & tamen illi repugnat cauſari à Deo ex ratione differentiali peccati. Non, inquam, valet: Nam licet rationi differentiali explicitæ peccati repugnet cauſari à Deo, non tamen ex hoc natura peccati impeditur habere de facto id, quod illi cõvenit ex ratione ſuperiori entitatis; ſiquidem de facto Deus cauſat omnem entitatem poſitivam repertam in peccato commiſsionis, tam ex parte rationis genericæ, quam ex parte rationis differentialis: viſio autem beatifica de facto impeditur formare verbum, tam ſecundum rationem genericam, quam ſecundum rationem differentialem intellectionis; ſiquidem de facto circa Deum clare viſum, nullum verbum format. Et hoc eſt, quod iudicamus impoſsibile, videlicet quod actualiter producere verbum ſit prædicatum eſſentialiter conveniens viſioni beatæ ex genere intellectionis, & quod de facto impediatur à ſua ratione differentiali à productione verbi.

Nec valet, etiam ſi inſtes in talpa, cui ex conceptu generico animalis convenit poſitive videre; & tamen à ſua ratione differentiali impeditur ab actuali viſione: ſiquidem de facto nunquam videt. Non, inquam, valet: Nam videre non eſt proprietas animalis *quarto modo*; licet enim ſoli animali conveniat, non tamen convenit omni: vnde falſum eſt, quod talpæ poſitive conveniat videre ex ratione generica animalis. Et ſi inſtes ſequi ex hoc talpam non habere privationem viſus: ſiquidem videre non eſt illi debitum, quia animal, neque, quia tale animal eſt.

Reſpondeo talpam aliqualem privationem viſus habere, non quia videre illi ſit debitum, vel ratione gradus generici, vel ſpecifici, ſed quia alijs eiuſdem generis cum ipſo videre convenit. Sic habet D. Thom. infra, q. 33. art. 4. ad 2. ibi: *Alio modo dicitur privatio quando aliquid non habet, quod natum eſt habere ab aliquo ſui generis: ſicut ſi talpa dicatur cæca.* Quibus verbis aliqualem privationem viſus recognoſcit in talpa, non quia viſus ſit illi debitus, vel ratione generis, vel ratione ſpeciei: ſed tantum, quia videre eſt debitum alicui eiuſdem generis cum talpa.

Ter-

Digitized by Google

9 Tertius etiam modus dicendi deficit; quia licet prædicta propoſitio vera ſit in ſenſu, quo illam explicat Magiſter Serra; non tamen explicatur, quomodo ex illa inferat Div. Thom. proceſsionem Verbi in Deo: ſiquidem ex illa prout ſic explicata videtur inferri oppoſitum. Si enim illa ſola intellectio Verbum format, cuius obiectum ſe ipſo non eſt intellectum in actu ſecundo: ergo in Deo intellectio divina non formabit Verbum; ſiquidem illa intellectio habet pro obiecto immediato Deum, de cuius ratione eſt; quod, ſicut ſe ipſo eſt intelligens in actu ſecundo, ſic ſit intellectus ſe ipſo in actu ſecundo: & ſic non deſerviet prædicta propoſitio ad intentum Div. Thomæ.

Quartus modus dicendi etiam deficit; quia licet dicta propoſitio, prout à præfatis Patribus intelligitur, vera ſit, ſic tamen explicata ad mentem Div. Thom. non eſt: Divus enim Thomas ſolum loquitur de intellectione hominum, vt patet ex contextu, habetur enim ſic: *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, quam quidem conceptionem vox ſignificat, & dicitur verbum cordis ſignificatum verbo vocis*: manifeſtum eſt autem, quod ſignificare verbum cordis verbo vocis ſolis hominibus competit, vt conſtat ex Auguſtino lib. 5. de Trinitat. cap. 10. vbi habet: *Quod ſolum in homine habet locum hæc diſtinctio, verbi cordis, & corporis*: igitur Div. Thomas non loquitur in dicta propoſitione de quocumque agente intellectuali, ſed ſolum de homine. Secundò deficit hic modus dicendi: Nam ſi illa propoſitio diſtribuat pro generibus ſingulorum ſic, quod comprehendat Deum, & omnem aliam naturam intellectualem, D. Thomas, qui illam ſupponit, & non probat, ſupponeret probandum; hoc admitti nequit in tanto Doctore: ergo. Prob. Mai. Non eſt per ſe notum, quod natura intellectualis divina Verbum formet, imò hoc eſt, quod prætendit D. Thomas probare in hoc ſuo diſcurſu: ergo ſi in illa maiori Div. Thom. hoc ſupponit, ſupponit probandum.

(?)

§. V.

Explicatur mens Authoris.

10 PRÆFATIS Modis dicendi reiectis, vt veritas appareat, & mens D. Thomæ nobis eluceſcat, ſuppono D. Thom. non aſſumere prædictam propoſitionem ad probandum dari in Deo proceſsionem: hoc enim, vt conſtat ex articuli contextu, ſolis authoritatibus Sacræ Scripturæ convincit Div. Thomas. Aſſumit ergo illam ad convincendam qualitatem divinæ proceſsionis, hoc eſt, quod ſit proceſsio rei ad intra, & non ad extra, cuius oppoſitum affirmant Arrius, & Sabellius, vt ipſe Div. Thom. aſſeverat in articulo. Patet hoc ex his, quæ concludit virtute præfatæ vniverſalis, nempe: *Non ergo accipienda eſt proceſsio, ſecundum quod eſt in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicuius cauſæ in exteriorem effectum, vt calor à calefaciente in calefactum, ſed ſecundum emanationem intelligibilem, vtpote verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipſo, & ſic fides ponit proceſsionem in Divinis.*

Ex quibus verbis patet D. Thom. non concludere proceſsionem dari in divinis, ſed tantum proceſsionem alicuius, quod maneat intra ipſum Deum: ſi ergo illa propoſitione tantum vtitur D. Thom. vt probet, quod id, quod procedit in Deo, manet intra ipſum, ſenſus dictæ propoſitionis intentus à D. Thom. non erit, quod quicumque intelligit, & quacumque intellectione intelligat, verbum formet; ſed ſenſus erit, quod quicumque intelligit ea intellectione, per quam aliquid procedit, id, quod procedit, manet intra ipſum intelligentem, in quo ſenſu dicta propoſitio abſque controverſia eſt veriſsima, & intentum Div. Thomæ concludit. Eſt veriſsima propoſitio, quia nullam pati poteſt inſtantiam: cum hæc conditionalis infallibilis ſit; *ſi intellectio aliquid producit, illud intra intelligentem manet.* Concludit etiam intentum D. Thom. quia ipſa tantum vult probare, quod id, quod procedit per divinam proceſsionem, (quam de fide conſtat dari in Deo) maneat intra ipſum Deū intelligentem; ſed ad hoc aliqualiter convincendum nullo modo refert, quod omnis intellectio producat verbum: bene vero facit ad rem, quod ſi producit, terminus productus intra intelligentem maneat. Nam tunc ſic formatur ratio. Id, quod procedit per actio-

nem intelligibilem, intra intelligentem manet; ſeu in Deo datur proceſsio per actionem intelligibilem: ergo id, quod procedit in Deo, manet intra Deum.

11 Sit ergo noſtra reſolutio. Propoſitio illa: *Quicumque intelligit, &c.* prout facit ad intentum D. Thom. non diſtribuit pro omni intelligente, & pro quacumque intellectione, ſeu ſolum pro ea, per quam de facto aliquid producitur, quaſi fiat ſenſus: *Quicumque intelligit intellectione, quæ ſit dictio, & non pura contemplatio, ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, id eſt, manens intra intelligentem.* Hæc noſtra reſolutio patet ex notabili adducto. Etenim mens D. Thom. tantum eſt vti præfata propoſitione ad probandum, quod proceſsio, de qua fides dictat, quod ſit in Deo, & de qua conſtat debere eſſe per actionem intelligibilem; quia dum ponitur in Deo, ponitur, ſecundum quod invenitur in creaturis intellectualibus, non vero prout invenitur in corporibus, eſt talis qualitatis, & conditionis, quod id, quód per eam procedit, manet intra ipſum, à quo fit proceſsio. Quod manifeſtatur evidenter ex eo, quod id, quod procedit per actionem intelligibilem, manet intra ipſum intelligentem: & ſic cum proceſsio, quæ ponitur in Deo, ſit ſecundum actionem intelligibilem, neceſſe eſt, quod id, quod per eam procedit, maneat intra Deum.

Sed inſtabis contra noſtram reſolutionem. D. Thom. in ſua propoſitione affirmat hoc, quod eſt procedere aliquid intra ipſum intelligentẽ, convenire intellectioni ex ipſo conceptu eſſentiali intellectionis; hoc enim ſonãt verba illa: *Ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum*: ergo intendit docere, quod intellectioni ex conceptu intellectionis conveniat, quod ab ipſa aliquid procedat manens intra intelligentem. Patet Conſeq. Nam, vt habetur ex doctrina Poſteriorum, prædicatum conveniens alicui ex hoc, quod eſt tale in ſe ipſo, convenit ei per ſe, & eſſentialiter; quod enim convenit Petro ex hoc ipſo, quod homo eſt, eſſentialiter Petro convenit: ergo quod convenit intellectioni ex hoc ipſo, quod intellectio eſt, conveniet eſſentialiter intellectioni: ergo D. Thom. ex principijs intellectionis, & natura eius; non vero ex vi intellectionis productivæ demonſtrat Deo convenire proceſsionem alicu-ius manentis intra ipſum. Secundo: Si tantum loqueretur de intellectione productiva, fieret in illa ſua propoſitione inutilis verborum repetitio; quod nequit admitti: ergo. Prob. Sequela. Nam fieret iſte ſenſus, quicumque intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit, producendo aliquid intra ipſum, procedit aliquid intra ipſum intelligentem: ergo in dicta propoſitione fieret inutilis verborum repetitio.

Verum hæc non infringunt noſtram reſolutionem. Vnde ad primam, nego Antec. Ad prob. dico, quod illa verba: *Ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum*, non faciunt ſenſum, quem ob iectio prætendit, ſeu faciunt ſenſum, quod ex vi intellectionis ſine tranſitu ad aliam actionem procedit aliquid, quod manet intra intelligentem. Vnde ſenſus deſtruit ſententiam Scoti diſtinguentis intellectionem à dictione, tanquam duas actiones realiter diſtinctas: non tamen docet, quod de eſſentia intellectionis ſit formare Verbum. Ad 2. nego Sequelam. Ad prob. nego Ant. ſenſus enim prædictæ propoſitionis eſt iſte, quicumque intelligit intellectione productiva alicuius termini, ex hoc ipſo, quod ſic intelligit, procedit aliquid intra ipſum, in cuius prima parte propoſitionis ponitur ſubſtantia proceſsionis, id eſt, quod intellectio productiva ſit, & in ſecunda qualitas, ſcilicet quod ſit productiva ad intra.

Ex his ſoluta manet ratio dubitandi à principio huius §. poſita. Fatemur enim illam propoſitionem vniverſaliter intellectam eſſe falſam, & evidenter convinci eius falſitatem inſtantijs adductis: negamus tamen à D. Thom. eſſe in illa vniverſalitate prolatam, quia ſic non conducebat ad eius intentum. Admittimus etiam ſecundam partem dilematis, nempe loqui diſtributive tantum pro intellectionibus hominum viatorum; non quia ex hoc, quod viatores in omni ſua intellectione Verbum forment, inferat D. Thom. Deum ſua intellectione Verbum formare: hanc enim conſequentiam iam ſupra probavimus eſſe nullam; ſed ex eo, quod ex hoc, quod experimur, quod id, quod procedit per intellectiones viatorum, manet intra ipſos viatores intelligentes, ſic probabiliter infert, quod id, quod procedit in Deo per eius actionem intelligibilem, maneat intra ipſum Deum intelligentem, & ſic detur proceſsio intra Deum, vt fides dictat,

non

Digitized by Google

non extra, vt hæreſes Sabellij, & Arrij ponunt.

§. VI.

Vtrùm præfata proceſsiones ſint immediatè à natura, an ab intellectu, & voluntate?

12 SIVE Teneamus divinam naturam conſtitui per intellectionem ſecundum conceptum vltimæ actualitatis, vt aliqui ex Thomiſtis volunt, ſive teneamus cum alijs conſtitui per intelligere radicale, ex quo oritur intellectus, & intellectio, tanquam quid virtualiter diſtinctum à natura, locum habet præſens quæſitum: ſiquidem in vtraque ſententia debemus ponere naturam, intellectum, & intellectionem, vel tanquam tres perfectiones inter ſe virtualiter diverſas, vel tanquam tria munia eiuſdem indiviſibilis perfectionis, quæ ob ſui altiſsimam eminentiam ſubit munus naturæ, intellectus, & intellectionis. Vnde in omni ſententia reſtat inquirere, an proceſsio Verbi ſit immediatè à natura, an ſit immediatè ab intellectu; quia licet iſta duo perfectionaliter non diſtinguantur, eidem tamē indiviſibili perfectioni diverſa attribuuntur munia: propter quod ad extra vnitur prædicta perfectio mentibus beatorum in ratione ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, & nequit vniri ſub munere naturæ, intellectus, vel intellectionis.

Igitur circa hoc quæſitum Durandus in 1. diſt. 6. q. 2. & diſt. 10. q. 2. & diſt. 27. q. 2. & 3. docet divinas proceſsiones eſſe immediatè à natura divina fœcunda, non vero eſſe immediatè ab intellectu, & voluntate. Hanc Durandi ſententiam ſequutus eſt Hieronymus Zanglius hæreticus in libro, quem aliquot annos ante Heydelbergue de Trinitate conſcripſit prima parte operis lib. 5. cap. vltimo affirmans temerariam eſſe eorum Theologorum ſententiam, in qua habetur hæc propoſitio, *Filius procedit per intellectum*. Solet etiam hæc opinio attribui Gregorio de Arimino in 1. diſt. 7. q. 3. art. 2. & diſt. 10. q. 1. & diſt. 1. q. 1. immeritò tamen, nam in his locis nihil habet, quod huic opinioni faveat.

13 Dico ergo: Proceſsiones divinæ non ſunt immediatè à divina natura, ſed Filij proceſsio eſt immediatè ab intellectu, & proceſsio Spiritus Sancti eſt immediatè à voluntate. In hoc dicto omnes Scholaſtici conveniunt, qui Durandi ſententiā nota temeritatis inurunt, & in fide parum tutā dicunt. Prob. 1. Nam Ioan. 1. & Ioann. 5. Filius Dei, *Verbum dicitur Patris*; Verbum autem non niſi dictione producitur, dictio vero non niſi per intellectū fit: ergo Verbi proceſsio operatio intellectus eſt: ergo non à natura immediatè eſt, ſed ab intellectu. Idemque argumentum de Spiritu Sancto fit, qui etiam dicitur charitas, vel amor productus primæ Ioann. 4. *Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo eſt*: Quem locum de Spiritu Sancto explicat Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 17. at amor non producitur niſi à voluntate amante, & ſpirante: igitur non immediatè à natura eſt.

His reſp. Durandus Scripturam Sacram proceſsionem per intellectum, & per voluntatem adaptare Filio, & Spiritui Sancto per quamdam appropriationem, non vero ſecundum rei veritatem; ratio autem appropriationis in eo ſtat, nempe quod ſicut intellectus dicitur prima proprietas, ita Verbum primo procedit; & ſicut voluntas dicitur ſecunda proprietas, ita Spiritus Sanctus dicitur ſecundo procedere: vnde Filius dicitur Verbum, & Spiritus Sanctus amor. Sed contra eſt. Nam ſi proceſsio per intellectum ſolum metaphoricè adaptatur Filio, ita & eſſe Verbum ſolum metaphoricè, & non ſecundum rei veritatem dicetur de Filio: & ſi proceſsio per voluntatem ſolum metaphoricè adaptatur Spiritui Sancto, ita & ratio amoris ſolum metaphoricè, & non ſecundum rei veritatem adaptabitur Spiritui Sancto; Filium autem non eſſe vere Verbum, & Spiritum Sanctū non eſſe vere amorem eſt contra commune placitum Patrum, & Theologorum: ergo. Prob. Ant. Verbum non producitur niſi per intellectionem, & amor non producitur niſi per voluntatem: ergo ſi proceſsiones per intellectum, & voluntatem ſolum ſecundum metaphoram dicuntur de Deo, etiam ratio Verbi, & ratio amoris non niſi per metaphoram dicentur de Filio, & de Spiritu Sancto. Concedit Durandus Filium ſolū metaphoricè dici Verbū, & Spiritum Sanctum ſolum metaphoricè dici amorem; quia hoc ipſo, quod negat produci per intelligibiles actiones, & affirmat produci ex fœcunditate naturæ, invenit aliud genus proceſsionis in Deo, quod

quod eſt actio diſtincta ab intellectione, & volitione: & cum Verbum proprie dictum ſolum ſit terminus intellectionis, tenetur dicere Filium non eſſe proprie Verbum. Sed negare Filium eſſe proprie Verbum certe eſt incidere in errorem Origenis, qui fuit origo, & fons errorum Sabellij, & Arrij, qui, ne cogeretur ponere in Deo proceſsionem, cuius terminus maneret intra Deum, negavit Filium proprie eſſe Verbum. De quo D. Thom. infra q.34. art.1. ad 1.

Secundo prob. Authoritatibus Sanctorum maioris notæ. Etenim Auguſtinus 7. de Trinitate ſic habet: *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius*. Baſilius Magnus Homilia ſuper illud: *In principio erat Verbum: Cur Verbum*, inquit, *niſi ut, quod ex mente procedit, oſtendatur*? Cyrillus Alexandrinus lib.1. in Ioann. cap.3 *Filius*, inquit, *appellatur Verbum, ac ſapientia, quia ex intellectu immediate, atque indiviſibiliter eſt.* Ex quibus habentur duo, alterum, quod ſecunda perſona Trinitatis ea proprietate, qua dicitur Filius, ea dicitur Verbũ, aliud, quod Verbum dicitur, quia ex mente divina immediate procedit.

14 Solet rationibus impugnari Durandus ex triplici capite. Primo, quia ſi dictæ proceſsiones eſſent immediate a natura, non poſſet aſsignari ratio, cur perſona Filij eſſet prior origine perſona Spiritus Sancti. Secundo, non poſſemus etiam aſſignare, cur Filius eſſet à ſolo Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. Tertio, quia, cum vtraque proceſsio ſit immediate à natura, non poſſemus diſcurrere, cur, quod procedit per vnam proceſsionem, ſit Filius, non vero, quod procedit per alteram.

Cæterum iſtæ rationes non videntur concludere. Nam poſſet reſpondere Durandus, quod, quamvis iſtæ proceſsiones eſſent immediate à natura, proceſsio Filij poſſet intelligi prior proceſsione Spiritus Sancti: nam licet dimanationes proprietatum à natura immediate ſint, tamen in omnium ſententia inter illas aſsignatur ordo prioris, & poſterioris. Etenim intellectus, & voluntas immediate dimanant à natura: & nihilominus emanatio intellectus eſt prior emanatione voluntatis. Cuius ea eſt ratio: quia licet natura intellectualis ſe ipſa ſit intellectiva, & volitiva radicaliter, tamen prius eſt in illa, quod ſit intellectiva, quam quod volitiva ſit. Sic ergo poſſet philoſophari Durandus dicens, quod licet Filius, & Spiritus Sanctus immediate à natura ſint, tamen Filius, quia tantum ſupponit naturam in Patris ſuppoſito, prior eſſet Spiritu Sancto, & eius proceſsione, quæ ſupponeret iam naturam, à qua dimanaret in ſuppoſitis Patris, & Filij. Ex quo etiam ſequitur, quod Filius, & eius proceſsio tantum ſit à Patre, quia ſupponeret naturam, ex qua eſſet, tantum in ſuppoſito Patris; Spiritus autem Sanctus eſſet à Patre, & Filio, quia iam ſupponeret naturam, a qua procederet, communicatam Patri, & Filio: & quia natura in ſui prima communicatione ſe ipſam explicat, poſſet dicere Durandus, quod proceſsio Filij generatio eſſet; quia eſſet prima naturæ communicatio, non vero proceſsio Spiritus Sancti. Propter quam rationem plures (de quibus infra) dicunt, quod proceſsio Verbi eſt generatio, quia eſt prima naturæ communicatio: non vero proceſſio Spiritus Sancti, quæ ſecunda communicatio naturæ eſt.

15 Quidquid ergo ſit de his rationibus, alia efficaciori placet impugnare Durandum. In nulla natura intellectuali completa, & pure intellectuali invenitur aliqua emanatio, ſeu proceſsio ad intra, quæ non ſit per intellectum, vel voluntatem: ergo aſcendendo ad Deum, qui eſt naturæ pure intellectualis, non debemus ponere aliquam proceſsionem ad intra, quæ non ſit vel per intellectũ, vel per voluntatem. Dices hanc rationem pari manifeſtam inſtantiam in hac conſequentia: in nulla natura creata pure intellectuali invenitur aliqua proceſsio vel ad intra, vel ad extra, quæ ſit generatio: ergo aſcendendo ad Deum non debemus ponere aliquam proceſsionem ad intra, quæ ſit generatio; Antec. enim eſt verum, & Conſeq. eſt cõtra fidem, & conſequentia ſervat ſimilitudinem formæ cum ea, quæ à Nobis producta eſt: non ergo noſtra ratio aliquid valet.

Sed contra eſt. Nam Conſequentia adducta eſt bona, ſed Antec. eius eſt falſum: & ſic non datur in ſimili forma Antec. verum, & conſequens falſum: vnde non inſtatur argumentum, ſeu ratio noſtra. Prob. Antec. Etenim licet in natura pure intellectuali creata, dum ſe ipſam cognoſcit, non detur generatio ſimpliciter, habetur tamen in ea generatio ſecundum quid; nam dum Angelus ſe ipſum per ſe ipſum natura-

Digitized by Google

raliter cognoſcit, verè producit partum, & genitum, nam producit conceptum, qui eſt ſimilis in natura intellecta: ſed quia in creaturis eſſe intentionale non identificatur cum eſſe naturali; ideo rationem generationis ſimpliciter talis non habet: ergo eſt falſum dicere, quod in natura purè intellectuali non datur generatio ad intra, neque ad extra.

Dices aliquis inſtari in iſta: In nulla natura creata purè intellectuali datur generatio ſimpliciter talis ad intra: ergo in nulla natura purè intellectuali dabitur generatio ſimpliciter talis ad intra; Ant. eſt verum, & Conſequens eſt contra fidem: ergo ratio noſtra nihil valet. Sed contra eſt. Nam adducta conſequentia eſto mala ſit, non tamen eſt ſimilis formæ cum noſtra: ergo noſtra ratio non inſtatur in ſimili forma. Prob. Antec. Ratio noſtra procedit ex his, quæ per ſe habent convenire naturæ purè intellectuali, nempe non poſſe habere niſi actionem intellectus, & voluntatis, ad ea, quæ poſſunt convenire naturæ purè intellectuali divinæ, quaſi argumentemur ſic: Naturæ purè intellectuali completæ creatæ, quia purè intellectualis completa eſt, nequeunt convenire niſi actiones intellectus, & voluntatis: ergo naturæ intellectuali divinæ, quia purè intellectualis eſt, nequeunt convenire niſi actiones intellectus, & voluntatis: quæ Conſequentia, cum procedat ex conceptu formali naturæ purè intellectualis creatæ ad conceptum formalem naturę purè intellectualis divinæ, optima eſt. In Conſeq. autem adducta procedimus ex his, quæ conveniunt naturæ purè intellectuali, quia creatura eſt, ad ea, quæ conveniunt divinæ, quia divina eſt; nam non dari generationem ſimpliciter ad intra in natura intellectuali creata oritur præciſe, quia in nulla creatura eſſe intentionale identificatur ſummè cum eſſe naturali, quod è contra accidit in divina, quæ, quia divina eſt, eſt ſuum eſſe naturale, & intentionale abſque ulla reali diſtinctione: & ſic conſequentia nulla eſt. Non ergo ratio noſtra inſtatur in ſimili forma.

16 Explicatur hoc. Ponere in divina natura generationem, quæ non invenitur in natura purè intellectuali creata, non eſt ponere aliquam actionem ſubſtantialiter, & eſſentialiter diverſam ab actionibus, quæ conveniunt naturæ purè intellectuali; ſed tantum eſt recognoſcere in divina intellectione aliquam perfectionem illi competentem ex eo, quod divina eſt, ad quam divinitatem cum intellectio creata non poſſit pervenire, non eſt mirum, quod hæc conſequentia non valeat, nempe: In nulla natura purè intellectuali creata reperitur generatio ſimpliciter: ergo neque in divina reperietur generatio ſimpliciter. Verum Durandus inveniens in Deo proceſſiones immediatè à natura procedentes invenit actiones eſſentialiter diſtinctas ab actionibus intellectus, & voluntatis: unde bene argumentamur contra ipſum ſic: In natura purè intellectuali creata tantum ad intra inveniuntur duæ actiones, nempe intellectio, & volitio: ergo in natura purè intellectuali divina, tantum inveniuntur duæ proceſſiones, altera, quæ ſit intellectio, altera, quæ ſit volitio: procedimus enim in hac Conſeq. ex conceptu unius naturæ purè intellectualis ad conceptum alterius naturæ purè intellectualis.

Confirm. hæc ratio. Ubi non multiplicantur gradus alicuius naturæ, nequeunt multiplicari operationes; ſed in natura purè intellectuali divina non multiplicantur gradus ultra numerum eorum, qui conveniunt naturæ purè intellectuali creatæ: igitur neque operationes debebunt multiplicari. Mai. prob. Nam operari ſequitur ad eſſe eſſentiale unicuique rei: igitur ubi non multiplicantur gradus, ex quibus coaleſcit eſſe, nequibunt multiplicari operationes. Dices Minorem huius diſcurſus eſſe falſam: nam eſſe generativum ſimpliciter ſui ſimilis verè eſt gradus divinæ naturæ ſuperadditus gradibus naturæ purè intellectualis creatæ: ſicut enim homo ex ſua eſſentia habet eſſe generativum ſui ſimilis, quod non habet Angelus, ſic & Deus habet eſſe generativum, quod Angelus non habet: ergo minor facti diſcurſus falſa eſt.

Sed contra eſt. Nam ſi in Deo præter rationem perfectiſſimi, & puriſſimi intellectivi inveniretur gradus generativi ſui ſimilis, verè, ſicut in illo diſtingueretur gradus generativus, & generatio, diſtingueretur quoque potentia proximè generativa diſtincta ab intellectu, & voluntate: ſicut quia in homine ultra gradum intellectivum, & volitivum reperitur gradus generativus ſui ſimilis, verè datur potentia generativa diſtincta ab intellectu, & voluntate; non ergo generatio eſſet imme-

mediate à natura divina,vt vult Durandus: ergo dicendum erit, quod in Deo vltra gradum perfectiſsimi, & puriſsimi intellectivi non datur gradus generativi ſui ſimilis diſtinctus ab intellectivo, prout hic reperitur in ſupremo analogato.

§. VII.

Solvuntur argumenta.

17. PRÆTENDIT primo probare Durandus contra D.Thom. quod actus intellectus divini, nequeat obtinere rationem generationis: arguit enim ſic. Intelligere, & velle ſunt actus eſſentiales, & communes omnibus perſonis, nec ſuaptè natura inter ſe diverſi;ſed proceſsiones neque ſunt eſſentiales, neque communes tribus perſonis:ergo proceſsiones non ſunt actus intellectus, & voluntatis. Ad hoc argumentum diſt. Mai. intelligere, & velle ſunt actus eſſentiales, & communes omnibus perſonis, ſumpti abſolute,conc.Mai.vt modificati per relationes,nego Mai.& conc. Min. diſt. Conſ. diſtinctione Maioris.Et inſto argumentũ; Proceſsiones immediate ortæ à natura divina ſunt eſſentiales, & communes tribus perſonis;ſed generatio,& ſpiratio nõ ſunt eſſentiales,neque communes tribus perſonis:igitur præfatæ proceſsiones non ſunt generatio,& ſpiratio.Prob.Mai.Intelligere,& velle ſunt eſſentiales, & communes, quia proveniunt ab intellectu,& voluntate,quæ ſunt eſſentiales,& communes; ſed præfatę dimanationes,cum ſint immediate à natura, ſunt à principio eſſentiali, & communi:ergo etiam erunt eſſentiales,& communes.Quod ergo reſpondebit Durãdus huic argumento,hoc ipſum reſpondebimus Nos ſuo.

Secundò arguit Durandus.Non minus fœcunditas convenit Deo, quam conveniat creaturis;ſed creaturis convenit fœcunditas per naturam, & non per intellectum,& voluntatem,vt licet videre in homine,qui, licet intellectivus ſit, non fœcundatur ad generandum ſibi ſimile per intellectum,ſed tantum per naturam: igitur fœcunditas ad generandum ſibi ſimile non conveniet Deo mediante intellectu, ſed mediante natura ſua. Hoc argumentũ, prout ſic formatur à Durando, non probat divinas proceſsiones eſſe immediate à natura;nam formatur ex hoc, quod contingit in creaturis:nulla autem creatura hoc habet,quod per ſuam naturam immediate generet,ſed tantũ hoc illi convenit proxime per potentiam generativam, & ſolum radicaliter per naturam. Vnde retorquetur argumentũ contra ipſum ſic:In nulla creatura invenitur,quod eius natura immediate generet: ergo neque in Deo hoc debet reperiri.

Verum quia argumentum nititur probare, quod proceſsiones divinæ non ſint actus intellectus,& voluntatis, ideo reſp. ad illud,diſting. Mai. non minus fœcunditas,&c. non minus,& eodem modo,nego Mai.non minus, & diverſo modo, conc. Mai.& conc.Min. nego conſ. Etenim creaturis ob ſui imperfectionem, & limitationem nequit competere generatio termini ad intra, ſed tantum ad extra;hoc autem nequit fieri per actionem intellectus, de cuius conceptu eſt, quod producat terminum ad intra,& ſic nulla creatura quãtumvis intellectiva fœcundatur per intellectum.Deo autem ob ſui perfectionẽ convenit generare ad intra, hoc eſt, producere terminũ eiuſdem numero naturæ cum generante:& ſic eſt neceſſarium, quod generatio per actum intellectus fiat, cuius actio hoc habet proprium,quod terminus per illam productus maneat intra producentem.

Sed inquiris, cur intellectivum creatum nequit generare ad intra,& cur intellectivum divinum nequit generare ad extra? Do rationem primi,quia cum genitũ debeat eſſe eiuſdem naturæ cum generante,ſi genitum maneret intra generantem, generans,& genitum deberent eſſe eiuſdẽ numero naturæ:vnam autem naturam eſſe in duobus ſuppoſitis, nequit creaturis convenire.Secundi ea eſt ratio,quia genitum à Deo deberet eſſe Deus, vtpote eiuſdem naturę cum Deo generãte;& ſic ſi eſſet genitum extra Deum,darentur duo dij,quod implicat.

18 Tertiò arguitur.Relationes,quibus multiplicantur perſonæ, ſunt proprietates divinæ naturæ:igitur habẽt eſſe immediate à natura per dimanationem, ſicut in vniverſum omnes aliæ proprietates dimanant immediate à natura. Prob.Ant. ex communi diſtinctione,quam aſsignant Theologi inter proprietates divinas,videlicet quod aliæ ſint abſolutæ, & aliæ ſint relativæ.Quod etiam probatur:Nam modus ſubſiſtẽdi alicuius naturæ,ſicut & modus

dus exiſtendi, & proprietas illius, quod facit ſubſiſtere: cum ergo tres divinæ relationes ſint ſubſiſtentię divinæ naturæ, videtur clare, quod ſint illius proprietates: ac per conſequens, quod ſint ab illa immediate, non vero per actionem intellectus, & voluntatis.

Ad hoc argumentum diſt. Conſ. igitur habent eſſe immediate à natura, abſolute, & ex vi terminorū. nego Conſ. ſuppoſita actione communicativa naturæ alteri ſuppoſito, conc. Conſ. Itaque inter attributa relativa, & abſoluta hoc eſt diſcrimen, quod licet vna, & alia exigantur à divina natura, tanquam illius proprietates; tamen ad abſoluta natura eſt principiū ſufficiens, & adæquatum, & ſic ex vi ſolius dimanationis a natura habent eſſe: relativa autem, quia inter ſe perſonaliter diſtinguuntur, tantum conveniunt naturæ media actione, qua vna relatio ab alia eſt, vt ſic poſsit realiter diſtingui ab illa. Ad ſecundam prob. nego Conſeq. quia relationes non faciunt naturam ſubſiſtere abſolute, ſed ſolum ſupponendo actionem, per quam natura alijs ſuppoſitis communicatur; hæc autem actio naturæ communicativa eſt actio intellectus, vel voluntatis: & ſic ſemper ſalvatur, quod proceſsiones, quibus procedunt perſonæ, ſint actus intellectus, & voluntatis.

Poſſemus aliter explicare ſolutionem datam, dicendo, quod proprietates ſunt in duplici differentia, aliæ, quæ non tantum exiguntur à natura, verum etiā ab ipſa dimanant per eſſentialem connexionem, quam habet cum illa; aliç ſunt proprietates, non quia exiguntur, & dimanant, ſed quia natura exigit habere illas per novam actionem alicuius agentis. Sic licet videre in Angelis: etenim intellectus, & voluntas ſunt proprietates illorum, non quia præciſſe exigantur, ſed quia exiguntur, & dimanant. Verum ſpecies omnium rerū naturalium, quæ habituræ ſunt eſſe in aliqua differentia temporis, ſunt proprietates naturæ Angelicæ, quia præciſſe natura Angelica exigit illas habere à Deo infuſas, vt probabilior tenet opinio. Sic ad noſtrum propoſitum hoc poſſumus aſsignare diſcrimen inter attributa abſoluta, & relativa, quod omnia abſoluta exiguntur, & dimanant immediate à natura divina; relativa vero exiguntur, ſed non poſsidentur niſi media actione, qua vna perſona aliam producit: vnde non ſequitur, quod proceſsiones perſonarum immediate dimanent à natura.

§. VIII.

Vtrùm proceſsio per intellectum ſit formaliter intellectio, & proceſsio per voluntatem ſit formaliter volitio?

19 SVPPOSITO, quod divinæ proceſsiones ſunt actus intellectus, & voluntatis, reſtat inquirere, an ea proceſsio, quæ eſt per intellectum, ſit intranſitive ipſa operatio, quæ dicitur intellectio, & an ipſa proceſſio, quæ eſt per voluntatem, ſit intranſitive ipſa operatio, quæ formaliter dicitur volitio: an vero ſint aliæ actiones, quæ licet ab intellectu, & voluntate ſint, non tamen intellectio, & volitio formaliter dicantur. In quo puncto elucidando celebris eſt ſententia Scoti in 1. diſt. 2. q. 7. §. *Obijcitur contra*: Hic enim, vt argumento facto ex Durando ſatisfaciat, ad probandum Filium immediate procedere à natura, videlicet actus intellectus ſunt eſſentiales, & communes tribus perſonis; proceſsio autem Filij ſolùm convenit Patri: igitur proceſsio Filij non eſt actus intellectus, multiplicat actus intellectus, & actus voluntatis: aſſerit enim ex parte intellectus, & eodem modo philoſophatur de actibus voluntatis, primo dari quandam operationē, quæ pura contemplatio, & ſpeculatio ſit, hacque præſuppoſita, dari alium actum, qui appellatur proceſsio, qui vera productio Verbi ſit. Superadditque Scotus intelligere, & dicere ita inter ſe diſtingui, vt nullum inter ſe habeant ordinem, vel cauſalitatis, aut emanationis, vel prioritatis ſecundum rem, aut rationem, ſed vtrumque actum veluti concomitanter ſe habere ad alterum. Communis autem ſententia Thomiſtarum tenet ipſiſsimum intelligere eſſentiale, connotando modum proceſsionis, eſſe proceſsionem Divini Verbi.

Sit Concluſio. Falſiſsimum eſt divinas proceſsiones eſſe actus adæquate diſtinctos ab intellectione, & volitione, vt vult Scotus. Probat Caietanus ſic: Nam ſi dicere in nobis realiter ab intelligere, & in Deo formaliter ex natura rei diſtinguerentur, ſequitur, quod, ſi per impoſsibile intellectus non intelligeret, adhuc diceret

hu

hoc autem videtur falſiſsimum, nam quid diceret mentaliter, ſi nihil cogitaret, vel conſideraret? ergo. Prob. Sequela. Nam ex duobus actibus inter ſe diſtinctis, & nullo modo ſubordinatis, ſi ſubtrahatur vnus, nō ex eo eſt neceſſe, quod ſubtrahatur alter; ſed intelligere, & dicere ſic comparantur in ſententia Scoti: igitur ſi ſubtrahatur *intelligere*, adhuc remanebit *dicere*.

Hoc argumentum habet vim maximam ad hominem contra Scotum: ipſe enim in 2. diſt. 1. q. 1. ſic habet: *In creaturis ſi comparetur cauſa ad duos effectus ordinatos, eſſentialior eſt eius comparatio ad vtrūque effectum, quam vnius effectus ad alterum effectum, propter enim dependentiam ad eandem cauſam ipſi effectus dependent inter ſe, & non è converſo propter dependētiā, quam habent inter ſe, dependent ordinate ab eadem cauſa: igitur ſi per impoſsibile ibi deſtruatur ordo effectuum inter ſe ordinatorum, non propter hoc adhuc eſt negandus ordo, & dependentia vtriuſque ad ſuam cauſam. Exemplum ſit, ſi ponatur ignem habere iſtos duos effectus ordinatos, ſcilicet calefacere, & ignire, ſi eſſentialius ſe habeat ignis ad vtrumque, quam ignire ad calefacere, ſi ponatur per impoſsibile ignem non poſſe calefacere, non propter hoc negandum eſt ipſum poſſe ignire.* Hæc Scotus.

Ex quibus ſic formo argumentū productum ex Caietano. In Scoti ſententia, qui ponit intelligere, & dicere eſſe actus procedentes à potentia intellectiva, non tamen inter ſe eſſentialiter ſubordinari, maior eſt dependentia ab intellectu, quam ſit eorumdem inter ſe: ergo ſi per poſsibile, vel impoſsibile ponatur, quod intellectus non intelligat, adhuc non erit neceſſe ponere, quod intellectus non dicat. Patet Conſ. ex doctrina relata ex Scoto.

20 Secundo prob. concl. Intellectus eſt potentia adæquate intellectiva: igitur nullus actus procedit ab ipſo, qui intellectio non ſit: ergo dictio, ſi actus intellectus eſt, intellectio erit. Prob. Ant. Obiectum adæquatum intellectus eſt verum intelligibile: igitur & intellectus eſt potētia adæquate intellectiva. Dices verum intelligibile duplicìter capi, vel vt quid productum, vel vt quid mere ſpeculatum; primo modo attingi ab intellectu mere productive per actum dictionis: ſecundo modo attingi, per operationem contemplationis. Sed contra hoc eſt. Nam licet in vero intelligibili prædictæ duæ formalitates inveniantur, non tamen ſic inveniuntur, quod ſufficiant ad variandos duos actus adæquate inter ſe diſtinctos: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. Ant. Nam illa ratio producti eſt ratio intrinſece intellecti: ergo requirit, quod id, per quod fit intrinſece intellectum intellectio ſit: ergo formalitas illa producti nequit diſtinguere actum dictionis, qui nullo modo intellectio ſit. Itaque verum eſt, quod verbum obtinet rationem effectus, verum ipſa ratio effectus eſſentialiter conſiſtit in intelligi intrinſeco, ad differētiam intellecti ad extra, quod tantum extrinſece intellectum dicitur; eſt enim verbum intentio intellecta, id eſt, id, quod de obiecto intellectus intra ſemetipſum percipit, concipit, & vitaliter exprimit, quod niſi intelligendo fieri nequit: vnde neceſſarium eſt, quod ipſa productio verbi intellectio formaliter ſit.

Tertio prob. concl. deſtruendo fundamentum Scoti. Etenim hic Author diſtinguit dictionem in Deo adæquate ab intellectione, quia hæc eſt communis tribus perſonis, & dictio, ſeu productio eſt ſolius Patris: contra hoc ſic argumentor. Etenim dictio, cum ſit verus actus intellectus, debet eſſe vel quid adæquate abſolutum, vel adæquate relativum, vel abſolutum modificatum cum relativo; ſi dicatur primum, ponetur eſſentiale, & commune tribus, quod eſt contra Scotum, & veritatem: ſi dicatur ſecundum, dicetur falſum; quia eſt verus actus intellectus, qui, cum pura relatio non ſit, nequit habere pro actu ſuo puram relationem: debet ergo eſſe abſolutū modificatū relatione: ergo ſtat bene, quod aliquid abſolutum, & eſſentiale ſecundum ſe ſit commune tribus, & tamen modificatum relatione fiat peculiaris actus alicuius perſonæ: ergo ex eo, quod intelligere ſit commune tribus, non ſequitur, quod per modificationem relationis non fiat Patri peculiaris. Et ſic ruit fundamentum Scoto.

§. IX.

Solvuntur argumenta.

21 PRIMO arguit Scotus. Si intelligere, & dicere non differrent, cuicumque vnum conveniret, alterum tribueretur: cum ergo tribus perſonis conveniat intelligere, tribus perſonis tribueretur & dicere; hoc eſt magnum

ab-

abſurdū: ergo. Ad hoc neg. Antec. nā licet dicere ſit formaliter intelligere, non eſt quomodocumque intelligere, ſed eſt intelligere cum fœcunditate, hoc eſt, cum vi productiva, quam vim cum accipiat à paternitate, & non ab alijs relationibus, non ſequitur, quod ſi intelligere conveniat tribus, etiam dicere debeat tribus convenire.

Secundo arguit Scotus. Omnis termini productio eſt propter terminum productum; ſed nulla intellectio eſt propter ſuum terminum: ergo nulla productio termini formaliter eſt intellectio. Ad hoc nego Mai. ſola enim productio termini, quæ eſt actio tranſiens in externam materiam, habet eſſe propter terminum productum: non vero actio immanens, quæ producit terminum intra producentem. Et ſi inquiras rationem diſcriminis, eam aſsigno: quia actioni tranſeunti per ſe convenit eſſe productionē termini, & ſic convenit ei eſſentialiter eſſe propter terminum; actioni autem immanenti, quæ intellectio eſt, ſolum convenit permiſsive producere terminum: vnde potius habet ſibi ſubordinare terminum, quam ſubordinari ſuo termino producto.

Secundum diſcrimen eſt, quod intellectio eſt vltima actualitas ſui termini producti, cum ſit vltima actualitas omnium ſpectantium ad genus intelligibile: vnde habet ſibi ſubordinare omnia, quæ ſpectant ad tale genus: vnde & habet ſibi ſubordinare terminū quē producit, quæ non conveniunt actioni tranſeunti. Tertiū diſcrimen eſt, quod intellectio formalitatē productionis ſubordinat formalitati contēplationis, quæ potiſsima eſt in intellectione; etenim intelligēs vere format verbum, vt in illo cognoſcat obiectum, non autem ſpeculatur, vt formet verbum: & ſic ipſe modus dictionis, & ipſum dictum ordinantur ad ipſam intellectionem. Hæc non inveniuntur in actione tranſeunti, quam natura eo ſolum facit, vt terminum producat: vnde non eſt mirum, quod ad illum per ſe illam ordinet.

22 Tertio arguitur. Poteſt aliqua actio eſſe verbi productio ſine eo, quod aliquo modo ſit intellectio: ergo intellectio, & dictio ſunt duæ actiones in nobis realiter diſtinctæ, & in Deo formaliter ex natura rei. Prob. Antec. Vere intelligimus in intellectu agente actionem pure factivam ſpeciei impreſſæ ſine eo, quod talis actio ſit intellectio: ergo vere poterit dari in intellectu poſsibili actio verbi factiva ſine eo, quod intellectio ſit. Secundò: Verbū exterius formatur per actionem adæquate factivam, & ſolum præſuppoſitive intellectivam, hoc eſt, ſupponentem intellectionem: ergo & verbum interius poterit produci per actionem, quæ adæquate ſit verbi productio, & nullatenus intellectio, licet ſupponat actionem, quæ intellectio ſit. Tertiò: Verbū divinum procedit ex cognitione Dei, & creaturarum: ergo ipſa proceſsio non eſt formaliter cognitio, ſed ſupponit cognitionem, vtpote ex qua procedit.

Ad hoc argumentum nego Ant. Ad prob. nego Conſ. quia producere ſpeciem impreſſam intelligibilem non eſt loqui mentale: & ſic neque formaliter, neque præſuppoſitive requirit cognitionē obiecti, ſed tantum eſt quædā illuminatio activa phantaſmatū, vt appareat in illis obiectum intelligibile, quod latebat per materiæ immerſionem. Cæterum productio verbi eſt interior loquutio, de cuius eſſentiali conceptu eſt, quod percipiatur obiectum, circa quod, vel de quo loquutio fit: & ſic nequit intelligi pura prolatio activa verbi ſine eo, quod adſit cognitio & verbi, quod profertur, & obiecti, de quo profertur.

Ad 2. nego Conſ. nam ad loquendum exterius ſufficit, quod ille, qui loquitur, ſimul cognoſcat id, de quo loquutio ſit; non autem requiritur, quod ipſa prolatio exterior ſit formaliter cognitio: cum enim voces externæ ſint valde materiales, ſufficit, vt illarum prolatio directive ſit à potentia pure ſpirituali cognoſcente; non vero requiritur, quod elicitive à potentia cognoſcitiva ſint: & ſic datur proceſsio, vel productio verbi externi, quæ formaliter cognitio non eſt. Hæc autem non eveniūt in verbo cordis, quod cum eſſentialiter ſit ipſum intelligi rei, vel ipſum obiectum interius intellectum, oportet directive, & elicitive eſſe à potentia intelligente: & ſic requiritur, quod eius proceſsio intellectio ſit.

Ad 3. explico illam propoſitionem: cum enim dicimus verbum procedere ex cognitione Dei, & creaturarum, nolumus dicere, quod ſit ordo prioris, & poſterioris inter cognitionē, & proceſsionem adhunc ſenſum, quod cognitio præcedat, & proceſsio ſequatur ad illam, ſed tantum volu-

Digitized by Google

lemus dicere, quod Verbum Divinum procedat per illam cognitionem, per quam Deus, & creaturæ poſsibiles cognoſcuntur. Iuxta quam explicationem, conceſſo Antecedenti, nego Conſequentiam.

§. X.

Vtrùm intelligere eſſentiale, & notionale differant tanquam duo actus?

23 VIDIMVS contra Scotum dicere eſſe formaliter intelligere, & nullam dari actionem ab Intellectu divino procedentem, quæ non ſit intellectio formaliter. Modò videndum reſtat, vtrum in Deo dentur duo actus intelligendi, alter eſſentialis, & alter notionalis. In quo puncto elucidando Vazquez hic tenet dari in Deo duplex intelligere, aliud eſſentiale commune tribus perſonis, & alterum notionale ſoli Patri conveniēs. Dum autem inquiritur Vazquez, quid ſit illud intelligere notionale diſtinctum ab eſſentiali: affirmat eſſe ipſum intelligere eſſentiale connotando relationem Patris, ita quod intelligere notionale differt ab eſſentiali tanquam excedens, & exceſſum, nam eſſentiale tantum dicit abſolutum, notionale autem ſuperaddit ad illud relationē Patris. Vnde in re non differt à Thomiſtis, quia in re idem ponit pro intelligere notionali, quod Thomiſtæ: differt autem in eo, quod aſſerit prædictam connotationem Paternitatis ſufficere ad multiplicanda duo intelligere, tanquam duos actus. Communis tamen ſententia Thomiſtarum affirmat præfatam connotationem non ſufficere ad multiplicanda duo intelligere: vnde ſolum admittit in Deo dari vnum intelligere, quod, vt prævenit relationem Patris, eſt quid commune tribus, vt autem eſt intelligere Patris, dicitur intelligere notionale.

Sit concluſio. Non eſt admittendum in Deo intelligere eſſentiale, & notionale differre, tanquam duos actus intellectionis. Prob. 1. à paritate. Etenim, quod intellectus divinus determinetur per habitudinem Patris, ratione cuius potentia generativa eſt, & dicitur, non ſufficit, vt dicamus in Deo dari duos intellectus, alium eſſentialem, & alium notionalem: ergo quod actus eſſentialis intellectionis determinetur per habitudinem Patris, ratione cuius generatio eſt, & dicitur, non ſufficit ad diſtinguendum duplex intelligere, aliud eſſentiale, & aliud notionale. Patet Conſeq. Etenim ſicut intelligere notionale includit eſſentiale, & addit, ſeu excedit ipſum in habitudine productionis, ita potentia notionalis includit intellectum, & excedit ipſum in modo, & habitudine productivi; ſed hęc diſtinctio includentis ab incluſo nō ſufficit ad diſtinguendum duos intellectus, alterum eſſentialem communē, & alterū notionalem proprium Patris: ergo pariter ſimilis diſtinctio reperta in actu intelligendi non ſufficit ad diſtinguendū duos actus intellectionis.

Confirm. hoc. Id, quod addit dictio ſupra intellectionem, eſt quidem modus, quem Intellectio habet in Patre, & non habet in Filio; ſed hoc non ſufficit ad aſſerendum in Patre eſſe duos actus intelligendi, alium communem, & alium particularem: ergo. Prob. Min. nam eſſentialia non dividuntur ad diviſionem notionaliū: v. g. quod eſſentia habeat aliquid notionale in Patre, quod non habet in Filio, non ſufficit ad ponendum duas eſſentias in Patre: igitur connotatio prædicti modi non dividit intelligere commune à notionali, ita vt verificetur, quod in Patre ſint duo actus intelligendi.

§. XI.

Solvuntur Argumenta.

24 PRIMO Arguitur contra Concluſionem. D. Thom. negat potentiā convenire Deo reſpectu intelligere, & velle, & affirmat reſpectu actuum notionalium vere dari in Deo potentiam; ſic enim habet infra, q. 41. art. 4. ad 3. igitur vere actus notionales diſtinguuntur ab intelligere, & velle eſſentiali, & communi. Prob. Conſeq. quia implicat eundem omnino re, & ratione actum procedere à ſuo principio, tanquam à potentia, & non procedere ab illo tanquam à potentia.

Ad hoc reſp. D. Thom. ponere potētiam ſecundum rem reſpectu actuum notionaliū, non intranſitive, ſed tranſitive ad terminos eorū procedentes: ita quod, quia per actus notionales procedunt perſonæ realiter diſtinctæ à ſuis principijs, à quibus procedunt, ideo ponitur in Deo ratio potentiæ ſecundum rem, non quæ realiter eliciat actum notionalem, ſeu quæ habens illam

Digitized by Google

illam realiter principiat perſonam productam; reſpectu vero actuum notionalium intranſitive D. Tho. hanc potentiā ſecundum rem non recognoſcit, bene tamen ſecundum rationem, quam etiam nos recognoſcimus convenire Deo reſpectu intelligere, & velle eſſentialis. Quando ergo negat potentiam reſpectu intelligere, & velle, & admittit reſpectu actuum notionalium, loquitur reſpectu eorum tranſitive, vel terminative, ſicut patet ex eiuſdē articuli contextu, in quo reſpectu creationis ponit potentiam, & certum eſt actum creandi eſſe communem tribus perſonis, & non eſſe alium, quam actum intelligendi, & volendi, iuxta probabiliorem ſententiam, quæ potentiam exequutivam non diſtinguit in Deo ab intellectu, & voluntate. Vnde ex adducta doctrina D. Thom. non licet colligere diſtinguendos eſſe duos actus intelligendi in Patre, alterum communem, & alterum notionalē, ſed eundem omnino actum, vt prævenit connotationem modi productionis, dici eſſentialem, & communem tribus: vt vero illum connotat in Patre, dici notionalem.

25 Secundo arguitur. Divinum intelligere per relationem dicentis intrinſece determinatur ad eſſe dictionis, & proceſsionis: igitur facit numerum cum ipſo intelligere accepto in tota ſua communitate. Ponamus exemplum huius doctrinæ in homine, & animali: etenim homo ponit in numero cum animali, quia non importat animal in ſui communitate, ſed importat animal determinatum, intrinſece per eſſe hominis; ſed dicere paternum quamvis claudat rationem intellectionis, non tamen claudit illam in ſui communitate, ſed vt determinatam intrinſece ad eſſe Patris: ergo dicendum eſt in Patre reperiri duo intelligere, quorum aliud ſit commune, & aliud ſit notionale.

Ad hoc argumentum diſt. Ant. determinatur determinatione ſuperioris ab inferiori, nego Antec. determinatione rei ab aliquo ſuo modo, conc. Antec. & neg. Conſeq. quam non ſuadet exemplum de animali, & homine. Etenim homo per differentiam gradus inferioris determinat animal ſic, quod non relinquat illud in ſuo eſſe communi: verum modus fœcunditatis, ratione cuius intellectio fit dictio, non aufert communitatem ab intelligere communi tribus perſonis; quia tantum eſt affectio modalis illius intelligere communis: & ſic relinquit ipſummet intelligere, modificatum tamen in Patre, vt ſit fœcundum ad productionem Filij, neque in hoc puncto eſt ſpecialis difficultas in intelligere, quæ non ſit in eſſentia abſoluta, & reliquis proprietatibus.

§. XII.

Vtrùm in Deo detur duplex intelligere, aliud abſolutum, & aliud relativum?

26 ALIQVI Ex Antiquis, vt ſunt Enriquus, Argentinas, Marſilius, & Ricardus recedentes à Scoto dixerunt in Deo dari duplex intelligere, aliud abſolutum, & commune tribus, & aliud adæquate relativum, & proprium Patri: oppoſitum tenet Schola D. Thomæ. Sit concluſio. In Deo non datur duplex intelligere, aliud abſolutum, & aliud relativum. Prob. Non datur duplex intellectus alter abſolutus, & alter relativus: ergo nec dabitur duplex intellectio, altera adæquate abſoluta, & altera adæquate relativa. Explicatur hoc. Potentiæ adæquate diſtinguuntur per actus: ergo ſi datur in Deo intelligere adæquate abſolutum, & intelligere adæquate relativum, erit quoque neceſſe, quod detur in Deo potentia intellectiva abſoluta, & potentia adæquate relativa.

Ad hoc dices cum aliquibus Authores relatos non vocare intelligere relativum aliquam actionem, quæ intellectio ſit, imò omnem rationem propriæ, veræ actionis ob ſui imperfectionem eſſe à Deo relegandam; vocare autem intelligere relativum ipſam relationem Patris, quia ſuper intellectionem ipſius Patris fundatur: Vnde non erit neceſſe multiplicare duas potentias intellectivas, aliam abſolutam, & aliam relativam.

Sed contra hoc eſt. Nam omne intelligere, cum ſit perceptio vitalis, & exercitium intellectus ſe moventis, debet eſſe actio vitalis; ſed ſola relatio non eſt actio vitalis, neque eſt perceptio rei intellectæ, neque exercitium potentiæ intellectivæ: ergo nulla via dici poterit intelligere relativum. Præterea: Filiatio ve-

Digitized by Google

vere eſt à Patre, vt fides docet: ergo vel eſt à Patre ſe ipſa intranſitive, ita vt nulla actio illius productiva mediet inter Patrem producentem, & Filium productum, vel eſt à Patre, ita vt ipſa Paternitas ſit ipſa activa origo filiationis, vel eſt à Patre media actione intellectiva vt connotante paternitatem; ſi dicatur hoc vltimum, iam non dabitur intelligere adæquate relativum: ſi dicatur ſecundum, id, quod procedit, erit Filius, ſed non erit Verbum. Prob. Conſeq. Nam Paternitas tantum eſt correlativa Filij, & non Verbi: ergo ſi ſola ipſa Paternitas ſit activa origo, originabit Filium, ſed non verbum, quod eſt contra fidem.

Explicatur hoc. Relatio Paternitatis in tantum coincidit cum relatione dicentis, in quantum ipſa generatio, ad quam ſequitur, vere obtinet rationem dictionis, ſed ſi ponatur ipſam Paternitatem obtinere adæquate rationem originis, non ponitur relationem Paternitatis habere pro fundamento dictionem: ergo non poterit intelligi, quod ſit relatio dicentis, ſed tantum generantis Filium: dabitur ergo Filius, ſed non Verbum. Si autem dicatur primum, ponetur impoſsibile ex terminis, nam Filius eſt genitus, & non generatio: ergo nequit intelligi, quod ſe ipſo intranſitive ſine aliqua actione inter media ſit à Patre. Aſſerendum ergo erit non dari in Deo illud intelligere adæquate relativum.

§. XIII.

Solvuntur argumenta.

27 Ad probandum, quod ſolæ relationes divinæ ſint ipſæ proceſsiones, extant loca Div. Thom. valde difficilia. Etenim in primo diſt.27. quæſt.1. art.1. ad 5. dicit: *Quod eadem ratio ſignificatur per hæc tria Pater, Paternitas, generatio, ſed Pater ſignificat illa per modum hypoſtaſis, & perſona, Paternitas per modum proprietatis, generatio per modum operationis.* Ex quibus ſic argumentor. Eadem forma ſignificatur per Paternitatem, quæ ſignificatur per generationem; ſed per Paternitatem ſignificatur ſola relatio: igitur ſignificatum per generationem erit ſola relatio, licet ad modum operationis. Præterea infra quæſt.41. art.1. ad 2. ſic habet; *Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quam ordinem originis, ſecundum quod à cauſa aliqua, vel principio procedit in id, quod eſt à principio.* Vnde cum in divinis non ſit motus, actio perſonalis producentis perſonam nihil aliud eſt, quam habitudo principij ad perſonam, quæ eſt à principio, quæ quidem habitudines ſunt ipſæ relationes, ſeu notiones.

Ad primum conc. authoritatem Div. Thom. Ad argumentum ex ea formatum diſt. Mai. eadem forma, quæ ſignificatur per Paternitatem, ſignificatur per generationem, eadem, & eodem modo, nego Mai. eadẽ diverſo modo importata, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque aliud eſt, quod eadẽ forma relativa ſignificetur per illa tria, & aliud eſt, quod vnumquodque eorum nihil aliud dicat niſi ipſam formam relativam; primum verum eſt, quia ab ipſa Paternitate dicitur Pater, Paternitas, & actus intelligendi dicitur generatio, quia illa tria notionalia ſunt: ſecundum autem eſt falſum, quia Paternitas, cum ſit forma ſubſiſtens, ipſa adæquate eſt Pater: ſimiliter Paternitas, cum ſit ipſa forma ſignificata abſtractive, nihil aliud dicit præter relationem; generatio vero, cum ſit vera dictio, & intellectio, importat quid abſolutum, formalizatum tamen per Paternitatem: & ſic generatio non dicit ſolam relationem Paternitatis.

Sed inſtas. Solutio videtur pugnare cum littera D. Thom. ergo non eſt admittenda. Prob. Ant. Littera D. Thom. talis eſt: *Ad 5. dicendum, quod ſicut eſt in eſſentialibus, quod idem eſt ſecundum rem divina operatio, Deus, & Deitas; ſed differunt ſecundũ rationem tantum fundatam in re: ita etiam eſt in perſonalibus, quod idem eſt operatio perſonalis, perſona, & proprietas conſtituens perſonam, ſed differunt ſecundum rationem, & modum ſignificandi: vnde dico, quod eadem ratio ſignificatur per illa tria Pater, Paternitas, generatio.* Ex quibus ſic argumentor. In divinis eſſentialibus illa tria operatio, Deus, Deitas in recto adæquate ſolũ important abſolutum: ergo in perſonalibus illa tria in recto ſolũ dicunt relativum. Patet Conſeq. quia iuxta D. Thom. ſicut illa tria comparantur ad eſſentialia, ita & hæc tria comparantur ad perſonalia.

Ad hoc nego Conſeq. Ad prob. dico ly *ita* non ſignificare paritatem in omnibus. Hoc enim eſt diſcrimen inter perſona-

lia

iſta, & eſſentialia, quod ad hoc, vt aliquid, ſit, & dicatur eſſentiale requiritur, quod omnino deputetur à relatione per ipſum ſignificata: & ſic dum operatio, Deitas, & Deus ſunt, & dicuntur eſſentialia, eſt neceſſe, quod abſolutum dicant in recto, ſiquidem nihil aliud poſſunt dicare, quam abſolutum. Ad hoc autem, vt aliquid ſit perſonale, non requiritur, quod deputetur in ſui ſignificatione ab abſoluto, ſed ſufficit, ſi connotetur relatio ex parte ſignificati eius. Licet hoc videre in potentia generativa, quæ perſonalis eſt: & tamen dicit abſolutum connotans relationem. Vnde non eſt neceſſe ad hoc, vt generatio ſit perſonalis, quod ſolum dicat relationem, neque eſt neceſſe, quod paritas D. Thom. teneat in omnibus, ſed in eis, quæ iam explicata ſunt.

Ad ſecundam authoritatem difficile eſt explicare, quid ibi velit dicere Div. Thomas. Cum enim doctrinam, quam ibi tradit non limitet ad divina, ſed ampliet vſque ad creata, & de creatis ſciamus, quod, remoto motu ab actione, adhuc reſtat actio, quæ non eſt relatio, ſed vera qualitas, vt patet diſcurrenti per omnes actiones immanentes intellectus, & voluntatis, videtur falſum, quod ibi Div. Thomas dicit, quod, remoto motu, nihil reſtat niſi relatio, reſtat enim qualitas in qua actio conſiſtit, quæ ſe ipſa egreſſus eſt ab agente. Verum exiſtimo, quod, ſi littera bene inſpiciatur, nec contra veritatem, nec contra noſtram reſolutionem ſtat littera D. Thom. Etenim Div. Thom. non dicit, quod remoto motu ab actione, nihil remanet, niſi relatio, ſed dicit, nihil aliud remanet, niſi relatio originis: ergo dicit remanere originem, & habitudinem ab ipſa connotatam. Quod & videtur repetere in vltimis verbis authoritatis adductæ, ibi: *Quod actio nihil aliud eſt, niſi habitudo principij ad id, quod eſt à principio*: nec enim ſumit ibi principium in actu primo, ſed in actu ſecundo cum exercitio principiandi: Vnde præter habitudinem oportet addere aliam formalitatem, in qua actio conſiſtat, & per quam principium actu principiet. Quod mihi ex eo eſt evidens; etenim relatio conveniens alicui principio, ſi non inveniat principium actu operans, tantum refert principium vt potens operari: ſi autem ipſa relatio intranſitive eſſet actio, hoc ipſo, quod adveniret principio non operanti, referret illud vt actu operans, nō vt operans, quod præſupponeret, ſed quod redderet operans, quod quidem falſiſſimum eſt.

28 Secundo ratione ſic arguitur. Nam Perſonæ Divinæ non conſtituuntur intellectione, & volitione, etiam vt connotantibus relationē; & tamen conſtituuntur originibus, vel relationibus: igitur origines ſunt ipſiſſimæ relationes, licet ſignificentur ad modū operationis. Prob. Maj. Nam perſonæ debent conſtitui aliquo importante in recto relationem, ſed actus intelligendi ſolum connotant relationem in obliquo: igitur nequeunt conſtitui perſonę actibus intellectionis, & volitionis. Ad hoc nego Min. perſonæ enim non conſtituuntur originibus propter duo; tum, quia origines ſupponunt perſonam conſtitutam: ſicut nec intelligere abſolutum Deū conſtituit in noſtra ſententia, quia egreditur à Deo: vnde & ipſum conſtitutum ſupponit. Tum etiam, quia non dicunt purum reſpectum, ſed dicunt abſolutum cum reſpectu. Quæ eſt doctrina D. Tho. de Potentia, q.2. art.5. ibi: *Similiter dicendum eſt de actione, & de potentia; nam generatio ſignificat actionem cum aliquo reſpectu, & potentia generandi ſignificat potentiā cum reſpectu: vnde ipſa generatio eſt Dei actio, ſed prout eſt Patris tantum; & ſimiliter ipſa potentia generandi eſt Dei omnipotentia; ſed prout eſt tantum Patris*. Quibus Angelicis verbis noſtram, & ſuam declaravit doctrinam.

§. XIV.

An huiuſmodi proceſſiones ſint veræ actiones; an tantum ſint quædam emanationes intelligibiles?

29 DISPVTAVIMVS ſupra cū Durando, vtrum præfatæ proceſſiones eſſent quędam emanationes à natura divina immediatè procedentes: modò reſtat diſputare cum Suarez & Molina, qui tenent huiuſmodi proceſſiones eſſe ſecundum intellectum, & voluntatem, negant tamen illas eſſe veras actiones, ſed eſſe tantum emanationes intelligibiles. Sic tenet Suarez lib.1. de Trin. c.8. n.5. & tom.2. Metaphyſ. diſp.48. ſect. 4. n.10. Molina hic diſp.1. Cæterū eas eſſe veras actiones tenet Schola Thomiſtica cū ſuo authore. Vnde ſit.

Concluſio divinæ proceſſiones ſunt veræ actiones intellectus, & voluntatis. Prob. 1. authoritate Sanct.

Digitized by Google

Doctoris, qui hic in art. 3. abſolute eas vocat actiones immanentes. Sic enim habet: *Dicendum, quod in divinis ſunt duæ proceſsiones, ſcilicet proceſsio Verbi, & quædam alia. Ad cuius evidentiam conſiderandum eſt, quod in divinis non eſt proceſsio, niſi ſecundum actionem, quæ non tendit in aliquid extrinſecum, ſed manet in ipſo agente; huiuſmodi autem actio in intellectuali natura eſt actio intellectus, & actio voluntatis: proceſsio autem verbi attenditur ſecundum actionem intelligibilem.* Quam doctrinam repetit in art. 5. ibi: *Dicendum, quod proceſsiones in divinis accipi non poſſunt, niſi ſecundum actiones, quæ manent in agente.* Quibus verbis Angelicus Doctor docet proceſsiones abſolute eſſe actiones immanentes: non ergo debent dici emanationes, ſi ly *emanationes* diminuat à ratione veræ actionis.

Ratione prob. Concluſio. Nam proceſsiones eſſe veras actiones ſecluſis imperfectionibus nec eſt inconveniens, neque abſurdum: ergo aſſeverandum eſt proceſsiones divinas veras eſſe actiones. Conſeq. eſt bona, & Ant. prob. Vbi non eſt inconveniens ponere verum conceptum potentiæ activæ, non eſt inconveniens ponere verum conceptum actionis, ſed in divinis primũ nullum eſt inconveniens: ergo nullum erit inconveniens in ponendo veram rationem actionis. Conſeq. eſt bona, Mai. certiſsima, nam potentia vere activa eſt in ordine ad verum actum. Min. autem prob. ſic ex D. Thom. ſupra q. 25. art. 1. ibi: *Manifeſtum eſt enim, quod vnumquodque, ſecundum quod eſt actu, & perfectum, ſecundum hoc eſt principium activum alicuius: patitur autem vnumquodque, ſecundum quod eſt deficiens, & imperfectũ: oſtenſum eſt autem ſupra, quod Deus eſt purus actus, & ſimpliciter, & univerſaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet: unde ſibi maxime competit eſſe principiũ activum, & nullo modo pati. Relinquitur ergo, quod in Deo maxime ſit potentia activa.* Sic D. Thom. Habet ergo Deus proprie potentiam activam.

30 Sed ratione ſpeciali prob. Concluſio. Si Filius procedit à Patre, non per veram actionem, ſed per dimanationem procedet ab illo, vti proprietates procedunt ab eſſentia; hoc autem dici non poteſt: ergo aſſeverandum eſt procedere à Patre per veram actionem. Conſeq. eſt bona, Minor certa, alias filiatio eſſet proprietas Patris. Mai. autem prob. Etenim dimanatio alicuius ab aliquo, quæ non eſt vera actio, eſt quædam naturalis ſequela per modum radicationis illius: ſic riſibilitas dimanat à rationalitate, quia radicatur in illa, & ex illa pullulat nulla vera actione intermedia inter rationalitatem, & riſibilitatem: ergo ſi Filius procedit à Patre, omni actione, quæ vera actio ſit, ſecluſa, ſola interveniente dimanatione, procedet ab illo eo modo, quo proprietates dimanant ab eſſentia. Explicatur hoc. Quod procedit ab alio, & non per veram actionem, ſed per puram dimanationem, habet ſe vt conſequium ad illud, & vt terminus ſecundarius actionis primo productivæ illius, à quo dimanat, iuxta illud, qui dat formam, dat conſequentia ad formam, id eſt, per eandem actionem, per quam primo dat formam, dat ſecundario conſequentia ad formam: ergo ſi Filius procedit à Patre, omni actione proprie dicta ſecluſa, & ſola dimanatione, Filius ſe habebit ad Patrem vt eius conſequium, vt quid ſecundarium, & tandem vt proprietas Patris.

§. XV.

Solvuntur argumenta.

31 CONTRA Reſolutionem noſtram primo arguitur. Nam Div. Thom. hic, artic. 1. ita habet: *Non ergo accipienda eſt proceſsio, ſecundum quod eſt in corporalibus, ſed ſecundum emanationem intelligibilem, vtpote verbi intelligibilis à dicente, quod manet in ipſo:* ergo non eſt dicendũ proceſsiones eſſe veras actiones, ſed ſolum eſſe intelligibiles emanationes. Ad hoc dico D. Thom. nõ loqui de emanatione intelligibili, prout hæc diſtinguitur à vera actione, quæ eſt intellectio: nam, quam hic vocat emanationem, in articulis ſequẽtibus dicit eſſe actionem abſolute, & ſine addito, vt vidimus inter probandum noſtram reſolutionem. Tum etiam. Nam in præmiſsis diſcurſus D. Thom. quibus infert doctrinam, quam adducit, obiectio loquitur expreſſe de actione. Sic enim aſſumit. *Sed cũ omnis proceſsio ſit ſecundum aliquam actionẽ, ſicut ſecundum actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, eſt aliqua proceſsio ad extra, ita ſecundum actionem, quæ manet in ipſo agente, eſt aliqua proceſsio ad intra. Et hoc*

ma-

Digitized by Google

maxime patet in intellectu, cuius actio, ſcilicet intelligere, &c. Ergo cum ex hac doctrina præmiſſa deinde concludat proceſſionē verbi debere eſſe ſecundū emanationē intelligibilē, nomine emanationis intelligibilis debet intelligi id, quod in præmiſſis dixit, actionem, quæ manet in agente, nō vero emanationē, prout hæc à vera actione diſtinguitur.

Secundo arguitur. Nam ſi proceſſiones diuinæ haberent propriam rationē actionis, tunc id, quod procederet per illas, haberet veram rationem effectus; hoc autem dici nequit: ergo. Min. eſt certa, & Mai. prob. Nam ſi tales proceſſiones eſſent veræ actiones, id, quod per illas procederet, eſſet quid actum per illas, ſicut ſi ſolum eſſent emanationes, id, quod procederet, ſolum eſſet emanans, & non actum; ſed idē prorſus eſt aliquid eſſe vere actum per veram actionem, & eſſe vere effectum per illam: igitur ſi proceſſiones eſſent veræ actiones, id, quod procederet, vere eſſet effectum per illas. Ad hoc nego Sequelam. Ad prob. diſt. Mai. vere diceretur actum ſecundū id, à quo hoc nomen impoſitū eſt, nego Mai. ſecundum id, ad quod ſignificandum eſt impoſitum, conc. Mai. Et diſt. Min. ſed idem eſt aliquid eſſe actum, & eſſe effectum, ſi ly *actum* accipiatur ſecundū id, à quo impoſitum eſt, conc. Min. ſecundū id, ad quod ſignificandū ly *actum* eſt impoſitum, neg. Min. & Conſeq. Itaque de his nominibus, *agens, actio, actum*, poſſumus loqui dupliciter, primo attendendo ad id, à quo iſta nomina impoſita ſunt; & cum ſint impoſita à creaturis, in quibus non inuenitur agere, niſi media cauſalitate, & effectu, prout ſic *agere, actio, & actum*, idem prorſus ſunt, ac cauſare, & cauſatum, ſeu effectum: & iſto modo non ponimus in Deo actionē, neque actum. Alio modo illa accipiuntur pro eo, ad quod ſignificandū præfata nomina impoſita ſunt, id eſt, ad omne id, quod producitur: & iſto modo actio idē eſt, quod productio: vnde Pater diuinus vere dicitur producere Filiū, & Filius vere dicitur productus à Patre, & in hoc ſenſu poteſt Pater dici agere, & Filius actus, id eſt, productus à Patre.

32 Tertio arguitur. De ratione actionis immanētis vere, & proprie ſunt multæ imperfectiones: ergo diuinæ proceſſiones nequibunt habere verā, & propriā rationē actionis. Prob. Ant. De ratione actionis proprie dictæ eſt eſſe productionē termini ab ipſa realiter diverſi, & ab ipſo producente, & eſſe medium quoddam inter duos terminos, ſcilicet à quo, & ad quem, nempe inter non eſſe, & eſſe, ac tandem præſupponere potentiam paſſiuam, in qua recipiatur; quæ tamen omnia imperfectiones manifeſte ſunt: igitur de ratione actionis propriæ dictæ multæ imperfectiones ſunt. Ad hoc diſt. Ant. de ratione actionis proprie dictæ ſunt multæ imperfectiones, loquendo de actione pro eo, à quo nomē impoſitū eſt, tranſ. Ant. loquēdo de actione, pro eo, ad quod ſignificandum nomen eſt impoſitum, nego Ant. & Conſ. Ad prob. Antec. dico illa omnia enumerata dicere imperfectionē actionis, prout hæc in creaturis reperitur; non vero pro conceptu analogo actionis, prout quid commune eſt ad Deum, & creaturas: etenim prout ſic ſolum dicit vltimam actualitatem operantis cum egreſſu formali, vel virtuali ab illo, in quo nulla ratio imperfectionis inuenitur.

QVÆSTIO II.

De generatione Verbi Diuini.

POSTQVAM Egimus de proceſſionibus diuinis in communi, rectus ordo poſtulat, vt agamus de proceſſionibus in particulari: & quia proceſſio Verbi Diuini eſt inter diuinas proceſſiones prima, ideo primæ quæſtioni de proceſſionibus in communi adiungimus ſecundam, quam inſcribimus de generatione Verbi Diuini.

§. I.

De Generatione communiter dicta.

33 MENTIONEM Facit Diu. Thom. generationis communiter dictæ hic art. 2. ibi: *Sciendum eſt, quod nomine generationis dupliciter vtimur, vno modo communiter ad omnia generabilia, & corruptibilia: & ſic generatio nihil aliud eſt, quam mutatio de non eſſe ad eſſe.* Circa quam definitionem ſtatim occurrit dubium, videtur enim, quod generatio, prout communiter dicitur de omni generabili, & corruptibili, non bene diffiniatur per hoc,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quod ſit mutatio de non eſſe ad eſſe; hoc enim proprie convenit creationi, cuius terminus à quo eſt non eſſe, & terminus ad quem eſt eſſe: eſt enim productio entis ex nihilo, id eſt, ex non eſſe. Nec valet dicere, quod creatio paſsive ſumpta non eſt mutatio; quia ad hanc requiritur; quod idem ſubiectũ ſe teneat ex parte termini à quo, & ex parte termini ad quem, vt licet videre in materia prima; quæ primo ſtat ſub non eſſe formæ, & deinde adquirit per veram mutationem ipſam formam. Non, inquam, valet. Nam ad mutationem vt ſic nõ requiritur, quod idem ſit ſub vtroque termino, ſed ſufficit, quod aliquid habeat eſſe poſt non eſſe, quod, cum vere conveniat rei; quæ creatur, vere mutabitur: & ſic definitio adducta generationis communiter dictæ vere conveniet creationi. Præter quamquod dum ex ſpeciebus ſacramentalibus generatur vermis, materia, ex qua educitur forma vermis, vere mutatur per generationem vermis, & tamen non fuit prius ſub non eſſe formæ vermis, & deinde ſub eſſe eius: ſiquidem, vt dicitur in Tractatu de Euchariſtia, in inſtanti generationis vermis quantitas Euchariſtiæ convertitur in materiam primam, ex qua educitur forma vermis, in quo inſtanti, cum ſit ſub forma vermis, non potuit eſſe ſub non eſſe eius: alias forma, & privatio in eodem inſtanti reali eſſent ſimul in eodem ſubiecto.

Pro clara intelligẽtia diffinitionis adductæ adverto, quod mutatio de non eſſe ad eſſe dupliciter accipitur, primo pro tranſitu quodam de non eſſe omnibus modis, id eſt, ex nihilo, ad eſſe omnibus modis, id eſt, ad eſſe vniverſaliter ſumptum, prout ſub ſe comprehendit omnia, quæ reperiuntur in re, quæ fit: & iſto modo creatio poteſt definiri, quod ſit mutatio de non eſſe ad eſſe, eſt enim productio entis ex nihilo, id eſt, nullo ſubiecto præſuppoſito, ex quo res fiat. Alio modo accipitur pro tranſitu de non eſſe ſimpliciter tali ad eſſe tale ſimpliciter: & quia eſſe ſimpliciter tale eſt eſſe, quod dat forma ſubſtantialis, ideo volens D. Thomas diffinire generationem ſubſtantialem, quæ reperitur in omni generabili, & corruptibili, dixit eſſe mutationem de non eſſe ad eſſe. Circa verbum *mutatio* etiam adverto, quod ſtat dupliciter, vno modo, vt cadit ſub conſideratione phyſica: & iſto modo ſolum id dicitur mutari proprie, quod phyſice præceſsit ad mutationem ſecundum aliquid ſui, & per ipſam mutationem adquirit perfectum eſſe: & ſic mutari convenit rei, quæ generatur condiſtinctive à re, quæ per creationem fit, nam, quod creatur, non fit ex aliquo ſui præſuppoſito.

Alio modo mutatio accipitur metaphyſice, id eſt, prout cadit ſub conſideratione metaphyſicæ; & ad hanc mutationem non requiritur, quod aliquid ſecundum eſſe phyſicum prius fuerit ſub non eſſe, ſed ſufficit, quod de novo res habeat eſſe poſt non eſſe ſui: & iſto modo mutari convenit rei, quæ per creationem fit. In definitione ergo generationis communiter dictæ ly *mutatio* ſtat pro mutatione phyſica tãtũ. Quibus definitionis terminis explicatis, conſtat iam de definitione generationis communiter dictæ, quod bona ſit.

Vnde ad 1. rationem dubitandi dico hanc definitionem non convenire creationi ex parte mutationis; quia rei, quæ creatur, ſolum convenit mutari metaphyſice loquẽdo, id eſt, habere eſſe poſt nõ eſſe: rei autẽ, quæ generatur, convenit mutari phyſice. Similiter ex parte de ly *eſſe*, & de ly *non eſſe* eſt diſcrimen: nam genito convenit de novo eſſe ſimpliciter, id eſt, eſſe ſubſtantiale, quod eſt eſſe ſimpliciter, datum à forma ſubſtantiali, & hoc convenit ex aliquo ſui præſuppoſito, quod eſt materia prima; rei autem, quæ creatur, cõvenit eſſe de novo, prout ly *eſſe* diſtribuit pro omnibus, ex quibus res componitur. Vnde definitio tradita generationis non habet convenire creationi.

Ad id, quod additur de materia prima vermis geniti ex ſpeciebus Euchariſticis, dico, quod, quãvis talis materia prima de facto nunquam fuerit ſub non eſſe formæ vermis, tamen dum, quantum eſt ex ſe, tantum habebat præfatam formam in potentia, quantum eſt ex ſe, habuit non eſſe formæ: vnde fuit neceſſe illam habere per generationem, vi cuius id, quod tantum ex ſe habuit in potentia, habuit in actu: vnde aliquo modo fuit ſub non eſſe formæ, quia nempe eſſe ſub illa non habuit ex ſe, ſed ex vi generationis: & ſic per ipſam generationem phyſice mutata eſt talis materia.

(*!*)

Re-

§. II.

De generatione viventium.

34 IN Eodem articulo mentionem facit Div. Thom. generationis viventium, dum dicit: *Alio modo proprie in viventibus, & ſic generatio ſignificat originem alicuius viventis à principio vivente coniuncto.* Et ſubdit: *Et hæc proprie dicitur nativitas, non tamen omne huiuſmodi dicitur genitum, ſed proprie, quod procedit ſecundum rationem ſimilitudinis, non cuiuſcumque; nam vermes, qui generãtur in animalibus, non habent rationem generationis, ac filiationis, licet ſit ſimilitudo ſecundum genus, ſed requiritur ad rationem talis generationis, quod procedat ſecundum rationem ſimilitudinis in natura eiuſdem ſpeciei, ſicut homo procedit ab homine, & equus ab equo.* Vnde iuxta D.Thom. generatio viventium diffinitur: *Origo viventis à vivente in ſimilitudinẽ naturæ eiuſdem ſpeciei.* Quam definitionem admittunt communiter Theologi, & merito, nam in illa habentur omnia, quæ per ſe deſiderantur ad generationem viventium.

Dicitur ergo primo origo viventis, vt denotetur, quod propriè loquendo de generatione, requiritur, quod generans ſit vivens, & intelligitur de vivente per modũ totius, id eſt, de ſuppoſito habente vitam: vnde nutritio, per quam vivens nutritur, eſto ſit à parte vivente, non tamen generatio dicitur, ſed aggeneratio nuncupatur. Nec ſufficit, quod ſit vivens alias, ſed requiritur, quod per ipſam generationem vivat: vnde proceſsio, qua Æva proceſsit ab Adam, dum facta fuit ex coſta eius, generatio non eſt dicta, quia licet Adamus alias viveret, non tamen vixit per ipſam proceſsionem, quia mere paſsive ſe habuit ad illam. Inſuper additur illa particula coniũcto, ad denotandum, quod genitum debet eſſe de ipſa ſubſtantia geniti, id eſt, de aliquo, quod fuit pars ipſius generantis; etenim ſemen, quod in virtute eſt genitum, aliquando fuit pars ipſius generantis, à quo deinde deciſum in vas aptum ad generationem diſcurſu debiti temporis fit genitum: vnde verificatur, quod genitum ſit de ſubſtantia ipſius generantis. Dicitur vlterius in ſimilitudinem naturæ ſpeciei eius; quia ad veram, & propriam rationem generationis requiritur, quod genitum evadat ſimile generanti in ipſa naturà ſpecifica eius, ſic, quod verificetur, quod vtrumque eiuſdem ſpeciei athomæ ſit. Vbi advertas, quod ad veram rationem generationis nec requiritur ſola ſimilitudo, & conformitas cum natura ſpecifica, nec requiritur identitas numeralis in principijs ſpecificis, ſed vbi neceſſe eſt, quod generans, & genitum per principia materialia numero diſtincta ſint, ſufficit ſimilitudo, ſeu conformitas in natura ſpecifica, vti contingit, quando generans, & genitũ viventia corporalia ſunt. Quando autem pure ſpiritualia ſunt, tunc, cum ex defectu materiæ natura ſpecifica vtriuſque ſolo numero inter ſe differre non poſsit, eſt neceſſe ad veram generationem, quod eadem numero natura generantis communicetur genito: vnde non obeſt generationi Verbi Divini, quod per illam ipſa numero natura generantis Patris Filio genito communicetur, imò hoc eſt neceſſarium, vt Verbum Divinum veram rationem geniti habeat: dum enim, quia in ſummo ſpiritualitatis eſt, naturam ſolo numero diſtinctam à natura Patris habere non poteſt, & alias requiritur, quod eiuſdem naturæ ſpecificæ ſit cum Patre, eſt omnino neceſſarium, quod eandem numero naturam habeat cum Patre.

Advertas etiam ſecundo illa verba, *eiuſdem ſpeciei athomæ*, requiri ad generationem, quæ fit connaturaliter iuxta intentum generantis: non vero ad eam, quæ fit præter naturam. Vnde D.Thom. appoſuit exemplum in homine procedente ab homine, & equo procedente ab equo; non autẽ in mulo procedẽte ab equo, quia mulus eſt præternaturam equi generantis: etenim huius ſperma per ſe intendit producere equum; ſed dum materiam aſynæ non poteſt ad formam equi perfecte diſponere, præter naturam eius diſponit ad formam magis propinquam, & ſic generat mulum.

Advertas 3. quod dum hic definitur generatio, prout in vivẽtibus reperitur cõmuniter, nõ eſt neceſſe apponere, viventis cognoſcẽtis; quia ſunt multa viventia cognoſcentia, quæ tamen nõ generant per cognitionem: hoc enim, cum ſolum conveniat Deo, ſi apponeretur illa particula *cognoſcẽtis*, non definiretur generatio vt ſic, prout in viventibus reperitur, ſed ſola generatio Divini Verbi, cui ſoli convenit per cognitionem generari.

(∴)

Digitized by Google

§. III.

Vtrùm generationi Verbi Divini conveniat diffinitio generationis communiter dictæ.

35 NEGATIVAM Partem docet Angelicus Doctor in hoc 2. art. illis verbis: *Si autem ſit aliquod vivens, cuius vita non exeat de potentia in actum, proceſſio (ſi qua in tali vivente invenitur) excludit omninò primam rationem generationis; ſed poteſt habere rationem generationis, quæ eſt propria viventium.* Quod ipſum docet 4. contra g. cap. 14. his verbis: *In Deo generationem intelligibilem ponimus, non autem talem, qualis eſt in materialibus rebus, quarum generatio mutatio quadam eſt corruptioni oppoſita.* Ratioque id ſuadet: nam, vt vidimus ratio generationis communiter dictæ eſt mutatio de non eſſe ad eſſe; at vt patet ex illo Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, in Deo mutatio locum habere non poteſt: ergo neque poteſt illi convenire ratio generationis communiter dictæ: Deinde: Illa ſola generatio poteſt eſſe mutatio de non eſſe ad eſſe; in qua generans exire poteſt de potentia in actum; ſed Pater divinus generans implicat, quod exeat de potentia in actum: ergo & implicabit, quod divina generatio ſit mutatio de non eſſe ad eſſe. Min. prob. Nam Pater divinus eſt puriſſimus actus: ergo implicat exire de potentia in actum.

Hæc veritas certiſſima eſt, ſed contrà illam hoc difficile militat argumentum. Nam proceſſioni Verbi Divini (vt infra, Deo dante, videbimus) propriè convenit ratio generationis viventium: ergo & debet ei convenire ratio generationis communis viventibus, & non viventibus. Prob. Conſeq. Nam cui convenit ratio ſpecifica contenta ſub aliqua ratione communi ei eſſentiali; nequit non convenire ipſa ratio communis; ſed generatio communiter dicta de viventibus, & non viventibus eſſentialiter convenit generationi viventium: igitur dum proceſſioni Verbi Divini convenit eſſentialiter ratio generationis viventium, debet ei neceſſariò convenire ratio generationis communiter dictæ de viventibus, & non viventibus.

Ad hoc argumentum diſt. Conſequens: ergo & debet ei convenire ratio generationis communis viventibus, & non viventibus, communis viventibus in omni ſui latitudine, conc. Conſeq. communis viventibus reſtrictive ad generabilia corruptibilia, nego Conſequentiam. Ad prob. diſt. Min. eſſentialiter convenit generationi viventium; ſumpta hac reſtrictive ad viventia corruptibilia, conc. Min. ſumpta ampliative ad omnem generationem viventium, nego Min. & Conſequentiam. Itaque advertendum eſt, quod D. Thom. non diffinivit generationem vt ſic, dum dicit eſſe mutationem de non eſſe ad eſſe, ſed tantum definivit generationem communiter dictam de ſolis generabilibus corruptibilibus: vnde cum generatio divini Verbi non ſit generatio generabilis corruptibilis, non præcontinetur ſub tali generatione: & ſic, quamvis ei conveniat ratio generationis viventium, non ſequitur, quod ei conveniat mutatio de non eſſe ad eſſe. Do verba D. Thom. *Sciendum, quod nomine generationis dupliciter vtimur; vno modo communiter ad omnia generabilia, & corruptibilia: & ſic generatio nihil aliud eſt, quam mutatio de non eſſe ad eſſe.* Ecce quomodo mutatio de non eſſe ad eſſe non ponitur communis ad omnia generabilia, ſed tantum ad generabilia corruptibilia: vnde ſub illa non continetur generatio divini Verbi, quod licet ſit generabile, non tamen eſt corruptibile.

36 Sed contra ſolutionem, inſtabis. Generatio viventium corruptibilium, & generatio viventium incorruptibilium debent contineri ſub aliqua ratione communi generationis; hæc autem nequit eſſe alia niſi mutatio de non eſſe ad eſſe: igitur mutatio de non eſſe ad eſſe eſt ratio communis ad omnem generationem viventium. Conſeq. eſt bona, Mai. certa; quia generatio viventium corruptibiliũ; & incorruptibilium debent convenire in ratione generationis vt ſic, cum ſint ſpecies eius ſubalternæ: ergo debet illis aſſignari aliqua ratio communis generationis. Min. vero prob. Etenim eſto genus immediatũ ad generationem viventium corruptibilium; & incorruptibilium ſit ratio generationis viventium, tamen generatio viventium vt ſic debet præcontineri ſub ratione generationis communis non viventibus, & omnibus viventibus generabilibus; at ratio communis generationis non viventibus, & viventibus non eſt alia, niſi mutatio de non eſſe ad eſſe: ergo de primo

ad

Digitized by Google

ad vltimum mutatio de non eſſe ad eſſe debebit eſſe communis eſſentialiter generationi ampliatiuè ſumptæ ad omnia viventia.

Ad hoc reſpondent Salmanticēſes hîc, diſp.2. dub. 1. negando generationem viventium, prout abſtrahit à creata, & increata, præcontineri ſub ratione generationis vt ſic, prout dicit quid commune generationi viventium, & non viventium, aſsignantque huius rationem ex eo, quod generationi viventium, & non viventium, nequit aſsignari ratio communis generationis, quæ non exprimat imperfectionē: ſiquidem hæc nequit eſſe alia niſi mutatio de non eſſe ad eſſe.

37 Sed contra hanc doctrinam inſto. Nam hæc propoſitio, generatio viventium prout abſtrahit à creata, & increata eſt generatio, eſt ſuperioris de inferiori: ergo generatio viventium in tota ſui amplitudine continetur ſub ratione generationis vt ſic. Prob. Antec. Iſta propoſitio, generatio non viventium eſt generatio, eſt ſuperioris de inferiori: ergo & iſta, generatio viventium eſt generatio, eſt ſimiliter ſuperioris de inferiori. Prob. Conſeq. quia ſuperius eſſentialiter ad generationē non viventium, non poteſt non eſſe ſuperius ad generationem viventium: ergo.

Ad hoc dicunt Salmanticenſes generationem vt ſic eſſe quid æquivocum ad generationem viventium, prout hæc abſtrahit à creata, & increata, & ad generationem non viventium: vnde iſta prædicatio, generatio viventium vt ſic eſt generatio, eſt ſicut iſta, canis latrabilis eſt canis, in qua prædicatur quid commune ſecundum vocem tantum; non vero ſecundum aliquam rationem ſignificatam per vocē: vnde inquiunt, quod generatio viventium vt ſic non recognoſcit aliquam rationem ſibi ſuperiorem ſecundum rem, ſed tantum ſecundum vocem.

Sed contra inſto. Ratio generationis vt ſic non dicitur æquivocè de generatione non viventium; nullus enim dicet, quod iſta generatio non viventium eſt generatio, ſit ſicut iſta, canis latrabilis eſt canis: ergo generatio viventium vt ſic eſt generatio, non erit etiam prædicatio æquivoca. Prob. Conſeq. Nam vox æquivoca reſpectu vnius æquivocati eſt æquivoca reſpectu omnium per talem vocem ſignificatorum, & ſi reſpectu vnius non eſt æquivoca, reſpectu nullius ſignificati per illam erit æquivoca: ergo ſi vox *generatio* non eſt æquivoca reſpectu generationis non viventium, non erit etiam æquivoca reſpectu generationis viventium vt ſic. Secundo inſto evidenter. Per hanc vocem *generatio* poteſt ſignificari aliquid ſecundum rem commune generationi viventium vt ſic, & non viventium, quod tamen nullā exprimat imperfectionem: ergo falſo dicitur, quod vox *generatio* ſit æquivoca ad generationem viventium, & ad generationem non viventium. Prob. Antec. Nam generatio vt ſic poteſt ſignificare rationem productionis ex aliquo, in qua ratione nulla exprimitur imperfectio: ergo ratio generationis vt ſic poteſt dicere aliquid commune ſecundum rem vtrique generationi.

Dicunt ad hoc rationem productionis ex aliquo non explicare adæquatam rationem generationis; ſed ſolum explicare id, quod ad rationem generationis deſideratur. Sed cōtra eſt; quia in hoc, quod dico, ratio productionis ex aliquo, explicatur id, per quod convenit generatio cum creatione; & id, per quod diſtinguitur ab illa: ergo explicatur adæquatus conceptus generationis abſtractiſsimè ſumptæ, prout hæc dicitur de generatione viventium in tota ſua latitudine; & de generatione non viventium. Prob. Antec. Per rationē productionis alicuius habetur convenientia cum creatione; per hoc, quod dicitur, alicuius ex aliquo, habetur diſtinctivum à creatione, quę eſt productio ex nullo: ergo. Dices tranſubſtantiationem eſſe productionem alicuius ex aliquo; & tamen non eſſe generationem: ergo in illis duobus non ſalvatur ratio generationis. Patet Antec. Nam in illa corpus Chriſti fit ex pane: ergo producitur ex aliquo. Sed contra eſt. Nam licet corpus Chriſti fiat ex aliquo, quod deſinit, & non manet in eo, quod producitur; non tamen fit ex aliquo, quod manet in eo, quod fit: & ſic non eſt mirum, quod conceptum generationis non habeat; ad quam requiritur, quod ſit productio ex aliquo, quod manet in producto. Et ſic non fit argumentum in favorem horum Authorum.

38 Relicta ergo doctrina horum Patrum in probabilitate, quam tanti Patres ei dare poſſunt, ad inſtantiam factam, aliter reſpondetur, negādo Min. Ad prob. nego Min. non enim eſt neceſſe explicare generationem vt ſic per mutationem de non

non

Digitized by Google

non eſſe ad eſſe, ſed ſufficit dicere generationem communẽ non viventibus, & viventibus in tota ſua latitudine eſſe productionem alicuius ex aliquo manente in eo, quod producitur. In quo nulla exprimitur imperfectio. Nec obeſt, ſi dicas, quod Ariſtoteles ſolum definivit generationem vt ſic per mutationem de non eſſe ad eſſe. Sed facile reſpondetur, quod Ariſtoteles ſolum cognovit generationem communem non viventibus, & viventibus corruptibilibus, quibus proprie convenit per generationem mutari de non eſſe ad eſſe: vnde ſolum illam diffinivit per mutationẽ, &c. nos autem fide inſtructi agnoſcentes generationem Verbi divini debemus aſsignare rationem generationis communem non viventibus, & viventibus corruptibilibus, & incorruptibilibus, qualem iam aſsignavimus.

§. IV.

Vtrùm proceſsio Verbi ſit generatio?

39 CONCLVSIO affirmativa eſt de fide. Prob. ex illo Pſalm. 2. *Fili⁹ meus es tu, ego hodie genui te.* Sed dicit Vazquez ex iſto loco non probari, quia ad litteram intelligitur de reſurrectione Chriſti. Sed fallitur: tum quia D. Thom. ex illo loco convincit fidem generationis in art. 2. Tum etiam; quia non eſt inconveniẽs, quod idem locus Sacræ Scripturæ ad litteram habeat duos ſenſus, vt communiter tenent Theologi. Falluntur etiam aliqui, qui etiam dicunt hic non explicari Chriſti æternam generationẽ, quia hic locus intelligitur ad litteram de Davide: quibus etiam ſe opponit D. Thom. 4. Contrag. cap. 2. dicens: *Neque enim Davidi poteſt competere, quod additur, ego hodie genui te, & quod ſubditur dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ, cum Regnum Davidis non vſque ad terminos terræ fuerit dilatatum, vt hiſtoria libri Regum declarat.*

Paſsim habetur etiam in Sacra Scriptura Deum habere Filium. Math. 11. *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius?* Ioann 3. *Pater diligit Filiũ, & omnia dedit in manu eius.* Et cap. 5. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & filius, quos vult, vivificat.* Ad Roman. 1. *Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis de Filio ſuo.* Nomina autem Patris, & Filij generationem aliquam conſequũtur: vnde Fulgentius ad duas obiectiones Arrianorum circa finem dictat: Quis Filium dicat, & genitum neſciat? Quis Patrem valeat credere, quem non conſiderat genuiſſe. Et Auguſtin. 5. de Trinit. cap. 6. *Ideo Filius, quia genitus, & quia Filius vtique genitus.*

Probatur etiam ratione articuli. Proceſsioni Verbi divini conveniunt omnes particulæ generationis viventium: ergo proceſsio Verbi divini eſt generatio. Conſ. eſt bona, & Antec. probatur, diſcurrendo per omnes particulas definitionis generationis. In primis eſt origo viventis à principio vivente: tum, quia Math. 16. dicitur: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, id eſt, habens vitam à Patre vivente. dicitur enim Ioann. 11. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Tum etiam, quia, vt ſupra vidimus, verbũ procedit per actionem intelligibilem, quæ eſt actio vitalis, & conſequenter eſt à vivẽte in vivẽs: deinde eſt à principio coniũcto, nam per hoc ſignificatur, quod generans communicat genito aliquid de ſuamet ſubſtantia, & Pater divinus communicat verbo ſuo ipſammet numero naturã, quam habet: vnde ipſe Chriſtus Ioann. 10. dicit: *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus eſt.* Ex quo teſtimonio Concilium Lateranenſe in cap. damnamus de ſumma Trinitat. probat Filium produci de ſubſtantia Patris: tum, quia procedit, vt verbum Patris; verbum autem manet intra producentem illud: omnia autem, quæ in Deo manent, oportet, quod Deus ſint. Deinde procedit in ſimilitudinem naturæ; quia, cum procedat per actionem intelligibilem, eſt neceſſe, quod procedat vt verbum: verbũ autem eſt ſimilitudo rei intellectæ. Hinc dicitur ad Hebræos primo: *Figura ſubſtantiæ eius*, quæ ſimilitudo non eſt pure intẽtionalis, quaſi pure intentionaliter verbum habeat, quod Pater habet; ſed eſt ſimilitudo, ſeu potius identitas in eſſe connaturali Dei: quia, quando intelligens eſt ſuum intelligere, verbum procedens eſt ipſa natura intelligẽtis. Conveniũt ergo proceſsioni Verbi omnes particulæ diffinitionis generationis viventium: & ſic erit vera, & propria generatio.

40 Secundo prob. Nam Pater intelligens ſe totam naturam ſuam exprimit verbo ſuo: ergo Verbum, quod producit, adæquate evadit ſimile Patri in natura: er-

Digitized by Google

go obtinet rationem Filij, & per conſequens eius proceſsio obtinet rationem generationis. Dices Verbum divinum evadere ſimile Patri in natura ſimilitudine de linea repræſentationis, non de linea eſſendi; ad rationem autem Filij non ſufficere ſimilitudinem repræſentationis, ſed requiri ſimilitudinem de linea eſſendi: & ſic Verbum non evadere Filium. Sed contra eſt. Nã perfectiſsima repræſentatio naturæ divinæ non poteſt haberi, niſi per ipſam naturam divinam ſecundum eſſe naturale eius: ergo dum Verbum divinum accipit à Patre perfectiſsimam expreſsionem naturæ Patris, accipit ipſam naturam Patris ſecundum eſſe naturale eius.

§ V.

Solvuntur argumenta contra veritatem catholicam.

41 PRIMO arguitur. Etenim generatio viventium non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo non debet attribui formaliter Deo. Conſ. eſt bona, & Antec. prob. Nam perfectio ſimpliciter ſimplex diffinitur per hoc, quod ſit melior ipſa, quam non ipſa; ſed generatio viventium nõ eſt huiuſmodi: ergo. Prob. Min. Si enim melior eſſet ipſa, quam non ipſa, conveniret Spiritui Sancto, cui tamen non convenit ipſa, ſed negatio eius: ergo generatio viventium non eſt melior ipſa, quam non ipſa. Confirm. Generatio viventium habet adiunctam imperfectionem: ergo non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Prob. Antec. Nam generatio vivẽtium ordinatur ad genitum, tãquam ad proprium finem, & ſpecificativum eius à ſe realiter diſtinctum; ſed iſta ordinatio ex terminis dicit imperfectionem, nempe non eſſe vltimum finem omnium, nec habere à ſe quidquid requiritur ad ſuam ſpeciem: ergo. Confirmat. 2. Nam illa particula *à principio coniuncto* denotat, quod genitum producatur mediante ſemine, ſive aliqua parte viventis generantis, quæ coniungatur genito, & maneat in ipſo. Secundo dicit, quod genitum non ſit coniunctum generãti, niſi in principio generationis; hæc autem duo nequeunt convenire divino Verbo, vt per ſe patet: igitur neque ratio generationis viventium poterit ei convenire.

Ad hoc argumentum nego Antec. Ad prob. diſt. Mai. loquendo de perfectione ſimpliciter ſimplici per ſolam excluſionẽ imperfectionis, nego Mai. loquendo de perfectione ſimpliciter ſimplici, tam per excluſionem imperfectionis, quã non perfectionis, conc. Mai. & conceſſa Min. diſt. Conſ. ergo non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, per excluſionem ſolius imperfectionis, nego Conſeq. per excluſionem, tam imperfectionis, quam non perfectionis, conc. Conſequentiam. Itaque perfectio ſimpliciter ſimplex ſtat dupliciter, vel per hoc, quod in ſuo conceptu eſſentiali nullã admittat imperfectionẽ, vel per hoc, quod in ſuo conceptu eſſentiali non ſolum non admittat imperfectionem, verum neque admittat non perfectionem. Primo modo accepta non definitur per hoc, quod ſit melius ipſa, quã eius negatio; quia poteſt evenire, quod ratione illius non perfectionis, quam à ſe non excludit, habeat repugnantiam cum aliquo: & ſic contingit in præſenti, nam generatio viventium connotat relationem Paternitatis, quæ licet formaliter imperfectio non ſit, tamen non perfectio eſt. Vnde quia Paternitas Spiritui Sancto nequit convenire, ideo generatio viventium non eſt melior Spiritui Sancto, quam eius negatio: quod non ſic eveniret, ſi eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex per excluſionem à ſuo conceptu eſſentiali tam imperfectionis, quam non perfectionis.

Ad primam Confirm. nego Antec. Ad prob. dico illas imperfectiones non eſſe de conceptu generationis viventium, ſed tantũ convenire illi, ſecundũ quod in viventibus creatis reperiuntur, in quibus ipſa generatio realiter diſtinguitur à genito, & eſt propter genitum, quorum nihil habet convenire divinæ generationi. Similiter dico ad ſecundam Confirmationem: illa enim, quæ ibi enarrantur, non ſunt de conceptu eſſentiali generationis viventium, ſed tantum eſt, quod genitum ſit de ſubſtantia generantis, quod propriiſsime convenit Verbo Divino: ſiquidem ipſamet numero natura, quæ eſt in generante, invenitur in Verbo divino ſecũdum eſſe connaturale eius. Quod ſecundo dicitur, quod de ratione geniti eſt, quod ſolum in principio generationis ſit coniunctum generanti, non autẽ poſtea: hoc etiam tantum eſt verum, quando proles, ex quo concipitur, non habet ſuam vltimam perfectionem, ratione cuius poſsit ſubſiſtere vt diverſa ſecundum locum à generante. Verbum autem divinum perfectiſsime ſubſiſtit vt diverſum à ge-

generante, ex quo concipitur, nam ex hoc habet omnem vltimam ſuam perfectionẽ, quam habere poteſt: & quia ſolum ſecundum relationem à generante diſtinguitur, non eſt neceſſe, quod aliquando à generante ſeparetur.

Quam doctrinam eleganter tradit D. Thom. 4. Contrag. cap. 11. his verbis: *Eſt autem differentia inter conceptionem Verbi Dei, & materialem conceptionem, quæ apud nos in animalibus invenitur. Nam proles, quãdiu concepta eſt, & in vtero clauditur, nondum habet vltimam perfectionem, vt per ſe ſubſiſtat à generante ſecundum locum diverſa: vnde oportet, quod in corporali generatione animalium aliud ſit genitæ prolis conceptio, atque aliud partus ipſius, ſecundum quem etiã loco ſeparatur proles genita à generante ab vtero generantis egrediẽs. Verbum autem Dei in ipſo Deo dicente exiſtens eſt perfectum in ſe ſubſiſtens diſtinctum à Deo dicente; non enim expectatur ibi localis diſtinctio, ſi ſola relatione diſtinguuntur, vt dictum eſt. Idem eſt ergo in generatione Verbi Dei conceptio, & partus: & ideo poſtquam ex ore ſapientiæ dictum eſt, ego iam concepta eram, poſt pauca ſubditur, ante colles ego parturiebar.* Quid ad rẽ egregius?

42 Tertiò arguitur. Nam Verbo divino formaliter non communicatur natura Patris; ergo Verbum divinum non procedit vt ſimile in natura ex vi ſuæ proceſsionis, &, ſic talis proceſsio non erit generatio. Conſequentiæ ſunt bonæ, & Ant. prob. Natura divina conſiſtit in intelligere, modo ſit radicale, modo ſit actuale; at hoc per ſe primo non communicatur verbo: ergo natura Patris per ſe primo non communicatur Verbo. Prob. Min. Verbo per ſe primo communicatur id, in quo Verbum conſiſtit; at Verbum per ſe conſtituitur per Intelligi, & non per intelligere: igitur Verbo divino per ſe primo non communicatur intelligere.

Ad hoc nego Ant. Ad prob. nego Mi. Ad prob. diſt. Min. Verbum per ſe conſtituitur per intelligi, & non per intelligere, quoad id, quod producitur in Verbo divino conc. Min. quoad id, quod ei pure communicatur, nego Min. & Conſ. Itaque in Verbo divino ſunt duo conſideranda, alterum eſt id, quod in eo realiter producitur, & hoc eſt intrinſecum intelligi; alterum, quod ei pure primo, & per ſe communicatur, & hoc eſt ipſa natura obiecti, quæ primo intelligitur: cum autem Pater intelligens ſe, id, quod primo intelligit, ſit ſua natura, hinc ſit, quod natura divina ſit id, quod primo Verbo divino communicatur. Vnde ſive natura Dei ſit intelligere radicale, ſive ſit intelligere actuale, id, quod primo Verbo divino communicatur, erit intelligere. Nec hoc habet maiorem difficultatem in Verbo divino, ac in verbo creato: certiſsimum enim eſt, quod verbo creato primo cõmunicat intellectus obiectum, quod per ſe primo intelligit; eſt enim verbum conceptio, ſeu expreſsio rei intellectæ: nequit autem eam exprimere immediate, niſi eam in ſe habeat, neque enim homo immediate repræſentatur, niſi per hominem. Cum ergo Verbum divinum per ſe primo procedat ex cognitione, qua Pater ſuam naturam primo, & per ſe intelligit, neceſſe eſt, quod per ſuum intelligere naturam, quam primo intelligit, Verbo ſuo communicet: vnde ſi hæc conſiſtat in intelligere, erit neceſſe, quod primo ei communicet ſuum intelligere, & ſic erit neceſſe, quod ex vi proceſsionis ſuæ evadat ſimile in natura.

43 Sed contra hanc doctrinam ſic argumentor. Eſto Verbum divinum primo accipiat intelligere, in quo ſtat Dei natura, non tamẽ illud primo accipit, vt ſit, ſed vt illud repræſentet: ergo non accipit illud ſub munere naturæ divinæ, quæ non eſt, vt repræſentet, ſed vt ſit. Prob. Ant. In vniverſum omnis conceptus primo accipit obiectum, quod intelligitur, vt illud repræſentet, non vt ſit illud: igitur aſcendendo ad Verbum divinum, debebimus dicere, quod primo accipit naturam Dei, non vt Deus ſit, ſed vt Deum repræſentet. Conſ. autem prima prob. Nam natura Dei vt per ſe primo repræſentans Deum non eſt natura Dei ſub munere naturę, ſed ſub munere attributi, nempe ſpeciei impreſſæ, vel expreſſæ: ergo ſi Verbum divinum primo, & per ſe accipit naturam, non vt ſit Deus, ſed vt Deum repræſentet, Verbum divinum non accipiet naturam ſub munere naturæ, ſed ſub munere attributi.

Ad hoc. diſt. Ant. ſed vt illud repræſentet per eſſe pure intẽtionale, nego Ant. per ipſum eſſe naturale, conc. Ant. & nego Conſequentiam. Cum enim Verbum divinum accipiat ipſum eſſe naturale Dei, vt per illud repræſentet Dei naturam, duo accipit, & accipit naturam ſecundum eſſe naturale, & ſecundum eſſe repræſentationis; ex primo dicitur Filius: ex ſecundo dicitur

Ver-

Verbum. Pro cuius maiori luce adverto, quod natura in Deo, & ſpecies impreſſa nõ differunt tãquã duæ virtualitates, ſeu duæ perfectiones,ſed ſunt vna indiviſibilis virtualitas cum duplici munere, nempe cum munere eſſendi, & munere repræſentandi hoc ipſum,quod eſt. Quod patet ex eo, quia non repræſentat per aliquam perfectionẽ ab ipſa natura diſtinctam virtualiter, ſed per hoc ipſum,quod eſt,per hoc ipſum repręſentat. Vnde in eadem virtualitate præfata duo munia diſtinguũtur:& ſic duæ virtualitates non ſunt. Hanc autem virtualitatem cum hoc duplici munere, nempe eſſendi, & repręſentandi, accipit Verbum à Patre intelligente ſe,& ſic evadit Filius,& Verbum,quæ non ſunt duæ virtualitates, ſed vna cum duplici munere, vt ſimul Filius,& Verbum ſit.

Sed inſtas. Quamvis natura divina repręſentet ſeipſam per ſe ipſam,tamen mẽtibus beatis dum vnitur, vt repręſentet ſe, non dicitur vniri per modũ naturæ,ſed ſolũ per modũ ſpeciei impreſſæ;& expreſſæ: ergo quia Verbo divino communicatur,vt repræſentet ſe,quamvis ſecundũ ſuum eſſe naturale ſe repręſentet,non tamen dicetur illi vniri per modum naturæ. Ad hoc nego Conſequentiã,quia natura divina vnitur Verbo divino per ſummam identitatẽ, & ſic eſt ipſa natura ſecundum vtrumque munus:at mentibus beatorũ ſolum vnitur per communicationem iuxta capacitatem, quam habent ad illam; habent autem tantum capacitatem ad vnionem naturæ divinæ ſub munere repræſentantis, & non ſub munere naturæ:& ſic ſolum vnitur eis ſecundum hoc munus,& non ſecundum munus naturæ.

44 Quarto arguitur. Verbum per ſe nunquam habet aſſimilari naturæ,vt intelligens eſt, ſed ſolum aſſimilatur ſpeciei impreſſæ: ergo aſcendendo ad Verbum divinum,ſolum per ſe habebit aſſimilari naturæ divinæ,vt ſpecies intelligibilis eſt,nõ vero naturæ divinæ,vt intelligens eſt. Ad hoc diſt. Ant. ſed ſolum aſſimilatur ſpeciei impreſſæ, quoad munus ſpeciei impreſſæ, nego Ant. quoad prædicata, quę per illam repręſentantur,conc. Ant.& nego Conſeq. quia alterum ex prædicatis, quæ repreſentat natura divina vt ſpecies impreſſa, eſt ipſa natura vt intelligens:& ſic, cum Verbum divinum per ſe habeat aſſimilari omnibus prædicatis divinis, quæ per ſpeciem impreſſam repręſentantur, plane habet aſſimilari naturæ divinæ,vt intelligens eſt.

§ VI.

Vtrùm ex hoc,quod intelligere Dei eſt eſſe Dei,convincatur proceſſionem Verbi eſſe generationem.

45 PROBAVIT D.Tho. hic in hoc art.2.proceſſionem Verbi hac ratione: *Sic igitur* (inquit) *proceſſio Verbi in divinis habet rationem generationis: procedit enim per modum intelligibilis actionis,quæ eſt operatio vitæ,& à principio coniuncto,vt ſupradictum eſt, & ſecundum rationem ſimilitudinis, quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ,& in eadem natura exiſtens, quia in Deo idem eſt intelligere,& eſſe. Vnde proceſſio Verbi in divinis dicitur generatio,& ipſum Verbum procedens dicitur Filius.*

Conantur Patres Salmanticenſes hic, diſp.2.dub.3.probare,quod ex eo, quod in Deo intelligere, & intelligi ſunt omnino formaliter idem,& intelligere,& eſſe ſunt ſimiliter omnino formaliter idẽ, convincat D. Tho. ratione facta, quod proceſſio Verbi divini generatio ſit. Nos autem, qui ſupra in primo tomo huius primę partis ad longum probavimus intelligere ſumptum pro actu ſecundo non eſſe conſtitutivum formale Dei,non ſolum ſecundum rei veritatem,ſed etiam ſecundum mentẽ D.Th. conſequenter ad ibi dicta defendimus modo non convincere D. Tho. proceſſionem Verbi eſſe generationẽ ex eo, quod intelligere Dei in ſenſu formaliſſimo ſit eſſe Dei: iudicamus enim hoc eſſe falſum, & contra D.Thom. qui ſupra,quæſt.25.art.1. affirmat,quod Deus eſt beatus per eſſentiã, ſed non ratione eſſentię, ſed ratione intellectus. Quod ſi intellectus non eſt formaliſſime eſſe Dei,nec intelligere, quod intellectum ſupponit,ipſa eſſentia Dei formaliter eſſe poterit.

Hoc mihi ſuadeo ex eo,quod D. Th. non probat Verbum divinum evadere ſimile naturæ Dei,quia procedit per intelligere,& in Deo intelligere eſt eſſe Dei: ſed probat Verbum evadere ſimile naturę Dei, quia conceptio eſt ſimilitudo rei intellectæ,& cum id,quod primo intelligitur, ſit ipſa natura Dei, Verbum divinum evadit ſimile ipſi naturæ Dei. Sed quia poterat eſſe ſimile in natura ſine eo, quod haberet ipſam Dei naturam ſecundum eſſe phyſicũ, ſed.

Digitized by Google

ipſe actus purus, oportet, quod ſubſtantia intellectus divini ſit ipſum ſuum intelligere, quod eſt actus intellectus: eſſe autem verbi interius concepti, ſive intentionis intellectæ eſt ipſum ſuum intelligi. Idem ergo eſſe eſt Verbi divini, & intellectus divini, & per conſequens ipſius Dei, qui eſt ſuum intellectus. Eſſe autem Dei eſt eius eſſentia, vel natura, quæ idem eſt, quod ipſe Deus. Verbum igitur Dei eſt ipſum eſſe divinum, & eſſentia eius, & ipſe verus Deus. Sic D. Thom. In quibus, vt apparet, ex hoc, quod intellectus divinus eſt ſuum intelligere, & eſſentia Verbi eſt ſuum intelligi, concludit, quod idem eſt eſſe intellectus divini, & Verbi divini: & quia in Deo eſſe, & eſſentia ſunt idem, concludit, quod Verbum divinum & eſt eſſe divinum, & eſſentia Dei, & ſic concluditur, quod ſit verus Deus: ergo ex identitate formali, & virtuali inter eſſe Dei, & eius intelligere concludit D. Thom. quod Verbũ ſit genitum, & quod eius proceſsio ſit vera generatio.

Reſpondeo hac ratione non probare D. Thom. Verbum divinum eſſe genitum, & eius proceſsionem eſse generationem, vt legenti contextum patebit: vult ergo probare, quod Verbum divinum ſit verus Deus, ad quod probandum non requiritur, quod intelligere Dei ſit ipſummet differẽtiale conſtitutivum Dei, ſed ſufficit, quod intelligere Dei vere ſit Deus formaliter realiter. Vnde aſſumit has præmiſſas: *Intellectus divinus eſt ipſum ſuum intelligere; Verbum conſiſtit in intelligi:* igitur eſt idem eſſe Intellectus, & Verbi: in qua concluſione ly *eſſe* non ſumitur pro eſsẽtia, ſed pro exiſtentia; nam deinde ſubſumit: *In Deo autem eſſe eſt ſua eſſentia, & natura,* quæ quidem etiam eſt vera in ſenſu identico, non in formali virtuali, quia ſententia, quæ ponit exiſtentiam Dei non eſse virtualiter eius eſsentiam, probabilior eſt. Vnde concludit: Verbum igitur Dei eſt eius eſse, & eſsentia, & ſic eſt verus Deus. Non ergo concluditur, quod D. Thomas probet Verbum divinum eſse genitum ex eo, quod procedat per intelligere, & intelligere ſit ipſa eſsentia, & natura Dei formaliter, & virtualiter. Alia adducunt, quæ hoc ipſum probant, & nihil aliud: vnde ſuperfluum duxerim illa recenſere.

*****

§. VIII.

Vtrùm proceſſio Verbi divini ita ſit generatio, vt idem prorſus ſit eſſe Verbum, ac Filium?

48 PRO exacta intelligentia proceſsionis Verbi divini præſens agitamus quæſitum, cuius reſolutio non parvam ingerit difficultatem. Vnde DD. Scholaſtici in duas ſententias extreme oppoſitas diviſi ſunt; alij enim affirmant proceſsionem Verbi non ita eſse generationem, vt eadem prorſus virtualitas ſit ratio Verbi divini, & ratio Filij, ſed eſſe virtualiter diſtinctas. Ita tenent Ferrara 4. Contrag. cap. 13. §. ad 2. dubium, Nazarius 1. p. quæſt. 34. art. 3. & Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 3. num. 4. & 5. Secunda ſententia affirmat idem prorſus eſse Verbum perſonaliter ſumptũ, ac Filium, cum ſola muneris diverſitate, ita vt ex parte rei ſignificatę eadem proprietas perſonalis ſignificata per Verbum ſignificetur per Filium; ſed Verbum aliquid ſignificat de tali proprietate, quod non ſignificatur per Filium. Ita tenẽt Zumel, & Bañez in hoc art. Conjejo 1. p. tract. 3. diſp. 2. dub. 3. Caietan. & Rippa infra, quæſt. 34. art. 3. ad 4. Salmanticenſes hic, dub. 4. Ruiz hic, diſp. 58. ſect. 3. Et hæc ſententia communior eſt, & merito, quia magis conſonat dictis Sanctorum, & ipſi veritati. Sitque noſtra concluſio.

Proceſsio Verbi divini vſque adeo rigoroſa eſt generatio, vt Verbum perſonale, & Filius eamdem ſignificent perſonalem proprietatem, eſto de ipſa aliquid explicetur per Verbum, quod non exprimitur per Filium. Concluſio eſt Parentis Auguſtini adducti à D. Thom. infra, quæſt. 34. art. 2. ad 3. vbi D. Thom. ſic dictat: *Dicendum, quod in nomine Verbi eadem proprietas importatur, quæ in nomine Filij: unde dicit Auguſtinus, eo dicitur Verbum, quo Filius; ipſa enim nativitas Filij, quæ eſt proprietas perſonalis eius, diverſis nominibus ſignificatur, quæ Filio attribuuntur ad exprimendum diverſimode perfectionem eius; nam, vt oſtendatur connaturalis Patri, dicitur Filius, vt oſtendatur coæternus, dicitur ſplendor, vt oſtendatur omnino ſimilis, dicitur imago, vt oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum: nõ enim potuit unum nomen inveniri, per quod omnia iſta deſignarentur.* Sic D. Thom. Quibus ad litteram noſtram tenet concluſionem, quam

quam Auguſtini authoritate ſuffulſit, *eo verbum, quo Filius*, quę aperte denotant eandem indiviſibilem proprietatem ſignificari per vtrumque nomen.

Et ratio id manifeſte ſuadet. Quia, vt vidimus, proceſsio Verbi ſecundum differentiam intraneam talis proceſsionis eſt generatio: ergo terminatur ad Filium ſecundum eamdem ſibi intraneam differentiam: nam generatio per ſe tenuit ad Filium; ſed, cum eſſentialiter ſit Verbi proceſsio, non poteſt non per ſe terminari ad Verbum: igitur neceſſarium eſt, quod idem prorſus ſint Verbum, & Filius. Deinde: Filius divinus non eſt quomodocumque Filius, ſed eſt Filius pure immaterialiter genitus: ergo eſt genitus per generationem pure immaterialem; at hæc non eſt alia, niſi dictio, quæ per ſe terminatur ad Verbũ: igitur idem prorſus ſignificant Filius, & Verbum perſonaliter ſumptum. Præterea: Si Filius, & Verbum non ſignificant eandẽ proprietatem perſonalem: ergo ſignificant diſtinctas proprietates perſonales: ergo cũ proprietas perſonalis ſit relatio, ſignificabunt diſtinctas relationes: ergo dabuntur ſex relationes reales in divinis, alia Patris, alia Filij, alia Verbi ad dicentem, & alia dicentis ad Verbum dictum, alia ſpiratoris ad ſpiratum, & alia ſpirati ad ſpiratorem.

49 Ad primam rationem reſpondent oppoſitum tenentes proceſsionem Verbi duo habere, nempe & eſſe dictionẽ, & eſſe generationẽ, ratione primi terminari ad Verbum, & ratione ſecundi terminari ad Filium: & ſic non eſſe idem Verbum, & Filium. Ad 2. dicunt, quod eſto non multiplicentur relationes, tamen habebũt diſtingui Verbum, & Filius, eo quod Filius ſignificat per ſe primo, & in recto relationem Filiationis, & Verbum ſignificat abſolutum, connotando relationem: vnde comparantur ſicut Paternitas, & generatio, eo quod Paternitas per ſe primo ſignificat relationem Patris, & generatio per ſe primo dicit abſolutum, connotando eandem relationem Paternitatis. Sicut ergo ſtat bene ſine multiplicatione relationis Paternitatis multiplicari generationem, & Paternitatem, ita ſtabit bene ſine multiplicatione relationis Filiationis non eſſe idẽ virtualiter Verbum, & Filium.

Sed contra primam ſolutionem arguo ſic. Etenim dicere divinum, & generare divinum non ſunt duæ formalitates convenientes eidem proceſsioni; ſed vna, & indiviſibilis formalitas proceſsionis, ex quo per intranea eſt dictio, per ipſiſsima met intranea eſt generatio: ergo & Verbum, ex quo eſt Verbum, erit Filius. Prob. Ant. Nam dicere divinum, ex quo eſt tale, eſt formaliſsime productio ſimilis in natura dicentis: ergo ex quo eſt dicere, in tranſitive eſt generatio. Rurſus: Generatio Filij divini, ex quo eſt generatio immaterialis, non eſt intelligibile, quod ſit aliud niſi dictio: ergo dictio, & generatio in Deo non ſunt duæ formalitates virtualiter diſtinctæ: ergo nec Verbum divinum, & Filius erunt duæ formalitates virtualiter diſtinctæ.

Contra ſolutionem ad ſecũdam rationẽ argumentor ſic. Verbũ divinum perſonaliter ſumptũ in recto, non importat abſolutum, ſed relativũ: ergo ſi importat relationẽ filiationis, illã dicet in recto & non tantum de connotato: & ſic proprie erit Filius. Prob. Ant. Id, quod in Deo producitur vt quod, in recto importat relationẽ: nam ſola relatio eſt, quæ in divinis producitur; ſed Verbum perſonale vt quod producitur: igitur ſignificat in recto relationẽ, & non abſolutum. Prob. Mai. Id, quod in Deo notionaliter producit vt quod, in recto importat relationem producentis: ergo id, quod intra Deũ producitur vt quod, dicit relationem in recto producti vt quod.

Sed ſecundo prob. hoc ipſum. Etenim Verbum ex propria ratione Verbi habet vt quod produci per dictionem, ita quod nec increatis datur Verbum, quod non ſit productum vt quod: igitur Verbum divinum perſonaliter ſumptum per ſe obtinebit rationem producti vt quod: ergo & ſignificabit vt quod, & in recto relationem; nam in divinis, ſola relatio eſt producta vt quod. Nec ſcio, quod ſit Thomiſta, qui poſsit hanc doctrinam negare: nam D. Th. infra, quæſt. 34. art. 3. ad 4. expreſſe ſic dicit: *Sed nomen Verbi principaliter eſt impoſitum ad ſignificandam relationem ad dicentem, & propter hoc in divinis eſt vnicum tantum Verbum, & perſonaliter dicitur.* Et art. 2. eiuſdem quęſt. dicit, quod Verbum proprie dictum in divinis perſonaliter accipitur, & eſt proprium nomen perſonæ Filij: ſignificat ergo principaliter relationem ad dicentẽ, & ſignificat perſonam Filij. Filius ergo, & Verbum eãdem proprietatem perſonalem ſignificant: & ſic idem prorſus erit in Deo Verbum, & Filius.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Solvuntur argumenta.

50 CONTRA reſolutionem noſtrã 1. arguitur ex authoritate D. Th. Etenim in primo, diſt. 27. art. 2. ſic habet: *Dicendum, quod hoc nomen Verbum ex virtute vocabuli poteſt perſonaliter, & eſſentialiter accipi: non enim ſignificat tantum relationem, ſicut hoc nomen Pater, vel Filius, ſed imponitur ad ſignificandũ rẽ aliquã abſolutam ſimul cum reſpectu.* Quod ipſum tradit quæſt. 4. de Veritat. art. 5. vbi ſic ait: *Hoc nomen Verbum imponitur ad ſignificandum aliquid abſolutum cum aliquo reſpectu adiuncto: eſt enim idem Verbum, quod ſapientia genita, vt dicit Auguſtinus.*

Confirm. Eadem eſt ratio ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, cum tantum differant penes repræſentare idem obiectum per modum actus primi, & repræſentare illud per modum actus ſecundi; at ſpecies impreſſa ſignificat aliquid abſolutum cum reſpectu ad obiectum repræſentatum: ergo & Verbum repræſentabit aliquid abſolutum cum reſpectu. Tunc vltra, ſed nomen *Filius* per ſe eſt impoſitum ad ſignificandum ipſam habitudinem ad Patrem: Igitur non habet idem ſignificatum Verbum, ac Filius.

Ad hoc argumentum dico, quod de hoc nomine *Verbum* dupliciter loqui poſſumus, primo, prout impoſitum eſt ad ſignificandum id, quod per intellectionem producitur: & quia non oportet, quod id, quod per actionem creatam primo producitur, ſit per ſe primo relativum, imo debet eſſe abſolutum; quia increatis ad relationem non datur per ſe motus: ideo hoc nomen *Verbum*, attendendo ad id, ad quod primo ſignificandum imponitur, non eſt relativum prædicamentale, ſed erit abſolutum cum reſpectu tranſcendentali ad producentem, & ad obiectum, quod per ſe repræſentat. Alio modo loqui poſſumus de hoc nomine *Verbum*, ſecundum quod illo vtimur ad ſignificandum in divinis id, quod per ſe primo producitur per intellectionem Patris: & quia id, quod per ſe primo producitur vt quod, eſt neceſſe, quod ſit ipſa relatio, quia abſoluta nullo modo produci valent, cum non multiplicari poſſint, fit inde, quod ſic loquendo de Verbo debemus dicere illud per ſe primo ſignificare relationem ad dicentem, quæ cum non ſit alia à relatione Filij ad Patrem generantem, fit inde, quod Verbum, prout in divinis perſonaliter ſumitur, idem prorſus ſignificet, ac Filius.

Hinc ad Div. Thom. dico, quod loquitur de hoc nomine *Verbum*, prout primo impoſitum eſt ad ſignificandum id, quod increatis producitur per dictionem creatam: & quia hoc neceſſario eſt abſolutum cum reſpectu tranſcendentali ad dicentem, & ad obiectum, dicit D. Tho. Verbum ſignificare abſolutum cum reſpectu. Vnde non opponitur Nobis, qui loquimur de hoc nomine *Verbum*, ſecundum quod eo vtimur ad ſignificandum in Deo id, quod primo per ſe producitur per intellectionem Patris; quod cum ſit ipſa relatio, vtimur illo ad ſignificandum in recto relationem dicti ad dicentem, quæ non eſt alia à relatione Filij: & ſic *verbũ*, prout ſic eſt in vſu, habet ſignificare idem, quod *Filius*.

Ad Confirm. dico non eſſe eamdem rationem de ſpecie impreſſa, ac de verbo: nã ſpecies impreſſa, nec producit vt quod, nec in Deo producitur vt quod, ſed tantum vt quo: & ſic nec in Deo, neque in creaturis habet ſignificare relationem, ſed ad ſummum in Patre habet ſignificare abſolutum, connotando relationem Patris. At verbum, cum per ſe dicat id, quod vt quod producitur, & in divinis hoc per ſe primo ſit relatio, in divinis perſonaliter ſumptum habet ſignificare relationẽ. Nec ſolum verbum, & ſpecies impreſſa habent differre per modum actus primi, & ſecundi in linea repræſentationis, ſed habent amplius diſtingui in eo, quod verbum non repræſentat vtcumque per modum actus ſecundi, ſed repræſentat per modum quid vitaliter realiter expreſſi vt quod, quod obtinet rationem producti vt quod: & ſic eſt per ſe relativum. Vnde nulla eſt paritas.

51 Inſtas: Verbum divinum perſonaliter ſumptum ſignificat abſolutum, & relativum, Filius tantum ſignificat relativum: igitur Verbum perſonaliter ſumptum non ſignificat idẽ, quod Filius. Prob. Ant. Nam Verbum perſonaliter ſumptum ſignificat ſapientiam genitam, vbi duo habentur, & ratio ſapientiæ, quæ eſt quid abſolutum, & ratio geniti, quæ eſt notionalis, & relativa: igitur Verbum divinum adhuc perſonaliter ſumptum ſignificat abſolutũ, & relativum.

Ad hoc diſtinguo primã partem Ant. Verbum divinum perſonaliter ſumptum ſignificat abſolutum,& relativum, vtrumque in recto, nego Ant. relativum in recto, & abſolutũ in obliquo, concedo Ant. Et diſt. ſecundam Ant. partem: Filius ſignificat tantum relationem quoad rectum, concedo Ant. quoad rectum, & obliquum, nego Ant. & Conſ. Ad prob. Ant. dico, quod ly *ſapientia genita* deſcribit omnia, quæ ſignificantur nomine Verbi: non autem hic terminus complexus *ſapientia genita* ſignificat illa eo modo, quo Verbum, nam hoc ſignificat per ſe primo id, quod profertur interius vt quod, quod quidem eſt pure relativum; ſapientia autem genita ſignificat in recto vtrumque: vnde non fit bonum argumentum, quod, ſi ſapientia genita in recto ſignificat abſolutum, & relativum, verbum quoque perſonaliter ſumptum vtrumque in recto ſignificet.

52 Secundo arguitur. Verbum divinum perſonaliter ſumptum per ſe dicit reſpectum ad totam Trinitatem, imo & ad omnes creaturas, quia per ſe primo eſt repræſentativum totius Trinitatis, & ſecundario eſt repræſentativum creaturarum; Filius autem tantum dicit reſpectum ad Patrem: igitur non ſignificant idem Verbum, & Filius. Confir. Filius in divinis præſupponit perſonam Patris, ſed non præſupponit totam Trinitatem; at Verbum totam Trinitatem præſupponit, quoniam eſt intuitivum omnium perſonarum, & repræſentatio intuitiva præſupponit rem exiſtentem: igitur verbum perſonaliter ſumptum non eſt idem, ac Filius. Confir. 2. Verbum ſecundum ſuam vltimam differentiam eſt ſimile Patri, non ſolum in natura, ſed etiam in lineamento Paternitatis, ſiquidem perfecte habet repræſentare illam; Filius autem in eo, quod Filius, habet opponi Patri, & ſolum convenire in natura cum Patre: non ergo idem ſignificat Filius, ac Verbum, neque Verbũ, quod Filius.

Ad hoc argumentum diſtinguo primam partem Ant. Verbum divinum per ſe dicit reſpectum ad totam Trinitatem, reſpectum realem producti ad producentem, nego Ant. reſpectum rationis repræſentativi totius Trinitatis, & creaturarum, Conc. Ant. Et diſt. aliam partem Ant. Filius tantum dicit reſpectum ad Patrem; ex parte rei ſignificatæ, nego Ant. ex parte modi exprimendi id, quod ſignificat, conc. Ant. Ergo Verbum, & Filius non ſignificant idem, id eſt, de eodem non idem exprimunt, conc. Conſ. non ſignificant idem, id eſt, non verſantur circa eandem rem ſignificatam, nego Conſeq.

Itaque, vt ſupra dixi ex D. Thom. ſicut generatio ex terminis ſolum exprimit actionem generativam, ita & Filius ſolum explicat terminum generationis, & ſic ſolum explicat habitudinem ad generantem; dictio autem Patris explicat ipſam generationem, aliquid amplius exprimendo de ipſa, videlicet quod ſit immaterialis, id eſt, per intelligibilem actionem. Ex parte ergo rei ſignificatæ idem ſignificatur per dictionem, & generationem, ſed non ſic, quod de eo, quod ſignificatur, idem exprimatur. Idemque dicendum de *ly Filius*, & de ly *Verbum*, Filius dicit partum, ſed Verbum exprimit, quod ſit partus intellectualis, id eſt, quem Pater intelligendo producit: & quia Pater non producit hunc partum, ſolum intelligendo ſe ipſum, ſed etiã intelligendo totam Trinitatem, & creaturas, hinc ex parte Verbi, & habetur reſpectus realis ad Patrem, qui ſolus eſt dicens, & ad totam Trinitatem, quæ eſt intellecta à Patre: & hinc eſt, quod Filius ſolum dicit reſpectum realem ad Patrem, & Verbum vltra iſtum reſpectũ realem importat reſpectum rationis ad totam Trinitatem vt repræſentatam primario per illud, & ad creaturas vt ſecundario repræſentatas.

Ad primam Confirm. dico, quod verbũ eſſentialiter dictum, in quo Pater intelligit totã Trinitatem, non præſupponit totam Trinitatẽ, ſed præſupponitur ad illam, non præſuppoſitione ſigni in quo, ſed à quo rationis; videt enim Pater in ſe ipſo tanquã in Verbo communiter, ſeu eſſentialiter dicto totam Trinitatẽ, & creaturas: & ſic intelligens producit verbũ ſuum, nõ vt intelligat per illud, ſed ex ſola fœcunditate ſuæ intellectionis. Vnde nec Trinitas præſupponitur exiſtens ad Verbũ productum, ſed tantũ ordine originis ſequitur ad Patrem dicentem, ſicut & Filius ad Patrẽ generantẽ; nec, quia verbũ repræſentatio intuitiva totius Trinitatis eſt, debet præſupponi ad totam Trinitatẽ, ſed ſufficit, quod ſit ſimul ſimultate ſigni in quo cũ tota Trinitate: De quo late dicemus infra. Ad ſecundã dico, quod Verbum ratione naturæ, quã accipit à Patre, eſt ſimile Patri, &c. & non opponitur cum Patre; at ratione illius, quod vt quod

pro-

producitur, non aſſimilatur Patri, ſed opponitur illi, ſicut Filius Patri opponitur: vnde nihil concluditur contra noſtram Concluſionem.

53 Tandem arguitur. Verbum, vt Verbum, non producit Spiritū Sanctum per voluntatem, ſed tantum per modū formæ intelligibilis; at vt Filius producit illū per voluntatē, ſpirando illum ſimul cum Patre: igitur non eſt idem formaliter virtualiter verbum, & Filius. Conſ. eſt bona, Min. certa, & Mai. prob. Verbum, vt verbum, ad actum amoris ſolum movet vt forma apprehenſa, neque enim alio modo movere valet: igitur ſic, & non per voluntatem in Spiritum Sanctum influit. Confir. Filius, vt talis, nō eſt ratio intelligendi Patri; at verbum, cum ſit Patris intelligentis, eſt illi ratio intelligendi, vnuſquiſque enim intelligit per verbum ſuum: non ergo Verbum erit idem, quod Filius.

Ad hoc diſt. Mai. Verbum, vt Verbū, non producit Spiritum Sanctū per voluntatem, ſi ly *vt Verbum* reduplicet rationem analogam verbo creato, & increato, conc. Mai. ſi ſolū reduplicet rationē verbi, prout invenitur in ſupremo analogato, nego Ma. & conc. Min. nego Conſ. Etenim fateor, quod ratio verbi vt ſic, vt abſtrahit à creato, & increato, ſolum habet concurrere ad amorem per modum formæ intelligibilis, vel intellectæ; ſed dum ratio verbi invenitur in ſupremo analogato, invenitur verbū eiuſdem numero naturę, & voluntatis cū Patre: & ſic non ſolum vt forma intelligibilis habet concurrere ad amorem, ſed etiā ſimul cum Patre habet ſpirare Spiritum Sanctum. Vel melius dicatur, nego Mai. quia cum Verbum divinum prout ſic procedat vt ſimile in natura, & voluntate ipſius dicentis, ex propria ratione Verbi, vt reperitur in ſupremo analogato, habet procedere, vt vivens ſubſiſtens in eadem numero natura, & voluntate dicentis. Vnde dum dicens per voluntatem ſpirat Spiritū Sanctum, etiam Verbum vt tale, id eſt, vt in ſupremo analogato, habet ſimul cum Patre ſpirare Spiritum Sanctum.

Ad Confir. nego Min. ſi enim Verbū perſonale eſſet Patri ratio intelligendi, eſſet Pater ſapiens ſapiētia genita contra Auguſtinum, & veritatem: etenim eſto quando verbum formatur ex indigentia ad intelligendum, vt contingit in creatis, ſit ratio intelligendi formanti illud; tamen de Verbo divino hoc non poſſumus dicere, neque enim ex indigentiā ad intelligendū formatur; ſiquidem Pater à ſe ipſo omnē intelligendi rationem habet: vnde ex mera fœcunditate naturali procedit, & ſic non eſt ratio intelligendi Patri.

QVÆSTIO III.

De proceſſione Spiritus Sancti.

54 DE fide eſt dari intra Deum proceſſionem Spiritus Sancti: etenim Ioann. 14. habetur: *Rogabo Patrem meū, & alium Paraclitum dabit*. Si ergo Paraclitus, eſt alius à Filio, & à Patre: ergo præter proceſſionem Filij datur intra Deum alia proceſſio Spiritus Sancti. Deinde Ioann. 15. dicitur: *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Deinde in Symbolo Athanaſij dicitur: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedēs*. Et in Symbolo Nicæno: *Qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.*

Hanc fidem, quoad an eſt, explicuit D. Th. 4. Contrag. cap. 23. dicens: *Conſiderandū eſt, quod nomen ſpiritus à reſpiratione animalium ſumptum videtur, in qua aer cum quodā motu infertur, & emittitur. Vnde nomen ſpiritus ad omnem impulſum, & motum, vel cuiuſcumque aerei corporis trahitur; & ſic ventus dicitur ſpiritus ſecundum illud Pſalm. 148. ſpiritus procellarum, quæ faciūt verbum eius: ſic etiam vapor tenuis diffuſus per membra ad eorum motus ſpiritus vocatur. Rurſus; quia aer inviſibilis eſt, translatum eſt vlterius ſpiritus nomen ad omnes virtutes, & ſubſtantias, & inviſibiles, & motivas, & propter hoc anima ſenſibilis, & anima rationalis, & Angeli, & Deus ſpiritus dicuntur, & propriè Deus per modum amoris procedens, quia amor virtutem quamdam motivam inſinuat.*

Probat autē D. Th. hic in art. 3. huiuſmodi proceſſionem ſic: *Secundum autem operationem volūtatis invenitur in nobis quædam alia proceſſio, ſcilicet proceſſio amoris, ſecundum quam amatum eſt in amante, ſicut per conceptionem verbi res dicta, vel intellecta eſt in intelligente: vnde præter proceſſionem Verbi ponitur alia proceſſio in divinis.*

(✝)

§. I.

An per actus voluntatis creata producatur aliquis terminus manens intra voluntatem.

55 AFFIRMATIVE reſp. cum D. Thom. hic, art. 3. Poteſtque probari hæc veritas primo à poſteriori ex eo, quod ſi increatis vis volitiva non habet per ſuum actum terminum producere, nō poterit formari ratio Theologica ad declarandam proceſsionem Spiritus Sancti: ſicut ſi vis intellectiva in creatis non eſſet productiva verbi, non adeſſet ratio Theologica ad declarandam proceſſionem Verbi divini; hoc autem videtur maximum inconveniens: ergo aſſerēdum eſt in nobis per actionem voluntatis produci intrinſecum terminum, quem vulgo dicimus impulſum. Prob. aſſumptum Mai. Nam ratio, quæ convincit duas proceſsiones in Deo, aliam, qua procedit verbum, aliā, qua procedit Spiritus Sanctus, eſt, quia in Deo, vtpote naturæ perfectiſsimæ intellectualis, ſunt duę actiones, alia intellectus, alia voluntatis; ſed iſtæ duæ actiones in nobis producunt terminos ſibi intrinſecos: ergo per illas etiā in Deo ſimiles termini producuntur; at hæc ratio nihil convinceret, quia de facili ei daretur reſponſio, dicendo minorē ſupponere falſum quantū ad actionem voluntatis, quam Authores oppoſiti dicunt non producere terminū: ergo nulla adeſſet ratio Theologica convincens proceſsionem Spiritus Sancti reperiri in Deo. Sic à poſteriori facile probatur Concluſio.

Sed rationē aſsignare à priori, quæ convincat, valde difficile eſt: vere enim proceſſio per voluntatem nobis non ita innoteſcit, ſicut proceſsio verbi per intellectum. Vnde D. Th. infra, q. 37. a. 1. aſſerit, quod, quia proceſsio per intellectū eſt nobis magis nota, quā proceſsio per voluntatē, ideo ad illam ſignificandam, & ſingula, quæ in ipſa inveniuntur, ſunt vocabula, & magis propria nomina adinventa, quæ non ſunt inventa ad ſignificandam proceſsionē per voluntatem, & ad ſingula, quæ in ipſa inveniuntur: vnde remanet cum communi nomine proceſsionis, & de termino producto per illā nihil aliud ſcimus, niſi quod ſit procedens, iuxta phraſim Athanaſij, *nec genitus, ſeu procedens*.

Nec D. Th. qui rerū naturas perfectiſſime calluit, huius veritatis rationem nobis reliquit, ſed tantum nos veritatem hāc ſine probatione docuit, vt patet ex hoc art. 3. & infra, q. 37. art. 1. vbi hæc tantum habet: *Sicut enim ex hoc, quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quadam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum: ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, provenit quadam impreſsio rei amatæ in affectu amantis, ſecundū quā amatum eſt in amāte, ſicut & intellectum eſt in intelligente. Itaque cū aliquis ſeipſum amat, eſt in ſe ipſo non ſolū per identitatē rei, ſed etiam vt amatum in amante.* Quibus verbis noſtrā concluſionem ſtatuit, ſed non probat.

Verum ex his, quæ in 4. Cōtrag. docuit c. 19. aliqualē rationē poſſumus efformare. Etenim ibi hæc habet: *Ex hoc enim, quod aliquid amamus, deſideramus illud, ſi abſit, gaudemus autem, cum adeſt, & triſtamur, cum ab eo impedimur, & odimus, quæ nos ab amato impediūt, & iraſcimur cōtra ea.* Ex quibus infert: *Sic igitur quod amatur, non ſolū eſt in intellectu amātis, ſed etiā in voluntate ipſius: Aliter tamē & aliter; in intellectu enim eſt ſecundū ſimilitudinem ſuæ ſpeciei: in voluntate autē amantis eſt ſicut terminus motus in principio motivo proportionato per cōvenientiā, & proportionē, quā habet ad ipſum. Sicut in igne quodāmodo eſt locus ſurſum, ratione levitatis, ſecundum quam habet proportionē, & convenientiā ad talem locū: ignis vero generatus eſt in igne generante per ſimilitudinem ſuæ formæ.*

56 Ex qua doctrina ſic formo pro Cōcluſione argumentū. Amatum per amorē elicitū eſt in voluntate amantis, ſicut amatum per appetitum innatū eſt quodāmodo in tali appetente; ſed non eſt in voluntate amantis ratione potentiæ voluntatis, non etiā ratione volitionis: ergo ratione alicuius inclinationis, vel affectionis productæ, quæ non eſt aliud, quā ratio impulſus: ergo vere amor creatus producit impulſū. Conſequentiæ iſtæ patent, & pręmiſſæ probantur, Mai. ſic. Ex hoc, quod aliquid actualiter amamus, deſideramus illud, ſi abſit, gaudemus, cū adeſt, & triſtamur cum ab eo impedimur: ergo res amata eſt in voluntate amātis. Patet Conſ. nā res amata impellit, & movet voluntatē ad motū gaudij, triſtitiæ, &c. ergo oportet, quod ſit in ipſa volūtate, quę horum motuum eſt principium.

Dices rem amatam per hoc, quod proponatur voluntati, ſecundum quod illi conveniens eſt, ſufficienter movere voluntatem ad huiuſmodi motum: & ſic non eſſe neceſſarium produci per amorem impul-

pulſum, ratione cuius voluntas impellatur, & moveatur ad principiandum alios motus. Sed contra eſt: Nam motus iſti oriuntur ex amore, & inclinatione, quam habet voluntas ad rem amatam: ergo ad illos immediate eliciendos non ſufficit exiſtentia obiecti in intellectu, quæ habetur per apprehenſionem, & propoſitionem, quam facit intellectus voluntati, ſed requiritur exiſtentia rei amatæ in ipſa voluntate, ratione cuius à principio intrinſeco moveatur voluntas ad prædictum affectum circa rem amatam. Patet hæc Conſeq. quia per ſolam obiecti propoſitionem non habetur inclinatio, vel amor actualis obiecti, ſed tantum motivum ad amorem, & inclinationem actualem illius.

Min. autem noſtræ rationis prob. quo ad ſingulas partes. Et in primis, quod non exiſtat in voluntate ratione ſolius voluntatis, ſic convinco: Nam inclinatio, & propenſio, ratione cuius res amata exiſtit in voluntate, non eſt innata, ac per modum ponderis, ſed eſt elicita: ergo nequit convenire obiecto, ratione ſolius voluntatis. Quod non conveniat ratione ſolius actus voluntatis, prob. Nam amor, qui eſt actus voluntatis, tantum eſt inclinatio per modum viæ, & fieri, & non in eſſe completo: ergo ratione illius non exiſtit obiectum amatum in voluntate amantis. Ant. prob. à ſimili. Intellectio non eſt formaliter ſimilitudo obiecti in facto eſſe: ergo neque amor, qui eſt actus voluntatis, erit inclinatio ad obiectum in facto eſſe, ſed tantũ erit via ad inclinationem. Itaque ſicut verbum nõ eſt actio ſimilitudinis factiva, ſed eſt ſimilitudo obiecti intra intellectũ effecta, ita inclinatio volũtatis ad obiectũ non eſt fieri inclinationis, ſed ipſa inclinatio obiecti, quam ſibi voluntas intus format, vt quod.

57 Dices inclinationem ad obiectũ ex proprijs terminis dicere quandã viã, & tendentiam ad obiectum; ſed hæc melius explicatur per actum voluntatis, quam per terminum productum per illam: igitur non exiſtet obiectũ in amante per impulſum productum, ſed tantum per ipſam volitionem. Sed contra hoc eſt; Nam licet impulſus per modum viæ, & tendentiæ explicetur, quia vt in aliud tendens ſignificatur, in re tamen vere eſt inclinatio, quam intus volũtas ſibi facit per hoc, quod obiectum amat: ergo nequit conſiſtere in ipſo actu, qui eſt factio talis inclinationis.

Explicatur hoc. Impulſus dicitur via, & tendentia in obiectum, quia amor non perficitur complete, donec voluntas complete trahitur ab obiecto: complete autem trahitur ab obiecto per põdus obiecti, quod intra ſe vitaliter format, ſicut & intellectus perfecte trahit ad ſe obiectum per ſimilitudinẽ obiecti, quam intra ſe format. Non ſic autem volitio dicitur via ad obiectum, quia non eſt pondus ipſius obiecti, cũ ſit factio ponderis, ſed dicitur via, & tendentia per modum cauſalitatis activæ: & ſicut ex parte intellectus actio intelligendi, & verbum ſunt veluti tendentiæ, per quas obiectum trahitur ab intellectu. Aliter tamen, & aliter; nam verbum eſt id, per quod veluti formaliter pervenit, & intellectio id, per quod cauſative, & active trahitur. Ita è contra in voluntate actus voluntatis, & impulſus ſunt viæ, per quas voluntas pervenit complete ad rem amatam: aliter tamen, & aliter; per impulſum in genere cauſæ formalis, per volitionem in genere cauſæ activæ, & cauſaliter: pervenit enim formaliter voluntas ad rem amatam per impulſum: & ſic impulſus eſt via ad obiectum, per modum formæ; per actum autem amoris pervenit cauſaliter, & active: & ſic volitio eſt tendentia, & via per modum cauſalitatis.

§. II.

Solvuntur argumenta contra Concluſionem.

58 PRIMO arguitur ex D. Thom. quæſt. 4. de Verit. a. 2 ad 7. vbi habet, quod in voluntate nihil procedit niſi per modum operationis. Verba D. Tho. ſunt hæc: *Hæc autem eſt differentia inter intellectum, & voluntatem, quod operatio voluntatis terminatur ad res, in quibus eſt bonum, & malum; ſed operatio intellectus terminatur in mente, in qua eſt verum, & falſum: & ideo voluntas non habet aliquid progrediens à ſe ipſa, quod in ea ſit, niſi per modum operationis, ſed intellectus habet in ſe ipſo aliquid progrediens ab eo non ſolum per modum operationis, ſed etiam per modum rei operatæ:* Ergo ex mente D. Th. operatio voluntatis non producit intra ſe terminũ, ſicut & operatio intellectus illum producit.

Ad hoc reſpondet Caietanus non velle D. Thom. quod volitio non producat aliquem terminum, ſicut & intellectus illum producit; ſed tantum velle, quod ter-

minus, quem voluntas producit, nec modum habeat termini, nec nomen, quoniam & eſt, & ſignificatur vt in aliud tendens: conſtat autem, quod in aliud tendere conditio termini non ſit, ſed viæ. Sed his videntur opponi ea, quæ in textu ſequuntur, videlicet: *Et ideo Verbum ſignificatur vt res procedens, ſed amor vt operatio procedens: vnde amor non ita ſe habet ad hoc, vt dicatur perſonaliter, ſicut & Verbum.* Ex quibus ſic argumentor. Si amor eſſet res producta, ſicut & verbum, non minus diceretur perſonaliter, quam ipſum verbum; ſed Div. Thom. dicit, quod non ita ſe habet ad hoc, quod dicatur perſonaliter, ſicut verbum: ergo non producitur per operationem voluntatis, ſicut & verbum per operationem intellectus.

Ad authoritatem bene dictum eſt. Ad impugnationem diſt. Mai. amor procedens, conc. Mai. omne id, quod nomine amoris ſignificatur, nego Mai. & conceſſa Min. nego Conſeq. Itaque inter iſta duo amor, & verbum hoc verſatur diſcrimē, quod hoc nomen *Verbum* determinate impoſitum eſt ad ſignificandum rem, quæ procedit per actionem intellectus, & ſic in divinis tantum perſonaliter ſignificat: hoc autem nomen *Amor* indifferenter ſignificat & ipſum actum dilectionis, & impulſum procedentem per illum; vt ſignificat primum, ſignificat eſſentialiter, vt ſignificat ſecundum dicitur perſonaliter: & ſic non eodem modo ſe habet hoc nomen *Amor*, vt dicatur perſonaliter, ſicut hoc nomen *Verbum*.

Si autem huius diſcriminis inquiras rationem, primo aſsigno eam, quam tangit Caietanus vbi ſupra, videlicet, quod etiam ipſe amor productus, licet terminus ſit, modum tamen viæ, & tendentiæ habet: & ſic non repugnat illi ſignificari per ipſum terminum, per quem directe ſignificatur ipſe actus dilectionis. Secundam aſsigno rationem, nempe penuriam vocabulorum; caremus enim vocabulis ad ſignificandum terminum productum per ipſam dilectionem: vnde illum ſignificamus nomine amoris, quo etiam ſignificatur ipſa dilectio. Solutio eſt D. Thom. infra, quæſt. 37. art. 1. vbi habet: *Ex parte autem voluntatis præter diligere, & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non ſunt aliqua vocabula impoſita, quæ importent habitudinem ipſius affectionis, & impreſsionis rei amatæ, quæ provenit in amante ex hoc, quod amat: & ideo propter vocabulorum inopiam huiuſmodi habitudinem ſignificamus vocabulis amoris. Sic igitur in quantum in amore, vel dilectione non importatur niſi habitudo amantis ad rem amatam, amor, & diligere eſſentialiter dicuntur. In quantum vero his vocabulis vtimur ad exprimendam habitudinem eius rei, quæ procedit per modum amoris ad principium ſuum, ita quod per amorem intelligatur amor procedens, ſic AMOR eſt nomen perſonale.* Ita D. Thom. quibus ad litteram habetur noſtra doctrina, & authoritatis in oppoſitum adductæ clara intelligentia.

59 Secundo arguitur alia difficili authoritate eiuſdem S. Doct. ex 3. Sent. d. 8. art. 1. ad 8. ibi: *Dicendum, quod quamvis Spiritus Sanctus procedat vivens ex vivente, non tamen hoc convenit ei ſecundum rationem ſuæ proceſsionis: procedit enim vt amor, amor autem conſideratus in genere, in quantum amor, non habet, quod ſit res viva, ſed operatio, vel paſsio rei viventis. Habet tamen, quod ſit res viva, & ſubſiſtens, in quantum eſt amor divinus: & ideo non dicitur naſci.* Ex quibus ſic argumentor. Amor in genere, in quantum amor, non habet, quod ſit res viva, ſed tantum habet, quod ſit operatio, vel paſſio rei viventis: ergo in voluntate creata non producitur aliquis terminus. Patet Conſeq. quia terminus productus per actionem vitalem deberet eſſe res viva, ſicut terminus productus per intellectionem, quia actio vitalis eſt, etiam ipſe res viva eſt.

Nec valet dicere D. Thom. loqui de amore in genere, pro vt illo ſignificabilis eſt amor per modum actionis, vel amor per modum termini producti, ex quo conceptu non habetur, quod per illum ſignificetur terminus vitalis vitaliter productus. Non, inquam, valet. Nam ſubdit D. Thom. quod ex tali conceptu communi habet, quod ſit operatio, vel paſsio viventis: ergo poſitive ex genere amoris tantum habet, quod ſit operatio, vel paſsio operationis: non ergo in nobis datur amor procedens per dilectionem.

Ad hoc dico D. Thom. non negare, quod per dilectionem terminus vitalis producatur, imo & hoc affirmat, dum dicit: *Sed operatio, vel paſsio rei viventis*, quibus vtrumque amorem declaravit, activū nomine operationis, & productum nomine paſsionis: non tamen appellavit prædictum

Digitized by Google

ctum terminum rem vivam per ſe ex vi proceſsionis, quia appetitivũ ex hoc, quod appetitivum eſt, cum non conſtituat ſpecialem gradum vitæ, etiam ex propria linea rem vivã non habet producere. Quod non ſic currit de intellectivo, quod, cum ex proprijs gradum vitæ conſtituat, ſimiliter ex proprijs poteſt termino à ſe producto gradum vitæ communicare. Quod autem appetitivum gradum vitæ non conſtituat, docet D.Thom. infra, quæſt. 78. art. 1. in fine, ibi: *Quædam vero viventia ſunt, in quibus cum his eſt intellectivum, ſcilicet in hominibus: appetitivum autem non conſtituit aliquem gradum viventium, quia in quibuſcumque eſt ſenſus, eſt etiam appetitus.* Sic D.Thom.

Ex quibus reſp. ad argumentũ in forma, negando Conſ. Ad prob. nego Ant. res enim viva ſolum per ſe habet procedere per actionem, cuius radicale principiũ ſpecialis gradus vitæ eſt, vel eſt vita primario; appetitivum autem, neque eſt vita primario, neque eſt ſpecialis gradus vitæ, ſed tantum ſecundario: & ſic nequit radicare primario proceſsionem, per quam procedat res viva, ſed tantum habet radicare aliquid, quod ſequatur ad rem vivam, qualis eſt impulſus, & amor: vnde dictus eſt à D.Thom. non vivens, ſed paſsio viventis.

60 Ratione tertio arguitur. Per actum amandi nec producitur aliquid, in quo res amatur, quia per ipſummet actum amoris fertur voluntas in rem amatam, neque producitur aliquid vt obiectũ, quia obiectum voluntatis eſt res extra voluntatem, in quo diſtinguitur ab intellectu, cuius objectũ eſt res ad intra: ergo nihil producitur per actum amandi. Ad hoc dico per actum amoris produci terminum, quo res amatur, non tanquam in ſui ſimilitudine, ſed tanquam in ſui quadam impreſsione.

Et ſi dicas, quod hæc rei impreſsio nihil aliud [illegible] poteſt, quam vel ipſa res in ſe ipſa, vel [illegible] ſimilitudo. Reſpondebo, quod neq; eſt [illegible] neque rei ſimilitudo, ſed quoddam rei pondus, vel affectio, quam voluntas amando producit: ſicut cum dicimus in igne eſſe quandam impreſsionem loci ſurſum, & in lapide eſſe quandam impreſsionem loci deorſum, nolumus dicere locum ſurſũ per ſe, vel per ſui ſimilitudinẽ eſſe in igne, neque locum deorſum per ſe, vel per ſui ſimilitudinem eſſe in lapide, ſed tantũ volumus ſignificare in igne reſpectu loci ſurſum eſſe quandam innatam propenſionem, inclinationem, pondus, quo fertur in locum ſurſum, & in lapide reſpectu loci deorſum. Et ſi inſtes hanc inclinationem non eſſe per ſe neceſſariam, quia ipſemet actus amoris eſt inclinatio, & pondus in amatum, cum ſit verus amor rei amatæ. Reſpondeo actum amoris non eſſe inclinationem formaliter, neque pondus, ſed tantum cauſaliter, hoc eſt, eſſe productionem ponderis, & inclinationis.

Quarto arguitur. Amor beatificus non producit impulſum: ergo non requiritur ad hoc, quod voluntas amet, quod producat intra ſe ipſam impulſum rei amatæ. Prob. Ant. Secundum probabiliorem opinionem Thomiſtarũ viſio beata non producit verbum: ergo neque amor beatificus producet impulſum. Patet Conſ. Quia impulſus procedit ex verbo: ergo vbi non producitur verbum, nec producetur impulſus. Ad hoc argumentum nego Ant. Ad prob. nego Conſ. Ad prob. diſt. Ant. impulſus procedit ex verbo, vel ex aliquo vices gerente verbi, concedo Ant. ex verbo producto, nego Ant. & Conſeq. Itaque ad amorem formativum impulſus tantum requiritur verbum, quatenus per illud repræſentatur amatum: cumque mentibus beatorum Deus ipſe vniatur, vt perfectiſsime repræſentans ſe ipſum, fit inde, quod etiam ſi intellectus beati verbum non formet, voluntas tamen impulſum producere valeat.

Sed inquiris, quare ſicut repugnat intellectum beati formare verbum Dei immediate repræſentativum, non repugnabit pariter producere voluntatem impulſum Dei immediate amativum? Reſp. primum repugnare, quia verbum Dei immediate repræſentativum deberet eſſe Deus per eſſentiam; neque enim, vt vidimus in Tractatu de Viſione, poteſt Deus immediate, & ſicuti eſt, videri, niſi per ipſummet Deum, quia immediate repræſentans Deũ, ſicuti eſt, debet eſſe in eodẽ indiviſibili gradu immaterialitatis cũ Deo repræſentato: gradus autẽ immaterialitatis Dei, cum ſit purus actus, ſolum poteſt ipſi Deo convenire, & ſic repugnat formari verbum creatum immediate repræſentans Deum. Impulſus autem amativus Dei, cum ſolum præcontineat Deum per modum cuiuſdam inclinationis, & propenſionis, non requiritur, quod Deus per eſſentiam ſit, ſed ſufficit, ſi proportionem, & ali-

Digitized by Google

& aliqualem convenientiam cum Deo habeat: & ſic non repugnat, quod voluntas creata impulſum Dei immediate amativum formet.

61 Quinto arguitur. Si voluntas per ſuum actum formaret impulſum in nobis, omnis actus noſtræ voluntatis formaret impulſum; ſed hoc videtur falſum: ergo. Prob. Sequela. Nam, quia intellectus per ſuum actum in nobis format Verbum, in omni ſuo actu Verbum format, quando objectum ſe ipſo immediate nõ vnitur intellectui: ergo ſimiliter, ſi voluntas formaret impulſum, in omni actu, quo objectum non vniretur illi per modum impulſus, deberet formare illum. Min. vero prob. Nam actus odij, & actus triſtitiæ non formant impulſum: cum iſti non ſint inclinationes in rem amatam, ſed potius fugæ objectorũ ſuorum.

Huic argumento reſp. Albelda hic, ſect. 1. negando Min. ſentit enim per omnem actum voluntatis formari impulſum, in actu amoris formari impulſum, qui ſit amor in facto eſſe, in actu triſtitiæ, & odij impulſum, qui ſit fuga in facto eſſe; nam ſicut actus amoris tantum eſt affectio, inclinatio, & amor in fieri, ita actus triſtitiæ, & odij tantum eſt fuga objecti ſui in fieri: vnde requiritur productio termini, qui ſit fuga in facto eſſe. Sic hic doctiſsimus Vir.

Placetque iſta ſolutio, ſupponẽdo pro ejus intelligentia, quod quamvis odium, & triſtitia dicantur fugæ objectorum ſuorum, & fuga videatur dicere aliquid privativum; privatio tamen non eſt, ſed verus actus poſitivus, quo quis deteſtatur rem, quam odit: deteſtari autem nihil aliud eſt, quam per actum poſitivum velle malum rei, quæ odio habetur, quod velle appellatur poſitiva diſplicentia objecti. Vnde ſicut objecti complacentia, quæ eſt per modum actus, format intra voluntatem complacẽtiam per modum impulſus ad complacendum, vel amandum: ita diſplicẽtia per modum actus debet formare diſplicentiam per modum impulſus, qua voluntas in facto eſſe diſpliceat de objecto, quod odit.

Dices rem non poſſe eſſe in voluntate ratione diſplicentiæ: cumque impulſus ad hoc tantum ponatur, vt res, quæ extra voluntatem eſt, aliquo modo in voluntate ſit, ſit conſequens, quod per diſplicentiæ actũ non formetur impulſus. Prob. aſſumptum in Maiori huius diſcurſus. Res ad extra exiſtens tantum poteſt eſſe in voluntate ratione alicuius, quod ipſam præcontineat: impulſus enim nihil aliud eſt, quam rei quędam impreſsio; ſed res non præcontinetur à ſui diſplicentia, licet præcontineatur à ſui inclinatione: ergo ratione diſplicentię nequit eſſe in voluntate. Secundo inſtabis. Ex hoc, quod rem amamus, gaudemus de eius præſentia, & triſtamur de eius abſentia, & odio habemus impedimenta, quibus ab vnione cum re amata impedimur: ex quibus D. Thomas loco ſupra adducto intulit, quod oportet, quod res amata ſit in voluntate amantis, non autem intulit oportere, quod res odio habita ſit in voluntate illam odio habente: ergo licet amor impulſum producat, non tamẽ oportet, quod odium, & triſtitia impulſum forment.

Ad 1. nego Mai. Ad prob. nego Min. Etenim in re ad extra reſpective ad volentem poſſunt duo conſiderari, vel proportio, quam habet cum volente, vel improportio, & diſconvenientia, quam habet cũ illo: & ſicut ratione proportionis movet, & impellit ad ſui amorem, ita ratione diſconvenientiæ impellit ad ſui fugam, & diſplicentiam. Oportet ergo, vt ametur, quod ſit in voluntate vt proportionata cum volente, & vt odio habeatur, oportet, quod ſit in voluntate vt diſconveniens; primum habet res ratione inclinationis, & propenſionis, quam voluntas intra ſe ipſam vitaliter efformat, ſecundum ratione fugæ, & diſplicentiæ: & ſic res eſt in voluntate tam ratione complacentiæ, quam ratione diſplicentię. Ad 2. reſp. ita eſſe, quod omnes illi affectus oriuntur ex amore: & ſic bene intulit D. Thom. oportere amatum eſſe in voluntate amantis, non autem intulit abſentiam rei amatæ, de qua triſtamur, eſſe in voluntate, quia illius intento ſufficiebat, quod actus amoris in nobis impulſum producat, quo res amata in voluntate ſit: tantum enim ille doctrina intendebat probare, quo [illegible] divinus notionalis impulſum [illegible] producat, vt proceſsio[illegible] Spiritus Sancti oſten[illegible]deret.

Digitized by Google

§. III.

Ob quam rationem proceſsio Spiritus Sancti generatio non ſit?

62 SVPPONO, Vt de fide certum; Spiritum Sanctum non eſſe genitum, nec eius proceſsionem eſſe generationem. Sic in ſymbolo Athanaſij: *Non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*: conſtatque hæc veritas ex omnibus Concilijs, in quibus dum enumerantur perſonæ Sanctiſsimæ Triados, tantum vnus numeratur Filius, vt patet ex illo Concilij Lateranenſis ſub Innocentio I. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres perſonæ, ſed vna eſſentia.* Hoc ergo ſuppoſito, inquirimus, quare, cum proceſsio Verbi generatio ſit, proceſsio Spiritu Sancti non ſit generatio?

Circa quam difficultatem Pater Vazquez hic, ſpretis, & impugnatis rationibus, quibus Patres Eccleſiæ hanc probarunt veritatem, hanc aſsignat rationem in cap.7. ſupponens, quod tam Verbum, quã Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis formaliter procedant ſimiles in natura, hoc illis conueniente per intraneas differentias ſuæ vniuſcuiuſque proceſsionis; ſed tamen verbum procedere vt Filium, quia procedit vt Imago Patris, hoc eſt cum proprietate ad repræſentandum Patrem: non ſic autem procedere Spiritum Sanctum, & ſic non eſſe Filium.

Cæterum hæc ratio inſufficiens eſt, & primo deficit in eo, quod aſſerit Spiritum Sanctum ex vi ſuæ proceſsionis procedere ſimilem in natura eorum, à quibus procedit, & non procedere vt imaginem. Etenim in creatis non datur origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ formaliter, cuius terminus per ſe productus non ſit imago illius, à quo procedit: ergo aſcendendo ad diuina, non debemus admittere proceſsionem per ſe, & formaliter aſsimilatiuam in natura, & quod eius terminus non ſit imago illius, à quo procedit.

Reſpondet Vazquez in humanis ſolam participationem formalem naturæ ſpecificæ fundare rationem Imaginis: nam ex ſola ſimilitudine naturæ producti cum producente, ſi ſit intellectus, cui repræſentare poſsit, naſcitur ratio formalis Imaginis: at in Deo ſola ſimilitudo naturæ producti cum producente nõ eſt ſufficiens fundamentum relationis imaginis; quia hæc in Deo non reſultat ex ſola identitate naturæ, ſed ex illa proprietate perſonali, quæ nata eſt repræſentare: hæc autem eſt ſola proprietas Verbi per intellectum producti.

Sed contra inſto. In humanis accipere ſimilitudinem in natura ſpecifica producẽtis eſt ſufficiens fundamentum ad eam relationem imaginis, quæ ſufficit, vt quis dicatur in rigore Filius, & eius proceſsio ſtricte generatio, vt Vazquez fatetur: ergo & ſufficiet in Deo ex vi proceſsionis accipere ſimilitudinem in natura producẽtis ad fundandam relationem imaginis deſideratam ad rationem Filij, & ad hoc, quod talis proceſsio ſtricta generatio ſit.

Conatur adhuc Vazquez aſsignare rationem, cur Spiritus Sanctus aliquo modo rationem Imaginis non participet, eſto naturam formaliter per ſuam proceſſionem per ſe accipiat. Nam, inquit, ad rationem imaginis in Deo requiritur, quod repræſentet Patri: hoc autem nequit facere niſi Verbum, quod ſolum manet intra Intellectum Patris; ſiquidem impulſus eſt terminus voluntatis. Sed contra inſto. Nam de conceptu imaginis ſufficiẽtis ad rationẽ Filij non requiritur, quod ſe ipſa ſit intra intellectum illius, cui debet fieri repræſentatio, ſed ſufficit, quod fiat intra intellectum per ſui ſpeciem: etenim Petrus vera eſt imago Ioannis patris ſui ea ratione Imaginis, quæ ſufficit ad rationem filij; & tamen ſe ipſo non eſt intra intellectum eorum, quibus ſuum patrem repræſentat, ſed primo accipiunt ſpeciem illius, & ſic per ipſum tanquam per imaginem ſuum patrẽ agnoſcunt: ſic ergo dabimus Deo duas imagines, alteram, quæ ſe ipſa ſit intra intellectum Patris, & hæc erit primus Filius, alteram, quæ media ſui ſpecie impreſſa ſit intra intellectum Patris, & hæc erit ſecundus Filius, ille, qui modo eſt, & dicitur Spiritus Sanctus.

Secundo impugno ſententiam Vazquez. Implicat proceſsioni Spiritus Sancti formaliſsime convenire omnia ea, quæ habentur in diffinitione generationis, & non eſſe generationem; ſed in modo dicẽdi Vazquez omnia, quæ habentur in diffinitione generationis viventium formaliſſime conveniunt proceſsioni Spiritus Sancti: ergo implicabit illam non eſſe generationem, & Spiritum Sanctum non eſſe Filium. Prob. Min. diſcurrendo per ſingula: Eſt enim origo viventis à vivente, principio

pio

Digitized by Google

pio coniuncto, & in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ per intraneas differentias talis proceſsionis per ſe primo communicatæ: igitur illi conveniunt formaliſsime omnes particulæ diffinitionis generationis.

Dices cum Vazquez illi vltimam particulam non convenire, nempe procedere in ſimilitudinem naturæ; quia per illam non deſignatur identitas in natura ſpecifica inter producentem, & productũ, ſed deſignatur, quod proceſsio, vt ſit generatio, per ſe intendat facere repræſentativum ipſius naturæ producentis: cumque hoc non conveniat proceſsioni Spiritus Sancti, non eſt dicenda generatio.

Sed contra. Et in primis hæc explicatio eſt contra communem ſenſum Theologorum, præcipue contra D. Thomam, qui in hoc artic. 2. ſic habet, explicando dictam particulam: *Sed requiritur ad rationem generationis talis, quod procedat ſecundum rationem ſimilitudinis in natura ſpeciei, ſicut homo procedit ab homine, & equus ab equo.* Ex quibus ſic argumentor. Equus procedens ab equo, & homo ab homine vere procedunt vt filij; & tamen de illis non verificantur illæ particulæ eo modo, quo intendit Vazquez: igitur non ſic explicandæ ſunt. Prob. Min. Equus procedens ab equo, & homo ab homine eſto repræſentent ea, à quibus procedunt, non tamen eos natura facit, vt repræſentent, ſed facit, vt ſint, & vt naturam genitorum prolongent, & conſervent: ergo de illis non verificantur prædictæ particulæ iuxta explicationem Vazquez.

Explicatur hoc. Equus procedens ab equo in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ non accipit naturam generantis, vt coniunctam proprietati, quæ per ſe ſit ad repræſentandum inſtituta; & tamen eſt filius: ergo eo ſolum eſt filius, quia illi ex vi proceſsionis communicatur natura generantis, non vero, quia communicatur adiuncta proprietati per ſe inſtitutæ ad repræſentandum. Cum ergo iuxta legitimam explicationem diffinitionis generationis, ſi Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis procedit ſimilis in natura, illi conveniat ratio Filij, & proceſsioni eius ratio generationis, concludetur contra Vazquez, quod in eius ſententia proceſsio Spiritus Sancti erit generatio, & Spiritus Sanctus Filius.

(?)

§. IV.

Refertur, & refutatur alter modus dicendi.

63 SECVNDVS Modus dicendi eſt aliquorum affirmantium Spiritum Sanctum ex vi proceſsionis ſuæ evadere ſimilem in eſſentia divina ſub conceptu eſſentiæ, non tamen ſub conceptu naturæ, quia non accipit illam vt fœcundam in ordine ad aliam proceſsionem ad intra. Ita tenent ex Antiquis Bonaventura, Alenſis, Maior in 1. diſt. 13. quæſt. vnica, & Ricardus à S. Victore: ex Modernis autem tenent Zuñiga diſput. 2. de Trinit. dub. 20. Martinonius diſp. 24. ſect. 9. & alij Ieſuitæ in manuſcriptis.

Hic tamen modus dicendi ſubſtineri non valet. Primo, quia falſum eſt naturam ſub conceptu naturæ dicere fœcunditatem ad productionem alterius perſonæ. Quod ſic diſcurro. Nam ſi conceptus naturæ, vt diſtinguitur contra eſſentiam, diceret fœcunditatem ad productionem alterius perſonæ; inde ſequeretur tres Divinas Perſonas eſſe vnius eſſentiæ, ſed non eſſe vnius naturæ; conſequens eſt falſum: ergo. Prob. Sequela. Tunc Pater, & Filius eſſent vnius eſſentiæ, & naturæ, non vero Spiritus Sanctus; ſiquidem, cum ſit ſterilis ad intra, non participat naturam ſub conceptu naturæ: igitur tres perſonæ eſſent vnius eſſentiæ, ſed non vnius naturæ. Prob. etiam Min. Nam in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio 3. cap. 1. ſic habetur: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tres quidem perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura.* Et cap. 2. eadem repetuntur, dum dicitur: *Quælibet illarum perſonarum eſt illa res, eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura*: ergo falſum eſt aſſerere tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ, non vero eſſe vnius naturæ, prout hæc diſtinguitur ab eſſentia.

Secundo impugnatur hic modus dicendi. Nam ſimilitudo perſonæ procedentis non debet eſſe in prædicatis notionalibus, ſed tantum in abſolutis; at fœcunditas ad producendum aliam perſonam ad intra eſt prædicatum notionale: igitur vt perfectiſsime aliqua perſona procedat ſimilis ſuo principio in natura, non eſt neceſſe, quod accipiat eſſentiam vt fœcundam ad producendum aliquam perſonam ad intra. Deinde: Si natura dicit fœcundita-

Digitized by Google

tatem ad producendum perſonam ad intra, talis natura, nempe Patris, dicit fœcunditatem ad producendũ Filiũ: ergo Filius divinus non procedet ſimilis Patri in natura ſpecifica, prout hæc diſtinguitur ab eſſentia. Prob. Conſeq. Nam fœcunditas Patris ex ratione ſpecifica naturæ habet fœcunditatem ad producendum Filium: ergo cum hanc non accipiat Filius à Patre, non evadet ſimilis in natura ſpecifica Patris ſub conceptu talis naturæ. Deinde: Omnes Theologi conveniunt in eo, quod ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc intelligeretur divinus Filius, nec tamen tunc Filius accepiſſet à Patre naturam vt fœcundam ad producendum ad intra: Igitur Spiritus Sanctus eſſet Filius, etiam ſi non accipiat naturam vt fœcundã ad producendum ad intra.

Præterea argumentor contra hunc modum dicendi, & vtor argumento, quo vſus eſt D. Thom. infra, quæſt. 35. art. 2. in ſimili materia. Aliqui enim, quos ibi ſuppreſſo nomine citat, affirmabant Spiritũ Sanctum non eſſe imaginem, quia cum Patre, & Filio non convenit in notione principij: impugnat ergo iſtos dicens, quod ſimilitudo, & æqualitas non attenditur in relationibus, notio autem principij relationem importat. Ex quibus ſic argumentor. Similitudo, & æqualitas in divinis nõ attenditur in relationibus, ſed tantum in abſolutis: ergo ſicut non bene probatur Spiritum Sanctum non eſſe imaginẽ, quia non convenit cum Patre, & Filio in notione principij, etiam non bene probabitur Spiritum Sanctum non eſſe Filiũ, quia non convenit cum Patre, & Filio in natura vt fœcunda ad producendũ ad intra. Patet Conſeq. quia ſimilitudo, & æqualitas non attenditur in relationibus, & ratio fœcunditatis notionalis eſt, & relationem dicit.

64 Sed quia Authores, quos impugno, conantur fundare ſuam ſententiã in Concilio Florentino Seſs. vltim. *§. Quoniã Græci ſuſpicantur*, ex quo hæc verba referunt: *Credentes Spiritum Sanctum nequaquam ex Filio procedere, neceſſe eſt, vt Spiritum Sanctum intelligant à ſolo Patre procedere, ac conſequenter non eſſe Filium.* Ex quibus ſic argumentãtur: Ex mente Concilij, qui negant Spiritum Sanctũ ex Filio procedere, coguntur negare dari Filium in divinis: ergo Filius in ratione talis conſtituitur per virtutem producendi Spiritum Sanctum: ergo ſimilitudo in natura, quæ deſideratur ad Filiationem, eſt ſimilitudo in fœcunditate ad producendam aliã perſonam.

Pater Arriaga hic, diſput. 47. ſect. 6. dicit primo illa verba: *Et conſequenter non eſſe Filium*, intelligenda eſſe de Spiritu Sancto. Cæterum ſolutio non habet veritatẽ: nam ſi vera ſunt ea, quæ referuntur, Concilium ibi prætendit, quod ex ſententia Græcorum ſequatur magnum abſurdum, videlicet non dari in divinis Filium: non ergo illa verba debent intelligi de Spiritu Sancto. Secundo dicit definitiones, & Canones Conciliorum eſſe de fide, ſecus autem argumenta facta à Concilijs: inconveniens autem illatum non eſt definitio, ſed argumentũ, quo probat Conciliũ Spiritum Sanctum procedere à Filio. Sed neque hæc ſolutio poteſt ſuſtineri; quia ſententia Thomiſtarum magnum detrimentum patietur in ſui authoritate, ſi contra illam faciant argumenta; quibus Concilium dogmata fidei probat: facerent autẽ contra illam, dum fundarent bene ſententiam oppoſitam.

Magiſter Gonet adducit etiam præfata Concilij verba, & reſpondet duo inferri à Concilio ex eo, quod Spiritus Sanctus à ſolo Patre procederet, primũ eſt, non procedere à Filio, quod eſt contra fidem: ex quo ſecundo infert illum non eſſe Filium, quæ conſequentia immediata, & formalis non eſt, ſed mediata, & materialis, ac ſi ita argumentaretur: ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, non communicaſſet Pater Verbo vim ſpirativam: ergo nec naturam divinam, & conſequenter Filius non eſſet. Patet hæc Conſequentia. Nam, cũ in vi ſpirativa non opponantur, Pater, & Filius, eadem ratio eſt de communicatione facultatis ſpirativæ, ac de cõmunicatione naturæ: ergo ſi illam non communicaſſet, nec naturam communicaſſet, & conſequenter non eſſet Filius. Vt autem Concilium oppoſitæ ſententiæ faveret, Conſequentia illa deberet eſſe immediata, & formalis.

Cæterum hic Author in vanum cum alijs ſolutionem aſsignat textui, quem non vidit in ſuo fonte. Etenim in eo talia verba non habentur. Referam textum de verbo ad verbum: *Quoniam Græci ſuſpicantur nos duo principia, duaſque cauſas ponere in ſancta, & conſubſtantiali Trinitate, anathema dicimus aſſerentibus duo principia, vel duas*

duas cauſas: nos autem fatemur vnum principium Patris, & Filij, actionem, & productivam potentiam, & non dicimus Spiritum Sanctum procedere etiã ex Filio, vt ex alio principio, & cauſa, ſive quia Filius Spiritũ S. primordialiter producat: vnam quippe novimus cauſam, & radicẽ, & fontem Deitatis, Patrẽ. Neque vero vnam dicimus perſonam Patris, & Filij, quia vnicam aſſerimus actionem; hoc enim abſurdum eſt: ſed duas hypoſtaſes dicimus, & vnam actionem, & vnam virtutem productivam, & vnum, quod producitur ex ſubſtantia, & hypoſtaſi Patris, & Filij. Idcirco etiam in ſacro ſymbolo explicatum, & declaratum eſt, ne paulatim ij, qui affirmant Filium non eſſe cauſam Spiritus Sãcti, laberentur in dogma, tempus conſtituentes inter Patrem, & Filium; etenim, qui negant Spiritũ Sanctum etiam ex Filio procedere, profecto manifeſte declarant, quod ex ſolo Patre: ſi vero ex ſolo Patre, fuit ergo, quando non erat Filius. Si vero dicant, quod ex ſola paterna hypoſtaſi, ſeparant re ipſa ſubſtantiam ab hypoſtaſi, atque ita per ipſos ſubſtantia in partes ſeccabitur, quod abſurdum eſt. Hæc Concilium, nec aliquid aliud: falſo ergo ex Concilio adducuntur verba, quæ non ſunt in Concilio. Itaque, vt patet ex diſcurſu textus, abſurdum, quod prætendit Concilium inferre, ſi Spiritus Sanctus ex ſolo Patre procedat, non eſt in divinis non dari Filium, ſed adeſſe tempus inter Patrem, & Filium; nam ſi ex ſolo Patre procedit: ergo procedit ab illo, quando nondum erat Filius; nam ſi jam pro tunc eſſet Filius, cũ in vi ſpirativa non opponatur cum Patre, procederet quoque à Filio: qui ergo fatentur Spiritum Sanctum eſſe ex ſolo Patre, debent fateri adeſſe tempus inter medium inter Patrem, & Filium. Hæc Conciliũ, & non illa, quæ referuntur ex illo: quæ quidem nulla via faciunt contra Nos.

65 Fundant etiam ſuum modum dicendi præfati Authores in eo, quod in creatis nulla datur generatio, cuius terminus non accipiat à generante naturam fœcundam ad producendum aliud ſuppoſitũ: ergo aſcendendo ad Deum non dabitur etiã generatio, cuius terminus non aſsimiletur generanti in natura fœcunda ad producendum aliud ſuppoſitum. Cæterum hoc fundamentum etiam eſt nullum. Nam in hac materia non licet ex creatis philoſophari ad divina; alias ſicut in creatis non datur generatio, quæ non terminetur ad vivens, aſsimilando illud ſibi in potentia generativa, etiam in divinis non daretur generatio, cuius terminus non aſsimilaretur generanti in potentia generativa, quod falſiſsimum eſt: ſiquidem Filius divinus non aſsimilatur Patri in potentia generativa. Conſequentia ergo non valet: & ratio eſt, quia cum generantia, & generabilia creata ſint corruptibilia, natura ſemper prætendit conſervare ſe ipſam per multiplicationem novi ſuppoſiti: vnde ex hac indigentia habet ſemper aſsimilare genitum generanti in natura fœcunda ad generandum novum ſuppoſitum. Pater autem divinus non generat ex neceſsitate conſervandi ſe ipſum per multiplicationem novi ſuppoſiti, ſed producit Filium, & Spiritum Sanctum ex mera fœcunditate: vnde nec Filio virtutem generativam dat Pater, dum illum generat, nec Spiritui Sancto fœcunditatem ad aliud ſuppoſitum producendum, quod Deus ſit, tribuit.

§. V.

Refertur, & refutatur alter modus dicendi.

66 ALTER Modus dicendi circa hunc punctum eſt Spiritum Sanctum non eſſe genitum, bene vero Verbum, quia hoc ab vno tantum; ille vero à duobus ſuppoſitis procedit. Ita tenuit Aliacenſis, vt refert Vazquez hic, diſp. 113. cap. 3. Hic modus dicendi ſolet impugnari primo, quia per nullam particulam definitionis excluditur à ratione Filij is, qui à duobus procedit: ergo per hoc, quod Spiritus Sanctus procedat à duobus, ſi alias per alias particulas non excluditur à ratione Filij, excludi nõ debet. Quod ſi dicatur excludi per illam particulam *viventis à vivente*, vbi in ſingulari dicitur à vivente ad excludendum eum, qui à pluribus viventibus procedere poterat. Contra eſt: Nam ſicut generans dicitur in ſingulari, ita & genitum; ſed non eſt contra definitionem, quod ab vno vivente vna indiviſibili generatione plura procedant genita: ergo etiam non erit contra definitionem, quod à pluribus viventibus vnum procedat genitum.

Secundo inſtari ſolet contra hunc modum dicẽdi. Quod Spiritus Sanctus procedat à duobus, non obſtat, quominus procedat vt ſimilis in natura ex vi ſuæ proceſſionis his, à quibus procedit: ergo, quod pro-

procedat à pluribus, non obſtabit rationi generationis. Prob. Conſeq. Primum non obſtat, quia illa plura agunt per eandem naturam, potentiam, & actionem: ergo ob eandem rationem non obſtabit ſecundum. Tertio id ipſum probant: quia ſi Pater, & Filius per intellectum producerent Spiritũ Sanctum, vere eſſet Verbum, & conſequenter Filius, ac proinde genitus: ergo non ideo non eſt genitus, nec Filius, quia procedit à duobus, ſed quia non procedit per intellectum, ſed per voluntatem.

His tamen non obſtantibus, crediderim rationem diſcriminis adductam inter Verbum, & Spiritum Sanctũ non eſſe omni ex parte reijciendam, nam illam de verbo ad verbum aſsignat Auguſtinus lib. 15. de Trinitate, cap. 27. vbi inquirit, cur non dicatur natus eſſe, ſed potius procedere Spiritus Sanctus. Cui quæſito reſpondet: *Quoniam ſi etiam ipſe Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt: filius quippe nullus eſt duorum, niſi patris, & matris. Abſit autem, vt inter Deum Patrem, & Deum Filium aliquid tale ſuſpicemur.*

Nec valet reſpondere Auguſtinum rationem iſtam non abſolute vt ſufficientem dediſſe, ſed ſolum vt ſufficientem his, qui extendi non valent in amplius, vt conſtat ex capitis initio, vbi ait: *Sufficit autem interim his, qui extendi non valent in amplius, id eſt, illis, qui ex humanis moventur ad rimanda divina.* Non, inquam, valet iſta ſolutio; quia Auguſtinus non loquitur cum rudibus, cum hanc rationem aſsignat, ſed cum litteratiſsimis terræ, qualis ipſe erat: ſic enim ibi habet: *Hic vtcumque etiam illud intelligitur, quantum à talibus, quales nos ſumus, intelligi poteſt*: non ergo Auguſtinus alia via intelligebat, quare Verbum eſſet natum, & quare non Spiritus Sanctus natus diceretur, niſi quia Verbum eſſet ab vno, & Spiritus Sanctus à duobus eſſet.

Hanc etiam rationem tradit Angel. Doct. de Potent. q. 10. art. 2. ad 11. ibi: *Tertio, quia proceſſio naturæ eſt tantum ab vno ſicut ab agente, ſi ſit perfectum agens. Nec obſtat, quod in animalibus generatur aliquid ex duobus, ſcilicet ex patre, & matre: nam ſolus pater eſt agens in generatione, mater vero patiens. Similiter autem proceſſio intellectus eſt ab vno ſolo, ſed amicitia, quæ eſt amor mutuus, procedit ex duobus ad invicem ſe amantibus.* Cum ergo hanc rationem aſſignant duo Eccleſiæ majora luminaria, nempe Auguſtinus, & Thomas, non erit nobis licitum eam reijcere.

67 Dico ergo rationem, prout aſsignatur ab Aliaco, non eſſe bonam dupli ci ex cauſa, primo, quia dicit proceſsionem verbi eſſe generationem, quia eſt ab vno tantum; licet enim ad generationem requiratur, quod ſit ab vno tantum, tanquam ab agente, non ſufficit tamen eſſe ab vno tantum, vt aliquid dicatur genitũ, & filius: primus enim homo proceſsit ab vno tantum, nempe à Deo, & tamen illa proceſsio non fuit generatio, neque Adamus dictus eſt Dei filius; quia licet ab vno tantum vt agente eſſet, non tamen proceſsit vt ſimilis in natura Deo, à quo procedebat: & ſi Spiritus Sanctus, vt volebant Græci, ſolum ſpiraretur à Patre, illa proceſsio non eſſet adhuc generatio. Hinc adverto neque Auguſtinũ, neque D. Thom. vnquam dixiſſe proceſsionem Verbi eſſe generationem, quia ſit ab vno tantũ, & eſto dixerint proceſsionem Spiritus Sancti non eſſe generationẽ, quia eſt à pluribus: hæc enim ſecunda pars veriſsima eſt, prima autem falſa; ſecunda enim eſt vera, quia, dum eſt à pluribus, deeſt illi requiſitum ad generationem, nempe, quod ſit ab vno tantum: prima autem eſt falſa, quia licet eſſe ab vno tantum requiratur ad generationem, non tamen illud ſufficit, vt aliqua proceſsio ſit generatio.

Secundo reijcienda venit hæc ratio, prout aſsignatur ab Aliaco; quia ipſe putat, quod proceſsio Spiritus Sancti generatio non ſit, eo ſolum quia à pluribus agentibus eſt, in quo plane deficit: quia licet eſſe à pluribus ſufficiat ad excludẽdũ proceſsionem Spiritus Sancti à ratione generationis, tamen adæquata excluſiva non habetur per hoc, imò nec potiſsima. Vnde D. Thom. dum illam rationem tradit de Potentia, quæſt. 10. art. 2. ad 11. alias duas rationes aſsignat, & in hoc art. 4. illius non meminit.

Vnde dico ſecundo. Hæc ratio, prout traditur à D. Auguſtino, & Thoma, bona eſt, & ſufficiens ad probandum, quod Spiritus Sanctus Filius non ſit: non tamen adæquata eſt, neque potiſsima. Prima pars probatur. Ad generationem per ſe requiritur, quod ab vno tantum ſit: ergo per hoc, quod proceſsio Spiritus Sancti per ſe à duobus ſit, ſufficienter probatur talem proceſsionem non eſſe generationem. Antec. patet; quia hucuſque non extitit ge-

ne-

Digitized by Google

neratio, quæ à duobus vt agentibus ſit, ſive loquamur in creatis, ſive in divinis: ergo ſignum manifeſtum eſt, quod ad rationem generationis indiſpenſabiliter requiritur, quod ab vno ſit.

Tum etiam: Quia, vt inquit D. Tho. in loco citato de Potentia, proceſsio naturæ eſt tantum ab vno, ſicut ab agente, ſi ſit perfectum agens; at omnis vera generatio eſt proceſsio naturæ: ergo omnis talis debet eſſe ab vno, ſicut ab agente. Quoad ſecundam partem etiam prob. Nam potiſsimum, quod requiritur ad rationem generationis in viventibus eſt, quod per proprias differentias proceſsionis ſit origo viventis à vivente, & ſit in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ cum generante: ergo carentia huius potiſsime probabit proceſsionem Spiritus Sancti non eſſe generationẽ: cũ ergo de proceſsione Spiritus Sancti probetur, quod ex vi proceſsionis non procedit vt vivens, neque in ſimilitudinem naturæ ſpeciei, ratio, quæ ex hoc principio procedet, potior erit, & nobilior ea, quæ tantum probat non eſſe generationẽ, quia procedit à pluribus vt agentibus.

68 Ex his patet reſponſio ad rationes, quibus ab aliquibus ratio Allaci expungitur. Ad primam bene dictum eſt: cũ enim dicitur origo viventis à vivente, ſufficienter excluditur à ratione generationis ea proceſsio, quæ a pluribus eſt. Ad replicam dico non eſſe idem de vivente genito, atque de generante, nam plura viventia produci ab vno generante ex vi vnius generationis multoties experti ſumus; teſtantur enim ſacræ Paginæ Eſau, & Iacob ex vno indiviſibili concubitu natos: at vero à pluribus generantibus natum eſſe vnũ genitum tantum hucuſque non eſt auditũ: non ergo ad rationem geniti ita requiritur ſingularitas, ſicut ad rationem generantis.

Ad 2. nego Antec. non enim duo agentia ſic coniurgi valent, quod in vna indiviſibili natura prolem aſsimilent; vnũquodque enim agens perfectum eſt: vnde à duobus non niſi duæ naturæ produci poſſunt. Sic in creatis. In divinis autem duo agentia eſſe non poſſunt niſi per voluntatem, quæ non eſt aſsimilativa termini à ſe producti in natura voliti: vnde implicat, quod id, quod producitur ex vi proceſsionis ſimile in natura volentium non ſit. Ad 3. dico, quod ſi Pater, & Filius per intellectum producerent Spiritum Sanctum, tunc eſſet Verbum, & non eſſet Verbum; eſſet Verbum, quia eſſet per intellectum: & non eſſet Verbum, quia eſſet Spiritus Sanctus, qui eſt impulſus, & amor: & ſic eſſet Filius, & non eſſet Filius.

§. VI.

Aſsignatur vera ratio, ob quam proceſsio Spiritus Sancti generatio non ſit.

69 PERPETVVS Eſt D. Thom. in aſsignando diſcrimen inter has proceſsiones penes eſſe generationem, & non eſſe generationem ex eo, quod proceſsio Verbi eſt proceſsio per intellectum, de cuius eſſentiali ratione eſt aſsimilare ſuum conceptum in eo, quod eſt illi ratio aſsimilandi illum; cumque ipſa eſſentia divina ſit intellectui divino ratio producendi conceptũ per modum ſpeciei impreſſæ, fit inde, quod proceſsio Verbi divini ſit ex per ſe proprijs aſsimilativa in natura ſpeciei illius, à quo procedit, ac per conſequens quod generatio ſit. Proceſsio autem Spiritus Sancti cũ fiat per voluntatem, & voluntas non ſit aſsimilativa impulſus, quem producit, in natura rei volitæ, ſed tantum ſit quædam impulſio, & propenſio in rem volitam; fit evidens, quod generatio non ſit. Sic habet D. Thom. in art. 4. huius quæſtionis, & placet mira eius doctrina.

Contra quam, vt magis eluceſcat, ſic primo obijcio. Tam intellectus, quam voluntas eſt aſsimilativa termini, quem producit, in eo, quod eſt illi ratio producendi: ergo falſum ſupponit ratio D. Tho. Prob. Ant. ex communi doctrina. Omne agens habet aſsimilare ſibi effectum in eo, quod eſt ratio efficiendi illum: ergo dum voluntas eſt verum agens, erit aſsimilativa effectus, quem producit, in eo, quod eſt ratio producendi illum. Secundo id ipſum probo. Voluntas per ſe habet producere impulſum, & propenſionem per modum actus ſecundi in rem volitam: cum ergo ipſa per modum actus primi agat vt appetitus, & propenſio in rem volibilem, vere terminus per illam productus aſsimilabitur voluntati producenti in eo, quod eſt illi ratio producendi illum.

Pro ſolutione huius obiectionis adverto, quod ex parte voluntatis duo concurrunt ad amorem alicuius obiecti; primo;

primo;

Digitized by Google

mo concurrit ipſum obiectum amabile, quod proponitur voluntati, vt ametur, ſecundo concurrit ipſa vis voluntatis: quando ergo dicitur, quod voluntas non eſt aſsimilatiua termini, quem producit, nolumus dicere, quod non ſit productiva alicuius, quod non aſsimilatur ipſi voluntati producenti. Cum enim ipſa ſit appetitus obiecti per modum actus primi, habet per ſe producere appetitum per modum actus ſecundi eiuſdem obiecti. Sed volumus dicere, quod non eſt productiva termini, qui ſit ſimilitudo obiecti volibilis, quod præſupponitur amabile per voluntatem; in quo diſtinguitur ab intellectu: cum enim intellectus fiat in actu per ipſummet obiectum, quod intra ſe poſsidet, terminus per ſe productus per intellectionem eſt per ſe ſimilitudo obiecti, à quo procedit. Vnde inter intellectum, & voluntatem in ratione aſsimilandi & invenitur conveniẽtia, & magnum diſcrimen; convenientia eſt, quod, ſicut propensio, & inclinatio per modum actus ſecundi aſsimilatur voluntati, quæ eſt propenſio, & inclinatio per modum actus primi, ita verbum in eſſe rei, quia eſt intrinſece intellectum per modum actus ſecundi, aſsimilatur intellectui, qui eſt vis intellectiva per modum actus primi: habetur autem diſcrimen in eo, quod amor productus non eſt ſimilitudo obiecti voliti, conceptus autem eſt per ſe ſimilitudo obiecti intellecti.

Cuius rationem aſsignat D.Thom. ex eo, quod voluntas non fit in actu ad amãdum per ipſum obiectum amabile: & ſic terminus ab illa productus nequit evadere ſimilis illi; intellectus autem fit in actu ad intelligendum per ipſummet obiectum intelligibile: & ſic eſt neceſſarium, quod terminus per intellectionẽ procedens ſit per ſe ſimilis obiecto, quod eſt ratio producẽdi illum. Vnde in forma ad obiectionem factam nego Conſeq. Nam, vt dixi, Div. Thom. non negat voluntatem terminum, quem producit, aſsimilare ſibi in eo, quod eſt ei ratio producendi illum: ſed ſolum vult, quod non aſsimilet illum obiecto volito, vt inde inferat, quod, quamvis primum volitum ſit natura divina, divinus amor productus non evadat ſimilis in natura divina. Ex quo patet ad ſecundam probationem, quæ prætendebat probare id ipſum.

70 Sed inſtas. Igitur voluntas producit ſibi ſimile in omni eo, quo eſt ei ratio producendi: ergò quantum ad hoc non eſt diſcrimen inter intellectum, & voluntatem. Ad hoc conc. Conſeq. nam diſcrimen nõ ſtat in eo, ſed ſtat in hoc, quod voluntas non aſsimilat terminum à ſe productum obiecto volito: bene verò intellectus illum aſsimilat obiecto per ſe intellecto.

Sed inſtas. Eſt probabile, quod obiectum volibile apprehenſum concurrit effective ad actum voluntatis: ergo amor productus evadet ſimilis obiecto volito. Prob. Conſeq. Nam iuxta ſolutionem terminus productus per voluntatem evadit ſimilis voluntati in omni eo, quod eſt ratio effective productionis eius: ergo ſi ponatur, quod volitum effective concurrat ad productionem amoris, ponetur ex neceſsitate, quod amor productus evadat ſimilis obiecto volito. Confirm. Quidquid ſit increatis, tamen in divinis Verbum divinum effective concurrit ad Spiritum Sanctum: igitur hic evadet ſimilis Verbo. Probatur Conſeq. Nam amor productus evadit ſimilis ſuo principio in omni eo, quod eſt principium effectivum eius: ergo ſi Verbum effective concurrit ad amorem, amor evadet ſimilis Verbo.

Ad inſtantiam diſt. Antec. effective purè motivè, tranſ. Antec. effective productive, nego Antec. & Conſeq. Etenim obiectum apprehenſum non concurrit ad actum amoris, quia eſt exiſtens, ſed ſolũ, quia cognoſcitur vt quod: vnde tantum poteſt movere ad ſui amorem, nulla tamẽ via poteſt effective productive concurrere ad illum. Ad Confirm. dico, quod Verbũ concurrit effective ad Spiritum Sanctum vt quod, non vero vt quo; terminus autẽ productus non aſsimilatur principio vt quod, ſed tantum vt quo: & ſic non eſt neceſſe, quod Spiritus Sanctus procedat vt ſimilis Verbo.

71 Secundo principaliter obijcies contra rationem factam. Non minus proceſsio amoris per ſe, & formaliter habet communicare naturam divinam Spiritui Sancto, quam proceſsio Verbi habeat cõmunicare per ſe, & formaliter naturam divinam Verbo: ergo non minus proceſsio Spiritus Sancti erit generatio, quam proceſsio Verbi. Prob. Antec. Proceſsio Verbi communicat divinam naturam primo, & per ſe formaliter Verbo, non quia intellectio eſt, ſed quia divina intellectio eſt; ſed proceſsio Amoris etiam, quia divina

eſt,

Digitized by Google

eſt, habet communicare Verbo naturam divinam: cum ergo æqualiter eſſentialiter vtraque proceſsio divina ſit, videtur, quod vtraque eodem prorſus modo habeat cõmunicare naturam divinam ſuo proprio termino.

Ad hoc argumentum nego Antec. Ad prob. diſt. Mai. ſed quia divina eſt, divinitate ſe habente vt differentia per ſe intellectionis, conc. Mai. divinitate ſolum identice, & materialiter ſe habente ad intellectionem, nego Mai. Et diſt. Min. etiã quia divina eſt divinitate identice ſe habente ad proceſsionem Spiritus Sancti, conc. Min. contrahente per intraneam differentiam proceſsionem Spiritus Sancti, nego Min. & Conſequentiam. Itaque intellectio, & volitio in Deo dupliciter ſunt divinæ; primo identice, & materialiter, quatenus in Deo nihil eſt, quod non ſit Deus: alio modo vtraque dicitur divina per proprias differentias vniuſcuiuſque, videlicet quatenus Deus eſt, qui intelligit, & Deus eſt, qui intelligitur, Deus eſt, qui amat, & Deus eſt, qui per ſe primo amatur.

Hoc ergo eſt diſcrimen, quod intellectio, quia divina eſt hoc ſecundo modo, producit conceptum per ſe primo repræſentativum naturæ divinæ, & ſic primo, & per ſe ex proprijs proceſsionis, procedit vt Deus: at volitio, quia divina eſt, id eſt, à Deo ad Deum, tantũ producit impulſum, id eſt, inclinationem ad Deum, qui amatur: vnde terminus procedens, vt procedit, non evadit Deus, ſed tantum evadit inclinatio Dei ad Deum. Quia tamen omnia, quæ ſunt in Deo, per identitatem ſummã, ſunt Deus, hinc eſt, quod iſte impulſus productus ſit Deus: vnde ſtando in proprijs, & per ſe convenientibus perſeitate de linea voluntatis, Spiritus Sanctus non procedit vt ſimilis in natura divina, & ſic nec eius proceſsio eſt generatio, nec Spiritus Sanctus eſt genitus.

Inſtas. Quod per intraneas differentias determinatur, vt ſit divinum, debet per intraneas differentias determinari, vt ſit Deus; ſed impulſus per ſe productus per volitionem divinam per intranea impulſus determinatur, vt ſit divinus: ergo & per intranea determinabitur, vt ſit Deus. Mai. patet. Nam eſſe divinum ſolum haberi poteſt à divinitate: ergo quod determinatur per intraneas differentias, vt ſit divinum, per eaſdem determinabitur, vt ſit Deus.

Ad hoc diſt. Mai. debet determinari, vt ſit Deus Deitate, prout abſtrahit à naturali, & attributali, conc. Mai. prout tantum dicitur de natura divina, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſeq. vt ſit Deus naturaliter, nego Conſeq. attributaliter, conc. Conſeq. Itaque divinitas ſtat dupliciter, vel reſtricte pro ſola natura divina, vel ampliative ad attributa: vnde aliquid eſſe divinum per intraneas differentias, etiam ſtat dupliciter, vel divinitate naturæ, vel divinitate, prout dicitur formaliter de attributis. Impulſus ergo ex proprijs evadit divinus, non divinitate naturæ, ſed attributi: & ſic non infertur, quod Spiritus Sanctus, primo, & per ſe evadat ſimilis in natura Dei.

Sed contra ſolutionem Inſtas. Implicat alicui perſonæ divinæ primo, & per ſe communicari attributum divinum: ergo ſi Spiritui Sancto primo, & per ſe communicatur divinitas, non erit attributalis, ſed naturalis. Conſeq. eſt bona, & Antec. prob. Si primo, & per ſe perſonæ divinæ communicaretur attributum, & ratione attributi communicaretur eſſentia, Spiritus Sanctus non eſſet Deus à priori, ſicut Pater, & Filius; conſequens videtur abſurdum: ergo. Prob. Sequela Mai. Deus à priori eſt ille, qui primo habet Deitatem, & ratione Deitatis habet attributa Deitatis; ſed Spiritui Sancto primo conveniret attributum divinum, & ratione illius cõveniret Deitas: igitur non eſſet Deus à priori, ſicut Pater, & Filius.

Confirm. 1. Attributa radicantur in eſſentia, non vero eſſentia radicatur in attributis: ergo implicat, quod Spiritus Sanctus primo accipiat attributũ, & ratione attributi accipiat eſſentiam. Confirm. 2. Si id, quod primo conveniret Spiritui Sancto, eſſet attributum, nempe impulſus, eſſentia perſonæ Spiritus Sancti non eſſet Deitas, ſed eſſet attributum impulſus; Conſequens nulla via videtur poſſe admitti: ergo. Patet Conſeq. & Minor eſt certiſsima, quia tres divinæ perſonæ ſunt eiuſdem numero eſſentiæ. Mai. autem prob. Illud eſt eſſentia, & natura Spiritus Sancti, quod primo habet ei convenire; ſed ratio impulſus primo, per ſe, & formaliter ei conveniret: igitur eſſentia, & natura eius eſſet eſſe impulſum divinum, non vero eſſe Deum.

Explicatur hoc. Quidquid habet Spiritus Sanctus, habet ex vi proceſsionis ſuæ,

quia

quia à ſe nihil habet: vel ergo ex vi proceſsionis primo habet naturam Dei, vel attributum; ſi dicatur primum, primo, & per ſe evadit ſimilis in natura: ſi dicatur ſecundum, cum adſit natura, & eſſentia eius, quod primo intelligitur ei convenire, ratio attributi erit natura eius; & Deitas, quæ alijs perſonis eſt natura, erit ei attributũ: & ſic tres perſonæ non erunt formaliſsime eiuſdẽ eſſentiæ, ſubſtantiæ, ſeu naturæ, quod nulla via devorari poteſt. Rurſus illud eſt natura alicuius rei ſubſiſtẽtis, cui primo habet convenire ſubſiſtentia; ſed ſi ex vi proceſsionis primo Spiritui Sancto convenit attributum, primo ſubſiſtentia Spiritus Sancti conveniet attributo: ergo eſſentia, & natura eius erit id, quod dicitur attributũ, & non quod reſpectu Patris, & Filij dicitur eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura.

73 Hæc difficillima ſunt: nec tamen propter eorum difficultatẽ debemus relinquere rationẽ D. Thom. ſed pro captu noſtro ea ſolvere. Vnde ad primum nego Antec. Ad prob. diſt. Mai. ſtando in intranea, & per ſe differentia proceſsionis, concedo Mai. materialiter, & entitative, nego Mai. & in eodem ſenſu nego Min. Itaque cum proceſsio Spiritus Sancti ſit per voluntatem, & hæc ſupponat iam proceſſionem Filij, cui primo natura divina per modum naturæ communicatur, non poteſt primo, & per ſe communicare naturam, vt naturã: hæc enim communicatio iam ſupponitur. Habet ergo cõmunicare primo, & per ſe attributum: ſed quia illud attributũ eſt entitative Deus, habet ratione illius reddere Spiritum Sanctum Deũ. Nec eſt inconveniens, quod Spiritus Sanctus, vt per ſe primo terminat proceſsionẽ ſuam, non ſit Deus, prout Deus dicit divinam naturam: ſiquidem illa actio non eſt per ſe primo communicativa naturæ, vt natura eſt.

Ad Confirm. diſt. Conſ. ergo implicat, quod Spiritus Sanctus primo accipiat attributum, & ratione attributi eſſentiam, ratione attributi, id eſt, vt radicatam in attributo, conc. Conſ. ratione attributi identice, hoc eſt, quia omnia, quæ ſunt in Deo, ſunt ipſe Deus, nego Conſeq. Itaque accipere eſſentiã ratione attributi ſtat dupliciter; primo per radicationem, ſic quod intelligamus in Spiritu Sancto attributum radicare eſſentiã, & hoc falſiſsimũ eſt: ſecundo per identitatem, id eſt, quia illud attributum identice, & tranſcendentaliter eſt Deus, & ſic verũ eſt, quod Spiritus Sanctus eſt Deus, quia eſt divinus impulſus.

Ad ſecundam Confirm. nego Mai. Ad prob. diſt. Mai. id eſt eſſentiã, & natura Spiritus Sancti, quod primo habet ei convenire in ſe, nego Mai. In ſe, vel in alijs perſonis, conc. Mai. Et diſt. Min. ſed ratio impulſus primo, & per ſe habet ei convenire in ſe, conc. Min. in ſe, vel in alijs perſonis eiuſdẽ naturæ, nego Min. & Conſeq. Itaque cum Spiritui Sancto primo communicetur attributum naturæ divinæ, eſt neceſſe, quod, ſicut natura talis attributi eſt ipſa eſſentia Dei, ita & natura, ſeu eſsẽtia Spiritus Sãcti ſit ipſa natura Dei. Cui doctrinæ non obeſt, quod natura divina non communicatur per intranea proceſsionis Spiritui Sancto: quia Spiritus Sanctus eſt per ſe primo attributũ, non alicuius naturæ primo ſibi communicata, ſed illius naturæ, quæ vt talis primo communicatur Filio, & per identitatem cum impulſu communicatur Spiritui Sancto.

74 Ad explicationem concedo, quod Spiritus Sanctus per propriam differentiam proceſsionis ſuæ primò eſt attributum, ſed nego, quod id, quod ei prout ſic primo communicatur, ſit eius natura: cum enim, vt dixi, illa ratio attributi reſpiciat vt ſui naturam Deitatem primo communicatam Filio, fit inde, quod Spiritus Sanctus, qui eſt hoc attributum, ipſam Deitatem Filio communicatam primo, & per ſe habeat pro natura. Vnde nunquam convincitur, quod tres perſonæ non ſint eiuſdem naturæ, ſeu eſſentiæ, ſed ſolum infertur, quod non ſint eiuſdem naturæ eodem modo primo, & per ſe tribus communicatæ, quod veriſsimum eſt.

Ad vltimam diſt. Mai. in rebus, in quibus ſola natura eſt capax immediate ſubſiſtentiæ, conc. Mai. in rebus, in quibus tam natura, quam attributa ſunt capacia immediate ſubſiſtere, nego Mai. & conceſſa Min. nego Conſ. Itaque in creatis in quibus ſola natura eſt ſubſtantia, & cætera ſunt accidentia, ſola natura eſt ens per ſe; & ſic illa ſola eſt capax ſubſiſtentiæ immediatè: cætera autem ſunt entia in alio, id eſt, per hoc ſolum ſunt, quod ſubſtantiæ inſunt. In divinis autem, in quibus omnia ſubſtantia ſunt, omnia ſunt entia per ſe; & ſic omnia ſunt capacia immediate ſubſiſtere: vnde non ſequitur attributum impulſus ex hoc, quod immediate ſubſiſtit, eſſe naturam, ſeu eſſentiam Spiritus Sancti.

Digitized by Google

Sed inſtas. Eſto omnia divina ſint capacia immediate ſubſiſtere, tamen non ſunt capacia immediate ſubſiſtere ſubſiſtentia, quæ formaliter ſit perſona: hoc enim ſolũ poteſt convenire naturæ, ſiquidem perſona dicitur rationalis naturæ individua ſubſtantia; ſed Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis ſuæ primo habet ſubſiſtere vt perſona: ergo abſolutum, quod primo ei communicatur, non erit attributum, ſed natura.

Ad hoc nego Min. Spiritus enim Sanctus ſicut per intranea proceſsionis per ſe primo tantum habat eſſe impulſus divinus, & non Deus, prout hic à natura dicitur: ita non habet, vt ſit perſona, ſed ſolum habet ſubſiſtere incommunicabiliter. Itaque nõ quodcumque incommunicabiliter ſubſiſtens perſona eſt ex hoc ſolum, quod incõmunicabiliter ſubſiſtit: ſi enim Verbum divinum aſſumeret animam ſeparatam à corpore, redderet incommunicabiliter ſubſiſtentem, nec tamen redderet perſonam; ſiquidem ſola natura ſubſtantialis capax eſt perſonalitatis, vt talis: cum ergo divinus impulſus, eſtò ſubſtantia ſit, non tamẽ formaliter vt talis Deus ſit, prout hic à natura dicitur, ex vi proceſsionis ſit ſubſiſtens incommunicabiliter, non tamen perſona.

75 Tertio obijcies. Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis ſuæ debet aſsimilari principio radicali, à quo formaliter procedit; ſed procedit à Deo, tanquã à principio radicali: igitur debet ex vi ſuæ proceſsionis evadere ſimilis Deitati formaliter. Conſ. cum Minori patet, & Mai. prob. Nam principium proximũ, cum ſit virtus ſubſtantiæ, & naturæ, per ſe primo terminatur ad ſubſtantiam: virtus enim generativa in nobis accidens eſt; ſed quia virtus ſubſtantiæ eſt, ideo terminum per ſe primo productũ ſubſtantiã facit: ergo cũ Spiritus Sanctus procedat à Deo media voluntate, quæ virtus eius eſt, terminũ productum primo, & per ſe debebit aſsimilare in Deitate.

Ad hoc Argum. nego Mai. Ad prob. diſt. Ant. quando virtus proxima eſt virtus ſubſtantiæ ad producendã ſubſtantiã, conc. Ant. quando virtus proxima ſolũ eſt virtus ſu[illegible]tia ad producendum accidens, nego [illegible] Conſ. Itaque non per omnem virtutem proximam ſubſtantia operans ſe ipſam communicat: calor enim eſt virtus proxima ignis, per quã ignis operatur, nec tamen per calorem ignis producit ignem, ſtando in terminis ſolius caloris. Intellectus eſt virtus ſubſtantiæ ad intelligendum, nec tamen intellectio aſsimilat effectũ in ſubſtantia, quæ eſt radix generationis. Oportet ergo vltra hoc, quod eſt eſſe virtutem ſubſtantiæ, quod ſit determinata à natura ad producendum ſubſtantiam, quod ſolum habet in nobis potentia generativa, & in Deo intellectus, qui ex quo prima potentia eſt, habet eſſe communicativa eſſe divini: vnde, cum voluntas iam ſupponat eſſe divinum communicatum, nequit per ſuam actionem iterum illud communicare; habet tamen communicare inclinationẽ ad illud: vnde non ſequitur, quod, ſi Deus formaliter eſt ipſe, qui vult, volendo, ſui ſimilitudinem producat in ipſa Deitate, quæ eſt radix volitionis.

76 Sed contra eſt. Nam quidquid ſit de aſsimilatione in principio radicali, ſaltim volitio habet aſsimilare terminum in principio proximo; ſed hoc ſufficit ad rationem generationis, & ad hoc, vt terminus ſit genitus: ergo. Prob. Min. Proceſsio Verbi eſt generatio, & Verbum habet rationem termini geniti; & tamen Verbum ſolum aſsimilatur in principio proximo, & non in principio radicali: ergo aſsimilatio termini producti in principio proximo ſufficit ad rationem generationis. Prob. Min. Verbum ſolum evadit ſimile in natura divina, vt ſpecies impreſſa eſt; prout ſic autem non eſt principium radicale, ſed proximum: igitur Verbum ſolum evadit ſimile in principio proximo.

Ad hoc nego Min. Ad prob. nego Min. Ad prob. Verbum ſolum evadit ſimile in natura divina, vt ſpecies impreſſa eſt, diſt. Mai. quoad modum ſpeciei impreſſæ, nego Mai. quoad ipſa prædicata, quæ ſubſternuntur muneri ſpeciei impreſſæ, conc. Mai. Et diſt. Min. prout ſic non eſt principium radicale, ſed proximum, ly *prout ſic* determinante munus ſpeciei impreſſæ, concedo Min. determinante prædicata, quæ ſubſternuntur tali muneri, nego Min. & Conſ. Itaque Verbum aſsimilatur prædicatis repræſentatis per ſpeciem impreſſam; ipſa autem prædicata ſunt ipſiſsima natura divina, quæ radicale principium intellectionis eſt: & ſic Verbum evadens ſimile principio proximo evadit ſimile principio radicali: vnde eius proceſsio generatio eſt, & Verbum vere genitum eſt. Hoc autem non contingit in

ter-

Digitized by Google

termino producto per voluntatem; nam voluntas, cui aſsimilatur, ipſa Dei natura non eſt formaliter, & virtualiter, ſed merum attributum: & ſic terminus productus per volitionem non evadit ſimilis in natura. Vnde eius proceſsio generatio non eſt, nec terminus eius genitus eſt.

77 Quarto obijcies. Spiritus Sanctus per intranea proceſsionis procedit formaliter vt Deus: ergo procedit vt ſimilis formaliter in ipſa natura divina. Conſeq. eſt bona, & Ant. prob. Procedit per intranea proceſsionis, vti in ſe ipſo formaliter eſt; at in ſe ipſo Deus formaliter eſt: ergo procedit vt Deus formaliter. Prob. Mai. Minus præſcindit productio realis Spiritus Sancti, quam præſcindat eius viſio; ſed viſio Spiritus Sancti fertur indiſpenſabiliter ad ipſum, ſicuti in ſe eſt: ergo & productio fertur indiſpenſabiliter ad ipſum, ſicuti eſt. Confirm. Proceſsio per ſibi intranea communicat exiſtentiam Spiritui Sancto adæquate ſumpto: ergo fertur ad ipſum Spiritũ Sanctum, ſicuti eſt in ſe. Patet Conſ. Nam Spiritus Sanctus exiſtit, vt Deus formaliter, & vt impulſus: ergo ſi eius proceſsio communicat ei exiſtentiam adæquate attingit ipſam formaliter vt impulſum, & vt Deũ.

Ad hoc nego Ant. Ad prob. diſt. Min. procedit per intranea proceſsionis, vti in ſe ipſo formaliter eſt, vti in ſe ipſo formaliter eſt ſub omni formalitate, ſub qua eſt, nego Mai. Sub aliqua formalitate, ſub qua eſt, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Ad prob. Mai. minus præſcindit productio realis Spiritus Sancti, quam præſcindat eius viſio, diſt. Mai. ſi ſumatur ipſa proceſsio adæquate, & prout in ſe eſt, tranſ. Mai. ſi ſumatur ſolum inadæquate, id eſt, ſolum ſecundum differentiam ſibi intraneam, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſeq. loquendo de ipſa, prout eſt in ſe adæquate, tranſ. Conſ. loquendo de ipſa, ſecundum quod differentialiter diſtinguitur à proceſsione per intellectum, ſubdiſtinguo: fertur ad ipſum, ſicuti eſt in ſe, ſub omni ratione, ſub qua eſt, nego Conſ. ſub aliqua eius ratione, conc. Conſeq.

Itaque de proceſsione Spiritus Sancti poſſumus loqui dupliciter, primo, prout eſt in ſe adæquate: & iſto modo communicat Spiritui Sancto omnia, quæ conveniunt ei, ſicuti eſt in ſe adæquate. Alio modo loqui poſſumus de illa ſecundum differentiam propriam lineæ voluntatis; & iſto modo non fertur ad Spiritum Sanctum ſub omni ratione, qua adæquate eſt, ſed ſolum ſecundum ea, quæ ei conveniunt de linea productionis, nempe ratio impulſus, inclinatio, & propenſio in Deum amatum: vnde non ſequitur, quod Spiritus Sanctus ſecundum differentias intraneas proceſsionis procedat vt Deus formaliter.

Ad Confirm. nego Antec. prout ſic enim tantum producit impulſum divinũ; eſto materialiter, & identice ſumpta tribuat exiſtentiam Spiritui Sancto ſecundũ omnia, quæ ei conveniunt: vnde nunquam ſequitur, quod per intranea proceſsionis procedat vt Deus formaliter.

78 Quinto obijcies. Proceſsio Spiritus Sancti quamvis per propriam differentiam proceſsionis non faciat Spiritum Sanctum Deum formaliter, tamen materialiter, & identice ipſi communicat eſſe Deum formaliter: ergo quamvis illa per intranea non ſit generatio, tamen materialiter generatio erit, & Spiritus Sanctus erit materialiter Filius. Patet Conſeq. Nam ſi proceſsio per intranea proceſsionis Spiritũ Sanctum faceret Deũ formaliter, illa proceſsio formaliter eſſet generatio, & Spiritus Sanctus eſſet formaliter Filius: ergo identice facere Spiritum Sanctum Deum formaliter faciet illam eſſe generationem identice, & Spiritum Sanctum eſſe genitum identice.

Ad hoc nego Conſ. Ad prob. iterum nego Conſ. Non enim datur niſi vnus indiviſibilis conceptus generationis, & hic ſolum habetur per hoc, quod aliqua proceſſio per proprias differentias ſuas primo cõmunicet naturã generantis: vnde, hoc cõceptu de medio ablato, neque reſtat generatio formaliter, neque identice materialiter. Cumque proceſsio Spiritus Sancti per intraneas differentias nõ habeat primo cõmunicare naturã Spiritui Sancto, neque eſt generatio formaliter, neque materialiter.

Inſtas. Datur eſſe Deum dupliciter, nẽpe identice, & formaliter: ergo & dabitur, quod aliqua proceſsio ſit generatio dupliciter, nempe identice, & formaliter. Reſp. Gonet, negando Conſeq. quia in definitione Deitatis non ponitur, quod competat, vel non competat per proceſsionem, aut ex vi proceſsionis; bene tamen in definitione geniti, vel Filij: vnde, vt Spiritus Sanctus ſit Deus, non eſt neceſſe, quod Deitas illi competat formaliter, aut ex vi proceſſionis, bene autẽ, vt ſit genitus, & Filius.

Sed melius reſp. neg. Conſ. & ratio

Digitized by Google

diſcriminis eſt clara. Etenim in divinis datur conceptus Deitatis identificatus cum conceptibus ſuorũ attributorũ: vnde ſicut ipſa Deitas eſt identice attributum, ita & attributum eſt identice ipſa Deitas. Intra lineam autem voluntatis nõ datur formaliter generatio, & ſic implicat dari aliquid, quod ſit identice generatio; quia ad hoc requirabatur, quod aliqua proceſsio formaliter non eſſet generatio, identificaretur tamen cum aliqua proceſsione, quæ formaliter generatio eſſet: ſicut ad hoc, vt intellectus divinus ſit identice voluntas, eſt neceſſe, quod detur intellectus, & detur volũtas, & quod intellectus, & voluntas identificẽtur inter ſe.

Inſtas. In divinis proceſsio Verbi formaliter eſt generatio, & hæc identificatur cum proceſsione Spiritus Sancti; ergo proceſsio Spiritus Sancti erit identice generatio. Conſ. eſt bona, & Ant. prob. In Patre vis generativa, & ſpirativa non ſolũ quoad abſoluta, ſed etiam quoad relativa identificãtur formaliter, & ſolũ diſtinguũtur virtualiter: ergo generatio, & ſpiratio ſolum diſtinguẽtur virtualiter, & non formaliter. Reſp. generationẽ identificari cũ ſpiratione inadæquate, id eſt, prout eſt à Patre ſpiratore, non vero identificari cum ſpiratione, prout hæc eſt à Filio, imo prout ſic habent realem diſtinctionem inter ſe, qualis reperitur inter Patrem, & Filiũ: vnde communiter Theologi realiter diſtinguunt has duas proceſsiones per hoc, quod generatio, eſt à Patre tantum, & ſpiratio eſt a Patre, & Filio. Vnde ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, quia tunc generatio, & ſpiratio eſſent identice idem, ita genitũ, & ſpiratum eſſent identice, & materialiter idẽ, ſicut generans, & ſpirator. Non ergo aſſeverandũ eſt, quod modo, quando ſpiratio eſt à duobus, ſit idem adæquate cũ generatione.

Sed verius reſp. ad inſtantiã, diſt. Min. & hæc identificatur cũ proceſsione Spiritus Sancti, hęc ſubiective active ſumpta, conc. Min. hęc paſsive ſumpta, nego Min. Et diſt. Conſ. erit idẽtice generatio, ſumẽdo vtrãque activè ſubiective, conc. Conſ. ſumptis paſsive, & determinative, nego Conſ. Nãque ſi ſumamus generationẽ, & ſpirationẽ active, id eſt, pro actione, inter ſe identificantur; ſi autẽ ſumamus eas paſsive, ſic realiter diſtinguuntur, quia generatio paſsive realiter diſtinguitur a Patre, & ſpiratio paſſiva realiter diſtinguitur à Patre, & Filio; & ſic realiter diſtinguuntur, ſicut Filius, & Spiritus Sanctus. Vnde nunquam ſequitur, quod Spiritus Sanctus ſit identice Filius.

§. VII.

Vtrùm ſint in Deo plures proceſsiones, quam duæ?

79 HOC Quæſitum proponit D. Thom. hic in art. 5. & reſpondet negative. Et probat: quia proceſsiones in divinis non poſſunt accipi niſi ſecundum actiones, quæ manent in agente; huiuſmodi autem actiones tantum ſunt duæ, ſcilicet velle, & intelligere: igitur divinæ proceſsiones tantum ſunt duæ. Sic D. Tho. Vbi ſuppono vt certum D. Tho. hic tantũ loqui de pluralitate ſecundum rationem ſpecificã, non vero de pluralitate ſecundum numerum. Tum, quia ratio adducta hoc tãtũ probat: nam poſtquam proceſsiones ſolum poſſunt eſſe ſecundum actiones intellectus, & voluntatis, poſſet adhuc quis imaginari, quod intra intellectum eſſent duo actus intellectus, & ſecundum illos duæ proceſsiones; deinde ſecundum voluntatẽ eſſe alios duos actus, & ſecundum illos dari intra voluntatem alias duas proceſsiones: non ergo ratio D. Thom. probat diſtinctionem numericam, ſed ſolum ſpecificam. Tum etiam, quia infra, q. 41. art. 6. inquirit D. Thom. vtrum actus notionales ad plures perſonas terminari poſsint: & ibi probat non poſſe dari duos filios, neque duos ſpiritus ſanctos, quia deberent diſtingui tantum numero, quod implicat, cum diſtinctio tantum numerica non niſi in habentibus materiam inveniri poſsit.

Hoc ergo ſuppoſito, difficultas huius quæſiti ad hoc devolvitur, vtrum videlicet detur alia proceſsio in divinis, quæ non ſit proceſsio Verbi, neque proceſsio Spiritus Sancti. Circa quod Molina hic, art. 3. diſp. 4. §. 5. & §. *cante* meditatus eſt Patrẽ ęternũ quaſi procedere à Deo intelligẽte ſe ipſum, non proceſſu reali, ſed tantũ ſecundum rationẽ cum fundamento in re, quod fundamentũ explicans Molina ſic ait: quod quia eſſentia virtute cõtinet in ſe perſonas divinas, proprietates, ac relationes, quibus perſonę conſtituũtur, & diſtinguũtur ab invicẽ inter ſe, ex fœcunditate, quę per intellectũ, & voluntatẽ, ac infinita, & illimitata illius perfectione convenit, provenit, quod in

Deo

Digitized by Google

Deo ſit glorioſiſsima Trinitas perſonarũ: inde eſt, quod noſtro intelligendi modo cum fundamẽto in re ab eſſentia ad ſe ipſam reſpiciente, ſeque ipſam intelligente, quaſi reſultare intelligatur Paternitas in ipſamet eſſentia, vna cũ eſſentia conſtituens ſuppoſitũ Patris. Itaque pro fundamẽto ad huiuſmodi proceſsionẽ ſecundũ rationẽ aſsignat tria; primo virtutẽ eſſentię diuinæ, qua virtualiter cõtinet diuinas proprietates, & relationes ſecundũ id, quo conſtituuntur, ac inter ſe diſtinguuntur: ſecundo ipſam fœcunditatẽ per intellectum, ac voluntatem eius: tertio infinitam, ac illimitatam perfectionem eius. Secunda ſententia ſanam, & Catholicam continens doctrinam non agnoſcit niſi ex parte intellectus proceſsionem, qua procedit Verbum, & ex parte voluntatis proceſsionẽ, qua procedit Spiritus Sanctus. Et pro illius veritate defenſanda

80 Statuitur à Nobis Concluſio contra Molinam. Pater non procedit ab ipſa eſſentia diuina ſe ipſam intelligente, adhuc proceſsione ſecundum rationẽ cum fundamento in re. Concluſio eſt D.Thom. hic, & q.28.art.4. & q.35.art.4.ad 2. vbi docet, quod non eſt propriũ Patris, quod ſit ingenitum, niſi hoc nomine intelligatur, quod omnino nõ ſit ab alio. Quod & confirmat q.39.art.5.ad 6. exponens illud Auguſtini 4. de Trinit. *Pater eſt principium totius Deitatis*. Et prob. etiam efficaciſsimis rationibus. Primo: quia, ſi ex perfectiſsima intellectione, & comprehenſione, qua Deus ſe ipſum intelligit, & comprehendit, aliquid procederet, adhuc ſecundũ rationẽ ab ipſo, à quo procederet, diſtinctum, illud deberet neceſſario eſſe Verbum illius, à quo procederet diſtinctum; at Pater nullo modo, neque ſecundũ rem, neque ſecundũ rationẽ, obtinet rationẽ Verbi: igitur adhuc ſecundũ rationem non procedit Pater ab hoc Deo ſe ipſum perfectiſsime intelligente. Prob. Mai. Nam illa emanatio, cum eſſet per intellectionem, deberet eſſe dictio: ergo terminus per illam ſecundũ rationem procedens deberet eſſe Verbum.

Secundo inſto. Nam Pater non poſſet procedere ex intellectione, qua Deus ſe ipſum intelligit, vt pura contemplatio eſt: ergo procederet ex illa, vt dictio eſt: ergo procederet ex illa vt Verbũ. Prob. Ant. Intellectio adhuc diuina ſub munere contẽplationis ſolius nequit intelligi vt fœcunda: ergo nequit intelligi vt communicans actiue id, quod in ſe ipſa præcontinet: ergo ad hoc, vt intelligatur adhuc ſecundũ rationem cũ fundamẽto in re aliquid ab ipſa procedens, & emanans, oportet, quod intelligatur vt pura contemplatio.

Tertio inſto. Si ab hoc Deo vt perfectiſsime intelligẽte ſe ipſum Pater dimanaret, vere dimanaret vt filius; conſequens eſt hæreticũ: ergo. Prob. Mai. Vere prædicta emanatio ſecundũ rationem communicaret primo, & per ſe Patri diuinam naturã: ergo prædicta emanatio eſſet origo viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ formaliter: ergo Pater procederet vt filius. Prob. Ant. Patri non communicatur primo, & per ſe aliquod diuinum attributũ; alias Verbũ, vt procederet vt filius, deberet primo aſsimilari Patri in attributo, quod falſiſsimũ eſt: ergo cõmunicatur natura: ergo darentur duo filij in Deo, quod hæreticum eſt.

Dices his rationibus nõ conuinci Patrẽ procedere vt verbũ, neque vt filiũ huius Dei; quia ad hoc requiritur vera actio intermedia inter rem, quæ procedit, & id, à quo procedit: emanatio autẽ, qua Pater ab hoc Deo perfectiſsime intelligente ſe ipſum procederet, non eſſet vera actio, ſed tantùm impropriè diceretur talis: ſicut & dimanationes, quibus ſecundũ rationẽ cũ fundamẽto in re attributa profluunt, & dimanant ab eſſentia diuina, veræ actiones non ſunt, ſed tantũ impropriè actiones dicuntur: & ſic nõ ſequeretur Patrẽ eſſe verbum, aut filiũ. Sed contra hoc eſt. Nam Molina aſſerit Patrẽ procedere ab hoc Deo perfectiſsime intelligẽte ſe ipſum, ita quod Patrem facit terminũ intellectionis: ergo cum intellectio vera actio ſit ab intellectu diuino realiter indiſtincta, fateri tenetur Patrem per veram actionem procedere ab hoc Deo.

Dices in ſententia Molinæ intellectionem conſtituere naturam diuinã: tenentes autẽ hac ſententiã negant intellectionem habere veram rationẽ actionis. Sed contra inſto. Nã adhuc Authores, qui tenent hanc ſententiam, diſtinguunt in intellectione munus naturæ, & munus intellectionis per modum actionis, vt actio diſtinguitur ab emanatione virtuali, ſecundum quam attributa profluunt ab eſſentia: ergo dum Molina fatetur Patrem procedere ex perfectiſsima intellectione, qua Deus ſe ipſum intelligit, vere ſentit non dimanare à Deo eo modo, quo attributa à natura ſub munere naturæ dimanant, ſed eo mo-

modo, quo terminus actionis ſequitur ad ipſam actionem.

Tandem inſto contra hanc ſententiam. Actio omnino eſſentialis nihil notionale includens nequit eſſe communicativa naturæ alicui perſonæ; ſed intellectio ab hoc Deo, vt prævenit intellectionem perſonarum, eſt actio omnino eſſentialis: igitur nequit eſſe communicativa naturę perſonę Patris. Prob. Mai. Actio omnino eſſentialis non poteſt non eſſe communis omnibus perſonis Trinitatis; ſed actio communicativa naturæ alicui perſonæ nequit eſſe cōmunis omnibus perſonis Trinitatis: ergo. Prob. Min. Nequit eſſe actio illius perſonę, cui naturam communicat; cum illa perſona non poſsit procedere à ſe ipſa: igitur actio naturæ communicativa alicui perſonæ nequit eſſe communis omnibus perſonis Trinitatis.

§. VIII.

Solvuntur argumenta.

81 CONTRA Concluſionem arguitur primo. Omnis relatio realis, ſaltim noſtro modo intelligendi, debet reſultare ex aliquo fundamento: ergo & relatio Paternitatis, quæ realis eſt, in Deo, ex aliquo fundamento debet reſultare; at nō eſt ſignabile aliquod fundamentū, niſi intellectio, qua Deus perfectiſsime ſe comprehendit: igitur Paternitas reſultat in Deo ex perfectiſsima illius cognitione. Ad hoc reſp. ex infra dicendis de conſtitutivo perſonarum, diſt. Ant. ſub munere, & exercitio relationis, conc. Ant. ſub munere formæ hypoſtaticæ, nego Ant. Et diſt. Conſ. ſub munere, & exercitio relationis, conc. Conſeq. ſub munere formæ hypoſtaticę, neg. Conſ. Etenim relatio, quę ſecū affert ſuum ſuppoſitū, cui conveniat, non oportet, quod præſupponat ſui fundamētū, ſed ſufficit, quod ſub munere, & exercitio relationis illud præſupponat: quod totum habetur in relatione Paternitatis divinæ, quæ vt quod ſubſiſtens eſt, & ſic intelligitur coniungi eſſentiæ divinæ, antequā intelligamus in illa aliquā actionē, ſupra quam fundetur. Vnde non eſt neceſſariū, quod reſultet ex intellectione, qua Deus ſe ipſum cognoſcit.

Sec. inſtas. Relatio Paternitatis divinæ vere oritur ab ipſa eſſentia divina, in qua præcontinetur, ſicut & omnes aliæ proprietates; quod non ſolū habet ſub munere, & exercitio relationis, ſed etiā ſub munere formæ hypoſtaticæ: ergo oportet, quod ſaltim noſtro modo intelligendi intelligatur dimanare ab illa; at relatio realis nequit dimanare à natura, niſi media aliqua actione: ergo debemus dicere, quod adhuc ſub munere formæ hypoſtaticæ debeat oriri ab eſſentia media divina intellectione, quæ eſt prima actio, quæ intelligitur convenire huic Deo.

Ad hoc conc. prima Conſ. diſt. Min. ſubſumptam: nequit dimanare à natura, niſi media aliqua actione, ſecundum quod proprietas eſt talis naturæ, nego Min. ſecundū munus, & exercitiū relationis, conc. Min. & nego Conſ. Namque quando relatio eſt proprietas alicuius naturæ, prout ſic dimanat à natura, ſicut aliæ proprietates: vnde cū iſtæ prout ſic non dimanent per actionem intermediam, etiā relatio nō dimanat per intermediā actionē. Cum ergo relatio Paternitatis divinæ ſub munere formæ hypoſtaticæ comparetur vt proprietas ad naturā, non eſt neceſſe, quod prout ſic media actione nova primo conveniat naturæ: quidquid ſit de illa ſub munere & exercitio relationis, nā prout ſic communiter dicitur, quod convenit media cognitione notionali Patris, quæ generatio eſt, & dicitur.

82 Secundo arguitur. Natura divina communicatur Patri; ſed nō communicatur communicatione omnino eſſentiali, cùm prædicata eſſentialia communia ſint omnibus perſonis: ergo communicatur cōmunicatione notionali: ergo debemus intelligere aliquā dimanationē, qua Paternitas dimanet ab eſſentia Dei; hæc non eſt alia, niſi intellectio, qua Deus comprehendit ſe ipſum: ergo per illā ab hoc Deo dimanat perſona Patris. Confir. hoc. Paternitas coniungitur eſſentiæ, prius quā altera relatio; & non ex alio capite, niſi quia eſſentia, prius quā determinetur per alias relationes perſonales, comprehendit ſe: ergo ex hac comprehenſione noſtro modo intelligendi reſultat Paternitas. Prob. Min. Nam ad hoc, vt Paternitas prius intelligatur coniungi eſſentiæ, quā aliæ relationes, debemus ponere pro illo tunc aliquid ſpeciale convenire Deo; hoc autē nō eſt aliud, niſi comprehenſio ſuæ eſſentiæ, qua pro tunc primo intelligitur ſe ipſum comprehendere: ergo debemus dicere Paternitatē reſultare in Deo ratione ſuæ actionis comprehenſivæ.

Ad

Digitized by Google

Ad hoc argum. diſt. Mai. communicatur Patri per puram connexionẽ, quam habet cũ Patre, conc. Mai. communicatione activa, nego Mai. Et conc. Min. diſt. Conſeq. communicatur communicatione notionali, quæ ſit actio, nego Conſ. quæ ſit mera connexio cũ Patre, conc. Conſ. Etenim eſſentia divina, ſecluſa omni communicatione activa ſive abſoluta, ſive notionali, ſe ipſa immediate connectitur cum Paternitate ad modum, quo natura primo connectitur cũ eius prima paſsione, & ad modum, quo connectitur natura cum ſubſiſtentia: vnde non eſt neceſſe, quod medièt inter naturã divinam, & Paternitatem aliqua actio.

Ad Confir. nego Min. Ad prob. nego Min. Etenim nõ oportet pro illo priori intelligere aliquid ſpeciale diſtinctum ab ipſa natura divina, vt intelligatur prius coniungi Paternitati, quam alijs relationibus divinis: ſicut ad hoc, vt natura divina prius coniungatur cum intellectu, quã cum voluntate, non oportet intelligere in natura divina aliquid ſpeciale ab ipſa diſtinctum, ſed ſufficit intelligere, quod intellectus eſt prima paſsio divinæ naturæ. Similiter vt divina natura prius coniungatur cũ Paternitate, quã cũ alijs relationibus, ſufficit intelligere, quod Paternitas eſt prima ſubſiſtentia, qua natura divina incommunicabiliter ſubſiſtit: quo intellecto, ſufficienter percipitur immediata connexio, & immediata coniunctio inter naturam divinã, & Paternitatem.

83 Tertio arguitur. Bene ſtat Paternitatẽ non diſtingui realiter ab ipſa eſſentia divina, & illi cõvenire media actione intellectiva, tanquam fundamento: ergo ſic poſſumus philoſophari. Prob. Ant. In ſententia D. Tho. & noſtra Paternitas ſub munere relationis exercitæ non diſtinguitur realiter à Patre; & tamen ſub hac ratione convenit Patri media actione ipſius Patris: ergo bene ſtabit, quod Paternitas ſub munere ſubſiſtentis non diſtinguatur realiter ab eſſentia divina, & quod ſit ab illa media intellectione, tanquam fundamẽto relationis. Patet Conſ. à paritate rationis.

Ad hoc argum. diſt. Ant. bene ſtat ex ſolo capite indiſtinctionis, tranſeat Ant. ex omni capite, nego Ant. & Conſ. Ad prob. Ant. nego Conſ. Etenim ſi ponamus, Paternitas media intellectione Dei tanquã fundamẽto relationis Paternitatis cõveniat Deo, debemus neceſſario ponere vel Patrẽ eſſe genitum à Deo, vel Deũ, vt prævenit relationẽ Patris, generare aliquã perſonam Trinitatis. Sicut ex hoc, quod Paternitas ſub munere relationis exercitæ ponitur eſſe à Patre media actione generativa, vere ponimus Patrẽ generare Filiũ per illam actionẽ, quæ eſt fundamentũ relationis Paternitatis ſub munere relationis exercitæ; ponere autẽ Deum, vt prævenit relationẽ Patris, generare vel ipſum Patrem, vel aliam perſonam Trinitatis, eſt error in fide; nam licet hæc propoſitio cõcedatur, *Deus generat* ... non tamen ponendũ eſt Deũ, vt prævenit omnẽ perſonalitatẽ, generare, quia licet in ... ſignificando ly *Deus* in illa propoſitione ... mũ ſignificet Deũ, in ſupponendo tamen ... accipitur pro Deo in ſuppoſito Patris.

Præter hæc ſequitur aliud maximum inconveniens: nam ſi ab intellectione abſolutã Dei reſultat relatio realis Paternitatis, ſequitur, quod hæc ... ion reſultet ad generationem, qua Pater F... ilium producit, ac per conſequens, quod ſi ... ponenda alia relatio Paternitatis, quæ habeat pro fundamento ipſam generationem, qua Pater Filium generat: & ſic dabu... ntur in Patre duæ Paternitates, quod dici non poteſt. Prob. hæc Sequela: Nam Paternitas conſtitutiva Patris reſultat ex intellectione Dei eſſentiali, tanquam ex ſuo fundamento adæquato: ergo non poterit eadẽ ... m reſultare ex actione generativa, qua Pater Filium generat, ne eidem relationi duplex adæquatum fundamentum aſsignetur: ergo reſultabit alia relatio Paternitatis; quia ad poſitionem novi fundamenti, & termini nova relatio conſurgit: & ſic erunt in divinis duæ Paternitates.

Dices relationem Paternitatis vt conſtitutivam Patris reſultare ex intellectione, qua Deus ſe ipſum comprehendit: ipſa et autẽ relatio ſub exercito munere relationis reſultat ex generatione, qua Pater Filiũ generat. Sed contra eſt. Nam Paternitas, vt conſtituit Patrem, obtinet rationẽ formæ ſe ipſa ſubſiſtentis, & ſe ipſa intranſitive eſt ſuppoſitũ: ergo ad illam ſub hoc munere non præ requiritur fundamentum, ſed tantum requiritur ad relationem ſub munere exercito relationis, ſub quo nõ intelligitur, prout in ſe, ſed tantũ ad aliud.

De quibus plura infra, Deo dante.

(?)

Digitized by Google

QVÆSTIO IV.

De relationibus divinis.

§. I.

Vtrùm ſolum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniantur aliqua ſecundum rationem tantum?

84 ANGELICVS Noſter Doctor h ic, q 28. art. 2. habet hanc propoſitionē: *Solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua ſecundum rationem tantum.* Quam probat, quia alia genera, vt quantitas, & qualitas, &c. ſecundum propriam rationem ſignificant aliquid alicui inhærens: ea vero, quæ dicuntur ad aliquid, ſignificant ſecundum propriam rationem... Hæc propoſitio valde difficilis viſa eſt, & merito: nam vel in illa D.Th. vult docere, quod in genere, vel in prędicamento relationis aliqua inveniuntur ſecundum rationē tantū: & hoc falſiſſimū eſt; tum quia ratio generis relativi eſt pars ſubiectiva entis realis, quod dividitur in decē genera: & ſic oportet, quod omnes ſpecies eius, & differentiæ aliquid reale ſint. Tum etiā quia genus relationis eſt vnivocū ad omnes ſuas ſpecies: ergo oportet, quod omnes illæ ſint reales, vel omnes ſint rationis, alias enti reali, & rationis daretur vnivocū prædicatū, quod bona philoſophia non admittit.

Vel D.Tho. in illa propoſitione loquitur, nō de genere, id eſt, de prædicamēto relationis, ſed de quadā ratione analoga; & tunc verum eſt dari in his, quæ dicuntur ad aliquid, aliqua ſecundum rationem tantum, & alia ſecundum rem: ſed falſum eſt, quod in alijs generibus non ſic contingat, ſumendo genus pro ratione analoga. Tum, quia ens rationis non adæquate ſe habet cum ente rationis relativo, vt conſtat ex eius diviſione. Tum etiam, quia in relationibus rationis ... ſunt puri reſpectus, aliæ ſunt relationes traſcendentales, vt relatio, qua ſignum ad placitum refertur ad ſuum ſignatū in ſententia, quæ aſſerit ſignum non conſtitui per relationem prędicamentalē, oportet, quod ſit relatio rationis tranſcendētalis: relationes autē trāſcendentales in hoc differunt à prædicamentalibus, quod iſtæ ſunt purus reſpectus nihil admittentes de abſoluto, illæ vero ſunt aliquid abſolutū dependens ab alio: dantur ergo entia rationis abſoluta: ergo ſpectant ad aliquod genus entis, quod relatio non ſit, ſicut & relationes reales tranſcendentales non ſpectant ad genus relationis realis prędicamētalis, ſed vagantur per omnia entia generum abſolutorum. Deinde: Roſa v. g. vt intellecta ſubſtantia eſt; non realis, quia eſſe intellectum non eſt eſſe reale naturale roſæ: ergo eſt ſubſtantia rationis. Triangulus etiam abſtractus in eſſe talis quantitas eſt; non realis: ergo rationis.

85 Pro explicatione huius quæſiti adverto, quod dum D.Tho. dicit: *In his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua ſecūdum rationē tantum*, non loquitur de *ad aliquid*, ſecundū quod conſtituit prædicamētum relationis quod patet ex ipſo D.Th. in 1 d. 26 q. 2. art. 1. vbi, relata opinione quorūdam philoſophorū dicentium, quod relationes ſunt de intētionibus ſecundis, quæ non habent eſſe niſi in anima, inquit: *Sed hoc falſum eſt, quia nihil, quod eſt ens tantum in anima, in genere determinato collocatur*: ergo ne dicamus D.Tho. ſibi in his, quæ hic docet, eſſe contrariū, debemus dicere non loqui de *ad aliquid*, prout conſtituit ſpeciale prædicamentum relationis.

Nec valet dicere, quod loquitur contra poſitive ad alia prædicamenta dicens: *Quod non contingit in alijs generibus, quia alia genera, vt quantitas, & qualitas ſignificant ſecundū propriā rationē aliquid vt inhærens*: nam ibi nomine *generibus* non intelligit alia prędicamenta, ſed rationes quaſdā in communi ſumptas, nō communitate vnivoca, ſed tantū analoga. Mens ergo D. Thom. ea eſt, quod in his, quæ dicuntur ad aliquid, datur quædā ratio communis analoga, ſub qua præcontinentur ſecundū propriā rationē relatio realis, & relatio rationis: in alijs autē, quæ abſolute dicuntur, nō datur aliqua ratio analoga analogia ſecūdum propriā rationē, quæ præcontineat & abſoluta realia, & abſoluta rationis. Sicut ſi dicatur, quod quantitas, & qualitas ſecundum propriam rationē tantum dicuntur de quantitate, & qualitate reali, non vero in his admittitur, quod propria ratio quantitatis, & qualitatis ſalvetur in quantitate, & qualitate rationis.

Quod evidenter convincitur. Nam, cum ratio generis prędicamentalis vnivoca ſit ad ſpecies ſub illa contentas, ſi in prędicamento relationis darentur aliquæ relationes ſecundum rationem tantum, conge-

geremur aſſerere enti reali, & rationis aliquid dari commune vnivocum, quod videtur eſſe extraneum à bona metaphyſica, quamvis oppoſitū videatur ſentire Caiet. in quo fere ab omnibus relinquitur. Debet ergo D. Tho. intelligi de *ad aliquid*, prout dicit rationem communem analogam analogia ſecundum proprietatem. Et tunc videndum reſtat, quare relationi reali, & rationis aſsignatur ratio analoga, non ſecundum metaphoram tantum, ſeu ſecundum proprietatem, ita vt verificetur de relatione rationis, quod ſit vera relatio, ſicut verificatur de accidente, quod ſit verum ens, & verum analogatum entis: & in alijs generibus entium hoc non contingat, ita vt, ſi intellectus fingat aliquam qualitatem in illa vera ratio qualitatis non ſit?

Rationem huius aſsignat Gonzalez hic, ſect. 2. quia in his, quæ finguntur per modum relationum, reperitur vere, & formaliter eſſe *ad*: in his vero, quæ finguntur per modum ſubſtantię, aut qualitatis, non reperitur vere, & formaliter eſſe per ſe, aut eſſe in alio. Quod probat ex eo, quod eſſe *ad* conſiſtit in quadam comparatione vnius extremi ad alterum: & quia per comparationem intellectus poteſt fieri hęc cōparatio, ideo per opus intellectus poteſt reperiri vera, & formalis ratio relationis. Verum hæc ratio difficultatē habet. Nam eſto intellectus comparativus ſit vnius ad alterum, tamen dum comparat inter ſe eā, quæ ex rei natura comparata non ſunt, comparationem fingit: reſtat ergo ſemper videndum, cur illa comparatio vera relatio dici poſsit, quando ſolo eſſe ficto ab intellectu gaudet; ſi enim non eſt verum ens, ſed tantum fictum, quomodo vera relatio erit? quod enim verum animal non eſt, verus homo eſſe non poteſt.

86 Rationem huius videtur aſſignaſſe D. Thom. in 1. d. 26 quæſt. 2. art. 1. his verbis: *Sciendum eſt, quod in relatione, ſicut & in omnibus accidentibus, eſt duo conſiderare, ſcilicet eſſe ſuum, ſecundum quod in ſubiecto fundatur, ſecundū quod ponit aliquid in ipſo, prout eſt accidens, & rationem ſuam, ſecundum quam ad aliud refertur, ex qua in genere determinato collocatur: & ex hac ratione non habet, quod ponat aliquid in eo, de quo dicitur, ſicut omnes aliæ formæ abſolutæ ex ipſa ſua ratione habent, quod aliquid in eo, de quo dicūtur, ponāt. Et ideo inveniūtur quædam relationes nihil ponentes in eo, de quo dicuntur.* Quibus docet nos D. Thom. hoc adeſſe diſcrimen inter abſoluta genera, & genus relationis, quod illa tam ſecundum rationem communem accidentis, quam ſecundum peculiares, & differentiales modos eſſendi eorum peculiarem modum eſſendi explicant, & important. Cum ergo ens rationis veram entitatem neque importet, neque explicet, hinc fit, quod in ſubſtantia, quantitate, & qualitate rationis vera, & propria ratio quantitatis, vel qualitatis non inveniatur.

Itaque vis huius ſiſtit in eo, quod hæc entia abſoluta ſecundum peculiares rationes modum eſſendi explicant: & ſic quantitas ficta non ſolum importabit eſſe fictum, verum etiam ſecundum ſibi peculiarē rationē explicabit eſſe fictum; vbi autē explicatur modus eſſendi fictus, vera ratio talis adeſſe non poteſt: & ſic in quantitate rationis vera ratio quantitatis nequit inveniri. Relatio autem ſecundum peculiarem rationem licet importet eſſe, non tamen illud explicat; quia per ordinem ad terminum eſſe non habet: & ſic poteſt eſſe, quod relatio ſit ficta, & quod ſit vera relatio, quia, dum in conceptu differentiali non explicatur ratio entis, non oportet, quod explicetur ratio confictī ab intellectu.

Sit ergo Concluſio. Propoſitio, de qua noſtrum procedit quęſitum, vera eſt. Et veritas eius fundatur in eo, quod relatio ſecundum ſuam rationem differentialem, cum non explicet entitatem, non explicat id, cui verum eſſe debetur: & ſic cū eſſe ficto poteſt ſtare vera ratio relationis. Alia autem genera ex propria ratione differentiali explicant eſſe; & ſic explicāt id, cui verum eſſe debetur: vnde ſi habeant eſſe fictum, veram, & propriam rationem ſui generis habere non poſſunt.

§. II.

Soluuntur obiectiones contra hanc doctrinam.

87 CÆTERVM contra hanc doctrinam inſtabis primo. Relatio non tantum ſecundum rationem accidentis entitatem explicat, ſed etiam ſecundum ſuam peculiarem, & differentialem rationem: igitur ſi propter hoc non dantur in abſolutis veræ, & proprię rationes eorum, ſi entia rationis ſint; pariter etiam in his, quæ dicuntur *ad aliquid*, non dabitur vera ratio relationis, ſi ens ra-

tio,

Digitized by Google

tionis ſit. Prob. Ant. Relatio actuat ſubiectum non tantum ſecundum rationem accidentis, ſed etiam ſecundum rationem differentialem relationis; conſtituit enim illud in genere cauſæ formalis relatum: ergo ſecundum peculiarem ſui rationem explicat modum eſſendi. Patet Conſ. Nam ideo abſoluta explicant modum eſſendi ſecundum ſuam peculiarem rationē, quia ſecundum illam actuant ſua ſubiecta, à quibus accipiunt eſſe, & tale eſſe: ergo quia relatio ſecundum ſuam peculiarem differentiam actuat, & informat ſubiectum, ſecundum illam explicabit modum eſſendi.

Ad hanc inſtantiam, vt quidam reſpondeant, negant *in* relativū: dicunt enim relationem tantum reſpicere ſubiectum, ex quo accidens eſt, non vero illud reſpicere, quia relatio eſt. Falluntur tamen, & non conſiderant, quod relatio actuat, & informat ſubiectum, in quo eſt, ſecundum rationem differentialem relationis; neque enim ſubiectum dicitur relatum ad terminum, niſi à relatione ſecundum peculiarem differentiam relationis: vnde licet ratio inhærentiæ conveniat relationi, quia accidēs eſt; actuare tamen, & conſtituere ſubiectū vere illi convenit ſecundum rationem differentialem relationis: quod in tantum eſt verum, quod etiam in divinis, vbi non habetur *in* accidentis, habetur *in* relativum, ſecundum quod vnaquæque relatio perſonam conſtituit.

Reſp. ergo ad inſtantiam, negando Ant. Ad prob. diſt. Ant. ſed etiam ſecundum rationem differentialem relationis ſumptam per modum quidditatis, conc. Ant. ſumptam per modum relationis, nego Ant. Et diſt. Conſ. explicat modum eſſendi, accepta ſecundum modum quidditatis, concedo Conſ. accepta ſecundum modum relationis, nego Conſ. Itaque ipſum *ad* dupliciter accipitur, vel vt quædam quidditas eſt, quod Caietanus vocat relationem vt conceptam, vel ad modum relationis, quod Caietanus dicit relationem vt exercitam; primo modo intelligitur actuare ſubiectum, ſecundo modo tantum dicit ad terminum: primo modo explicat modum eſſendi, non vero ſecundo.

Sed inſtas. Non eſt vera relatio, vbi non eſt vera quidditas relationis; ſed relatio rationis non eſt vera quidditas relationis: ergo non erit vera relatio. Prob. Min. Si eſſet vera quidditas relationis, relatio rationis ſumpta per modum quidditatis explicaret verum quid; at per Nos non explicat, quia explicat quid fictum, & per conſequens non verū: igitur relatio rationis non eſt vera quidditas. Ad hoc diſt. Mai. ſumendo relationem, prout explicat quidditatem, & eſſe ſuum, conc. Mai. ſumendo illam per modum relationis, quo modo non explicat *quid*, ſeu *ad aliquid*, nego Mai. Et conceſſa Min. diſt. Conſ. prout explicat *quid*, conc. Conſ. prout explicat *ad aliquid*, nego Conſeq. Itaque fatemur, quod relatio rationis non habet veram quidditatem, ſed fictam: vnde ſumendo illam, prout explicat *quid*, non eſt vera relatio, ſed ficta. Cæterum quia ipſa poteſt conſiderari vt *ad aliquid* exercite, quomodo non explicat quid, ſed *ad aliquid*, prout ſic dicimus eſſe proprie relationem, quia prout ſic non explicatur, quod ſit rationis, vel quod ſit realitatis.

88 Secundo inſto. Relatio non tantum accipit eſſe à fundamento, vel à ſubiecto, in quo ratio fundandi invenitur, ſed etiam accipit eſſe ab extremo, ad quod eſt, & ad quod dicitur: ergo etiam vt ad terminum explicat modum eſſendi. Conſeq. videtur bona: nam ideo dicitur *ad*, vt *ad*, nō explicare entitatem, quia illam non habet ab eo, ad quod dicitur, ſed tantum à ſubiecto, in quo eſt: ergo ſi eſſe habet ab extremo, ad quod dicitur, etiam vt ad illud explicabit eſſe. Ant. autem prob. ex quadam doctrina Div. Thom. in primo, diſt. 26. q. 2. art. 1. ibi: *Tertio modo* (deſignat modos, quibus contingit relationem eſſe rationis) *quando deſignatur relatio aliqua entis ad non ens, vt cum dicimus, quod nos ſumus priores his, qui futuri ſunt: iſta enim prioritas non eſt aliqua relatio ſecundum rem, ſed ſolum ſecūdum rationē, quia relatio realis exigit vtrūque extremorum in actu.* Ex quibus conſtat ad realitatem relationis cōcurrere non ſolum fundamentum, ſed etiam extremum, ad quod dicitur: igitur relatio habet eſſe non ſolum à fundamento, ſed etiam ab extremo, ad quod dicitur. Ad hoc nego Ant. Ad prob. deſumptā ex doctrina D. Th. dico extremū reale, ad quod dicitur relatio, cōcurrere ad eius realitatem vt puram conditionem, non vero vt cauſam; alias relatio dependeret ab extremo, ad quod dicitur: dependentia autem tanquam à conditione non facit, quod *ad*, vt *ad*, explicet modum eſſendi: vnde nihil concluditur contra Nos.

Tert-

Digitized by Google

Tertio inſtabis. Si relatio vt ad terminum non explicat modum eſſendi, ſequitur, quod relatio dicta de relatione rationis, & de reali dicatur vnivoce; Conſ. à Nobis impugnatum eſt ſupra: ergo. Prob. Sequela. Hoc ipſo, quod *ad* non explicet modum eſſendi, *ad* rationis non explicabit modum eſſendi fictum: ergo non explicabit dependentiam vnius analogati ab altero analogato, quod eſt relatio realis: ergo ratio relationis dicetur vnivoce de relatione reali, & de relatione rationis. Ad hoc nego Sequelam: nam licet relatio rationis non explicet ſecundum rationem *ad* eſſe fictum, & dependens ab eſſe reali, illud tamen actu implicat, quod ſufficit, vt ratio relationis non dicatur vnivoce de relatione reali, & rationis.

Inſtas. Vt relatio rationis vere, & propriè relatio ſit, non obſtat, quod eſſe fictum implicet: ergo vt ſit vnivoce relatio, non obſtabit, quod dependentiam ab ente reali implicite importet, dummodo illam non explicet. Ad hoc nego Conſ. plus enim requiritur ad hoc, vt vnum vnivocetur cum altero in aliqua ratione, quã ad hoc, quod dicatur de illo proprie cum aliis participare illam rationem. Etenim accidens cum ſubſtãtia proprie participat rationem entis, & tamen illam non vnivoce participat; vnivocatio enim in aliqua ratione excludit dependentiam, tam implicitam, quam explicitam vnius extremi ab altero: hoc autem non requirit proprietas, ſed tantum contenta eſt in eo, quod ratio ſuperior ſecundum proprietatem inveniatur in vno extremo, eſto illud extremũ in participatione illius rationis ab altero dependeat.

89 Ex his patet ad rationes dubitandi in principio quæſiti adductas. Ad primam enim iam dixi, quod, cum D. Th. aſſerit, in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniri aliqua ſecundum rationem, loquitur de *ad aliquid*, non prout eſt prædicamentum relationis: ſic enim determinate aliquid reale eſt, vt pote pars diviſiva entis realis, quod dividitur in decem genera. Et ad id, quod opponitur, nego, quod ſit falſũ, quod in aliis generibus inveniãtur aliqua ſecũdũ rationem adhunc ſenſũ, quod propria ratio eorum generum in entibus rationis ſalvetur, ſicut ſalvatur propria ratio relationis in entibus rationis propter rationem, quam adduximus ex D. Thom.

Ad primam probationem nego Cõſ. ex hoc enim, quod ens rationis dividatur in negationem, privationem, & relationẽ, tantum infertur, quod nõ omne ens rationis ſit relatio, non vero infertur, quod ratio alicuius prædicamenti vere, & proprie in ente rationis ſalvetur. Imo neque ipſa ratio negationis, & privationis proprie invenitur in illis entibus rationis, quæ dicuntur privatio, & negatio: ſiquidem ipſa ratio privationis, & negationis conſiſtit in carentia formæ poſitivæ, & ens rationis, quod privatio, & negatio dicitur, privatio, vel negatio formæ poſitivæ non eſt, cum ens rationis ſit poſitivum.

Sed inſtas. Ergo intra lineam entis rationis datur ens rationis relativum, & ens rationis abſolutum: ergo ſicut ratio relationis ſecundum propriam rationem ſalvatur in ente rationis, ita & ratio aliorum generum, quæ abſoluta ſunt, ſecundum propriam rationẽ ſalvabitur in ente rationis. Ad hoc diſt. Conſ. & ens rationis abſolutũ, ſecundum propriam rationem abſoluti, nego Conſ. ſolum ſimilitudinarie, & per metaphoram, conc. Conſ. & nego aliam, quæ ſubinfertur. Itaque non nego dari intra lineam entium rationis entia rationis abſoluta, ſed nego, quod vera, & propria ratio abſoluti reperiatur intra præfatã lineã. Et ratio eſt clara; quia, cum abſolutum ex propria ratione explicet eſſe, ſi ſit fictum, explicat eſſe fictum; & ſic explicat puram ſimilitudinem, & metaphoram abſoluti, non vero proprietatem: purus autem reſpectus, cũ non explicet *quid*, ſed *ad aliquid*, quamvis fictum ſit, fictum eſſe non explicat: & ſic ſecundum propriam rationem manet.

Ad ſecundam obiectionem principalem ſunt aliqui Metaphyſici, qui nolunt concedere entibus rationis reſpectus tranſcendentales: vnde negant ſignum ad placitum per relationem tranſcendentalem ad ſignatum conſtitui. Et ſimiliter negant, quod ens rationis ad intellectum ſui fictorem reſpectum tranſcendentalem dicat: ſed aſſerunt, quod omnia iſta, quæ in entibus realibus reſpectus tranſcendentales ſunt, in entibus rationis relationes prædicamẽtales ſint. Alii ſunt, qui affirmant ex eo, quod ens rationis, quod eſt negatio, & quod eſt privatio, quid relativum eſt ad ſubiectum; ſunt enim ipſæ reales carentiæ apprehenſæ vt formæ informantes, & inhærentes ſuis ſubiectis; non autem dici poteſt eſſe puros reſpectus, cum non reſpiciant ſui ſubiecta puros terminos, ſed vt cauſas materiales ſui

Digitized by Google

ſui eſſe: ergo dicendum erit eſſe reſpectus tranſcendentales. Deinde: ſignum, vt tale, non reſpicit ſuum ſignatum vt purum terminum, ſed vt menſuram ſui eſſe: ergo reſpectus, quem ad ſignatum dicit ſignum ad placitum, non eſt dicendus purus reſpectus, ſed tantum tranſcendentalis.

Ego autem mediam viam ſequor: aſſero enim dari reſpectus tranſcendentales in entibus rationis; non tamen ita, quod propria ratio relationis tranſcendentalis entibus rationis conveniat ea proprietate, qua entibus rationis puri reſpectus conveniunt: ſed ita, quod illis conveniat tantum ſecundum ſimilitudinem, & metaphoram. Primum mihi ſuadeo ex his, quæ prima ſententia adducit in ſui favorem: ſecundam autem partem ſuadeo ex dictis. Etenim relatio tranſcendentalis, cum tantum ſit dependentia rei in eſſe, explicat ſecundum conceptum ſuum differentialem modum eſſendi: & ſic illa, quæ eſt rationis, ſi tranſcendentalis ſit, explicabit modum eſſendi fictum, ac proinde non verum, & propriũ: vnde repugnat, quod propria ratio relationis tranſcendentalis in entibus rationis inveniatur. Sicque ad obiectionem in principio factam admitto dari relationes tranſcendentales in entibus rationis; non tamen ſecundum propriam rationem relationis tranſcendentalis: ex quo non ſequitur entibus rationis rationes aliorum generum convenire ſecundum rei proprietatem, ſed tantum ſecundum metaphoram, quod non nego, ſicut neque illud negat D. Th.

§. III.

Explicatur, & defenditur alia doctrina, quam habet D. Thom. in articulo primo.

90 DOCET præterea D. Thom. in codẽ primo art. quod hi reſpectus aliquãdo in ipſa rerum natura ſunt, vtpote quando aliquæ res ad invicem ordinatæ ſunt: & huiuſmodi relationes oportet eſſe reales. Quod & repetit in 1. diſt. 26. quæſt. 1. art. 1. illis verbis: *Vnde diſtinguendum eſt inter relationes; quædam enim ſunt, quæ habent aliquid in re, ſupra quod eſſe eorũ fundatur, ſicut æqualitas fundatur ſupra quantitatem: & huiuſmodi relationes aliquid realiter in re ſunt.*

Circa hanc doctrinam, in qua ſtatuitur dari reales relationes realiter fundatas, realiterque à fundamento diſtinctas, aliqui negant dari relationes, quæ ſint entitates, vel modi à fundamento, & termino diſtinctæ. Sic plures ex Ieſuitis, quos ſequitur Pater Arriaga in ſua Logica, aſſerens relationem non eſſe quid diſtinctum à fundamento, & termino, ſed eſſe ipſum fundamentum, & terminum vt inter ſe connexa, vel ſecundum ſimilitudinem, vel ſecundum rationem cauſæ, & effectus, vel menſuræ, & menſurati. Alij admittentes dari relationes reales diſtinctas realiter à ſuis fundamẽtis, dicunt tantum habere realitatem ſecũdum rationem *in*, quæ deſumitur à fundamento, non vero dicere realitatem ex parte *ad*. Sic ſentit Canarienſ. hic, art. 2. diſp. 3. & videtur eſſe ſententia domini Caietani in præſenti. Circa hanc difficultatem non licet immorari, quia directe ſpectat ad Metaphyſicos, dum agunt de prædicamento relationis.

91 Vnde reſolutorie dico vere dari relationes reales, quæ non ſunt ipſum fundamentum, & terminus, ſed aliquid ab illis diſtinctum, non tantum habens realitatem ex parte *in*, ſed etiam ex parte *ad*. Tria dicit Concluſio: & primum affirmat Ariſt. dum 5. Metaph. textu 14. docet ens extra animam diuidi in decem prędicamẽta per diverſos modos non ſolum prædicandi, ſed etiam eſſendi; ſed vnum ex decem prædicamentis eſt relatio iuxta ipſum Ariſtotelem: ergo datur relatio, quæ ens extra animam ſit. Rationem huius aſſignat D. Tho. quæſt. 7. de Potentia, art. 9. adhunc modum. Perfectio, & bonum, quæ ſunt in rebus extra animam, non ſolum attenditur ſecundum aliquid abſolute inhærens rebus, ſed etiam ſecundum ordinem vnius rei ad alteram; ſicut etiam in ordine partiũ exercitus bonum exercitus conſiſtit: ergo oportet in ipſis rebus relationes quaſdã eſſe, ſecundum quas vnum ad alterum ordinetur.

Dices hac ratione probari ordinem realem, ſed non ordinem, qui purus reſpectus ſit. Sed contra hoc eſt: Nam bonitas exercitus in ſolo conſiſtit ordine, quo milites inter ſe, & cum Duce ordinantur: neque enim inter partes exercitus dependentia in eſſe invenitur, ſicut inter partes cõpoſiti ſubſtantialis, ratione cuius relationes tranſcendentales prædictis partibus adaptẽtur: igitur purus reſpectus bonum exercitus formaliter facit. Patet Conſ. Nam ſola relatio prædicamentalis eſt ordo depuratus ab eſſe abſoluto: ſola ergo illa erit purus ordo.

Secun-

Digitized by Google

Secundo dices ordinem exercitus non eſſe realem, quia partes exercitus non ſunt partes ex natura rei; neque enim homines ex natura rei exercitum faciunt, ſed exercitus à Duce ſic, vel ſic homines inter ſe diſponente tantum formatur: hæc autem Ducis diſpoſitio tantum poteſt ponere denominationem extrinſecam ordinati, non vero ordinem intrinſecum in rebus, quæ ordinantur. Sed contra eſt. Nam licet homines ex ipſa rei natura, vt natura diſtinguitur ab arte, non ordinentur in formam exercitus, ordinantur tamen realiter ab arte: ergo licet hac ratione non probetur ordinem exercitus eſſe naturalem, probatur tamen eſſe ordinem aparte rei, quod eſt noſtrum intentum. Nec eſt novum, quod per artem artifex ordinem realem faciat, cum etiam per illum alia entia realia innumera conficiat.

92 Secunda pars noſtri dicti probatur. Nam ſi relatio nihil aliud eſſet, quã fundamentum, & terminus, vere poſſent Deo convenire relationes reales ex tempore reſpectu creaturarum, quas producit; quod eſt contra D. Thom. ſupra, quæſt. 13. & contra omnes Theologos: ergo. Prob. Quia tunc Deo non adveniret phyſica mutatio; cum non adveniret nova forma ex eo, quod relative ad creaturam productam ex tempore diceretur: ergo non eſſet incõveniens dicere, quod Deo conveniant relationes reales ex tempore. Prob. Ant. Hæc opinio ponit relationem realem nihil ſuperaddere ad fundamentum, & terminum: ergo ex ſola poſitione creaturæ per modũ termini, & Dei per modum fundamenti darentur relationes reales ex tempore in Deo.

Prob. 2. Si relatio realis nihil aliud eſſet, quam fundamentum, & terminus, ſequeretur, quod Paternitas divina nihil aliud eſſet, quam generans, & genitum, & Filiatio divina nihil aliud eſſet, quam genitum, & generans; Conſequens eſt falſiſſimũ. ergo. Prob. Sequela. In creatis relatio paternitatis nihil aliud eſt iuxta doctrinam hanc, niſi generans, & genitum: ergo in divinis relatio Paternitatis nihil aliud erit, niſi generans divinum, & genitum divinũ. Patet Conſ. a paritate rationis.

Tertio prob. Omnis relatio creata eſt accidens; at dantur fundamentum, & terminus, quæ ſubſtantia ſunt: ergo relatio creata vere realiter diſtinguitur à fundamẽto, & termino. Ma. eſt certa: nam omnis reſpectus creatus relationis ponitur in prædicamento relationis, quod eſt accidens vnum ex novem prædicamentis: ergo omnis relatio creata eſt accidens. Mi. vero prob. Nã relationes, quibus formaliter Petrus, & Paulus aſſimilantur in natura ſpecifica, terminũ, & fundamentum habent ſubſtantiã, nempe ipſam naturã ſubſtantialem ſpecificam, quæ mutuo fundat, & terminat. Conſ. vero patet: quia accidens, cum inhæreat ſubſtantiæ, non poteſt non realiter diſtingui ab illa.

Quarto prob. ratione à priori. Nam relatio eſt, cuius totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere; ſed totum eſſe fundamenti, & termini non eſt ad aliud ſe habere: ſiquidem habent eſſe abſolutum, quod ad ſe eſt, & non ad aliud: ergo in ſolo fundamento, & termino eſſentia relationis non valet conſiſtere. Deinde: Relatio diffinitur per hoc, quod ſit ad aliud: ergo illud aliud, ad quod ſe habet relatio, vel ad quod refert, non eſt id, in quo ipſa relationis eſſentia ſtat: ergo falſiſſimum eſt dicere eſſentiam relationis conſiſtere in recto in ipſo fundamento, & termino.

Tertia pars Concluſionis prob. ſic. Nam conceptus *ad* prædicamentalis verè realiter determinat ens reale, & accidens reale, vt ſit ſpeciale genus entis, & accidentis realis: ergo verè importat realitatem. Præterea: Ens reale tranſcendit vltimam differentiam relationis; igitur *ad*, quod eſt modus entis realis, vere per tranſcendentiam importat realitatem. Dices *ad* poſſe ſumi dupliciter, vel per modum cuiuſdam quidditatis, ſecundum quam rationẽ actuat & conſtituit ſubiectũ in eſſe relati: & prout ſic verum eſſe, quod *ad* realitatem importat, imo & quod illã ſignificat; vel ad modum relationis, qua ratione tantum explicat *ad terminum*: & iſto modo relatio non importat realitatem. Sed contra eſt: Nam licet *ad* relatiue ſumptum non explicet realitatem, quia ſolum explicat reſpectum purum ad terminũ, & prout ſic nullo modo explicatur per ordinem ad ſubiectum, imbibit tamen implicite realitatem, ſi *ad* prædicamentale ſit; nam iſti duo conceptus inadæquati relationis, nempe *in*, & *ad* ſe ad invicem tranſcendunt, & includunt: ergo dum conceptus relationis explicat *in*, implicite claudit *ad*, & dum explicat *ad*, implicite claudit *in*: ergo etiam dum per modum relationis *ad* prædicamẽtale explicatur, importat realitatem.

§. IV.

§. V.

Solvuntur obiectiones.

93 CONTRA rationem, qua ex D. Thom. probavimus primam partẽ noſtræ Concluſionis, occurrit hæc obiectio. Si bonitas, & perfectio rei attenditur non ſolum ſecundum eſſe abſolutum, ſed etiam ſecundum eſſe reſpectivum, ſequitur evidenter, quod relationes prædicamentales propria gaudeant bonitate, & perfectione; hoc non videtur dicendum, nam infra probabimus relationes divinas non habere bonitatem, neque perfectionem de propria linea: ergo non eſt dicẽdum relationes creatas bonitatem, & perfectionem de propria linea habere: videtur enim inconveniens, quod relatio creata gaudeat bonitate de propria linea, & quod illa non gaudeat relatio divina.

Ad hoc nego, quod ſit inconveniens aſſeverare relationes creatas habere perfectionem de propria linea, etiam ſi divinis relationibus neque bonitas, neque perfectio de propria linea competat: nam cum perfectio, & bonitas ab exiſtentia deſumatur, & relatio creata habeat exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubiecti, quod denominat relatum; eſt enim accidens vere illi inhærens, & ab hac inhærentia exiſtentiam venatur, ſicut & omne aliud accidens: ſit inde, quod propriam bonitatem, & perfectionem habeat. Verum cum relatio divina propria exiſtentia non gaudeat; eſt enim Myſterium Trinitatis, quod tres perſonæ ſicut ſunt vnius eſſentiæ, ita ſint vnius exiſtentiæ: ſit inde, quod propria bonitate, & perfectione careant. Nec ſequitur ex hoc relationem creatam eſſe magis perfectam, quam relatio divina: quia licet divina perfectione de propria linea careat; tamen perfectionem, & bonitatem abſolutam, à qua tranſcenditur, perfectiſsime poſsidet: & ſic in bonitate, & perfectione relationem creatam infinite ſuperat.

94 Contra ſecundam partẽ Concluſionis arguitur ex varijs authoritatibus D. Tho. Prima eſt ex 3. Phyſic. lec. 3. vbi ad illa verba Ariſt. *Neque eſt in ad aliquid. Contingit enim altero mutato, verum eſſe alterum non mutari*, ſuper quæ D. Tho. *In illis igitur relationibus, quæ non ponunt rem aliquam niſi in vno extremorum, non videtur difficile, quod mutato illo extremo, in quo relatio exiſtit realiter, de novo dicatur aliquid relativa de altero abſque ſui mutatione; cum nihil ei realiter adveniat. Sed in illis, in quibus relatio invenitur realiter in vtroque extremo, videtur difficile, quod aliquid relative dicatur de vno per mutationem alterius abſque ſui mutatione: cum nihil de novo adveniat alicui abſque mutatione eius, cui advenit. Vnde dicendum eſt, quod, ſi aliquis per ſuam mutationem fiat mihi æqualis, me non mutato, iſta æqualitas primo erat in me quodammodo, ſicut in ſui radice, ex qua habet eſſe reale: ex hoc enim, quod habeo talem quantitatem, competit mihi, quod ſim æqualis omnibus illis, qui eandem quantitatem habent. Cum ergo de novo aliquis accipit eam quantitatem, iſta communis radix æqualitatis determinatur ad iſtum, & ideo nihil advenit mihi de novo per hoc, quod incipio eſſe alteri æqualis per ſui mutationem.* Ex quibus ſic formo argumentũ. Cum aliquis fit mihi æqualis per ſui mutationem, per quam acquirit tantam quantitatem, quantam habeo ego, fio illi formaliter æqualis abſque mei mutatione: ergo relatio æqualitatis non eſt aliquid diſtinctũ à mea quantitate, & à quantitate alterius. Patet Conſ. quia nova entitas non inhæret alicui de novo abſque ſui reali mutatione.

Deinde pondero illa verba: *Cum ergo aliquis accipit eam quantitatem, iſta communis radix æqualitatis determinatur ad iſtũ: & ideo nihil advenit mihi de novo per hoc, quod incipio eſſe alteri æqualis per ſui mutationem.* Ex quibus ſic argumentor. Ad poſitionem novam termini æqualitatis, ego fio alteri æqualis ſine eo, quod mihi adveniat aliquid ſuperadditum quantitati, quam poſsideo; ſed fio æqualis per relationem, quam modo habeo, & antea non habebã: igitur relatio æqualitatis nihil diſtinctum realiter eſt à duabus quantitatibus, nempe à quantitate fundamenti, & à quantitate termini.

Quam doctrinam roborat alia, quam ipſe D. Thom. habet Opuſc. 48. cap. 2. ibi: *Cum autem dico, quod ſimilitudo Sortis habet albedinem eius vt fundamentum, non eſt intelligendum, quod ſimilitudo Sortis ſit aliqua res in Sorte alia ab ipſa albedine, ſed ſolum eſt ipſa albedo, vt ſe habet ad albedinem Platonis vt ad terminum: ſi enim ſimilitudo adderet ſupra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo poſſet aliquis alicui fieri ſimilis ſine ſui mutatione; fit autem alicui ſimilis ſine ſui mutatione vt patet: ſi quis namque in India fieret modo albus, fieret ſimilis mihi, & ego illi, nulla*

Digitized by Google

in me facta mutatione? ſimilitudo enim in me nullam rem addit ſupra albedinem, quæ realiter ſit in me: igitur iuxta D. Thom. relatio non eſt quid realiter diſtinctum à fundamento, & termino.

Sed legatur in Cap. ſequenti, vbi habet opinionem Patris Arriaga, ibi: *Sed dicendum, quod diviſio entis in decem prædicamenta eſt diviſio in decem diverſa ſecundum rem, vel quantum ad hoc, quod dicant diverſas res intrinſece, & realiter, ſicut ſubſtantia, quantitas, & qualitas, vel in quantum dicunt diverſas res extrinſece; quia vnum importat aliquam rem diverſum, quam non importat reliquum: & ſic relatio differt à ſuo fundamento, quia importat terminum oppoſitum relativi.* Et proſequitur: *Ex his patet ſecunda diffinitio relativorum: ſi enim verum eſſe relativorum conſiſtit in eo, ſcilicet quod importet aliquid vt fundamentum, & aliquid vltra, ſcilicet terminum: ergo eſſe eorum eſt ad aliud ſe habere.* Quibus nihil clarius pro ſententia oppoſita dici potuit.

95 Ad horum primum dico mẽtem D. Thomæ eſſe, quod, quando aliquis per ſui mutationem accipit ſimilem quantitatem cum ea, quam ego poſsideo, ego non mutor per aliquem motum, qui formaliter actualiter mihi inſit: mutor tamen virtualiter, nempe per illum motum, qui præceſsit in me, cum primo acquiſivi quãtitatem, quam poſsideo. Etenim ille motus de facto relationem produxiſſet in me, ſi adeſſet terminus pro tunc: & ſic manet virtus eius in me, ratione cuius in quocumque tempore ponatur terminus, in me cõſurgit relatio.

Et patet, quod eius iſta ſit mens ex contextu, nempe, quod relatio æqualitatis prius aliquo modo erat in me, ſicut in ſui radice. Ex quibus infero: ergo dum ponitur terminus, pullulat relatio æqualitatis ex mea quantitate, ſicut proprietas ex radice: ergo fit in me de novo virtute motus, quo producta fuit in me radix illius, nẽpe mea quantitas. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles decidebat in textu, quem D. Thom. explicat: ibi enim tantum volebat probare, quod ad relationem motus per ſe non ſit, ſed tantũ fiat per motum terminatum ad illam rem, ſupra quam fundatur relatio. Quod elegãter probat: quia ſi motus per ſe daretur ad relationem, non fieret quis relatus per ſolam mutationẽ alterius abſque novo motu proprio per ſe terminato ad propriã relationem. Quibus non vult, quod in ea relatio fiat per motum, quo alter intrinſeca mutatur, ſed tantum vult, quod ad alterius mutationem virtute motus, non qui formaliter inſit in me, ſed qui tantum virtualiter inſit, relatio de novo fiat.

Ex quibus ad ſecundam ponderationẽ dico, quod, cum D. Thom. aſſerit mihi nihil advenire de novo per hoc, quod incipio eſſe alteri æqualis per ſui mutationem, debet intelligi nihil mihi advenire de novo, hoc eſt, per novum motum, qui de facto mihi conveniat: non vero, quod nihil mihi adveniat de novo virtute motus, qui præceſsit in me. Vel aliter: nihil mihi advenire de novo novitate connexionis, non vero novitate diſtinctionis: quia licet diſtinctum ſit à mea quantitate, connexionẽ tamen habebat cum illa, ſicut proprietas cum radice, vel effectus ſecundarius cum primario.

Ad ſecundam authoritatem ex Opuſculo 48. in primis dico non conſtare de illo Opuſculo, quod D. Thom. ſit: qua de cauſa notatur minutiori charactere, dum typis mandatur. Vel ſecundo dico mentem illius Authoris, cuius eſt illud Opuſculum, eam tantum fuiſſe, nempe quod relatio non differat à fundamento realiter entitative, ſicut res à re; ſic ad litteram habet in toto contextu: non vero velle, quod modaliter à fundamento non diſtinguatur, hoc enim nullis verbis inſinuat. Verum quia forſan ille Author ſentiebat decem prædicamenta differre inter ſe tanquam decem res, & non tantum ſicut formalitas, vel modus à re, cuius eſt modus, ideo in capite ſequenti aſſerit relationem addere ſupra fundamentum aliam rem, nempe terminum, non quia in illo eſſentia relationis in recto conſiſtat, ſed quia illum ad ſui exiſtentiam requirit, quod non requirit fundamentum, vt fundamentum.

96 Contra tertiam partem Concluſionis obijcitur ex varijs locis D. Tho. in quibus habet, quod reſpicere aliud non eſt aliquid reale. Etenim in art. præſenti habet propriam rationem relationis reperiri in entibus rationis, & in art. ſequenti habet, quod relatio realis, ſi cõſideretur in ordine ad terminum, non ſignificat aliquid inhærens, ſed aliquid affixum extrinſece. In primo, diſt. 20. q. 1. ar. 1. ad 3. & diſt. 26. q. 3. ar. 2. ad 3. dicit relationem ſecundum ſuum genus non habere, quod ſit aliquid reale, cui debeatur vere eſſe: igitur relatio prædicamentalis, ſecundum quod dicit *ad*, non

non dicit realitatem. Ad primam iam ſupra dixi D. Thom. non loqui determinatè de relatione prædicamentali, ſed loqui de illa, prout abſtrahit analogicè ab *ad* reali, & rationis: per quod patet ad primam authoritatem.

Ad 2. vt reſpondeam, placet verba D. Thom. adducere, habet enim ſic: *Si igitur conſideremus etiam in rebus creatis relationes ſecundum id, quod relationes ſunt, ſic invenietur eſſe aſſiſtentes, nō intrinſecus affixa, quaſi ſignificantes reſpectum quodammodo attingentem rem relatam.* Quibus D. Thom. hoc tantum inſinuat, nempe quod relatio, vt relatio, non ſignificet reſpectum contingentem rem relatam, quod veriſsimum eſt: non vero inſinuat prædictum reſpectum non contingere rem relatam. Itaque aliud eſt, quod relatio non ſignificet reſpectum ſub munere contingentis rem relatam, & aliud eſt, quod prædictus reſpectus rem relatam non contingat: primum eſt verum, ſecundum eſt falſum. Ex quibus tantum infertur, quod relatio, vt relatio, non ſignificet vt quid ſubiecto inhærens, non vero, quod ſignificatum per relationem quid inhærens non ſit. Si ergo quid inhærens eſt, quamvis vt quid inhærens non ſignificetur, realitatem importat, quamvis illam non explicet. Quæ doctrina mea ſententia, & D. Thom. mens eſt. Ad 3. dico D. Th. nomine generis non intelligere relationē prædicamentalem, ſed tantum rationem analogam, cui neque debetur eſſe reale, neque rationis, ſed abſtrahit ab vtroque, ſervando tamen propriam rationem relationis.

97 Ratione arguitur contra eandem partem. Relatio creata ſecundum vltimam rationem relationis non dicit ordinem ad ſubiectum, ſed ad terminum: ergo ſecundum vltimam rationem relationis non dicit aliquid reale. Prob. Conſ. Nihil reale eſt in relatione creata, quod non habeat veram rationem inhærentis, & accidentis: ergo ſi relatio ſecundum vltimam ſui rationem non inhæret, ſecundum illam non erit ens reale. Ant. eſt D. Thom. art. ſequenti, vbi habet: *Relatio in eo, quod inhæret, habet convenire cum omnibus alijs accidentibus: ſed ſecundum rationem vltimam differentialem non habet convenire, ſed potius habet diſtingui à cæteris accidentibus*: ergo ſecundum vltimam ſui rationem non inhæret, neque reſpicit ſubiectum, ſed terminum.

Confirm. hoc. Relationi ſecundum rationem *ad* neque debetur, quod ſit ſubſtantia, neque debetur, quod ſit accidens: ergo neque debetur realitas: Conſ. eſt bona, & Ant. patet: nam non debetur, quod ſit ſubſtantia, quia hæc eſt ad ſe, & relatio eſt ad aliud: neque quod ſit accidens, quia omne accidens reſpicit ſubiectum, & *ad* reſpicit terminum. Confir. 2. Si eſſe *ad*, vt diſtinguitur ab *in*, eſſet aliqua realitas, poſſet per divinam potentiam impediri, ne fieret in ſubiecto, adhuc poſito fundamento, & termino, aut poſſet non conſervari, conſervatis fundamento, & termino; conſequens eſt falſum: ergo & Ant. Confirm. 3. Cuilibet entitati debetur exiſtentia ſibi proportionata: ergo ſi *ad*, vt tale, dicit entitatem, debebitur ei exiſtētia ſibi proportionata, hæc autem nequit eſſe alia, niſi relativa: ergo exiſtet relatio per exiſtentiam relativam: & ſic in Deo, in quo dantur plura *ad* relationum, dabuntur plures exiſtentiæ, quod videtur falſum, quia cum in Deo tantum detur vnica natura, nequit dari niſi vnica exiſtentia.

Ad hoc argumentum diſt. Ant. non dicit, id eſt, non explicat, conc. Ant. non dicit, id eſt, non importat implicitè, nego Ant. & ſub eadem diſtinctione diſt. Conſ. Ad prob. deſumptam ex D. Thom. dico relationem convenire cum alijs accidentibus in eo, quod ſecundum rationem accidentis non ſolum includit habitudinem ad ſubiectum, ſed etiam illam explicat; differt autem ab illis in eo, quod illa ſecundum peculiares rationes non ſolum includunt habitudinem ad ſubiectum, ſed etiam illam explicant: relatio vero ſecundum ſibi propria includit, verum non explicat, ſed tantum implicat reſpectum ad terminum.

Ad primam Confir. reſp. quod ſi in relatione attendamus id, quod tantum explicat, ita eſt, quod illi neque debetur modus eſſendi ſubſtantiæ, neque accidentis: verum ſi attendamus id, quod implicat illud explicitum, ſic relationi creatæ debetur modus accidentis, & increatæ modus ſubſtantiæ. Ad ſecundam nego Ant. non enim omnia, quæ diſtinguuntur, poſſunt, alijs poſitis, non poni, vel illis manentibus, non conſervari, ſi adſit intrinſeca, & veluti formalis connexio inter illa: & quia inter relationem, & fundamentum, & terminum adeſt intrinſeca, & formalis connexio, fit inde, quod, & ſi relatio, vt talis, realitate gaudeat, poſito fundamento, & ter-

ter-

termino, neceſſario ponatur, & illis conſervatis in eſſe, neceſſario conſervetur: etenim verbum per intellectionem productum realitatem importat diſtinctam ab intellectione, & tamen, poſita intellectione, quæ verbi productio de facto eſt, non poteſt non poni Verbum, & intellectione in eſſe permanenti, Verbum non poteſt non permanere. Ad vltimam dicam infra, vbi inquiremus ex profeſſo, an in Deo præter exiſtentiam abſolutam ponendæ ſint exiſtentiæ relativæ.

§. V.

Vtrùm inter relationes divinas, & eſſentiam Dei detur aliqua diſtinctio entitativa realis?

98 TVRPITER erravit circa hoc quæſitum Gilbertus Porrectanus: nam, vt referunt D. Thom. hic in art. 2. & infra quæſt. 39. art. 1 & D. Bonaventura in 1. diſt. 13. poſuit relationes divinas non eſſe intrinſecus affixas Deo, ſed tantum eſſe illi extrinſecus aſsiſtentes, ac per conſequens realiter entitative diſtingui ab eſſentia divina. Nec eſt audiendus Vazquez, qui ſententiam Gilberti reduxit ad ſententiam Scoti: nam ſententia Scoti damnata non eſt, bene vero ſententia Gilberti.

Tenendum ergo eſt inter divinas relationes, & eſſentiam divinam nullam intervenire realem entitativam diſtinctionem. Prob. 1. ex Concilio Remenſi ſub Eugenio III. vbi diffinitum eſt tres perſonas divinas eſſe Vnam eſſentiam Dei, & relationes ipſas eſſe Deum. Diffinitur etiam in Concilio Lateranẽſi. In divinis non eſſe quaternitatem; verum eſſet autem quaternitas, ſi relationes realiter entitative Differrent ab eſſentia: nam daretur hic Deus abſolutus realiter entitative diſtinctus à tribus perſonis inter ſe, & ab hoc Deo realiter diſtinctis. In Concilio etiam Florentino Seſſ. 25. habetur: ne ipſam eandem ſubſtantiam re, non autem ratione ſola ab hypoſtaſibus, & perſonis differre credere videamur. Facit etiam in favorem huius noſtri Aſſerti Auguſtinus 7. de Trinitate cap. 6. ibi: *Non eſt aliud Deo eſſe, & perſonam eſſe, ſed omnino idem.*

Quod ipſum ratio Theologica plane ſuadet. Nam in divinis, vt inquit Boecius, omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio, ſed inter eſſentiam divinam, & relationes non obviat relationis oppoſitio, cum eſſentia quid abſolutum ſit: ergo inter relationes, & eſſentiam non datur entitativa realis diſtinctio. Tum, etiã. Nam ens infinitum ſimpliciter in linea entis omnem formalitatem ſibi realiter compoſsibilem identificat; ſed eſſentia divina eſt ens ſimpliciter infinitum, & relationes ei incompoſsibiles non ſunt, neque enim ſunt ab illa productæ, neque cauſatæ: igitur divinitas ſibi realiter identificat relationes divinas.

Tertio prob. Nam alias Pater Æternus non eſſet quid ſimplex, ſed compoſitus ex varijs realitatibus; conſequens eſt abſurdum, vt diffinitur de ſumma Trinitate: ergo. Sequela prob. Ibi eſt realis compoſitio, & non ſimplicitas, vbi eſt multiplicitas rerum in eodem ſuppoſito, conſtituto ex illis; ſed Pater Æternus conſtaret eſſentia, & relatione inter ſe realiter diſtinctis: ergo non eſſet ſimplex, ſed realiter compoſitus. Quarto hoc ipſum convincit ratio D. Thom. hic in argumento *ſed contra*: Omnis res, quæ non eſt divina eſſentia, eſt creatura; ſed relatio divina cõpetit Deo: ergo ſi non eſt divina eſſentia, erit creatura.

99 Sed iam videamus id, in quo Gilbertus ſuum errorem fundabat. Etenim volebat fugere errorem Arrij, & errorem Sabellij: Arrius enim ad multiplicationẽ perſonarũ multiplicabat eſſentiam; Sabellius autem ad ſingularitatem eſſentiæ reſtringebat numerum perſonarum: vt ergo Gilbertus vnam tantum poneret eſſentiam & tres perſonas, quo ſe duplici errori relato opponebat, poſuit tres relationes extrinſecus aſsiſtere ipſi Deo, ne ſi idem diceret cum Deo, cogeretur vel iuxta Dei ſingularitatẽ reſtringere numerũ perſonarum, vel iuxta numerum perſonarũ multiplicare ipſam Deitatẽ. Convincebatur enim hoc ſyllogiſmo: quæ ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe; ſed relationes ſunt idem tertio, nempe huic Deo: ergo ſunt idem inter ſe: ſi ergo tres perſonæ identificantur cum hoc Deo, neceſſario dicendum erit vel eſſe tres Deos iuxtá numerum perſonarum, vel eſſe vnam perſonam iuxta ſingularitatem Deitatis.

Cæterum hoc argumentum non habet tantum robur, quod coget nos errare in fide. Etenim ſic in forma liceat illud ſolvere: quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe, ſi illa ſint abſoluta,

Digitized by Google

ſicut & tertium eſt abſolutum, conc. Ma. ſi illa ſint relativa, & tertium pure abſolutum, nego Ma. & conc. Mi. nego Conſ. Itaque illa Maior ſyllogiſmi adducti non eſt vera, quando tertium eſt abſolutum, & ea, quæ cum illo identificantur, relativa ſunt; nam tunc cum illa relativa non opponantur tertio abſoluto, non habent diſtingui ab illo: & cum realiter opponantur inter ſe, habent inter ſe realiter diſtingui: & cum fides noſtra proclamet tres perſonas relativas, & vnum Deum abſolutum, fit inde, quod, eſto ab illo Deo tres perſonæ non diſtinguantur, non ſit neceſſe inter ſe non diſtingui. Et ſic manebit ſalva fides Trinitatis, qua confitemur tres perſonas inter ſe realiter diſtinctas cum hoc Deo abſoluto realiter identificata.

Iuxta quam doctrinam explicare liceat verba Theodoreti, & Hylarij Arelatenſis, quæ in ſui favorem adducebat Gilbertus. Etenim Theodoretus dictabat ſic: *Qui enim naturam, & perſonam idem eſſe intelligit, aut in diviſionem Arrij incidet, aut in confuſionem Sabellij.* Hillarius autem dicebat: *Non eſt idem natura, quod res naturæ. Hæc autem vera ſunt, ſi ſic intelligantur, qui enim naturam, & perſonam idem eſſe intelligit, ſic, quod non diſtinguet illa penes abſolutum, & relativum, aut in diviſionem Arrij incidet, aut in confuſionem Sabellij.* Cum ergo fides diſtinguat inter illa, tanquam inter abſolutum, & relativum, ex hoc, quod aſſerat realiter eſſe idem non incidit, vel in diviſionem Arrij, vel in confuſionem Sabellij. Hillarius etiam ſic debet intelligi, non eſt idem natura, & res naturæ, ſic quod non differant penes abſolutum, & relativum.

§. VI.

Vtrùm inter eſſentiam, & relationes ad ſit diſtinctio realis modalis.

100 CIRCA huiuſmodi quæſitum Durandus in primo, diſt. 33. quæſt. 1. num. 23. ſic habet: *Dicenda ſunt tria, primum eſt, quod differentia eſſentiæ, & relationis in divinis non eſt pure, & præciſè ſecundum rationem; ſecundum eſt, quod non eſt dicendum ſimpliciter, & abſolute, quod differant realiter: tertium eſt, quod neceſſarium eſt dicere, quod differant aliquo modo realiter, ſalt im ſecundum quid.*

Hæc ſententia Durandi ab omnibus Theologis communiter deſeritur, & merito quidem: nam ſi eſſentia, & relatio aliquo modo realiter diſtinguuntur, erit neceſſe dicere, quod aliquo modo realiter non ſunt idem; & hoc non poteſt dici: ergo neque dici poterit, quod aliquo modo realiter diſtinguuntur. Conſ. eſt evidens, Mai. certiſsima, & Min. prob. Nam in Concilio Florentino ſupra adducto habetur: *Ne ipſam eandem ſubſtantiam re, non autem ratione ſola ab hypoſtaſibus, & perſonis differre credere videamur.* Ex quibus ſic argumentor. Quæ ſola ratione diſtinguuntur, ſola ratione non ſunt idem; at quæ aliquo modo realiter diſtinguuntur, pluſquam ſola ratione non ſunt idem: ergo dum eſſentia, & relatio iuxta Durandum aliquo modo realiter non ſint idem, iuxta ipſum pluſquam ſola ratione non ſunt idē: ergo ſententia Durandi eſt contra Concilium adductum.

Secundò Patres non admittunt in Deo ſubiectivam quaternitatem; eſto admittāt quatuor relationes terminative quatuor; ſed ſi relationes aliquo modo realiter non ſunt eſſentia Dei, debet admitti quaternitas ſubiectiva: ergo. Prob. Min. Etenim hic Deus abſolutus aliquo modo realiter diſtinguitur ſubiective à tribus relationibus: ergo datur in Deo quaternitas, id eſt, quatuor res realiter diſtinctæ aliquo modo inter ſe.

Nec valet dicere Patres negare tantū quaternitatem rerum, quæ ſint perſonæ, non vero rerū realiter diſtinctarū: etenim ibi damnatur illa ſola quaternitas, quam dabat Abbas Ioachim, & imponebat Magiſtro Sent. Hæc autem erat ſola quaternitas perſonarum; non vero rerum realiter diſtinctarum. Non inquam valet: Tum, quia falſum eſt Abbatem Ioachim impoſuiſſe Magiſtro quaternitatem perſonarum. Tum, quia, vt conſtat ex contextu, non damnatur ſola quaternitas perſonarum; habetur enim ſic: *Quadam ſumma res eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non quaternitas, quia qualibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura divina.* Quibus, vt apparet, non dicitur, *non quaternitas perſonarum*, ſed dicitur abſolute, *non quaternitas*, vt damnentur ſive illi, qui ponerent quatuor perſonas, ſive illi, qui ponerent quatuor entitates, ſive quatuor modos realiter inter ſe diſtinctos.

Nec

101 Nec valet ſi ſecundo dicas quaternitatē proprie ſonare quatuor ſimpliciter realiter diſtincta, non vero ea, quæ ſolum ſecundum quid realiter diſtinguuntur, qualem diſtinctionem ponit Durandus inter eſſentiam, & relationes: non ergo poteſt dici, quod ex eius ſententia inferatur dari quaternitatem in divinis. Non, inquam, valet: Nam ideo eſſentia divina, & relationes non diſtinguerentur realiter ſimpliciter, quia relationes divinæ comparantur ad eſſentiam vt puri modi, & non vt veræ res, ſicut ſentit Durandus; at hoc eſt falſiſsimum: ergo. Prob. Min. Relationes divinæ ſunt ſubſtantiæ, & vt quod ſubſiſtentes; inſuper ſunt ipſæ perſonæ: ergo comparantur ad naturam, non vt modi incompleti, ſed vt veræ res: ſi ergo vere realiter à natura diſtinguuntur, ſimpliciter, & non ſecundum quid diſtinguentur.

Deinde. In divinis datur abſoluta, & ſimpliciter Trinitas: ergo ſi ponatur ex alia parte hic Deus abſolutus realiter diſtinctus à Trinitate, proprie dabitur quaternitas. Patet Conſ. quia dum ternario advenit vnitas realiter diſtincta, fit quaternarius: ergo ſi Trinitati ſuperaddatur vnitas realiter diſtincta, fiet quaternitas. Deinde: Patres negant quaternitatem, quia tres perſonæ ſunt vnus Deus: ergo ſi ponatur, quod realiter diſtinguantur ab hoc vno Deo, erit concedenda quaternitas.

Sed vlterius impugno principaliter ſententiam Durandi. Etenim in Deo nulla poteſt poni finitas, neque limitatio, ac per conſequens nec poteſt poni inter divina realis diſtinctio orta ex reali limitatione: ergo ſi ponitur inter divina diſtinctio, debet poni ratione relativę oppoſitionis; quià ex hoc duplici capite poteſt diſtinctio inter aliqua oriri; ſed inter eſſentiam, & relationes nulla datur relativa oppoſitio: ergo inter illa nulla dabitur realis diſtinctio. Vlterius. Eſſentia, & relatio vere vniuntur in perſona Patris: ergo ſi aliàs realiter diſtinguuntur inter ſe, vere perſona Patris erit compoſita, ex eſſentia, & relatione Paternitatis; hoc autem dici non poteſt: ergo neque dici poterit Paternitatem, & eſſentiam realiter diſtingui inter ſe. Nec valet dicere, quod modus non facit compoſitionem cum re, cuius eſt modus: vnde cum relatio divina ſit modus eſſentiæ divinæ, non componet cum illa. Non, inquam, valet: nam relatio, & natura realiter vniuntur in Patre; non per identitatem realem: ergo per compoſitionem; nam compoſitio nihil aliud eſt, quam diſtinctorum vnio.

§. VII.

Solvuntur argumenta Durandi.

102 PRIMO arguitur. Ea aliquo modo realiter inter ſe diſtinguuntur, quæ aliquo modo non ſunt idem realiter inter ſe; ſed eſſentia, & Paternitas aliquo modo non ſunt idem realiter inter ſe: ergo aliquo modo realiter inter ſe diſtinguuntur. Prob. Min. Aliquid omnimodo realiter eſt eſſentia divina, quod aliquo modo realiter non eſt Paternitas: ergo eſſentia, & Paternitas aliquo modo non ſunt idem realiter inter ſe. Conſ. eſt bona, & Ant. prob. Eſſentia divina omnimodo realiter eſt Filiatio; ſed Paternitas divina aliquo modo realiter nō eſt Filiatio, nam Filiatio, & Paternitas realiter inter ſe diſtinguuntur: igitur eſſentia divina aliquid eſt omnimodo realiter, quod aliquo modo realiter non eſt Paternitas.

103 Hoc argumentum valde difficile eſt, nec claram eius inquam vidi ſolutionem: curabo tamen pro viribus illud ſolvere. In forma ergo nego Min. Ad prob. nego Ant. Ad prob. diſt. Min. ſed Paternitas divina aliquo modo realiter non eſt Filiatio, ratione eſſentiæ divinæ, nego Min. comparatiue ad Filiationem, conced. Min. & diſting. Conſeq. quod non eſt Paternitas, ratione eſſentiæ divinæ, nego Conſeq. quod non eſt Paternitas comparatiue ad Filiationem, conced. Conſeq. Itaque cum Paternitas divina non opponatur realiter cum eſſentia divina, realiter eſt ipſa eſſentia divina, & ratione eſſentiæ eſt realiter idem cum omni eo, cum quo eſt idem realiter ipſa eſſentia divina; hæc autem realiter eſt tota Trinitas: & ſic Paternitas ratione eſſentiæ divinæ realiter eſt tota Trinitas. Vnde realiter nihil eſt eſſentia divina, quod realiter ratione eſſentiæ divinæ non ſit Paternitas divina.

Sed inſto. Eſſentia divina omnibus modis eſt ipſa Filiatio divina ſic, quod ex nullo capite habeat non eſſe idem cum illa; at Paternitas eſto ratione eſſentiæ divinæ ſit Filiatio divina, tamen ex alio capite

pite realiter diſtinguitur ab illa: ergo iam eſſentia divina eſt omnibus modis realiter aliquid, quod ex omni capite realiter non eſt Paternitas divina.

Ad hoc diſt. Ant. tamen ex alio capite realiter diſtinguitur ab illa. Ab illa, prout immediate reſpecta, conc. Ant. ab illa identice, & ratione eſſentiæ divinæ, nego Ant. Et diſt. Conſ. ergo iam eſſentia divina omnibus modis realiter eſt aliquid, quod ex omni capite realiter non eſt Paternitas divina, prout comparatur immediate cum illa, conc. Conſ. identice, & ratione eſſentiæ divinæ, nego Conſ. Itaque eſto Paternitas divina, prout immediate refertur ad Filiationem, realiter non ſit Filiatio, tamen nihil eſt in Filiatione, quod ratione eſſentiæ divinæ non ſit Paternitas: & ſic non ſequitur, quod Paternitas, & Filiatio non ſint idem omnino realiter.

103 Secundo arguit Durandus. Eſſentia divina realiter eſt in ſuppoſito Patris; Filiatio autem divina non eſt in ſuppoſito Patris: realiter ergo Filiatio, & eſſentia divina non ſunt omnino realiter idem. Conſ. videtur bona, & Ant. quoad primam partem eſt veriſsimum, & quoad ſecundam prob. Si Filiatio eſſet realiter in ſuppoſito Patris, inde ſequeretur, quod, ſicut Pater formaliter eſt Deus à Deitate exiſtente realiter in illo, ita eſſet formaliter Filius, à Filiatione realiter exiſtente in ſuppoſito Patris; at hoc non poteſt dici: ergo nec dici poterit, quod Filiatio realiter ſit in Patre.

Ad hoc diſt. ſecundam partem Ant. Filiatio autem non eſt in Patre, prout explicat oppoſitionem cum Patre, concedo Ant. ratione eſſentiæ divinæ, vel prout idem eſt cum eſſentia divina, nego Ant. & Conſ. Namque Filiatio, prout immediate eſt ad Patrem, non eſt formaliter in Patre; ſed dum Filiatio eſt idem cum natura divina ratione identitatis realis omnimodæ, quam habet cum illa, eſt in Patre: prout ſic enim non opponitur Patri, ſicut neque ipſa eſſentia divina, ratione cuius eſt in Patre.

§. VIII.

Vtrùm eſſentia, & relatio diſtinguantur ex natura rei?

104 SCOTVS in primo, diſt. 2. q. 7. aſſerit inter eſſentiã divinã, & eius relationes ad eſſe actualem diſtinctionem, non realem, non rationis, ſed ex natura rei, ante opus tamen intellectus noſtri. Ipſum ſequitur eius Familia communiter, exceptis paucis, qui tenaciter tenent ſententiam Scoti non eſſe diſtinctam à ſententia Div. Thom. Oppoſitum tamen tenent Thomiſtæ, quibus vt in plurimum adhærent Patres Societatis. Sit.

Concluſio. Inter eſſentiam, & relationes nulla invenitur diſtinctio actualis ante opus intellectus quæ à Scoto appellatur diſtinctio formalis, ſeu ex natura rei. Dicimus *actualis*, prout diſtinguitur à virtuali, quæ licet actu ſit in Deo ante opus intellectus, non tamẽ ſic eſt actualis, quod ſit inter extrema actu formaliter diſtincta. Sic tenet D. Thom. hic, art. 2. & de Potentia, art. 2. & in primo, diſt. 2. quæſt. 1. art. 5. & in 1. diſt. 33. quæſt. 1. art. 1. & Quodl. 6. art. 1. Et ſuadetur ex Concilio Lateranenſi: & habetur in cap. *Damnamus*, vbi dicitur: *Id, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino*, quod verbum *omnino* nequit exacte interpretari, ſi formaliter ante opus intellectus relationes diſtinguantur ab eſſentia. Et in Concilio Florent. Seſſ. 25 dicitur: *Ne identitatem, coniunctionemque divinæ ſubſtantiæ diſtribuere, ac ipſam eandem ſubſtantiam re, non autem ſola ratione ab hypoſtaſibus, ſeu perſonis differre, credere videamur*: ergo perſonæ divinæ nullatenus re, ſed tantum ratione ante opus intellectus diſtinguuntur ab eſſentia divina.

Ad hæc reſp. Scotiſtæ nomine diſtinctionis rationis non intelligi à Cõcilio eã, quam intellectus efformat, ſed etiam, quæ reperitur inter quidditates formaliter diſtinctas: vnde ratio, ibi accipitur pro quidditate, & natura rei, nõ pro ente rationis, quod intellectus efformat. Cæterum hæc interpretatio vana redditur ex ipſo textu Concilij, nam Seſſ. 18. parum poſt medium ſic habetur: *Divina ſubſtantia, & perſona, re quidem ſunt idem, ſecundum autem modum intellectionis noſtræ differre videntur*. Et Seſſione 19. *Sola ratione, ac intelligentia differre creduntur*: ergo Concilium nomine diſtinctionis rationis non accipit diſtinctionem, quæ eſt inter duas rationes, hoc eſt, quidditates, ſed accipit eam, quam intellectus noſter, qui ratio dicitur, efformat. Alij Scotiſtæ reſp. Conciliũ ibi non procedere diffinitive, ſed ſolum diſputative. Sed hoc etiam inutiliter dici probat modus loquẽdi Concilij; *Sola ratione, & intelligentia differre*

Digitized by Google

ferre creduntur. Ex quibus ſic. Iuxta Concilium ſola ratione, & intelligentia differre creduntur: ergo iudicat Concilium, quod relatio, & eſſentia ſola ratione, ac intelligentia diſtinguantur.

105 Ratione prob. Concluſio. Inter eſſentiam, & relationes ante opus intellectus non datur diſtinctio realis: ergo ante opus intellectus non datur inter illa diſtinctio actualis. Ant. eſt Scoti, qui non audet, ſicut Durandus, hanc diſtinctionem appellare realem, ſed dicit mediam inter realem, & rationis, nempe formalem, vel ex natura rei. Conſeq. autem prob. Nam omne ens in actu, independenter à ratione confingente eſt ens reale. ergo ſi hæc diſtinctio ante opus intellectus eſt ens in actu, erit ens reale; vel ſi non ſit ens reale, non erit ens actu habens eſſe independenter à ratione. Explicatur hoc. Vel illa diſtinctio ante opus intellectus habet eſſe extra cauſas, vel expectat habere eſſe extra cauſas ab intellectu confingente; ſi hoc ſecundum, erit ens rationis, ſi primum erit ens reale: neque enim vſquam inventum eſt aliquid extra cauſas exiſtere ſine exiſtentia reali, & ſine exiſtentia rationis.

Sed dicunt Scotiſtæ quod ſi ens accipiatur pro eodem, quod res, ita eſt, quod nihil habet eſſe, niſi vel reale, vel rationis; ſi autem ens accipiatur pro quidditate, ſeu natura non ita eſſe: diſtinctio autem, quæ habetur inter eſſentiam divinam, & relationes, non eſt inter rem, & rem, ſed inter formalitatem, & formalitatem eiuſdem rei: vnde erit media inter realem, & rationis. Sed contra. Omne ens divinum in actu exiſtens, ſive ſit res, ſive formalitas rei, eſt ens reale: ergo ſi hæc diſtinctio actualis formalitatum actu exiſtit, erit ens reale actu, vel ſi non ſit ens reale, non erit actu exiſtens. Prob. Ant. Omne ens divinum actu exiſtens, ſive ſit res, ſive formalitas, actu exiſtit exiſtentia phyſica Dei: ergo erit ens reale phyſicum.

106 Secundo prob. Concluſio. Divinitas eſt ens ſumme ſimplex, & nullo modo compoſitum; ſed hoc ipſo, quod inter eſſentiam, & relationes ponatur huiuſmodi actualis diſtinctio ante opus Intellectus, non erit ſumme ſimplex, & nullo modo compoſitum: ergo non eſt ponenda talis actualis diſtinctio. Mai. fatentur Concilia, & Patres, & Min. probo. Hoc ipſo, quod admittatur talis actualis diſtinctio, debet admitti actualis cōpoſitio ante opus Intellectus: ergo non erit Divinitas ens incompoſitū, & ſumme ſimplex. Prob. Ant. Compoſitio eſt diſtinctorum vnio; ſed in Patre divino vere datur vnio inter eſſentiam, & Paternitatem: ergo ſi hæc ante opus Intellectus actualiter diſtinguuntur, dabitur diſtinctorum vnio, ac per conſequens Pater vere componetur ex eſſentia, & Paternitate.

Reſp. Scotus. Non quamcumque vnionem diſtinctorum eſſe compoſitionem, ſed ſolum, illam in qua diſtincta ſe habent inter ſe per modum potentiæ, & actus: cumque eſſentia, & Paternitas inter ſe non ſic comparentur, non ſequitur, quod vnio earum in Patre ſit compoſitio. Sed contra eſt. Nam non omnis compoſitio fit ex partibus vnitis per modum potentiæ, & actus: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. In primis continuum componitur ex varijs partibus quantitatis; & tamen iſtæ partes non vniuntur vt potẽtia, & actus. Chriſtus etiam ſecundum Concilia, & Patres vere eſt perſona compoſita; & tamen extrema, quæ vniuntur in illa, non cōparantur vt potentia, & actus: ergo.

Secundo inſto. Eſſentia, & Paternitas, ex quibus Pater coaleſcit, vel vniuntur per ſe in Patre, vel per accidens; ſi hoc ſecundū, Pater erit acervus formalitatum: ſi primū, faciunt vnum per ſe: ergo vniuntur per modum potentiæ, & actus. Præterea. Eſſentia actualiter diſtincta à relatione nequit ſe ipſa ſola formaliter actualiter dare totum id, quod formaliter tribuunt eſſentia, & relatio: ergo eſſentia formaliter actualiter erit perfectibilis per relationem, & ſic erit in potentia ad relationem: dabitur ergo ratio potentiæ, & actus, ac per conſ. compoſitio.

Præterea. Cum Concilia, & Pátres aſſerant Deum eſſe ſumme ſimplicem, debemus neceſſario fateri de illo, illam ſummam ſimplicitatem, quam poſsibilem iudicamus; ſed ſumma ſimplicitas per identitatem formalem relationis cum eſſentia iudicatur poſsibilis: igitur hæc debet Deo concedi; hæc autem excludit etiam diſtinctionem actualem duarum formalitatum ante opus intellectus: ergo, Mai. eſt certa, & Minorem, quam negat Scotus, ſic probo. Quia Deus eſt infinitus ſimpliciter in linea entis realis, habemus, quod Divinitas ſic ſit vna ſumma res, quod non ſit diſtinctio realis inter eſſentiam, & relationes: ergo quia Divinitas eſt infinita ſimpliciter in linea quidditatis, & formalitatis

Digitized by Google

tatis, debemus dicere ſic eſſe vnã formalitatem, quod non ſit diſtinctio formalis actualis inter eſſentiam, & relationes. Explico hoc. Eſſentia divina non ſolum in eſſe entis realis eſt infinita ſimpliciter, ſed etiam in ratione quidditatis, & rationis formalis: ergo, ſi quia eſt infinita in ratione realitatis, a nullo prædicato divino habet diſtinctionẽ realem, etiam, quia eſt infinita in ratione quidditatis, & rationis formalis, à nullo prædicato divino habebit diſtinctionem formalem.

107 Dices eſſentiam non eſſe ſimpliciter infinitam in ratione quidditatis, & rationis formalis, ſed ſolum eſſe infinitam in ratione quidditatis naturalis, id eſt, intra lineam naturæ per ſe ſubſtantialis: & ſic nequit formaliter identificari cum ratione formali relationis. Sed contra eſt. Nam infinitas, quæ convenit naturæ Dei in eſſe entis realis, non ſolum eſt infinitas intra ordinem rei, quæ eſt natura, ſed etiam eſt infinitas comprehendens totum ordinem divinæ realitatis: ergo infinitas formalis, quæ illi convenit, non tantum erit intra lineam naturæ ſubſtantialis, ſed etiam intra lineam omnis divinæ formalitatis.

Sane vellem, quod Scotus mihi aſsignaret rationem huius: quare infinitas, & Illimitatio applicata realitati facit in Deo vnam omnino ſimpliciſsimam entitatem realem, & infinitas, & illimitatio applicata formæ, naturæ, & quidditati, non faciet in Deo vnam omnino ſimplicem formam, vnam omnino ſimplicem naturam, & vnam omnino ſimplicem quidditatem. Forſan dices cum Scoto rationem huius eam eſſe, quod realitas ſumitur ab ipſo actu eſſendi realiter; cumque in Deo tantum detur vnica exiſtentia, datur tantum vnicus modus eſſendi realiter: & ſic Deus eſt vna tantum ſimpliciſsima res. Natura autem, & quidditas, & ratio formalis, deſumuntur ex prædicatis quidditativis, quæ nobis innoteſcunt per diffinitiones eorum: cumque ante opus intellectus dentur diſtinctæ diffinitiones de formalitatibus divinis, dentur ſimiliter prædicata oppoſita, quæ ob ſui oppoſitionem de eadem formalitate nequeunt verificari: hinc fit, quod dentur in Deo neceſſario variæ quidditates, & rationes formales.

Sed contra eſt, & in primis Scotus non bene aſsignat vnius rei realitatem per hoc, quod omnia divina vnica indiviſibili que exiſtentia actuentur, etenim in nobis materia, & forma vnica exiſtentia actuantur, nempe exiſtentia compoſiti, & tamen materia, & forma diverſæ realitates ſunt. Inſuper Chriſtus conſtat ex rebus diverſis, & tamen vnica exiſtentia actuantur omnia, quæ Chriſtus continet: ergo falſum eſt dicere in Deo eſſe vnicam realitatem; quia omnia divina vnica exiſtentia actuantur.

Deinde impugno. Nam inquiro cur infinitas, & illimitatio applicata realitati conſtituit divinitatem in eſſe ſolius vnius realitatis, & applicata formalitati non conſtituit vnam infinitam formalitatem, quæ ſi diffiniatur ſicuti eſt in ſe, vnica tantum definitione diffiniatur? cui quæſito ſatis non fit, per ea, quæ reſpondet Scotus. Nam Thomiſtæ cum ſuo Auctore, ſicut Divinitati vnam tantum dant exiſtentiam, ita illi vnam tantum aſsignant definitionem, ſi ſecundum, quod eſt in ſe Divinitas definiatur, & ſolum aſsignant varias definitiones rebus Divinis, ſecundum quod inadæquate, & imperfecte à nobis, pro hoc ſtatu concipiuntur, & exprimuntur nominibus tantum inadæquate Divinitatem ſignificantibus, vt colligi poteſt ex his, quæ D.Thom. aſſerit in hoc art. 2. ad 2. ibi *in Deo autem non eſt alia res ſed vna, & eadem, quæ non perfecte exprimitur relationis nomine, quaſi ſub ſignificatione talis nominis comprehenſa, dictum eſt enim ſupra, cum de Divinis nominibus ageretur, quod plus continetur in perfectione Divinæ eſſentiæ, quam aliquo nomine ſignificari poſſit: vnde non ſequitur, quod in Deo præter relationem ſit aliquid aliud ſecundum rem, ſed ſolum conſiderata nominum ratione.*

Præterea, quod de Divinis variæ aſsignentur definitiones, non probat ante opus intellectus dari in Deo plures formalitates, ante opus intellectus, quæ ſint actu plures, ſed quæ ſint tantum fundamentaliter plures, nam definitiones non ſunt de rebus, vt præveniunt conceptus noſtros, diffinimus enim, & nominamus Divina, ſicut illa concipimus; quia autem intellectus noſter ob ſui imperfectionem, nequit vnico conceptu Divina adæquate comprehẽdere, varios de Divinis cõceptus format, varia nomina Divinis imponit, & varias de Divinis, ſic intellectis, diffinitiones ſtatuit: vnde ex multiplici diffinitione, non infertur ante opus intellectus multiplex formalitas in Divinis.

Ter-

108 Tertio prob. Concluſio Formalitas eſſentię in Deo formaliter eſt divina non minus, quam divina ſit formalitas realitatis in eodem; ſed, quia realitas in Deo formaliter divina eſt, non datur ante opus intellectus niſi vna omninó vna, & ſimplex realitas: ergo quia eſſentia in Deo eſt divina formalitas, ante opus intellectus tantum erit vna. Prob. Mai. huius diſcurſus. Nam formalitas eſſentiæ in Deo eſt formaliter ens: ergo vel divinum, vel creatum. Dices huic rationi prædicatum Divinitatis applicatum realitati facere, quod realitas in Deo ſit vna omnino ſimplex, quia realitas ex terminis, & ex natura ſua non limitatur; applicata autem eſſentiæ non reddit eſſentiam omnino vnam, quia eſſentia ex ipſa rei natura limitatur, etiam in Deo: iuſtitia enim ex terminis ita eſt iuſtitia, quod non ſit formaliter miſericordia: cum enim alia ſint prædicata iuſtitiæ, & alia ſint prędicata miſericordiæ, ex hoc, quod eſt iuſtitia divina, tantum infertur, quod habeat in ſe omnem rationem de linea iuſtitiæ, non vero fieri poteſt, quod formaliter ſit miſericordia; quia ad prædicata miſericordiæ pervenire non valet. Sed contra eſt: In creatis res non ſolum ſunt limitatæ quoad eſſentiam, ſed etiam quoad entitatem, & realitatem; & tamen realitas, quia divina, ſic depuratur ab omni limitatione, quod non admittuntur in Deo ante opus intellectus duæ realitates actu duæ: ergo pariter eſſentia, quia divina, ſic depurabitur ab omni limitatione, quod ante opus intellectus non dentur in Deo duæ eſſentiæ, quæ ſint actu duæ.

§. IX.

Soluuntur Argumenta.

109 ARGVITVR primo in favorē ſentētię Scoti. Nā in Cōcilio Florentino diffinitur: *Patrem gignendo omnia dediſſe Filio præter Paternitatem, ſeu eſſe Patrem.* Et in Lateranenſi diffinitur *Trinitatem ſecundum communem ſubſtantiam individuam eſſe, & ſecundum proprietates perſonales diſcretam.* Item diffinitur *Eſſentiam non generare nec genitam eſſe*; ſed ad verificandas iſtas loquutiones non ſufficit diſtinctio per noſtros conceptus: ergo requiritur, quod inter eſſentiam, & relationes mediet ante opus intellectus aliqua diſtinctio actualis. Prob. Min. Nam illæ loquutiones à parte rei ſunt veræ: ergo requiritur aliqua diſtinctio à parte rei, ratione cuius verificentur.

Confirm. hoc ipſum Authoritate Parentis Auguſtini. Nam 5. de Trinit. cap. 6. ait: *Relationes non prædicantur de Deo ſecundum ſubſtantiam, neque ſecundum accidens, ſed vt ad aliquid.* Et ibidē: *Si eſſe ad aliud eſt, iam eſſe non eſt.* Et 7. de Trinit. dicit: *Quod abſurdum eſt vt ſubſtantia dicatur ad aliud.* Et ibidem: *Eo Filius, quo Verbum, eo Verbum, quo Filius, non autem eo Verbum, quo ſapientia, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſapientia autem ad ſe dicitur.* Et ibidem: *Non aliud eſt Deo eſſe & ſubſiſtere, ſed aliud eſt Deo eſſe, & eſſe Patrem.* Ex quibus tale fit argumentum: Ante opus intellectus verificari debet, quod eſſentia Divina ad aliud non eſt, & quod relatio ad aliud eſt; quod Verbum ad aliud eſt, non vero quod ſapientia ad aliud ſit, & ſic de alijs: ergo ante opus intellectus debet inter eſſentiam, & relationes dari actualis diſtinctio.

Pro ſolutione huius argumenti, & aliorum, quæ multiplicat Scotus, adverto, quod Divinitas per hæc nomina, eſſentia relatio, non ſignificatur adæquate, & vt in ſeipſa eſt, ſed tantum inadæquate, & imperfecte, prout à nobis concipitur; ſi enim Divinitas adæquate ſignificaretur, ſignificaretur per nomen explicans, quādiam formalitatem, quæ formaliter eſſet eſſentia, & formaliter eſſet relatio, ſignificaretur enim aliquod ens, quod formaliter explicaret tam abſolutum, quam relativum: vnde verificaretur de illa formaliter, quod eſſet ad ſe, & quod eſſet ad aliud, ad ſe ratione abſoluti, ad aliud ratione relativi: quod non contingit, dum vtimur hoc nomine *eſſentia*, quo tantum ſignifico abſolutum, & dum vtimur nomine *relatio*, quo tantum ſignifico relativum, quod patet ex doctrina D. Thom. ſupra adducta ex hoc art. 2. ad 2. Vnde cum ego profero, eſſentia Divina ad ſe eſt, iam loquor de illa Divinitate, prout à me concepta eſt inadæquate, & imperfecte: & ſic iam loquor de illa, prout ſubeſt conceptui meo diſtincto ab eo conceptu, quem formo de ipſa Divinitate, dum hanc profero, relatio ad aliud eſt: vnde in his loquutionibus ſemper involvitur diſtinctio, quam intellectus noſter facit inter eſſentiam, & relationem.

Digitized by Google

110 Ex his ergo ad argumentum factum nego Min. Ad prob. nego Ant. involvitur enim in illis divinitas imperfecte concepta, & inadæquate ſignificata, quod tantum per noſtros conceptus imperfectos fit; etenim a parte rei Divinitas eſt ad ſe, & eſt ad aliud, eſt Verbum, eſt ſapientia, eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ob ſui enim eminentiam adunat in ſe ea, quæ ſibi contradicere videtur. Quæ doctrina eſt expreſſa D. Thom quæſt. præcedenti, art. 2. ad 3. ibi: *In ipſa enim perfectione divini eſſe continetur & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi: ſicut & quæcumque, quæ ad eius perfectionem pertinent.* Super quæ Caiet. *Perſpicue apparet hic, quod nulla eſt diſtinctio formalis actu inter eſſentiam divinam & proprietates perſonales, & attributa, & reliqua, quæ in Deo formaliter ſalvantur, ipſa enim perfectio divini eſſe, ſi ſecundum ſe diffiniretur, hæc omnia in ſe concluderet.*

Verum quia divina formalitas non eſt relativa ratione abſoluti, neque eſt abſoluta ratione relativi, ſed ob eminentiã ſuæ Divinitatis eſt abſoluta, & relativa, fit inde, quod dum explicatur tantum vt abſoluta repugnant illi, quæ ſunt relativa, & dum explicatur vt relativa, repugnant illi, quæ dicuntur de abſolutis: cumque, cum dico *eſſentia divina*, tantum explicẽ Divinitatem, ex quo eſt abſoluta, & cum dico *relatio divina*, tãtum explicẽ Divinitatem, ex quo eſt relativa, fit inde, quod, quæ dicuntur de eſſentia divina, repugnent his, quæ dicuntur de eſſentia divina, & è contra. Per quæ patet ad authoritates ex Auguſtino adductas; loquitur enim de eſſentia, & relationibus, prout his nominibus inadæquate Divinitatem explicant, in qua loquutione ſemper involvitur noſter modus concipiendi imperfecte cognoſcens divina, ac per conſequens ea actualiter diſtinguens. Dices Patrem Æternum ab æterno ante omnem intellectum imperfecte divina concipientem vere cognoſcere ſe Filio communicare eſſentiam, & non cõmunicare illi eſſe Patrẽ: ergo ante omnem intellectum imperfecte concipientem iſtæ duæ prædicationes ſunt veræ, eſſentia communicatur Filio, Paternitas non communicatur Filio.

Ad hoc dico, quod ante opus intellectus non datur in Deo eſſentia, & Paternitas, prout his nominibus partite, & diviſim ſignificantur, ſed datur tãtum vna forma Divinitatis, quæ eſt eminenter formaliter abſoluta, & formaliter relativa: hanc autem perfectiſſime cognoſcẽs Pater cognoſcit ſe Filio communicare eſſentiam ſuam, ex quo eſt abſoluta, non vero ex quo eſt relativa, vt cuius communicationis, & non communicationis deinde intellectus noſter imperfecte percipiens Divinitatem id, quod cognoſcit communicari Filio, diſtinguit ab eo, quod non communicatur, & primum ſignificat nomine eſſentiæ, & ſecundum ſignificat nomine relationis. Vnde in forma ad inſtantiam nego Ant. non enim ab æterno videt Pater ſe communicare Filio eſſentiam, & non communicare Paternitatem, prout his nominibus actualiter partita ſignificantur prædicta duo, ſed, vt dixi, videt ſe communicare Filio ſuam Divinitatem, ex quo eminẽter formaliter abſoluta eſt, non vero ex quo relativa eſt: quomodo autem iſta duo poſſint Divinitati convenire ante opus intellectus ſine actuali diſtinctione inter abſoluta, & relativa, videbimus in ſolutione ſecundi argumenti.

111 Secundo arguitur. Implicat, quod eadem indiviſibilis formalitas ante opus intellectus communicetur, & non communicetur: ergo cum eſſentia divina ab æterno communicetur Filio, & Paternitas non communicetur, eſſentia divina, & Paternitas divina non erunt eadem formalitas ante opus intellectus. Prob. Ant. Eidem formalitati omnino realiter eidem nequeunt convenire prædicata realiter inter ſe oppoſita; ſed eſſentiam ante opus intellectus communicari realiter Filio, & Paternitatem ei ante opus intellectus realiter non communicari ſunt prædicata realiter oppoſita: igitur nequeunt eidem formalitati omnino realiter eidem ante opus intellectus convenire: ergo eſſentia, & Paternitas ante opus intellectus non ſunt actu idem: ergo ſaltim diſtinguentur formaliter.

Ad hoc argumentum nego Ant. Ad prob. diſt. Mai. ſi talis formalitas omnino realiter actualiter vna ſit multiplex virtualiter, nego Mai. ſi non gaudeat multiplicitate virtuali, conc. Mai. & conceſſa Min. nego Conſ. Itaque cum divinitas ob ſui eminentiam ſit quoad abſoluta vna, & quoad relativa multiplex, neceſſe eſt fateri ſecundum fidem, quod talis Divinitas, ex quo eſt abſoluta, ſit trium, & ex quo eſt relativa, ſit vniuſcuiuſque perſonæ in particulari, ſic quod non ſit alterius.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo autem hoc verum habere poſſit: dicimus ad hoc non requiri diſtinctionem actualem ante opus intellectus inter abſoluta, & relativa, ſed ſufficere diſtinctionem virtualem inter illa repertam.

Sed inſtas Actu communicari abſoluta, & non communicari relativa ſunt prædicata non ſolum virtualiter oppoſita, ſed ſunt actualiter ante opus intellectus oppoſita: ergo ſunt actu diſtincta: ergo proveniunt à formis non ſolum virtualiter, ſed etiam actualiter diſtinctis. Prob. hæc vltima Conſeq. Nam effectus formales intrinſeci nihil aliud ſunt, quàm ipſæ formæ intrinſecè cõmunicatæ: igitur ſi effectus formales communicationis, & non communicationis ſunt ante opus intellectus actu diſtincti, abſoluta, & relativa, à quibus formaliter proveniunt, erunt actu inter ſe diſtincta ante opus intellectus. Ad hoc nego Antec. vt enim talia prædicata haberent actualem oppoſitionem, oporteret, quod convenirent Divinitati ratione eiuſdem virtualitatis. Cumque aliud cõveniat divinitati, ex quo abſoluta eſt, & aliud conveniat Divinitati, ex quo actu relativa eſt, actu nullam habent inter ſe oppoſitionem.

112 Sed inſtas. Ante opus intellectus Filius accipit naturam à Patre, & non accipit Paternitatem: ergo naturæ de facto convenit aliquod prædicatum, quod de facto non convenit Paternitati: ergo natura, & Paternitas ante opus intellectus actualiter diſtinguuntur. Prob. hæc vltima Conſeq. Quia duo, quorum vnum actu habet aliquod prædicatum, quo aliud de facto caret, actu non ſunt idem penes illud prædicatum: ergo ratione illius actu diſtinguuntur. Ad hoc diſt. Antec. & non accipit Paternitatem ratione oppoſitionis, quam habet Filiatio cum Paternitate, conc. Ant. ratione diſtinctionis, quæ adeſt inter naturam, & Paternitatem, nego Ant. Et diſt. Conſeq. ergo naturæ de facto convenit aliquod prædicatum, quod non convenit Paternitati, quod non convenit Paternitati reſpectivè ad Filiationem, conc. Conſeq. reſpectivè ad naturam, nego Conſ.

Inſtas. Reſpectivè ad Filiationem habet natura aliquod prædicatum, quod Paternitas non habet reſpectivè ad ipſam Filiationem: igitur reſpectivè ad Filiationem actu diſtinguuntur Paternitas, & natura inter ſe. Ad hoc nego Conſ. quia non habere idem prædicatum reſpectivè ad eumdem terminum non infert abſolutè carere tali prædicato, ſed tantum infert non habere illud ex illo capite; ſtat autem bene cum hoc, quod ex alijs capitibus idem prædicatum habeatur: & ſic ſtat actu non diſtingui penes aliquod prædicatum, quod habeat vnum, & non habeat alterum. Et ità contingit in præſenti: nam Divinitas habet eſſe abſolutum, & relativum; quia eſt abſoluta, habet communicari Filio: ex quo autem eſt relativa relatione Paternitatis, habet incommunicabilitatẽ cum Filio. Vnde vtrumque prædicatum habet, ſed non habet ex omni capite; nam cum abſolutum, & relativum in Divinitate diſtinguantur virtualiter, non eſt neceſſe, quod omnia prædicata, quæ habet, habeat, vel ex quo eſt abſoluta, vel ex quo eſt relativa, ſed ſufficit illi habere prædicata relativa, ex quo eſt relativa, & habere abſoluta, ex quo eſt abſoluta: cum ergo communicari Divinitatem Filio conveniat ei, ex quo eſt abſoluta, & Paternitatem non communicari Filio conveniat eidem Divinitati, ex quo eſt relatio Paternitatis, fit inde, quod licet in ordine ad Filium naturæ, & Paternitati non conveniat prædicatum communicationis, tamen inter ſe non diſtinguuntur; quia licet Paternitati vt comparatæ cum Filio communicari Filio non conveniat, tamen ex quo Paternitas realiter eſt ipſa natura, & eſt realiter omnia abſoluta Dei, ei convenit Filio communicari.

Sed inſtas. Sequitur ex hoc, quod natura divina ſit realiter incommunicabilis Filio; & Paternitas ſit realiter communicabilis Filio; Conſeq. non videtur poſſe admitti: ergo. Prob. Sequela Per Nos natura realiter eſt Paternitas: ergo prædicata propria Paternitatis realiter conveniunt naturæ; ſed eſſe incommunicabilem Filio eſt proprium prædicatum Paternitatis: ergo realiter conveniet naturæ: ergo natura erit realiter incommunicabilis Filio. Similiter Paternitas realiter eſt natura: ergo conveniunt ei realiter prædicata naturæ; at natura eſt communicabilis: ergo Paternitas erit realiter communicabilis Filio.

Ad hoc diſtinguo Mai. in ſenſu identico, conc. Mai. in ſenſu formali, nego Mai. Et diſt. Min. Conſequens non videtur poſſe admitti, in ſenſu identico, nego Min. in ſenſu formali, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque iſtæ duæ propoſitiones, natu-

tura eſt realiter incommunicabilis, Paternitas eſt realiter communicabilis, duos ſenſus admittunt, alium formalem, qui petit proprium conceptum naturæ, vt diſtinguitur virtualiter à Paternitate, vel Paternitatis, vt virtualiter diſtinguitur à natura: & in iſto ſenſu, tales propoſitiones, non ſunt veræ; alium materialem mere identicum, iuxta quem hæc propoſitio, natura realiter eſt incommunicabilis, hunc ſenſum facit, natura realiter eſt res incommunicabilis, & hæc Paternitas eſt realiter communicabilis, facit ſenſum, Paternitas realiter eſt res, quæ eſt communicabilis Filio, qui ſenſus veriſsimi ſunt: vnde nullum ſequitur abſurdum ex hoc, quod tales propoſitiones in hoc ſenſu concedantur. Vnde iſtæ ſunt veræ, natura eſt realiter incommunicabilis, natura eſt realiter communicabilis, prima in ſenſu identico, & materiali, ſecunda in ſenſu formali: & idem dico de iſtis; Paternitas eſt realiter communicabilis, Paternitas eſt realiter incommunicabilis, prima in ſenſu identico, ſecunda in ſenſu formali.

§. X.

Vtrùm inter relationes, & eſſentiam adſit diſtinctio rationis ratiocinatæ.

113 AVREOLVS In 1. diſt. 11. q. 1. art. 2. & diſt 33 art. 3. docuit inter eſſentiam divinam, & relationes nullam reperiri diſtinctionem rationis, (intellige cum fundamento in re) quam Theologi dicunt rationis ratiocinatæ, nam §. *ad propoſitum* admittit diſtinctionem, ex modo cõcipiendi inter illa. Oppoſitam tamen ſententiam tenet D. Thom. hic, art. 2. & q. 39. art. 1. & omnes eius Commentatores in præſenti, quam etiam tenet Magiſter in 1. diſt. 3.

Sit Concluſio. Inter relationes, & eſſentiam adeſt, diſtinctio rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re. Pro cuius intelligentia adverto, quod licet Deus ſit ſumme ſimplex formaliter, eſt tamẽ multiplex virtualiter; quia omnis perfectio, quæ in creaturis invenitur diſperſa ob earum limitationem, in Deo invenitur adunata ob ſui infinitatem. Ex quo ſequitur, quod, cum intellectus noſter pro hoc ſtatu Deum non cognoſcat adæquate, & ſicut eſt in ſe, ſed tantum illum cognoſcat connotative ad perfectiones creaturarum; neceſſario illum vt multiplicem cognoſcet, non quia affirmet ſignate Deum eſſe multiplicem, ſeu quia diverſos conceptus formando de Deo in Dei notitiam venit. Ex quo etiam ſequitur, quod varia nomina Deo imponat, & ſic appellat eum ſapientem, iuſtum, bonum, cum tamen iſta tria in Deo non ſint realiter tria, ſed vnum præcontinens iſta tria: cumque in creaturis natura diſtinguatur à relationibus, alio nomine vtitur ad exprimẽda relativa Dei, & alio nomine vtitur ad exprimendã Dei naturam abſolutam, præbente ad hoc fundamentum eminentia Divinitatis, quæ cũ plura diverſa contineat, multiplex eſt virtualiter. Hoc ergo ſuppoſito.

Prob. Concluſio. Nam intellectus noſter diſtincta diffinitione diffinit divinam naturam ab ea, qua diffinit divinam relationem; de illa enim dicit, quod ſit ad ſe, de relatione, quod ſit ad aliud: inſuper Deũ intelligẽdo, diſtincta, imò & oppoſita prædicata Deo attribuit, videlicet quod naturam divinam Pater Filio communicet, nõ vero illi communicet eſſe Patrem: ergo cum ad ſe multipliciter Deum intelligendum cogatur intellectus noſter ab eminentiali continentia plurium perfectionũ Deo conveniente, inter naturam, & relationes diſtinctionem actualem neceſſariò faciet cum fundamento in re, quæ dicitur diſtinctio rationis ratiocinatæ.

114. Dices ad tribuendum Deo oppoſita prædicata ſufficere noſtrum modum imperfectum concipiendi: cumque hic ſolum inferat diſtinctionem rationis ratiocinantis, hæc ſufficiet ad omnia prædicta. Probabilque aſſumptum: nam de Deo affirmamus hanc propoſitionẽ, *Deus generat*, & de Deitate dicimus, *Deitas nõ generat*, quæ prædicata oppoſita ſunt; & tamen Deus, & Deitas ſolum differunt diſtinctione rationis ratiocinantis, quæ in ſolo modo imperfecto intelligendi Deum, fundatur: ergo ad aſsignandũ Deo oppoſita prædicata non requiritur diſtinctio rationis ratiocinatæ, & cum fundamento ex parte Dei.

Sed contra eſt: Nam licet ad attribuendum Deo oppoſita prædicata, quorum oppoſitio ſolum naſcitur ex diverſo modo intelligendi, quo noſter intellectus Deũ intelligit, ſufficiat diſtinctio rationis ratiocinantis; ad attribuendũ tamen Deo oppoſita prædicata, quorum oppoſitio fundatur

In

Digitized by Google

in oppoſitis perfectionibus, ſola diſtinctio rationis ratiocinantis non ſufficit, ſed quod eſſentia divina ſit tantum ad ſe, & Paternitas ſit ad aliud, quod Pater eſſentiã communicat Filio, & nõ communicet Paternitatem, ſunt prædicata, quorum oppoſitio originatur ex oppoſitis perfectionibus, nempe in abſoluto, & relativo: ergo ad illa attribuenda Deo, non ſufficiet diſtinctio rationis ratiocinantis, ſed requireretur diſtinctio rationis ratiocinatæ.

Explicatur hoc, ratio propter quam affirmatur de Deo, quod generet, & negatur de Deitate, quod generet, ea tantum eſt, quia dum profero *Deus* ſignifico Deum in concreto, cui poſitive convenit in aliquo ſui ſuppoſito generare, cum autem dico *Deitas* ſignifico ipſum Deum in abſtracto, cui repugnat generare, eo quod generare tantum convenit habenti Deitatem, Deitas autem tantum dicit Deitatem habitam: ſcimus enim ex creatis, quod actiones tantum ſunt ſuppoſitorum, & non formarum: vnde oppoſitio, quæ intervenit inter hæc prædicata *generare, non generare*, tantum fundatur in diſtincto modo intelligendi Deum, nempe, vel per modum concreti, vel per modum abſtracti, & ſic diſtinctio, quæ intervenit inter Deum, & Deitatem tantum eſt ex noſtro modo intelligendi diverſo. Cæterum, quod natura dicatur ad ſe, & non ad aliud, & Paternitas dicatur ad aliud, & non ad ſe, quod divina natura communicetur Filio, & Paternitas non communicetur Filio, hoc oritur, quia natura dicit abſolutum Dei, & Paternitas relativum: ergo attributio horum prædicatorum inter ſe habentium oppoſitionem requirit diſtinctionem rationis ratiocinatæ, fundatam in eminentiali præcontinentia diverſarum perfectionem.

§. XI.

Solvuntur argumenta, contra Concluſionem.

115 PRIMO Arguitur contra probationẽ Concluſionis. Etenim in ſententia, quæ affirmat Deum conſtitui per intelligere actuale, hæc omnia, intellectus, intellectio, ſpecies impreſſa, & obiectũ, ſolum differunt diſtinctione rationis ratiocinantis, & ſecundum modum noſtrum intelligendi, & tamen hæc diſtinctio præſupponit in Deo præcontinentiam eminentialem perfectionum, quæ in nobis realiter diſtinguuntur: ergo licet attributio prædicatorum, quorum oppoſitio fundatur in eminentiali præcontinentia diſtinctarum perfectionũ ſupponat eminentialem præcontinentiã plurium, quæ in nobis realiter diſtinguuntur, non tamen ex eo inferri debet, requiri ad illam, diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſed ſufficere diſtinctionem rationis ratiocinantis.

Ad hoc dico, quod tenentes dictam ſententiam ponunt inter enumerata, ſolam diſtinctionem rationis ratiocinantis, quia ſentiunt illa omnia non eſſe plura ex ſuis rationibus formalibus, ſed tantum ex limitatione creaturæ: cum enim ſpectent ad vnam indiviſibilem lineam, nempe ad lineam intelligendi, & hæc linea; quia perfectiſsima, diſtinctionẽ non admittat; ideo in vno ſolo obiectivo cõceptu intellectionis, illa omnia virtualiter adhuc adunat, & ſic inter illa ſolam diſtinctionem rationis, ex noſtro modo intelligendi agnoſcunt: relatio autem, & natura, cum ex ſuis formalibus conceptibus ad diſtinctas lineas ſpectent, nempe ad abſolutum, & relativum, ex ſuis formalibus conceptibus diſtinguuntur, & non ſolum ex limitatione creaturarum: vnde neceſſarium eſt, ponere in Deo, quod virtualiter diſtinguuntur. Cumque diſtinctio, quæ fundatur ſuper conceptus obiectivos, virtualiter diſtinctos diſtinctio rationis ratiocinatæ ſit, ſit inde, quod diſtinctio, quæ inter naturam divinam, & relationem verſatur diſtinctio rationis ratiocinatæ ſit.

116 Secundo arguitur contra Concluſionem. Eſſentia, & Paternitas non diſtinguuntur in Deo virtualiter: igitur inter illa non adeſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, Conſeq. patet, & Antec. prob. Deo debemus attribuere ſimplicitatem, ita perfectam, quod perfectior illâ, alia nequeat intelligi, ſed ſi admittimus eſſentiam, & relationem virtualiter diſtingui, non damus Deo ſimplicitatem, ita perfectã, quod perfectior ſimplicitas excogitari nõ poſsit: ergo. Prob. Min. nam quid perfectius in ſimplicitate eſt id, quod ita eſt ſimplex, quod non ſolum caret multiplicitate formali, ſed etiam virtuali: ergo dum aſſerimus in Deo eſſentiam, & Paternitatem virtualiter diſtingui, non damus Deo ſimplicitatem, ita perfectam, quod ma-

maior illa excogitabilis non ſit.

Confirm hoc, tota ratio propter quam formæ, & perfectiones increatis diſtinguũtur, eſt earum limitatio, & finitas: ergo aſcendendo ad formam, quæ eſſentialiter illimitata, & infinita eſt, debemus dicere, quod præfata forma omnibus modis ſit vna, & ſimplex: ergo debemus excludere ab illa adhuc diſtinctionem virtualem. Prima, & ſecunda Conſeq. patent: nam ideo ponitur in ſententia ſupra recenſita, quod in Deo vna ſola virtualitas, ſit intellectus, ſit intellectio, ſit ſpecies impreſſa, & obiectum; quia hæc in creaturis ex ſola limitatione, & finitate diſtinguuntur: ergo. Antec. autem ſic probo. Nam ſi formæ, & perfectiones, non tantum: quia limitatæ, & finitæ differunt; ſed etiam ex ſuis rationibus formalibus diverſitate gaudent: ergo vbicunque inveniantur, ſive in ente finito, ſive in ente infinito, pluralitatem formalem habebunt: ergo recurrendum erit ad ſententiam Scoti ponentis in Deo plures formalitates actu ante opus intellectus, quod à nobis ſupra impugnatum eſt.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad prob. diſt. Mai. ita perfectam, quod perfectior illa, alia nequeat intelligi, ſtando in ſolis terminis ſimplicitatis, nego Mai. concretive ad ſimplicitatem divinam, conc. Mai. & diſt. Min. ex terminis ſimplicitatis tantum, conced. Min. ſimplicitatis divinæ, nego Min. & nego Conſeq. Itaque Deo non debemus dare maximum, quod ſic ſimplicitatis; hæc enim Deo repugnat; quia hoc ipſo, quod Deum faciamus ſic ſimplicem, quod non præcontineat in ſe varias rerum perfectiones, hoc ipſo erit Deus factus à nobis, ſed non erit verus Deus: eſt ergo neceſſe eam Deo tribuere ſimplicitatem multiplicia continentem, & ex hoc virtuali diſtinctione gaudentem.

Ad Confirm. diſt. Antec. eſt limitatio, & finitas, ſolum materialis, nego Antec. materialis, & formalis, conc. Antec. & diſt. Conſeq. omnibus modis ſit vna, & ſimplex, cum præcontinentia plurium perfectionum, conc. Conſ. ſine tali præcontinentia, nego Conſ. & etiam nego aliam, quæ ſub infertur. Et ad exemplum, quod ibi adducitur, dico quod in illa ſententia, illa plura, quæ ſpectant ad lineam intelligibilem, ſolum diſtinguntur in creaturis ex hoc, quod creaturæ ſunt, quæ limitatio materialis omnino eſt, non vero diſtinguntur ex limitatione, quæ illis conveniat ex ſuis rationibus formalibus; vnde in Deo præcontinentia eorum, non facit diſtinctionem virtualem: natura autem, & relatio cum dividant ens formaliter per abſolutum, & relativum, non tantum diſtinguntur, quia creaturæ ſunt, ſed diſtinguntur ſuis rationibus formalibus, in omni enim ente diſtincta diffinitione diffiniuntur: vnde aſcendendo ad Deum eminenter illa præcontinentem, in vnitate formalitatis divinæ, neceſſario debemus ponere diſtinctas virtualitates, per quas explicamus, quod licet Deus formaliter ſummè ſimplex ſit; formaliter tamen præcontinet illa, quæ ſuis rationibus formalibus plura ſunt.

Neque contra hoc facit, quod ſi abſolutum, & relativum ſuis rationibus formalibus actu diſtinguntur, quod vbicumque inveniantur ſuis rationibus formalibus actu debeant diſtingui, & ſic in Deo actuali diſtinctione formali gaudeant, ſicut dicit Scotus. Non inquam valet, nam actualis diſtinctio prædictarum formalitatum oritur; quia in inferioribus formis, ſuis rationibus formalibus limitatis inveniuntur: vnde aſcendendo ad Deum, cuius Divinitas ſupremi & infiniti ordinis eſt, non oportet, quod ibi actu plures ſint, ſed ſufficit, quod virtualiter ſint plures, per quod adſtruitur diſtinctio Virtualis.

§. XII.

Vtrùm diſtinctio Virtualis, quæ reperitur inter naturam, & relationem, ſit maior ea, quæ reperitur inter naturam, & eius attributa abſoluta.

117 NAZARIVS hic Controverſia 1. Concluſione 6. affirmat inter naturam divinã, & eius relationes maiorem ad eſſe diſtinctionem virtualem, quam ad ſit inter naturam, & eius attributa abſoluta. Quod probat ſic. Ibi eſt maior diſtinctio virtualis, vbi maius offertur fundamentum noſtro intellectui ad formandum actualem diſtinctionem; ſed diſtinctio Virtualis, quæ eſt inter naturam, & relationes, maius offert fundamentum intellectui noſtro ad actualiter diſtinguendum illa, quam offerat diſtinctio virtualis, quæ ad eſt inter naturam, & eius attributa abſoluta: ergò inter naturam divinam, & eius relationes maior ad

eſt

Digitized by Google

eſt diſtinctio virtualis; quam ad ſit inter naturam, & eius attributa abſoluta. Prob. Mi. nam diſtinctio virtualis, quæ reperitur inter naturam, & relationes, facit, quod de eſſentia verificetur ſecundum rem, quod ſit cõmunicabilis, & de relatione, quod ſit incommunicabilis: diſtinctio autẽ virtualis, quæ reperitur inter naturam, & attributa abſoluta non facit, quod de attributis verificetur, quod non cõmunicantur omni illi, cui natura cõmunicatur: ergo maius fundamentum ad diſtinctionem actualem offert intellectui diſtinctio virtualis, quæ reperitur inter naturam, & relationem, quam ea, quæ reperitur inter naturam, & attributa abſoluta.

Præterea, ratione diſtinctionis virtualis dicitur de natura, quod ſit vna, & de relationibus, quod ſint plures realiter inter ſe diſtinctæ, ratione autem diſtinctionis virtualis non verificatur, quod natura ſit vna realiter, & attributa abſoluta ſint realiter plura: ergo maior eſt diſtinctio virtualis naturæ à relationibus, quam naturæ ab attributis abſolutis. Præterea, vbi eſt maior convenientia, ibi eſt minor diſtinctio; ſed maior convenientia invenitur inter naturam, & attributa abſoluta, quam inter naturam, & relationes: ergo minor diſtinctio erit inter naturam, & attributa abſoluta, quam inter naturam, & relationes. Prob. Mi. maior convenientia eſt inter abſolutum, & abſolutum, quam inter abſolutum, & relativum; ſed natura, & attributa ſunt abſoluta, natura, & relationes differunt, penes abſolutum, & relativum: ergo maior convenientia eſt inter naturam, & attributa, quam inter naturam, & relationes.

118 His non obſtantibus. Exiſtimo maiorem diſtinctionem virtualem reperiri inter aliquã attributa abſoluta inter ſe, & reſpectivè ad eſſentiam, quam inter naturam, & relationes. Quod ſic probo, maior eſt diſtinctio virtualis entitativa, quam ſit diſtinctio virtualis, tantum modalis; ſed diſtinctio, quæ reperitur inter aliqua attributa abſoluta eſt entitativa, &, quæ reperitur inter naturam, & relationes ſolum eſt modalis: igitur. Maior patet, nam diſtinctio virtualis entitativa maior eſt diſtinctione actuali ſolum modali: ergo diſtinctio virtualis entitativa maior erit diſtinctione virtuali ſolum modali. Min. ſic prob. Nam intellectus, & voluntas non ſunt modi naturæ divinæ, ſed ſunt veræ entitates; relationes autẽ ad divinam naturam ſolum comparantur, vt modi; ergo diſtinctio naturæ ab intellectu, & voluntate eſt virtualis entitativa, & diſtinctio naturæ à relatione tantum eſt modalis.

Præterea, intellectus, & voluntas, & quælibet alia abſoluta, additione virtuali, addunt perfectiones ad naturam, relatio autem non addit perfectionem, cum non habeat perfectionem de propria linea, quæ relativa ſit: ergo maior diſtinctio virtualis eſt illa, quam iſta. Patet Conſeq. quia vbi invenitur identitas adhuc virtualis imperfectione, non poteſt reperiri tanta diſtinctio, quam vbi eſt virtualis additio perfectionis ad perfectionem: cumque abſoluta addant perfectionem ad perfectionem eſſentiæ, non vero relationes, inter eſſentiam, & relationes erit virtualiter vna tantum perfectio; inter abſoluta vero, & naturam erunt virtualiter plures perfectiones, & ſic maior erit diſtinctio virtualis naturæ ab attributis abſolutis, quam naturæ à relationibus.

Ad 1. in oppoſitum nego Min. ad prob. nego, quod attributio illorum prædicatorum oriatur tanquam ex cauſa adæquata ex diſtinctione virtuali, quæ reperitur inter naturam, & relationem, licet oriatur ex illa, tanquam ex cauſa ſufficienti, ſed ratio adæquata eſt incapacitas, quæ habetur in vno extremo ad accipiendum ab eo, à quo procedit id, quod ad ipſum dicitur: etenim ſi per impoſsibile adhuc virtualiter Paternitas, & eſſentia non diſtinguerentur, adhuc attendendo ad incapacitatem Filij, Pater communicaret illi naturam, & non Paternitatem: ſicut in ſententia, quæ ponit in Deo adhuc virtualiter non diſtingui ſpeciem impreſſam, intellectum, & intellectionem, ob ſolam incapacitatem intellectus creati ad intelligendum per intellectionem divinam, ponitur, quod eſſentia divina ſub munere ſpeciei impreſſæ vniatur mentibus beatorum, non vero ſub munere intellectionis.

Ad 2. nego Antec. licet enim ad hoc, vt de natura affirmemus, quod eſt vna, & de relationibus, quod ſint tres, requiratur diſtinctio virtualis, tamen hoc non oritur ex illa, tanquam ex cauſa adæquata, quod enim relationes multiplicentur oritur ex eo, quod ad invicem ſunt, quod non convenit abſolutis; non, quia à natura non magis diſtinguantur virtualiter, ſed, quia abſoluta ad ſe ſunt, & ad aliud non dicuntur.

Ad

Ad 3. nego Min. ad prob. diſt. Mai. ſi abſolutū ab abſoluto differat entitative, nego Mai. ſi tantum differat modaliter, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. quia eſſentia ab aliquibus attributis abſolutis differt entitative virtualiter, hoc eſt ſicut entitas, & entitas: à relativo vero tantū differt virtualiter ſicut entitas à modo.

§. XIII.

Vtrùm diſtinctio rationis ratiocinatæ eſſentiæ à relationibus formatur à Deo?

119 NOSTER Gonçalez de Albelua quæſito reſpondet affirmative; ſed verior eſt ſententia negativa. Quia omnis formatio entis rationis oritur ex imperfecta rei cognitione, hoc eſt; quia res non cognoſcitur, ſicuti eſt; cum ergo diſtinctio rationis ratiocinatæ ens rationis ſit neceſſario ad ſui efficientiam requirit cognitionem imperfectam divinorum, quæ ratione rationis ratiocinatæ diſtinguuntur: Deo autem imperfecta cognitio repugnat, & ſic repugnabit ens rationis efficere. Prob. Mai. illa ſola cognitio ens rationis efformat, quæ ex parte rei cognitæ habet pro obiecto ens, vbi non eſt ens; ſed cognitio, quæ habet pro obiecto ens, vbi non eſt ens, eſt imperfecta, ſiquidem rem non attingit ſicuti eſt: ergo omnis entis rationis formatio requirit rei imperfectam cognitionem.

Confirm. vt intellectus format actualem diſtinctionem inter naturam, & relationes, debet naturam, & relationes cognoſcere vt actu diſtincta inter ſe; ſic autem illa cognoſcere, non eſt ea cognoſcere ſicuti ſunt in re: ergo ſic cognoſcens imperfecte cognoſcit; Deo autem repugnat omnis imperfecta cognitio: ergo, & repugnabit formare diſtinctionem rationis repertam inter naturam, & relationes.

Contra hoc arguit Gonçalez. Intellectus divinus cognoſcit, vt actu diſtincta inter ſe naturam, & relationem: ergo format diſtinctionem rationis, probat Antec. intellectus divinus cognoſcit naturam, & relationem, vt in actu ſunt obiecta duorum conceptuum imperfectorum, quos de illis format noſter imperfectus intellectus, dum concepit divina; ſed natura divina & relatio dum ſunt obiecta prædictorum duorum conceptuum actualiter ſunt diſtincta: igitur cognoſcit naturam, & relationem, vt actualiter diſtincta.

Ad hoc diſt. Ant. vt actualiter diſtincta diſtinctione præcedente divinam cognitionem, conc. Antec. diſtinctione actuali ſubſequuta ex divina cognitione, nego Antec. & Conſeq. nec amplius convincit, antecedentis probatio: etenim, vt aliqua cognitio ſit formatio entis rationis oportet, quod ipſum ens rationis ſequatur ex vitalis cognitionis, non autem præſupponatur in eſſe ad illam; cum ergo intellectus divinus cognoſcit naturam, & relationem, vt ſunt actualiter obiecta noſtrorum conceptuum, actualis diſtinctio, quam cognoſcit ad eſſe inter illa, ad hanc divinā cognitionem iam præſupponitur, vt ab intellectu noſtro facta, dum diverſos conceptus de divinis formavit, & ſic talis diſtinctio non ſequitur ex divina cognitione: vnde non ſit per illam, ſed præſupponitur iam formata, ſed quia de his ad longum egimus in tractatu de Ideis, ideo iſta pauca ſufficiant.

§. XIV.

Vtrùm tanta ſit identitas formalis inter relationes, & eſſentiam, vt relatio ſit de conceptu quidditativo eſſentiæ, & eſſentia ſit de conceptu quidditativo relationum.

120 DVPLICEM Conceptum quidditativum agnoſcimus poſſe formari de eſſentia, alterum perfectum, & adæquatum repræſentantem illā ſicuti à parte rei invenitur, & cum de divinitate dixerimus eſſe quandam formam excludentem à ſe omnē actualem diſtinctionem, tam ab attributis abſolutis, quam relativis, prædictus conceptus exprimeret neceſſario tam abſoluta, quam relativa, & ſic loquendo de iſto conceptu nulli poteſt eſſe dubium ex his, qui nobiſcum ſentiunt contra Scotum, & Durandum à parte rei nullam dari diſtinctionem actualem inter eſſentiam, & relationes, quod relationes ſint de conceptu eſſentiæ, & eſſentia ſit de conceptu relationum; ſiquidem eſſentia, ſic realiter ſumpta, & adæquate intellecta, cum relationibus non duas formalitates conſtituunt in Deo, ſed vnam tantum indiviſibilem, in qua, & habentur abſoluta expreſſa cum relationibus, & relationes expreſſæ cum eſſen-

Digitized by Google

eſſentia: neque enim ſicut aliqui volunt imaginandũ eſt divinitatẽ reſultare realiter ex formalitate eſſentiæ, & ex formalitate relationum, ſed fatendũ eſſe immediatiſſime ipſam eſſentiam, & relationes ſine aliqua actuali multiplicitate inter illas. Alterum conceptum poſſumus formare de eſſentia, & relationibus imperfectum, & inadæquatum, ſic, quod per illum tantum explicetur eſſentia, vt natura, & non explicetur relatio, vel ſic explicatur relatio, vt relatio, quod non explicetur natura.

Procedit ergo præſens quæſitum de hoc conceptu imperfecto, & inadæquato, & inquirimus, vtrũ quando cognoſcimus relationẽ divinam, licet illo conceptu ſolum exprimimus relationem, actualiter tamen implicite apprehendamus ipſam naturam divinam; & èconverſo, vtrum in conceptu expreſſo naturæ divinæ, actu implicite claudantur relationes, ſi enim hoc dederimus, dabimus relationes eſſe de cõceptu naturæ divinæ, & naturam divinam eſſe de conceptu relationum. Ergo circa præſentem difficultatem partem negantem tenent Molina in hoc art. diſp. 6. conc. 3. Vazquez ibidem vbi ſupra diſp. 12. quos plures Ieſuitæ ſequuntur. Secunda ſententia affirmat eſſentiã eſſe de conceptu quidditativo relationum, ſed relationes non eſſe de conceptu quidditativo eſſentiæ. Citantur pro hac ſentẽtia Ferrara 3. contrag. cap. 9. Canarienſis in hoc, art. diſp. 2. dub. vltimo, Belarm. lib. 2. de Chriſto, cap. 9. Suarez lib. 4. de Trinit. c. 5. quos ſequitur Gonçalez hic, ſect. 2.

Tertia ſententia affirmat eſſentiam eſſe de intrinſeco conceptu relationum, & relationes eſſe de intrinſeco conceptu eſſentiæ, ſic tenet Valentia lib. 1. de Trinit. cap. 29. & 1. p. diſt. 2. q. 1. p. 1. Quarta ſententia diſtinguit duplicem conceptum naturæ divinæ, & attributorum ſimiliter; dicit ergo poſſe primo conſiderare naturam divinam ſub munere naturæ, ſecundum quã rationẽ duo dicit, primũ, quod ſit aliquid vlterius in terminabile per formales modos, vel differẽtias; explicat enim gradũ infimum vlterius indeterminabilem formaliter: ſecundum dicit eſſe radicem attributorum omnium, ſive abſolutorum, ſive relativorum. Secundo inquit poſſe ſumi naturam per modum entis divini tranſcendentis formaliter tam ea, quæ abſoluta ſunt, quam ea, quæ ſunt relativa: qua diſtinctione præhabita, dicit eſſentiã ſumptam per modum prædicati tranſcendentis eſſe de eſſentia, & quidditate tam attributorũ abſolutorum, quam relativorum; non vero ſumpta, prout explicat munus naturæ, & radicis. Ita tenent Patres Carmelitani in præſenti diſp. 5. dub. 3. §. 2. & tom. 1. tract. 4. diſp. 7. n. 72. & Mag. à S. Thom. hic, diſp. 13. art. 2. n. 4. & ſeqq.

Pro explicatione huius difficultatis adverto, in conceptu imperfecto alicuius formalitatis divinæ, illud ad cuius inſtar divina formalitas concipitur, tantum exprimi, cætera autem divina tantum implicite, & confuſe contineri: V. g. dum ad inſtar creatæ iuſtitiæ, divinam iuſtitiam cognoſco, conceptus, quam formo tantum exprimit iuſtitiam divinam, cætera autem divina, cum divina iuſtitia identificata, tantum implicantur, & confunduntur in præfato conceptu. Ex quo ſequitur, quod nomen, quod ad ſignificandum prædictam formalitatem impono, tantum ſignificat iuſtitiam divinam, & definitione, quam divinæ iuſtitiæ ſic conceptæ aſsigno, ſolum etiam exprimo ea, quæ ſpectant ad iuſtitiam, cætera autem implicantur, & confunduntur.

Hinc etiam eſt, quod dum inquirimus, vtrum iuſtitia divina ſit de conceptu quidditativo divinæ miſericordiæ? hoc quæſitum duplicem habet ſenſum, alterum vtrũ ſit de conceptu expreſſo divinæ miſericordiæ: alterum eſt, vtrum ſit de conceptu ſolum implicito divinæ miſericordiæ. Multi forſan ex Thomiſtis citatis pro ſecunda ſententia tantum voluerunt, quod relatio non ſit de conceptu naturæ divinæ ad hunc ſenſum, quod conceptus imperfectus naturæ divinæ, debeat exprimere relationem, non vero voluerunt relationem non implicari, & confundi actu in conceptu exprimente naturam divinam.

121 Hoc ſuppoſito, reſp. præſenti quæſito. In conceptu imperfecto, & inadæquato naturæ divinæ actu clauduntur relationes, quamvis non exprimantur per talem conceptum. Prob. 1. ex D. Thom. hic, art. 2. ad 2. illis verbis: *In Deo autem non eſt alia res ſed vna, & eadem, quæ non perfecte exprimitur relationis nomine, quaſi ſub ſignificatione talis nominis comprehenſa.* Ex quibus ſic argumentor. Si relatio per nomen relativum ſignificata, & expreſſata non actu includeret omnia divina, non diceret Div. Thom. ipſiſsimam rem ſignificare nomen re-

relativum, quam ſignificat nomen abſolutum, quamvis non ſignificet illam, exprimendo eam adæquate, & hoc dicit vt patet ex textu adducto: ergo ſentit ex parte rei ſignificatæ nomine relativo includi in actu omnia divina, & ſentit ſimiliter ex parte rei ſignificatæ per nomen abſolutũ ſignificari omnia divina; quamvis non cũ expreſsione adæquata omnium divinorum, & ſic natura erit de conceptu relationum, & relationes de conceptu naturæ.

Ratione prob. Concluſio. Sive ſignificetur expreſſe natura, ſive ſignificetur expreſſe relatio, ſemper tamen ſignificatur aliquid divinum, quod actu formaliter eſt idem cum omni perfectione divina: ergo in conceptu expreſſante naturam actualiter includitur relatio, & in conceptu expreſſante relationem actu clauditur natura. Conſeq. videtur bona, & Ant. prob. quodcumque divinum actu indiviſibiliter eſt Deus: ergo in actu identificatur cum omni divinitate. Dices, quodcumque divinum eſſe Deum in re, non vero eſſe Deũ, prout eſt obiectum conceptus imperfecti, & inadæquati, nam licet divinæ perfectiones in re idem formaliter ſint, tamen actualiter per noſtros conceptus diſtinguuntur.

Sed contra eſt, nam; licet ex diſtinctione actuali rationis ratiocinatæ, quæ reperitur in perfectionibus divinis, poſsit colligi, quod vnus conceptus non exprimat obiectum alterius, non tamen colligi poteſt, quod ſignificatum per vnum conceptũ implicite, & confuſe actu non includatur in conceptu alterius: ergo ex capite diſtinctionis non colligitur, quod ſecundum implicitum natura non includatur in conceptu relationis, & relatio in conceptu naturæ. Prob. Antec. Nam ſecundum rem formaliter conceptus relationis, & naturæ eſt vna indiviſibilis formalitas: ergo ſive relationem concipias, ſive naturam ſemper eandem indiviſibilem formalitatem debet intelligere: ergo, quamvis; quia illam imperfecte, & inadæquate cognoſcit, valens non perfecte per vnum conceptum exprimere; illam indiviſibilem formalitatem, & ſic illam diſtingues ab alia; quia non omnes vno conceptu exprimis, non tamen, ſic vnam valebis intelligere, quod implicite actu non intelligas aliam.

Confirm. in Deo non ſunt diverſi gradus metaphyſici, ſicut reperiuntur in homine v. g. ſed eſt vnus & indiviſibilis gradus: ergo neceſſario dum aliquid divinum intelligis, debes intelligere ipſiſsimũ gradum: ergo quamvis non valeas gradũ ob ſui eminentiam adæquate exprimere; non tamen poteris vnam perfectionem ab alia præſcindere. Prima, & ſecunda Conſeq. patent; nam ex eo concipiens ens, non præſcindit actu à modis entis, neque concipiens modos entis præſcindit ab ente; quia ens, & modus entis duo gradus metaphyſici non ſunt: ergo ſimiliter ſi in Deo non dantur diverſi gradus adhuc diverſitate per noſtros conceptus, dum expreſſe intelligimus vnam perfectionem divinam non poterimus præſcindere ab aliis divinis.

122 Antec. huius rationis negarunt Vazquez, & aliqui ex eius Societate: vnde Deum ſicut hominem, compoſitum metaphyſicũ efficiunt, compoſitionẽ, quæ ex genere, & differentia in Deo cognoſcunt. Sed contra ipſos ſic Antec. prob. Nam tunc tantum datur diſtinctio metaphyſica graduum in aliqua re, quando vna eius perfectio potentialiter ſe habet ad alterã, quod tunc tantum contingit, quando vna perfectio magis diſtat ab vltima actualitate eſſendi, quam alia; ſed ex divinis perfectionibus vna nõ magis diſtat ab vltima actualitate eſſendi, quam alia; ſiquidem quælibet actus puriſsimus eſt omnipotentialitate expers: igitur, nequeunt in Deo diverſi gradus metaphyſici poni.

Secundo, ſi in Deo daretur diverſitas gradus metaphyſici, ſequeretur Deum non eſſe magis ſimplicem, quam conſtitutum ex ente, & modo entis; Conſeq. non videtur poſſe admitti: ergo. Prob. Sequela, conſtitutum ex ente, & modo entis, ita eſt ſimplex, quod diverſitate graduali careat: Deus, ita ſecundum Vazquez eſt ſimplex, quod diverſos gradus metaphyſicos ſecum admittat: ergo fatendum erit magis eſſe ſimplex conſtitutum ex ente, & modo entis, quam conſtitutum ex divinis perfectionibus. Dices noſtræ primæ confirmationi, non eſſe inconveniens ponere in Deo, quod vna eius perfectio ſit in potentia ad alteram perfectiorem: quia illa ratio potentiæ non eſt talis ſecundum rem, ſed tantum ſecundum noſtros conceptus: Deus autem tantum dicitur ſimplex, per hoc, quod careat omnipotentialitate ſecũdum rem, non vero per hoc, quod careat potentialitate, etiam per noſtros conceptus; ſicut ſimiliter dicitur ſumme vnus, nõ, quia

quia caret multiplicitate ſecundum rem, & ſecundum rationem, cum de facto inter perfectiones divinas multiplicitatem rationis cognoſcāmus, ſed tantum dicitur ſumme vnus; quia caret multiplicitate ſecundum rem.

Ad ſecundam Confirm. etiam dices, non eſſe inconveniens aſſerere Deum non eſſe ita ſimplicem, ſicut conſtitutum ex ente, & modo entis; quia ſufficit Deum excedere in ſimplicitate omnes ſpecies creatas & creabiles; non tamen requiritur, quod in ſimplicitate excedat genera ſuprema: ex ente autem, & modo entis, non fit ſpecies, ſed tantum genus ſupremum alicuius prædicamenti, & ſic nihil mirum, quod illi maiorē ſimplicitatē aſsignemus, quam Deo. Sed contra ſolutionē primam ſic inſurgo, nam quælibet perfectio divina hoc ipſo, quod divina, ſe ipſa immediate eſt actus purus ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi: ergo maximum inconveniens eſt, quod vna divina perfectio ſit in potentia ad alteram perfectionem divinam, etiā ſi eſſe in potentia conveniat illi per noſtros conceptus. Patet hæc Conſeq. quia quælibet divina perfectio ſe ipſa immediate ſpiritus eſt, repugnat adhuc per noſtros conceptus rationem corporis Deo attribuere: ergo quia quælibet divina perfectio, ſe ipſa immediate actus purus eſt, repugnabit alicui divinæ perfectioni rationem potentiæ in potentia attribuere. Patet Conſeq. Ita repugnat attributum potentiæ ei, qui immediate actus purus eſt, ſicut repugnat attributum corporis ei, qui immediate ſe ipſo ſpiritus eſt: ergo ſi adhuc per noſtros conceptus non poſſumus dicere de Deo, quod ſit corpus, ſic nec poterimus dicere, quod habeat vnam perfectionem in potentia ad alteram, etiam per noſtros conceptus.

123 Explicatur hoc. Eſſe in potentia ad aliquam perfectionem, non eſt prædicatum tantum imperfectū imperfectione ſolum orta ex imperfecto, & inadæquato modo intelligendi, ſed eſt prædicatum, quod arguit imperfectionem in ipſa re, ſicut hoc prædicatum corpus: etenim licet naturam divinam imperfecte admodum rei corporeæ intelligamus, non inde ſequitur, quod de illa affirmemus eſſe corpus: ergo non poterimus affirmare de vna perfectione divina, quod ſit in potentia ad alteram perfectionem, ſicut neque poſſumus affirmare, quod ſit corpus, Prob. Ant. eſſe in pōtentia ad alteram perfectionem, dicit omnimodam carentiam talis perfectionis; quia dicit aliquid, quod neque aliam perfectionem exprimit, neque illam actu includit: ergo eſt prædicatum, quod dicit in perfectionem in ipſa re, & non tantum ex modo noſtro imperfecto intelligendi habet convenire.

Hoc exemplo rem comprobo, ſi forma rationalis non eſſet actus potentiæ admixtus, ſed eſſet purus actus, non poſſet noſter intellectus de aliquo gradu illius aſſerere, quod eſſet in potentia metaphyſica ad alium gradum, ſed ideo hoc de illo aſſeverat, quia videt, quod forma, quæ illum tribuit, purus actus non eſt: ergo cum forma Deitatis puriſsimus actus ſit, non poterit noſter intellectus cum fundamento in re aſſerere, quod aliqua divina perfectio in ordine ad aliam potentialis ſit.

Ex quibus oritur diſcrimen, quod verſatur inter compoſitionem metaphyſicam, & diſtinctionem rationis ratiocinatæ, nam fundamentum ad primum non eſt aliqua potentialitas à re, & realis conveniens formis, ſed tantum eſt eminentialis continentia plurium diſtinctorum, quæ ob ſui excellentiam à nobis vnico conceptu exprimi nequit, & ſic eſt neceſſarium, quod per diſtinctos conceptus cognoſcatur; diſtincti autem conceptus de re formari nequeunt, niſi res in varias rationes obiectivas pariter diſtinguatur.

Contra ſolutionem ad ſecundam, ſic inſto, nam Concilia & Patres dum de Dei ſimplicitate loquuntur, aſſerunt eſſe ſumme ſimplicem, omnino ſimplicem: ergo in creaturis non licet aſsignare aliquod ens, quod formaliter in ſimplicitate excedat divinitatem, ſive ſit ſpecificum, ſive genericum ſit. Secundo conſtitutum ex ente, & modo entis eſt prædicatum potentiale, in potentia ſe habens ad vltimam actualitatem eſſendi, quæ eſt exiſtentia: Deus autem ſe ipſo immediate ipſiſsima exiſtentia, & ipſe actus purus eſt: ergo non poſſumus fateri de illo conſtituto, quod Deum in ſimplicitate excedat. Prob. Conſeq. Nā actus nulli potentialitati admixtus, nullo modo cum potentia compoſitionem facit, bene vero actus admixtus potentiæ; nam ex omni potentia, & actu aliqua reſultat compoſitio: actus autem realiter compoſitus ex potentia & actu, non eſt

ita ſimplex, ſicut ille, qui omnem talem à ſe compoſitionem excludit: ergo nulla ratione dicendum eſt, conſtitutum ex ente, & modo entis, Deū in ſimplicitate excedere.

§. XV.

Soluuntur Argumenta contra Concluſionem.

124 PRIMO Arguit Vazquez; nam conceptus eſſentiæ divinæ abſtrahit à relationibus, & conceptus relationis abſtrahit relationem ab eſſentia divina: ergo, neque in conceptu eſſentiæ divinæ remanet relatio, neque in conceptu relationis remanet eſſentia divina. Prob. Conſeq. nam in reali abſtractione dum vnum realiter ab alio abſtrahitur, nullo modo realiter manet in illo: ergo in abſtractione, quæ fit per rationem, id, quod abſtrahitur ſecundum rationem, non remanebit in eo, à quo abſtrahitur: ergo in conceptu relationis non erit actu eſſentia, neque in conceptu eſſentiæ erit actu relatio.

Ad hoc diſt. Antec. abſtrahit ſecundum explicitum, conc. Antec. ſecundum explicitum, & implicitum, nego Antec. & diſt. Conſeq. non remanet ſecundum explicitum, conc. Conſ. non remanet, neque ſecundum explicitū, neque implicitū, nego Conſ. Ad prob. nego Conſ. & aſſigno diſcrimen, nam abſtractio realis vnius ab alio fit per ſeparationem realem vnius ab alio, & ſic id, quod realiter ſeparatur ab alio, nullo modo realiter poteſt manere in illo; abſtractio autem, quæ per rationem fit, dupliciter contingit, primo ita, quod vnum ſecundum implicitum, & explicitum abſtrahatur ab alio, vt contingit, quando gradus animalis abſtrahitur à rationali. Secundo ſic, quod vnus conceptus non exprimat id, quod alter exprimit, & tunc licet vnū aliud non explicet; aliud tamen implicite, & confuſe actu includit, & hoc ſecundo modo vna divina perfectio abſtrahit ſecūdum rationem ab alia, per hoc ſolū, quod illam non exprimat & ſic cum hac abſtractione ſtare poteſt, quod aliam actu implicet.

125 Secundo arguit Vazquez. Paternitas, & quælibet relatio concipitur à nobis vt adveniens Deitati: ergo non intelligitur, vt actu includens Deitatē in ſuo conceptu; ſic enim non intelligeretur, vt adveniens, ſed vt illam ſecum indiviſſe trahens. Confirm. Ita concipitur relatio eſſentiæ advenire, vt eam determinat; at impoſsibile eſt relationem intelligi, vt determinantem eſſentiam, ſi eam in ſuo claudit conceptu; id enim, quod determinatur, non continetur in conceptu determinantis, vt inductione conſtat in rebus creatis: cumque relatio divina à nobis concipiatur inſtar aliarum formarum, quæ in rebus creatis determinant id, quod commune eſt, fit, quod concipi debeat extra illam id, quod per illam determinatur. Quod ſi ad inſtandum hanc rationem adducas ex creatis exemplum entis, quod imbibitur actu in modis, & tamē determinatur per illos. Aſſerit Vazquez exemplum eſſe futile, & non facere ad intentum, ſiquidem ens non dicit ad modos aliquam rationem communem, quæ determinetur per illos, ſed tantum dicit nomen commune illis: eſſentia autem divina dicit rationem communem vere determinabilem per relationes, ſicut per rationes particulares: vnde ſolvit inſtantiam, negando Min.

Ad hoc argumentum diſt. Ant. concipitur, vt adveniens Deitati, ſecundum explicitum, & implicitum, nego Antec. ſecundum explicitum tantum, conc. Antec. & nego Conſeq. vel diſt. Conſeq. vt actu includens expreſsive, conc. Conſeq. implicative tantum, nego Conſeq. Itaque cū id ipſum realiter formaliter ſit natura, & relatio, tantū poſſumus concipere adventum relationis ad naturam quoad expreſſionem, non vero, quoad id, quod explicat, & implicat. Ad Confirm. diſt. Mai. vt eam determinat, quoad explicitum, & implicitum, nego Mai. quoad explicitū tantum, conc. Mai. & nego Min. ſi enim determinatio non ſit ſimpliciter talis, ſed ſit ſolum determinatio quoad ſolam expreſſionē illius, quod antea implicabatur, non eſt impoſsibile intelligere determinare relationem, naturam, & illam actu includere; quia incluſio eſt quoad implicitum, & determinatio eſt ſolum quoad explicitum. Ad quod manifeſtandum bene adductum eſt exemplum entis, quod determinatur per modos, quos tamen actu claudit, implicite quidē, non tamē explicando illos. Nec eſt bona doctrina ea, qua Vazquez exemplū entis impugnat dicens, quod ens ſolā vocē communē dicit ad modos. Hoc enim falſiſsimum eſt; ſi enim ſolam vocē

com-

Digitized by Google

communem diceret, non eſſet analogum, ſed æquivocum, quod eſt contra bonam metaphyſicam, quæ defendit ens dici analogum vtraque analogia ad ſubſtantiam, & accidens.

129 Tertio arguit Vazquez, ſi eſſentia includeretur formaliter in conceptu relationis, hæc eſſet vera, & formalis. Paternitas eſt eſſentia, ſeu Divinitas, ſicut iſta, ſubſtantia eſt ens; hoc autem eſt falſum: ergo. Probat Min. Nam inde ſequeretur hanc eſſe ſimiliter veram, Deus Paternitate intelligit, quod ſic probat, Pater eſſentia intelligit, Paternitas eſt eſſentia; ergo Paternitate intelligit, & deinde Pater eo quod intelligit eſt ſapientia, ſed intelligit Paternitate: ergo Paternitate eſt ſapientia, quæ conſequentiæ falſiſsimæ ſunt.

Pro ſolutione huius adverto, quod hæc propoſitio, Paternitas formaliter eſt eſſentia, duos ſenſus poteſt facere; alterum ita, quod ly *formaliter*, idem ſit, quod expreſsive, alterum, quod ly *formaliter*, idem ſit, quod incluſive; & quidem in hoc ſecundo ſenſu vera eſt iſta, Parternitas eſt eſſentia, & formalis, fit enim ſenſus, quod id, quod formaliter eſt natura, actu clauditur in Paternitate; eſto non exprimatur per Paternitatem; in primo autem ſenſu propoſitio eſt falſa: quia Paternitas, prout ſic concepta non explicat abſolutum, ſed ſolam relationem.

Ad argumentum, ergo nego Min. ad prob. nego ſequelam; quia ad veritatem huius, Deus Paternitate intelligit, non ſufficit, quod in Paternitate claudatur intellectus, ſed requirebatur, quod ipſe intellectus formaliter exprimeretur per ipſam Paternitatem, cuius ratio eſt vis appellationis, quam importat Verbum *intelligit*, quod exigit expreſsionem principij, à quo procedit, & rei ſupraquod fertur. Quapropter hæc Conſeq. eſt nulla cognoſco venientem, veniens eſt Petrus: ergo cognoſco Petrum, quia ex vi appellationis verbi *cognoſco*, datur intelligi in maiori, quod veniens tantum cognoſcatur ſub ratione venientis, & in conſequenti cognoſco Petrum datur intelligi, quod cognoſcam Petrum, ex quo eſt Petrus. Ita in hac, Deus Paternitate intelligit, datur intelligi, quod intellectio divina conveniat Deo ratione illius, quod ipſa Paternitate exprimitur, quod falſiſsimum eſt. Neque ſyllogiſmus adductus aliquid valet; quia in illo variatur appellatio; nã in maiori verbum *intelligit* appellat ſuper expreſſum eſſentiæ, & in conſequenti ſuper expreſſum Paternitatis.

127 Tandem arguit Vazquez Si relatio formaliter includit eſſentiam, ſequeretur perſonam, non conſtitui relatione; Conſeq. eſt falſum, & contra D. Thom. infra q.40. ergo. Probat Sequelam, nam in perſona nihil aliud eſt, quam eſſentia relatione determinata, & contracta; ſed id ipſum formaliter eſt eſſentia contracta, quod eſt relatio contrahens: ergo cum perſona non conſtituatur perſona, pariter non conſtituetur relatione; non ergo poſſumus dicere, quod in relatione formaliter claudatur eſſentia, ne dicatur relationẽ eſſe idem formaliter cum perſona, & ſic perſonam conſtitui perſona.

Quod ſi reſpondeatur, nego ſequelã, & ad prob. diſtinguatur Min. idem eſt ſecundum explicitum, nego Min. quoad implicitum tantum, conc. Min. & negatur Conſeq. quia perſona importat explicite adæquate id, quod perſona, & ſic nequit perſona, perſona conſtitui; at relatio non importat explicite idem adæquate, ſiquidem eſſentiam in ſuo conceptu implicat, ſed non explicat: vnde veriſsime dici poteſt, perſona conſtitui relatione. Inſtat contra hoc: nam ſi relatio implicite actu claudit eſſentiam, eamque confuſe importat, importabit id, quod perſona; licet non ita expreſſe, ſicut definitum importat idem, quod definitio, licet non ita expreſſe, & diſtincte; ſed de quocumque negatur definitio, negatur definitum: ergo de quocumque negabitur perſona, negabitur relatio: tunc ſic, ſed negatur de perſona, perſona conſtitui: ergo negabitur de perſona conſtitui relatione.

Ad hoc nego ſequelam. Ad prob. diſt. Mai. in perſona nihil aliud eſt quam eſſentia relatione determinata, & contracta, incluſive, & expreſsive, conc. Mai. incluſive tantum, nego Mai. & Ad Min. eſſentia, vt contracta eſt idem cum relatione contrahente, & ècontra, incluſive, & excluſive nego Min. incluſive tantum, conc. Min. & nego Conſeq. Ad prob. in contra, nego Mai. pro ſecunda parte, videlicet, quod relatio importat idem, quod perſona, ſicut definitum importat idem, quod definitio, cum enim dico homo formaliter exprimo animal rationale, vt ſunt homo formaliter compoſitus ex

Digitized by Google

illis, per diffinitionem autem hominis importo animal, & rationale expreſſe vt diſtincta inter ſe: ita quod definitio, & diffinitum non differunt per hoc, quod diffinitum importet tantum implicite id, quod exprimit diffinitio, ſed per hoc, quod per diffinitum exprimuntur partes, vt ex illis conſtituitur homo; per diffinitionem vero exprimuntur, vt inter ſe diſtinctæ, non explicando earum vnionem: vnde non differunt, ſicut expreſſum, & implicatum, ſed tantum differunt vt minus expreſſum, & magis expreſſum; quod non ita contingit in relatione, & perſona, nam hæc exprimit eſſentiam, cum ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia: relatio autem tantum exprimit relationem, ex quo infertur, quod licet de quocumque negatur definitio, negatur definitum, non tamen de quocumque negatur perſona, negatur relatio: vnde hæc conceditur, perſona non conſtituitur perſona, & negatur iſta perſona non conſtituitur relatione.

§. XVI.

Soluuntur alia argumenta maioris efficaciæ contra Concluſionem.

128 SOLVIMVS Argumenta, quibus vtitur Vazquez contra noſtram concluſionem. Sed maiori cum vi poſſumus argumentari in favorem eius. Primo, in eo natura, & relatio ſe actu præſcindunt, in quo actu per rationem diſtinguuntur; ſed vt eſſentia, & relatio actu diſtinguuntur: ergo vt eſſentia, & relatio actu ſe præſcindunt: ergo in conceptu eſſentiæ vt eſſentiæ, actu non intrat relatio, neque in conceptu relationis vt relatio, actu ingreditur eſſentia, iſtæ conſequentiæ ſunt bonæ, & præmiſſas prob. Mai. quidem in eo ad invicem præſcindunt, in quo vnum non eſt actu aliud; ſed tantum in eo, in quo actu diſtinguuntur, actu vnum non eſt aliud: ergo in eo ſe præſcindunt in quo actu per rationem diſtinguuntur. Min. ſic probo. In eo eſſentia, & relatio actu diſtinguuntur, ratione cuius diſtincta deſinitione gaudent, diſtincto nomine ſignificantur, & ratione cuius diſtincta, & oppoſita prædicata de illis verificantur, ſed hoc illis convenit ſub ratione eſſentiæ, & relationis: nam de eſſentia, vt tali dicitur, quod ſit ad ſe; de relatione vt relatio, quod ſit ad aliud; habent etiam varia nomina; & prædicata, quæ dicuntur de eſſentia, vt eſſentia, non dicuntur de relatione vt relatio: ergo, vt talia actu per rationem diſtinguuntur.

Ad hoc reſp. nego Mai. ad prob. diſt. Mai. in quo vnum non eſt aliud expreſsive tantum, nego Mai. expreſsive, & implicative, conc. Mai. & diſt. Min. in eo, in quo actu diſtinguuntur, actu vnũ non eſt aliud, expreſsive tantum, conc. Min. expreſsive, & incluſive, nego Min. & Conſequentiam. Itaque ad hoc, vt duæ formalitates ſe ad invicem præſcindant, amplius requiritur, quam ad hoc vt actu diſtinguantur, nam ad hoc ſecundũ ſufficit, quod vna non exprimat aliam. Ad primũ autem requiritur, quod neque exprimat, neque includat, cum ergo hoc ſecundum non inveniatur inter relationem, & eſſentiam, ſed tantum primum, actu diſtinguuntur, ſed tamen actu non ſe præſcindunt.

129 Inſtabis tunc intellectus vnam formalitatem præſcindit ab alia, quando habet pro obiecto vnam, & non aliam; ſed quando intellectus cognoſcit eſſentiam, vt eſſentiam, tantum habet pro obiecto eſſentiam, & non relationem: ergo præſcindit eſſentiam à relatione. Prob. Min. id tantum habet pro obiecto, quod cognoſcit connotative ad perfectionem creatam; ſed dum cognoſcit eſſentiam, tantum eſſentiam cognoſcit connotative ad perfectionem creatam: ergo tantum habet eſſentiam pro obiecto. Prob. Min. dum cognoſcit eſſentiam divinam, tantum connotat eſſentiam creatam, & nullatenus relationem creatam: ergo ſolum cognoſcit connotative eſſentiam divinam.

Inſtabis ſecundo. Aliqua duo inter ſe præſcindi tantum ſecundum rationem, non eſt, quod realiter inter ſe aliquo modo ſeparentur: ergo bene ſtat, quod realiter formaliter eſſentia, & relatio inſeparabilia ſint, & nihilominus, quod per intellectum actu tantum ſe præſcindant. Prob. Antec. gradus animalis tributus à forma rationali præſcindit à gradu rationalitatis, & tamen realiter formaliter ſic eſt idem cum illo, quod nullo modo ab illa poteſt ſeparari: ergo ad hoc, vt aliqua ſe mutuo præſcindant ſecundum rationem, non requiritur, quod

aliq

aliquo modo realiter inter ſe ſeparabilia ſint.

Ex qua doctrina impugnatur ratio probativa noſtræ concluſionis: nam probavimus eſſentiam eſſe de conceptu relationis, & relationem de conceptu eſſentiæ; quia realiter eſt vna indiviſibilis formalitas, eſſentia, & relatio, & ſic concipiendo explicite relationem, non poſſumus, non concipere actu implicite eſſentiam. Contra quod ſic argumentor. Stat bene eſſentiam, & relationem per noſtros conceptus adinvicem præſcindere, & quod à parte rei ſit vna, & indiviſibilis formalitas: ergo ratio eſt nulla. Prob. Antec. præciſio tantum ſecundum rationem, non infert, imò excludit præciſionem realem: ergo ſtat, quod aliqua realiter vna, & indiviſibilis formalitas ſint, & quod tantum per rationem adinvicem ſe præſcindant.

Ad 1. inſtantiam, nego Min. ad prob. nego Min. ad prob. nego Conſeq. Etenim ad cognoſcendam relationem tantum implicite, & vt contentam in eſſentia, non requiritur connotatio relationis creatæ, ſed ſufficit connotatio eſſentiæ creatæ; aſſimilatio enim inter formam connotatam, & rem cognitam connotative, ſufficit, quod ſit inter rem cognitam expreſſe, & ratione ſui, non vero requiritur, quod ſit inter rem, quæ tantum implicite cognoſcitur, & ratione alterius, in quo actualiter continetur.

Ad ſecundam diſt. Conſeq. bene ſtat, ex ſolo capite inſeparabilitatis realis, conc. Conſeq. omnibus penſandis, penſatis, nego Conſeq. Itaque nos non probamus, eſſentiam, & relationes inter ſe non præſcindere; quia ex hoc ſequeretur aliquo modo realiter ſeparari vnum ab alio, ſed probamus ex hoc, quod Paternitas, & quælibet divinitatis formalitas, ſe ipſa immediate actus purus ſit nullo modo admixtus potentialitati, & ſic omnia divina neceſſario ſecum adducat: quæ ratio non militat, quando forma, vel eius prædicata actus purus non ſunt, ſed ſunt actus potentialitati admixti, tunc enim, licet realiter inter ſe inſeparabiles ſint, propter potentialitatem tamen, quam ſecum habent, poteſt vnus ab alio ſecundum implicitum, & explicitum præſcindere, quod licet videre in exemplo adducto, de forma rationali, quæ licet ſimplex ſit; quia tamen actus purus non eſt, admittit compoſitionem metaphyſicam duorum conceptuum adinvicem ſe præſcindentium. Ex quo patet ad aliam inſtantiam formatam contra rationem, qua probavimus concluſionem.

130 Secundo arguitur ſpecialiter: Si de conceptu formali eſſentiæ ſunt relationes, & de conceptu formali relationum eſt eſſentia; ſequitur; quod in conceptu Paternitatis formaliter implicite claudatur Filiatio, & Spiratio actualiter; Conſeq. eſt abſurdum: ergo. Prob. Sequela. Nam relatio Paternitatis actualiter in ſuo conceptu includit omne id, quod formaliter eſt eſſentia; ſed eſſentia per nos formaliſſime eſt Spiratio, & Filiatio: ergo in conceptu Paternitatis actu erunt Filiatio, & Spiratio. Min. vero prob. nam Paternitas non poteſt claudere actu in ſuo conceptu quidditativo id, à quo diſtinguitur realiter, & ad quod realiter eſt, & dicitur; alias idem ſuppoſitum eſſet Filius, & Pater; ſed Paternitas realiter diſtinguitur à Filiatione, & ad illam realiter eſt, & dicitur: ergo nequit actu claudere in ſuo conceptu Filiationem. Deinde ſequitur, quod in conceptu Paternitatis non ſolum claudatur Eſſentia, Filiatio, & Spiratio, ſed etiam ipſa Paternitas, ita, vt verificetur, de conceptu explicito Paternitatis, quod implicite, & explicite ſit Paternitas; hoc autem videtur falſum: ergo. Prob. Sequela, Paternitas actu claudit implicite omnia, quæ eſt ipſa eſſentia divina, & actu in eius conceptu clauduntur; ſed ipſa Paternitas clauditur actu implicite in conceptu ipſius eſſentiæ: ergo de primo ad vltimum clauditur ipſa Paternitas actu implicite in ipſo conceptu explicito Paternitatis.

Ad hoc Argum. nego Min. ad prob. diſt. Mai. Paternitas non poteſt claudere actu in ſe id, à quo realiter diſtinguitur, & ad quod realiter eſt, Paternitas, vt explicite comparata, cum eo, ad quod eſt, & à quo realiter diſtinguitur, conc. Mai. vt comparata cum eſſentia, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. nequit actu claudere in ſe filiationem, ſecundum quod adinvicem ſunt Filiatio, & Paternitas, conc. Conſ. ſecundum, quod ambo comparantur ad eſſentiam, nego Conſ. Itaque hoc eſt valde mirabile in myſterio Trinitatis, quod tres perſonæ inter ſe comparatæ, & vt adinvicem ſunt, realiter inter ſe diſtinguuntur, vt comparatæ autem cum ipſa divina eſſentia omnino idem ſint.

Digitized by Google

Nec ex hoc ſequitur, quod idem ſuppoſitum ſit Filius, & Pater, nam iſtæ relationes,vt expreſſantur per hæc nomina,Pater,& Filius, explicantur,ſecundum, quod ad invicem ſunt, ſecundum quam rationē ſe excludunt, non tantum ſecundum rationē, ſed etiam realiter. Neque etiam ſequitur, quod ſi in conceptu Filiationis intrinſece clauditur Paternitas, quod Pater communicet Filio, non tantum eſſe Deū, ſed etiam eſſe Patrem, quod hoc argumēto probari videtur. Filius in ſuo conceptu quidditativo actu claudit, licet implicite, Paternitatem,non vt à ſe illam habentem: ergo, vt acceptam à Patre: ergo Pater nō ſolum communicat Filio eſſe Deum, ſed etiam eſſe Patrem. Non inquam ſequitur. Nam in illa propoſitione, ſit ſenſus, quod Pater communicet Filio Paternitatē,prout nomine Paternitatis exprimitur, quod falſiſsimum eſt. Nam Pater eſſentiam ſecundum explicitum eſſentiæ Filio communicat, Paternitatem autem, vt iſto nomine exprimitur,non communicat. Vnde ſemper ſalvatur Patrem communicare Filio omnia,quæ habet præter eſſe Patrem;cum quo tamen ſtat, quod Filio communicet Paternitatem, non, vt hoc nomine exprimitur, ſed vt eſſentiæ nomine cōfunditur.

Vnde ad argumentum reſp.in forma, diſt, Conſeq. Ergo vt acceptam à Patre, prout hoc nomine Paternitas exprimitur, nego Conſeq.prout nomine eſſentiæ confunditur, conc. Conſeq. Neque aliquem ſcrupulum ingerat noſtra doctrina; quia in illa tantum dicimus id, quod Evangelium promulgat,dicens, *tres ſunt,qui teſtimonium dant in cœlo,& hi tres vnum ſunt*, qua propoſitione datur intelligi, quod licet tres perſonæ inter ſe adinvicem realiter diſtinguantur; tamen illæmet tres, vt comparātur ad eſſentiam omnino idem ſunt; quia in ordine ad illam nullam habent diſtinctionem, & ſic nihil mirum, quod ratione illius, ſe ipſas mutuo claudant in ſuis conceptibus formalibus. Ad vltimam non invenio inconveniens in eo,quod conceptus exprimens Paternitatem implicite,ſe ipſam claudat, ratione eſſentiæ divinæ;hęc enim eſt vera,Paternitas eſt eſſentia quæ eſt tota Trinitas.

(?)

§. XVII.

Vtrùm eſſentia ſub conceptu naturæ ſit de conceptu relationum?

131 ESSENTIAM Divinam ſub conceptu entis divini tranſcendentis claudi in conceptu relationum omnes Thomiſtæ affirmant; negant autem aliqui ſub conceptu naturæ tranſcendere relationes, & imbibi actu in conceptu obiectivo earum. Sed quia oppoſitum ſentio.Sit Concluſio. Natura divina ſub conceptu naturæ, actu clauditur in conceptu relationum. Prob. Natura divina ſub conceptu naturæ nequit præſcindere à relationibus: ergo clauditur in illis,prob. Antec. Si ſub munere naturæ præſcinderet ab illis, ex natura divina, & relationibus fieret compoſitio metaphyſica; hoc non admittunt Authores, quos impugnamus: igitur neque debent admittere naturam divinam, ſub munere naturæ præſcindere à relationibus. Prob. Mai. Nam hoc principium receptiſsimum eſt apud Thomiſtas, quod quotieſcumque duæ perfectiones ſecundum rationem mutuo ſe excludunt, ſecundum implicitum, & explicitum, poſſunt ad invicem determinari, tam ſecundum explicitum,quam ſecundum implicitum: ita vt vna obtineat rationem determinabilis, & alia rationem determinantis; ſed vbi adeſt ratio determinabilis, & determinantis ſecundum implicitum, & explicitum, ad eſt neceſſario metaphyſica compoſitio: ergo ſi natura ſub munere naturæ præſcindit à relationibus, inter naturam, & relationes dabitur compoſitio metaphyſica.

Dices huic rationi; illud principium verificari, quando id, quod præſcindit ab alio, ſub nulla ſui formalitate actu clauditur in illo;cumque natura,ſub munere pręedicati tranſcendentis claudatur actu in conceptu formali relationum, eſto præſcindat ab illis, ſub munere naturæ, non faciet compoſitionem cum relationibus. Sed contra eſt; quod natura ſub munere prædicati tranſcendentis actu claudatur in conceptu relationum, non aufert,quin ſecundum formalitatem naturæ præſcindat à relationibus: ergo non aufert, quin ſub munere naturæ componat cum illis. Patet Conſeq. nam ea,quæ ſecundum implicitū, & explicitum ſe excludunt, in eo in quo

Digitized by Google

ſe excludunt, determinari ad invicem poſſunt: ergo ſi natura, & relationes ſe excludunt, natura ſumpta vt tali, poſſunt ad invicem determinari. Tunc ſic; ſed quæ ad invicem ſecundum implicitũ, & explicitum ſe determinant, inter ſe componunt; ergo natura, vt natura, compoſitionem faciet cum relationibus.

132 Secundo prob. Concluſio. Conceptus naturæ, vt naturæ, non præſcindit à ſe ipſo, prout ens divinum eſt; quia eſt ipſiſsima virtualitas, licet ſub alio munere: ergo ſi natura, vt prædicatum tranſcendens, non præſcindit à relationibus, neque natura, vt natura, præſcindet ab illis. Prob. Conſeq. Nam implicat, quod relatio formaliſsime ſit natura ſub munere prædicati tranſcendentis, & non ſit formaliter id, quod ipſum prædicatum tranſcendens formaliter eſt: ergo ſi natura, vt prædicatũ tranſcendens, formaliter eſt natura, vt natura, relatio neceſſario erit natura, vt natura.

Dices hanc rationem inſtari in ſimili forma. Etenim hæc Conſeq. non valet: ens formaliſsime eſt ſubſtantia, & accidens; accidens formaliſsime eſt ens: ergo accidens eſt ſubſtantia, & accidens: ergo hæc etiam non valebit: Paternitas divina formaliter eſt ens divinum ſub munere tranſcendentis; ens divinum ſub munere tranſcendentis formaliter eſt natura, vt natura: igitur Paternitas formaliter eſt natura ſub munere naturæ.

Sed contra eſt. Nam ratio, ob quam non bene valet in aſsignata Conſeq. eſt, quia medium, quod eſt ens, non eſt omnino idem cum ſubſtantia, & accidenti diviſive ſumptis, ſed ſit ſimpliciter diverſum, ita vt portio entis, quæ deſcendit ad ſubſtantiam, ſit ſimpliciter diverſa à portione entis, quæ deſcendit ad accidens: & ſic ex hoc, quod accidens ſit ens, non ſequitur, quod ſit ſubſtantia, & accidens. At vero medium, quod aſſumitur in noſtra ratione, quod eſt ens divinum vt tranſcendens, eſt omnino idem in natura per modum naturæ, & in relatione: & ſic bene concluditur, quod ſi relatio formaliter claudit ens divinum ſub munere tranſcendẽtis, & hoc formaliter claudit naturam ſub munere naturæ, quod relatio claudit naturam divinam ſub munere naturæ.

Explico hoc. Ens divinum ſub munere tranſcendentis non eſt analogum ad relationes, vt oppoſiti Authores imaginãtur; cum ſit ipſiſsima eſſentia divina, quæ in relationibus vna numero invenitur, quod non componitur bene cum ratione analoga, quæ debet eſſe communis communitate vniverſalitatis: ſcimus enim ex Tractatu de Analogia hoc verſari diſcrimẽ inter analogum analogia tranſcendentiæ, & analogum attributionis, quod ad hoc ſecundum requiritur, quod ratio analoga ſit vna numero in vno analogato intrinſece, & in alijs extrinſece; ad primum autem requiritur, quod ſit communis communitate vniverſalitatis, & quod ſimpliciter fiat diverſa in ſuis analogatis: ex quo fit, quod ipſiſsima portio entitatis deſcendat ad naturam, & relationes. Vnde bonum ſit argumentum, quod ſi relatio formaliter eſt ens ſub munere tranſcendentis, & ens divinum prout ſic formaliter eſt natura ſub munere naturæ, quod relatio ſit natura ſub munere naturæ implicite, eſto non expreſsive.

§. XVIII.

Solvuntur argumenta, contra Concluſionem.

133 ENS Divinum; quod tranſcendit naturam, & relationes, etiam dividitur per relationes, & naturam: ergo falſo dicimus eandem portionem entis divini deſcendere ad naturam, & relationes. Prob. Antec. Ens divinum in natura eſt tantum vnum, in relationibus realiter multiplicatur: inſuper ens divinum in Patre formaliter eſt Paternitas, in Filio Filiatio: igitur ſit diverſum per modos relationum, & per modum naturæ. Confirm. Ex Concilijs habemus, quod perſonæ differunt realiter, ſicut tres res, & quod natura eſt vna res tantum: ergo ens reale divinum, dum deſcendit ad naturam, & perſonas, dividitur per vnum, & multa: ergo falſum eſt dicere ipſiſsimam portionem entis divini reperiri in relationibus, & natura.

Hoc argumentum tenentur ſolvere Authores oppoſiti; ipſi enim dicunt, quod ipſiſsima eſſentia divina ſubit duplex munus abſque ſui virtuali diſtinctione, & munus naturæ, & munus prædicati tranſcendentis; ergo reſtat illis ſolvere hanc eandem

Digitized by Google

dem difficultatem, videlicet; quomodo ipſamet virtualiter eſt vna in natura, & multiplex in relationibus. Vnde pro illis, & pro nobis reſp. quod ſicut ſupra dixi, hoc eſt mirabile, quod ipſa portio entitatis abſolutæ ſit tantũ vna, & relative tres, & ipſa portio entitatis, quæ eſt in Patre, ſecundũ quod eſt ad Filium realiter diſtinguatur, ab ipſa portione entitatis ſecundum, quod eſt ad Patrem, & nihilominus in Filio; & in Patre ſecundum quod ad naturam comparantur ſit ipſiſsima portio entitatis.

Secundo arguitur. Natura divina ſub munere naturæ eſt radix attributorum; ſed nequit dici, quod Paternitas ſit radix attributorum: igitur nequit dici, quod natura ſub conceptu naturæ ſit de conceptu Paternitatis. Prob. Min. Attributa abſoluta intelliguntur radicati à natura, & convenire illi, vt prævenit relationes: igitur nequit dici, quod Paternitas ſit radix attributorũ. Ad hoc diſt. Min. abſolute, & ſine addito loquendo, conc. Min. cum aliquo addito, nego Min. & Conſeq. Itaque cum hoc prædicatum *radix attributorum* ſit diſtinctivũ naturæ, vt naturæ, ab omnibus attributis, tam abſolutis, quam relativis, nequit abſolute proferri de aliquo attributo, ne ſecundum rationem videantur convenire in eo, in quo per rationem diſtinguuntur: & ſic ſicut de Paternitate nequimus dicere abſolute; quod ſit communicabilis multis; quia hoc prædicatũ convenit naturæ, prout diſtinguitur à Paternitate, ita etiam non poſſumus dicere abſolute, Paternitas eſt radix attributorum; quia hoc eſt prædicatũ, per quod diſtinguitur natura ab attributis: vnde ſicut dicimus, Paternitas eſt res communicabilis pluribus, ita & dicimus, Paternitas eſt res, quæ eſt radix attributorum.

Inſtabis. Hoc ipſo, quod radix attributorum non poſsit abſolute prædicari de Paternitate, ſed ſolum cum illo addito, hoc ipſo convincitur, quod inter naturam, & Paternitatem ſolum ſit realis identitas; at ſola realis identitas non facit, quod vnum adhuc implicite includatur in conceptu alterius: ergo ſolum erit verũ, quod natura, vt natura, realiter ſit idem cum Paternitate, non autem verum erit, quod ſit de conceptu imperfecto, & inadæquato ipſius Paternitatis. Conſeq. videtur bona, maior certa, nam non alia de cauſa ſolum poſſumus dicere, Paternitas eſt res, quæ eſt communicabilis, vel quæ eſt radix attributorũ, niſi quia per hunc terminum *res* ſolum explicatur realitas, & ſic dum iungitur cum verbo *eſt*, denotatur ſolum ratione identitatis realis prædicatum vere dici de ſubiecto. Min. Autem ſic probo, nam ex hoc, quod, inter gradum animalis, & gradum rationalis ſit ſola realis identitas, non poteſt probari, quod animal ſit de conceptu rationalis, neque rationale ſit de conceptu animalis, cum ad invicem ſe præſcindant præfati duo gradus: ergo ex ſola identitate reali inter Paternitatem, & radicem attributorum non poterit convinci, quod radix attributorum ſit de conceptu imperfecto, & inadæquato Paternitatis.

Ad hoc diſt. Min. in prædicatis potentialitati admixtis, conc. Min. in prædicatis, quæ ſunt actus puriſsimi, & ab omni fece potentialitatis liberi, nego Min. & Conſeq. Itaque quando prędicata, quæ ſunt idem realiter formaliter, actus puriſsimi ſunt, ſic omnino indiviſibiles ſunt, quod licet per noſtros conceptus non poſsimus exprimere omnes, ſtando in vno ſolo conceptu; tamen neceſſe eſt, quod, dum vnum exprimimus, alia omnia implicemus: cum ergo Paternitas, & natura actus puriſsimi ſint, neceſſe erit, quod licet ſola realis formalis identitas ſit inter illos, tamen, dum vnum exprimimus, alia implicamus, quod non ſic contigit in animalitate, & rationalitate, quæ cum potentialitati admixta ſint, eſto reali identitate gaudeant; non tamen in ſuis conceptibus mutuo ſe claudunt.

QVÆSTIO V.

De exiſtentia, & ſubſiſtentia divinarum relationum.

POSTQVAM Egimus ad longũ de an eſt, & quod quid eſt divinarum perſonarum, & de his, quæ ſpectant ad identitatem earundem cum natura, & realem diſtinctionem inter ſe, rectus ordo poſtulat, vt agamus de exiſtentia, & ſubſiſtentia earundem.

(?)

Vtrùm

Digitized by Google

§. I.

Vtrùm præter exiſtentiam abſolutam dentur in Deo tres exiſtentiæ relativæ.

134 NOMINE Exiſtentiæ intelligimus quandam rei vltimam actualitatem, per quam formaliter ponitur extra cauſas: cum ergo concedatur in divinis eſſe tres res extra cauſas, debemus neceſſario concedere in Deo eſſe tres res exiſtentes, & cum non poſsint exiſtere per tres exiſtentias abſolutas; quia abſoluta non multiplicantur in divinis, merito dubitamus. Vtrùm exiſtant, per vnã ſolã exiſtẽtiã abſolutã, an requirantur tres exiſtentiæ relativæ? In quo puncto elucidando, duæ habentur celebres ſententiæ. Prima affirmat dari in Deo tres exiſtentias relativas. Ita Scotus in 1. diſt. 11. quæſt. 2. §. *Ad rationes*; tenent etiam Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 3. & tomo 1. in 3. p. diſp. 11. ſect. 2. Arrubal diſput. 104. c. 3. & plures alij ex Schola Societatis. Secunda ſententia affirmat omnia divina vna indiviſibili exiſtentia exiſtere, ita Thomiſtæ, cum ſuo Sanctiſsimo Præceptore, quibus etiam ſubſcribunt plures ex Societate, vti ſunt Vazquez, Granados, & alij plures.

Sit Concluſio: In Deo nulla datur exiſtentia relativa, ſed omnia divina exiſtunt vna exiſtentia abſoluta. Sic D. Thom. pluribus in locis ſuæ doctrinæ. Etenim hic in corolario, art. ſecundi, ſic habet: *Patet ergo, quod in Deo non eſt aliud eſſe relationis, & eſſentiæ Divinæ, ſed vnum, & idem.* Super quæ Caietanus, §. *Corolarium eſt*, eleganter diſcurrit, quod poſtquam D. Thom. dixit eſſentiam divinam ratione diſtingui à relatione, infert eſſentiam, & relationem vnum tantum habere eſſe, nempe exiſtentiæ. Similiter infra q. 40. art. 2. ad 2. & 3. p. q. 17. art. 2. ad 3. & ex profeſſo Quodlibeto 12. art. 1. vbi quærit Vtrum in Deo ſit tantum vnum eſſe, & reſp. quod eſt in Deo vnum tantum eſſe, ſcilicet eſſentiale, & q. 2. de verit. art. 1. ad 18. inquit: *Quamvis autem in divinis ponantur plures perſonæ, & proprietates; non tamen ibi ponitur niſi vnum eſſe, quia eſſe in divinis non niſi eſſentialiter dicitur.* Et q. 8. de potentia, art. 2. ad 11. ait: *Et ideo nullo modo eſt concedendum, quod aliud ſit eſſe relationis in divinis, & aliud eſſe eſſentiæ.* Et q. 2. de pot. art. 6. impugnat ſententiam oppoſitam his verbis: *Non eſt concedendum, quod aliquod abſolutum in divinis multiplicetur, ſicut quidam dicunt, quod in divinis eſt duplex eſſe, ſcilicet eſſentiale, & perſonale; omne enim eſſe in divinis eſſentiale eſt, nec perſona eſt, niſi per eſſe eſſentiæ.*

Sed accuratius hãc doctrinã tradit in 1. d. 33. q. 1. ar. 1. ad 1. vbi poſtquam diſtinxit eſſe quidditatis, & eſſe, quod eſt actus eſſentiæ, ſcilicet exiſtencia, hæc habet: *Dico igitur, quod cum dicitur, ad aliquid ſunt, quorum eſſe eſt ad aliud ſe habere, intelligitur de eſſe, quod eſt quidditas rei, quæ diffinitione ſignificatur; quia ipſa natura relationis, per quam conſtituitur in aliquo genere, eſt ad aliud referri, & nõ intelligitur de eſſe, quod eſt actus eſſentiæ, hoc enim eſſe habet relatio ex his, quæ cauſant ipſam in ſubiecto, ſecundum quod eſſe non refertur ad aliud, ſed ad ſubiectum: ſicut, & quodlibet accidens; & ſic dico, quod non oportet, quod eſſe eſſentia divina ſit ad aliud ſe habere; quia illud eſſe, in quo Paternitas, & eſſentia vniuntur, ſignificatur, vt eſſe, quod eſt actus eſſentiæ; non autem vniuntur in eſſe, quod ſignificat, diffinitio rei; quia alia eſt ratio Paternitatis, quæ ad aliud refertur, & alia eſt ratio eſſentiæ.* Quibus nihil veriùs, nihilque clarius pro noſtra concluſione potuit deſiderari.

135 Sed ratione primo prob. concluſio. Relationes divinæ exiſtunt exiſtentia abſoluta: ergo nequeunt exiſtere exiſtentia relativa. Ant. patet, nam exiſtentia abſoluta formaliter tranſcendit relationes: ergo communicat illis exiſtere, & Conſ. prob. Nam implicat eandem relationem duplici exiſtentia exiſtere; cùm enim exiſtentia ſit vltima rei actualitas in linea eſſendi, ſi relationes exiſterent exiſtentia abſoluta, & relativa, gauderent in linea eſſendi duplici vltima actualitate, quod videtur eſſe à bona philoſophia extraneum.

Huic rationi dices primò, negando Ant. licet enim exiſtentia abſoluta tranſcendat relationes, non ſequitur, quod illas reddat formaliter exiſtentes: ſicut, neque ex hoc, quod relatio tranſcendat formaliter eſſentiam, ſequitur, quod illam reddat relatam: cuius ea eſſe videtur ratio, nam ſicut; quia incapax eſt natura abſoluta effectus formalis relati, non obſtante quod tranſcendatur à relatione, non redditur relata, ita; quia relatio incapax eſt exiſtendi abſolute, etiam ſi tranſcendatur ab exiſtentia abſoluta non reddetur exiſtens abſolute.

So-

Secund. reſp.neg.Conſ.nullum enim inconveniens eſt eandem rem duplicem effectum formalem recipere, ſi habeat duas formas, à quibus prædicti effectus formales de facto præſtentur; ſcimus enim, quod, quia humanitas Chriſti actuatur duplici forma ſanctificante, alia ſubſtantiali, alia accidentali, formaliter eſt ſancta ſanctitate ſubſtantiali, & accidentali: cum ergo relatio divina actuetur duplici exiſtentia altera abſoluta, & altera relativa, nihil mirum, quod dupliciter exiſtat.

Verum his ſolutionibus non enervatur ratio facta. Non quidem prima. Nam in relatione non eſt incapacitas ad exiſtendum per exiſtentiam abſolutam: ergo ſi relatio tranſcenditur ab exiſtentià abſoluta, vere exiſtet per illam. Prob. Ant. Exiſtere relationis, vt vidimus ex D.Thom. in locis adductis, non eſt ad terminum, ſed ad ſubiectum; ſed ea, quæ conveniunt relationi in ordine ad ſubiectum, non dicuntur relative, ſed abſolute: ergo in relatione non eſt incapacitas ad exiſtendum exiſtentia abſoluta.

Secunda ſolutio impugnatur ſic. Nam licet alicui rei ex terminis non repugnet duplex effectus formalis, vt exemplum adductum de ſanctitate probat, duplex tamen effectus formalis, qui ſit vltima rei actualitas in linea eſſendi, non poteſt non repugnare; ſed exiſtere eſt vltima actualitas de linea eſſendi: ergo implicat, quod relatio exiſtat exiſtentia abſoluta, & exiſtentia relativa. Prob. Mai. Vltimus actus in linea eſſendi eſt actualitas omnium actuum, qui in re inveniuntur: ergo implicat rem aliquam actuari duplici vltima actualitate; alias eſſet duplex vltima, & non eſſet duplex vltima: nam eſſet vltima ex ſuppoſitione, & non eſſet vltima, quia actuaretur vlterius altera actualitate.

Nec valet, ſi dicas repugnare vltimum actum in linea abſoluti actuari ab alio abſoluto, non vero repugnare actuari ab alio relativo, quia ſufficit vltimæ actualitati abſolutæ, quod ſit vltima in ſua linea, non vero requiritur, quod ſit vltima in omni linea. Non inquam valet. Nam vel per hoc, quod relatio exiſtat per exiſtentiam abſolutam, habetur, quod relatio in linea eſſendi vltimo, & adæquate exiſtat, vel habetur, quod non vltimo, & adæquate exiſtat; ſi ſecundum dicatur: ergo non exiſtit per exiſtentiam abſolutam, nam de illius conceptu eſt, quod res vltimo, & adæquate extra cauſas ponat; ſi dicatur primum: ergo ſemel actuata per exiſtere abſolutum nequit vlterius exiſtere per exiſtentiam relativam.

Confir. Relationem exiſtere per exiſtentiam abſolutam eſt extra cauſas poni purum reſpectum ad terminum, vel eſt aliquo modo poni extra cauſas, & aliquo modo manere intra illas: ſi dicatur hoc ſecundum, relatio non exiſtit per exiſtentiam abſolutam, quia abſolute exiſtere, eſt extra cauſas omnimodo poni: ſi dicatur primum, in linea exiſtendi relationi ſemel actuatæ, nequit vlla fieri additio. Confir. ſecundo. Et inquiro, quid ſit relationem exiſtere relative vltra hoc, quod eſt exiſtere abſolute? ſane huic quæſito non aliud reſponderi poteſt, niſi, quod ſit exiſtere ad aliud ſic, quod non tantum res, quæ exiſtit, relatio ſit, verum & exiſtentia ipſius ad aliud ſit. Sed ſi hoc dicatur, ſic inſurgo. Poſtquam ad aliud in rerum natura eſt in ſe ipſo extra omnes cauſas ſuas per exiſtentiam abſolutam, nullum effectum de novo recipere poteſt ab exiſtentià, quæ etiã relatio ſit: ergo inutiliter multiplicatur de novo huiuſmodi exiſtentià relativa. Prob. Ant. Poſtquam ſic intelligitur exiſtere in ſe ipſa, intelligitur exiſtere non ſolum id, quod eſt relatio, ſed etiam intelligitur exiſtere vt relatio, nempe ſecundum rationem explicitam *ad*, ita quod verificetur exiſtere in rerum natura relationem, ſecundum quod dicit *in*, & ſecundum explicitum *ad*; ſed relatio non eſt capax exiſtendi alio modo: ergo per relativam exiſtentiam ſuperadditam nullum effectum de novo in linea exiſtendi valet recipere.

136 Secundo Prob. concluſio ratione D. Thom. deducta ex ſententijs ſupra relatis. Exiſtentià relationis creatæ eſt aliquid abſolutum: ergo & exiſtentià relationis divinæ erit aliquid abſolutum. Conſ. etiam in principijs adverſariorum eſt bona, & Ant. prob. Eſſe relationis creatæ, ſicut & eſſe omnium aliorum accidentium, conſiſtit adæquate in hoc, quod eſt ineſſe ſubiecto: ergo eſt aliquid abſolutum, & nullatenus relativum. Prob. Conſ. Nam id, quod adæquate conſiſtit in ineſſe ſubiecto, tantũ reſpicit ſubiectum, & non terminum: ergo eſt abſolutum, & nullatenus relativũ. Huic rationi reſpõdebis, negãdo Ant. & ad prob. dices, quod ineſſe ſubiecto ſtat dupliciter, vel ineſſe ſubiecto referendo illud ad aliud tanquam ad purum terminum; vel conſti-

tuen-

Digitized by Google

tuendo ſubiectū in aliquo eſſe abſoluto: in eſſe ſubiecto primo modo, non tantum eſt reſpectus ad ſubiectū, ſed eſt reſpectus ad ſubiectū & ad terminū; ineſſe ſubiecto ſecūdo modo, tantum eſt reſpectus ad ſubiectū: cum ergo eſſe relationis ſit ineſſe ſubiecto referendo ad terminum, eſt eſſe relativum, & non abſolutum.

Sed contra eſt. Nam licet eſſe prout dicit eſſentiam relationis ſit actuare ſubiectum referendo illud ad aliud, ideſt ad purum terminum; eſſe tamen, quod eſt exiſtere ipſam relationem, non eſt actuare ſubiectum referendo ad terminum: ergo nulla ſolutio. Ant. præterquam, quod eſt D. Thom. in ſententijs adducti prob. ſic. Nam implicat, quod eadem indiviſibilis formalitas reſpiciat ſubiectum, vt ſubiectum, & ſimul referat illud ad terminum: ergo hæc duo nequeunt competere exiſtentiæ relationis. Prob. Ant. nequit vna formalitas ſimpliciter eſſe abſoluta, & eſſe ſimpliciter relativa, ſed ſi exiſtentia reſpiceret ſubiectum, vt ſubiectum, & ſimul referret ad terminum, eſſet ſimpliciter abſoluta, ex quo reſpiceret ſubiectum, & eſſet ſimpliciter relativa, ex quo reſpiceret terminum: ergo implicat, quod exiſtentia relationis reſpiciat ſubiectum, vt ſubiectum, & referat ad terminum.

Neque hæc ratio inſtatur in ipſa eſſentia relationis, quæ actuat ſubiectum referendo illud ad terminum. Nam actuare ſubiectum, non eſt dependere à ſubiecto, ſed potius eſt explicare dependentiam, quam ſubiectum habet à forma relativa in eo, quod conſtituitur relatum ab illa: ergo non ponit in ipſa eſſentia relationis aliquid abſolutum: & ſic per hoc non aufertur, quin eſſentia relationis purus reſpectus ſit; verum ineſſe ſubiecto, eſt ſimpliciter dependere ab illo, tanquam à cauſa ſui eſſe; reſpicere autem aliquid tanquam cauſam ſui eſſe, non eſt reſpicere puri reſpectus: ergo eſt reſpicere formæ abſolutæ; & ſic ſi exiſtentia relationis reſpicit ſubiectum tanquam ſui cauſam, vel non erit relatio, vel ſimul erit forma abſoluta, & relativa, quod implicat.

Secundo inſto. Prædicata differentialia relationis nequeunt convenire eſſentialiter exiſtentiæ eius; ſed ſi exiſtentia haberet referre ſubiectum ad purum terminum, prædicata eſſentialia relationis convenirent exiſtentiæ eius: ergo exiſtentia relationis non refert ſubiectum ad terminum. Prob. Mi. relatio, vt relatio nihil aliud dicit, quam eſſe id, quo aliquid refertur ad aliud, tanquam ad purum terminum: igitur ſi exiſtentia relationis referret ſubiectum ad terminum, prædicata eſſentialia relationis convenirent eſſentialiter exiſtentiæ eius.

Dices. Prædicata differentialia, per quę eſſentia relationis differt à ſua exiſtentia, non poſſe convenire eſſentialiter ſuæ exiſtentiæ, prædicata vero diff. rentialia, per quæ relatio differt ab alijs prædicamentis abſolutis, bene poſſe convenire exiſtentiæ eius; ſicut in ſimili contingit in alijs prædicamentis abſolutis, v.g. prædicata ſubſtantiæ, per quæ differt à ſua exiſtentia, non poſſunt eſſentialiter convenire eius exiſtentiæ, prædicata vero, per quæ ſubſtantia differt ab accidenti, vere competunt exiſtentiæ ſubſtantiæ, cum & ipſa exiſtentia ſubſtantia ſit: ſic ergo relationi competunt duo genera prædicatorum differentialium, aliud, per quod diſtinguitur à ſua exiſtentia, quod eſt eſſe eſſentiam completā directe ponibilem in prædicamento, & hoc non competit exiſtentiæ relationis, quæ eſt quid incompletum, & modale, quod tantum indirecte ponitur in prædicamento; aliud per, quod diſtinguitur à formis abſolutis, & hoc eſt referre ad purum terminum, & hoc bene poteſt competere exiſtentiæ relationis; ſiquidem per hoc prædicatum non habet relatio diſtingui à ſua exiſtentia.

Sed contra eſt. Nam relatio ponitur directe in prædicamento, ex hoc, quod eſt ratio referendi ſubiectum ad terminum: ergo ſi totum hoc ponitur convenire exiſtētiæ eius, vere directe ponetur in prædicamento & habebit rationem formæ completæ in linea relationis.

137 Secundo. Hucuſque inauditum eſt, quod relatio ſub munere referendi ſubiectum ad terminum, abſtrahat à completa, & incompleta, ab ea, quæ ponitur directe in prædicamento, & ab ea, quæ ponitur ad latus prædicamenti: ergo ſine fundamento dicit ſolutio, quod relatio, per hoc, quod ſit ad aliud, hoc eſt referat ſubiectum ad terminum, non diſtinguitur à ſua exiſtentia.

Neque ex hoc, quod ſubſtantia abſtrahat à completa, & incompleta ſit argumentum, quod etiam relatio ſub ratione referendi ad terminum abſtrahat à completa, & incompleta; nam ratio, quæ mi-

ra-

Digitized by Google

litat in ſubſtantia, non militat in relatione: ſubſtantia enim componitur ex partibus ſubſtantialibus, quibus nequit convenire ratio completæ ſubſtantiæ. Inſuper modus exiſtentiæ ſubſtantià eſt; quia cum eſſentià ſpeciem accipiat ab exiſtentià, ne dicatur, quod ſpecificatum eſt perfectius ipſo ſpecificante, oportet neceſſario ponere, quod ſubſtantià incompleta ſit: nulla autem harum rationum militat in relatione, ſecundum munus referendi ad aliud; ſiquidem, prout ſic modus indiviſibilis eſt, & in indiviſibili conſiſtit, ac per conſequens incompoſitus partibus. Deinde eius exiſtentià non oportet, quod, vt ſpecificet relationis eſſentiam, relatio ſit; quia cum abſolutum ſit quid perfectius relativo, non eſt inconveniens, quod relationis eſſentia ab abſoluta exiſtentia ſpecificetur. Dices. Etiam in alijs prædicamentis accidentium exiſtentiam, eorum eſſe de linea prædicamentali, de qua eſt eorum eſſentià, quæ exiſtit: ergo pariter dicemus de exiſtentià relationis, quod ſit de linea prædicamenti relationis.

Sed ad hoc reſpondeo negando Sequelam, nam vbi abſque repugnantià hoc fieri poteſt, nempe, quod exiſtentià ſit eiuſdem prædicamenti, de quo eſt eſſentià, ita res habeat, vt ſtrictiori iure verificetur, quod actus, & potentia eiuſdem generis ſunt; non autem hoc debet fieri in linea relationis; quia implicat exiſtentiam relationis eſſe relativam, ex eo, quod relatio, vt relatio non explicat *in* ſed *ad*; exiſtentià autẽ omnis non explicat *ad*, ſed *in*; cumque omnia alia prædicamenta abſoluta ſecũdũ ſuas differentiales rationes explicent *in*, non eſt inconveniens, quod eorum exiſtentiæ de eadem linea prædicamenti ſint, de qua eſt eſſentia.

Ex qua doctrina confirmatur ratio noſtræ concluſionis. Nam relatio ſecundum propria relationis non explicat eſſe: ergo, quod ſecundum propria explicat eſſe, nequit eſſe relatio, ſed omnis exiſtentià ſecundum propriam rationem exiſtentiæ explicat eſſe; exiſtere enim nihil aliud explicat, quam eſſe extra cauſas: ergo exiſtentià relationis nequibit eſſe relatio. Sed inſtas contra hæc. Non minus ſubſiſtere ſecundum propria explicat eſſe, quam exiſtere, ſed hoc non obſtante in Deo dantur tres ſubſiſtentiæ relativæ: ergo non obſtante, quod exiſtere explicat eſſe, poterunt dari tres exiſtentiæ relativæ. Prob. Mai. tum; quià ſubſiſtere eſt in ſe ſiſtere, quod non eſt ad aliud, quam in ſe eſſe: ergo ſecundum propriam rationem explicat eſſe. Tum etiam; quia ſubſiſtere eſt actus primus de linea eſſendi: ergo explicat eſſe.

Hæc inſtantia ſemper viſa eſt difficilis in tantum, quod propter illam multi negant relationes divinas propriam habere rationem ſubſiſtentiæ, de quibus infra Deo dante dicam. Interim dico, quod ſubſiſtere ſtat dupliciter, primo, pro eo, quod eſt habere eſſe independenter ab alio, tanquam a ſuſtentante, ſed ſe ipſo intranſitivo eſſe; alio modo, prout dicit incommunicabilitatem alicuius ad aliud, tanquam ad ſuppoſitum: primo modo ſubſiſtere dicit formaliter in ſe ſiſtere, & ſic explicat eſſe; vnde illo modo non ponitur in Deo ſubſiſtentià relativa, ſed tantum abſoluta; Deus enim non ſuſtentatur à relationibus, ſed potius ſuſtentat illas: ſecundo modo non explicat eſſe determinate, ſed abſtrahit; nam in creaturis, cum poſsit vnum realiter diſtingui ab alio, per aliquid abſolutum, incommunicabilitas alteri etiam explicat eſſe abſolutum; in Deo vero, cum non poſsit haberi realis diſtinctio per abſoluta tantum, poteſt haberi incommunicabilitas, per relationem, & ſic datur in Deo ſubſiſtere relativum: exiſtere autem tantum dicit eſſe, & ſic tam in Deo, quam in creaturis, debet eſſe abſolutum. Sed de hoc infra.

Tertio principaliter prob. concluſio. Si dantur in Deo tres exiſtentiæ relativæ, dabuntur quoque tres durationes relativæ, cum duratio nihil aliud ſit, quam permanentia in exiſtere; quod ſi dantur tres durationes, dabuntur neceſſario tres æternitates, & ſic tres perſonæ non tantum erunt tres æterni adiective, ſed etiam ſubſtantive, contra illud Athanaſij: *Non tres æterni, ſed vnus æternus*. Reſpondet Suarez lib 3. de Trinit. c. 11. hoc argumento convinci dari in Deo tres durationes, non tamen convinci dari in Deo tres æternitates: quia æternitas, cum ſit attributum eſſentiale nequit multiplicari in perſonis, quod non currit in duratione, quæ prædicatum tranſcendens eſt.

Sed contra inſto. Æternitas nihil aliud eſt, quam duratio immutabilis, & tota ſimul: ergo implicat in Deo multiplicari durationes, & non multiplicari æternitates: ſi ergo dantur in Deo tres durationes, dabuntur in Deo tres æternitates: vnde æternitas,

nitas, ſicut, & duratio erit prædicatū tranſcendens, & non eſſentiale. Præterea, tres illæ durationes ſunt in ſpecie determinata durationis: ergo vel ſunt tempus, ævum, vel æternitas; non tempus, non ævum: ergo æternitas: ergo ſi ſunt tres durationes realiter diſtinctę, erunt tres æternitates realiter diſtinctæ.

Secundo alij reſp. devorando, quod ſint in Deo tres æternitates, & tres æternos relative, negando tamen tres æternos abſolute, & tres æternitates ſimpliciter. Sed contra eſt, nam Athanaſius eo modo negat tres æternos, quo negat tres immenſos, & tres omnipotentes; ſed negat tres immenſos ſubſtantive relative, & tres omnipotentes ſubſtantive relative: ergo, & negat tres æternos ſubſtantive relative.

Tertio alij reſp. durationem eſſe quid diſtinctum ab exiſtentia: vnde non ſequitur (inquiunt) quod ſi dantur tres exiſtentiæ relativæ, dentur tres durationes relativæ. Sed contra eſt: nam, eſto demus durationem modaliter diſtingui ab exiſtentia rei; non tamen licet multiplicare exiſtẽtias non multiplicatis durationibus: ergo dum multiplicātur exiſtentiæ debent multiplicari durationes. Prob. Antec. in omnium ſententia, duratio rei intrinſeca, nihil eſt aliud, quam permanentia in eſſe: ergo dum multiplicantur eſſe, debent multiplicari permanentiæ intrinſecæ in eſſe: ergo adhuc admiſſa diſtinctione modali inter exiſtentiā, & intrinſecam duratione͂, ſi multiplicantur exiſtentię, durationes debent multiplicari. Præterea D. Th. probat ſupra q. 10. art. 2. quod ſolum Deus eſt ſua æternitas, cum nulla creatura ſit ſua duratio; quia ſolus Deus eſt ſuum eſſe: ergo poterit probari divinam Paternitatem eſſe ſuam durationem relativam; quia eſt ſuum eſſe relativum.

§. II.

Solvuntur argumenta.

138 PRIMO Arguit Suarez contra noſtram concluſionem: exiſtentia nihil eſt aliud, quā actualis entitas, vel vt alij loquuntur actualitas ipſius entitatis; ſed tres proprietates perſonales divinæ ſunt tres actualitates realiter inter ſe diſtinctæ, & ratione ab eſſentia: igitur in divinis ponendæ ſunt tres exiſtentiæ relativæ. Prob. Min. tres perſonæ ſunt tres res realiter diſtinctæ: ergo ſunt tres actualitates.

Reſp. Salmanticenſes hic §. 13. & duobus ſequentibus, diſtinguendo in Deo, ſicut in qualibet creatura duplex genus actualitatis, aliud actualitatis eſſentialis, quæ incompleta, & vialis eſt ad exiſtentiam, aliud actualitatis completæ, quæ ipſa exiſtentià eſt; dicunt ergo in divinis perſonis multiplicari realiter primum genus actualitatis, & ratione illius, dici tres actualitates reales relativæ, non vero multiplicari ſecundum genus actualitatis realis.

Hæc tamen doctrina non placet, eſto ab aliquibus Thomiſtis tradatur: etenim non invenio in D. Thom. niſi ens dictum ab eſſentia, & dictum ab exiſtentià; in hoc autem modo dicendi neceſſe eſt ponere medium genus entitatis; nam eſſentià non dicitur actualis in tranſitive ad aliam formalitatem, ſed tranſitive; hæc etiam formalitas non eſt ipſa exiſtentia: ergo eſt entitas media inter eſſentiam, & exiſtentiam. Præterea, ſi illa actualitas eſſentiæ præcedit actualitatem exiſtentiæ, eſſentià ab illa ſpecificabitur, & non ab exiſtentià; hoc autem videtur eſſe contra Thomiſtas, qui immediatum ſpecificativum eſſentiæ dicunt eſſe exiſtentiam: ergo. Prob. Mai. potentià phiſica ſpeciem capit à primo actu phiſico, qui eſt forma: ergo potentia metaphiſica qualis eſt illa, quæ competit eſſentiæ, vt tali, ſpeciem capiet à primo actu metaphiſico, quo intrinſece actuatur; ſed in hoc modo dicendi prima actualitas, quæ convenit eſſentiæ, non eſt actualitas data ab exiſtentià in genere cauſæ formalis; ſed ab alia formalitate: ergo ab hac accipiet ſpeciem; & non ab exiſtentià. Neque vt eſſentià recipiat exiſtentiam, neceſſe eſt, quod prius fiat actualis, aliqua actualitate diſtincta ab ea, quam dat ei exiſtentià; nam ſubſtantià corporea fit immediate extenſa, per receptionem quantitatis, ſine eo, quod extenſionem de linea quantitatis præcedat alia extenſio, ſive de linea ſubſtantiæ, ſive de linea quantitatis incompletæ & vialis; murus etiam immediate fit albus de non albo ſimpliciter & ſic de alijs: ergo pariter eſſentià fiet immediate actualis actualitate exiſtentiæ ſine eo, quod primo fiat actualis alia actualitate media inter eſſentiam, & exiſtentiam.

Vnde hac doctrina admiſſa dico ad argumentum, exiſtentiam eſſe actualitatem

Digitized by Google

tem eſſentiæ, & tres perſonas non dici in rigore tres actualitates; licet dicantur tres actuales adiectivè: vnde non eſt neceſſe ponere tres exiſtentias relativas; & ad prob. in cōtra, nego Conſ. Hoc enim nomen *res* ibi ſtat pro eſſentia, quæ per definitionem explicatur, non pro exiſtentia: vnde ſunt tres exiſtentes, & tres actuales vnica tantum actualitate, quam dat eis vnica exiſtentia. Si dicas. Hoc ipſo, quod ſunt tres res realiter inter ſe diſtinctæ, neceſſario debent eſſe tres realitates: ergo tres actualitates. Reſp. eſſe tres realitates, prout realitas ſumitur à re, non prout ſumitur ab exiſtentia: vnde non ſequitur eſſe tres actualitates, ſed tres eſſentias modales, vna exiſtentia actuales.

139 Secundo arguitur. Datur in Deo ſubſtātia relativa: ergo & poterit dari in Deo exiſtentia relativa. Ant. patet, nam relatio in Deo non eſt accidens, ſed ſubſtantia. Et Conſeq. prob. non minus ſubſtantia explicat eſſe, quam exiſtentia explicat eſſe; at hoc non obſtante datur in Deo ſubſtantia relativa: ergo, & poterit dari in eo exiſtentia relativa.

Aliqui, vt hoc argumentum ſolvant, negant dari in Deo tres ſubſtantias relativas. Sed hoc eſt valde difficile, nam non poſſumus negare dari in Deo tria ſuppoſita: ſuppoſitum autem cum per ſe ſubſiſtat, ſubſtantia eſt, & ſic eſt neceſſe ponere in Deo tres ſubſtantias relativas. Vnde aliter reſp. ad argumentū, neg. Conſeq. Ad prob. non minus ſubſtantia explicat eſſe, quam exiſtentia, diſt. Mai. cum determinabilitate per eaſdē differētias, nego Mai. cū determinabilitate per diſtinctas differētias, cōc. Mai. & cōc. Min. nego Conſ. Itaq; hoc prędicatum commune, nempe *ſubſtantia*, dictum de Deo, determinatus intrinſece per perſeitatem eſſendi communicabilem, & per perſeitatem eſſendi incommunicabilē; prima differentia conſtituit ſubſtantiam divinam in linea abſoluti; ſecunda conſtituit ſubſtantiam in linea relativi, & ſic relatio divina ex ratione ſibi ſuperiori ſubſtantia eſt, ac per Conſequens datur ſubſtantia relativa: exiſtentia autem divina non determinatur per communicabile, & incommunicabile; iſtæ enim differentiæ ſunt ſubſiſtentiæ, non exiſtentiæ, & ſic adæquatè abſoluta eſt, & nullatenus relativa.

Vnde non probamus nos tantum dari exiſtentiam abſolutam; quia exiſtentia explicat eſſe; ſed, quia ſecundum adæquatam ſui rationem ſuperiorem, & infimam tantum dicit eſſe: verum ſubſtantia explicat eſſe vlterius contrahibile, per aliquid quod licet includat eſſe, non tamen differentialiter illud explicat, & per aliquid, quod ſecundum eſſe differentiale includit, & explicat eſſe, & ſic non repugnat ſubſtantiam eſſe relativam: repugnat vero exiſtentiam.

140 Tertio arguitur. Exiſtētia relationis divinæ debet eſſe relativa: ergo debet eſſe ratione diſtincta ab exiſtentia naturæ divinæ, & realiter multiplicata. Prob. Antec. primo; quia exiſtentia debet proportionari eſſentiæ, cuius eſt exiſtētia, & ſic; ſi eſſentia eſt relativa, exiſtētia quoque, vt ſit proportionata debet eſſe relativa. Secundo, quia relativa ſunt, *quorum totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere*: ergo cum eſſe relationis ſit duplex, nempe eſſentiæ, & exiſtentiæ, vere eſſe relationis, tam eſſentiæ, quam exiſtētiæ erit ad aliud, & per Conſeq. erit relativum eſſe. Tertio. Quia ſi exiſtentia relationum nō ſit relativa, Pater Æternus non erit ad alium, ſed ad ſe; Conſeq. eſt falſiſsimum: ergo. Prob. Mai. exiſtens exiſtentia abſoluta, exiſtit abſolute: ergo exiſtit ad ſe: ergo Pater Æternus erit ad ſe & non ad alium.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad primam prob. diſt. Ant. debent proportionari ad hunc ſenſum, quod ſi eſſentia ſit ſubſtantia, exiſtētia nō poſsit eſſe accidens, conc. Min. ad hunc ſenſum, quod ſi eſſentia ſit de genere relativo, exiſtentia debeat eſſe de genere relativo, vel non poſsit eſſe de genere abſoluto, nego Antec. & Conſ. Itaque, vt ſupra dixi, hoc eſt peculiare in ſubſtantia, quod requirat exiſtentiam delinea ſubſtantiæ, ex eo quod cum eſſentia ſpecificetur ab exiſtentia, ſi exiſtentia eſſet accidens, ſpecificans eſſet inferius, & imperfectius ſpecificato: & etiam, quia cum ſubſtantia ſit ens per ſe, & ad ſe, nequit reſpicere pro actu ſpecificativo aliquid extra ſe; reſpiceret autem ſi eſſentia eſſet ſubſtantia, & exiſtentia accidens: quia accidens extra ſubſtantiam eſt. In alijs autem prædicamentis non requiritur ad proportionem inter eſsentiam, & exiſtentiam, quod eius de generis ſint; cuius ea eſt ratio: quia omne exiſtere accidentis cum non ſit eſſe abſolute, debet eſſe, ineſſe ſubiecto; vnde neceſſario debet eſſe abſolutum; vnde eſſentia relativa, vt proportionem habeat cum ſua exiſtentia, non requirit, quod exiſtentia ſua abſoluta ſit.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum dico, quod dum dicitur in definitione relativorũ, *quorum totum eſſe eſt ad aliud*, ibi vt vidimus ex D.Th. eſt ſola loquutio de eſſe eſſentiæ, nõ vero de eſſe exiſtentiæ. Ad 3. nego Mai. ad prob. diſt. vltimũ Conſ. & non erit ad alium quantum ad eſſe exiſtentiæ, conc. Conſeq. quantum ad eſſentiam Paternitatis, nego Conſeq. Cum enim dicimus Pater eſt ad Filium, intelligimus, quod eſſentia Patris cõſiſtat in hoc, quod eſt eſſe ad Filium, non quod exiſtentia eius ad Filium ſit.

141 Quarto arguitur. Exiſtentia naturæ divinæ eſt omnino à ſe, & improducta; ſed exiſtentia Filiationis eſt ab alio, & producta: ergo eſt relativa & non abſoluta. Prob. Min. Filius habet eſſe extrà nihil per veram productionem: ergo id à quo formaliter eſt extra nihil, eſt quid productum; at id eſt exiſtentia Filij: igitur exiſtentia Filiationis eſt producta. Ad hoc argumentum, nego Min. quoad illam particulam *producta*. Ad prob. nego Conſeq. etenim Filius producitur per hoc, quod eius eſſentia relativa producitur ſub exiſtentia ei cõmunicata, non vero producta; ſicut enim ex vi proceſsionis evadit Deus per naturam divinam ei communicatam, & non productam; ita exiſtit Filius ab alio per exiſtentiam ei communicatam, & non productam: neque enim eſt novum, quod aliqua actio producat quidditatem ſub exiſtentia, & tamen non producat exiſtentiam eius, vt patet in actione productiva humanitatis Chriſti, quæ quidem fuit productiva humanitatis, & nõ exiſtentiæ eius, cum exiſtat per exiſtentiam increatam.

Tandem arguitur ex duplici authoritate Cyrilli; prima deducitur ex lib. 1. de Trinit. circa medium. Vbi de Patre & Filio, ait: *Cum vterque ſit & ſubſiſtat, propriã, quæ habere dicatur exiſtentiam.* Secunda authoritas deſumitur ex dialogo 2. non longe à principio docens enim cõvenientiſsime perſonas divinas eſſe nõminatas à Chriſto, ait, *ſic enim manifeſtam & in confuſam triũ ſubſiſtentiarum in proprijs exiſtentijs proprietatem ſervans*: Ergo ſentit perſonas divinas non vna communi abſoluta, ſed pluribus proprijs tamen vnicuique exiſtentijs actuari. Ad hoc dico, quod prima authoritas accuratiſsime quæſita eſt in textu Cyrilli, & nulla via inventa eſt, quare explicatione non indiget. Secunda vero eam permittit explicationem, vt ly *in proprijs exiſtentijs*, idem valeat, quod in proprijs modis exiſtendi, id eſt in proprijs perſeitatibus. Quam phraſim ſequutus eſt D.Thom. q. 9. de potent. art. 5. ad 23. vbi dicit, quod *ad perfectionem divinitatis attinet, vt ſint plures modi exiſtendi in divinis*, id eſt plures modi perſeitatis.

§. II.

In quo conſiſtat ratio ſubſiſtentiæ.

142 CIRCA Hoc quæſitum duæ verſantur celebres ſententiæ, inter Metaphyſicos, & Theologos. Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. *§. reſpondetur ad 3. art.* diſtinguit inter perſonalitatem creatam, & increatam; hanc dicit conſiſtere in carentia communicationis, tam actualis, quam aptitudinalis, & in repugnantia ad talem communicationem; & quia hæc repugnantia neceſſario dicit aliquid poſitivum, ſupra, quod fundatur, vel ex quo oritur; ideo aſſerit divinam ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem aliquid poſitivum dicere: verum quia natura creata non dicit hanc repugnantiam, vt à divina perſona ſuſtentetur, ideo ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas creata præter naturam ſingularem, ſolum dicit carentiam actualem, ſeu aptitudinalẽ communicationis. Huic ſententiæ opponitur è diametro, ſecunda opinio aſſerens omnem ſubſiſtentiam dicere aliquid poſitivum, & reale. Sic ſentiunt Thomiſtæ, qui inter ſe diviſi ſunt circa explicationem huius poſitivi. Suarez enim 3. p. diſp. 8. ſect. 4. & in metaphyſica diſp. 34. ſect. 4. quem ſequuntur Vazquez 3. p. diſp. 34. cap. 6. aſſerit ſubſiſtentiam ad naturam addere quendam modum realem, tantum formaliter diſtinctum ab illa; aſſerit ſimiliter hunc modum non eſſe immediatum complementum naturæ, ſed exiſtentiæ; aſſerit etiam in compoſitis materialibus ſubſiſtentiam ipſius compoſiti ex ſubſiſtentijs partium, nempe ex ſubſiſtentia materiæ, & ex ſubſiſtentia formæ componi.

Alij Authores affirmant hoc poſitivum non eſſe aliquid abſolutum, & intrinſice conveniens naturæ, ſed ſolum eſſe, quandam connotationẽ alicuius extrinſeci, ad quod dicit ordinem; itaque ipſa natura ſubſtantialis prout connotat, ſeu dicit ordinem ad res extrinſecas, quas recipit, ſive accidentia ſint, ſive ſubſtantiæ, eſt ipſa ratio ſubſiſtentiæ. Tertio alij dicunt, ſubſiſten-

ſiſtentiam eſſe quendam modum ſubſtantialem immediate afficientem naturam, illam terminantem, & complentem, reddentemque alteri ſuppoſito incommunicabilem.

Dico ergo primo contra Scotum. Omnis ſubſiſtentia, ſive creata, ſive increata cōſiſtit in aliquo poſitivo. Prob. 1. nam ſuppoſitum ex terminis vere ponitur in prædicamēto ſubſtantiæ: ergo id, quo primo & per ſe cōſtituitur, vere eſt aliquid poſitivū; ſed id quo primo, & per ſe conſtituitur, eſt ſubſiſtētia: igitur ſubſiſtētia vere eſt aliquid reale poſitivū. Prob. 1. Conſ. nam id, quod per ſe primo ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, debet neceſſario eſſe aliquid reale. Reſp. Scotus ſuppoſitum dicere aliquid poſitivum pro materiali, vel pro ſubſtrato; nempe rationem individui, quæ ratio individui cum actuali, & aptitudinali negatione communicationis ſuppoſitum conſtituit: vnde ſalvatur bene, quod & ſi negationem pro formali dicat, in prædicamento ſubſtantiæ ponatur. Sed contra eſt: nam ſuppoſitum non ratione individuationis, ſed quia formaliter ſuppoſitum eſt, ponitur in prædicamento ſubſtantiæ: igitur dicit aliquid poſitivum, non ſolum, quia individuum, ſed etiam quia ſuppoſitū. Prob. Antec. ſuppoſitum ponitur in prædicamēto ſubſtantiæ: igitur dicit aliquid poſitivum non ſolum quia individuum. Prob. Antec. ſuppoſitum ponitur in prædimento ſubſtantiæ, quia per ſe exiſtit, & alijs prædicamētis ſubſtat; ſed per ſe exiſtere, & alijs ſubſtare, non conveniunt ſubſtantiæ, quia individua, ſed tantum quia ſuppoſitum: ergo ſuppoſitum non ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, quia individuum, ſed quia individuum ſuppoſitum.

Secundo prob. Concluſio. Subſtantia individua cum negatione actualis, & aptitudinalis communicationis, & non repugnantia communicationis ad divinum Verbum non obtinet rationem ſuppoſiti: igitur præter hæc debet addi aliquis modus poſitivus, quo in eſſe ſuppoſiti conſtituatur. Prob. Ant. de fide eſt Verbum divinū non aſſumpiſſe ſuppoſitum creatum, & aſſumpſiſſe naturam individuam gaudentem actuali, & habituali negatione communicationis, cū non repugnantia ad hoc, quod aſſumeretur à verbo: igitur in illis tantum tribus non conſiſtit ratio ſuppoſiti creati. Prob. Min. de fide eſt Verbum aſſumpſiſſe naturam individuam; ſed pro illo priori, quo tantum intelligebatur individua, & non ſuppoſitata à Verbo, intelligebatur etiam cum negatione actualis, & aptitudinalis communicationis: igitur Verbum aſſumpſit naturam individuam, cum illis tribus enumeratis. Dices naturam humanam aſſumptam fuiſſe à verbo pro illo priori, quo intelligebatur individua, antequam intelligeretur cum negatione actualis communicationis: vnde nequit dici Verbum aſſumpſiſſe naturam præ exiſtentem in proprio ſuppoſito.

Sed contra eſt, nam natura individua per aſſumptionem tranſijt de non actualiter Verbo communicata, ad actualē communicationem cum Verbo: ergo iuxta Scotum fatendū eſt, vel Verbum aſſumpſiſſe naturam exiſtentem in proprio ſuppoſito exiſtentem; vel in illis tribus, nempe natura individua cum negatione actualis, & aptitudinalis communicationis, vt aſſumitur à perſona divina, non conſiſtere rationem ſubſiſtentiæ creatæ.

Tertio prob. nam Scotus fatetur loco citato divinam ſubſiſtentiam dicere aliquid poſitivum, nempe illam repugnantiam ad hoc, vt nec naturaliter, nec ſupernaturaliter poſsit alicui ſuppoſito externo communicari: ergo debet fateri neceſſario ſubſiſtētiam creatam conſiſtere in poſitivo. Prob. Conſeq. nam hoc ipſo, quod Scotus in natura individua creata recognoſcit carentiā aptitudinalis communicationis ad alterum ſuppoſitum, ſecundum legem, & ordinem naturæ, hoc ipſo debet ponere repugnantiam intrinſecam ad hoc vt ſecundum legem naturæ, & ordinem, hæc natura individua alicui ſuppoſito externo, ſive creato, ſive increato communicetur: ergo debet ponere aliquid poſitivum præter rationem individui, ex quo talis repugnantia oriatur. Patet Conſeq. Nam ſecundum Scotum repugnantia, quam habet ſubſiſtentia divina, vt nulli ſuppoſito per nullam legem communicetur, eſt aliquid poſitivum diſtinctum ab individuatione divinæ naturæ: ergo repugnantia, quam habet natura individua creata ad hoc, vt ſecundum legem, & ordinem naturæ, nulli ſuppoſito communicetur, erit neceſſario aliquid poſitivum diſtinctum ab individuatione naturæ creatæ. Patet Conſeq. nam repugnantia, quam habet ſuppoſitum divinum, vt ſecundum nullam legem alteri ſuppoſito poſsit communicari, & repugnantia, quam habet ſuppoſitum creatum,

Digitized by Google

vt ſecundum legem & ordinem naturæ nulli ſuppoſito poſſit communicari, tantum differunt penes magis,& minus:ergo ſi prima dicit aliquid poſitivum diſtinctum ab individuatione naturæ divinæ, ſecunda dicet aliquid poſitivum diſtinctum ab individuatione naturę creatæ.

§. III.

Solvuntur argumenta.

143 CONtra concluſionem arguitur primo. Nam ſi ſubſiſtentia creata diceret aliquid poſitivum,ſequeretur dari aliquid creatum poſitivum à Verbo inaſſumptibile; Conſ. eſt falſum:ergo.Prob. Sequela. Nam admiſſa illa entitate poſitiva, debet admitti, quod illa eſſet alteri ſuppoſito ſic incõmunicabilis, quod implicaret contradictionem, quod alteri ſuppoſito communicaretur: igitur daretur poſitiva entitas creata inaſſumptibilis à Verbo. Mi. probat Scotus ex doctrina Damaſceni 3.lib.ar.6.*quod eſt inaſſumptibile, eſt incurabile*; ſed nulla eſt entitas poſitiva creata, quæ ſit Incurabilis:igitur nulla eſt entitas creata, quæ ſit inaſſumptibilis. Quod ſimiliter ratione probat, nam quælibet entitas poſitiva habet potentiam obedientialem, vt aſſumatur à Verbo:ergo.

Ad hoc argumentum, nego Mi. ad prob. dico Damaſcenum, non loqui de modis naturæ, ſed loqui de natura intellectuali, de qua dicit, quod ſi eſſet aliqua natura intellectualis creata, quæ eſſet inaſſumptibilis à Verbo, illa eſſet incurabilis, per redemptionem Verbi: vnde non concluditur ex verbis Damaſceni,quod ſi ratio ſuppoſiti, ſeu ſubſiſtentiæ creatæ aliquid poſitivum ſit, illud aſſumptibile à Verbo ſit.Ad ſecundam prob. nego Ant. nam potentia obedientialis, ſolum verſatur in illud, quod non repugnat, ſuppoſitum autem aſſumi ab altero ſuppoſito ex terminis repugnat: vnde quamvis entitas poſitiva ſit,non ſequitur,quod de poſſibili à Verbo aſſumi poſſit.

Secundo arguit;quia ſi ponatur, quod ſubſiſtentia creata ſit aliquid poſitivum, ſequitur, quod natura, quæ iam à Verbo aſſumpta eſt, careat aliqua entitate poſitiva, quam haberet,ſi aſſumpta non eſſet; Conſequens videtur magnum abſurdum: ergo.Prob.Mi.nam inde ſequeretur, quod Verbum non aſſumpſerit naturam omni perfectione poſitiva ſibi debita integratam, quod magnum inconveniens videtur. Quod confirmat:nam ſi Verbum humanitatem dimitteret, neceſſarium eſſet dari prædictæ naturæ aliquam entitatem poſitivam de novo, ratione cuius in ſe ſubſiſtat, quod videtur falſiſſimum: ergo. Prob. Mai. nam tunc illa natura non ſubſiſteret per ſola prædicata poſitiva naturæ, nec per ſubſiſtentiam Verbi:igitur,vt ſubſiſteret, indigeret nova entitate poſitiva.

Ad hoc argumentum. Conc. Sequelam Intellectam de entitate poſitiva modali, nullum enim in conceſſione huius habetur abſurdum; ſicut neque in eo, quod aſſumpſerit naturam ſine proprio ſuppoſito, aliquod habetur inconveniens. Ad Confir.conc.Mai.nego Min.

Tertio arguit ex alio inconvenienti, videlicet, quod ſequitur ex noſtra concluſione, quod natura intellectualis poſſet fieri hæc, & actu exiſtens, ſine eo, quod eſſet perſonata; quod videtur falſiſſimum. Probat Sequelam; nam hæc natura eſt prior, quam adſit hæc realitas poſitiva, qua nos dicimus perſonari, & ſubſiſtere; ſed prius non dependet à poſteriori: igitur poſſet natura fieri hæc, & exiſtere ſine eo, quod eſſet perſonata.

Ad hoc nego Mai.ad prob.diſt.Maſ. eſt prior prioritate, in quo, & in exiſtendo nego Mai.prioritate, à quo,conc.Mai. & conc. Min. nego Conſequentiam. Itaque in exiſtendo, hæc duo ſunt ſimul, hæc natura, & perſonatio eius; natura tamen, & prioritate, à quo, præcedit hæc natura ſuam ſubſiſtentiam; quia ex hac natura hæc ſubſiſtentia oritur.

§. IV.

Statuitur ſecunda Concluſio.

144 DICO ſecundo ſubſiſtentia ſupra naturam individuam non ſolum addit connotationem alicuius termini extrinſeci, ſed conſiſtit in quodam modo, quo complete terminatur natura ſubſtantialis.Prima pars prob. Nam connotationes iſtæ ad extrinſeca prædicata nequeunt convenire naturæ, prout intelligitur tantum individua; ſed conveniunt ei neceſſario, prout iam intelligitur incommunicabilis, & comple-

Digitized by Google

te terminata: igitur in dictis connotationibus, ratio ſubſiſtentiæ non conſiſtit. Conſeq. eſt bona, & Antec. prob. Nam hæc connotatio activa, vel hic ordo ad extrinſeca prædicata, eſt ordo alicuius, iam potentis prædicta prædicata recipere: ergo eſt ordo alicuius, iam potentis ſubſiſtere illis: ergo eſt ordo ſubſtantiæ, iam completæ, & terminatæ. Prob. hæc vltima Conſeq. natura enim tantum individua, non vltimo ſubſtantialiter terminata, nequit recipere prædicta prædicata; recipiens enim debet eſſe id, quod eſt, non id, quo aliquid eſt; natura autem tantum individua, tantum eſt id quo, non vero id, quod eſt; ergo prædictæ connotationes ſupponunt naturam, iam vltimate completam & terminatam, atque adeò, iam ſubſiſtentem.

Secundo hoc ipſum probo. Nam ſi habitudo ad prædicata extrinſeca, nempe ad exiſtentiam, & ad alia accidentia, immediate conveniret naturæ individuæ, & non, iam ſubſiſtenti, ſequeretur Verbum Divinum aſſumpſiſſe naturam, iam propria gaudentem ſubſiſtentia; Conſeq. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, Verbum Divinum aſſumpſit naturam iam prædicta connotantem, & dicentem ordinem ad illa: ergo aſſumpſiſſet naturam, iam ſubſiſtentem. Patet Conſequentia. Secundum Authores, quos impugnamus, natura redditur ſubſiſtens per ordinem ad hæc extrinſeca, qui ordo non eſt quid aliud ab ipſa natura, vt individua: ergo dum aſſumpſit naturam, iam individuam, aſſumpſit naturam cum præfato ordine, & per conſequēs iam ſubſiſtentem.

Dices, quod in ſententia D. Thom. natura aſſumpta a Verbo, non gaudet propria exiſtentia, & ſic non poteſt intelligi, vt connotans, vel, vt dicens habitudinem ad illam. Sed contra eſt: nam ordo, & appetitus ad propriam exiſtentiam, non fuit avulſus à natura, niſi iam ſuppoſita ipſa Verbi ſubſiſtentia: ergo ſi ordo ad propriam exiſtentiam convenit naturæ, prout individuæ; cum Verbum aſſumpſerit naturam, iam individuam, fatendum erit aſſumpſiſſe naturam, prout dicentem habitudinem ad propriam exiſtentiam. Explicatur hoc. Ordo ad propriam exiſtentiam, in ſententia horum Authorum, immediate convenit naturæ, prout individuæ; ſed natura, prout individua, præintelligitur ad communicationem cum ſubſiſtentia Verbi: ergo & præintelligitur cum ordine ad propriam ſubſiſtentiam.

Dices cum his Authoribus, ſubſiſtentiam non conſiſtere, in quocumque ordine ad exiſtentiam, ſed tantum in ordine ad exiſtentiam propriam iam poſſeſſam; pro illo autem priori, pro quo natura hæc aſſumptibilis intelligitur, non invenitur in illa ordo ad exiſtentiam, iam poſſeſſam, & ſic, licet in ea inveniatur ordo ad exiſtentiam poſſidendam, non ſequitur, quod præintelligatur, iam ſubſiſtens. Sed contra eſt, nam in ſententia Div. Thom. ordo ad exiſtentiam, iam poſſeſſam, nequit competere, niſi ſuppoſito; hoc enim tantum eſt ſuſceptivum exiſtentiæ: ergo ordo, & connotatio exiſtentiæ, vt iam poſſeſſæ, iam ſupponunt naturam ſubſiſtentem, & non conſtituunt: ergo in illo ratio formalis ſubſiſtentiæ cōſiſtere nequit.

145 Secunda pars noſtri aſſerti prob. Primo authoritate D. Thom. q. 9 de pot. artic. 2. ibi: *Perſona ſignificat naturam cum quodam modo exiſtendi, qui modus eſt eſſe per ſe exiſtens.* Et in 1. ſentent. diſt. 23. q. 1. art. 1. ad 2. & infra, quæſt. 30. art. 1. ad 1. dicit: *Individuum vagum ſignificare naturam, cum quodam modo eſſendi, qui competit ſingularibus, ſcilicet, vt ſit per ſe ſubſiſtens.* Et ad 2. ait: Quod *ipſe modus exiſtendi incommunicabiliter, poteſt eſſe communis multis*: igitur iuxta D. Thom. ſubſiſtentia eſt quidam modus naturæ, & non aliqua realis entitas.

Ratione ſic prob. Nam ſubſiſtentia nihil aliud eſt, quam vltima terminatio ſubſtantiæ reſultans ex compoſitione omnium prædicatorum ſubſtantialium: ergo non erit realitas, ſed modus ipſius ſubſtantiæ. Prob. Conſeq. nam omnis realitas per ſe vnitur alteri, vt ex illa, & re, cui vnitur, fiat compoſitio: terminatio autem vltima reſultans ex compoſitione, non vnitur, vt fiat compoſitio ex illa, & re compoſita; ſed, vt ponat ipſum compoſitum in quodam modo eſſendi; nempe in eo, in quo, neque alteri poſſit vniri, vt pars, neque poſſit eſſe in alio, ſicut accidens in ſubiecto: ergo ſubſiſtentia erit modus, & non entitas. Quod, vt intelligatur, adverto, quod ex ſubſiſtentia, & natura ſingulari, non fit aliquod aliud

Digitized by Google

totum diſtinctum ab eo, quod erat natura ſingularis; ſed primum totum ex vi ſubſiſtentiæ accipit vltimum modum totalitatis; ſicut ex linea, & puncto terminatiuo non fit totum diſtinctum à linea, ſed totum, quod eſt linea, per punctum terminatiuum accipit talem ſtatum eſſendi, quod non poſſit continuari cum alia linea; & ſicut aliud eſt cognoſcere infinitum, & aliud eſt cognoſcere infinite infinitum; ſic aliud eſt eſſe totum, & aliud eſt, eſſe totum totaliter: primum habet natura ſingularis, ex hoc, quod ex partibus ſubſtantialibus conſtituitur; ſecundum vero habet ex modo ſubſiſtentiæ; & ſicut infinite ſupra infinitum tantum addit modum in cognitione infiniti; ita totaliter ſupra totum, tantum addit modum, & non entitatem ſupra naturam ſingularem, ratione cuius, vt dixi; eſt in tali modo eſſendi, quod neque poteſt eſſe pars alterius, neque poteſt eſſe in alio tanquam in ſubiecto. Hinc conſtat, quomodo Verbum Diuinum potuerit, ſic vniri humanitati, quod ex illa, & Verbo fiat hoc compoſitum, quod dicitur *Chriſtus*. Etenim Verbum Diuinum vniuit ſibi naturam humanam, vt totum, & dedit illi eſſe totaliter totum, & vltimate, ſupplendo in genere cauſæ formalis id, quod præſtaret humanitati propria ſubſiſtentia, & ſic natura humana aſſumpta, antequam eſſet per propriam ſubſiſtentiam terminata, facta eſt pars Chriſti.

§. V.

Soluuntur Argumenta.

146 CONTRA Primam partem arguitur primo. Ex Diu. Thom. hic articul. 2. ad 3. vbi habet, *quod perſona, ſeu hypoſtaſis addunt ſupra rationem eſſentiæ principia indiuiduantia.* Quod non poteſt intelligi de principijs indiuiduantibus ſecundum ſe, & vt tantum conſtituunt indiuiduum: ergo debet intelligi, quod addunt principia indiuiduantia, vt connotant exiſtentiam, & alia prædicata extrinſeca. Deinde. Supra quæſt. 3. articul. 1. ait: *In his, quæ non ſunt compoſita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio non eſt per materiam, indiuiduantem, ſed ipſæmet formæ per ſe indiuiduantur, oportet quod ipſæmet formæ ſint ſuppoſita ſubſiſtentia: vnde in eis non differt ſuppoſitum, & natura.*

Ex quibus ſic fit argumentum. In his, quæ non ſunt compoſita ex materia, & forma ſuppoſitum non diſtinguitur à natura ſingulari: igitur ſubſiſtentia in his, non diſtinguitur à natura indiuiduata: vnde tantum erit modus indiuiduationis, vt connotantis exiſtentiam. Neque ſufficit reſpond. Diu. Thom. non loqui de omni eo, quod non componitur ex materia, & forma, ſed tantum loqui de Deo. Nam 4. contragent. cap. 55. ad 4. expreſſe loquitur de Angelis, repetens eandem doctrinam, illis verbis: *Conuenientius aſſumpta eſt humana natura, quam Angelica; quia in homine aliud eſt natura, aliud perſona, cum ſit ex materia, & forma compoſitus, non autem in Angelo; quia immaterialis eſt*: igitur in Angelis perſona non diſtinguitur à natura ſingulari; & ſi diſtinguitur, ſolum erit per hoc, quod ſingularitas connotet aliqua prædicata extrinſeca, ratione cuius connotationis munus exhibeat perſonæ, quæ tamen non indiget connotare, vt munus exerceat ſingularitatis.

Ad hoc dico D. Thom. noluiſſe identificare perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam cum ipſa ratione indiuiduationis; ſed tantum velle explicare, quod ſubſiſtentia non reſultat ex natura, ſicut aliæ proprietates, ſed reſultat ex natura, iam indiuidua; & ſic ex parte illius, ex quo originatur addit tantum conditiones indiuiduantes: formaliter autem ſumpta ſubſiſtentia, quid diſtinctum eſt realiter modaliter ab indiuiduatione: vnde non ſequitur, quod ſubſiſtentia ſolum conſiſtat in illa connotatione prædicati extrinſeci.

Ad ſecundum dico. Quod ſi ibi loquatur D. Thom. de creatura non compoſita ex materia, & forma, tantum vult dicere, quod ſuppoſitum ſumptum pro radice, ex qua immediate oritur, ſupra naturam nihil addat, & ſic ab illa non differat; non vero vult, quod ſuppoſitum ſumptum formaliter, non differat realiter in creaturis ſpiritualibus à natura. Itaque hoc eſt diſcrimen inter ſuppoſitum naturæ compoſitę ex materia, & forma, & ſuppoſitum naturæ purè ſpiritualis, quod quia indiuiduatio diſtinguitur realiter à natura compoſita ex materia, & forma; non vero differt à natura purè ſpirituali; ideo cum ſubſiſtentia

Digitized by Google

oriatur ex natura individua, ſuppoſitum ſumptum pro radice, ex qua oritur, non diſtinguitur à naturâ pure ſpirituali: cum autem in compoſitis ex materia, & forma, individuatio realiter diſtinguatur à natura, ideo in eis ſuppoſitum ſumptum pro radice, realiter diſtinguitur à naturâ.

Contra 2. p. Concluſionis ſic arguitur: nam ſubſiſtentia vere, & proprie facit compoſitionem cum eſſentia: ergo eſt entitas realis. Conſ. videtur inferri iuxta ea, quibus probavimus concluſionem. Et Antec. prob. nam Angelus vere componitur realiter ex eſſe, & eſſentia in ſententia D. Thom. quod nihil aliud eſt, quam vere componi ex eo, quod eſt, & eo, quo eſt, id eſt ex ſubſiſtentia, & quidditate. Deinde in vera ſententia Scholaſticorum, ex natura humana, & perſonalitate divina vera, & realis compoſitio fit: igitur ſubſiſtentia vere vnitur eſſentiæ, vt componat cum illa. Tertio prob. nam ſubſiſtentia creata vere informat quidditatem ſingularem, & recipitur in illa: ergo vere componit cum illa; omne enim, quod ſe habet vt informans, vnitur ei, quod informat, vt actus; & omne id, quod informatur, vnitur, vt potentia: ex pluribus autem, vt actu, & potentia vnitis, vera fit compoſitio: ergo ſubſiſtentia vere vnitur eſſentiæ, vt componat cum illa.

Ad hoc argumentum, nego Ant. Ad prob. nego Antec. Angelus enim componitur ex eſſe, id eſt, ex exiſtentia, quæ eſt vera entitas realis realiter entitative à natura diſtincta, & illi per veram vnionem vnita; non autem componitur ex ſubſiſtentia, & eſſentia, neque ſubſiſtentia eſt id, quod eſt, ſed ſuppoſitum, quod non tantum dicit ſubſiſtentiam, ſed dicit naturã cum modo eſſendi per ſe; hoc autem ſuppoſitum adunat in ſe naturam, & exiſtentiam, & ſic includit in ſe naturam, & exiſtentiam: vnde eſt compoſitum ex natura, & exiſtentia, vel potius includit in ſe compoſitionem ex natura, & exiſtentia.

Ad ſecundam dico ex perſonalitate divina, & humanitate veram fieri compoſitionem; quia inter ſe realiter diſtinguuntur, & ſic non niſi per compoſitionẽ realem vniri poſſunt: ſubſiſtentia autem & natura realiter inter ſe identificantur, & ſic non oportet, quod inter ſe per compoſitionem realem vniantur. Ad 3. nego Antec. ſubſiſtentia enim creata, neque realiter informat, neque realiter recipitur in quidditate, ſed realiter identificatur cum illa, & ſolum modaliter ab illa diſtinguitur.

147 Secundo arguitur: ſi ſubſiſtentia creata non eſſet realiter diſtincta à realitate naturæ, ſequeretur, quod ſubſiſtentia naturæ humanæ Chriſti, non eſſet adæquate impedita per perſonalitatem Verbi; conſequens autem nequit admitti: ergo. Prob. Sequela, vere maneret tota realitas ſubſiſtentiæ propriæ, ſiquidem hæc non habet aliam realitatem, niſi ipſam realitatem naturæ: igitur non eſſet adæquate impedita per ſubſiſtentiam Verbi ſubſiſtentia propria naturæ humanæ. Secundo; nam perſonalitas creata vere realiter corrumpi poteſt manente naturâ, & illi de novo advenire: igitur vere realiter diſtinguitur à natura. Prob. Antec. nam D.Thom. 3.p.q.4.art.2. dicit: *Quod ſi perſona præintelligeretur aſſumptioni, oporteret, quod corrumperetur per ipſam aſſumptionem*. Et ibidem, art.3. ait, quod *Angelus præexiſtens non poſſet in vnitatem perſonæ divinæ aſſumi, niſi eius perſonalitas deſtrueretur*. Et in 1.diſt.25.q.1.art.1. ad 3. dicit, quod *in compoſitis, natura habet realem differentiam ad perſonam, in quantum natura fit additio alicuius*: igitur ſubſiſtentia creata vere realiter corrumpi poteſt manente naturâ, & per illius adventum aliqua realitas poteſt ſuperaddi naturæ.

Ad hoc argumentum, nego Min. Ad prob. diſt. Mai. maneret tota realitas ſubſiſtentiæ propriæ, modificata cum modo eſſendi per ſe, nego Mai. non modificata conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. vel diſtinguo cõſequens, quantum ad vltimam terminationem modalem, nego Conſeq. quantum ad realitatem entitatis, conc. Conſeq. Ad 2. diſt. Antec. vere corrumpitur, modaliter, & advenit modaliter, conc. Antec. corrumpitur entitative, & advenit entitative, nego Antec. Cuius oppoſitum non probant dicta adducta ex D.Tho. nam ex illis ſolum colligi poteſt corruptio, vel adventus alicuius modi, non vero corruptio, vel adventus alicuius entitatis realis.

Sed inſtabis, illud realiter diſtinguitur ab alio, quod ante opus intellectus noſtri realiter ſeparatur ab illo, *ſub exiſtentia remanente*, & quod de novo ad-

Digitized by Google

advenit illi iam præexiſtenti; ſed ſubſiſtẽtia actualiter ſeparatur ab humanitate remanente ſubſiſtentia, & ſi Verbum relinqueret humanitatem, actualiter illi adveniret, omni opere intellectus ſecluſo: igitur ſubſiſtentia vere realiter diſtinguitur à natura, quam facit ſubſiſtere.

Pro ſolutione huius adverto, quod hoc nomen *realiter* dupliciter accipitur. Primo, prout diſtinguitur contra modum; ſecundo, vt diſtinguitur contra ens fictum per rationem. Quo ſuppoſito reſpond. in forma, diſt Mai. ſi ly *realiter* accipiatur, prout diſtinguitur realitas contra modum realitatis, nego Mai. ſi ly *realitas* accipiatur, prout diſtinguitur contra ens fictum conc. Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. *realiter*, vt opponitur modali diſtinctioni, nego Conſ. vt opponitur huic, quod eſt diſtingui ſolo opere intellectus. conc. Conſ.

Sed inſtas. Diximus in diſcurſu huius quæſiti ſubſiſtentiam ſic diſtingui à natura, quod non faciat compoſitionem realem cum illa: ergo ſi modo aſſerimus, quod ſubſiſtentia actualiter ante opus intellectus diſtinguitur à natura, dicemus inter ſe pugnantia. Prob. Conſeq. nam ea, quæ ante opus intellectûs actualiter diſtinguuntur, vere inter ſe per compoſionem realem vniuntur: ergo ex noſtris dictis habebitur, & quod ſubſiſtentia realiter componit cum natura, & quod realiter non componit cum illa, quæ inter ſe pugnant. Antec. ſic diſcurro. Theologi contra Durandum, qui poſuit relationes divinas eſſe modos divinæ naturæ, & ab illa modaliter ante opus intellectus diſtingui, vt probent hoc eſſe falſum, inferunt, quod ex relationibus, & natura vere fiet realis compoſitio, quod eſt contra Concilia & Patres: igitur ſi ſubſiſtentia diſtinguitur à natura ante opus intellectûs, dicendum erit facere compoſitionem cum illa.

Reſp. nos non negaſſe omnem compoſitionem inter naturam, & ſubſiſtentiã, ſed illam tantum, in qua vnum tertium reſultat ex partibus, quod ſolum habet verum, quando partes, quæ vniuntur veræ entitates reales ſunt; ex modo autem, & re, cuius eſt modus, non fit tertium, ſed ipſummet compoſitum, quod antea erat, modificatur, & accipit totaliter eſſe totum. Quã compoſitionẽ, & non aliam dicunt Theologi debere poni in Deo iuxta eius ſententiam. Vnde inferunt non eſſe ſummè ſimplicem, ſiquidem haberet compoſitionem ex modo, & re: vnde in nullo nobis opponimur, nam negamus ex ſubſiſtentia, & natura fieri eam compoſitionem, in qua tertium reſultet ex partibus, non vero cõpoſitionem pure modalem.

§. VI.

Statuitur tertia Concluſio.

148 DICO Tertio: Modus ſubſiſtentiæ immediate modificat naturam, non vero exiſtentiam. Concluſio ſtatuitur contra Suarez. & Vazquez, vbi ſupra. Et prob. manifeſtis teſtimonijs D. Thom., 1. deſumitur ex 3. p. q. 17. art. 2. ibi: *Eſſe pertinet ad hypoſtaſim ſicut ad id, quod habet eſſe, ad naturam autem ſicut ad id, quo aliquid habet eſſe.* Ergo immediatum ſuſceptivum exiſtentiæ eſt ſuppoſitum, non vero natura: igitur ſubſiſtentia immediate modificat naturam, non vero exiſtentia. Conſ. vltima patet & prima prob. Nam primum habens exiſtentiam eſt immediatum ſuſceptivum exiſtentiæ; ſed ſuppoſitum, & non natura eſt primum habens exiſtentiam: igitur eſt primum ſuſceptivum exiſtentiæ.

Secundum teſtimonium deſumitur ex 3. ad Annibaldum diſt. 6. quæſt. vnica, art. 2. ad 2. ibi: *Quod propriè, nec partes, nec accidentia habent eſſe, ſed tantum ſuppoſitum completum.* In eodem etiam art. dixerat: *Quod eſſe aliquando eſt rationis, aliquando natura, & quod eſſe naturæ dicitur dupliciter, aliquando dicit actum primum, qui eſt rei eſſentia, aliquando dicit actum ſecundum, qui eſt actus entis per eſſentiam* (intelligo exiſtentiam) & primo modo dicitur de propoſitionibus, ſecundo modo de natura, tertio modo de naturarũ ſuppoſitis; quia eſt actus ſuppoſiti, vt quod eſt, formæ vero vt quo eſt: igitur primum ſuſceptivũ exiſtentiæ non eſt natura, ſed ſuppoſitũ: ergo ſubſiſtentia prius modificat naturam, quam exiſtentia. Tertium teſtimonium deſumitur ex quæſt. vnica de anima, articul. 6. ad 2. vbi ait: *Quod exiſtentia eſt vltimus actus naturæ, & cuiuſcumque alterius rei*: ergo ſubſiſtentia præcedit exiſtentiam, ſicut non vltimum præcedit vltimum.

Reſp. Suarez in metaph. diſt. 31. ſect. 2. num. 22. D. Thom. loqui de vltimo actu

metaphyſico, non vero de vltimo actu phyſico. Sed contra eſt, nam vltimus actus metaphyſicus vel dicit differentiam eſſentialem, per quam vna res diſtinguitur eſſentialiter ab altera; & ſic exiſtentia actus metaphyſicus non eſt, alias Petrus non exiſtens eſſentialiter differret à ſe ipſo exiſtenti, quod falſiſsimum eſt: vel dicit actum metaphyſicum, id eſt, cadentem ſub conſideratione metaphyſica, & in hoc ſenſu de illo loquens D. Thom. dicit, quod eſt vltimus actus naturæ, & cuiuſcumque alterius rei: Igitur ſentit ſubſiſtentiam, quæ in hoc ſenſu etiam actus metaphyſicus eſt, eſſe priorem ipſa exiſtentia, quæ vltimus rei actus eſt: ergo non recte effugit Suarez vim teſtimonij in noſtri aſſerti favorem adducti.

149 Rationibus ſic prob. aſſertum. Nam ſubſiſtentia intimior eſt naturæ, quam exiſtentia: ergo prius coniungitur illi, quam exiſtentia. Prob. Antc. Nam ſubſiſtentia cauſatur ex ipſa totalitate ſubſtantiæ, tanquam vltimum complementum illius: exiſtentia autem ſolum cauſatur ex ipſa actione extrinſeca agentis producentis rem: ergo ſubſiſtentia intimius rei coniungitur, quam exiſtentia.

Secundo prob. Illius eſt immediate exiſtere, quod eſt immediate capax terminandi productionem; ſed natura non eſt immediate capax terminandi productionē: ergo illius non eſt immediate exiſtere. Prob. Min. Ex omnibus, quæ inveniūtur in compoſito, ſolum ſubſiſtens, vel perſona dicitur producta; cætera autem, ſive partes, ſive natura, tantum dicuntur comproducta: quod & patet in ſententia ipſius Suarez in metaph. ſect. 8. diſput. 5. num. 17. vbi ait, quod materia cœli non creatur, non producitur, ſed comproducitur. Quod ſolum habere poteſt veritatem, ex eo, quod actio creativa primo tanquam ad productum ſolum terminatur ad cœlum, ad alia autem, quæ ſunt cœli, tanquam ad comproducta: ergo ſolius compoſiti ſubſiſtentis eſt produci. Quod ex eo etiam colligi poterit: nam ea, quæ vere dependent ab aliquo in eſſe, vere regulariter loquendo dependent ab illo in fieri; ſed omnia, quæ ſunt in compoſito ſubſiſtenti, vere dependent in eſſe à ſuppoſito, ſiquidem in ipſo ſunt, & ab ipſo ſuſtentantur: igitur vere in fieri dependent ab illo; at hæc dependentia non eſt aliud, quam quod ſuppoſitum per ſe terminet productionem, & alia ratione ſuppoſiti: ergo produci, eſt ſolius ſuppoſiti.

Tertio prob. Nam accidenti prius cōvenit inhærere ſubiecto, quam conveniat exiſtere: igitur ſubſtantiæ prius conveniet ſubſiſtere, quam exiſtere. Conſeq. eſt bona, & admittitur à Suarez, Antec. autem prob. Nam exiſtentia accidentis naturaliter loquendo ſic dependet ab inhærentia ad ſubiectum, quod ſine illa nequit exiſtere: ergo exiſtere non convenit accidenti prius, quam inhærere ſubiecto.

Reſp. Suarez exiſtere accidētis dependēre ab inhærere ſubiecto, tanquam ab aliquo poſteriori, ſicut forma dependet à diſpoſitionibus, quæ concomitantur illam. Sed contra. Id, quod dependet ab alio in eſſe, ſupponit illud in ordine eſſendi: ergo ſi accidens in exiſtere dependet ab inhærere ſubiecto, prius intelligitur accidenti convenire inhærere ſubiecto, quam intelligatur exiſtere. Neque exemplum de diſpoſitionibus concomitantibus oppoſitum probat. Nam forma in fieri non dependet à diſpoſitionibus vt concomitantibus, ſed vt præcedentibus, ſaltim in genere cauſæ materialis: vnde falſum eſt, quod Suarez dicit, nempe quod forma dependeat in eſſe, & fieri à diſpoſitionibus concomitantibus: vnde, quia in conſervari poſterior eſt illis, vt concomitantibus, ipſa forma, prout in conſervari, poſterior eſt illis: ergo ſi accidens in hoc, quod eſt exiſtere, dependet ab hoc, quod eſt inhærere ſubiecto, prius convenit inhærere ſubiecto accidenti, quam exiſtere.

§. II.

Soluuntur argumenta.

150 CONTRA Concluſionem arguitur primo. Exiſtentia, & natura immediate inter ſe vniuntur, & faciunt compoſitum, quod dicitur exiſtens; ſiquidem non poſſunt vniri in illo tertio ſubſiſtente, niſi vniantur inter ſe immediatè, tanquam extrema talis vnionis: ergo pro illo priori, quo ſic intelliguntur inter ſe vniri, prius ipſa natura afficitur exiſtentia, quam ſubſiſtentia: & ſic ſubſiſtentia immediate afficiet exiſtentiam, & non naturam.

Ad

Digitized by Google

Ad hoc nego Antec. etenim exiſtentia, & natura non vniuntur immediate, ſicut materia, & forma, ſed tantum vniuntur in vno, nempe in ſuppoſito, & ſic opportet, quod exiſtentia ſupponat ſuppoſitum. Pro cuius luce adverto, quod dupliciter contingit aliqua phyſice vniri, vel ſic, quod ex illis immediate fiat tertium, ſicut ex hoc, quod materia, & forma inter ſe per modum potentiæ, & actus vniuntur, cauſatur tertium, nempe natura, quæ reſultat ex tali vnione; alio modo contingit duorum vnio, non inter ſe, ſed in vno tertio, ſicut divina, & humana natura vniuntur in perſona Filij Dei, & in hoc genere vnionis, non opportet, quod illud tertium ſequatur ad vnionem partium inter ſe: quia non reſultat ex earum vnione, & ſic vniuntur exiſtentia, & natura in ſuppoſito: Vnde neceſſum eſt, quod ad exiſtentiam præhabeatur ſuppoſitum, & ſic exiſtentia nequit immediate afficere naturam.

Sed inſtas: exiſtentia, & natura vere comparantur per modum potentiæ, & actus: ergo vere ſic vniuntur, quod ex illis reſultat tertium: ergo vniuntur immediate inter ſe, & ſic exiſtentia immediate afficiet naturam. Prob. Antec. nam eſſentia vere ſpecificatur ab exiſtentia, tanquam à proprio actu; ideo enim probant Thomiſtæ cum ſuo Authore, quod eſſentia nō poſsit immediate ſpecificari ab operatione; quia ſpecificatur immediate ab exiſtentia, & idem nequit immediate ſpecificari à duobus actibus adæquatis: ergo exiſtentia vere comparatur ad eſſentiam, vt actus ad potentiam. Secundo prob. idem Antec. nam natura in ordine eſſendi eſt tantum primus actus: ergo eſt in potentia ad vlteriorem actum, hic autem eſt actus exiſtentiæ: igitur hæc comparatur ad naturam, vt actus ad potentiam.

Ad hoc nego Antec. Ad prob. dico, non eſſe quæſtionem vtrum natura ſit immediate operativa, ſed vtrum ſubſtantia ſit immediate operativa: ſubſtantia autem addit ad naturam complementum perſeitatis, & ſtat pro ſuppoſito habente naturam, & de ſubſtantia ſic accepta, dicimus non poſſe immediate ſpecificari ab operatione; quia immediate ſpecificatur ab exiſtentia. Vnde non ſequitur, quod exiſtentia ſit immediata affectio naturæ, ſed ſubſtantiæ, quæ ſuppoſitū eſt. Ad 2. prob. dico, eſſentiam non eſſe actum primum completum; ſed complerī per ſubſiſtentiam: vnde natura eſt in potentia ad exiſtentiam, non immediate habendā, ſed mediante ſubſiſtentia: Vnde hæc propoſitio, *natura exiſtit* nō eſt immediata, ſicut hæc, *homo exiſtit*; quia exiſtere per ſe non convenit naturæ, ſed habenti naturam: Vnde dicitur, quod natura exiſtit in alio, nempe in ſuppoſito.

151 Secundo Arguitur. Per Dei potentiam abſolutam ſaltim, poteſt natura conſtitui exiſtens, ante quam intelligatur ſubſiſtens: ergo ſubſiſtentia non eſt ratio formalis ſuſcipiendi exiſtentiam. Patet Conſeq. Nam, quia forma eſt ratio formalis materiæ ad ſuſcipiendam exiſtentiam, nequit divinitus fieri, quod materia exiſtat ſine forma: ergo ſi poteſt natura ſaltim divinitus ſuſcipere exiſtentiam ſine prævia ſubſiſtentia, hæc non erit ei ratio formalis ſuſcipiendi exiſtentiam.

In ſolutione huius argumenti diviſos Invenio Thomiſtas, alij enim affirmant, ſic per ſe requiri ſubſiſtentiam ad hoc, vt natura exiſtat, quod neque divinitus poſsit fieri exiſtentiam immediate recipi, niſi in ſubſiſtente, ad eum modum, quo nequit alicui convenire gradus ſenſitivus niſi ſit vegetativum. Cuius aſsignant rationem; quia natura, & exiſtentia, non vniuntur neque vniri poſſunt, vt fiant vnum, ſed tantum vt fiant in vno, nempe, in ſuppoſito: vnde iſti facile ſolvunt argumentum factum, negando Antec.

Alij dicunt ſubſiſtentiam tantum requiri, vt natura connaturaliter exiſtat, ſicut, & actualis inhærentia ad ſubiectum ſolum prærequiritur in accidenti ad connaturalem modum exiſtentiæ eius. Vnde ſicut poteſt accidens divinitus exiſtere, quin prius ſubiecto inhæreat; ita dicunt poſſe naturam immediate divinitus exiſtere, quin præcedat ſubſiſtentia.

Vnde iſti argumento facto reſpondent, concedendo Conſeq. ſentiunt enim ſubſiſtentiam non prærequiri per modum rationis formalis, & eſſentialis, ſicut præexiſtentia formæ prærequiritur ad hoc, quod materia recipiat exiſtentiam; eo quod materia, cum ſit pura potentia, eſt eſſentialiter improportionata, vt immediate vniatur cum exiſtentia, quæ ratio nō militat in natura, quæ eſt actus cōpletus:

Digitized by Google

vnde tantum deſiderat ſubſiſtentiam, vt connaturaliter exiſtentiam recipiat. Facit maxime pro hac ſententia exemplū de inhærentia accidentis deſumptum, quæ ſic prærequiritur ad hoc, vt accidens exiſtat, ſicut ſubſiſtentia ad hoc, vt natura exiſtat prærequiritur, ſicut enim natura eſt ens per ſe, ita accidens eſt ens in alio, & tamen hoc non obſtante, accidens poteſt exiſtere, quin actualiter inhæreat: ergo, & poterit natura exiſtere, quin prius ſubſiſtat.

Pro primo modo dicendi etiā facit, quod non videtur poſsibile, quod exiſtentia immediate vniatur eſſentiæ, ſine eo, quod vel exiſtentia fiat ipſa eſſentia, quod eſt impoſsibile; vel ſine eo, quod ex eſſentia, & exiſtentia fiat tertium, ſicut fit ex vnione materiæ, & formæ; illud autem tertium nequit eſſe aliud, niſi tertia natura, quod extraneum eſt ab vera philoſophia, nempe ex natura, & exiſtentia tertiam reſultare naturam. Nec valet ſi contra hoc obijcias; quia accidenti à ſubiecto ſeparato, alia immediate vniuntur accidentia; & tamen neque tranſeunt in naturam primi accidentis, neque ex accidente recipiente, & illis fit tertia natura accidentis: ergo ſimiliter poterit exiſtentia vniri naturæ non ſubſiſtenti, ſine eo, quod, vel exiſtentia tranſeat in naturam, vel ex natura, & exiſtentia tertia alia natura reſultet. Prob. Conſeq. quia carentia actualis inhærentiæ ſubiecto, ſic comparatur ad accidens, ſicut & carentia ſubſiſtentiæ ad naturam ſubſtantialem.

Non inquam hoc valet, nam accidenti ſeparato Deus confert modum, quo in ſe ſubſiſtat, per quem ſuppletur actualis inhærentia ad ſubiectum, & ſic in illo vniuntur accidentia ſubſequentia, non autem inter ſe: vnde nihil mirum, quod accidens de novo adveniens accidenti ſeparato, non tranſeat in naturam accidentis præexiſtentis, neque quod ex accidenti ſic vnito, & præexiſtenti tertia natura non fiat. At vero in noſtro caſu ſupponitur natura ſubſtātialis, ſine modo perſeitatis proprio, & ſine eo, quod Deus illum ſuppleat per alium modum alienum: vnde neceſſarium eſt, quod ſi exiſtentia immediate vniatur naturæ, vel fiat ipſa natura, vel ex illis tertia natura fiat.

Facit deinde pro hoc modo dicēdi, quod nō poteſt intelligi naturā exiſtere, & no in alio, vel tāquā in ſubiecto, vel tāquā in ſupposito, & quod in ſe, & per ſe non exiſtat, ſed per ſe exiſtere, nequit ſine ſubſiſtentia, quæ per hoc eſſentialiter definitur, quod ſit modus eſſendi per ſe: ergo nequit intelligi naturam exiſtere, & ſine modo ſubſiſtendi exiſtere. Prob. Mai. etenim ſupra cū omnibus Thomiſtis probavimus contra Scotum negationem exiſtendi in alio, vel tanquam in ſubiecto, vt accidens, vel tanquā in ſupposito, vt pars ſubſtantiæ, non poſſe convenire naturæ ratione ſui; ſed neceſſario debere convenire ratione alicuius modi ſubſtantialis, de quo definivimus eſſe modum ſubſiſtendi per ſe: ergo cum natura immediate exiſtens gaudeat prædicta negatione, neceſſario fatendum erit, prædictam negationem convenire ratione alicuius modi ſuperadditi, qui ſubſiſtentia ſit.

His convincor ad aſſerendum cum primo modo dicendi, non poſſe adhuc divinitus naturā ſine ſubſiſtentia propria vel aliena exiſtere. Vnde ad argumentum factum, nego Ant. quod non ſuadetur exemplo accidentis, de quo fides affirmat ſeparatum à ſubiecto exiſtere. Nam, vt ſupra dixi, inhærentia actualis ad ſubiectum ſuppletur per hoc, quod Deus illi miraculoſe modum ſubsiſtendi per ſe tribuat, vt tenet melior, & probabilior pars Theologorum.

Tertio Arguitur, ſi propter aliquam rationem exiſtentia non vniretur immediate eſſentiæ, eſſet; quia cum ſit prædicatum extra eſſentiam, vel deberet tranſire in eſſentiam, vel ex eſſentia, & exiſtentia fieret tertia natura; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo poterit exiſtentia immediate vniri eſſentiæ. Prob. Min. ſingularitas realiter diſtinguitur ab eſſentia materiali, & illi immediate vnitur, ſine eo, quod tranſeat in eſſentiam, & ſine eo, quod ex ſingularitate, & eſſentia vna natura fiat: ergo, & poterit exiſtētia vniri immediate eſſentiæ, ſine eo, quod vel tranſeat in eſſentiam, vel ex eſſentia, & exiſtentia tertia natura fiat.

Ad hoc nego Min. ad prob. diſt. primam partem antecedētis, ſingularitas realiter diſtinguitur, realiter entitative, nego Antec. realiter modaliter, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque ſingularitas non proprie dicitur vniri naturæ, cum entitas illius non ſit alia ab entitate naturæ; ſiquidem eſt modus naturæ: vnde nō oportet, quod tranſeat in naturam, neque, quod ex ſingularitate, & natura fiat tertia natura. Verū exi-

Digitized by Google

exiſtentia entitativè realiter à natura diſtinguitur, & ſic eſt neceſſe, quod ſi illi immediate vnitur fiat tertia natura ex eſſentia, & exiſtentia, vel quod exiſtentia tranſeat in naturam. Plura alia poteramus diſcutere circa exiſtentiam, & ſubſiſtentiam; ſed quia hæ quæſtiones per ſe ſpectant ad metaphyſicos; ideo ſufficiat egiſſe de actis, quatenus nobis ſunt præambula ad Theologicas quæſtiones.

§. VIII.

Vtrùm in Deo detur aliqua ſubſiſtentia abſoluta.

152 NON Loquimur de ſubſiſtẽtia abſoluta, quæ Deum incommunicabilem reddat, & perſonam faciat; eſt enim de fide in Deo tantum eſſe tres perſonas, quas ſolis relationibus reddi incommunicabiles cõmunis tenet Theologorũ plauſus. Loquimur ergo de ſubſiſtentia, prout tantum dicit perſeitatẽ eſſendi, quæ dicit independẽtiã ab alio in ſuſtentari, independentiã ab alio; tanquam à ſubiecto inhærentiæ, & independentiam ab alio tanquam pars à toto. Hæc enim omnia ſolemus explicare per perſeitatem eſſendi; quærimus ergo vtrum iſte modus perſeitatis abſolute Deo conveniat, vt prævenit relationes. Circa, quod quæſitum duæ dantur celebres ſententiæ. Prima negat ſubſiſtentiam abſolutam Deo convenire. Ita tenent Alenſis 3. p. q. 2. membro 3. Bonaventura in primo diſt. 1. art. 1. q. 3. & alij, quos ſequitur Vazquez hic, diſp. 125. cap. 3. & 4. Lorca 3. p. diſp. 14. Araujo ibidem, q. 3. art. 4. & lib. 7. metaph. q. 2. art. 5. num. 11. quam ſententiam ſequuntur etiam Arrubal, & Meratius. Secunda ſententia affirmat, vere Deo, vt prævenit relationes, convenire ſubſiſtentiam abſolutam. Sic communiter tenent Thomiſtæ, Caietanus hic, q. 3. art. 3. q. 29. art. 4. & 9. 3. p. art. 4. 3. p. q. 2. art. 2. tenet Miranda in ſumma concil. in notis ad 6. Synodũ. Molina hic, diſp. 3. membro 2. Suarez, & Granados. Pro cuius luce ſit.

Concluſio. In Deo vera datur ſubſiſtentia abſoluta, ſi loquamur de ſubſiſtentia, prout tantum tribuit naturæ independentiam ab alio in ſuſtentari, ſive illud ſubiectum ſit, ſive ſuppoſitum. Prob. ex 6. Synodo genarali, act. 4. in epiſtola Agatonis, ibi: *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum non tres Deos, ſed vnum Deum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium perſonarum vnam ſubſiſtentiam.* At trium perſonarum vna ſubſiſtentia, nequit non eſſe abſoluta: igitur datur in Deo abſoluta ſubſiſtentia. Reſp. Vazquez litteram eſſe mendoſam, ſed debere legi *vnum ſubſtantiam*, & aſsignat rationẽ, ex eo, quod non eſt credibile in tam paucis Verbis diverſimode accepiſſe conciliũ, hoc nomen *ſubſiſtentia*, ita, quod in primo dicto trium ſubſiſtentiarum acceperit relativa, & in alio vnam ſubſiſtentiam acceperit abſolute.

Sed huic doctrinæ opponitur, quod in omni antiquo exemplari ſemper legitur *vna ſubſiſtentia, & non vna ſubſtantia*: vnde illis ſtandum eſt, & non Vazquezij imaginationi. Nec tamen Vazquez oppoſitum convincit; quia cum hoc nomen *ſubſiſtentia* apud Agatonem ſignificet relativum, & abſolutum, nihil mirum, quod hoc nomine diverſimode vſus fuerit ad ſignificandũ omnem eius acceptionem.

Secundo prob. authoritate D. Thom. q. 9. de pot. art. 5. ad 1. ibi: *Relationes divinæ hoc ſolum habent, quod ſuppoſita divina diſtinguant, non vero ſunt principia ſubſiſtendi divinæ eſſentiæ; ipſa enim divina eſſentia eſt ſecundum ſe ſubſiſtens, ſed è converſo proprietates perſonales habent, quod ſubſiſtunt ab ipſa eſſentia.* Quid clarius, pro noſtra cõcluſione? 3. p. q. 3. art. 3. ad 1. *In Deo idẽ eſt, quod eſt, & quo eſt, & quod eſt in Deo, ſubſiſtens eſt, & ideo ſeclusis etiam proprietatibus perſonalibus; remanebit etiam in conſideratione noſtra natura divina, vt ſubſiſtens*, quod, & reperit infra q. 40. art. 2. ad 2. ſimiliter in primo diſt. 21. q. 2. art. 1. ait: *Quod natura divina eſt in ſe habens eſſe ſubſiſtens nulla intellecta perſonarum diſtinctione.* Et in 3. diſt. 6. q. 2. art. 1. ad 2. aſſerit: *Quod in Deo ipſa eſſentia ſubſiſtens eſt: vnde ei ſecundum ſe debetur eſſe, imò ipſa eſt ſuum eſſe ſubſiſtens.* Et 4. contrag. c. 14. dicit: *Quod in Deo ſunt plures res ſubſiſtentes, ſi relationes conſideremus, & vna res ſubſiſtens, ſi conſidetur eſſentia.*

153 Sed rationibus probatur concluſio. Primo, nam eſſe independendens ab alio, tanquam à ſubiecto, & tanquam à ſuppoſito, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo debet cõvenire Deo ratione abſoluti, & non ratione relativi. Prob. Conſ. Tum; quia relationes nõ dicunt perfectionem,

Digitized by Google

nem, vt probabilior tenet ſententia. Tum, quia dato, quod perfectionē dicant, illa eſt ſolum ſecundum quid, & cum addito: eſſe autem independens modo dicto, eſt abſolute, & ſimpliciter perfectio: ergo nequit præſtari à perfectione relativa.

Secundo prob. Hoc concretū, *Deus* habetur in divinis indepēdēter à relationibus: ergo, & habetur ſubſiſtens independenter ab illis. Conſ. eſt bona, nam concretū *Deus* eſt habens Deitatem: ratio autem habentis vt quod in Deo, nequit non convenire ſubſiſtenti: ergo ſi habetur hoc concretum *Deus* independenter à relationibus, habebitur hoc ſubſiſtens independenter ab illis. Antec. autem prob. Tum, quia tres perſonæ ſunt vnus numero Deus; at non ſunt vnum in relatione, ſed in puro abſoluto: igitur datur hoc concretum *Deus* indepēdenter à relationibus. Secundo: Nam hic numero Deus intelligitur, vt quod, creans, intelligens, volens; at actiones tantū ſunt vt quod, concreti, & habentis eſſe, vt quod; illius enim ſolius eſt operari vt quod, cuius ſolius eſt habere eſſe vt quod: igitur hoc concretum *Deus* habetur independenter à relationibus.

Reſp. Vazquez; hoc concretum *Deus* non ſignificare naturam divinam ſubſiſtentem aliqua ſubſiſtentia, quæ determinate abſoluta ſit, ſed ſignificare hanc numero Deitatem in aliquo ſuppoſito ſubſiſtentē, ſive illud ſit relativum, ſive illud ſit abſolutum: vnde ex eo, quod detur concretū *Deus*, nō convincitur dari in Deo abſolutā ſubſiſtentiā. Apponitque exemplum huius doctrinæ in caſu, quo natura humana aſſumeretur à tribus ſuppoſitis, vere tres perſonæ dicerentur vnus homo, & tamen vnus homo non ſubſiſteret ſubſiſtentia abſoluta, quæ tribus communis eſſet. Poteſtque etiam adduci aliud exemplum, ex eo, quod hæc propoſitio, *vnus Deus generat*, eſt vera; & tamen nomine *Deus* connotatur ſuppoſitum relativum, non determinate hoc, vel illud, ſed ſolum vage. Sed contra eſt, nam hæc dictio, *vnus Deus*, ex terminis ſignificat vnum numero habens Deitatem communem tribus perſonis: ergo debet verificari de aliquo habente abſoluto, & non de relativo. Patet Conſeq. nam de tribus perſonis nequit verificari, quod ſint vnum numero habens Deitatem, cum ſint tria ſubſtantive habentia Deitatem.

Confirm. etenim, quia non datur perſonalitas abſoluta, ſed tantum relativa, hæc propoſitio eſt falſa *tres perſonæ ſunt vna perſona Deitatis*: ergo ſi non detur vnum ſubſiſtens abſolute, hæc erit falſa, *tres perſonæ ſunt vnum numero habens Deitatem*.

Neque exempla adducta oppoſitum probant. Non quidem primum, nam in caſu, quo tres perſonæ aſſumerent vnam naturam humanam, non dicerentur vnus numero homo ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, hoc eſt, ratione vnius humanæ naturæ; tres autem perſonæ dicuntur vnus numero Deus ſimpliciter, & ſic eſt neceſſe, quod dicantur vnum habens Deitatem ſimpliciter vnum, quod nequit intelligi, niſi ponatur in Deo vna ſubſiſtentia abſoluta, communis tribus perſonis. Neque ſecundū exemplum aliquid convincit; quia in hac propoſitione *Deus generat*, ly *Deus* determinate ſtat pro ſuppoſito Patris, iuxta bonam regulam ſumuliſtarum, *talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis*: prædicatum autem, quod eſt *generat*, requirit neceſſario Deum in ſuppoſito Patris, & ſic, licet in ſignificando, ly *Deus* in dicta propoſitione indifferenter ſtet pro hoc, vel illo ſuppoſito; in ſupponendo tamen, ſtat pro ſuppoſito determinato Patris; ſed in hac propoſitione *tres perſonæ ſunt vnus Deus*, neque in ſignificando, neque in ſupponendo poteſt ſtare pro vno ſuppoſito relativo; eſſet enim falſa illa propoſitio, ſiquidem in illa vnum numero ſuppoſitum relativum prædicaretur de tribus.

154 Tandem prob. cōcluſio. Vere hic *Deus*, vt prævenit relationes, exiſtit, exiſtētia abſoluta: ergo vere datur Deus intra lineā abſolutā, vt quod exiſtens: ergo vt per ſe exiſtens. Prob. Conſeq. ſecunda, nam prima ex terminis patet. Etenim Deo nequit convenire, vt quod exiſtere, niſi conveniat ei, per ſe exiſtere, nam, vt prævenit relationes, nequit ei convenire exiſtere in illis: ergo ſi prout prævenit relationes intelligitur Deus, vt quod exiſtens, debet intelligi pariter, vt per ſe exiſtēs, id eſt in ſe ipſo exiſtens, ac per conſequens ſubſiſtens; quia ſubſiſtere nihil aliud eſt, quam in ſe ſiſtere, vel in ſe ipſo exiſtere.

Confirm. Deus vt prævenit relationes habet à ſe ipſo exiſtere: ergo habet perfectiſſimo modo exiſtere; at perfectiſſimum exiſtere, nequit intelligi, abſque modo perſeitatis: ergo ex quo ex linea abſoluta habet Deus exiſtentiam, habebit etiam, & ſubſiſtere,

Alij

Digitized by Google

Aliqui Authores concedunt Deũ ex linea abſoluta habere per ſe exiſtere, & vt quod exiſtere; negant tamen ſubſiſtentiam abſolutam: quia inquiunt non quamcumque perſeitatem in exiſtendo eſſe ſubſiſtentiam, ſed illam tantum, vi cuius id, quod ſubſiſtit, incommunicabile alteri ſit. Sed contra hoc inſto. Nã ſemel conceſſo, quod Deus abſolute, vt prævenit relationes, & independenter ab illis, ſit exiſtens vt quod, & per ſe exiſtens, & principium quod operationum, neceſſario admittenda eſt ſubſiſtentia abſoluta: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. Hoc admiſſo, præfata prædicata debent præſtari ab aliquo abſoluto; at hoc nequit eſſe natura, quia hæc ex terminis tantum eſt id quo, niſi compleatur per ſubſiſtentiam: non eſt etiam exiſtentia, nam huius adæquatus conceptus ſolum eſt, eſſe id, quo aliud eſt extra cauſas, vel extra eſſe obiectivum: ergo erit neceſſario modus ſubſiſtendi, quia huic ſoli præfata prædicata poſſunt convenire.

Deinde: Si ex linea abſoluta præfata prædicata habentur, de linea relativa ſolum haberi poterit pura incommunicabilitas; iſta autem non ſufficit ad conceptum adæquatum ſubſiſtentiæ: ergo vel dicendum erit in Deo non dari proprie ſubſiſtentiam, vel ſi detur, illam debere eſſe partim abſolutã, & partim relativam, quod eſt noſtra ſententia. Prob. Min. Nam in conceptu adæquato ſubſiſtentiæ indiſpenſabiliter importatur independentia ab alio tanquam à ſuſtentante, & tanquam à ſubiecto inhærentiæ: iſta autem in puro conceptu incommunicabilitatis ſalvari nequeunt, vt per ſe patet, nam ex quo Deus ex linea ſua abſoluta illud habet, nequit illudmet habere ex linea relativa, in quo ſola præfata incommunicabilitas habetur.

§. IX.

Solvuntur Argumenta.

155 PRIMO Arguitur contra Cõcluſionem. Idem apud Concilia, & Patres latino ſermone ſignificat ſubſiſtentia, quod apud Græcos ſignificat hypoſtaſis; ſed non datur hypoſtaſis abſoluta: ergo nec dabitur ſubſiſtentia abſoluta. Prob. Mai. quia Ioannes Maxentius ex Græcis in ſua confeſsione fidei, quæ habetur 5. tomo Bibliothecæ Sacræ, fatetur idem omnino eſſe perſonam, ac ſubſiſtentiam in natura rationali: ſenſit ergo idem eſſe ſubſiſtentiam, & hypoſtaſim, ſiquidem perſona, & hypoſtaſis in natura rationali idem prorſus ſunt.

Tum etiam: nam Martinus V. in Cõcilio Lateranenſi, conſultatione 5. can. 1. definit *Deũ eſſe vnitatem in Trinitate*, quod explicat per hoc vnum Deum in tribus ſubſiſtentijs, ac ſi Græce diceretur in tribus hypoſtaſibus. Præterea: Nam non eſt aliquod nomen Latinum, quod explicet id, quod Græci ſignificant nomine hypoſtaſis, niſi ſubſiſtentia: ergo idem ſignificat ſubſiſtentia apud Latinos, quod apud Græcos hypoſtaſis.

Sic Vazquez illam Mai. probat: ſed ego ſpeciali cõſideratione illam probo ex doctrina D.Tho. in hoc art. 2. ad 2. vbi ſic habet: *Dicendum, quod ſicut nos dicimus in divinis tres perſonas, & tres ſubſiſtentias, ita Græci dicunt tres hypoſtaſes: ſed, quia nomen ſubſtantiæ, quod ſecundum proprietatem ſignificationis reſpondet hypoſtaſi, æquivocatur apud nos, cum quandoque ſignificet eſſentiam, quandoque hypoſtaſim, ne poſſit eſſe erroris occaſio, maluerunt pro hypoſtaſi transferre ſubſiſtentiam, quam ſubſtantiam.* Ex quibus habemus ad litteram, quod hoc nomẽ *ſubſiſtentia* ſignificat apud Latinos, quod apud Græcos hypoſtaſis.

Sed vrgentius ſic argumentũ formo ex his verbis. Si hoc nomen *ſubſiſtentia* aliquãdo diceret relativũ, & aliquando abſolutũ, vt noſtra concluſio aſſerit, Græci non traduxiſſent nomẽ *hypoſtaſis* Græcum per nomen *ſubſiſtentia* Latinum; ſed loco hypoſtaſis Græci traduxerunt *ſubſiſtentia*: ergo hæc tantum ſignificat relativũ. Prob. Mai. Nam apud Græcos hypoſtaſis ſolum ſignificat relativum: vnde, & dicunt in Deo tantum dari tres hypoſtaſes: ergo non bene traduxiſſent per ſubſiſtentiam, quæ ſtat aliquando pro abſoluto, aliquando pro relativo. Confir. Quia hoc nomen *ſubſtantia* aliquando ſtat pro eſſentia, aliquando pro hypoſtaſi, Græci noluerunt traducere nomen *hypoſtaſis* per nomen *ſubſtantiæ*: ergo quia nomen *ſubſiſtentia* ſtat aliquando pro relativo, aliquando pro abſoluto, non debuerunt traducere nomen *hypoſtaſis*, quod tantum ſignificat relativum, per nomen *ſubſiſtentiæ*.

Ad hoc argumentum diſt. Mai. idem ſignificat ſubſiſtentia latine, quod hypoſtaſis græce, ſtando in primaria ſignifica-

tio-

tione huius nominis *ſubſiſtentia*, nego Mai. ſtando in ſecundaria, & translatitia ſignificatione, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque ſi attendamus ad id, ad quod primo & per ſe impoſitum eſt nomẽ *ſubſiſtentia*, tantum ſignificat modũ eſſendi per ſe; verum, quia increatis idem indiviſibilis modus & tribuit naturæ per ſe exiſtere, & ſimul illam incommunicabilem reddit alteri ſuppoſito, Patres communiter in divinis hoc nomine *ſubſiſtentia* vtuntur ad explicandum non tantum modum eſſendi per ſe divinæ naturæ, ſed etiam, ad explicandum id, per quod incõmunicabilis redditur: & ſic nomen *hypoſtaſis* Græcum, quod vtrumque ſignificat, latinè transferunt *ſubſiſtentia*. Quod videtur eſſe doctrina D.Thom. in primo, diſt. 26. quæſt. 1. articul. 1. ad 4. ibi: *Dicendum, quod perſona, vt dictum eſt, non diſtinguitur in divinis ex parte naturæ, vel ex parte ipſius eſſe, ſed ſolum ex parte proprietatum. Vnde illa nomina, quæ dicuntur ſecundum reſpectum ad proprietatem, pluraliter prædicantur, ſicut hypoſtaſis & perſona: quæ autem dicuntur per reſpectũ ad eſſe, prædicantur ſingulariter, vt ſubſiſtentia, & eſſentia; quamvis nomen ſubſiſtentia apud vſum Sanctorum ſumatur pro hypoſtaſi.* Quibus in verbis, vt patet, duplicem ſignificationem inſinuat huius nominis *ſubſiſtentia*, aliam primævam, ſecundum quam de Deo ſingulariter dicitur, & aliam ſecundũ vſum Sanctorum, quam ego dico translatitiam, & ſecundum iſtam dicit idem ſignificare, quod hypoſtaſis.

156 Verum contra hanc doctrinam facit argumentum deſumptum ex authoritate D.Thom. in probationem maioris argumenti facti, ſcilicet, quod ſi hoc nomen *ſubſiſtentia* ex ſui primæva ſignificatione tantum habet ſignificare modum per ſe exiſtendi, quare Patres nomen græcum *hypoſtaſis*, quod ſignificat ſubſiſtens diſtinctum, & incommunicabile, transferunt per nomen *ſubſiſtentia*, quod ex primæva ſui ſignificatione diſtinctum, & incommunicabile non ſignificat? Et cur ſi noluerunt, nomen *hypoſtaſis* traducere per nomen *ſubſtantia*; quia hoc aliquando accipitur pro eſſentia, aliquando pro ſuppoſito, cur traduxerunt nomen *hypoſtaſis*, per nomen *ſubſiſtentia*; ſiquidem hoc aliquando accipitur pro modo eſſendi per ſe tantum, & aliquando accipitur pro termino reddente naturam incommunicabilem?

Ad primam difficultatem reſp. Patres fundamentum habuiſſe ad transferendum nomen *hypoſtaſis* per nomen *ſubſiſtentia*, quia in creatis idem indiviſibilis modus & tribuit naturæ modum exiſtendi per ſe, & ſimul illam incommunicabilem reddit: cumque hic modus dicatur ſubſiſtentia, ideo translatum ad divina nomen *hypoſtaſis* per nomen *ſubſiſtentia* tranſtulerunt. Ex quo patet ſolutio ad ſecundam difficultatem; etenim hoc nomen *ſubſiſtentia* æquivoce ſignificat eſſentiam, & hypoſtaſim: ſicut hoc nomen *canis* ſidus, piſcem, & latrabile: & ſic ſi dicerentur de Deo tres ſubſtantiæ, ſicut dicuntur tres hypoſtaſes, daretur occaſio erroris, aliqui enim intelligerent in Deo tres eſſentias, quod fides negat. Hoc nomen autem *ſubſiſtentia* non ſignificat æquivoce modum eſſendi per ſe, & terminum reddentem naturam incommunicabilem, cum ſaltim in creatis vtrũque ſignificet, & ſic prædicando de Deo tres ſubſiſtentias, ſicut prædicantur tres hypoſtaſes, non datur occaſio errandi; quia noſtra cognitio à creaturis aſcendit ad Deum.

157 Secũdo arguitur. Si natura divina, vt prævenit perſonalitates relativas, intelligeretur vt ſubſiſtens, vere intelligeretur vt perſona; at hoc nequit dici: ergo. Prob. Sequela. Perſona nihil aliud eſt, quam ſubſiſtens in natura intellectuali; at tunc intelligeretur ſubſiſtens in natura intellectuali: ergo intelligeretur vt perſona. Ad hoc nego Mai. Ad prob. dico non ſufficere ad rationẽ perſonæ ſubſiſtere in natura intellectuali, ſed vlterius requiri, quod ſit ſubſiſtens incommunicabiliter: Deus autẽ, vt prævenit perſonas relativas intelligitur, vt ſubſiſtens in natura intellectuali, ſed non, vt incommunicabiliter ſubſiſtens: vnde non ſequitur dari in Deo abſolutam perſonam.

Sed contra eſt, nam ſi poſſet intelligi vt ſubſiſtens, & non vt perſona, falſa eſſet doctrina D.Thom. 3. p. q. 3. art. 3. vbi ſic habet: *Ad primum dicendum, quod, quia in divinis idem eſt, quo eſt, & quod eſt, quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abſtracto, ſecundum ſe conſideretur, erit aliquid ſubſiſtens, & per conſequens perſona, cum ſit in natura intellectuali.* Ergo hæc Conſeq. natura divina, vt præintelligitur ad perſonalitates relativas, intelligitur vt ſubſiſtens: ergo intelligitur, vt perſona, iuxta litteram D.Thom. bona, & legitima eſt.

Ad

Digitized by Google

Ad hoc nego ſequelam. Ad prob. dico, naturam divinam, vt prævenit perſonalitates relativas, poſſe intelligi dupliciter ſubſiſtentem. Primo, ſic, quod ignorētur perſonalitates relativæ, ſicut Iudæi, ſine fide cæci intelligunt; vel poteſt, ſic intelligi à fidelibus per fidem agnoſcentes tres perſonalitates, quibus communicatur prædicta natura, quæ intelligitur ſubſiſtens; ſi primo modo contingat, tunc eſt verum, quod hoc ipſo, intelligeretur, vt ſubſiſtens in natura intellectuali, intelligeretur vt perſona; quia ignorantes perſonalitates relativas vere intelligerent ſubſiſtens in natura divina incommunicabile alteri ſuppoſito, & ſic intelligerent perſonam; ſi ſecundo modo contingat, non eſt neceſſariū, quod ſi præintelligitur, vt ſubſiſtens, intelligatur, vt perſona; quia fides dictat tale intellectuale ſubſiſtēs, eſſe communicabile alteri, vt ſuppoſito. Conſequētia ergo, quā D. Thom. format, procedit iuxta primum ſenſum, & ſic nihil convincit contra noſtram doctrinam, qui in ſecundo tantum ſenſu loquimur.

Sed adhuc inſto. Hoc ipſo, quod Deus, vt prævenit relationes, intelligatur, vt ſubſiſtens; eſto intelligeretur, vt communicabile, intelligeretur vt perſona: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. ex hoc, quod intelligeretur per fidem communicabile alijs ſuppoſitis; tantum ſequeretur non eſſe perſonam diſtinctam ab illis, non vero, quod non eſſet perſona; hoc autem nequit admitti: ergo. Minor cum Conſeq. patet, & Mai. prob. Etenim in via Thomiſtica ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, perſona Filij communicaretur perſonæ Spiritus Sancti; & tamen ex hoc non ſequeretur Filium non eſſe perſonam, ſed ſolū ſequeretur non eſſe perſonam diſtinctam à perſona Spiritus Sancti: ergo eſto ſubſiſtens abſolutum communicaretur divinis ſuppoſitis, poſſet dici perſona; quamvis non dici poſſet perſona realiter diſtincta ab illis.

Ad hoc nego Antec. Ad prob. nego Mai. Ad prob. nego Mai. in illa enim hypotheſi Spiritus Sanctus non eſſet perſona; ſed ſolum eſſet proprietas perſonæ: Vnde ſe haberet Filius ad illam, ſicut Pater ad eſſe Spiratorem: & ſic, ſicut ex hoc, quod Pater communicetur Spiratori, non ſequitur perſonam Patris identificari cum perſona Spiratoris, quia ſolum Paternitas eſt proprietas perſonalis, & ratio Spiratoris eſt ſolum proprietas perſonæ, ita in data hypotheſi Filius eſſet perſona: Spiritus autem Sanctus eſſet ſola proprietas perſonæ, eſt autem de fide dari tres perſonas: Vnde ſi Deus communicaretur illis, nec eſſet diſtincta perſona ab illis, neque etiam eſſet perſona, quia de conceptu intrinſeco perſonæ eſt, quod ſit incommunicabilis perſonis eiuſdem naturæ; cumque Deus communicabilis ſit cunctis ſuppoſitis divinæ, naturæ, etiam ſi ſubſiſtens ſit, *perſona* nomen habere non valet.

Sed adhuc inſto. Ille Deus, vt quod ſubſiſtens; quamvis eſſet communicabilis ſuppoſitis naturæ divinæ, eſſet tamen incommunicabilis ſuppoſitis naturæ creatæ, poſſet enim aſſumere naturam creatam, ſed non ſuppoſitum creatum: ergo vere eſſet perſona. Prob. Conſeq. quia dum ſuppoſitis naturæ creatæ, & creabilis, eſſet incommunicabile, vere eſſet rationalis naturæ individua ſubſtantia, ſeu incommunicabilis ſubſiſtentia. Confir. Ponamus, quod *hic Deus* abſolute, vt quod ſubſiſtens naturam humanam aſſumeret. Tunc redderet illam incommunicabilem omni ſuppoſito creato, & creabili: ergo vere eſſet perſona, neque enim poſſemus dicere, quod ille homo perſona non eſſet: ergo ſemper ex hoc, quod ponatur vt quod abſolute ſubſiſtens, ponitur, quod ſit perſona.

143 Ad hoc diſt. Conſeq. vere eſſet perſona in natura creata, conc. Conſeq. in natura divina, nego Conſeq. Itaque perſona aliquid dicitur, ex quo incommunicabilis ſit perſonis naturæ, quam terminat, cumque Deus, vt quod abſolute ſubſiſtens, eſſet incommunicabilis proprijs ſuppoſitis naturæ intellectualis creatæ, ratione illius perſona dici poſſet; non vero ratione naturæ divinæ; cuius proprijs ſuppoſitis per ſe communicabilis ponitur. Per quod patet ad confirmationem eſſet enim tunc *hic Deus* perſona in natura humana, non vero in natura divina.

Nec eſt inconveniens, quod aliquod prędicatū demus Deo ratione naturæ creatæ, quod habere non valet reſpectu naturæ divinæ. Etenim docemur ex 3. p. q. 7. art. 1. quod Verbum divinum (in ſententia, quæ ponit formaliter ſanctam reddere humanitatem, & non ſanctificari per divinā naturam) eſt formalis ſanctitas in natura humana, cum tamen non ſit formalis ſanctitas in natura divina; quod ideo conceditur; quia conditio indiſpenſabiliter requi-

ſi-

Digitized by Google

ſita ad formalem ſanctitatẽ, nempe, quod ſit prima radix omnis ſupernaturalitatis conuenit verbo in natura humana, dum eſt primum, quod illi vnitur, & ratione cuius omnia alia diuina ei mediate vniuntur, & omnia ſupernaturalia creata debentur; non autem conuenit in natura diuina, quia in ea abſoluta ſunt priora relatiuis, & ſic dicitur formalis ſanctitas naturæ humanæ, cum nõ ſit formalis ſanctitas reſpectu Dei: Ita in præſenti; quia conditio indiſpenſabilis ad eſſe perſonæ deſiderata, conueniret *huic Deo* reſpectu naturæ humanæ; quia redderet illam incommunicabilem proprio ſuppoſito, non autem conueniret ratione naturæ diuinæ; quia *hic Deus* cõmunicatur ſuppoſitis proprijs naturæ diuinæ, ideo in natura diuina non eſſet perſona; bene autem in natura humana.

Tertio arguitur. Si daretur in Deo ſubſiſtentia abſoluta, non darentur in illo ſubſiſtentiæ relatiuæ; conſequens non videtur conſonum Patribus, & Concilijs: ergo. Prob. Sequela. Tunc vna ſubſiſtentia abſoluta tribueret Deo adæquatiſsime modum eſſendi per ſe, ſicut vna exiſtentia abſoluta tribuit illi adæquatiſsime exiſtere: ergo ſicut tantum datur in Deo vna exiſtẽtia abſoluta, tantum daretur in illo vna ſubſiſtentia abſoluta, & ſic non darentur ſubſiſtentiæ relatiuæ. Secundo: nam per illam ſubſiſtentiam abſolutam vere natura diuina haberet eſſe, vt quod, independenter à quocumque alio, tanquam à ſubiecto, & tanquam à ſuppoſito: ergo non ſuppoſitaretur ab alijs ſuppoſitis: ad quod ergo deberent dari aliæ ſubſiſtentiæ relatiuæ?

Præterea. Si ad relationes præueniretur natura ſubſiſtens, vt quod, relationes aduenientes non vnirentur naturę, ſed habẽti naturã: ergo ſubſtentarentur à ſubſiſtentia abſoluta: ergo non eſſent ſubſiſtentiæ. Patet vltima Conſ. quia ſubſiſtens nequit ab alio ſubſiſtente ſuſtentari; deſtruitur enim eſſentia ſubſiſtentis per ſe, ſi ab alio ſubſtentetur; cum de conceptu per ſe ſubſiſtentis ſit habere eſſe independenter ab alio, tanquã à ſubſtentante. Prima autem probatur; quia illa prædicata, quæ naturam ſubſiſtentem ſupponunt, non vniuntur naturæ, ſed tantum vniuntur in habẽte naturam: ergo ſi relationes ſupponerent naturã ſubſiſtentem, non vnirentur immediate naturæ, ſed ſubſiſtenti,

(3.)

§. X.

Vtrum in Deo dentur ſubſiſtentiæ relatiuæ.

159 ARGVMENTVM Hoc petit vt explicemus, an præter ſubſiſtentiam abſolutam, dentur in Deo ſubſiſtentiæ relatiuæ? Difficile, & ſatis intrincatum dubium. Nam dum ex vna parte Concilia, & Patres tres ſubſiſtentias in Deo commendant; ratio videtur ſuadere oppoſitum. Etenim ſubſiſtentia in ſui ratione differentiali modum eſſendi per ſe, non ſolum importat, ſed etiã ſignificat: modus autem eſſendi per ſe, videtur, quod relationi adaptari non poſsit, nam relatio ſecundum propriam rationem ad aliud eſt, ad aliud autem, vt tale, implicat, quod ſit in ſe & ad ſe: ergo implicabit, quod ſubſiſtentia relatiua ſit.

Neque ſatis fit huic difficultati, diſtinguẽdo in relatione duos conceptus, in quorum altero concipiatur relatio, & ſignificetur admodum ſubſtantiæ, & in altero ſignificetur admodum relationis, & dicatur, quod relatio concepta admodum ſubſtantiæ, in ſe eſt, & ad ſe ex parte modi ſignificandi, & prout ſic ſubit munus ſubſiſtentiæ; non vero ſignificata admodum relationis.

Non inquam, per hoc huic difficultati fit ſatis. Nam ſi modus ſignificãdi admodum ſubſtantiæ ſufficit ad conſtituendam ſubſiſtentiam relatiuam, etiam ſufficiet ad conſtituendam exiſtentiã relatiuam, quod Thomiſtæ cum D. Thom. negant: ergo. Prob. Antec. nam tota ratio cur negant Thomiſtæ exiſtentias relatiuas in Deo, eſt, quia exiſtentia, cum ſit vltimus rei actus, illam extra cauſas conſtituens, debet ſignificari, vt ponens aliquid in re, quam facit exiſtere, quod non conuenit relationi; quæ ſecundum propria ſignificatur vt ad aliud. Hæc autem ratio nulla eſt, ſi ſemel admittatur relationem poſſe ſignificari admodum ſubſtantiæ, & admodum relationis, & quod primo modo ſignificata ſubſiſtentia ſit, non vero ſecundo modo; nam poſſemus phyloſophari eodem modo de exiſtentia, dicendo, quod relatio ſignificata admodum ſubſtantiæ, ſubit munus exiſtentiæ, non vero ſignificata admodum relationis.

Deinde facit maximam difficultatem, quia ſi relationes diuinæ, ſubſiſtentiæ diui-

Digitized by Google

vinæ naturæ ſunt, debebant actuare divinam naturam, ante quam intelligatur natura divina exiſtens; at hoc eſt impoſsibile: ergo. Mai. patet, nam exiſtentia eſt vltimus actus eſſentiæ: igitur ſi relationes ſubſiſtentiæ ſunt divinæ naturæ, actuabunt illam, antequam exiſtentia actuetur: alias exiſtentia eſſet vltimus actus naturæ divinæ, & non eſſet; eſſet; quia eſſe ſupponitur; & non eſſet; quia poſt illum natura divina actuaretur ſubſiſtentijs relativis. Min. autem ſic probo. Nam in divinis, eſſentialia & abſoluta priora ſunt notionalibus, & relativis: ergo nequit divina natura prius actuari ſubſiſtentijs relativis, quam exiſtẽtia, cum hæc in doctrina Thomiſtarũ tantum abſoluta ſit. Præterea, aſſerere, quod relationes divinæ ſubſiſtentiæ ſunt, videtur in terminis opponi doctrinæ D. Tho. q.9. de potentia, art. 5. ad 13. vbi habet: *Relationes divinæ hoc ſolum habent, quod ſuppoſita diſtinguant; non vero ſunt principia ſubſiſtendi divinæ naturæ, ſed è converſo proprietates perſonales habent, quod ſubſiſtant ab ipſa eſſentia.* Ex quibus ſic argumentor. Si relationes eſſent ſubſiſtentiæ, vere tribuerent divinæ naturæ ſubſiſtere, ſicut, & omnis ſubſiſtentia alicujus naturæ, in vniverſum naturam ſubſiſtentem conſtituit; at ſecundum D. Thom. relationes non ſunt principia ſubſiſtendi divinæ naturæ, ſed potius ab ipſa habent, quod ſubſiſtant: ergo ſubſiſtentiæ non ſunt.

Tandem aggravat difficultatem, quod ſubſiſtentia eſt perfectio ſimpliciter talis: nos autem infra negabimus relationes divinas dicere perfectionem: ergo non poſſumus aſſerere eſſe ſubſiſtentias. Neque huic fies ſatis dicendo, quod ſubſiſtere abſolutũ ſit perfectio ſimpliciter ſimplex; non vero ſubſiſtere relative. Nam perfectio ſimpliciter, ſubſiſtentiæ tribuitur ex hoc, quod facit, quod rei tribuatur eſſe independenter ab alio, tanquam à ſuſtentante, & tanquam à ſubiecto; ſed relatio, hoc ipſo, quod ſubſiſtentia ſit, hoc debet habere; cũ hoc ſit ipſiſsimus conceptus ſubſiſtentiæ: igitur ſive abſoluta, ſive relativa ſit, perfectio ſimpliciter erit. Tum etiam, nam quia rem ponere extra cauſas perfectio eſt, quæ exiſtentia dicitur, omne formaliter ponens rem extra cauſas ſuas, ſive abſolutum ſit, ſive relativum eſſe fingatur, perfectio ſimpliciter eſt: ergo quia rem conſtituere independentem ab alio, tanquam à ſuſtentante, & tanquam à ſubiecto inhæſionis, perfectio ſimpliciter eſt, omne id, quod rem ſic per ſe conſtituet, ſive abſolutum, ſive relativum ſit, perfectio ſimpliciter erit.

§. XI.

Reſolvitur quæſitum.

160 HIS Tamen non obſtantibus, tenendum eſt in Deo præter ſubſiſtentiam abſolutã, dari tres ſubſiſtentias relativas. Poterat hoc probari varijs Patrum, & Conciliorũ teſtimonijs. Sufficiat autem hoc probare, ex ſexta Synodo generali actione 11. ibi: *Sancta Trinitas eſt communicabilis perſonalibus ſubſiſtentijs*; perſonales autem ſubſiſtentiæ relativæ ſunt: ergo. Prob. etiam ex D. Thom. hic art. 2. ad 2. ibi: *Sicut nos dicimus in divinis pluraliter tres perſonas, ſeu tres ſubſiſtentias, ita græci dicunt tres hypoſtaſes.* Et infra q. 39. art. 3. *Perſona divina nihil eſt aliud, quam diſtinctum relatione, ſubſiſtens in natura divina*: diſtinctum, autem ſubſiſtens nequit eſſe abſolutum; quia hoc eſt commune tribus perſonis Trinitatis: ergo erit ſubſiſtens ſubſiſtentia relativa.

Ratione prob. nam in Deo dantur tres termini divinæ naturæ inter ſe realiter incommunicabiles, penes quos tres perſonæ in divinis conſtituuntur: ergo vere dantur tres ſubſiſtentiæ incommunicabiles; neque enim alio nomine iſti termini appellari poſſunt, quam nomine ſubſiſtentiæ.

Dices ad rationem ſubſiſtentiæ requiri eſſe aliquid, quo natura per ſe exiſtat, cum ſubſiſtentia eſſentialiter ſit modus per ſe exiſtendi; relationes autem modum per ſe exiſtendi, naturæ divinæ non tribuunt, cum ſupponant illam complete, & adæquate per ſe exiſtentẽ. Sed contra eſt, nam nomine ſubſiſtentiæ, non tantum ſignificatur prædictus modus perſeitatis, quo natura gaudet; ſed etiam id, quo vltimo incommunicabilis redditur; ſed natura divina per divinas relationes vltimo incommunicabilis redditur alijs ſuppoſitis ab ipſa realiter diſtinctis: igitur prædictæ relationes proprie ſubſiſtentiæ erunt. Prob. Mai. nam in creatis ſubſiſtentia, non tantum dicitur modus perſeitatis, ſed etiam ratio vltimi termini, quo natura incommunicabilis redditur: ergo aſcendendo, ad divina, etiam erit dicenda ſubſiſtentia, non tan-

tantum modus perſeitatis exiſtendi, ſed etiam ratio termini, quo vltimo natura divina incommunicabilis redditur. Secundo impugno ſolutionem datam, nam eſto relationes, naturę divinæ non tribuant modum per ſe exiſtendi; tamen ſibi ipſis modum exiſtendi per ſe tribuunt: ergo ex defectu modi eſſendi per ſe, non amittent rationem ſubſiſtentiæ. Prob. Ant. relatio divina ſeipſa non tantum eſt id, quo perſona divina conſtituitur, ſed etiam intranſitive eſt vt quod ipſa perſona; non tantum eſt id quo natura divina redditur alijs ſuppoſitis ab ipſa realiter diſtinctis incommunicabilis, ſed etiam eſt id, quod ſeipſo, vt quod, incommunicabile eſt alteri ſuppoſito divino: ergo ſeipſis modi per ſe exiſtendi ſunt. Patet Conſ. nam eſſe quod, modus ſuppoſiti eſt, ac perinde modus perſeitatis erit.

Et ſi dicas, relationem non poſſe habere modum eſſendi vt quod à ſeipſa, & ſic debere illum mendicare à ſubſiſtẽtia abſoluta; ex quo infertur relationem non eſſe ſubſiſtentiam. Probabis Ant. ex eo, quod natura divina non ſeipſa intranſitive eſt id, quod, ſed id mendicat à modo ſubſiſtentiæ abſolutæ: ergo multo minus relatio ſeipſa intranſitive erit id quod, ſed hoc habebit à modo ſubſiſtendi, qui relatio non ſit. Contra hoc eſt, nam vbicumque invenitur diſtinctivum vt quo, debet inveniri diſtinctum vt quod; at in divinis invenitur diſtinctivum vt quo vnius perſonæ ab alia: ergo debet inveniri diſtinctum vt quod; ſed diſtinctum vt quod, non eſt aliquid abſolutum; quia omne abſolutum identificatur cum omni relatione: ergo debet ſola relatio diſtingui vt quod, & vt quo, & ſic debebit ſe ſola intranſitive eſſe id, quod habet eſſe, & non tantum id quo. Neque paritas adducta de natura divina cõvincit oppoſitum. Nam natura noſtro modo intelligendi non eſt eſſentialiter ſubſiſtentia, cum tantum dicat prædicata quidditativa Dei, & ſic ſeipſa intranſitive non eſt id, quod trahit eſſe: vnde oportet, quod hoc habeat à modo à ſeipſa diſtincto, nempe à ſubſiſtentia abſoluta: relatio autem divina, cum ſit id, quo natura redditur incommunicabilis alijs ſuppoſitis à ſe realiter diſtinctis, & ſit id, quod alteri relationi divinæ ſeipſa, vt quod, eſt incommunicabile; eſt ipſa ratio ſubſiſtentiæ divinæ, & ſic nihil mirum, quod ſeipſa, intranſitive ſit, id, quod habet eſſe, vt quod.

161 Secundo ratione prob. concluſio. Id, quod per ſe primo terminat actionem productivam, non poteſt non eſſe ſubſiſtens vt quod; ſed relatio Filij, & Spiritus Sancti, primo, & per ſe, & ratione ſui terminant actiones, vt productivas: ergo ſeipſis ſunt ſubſiſtentes, vt quod: ergo vere dantur ſubſiſtentiæ relativæ: Mai. patet ex ſupra dictis & Mi. prob. ſupponendo, quod Spiratio, & Generatio divina iuxta duas inadæquatas formalitates, quas habent, nempe communicationis, & productionis, habent duos terminos, ad quos terminantur, nempe cõmunicatum, & productum: cõmunicatum tantum eſt natura, productum autem, vt quod, tantum eſt relatio filiationis, & relatio ſpirationis: igitur iſtæ relationes ſunt, vt quod, termini divinarum actionum, vt productivæ ſunt; atque adeo erunt ſeipſis ſubſiſtentes vt quod, & vt quo.

Tertio prob. Natura humana in Chriſto immediate vnitur Deo ratione alicuius ſubſiſtentiæ, non ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ: ergo ratione ſubſiſtentiæ relativæ. Mai. eſt certa; quia vnio nequit fieri immediate in natura divina, & ſic eſt neceſſe, quod fiat immediate in ſubſiſtentia. Mi. vero prob. ſi immediate fieret in ſubſiſtentia abſoluta, fieret immediate in aliquo communi tribus perſonis, & ſic eſſet neceſſe, quod tres perſonæ carnem ſumerent: ergo fit immediate in ſubſiſtentia relativa.

Dices huic rationi, humanitatem immediate vniri ſubſiſtentiæ abſolutæ, non vt communi, ſed vt propriç relationis Verbi, & ſic non eſſet neceſſe, quod incarnato Verbo, aliæ perſonæ carnem ſumerent. Sed contra hoc eſt. Nam natura humana immediate vniretur ſubſiſtentiæ abſolutæ: ergo vniretur illi, vt communi tribus perſonis, & nõ vt appropriatæ perſonæ Verbi. Prob. Conſ. nam abſolutum vt tale, cum præcedat relativum, nõ intelligitur appropriatum magis huic perſonæ divinæ, quam alteri; cum ergo vnio fieret immediate ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, & non ratione relationis, non fieret cum abſoluto, vt appropriato relationi Verbi. Explicatur hoc: eo ipſo, quod humana natura immediatius vniretur ſubſiſtentiæ abſolutæ, quam relationi Verbi, tunc humanæ naturæ conveniret relatio Verbi ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ prius illi vnitæ: ergo relatio Verbi vniretur humanæ naturæ ratione cõnexionis, quam haberet cum ſubſiſten-

Digitized by Google

ſiſtentia abſolutâ; non vero ſubſiſtentia abſoluta vnitetur humanitati ratione relationis Verbi. Et ſic ſemper ſalvatur ratio noſtra inconcuſſa, nempe, quod ſi relatio Verbi ſubſiſtentia non eſſet, vnio humanitatis fieret in aliquo communi tribus perſonis.

§. XII.

Solvuntur rationes in oppoſitum ſuperius adducta.

162 AD Tertium argumentum, ratione cuius præſens quæſitum ventilatum eſt, nego Mai. Ad prob. dico, quod licet ad dandam perfectatem adæquatam naturæ divinæ, hoc eſt ad faciendum hunc Deum; ſufficiat ſubſiſtentia abſoluta; nihilominus, quia in divinis non tantum datur vnus Deus, ſicut ponunt Iudæi, ſed dantur tres perſonæ, & tria ſuppoſita relativa, oportet neceſſario ſubſiſtentias relativas multiplicari, ratione quarum, tria *quod* in divinis dentur; non autem oportet, quod hæc tria, vt quod diſtincta, diſtinctâ exiſtentia gaudeant, ſed ſufficit, quod ſicut tres perſonæ vnius eſſentiæ ſunt: ita vnius exiſtentiæ ſint: vnde in multiplicata exiſtentia, neceſſe eſt multiplicari ſubſiſtentias. Ad ſecundam prob. diſt. Conſeq. ex indigentia habendi modum per ſe ab illis, conc. Conſeq. ex alio capite, nempe, quia oportet, quod vnus Deus in tribus ſuppoſitis ſit, ſicut fides fatetur, nego Conſeq. Ad tertium dico, relationes advenientes noſtro modo intelligendi huic Deo, vniri per ſummam identitatem illi; non eo modo, quo principium quo, vnitur principio quod, ſed ad modum, quo duo principia quod alterum relativum, & alterum abſolutum inter ſe ſumme identificata, ipſa identitate inter ſe vniuntur. Et ſic non licet inferre, vel quod Deus ſubſiſtat relationi, vel quod relatio ſubſiſtat Deo, ſed Deus ſubſiſtit Deitate, & relatio relatione: vnde proprie dici non poteſt, quod relatio ſubſtentetur ab habente Deitatem, ſed tantum, quod ſumme identificetur cũ habente Deitatẽ, & ſic à relatione non oportet auferre rationem ſubſiſtentiæ.

163 Ad alias rationes dubitandi in principio huius quæſiti adductas. Ad primã bene ibi reſponſum eſt, quam doctrinam exiſtimo eſſe D. Thom. nam in 1. diſt. 26. q. 1. art. 2. ad 1. ſic habet: *Dicendum, quod in divinis eſt accipere abſolutum, & relatum, ſed relatio non advenit abſoluto, ſicut diſtinguens ipſum; ſed per omnimodam identitatem rei; ſed id, quod diſtinguitur relatione, eſt ipſa relatio, & hoc poteſt ſignificari per modum ſubſiſtentis, & ſic ſignificatur nomine perſonæ, vel hypoſtaſis, &c.* Quæ verba valde notanda ſunt; quia per illa radix ponendi ſubſiſtentias relativas in Deo habetur. Etenim ex hoc, quod relatio adveniens Deo abſolute ſubſiſtenti, non habet Deum diſtinguere, ſequitur, quod ipſa relatio, vt quod, ab oppoſita relatione diſtinguatur, & quia, vt quod, ab altera diſtinguitur, ad modum ſubſiſtentis ſignificatur; non ſubſiſtentis ſubſiſtentia abſoluta, quæ non diſtinguitur ab alijs ſubſiſtentijs, ſed ſubſiſtentis ſubſiſtentia relativa, quæ ſe ipſa, vt quod, ab alia relatione ſibi oppoſita diſtinguitur.

Ad prob. quæ contra hoc ibi fiebat, nego Antec. non enim ad multiplicandas exiſtentias relativas, adeſt ratio, quæ adeſt ad multiplicandas ſubſiſtẽtias, nam iſtæ multiplicantur ſupra abſolutam ſubſiſtentiam; quia relationes divinæ ſe ipſis, vt quod, diſtinguuntur, ſine eo, quod ad hanc diſtinctionem aliquod abſolutum ingrediatur, & ſic eſt neceſſarium, quod relationes ſe ipſis ſubſiſtant, atque adeò eſt neceſſe, quod in Deo ſubſiſtẽtiæ relativæ ſint; exiſtentia autem, cum ad rationem diſtinctionis non faciat, nam plura poſſunt realiter diſtingui, & in vna exiſtentia convenire, & aliàs tres divinæ perſonæ vnius eſſentiæ ſint, non habetur fundamentum ad multiplicandas exiſtentias relativas.

Quod autem ibi dicitur, quod, quia relatio divina poteſt ſignificari per modum ſubſtantiæ, ideo poteſt ſignificari, vt ſubſiſtens ſe ipſa, falſum eſt, non enim ex hoc ſolũ probatur ſubſiſtentia relativa, ſed ex hoc, quod eſt ſe ipſa ab oppoſita relatione diſtincta, convincitur, quod relatio ſe ipſa ſubſiſtens, vt quod, incommunicabile ſit: vnde, ſicut ad rationem ſubſiſtentiæ relativæ non ſufficit relationem poſſe ſignificari admodum ſubſtantiæ, ſed inſuper requiritur, quod ſe ipſa, vt quod, ab oppoſita relatione diſtinguatur, ita poſſe ſignificari relationem ad modum ſubſtantiæ, non ſufficit ad hoc vt exiſtentia relativa; detur requirebatur enim

vltra hoc, quod ipſum relatiuum ſubſiſtens non eſſet eiuſdem eſſentiæ, cum ſubſiſtenti abſoluto.

Ad ſecundā difficultatem, nego Mai. Ad prob. diſt. Ant. eſt vltimus actus naturæ, reſpectiue ad illos actus, quibus natura redditur capax exiſtentiæ, conc. Antec. reſpectiue ad alios actus, qui ad hoc non conducunt, nego Ant. & Conſeq. Itaque exiſtentia eſt vltimus actus, reſpectiue ad ſubſiſtentiam, à qua natura modum perſeitatis habet deſideratum ad hoc, vt exiſtat: natura autem diuina à ſubſiſtentijs relatiuis modum perſeitatis, quo fiat capax exiſtentiæ, non recipit: hunc enim adæquatiſsime participat à ſubſiſtentia abſoluta, & ſic non ſequitur, quod prius debeat actuari ſubſiſtentijs relatiuis, quam exiſtentia; ſed tantum, quod prius debeat actuari ſubſiſtentia abſoluta, quam exiſtentia.

Ad tertiā, quæ formatur ex doctrina D.Thom. nego Mai. dixi enim ſupra, quod natura diuina non ſubſiſtit formaliter ſubſiſtentia relatiua, ſed tantum ſubſiſtentia abſoluta: ſubſiſtentia enim relatiua formaliter, tantum ſubſiſtunt ipſæ relationes; & ratio eſt, quia ſubſiſtens relatiuum eſt ſubſiſtens, vt quod, diſtinctum ab alio relatiue ſubſiſtente: natura autem diuina à nulla perſona diuina diſtinguitur, neque, vt quo, neque, vt quod; & ſic non poteſt dici, quod formaliter ſubſiſtat ſubſiſtentia relatiua; poteſt autem dici, quod ſubſiſtit ſubſiſtentia relatiua identice, in quantum ſubſiſtens abſolute, ſumme identificatur cum ſubſiſtentibus relatiuis, & ſic dicimus naturam diuinam eſſe in tribus ſuppoſitis; non quia ſubſtentetur ab illis, ſed, quia ſumme cum illis identificatur, quod expreſſe in adducta authoritate dicit D. Thom. quod autem addit, nempe, quod proprietates perſonales habent, quod ſubſiſtant ab ipſa eſſentia, eſt verum in hoc ſenſu, quod cum relationes ſint modi diuinæ eſſentiæ, niſi identificarentur cum diuina natura ſubſiſtente, ſubſiſtentes non eſſent; non autem eſt verum in hoc ſenſu, nempe, quod proprietates perſonales formaliter ſubſiſtant ſubſiſtentia abſoluta, qua ſubſiſtit eſſentia, cum ipſæ, ſe ipſis, vt quod, ſubſiſtant.

Ad vltimam bene ibi reſponſum eſt: ad improbationem, diſt. Mai. perfectio tribuitur ſubſiſtentiæ, per hoc, quod rem facit habere eſſe independenter ab alio, omnino independenter, conc. Mai. non omnino independenter, nego Mai. & diſt. Min. hoc ipſum debet habere relatio, cum aliquali dependentia à ſubſiſtentia abſoluta, conc. Min. ſecluſa omni dependentia ab illa, nego Min. & Conſeq. Itaque iam dixi, quod relationes, licet ſe ipſis, vt quod, ſubſiſtant ſubſiſtentia incommunicabili alijs relationibus, ſibi oppoſitis; tamen, quia modi ſunt, non poſſunt non habere dependentiam in ſuo eſſe à re, cuius ſunt modi, hoc eſt à re abſoluta, quæ Deus eſt.

Neque eſt verum, quod de conceptu omnis ſubſiſtentiæ, ſit rem omnino independentem ab alio conſtituere; hoc enim ſolum verificari poteſt de ſubſiſtentia rei; non vero de ſubſiſtentia modi. Ponamus huius exemplum, datur in creatis ſubſiſtentia ſubſtantiæ, & datur ſubſiſtentia accidentis, quæ conſiſtit in inhærentia ad ſubiectum, per quam diſponitur ad exiſtentiam. Sed inter has ſubſiſtentias, hoc verſatur diſcrimen, quod ſubſiſtentia ſubſtantiæ, ſubſtantiam ſtatuit omnino independentem à quocumque alio, tanquam à ſubiecto, & tanquam à ſubſtentante; ſubſiſtentia autem accidentis non ſtatuit accidens independens ab alio, tanquam à ſubiecto, cum conſiſtat in inhærentia ad illud: ſic ergo debemus ſuo modo phyloſophari in præſenti, ſubſiſtentia Dei abſoluta, Deitatem ſic per ſe exiſtere facit, quod omnino independenter à relationibus eſſe habere faciat; ſubſiſtentia autem relationum, licet tribuat eſſe quod, diſtinctum, & incommunicabile, non tamen tribuit eſſe quod, omnino independens ab eſſe abſoluto, cum modus illius ſit, & in ipſo eſſe abſoluto exiſtentia gaudeat. Ad replicam de exiſtentia, fateor omnem exiſtentiam eſſe perfectionem ſimpliciter, quia cum vltima actualitas ſit, ab ipſa perfectio cuiuſcumque rei deſumitur, & ſic oportet omnem exiſtentiam eſſe perfectionem, quod non militat in ſubſiſtentia.

164 Cæterum vltra difficultates propoſitas occurrit contra concluſionem hoc argumentū. Etenim relationes, ſi ſubſiſtentiæ eſſent, eſſent ſubſiſtentię huius naturæ diuinæ, vel huius Dei abſoluti; at non

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſubſiſtentiæ huius Dei abſoluti: ergo nullo modo ſunt ſubſiſtentiæ. Conſeq. eſt bona, Mai. patet, nam eſſent ſubſiſtentiæ divinæ: ergo Deum redderent ſubſiſtentem. Min. autem ſic probo, huic Deo abſoluto, nec tribuunt perſeitatem independentiæ ab alio in ſubſiſtentari; quia hæc per nos datur adæquate à ſubſiſtentia abſoluta, nec tribuunt perſeitatem incommunicabilitatis; quia Paternitas v. g. relinquit naturam communicabilem Filio, & Spiritui Sancto, & ſola ipſa Paternitas eſt Filio, & Spiritui Sancto incommunicabilis: igitur relationes non ſunt ſubſiſtentiæ huius Dei abſolute ſumpti. Patet Conſeq. quia ſi eſſent ſubſiſtentiæ Dei, aliquam ex prædictis perſeitatibus ei darent.

Ad hoc argumentum, nego Min. Ad prob. nego, quod huic Deo abſoluto non tribuant perſeitatem incommunicabilitatis, nam per relationes Patris, Filij, & Spiritus Sancti, ſic Deus abſolute ſumptus adæquate terminatur, quod non reſtat vlterius communicabilis, & licet Paternitas relinquat Deum communicabilem Filio, & Spiritui Sancto, hoc non eſt; quia Deo incommunicabilitatem non tribuat, ſed eſt; quia Deus non adæquate terminatur per ipſam Paternitatem: vnde relinquit locum, vt poſsit alijs duobus ſuppoſitis cōmunicari: tres autem relationes adæquate ſic Deum terminant, quod Deus illis actuatus omnino incommunicabilis redditur.

§. XIII.

Vtrùm ratio ſubſiſtentiæ relativa ſit vnivoca ad tres ſubſiſtentias relativas?

165 HOC Quæſitum, quamvis ex parte formæ videatur ſpectare ad logicos, tamē, quia ex parte materiæ ſpectat ad Theologum, placet illud hic ventilare. Et quidem non eſt facilis reſolutio eius. Cuius rationem dubitandi pro parte affirmativa ſic propono. Etenim ratio communis pluribus, in illiſque plurificata, quæ non eſt æquivoca, neque analoga, eſt illis vnivoca, ſed ratio ſubſiſtentiæ relativæ eſt communis pluribus, in ipſiſque invenitur plurificata, & neque eſt æquivoca, neque analoga: ergo erit illis vnivoca. Min. quoad duas priores partes per ſe patet, & quoad tertiam ſic diſcurro, præfata ratio non eſt analoga attributionis analogia; quia intrinſice reperitur in omnibus tribus, & ſine dependentia vnius ab altero, vel plurium ab vno magis principali analogato. Neque eſt analoga analogia proportionalitatis; quia ad hoc requireretur, quod ratio ſubſiſtentiæ relativæ deſcenderet ad Paternitatem Filiationem, & Spirationem paſsivam cum diverſitate ſimpliciter, & ſola convenentia ſecundum quid, quod eſt falſum; ſiquidem præfata tria ſimpliciter conveniunt in ratione ſubſiſtentiæ relativæ, & ſic videtur, quod deſcendat ad illa cum vnitate, & convenientia ſimpliciter tali.

Secundo prob. hæc eadem pars, nam D. Thom. in 1. diſt. 25. q. 1. art. 3. impugnat ſententiā aliquorū, qui dicebant perſonam divinā analogice prædicari de tribus perſonis, & poſtea concludit *eam eſſe communem, ſicut ratio animalis eſt communis homini, & aſino*, quod etiam repetit in primo ad Annibal. eadem quæſtione, & articulo: igitur ratio perſonæ non eſt analoga ad tres perſonas, ac proinde neq̄; ratio ſubſiſtentiæ relativæ erit analoga ad illas.

166 His tamen non obſtantibus tenendum eſt, rationem perſonæ divinæ, ſeu ſubſiſtentiæ relativæ, non eſſe vnivocam ad Paternitatem, Filiationem, & Spirationem. Prob. ex Div. Thom. hic articul. 4. vbi ait: *Rationem perſonæ non eſſe communem ſicut genus, vel ſpeciem*, ſi autem vnivoca eſſet, deberet ſe habere, ſicut genus, vel ſpecies ad ſua inferiora.

Ratione fundamentali probatur: nam vt aliqua ratio ſit vnivoca ad ſua inferiora, debet actu non claudere in ſe differentiam eorum; ſed ratio perſonæ divinæ actu claudit differentiam ſuorum inferiorum: igitur non eſt vnivoca. Conſeq. eſt bona, & prob. præmiſſas. Mai. quidem, nam ratio vnivoca debet deſcendere ad ſua inferiora, vt omnino vna: ergo nequit actu claudere differentias ſuorum inferiorum. Patet Conſeq. nam eo modo ratio communis deſcendit, quo in ſe ipſa eſt: ergo ſi in ſe actu claudit diverſitatem inferiorum, deſcendet ad illa, vt diverſa: & ſic non vt omnino vna. Mai. ſic probo. Nam ratio perſonæ divinæ eſt actus puriſsimus: igitur nequit præſcindere à differentijs ſuorum inferiorum ſecundum

Digitized by Google

implicitum, & explicitum. Prob. Conſeq. Nam conceptus rationis communis, ſic præciſus, vt ſupra vidimus, neceſſario eſt potentialis, potentialitate metaphyſica: actus autem purus hanc potentialitatē debet excludere: igitur, ſi ratio perſonæ divinæ eſt actus purus, nequit ſecundum implicitum, & explicitum præſcindere à ſuis inferioribus, & per Conſeq. debet actu claudere differentias ſuorum inferiorum.

167 Ad rationem ergo dubitandi in oppoſitum, nego Min. pro tertia parte, eſt enim ratio ſubſiſtentiæ relativæ analoga, analogia proportionalitatis, nam ratio ſubſiſtentiæ relativæ vt ſic, actu claudit in ſe modos Paternitatis, Filiationis, & Spirationis paſsivæ, & ſic non deſcendit, vt omnino eadem, ſed vt ſimpliciter diverſa, & vt ſecundum quid tantum vna; ſolum enim conveniunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in eo, quod relativa ſubſiſtentia ſunt ſecundum quid; quamvis in eo, quod Deus ſunt, conveniant ſimpliciter: id eſt, conveniunt in ſic ſe habere Patrem ad ſuum eſſe incommunicabile Paternitatis, ſicut Filius ad ſuum eſſe incommunicabile Filiationis: vnde habentur hic quatuor termini, nempe Paternitas, & eſſe Paternitatis, Filiatio & eſſe Filiationis, & loquor de eſſe, quod ſignificatur per definitionem vtriuſque, non de eſſe exiſtentiæ, quod eſt idem numero in omnibus, & ſic habetur proportio proportionum, quod eſt analogia proportionalitatis.

Sed inſtas: hoc ipſo, quod ratio ſubſiſtentiæ relativæ deſcendat cum diverſitatę; pariter debet deſcendere, vt inæqualiter participabilis à ſuis inferioribus; at ratio ſubſiſtentiæ relativæ nequit deſcendere inæqualiter ad Paternitatē, Filiationem, & Spirationem: ergo nequit deſcendere cum diverſitate ad illas. Prob. Mai. hoc ipſo, quod deſcendat cum diverſitate; ad tres perſonas collective ſumptas deſcendit adæquate: ad vnam tantum deſcendit inadæquate: ergo deſcendit inęqualiter. Minor etiam prob. Nam hæc propoſitio, *Pater eſt perſona inæqualiter cum Filio* eſt falſiſsima, ſiquidem habetur ex Athanaſio, *omnes tres perſonæ ſibi coæternæ ſunt, & coæquales*: igitur ratio ſubſiſtentiæ relativæ nequit deſcendere inæqualiter ad tres perſonas divinas.

Ad hoc, nego Mai. Ad prob. nego Cōſequentiam. Æqualitas enim, & Inæqualitas tantum habentur in linea quantitatis molis, vel in linea quantitatis virtutis; cum ergo in linea relationis divinæ non habeatur neque quantitas molis, neque quantitas virtutis, eſto habeatur diſtinctio, & diverſitas; non tamen habetur ęqualitas, vel inæqualitas: vnde, quamvis conceptus communis perſonæ deſcendat cum diverſitate ad tres divinas perſonas; non tamen deſcendit inæqualiter.

Ad Div. Thom. dico, quod aliqui, quos ſuppreſſo nomine ibi citat Div. Thomas, dicebant, quod perſona divina non dicebat aliquid reale commune, ſed tantum quendam reſpectum proportionis, ſicut cum dicimus, quod, ſicut ſe habet nauta in mari, ita ſe habet rector in Civitate; hoc autem eſt, quod D. Tho. impugnat; nos autē non hoc dicimus, ſed verum quid reale, quod à parte rei invenimus multiplicatum in tribus perſonis, hoc dicimus eſſe commune analogia propriæ proportionalitatis; quia vere Pater eſt proprie, & ſimpliciter perſona, Filius proprie, & ſimpliciter eſt perſona, & Spiritus Sanctus proprie, & ſimpliciter eſt perſona; nec tamen dicimus rationem perſonæ eſſe vnivocam; quia ad hoc requirebatur, quod tres perſonæ non eſſent eiuſdem numero ſummæ actualitatis. Quod tāgit D. Thom. in eodem articulo, dum dicit, perſonā non eſſe vniverſale, ſicut genus, aut ſpecies; quia ad hoc requirebatur, quod tres perſonæ heberent aliud, & aliud eſſe, ideſt alia & alia gauderent actualitate; hoc enim dato, eſſent potentiales, quia plures actualitates eſſe non poſſent, niſi limitatæ, & potentiales eſſent, & ſic poſſet ab illis abſtrahi vna ratio communis, quę potentialis eſſet, & ſic actu non includeret rationes ſpeciales trium perſonarum; dum autē ponitur tres perſonas eadem indiviſibili gaudere ſumma actualitate, nequit aſtrahi ab illis aliqua ratio ſimpliciter, ſic quod actu implicite non claudat ſpeciales rationes perſonarum, & ſic neceſſe eſt fateri rationem perſonæ, ſeu ſubſiſtentiæ relativæ, eſſe analogam ad tres perſonas.

(·:·)

Digitized by Google

§. XIV.

Vtrùm in ſubſiſtentijs relativis reperiatur perfectio de linea relationis?

168 OPTIME Diſtinxit hic Dominus Caietanus inter perfectionem relationis, & perfectionem relativam: Perfectio relationis, eſt illa, quæ de facto convenit relationibus divinis, de quibus nullus negat, quod formaliſſime perfectæ ſint; Perfectio autem relativa, eſt perfectio diſtincta à perfectione abſoluta, ſicut relatio diſtinguitur ab abſolutis, ſimili modo, quo in tractatu de voluntate diximus, actum divinum liberum formaliter eſſe perfectum; non tamen perfectione libera, quam contra Caietanum in Deo non dari ad longum probavimus; ſed neceſſariam. De hac ergo perfectione relativa inquirimus, vtrum reperiatur in relationibus divinis. Circa quam difficultatem duæ ſunt celebres ſententiæ. Prima affirmat talem perfectionem convenire divinis relationibus, ita tenent Suarez lib. 3. de Trinitat. cap. 9. & 10. Granado tom. 3. in 1. part. tract. 3. disput. 5. ſect. 2. Valentia, Arrubal, Ruiz, Ledeſma de divinis perfectionibus, quæſt. 3, articul. 2. Gonçalez hic diſput. 6. ſect. 1. Zumel hic, art. 2. diſput. 5. Ioannes à Sanct. Thoma hic.

Qui Authores diviſi ſunt, nam alij dicunt relationes divinas ſub quacumque conſideratione penſentur, habere perfectionem relativam: alij diſtingunt de relationibus, prout comparantur ad eſſentiam divinam, & iſto modo negant habere perfectionem relativam; vel de illis, prout in propria linea conſiderantur, & prout ſic dicunt, habere perfectionem. Rationem primi aſsignant ex eo, quod primo modo relationes tantum comparantur vt modi eſſentiæ divinæ; prout ſic autem quid incompletum ſunt, & ſic perfectione de propria linea carent. Secundo modo quid completum ſunt in propria linea, & ſic perfectionem de propria linea habent. Secunda ſententia negat Deo convenire perfectionem, quæ abſoluta non ſit. Ita ex antiquis tenent Scotus in primo diſt. 3. q. 1. Durandus diſt. 1. q. 3. num. 13. Capreolus in primo, diſt. 7. quæſt. 1. ad 9. contra primam concluſionem. Serra hic, art. 2. diſt. 4. Salmanticenſes, Araujo, & alij eſtque iam hæc ſententia communior.

169 Dico ergo. Proprie loquendo de perfectione, non datur perfectio relativa in divinis; bene vero datur ſi de perfectione large, & generaliter loquamur. Pro luce huius noſtræ reſolutionis, adverto. Quod perfectum dupliciter accipitur: primo communiter, & generaliter, prout tantum dicit, id, cui nihil deeſt de his, quæ ad eius eſſentiam proprietates, & ornatum requiritur, in quo ſenſu peccatū commiſsionis in ſententia, quæ affirmat conſiſtere in poſitivo, perfectum dicimus, quia omnia, quæ ad eius eſſentiam proprietates, & accidentia deſiderantur habet. Quam acceptionem perfecti deduco ex Ariſt. 5. Metaph. & D. Th. ibidem lect. 18. vbi habet: *Perfectum illud dicimus, cui nihil deeſt ex his, quæ ad eius eſſentiam deſiderantur*; alio modo perfectum accipitur ſpecialiter & proprie, prout determinat, & concernit materiam bonitatis, & virtutis ad operandum recte, ſive in ordine phyſico, ſive in ordine morali. Hoc ergo animadverſo.

Concedo relationibus divinis perfectionē relativam generaliter, & communiter dictam, & nego illas gaudere perfectione proprie, & ſpecialiter dicta. Primā partem ſic probo. Nam, vt vidimus ex Ariſt. & D. Th. loco adducto, perfectum communiter, & generaliter dictū, illud dicitur, cui nihil deeſt de his, quæ ad eius eſſentiā, proprietates, & ornatū debentur; ſed relationibus divinis in propria linea relativa, nihil deeſt de his, quę ad eius eſſentiā, & proprietates debentur; alias nō ſolū carerent perfectione, ſed etiā eſſent privative imperfectę, quod nullus audebit dicere: ergo relationes divinę gaudēt perfectione relativa, loquēdo de perfectione generaliter, & cōmuniter.

Secundo, nullus negare poteſt, quod divina Paternitas habeat omnia illa requiſita, quæ exigit ad ſui integritatem relativā: ergo nullus negare poterit, quod in linea relativa perfecta nō ſit, aliqua ratione perfectionis. Prob. Conſ. quia perfectū ſic communiter loquendo, illud dicitur, cui nihil deeſt ex his, quæ ei debētur: ergo perfectū, perfectione relativa, illud erit, cui de his, quæ ad lineā relativā ſpectāt nihil deeſt ex debitis ſuis: ergo cū divinis relationibus nihil deſit ex his, quæ eis debentur intra lineam relativam, tenendum erit ipſas gaudere perfectione relativa, large, & communiter loquendo de perfectione.

Quod autem perfectum, prout hoc tantum dicit, non ſit perfectū proprie, & ſpe-

Digitized by Google

cialiter loquendo de perfectione. Sic demonſtro, nullus audebit dicere, quod peccatum commiſsionis proprie, & riguroſe loquendo perfectio ſit, & tamen nullus audebit dicere, quod peccatum conſtans ex proprie genere, & differentia, habenſque paſsiones ſuas, & debita accidentia, non ſit id cui nihil deeſt ex debitis ſuis: ergo fatendum erit eſſe perfectum; communiter, & generaliter loquendo de perfecto, prout ſolum dicit eſſe id cui nihil deeſt. Non autem eſſe perfectum proprie, & ſpecialiter loquendo de perfectione. Secundo perfectum ſecundum propriam, & ſpecialẽ rationem coincidit cum bono: vnde, quod non eſt bonum, proprie non erit perfectũ; ſed datur ens completum, & integratum ex omnibus, quæ ad eius eſſentiam deſiderantur, quod tamen bonum non eſt: ergo ex prædicta integritate non oritur ratio perfecti ſecundum propriam acceptionẽ. Prob. Min. nam quantitas, prout intelligitur habere ſuum genus, differentiam, & omnia, quæ illi intra lineam intelligibilis materiæ deſiderantur, præſcindendo tamen ab omni materia ſenſibili, & ſolum concernendo intelligibilem de propria linea quantitatis, eſt ens, cui nihil deeſt ex his, quæ ad lineam quantitatis ſpectant, & tamen, prout ſic bona non eſt, neque perfecta teſte D. Thom. ſupra q. 5. art. 3. ad 4. ergo ad propriam acceptionem perfecti nõ ſufficit integrari ex omnibus debitis intra propriam lineam, ſed vltra hoc debet addi, quod nihil ei deſit de his, quæ ſpectant ad rationem bonitatis.

Dices D. Thom. negare quantitati, vt abſtractæ à qualitatibus ſenſibilibus, rationem boni, & perfecti; quia prout ſic repugnat quantitatem à parte rei exiſtere; id autem, cui exiſtere repugnat, ratio boni, & perfecti repugnat, & ſic quantitas in illa ſua abſtractione, nec bona, nec perfecta eſt. Si autem detur aliquod phyſice exiſtens, cui nihil deſit, illud bonum, & perfectum erit: cumque diuinis relationibus conueniat exiſtere, & nihil deſit de his, quæ ad propriam lineam deſiderantur affirmandum erit illas bonas, & perfectas eſſe proprie loquendo de perfectione. Sed contra eſt. Nam, quod quantitas in illa abſtractione nequeat exiſtere, non tollit, quin habeat integritatem de propria linea, & ſit id, cui ex illis nihil deſit, ac per Conſeq. ſit in aliqua acceptione perfecta: ergo ſimiliter, quod relatio diuina habeat omnia, quæ deſiderantur ad lineam relatiuam, cum tamen exiſtentiam relatiuam habere non poſsit, faciet illam perfectam perfectione relatiua communiter dicta, non tamen proprie, & ſpecialiter dicta.

170 Secundam partem noſtræ reſolutionis ſic prob. Nam perfectum ſecundum propriam acceptionem, & bonum idem prorſus ſunt, ſaltim inter ſe non ſeparantur, ſed relationes diuinæ non gaudent bonitate relatiua: ergo neque habebunt perfectionem relatiuam proprie, & ſpecialiter dictam. Prob. Min. Nam ſi daretur bonitas relatiua, darentur tres boni ſubſtantiue; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. Min. ex D. Auguſtino 5. de Trinit. cap. 8. ibi: *Magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus, non tamen tres magni, ſed vnus magnus, bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus, non tamen tres boni, ſed vnus bonus*: ergo in Deo non dantur tres boni ſubſtantiue. Deinde perfectum idem eſt, ac dignum, ſi proprie loquamur de perfectione, ſed in Deo ſolum datur dignitas abſoluta, & non relatiua: ergo tantum dabitur perfectio abſoluta, & non relatiua proprie loquendo de perfectione. Min. prob. ex D. Thom. infra q. 42. art. 4. ad 2. ibi: *Paternitas eſt dignitas Patris, ſicut, & eſſentia Patris, nam dignitas eſt abſoluta, & ad eſſentiam pertinet, ſicut igitur eadem eſſentia, quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio eſt Filiatio: ita eadem dignitas, quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio eſt Filiatio, vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; nec tamen ſequitur, Paternitatem habet Pater: ergo Paternitatem habet Filius: quia mutatur quid in ad aliquid, eadem enim eſt eſſentia, & dignitas Patris, & Filij, ſed in Patre eſt ſecundum relationem dantis, in Filio ſecundum relationem accipientis*. Ergo ex D. Thom. dignitas in Deo tantum eſt abſoluta, & nullatenus relatiua.

Probatur ſecundo, hæc pars vltimus actus, qui exiſtentia eſt rem proprie conſtituit perfectam, ſed relatio intra ſuam lineam non habet vltimum actum, qui exiſtentia eſt: igitur proprie loquendo de perfectione non habet perfectionem relatiuã. Conſ. videtur bona. Min. ſupra reſtat probata, & Mai. prob. authoritate D. Thom. ſupra q. 5. art. 1. ibi: *Secundum hoc enim dicitur aliquid perfectum ſecundum, quod eſt in actu, nam perfectum dicitur, cui nihil deeſt*

Digitized by Google

deeſt ſecundum modū ſuæ perfectionis. Cuius rationem aſſignat ſolutione ad 1. ibi: *Sed; quia in his, quæ fiunt tunc dicitur eſſe aliquid perfectum, cum de potentia educitur in actum, tranſumitur hoc nomen perfectum ad ſignificandum omne illud, cui non deeſt eſſe in actu.* Ex quibus ſic argumentor, vnumquodque in tantum dicitur perfici, in quantum educitur de potentia in actum: ergo ab vltimo actu, qui exiſtentia eſt, propria perfectio vniuſcuiuſque rei deſumitur; ſed relatio non eſt perfectibilis per vltimū actum relativum, ſed tantum abſolutum: ergo non habebit perfectionem relativā, ſed ſolum abſolutam.

171 Tertio prob. Concluſio. Si Paternitas divina, ex quo Paternitas eſt, perfectio relativa proprie dicta eſt, ſequitur, Filius Paternitatem non habet: ergo non habet perfectionem relativam Patris; hoc autem videtur falſum: ergo. Prob. 1. Sequela, nam in illa conſequentia, non mutatur quid in ad aliquid; ſiquidem, ſicut Paternitas eſt ad aliquid, ita & relatio Paternitatis ad aliquid eſt: igitur illa Conſeq. boniſsima erit, nam ideo hæc eſt mala, Paternitatem, quam habet Pater, non habet Filius: ergo dignitatem, quam habet Pater non habet Filius; quia mutatur ad aliquid Paternitatis, in quid dignitatis: ergo hæc erit bona, Paternitatem non habet Filius: ergo perfectionem relativam, quam habet Pater non habet Filius; ſiquidem ſicut Antec. eſt ad aliquid, ita & conſequens eſt ad aliquid. Min. autem ſic prob. Nam ſi perfectionem relativam, quam habet Pater, non haberet Filius, Pater non eſſet ſumme perfectus; ſiquidem ei deeſſet perfectio relativa Filij; non autem poſſumus dicere Patrem non eſſe ſumme perfectum: igitur neque poſſumus dicere, quod Pater non habeat perfectionem relativam Filij.

Reſpond. Suarez, quod licet Pater non habeat perfectionem relativam, quam habet Filius; non tamen licet inferre, quod ſumme perfectus non ſit; quia licet illam non habeat formaliter ratione Filiationis; quia Filiationem non habet; habet tamen illam eminenter ratione eſſentiæ, in qua omnis perfectio relativa continetur eminenter. Sed contra eſt. Nam de ratione ſummi perfecti eſt præcontinere omnem perfectionem eo modo, quo ipſa perfectio non admiſcetur imperfectioni; ſed perfectio relativa Filij, prout formaliter præcontinetur in Filiatione, non admiſcetur imperfectioni: igitur vt Pater ſumme, & omnimodo perfectus ſit, requiritur, quod non ſolum eminenter, ſed, quod etiam formaliter Filij perfectionem præcontineat: ergo ſi formaliter non præcontinet, ſumme perfectus formaliter non erit.

Dices, Patrem non ſolum non habere, vt ſumme perfectus ſit, omnem perfectionem non admixtam imperfectioni, ſed etiam non habere perfectionem admixtam oppoſitioni cum Patre; cumque perfectio relativa Filij admiſceatur cum oppoſitione cum Patre, vt hic ſumme perfectus ſit, non requiretur habere formaliter perfectionem relativam Filij.

Sed contra eſt. Nam implicat Patrem eſſe ſumme perfectum, proprie loquendo de perfectione, & habere realem oppoſitionem cum aliqua perfectione non admixta imperfectioni: ergo ſi Pater ponitur ſumme perfectus, non debet poni oppoſitus realiter alicui perfectioni non admixtæ imperfectioni. Prob. Antec. ſumme perfectum dicit poſſeſsionem omnis perfectionis non admixtæ imperfectioni; oppoſitio realis cum aliqua perfectione dicit carentiam talis perfectionis: ergo ſi Pater ſumme perfectus ponitur, non debet poni, quod habeat realem oppoſitionem cum aliqua perfectione non admixta imperfectioni.

Dices ſecundo rationi noſtræ, non requiri, quod Pater ſit ſumme perfectus perfectione abſoluta, & perfectione relativa; ſicut enim de conceptu Paternitatis non eſt omnis divina relatio, ita nec de conceptu perfectionis relativæ Patris neceſſe eſt, quod ſit omnis perfectio relativa; ſicut ergo Patri ſufficit eſſe Patrem, ita, & ſufficiet habere ſolam perfectionem relativam Patris. Sed contra eſt, nam cum Pater ſit ad Filium, realiter opponitur Filio, & ſic implicat contradictionem, quod perſona, quæ in divinis eſt Pater, ipſa ſit Filius: vnde Patri ſufficit Paternitas; quia nequit habere oppoſitam Filiationem: perfectio autē ſi divina & infinita ſit, ſolum cum imperfectione habere poteſt oppoſitionē: ergo Pater, vt ſumme perfectus ſit, ſolū debet carere imperfectione; non ergo poteſt Filius aliquam habere perfectionem, ſine imperfectione, quam non requirat habere Pater.

Digitized by Google

Tertio reſp. rationi noſtræ Patrem eſſe ſumme perfectum omni perfectione abſoluta, & relativa; quia, licet perfectio relativa Patris, ex quo eſt ad perfectionem filiationis, realiter diſtinguatur à perfectione relativa Filiationis; tamen, ex quo Pater eſt eſſentia divina, quæ ſumme idẽtificatur cum omni perfectione relativa, identice eſt omnis perfectio relativa. Et ſic eſt ſumme abſolute perfectus, & etiam relative; primum formaliter, identice autem ſecundum.

Sed contra eſt, nam eſto Pater ſit eſſentia divina, quæ ſumme identificatur cum omni relatione; non tamen dicitur ſumme relatus, vel omni relatus, ſed tantum dicitur Pater. Ergo, quamvis ſit eſſentia divina, quæ eſſet omnis perfectio relativa, non tamen diceretur ſumme perfectus. Patet Conſeq. nam Pater, quamvis identice ſit omnis relatio; tamen ſumme, vel omni relatus nõ dicitur, propter oppoſitionem formalem, quam habet Pater cũ reliquis relationibus: ergo ſumme perfectus non diceretur perfectione relativa, propter oppoſitionem realem, quæ eſſet inter perfectionem relativam Patris, & perfectionem relativam Filiationis, etiam ſi eſſet eſſentia divina, quæ eſſet omnis relativa perfectio.

172 Tandem prob. Concluſio ſpecialiter cõtra M. Gonçalez. Relatio comparative ad eſſentiam non dicit perfectionem relativam: ergo in ſe ſpectata non habet perfectionem relativam. Prob Conſequentia, nam relatio afficit eſſentiam ſecundum illud, quod habet in ſe: ergo ſi comparative ad eſſentiam, non dicit perfectionem relativam, non habebit talem perfectionem in ſe. Explicatur hoc. Perfectum, ſicut, & bonum, contingit dupliciter, vel vt quod, vel, vt quo; vt quod; ſecundum quod in ſe ipſo dicitur habere perfectionem, vel bonitatem: vt quo, ſecundum quod aliquid dicitur ipſo perfici, vel bene ſe habere: ergo ſi relatio in ſe ipſa perfectionem relativam haberet, vt comparata ad eſſentiam eſſet id, quo eſſentia relative perficeretur: ergo per comparationem ad eſſentiam, eſſet perfectio relativa; licet non vt quod, ſaltim, vt quo.

Dices relationes comparative ad naturam divinam tantum concipi, vt modos perfectionis abſolutæ naturæ divinæ: modus autem, vt talis, cum quid incompletum ſit, non poteſt obtinere rationem perfectionis, de cuius conceptu eſt, quod ſit quid completum; perfectum enim eſt, cui nihil de eſt, & ſic eſt id, quod completur, non id, quod aliud complet: Vnde ſi non intelligatur, vt completum, non intelligetur, vt perfectum.

Sed contra inſto: Nam ratio incompletionis non aufert ab aliquo rationem perfectionis: ergo ex hoc, quod relatio per comparationem ad eſſentiam divinam concipiatur, vt quid modale, & incompletum, non aufertur, quin, prout ſic perfectio ſit. Prob. Antec. exiſtentia complet eſſentiam, & vt quid incompletum comparatur ad illam, & tamen per comparationem ad illam perfectio eſt: ergo eſſe quid incompletum, non aufert rationem perfectionis. Secundo, ſi eſſe modũ alterius auferret rationem perfectionis, cõpleri omnibus requiſitis ad rationem modi, non erit fieri perfectionem: ergo neque relatio, vt quid completum erit perfectio. Patet Conſeq. nam illud integrari, & compleri ex omnibus requiſitis eſt fieri cuiuſdam modi; ſed modus, vt modus non eſt perfectio ſecundum Gonçalez: ergo neque integrari ex prædictis requiſitis erit fieri alicuius perfectionis.

§. XV.

Solvuntur argumenta.

173 PRIMO Arguitur. Probando, quod relationes divinæ habeant propriam relativam perfectionem. Etenim in ſexta Synodo Nicena generali actione 18. dicitur: *Credimus vnam ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentijs, vnitatem quidem propter naturalem vnionẽ; Trinitatem vero propter ſubſiſtentiarum perfectionem.* Et poſt pauca. *Trinitas ſimplex tribus perfectis*: ergo dantur in Deo perfectiones relativæ.

Ad hoc dicitur, vel quod ibi non eſt locutio de perfectione proprie, & ſpecialiter dicta, ſed de perfectione communiter dicta, prout tantum dicit id, cui nihil de eſt de propria linea. Vel dicatur ibi eſſe locutionem de perfectione abſoluta, qua formaliter ſubsiſtentiæ divinæ perfectæ ſunt: iam enim dictum eſt perfectionem abſolutam formaliter tranſcendere relationes, eaſque formaliter denominare perfectas. Et ſi inſtes ibi dici *in tribus perfectis*;

ſi

Digitized by Google

ſi autem eſſet locutio de ſubſiſtentię perfectione abſoluta, non dicerentur tres perfecti, ſicut non dicuntur tres æterni, nec tres immenſi. Reſpond. dici in tribus perfectis adiectiue, non ſubſtantiue.

174 Secundo arguitur, celebri teſtimonio Damaſceni de fide, lib. 1. cap. 11. ibi: *In proprietatibus Paternitatis, Filiationis & proceſſionis ſecundum cauſam, & cauſata, ſeu cauſatum, & perſonalem perfectionem* (ideſt exiſtentiæ modum) *differentiam intelligimus.* Quibus Verbis non tantum dat relationibus perfectionem, ſed etiā aſſignat perſonalem perfectionē, quæ certe relatiua eſt.

Ad hoc reſpondet Gonet loqui Damaſcenum de perfectione abſoluta, qua perſonaliter ſunt perfectæ perſonæ. Quod ſibi ſuadet; quia perſonalem perfectionem dicit exiſtendi modum; modus autem exiſtendi eſt, quod Pater a nullo ſit, in quo explicatur dignitas Patris, & quod Filius à Patre ſit, & Spiritus Sanctus ab vtroque ſit. Cæterum ſolutio non placet, etenim Damaſcenus dicit perſonalem perfectionem; perfectio autē abſoluta eſt perfectio perſonæ, ſed non eſt perſonalis perfectio: non ergo loquitur de perfectione abſoluta, ſed de perfectione relatiua.

Vnde melius eſt reſpondere iuxta noſtram doctrinam, quod loquitur de perfectione relatiua, prout ly *perfectio* accipitur communiter, pro eo, cui nihil deeſt de his, quæ in ſua linea reperiuntur; non autē loquitur de perfectione, prout ſpecialiter connotat materiam bonitatis. Quod patet, nam ibi Damaſcenus tantum agnoſcit in Deo vnam bonitatem, dicit enim ibi. *Vna ſubſtantia, vna bonitas, vna virtus, vna voluntas, vnus actus, vna poteſtas, vna, & eadem, non tres ad inuicem ſimiles, ſed vna, & eadem trium perſonarum motio*; ſi enim in Deo daretur perſonalis perfectio proprie, & ſtricte dicta, daretur quoque bonitas perſonalis, & relatiua; vnde non eſſet vna tantum bonitas, ſed tres relatiuæ, & vna abſoluta: dum ergo dicit dari perſonalem perfectionem, non loquitur de perfectione, prout in materia bonitatis reperitur, ſed illud cui nihil deeſſet de propria linea perſonalem perfectionē vocat, quam nos dicimus perfectionem communiter dictā, non tamen ſecundum propriam, & peculiarem rationem.

175 Tertio arguitur, ſi relationes diuinæ non dicerent perfectionem de propria linea, dicerent imperfectionem in propria linea; ſed hoc non eſt dicendum: ergo. Prob. Sequela, nam ens, quod nullā dicit perfectionem, ens imperfectum eſt: ergo ſi relationes non dicerent perfectionē de propria linea, dicerent imperfectionē, nam carentia perfectionis, non poteſt non eſſe imperfectio.

Ad hoc ſolet reſponderi imperfectum dupliciter contingere; vel, quia dicit carentiam debitæ perfectionis, vel quia dicit carentiam perfectionis indebitæ; ponere ergo in Deo imperfectionem ſecundo modo nullum eſt inconueniens; quia hoc tantum eſt, eſſe imperfectū negatiue, quod non eſt aliud, quam non habere perfectionem, & iſto modo abſque inconuenienti, & abſurdo poſſumus dicere relationes eſſe imperfectas; ideſt non perfectas; non ſic autem primo modo; quia hoc eſt carere aliquo ex his, quæ rei debentur. Cum ergo relationes incapaces ſint habere perfectionem de linea propria, carentia talis perfectionis non facit eas eſſe ens imperfectum, ea imperfectione, quæ à Deo debeat relegari.

Sed contra hoc inſtat Gonçalez. Quod maxime imperfectum eſt, Deo conuenire non poteſt, ſed quod caret omni perfectione in ſua linea maxime imperfectum eſt in ſua linea, cùm ad perfectionem aliquam ex his, quæ ad ſuam lineam pertinent, non perueniat: ergo ſi relationes diuinæ carent omni perfectione relatiua, maxime imperfectæ erunt in tali linea, & ſic Deo conuenire non poterunt. Maiorem Gonçalez non probat. Sed poteſt probari ſic, ens, quod in linea entis caret omni entitate reali, etiam ſi ei repugnet illam habere, imperfectiſſimum ens dicitur: ergo ens, quod in ſua linea caret omni perfectione, maxime imperfectum erit in ſua linea, etiā ſi incapax ſit habendi perfectionē de propria linea. Deinde materia prima eſt imperfectiſſima, quia caret omni actualitate, eſto incapax ſit actualitatis conuenientis illi ex ſe: ergo eſto perfectio indebita ſit relationibus, maxime erunt imperfectæ per carentiam intrinſecam omnis perfectionis.

Ad hoc diſt. Min. ſi careat omni perfectione de propria linea, & non exigat perfectionem de alia linea, conc. Min. Si perfectione de propria linea careat, & exigat perfectionem de alia linea, nego Min. & Conſeq. itaque non poteſt vocari

ma-

Digitized by Google

maxime imperfectū in aliqua linea, quod, eſto omni perfectione de propria linea careat, tamen exigit perfici perfectione alterius lineæ. Ideo enim ens rationis imperfectiſsimum quid eſt; quia non tantum caret omni vera entitate, ſed etiam caret debito habendi entitatem veram: cum ergo divinæ relationes; licet careant perfectione relativa; exigant tamen tranſcendi à perfectione abſoluta, non poterunt dici entia imperfectiſsima.

Sed inſtas, vel illa exigentia perfectionis alterius lineæ ponit perfectionem relativam in relationibus, vel non; ſi hoc ſecundum dicatur: ergo in linea relativa erunt maxime imperfectæ, ſiquidem omni prorſus carebunt perfectione de propria linea; ſi dicatur primum: ergo dabitur iam aliqua perfectio relativa, nempe illa exigentia perfectionis alterius lineæ. Secundo inſto. Illa exigētia perfectionis abſolutæ, de linea relativa eſt: ergo eſt perfectio relativa. Prob. Conſeq. nihil poteſt exigere perfectionem, niſi ſaltim per ipſam exigentiā perfectionis, perficiatur: ergo ſi præfata exigentia eſt de linea relativa, erit aliquo modo perfectio relativa. Prob. Antec. nihil poteſt exigere bonitatem, niſi per ipſam exigentiam bonitatis ſit in ſe bonum: vnde D. Thom. ſupra q. 5. art. 3. ad 3. in ſecunda ſolutione dicit: *Licet ſecundum platonicos dici poſsit, quod materia prima eſt non ens propter privationem adiunctam; ſed tamen participat aliquid de bono, ſcilicet ipſum ordinem, vel aptitudinem ad bonum*: ſentit ergo, quod ipſa exigentia bonitatis, bonam facit in ſe materiam primam: igitur pariter ipſa exigentia perfectionis perfectam faciet relationem, perfectione de linea relativa.

Ad primam dico, exigentiam perfectionis abſolutæ non facere perfectas relationes perfectione relativa, veluti complete, & conſumate; ſed ponere illas in via ad perfectionem abſolutam; eſt enim veluti Incoactio perfectionis, cuius capaces ſunt, ſcilicet abſolutæ: vnde non licet inferre, quod relationes divinæ ſint entia imperfectiſsima. Ad 2. nego Conſeq. nam relatio exigit perfectionē abſolutam; quia nequit habere relativam: vnde potius præfata exigentia poteſt dici incoactio perfectionis abſolutæ, quam perfectio relativa; quia forma naturaliter exacta aliquo modo eſt in exigente, ſicut centrum aliquo modo eſt in lapide, dum lapis naturaliter petit centrum; iuxta quam doctrinam intelligitur D. Thom. etenim materia prima non eſt bona formaliter, & complete, ſed tantum eſt incoactive bona; eſt enim in ea bonitas, ſicut terminus naturalis inclinationis eſt in ipſa naturali inclinatione.

176 Quarto arguitur. Relationibus divinis, nihil deeſt ex his, quæ ad integritatem relativam deſiderari debet: igitur erunt perfectæ perfectione relativa. Prob. Conſeq. ex D. Thom. ſupra vbi definiens perfectum ſecundum propriam rationem perfectionis dicit: *Hoc enim dicitur aliquid perfectum ſecundum, quod eſt in actu*, cuius aſsignat rationem, *nam perfectum dicitur cui nihil deeſt ſecundum modum ſuæ perfectionis*: ergo ſi relationibus divinis nihil deeſt ſecundum modum ſuæ perfectionis erunt proprie perfectæ, perfectione relativa. Confirm. Illud eſt Dei perfectio, quod illi eſt debitum, & conſonum; ſed relationes divinæ Deo ſunt debitæ, & conſonæ: ergo erunt perfectiones Dei. Confirm. 2. Illud eſt Dei perfectio, quo ablato à Deo, Deus non remaneret complete perfectus; ſed ſi ponamus Deum carere relationibus, neceſſario ponetur Deum non eſſe complete perfectum: igitur fatendum eſt divinas relationes eſſe Dei perfectiones. Confirm. 3. Id, quo ablato tollitur perfectio Patris, vere eſt Patris perfectio; ſed ablata Paternitate, aufertur perfectio Patris: ergo Paternitas vere, & proprie eſt Patris perfectio.

Ad hoc argum. neg. Conſeq. Ad prob. nego ſuppoſitum conſequentis; quia dum relatio ponitur à nobis non eſſe perfectionem, falſum ſupponitur habere modū perfectionis, iſtum enim non habent, niſi ea, quæ perfecta ſunt. Vbi pondero ſubtilitatem D. Thom. non enim dixit perfectum eſſe id cui nihil deeſt, ſed dixit, *cui nihil deeſt ſecundum modum ſuæ perfectionis*: vt denotet, non omne id, cui nihil deeſt ex his, quæ ei debentur, eſſe perfectum, proprie loquēdo de perfectione; ſed ſolum id, quod coaleſcit ex perfectionibus, vel, quod eſt in materia perfecta, hoc eſt bona: cum ergo relationes de propria linea, non habeant bonitatem, quamvis nihil eis deſit, non ſequitur, quod ſint perfectæ, proprie loquendo de perfectione. Ad primam Confirm. nego Mai. proprietates enim peccati commiſsionis ſunt debitæ, & conſonæ peccato, nec tamen proprie loquendo perfectiones peccati ſunt.

Sed

Digitized by Google

Sed contrà eſt carentia debiti, & conſoni eſt malum habenti talem carentiam: ergo habere debitum, & conſonum erit bonum habentis: ergo omne debitum, & conſonum eſt bonum habenti, & ſic erit perfectio habentis. Ad hoc conc. 1. Conſ. nego ſecundam aliud enim eſt, quod poſſeſſio debiti & conſoni ſit bona, & aliud eſt, quod omne debitum, & conſonum ſit bonum. Etenim carentia boni, & conſoni poteſt ex duplici capite habere malitiam; primo, quia illud debitum, & conſonum ſit quoddam bonum, ſecũdo; quia eſto non ſit bonum; tamen carere illo debito, & conſono arguit carentiam alterius boni: primo modo eſt bona Conſequẽtia, carentia debiti, & cõſoni eſt mala: ergo ipſum debitũ & conſonum eſt bonum; ſecundo modo non eſt bona conſequentia; quia carentia non eſt mala; quia poſitivum eius ſit bonum, ſed, quia poſitio talis carentiæ arguit defectum alicuius bonitatis. Sic contingit in præſenti, etenim ſi deficerent Deo relationes, carentia eſſet mala, non quia illæ eſſent bonæ, ſed; quia deficeret Deo bonitas, & perfectio fœcunditatis ad intra, nam non exiſtentibus perſonis, divina natura non eſſet fœcunda: vnde hæc Conſ. non valet, carentia relationum eſt Deo mala: ergo ipſæ relationes ſunt bonæ: vnde nunquam infertur, quod ſint perfectæ.

Ad ſecundam Confir. diſt. Mai. illud eſt Dei perfectio, quo ablato Deus non remaneret complete perfectus, ſi hoc eveniret ex ſola ablatione illius, tranſ. Mai. ſi hoc eveniret ex ablatione alterius connexi per ſe cum illo, nego Mai. & diſt. Min. ſed ſi ponatur Deum carere relationibus, neceſſario ponetur Deum non eſſe complete perfectum; ex vi ablationis relationum tantum, nego Mi. ex vi ablationis alicuius perfectionis ſeu bonitatis connexæ cum relationibus, conc. Mi. & nego Conſ. itaque ſi auferantur relationes Deus non manet complete perfectus, non quia deſunt illi relationes, ſed, quia hoc ipſo, quod iſtæ deſint, Deus caret fœcunditate ad intra & ſit ſterilis, ac per Conſ. amittit bonitatem illi convenientem neceſſario: vnde non ſequitur, quod relationes ſint perfectiones relativæ, ſed ſequitur, quod ſint per ſe connexæ cum divinis perfectionibus.

Ad tertiam nego ſuppoſitum maioris, quod Pater ex vi ſignificati formalis, quale eſt paternitas ſit perfectio. Quod ſi in argumento fiat loquutio de perfectione, quam habet Pater, ſi non ſignificative, ſaltim importative, tunc diſt. Mai. ſi illo ablato immediate auferatur perfectio Patris, tranſ. Mai. ſi illo ablato, ſolum ex conſequenti perfectio, quam Pater importat, auferatur, nego Mai. & diſt. Mi. ſed ablata paternitate aufertur perfectio Patris, aufertur per immediatam Sequelam nego Mi. aufertur ex conſequenti conc. Mi. & nego Conſ. itaque Pater divinus vnum ſignificat & alterum importat, ſignificat relationem Patris, quæ non eſt perfectio; importat naturam divinam, & cætera abſoluta, quæ ſunt perfectiones; ablata ergo Paternitate aufertur Pater, quoad ſignificatum immediate, quoad importatum mediate, & ſic ablata paternitate fit ablatio ex conſequenti perfectionis Patris: vnde non ſequitur, quod paternitas ſit perfectio, ſed, quod ſit connexa per ſe cum divina perfectione.

177 Qinto Arguitur: myſterium Santiſsimæ Trinitatis dicit ſummam, & infinitam perfectionem, ſed formaliſsime includit tres divinas relationes: igitur iſtæ dicunt formaliter perfectionem. Conſ. videtur bona, nam ſi conſtitutum formaliter dicit perfectionem, conſtituentia debent dicere perfectionẽ: conſtituentia Trinitatis formaliter ſunt tres relationes: ergo ſi Trinitas dicit perfectionem relationes dicent perfectionem. Min. eſt certa, & Mai. conſonat dictis Sanctorum, ait enim Cirillus lib. 2. Theſauri cap. 1. *Quod non poteſt eſſe perfecta divinitas, niſi filium habeat, & fructum ex ſe proferat.* Et D. Thom. quæſt. 9. de pot. art. 5. ad 23. ait: *Ad perfectionem divinitatis pertinet, vt ſint plures modi exiſtẽdi in divinis, vt ſcilicet ſit ibi, à quo alius, & ipſe annullo, & aliquis, qui eſt ab alio, non enim eſſet ommimoda perfectio in divinis, niſi eſſet ibi proceſsio Verbi, & amoris* Et in opuſc. 1. cõtra errores Græcorum ait: *Patrem ſine Filio non eſſe perfectum, nec Patrem, & Filium ſine Spiritu Sancto.* Refertque Athanaſium dicentem: *Patrem ſine Verbo fore mutum, & vtrumque ſine Spiritu Sancto non eſſe vivum.* Et q. 9. de pot. art. 5. ad 24. ait: *Quod non poteſt Patri eſſe plenum gaudium de ſeipſo, niſi in Filio. ſicut nec homo de ſeipſo gaudet, niſi per conceptionem, quam de ſeipſo habet.*

Ad hoc argum. dico, quod nulli poteſt eſſe dubium, quod myſterium Santiſsimæ Trinitatis perfectiſsimum ſit, ſiquidem perfectio Dei abſoluta tranſcendit formaliter omnem divinam relationem; Vtrum autem

tem

Digitized by Google

tem relationes, quibus fit Trinitas, ſint perfectæ perfectione relativa, hoc eſt quod dubitamus; & cui dicimus, quod non. Vnde in forma, nego Conſeq. loquendo de relativa perfectione. Ad prob. diſt. Mai. ſi conſtitutum dicit perfectionem, conſtituẽtia debent dicere perfectionẽ de linea perfectionis conſtituti, conc. Mai. de alia linea, nego Mai. & conc. Min. diſt Conſeq. relationes debent dicere perfectionem relativam, nego Conſeq. abſolutam, conc. Conſeq.

Neque Sanctorum dicta aliquid aliud probant: etenim certiſsimum eſſe debet, quod ſi Deus non eſſet in tribus, Deus fœcundus ad intra non eſſet: ſpectat autem ad perfectionem Deitatis, quod ad intra fœcunda ſit; & ſic ſi tres perſonæ non eſſent, Deus perfectus non eſſet, non, quia ipſæ relationes ſint perfectæ perfectione relativa, ſed, quia Deus non haberet omnem perfectionem abſolutam, quam natus eſt habere: vnde his nullo modo probatur, quod relationes divinæ dicant relativã perfectionem.

Sed contra iſta inſtas. Fœcunditas Deitatis eſt per nos perfectio divina; at fœcũditas non eſt abſoluta, ſed relativa: igitur datur in Deo perfectio relativa. Prob. Min. illud prædicatum eſt relativum, quod non eſt commune tribus, ſed fœcunditas non eſt communis tribus: igitur non eſt prædicatum abſolutum. Min. prob. nam tantum convenit naturę in Patre reſpectu Filij, & in Patre, & Filio reſpectu Spiritus Sancti: ergo non eſt commune tribus.

Reſp. diſt. duplicem fœcunditatem, aliã ad eſſendẽ in tribus, & iſta ſubiective eſt abſoluta, quamvis terminative ſit relativa; alia fœcunditas eſt ad producendum Filiũ, & Spiritũ Sanctum, & hæc eſt mixta, nam in recto dicit naturam abſolutam infinitã; & de connotato dicit, ad producendum Filium, Paternitatem, ad producendum Spiritum Sanctum, Patrem, & Filium: prima fœcunditas convenit naturæ in omnibus perſonis, nam de Spiritu Sancto vere dicimus, quod accipit naturam communẽ tribus, vel exigentem eſſe in tribus. Secunda fœcunditas eſt partim abſoluta, & partim relativa, nam dicit naturam, quæ eſt principium quo productionis, & communicationis; & dicit principium quod, quod eſt relatio: vnde tam prima, quam ſecunda habent aliquid, ratione cuius perfectionem habere poſsint. Prima adæquate ſubiective eſt abſoluta; quia ex ſua perfectione infinita abſoluta, exigit natura eſſe in tribus. Secunda ſumpta pro principio quo, eſt abſoluta, & ſic poteſt habere perfectionem: ſi ergo non darentur relationes, tolleretur de medio vtraque fœcunditas, & ſic tolleretur de medio perfectio abſoluta. Vnde in forma ad inſtantiam diſt. Min. non eſt abſoluta, ſed relativa, fœcunditas ad eſſendum in tribus, nego Min. fœcunditas ad producendum Filium, & Spiritum Sanctum, ſub diſt. Min. non eſt abſoluta adæquate ſumpta, conc. Min. inadæquate ſumpta, nego Min. & nego Conſeq.

178 Arguitur ſexto: D. Thom. hic q. 29. art. 3. probat reperiri in Deo rationem perſonæ; quia perſona eſt ſumma perfectio: Hæc autem probatio nihil valeret, ſi perſonalitas in divinis non diceret perfectionem relativam: ergo. Prob. Min. etenim perſona ſignificat relationem iuxta D. Thom. igitur ſi relatio ex proprijs, in Deo non diceret perfectionem, non convinceretur perſonam in Deo reperiri; quia perſona eſt ſumma perfectio: facillimo enim negotio, quis diceret perſonam vbi abſolutum ſignificat, eſſe perfectionem; nõ vero in Do, in quo ſolum ſignificat relationem.

Confirm. perfectio formalis conſiſtit in convenientia ad illud, cuius perfectio eſt; at divina perſonalitas, prout virtualiter ab eſſentia diſtincta, vere eſt cõveniens perſonæ, quam conſtituit, nam omne conſtitutivum conveniens eſt conſtituto: igitur perſonalitas dicit perfectionem relativam. Confirm. 2. Etenim divina relatio addit ad eſſentiam entitatem virtualiter diſtinctam: igitur addit bonitatem: ergo, & perfectionem. Prob. 1. Conſeq. nam omnem entitatem exiſtentem conſequitur bonitas: ergo ſi relatio addit ad eſſentiam entitatem exiſtentem, addet bonitatem. Confirm. 3. Perſonalitas Verbi divini, vt diſtincta ab eſſentia virtualiter, in ſententia probabili ſanctificat humanitatem Chriſti ergo prout ſic erit perfectio. Prob. Conſeq. Nam Sanctitas cõſtituit humanitatem obiectum congruum divinæ dilectionis; cõgruum autem obiectum divinæ dilectionis, non habetur niſi per bonitatem, & perfectionem: ergo ſi perſonalitas ratione relationis ſanctificat, ratione relationis tribuit perfectionem. Confirm. 4. Si in Deo vnica ſola perſonalitas haberetur, illa diceret perfectionem ab eſſentia diſtinctam:

er-

Digitized by Google

ergo ſi inveniantur tres realiter inter ſe diſtinctæ, dicent tres perfectiones. Confir. 5. in creatis perſonalitas dicit perfectionem realiter modaliter ab eſſentia diſtinctam: ergo à fortiori in Deo dicet perfectionem, virtualiter à perfectione eſſentię diſtinctã.

Ad hoc argumentum reſp. adducendo Verba D. Thom. vt probet enim perſonam dari in Deo ſic arguit; *perſonalitas ſignificat id, quod eſt perfectiſsimum in tota natura*, ſcilicet *ſubſiſtens in natura rationali*; *ſed omnis perfectio debet* Deo *attribui: igitur conveniens eſt Deo attribui perſonam*. In maiori huius ſylogiſmi non dicit D. Thom. perſonam ſignificare perfectiſsimum; ſic enim fieret ſenſus formalis, & daretur intelligi ſignificare perfectionem; ſed dicit ſignificare id, quod eſt perfectiſsimum: id autem, quod perfectiſsimum eſt, poteſt eſſe tale, vel ratione illius, quod explicat, vel ratione illius, quod includit; cumque perſonalitas divina; quãvis non explicet perfectionem, illam tamen implicet ratione naturæ; & ratione naturæ ſalvatur, quod ſit perfectiſſimum, & non convincitur ex doctrina D. Thom. habere perfectionem relativam.

Ad 1. Confir. nego Mai. non enim conveniens, ex terminis perfectio eſt; prędicata enim cæcitatis vere conveniunt cæcitati, nec tamen perfectiones ſunt, proprie loquendo de perfectionibus. Creaturæ poſſibilitas Deo conveniens eſt, nec tamen bona eſt, neque perfectio eſt. Non ergo ex hoc ſolum, quod aliquid alicui convenit, ex hoc perfectio illius eſt; ſed vlterius requiritur, quod vltra convenientiam, res ipſa aliàs habeat titulum, ratione cuius bonum, & perfectio ſit; cum ergo perſonalitas ſolum habeat convenire perſonæ, & perſona non ſignificet perfectionem; fit inde, quod non concludatur perſonalitatem eſſe relativam perfectionem. Ad 2. Confir. diſt. Ant. addit entitatem, prout entitas eſt id, quod explicat definitio, conc. Ant. addit entitatem exiſtentiæ, nego Ant. & Conſ. ad prob. diſt. Ant. omnem entitatem exiſtenſem conſequitur bonitas, de ordine in quo eſt exiſtentia, conc. Ant. de alio ordine, nego Ant. & Conſ. itaque ſi conſideretur relatio, ex proprijs tantum dicit eſſe, prout correſpondet diffinitum diffinitioni, in quo eſſe nulla habetur perfectio, ſeu bonitas; ſi autem conſideretur vt exiſtens, cum exiſtat per exiſtentiam abſolutam; non addit entitatem virtualiter ab eſſentia diſtinctam, & ſic licet, prout ſic dicat perfectionem, non addit perfectionem, ſed dicit ipſammet abſolutam perfectionem, ſicut & dicit ipſammet abſolutam exiſtentiam.

Ad 3. admitit Gonet ſententiam, quæ affirmat humanitatem Chriſti formaliter ſanctificari à relatione Verbi, & dicit, quod relatio ſanctificat ratione naturæ, quam tranſcendentaliter includit, & ſic non concluditur perfectio relativa. Cæterum hæc ſolutio non videtur admittere ſententiam probabilem aliquorum Thomiſtarum aſſerentium formam ſanctificantem humanitatem non eſſe naturam, ſed relationem ex proprijs relationis; quia dicunt illud humanitatem ſanctificare, quod eſt primum, & radix humanitati omnium bonorum ſupernaturalium; cumque relatio Verbi, vt relatio, ſit primum quod vnitur humanitati; eſt illi prima radix omnium bonorum ſupernaturalium, & ſic humanitas formaliter ſanctificatur à relatione, & non à natura. Quod autem non admittat præfatam ſententiam hic author, ex eo convincitur; quia authores, qui tenẽt humanitatem ſanctificari à natura divina, non negant relationem ſanctificare ratione naturæ divinæ; imò hoc, & non aliud videntur ſignificare: igitur ſi Gonet hoc, & non aliud dicit, non videtur admittere ſententiam aſſerentem humanitatem ſanctificari formaliter à relatione Verbi, & non à natura divina.

Poſſumus autem in favorem huius authoris dicere, quod de natura divina poſſumus loqui dupliciter: primo, ſecũdum quod per modum naturæ intelligitur perfectio Dei; ſecundo, in quantum formaliter tranſcendens relationem Verbi, intelligitur formaliter eſſe relationis Verbi perfectionem; ſi ſumatur primo modo, hoc erit dicere, quod dicit ſententia, quæ affirmat naturam divinam ſanctificare, & non relationem; ſi ſumatur ſecundo modo, erit dicere, quod dicit ſententia, quæ affirmat relationem eſſe formam ſanctificantem: dicit ergo Gonet hoc ſecundum, & non dicit primum, & ſic reſpondet confirmationi in ſententia, quæ affirmat relationem eſſe formam ſanctificantem humanitatem. Vnde in forma ad Confir. diſt. Cõſ. ergo, prout ſic erit perfectio; perfectio relationis conc. Conſ. perfectio relativa; nego Conſ. itaque relatio Verbi ratione ſuæ perfectionis habet humanitatem ſanctificare; illa autem perfectio, eſto relationis ſit, non tamen relativa eſt, & ſic non ſequitur dari relativam perfectionem.

Ad

Digitized by Google

Ad quartũ, nego Conſ. nam ſi vna tantum perſonalitas in Deo daretur, illa eſſet abſoluta, & ſic eſſet quid, & non ad aliquid, vnde perfectionem diceret; dum autem ponuntur tres diſtinctæ, oportet, quod perſonæ divinæ ſignificative formaliter relationes ſint, & quod non ſint, quid, ſed ad aliquid, & ſic eſt neceſſe, quod non ſint perfectiones. Ex his patet ad vltimũ. Perſonalitas in creatis, quid abſolutũ eſt ſignificative, & ſic perfectionem ſignificat; in divinis relatio eſt, & ſic non ſignificat perfectionem.

§. XVI.

Vtrùm præter tres relationes ſubſiſtentes detur quarta relatio in Deo.

179 VT nihil remaneat intactum circa hanc quæſtionem, placuit illam concludere præſenti quæſito. Circa, quod D.Th. hoc in art.4. affirmat dari in Deo quatuor relationes reales. Quod probat. Nam cum Deus ad extra non referatur relatione reali, numerus relationum realium in Deo, debet attendi ſecundum quod refertur ad intra; ad intra autem realiter refertur, vel quia producens, vel quia productum; producit autem per intellectum, & producit per voluntatem, & ſic dãtur duæ actiones ex parte producentis ad intra: his autem correſpondent duo realiter producta, & ſic datur productum per intellectum, & productum per voluntatem: vnde dantur duæ relationes reales ex parte producti; duæ, & duæ faciunt quatuor, & ſic dantur in Deo quatuor relationes reales.

In hac doctrina communiter conveniunt Scholaſtici omnes. Duo tamen illam difficilem reddunt. Primum, quod ſi in Deo admittuntur quatuor relationes reales, videtur neceſſario admittendum, quod in Deo ſint quatuor res, arguendo ſic. Res eſt quid eſſentialiter ſuperius ad relationem: ergo arguendo ab inferiori ad ſuperius affirmative erit bona Conſ. in Deo dantur quatuor relationes reales: ergo dantur in Deo quatuor res; Conſ. autem nequit ſuſtineri: ergo neque Ant. Secunda difficultas eſt in eo, quod vna relatio non fundatur ſuper aliam; ſed ſi paternitati adderetur relatio realis ſpirationis, vna relatio realis fundaretur ſuper aliam: ergo ſpiratio activa non eſt realis relatio diſtincta à Paternitate, ſic, quod poſsimus verificari, in Deo ſunt quatuor relationes reales. Mai. docet D.Thom. infra q.42. art.1. ad 4. cuius Verba placet adducere, ibi: *Nec iterum vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem, cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppoſitio non eſt relatione divina inter paternitatẽ, & filiationem; quia vtroque modo relatio multiplicaretur in infinitum: & ideo æqualitas, & ſimilitudo in divinis perſonis, non eſt aliqua realis relatio diſtincta à relationib⁹ perſonalibus, ſed in ſuo intellectu includit, & relationes diſtinguẽtes perſonas, & eſſentiæ vnitatem*, quibus D.Thom. docet vnam relationem nec fundari ſuper aliam, nec referri per aliam relationem à ſe diſtinctam.

Ad primam difficultatem omiſsis plurimis, quæ minus bene ſatisfaciunt propoſitæ difficultati, dico in illa conſequentia non argumentari ab inferiori ad ſuperius; nam in antecedenti ly *reales* ſumitur adiective, ita vt fiat ſenſus, ſunt quatuor relationes reales, id eſt, quatuor relationes habentes realitatem; vnde id, quod numeratur, eſt ſola relatio; non vero realitas eius: in conſequenti, cum dico *ſunt quatuor res* numerantur realitates, & ſic non argumentamur ab inferiori ad ſuperius affirmative; quia licet relatio realis ſit inferior ad rem; tamen realitas reperta in quatuor relationibus non eſt inferior ad quatuor realitates. Quod vt appareat ponamus caſſum, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus aſſumant vnam albedinem, tunc hæc Conſ. non eſt bona, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres perſonæ albæ: ergo ſunt tria alba: nã. Ant. eſt verũ; quia, cũ ly *albæ* accipiatur adiective, fit ſenſus, quod ſunt tres perſonæ habentes albedinem, & Conſ. eſt falſum; quia ly *alba* in conſequenti accipitur ſubſtantive: vel etiam, quia in antecedenti numerantur perſonæ; quia ly *tres* immediate cadit ſupra perſonas; in conſequenti immediate cadit ſupra alba, & ſic numerat albedines. Vnde Conſ. eſt falſum. Ita in præſenti.

Ad 2. difficultatem negamus Mi. non enim ſpiratoris relatio fundatur ſuper relationes Patris, & Filij; ſed ſicut relatio Patris fundatur ſupra generationem; ita relatio ſpiratoris fundatur ſuper actionem ſpirativam, quæ eſt actus divinæ voluntatis, prout in Patre, & in Filio. Et ſic omnia conſonant.

Sed contra ſolutionem arguo ex adducta

Digitized by Google

ducta authoritate D.Tho. in qua docemur, non tantum, quod vna relatio non fundatur ſuper aliam, ſed etiã, quod vna relatio non refertur per aliam, ſed ſi relatio ſpiratoris realis eſſet, relationes Patris, & Filij per aliam relationem referentur ad Spiritum Sanctũ: ergo non debet admitti, quod relatio ſpiratoris ſit realis. Ad hoc dico, quod vna relatio non refertur per aliam ad terminum, cum quo ſolo habet oppoſitionem: bene autem ad alium terminum, ad quem ex proprijs ſe habet diſparate; cum ergo Pater, & Filius ex terminis ſe habeãt diſparate cum Spiritu Sancto, bene poſſunt per aliam relationẽ referri ad illum. Et hoc patet, ex doctrina adducta D. Tho. in qua habetur, quod Pater ipſa relatione Paternitatis, qua vt Pater refertur ad Filium, refertur ad illum vt diſtinctum, vt ſimilem, & vt æqualem; quia Filius eſt terminus ſolus, cum quo Pater habet relatiuam oppoſitionem; cumque Pater, & Filius cum Spiritu Sancto nullam oppoſitionem habeant, indigent noua relatione, qua referantur ad Spiritum Sanctum.

QVÆSTIO VI.

De perſonis Diuinis.

POST Conſiderationem eorum, quæ inueniuntur in perſonis diuinis, nempe exiſtentia, ſubſiſtentia, & relatione, rectus procedendi ordo poſtulat, vt de perſonis diuinis in cõmuni agamus, quoad an eſt, & quod quid eſt earum.

§. I.

An ratio Perſonæ proprie reperiatur in diuinis?

180 PERSONAM Diffinivit Boetius per hoc, quod *ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia*, in qua diffinitione ly *ſubſtantia* ponitur loco generis, & intelligitur ſubſtantia completa, per quod excluduntur partes ſubſtantiales, quæ incompletæ ſunt, & accidentia, etiam ſi à ſubiecto ſeparata ſint; quia ſubſtantiæ non ſunt. Ly *individua* ponitur ad excluſionem naturarum vniverſalium, ſcilicet genera, & ſpecies, quæ perſonæ non ſunt; nec tamẽ ly *individua* ſolum denotat ſingularitatem ſubſtantiæ, ſed deſignat quendam modum incommunicabilitatis diſtinctum ab ipſa ſingularitate, vt cuius ſubſtantia dicitur prima, & ſignificat idem, quod apud Græcos hypoſtaſis. Vnde ad maiorem explicationem alij addunt *incommunicabilis*, circa quem terminum Div. Thom. in 3. ad Annibaldum diſt. 5. q. vnica artic. 2. triplicem communicabilitatem à perſona excludit. Scilicet, vniverſalis ad inferiora. Partis ad totum, & naturæ ſingularis ad ſuppoſitum, à quo ſuſtentatur, & terminatur: vnde neq; humanitas ſingularis aſſũpta à Verbo, perſona dicitur, nec hic Deus abſolute ſumptus; quia illa communicatur ſubſiſtentiæ Verbi, & hic Deus communicatur tribus ſuppoſitis. Ponitur vlterius rationalis naturæ, id eſt naturæ intellectualis, ad denotandũ, quod in ſolis ſuppoſitis intellectualis naturæ, ratio perſonæ invenitur.

Perſonæ ergo diffinitione ſuppoſita, iam ad quæſiti reſolutionem veniamus, circa quam quidam Grammaticus Laurentius Valla l.b.6. elegantiarum cap.34 negabat rationem perſonæ in Deo reperiri; quia exiſtimabat perſonam non ſignificare ſubſtantiam, ſed quandam animi vel corporis qualitatem, per quam vnus homo ab alio differt. Contra hunc tamẽ authorem exclamat Fides in Concilijs exarata. Nam in Toletano 11. in confeſſione Fidei, & in Lateranenſi cap. *firmiter* hæc veritas diffinitur, & in ſymbolo Athanaſij habetur: *Alia eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*, quam D.Thom. hac ratione probat perſona ſignificat id, quod perfectiſſimum eſt in tota natura, ſcilicet ſubſiſtens in natura intellectuali; ſed omne id, quod perfectionis eſt, Deo eſt attribuendum, cũ eius eſſentia contineat in ſe omnem perfectionem: ergo conveniens eſt, vt hoc nomen *perſona*, dicatur de Deo. Sic D.Thom.

Cæterum difficultatem maximam habet eius hæc ratio, nam illa propoſitio, *perſona ſignificat id, quod perfectiſſimum eſt in tota natura*, videtur falſa: nam perſona divina ſignificat perſonalitatem formaliter, & perſonalitas divina cum relatio ſit, perfectio non eſt, vt ſupra probavimus: ergo falſa eſt illa propoſitio D. Thom. Nec difficultatem evacuat ſolutio Caiet. dicentis perſonam ſignificare id, quod perfectiſſimum eſt, non, quia perſonalitas perfectio ſit, ſed quia natura rationalis, quæ connotatur à perſonalitate, perfectiſſima eſt; neque enim omne ſubſiſtens in natura ſubſta-

tiali

Digitized by Google

tiali perſona dicitur, ſed tantum ſubſiſtens in natura rationali. Non inquam hæc doctrina difficultatem evacuat. Nam aliud eſt id, quod connotatur per nomen *perſona*, & aliud id, quod ſignificatur: rationalis natura tantum connotatur, ſed perſonalitas ſola ſignificatur; cum ergo D. Tho. dicat, quod perſona ſignificat id, quod perfectiſsimum eſt, videtur expreſse loqui de perſonalitate, quæ tantum ſignificatur, non de natura rationali, quæ ſolum connotatur. Explicatur hoc: ſiquis diceret relativũ ſignificare perfectionem, falſum diceret, quia relatio ſignificata per relativum perfectio non eſt; quamvis connotatum, nempe id, pro quo relativum ſupponit, perfectio ſit: ergo eſto id, quod connotatur per perſonalitatem ſit perfectio; cum tamen id, quod ſignificatur per nomen *divina perſona*, perfectio non ſit, falſum erit dicere, quod perſona ſignificat id, quod perfectiſsimum eſt in tota natura.

Secundò inſto, nam ſi perſonalitas perfectio non eſt; ergo ex hoc, quod natura Dei debeat habere omnem perfectionem, non bene infertur, quod ratio perſonæ debeat Deo attribui: ergo diſcurſus D. Thom. intentum non probat. Patet prima Conſ. nã perſonalitas perfectio nõ eſt: ergo & ſi Deus perſona non ſit, omnem tamen præhabebit perfectionem, ſiquidem tunc defectus perſonalitatis non ponet in natura divina carentiam alicuius perfectionis.

181 Pro ſolutione huius adverto D. Thom. non dixiſſe *perſonam ſignificare id, quod perfectiſsimum eſt*; ſed addidiſſe *in tota natura*, quaſi vellit dicere, quod non quodlibet ſubſiſtens in natura ſubſtantiali; perſona ſit; ſed illud tantum, quod ſubſiſtit in perfectiſsima natura, qualis eſt natura intellectualis: ex hoc ad difficultatem propoſitam reſp. diſt. Min. ſed perſonalitas divina, cum relatio ſit, perfectio non eſt, nec eſt ſubſiſtentia perfectiſsimæ naturæ, nego Min. perfectio non eſt, eſt tamen ſubſiſtentia perfectiſsimæ naturæ, conc. Mi. & nego Conſ. itaque perſona divina ſignificat perſonalitatem, id eſt ſubſiſtentiam perfectiſsimæ naturæ, nempe intellectualis; & ſic ſignificat id, quod perfectiſsimum eſt in tota natura: vnde veriſsima eſt Maior propoſitio D. Tho. ad quem ſenſum reduco ſolutionem traditam a Caietano. Et ad inſtantiam contra eam factam conceſsis præmiſsis, nego ſuppoſitum conſequentis, videlicet, quod D. Thom. dicat, quod perſona ſignificat id, quod perfectiſsimum eſt abſolute, ſed dixit cum hoc addito *in tota natura*, vt denotaret perfectionem convenire perſonalitati ex connotato, ſeu ex obliquo ſignificato, & vere ſic eſt, nam, quamvis divina relatio perfectio non ſit relativa; dum tamen eſt ſubſiſtentia perfectiſsimæ naturæ intellectualis, propriſsime verificatur, quod perſona divina ſignificat id, quod perfectiſsimum eſt in tota natura.

Ad explicationem, nego Conſeq. hoc enim nomen *relativum* tantum ſignificat relationem per modum relationis; vnde cum relatio, vt relatio, perfectio non ſit, falſum diceret, qui affirmaret relativũ pro formali ſignificare perfectionem; at perſona ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem in perfectiſsima natura, nempe intellectuali; & ſic, qui diceret ſignificare id, quod perfectiſsimum eſt in tota natura, verum dicit; quia tantum vult ſignificare perſonã eſſe ſubſiſtentiam naturæ perfectiſsimæ, qualis eſt intellectualis. Ad 2. inſtantiam, nego Antec. Ad prob. nego Conſeq. nam eſto perſonalitas in ſe & ex ſe perfectio non ſit; eſt tamen ſubſiſtentia perfectiſsimæ naturæ: vnde ſi hæc ſibi non dicat ex quo perfectiſsima eſt, quod eius ſubſiſtentia perſona ſit; ſi Deus perſona non eſſet, argueretur, quod ſubſiſtens in natura intellectuali non eſſet; & ſic perfectiſsimus Deus non eſſet, ſi perſona non diceretur de illo. Aliã explicationem ſupra dedimus illi propoſitioni D. Thom. legatur ibi.

Contra concluſionem arguitur. Primo, hoc nomen perſona non invenitur in Sacra Scriptura, neque in novo, neque in veteri Teſtamento: igitur nomine perſonæ in divininis vtendum non eſt. Ad hoc reſpondet D. Thom. in ſolutione ad primum, quod licet hoc nomen perſona non inveniatur in Scriptura Sacra, tamen id, quod nomen ſignificat, multipliciter invenitur aſſertum de Deo, nam invenitur ſcriptũ de eo, quod eſt maxime ens, & perfectiſsime intelligens. Sic D. Thom. & non aliud.

Contra quod ſic inſurgo, eſſe maxime ens, & perfectiſsime intelligens, ſolum indicat Deum eſſe per ſe ſubſiſtentem; non verò eſſe perſonam: ergo non eſt verum, quod ſignificatum per nomen perſona dicatur de Deo. Prob. Antec. de Deo, vt prævenit omne perſonalitatẽ, verificatur, quod ſit maxime ens, & quod ſit perfectiſsime intelligens, & perfectiſsime volens, & tamẽ illa

illa ſolùm denotant, quod ſit per ſe ſubſiſtens, non vero, quod ſit perſona: ergo ex hoc, quod dicatur de Deo in Sacra Scriptura, quod ſit maximè ens, & maximè intelligens, & maximè volens, nõ probatur, quod ſignificatum de ly *perſona* dictum de Deo inveniatur in Sacra Scriptura. Ad hoc dico Deum abſolutum, prout prævenit perſonalitates, non habere eſſe maximè per ſe ens; quia licet intelligatur habere perſeitatem independentiæ ab alio in ſubſtentari; non tamen intelligitur habere perſeitatem incommunicabilitatis; quia intelligitur adhuc communicabilis tribus ſuppoſitis; cum ergo Deus prædicatur in ſcriptura maximè per ſe ens, prædicatur cum omni eſſendi perſeitate, & ſic prædicatur, vt perſona, & ſic concluditur, quod ſignificatum huius nominis *perſona* inveniatur in Sacra Scriptura.

§. II.

Vtrùm hoc nomen Perſona ſignificet relationem?

182 HOC Quæſitum proponit D. Thom. hic art. 2. & reſpondet. Hoc nomen *perſona* dictum de Deo ſignificare relationẽ, vt ſubſiſtentem, quod eſt ſignificare relationem per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis ſubſiſtens in natura divina. Quod probat ex eo, quod perſona in quacumque natura ſignificat id, quod eſt diſtinctum in tali natura: ſicut in humana natura ſignificat has carnes, hæc oſſa, & hanc animam, quæ ſunt principia individuantia hominem; ſed in divinis diſtinctio non habetur, niſi per relationes originis, quæ non ſunt in Deo ſicut accidens in ſubiecto, ſed ſicut ſubſtantia ſubſiſtens, ſicut divina eſſentia ſubſiſtens eſt: igitur perſona, vt de Deo dicitur, ſignificat ipſam relationem originis, vt ſubſiſtentem. Sic D. Thom.

Circa, quam litteram difficultas occurrit, vtrum cum D. Thom. dicit perſonam divinam ſignificare relationem, vt ſubſiſtentem, loquatur de ſignificato, quod formaliter, & expreſſe directè ſignificatur per hoc nomen perſona, vel vtrum loquatur de ſignificato materiali, hoc eſt de eo, in quo invenitur ſignificatum formale neceſſario, & quidem hic videtur loqui de ſignificato formali, dum non diſtinguit duplex ſignificatum aliud formale, & aliud materiale, ſed inquirens de ſignificato huius nominis *perſona divina*, reſpondet, quod ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem. Cæterum in quæſt. 9. de potentia, articul. 4. vbi hoc ipſum inquirit, dicit ſignificatum materiale huius nominis *perſona divina* eſſe relationem, do verba Doctoris Sancti. *Patet ergo, quod perſona communiter ſumpta ſignificat ſubſtantiam individuam rationalis naturæ: perſona vero divina formali ſignificatione ſignificat diſtinctum ſubſiſtens in natura divina, & quia hoc non poteſt eſſe, niſi relatio, vel relativum, ideo materiali ſignificatione ſignificat relationem, vel relativum. Et propter hoc poteſt dici, quod ſignificat relationem per modum ſubſtantiæ, non, quæ eſt eſſentia, ſed quæ eſt hypoſtaſis.*

Dominus Caietanus in hoc articulo, vult, quod loquitur D. Thom. de ſignificato formali, & non de materiali. Aſſeritque D. Thom: tem altius perſcrutatũ hic, mutaſſe ſententiam, quam docuerat in diſp. de pot. adducta, alij vero Thomiſtæ, de quorũ numero ſunt Capreolus in 1. diſt. 25. q. 1. art. 1. Silveſter in conflatu tom. 1. q. 25. art. 5. quos ſequitur Vazquez hic, diſp. 127. c. 2. n. 5. docent hoc nomen *perſona divina* ſignificare formaliter ſubſtantiam divinam ſumptam pro hypoſtaſi, aut pro ſubſiſtente per ſe incommunicabiliter.

183 Huic quæſito tribus dictis ſatisfacio. Primo dico, quod illa duo ſubſiſtens incommunicabiliter in natura divina, relatio, vt ſubſiſtens in natura divina, non comparantur inter ſe, ſicut duo ſignificata, quorum alterum ſit formale, & alterum materiale, ſed, vt ipſiſſimum ſignificatum. Hoc mihi ſuadeo hoc diſcurſu. Relatio, vt ſubſiſtens in natura divina, non eſt id, in quo tanquam in aliquo materiali ratio hypoſtaſis divinæ reperiatur, ſed eſt formaliſſime ipſum ſuppoſitum divinæ naturæ, vt quod diſtinctum, & incommunicabile alteri ſuppoſito divino: ergo ad ſubſiſtens incommunicabiliter in natura divina, non comparatur, tanquam materiale ad formale. Patet Conſeq. nam ad ſalvandum diſcrimen penes materiale, & formale ſignificatum oportet, quod adſit aliqua diſtinctio inter vnum, & aliud; ita quod aliquo modo non ſint idem: ergo ſi relatio, vt ſubſiſtens in natura di-

Digitized by Google

divina nullo modo diſtinguitur à ſubſiſtē-te incommunicabiliter in natura divina, nam comparabitur ad illud, vt ſignificatū materiale ad formale.

Antec. autem ſic prob. aſsignando diſcrimen, quod verſatur inter relationem divinam ex ſolis terminis relationis divinæ, & relationem divinam ſignificatam, vt ſubſiſtentem in natura divina, quod in eo ſtat, quod relatio divina claudit in ſe duos conceptus, veluti inadæquatos, alterum formæ ſubſiſtentis, alterum relationis, vt relatio. Primus conceptus eſt ratiô hypoſtaſis divinæ; non vero ſecundus. Primus eſt conceptus relationis, vt quod diſtinctæ ab oppoſito relatione. Secundus eſt conceptus relationis, vt quo, ideſt, vt id, quo vna perſona diſtinguitur ab alia: ergo relatio, vt ſubſiſtens, eſt hoc ipſum, quod divina hypoſtaſis; non ergo comparatur ad divinam hypoſtaſim, tanquam materiale, in quo invenitur formale hypoſtaſis, ad hoc enim, vt dixi, requirebatur eſſe aliquod diſcrimen inter vtramque formalitatem.

168 Dico ſecundo. Relatio divina, vt his ſolis terminis ſignificatur, eſt veluti ſignificatum materiale, in quo invenitur ſignificatum formale huius nominis *perſona*. Hoc dictum voluit exprimere meo videri D. Thom. in adducta diſp. de pot. quod vt pateat, pondero verba D. Thom. quæ talia ſunt. *Patet ergo, quod perſona communiter ſumpta ſignificat ſubſtantiam individuam rationalis naturæ; perſona vero divina formali ſignificatione ſignificat diſtinctum ſubſiſtens in natura divina, & quia hoc non poteſt eſſe, niſi relatio, vel relativum; ideo materiali ſignificatione, ſignificat relationem, vel relativum.* Vbi pondero, quod quando deſignat ſignificatum materiale huius nominis *perſona*, non dicit ſignificatum materiale eſſe relationem, vt ſubſiſtentem, ſed tantum dicit eſſe relationem: ergo ſentit relationem divinam ex terminis eſſe ſignificatum materiale huius nominis *perſona divina*. Quod ratione ſic probo. Nam inter relationem divinam, & divinam hypoſtaſim vere intervenit diſtinctio, quæ ſufficit ad diſtinctionem ſignificati formalis à materiali: ergo relatio divina ex ſolis terminis relationis divinæ, poteſt eſſe ſignificatum materiale huius nominis *perſona divina*. Prob. Antec. nam relatio divina cum poſsit ſignificari, vt relatio, & vt forma hypoſtatica, vere eſt materia, per quam, vel in qua invenitur ſubſiſtens in natura divina, quod eſt ſignificatum formale huius nominis *perſona*, & cum alias diſtinctionem ſaltim inadæquatam habeat ab hypoſtaſi divina, poterit eſſe ſignificatum materiale huius nominis *perſona divina*.

Dico tertio. Significatum formale huius nominis *perſona* eſt relatio divina, vt ſubſiſtens. Patet hoc ex dictis, nam ſignificatum formale huius nominis *perſona*, eſt hypoſtaſis, vel ſubſiſtens incommunicabiliter in natura divina, ſed hoc formaliſsime eſt relatio, vt ſubſiſtens: ergo relatio vt ſubſiſtens eſt ſignificatum formale huius nominis *perſona divina*. Secundo probo ex art. præſenti, vbi volens D. Thom. declarare ſignificatum formale huius nominis *perſona divina* non aſsignat aliud, niſi relationem, vt ſubſiſtentem: ergo. Probo ſimiliter ex diſputata adducta, nam poſtquam dixit D. Thom. ſignificatum formale eſſe ſubſiſtens diſtinctū in natura divina, & ſignificatum materiale eſſe relationem divinam, dicit, *& propter hoc poteſt dici, quod ſignificat relationem per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis.* Quibus verbis loquitur de ſignificato formali huius nominis *perſona divina*: ergo.

Ex his tribus dictis infero contra Caiet. D. Thom. non mutaſſe ſententiam in hoc art. quam docuerat in diſputata. Quod probo evertendo rationem Caietani, quæ talis eſt. In hoc articulo aſsignat D. Thom. pro ſignificato formali perſonæ divinæ relationem, in diſputata dicit relationem eſſe ſignificatum materiale: ergo hic mutavit ſententiam, quam docuerat in diſputata. Ad hoc diſt. Mai. hic docet ſignificatum formale eſſe relationem, ex ſolis terminis relationis, nego Mai. relationem vt ſubſiſtentem incommunicabiliter in natura divina, conc. Mai. & diſt. Min. in diſputata dixit relationem eſſe ſignificatum materiale, relationem ex ſolis terminis relationis divinæ, conc. Min. relationem vt ſubſiſtentem incommunicabiliter in natura divina, nego Min. & Conſeq. Itaque hic non dicit relationem eſſe ſignificatum formale perſonæ divinæ, ſed dixit relationem, vt ſubſiſtentem; & in diſputata non dixit relationem, vt ſubſiſtentem eſſe ſignificatum materiale, ſed ſolum dixit relationem divinam ex ſolis terminis relationis divinæ

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſignificatum materiale: iſta autem non habent materiæ oppoſitionem. Et ſic non eſt dicendum D. Thom. mutaſſe hic ſententiam, quam docuerat in diſputata.

Sed objicies contra 3. Concluſionem ad probandum, quod perſona divina ſignificat Deum in recto, & non tantum relationem, vt ſubſiſtentem in natura divina. Id ſignificat in recto, quod de perſona divina formaliter, & directe prædicatur; ſed Deus formaliter, & directe prædicatur de perſona divina: ergo hæc Deum ſignificat in recto: patet Mai. nam ideo homo non tantum ſignificat rationale, ſed etiam animal; quia vtrumque directe, & formaliter prædicatur de homine: ergo ſi Deus formaliter, & directe prædicatur de perſona divina, hæc habebit pro formali ſignificato Deum. Min. etiam patet, nam hæc eſt formalis, & directa, *perſona divina eſt Deus*: igitur Deus prædicatur formaliter, & directe de perſona divina.

Ad hoc diſt. Mai. quod prædicatur formaliter, & directe conſtitutive, concedo Mai. ſolum tranſcendentaliter, nego Mai. & diſt. Min. ſed Deus formaliter, & directe prædicatur de perſona divina, tanquam conſtituens de conſtituto, nego min. tanquam tranſcendens de eo, quod tranſcendit, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque prædicatio ſit directa, & formalis, vel quia conſtituens eſſentiale prædicatur de conſtituto, vel quia prædicatum tranſcendens prædicatur de eo, quod tranſcendit: modo Deus in recto, eſto non conſtituat perſonam divinã; tamen tranſcendit ipſam, & ſic directe, & formaliter in recto de perſona divina prædicatur; cũ ergo perſona divina ſolum formaliter ſignificet id, quod illam conſtituit, & ad conſtitutionem eius ſolum ingrediatur natura divina in obliquo, & non in recto; quia diffinitionem perſonæ divinæ ſolum ingreditur in obliquo; fit inde, quod licet Deus in recto formaliter, & directe prædicetur de perſona divina, non tamen formale ſignificatum eius ſit.

Aliter reſpondet Gonet, dicendo, quod Deus, & perſona divina ſunt idem in ſupponendo; eſto non in ſignificando, nam Deus eſt habens Deitatem: ratio autem habentis Deitatem eſt id, pro quo ſupponit perſona divina: vnde illa prædicatio *perſona divina eſt Deus*, eſt formalis, & directa; non quia ly *Deus* ſit formale ſignificatum per perſonam divinam; ſed quia Deus, & perſona divina ſupponunt pro eodem. Vnde nunquam ſequitur, quod Deus ſit formale ſignificatum perſonæ divinæ. Videtur mihi, quod prima ſolutio ſit clarior, & verior; quia licet Deus, & perſona divina conveniant in ſupponendo; illa tamen convenientia eſt, quia ly *Deus* formaliter tranſcendit perſonam divinam, non tamen, quia habens Deitatem abſolutum, ſit idem conſtitutive cum habente Deitatem relativo, nam iſta duo differunt penes abſolutum, & relativum. Vnde perſona divina non diffinitur per hoc, quod ſit habens naturam divinam, ſed per hoc, quod ſit ſubſiſtens in natura divina.

QVÆSTIO VII.

De pluralitate divinarum perſonarum.

COGNITA Quidditate, & ſignificato perſonæ divinæ, reſtat agere de pluralitate eius, vt ſic, per diffinitionẽ, & diviſionẽ ad exactam notitiã divinarũ perſonarum poſsimus pervenire.

§. I.

Vtrùm ſit ponere plures perſonas in divinis.

184 QVÆSITO Reſp. D. Thom. affirmative, & probat. Hoc ſylogiſmo. Perſona divina, vt ſupra dictum eſt, ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem incommunicabiliter in natura divina, ſed ſupra viſum eſt in Deo ad eſſe plures relationes reales, quarũ tres ſunt ſubſiſtentes: igitur erunt plures perſonæ divinæ.

Contra hanc Concluſionem proponit D. Thom. hoc argumentum. Et ſupponit argumentũ, quod omnis pluralitas quidam numerus ſit: vnde procedit ſic. Vbicũque eſt numerus, ibi eſt totum, & pars: ſi igitur in Deo ſit numerus perſonarũ, erit in Deo ponere totum, & partẽ. Quod repugnat divinæ ſimplicitati. Ad quod argumentum reſpondet, quod numerus eſt duplex, ſcilicet ſimplex, ſeu abſolutus, vt duo, tria, & quatuor, & eſt numerus, qui eſt in rebus numeratis, vt duo homines, duo equi: ſi igitur in divinis accipiatur numerus abſolute, ſive abſtracte, nihil prohibet in Deo eſſe totum, &

de maioritatē, & minoritāte ſecundū quātitatem continuam, non vero loqui ſecundum quantitatem diſcretam. Nam Athanaſius loquitur expreſſe de ipſa diſcretione ex qua coaleſcit Trinitas, dicit enim *in Trinitate nihil maius, aut minus.* Trinitas autem pluralitatem perſonarum importat. Præterea, numerus perſonarum non eſt quid diſtinctum ab ipſis perſonis numeratis, & ſic, qui dicit, quod numerus perſonarum eſt maius, quam ſingulæ perſonæ, tenetur dicere Patrem v. g. non eſſe tantum, quanta Trinitas eſt, quod eſt manifeſtius error.

Errat præterea in eo, quod ſingulas perſonas dicit eſſe partes reales Trinitatis, & Trinitatem eſſe realiter totum conſtitutum ex illis: nam tunc vnitates alicuius multitudinis dicuntur partes realiter illius, quando vna vnitas non habet in ſe quidquid continetur in multitudine; in vna autem perſona Trinitatis totum habetur, quod in Trinitate; quia, quamvis perſonæ inter ſe, & prout ad invicem ſunt, realiter diſtinguantur; tamen ratione eſſentiæ divinæ, cum qua identificantur, nihil eſt in Filio, quod non ſit realiter in Patre, eſt enim Pater res illa, quæ eſt Filius, & quæ eſt tota Trinitas.

Magiſter Albelda hic aſſerit veram intelligentiam D.Thom. eſſe, quod per numerum abſtractum ſimplicem, & abſolutum, intelligit numerum numerantem, qui eſt in noſtro intellectu, per quem divinas perſonas numeramus, ſicut, & omnes alias rerum vnitates, qui numerus numerans, denominative invenitur in divinis perſonis, quatenus per noſtrum intellectum numerantur. Per numerum autem, qui eſt in rebus numeratis, intelligit numerum numeratum, qui non diſtinguitur à rebus numeratis. In primo numero datur totum, & pars in vniverſum: In ſecundo datur tantum totum, & pars in illis vnitatibus, quarum ſingulæ non præcontinent tantam entitatem, & perfectionem, quantam ipſe numerus, & quia, quælibet perſona divina tantam entitatem, & perfectionem habet, quantam habet Trinitas; ideo negat D. Thom. in numero, qui eſt in divinis perſonis dari totum, & partem.

Hic modus dicendi veritatem continet, ſi tamen magis explicetur. Difficile enim videtur, quod in numero numerante perſonas divinas detur totum & pars, & quod in ipſis perſonis numeratis totum, & pars non detur. Etenim intellectus numerans divinas perſonas, ſe conformat rebus numeratis: ergo videtur impoſſibile, quod in ipſis perſonis numeratis, non ſit totum, & pars, & totum, & pars inveniatur in numero numerante illas. Explico hoc; dum intellectus noſter numerat tres perſonas divinas, non fingit numerum vbi numerus non eſt, ſicut dum comparat ea, quæ inter ſe comparata non ſunt, fingit comparationem, vbi comparatio non eſt: ergo vere, ſicut ex parte numeri numerantis habetur numerus ternarius numerans, ex parte perſonarum numeratarum habetur ternarius numeratus; ſed ex hoc, quod in numero numerante habentur tres vnitates, ex quibus coaleſcit ternarius numerus, habetur totum, & pars in ternario numerante: ergo ex hoc, quod in ternario numerato habentur tres vnitates numeratæ, ex quibus coaleſcit ternarius numeratus, in ternario perſonarum numerato, habebitur neceſſario totum, & pars.

186 Pro explicatione huius difficultatis, cuius reſolutionem potius mallē addiſcere, quam docere, adverto, quod ad rationem compoſitionis alicuius ex partibus oportet, quod extrema realiter inter ſe ſint vnibilia, vel per modum potentiæ, & actus, vel ſecundum ordinem prioris, & poſterioris, vel ſecundum rationem vltimi, & non vltimi, vel, quod habeant rationē continuabilis aliquo puncto communi vtrique parti; requiritur præterea, quod pars non realiter habeat id, quod totū. Hoc animadverſo veniamus iam ad pluralitatem divinarum perſonarum. Divinæ perſonæ poſſunt conſiderari dupliciter, vel in ordine ad divinam eſſentiam; & ſic certiſſimum eſt non componere cum illa aliquod totum; quia nullo modo realiter diſtinguuntur à divina eſſentia: vel poſſunt conſiderari, prout inter ſe. Et ſic, ſic adæquate opponuntur, quod inter illa tantum invenitur pluralitas, & diſtinctio; nullo vero modo vnitas.

Nec valet ſi dicas vniri vnica exiſtentia abſoluta, ſicut partes quantitatis molis vniuntur vnico termino communi. Non inquam valet, nam exiſtentia non intelligitur competere illis, prout inter ſe opponuntur, & prout ad invicem ſunt, ſed tantum prout ad eſſentiam comparantur; punctus autem adunat partes quantitatis,

Digitized by Google

prout inter ſe abſolute diſtinguntur: cum ergo ad rationem partis, & totius requiratur aliqua ex prædictis vnionibus aſsignatis, & in prædictis divinis perſonis, tantum inveniatur diſtinctio, & pluralitas, ratio partis, & totius in illis inveniri nequit. Hæc doctrina non eſt mea, ſed D. Thom. quæſt. 9. de potent. articul. 5. in ſolut. ad 15. quod tale erat. *Impoſsibile eſt in aliquo vno eſſe rerum pluralitatem abſque rerum compoſitione; ſi ergo in Deo ſunt plures perſonæ, quod eſt eſſe plures res, ſequitur, quod in Deo ſit compoſitio, quod ſimplicitati divinæ repugnat.* Ad quod argum. ſic reſpondet: *Dicendum, quod pluralitas rerum in divinis eſt pluralitas relationum ſubſiſtentium oppoſitarum, ex quo non ſequitur compoſitio in divinis, nam relatio comparata ad eſſentiam divinam non differt re, ſed ratione ſolum: vnde non facit compoſitionem cum ipſa, ſicut nec bonitas, nec aliud eſſentialium attributorum, ſed per comparationem ad oppoſitam relationem eſt pluralitas rerum, non tamen compoſitio; quia relationes oppoſitæ, in quantum huiuſmodi ad invicem diſtinguuntur; compoſitio vero non eſt ex aliquibus diſtinctis, in quantum diſtincta ſunt.* Hæc D. Thom. & hæc noſtra doctrina.

Tranſeamus iam ad numerum numerantem, qui in intellectu noſtro eſt; ideoque à D. Thom. numerus abſtractus (à rebus numeratis intelligi) dicitur eo, quod in intellectu ſit ſubiective, & non in rebus. Habet enim intellectus noſter intra ſe ipſum varios numeros, quibus res extra ipſum exiſtentes numerat; qui numeri, cum ſint id, quo active menſurantur res extra intellectum, non explicantur, vt concreti in aliqua materia determinata; ideoque tantum ſignificantur per hoc, quod dicimus duo, tres, quatuor, &c. Sed; quia intellectus ad duo non pervenit, niſi per multiplicationem vnitatis, ſupra aliam vnitatem, & ad ſic multiplicandas vnitates, neceſſarium ſit ponere ordinem prioris, & poſterioris inter ipſas, & inſuper rationem vltimæ, & rationem non vltimæ; hinc conſtat evidenter, quod in numero numerante partes, & totum ſint; ſiquidem ibi nō tantùm inveniuntur multa, & diſtincta, ſed etiam inveniuntur, quodam ordine inter ſe vnita, & colligata, in qua vnione diſtinctorum, ratio compoſitionis, & totius neceſſario fiat.

Ex hoc ſequitur, quod in quibuſcumque rebus numeratis ab intellectu, prout paſsive ab ipſo numerantur, ratio totius, & partis inveniatur; quia vere numerantur per multiplicationem vnitatis ad vnitatē, per rationem prioris, & poſterioris, & per rationem vltimæ, & non vltimæ. Vnde; quia intellectus Noſter numerat perſonas divinas, eo prorſus modo, quo numerat res materiales; fit inde, quod in perſonis divinis, vt ſubſunt numerationi intellectus, ratio totius, & partis invenitur. Verum, quia eſſe perſonas ſic numeratas, tantum eſt quædam denominatio extrinſeca, in illis ab intellectu numerante proveniens, ſicut eſſe viſum in pariete tantum eſt denominatio extrinſeca ab oculo active vidente; hinc fit, quod ratio partis, & totius in divinis perſonis, quaſi ab ipſis proveniens non ſit.

187 Ex his infero legitimam intelligentiam Verborum D. Thom. in ſolutione ad 4. huius articuli eſſe, quod in numero numerante, prout extrinſece perſonas numeratas denominat, rationem partis, & totius inveniri, & rationem maioris, & minoris; quia perſonæ divinæ numerantur à noſtro intellectu, eo modo, quo res materiales nominamus, hoc eſt per multiplicationem vnitatis ad vnitatem; hæc autem numeratio non fit, niſi ordinando divinas perſonas per modum prioris, & poſterioris, vltimæ, & non vltimæ, atque adeò per modum compoſitionis; in omni autem compoſitione invenitur totum, & pars, & ſic in divinis perſonis, prout paſsive numeratis, ratio totius, & partis invenitur. Infero ſecundo, quod in perſonis divinis ſecundum ſe, ratio partis, & totius non invenitur, quod continet ſecunda pars ſolut. ad 4. D. Thom. & ratio iam eſt aſsignata; quia perſonæ divinæ, prout inter ſe diſtinguuntur, nullo modo vniūtur; & ſic ex illis nulla cōpoſitio fit, atque adeò, neque ratio partis, & totius in illis invenitur.

Ex his patet ſolutio ad rationem dubitandi, dico enim, quod dum intellectus numerat active divinas perſonas, ſe conformat cum illis, quantum ad multitudinem numeratam; non vero, quantum ad hoc, quod ſicut ipſe active numerat per multiplicationem, & ordinando perſonas, per modum vltimæ, & non vltimæ, ſic ipſæ perſonæ inter ſe ſe habeant ſic, quod vna multiplicet ſuper aliam, ſicut duo homines inter ſe, & à ſe habent, quod ſecundus multiplicet ſupra primum, & ſit ordine poſterior illo, & ſit vltimus rel-

reſpectu non vltimi. Ad explicationem dico, illo argumento conuinci, quod inter diuinas perſonas, vt ſubſunt extrinſecæ denominationi numerali, detur totum, & pars, non vero, quod inter illas ſecundum ſe, ratio totius, & partis habeatur.

Verum his adhuc animus non quieſcit, & contra reſolutionem noſtrã, quoad illã partem, qua aſſeveramus, quod inter divinas perſonas ſecundum ſe, & à ſe non ſit ratio totius, & partis. Sic objicio. Nam inter divinas perſonas ſecundum ſe, non tãtum datur diſtinctio, & pluralitas, ſed etiã datur vera ratio numeri ternarij, independenter à numeratione activa intellectus: ergo datur in illis ſecundum ſe tertia, ſecũda, & prima vnitas, ſaltim deſignatione formali: ergo datur vltima vnitas, & non vltima; ſed vnitas vltima habet ſe, vt forma reſpectu non vltimarum, & non vltimæ habent ſe, vt materia reſpectu vltimæ: ergo vere inter divinas perſonas datur pars materialis, & formalis, & ratio totius compoſiti ex prædictis partibus. Antec. huius diſcurſus prob. ex D. Thom. quæſt. 9. de pot. art. 5. in fine corp. ibi: *Numerus ergo relationum eſt numerus rerum ſubſiſtentium in divina natura: res autem ſubſiſtentes in divina natura ſunt divinæ perſonæ, & propter hoc ponimus perſonarum numerum in divinis.* Et in primo ſent. diſt. 24. quæſt. 1. articul. 1. ibi. *Sciendum eſt igitur, quod in divinis non eſt numerus ſimplex, qui eſt per diviſionem eſſentiæ, vel quantitatis, ſed numerus quidam, ſcilicet numerus relationum realiter in ipſo exiſtentium.* Quod probat in argumento *ſed contra* hoc diſcurſu, vbicumque eſt diſtinctio, vel diſcretio, ibi eſt aliquis numerus, ſed dicimus divinas perſonas eſſe diſcretas, ſeu diſtinctas: ergo in divinis perſonis eſt numerus.

Secundo objicio. Numerus divinarum perſonarum eſt vnum ens per ſe: ergo claudit pluralitatem perſonarum cum aliquo reali ordine inter ſe; plura enim, vt plura, & ſine ordine, vnum per ſe non faciunt: ergo falſo diximus perſonas divinas inter ſe ſolum gaudere diſcretione, & diſtinctione; non vero vniri aliquo ordine, ex quo reſultet ipſum ens per ſe, quod ſit totum reſpectu ſuarum partium.

Ad 1. objectionem diſt. Antec. quantum ad multitudinem numerabilem per tres, conc. Ant. quantum ad formalitatem ternarij independentẽ à numeratione activa intellectus, nego Ant. & nego Conſeq. Itaque D. Thom. ponit numerum in divinis perſonis, prout omnis multitudo, & diſcretio aliquorũ ſubſiſtentium, numerabilis, & exauribilis eſt per numerum ternarium numerantem; non vero, prout numerus ternarius quid diſtinctum eſt ab ipſa multitudine relationum ſubſiſtentium, & ſic non oportet deſignare in ipſis divinis perſonis formalitatem primæ, ſecundæ, & tertiæ, quæ realiter illis conveniat, ſed totum hoc à numero numerante mendicant. Quod mihi ſuadeo ex dictis, quia inter divinas perſonas tantum inveniuntur ordines reales, quibus opponuntur, & diſtinguuntur per modum Patris, Filij, & Spiritus Sancti; & ſic in illis nequit reperiri formalitas realis primæ, ſecundæ, & tertiæ vnitatis, ſed hoc totum convenit illis extrinſece ab intellectu numerante. Cur autem in divinis perſonis iſtæ formalitates non inveniantur, ex eo oritur; quia illæ vnitates tantum inter ſe ſic ordinantur, quarum vna alteri ſuperaddita, maius facit, vel ſecundum quantitatem, vel ſecundum perfectionem, quæ nullo modo in divinis perſonis inveniuntur: ſiquidem in illis vnica, & indiviſa perfectio locum habet.

Dices, quod licet tres perſonæ divinæ ſint eiuſdem indiviſibilis perfectionis, non tamen ſunt eiuſdem indiviſibilis realitatis; ſiquidem de perſonis prædicantur tres res, ideſt tres realitates realiter diſtinctæ. Si ergo ſunt tres realitates: igitur vna perſona alteri ſuperaddita faciet maius ſecundum realitatem, licet non ſecundum perfectionem, & ſic poterunt inter ſe realiter coordinari per modum primæ, ſecundæ, & tertiæ vnitatis.

Ad hoc dico, quod tres perſonæ ſunt tres realiter inter ſe; non vero ſunt tres prout ad eſſentiam divinam comparantur. Itaque Pater, licet, prout dicitur ad Filium, realiter à Filio diſtinguatur; tamen quia eſſentia divina formaliter realiter eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Pater ratione eſſentiæ divinæ, cum qua omnino identificatur, eſt omnis realitas divina, ita vt hæc propoſitio ſit veriſſima, *Pater eſt ea res, quæ eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, & ſic realitas Filij non multiplicat abſolute realitatẽ ſupra realitatẽ Patris: vnde neque poteſt realitas coordinari cum illa per modum primæ, & ſecundæ, vnitatis.

Ad ſecundam obiectionem reſp. Salmanticenſes hic, concedendo numerũ ternarium diuinarum perſonarũ habere vnicam eſſentiam numeri ternarij, atque adeò non eſſe vnum ens per accidens, ſeu vnum per puram aggregationem; ſiquidem ad hoc deſiderabatur, quod vnitates ab eo importatæ exiſterent per diverſas exiſtentias, cum autem exiſtant per vnam indiviſibilem exiſtentiam, nequeunt conſtituere vnum ens per accidens. Concedunt ſimiliter, quod talis eſſentia numeri ternarij reperti in diuinis, eſt vna vnitate per ſe, & quod non eſt vna per ſimplicitatem, cum certum ſit importare plures vnitates inter ſe realiter diſtinctas: negant tamen eſſe vnum per compoſitionem; quia non important plures vnitates, vt ſe reſpiciunt ad invicem per modum vnibilium, ſed tantũ importat illas, vt ſe reſpiciunt vt oppoſita, &, vt diſtincta, quod nõ facit compoſitionem. Vnde diſtingunt triplex vnum per ſe, aliud per ſimplicitatem, vt Deus; aliud per compoſitionem, vt homo, vel duo homines, & aliud per pluritatem rerum talis conditionis, quod petant exiſtere per vnam exiſtentiam.

Verum hæc ſolutio valde difficilis eſt, nam numerus, vt numerus, nequit intelligi vnum per ſe, niſi vnitates, ex quibus cõſtat, ſe mutuo reſpiciant, vt vnibiles ad conſtituendum numerum vnum per ſe; ſed ſolutio fatetur tres perſonas, vt faciunt numerum, non ſe reſpicere inter ſe, vt vnibilia, ſed tantum, vt oppoſita, & vt diſtincta: ergo numerus perſonarum, vt talis nequit eſſe vnum per ſe. Præterea, vt conſtat ex dictis, & ex D.Thom. numerus perſonarum nihil aliud eſt, niſi ipſæ multæ perſonæ, vt plures, & vt vna non eſt alia; ſed multa, vt multa, pugnant cũ vnitate vnius per ſe: igitur numerus perſonarum, vt numerus, non eſt vnum ens per ſe. Præterea, vel iſtæ vnitates, vt faciunt numerum, ſe reſpiciunt mutuo, vt vnibiles ſub vna diuina exiſtentia, vel non; primum eſt falſum. Tum; quia exiſtentia non exigitur ab illis, qua parte inter ſe opponuntur, ſed tantum, qua parte reſpiciunt divinam eſſentiam, à qua habent exiſtere. Tum; quia ſi hoc eſſet verum, falſum eſſet dicere, quod vt faciunt numerum tantum ſe reſpiciunt, vt diſtincta, & vt oppoſita; non vero vt vnibilia: ſi dicatur ſecundum: ergo vt faciunt numerum, tantum ſunt multa, vt multa: ergo nõ vnum per ſe, nam vnum per ſe cum multis, vt multis, pugnat.

Aliter ergo ad obiectionem reſp. quod in numero perſonarum duæ habitudines, vel comparationes conſiderari poſſunt; altera ſecundum quam, vt eſſentia comparatur ad exiſtentiam, per quam ponitur extra cauſas; altera ſecundum quam comparatur ad ipſas vnitates, quæ faciunt numerum: ſi in numero diuinarum perſonarum primum inſpiciatur, ſic invenietur in eo vnitas per ſe per identitatem, quam habet cum exiſtentia divina abſoluta; ſi ſecundum, non invenietur in eo vnitas per ſe, ſiquidem, neque invenitur vnitas, ſed tantum pluralitas: dicimus enim de perſonarum numero, quod tantum eſt plures vnitates, vt ſunt plura. Vnde in forma, diſt. Antec. numerus divinarum perſonarum eſt vnum ens per ſe, perſeitate deſumpta ab ipſis vnitatibus, vt faciunt numerum, nego Antec. vnitate deſumpta ab ipſis vnitatibus, vt identificantur cum vna Dei exiſtentia abſoluta, conc. Antec. & nego Conſeq.

§. II.

Vtrùm ſit ponere in Deo plures perſonas, quam tres?

188 HVIC Quæſito reſpond. D. Thom. hic artic. 2. tantum in Deo eſſe tres perſonas, nec plures, nec pauciores. Probat: quia plures perſonæ nihil aliud ſunt, quam plures relationes ſubſiſtentes, ad invicem realiter diſtinctæ; ſed in Deo tantum ſunt tres relationes ad invicem realiter diſtinctæ: igitur in Deo tantum ſunt tres perſonæ, & non plures, neque pauciores, quam tres. Mai. oſtendit D. Thom. ſupra q.29. art.4. & Min. ſic probat. Nam inter divinas relationes non eſt realis diſtinctio, niſi per hoc, quod mutuo opponuntur inter ſe, & ſic oportet relationes inter ſe oppoſitas, ad diſtinctas perſonas pertinere, ſicut, & oportet relationes divinas inter ſe non oppoſitas, ad eandem perſonam pertinere: ergo cum relatio Paternitatis, & Filiationis inter ſe realiter opponantur, oportet ad diſtinctas perſonas pertinere: & ſic habemus duas perſonas, nempe Patris & Filij; aliæ autem duæ relationes, ſcilicet Spiratio, & Proceſsio, cũ inter ſe ad invicem opponantur, & cum Paternitate, & Filiatione oppoſitionem non habeant, impoſsibile eſt, quod vni tantum

tum

Digitized by Google

rum perſonæ conveniant, & ſic oportet, vel, quod vna earum conveniat Patri, & Filio; vel, quod vna conveniat vni, & alia alteri: non autem poteſt eſſe, quod Proceſſio conveniat Patri, & Filio, vel alteri eorum; quia ſic ſequeretur, quod proceſsio intellectus, quæ eſt generatio in divinis, ſecundum quam habetur Paternitas, & Filiatio, prodirent ab amore, ſecundum quē accipitur Spiratio, & Proceſsio, ſi perſona generans, & genita procederent à Spirāte: relinquitur ergo, quod Spiratio conveniat Patri, & Filio, vtpote nullā habens oppoſitionem relativam cum illis, & per conſequens, quod proceſsio conveniat alteri perſonæ diſtinctæ à Patre, & Filio, quæ dicitur perſona Spiritus Sancti: & ſic oportet in divinis tantum ponere tres perſonas, nempe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

189 Contra proceſſum huius diſcurſus poteſt inſtari, quod videtur implicare contradictoria. Ex vna enim parte habetur in illo, quod ſola relativa oppoſitio diſtinguit realiter perſonas in divinis, & quod relationes ſecundæ combinationis, nempe Spiratio, & Proceſsio, non opponuntur relationibus Paternitatis, & Filiationis; & ex alia parte probatur, quod Proceſsio Spiritus Sancti realiter diſtinguatur à Paternitate, & Filiatione; hæc autem contradictoria involvunt: ergo. Probatur hæc Min. nam ex primo dicto habetur, quod ſola oppoſitio relativa diſtinguit realiter; ſed proceſsio Spiritus Sancti non opponitur relative Patri, & Filio, vt habetur ex ſecundo dicto: ergo proceſsio non diſtinguetur realiter à Paternitate, & Filiatione: cuius oppoſitum ratio D. Thom. probat. Præterea. Proceſsio diſtinguitur realiter à Paternitate, & Filiatione: ergo opponitur illis relative: vel ſola oppoſitio relativa non eſt, quæ diſtinguit in divinis realiter, quod opponitur primo dicto Div. Thom. ergo diſcurſus D. Thom. involuit contradictoria.

Huic inſtantiæ, vt reſpondeat Caiet. hanc præmittit doctrinam, nempe, quod cum oppoſitio relativa diſtinguens divina, ſit ſecundum ordinem originis, dupliciter poſſunt aliqua in Deo dici relative oppoſita; ſcilicet, ratione relationis, vel ratione originis: oppoſita ratione relationis tantum, ſunt correlativa, vt Pater, & Filius ad invicem; Spirans, & procedens ad invicem: ratione autem originis oppoſita, ſunt quæcumque ſic ſe habent, quod vnum oportet eſſe ab alio, & non è converſo.

Hoc præmiſſo dicit, quod Spiratio, & Proceſsio non opponuntur Paternitati, & Filiationi ratione relationis, ſic, quod relativa ſint inter ſe Pater, & procedens, vel Filius, & procedens, & hoc eſt, quod docet D.Thom. in primo dicto, cum dicit Spirationem, & Proceſsionem non opponi relative cum Paternitate, & Filiatione; ratione autem originis, opponitur Proceſsio Paternitati, & Filiationi; quia origo amoris eſt ab intellectu, intellectus autem, nequit procedere ab amore; Spiratio autem activa cum Paternitate, & Filiatione, neque opponitur ratione relationis; quia Spirans non dicitur correlative cum Patre, & Filio; neque opponitur origine: quia nec Pater, nec Filius ſunt à Spirante, neque Spirans eſt à Patre, & Filio, & ſic concludit, quod ſola proceſsio amoris à Patre, & Filio diſtinguetur realiter, quia inter Patrē, & Filium ex vna parte, & proceſsionē Spiritus Sancti adeſt oppoſitio originis; quia amor procedit ab intellectu: intellectus autem non procedit ab amore. Vnde in dictis Div. Thom. nulla habetur implicantia.

Hæc ſubtiliter Caietanus. Verum in contra argumentor ſic. Nam Caietanus in hac ſua doctrina inducit duo diſtinctiva realia relationum divinarum, nempe mutuam correlationem, & oppoſitionē originis. Secundum primam, dicit diſtingui Patrem, & Filium, proceſsionem, & Spirationem; ratione ſecundæ aſſerit diſtingui proceſsionem à Paternitate, & Filiatione; at hoc videtur eſſe contra litterā D. Thom. in primo dicto: dicit enim ibi: *Realis autē diſtinctio inter relationes divinas, non eſt, niſi ratione oppoſitionis relativa*. Oppoſitio autem relativa, ſolum eſt inter correlativa: ergo hæc doctrina Caietani, neque eſt iuxta mentem D. Thom. nec eius dicta conciliat; non primum, quia D. Thom. tantum aſsignat vnum diſtinctivum reale relationum in divinis; Caietanus autem aſſignat duo; non conciliat dicta D. Thom. quia cum D. Thom. dicat ſolam oppoſitionem relativam, realiter diſtinguere relationes divinas, & hæc tantum inveniatur inter correlativa; contradicit ſibi, dum realiter diſtinguit proceſsionem à Paternitate, & Filiatione, & ſimul dicit, inter illas non adeſſe oppoſitionem relativam.

Ex-

Digitized by Google

Explico vim huius replicæ D. Thom. In primo dicto non dicit oppoſitionem relationum diſtinguere realiter divina; ſi enim hoc dixiſſet, bene poſſet Caietanus diſtinguere duplicem oppoſitionem relationum, aliam relativam, quæ eſt inter correlativa, ſicut inter Patrem, & Filium; & aliam penes originem, qualem ipſe exiſtimat tantum verſari inter Proceſsionẽ, & Patrem, & Filium; ſed tantum dicit, oppoſitionem relativam realiter diſtinguere divina: hæc autem non eſt aliud, niſi mutua correlatio; cum ergo inter Spiritum Sanctum comparative ad Patrem, & Filium, non detur hæc correlatio, non dabitur oppoſitio relativa, & ſic implicabit in dictis, dum dicit non adeſſe oppoſitionem relativam, & ſimul dicit inter ſe realiter diſtingui.

Alia ergo via venit interpretanda littera D. Thom. & ab hac implicatione liberanda. Pro quo adverto, Paternitatem, & Filiationem, ſi ex terminis conſiderentur, ſic tantum opponi relative inter ſe, & non cum Spiritu Sancto; ſi vero conſiderentur, vt radicant Spirationem activam, quæ admodum proprie atis, ex Filiatione, & Paternitate conſequitur; ſic opponi relative, ſaltim mediate, vel radicaliter, & ratione alterius, nempe, ratione oppoſitionis Spirationis cum Proceſſione: Vnde iſtæ locutiones; *Paternitas, & Filiatio non opponuntur relative cum Proceſsione, Paternitas, & Filiatio opponuntur relative cum Proceſsione*, poſſunt verificari; nam prima eſt vera, loquendo de Paternitate, & Filiatione ex terminis. Secunda eſt vera, loquendo de eiſdem, prout radicant Spirationem activam. Inſuper hæc propoſitio eſt vera, *Proceſsio diſtinguitur realiter à Paternitate, & Filiatione*; quia illis relative opponitur, ſaltim mediate. Inſuper hæc eſt vera *Sola oppoſitio relativa diſtinguit realiter in divinis.* Et ſic nulla eſt dictorum implicantia in proceſſu rationis D. Thom.

(.†.)

QVÆSTIO VIII.

De pertinentibus ad vnitatem, vel Pluralitatem in Divinis.

VT Recte, & ſine errore poſsimus loqui de divinis, oportet inveſtigare, quibus nominibus poſſimus in ſingulari, vel in plurali vti, dum de divinis loquimur. Et ſpecialis difficultas occurrit de iſtis, *ſubſtantia, Eſſentia, Entitas, & veritas*; nam de alijs fides ipſa nos inſtruit, vel communis doctrina Scholaſticorum.

§. I.

Vtrùm poſsimus prædicare in divinis tres ſubſtantias?

190 RATIO Dubitandi pro parte negativa deſumitur ex eo, quod habetur in 6. Synodo generali Conſtantinopolitana actione 4. in Epiſtola Agatonis, & in Concilio Toletano 11. in confeſsione fidei, vbi ſic dicitur: *Neque, ſicut tres perſonas, ita neque tres ſubſtantias prædicamus.* Et Cyrillus primo de Trinit. verſus finem inquit: *Subſtantiam differre à ſubſiſtentia, quia ſubſtantia eſt ſola natura communis; ſubſiſtentia verò eſt ſuppoſitum ſub ipſa contentum*: Ergo qui de Deo, prædicaret tres ſubſtantias, prædicaret tres naturas communes, & ſic faceret prædicationem falſam: ergo non ſunt prædicandæ tres ſubſtantiæ.

Pro parte affirmativa ecce argumentum. Hypoſtaſis eſt prima ſubſtantia; in Deo ſunt tres hypoſtaſes: ergo in Deo ſunt tres ſubſtantiæ. Præterea; ſubſiſtentia perſonalis eſt res per ſe ſubſiſtens, & nullo modo inhærens: ergo eſt ſubſtantia, ſed ſunt tres ſubſiſtentiæ perſonales: ergo ſunt tres res per ſe ſubſiſtentes, & nullo modo inhærentes: ergo ſunt tres ſubſtantiæ.

Poſſuntque hæc confirmari ex doctrina, quam adducit D. Thom. q. præcedenti, art. 2. ex Philoſopho 5. Metaphyſicæ vbi habet, quod *ſubſtantia dicitur dupliciter; vno modo ſubſtantia dicitur quidditas rei, quam ſignificat definitio, quam quidem ſubſtantiam græci vſiam vocant, quod nos eſſentiam dicere poſſumus; alio modo dicitur ſubſtantia ſubiectum,*

ie*ctum, vel ſuppoſitum, quod ſubſiſtit in genere ſubſtantiæ.* Deinde dicit, quod *hoc ſuppoſitum, vel ſubiectum, tribus nominibus conſuevit appellari, quæ ſunt, res naturæ, ſubſiſtentia, & hypoſtaſis, ſecundum triplicem conſiderationem ſubſtantiæ ſic dictæ. Secundum enim, quod per ſe exiſtit, & non in alio, vocatur ſubſiſtentia; ſecundum quod ſupponitur alicui naturæ communi, ſic dicitur res naturæ, ſicut hic homo eſt res naturæ humanæ; ſecundum vero, quod ſupponitur accidentibus, dicitur hypoſtaſis, vel ſubſtantia.* Ex quibus ſic argumentor, D. Thom. dicit, quod ſubiectum, vel ſuppoſitum dicitur ſubſtantia, & in ſecundo loco dicit idem eſſe ſuppoſitum, hypoſtaſim, ac ſubſtantiam: ergo cũ in Deo diſtinguantur tria ſuppoſita, vere prædicabitur de Deo, quod in illo ſint tres ſubſtantiæ.

191 Pro explicatione adverto, quod ſecundum regulam ante prædicamentalē, æquivoca prius ſunt diſtinguenda, quam diffinienda, hoc eſt, quod quotieſcumque auditur aliquod prædicatum æquivocum in aliqua propoſitione, prius debemus ſolvere æquivocationem talis prædicati, & illa ſoluta affirmare, vel negare aliquod prædicatum de ſuo ſubiecto. Adverto ſecundo, quod hoc nomen *ſubſtantia* æquivocatur apud nos, nam illo quandoque ſignificamus eſſentiam; quandoque vero hypoſtaſim, Docet hoc expreſſe Div. Thom. quæſt. præcedenti, art. 2. ad 2. ex quo infert, quod, *quia nomen ſubſtantia æquivocatur apud nos, cum quandoque ſignificet eſſentiam, quandoque hypoſtaſim, ideo ne poſſit eſſe occaſio erroris, maluerunt latini pro hypoſtaſi, transferre ſubſiſtentiam, quam ſubſtantiam.*

His prælibatis dico, hanc propoſitionem, *in Deo ſunt tres ſubſtantiæ* non eſſe abſolute concedendam, ſed diſtinguendã, iuxta duplex ſignificatum huius nominis *ſubſtantia*, nempe, vel naturam communem, vel hypoſtaſim; ſi fiat ergo locutio de ſubſtantia, prout dicit naturam, neganda erit; ſi autem fiat locutio de ſubſtantia, prout ſignificat hypoſtaſim, erit concedenda. Sic meo videri legerit D. Thom. quoties loquendo de divinis, illi occurrit hoc nomen *ſubſtantia.* Etenim quæſt. præcedenti, art. 4. vbi diffinit perſonam ſignificare relationem per modum ſubſtantiæ, ſtatim explicat in qua acceptione hoc nomen accipiat dicens: *Quæ eſt hypoſtaſis*, & de pot. q. 9. art. 4. ibi: *Et propter hoc poteſt dici, quod perſona ſignificat relationem per modum ſubſtantiæ*, ſubdit, *non quæ eſt eſſentia, ſed, quæ eſt hypoſtaſis.*

192 Ex his ergo patet ſolutio ad rationes dubitandi pro vtraque parte. Ad primam concedo non debere prædicari de Deo tres ſubſtantias; poſſunt autem prædicari cum addito determinante ſubſtantias ad hypoſtaſes, vel ſubſiſtentias. Ad 2. pro parte affirmativa, conceſſo primo ſyllogiſmo, nego Antec. ſecundæ conſequentiæ. Etenim loquendo in Deo, vbi eſt periculum errandi hæc propoſitio, *Prima ſubſtantia eſt ſubſtantia*, tutius eſt prius diſtinguenda, quam concedenda.

Ad 2. prob. etiam prius eſt illud Conſequens diſtinguendum, quam concedendum: ergo eſt ſubſtantia, de ſubſtãtia, prout diſtinguitur ab accidenti, concedendum; & negandũ de ſubſtantia, prout dicit naturã; & ſimili diſtinctione, prius eſt diſtinguendum conſequens, quam concedendum. Ad aliud ex D. Thom. reſpondetur, quod nomine *ſubſtantia* æquivoce ſignificatur hypoſtaſis, & natura: vnde tantum infertur, quod ad auferendam occaſionem errandi tutius eſt, prius vti diſtinctione, quam abſoluta conceſſione.

Verum contra hanc reſolutionem ſic inſto. Sequitur ex illa hanc propoſitionem non eſſe abſolute concedendam, ſed prius diſtinguendam, *in Deo eſt vna ſubſtantia*; conſequens videtur abſurdum, nam Patres illam paſsim concedunt: ergo. Sequela prob. hæc non eſt concedenda abſolute, *in Deo ſunt tres ſubſtantiæ*; quia nomen *ſubſtantia* æquivoce ſignificat naturam communem, & hypoſtaſim: ergo hæc etiam erit diſtinguenda *in Deo eſt vna ſubſtantia*, propter eandem rationem.

Ad hoc nego Mai. ad prob. dico, quod neceſsitas ad diſtinguendum, oritur ex periculo errandi; dicendo autem *in Deo eſt ſubſtantia*, ſive accipias pro natura; ſive accipias pro hypoſtaſi, non eſt periculum errandi; eſt enim in Deo vna natura communis, & tres ſubſiſtentiæ relativæ; vbi autem ſunt tres hypoſtaſes, ibi vere eſt vna hypoſtaſis: vnde abſque omni periculo errandi poſſumus abſolute concedere, *in Deo eſt vna ſubſtantia.* Quod ſi occurrat iſta propoſitio, *in Deo eſt tantum vna ſubſtantia.* Tunc iudico opus eſſe diſtinctione, de ſubſtantia, prout dicit naturam, vel de ſubſtantia, prout dicit hypoſtaſim.

Vtrum

Digitized by Google

§. II.

Vtrum poſſit dici, in Deo ſunt tres eſſentiæ.

193 ALIQVI affirmant poſſe de Deo prædicari tres eſſentias, cum hoc addito, nempe relativas, ita, vt hæc propoſitio abſolute concedenda ſit, *in Deo ſunt tres eſſentiæ relativæ*. Sed verior ſententia negat ſignificatum per hoc nomen *eſſentia* poſſe multiplicari in divinis. Quam ſententiam probo primo; quia hoc nomen *eſſentia* apud Latinos idem prædicat de Deo, quod hoc nomen *vſia*; ſed *vſia* nullo modo multipliciter dicitur de Deo, iuxta id, quod canit Eccleſia in Proſa Trinitatis, *ſive dicas tres, vel tria; ſimplex tamen eſt vſia*: ergo hoc nomen *eſſentia* pluraliter nequit prædicari de Deo. Prob. Mai. ex Auguſtino 2. de Civit. Dei cap. 12. ibi: *Latini hoc nomen eſſentia, invenerunt ne deeſſet etiam lingua noſtra, quod Græci appellant vſiam, hoc enim Verbum è verbo expreſſum eſt, vt diceretur eſſentia*: ergo apud Latinos idem ſignificat *eſſentia*, quod apud Græcos *vſia*.

Secundo prob. nam in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Pontifice cap. 1. diffinitur tres perſonas eſſe vnius eſſētiæ: ergo eſſentia non prædicatur pluraliter in divinis. Tertio prob. nam ſi relationes eſſent eſſentiæ, vere Filius eſſet aliud à Patre, & non ſolum alius maſculine, quod pugnat cum littera D. Tho. infra. Prob. aſſūptum. Nam D. Thom. probat Filium non eſſe aliud à Patre, ſed tantum alium maſculine; quia aliud importat alietatem in natura, & in eſſentia; ſed ſi eſſent in Deo tres eſſentiæ relativæ, Verbum *aliud*, neutraliter acceptum, verificaretur de Filio reſpective ad Patrem: ergo vere Filius eſſet aliud à Patre neutraliter, & non tantum maſculine alius. Mi. patet, nam Verbum *aliud* verificaretur de eſſentia Filij relativa, quæ eſſet realiter diſtincta ab eſſentia relativa Patris: ergo.

Tandem hoc prob. ex Baſilio Epiſt. 37. vbi docet, quod eſſentia proprie ſumpta ſignificat quidditatem, prout eſt principium, ſeu quaſi principium exiſtentiæ; ſed in Deo ſola eſſentia, quæ eſt natura abſoluta, eſt quaſi principium exiſtentiæ; cum tantum ſit in illo vnica exiſtentia abſoluta: ergo in Deo eſſentia non dicitur pluraliter. ſicut, neque exiſtentia. Confir. hoc nam D. Tho. in primo diſt. 25. ar. 4. ſic habet: *quidditas, vel forma à qua ſumitur nomē rei, ſumitur dupliciter; vt eſt forma abſoluta, vt eſſentia, & deitas, & huiuſmodi, quæ non multiplicantur in divinis*: ergo ſicut deitas non multiplicatur, nec pluraliter dicitur de Deo, ita nec eſſentia, & ſicut non poſſumus dicere, *in Deo ſunt tres deitates relativæ*, ita, nec poſſumus dicere, *in Deo ſunt tres eſſentiæ relativæ*.

Nec facit contra hoc, quod D. Tho. in eodem articulo hoc nomen *quidditas*, pluraliter de Deo prædicat, dum dicit, *ſi autem per quidditatem intelligitur, non ſolum forma abſoluta, ſed quæcumque intentio, vel forma cuiuſcumque, vel ſubſtantiæ, vel accidentis, vel relationis; ſic in divinis; quamvis ſit vnica quidditas abſoluta; tamen ſunt plures rationes relationum & ita plures quidditates quodammodo*. Ex quibus ſic fit argumentum; eſſentia, & quidditas, idem prorſus ſunt; ſed ſecundum D. Tho. tres quidditates prædicantur de Deo: igitur tres eſſentiæ poſſunt prædicari de Deo. Non inquam facit; quia maior huius ſylogiſmi falſa eſt, etenim, licet omnis eſſentia ſit quidditas; non tamen omnis quidditas eſſentia eſt, ſed illa tantum, quæ exiſtentiam radicat, vt ex Baſilio vidimus: vnde licet D. Tho. tres quidditates de Deo relativas prædicet, non tamen prædicat de Deo tres eſſentias relativas.

Hinc infero relationem creatam vere dici eſſentiam, & naturam, quia vere eſt quidditas radicans exiſtentiam; entia autem incompleta, eſſentiam non eſſe; quia exiſtentia non originatur ex quidditatibus incompletis; ſed tantum ex entitate completa: vnde poſſunt dici quidditates, & partes eſſentiæ; non tamen eſſentia: quia hoc nomine, tantum deſignatur natura, quæ conſtituitur ex illis.

Sed inſtabis contra noſtram reſolutionem. Tres perſonæ proprie dicuntur tres res: ergo, & tres eſſentiæ. Pater Conſ. Nam conceptus proprius, qui habetur de re, explicat rei eſſentiam; ſed ſi tres relationes ſunt tres res, correſpondebunt tribus conceptibus proprijs: igitur erunt tres eſſentiæ explicatæ per illos. Confir. prędicata eſſentialia, eſſentiam conſtituunt; ſed divinis relationibus conveniunt ſua prædicata eſſentialia: ergo conſtituta per illa, erunt tres eſſentiæ.

Ad primam, nego Conſ. ad prob diſt. Mai. quando res eſt eſſentia, concedo Mai. quando tantum eſt modus, vel ratio formalis alicuius eſſentiæ, nego Mai. & conc. Mi.

ne-

Digitized by Google

nego Conſ.quia divinę relationes non ſunt eſſentiæ,ſed tantum rationes formales,vel modi divinę eſſentię.Ad Confirmationem nego Mi. ſi illud Verbum *eſſentialia* proprie, & in rigore accipiatur:ſtando enim in rigore ſermonis, ſicut non eſt idem quidditas, ac eſſentia; ita non eſt idem prædicatum eſſentiale, & prædicatum quidditativum: ergo cum relationibus divinis negemus proprietates eſſentiæ relativæ; debemus etiam negare prędicatum eſſentiale in rigore, & ſicut tantum admittimus eſſe quidditates, & rationes formales, tantum debemus admittere conſtitui prædicatis quidditativis,non vero eſſentialibus.

194 Sed adhuc inſtas contra reſolutionem noſtram. Admiſsis tribus quidditatibus relativis, non minus ſequitur Filium eſſe aliud à Patre, quam ſequatur admiſsis tribus eſſentijs relativis; at non habemus pro inconvenienti admittere tres quidditates relativas: ergo etiam non erit inconveniens admittere tres eſſentias relativas. Mai. prob. ſicut multiplicatis eſſentijs,multiplicantur informia,& non determinata prædicata;ita multiplicatis quidditatibus, multiplicantur informia, & non vltimo determinata prædicata: ergo ſicut poſitis tribus eſſentijs relativis, ſequitur poſſe Filium neutraliter dici aliud à Patre; ita poſitis tribus quidditatibus relativis,poterimus dicere, Filium eſſe aliud neutraliter à Patre.Prob.Conſ.quia ly *aliud*,cum ſit neutrum,eſt vox informis,& ſic locum habet, vbi adſunt informia prædicata: ergo cum quidditas ſit informis, non minus quam eſſentia, ſicut poſitis tribus eſſentijs, diceretur Filius aliud à Patre,ita poſitis tribus quidditatibus,Filius poſſet dici aliud à Patre.

Confir. quidditas eſt id,per quod reſpondemus quæſito per ly *quid*, non id, per quod reſpondemus quæſito per ly *quis*; ſi enim quis interrogat, *quid eſt homo*, reſpondemus per eius quidditatem, dicentes, *animal rationale*: ſi autem inquiramus *quis eſt homo*, reſpondemus, *Petrus Franciſcus &c.* ergo ſi admittimus tres quidditates realiter diſtinctas, admittemus tria quid: ergo erunt in divinis aliud, & aliud,& aliud quid:ergo ex poſitione trium quidditatum, poterimus dicere, quod Filius ſit aliud quid à Patre.

Ad hoc nego Mai. ad prob.diſt.Ant.ſi ſumatur quidditas pro eo, quod eſſentia, conc. Ant. ſi ſumatur quidditas pro omni eo,'quod per hoc nomen ſignificari poteſt, nego Ant.& Conſequentiam. Ad prob.dico, quod quidditas ſumpta reſtricte pro eſſentia,eſt quid informe,& poteſt ſignificari per ly *aliud*;non autem eſt quid informe ſumpta pro omni eo, de quo verificari poteſt, quod quidditas ſit, quia hypoſtaſis eſt quædam quidditas,cum ſua propria gaudeat diffinitione;hypoſtaſis autem, non eſt prædicatum informe; ſed diſtinctum, & determinatum; & ſic, expoſitione trium quidditatum, non ſequitur, quod Filius ſit abſolute aliud à Patre;quia ly *aliud*,non dicit vtcumque quid; ſed dicit quid valens radicare exiſtentiam, quod in Deo tantum eſt abſolutum, & vnum, non vero multiplicatum.

Ad Confir.dico,quod quidditas ſumpta pro eſſentia, eſt id, per quod reſpondemus ad quæſitum factum per quid;non vero quidditas, prout tantum gaudet eſſe, quod per diffinitionem explicatur. Etenim illud articulatum, quod ſignificat ly *alius*, quædam quidditas eſt,quia ſua diffinitione gaudet; eſſentia tamen non eſt; quia exiſtentiam radicare non valet. Itaque ego ſic diſtinguo quidditatem ab eſſentia; quod quidditas ſolum dicit id,quod ſua peculiari gaudet diffinitione; & cum quid quid habet rationem determinati entis,ſive res ſit, ſive modus, ſive quid completum, ſive incompletum, ſua peculiari gaudeat diffinitione; omne tale eſt quædam quidditas: eſſentia autem,tantum dico illud,quod radicat exiſtentiam; vnde cum hoc tantum conveniat rebus completis, ſit inde, quod licet in incompletis ſua quidditas ſit;in ſolis tamen completis ratio eſſentiæ ſit.

Dices quod cum diffinitio ſit oratio explicans naturam rei, omne id, quod habebit diffinitionem, habebit naturam; & dum natura, & eſſentia ſunt idem, omne tale proprie habebit eſſentiam: dum ergo volumus diſtinguere quidditatem ab eſſentia,non bene de illa dicimus,quod ſit illud, quod per diffinitionem explicatur. Ad hoc dico illud verbum *naturam*,poſitum in diffinitione diffinitionis, non reſtringi ad eſſentiam,ſed ampliari ad quidditatem,ita vt idem ſit ibi natura,quod quidditas, nam ſtando in rigore naturæ, cum modi naturæ non ſint natura, ſequeretur de modis naturæ non poſſe haberi diffinitionem. Quod falſiſsimum eſt: accipitur ergo ibi natura pro eo,quod quidditas.

Verum

Digitized by Google

§. III.

Vtrùm nomen ens ſubſtantive ſumptum, pluraliter dicatur in divinis.

195 CIRCA Hoc nomen *ens*, & eius ſignificatum, vtrum pluraliter prædicetur de Deo, difficilis redditur reſolutio propter textus expreſſos D.Thom. quibus videtur negare tres perſonas eſſe tria entia ſubſtantive, & ſolum videtur admitti poſſe dici tria entia adiective. Etenim in primo diſt. 25. quæſt. 1. artic. 4. ſic habet: *Nomen entis ſumitur ab eſſe rei, & ideo, cum vnum, & idem ſit eſſe divinarum perſonarum; ſi ens ſumatur ſubſtantive non poteſt pluraliter prædicari de tribus perſonis, quia forma à qua imponitur, ſcilicet eſſe, non multiplicatur in eis; ſi autem ſumatur participaliter, & adiective; ſic pluraliter prædicari poteſt; quia huiuſmodi accipiunt pluralitatem à ſuppoſitis, & non à forma ſignificata.* Et in reſponſione ad primum ſic habet: *Dicendũ, quod nomen entis nullo modo ſumitur ab aliqua ratione, ſed ab eſſe, quod abſolutum eſt ſimpliciter in divinis; & ideo non prædicatur pluraliter ex forma ſua, ſed ex ſuppoſito, prout eſt adiectivum, vel participium.* Quod & docuit in eadem diſtinctione. Et quæſtione ad Annibaldum, & eodem articulo, ibi: *Ens ſecundum Avicennam, ab eſſe imponitur, ſicut res à quidditate: in divinis autem vnicum eſt eſſe, & ideo quantum ad id, à quo nomen entis imponitur, non prædicatur in divinis pluraliter; ſed quia diverſimode impoſitum eſt ad eſſe ſignificandum, ſcilicet adiectiue, & ſubſtantive, adiectivum vero numerum recipit à ſuppoſitis, ſubſtantiũ vero à forma à qua imponitur; ideo hoc nomen ens, ſi ſubſtantive ſumatur, non prædicatur niſi ſingulariter in divinis:* Expreſſe ergo negat D. Thom. nomen *ens*, ſubſtantive ſumptum, pluraliter prædicari in divinis.

Nec ſolus eſt D. Thom. in hac ſua reſolutione; illum enim ſequuntur Bonaventura in primo diſt. 23. art. 2. quæſt. 2. ad vltimum. Alexander 1. part. quæſt. 49. membro 3. Capreolus in primo diſt. 29. quæſt. vnica, art. 3. Bañez 1. part. quæſt. 29. art. 2. Nazarius ibidem, & alij plures Thomiſtæ.

Cæterum alij dicunt ens ſubſtantive ſumptum pluraliter dici de Deo. Ita Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 6. & tom. 1. 3. partis, diſp. 11. ſect. 2. Vazquez in præſenti diſp. 122. cap. 7. in fine, Molina, & Torres infra quæſt. 39. art. 3. Ruiz de Montoya hic, diſp. 26. ſect. 2. Alij diſtinguunt ens ſubſtantive ſumptum, in ens quod eſt tale ſimpliciter, & abſolute, & in ens non abſolute dictum, ſed ſolum cum addito: loquendo ergo de ente primo modo, aſſeverant non multiplicari in divinis, & ſic pluraliter nõ poſſe prædicari de Deo; bene autem de ente ſecundo modo. Vnde negant hanc propoſitionem *tres perſonæ ſunt tria entia*, ſubſtantive ſumpto *ens*; concedunt autẽ iſtam, *tres perſonæ ſunt tria entia relativa.* Quid autem intelligatur per ens ſubſtantive abſolute ſumptum, & ſimpliciter tale, & quid per *ens* cum addito, explicant ſic. Ens enim abſolute tale, eſt illud, quod, vel dicit exiſtentiam, vel radicat illam; ens cum addito, eſt illud, quod opponitur nihilo. Sic ſentiunt Salmanticenſes hic, diſput. 11. dub. 1. num. 12. & 13. Serra hic, art. 1. Gonçalez in præſenti. Et Gonet diſput. 6. art. 2. diſt. 1. & 2.

196 Pro reſolutione dico 1. Loquendo de ente ſubſtantive ſumpto ſimpliciter tali, hæc propoſitio non eſt concedenda, *tres perſonæ ſunt tria entia.* Hanc concluſionem probant apertiſsima loca ex D. Thom. adducta. Probat ſimiliter id, quod habetur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. vbi dicitur *Patrem totam entitatem ſuam dediſſe Filio*, & cum non dederit Filio, eſſe Patrem, infertur quod in Paternitate non eſt entitas abſolute, & ſimpliciter talis diſtincta ab entitate, quæ eſt Deus.

Ratio à priori huius ex eo deducitur. Nam ens abſolute & ſimpliciter tale, vel deſumitur ab exiſtentia, vel dicit eſſentiã, prout radicat exiſtentiam; ſed hoc non multiplicatur in Deo: ergo. Prob. Mai. illud eſt ens abſolute, & ſimpliciter tale, de quo verificantur omnes paſsiones entis, quæ explicantur illis dictionibus *reu bau*, id eſt, res, verum, bonum, aliquid, vnum; ſed omnes illæ paſsiones ſolum verificantur de ente, quod dicitur ab exiſtentia: ergo ens abſolute, vel ſimpliciter tale, vel deſumitur ab exiſtentia, vel dicit eſſentiã, quæ radicat exiſtentiam. Mai. patet, nam illud eſt ſimpliciter homo, quod radicat omnes paſsiones hominis: ergo illud erit ens ſimpliciter, quod radicat omnes paſsiones entis. Min. vero prob. Nam licet res, & vnum habeant converti cum omni quidditate, & ratione formali; bonum

res,

vero, & aliquid, ſolum conveniunt enti deſumpto ab exiſtentia, vel radicanti illam: etenim relationes divinæ bonitatem de propria linea non hebent, nec in propria linea aliquid ſunt. Primum aſſerit D. Tho. hic in hoc art. ad 4. ibi: *Dicendum, quod ratio illa procederet, ſi Spiritus Sanctus haberet aliam numero bonitatem à bonitate Patris; oporteret enim, quod ſicut Pater per ſuam bonitatem producit perſonam divinam, ita & Spiritus Sanctus; ſed una & eadem bonitas Patris eſt, & Spiritus Sancti, neque etiam eſt diſtinctio niſi per relationem perſonarum.* Quibus aperte negat bonitatem relativam.

Etiam de ſecundo extat textus celebris D. Tho. q. 2. de poten. ar. 1. his Verbis: *Nec tamen ſequitur, quod quamvis paternitatem Filius non habeat, quam Pater habet, aliquid habeat Pater, quod non habet Filius, nam ipſa relatio ſecundum rationem ſui generis, in quantum eſt relatio, non habet, quod ſit aliquid, ſed ſolum quod ſit ad aliquid.* Cuius rationem aſsignat q. 1. de veritate dicens. *Quod aliquid idem eſt, quod aliud quid; Filius autem non eſt aliud quid à Patre, ſed alius.* Et ſic non datur aliquid relativum.

197 Dico 2. ens, prout dicit omne id, quod eſt capax exiſtere exiſtentia reali, ſive propria, ſive aliena, ſubſtantive ſumptum, pluraliter dicitur in divinis. Pro huius dicti explicatione reducenda eſt ad memoriam illa duplex acceptio entis; altera entis completi, quod dividitur in decem prædicamenta, & per ſuos modos conſtituitur; altera entis abſtrahentis à completo, & incompleto, quod per modum ſuperioris analogi formaliter tranſcendit modos, & differentias entis, in qua acceptione de minimo modo entis verificatur, quod ſit ens, & ad inſtar huius duplicis acceptionis, aſcendendo ad divina, oportet ſimiliter ens divinum dividere: etenim ſicut in creatis habetur ens, quod completur per modos ſuos, ita in divinis habetur ens, quod completur per modos divinos, quales ſunt relationes divinæ, & ſic oportet, quod aſsignetur ens completum divinum, & hoc erit tantum Deus, & ens quod tranſcendit modos entis divini, qui ſunt divinæ relationes, quo ſenſu ens tantum dicit id, quod poteſt habere eſſe exiſtentiæ divinæ, ſive propriæ, ſive alienæ.

Secundo Adverto, quod relationes divinæ, à duplici ente divino tranſcenduntur; alia tamen, & alia tranſcendentia: etenim ſcandes identia ſubſtrati ad paſsiones, tranſcenduntur ab ente, quod eſt eſſentia divina; tranſcendentia autem ſuperioris, tranſcenduntur ab ente divino, prout dicit id, quod exiſtit exiſtentia divina, ſive abſoluta, ſive relativa. Primum tranſcendens non multiplicatur, & ſic loquendo de illo ente, tres perſonæ tantum dicuntur tria entia adiective, non vero ſubſtantive: ſecundum multiplicatur, quia multiplicato inferiori oportet multiplicari ſuperius, & loquendo ſic de ente, tres perſonæ dicuntur tria entia ſubſtantive; Verum ad vitandum errorem oportet ponere illud additum *relative*.

His prænotatis facile ſuadetur Concluſio. Etenim in Deo dantur aparte rei tres relationes exiſtentes exiſtentia reali: ergo dantur tria capacia realis exiſtentiæ: ergo tria entia ſubſtantive. Patet Conſequentia vltima, quia ens, in hac acceptione de qua loquimur, nihil eſt aliud, quam id, quod eſt capax exiſtere realiter: ergo ſi dantur tria capacia exiſtere realiter, dabuntur tria entia ſubſtantive. Pręterea, tres relationes ſunt tres res realiter diſtinctæ: ergo ſunt tria entia ſubſtantive. Ant. eſt certum certitudine fidei. Et Conſ. prob. nam res eſt paſsio entis: ergo ſi res multiplicantur, neceſſarium eſt multiplicari entitates reales.

Explicatur hoc. Licet eidem numero homini conveniant multæ paſsiones, vt admirativum, riſibile, mortale; tamen eidem homini nequeunt convenire duæ riſibilitates, neque duo admirativa; & licet eidem enti conveniat bonitas, vnitas, veritas; tamen duæ bonitates, duæ vnitates, duæ veritates nequeunt convenire eidem indiviſsibili enti: ergo neque eidem indiviſsibili enti poterunt convenire tres res: ergo ſi relationes ſunt tres res, & res eſt paſsio entis realis, neceſſarium erit fateri, quod ſint tria entia ſubſtantive.

Dices, tres relationes non comparari ad ens divinum, ſicut duæ riſibilitates ad hominem, neque ſicut duæ bonitates ad ens; ſed ſicut paſsiones diverſæ rationis; nam ab vna relatione accipit Deus eſſe Patrem, ab alia Filium, & ab alia eſſe Spiritum Sanctum; & ſic poſſe eidem enti divino tres res convenire, ſicut & aliæ paſsiones diverſæ eidem enti conveniunt; ſicut enim dicimus, quod idem ens divinum eſt bonum, eſt verum, eſt ſapiens, &c. Ita poterimus dicere quod idem ens divinum ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Sed contra inſto: nam licet tres relationes,

tiones, ſub munere relationum, effectus diſsimiles, & non omnino eiuſdem rationis tribuant; tamen conſideratæ vt ſunt res, & vt res eſt paſsio entis, diverſæ paſsiones velut ſpecificè non ſunt; ſed tantum numero diſtinctæ: ergo requirunt pro ſubſtratis tres entitates numero diſtinctas. Prob. Anteced. etenim paſsiones entis, vt entis paſſiones ſunt, non ſiunt ſpecificè diſsimiles niſi per eſſe rem, verum, bonum, aliquid, vnum: ergo ſtando in formalitate rei, prout res eſt paſsio entis, tres res, non ſunt diſsimiles ſpecie, ſed tantum numero differunt: ergo requirunt tria ſubſtrata, nempe tria entia numero diſtincta.

Tertio prob. Concluſio. Ens eſt ſuperius ad relationes: ergo ſi dantur in Deo tres relationes realiter diſtinctæ, dabuntur ſimiliter tria entia realiter diſtincta. Patet Conſeq. nam multiplicato realiter inferiori, non poteſt non realiter multiplicari ſuperius. Et Ant. patet. Nam ens eſt ſuperius ad abſolutũ, & relativum, & dividitur per modos abſolutos, & relativos.

Dices, ens creatum dividi per abſolutum, & relativum; non vero ens divinum, & aſsignabis rationẽ, ex eo, quod ens creatum propter ſui finitatem, & limitationem nequit ſecum adunare rem abſolutam & relativam; ens autem divinum, cum infinitũ ſit, in vna indiviſibili entitate adunare poteſt rem abſolutam & relativam; & ſic nequit dividi diviſione ſuperioris in varias relationes.

Sed contra inſto. Nam licet ratio infiniti, & illimitati convincat, quod ens divinum abſolute, & ſimpliciter tale, non ſit ſuperius ad abſolutum, & relativum; non tamen convincit, quod ens, vt abſtrahit ab ente ſimpliciter, & ab ente ſecundũ quid, non dividatur per abſolutum & relativum: ergo. Prob. Ant. licet ratio infiniti, & illimitati convincat in Deo rem abſolute, & ſimpliciter talem, non dividi per abſolutã, & relativã; non tamen convincit, quod loquendo de re, prout abſtrahit à re ſimpliciter tali, & à re ſecundum quid tali, non dividatur per abſolutã, & relativam, neque aufert, quod ratio rei dividatur per vnum, & multa; cum eſſentia divina vna res ſit, & relationes multæ res: ergo ſimiliter non auferet, quod ens, prout abſtrahit ab ente divino, ſimpliciter tali, & ab ente, quod tantum eſt modus, non dividatur, vt ſuperius, per abſolutum, & relativum;

§. IV.

Solvuntur quædam obiectiones contra hanc Concluſionem.

193 INSTABIS Primo. Ens ſecundum quid tale tantum dicit realitatem; ſed realitas non explicatur per *ens*, ſed per nomen *res*: igitur ſtando in proprietate ſignificationis, licet concedamus in Deo tres res; non tamen debemus concedere tres entitates. Confir. quia dicendo, quod tres perſonæ ſunt tria entia ſubſtantive, opponitur D. Thom. locis ſupra adductis, in quibus negat tria entia ſubſtantive, & ſolum admittit adiective poſſe dici tria entia: ergo nequit in via Thomiſtica concluſio noſtra defendi.

Ad hoc nego Mai. ens de quo loquor in concluſione, non ſolum dicit realitatẽ; ſed etiam dicit id, quod eſt capax exiſtere realiter, ſive propria, ſive aliena exiſtentia: Ad D. Thom. dico loqui de ente abſolute, & ſimpliciter tali; non de ente modali; quod non eſt tale abſolute.

Sed contra inſto. In primis quia Div. Thom. non agnoſcit hoc ens ſecundum quid tale. Deinde, quia ſi ſemel admittimus ens divinum ſimpliciter tale, & ſecundum quid tale, debemus admittere hoc ſecundum eſſe ens cum dependentia ſimpliciter in ratione entis, ab ente ſimpliciter tali; hoc autem nequit admitti: ergo. Conſeq. eſt bona. Mai. patet; quia vbicumque dantur duo extrema participantia aliquam rationem communem, aliud ſimpliciter, & aliud ſecundum quid; hoc ſecundum participat rationem illam dependenter à primo: ergo ſi in Deo datur ratio communis entis divini, participata ab vno extremo ſimpliciter, & ab alio ſecundum quid, debemus ponere quod ens divinum ſecundum quid, participet rationem entis divini cũ dependentia ab ente divino ſimpliciter. Min. autem ſic probo; quia hoc admiſſo, debemus ponere in Deo analogiam attributionis, quæ eſt ſecundum veram dependentiam vnius ab alio, vel plurium ab vno, quod magnum ſonat abſurdum intra Deum ponere: ergo.

Ad primum dico, quod hoc ipſo quod D. Thom. non admittit exiſtentiam relativam, ſed tantum abſolutam; & admittit relationem exiſtere per exiſtentiam alienam, admittit ens divinum radicans exiſtentiam; at admittit ens divinum, per hoc lo:

Digitized by Google

ſolum, quod capax eſt exiſtere per exiſtentiam alienam: & ſic agnoſcit hanc duplicem rationẽ entis ſubſtantive dicti. Ad ſecundam dico, quod Maior ſolum eſt vera in creatis, vbi extremum ſecundũ quid, nõ idẽtificatur realiter formaliter cũ extremo ſimpliciter tali: cum enim tunc extrema non ſint eiuſdẽ actualitatis, poteſt dari dependentia inter illa in participatione rationis communis; In divinis autẽ, cũ relationes, quæ ex propria linea tantũ ſunt ſecundum quid ens, ex eo, quod exiſtentiam de propria linea non habent; identificentur realiter formaliter cũ ente divino ſimpliciter, & abſolute tali, nõ poſſunt vere depẽdere ab illo in participatione rationis communis; omnis enim realis depẽdẽtia ab alio, dicit realẽ diſtinctionẽ ab illo: dicimus nihilominus, quod eſto relationes ab ente abſoluto non habeant dependentiã realem formalẽ, tamen habent virtualem, quia vere ſunt modi entis abſoluti.

199 Inſtabis ſecundo. Ens divinum ſubſiſtit in ipſa plenitudine eſſendi: ergo identificat ſibi omnem rationem entis, ſic, quod non poſſit dici, quod in ipſo ſunt tria entia ſubſtantive. Patet Conſ. etenim quia intelligere divinũ ſubſiſtit in linea intelligibili, ſic identificat ſibi omnia quæ expectant ad prædictam lineam, quod non datur diſtinctio realis inter aliqua pertinẽtia ad lineam intellectivam, vnde idẽ prorſus ſunt ſubſtantia intelligens, intellectus, intellectio, ſpecies, & obiectũ; & quia exiſtere divinum ſubſiſtit in ipſa plenitudine exiſtendi, ſic identificatur cum omni exiſtentia divina, quod non dantur in Deo plures exiſtentiæ realiter diſtinctæ: ergo quia ens divinum ſubſiſtit in ipſa plenitudine eſſendi, ſic identificabit ſibi omnem rationẽ entis, quod non poſſit verificari, quod in Deo ſint tria entia realiter diſtincta.

Confir. illud prædicatum tantum realiter multiplicatur in divinis, in quo perſonæ divinæ opponuntur; ſed non opponuntur realiter in ente: igitur ens non multiplicatur realiter in divinis. Ad hoc nego Conſ. ad ſalvandum enim veritatem antecedentis, ex quo infertur, non requiritur, quod in Deo non poſſint prædicari tria entia, ſed ſufficit, quod cum illis tribus ſummam identitatẽ habeat ens ſimpliciter tale: ſicut ad ſalvandum, quod res divina ſubſiſtat in ipſa plenitudine realitatis, non requiritur, quod de Deo nõ poſſint prædicari tres res, ſed ſufficit, quod res ſimpliciter, & abſolute dicta identificetur realiter formaliter cum tribus rebus relativis. Ad prob. conc. Ant. nego Conſ. linea enim intellectiva ſolum eſt abſoluta, & ſic non permittit diſtinctionem entitativã intra ſe ipſam. Quod ipſum dico de linea exiſtentiæ, quæ tantũ eſt abſoluta; linea autẽ entis abſtrahit ab abſoluto & relativo, & ſic permitit tres entitates relativas, ſicut & permitit tres modos, & tres relationes. Ad Confir. diſt. Min. ſed in eſſe nõ opponũtur, in eſſe, prout dicit exiſtentiam, vel eſſentiam radicantẽ illam, conc. Min. in eſſe, prout diſtinguitur contra nihil, nego Min. & Conſ. quam inſto in hoc nomine *res divina*.

200 Inſtabis 3. hoc ipſo quod admittantur in Deo tria entia ſubſtantive, debent admitti tres eſſentiæ; ſed non admittimus in Deo tres eſſentias: ergo neque poſſumus admittere tria entia ſubſtãtive. Prob. Mai. eſſentia dicitur ab ente: ergo ſi in Deo admittimus tria entia, debebimus admittere tres eſſentias. Confirm. 1. Deus eſt ens ſimpliciter tale: ergo nequit eſſe ens ſecundum quid tale: ergo chymericum eſt multiplicare in Deo hoc ens ſecundum quid tale. Patent Conſ. & Ant. prob. Ens ſecundum quid eſt illud, in quo realiter formaliter non inveniuntur prædicata entis ſimpliciter; ſed in relationibus realiter formaliter inveniuntur prædicata entis ſimpliciter, ſiquidem tranſcenduntur formaliter ab ente abſoluto: ergo nequeunt dici entia ſecundum quid. Secundo prob. idem Ant. Ens ſecundum quid diminuit ab ente ſimpliciter; at in Deo nihil habetur ſuperfluum, nec diminutum: ergo nihil, quod eſt in ipſo, poteſt habere rationem entis ſecundum quid.

Confir. 2. quia eſſe pure intentionale, eſt eſſe diminutum, probavimus ſupra Deo non poſſe convenire ens pure intentionale identificatum cum ente naturali: ergo quia ens ſecundum quid, eſt ens diminutum, nequibit Deo convenire, etiam ſi fingatur ſumme identificari cum ente ſimpliciter. Confirm. tertio, quia Chriſtus eſt Filius ſimpliciter, nempe naturalis, nequit eſſe Filius adoptivus, quod eſt eſſe Filium ſecundùm quid: ergo quia Deus eſt ens ſimpliciter, nequibit eſſe ſecundum quid.

Ad hoc arg. neg. Mai. ad prob. diſt. Ant. eſſentia ſumitur ab eſſe, prout eſſe dicit principium exiſtentiæ, conc. Ant. prout eſſe tantũ habet opponi nihilo, nego Ant. &

Digitized by Google

& Conſeq. Itaque, vt diximus, eſſentia proprie dicta, cum dicat, vel ens ſub propria exiſtentia, vel principians exiſtentiam, non deſumitur à quocumque eſſe, ſed ſolum ab eſſe, quod eſt principium exiſtentiæ; vnde quanvis admittamus tria entia ſubſtantive, cum iſta non ſint principia exiſtendi, ſed ſolum dicant puram capacitatem ad exiſtentiam alienam, non ſequitur, quod dentur tres eſſentiæ, proprie loquendo de eſſentia.

Ad primam Confir. diſt. Conſeq. ergo nequit eſſe ens ſecundum quid, quod eſt incapax eſſe ſimpliciter, conc. Conſ. quod eſt capax eſſe ſimpliciter, nego Conſ. Itaque, ſicut non repugnat, quod Deus ſit ſumme perfectus, & ſimul ſit aliquid, quod de propria linea non dicit perfectionem; ita non repugnat, quod Deus ſit ens ſumme, & ſimpliciter tale, & ſimul ſit aliquid, quod reſpective ad propriam lineam, tantū eſt ens ſecundum quid, quia ſicut non perfectum ex propria linea, eſt capax perfectionis alterius lineæ; ita eſſe ſecundum quid reſpective ad propriam lineam, eſt capax eſſe ſimpliciter de alia linea.

Ad 1. prob. Ant. diſt. Mai. ens ſecundum quid eſt illud, in quo non reperiuntur prædicata entis ſimpliciter; per comparationem ad omnem lineam eſſendi, conc. Mai. reſpective tantum ad propriam lineā, neg. Mai. & diſt. Min. inveniuntur prædicata entis ſimpliciter, comparative ad propriam lineam, nego Min. comparative ad lineam alienam, conc. Min. & diſt. Conſ. ergo non ſunt entia ſecundum quid, à toto genere entis, conc. Conſ. ſtando preciſe in proprijs relationis, nego Conſeq. Itaque eſſe aliquid ſecundum quid ens, ſtat dupliciter; vel à toto genere entis, ideſt, ſic quod ſive propria, ſive aliena penſentur, tantum eſt ens ſecundum quid, ſicut contingit in accidente: vel ſic, quod ſolum penſatis his, quæ de propria linea habet, tantum eſt ens ſecundum quid; de alia autem linea habet eſſe ſimpliciter: ſi primo modo accipiatur; id, quod eſt eſſe ſimpliciter, nequit eſſe ſecundum quid ens, vnde nulla ſubſtantia eſt accidens; ſi autem ſecundo modo accipiatur, ſic non repugnat, quod aliquid ſit ſimpliciter ens, & ſecundum quid: & quia relationes tantum hoc ſecundo modo ponuntur eſſe entia ſecundum quid, non repugnat quod Deus ſit ens relativum, quod ex proprijs, ſolum eſt eſſe ſecundum quid.

Ad ſecundam prob. Anteced. diſting. Mai. ens ſecundum quid, diminuit ab ente ſimpliciter; ſi ſit ens ſecundum quid à toto genere entis, conc. Mai. ſi ſit ens ſecundum quid, ſolum attentis his, quæ conveniunt ei de propria linea, ſub diſt. Mai. diminuit comparatione facta inter lineam, & lineā, conc. Mai. diminuit abſolute, nego Mai. & diſt. Min. at in Deo nihil habetur diminutum, comparatione lineæ ad lineā, nego Min. à toto genere entis, conc. Min. & diſt. Conſ. ens ſecundum quid, à toto genere entis, conc. Conſeq. ens ſecundum quid, cōparatione vnius lineæ cum alia linea, nego Conſeq. Itaque cum relatio, quæ purus reſpectus eſt, non ſit quid, ſed ad aliquid; ſpectatis his quæ ei conveniunt, ſecundum quod relatio eſt, certum debet eſſe, quod comparative ad ens abſolutum, ens diminutum præ omnibus ſit: Vnde aſcendendo ad Deum, in quo de fide eſt eſſe relationes, quæ puri reſpectus ſint; fateri debemus, eas eſſe ens diminutum ſecundum propria relationis, comparative ad ens divinum abſolutum; ſed quia tales relationes identificantur realiter formaliter cum abſoluto, à quo & formaliter tranſcenduntur, à toto genere entis quid diminutum nō ſunt: vnde ſalvatur, quod in Deo nihil diminutum ſit abſolute. Sed ſolum cum addito de propria linea. Habemus optimum exemplum. Certum eſt, quod id, quod de propria linea, non habet perfectionem, diminuit ab eo, quod ſumme perfectum eſt; & tamen non eſt inconveniens, quod divinum abſolutū, quod ſumme perfectum eſt, ſumme identificetur cum divina relatione, quæ ex propria linea non habet perfectionē, nec ex hoc ſequitur, quod in Deo aliquid diminutum abſolute ſit; quia eſto ex proprijs perfectione careat, tamen ex linea abſoluta ſumme perfectū eſt. Ita in præſenti.

Ad 2. confirm. dico, cauſalem illam eſſe inadæquatam: neque enim nos ex illo ſolo principio probavimus ens pure intentionale Deo convenire non poſſe; ſed ex eo, quia pure intentionaliter repræſentativum, eſt propter repræſentatum, ab eo, que menſuratur, & ab eo ſimpliciter dependet, quod Deo convenire non valet; quia cum ex natura ſua omnia contineat, & actus purus ſit in linea intelligibili, ex ſe, & à ſe habet omnia repræſentare, & ſic non requiritur ponere in Deo repræſentationem pure intentionalem, imò eſt

Digitized by Google

Impoſsibile eam ponere; ad ſalvandum autem Trinitatis myſteriũ, neceſſe eſt ponere in Deo abſolutum, & relativum, & quia linea huius, comparative ad lineam abſoluti, eſt ens ſecundum quid, ideo cogimur ponere duo genera entis ſubſtantivi; aliud entis ſimpliciter, & abſolute talis, & aliud comparative ſecundum quid.

Ad 3. dico, etiam illam cauſalem non eſſe adæquatam. Etenim Theologi negant Chriſtum eſſe Filium adoptivum Dei, quia eſt Filius eius naturalis; ſunt enim incompoſsibiles illæ duæ Filiationes ex eo, quod adoptio requirit extraneum ſuppoſitum à natura adoptantis; cumque ſuppoſitum Chriſti ſit ſuppoſitum Dei adoptantis, fit inde, quod repugnet Chriſtum eſſe Filium Dei adoptivum.

§. V.

Vtrùm ſint admittendæ in Deo plures veritates.

201 MAIOR Difficultas videtur eſſe circa hoc nomen *veritas*. Vtrum dicatur pluraliter in divinis. Et quidem videtur eſſe ſententia Parentis Auguſtini quod non dicatur pluraliter in divinis. Sic enim habet lib. 8. de Trinit. c. 1. *Vbi magnitudo ipſa veritas eſt, quidquid plus habet magnitudinis, neceſſe eſt, vt plus habeat veritatis: quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiã magnitudinis. Porro quidquid plus habet veritatis, profectò verius eſt; ſicut maius eſt, quod plus habet magnitudinis; hoc ergo ibi eſt maius, quod verius. Non autem verius eſt Pater, & Filius ſimul, quam ſingulus Pater, aut ſingulus Filius.* Et poſt pauca. *Sic & ipſa Trinitas tam magnum eſt, quam vnaquæque ibi perſona; non enim ibi maior eſt, quæ verior non eſt, vbi eſt ipſa veritas magnitudo; quia in eſſentia veritatis hoc eſt verũ eſſe, quod eſt eſſe; & hoc eſt eſſe, quod eſt magnum eſſe hoc eſt ergo magnum eſſe, quod eſt verum eſſe.* Ex quibus fit argumentum. Iuxta Auguſtinũ, veritas ſequitur conditionem magnitudinis; ſed magnitudo nullo modo pluraliter ſubſtantive prædicatur in divinis: ergo neque veritas pluraliter ſubſtantive prædicabitur in divinis.

Videtur etiam hoc ipſum eſſe ſententiam D. Th. nam in 1. diſt. 19. q. 1. art. 3. ad 1. ſic habet: *Dicendum, quod ſicut trium perſonarum vna eſt eſſentia, qua qualibet habet eſſe; quamvis ſint plures proprietates, quibus diſtinguntur; ita eſt etiam vna veritas trium perſonarum ex parte ipſius rei, de qua fit enũtiatio.* Et q. 1. de verit. art. 5. ad 18. habet: *Dicendum, quod ratio veri fundatur ſupra ens; quamvis enim in divinis ponantur plures perſonæ, vel proprietates; non tamen ibi ponitur niſi vnicum eſſe, quia eſſe in divinis, non niſi eſſentialiter dicitur, & omniũ iſtorum enuntiabilium, Patrem eſſe, vel generare, Filium eſſe, vel genitum eſſe, ſecundum quod ad rem referuntur, eſt veritas vna, quæ eſt veritas prima, & æterna.* Et ad 19. *Dicendum: quod quamvis alio Pater ſit Pater, & Filius, Filius; quia hoc ex Paternitate, illud ex Filiatione: tamen idem eſt, quo Pater eſt, & quo Filius eſt; quia vtrumque eſt per eſſentiam divinam, quæ vna eſt; ratio autem veritatis non fundatur ſupra rationem Paternitatis, & Filiationis in quantũ huiuſmodi, ſed ſuper rationẽ entitatis; Paternitas autẽ, & Filiatio ſunt vna eſſentia, & ideo vna eſt veritas vtriuſque.* Quã doctrinã videtur auſiſſe ex Boetio qui in libro. An Pater, Filius, & Spiritus Sanctus de divinitate ſubſtãtialiter prædicẽtur ſic habet: *Pater veritas eſt, Filius veritas, Spiritus Sanctus veritas eſt; nõ tres veritates, ſed vna veritas.*

202 Pro explicatione huius quæſiti adverto, non eſſe hic ſermonẽ de veritate formali, quæ conſiſtit in iuditio, quod Deus format de ſe ipſo, quæ appellatur veritas in cognoſcendo; hæc enim, cũ tantũ in actu intellectus cõſiſtat, & actus intellectus non multiplicentur ad multiplicationem perſonarũ, ſed vno actu intellectus, omnes tres perſonæ idem intelligant: vna ſola veritas in tribus perſonis eſt.

2. Adverto, non eſſe ſermonem de veritate tranſcendentali, prout dicit conformitatẽ cum ſuo principio; ſic enim propriè loquendo de veritate, veritas relativa eſt, & tantũ convenit Filio, qui cũ tantũ ſit Verbum Patris, ipſe ſolus procedit vt conformis, & ſimilis ſuo principio; abſoluta autẽ, cum principio careant, non habent capacitatẽ, vt dicatur de illis, quod ſuo Principio conformabilia ſunt: Spiritus etiã Sanctus, licet Principiũ habeat; illi tamen non aſsimilatur ex vi ſuæ proceſsionis: Pater etiam cum ſit Principiũ ſine Principio ſimiliter nequit dici ſimile, vel cõforme ſuo Principio: vnde loquendo iſto modo de veritate: tantum veritas relativa eſt vna competens Filio, quia Verbũ eſt: ſermo ergo tantũ eſt de veritate, prout dicit eſſe rei, à quo propoſitio dicitur vera, vel falſa. Et quidẽ ſi loquamur de eſſe divinarũ perſonarũ, vel prout dicit eſſentiam, vel prout dicit exiſtentiã,

ſic cum in Deo neque eſſentia, neque exiſtentia multiplicetur, veritas etiam nequit multiplicari; iuxta quam acceptionem veritatis locuti ſunt Auguſtinus, Thomas, & Boetius. Verũ quia in §. præcedenti nos diſtinximus duplex ens divinum; aliud quod dicit eſſentiam, vel exiſtentiã; aliud quod dicit ens, prout opponitur nihilo, quod dicitur realitas, difficultas maxima eſt in eo, an huic enti relativo ratio veri relativi adaptetur, ſic, vt ſicut in Deo dantur tres realitates, ſic dentur tres veritates etiam relativæ.

203 Dico ergo. Veritas non tantum ſumitur in Deo, prout dicit eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ. Prob. nam in hac propoſitione Pater non eſt Filius, ly *eſt* à quo ſumitur veritas, non dicit exiſtentiã divinam, neque eſſentiam divinam: ergo dicit ens divinum relativum. Prob. Ant. ſi ly *eſt* diceret eſſentiam, vel exiſtentiã, propoſitio illa eſſet falſa; faceret enim hunc ſenſum, Pater non habet eandem eſſentiã, quã habet Filius, vel Pater nõ habet eandẽ exiſtentiam, quã habet Filius: quæ duæ propoſitiones falſiſſimæ ſunt, cum Pater, & Filius eiuſdẽ eſſentiæ, & exiſtentiæ ſint: ergo ly *eſt* in dicta propoſitione, nec dicit ens divinũ, prout dicit eſſentiam, nec prout dicit exiſtentiam: dicit ergo ens relativum.

Secundo prob. omne illud ens poteſt in Deo ſubire rationẽ veri, quod poteſt fundare veram propoſitionẽ de Deo; ſed non ſolũ ens, prout dicit eſſentiã, vel exiſtentiã poteſt fundare veras propoſitiones de Deo: ergo non ſolũ ens, quod dicit eſſentiã, vel exiſtentiã in Deo, ſubit rationem veri. Patet Maior. Nam ens non alia ratione verũ dicitur, niſi quia menſura veritatis formalis eſt, iuxta illud, *ab eo, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa*: ergo. Min. vero prob. nam veritas huius propoſitionis, *Pater Paternitate eſt Pater*, non fundatur ſupra eſſentiam, vel ſupra exiſtentiam, quæ communia ſunt omnibus perſonis, ſed tantũ ſupra eſſe modale proprietatis perſonalis Patris, dicente D. Tho. vbi ſupra, *Pater alio eſt Pater, & Filius alio eſt Filius*: ergo non ſolum ens, prout dicit eſſentiã, vel exiſtentiam, habet in Deo fundare veritatem propoſitionis.

Dico 2. tres perſonæ divinæ ſunt tres veri ſubſtantive relative. Hæc patet ex prima. Sunt enim tres perſonæ tria entia ſubſtantive relative; ſed quodlibet ens relativum eſt verum relativum: ergo tres perſonæ ſunt tria vera ſubſtantive relative. Mai. Patet ex præcedenti §. Min. ex præcedente concluſione, & concluſio ſequitur in forma.

Ad authoritates ſupra adductas dico loqui de veritate, prout ſequitur ad ens eſſentiæ, vel exiſtentiæ; ſic enim non multiplicatur in Deo, ſicut nec ipſa eſſentia, vel exiſtentia; nõ vero loqui de veritate, prout deſumitur ab eſſe relativo, de quo diximus ſufficere ad fundãdã veritatẽ propoſitionis.

204 Hinc infero Gonet in conſequenter hic fuiſſe locutum. Nam cum ex vna parte diſtinguat duplex ens ſubſtantivũ in Deo, ſicut & nos diſtinguimus; negat tamen dari multas veritates, etiam relativas in Deo: in conſequenter quidem loquitur, nam verum eſt quædam paſsio, quæ nunquam ſeparatur ab ente quomodocumque ſit illud ens, in tantum, quod creaturæ poſſibiles, quæ actu non ſunt, ſed ſolum in potentia, adhuc veræ ſunt, & de facto à Deo cognoſcuntur: quamvis, quia bonæ non ſunt, de facto non amentur: ergo dum in Deo Gonet diſtinguit duo genera entis, aliud abſolutum, aliud relativum, in conſequenter loquitur non diſtinguens veritatẽ abſolutam, & relativam.

Sed contra nos arguit Gonet. Primo quia D. Th. in primo ad Annibaldum diſt. 29. q. 5. art. 2. ad 6. quod tale erat *Verum, ens, & res, & aliquid convertuntur; ſed plures res fuerunt ab æterno, quia plures perſonæ: ergo plura vera: ergo plures veritates*. Cui ſic reſpondet: *Dicendum, quod ſi res accipiatur communiter ad eſſentiam, & perſonã, plures res fuerunt ab æterno, ſcilicet plures perſonæ: nec tamen erant plura vera, quia verum eſſentiale*: ergo contra D. Thom. aſtruimus duplex verum aliud abſolutum, & aliud relativum, & hoc ſecundum multiplicamus, immultiplicato primo.

Ratione hoc probat. Illa enim quæ conveniunt perſonis divinis ratione eſſentiæ tantum, & non ratione relationũ, non multiplicantur in divinis; ſed veritas convenit perſonis divinis ratione eſſentiæ tantum: ergo non multiplicatur in illis. Prob. Min. veritas tranſcendentalis conſiſtit in entitate vt intelligibili, ſicut dicitur in metaphyſica; intelligibilitas autẽ divinis perſonis cõvenit ratione eſſentiæ, eo quod in divinis ſola eſſentia habet rationẽ ſpeciei intelligibilis, & obiecti motivi reſpectu ſui, attributorum, & relationũ: ergo veritas. Quod Confir. veritas enim ſuper immaterialitatem fundatur, vt docet D. Thom. ſu-

Digitized by Google

ſupra q. 14. art. 1. at immaterialitas divinarum perſonarum eſt tantum vna: ergo & veritas. Prob. Min. nam immaterialitas divina idem eſt, ac omnis potentialitatis excluſio, in qua ratio actus puri conſiſtit; ſed ratio actus puri non multiplicatur in perſonis divinis: ergo nec immaterialitas.

Ad 1. ex authoritate D. Thom. dico D. Thom. negare tres perſonas eſſe tria vera, ſicut, & nos negamus eſſe tria entia abſolute loquendo; non tamen negare plura vera cum addito, ſcilicet terminativa. Et quando dicit quia *verum eſſentiale*, loquitur de vero motivo; non vero, de vero terminativo: itaque duplex verum tranſcendentale datur in Deo; aliud motivum, & ratione ſui terminativum, & hoc eſt ſola eſſentia divina; aliud terminativũ tantũ, & hoc ſunt perſonæ; quando ergo dicit verum eſſe eſſentiale, loquitur de vero motivo, & terminativo ſimul, quod non multiplicatur; non vero de pure terminativo, quod ſunt perſonæ.

Ad rationem nego Min. Ad prob. conc. Mai. diſt. Min. intelligibilitas motiva, conc. Min. pure terminativa, nego Min. & diſt. Conſ. ergo & veritas motiva, & terminativa ſimul, conc. Conſ. pure terminativa, nego Conſeq. Ex qua doctrina dico ad Confir. quod veritas motiva, & terminativa ſimul, in ipſa ratione actus puri conſiſtit; & ſicut hæc non multiplicatur, ita nec veritas. Veritas autem pure terminativa fundatur in entitate eorum, quæ terminant divinam cognitionem: cum ergo illa ſint plura relative, ſunt plura vera relative.

§. VI.

Vtrùm ſit Trinitas in divinis.

205 HVIC Quæſito reſp. D. Th. hic quæſt. 31. art. 1. dicens: *In divinis vtendum eſt nomine Trinitatis* Probat. Quia in divinis ponitur pluralitas perſonarum: ergo etiam eſt ponenda Trinitas. Patet Conſeq. quia, quod ſignificat pluralitas indeterminate, ſignificat determinate Trinitas; importat enim determinatum numerũ, ſcilicet ternarium.

Circa titulũ huius quæſiti adverto duos ſenſus facere poſſe; alium de re; alium de nomine. De re, vtrum in divinis ſit Trinitas. De nomine, id eſt, vtrum hoc nomine *Trinitas* vtendum ſit in divinis. Primus ſenſus ſupra iam determinatus eſt, vbi docuimus cum D. Thom. in divinis eſſe tres perſonas, nec plures, nec pauciores. Secundus determinatur in hoc articulo, ſeu quæſito. Vnde conſulto D. Th. non reſpondit Trinitas eſt in divinis; ſed reſpondit, *in divinis vtendum eſt hoc nomine*, Trinitas. Adverto ſecundo, id quod D. Th. in hoc art. 2. ſolut. ad 1. nempe quod hoc nomen *Trinitas* ſecundum etymologiã vocabuli videtur ſignificare vnam eſſentiã trium perſonarũ, ita vt Trinitas nihil aliud ſit, quam trium vnitas; ſed ſecundum proprietatẽ vocabuli ſignificat magis numerũ perſonarum eſſentiæ divinæ, & propter hoc non poſſumus dicere, quod Pater ſit Trinitas, quia Pater non eſt tres perſonæ.

Facit tamen difficultatem id, quod in ſolutione ad 1. docet, videlicet, *non autem ſignificat ipſas relationes perſonarum, ſed magis numerum perſonarum ad invicem relatarum: & inde eſt, quod ſecundum nomẽ ad aliud nõ refertur* Et difficultas oritur ex eo, quod per hæc verba non videtur ſolvi argumentum in contra propoſitum, quod tale erat, omne enim nomen in divinis, vel ſignificat ſubſtantiã, vel relationem; ſed hoc nomen *Trinitas*, nõ ſignificat ſubſtantiã; alias prædicaretur de ſingulis perſonis: neque ſignificat relationem, quia ſecundum nomen, non dicitur ad aliud: ergo nomine *Trinitatis* non eſt vtendum in divinis. Huic autẽ argumento, non videtur fieri ſatis, dicendo, quod nomen *Trinitas* non ſignificat ipſas relationes perſonarum; ſed numerum: & inde eſt, quod ſecundũ nomen, ad aliud non refertur. Quod ſic probo, nam ſi Trinitas non ſignificat relationes perſonarum, non ſignificabit aliquid relativum: ergo ſignificabit ſubſtantiam: ergo ſignificabit aliquod, quod dicitur de ſingulis perſonis; & ſic non ſolvitur argumentum.

Præterea. Significare numerum perſonarum, vel eſt ſignificare ſubſtantiam, vel relationẽ, vel aliquid, quod neque ſit ſubſtantia, vel relatio; hoc vltimum videtur impoſſibile, alias in Deo præter genus ſubſtantiæ, & genus relationis, daretur aliud genus, nempe numerus, qui nec eſſet ſubſtã tia, neque relatio, quod non eſt admittẽdũ. Denique, numerus divinarum perſonarũ; cum non ſit de prædicamento quantitatis, ſed ſit tantum numerus tranſcendentalis; nihil addet ſupra ipſas perſonas, vel ſupra ipſas relationes perſonarum: ergo ex hoc,

quod ſignificat numerum perſonarum, vel relationem perſonarũ, non vere dicetur, quod non ſignificet ipſas relationes.

206 Pro ſolutione huius difficultatis revocanda ſunt ad memoriã ea, quæ docuimus ſupra, videlicet, quod numerus, ſi ponatur aliquid diſtinctum à rebus, quæ numerantur, non convenit Deo in ſe, & à ſe ipſo; ſed tantum illi convenit ex intellectu numerante, vnde tantum dicit quandam veluti extrinſecam denominationem, quæ neque eſt relatio divina, neque ſubſtantia divina, & hanc, vt applicatam perſonis divinis ſignificat Trinitas: vnde aptiſsime reſpondet D. Th. argumento facto, quod Trinitas non ſignificat ſubſtantiam, neque relationem, ſed numerum: & quod ſecundũ nomen non refertur ad aliud, ſignificat quidem abſolutũ conveniens perſonis, non à ſe; ſed ab intellectu numerante.

Vnde ad 1. obiectionem conceſſa prima Conſ. nego ſecundam: datur enim medium inter ſubſtantiam, & relationẽ, nempe numerum convenientem Deo ab intellectu numerante, qui neque eſt ſubſtantia divina, neque relatio. Ad 2. nego Min. nam numerus non convenit Deo à ſe ipſo; ſed à numero numerante: vnde diximus ſupra, quod divinis perſonis non convenit realiter intrinſice formalitas primæ, ſecundæ, & tertiæ, neque formalitas vltimæ, & non vltimæ vnitatis; ſed totum hoc convenit Deo realiter extrinſice a numero numerãte, & ſic non ſequitur loquendo de prędicatis realibus intrinſecis, quod pręter ſubſtantiam, & relationẽ, aliud genus entis Deo conveniat. Ad 3. dico, quod licet numerus tranſcendentalis qui ab intrinſeco rebus cõvenit, nihil addat ſupra ipſas res; tamen numerus explicatus per nomen *Trinitas*, aliquid addit, nempe extrinſecam denominationem numerati per tres vnitates primæ, ſecundæ, & tertiæ, & ſic bene ſtat, quod ſignificet numerum relationum ad invicẽ oppoſitarum; & quod non ſignificet ipſas relationes.

Sed iam inquiris, quis eſt iſte numerus numerans, à quo habetur numerus Trinitatis, an ſit divinus, an ſit Angelicus, an ſit humanus; divinus eſſe non valet, quia ab ipſo divina nequeunt accipere extrinſecã denominationẽ, cum enim intellectus divinus ſummè identificetur cum divinitate intellecta, nequit extrinſecam illi dare denominationẽ, quę ſolum poteſt oriri ab intellectu realiter diſtincto ab obiecto extrinſeçe denominato: ab intellectu etiã Angelico, & humano, provenire non valet, quia Trinitas eſt ab æterno, & nulla ex iſtis creaturis æterna eſt. Ad hoc dico quod Trinitas ab æterno dicitur ob illã aptitudinẽ, & capacitatẽ, quam habet multitudo perſonarum, vt ab intellectu humano numeretur: vnde licet intellectus humanus æternus non ſit; Trinitas tamen ab æterno eſt.

Sed inſtas: quia Creator dicitur à denominatione extrinſeca cauſata a relatione creaturæ, cum creatura ab æterno non eſt, Deus ab æterno creator non dicitur: ergo quia Trinitas à numero numerante dicitur extrinſece, dũ numerus numerans ab æterno non eſt, neque Trinitas ab æterno erit. Ad hoc nego Conſ. etenim creator, & creatura correlativa ſunt; iſta autem ex ſe habent, quod ſimul ſe ponant, & ſimul interimant, & ſic ratio creatoris ſolum ponitur ad poſitionẽ relationis creaturæ ad ipſum; non ſic autẽ de Trinitate, quæ non dicitur correlative ad intellectũ numerantem; vnde ob ſolam aptitudinẽ, quam habent, vt ab ipſo numerentur, poteſt ſalvari in divinis.

§. VII.

Vtrùm nomine triplicitatis vtendum ſit in divinis?

207 CIRCA Hoc quæſitum duplex invenitur modus dicendi. Primus docet hoc nomen *triplex* nõ poſſe prædicari de Deo; poſſe tamen prædicari de perſona divina: Vnde licet hæc propoſitio ſit vera, *Deus eſt trinus*; hæc tamen eſt falſa, *Deus eſt triplex*: hæc autẽ eſt vera, *Perſona divina eſt triplex*; *Proceſſio divina eſt duplex*. Hunc modũ dicendi ſequitur Suarez l. b. 3. de Trinit. cap. vlt. Vazquez diſp. 131. c. 3. Ruiz de Montoia in præſenti diſp. 38. ſect. 4. Granado tom. 3. tract. 5. diſp. 2. Secundus modus dicendi negat hoc nomen *triplex* poſſe prædicari de Deo, vel perſona divina. Hunc modum dicendi ſtatuit D. Thom. hic ſolut. ad 3. & in primo ſent. diſt. 24. q. 2. art. 1. quem ſequuntur omnes eius diſcipuli.

Pro veritate ſit concluſio. Hoc nomen *triplicitas, vel triplex*, non dicitur in divinis. Prob. 1. nam in Concilio Toletano 11. in confeſsione fidei, vbi explicatur, quibus nominibus explicari debeat pluralitas divinarum perſonarum, ſic habetur: *Hac eſt San-*

Sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, ſed Trinitas, & dici, & credi debet: ergo.

Reſp. Vazquez Concilium tantū voluiſſe, quod Deus non ſit triplex, quia Verbum *triplex* multiplicat terminum de quo dicitur; & ſic daretur intelligi, quod eſſent tres Dij, vel tres Deitates; non vero negat Concilium, quod loquēdo de perſona poſſimus dicere, quod ſit triplex. Sed contra hoc eſt: nam vt patebit legenti contextum, ibi enim tantum fit narratio de pluralitate perſonarum, & de illa dicitur quod non triplex; ſed Trinitas debet dici: ergo.

Prob. ſecundo authoritate Parentis Auguſtini 6. de Trinit. c. 7. ibi: *Nec quoniā Trinitas eſt, ideo triplex putandus eſt: alioquin minor erit Pater ſolus, aut Filius ſolus, quam Pater, ſimul & Filius*. Et cap. 8. *In ipſo igitur Deo, cum adhæret æquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus Sanctus Patri, & Filio æqualis, non fit maior Deus, quam ſinguli eorum; quia non eſt quo creſcat illa perfectio: & ideo Trinitas, potius quam triplex*. Et lib. 15. cap. 3. *Etiam in hoc libro apparuit Trinitatis æqualitas, & non Deus triplex, ſed Trinitas; nec quaſi aliquid duplum eſſe Patrem, & Filium ad ſimplum Spiritum Sanctum, vbi nec tria plus aliquid ſunt, quam vnum horum*.

Convincitur Vazquez his authoritatibus Auguſtini, quod mens eius fuerit, quod de Deo *nomen triplex* nequeat prædicari, non ſolum ratione Deitatis, verū neque ratione perſonarum. Cæterum Auguſtinum non ſequitur; ſed impugnat, & infringere conatur rationem eius. Nec ſolū Auguſtinum deſerit; ſed etiam Thomam, de quibus hæc loquitur: *Hæ tamen rationes, (quod pace tantorum virorū dicere liceat) non probant efficaciter id, quod intendunt*. Sed iam videte, qualiter Ieſuita iſte, oſculo pacis præmiſſo, duo maiora Eccleſiæ lumina conatur extinguere. Sed ſinamus illum abire cum illo, cui dictum eſt, *Iuda oſculo pacis Filium hominis tradis*. Et iam ratione probemus aſſertum.

Quam aſſignat D. Th. hic ſolut. ad 3. vox *triplex*, iuxta Boetiū lib. 1. ſuæ Arithmeticæ, c. 24. quem ſequuntur communiter arithmeticæ profeſſores, ſignificat illā proportionē inæqualitatis, ſecundū quā id, quod dicitur triplex, eſt maius, & perfectius illis, reſpectu quorū triplex dicitur; ſed in divinis talis proportio inæqualitatis non datur, nam perſonæ divinæ inter ſe omnino ſunt æquales: ergo hoc nomen *triplex* nullo modo poteſt prædicari de divinis.

208 Huic rationi multis ſe opponit Vazquez. Primo, quia ſi propterea nomen *triplex* non dicitur de Deo ratione perſonarum, quia ſignificat illam proportionem inæqualitatis, qua id, quod dicitur triplex, excedit ea, reſpectu quorū triplex dicitur; ſequitur etiā Deum ratione perſonarū, non poſſe dici trinū, quod eſt contra fidem: ergo. Probat Sequelā. Nam trinum etiā dicit numerū ternariū, qui maius quid eſt quavis vnitate ſeorſim ſumpta: ergo trinus ſignificat exceſſum ſupra vnitates: ergo non poſſet prædicari de Deo. Patet Conſ. nam ex eo, iuxta S. Thom. *triplex* nequit de Deo dici; quia ſignificat exceſſum illius, qui triplex dicitur ſuper ea, reſpectu quorum triplex dicitur: ergo ſi *Trinus* ſignificat ternarium, qui excedit vnitates ſeorſim ſumptas, ex quibus conſtituitur; non dicetur Deus trinus, ſicut nec dicitur triplex. Quis enim, inquit Vazquez, negare poterit, quod in divinis numerus ternarius excedat numerum binariū, & quod binarius excedat vnitatem; perſonæ enim duæ pauciores ſunt, quam tres: ergo datur exceſſus ſecundum magis, & minus inter divinas perſonas.

Sed ad hanc obiectionē, nego Sequelam. Ad prob. diſt. Ant. ſignificat ternariū, qui excedit vnitates quibus conſtat, loquēdo de ternario convenīēte perſonis ab extrinſeco numero numerante, conc. Ant. loquendo de ternario, qui convenit ab intrinſeco perſonis, per modū materiæ numerabilis, nego Ant. & diſt. Conſ. ſignificat exceſſum convenientem rebus numeratis ab extrinſeco, conc. Conſ. convenientē perſonis ab intrinſeco, nego Conſ. & etiā aliā quæ infertur, quā non probat ratio, quæ ibi adducitur. Nā triplex ſignificat exceſſum, quē habent materialiter ipſæ res, quæ numerantur; cumq; tres perſonæ non habeant plus de entitate, & perfectione, quam vna; *Pater enim*, inquit D. Th. ſupra adductus, *tantus eſt, quanta tota Trinitas*: fit inde, quod dictio *triplex* adhuc ratione perſonarū, de Deo dici non poſſit: Trinus autē ſolum ſignificat exceſſum convenientē perſonis ex numeratione activa intellectus, & ſic poteſt dici trinus. Fateor etiam tres perſonas eſſe plures, quam duas, & duæ quā vna, verū in vna præcōtinetur quidquid in tribus, nā licet inter ſe cōparatæ realiter diſtinguātur, ratione tamen eſſentiæ vna continet, quidquid continetur in tribus, cū vna tantū ſit res illa, quæ formaliter eſt tota Trinitas.

Digitized by Google

Obijcit ſecundo: nam illa ratio Div. Thom. tantum convincit Deum non poſſe dici triplicem; non vero, quod non poſſit dici multiplex; nam nomen *multiplex* non eſt nomen proportionis, ſed multitudinis; debet ergo aſsignari aliqua ratio, per quã convincatur de Deo non poſſe dici, neque quod ſit triplex, neque quod ſit multiplex, quod cum ratio adducta non convincat, diminuta erit.

Ad hoc nego Antec. ad prob. dico vocem *multiplex*, etiam ſignificare illum exceſſum, quo multa in creaturis excedunt pauciora, & quo excedunt vnum. Vnde multiplex, & triplex ſolum differunt in eo, quod triplex importat exceſſum determinatum, quem habet res, quæ dicitur triplex ad ea, reſpectu quorum talis dicitur: vnde cum ratio D. Thom. convincat vocem *triplex* non poſſe dici de Deo, quia ſignificat prædictum exceſſum inæqualitatis, & vox *multiplex*, etiam prædictum exceſſum, licet non determinatum; ſignificet, fit inde, quod convincat de Deo, non poſſe prædicari, neque triplex, neque multiplex.

Obijcies tertio, hæc vox *triplex* illum exceſſum inæqualitatis tantum ſignificat, quem arithmeticus conſiderat in numeris, vel reſpectu ſuarum vnitatum, ſigillatim ſumptarum; vel reſpectu minoris numeri; non autem mathematicus arithmeticus conſiderat id, in quo numerus materialiter ſumptus excedit vnitates, vel excedit minorem numerum: ergo vox *triplex* non ſignificat exceſſum inæqualitatis, quem habet res, quæ dicitur triplex materialiter ſumpta ad ea, reſpectu quorum dicitur. Prob. Min. Arithmeticus ſolum cõſiderat numerum pro formali, quatenus ſolum concernit materiam intelligibilẽ, quæ quantitas diſcreta eſt, vt denudatam ab omni materia ſenſibili: ergo tantum conſiderat exceſſum numeri ad numerum; non vero exceſſum in quo res, quæ numerantur, excedunt materialiter alias, vel exceduntur ab illis.

Ad hoc argumentum diſt. Min. non conſiderat exceſſum, penes qualitates ſenſibiles, conc. Min. exceſſum in linea quantitatis, nego Min. & Conſeq. Itaque Arithmeticus habet pro obiecto numerũ, prout fit ex vnitatibus quantis, & ſic habet pro obiecto exceſſum in materia quantitatis; ternarius enim quantus excedit in ſimplo binarium, & in duplo ſimplicem vnitatem quantam, & illum exceſſum, quem habent tres vnitates quantæ penes quantitatem, ſignificat hac voce *triplex*: vnde licet non conſideret exceſſum ortum ex qualitatibus ſenſibilibus, non infertur, quod non conſideret exceſſum, qui materialiter invenitur in rebus numeratis; in Deo autẽ nullus reperitur exceſſus, & ſic nequimus in divinis vti voce *triplex*.

Neque valet quod Vazquez dicit, quod non poteſt negari; quod tres perſonæ divinæ ſunt plures, quam duæ, & duæ quam vna, ac per conſequens, quod ſit exceſſus inæqualitatis in divinis. Non inquã valet: nam plures tunc excedunt pauciores, quando maior quantitas ſive molis, ſive virtutis invenitur in pluribus, quam in paucioribus; inter tres autem divinas perſonas nihil invenitur, quod non inveniatur in duabus, & in vna; ſiquidem Pater eſt illa ipſiſsima res, quæ realiter eſt Trinitas; eſt enim realiter formaliter eſſentia divina, quæ realiter formaliter eſt Trinitas; & ſic tantus eſt Pater, quanta eſt tota Trinitas: vnde loquendo de exceſſu, ex parte perſonarum numeratarum, falſum eſt dicere, quod tres excedant duas, & duæ vnã, licet loquendo de exceſſu convenientẽ perſonis extrinſece à numero numerante, poſſimus dicere tres perſonas excedere duas, & duas vnam, ſed hoc non ſufficit ad verificandum, quod Deus ſecundum perſonas ſit triplex, quia hæc vox ſignificat exceſſum inæqualitatis convenientem rebus numeratis à ſe, & ab intrinſeco, qui inter divinas perſonas nullo modo reperitur.

209 Secundo prob. Concluſio alia ratione qua vtitur D. Thom. in 1. diſt. 24. quæſt. 2. art. 1. vbi ex quatuor, quæ contra Arrium Eccleſia confitetur de Deo, aſsignans ſecundum, inquit: *Secundo eſſentiæ ſimplicitatem, & ideo confitetur ſimplicem, & negat multiplicitatem, vel diviſionem, quæ ponit rationem totius, & partis, quæ ſimplicitati adverſantur.* Ex quibus ſic argumentor. Dictiones *multiplex triplex* opponuntur attributo ſimplicitatis Dei, ratione cuius Deus, neque in eſſentia, neque in perſonis, admittit compoſitionem totius ex partibus: ergo non poſſunt prædicari de Deo. Conſeq. eſt evidens, & Ant. patet ipſa authoritate D. Thom.

Huic rationi, quam Vazquez fatetur eſſe de promptam ex Ambroſio & Bernardo, reſpondet, quod hæc vox *multiplex* licet in vna acceptione dicat aliquod compo-

po-

Digitized by Google

poſitum, tanquam totum ex partibus, & ſic nullo modo poſsit de Deo dici; admittit tamen aliam acceptionem, ſecundum quam tantum dicit alicuius rei multiplicationem, & ſecundum iſtam poteſt dici de Deo: ſiquidem veriſsimum eſt, quod in Deo relatio divina multiplicatur, & perſona multiplicatur vſque ad tres. Quam acceptionem conatur ſuadere primo ex D. Thom. qui quæſt. 10. de pot. art. 2. dicit in Deo duplicem eſſe emanationem. Et alibi duplicem eſſe proceſsionem, vt communiter dicitur. Similiter Nazianzenus Filium, & Spiritum Sanctum appellat geminum Patris Radium; quod idem eſt, ac duplicem radium; ſed apud iſtos Patres non admittitur Deum eſſe totum compoſitum ex partibus: ergo admittunt vocem *multiplex*, ſecundum quod tantum dicit multiplicationem perſonarum.

Sed contra hoc eſt. Nam ſi Verbum *multiplex* tantum ſignificaret multitudinē, vel multiplicationem, non dicerent Sancti fugiendam eſſe hanc vocem *multiplex* à confitentibus Dei ſimplicitatem, ſicut neque fugiunt hanc vocem *multitudo*: ergo dum hanc admittunt, & illam negant; ſignum eſt vocem *multiplex* ſignificare ſolam illam multitudinem, quæ eſt totum conſtans ex pluribus, tanquam ex partibus. Neque Vaſquium iuvant ea, quæ adducit ex D. Thom. nam Verbum illud *duplex* quo vtitur, dum dicit in Deo eſſe duplicē emanationem, pro eodem accipit, quod duas, vt in eodem contextu ipſemet Div. Thom. explicat. Nec etiam Vaſquium iuvat, quod ex Nazianzeno adducit. Nam Nazianzenus, dum Verbum, & Spiritum Sanctum geminum radium Patris appellat, non loquitur de illis, prout ad intra, ſed prout à Patre mittuntur ad extra, in ordine ad diverſos effectus cauſandos; Filius enim venit ad extra per incarnationem; Spiritus Sanctus per ſua dona, & chariſmata; aliud enim eſt, quod Verbum, & Spiritus Sanctus in ſe ſint duplex, vel geminus radius; & aliud quod duplices effectus ad extra habeant. Primum eſt falſum, ſecūdum verum.

210 Sed iam tertio contra Vazquez probemus aſſertum. Nam ſi ſemel admittatur triplicitas in divinis quoad perſonas, ita vt hæc ſit vera, *perſona divina eſt triplex*, eadem ratione hæc erit abſolute concedenda *Deus eſt triplex*, quod Vazquez non admittit: ergo. Prob. Sequela: nam tunc Deus, in hac propoſitione *Deus eſt triplex*, ſupponeret pro perſona divina in communi ſumpta: ergo quod prædicaretur de perſona divina in cōmuni ſumpta, prędicaretur vere de Deo. Prob. Ant. quia Generare cōvenit perſonæ Patris, In hac propoſitione *Deus generat*, Deus ſupponit pro perſona Patris, & ſic hæc eſt vera, *Deus generat*, quia hæc eſt vera, *Pater generat*: ergo quia eſſe triplex convenit perſonæ in communi ſumptæ, dum dico *Deus eſt triplex*, ly *Deus* ſupponeret pro perſona in communi ſumpta; & ſic hæc erit vera abſolute, *Deus eſt triplex*. Etenim Deus non magis poteſt ſupponere pro perſona in communi ſumpta, quam pro perſona in particulari; ſubſiſtit enim in tribus, ſicut & in vna in particulari.

Dices hanc vocem *triplex* plurificare terminum de quo dicitur pro formali; & ſic ſi dicatur de Deo, dabitur intelligi, quod Deus ſit triplex triplici Deitate: vnde, ſicut hoc nomen *tres*, additum huic termino *Deus*, numerat ſuppoſita ratione Deitatis; ita hoc nomen *triplex* additum Deo numeraret ipſum ratione formalis, quod blaſphemū eſt. Neq; Conſeq. à nobis facta aliquid valet; ſtat enim bene, quod aliquod prædicatū conveniat Deo ratione perſonarum, & quod de illo non dicatur abſolute: dicimus enim, quod perſonæ ſunt tres, & tamen non dicimus, quod Deus eſt tres, ſed quod eſt Vnus.

Sed contra eſt. Nam Vazquez hanc ſuam doctrinam abſque fundamento producit. Neque enim illam probat authoritate, neque ratione, ſicut nos probamus quæ de iſto termino *triplex* diximus authoritate Auguſtini, Boetij, Ambroſij, Bernardi, Thomæ: ergo ſolutio Vazquez nulla eſt. Deinde, nam hoc nomen *Triplex* non eſt nomen numerale primitivæ ſpeciei, ſed tantum derivativæ, ſicut hoc nomen Trinus: ergo non habet numerare formas, ſed ſuppoſita termini de quo dicitur: ſicut hoc nomen *Trinus*, quia derivativæ ſpeciei eſt, ſuppoſita numerat, & non formas. Quod non eſt dicendum de termino numerali, *tres*, qui primitivæ ſpeciei cum ſit, additus termino ſubſtantivo numerat ſuppoſita ratione formarum. Propter quam rationem eſto dicamus, *Deus eſt tres perſonæ*, nō dicimus, quod *Deus eſt tres*, quia denotaretur eſſe tres ratione Deitatis. Per quod ſolvitur inſtantia, qua inſtabatur noſtra Conſeq. Etenim hęc non valet, Deus

eſt

Digitized by Google

eſt tres perſonæ: ergo Deus eſt tres; quia variatur appellatio: in prima enim Verbũ *tres*, appellat ſupra perſonas; in ſecunda ſupra Deitatem: in ſecunda autem Conſeq. nempe Deus eſt triplex in perſonis: ergo Deus eſt triplex, appellatio non variatur, quia Verbum *triplex* eſt terminus numeralis derivatæ ſpeciei, & ſic tam in antecedenti, quam in conſequenti denotat cõvenire Deo ratione ſuppoſitorum. Vnde ſicut antecedens eſt falſum, ita & conſequens.

Sed inſtabis contra dicta quadam difficili authoritate Cyrilli Alexandrini Dialogo de Trinit. lib.3. colum.4. vbi de Deo Patre, Filioque hæc habet: *Duplex eſt in ſubſiſtentijs*. Et poſt pauca: *Dupliciter in ſubſiſtentijs*. Naziancenus etiam oratione 25. ad Evagrium Monachum hæc habet: *Deũ cum dico, vno, eodemque triplici lumine perſtringamini; triplici quidem, quantum ad proprietates, ſive hypoſtaſes; vnum autem, quantum ad ſubſtantiæ, hoc eſt, divinitatis rationem*: ergo.

Vt ſolvam hanc inſtantiam, adverto has voces *duplex*, *triplex*, multoties ſumi in lata ſignificatione, ad denotandum tantum numerum, vel multitudinem, & tunc *duplex*, idem ſonat quod duo, *triplex*, idẽ quod tres, & ſic non eſt inconveniens de Deo dici; ſicut neque eſt incoveniens prædicare de illo, quod ſint duæ proceſſiones, altera per intellectum; altera per voluntatem, & ſimiliter, quod perſonæ divinæ ſint tres, & ſic vtitur Cyrillus nomine *triplex*; non vero in rigoroſa ſignificatione huius vocis *triplex*. Et eodem modo loquitur Naziancenus, qui per triplex lumen, tantum vult ſignificare tria lumina. De Cyrillo patet, nam Dialogo citato de Trinit. ait: *Prædicat quidem, quam vnus ſit Deus, & nullo modo dilatat divinitatis naturam ad triplicitatem ſecundum ſubſiſtentiam*. Quibus verbis aperte negat triplicitatem de Deo prædicari. Quod ſi nomen *triplex*, proprie acceptum, idem diceret quod tres, falſum eſſet, cum confiteatur fides in vno Deo tres ſubſiſtentias: ergo dũ triplicitatem, vel duplicitatem prædicat de perſonis, pro eodem accipit triplex, quod tres, & duplex quod duo, quæ eſt lata, & impropria ſignificatio huius nominis *triplex*.

Ex dictis infero Picum de Mirandula turpius erraſſe quam Vazquez, dum dixit de Deo, vnum in triplici numine numen habet. Erravit quidem turpius, nam hoc nomen *numen*, ad eſſentiam divinam refertur, in qua neque exceſſus, neque pluralitas invenitur: ſi enim in Deo tria carentur numina, trina Deo deberetur adoratio, quod falſiſſimum eſt.

Infero ſecundò, quod ſi Pater v.g. realiter ratione naturæ divinæ non habeat totam realitatem, quam habet Filius, vt perperam Salmanticenſes volunt, vox *triplex*, vere poterit affirmari de divinis; hæc enim propoſitio tunc erit vera, *realitas divina eſt triplex*. Prob. nam tunc, cum Pater careat realitate Filij, & Filius realitate Patris, plus realitatis erit in Patre, & Filio, quam in ſolo Patre, & ſic poterit dici realitas duplex, vel triplex; explicabitur enim tunc exceſſus inæqualitatis ſecundum realitatem, quem habebunt Pater, & Filius ſuper ſolum Patrem, & ſuper ſolum Filium.

§. VIII.

De alijs conducentibus ad exactum modum loquendi in divinis.

211 DE iſta voce *alius*, & de iſta voce *ſolus*, debemus agere in hoc §. de voce *alius* inquirimus, an hæc propoſitio ſit vera, *Filius eſt alius à Patre?* Et reſpondeo, illã eſſe veram, & hanc eſſe falſam, *Filius eſt aliud à Patre*. Sic diffinitum eſt in Concilio Lateranenſi, & refertur in cap. *damnamus*. In Toletano 11. in confeſſione Fidei vbi redditur huius doctrinæ ratio, quia ly *alius*, ſolum denotat alietatem in perſona, at ly aliud denotat alietatem in eſſentia. Cuius pulchram rationem aſſignat D.Thom. hic art.2. ſolutione ad 4. ibi: *Dicendum, quod neutrum genus eſt informe; maſculinum autẽ eſt formatum, & diſtinctum, & ſimiliter fœmeninum: vnde convenienter per neutrum genus ſignificatur eſſentia communis; per maſculinum autem, & fœmininum aliquod ſuppoſitum determinatum in communi natura: Vnde etiam in rebus humanis, ſi quæratur, quis eſt iſte? reſpondetur, ſortes, quod eſt nomen ſuppoſiti; ſi autem quæratur, quid eſt? reſpondetur, animal rationale; & ideo, quia in divinis diſtinctio eſt penes perſonas, non autem ſecundum eſſentiam, dicimus, quod Pater eſt alius à Filio, ſed non aliud, & è converſo dicimus, quod ſunt vnum, non vero quod ſint vnus*. Iuxta quam doctrinam, quia in Chriſto tantũ eſt vna perſona ſubſiſtens in duabus naturis, Patres negant in Chriſto eſſe

alium,

alium, & alium, & affirmant eſſe aliud, & aliud. Sic Concilium Conſtantinopolitanum 5. collatione 8. Can. 3. & 6. Leo Primus in epiſt. 10. cap. 4. & 95. cap. 5. quæ epiſtola, quamvis poſtquam recitata fuit in Concilio Calcedonenſi, Patribus primo aſpectu diſplicuerit, vt habetur actione 2. poſtea tamen approbante Theodoreto ex ſententia Cyrilli Patres omnes conſenſerunt.

Eodem etiam modo vti poſſumus iſtis vocibus *alter*, & *alterum*, dicendo, Filius eſt alter à Patre, & negando eſſe alterum neutraliter ſumptum. Nam hæ voces idem ſonare videntur, quod *alius*, & *aliud*. Ita Bernardus epiſt. 190. Eodem etiam modo vti poſſumus hac voce, *idem*, accepto enim neutraliter, hæc eſt concedenda, *Pater & Filius ſunt idem*, & neganda ſi *idem* maſculine accipiatur: quod & notavit eleganter Guidmundus Archiepiſcopus Averſanus in confeſsione de Trinit. quæ eſt in 4. tomo Bibliothecæ Sacræ. Vnde cum Iuſtinus in expoſitione veræ confeſsionis Trinitatis inquit, *Filius non eſt idem cum Patre*, ſic eſt interpretandus, quod acceperit *idem* maſculine, non neutraliter. Eodem etiam modo vti poſſumus vocibus, *qui*, &, *quod*, vnde hæc eſt vera, *quod eſt Pater, eſt Filius*; & hæc falſa, *qui eſt Pater, eſt Filius*. Sic notarunt Ambroſius lib. 1. de fide, cap. 2 ſimiliter philoſophandum eſt de his vocibus, *vnus*, & *vnū*. Vnde ſcriptura dicit, *& hi tres vnum ſunt*. Hæc autem eſt falſa, *tres ſunt vnus*, niſi addatur, *Deus*.

212 De iſta voce *ſolus*, inquiro, vtrum ſit addenda termino eſſentiali in divinis? vt hoc quæſitum reſolvat D. Th. præmittit in art. 3. quod dictio *ſolus*, accipi poteſt dupliciter; vel vt cathegorematica, vel vt ſyncathegorematica; cathegorematica dicitur, quæ abſolute ponit rem ſignificatam circa aliquod ſuppoſitum, vt albus circa hominem, cum dicitur homo albus; dictio vero ſyncathegorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad ſubiectum, ſicut hæc dictio *omnis*, vel *nullus*. Hoc præmiſſo dicit, quod ſi dictio *ſolus*, accipiatur primo modo, nullo modo adiungi poteſt alicui termino in divinis; quia poneret ſolitudinem circa terminum cui adiungeretur, & ſic ſequeretur Deum eſſe ſolitarium, quod eſt falſum, cum ſit à ſociatus tribus ſuppoſitis. Si ſecundo modo accipiatur, ſic nihil prohibet hanc dictionem *ſolus*, adiungere alicui termino eſſentiali; quia ſic non habet excludere abſolute omne aliud ſuppoſitum; ſed tantum habet illud excludere à conſortio prædicati, v.g. cum dico, ſolus ſortes ſcribit, non datur intelligi, quod ſortes ſit ſolitarius, ſic quod nullus aliud ſit cum illo; ſed tantū dicit, quod nullus ſit conſors ei in ſcribendo: vnde quamvis multi ſint ſimul cū illo, ſi ipſe tamen ſcribat, & alij non ſcribant propoſitio illa eſt vera *ſolus ſortes ſcribit*; ſic vera eſt illa, *ſolus Deus eſt æternus*, quia in illa ſolum ſignifico, quod præter Deum, nihil eſt æternum, quod veriſſimum eſt.

Rurſus D. Tho. in ſolutione ad 1. docet, quod ad conſociationem, quæ excludit ſolitudinem, requiritur convenientia in eadem natura: vnde ſi Deus non haberet plures perſonas eiuſdem naturæ, diceretur eſſe ſolus in cœlo, quamvis ibi eſſent plures Angeli. Quod hoc exemplo declarat: etenim quamvis in horto, v.g. ſint plures plantæ, & plura animalia; ſi tamen ex individuis naturæ humanæ, Petrus tantum ſit in horto, verificatur hęc propoſitio *ſolus Petrus eſt in horto*, quia animalia & plantæ habent naturam extraneam à natura Petri, & ſic non faciunt aſſociationem cum Petro: ſic, inquit, Deus diceretur eſſe ſolus, vel ſolitarius, Angelis, & hominibus exiſtentibus cum illo in cœlo, ſi non eſſent in divinis plures perſonæ eiuſdem naturæ.

Hæc doctrina mihi apparet difficilis; videtur enim ex illa inferri Angelum Gabrielem eſſe in cœlo ſolum, vel ſolitariū, quia natura illius non eſt eiuſdem ſpeciei cum naturis aliorum Angelorum, cum in ſententia D. Thom. non dentur duo Angeli eiuſdem naturæ ſpecificæ. Nec valet dicere, quod ſolitudo excluditur per hoc, quod ſint eiuſdem naturæ genericæ. Nam D. Thom. dicit hoc non ſufficere, dum ait, quod licet alia animalia irrationalia eſſent in horto cum Petro: ſi tamen non adeſſent alij homines, Petrus diceretur eſſe ſolitarius in horto; Petrus autē eiuſdem naturæ genericę eſt cum alijs animalibus: ergo ſola Societas plurium ſuppoſitorum eiuſdem ſpeciei athomæ excludit ſolitudinē; cumque non ſint duo Angeli eiuſdem ſpeciei athomæ in cœlo, videtur ſequi aperte hanc eſſe concedendam, *Gabriel eſt ſolus in Cœlo*.

Ad hoc dico hanc eſſe falſam, *Gabriel eſt ſolus in cœlo*, quia licet non dentur duo Angeli eiuſdem ſpeciei in ordine naturali; ſunt tamen eiuſdem naturæ ſpecificæ, & eiuſ-

Digitized by Google

eiuſdem actionis ſpecificæ in ordine ſupernaturali; poſsident enim gratiam habitualem, lumen beatificum, & viſionem eiuſdem ſpeciei, quod ſufficit ad excludendam ſolitudinem, & fundandam Societatem: ſicque omnes appellantur Cives Cœleſtis Ieruſalem, & domeſtici Dei; Petrus autem, ſi non ſint alij homines in horto, dicitur eſſe ſolus, eſto alia animalia in horto ſint, quia cum illis non habet Petrus actionem rationalem communem.

Sed contra ſolutionem inſto: nam alia animalia, eſto non conveniant cum Petro in natura ſpecifica ſubſtantiali; conveniunt tamen cum illo in natura accidentali, nempe albedinis, nigredinis, caloris, frigoris, habent etiam convenientiam in actionibus vegetativæ, & ſenſitivæ partis; & tamē hæc non ſufficit ad excludendum ſolitudinem à Petro: ergo convenientia in gratia, lumine, & viſione, quæ tantum ſunt accidentia Gabrielis, non ſufficiet ad auferendam ab eo ſolitudinem. Secundò inſto: nam ſaltim ſequitur, quod ſi angeli eſſent creati in ſolis puris naturalibus, tunc vere ly *ſolus*, prædicaretur de Gabriele, ſiquidē tunc non conveniret cum alijs Angelis in gratia, lumine, & viſione Dei: ergo.

Ad primā conceſsis præmiſsis, nego Cōſ. nā albedo, nigredo, calor, & frigus, ſunt accidentia cōmunia omnibus corporalibus, ſive animalia, ſive inſenſibilia ſint; neque rationem naturę habent, quia in eodem ordine repugnat habere duas naturas: actiones etiam partis ſenſitivæ tantum ſequuntur ad gradum genericum animalis, & ſic non ſufficiunt ad excludendam ſolitudinē à Petro non aſſociato alijs hominibus: gratia autem eſt quædam natura ſupernaturalis ſolis Angelis, & hominibus communis: vnde verum eſt de illis, quod in ordine ſupernaturali eiuſdem athomæ naturæ ſunt, & earundem ſpecie proprietatū, & ſic poteſt haberi conſortiū inter Angelos, & homines, non vero inter homines, & alia bruta animalia. Ad ſecūdo dico, quod eſto Angeli eſſent creati ſine gratia, adhuc excluderetur ab illis ſolitudo, quia illorum naturæ, eſto ſpecifice differant in ordine naturali; habent tamen capacitatem eiuſdem ſpeciei ad eſſendum eiuſdem naturæ in ordine ſupernaturali.

213 Inquiro ſecundo de iſta voce *ſolus*, vtrum poſſit adiungi termino perſonali. Quod eſt inquirere, vtrum hæc ſit vera, *ſolus Pater eſt Deus*? Reſpondet etiam Angelicus D. huic quæſito in art. 4. quod dum dicimus, *ſolus Pater eſt Deus*, hæc propoſitio poteſt habere multiplicem intellectum: ſi enim *ſolus Pater*, ponat ſolitudinē Patris, vel circa Patrem, propoſitio eſt falſa; datur enim intelligi, quod Pater, qui ſolus eſt, Deus ſit, quæ eſt propoſitio falſa: ſiquidem Pater Deus eſt ſimul cum Filio, & Spiritu Sancto; ſi autem dictio *ſolus* ſyncathegorematice ſumatur, ſic poteſt intelligi multipliciter. Primò, ſic, quod excludat a forma ſubiecti, ita vt ſit ſenſus, *ille, cū quo nullus alius eſt Pater, eſt Deus*, & ita illam exponit Auguſtinus 6. de Trinit. cum dicitur. *Solum Patrem dicimus, non quia ſeparatur à Filio, vel à Spiritu Sancto; ſed hoc dicentes ſignificamus, quod illi ſimul cum eo non ſunt Pater*. Et hic ſenſus non habetur ex conſueto modo loquendi, niſi intellecta alia implicatione, vt ſi dicatur, *ille, qui ſolus dicitur Pater, eſt Deus*. Secundum verò proprium ſenſum, excludit à conſortio prædicati, & tunc ſi excludit alium maſculine, eſt falſa, facit enim hunc ſenſum, *nullus alius à Patre eſt Deus*, quod falſiſsimum eſt, cum Filius, & Spiritus Sanctus Deus ſint: ſi excludit neutraliter, eſt vera, facit enim hunc ſenſum, *ſolus Pater eſt Deus*, id eſt, nihil aliud à Patre eſt Deus, verum quia ly *ſolus*, reſpicit proprie ſubiectum, magis ſe habet ad excludendum alium, quam aliud, & ſic hæc propoſitio non eſt abſolute concedenda, ſed pie exponenda, ſi in aliqua ſcripturę inveniatur. Sic D. Tho.

Sed hic Adverto quod quæſitum noſtrum, & D. Tho. vtrum videlicet dictio *ſolus* poſsit adiungi termino perſonali, non debet intelligi in ordine ad quodcumque prædicatum divinum; ſed tantum in ordine ad prædicatum commune tribus perſonis, nam de hoc eſt difficultas; vnde poſui exemplum quæſiti in iſta propoſitione, *ſolus Pater eſt Deus*, & poſſem etiam apponere exemplum in ordine ad prædicatum *perſona*, quod eſt commune tribus. Neque enim eſt difficultas, quod poſsit adiungi reſpective ad alia prædicata notionalia, cum omnibus ſit certum hanc propoſitionem eſſe veram *ſolus Pater generat*, in qua dictio *ſolus* adiungitur termino perſonali; in ordine tamen ad prædicatum notionale, quale eſt *generat*.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO IX.

De divinarum perſonarum cognitione.

PRÆSENS quæſtio duas habebit partes: in prima agemus de impotentia naturali intellectus creati ad perfectè cognoſcendum myſterium Trinitatis; in ſecunda agemus de notionibus, quibus perſonæ Sanctiſsimæ Tryados cognoſcendæ ſint. Pro prima igitur parte ſit.

§. I.

Vtrùm Trinitas perſonarum poſsit per rationem naturalem cognoſci?

214 PROCEDIT quæſitum de cognitione Trinitatis, vt abſtrahit à cognitione quoad an eſt, & à cognitione quoad quod quid eſt. Procedit etiã de ratione naturali ſibi relicta, & qualibet ſupernaturali revelatione, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca deſtituta. In quo puncto elucidando, prima ſententia affirmat poſſe ratione naturali evidẽter inveſtigari Trinitatis myſterium. Ita tenent aliqui antiqui, quos refert Durandus in 1. diſt. 2. q. 4. num. 5 quos ſequutus eſt Raymundus Lullyus, dum inquit poſſe à nobis formari rationes, adeò evidentes, vt convincant quemcumque infidelem ad confitendum Deum eſſe Trinum. Favet huic ſententiæ Scotus in 4. diſt. 43. q. 2. dum ſaltim in angelo docet dari poſſe ſpeciem intrinsice naturalem, per quam habeat evidentem cognitionem, quam ipſe appellat ſimplicem notitiam myſterij Trinitatis; affirmat tamen talem ſpeciem eſſe extrinsice ſupernaturalem, quatenus ſic conferretur à Deo, quod eſſet angelo indebita. Favet etiã huic ſententiæ Richardus à S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 4. circa principium, vbi habet: *Credo ſine dubio, quod ad quamcumque explanationem veritatis, non modò probabilia, imò etiam neceſſaria argumenta non deſunt; Vnde etiam ad probationem Trinitatis perſonarum aliqui induxerunt rationem ex infinitate bonitatis divinæ, quæ ſe ipſam infinite cõmunicat in perſonarum proceſsione; quidam vero per hoc, quod nullius boni ſine conſortio poteſt eſſe iucunda poſſeſsio. Auguſtinus proceſsit ad manifeſtandam Trinitatem perſonarum ex proceſsione verbi, & amoris in mente noſtra, quam viam,* inquit Richardus, *ſupra ſecuti ſumus.*

Secunda ſententia, non tantum negat hoc myſterium poſſe ratione naturali cognoſci; verum aſſerit eſſe contra rationem naturalem. Ita tenuit Olchot in 1. diſt. 3. & ei Valde favent Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 11. & Molina hic § *poteſt autem*. Quatenus affirmant hoc myſterium apparere impoſſibile intellectui carenti lumine ſupernaturali, dum iudicat pugnare cum illo principio naturali, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

215 Sit concluſio. Myſterium Trinitatis ſolo naturalis rationis ductu nequit cognoſci. Iudico hanc concluſionem eſſe certã de fide. Vnde eam amplectuntur omnes Scholaſtici cum D. Tho. hic in ar. 1. & in primo diſt 3. q. 1. ar. 4. & 1. ad Annibaldum diſt 3. q. 2. ar. 1. in quibus omnibus locis, concluſionem hac ratione probat. Solo naturalis rationis ductu nõ poſſumus Deum cognoſcere niſi ex creaturis; ſed creaturæ non poſſunt nos ducere in cognitionem Trinitatis: ergo ſolo rationis naturalis ductu nequimus cognoſcere myſterium Trinitatis. Prob. Min. creaturæ tantum poſſunt ducere in cognitionem Dei, ſecundum quod eſt earum cauſa; ſed Deus eſt creaturarum cauſa ratione ſuæ virtutis, quæ eſt communis toti Trinitati: igitur nequeunt nos ducere in cognitionem Trinitatis.

Dices huic rationi, Deum, vt cauſam, non ſolum dicere virtutem, ſed etiam ſuppoſitum; neque enim cauſa dicitur ſolum principium quo, quod eſt virtus; ſed etiam Principium quod, quod eſt habens virtutẽ: cumque principium cauſans vt quod, ſint tres perſonæ divinæ, nam opera ad extra ſunt indiviſa, hoc eſt, cauſantur à tribus perſonis; fit conſequens, quod per effectus, non ſolum poſsimus venire in cognitionem Dei ſecundum quod eſt vnus, ſed etiam ſecundum quod eſt trinus.

Sed contra eſt: nam nullus effectus ducit in cognitionem cauſæ, niſi in eo, in quo aſsimilatur cauſæ; ſed aſsimilatio effectuũ cum cauſa, tantum eſt in principio quo, & non in principio quod: igitur cum creaturæ vt Dei effectus, ducant in cognitionem Dei vt cauſæ, tantum ducent nos in cognitionem principij quo, quod eſt virtus cauſativa; nõ vero in cognitionem principij quod, quod eſt ſuppoſitum.

Secundo

Digitized by Google

Secundo. Nam dato, quod effectus creati ducant in cognitionem ſuppoſiti, cuius eſt cauſare vt quod; adhuc non ſequitur, quod ſi tres perſonæ de facto cauſant, de facto ducant in cognitionem trium perſonarum: ergo ſolutio nulla. Prob. Ant. effectus tantum ducit in cognitionē illius principij, quod per ſe exigit ad ſui cauſalitatē; ſed nullus effectus naturalis creatus exigit ad ſui cauſalitatem concurſum trium perſonarum: igitur nullus effectus naturalis ducere poteſt in cognitionem trium perſonarum. Prob. Min. nam ſi Deus tantum eſſet vnus, adhuc poſſet cauſare in ordine naturæ eoſdem effectus, quos de facto cauſat: ergo nullus effectus naturalis Dei exigit ad ſui cauſalitatem concurſum trium perſonarum.

Itaque vis huius rationis in eo ſtat. Quod tres perſonas concurrere ad quemlibet effectum naturalem, non oritur ex eo, quod hoc exigat effectus naturalis ad ſui cauſalitatem; ſed oritur ex eo, quod cum cauſalitas conveniat Deo ratione formæ abſolutæ, & omne abſolutum neceſſario debeat convenire tribus perſonis; fit inde, quod omnia opera ad extra ſint communia tribus perſonis: cumque effectus non aſſimiletur cauſæ, niſi in eo, quod exigit ad ſui cauſalitatem; & ad hanc non exigat concurſum trium perſonarum, infertur, quod nequeat ducere in cognitionem trium perſonarum, eſto ducat in cognitionem vnius habentis Deitatem.

Dices, dari effectus, qui ſunt Trinitatis imagines, vt ſunt creaturæ intellectuales, in quibus tres potentiæ realiter diſtinctæ in vnitate animæ, vel ſpiritus, vere per modum imaginis repræſentant Trinitatē: ergo ſaltim illi effectus exigent concurſum totius Trinitatis, & ſic poterunt ducere in ipſius cognitionem. Explico hoc. Cum in Scriptura dicitur Deum feciſſe hominē ad imaginem, & ſimilitudinē ſuam, non habuit pro exemplari tantum ſuum eſſe abſolutum, ſed etiam relativum; aliàs homo non eſſet imago Trinitatis: ergo ad hominis cauſalitatem, Trinitas ingreſſa eſt per modum exemplaris: ergo Trinitas per ſe eſt exacta ad hominis productionem.

Sed contra eſt, nam homo, vel Angelus adhuc ad ſui productionem non exigunt concurſum trium perſonarum, adhuc per modum cauſæ exemplaris: ergo nulla eſt ſolutio. Probatur Ant. Homo, vel Angelus non ſunt expreſſa imago Trinitatis: ergo non requirunt Trinitatem à qua expreſſentur. Explico hoc. Vt homo, vel Angelus eſſent expreſſa Trinitatis imago, oporteret, quod non ſolùm eſſent tres potentiæ in eodem ſubiecto, quod eſt anima, vel forma Angelica; ſed etiam requireretur, quod dictæ tres potentiæ eſſent ipſamet numero anima, vel forma Angelica: in hoc enim conſiſtit Trinitatis myſterium, quod tres perſonæ, inter ſe realiter diſtinctæ, ſint vnus numero Deus, cum que non ita contingat, ſiquidem memoria, intellectus, & voluntas, licet inter ſe realiter diſtinguantur; identitatem tamen non habent cum anima, vel cum forma Angelica: nequibit expreſſa imago Trinitatis homini vel Angelo competere: quod ſi hæc non competit, non eſt caput ex quo homo, vel Angelus ad ſui productionem, per ſe exigant Trinitatem pro cauſa exemplari.

Dices ſententiam eſſe probabilem extra Scholam D.Thom. quod anima ſit ſuæ potentiæ: omnes enim Authores, qui eam dicunt eſſe immediate operativam, hoc defendunt, videlicet, quod intellectus, & voluntas non diſtinguantur realiter ab anima: ergo ſaltim in hac ſententia, dicendum erit, quod anima ſit imago Trinitatis.

Sed contra eſt. Nam adhuc hoc admiſſo, non ſequitur, quod homo ſit expreſſa Trinitatis imago: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Antec. qui dicunt animam eſſe realiter ſuas potentias, negare tenentur ipſas potentias inter ſe realiter diſtingui: nam in creatis illud principium, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſic eſt infallibile; quod nullam habere poſſit inſtantiam; vnde ſi voluntas, & intellectus ſunt idem animæ, neceſſe eſt, quod ſint idem inter ſe: non ergo in illa ſententia dici poteſt, quod homo ſit Trinitatis imago; ſiquidem ad hoc requiritur indiſpenſabiliter, quod tria ſint inter ſe realiter diſtincta, & in tertio identificata, quod non habet locum in ſententiâ, quæ ponit animam eſſe ſuas potentias.

Secundo inſto. Nam admiſſo, quod anima ſit Trinitatis imago, & quod exigat Trinitatem, tanquam cauſam exemplarē; adhuc non ſequitur, quod ille, qui cognoſcit tantum naturaliter animam, cognoſcat per illam Trinitatem: ergo. Prob. Ant. ad cognoſcendum per animam, tanquam per imaginem, myſterium Trinitatis, oportebat neceſſario prius ſcire, quod anima eſſet Tri-

Digitized by Google

Trinitatis imago, ſed hoc nequit ſolo lumine naturali cognoſci : ergo non poſſumus ſolo lumine naturali, per animam tãquam per imaginem, venire in cognitionem Trinitatis. Prob. Mai. quadam doctrina D. Tho. in primo ſent. diſt. 3. q. 3. ar. 2. ad 6. ibi: *Dicendum, quod imago animæ poteſt dupliciter conſiderari; vel vt res, vel vt imago: primo modo poteſt cognoſci à Philoſophis; ſecundo modo præſupponit cognitionem Trinitatis, cuius eſt imago.* Et plane res ita ſe habet : vt enim per aliquam picturam veniamus in cognitionem Cæſaris, primo oportet cognoſcere, quod illa ſit imago Cæſaris, & ſic oportet prius ſcire, quod fuit Cæſar. Scire autem quod anima ſit imago Trinitatis, hoc nulla ratione naturali fieri poteſt; & ſic requirit revelationem, vnde hac non præſuppoſita; nequimus per animam venire in cognitionem Trinitatis.

Dices, hanc doctrinam non habere veritatem. Nam vt per effectus naturales veniamus in cognitionem Dei, non eſt neceſſe præſcire, quod illi ſunt effectus Dei, & quod detur Deus: ergo ſimiliter, vt per animam, tanquam per imaginem Trinitatis, veniamus in cognitionem Trinitatis, non erit neceſſe prius ſcire quod ſit Trinitas, & quod anima eſt imago Trinitatis.

Sed contra eſt: nam, quod viſibilia iſtã ſint Dei effectus, ipſa natura docet; vnde nõ eſt neceſſe ad ſcientiam, quam habemus de Deo, præſupponere, quod Deus exiſtat, & quod illi ſint effectus Dei, ſed ſufficit præſupponere quid ſignificet hoc nomẽ Deus; at, quod anima ſit imago Trinitatis, natura nõ docet, ſed fides, ex qua habetur feciſſe Deum hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam : igitur non habetur paritas inter antecedens, & conſequens: & ſic ſemper erit verum, quod ad veniẽdum per animam, vt imaginem Trinitatis, in ipſam Trinitatẽ, præſupponatur fides de eo, quod anima ſit imago Trinitatis, & quod detur Trinitas. Itaque naturalis ratio in ſe habet principia naturalia ad probandum, quod iſta viſibilia ſint Dei effectus; non autem habet in ſe principia ad probandum, quod anima ſit imago Trinitatis, & ſic requiritur ad hoc ſecundum fides de eo, quod detur Trinitas, & de eo, quod anima ſit illius imago.

Dicitur ſecundo rationi noſtræ, quod non ſit neceſſe, quod demonſtrationes, quæ in hac vita mortali de Deo formantur, procedant ab effectu ad cauſam, ſed ſufficit, quod procedant ab æquali ad æquale. Sic reſpõdet Lulyus. Sed chymerica eſt iſta reſpõſio. Dicat Lulyus, vbi invenitur hoc medium æquale cum myſterio Trinitatis; neque enim eſt ipſe Deus vt vnus, nam per Deum vt vnum, prout à nobis imperfecte cognoſcitur, nequimus venire in cognitionem Dei, vt trinus eſt. Non eſt etiam aliquid creatum, nam nihil creatum æquatur Deo: ergo chymericum eſt tale medium, & ſolum fingitur ad ſolvendum rationem D. Thom.

Tertio reſpondet Scotus rationi D. Tho. quod concludit, quod vtendo diſcurſu non poſſimus venire naturaliter in cognitionem Trinitatis: non tamen concludere, quod Deus non poſſit infundere Angelis aliquam ſpeciem repræſentativam Trinitatis, per quam illius ſimplicem habeant notitiam. Sed contra eſt, nam vel illa ſpecies Deum trinum immediate repræſentaret, vel immediate repræſentaret aliquid creatum, & mediate Trinitatem: ſi primũ, hoc eſt impoſſibile, nam, vt ſupra docuimus cum D. Tho. q. 12. ar. 2. nulla ſpecies creata poteſt immediate aliquid increatum repræſentare: ſi dicatur ſecundum; inquiro, vel ille effectus immediate repræſentatus, eſſet aliquid ſupernaturale, vel ordinis naturalis: ſi hoc ſecundum, impoſſibile eſſet, quod talis ſpecies repræſẽtaret Trinitatem, nam nullus effectus ordinis naturæ habet per ſe connexionem cum Deo vt trino; vel eſſet aliquid ſupernaturale, & tunc vis luminis naturalis, non poſſet intelligere per talem ſpeciem, niſi confortaretur aliquo lumine ſupernaturali : ergo ſolo rationis naturalis ductu adhuc non poſſet de Trinitate ſimplex notitia haberi. Probo hanc partem antecedentis, nam vis intellectiva naturalis ſolum poteſt intelligere per illam ſpeciem, cum qua habet proportionem in modo eſſendi; ſed inter vim intellectivam naturalẽ ſolam, & ſpeciem ſupernaturalẽ, non eſſet proportio, & convenieẽtia in modo eſſendi: ergo non poſſet vis intellectiva naturalis per talem ſpeciem intelligere.

§. II.

Solvuntur Argumenta contra concluſionem.

216 PRIMÒ arguitur. Nã multi Philoſophi antiqui cognoverunt myſterium Trinitatis;

nem, vel auditū ab alijs. Et in primo ad Anni baldū diſt. 3. q. 2. art. 2. vbi poſtquā negavit Philoſophos antiquos ratione ſola naturali hoc myſteriū cognoviſſe, ſubdit: *Potuerunt tamē devenire per revelationē à Deo, ſive à dæmone factā, ſive per doctrinā alterius, ſicut dicitur Platonē legiſſe libros legis, & Prophetarū, per quos aliqualē cognitionē Trinitatis habere potuit.* Et ad 2. habet: *Ad ea, quæ objiciebantur de verbis philoſophorū, dicendū, quod per doctrinā, vel revelationē ad hoc venerunt, nō per inquiſitionē rationis.* Quibus cōſtat D. Th. neque S. Patres in hoc puncto relinquere, neq; ignoraſſe, quę ipſi ſciverunt, vt per perā conatur oſtēdere Vazquez Ex qua doctrina ad argumētū factū reſpōdeo, ita eſſe, quod antiqui Philoſophi aliqualē habuerūt notitiā Trinitatis; ſed ad illā nō perveniſſe ex rationis naturalis inquiſitione, ſed ex revelatione alijs facta, qui de hoc myſterio aliqua docuerunt. Vnde nihil ex hoc infertur contra Concluſionem.

217 Secūdo arguitur. In qualibet creatura eſt relatio realis diſtinctionis ad qualibet perſonā divinā; cū ergo ſint in Deo tres perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ, in qualibet creatura erunt tres relationes ad tres divinas perſonas: ergo, qui cōprehēderit creaturā aliquā, cognoſcet illā vt diſtinctā à tribus divinis perſonis, & ſic per creaturā cōprehenſam cognoſcet Trinitatē perſonarū. Primū Ant. prob: quælibet creatura, vt di diſtincta realiter, refertur ad id, à quo diſtinguitur realiter; cū ergo creatura realiter diſtinguatur à tribus perſonis, & ipſæ inter ſe ſint realiter diſtinctæ, erit neceſſariū, quod realiter creatura referatur, relatione diſtinctionis, ad tres divinas perſonas. Prima Cōſeq. patet. nā Angelus v.g. cōprehēdens formicā, cognoſcere debet omnē habitudinē naturalē, quā habet formica; cognoſcere autē habitudinē nequit, ſi nō cognoſcat terminū prædictę habitudinis: cū ergo habitudo diſtinctionis, quā dicit formica ad tres divinas perſonas, ſit naturalis, Angelus cōprehēdens formicā, debet talē habitudinē cognoſcere; & quia habitudo nequit cognoſci, ſi nō cognoſcatur illius terminus, fiet neceſſe, quod naturaliter cognoſcat Trinitatē perſonarū, quæ eſt terminus habitudinis diſtinctionis cuiuſcumque creaturæ.

Ad hoc arg. nego, quod in creatura dētur tres habitudines diſtinctionis, quibus referatur, vt diſtincta ad tres divinas perſonas, à quibus realiter diſtinguitur; eſt enim vna tātū diſtinctionis relatio, qua refertur, vt diſtincta ad omne id, quod realiter nō eſt ipſa; ſicut in Patre habēte plures Filios, eſt vna relatio ſimplex Paternitatis, qua refertur ad omnes Filios; vbi enim ex parte termini habetur eadē ratio formalis terminādi, non oportet multiplicare relationes ex parte termini, quod refertur, ſed ſufficit ponere vnā tantū relationē, & illi conſignare terminū formalē, & materiales confundere ſub illo formali: ad cōprehenſionē ergo talis habitudinis, non requiritur cognitio terminorū materialiter ſumptorū ſecundū ſuas peculiares rationes, ſed ſufficit cognitio eorūdē, vt confunduntur ſub termino formali, & ſic ad cōprehendēdū formicā, & cognoſcendā habitudinē realē, qua refertur, vt diſtincta, nō requiritur cognoſcere ea, à quibus diſtinguitur, ſecundū ſuas peculiares rationes, ſed ſufficit illa cognoſcere, vt cōveniūt in eſſe diſtincti à formica, & ſic nō requiritur, quod ſi formica refertur relatione diſtinctionis ad tres perſonas, quod tres perſonæ cognoſcantur, vt ſunt inter ſe diſtinctæ.

Secundo reſpōdetur, quod dato, quod formica, v.g. tribus relationibus referatur ad tres perſonas, adhuc non ſequitur, quod Angelus cōprehēdens formicā, debeat cognoſcere illas habitudines, quibus formica refertur ad tres divinas perſonas: nā prædictę habitudines, licet ex parte vnius extremi, nēpe formicæ, ſint naturales; ex parte alterius, nēpe perſonarū, ſunt ſupernaturales, & ad cōprehenſionē alicuius entis naturalis ſufficit omnia pure naturalia cognoſcere; nō vero requiritur cognoſcere, quę partim naturalia, & partim ſupernaturalia ſunt, quia horū cognitio excedit vim luminis pure naturalis: cūque alterū extremū harū habitudinū ſit partim naturale, & partim ſupernaturale, fit inde, quod & ſi angelus formicā comprehendat, has habitudines non videat.

218 Tertio arguitur. Qui cognoſcit alicuius rei imaginem, cognoſcit per illā imaginatū; ſed anima noſtra eſt imago Trinitatis: ergo qui illā cognoſcit, cognoſcet per illā Trinitatē. Sed Angelus: v.g. comprehēſive, ſolo naturæ lumine, animā, & ſe ipſum cognoſcit: igitur per animā, vel per ſe ipſum, cognoſcit Trinitatem. Ad hoc argumentū diſt. Mai. qui cognoſcit imaginē, per illam cognoſcit imaginatū, ſi imaginē ſolū cognoſcat vt res quędā eſt, neg. Ma. ſi cognoſcat imaginē, vt imaginē, conc. Ma. & concella Mi. diſt. Cōſ. cognoſcet Trinitatē, ſi animā cognoſcat tantum vt res quædam eſt, nego Conſ. ſi animā cognoſcat, vt imaginē Trinitatis, conc. Conſ. ad Min. ſubſumptam, conc. Min. nego Conſ. nam Angelus com-

prehendens ſe ipſum, vel animā, non cognoſcit illam vt imago eſt Trinitatis, ſed id, quod eſt Trinitatis imago, cognoſcitur vt res quædam eſt; & ſic non ſequitur per illā cognoſcere Trinitatem.

Sed contra inſto: Angelus comprehēdens animā, cognoſcit eius ſubſtantiam, & omnem eius modum naturalem; ſed eſſe imaginem Trinitatis convenit animæ ſecundum ſibi naturalia, ſi enim prædicatū ſupernaturale eſſet, non poſſet condi in puris naturalibus, vt naturalia diſtinguuntur à ſupernaturalibus, quod eſſe falſiſsimum docetur à Theologis 1.2. q.109. igitur Angelus comprehendens animam, cognoſcit illam non tantum in eſſe rei, ſed etiam in eſſe imaginis. Ad hoc diſt. Mai. & omnem eiuſmodum naturalem, tam ſubiective, quam terminative, conc. Mai. naturalem, tantū ſubiective, & ſupernaturalem terminative, nego Mai. & diſt. Min. ſecundum ſibi naturalia, ſubiective, & terminative, nego Min. ſubiective, ſed non terminative, conc. Min. & nego Conſ. Itaque eſſe imaginē Trinitatis convenit animæ, ſecundū quod eſt quædā imperfecta expreſsio Trinitatis, & ſic ex parte termini, quod imperfecte exprimit, eſt ſupernaturalis.

Sed in contra inſto. Nam implicat per aliquid poſsitive naturale, exprimi etiam imperfecte aliquid ſupernaturale: ergo cum anima adęquate ſubiective naturalis ſit, implicabit eſſe expreſsionem etiam imperfectam alicuius ſupernaturalis. Prob. Ant. omnis expreſsio, etiam imperfecta rei ſupernaturalis poſitive connectitur cum re ſupernaturali, & illam poſitive pro termino exigit; ſed nihil ſubiective naturale poſitive connecti poteſt cum re ſupernaturali: ergo implicat animam ſecundum ſuum eſſe poſitive naturale, eſſe expreſsionem etiam imperfectam rei ſupernaturalis. Prob. Mi. nam ideo probant Theologi 1.2.q.113. nullam actū pure naturalem poſſe etiam imperfecte, & remote diſponere ad gratiā, quia nihil pure naturale poteſt poſsitive cōnecti cū re ſupernaturali, & illā poſsitive exigere: ergo.

Propter hoc argumentū aliter reſpondetur ad 1 inſtantiam, diſtinguendo Mai. & omnem eius modum abſolute ſumptum, conc. Mai. cōnexive ſumptū cum omni ſuo termino extrinſeco, nego Mai. & conceſſa Min. nego Conſ. Itaque ad animæ comprehēſionē ſufficit, quod cognoſcatur eius ſubſtantia, & omnis eius modus naturalis, qui virtute ſubſtātiæ animę valet cognoſci: ſunt autē aliqui modi naturales, qui habent connexionem cum aliquo, quod virtute animę cognoſci non poteſt, & ſic ſufficit ad comprehenſionē cognoſcere tales modos abſolute ſumptos, non cōnexive cum terminis, quia ad ſic cognoſcendū vnum, vt cōnexū cum altero, requiritur cognoſcere vnū, & alterum cognitionis extremū, & ſic contingit in præſenti in modo imaginis Trinitatis, nullus enim poteſt cognoſcere imaginem, vt imaginem, quin ſciat illud, cuius eſt imago: & ſic ad cognoſcendum animā, vt imago Trinitatis eſt, prærequiritur ſcire, quod ſit Trinitas, quod cum non poſsit cognoſci niſi per revelationem, fit clare, quod ſecluſa revelatione, Trinitas cognoſci nō poſsit.

Secundo reſp. ad argumentum principale diſt. Mai. ſi talis imago ſit perfecta, & expreſſa imago illius imaginati, conc. Mai. ſi ſit imperfecta, & immediate tale imaginatum non repræſentans, ſed aliquid, cum quo habet imaginatum aliquā ſimilitudinem, & aliqualē proportionem, nego Mai. & diſt. Min. eſt imago expreſſa Trinitatis, nego Min. imperfecta, conc. Min. & nego Conſ. itaque cum animā vocamus imaginem Trinitatis, nolumus dicere immediate repræſentare Trinitatem, ſed tantū repræſentare aliquid, cum quo habet aliquā proportionem Trinitas: habet enim repræſentare naturam intellectualem habentem intellectum, & voluntatem, ex quorum actionibus Trinitas Deo competit, nam Filius procedit per actionē intellectus, & Spiritus Sanctus per actionem voluntatis; vnde per animam, tantum poſſumus ſcire de Deo, quod ſit naturæ intellectualis habentis intellectum & voluntatem. Poſtquam autem ſcimus per revelationē dari in Deo perſonas procedentes per actus dictarū potentiarū, tunc colligimus hoc contingere, ad eum modum quo in nobis per actum intellectus procedit Verbum, & per actum voluntatis impulſus, & ſic anima, ſuppoſita fide Trinitatis, repræſentat nobis aliquo modo imperfecte, & analogice Trinitatem.

219 Quarto arguitur. Deus, vt author naturæ, cognoſcit ſeipſum vt Trinum: ergo poteſt ſui, vt Trinus eſt communicare cognitionem alicui intellectui creato. Patet Conſ. quia quidquid Deus cognoſcit, vt author naturæ, cognoſcit per lumen naturale increatum: ergo & poteſt manifeſtare creaturę per lumen creatum naturale; nam ſicut lumen ſupernaturale creatum, eſt participatio luminis increati ſupernaturalis; ita & lumen creatum naturale eſt participatio luminis increati naturalis: ergo

Digitized by Google

ſi Deus per lumē increatū naturale cognoſciãt ipſum, vt Trinū, per lumen naturale creatū, quod ſit participatio luminis increati naturalis, poterit manifeſtare creaturæ ſe eſſe Trinum. Ant. autē primū ſic probatur. Nā Deus condidit hominē ad imaginē Trinitatis, vt author naturæ, ergo, & vt author naturæ cognovit ſe ipſum, vt Trinum.

Ad hoc argum. nego Ant. ad prob. diſt. Ant. ad imaginem Trinitatis imperfectā, conc. Ant. perfectam, nego Ant. & Conſ. Itaque, iam dixi Deum non feciſſe hominē imaginē exprimentem Trinitatem; ſed ſolum exprimentem naturam intellectualē habentem intellectum, & voluntatē, ſupra quæ fundari poſſet ratio imperfecta, & valde confuſa imaginis Trinitatis, & ſic ad conditionem hominis ſat fuit Deo habere, vt authorē naturæ, cognitionē ſui ipſius, ſecūdum quod quædā natura increata intellectualis eſt; non vero ſecundum quod eſt Trinus.

§. III.

Soluuntur rationes Raymundi Lulij.

220 CONATVR Hic author euidēter oſtendere circa Trinitatis myſterium, vi ſola luminis naturalis, tria. Primum eſt, plures in Deo eſſe perſonas; ſecundū, nec plures, nec pauciores eſſe, quam tres. Tertiū eſt, has tres perſonas eſſe Patrē, Filiū, & Spiritum Sanctū. Sic prætendit in libro quē appellavit *Apoſtropha*, & in libro de demōſtratione æquiparantiæ, & in libro ſent. in principio vbi inquirit, an Theologia ſit ſcientia? Primū ſic oſtendit. Vbicumque eſt concordia, eſt etiam pluralitas; in divina autē bonitate eſt concordia: ergo eſt pluralitas. Mai. nō probat, ſed vt manifeſte veram, illā ſine probatione relinquit. Min. autē probat ſic: vbicumque eſt actus, eſt concordia agentis, & acti in ipſo actu; in divina bonitate eſt actus, quem ipſe appellat bonifacere: ergo ibi eſt concordia bonificativi, & bonificabilis in actu bonificādi. Secundo, vbicumq; eſt æqualitas, eſt diſtinctio inter ipſa æqualia; in divina autē bonitate eſt æqualitas inter bonificativum, & bonificabile: ergo, & eſt diſtinctio inter illa: ergo datur in Deo pluralitas perſonarum.

Secundum ſic probat. Illa eſſentia cenſetur eſſe in maioritate actionis, in qua tātum reperitur vnicum producens, vnicum productum, & vnica productio; divina autē eſſentia eſt in maioritate actionis, hoc eſt, perfectiſsima in producendo: ergo in illa tantum eſt vnicum producens, vnicum productum, & vnica productio. Mai. ſic probat. Nam ſi in tali eſſentia eſſent plures actiones, vna limitaret aliā, quod eſt magnæ imperfectionis; ac proinde talis eſſentia non eſſet in maioritate actionis, hoc eſt, nō eſſet perfectiſsima in agendo. Hoc ipſum alia ratione confirmat: illa eſſentia eſt in maioritate diſtinctionis, in qua eſt vnicum diſtinctivum, vnicum generativū, ſeu productivum, vnicū diſtinguibile, vnicumque generabile, ſeu producibile, & vnicum diſtinguere per ſpirare, & amare; ſed divina bonitas eſt in maioritate diſtinctionis: ergo in divina bonitate illa tria ſufficiunt.

Tertium ſic demōſtrare conatur. Omne illud concedi debet in divina bonitate, per quod bonificativum eſt in maioritate actionis, & bonificabile in maioritate paſsionis, hoc eſt, Deo eſt tribuēdū id, quod habet maiorem perfectionē in ratione producentis, & producti; hoc autē fit per Paternitatem, & Filiationem: ergo in Deo ratione actionis, & paſsionis, eſt Pater, & Filius. Min. probat. Nam perfectiſsimus modus producendi eſt Patris reſpectu Filij, nam Pater de tota ſubſtantia Filium generat. Debere autē eſſe Spiritū Sanctū probat, quia omne illud concedendū eſt in divina bonitate per quod boni facere eſt in maioritate actus, id eſt, per quod eſt perfectiſsimus actus bonificantis, & bonificabilis; hoc autem fit per amare, quod appellamus Spiritum Sanctū: ergo in divina bonitate concedendus eſt Spiritus Sanctus. Min. demonſtrat, quia bonificare ſine amore, non eſſet infinitū; ac proinde non eſſet perfectiſsimū, & ſic non eſſet in maioritate actionis. His viſum eſt huic authori ſolo naturali diſcurſu demōſtrari poſſe myſteriū Trinitatis. Verū has rationes, nō eſſe demonſtrationes, ſed futiles, & ineſficaces argutias ſuadeo reſpōdendo ad ſingulas.

Ad primam, quā probare pluralitatem perſonarum nititur, nego Min. ad prob. in divina bonitate eſt actus, qui eſt bonificare, diſt. Min. bonificare, per productionem ad intra, nego Min. hoc enim ſola fides docet, bonificare, in genere cauſæ formalis, ad eum modum quo albedo albificat, conc. Min. & nego Conſ. Itaque bonificare ad intra, ſtat dupliciter; vel producendo active aliū bonū, quale ſit aliqua perſona: vel reddēdo bonū id, quod habet bonitatē, ſicut albedo reddit album ſubiectum, in quo eſt: primum horum aſſequi non poteſt lumen naturale proprijs viribus, nam licet poſsimus naturaliter

cognoſcere, Deum intelligere, & amare; tamen quod iſte actus ad intra, ſint productiones perſonarum, nequimus ſolo lumine naturali inveſtigare: ſecundum autē lumine naturali poſſumus; quia lumine naturali cognoſcimus Deum eſſe bonum ab aliqua forma ſibi intrinſece, illum bonificante: ſicut dum cognoſcimus aliquid eſſe albū, neceſſario debemus cognoſcere habere formā, à qua albificetur: vnde ex hoc non convincitur in Deo eſſe concordiā, ac per conſequens, neq; perſonarū pluralitatē. Secunda ratio ad hoc ipſum probandū ex æqualitate deducta, nihil prorſus cōvincit. Nam facile ſolvitur, neg. Min. nam lumē naturale non aſſequitur dari intra Deū bonificativum active, & bonificabile paſsive; ſed tantum dari bonificativum, & bonificabile per ſummam identitatem, & ſic nequit eſſe æqualitas, quam lumen naturale poſſit cognoſcere.

Ad rationes factas ad probandū divinas perſonas eſſe tantū tres. Reſp. in primis illas rationes nihil convincere, quia ſupponunt in Deo ad intra dari actionem, quæ productio ad intra ſit, quod nō debebat ſupponi, ſed probari. Secundo. Maior primi diſcurſus falſiſsima eſt, imò hæretica; hæc enim eſt Maior: illa eſſentia cenſetur eſſe in maioritate diſtinctionis, in qua datur tantum vnicum producens, vna productio, & vnicū productum: hæc enim propoſitio eſt hæreſis manifeſta; nam fides docet in Deo eſſe duas productiones ad intra, aliam nempe per intellectū, qua producitur Filius à Patre; aliā per voluntatē, qua producitur Spiritus Sanctus à Patre, & Filio; docet ſimiliter eſſe duos productos, & duos producētes: Filius enim, & Spiritus S. duo producti ſunt, ſimiliter duo ſunt producētes, nēpe Pater Filiū, & Pater, & Filius Spiritū S. ergo falſiſsimā hęreſim dictat pręfata propoſitio; nō autē poteſt eſſe demonſtratio, cuius aliqua pręmiſſa manifeſtā cōtinet hęreſim.

Similiter diſcurſus ſecundæ demonſtrationis ad hoc ipſum probandū hæreſim manifeſtā continet; hæc enim eſt Maior, illa eſſentia cenſetur eſſe in maioritate diſtinctionis, in qua habetur tantū vnū diſtinctivū, vnum diſtinguere, & vnū diſtinguibile; hanc autē hæreſim involvere patet, nam fides dictat in Deo eſſe tres perſonas, realiter diſtinctas: ergo dictat eſſe tria diſtinctiva, tria diſtinguentia, & tria diſtinguibilia; vnūquodque enim ab alio diſtinguitur per id, quo ipſa aliud non eſt; cum ergo dentur ſecundum fidem tres perſonæ realiter diſtinctæ, oportet, quod vnaquæque diſtinguatur ab alio per id, quo non eſt alia: cum ergo ſint tres, oportet eſſe tria diſtinguentia, tria diſtincta, & tria diſtinctiva.

Ad rationes factas ad probandū, quod illa tria ſint Pater, Filius, & Spiritus Sāctus, reſp. has rationes, ſicut & præcedentes, etiā peccare in eo, quod ſupponant probandū, nempe in Deo dari bonificationē, quæ ſit actio productiva ad intra perſonæ. Deinde etiā peccat, nā, quod aliqua perſona in Deo ſit Filius, non probatur ſufficienter per hoc, quod ſit de tota ſubſtantia producentis; etenim Spiritus S. Filius non eſt; & tamen totam ſubſtantiā habet Patris, & Filij. Similiter, quod Filius ſit de tota ſubſtantia Patris, non poteſt ſufficiēter probari ratione naturali, nam in naturalibus Filius non eſt de tota ſubſtantia Patris, ſed tantū ex parte eius: non enim Pater illi communicat ſuā materiam primam. Similiter nulla eſt ratio, qua probat Spiritū Sanctum; nam ſicut bonifacere nō eſſet in maioritate actionis ſine amare, ita nec eſſet in maioritate actionis ſine ſapere, & intelligere: ergo ex hoc, quod bonifacere in Deo, eſſe debeat in maioritate actionis, non probatur Spiritus Sācti perſonā Deo cōvenire, quæ purus amor ſit, ſicut fides docet; ſed, quæ ſapientia, & ſimul amor ſit, quia hæc duo requiruntur ad perfectiſsimum bonifacere.

§. IV.

Solvuntur alia Argumenta.

221 EX Alijs capitibus prob. contra aſſertum noſtrum. Primo: nam communicatio naturæ divinæ ad intra, poteſt ratione naturali evidenter probari; ſed illa cognita, myſteriū Trinitatis cognoſcitur: ergo huius myſterij exiſtentia poteſt ratione naturali demonſtrari. Min. patet. Et Mai. prob. cum enim natura boni ſit eſſe diffuſivum ſui, & naturæ lumine notū ſit, omne bonū ſe poſſe communicare, & diffundere iuxta ipſius naturam, naturali ratione cognoſcitur bonū finitū, poſſe finite communicari, & bonum infinitum, qualis eſt natura divina, poſſe communicari infinite; ſed quod ſola communicatio ad intra, ſimpliciter infinita ſit, etiā lumine naturali cognoſcitur: ergo poteſt lumine naturali evidēter demōſtrari communicatio naturæ divinæ ad intra.

Confir. lumine naturali notū eſt omnes perfectiones in Deo reperiri, ſed conſtat etiā lumine naturali, maximā eſſe perfectionē

generare ſibi ſimile: ergo eodē lumine manifeſtum eſt, generationē in Deo reperiri, & conſequenter Verbi productionē, licet eodē lumine nequeat demonſtrari dari Spiritũ Sanctum: Vnde gloſſa ordinaria ſuper caput 6. Exodi dicit: *Quod Magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno*; id eſt, in notitia tertiæ perſonę, ſcilicet Spiritus Sancti & ſic ad minus duas cognoverunt. Confir. 2. nullius boni poſſeſsio poteſt eſſe iucunda ſine conſortio; ſed in divinis eſt infinitæ bonitatis poſſeſsio iucundiſsima, & hęc ſunt naturaliter nota: ergo eſt naturaliter notũ eſſe conſortiũ in divinis, & cōſequēter eſſe pluralitatem perſonarum in natura divina.

Ad hoc argum. nego Mai. ad prob. dico, quod lumen naturæ cognoſcit bonũ finitũ poſſe modo finito ſe communicare; tum, quia cognoſcit, quod duo bona finita non repugnant; tum etiã, quia hoc paſsim experitur in ordine generationũ corruptibiliũ: quod autē bonum infinitum, infinite ſe cōmunicet, producēdo aliud infinitũ; hoc nec cognoſcit, nec poteſt cognoſcere, quia non experitur communicationem bonitatis, niſi per cauſalitatē ad effectũ. & Infinitũ ſimpliciter repugnat cauſari: vnde indiget illuminatione fidei dictantis productionē infiniti per meram communicationē bonitatis divinæ, & docentis productionē, omni cauſalitate ſecluſa, & ſic non concluditur ratione facta, quod lumine naturali communicatio divinæ bonitatis ad intra, cognoſci poſsit.

Ad 1. Confir. diſt. Min. lumine naturali conſtat generare ſibi ſimile, eſſe maximam perfectionem, non admixtam imperfectioni, nego Min. admixtam imperfectioni, conc. Min. & nego Conſ. Itaque, cũ lumen naturale non cognoſcat alias generationes, niſi eas, quas in naturalibus corruptibilibus experitur, & illas in ſuis conceptibus videat imperfectas, iam per mutationē de non eſſe ad eſſe, iam per multiplicationē naturæ generantis in genito; non poteſt lumē naturale aſcendere ad Deũ, & ibi cognoſcere generationē ſine mutatione, & ſine multiplicatione naturæ generãtis in genito, per ſolam communicationē eiuſdem numero naturæ; hæc ſola fides docet, & ſic nequit in Deo ponere, quod generet ſibi ſimile. Ad id, quod dicitur de Magis Pharaonis, quod videlicet defecerunt in tertio ſigno, id eſt in cognitione tertiæ perſonæ; dico, hoc non dictum à gloſſa, quia alias perſonas cognoverint, ſed quia deviaverunt à bonitate, quæ attribuitur Spiritui Sancto, dum cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.

Ad 2. Confir. dico, quod illa propoſitio, *non eſt boni iucunda poſſeſsio abſque conſortio*, poteſt diſtingui à lumine naturali ſic, quãdo eſt adæquata boni infiniti poſſeſsio, nego Mai. quando eſt boni finiti poſſeſsio vel inadæquata poſſeſsio boni infiniti, conc. Mai. & conc Min. nego Conſ. Itaque, vis naturalis nō cōcluditur ſyllogiſmo facto ad ponendum conſortiũ perſonarũ in divinis, quia poteſt ſic diſtinguere, cōtra quã diſtinctionē lumen naturale, ex ſolis principijs naturalibus, non poteſt inſurgere.

222 Secundo arguitur. Deus, vt vnus, nō eſt minus ſupernaturalis, quã vt Trinus, & tamen lumē naturale poteſt demonſtrare Dei vnitatē, vt ſupra diximus: igitur, & poterit demonſtrare Deum, vt Trinum. Patet Conſeq. à paritate rationis. Ad hoc diſt. Mai. entitative, & ſubiective loquendo, conc. Mai ſubiective, & connexive, nego Mai. & conc. Min nego Conſ. Itaq; ſi Deus conſideretur, ſicuti eſt in ſe; non minus ſupernaturalis eſt, vt vnus, quam vt Trinus; neque enim in illo, prout eſt in ſe, diſtinguimus entitatē de ordine naturæ condiſtinctam ab entitate ordinis ſupernaturalis, cum ſit vna indiviſibilis natura, ſeu entitas ſuper excedens omnem naturã creatam, & creabilem: cũ hoc tamen ſtat, quod vt vnus connectatur cum effectibus ordinis naturę, & ſic poſsit per illos demonſtrari Deũ eſſe vnũ lumine ſolo naturalis rationis; vt Trinus autē, cum nullo effectu ordinis naturæ connectitur, & ſic naturale lumen nequit, ex ſolis naturalibus, demonſtrare Deum eſſe Trinum.

Sed iam inquiris, quare ſi entitative Deus ſupernaturalis eſt vt vnus, & vt Trinus, vt vnus connectitur cum effectibus naturalibus, ſic, quod per illos poteſt naturaliter demonſtrari vt vnus, & vt Trinus nō connectetur cũ aliquo naturali, ſic, quod per illũ poſsit demōſtrari, vt Trinus. Reſp. connexionem ſtarę in eo, quod nullus effectus naturalis ad ſui productionē exigit Deum vt Trinum, bene tamen exigunt illum vt vnũ, & ſic, vt vnus, quamvis entitative ſupernaturalis ſit: connexive tamen vt vnus naturalis eſt.

Sed inſtas: cognoſcibilitas ſequitur entitatem, & modum entitatis: ergo ſi vt vnus æqualiter ſupernaturalis eſt, cum ſe ipſo, vt Trinus, æqualiter quoq; erit cognoſcibilis ſupernaturaliter tantum, ſicut vt Trinus. Ad hoc diſt. Anteč. cognoſcibilitas ſequi-

Digitized by Google

tur entitatem, & modũ entitatis, loquẽdo de cognoſcibilitate, quæ convenit rei immediatè, & ratione ſui, conc. Ant. de illa, quæ convenit rei, tantũ mediate, & in alio, nego Ant. & diſt. Conſ. cognoſcibilitate immediatà, & cõvenĩẽte Deo vt vno, ratione ſui, conc. Conſ. cognoſcibilitate in alio, & mediate, nego Conſ. Itaq; cognoſcibilitas rei eſt duplex: alia quæ convenit rei immediate, & ratione ſui, & iſta proportionatur cũ re, ad quã ſequitur, & ſic Deus vt vnus, immediate, & ratione ſui nequit per lumẽ naturæ cognoſci, ſi lumine gloriæ deſtitutũ ſit; alia eſt in alio primo repræſentante ſe ipſum, & ex conſequenti repræſentante aliud, propter connexionem, quã habet cũ ipſo, puta effectus cũ ſua cauſa: & iſta non ſequitur modũ entitatis rei, quæ cognoſcitur, mediate, ſed ſequitur modũ illius rei, in qua cognita primario, ex cõſequẽti cognoſcitur: cum ergo Deus, vt vnus, lumine naturali demonſtratur, nõ cognoſcitur cognitione immediate terminata ad illũ, ſed cognitione immediate terminata ad effectus naturales, & ſic præfata cognoſcibilitas non ſupernaturalis eſt neceſſario, ſed ſufficit, quod naturalis ſit.

223 Tertio arguitur. Sunt aliqui effectus, qui imitãtur divinas relationes, & perſonalitates, à quibus exẽplariter depẽdent: ergo per illos poterũt naturaliter divinę relationes cognoſci. Prob. Ant. perſonalitas creata imitatur divinã, & ab illa dependet exẽplariter. Deinde, Paternitas creata eſt formalis participatio Paternitatis divinæ, iuxta illud ad Epheſ. 3. *Flecto genua mea ad Patrẽ Dñi noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur*: ergo ex effectibus creatis poſſumus naturaliter venire in notitiam Trinitatis.

Hoc arg. prætendit ſolvere Gonet dicẽdo, quod relationes divinæ, nõ habent in Deo rationẽ ideæ, & exẽplaris, ſed ſola natura divina, cognita vt imitabilis diverſimode a creaturis, rationẽ ideæ habet, ad quam omnes effectus creati, tanquã ad exẽplar, quod imitãtur, referũtur: vnde non ſequitur, quod aliqui effectus creati ad divinas perſonas referantur.

Sed contrà eſt: nam licet eſſentia divina rationẽ ideæ habeat; tamẽ non omnia imitãtur eſſentiã divinã quoad conceptũ naturæ, ſed aliqua imitantur eſſentiã divinam quoad conceptũ ſubſiſtẽtię, & perſonalitatis, alia conceptũ relationis, & ſic diſcurrẽdo de alijs ergo, cũ in creatis dẽtur conceptus ſubſiſtẽtiæ, & exiſtẽtiæ, & perſonalitatis, & relationis; iſta referẽtur ad eſſentiã divinã, ſecundum quod eſt formaliter iſta omnia: ergo illa, quæ dicũt relationẽ, referẽtur ad eſſentiam divinã, ſecundũ quod ipſa eſt relatio divina, & illa, quæ dicunt ſubſtãtiã, & exiſtẽtiã, referentur ad eſſentiã divinã, ſecundũ quod exiſtentia, & ſubſiſtentia divina eſt, & quę dicunt perſonalitatẽ referẽtur ad illã, ſecundũ quod formaliter perſonalitas eſt: ergo referẽtur ad Deũ, ſecũdũ quod pręhabet in ſe iſta formaliter, & ſic per illa poterimus cognoſcere de Deo, quod ſit abſolutus, & quod ſit realiter formaliter relativus.

Confir. Licet omnis formalitas creata, ex quo creatura eſt, ſolũ virtualiter in Deo ſit, & aliæ perfectiones imperfectionibus eſſentialiter admixtę, in Deo ſolũ virtualiter ſint, ſicut eſſe Angelũ, eſſe hominẽ, & alia huiuſmodi; tamẽ negare nõ poſſumus, quod detur in creaturis aliqua, quæ formaliter in illo reperiũtur, ſicut bonitas, veritas, ſubſtãtia, relatio, ſubſiſtẽtia, exiſtẽtia, & alia huiuſmodi: ergo bonitas creata, quoad conceptũ bonitatis, imitabitur, divinã naturã, vt formaliter eſt bona; ſapiẽtia creata, vt formaliter eſt ſapiens; ſubſiſtẽtia, & exiſtẽtia creata, ſecundũ quod eſt ſubſiſtens, & exiſtens formaliter, & perſonalitas creata imitabitur eſſentiã divinã quoad perſonalitatis conceptũ, & relatio creata imitabitur eſſẽtiã divinã, ſecũdũ quod relativa eſt, nõ vero ſecũdũ quod eſt abſoluta: poterit ergo cognoſci per hos effectus creatos de Deo, quod ſit abſolutus, & quod ſit relativus.

Ad arg. bona eſt ſolutio Gonet. Omnia enim prædicta reducuntur ad eſſentiã divinam tanquã ad primã cauſam æquivocã, & tanquã ad exẽplar æquivocũ: eſt enim eſſentia divina pręcõtinens in ſe virtualiter omnia facta, & omnia factibilia, & ratione huius virtualis continẽtię cognoſcitur à Deo, vt diverſimode participabilis ab omnibus creaturis; & licet plures conceptus, qui ſunt in creaturis, formaliter in Deo reperiãtur; tamen, cũ in ratione effectus omnes includant imperfectionẽ, omnes reducuntur ad Deũ, prout virtualiter pręcontinentẽ illos; nõ vero formaliter: vnde perſonalitas creata nõ reducitur ad perſonalitatẽ increatã, nec ſubſiſtẽtia, nec exiſtẽtia, nec relatio reducuntur ad ſubſiſtẽtiã, exiſtentiã, & divinã relationẽ, prout formaliter in Deo ſunt, & Deũ denominant; ſed ſolũ reducuntur ad eſſentiã divinam, in qua ſolum creata, & creabilia virtualiter continentur, & ſic ex creaturis ſolum poſſumus venire in cog-

nitionem cuiuſdam ſupernæ virtutis,cuius virtuales participationes ſunt omnia, quæ creata ſunt,& quæ creari poſſunt.

Ad Confirm.dico, omnia illa,quæ ibi enumerantur,imitari eſſentiam divinã;nõ hoc,vel illud attributũ in particulari: aliàs nõ ſola eſſentia divina eſſet idea,ſed & alia attributa tam abſoluta, quã relativa rationem ideæ haberent. Et ratio huius eſt,quia cum idea ſit ratio rei factibilis,ſolũ reſpicit ideatum,vt effectum; nullus autẽ effectus, vt talis, præcontinetur in Deo formaliter; ſed ſolum virtualiter: vnde omnes imitantur eſſentiam divinam, in qua, vtl effectus in cauſa,præcontinẽtur: & ſic ex rationibus creatis aſcendendo ad Deũ, ſolũ poſſumus colligere, quod ſit quædam virtus infinita eminenter præcontinens omnia cauſata,& cauſabilia,& ſic ex relatione creata nõ poſſumus inferre relationẽ divinã, ſed ſolum poſſumus inferre virtutem ad cauſandũ relationẽ creatam:vnde ex creaturis non poſſumus Deum cognoſcere formaliter relativum,vel formaliter abſolutũ; ſed tantum quandam eminentiam præcontinentẽ virtualiter abſolutũ, & relativum. Et quidem hoc patere poteſt ex eo,quod ſi ex relatione creata probaretur Deũ eſſe formaliter relativũ;pariter ex abſoluto creato,probaretur Deũ eſſe formaliter abſolutum,& ſic cũ creata perſonalitas ſit adæquate abſoluta,deberemus quoque probare Dei perſonalitatẽ eſſe abſolutam,quod falſiſsimum eſt.

§. V.

Vtrùm intellectus Perfectus aliquo lumine naturali, ſibi intrinſeco, poſſit evidenter cognoſcere myſterium Trinitatis quoad an eſt.

PARTEM Negantem tenent Vazquez hic, diſp. 135. cap. 2. & Suarez vbi ſupra; ſed plures ex Thomiſtis tenent homini viatori concedi poſſe claram cognitionem Trinitatis quoad an eſt,ſi eius intellectus lumine ſupernaturali intrinſice elevetur. Sic Durandus in 3.diſt.23.q.2. Caiet. 2.2.q 171.art.9.& 3.p.q.11.art.1. Cabrera ibidẽ. Gonçalez hic ſect.2.& alij plures Thomiſtæ.

224 Sit Concluſio. Lumen naturale elevatũ intrinſice per lumen ſupernaturale,poteſt evidenter cognoſcere myſteriũ Trinitatis quoad an eſt. Probat Gonçalez hic,ſect.2.quia Prophetę per lumẽ propheticũ cognoverunt Trinitatem,ſic docet D. Th.2.2.q.171.art.3.vbi aſsignans diverſos gradus cognoſcibiliũ per prophetiã,inquit: *Secundus autẽ gradus eſt eorũ, quæ excedunt univerſaliter cognitionẽ omniũ hominũ, ſicut myſteriũ Trinitatis, quod revelatũ eſt per Seraphin dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, vt habetur Iſaia 6.* Sed lumẽ propheticũ clare, quãtũ ad an eſt,manifeſtat res prophetatas, non ſolũ claritate in atteſtante,ſed rei in ſe, ſaltim quoad quæſtionẽ quoad an eſt: ergo lumen naturale intrinſecus elevatum per lumen ſupernaturale, poteſt quoad an eſt evidenter cognoſcere myſteriũ Trinitatis. Min.probat. Nam ſi lumen propheticũ ſolum faceret evidentiã rei in atteſtante, & non rei in ſe,ſequeretur lumen propheticũ non poſſe habere maiorẽ claritatẽ,quã ea, quam etiã ſecum poteſt admittere fides; nã hæc etiã poteſt admittere ſecum evidentiã rei in atteſtante: ergo requiritur,quod præter hanc evidentiã, habeat etiã aliã,nempe rei in ſe,ſaltim quantũ ad quæſtionẽ an eſt.

Quod poteſt roborari alio teſtimonio D.Th.ex q.12.de verit. art.3. vbi poſtquã docuit, quod prophetia ſupernaturalis ſe extẽdit ad omnia ſcibilia,tam illa,quæ per prima principia naturalia poſſunt eſſe nota,quã quæ excedunt cognitionẽ omnium hominũ,ſicut Deũ eſſe Trinũ,& vnũ, ſubdit hæc verba: *Vtraque prophetia ita immobiliter,& certiſsime facit ſcire huiuſmodi ſcibilia neceſſaria,ſicut ſi ſcirẽtur per principia demonſtrationis*; ſed ſi ſcirentur per principia demonſtrationis,ſcirentur evidenter: ergo ſentit prophetiã ſupernaturalem, quæ facit ſcire myſterium Trinitatis, facere evidentiam illius quoad an eſt.

Et ſi obijcias,ſequi Prophetas, qui per prophetiã clare,& evidenter cognoverunt myſteriũ Trinitatis,quoad an eſt,nõ habuiſſe fidem illius;quia hæc non compatitur cũ evidentia,quoad an eſt,rei. Reſp.cũ Caietano ibidem ita eſſe, nam ita decuit, quod nos inſtrueremur in rebus fidei ab illis primus,qui habuerunt evidentiam eorum,ſaltim quoad an eſt.

Sed ſecundo probatur Concluſio. Nam anima Chriſti Domini,per ſciẽtiã infuſam ſupernaturalẽ,cognoſcebat evidẽter viſionẽ beatã D. Petri, quæ terminatur ad Deũ Trinũ,& vnũ:ergo evidenter cognoſcebat hanc propoſitionẽ eſſe veram, *Deus eſt Trinus,& vnus.* Patet Conſ. nam huiuſmodi actus,cũ ſint naturales tendentiæ ad ſua obiecta,nequeũt evidẽter cognoſci,niſi evidẽter cognoſcãtur, ſaltim,quoad ad eſt, eorũ

Digitized by Google

obiecta. Similiter anima Chriſti, per eandem ſcientiam, clare, & evidenter cognoſcebat actus fidei, quibus fideles credunt Deum eſſe Trinum, & vnum: ergo evidenter cognoſcebant Trinitatē quoad an eſt, id eſt, cognoſcebant evidenter Trinitatem in rerum natura exiſtere.

His reſp. Vazquez, quod per hęc media extrinſeca Trinitati, nequit Trinitas in ſe attingi, ſicut neque per evidentiam atteſtationis myſterij Trinitatis, adhuc quoad an eſt, valet Trinitas attingi, quod ſi Trinitas in ſe non attingitur, evidēter quoad an eſt, non attingitur. Sed contra eſt: nam nos tantum intendimus probare, quod ſicut per effectus naturalis ordinis, demonſtramus evidenter Deum eſſe vnum, bonum, &c. ita per hos effectus ſupernaturales, evidenter demonſtremus Deum eſſe Trinū, non faciendo vim in illa particula *rei in ſe*, quæ ſolum videtur competere notitiæ intuitivæ, quam fatemur nos non habere poſſe de Deo vt Trino, ſicut neque de Deo vt vno.

Vnde ſic formamus noſtram rationem. Per effectus naturales, qui procedunt à Deo vt vno, evidenter cognitos, evidenter cognoſcimus Deum vnum quoad an eſt: ergo per effectus ſupernaturales Dei, vt Trini, evidenter cognitos, evidēter cognoſcemus Deum eſſe Trinum; tunc ſic: ſed viſio beata eſt effectus in genere cauſæ formalis Dei, vt Trini eam ſpecificantis: ergo per clarā viſionem illius cognoſcere evidenter poterimus Deum eſſe Trinum; ſed Chriſtus evidenter comprehenſive cognoſcebat viſionem beatam, v.g. D. Petri, vel ſuam propriam: ergo evidenter cognoſcebat Deum eſſe Trinum.

Confirm. hoc ex quadam doctrina D. Thom. ſupra q. 3. art. 4. ad 2. ibi: *Dicendum, quod eſſe dupliciter accipitur: vno modo ſignificat actum eſſendi; alio modo ſignificat compoſitionem propoſitionis, quam anima adinvenit coniungens prædicatum ſubiecto: primo igitur modo accipiendo eſſe, non poſſumus ſcire eſſe Dei, ſicut neque eius eſſentiā ſed ſolū ſecūdo modo: ſcimus enim, quod hæc propoſitio, quā formamus de Deo, cum dicimus*, Deus eſt, *vera eſt. Et hoc ſcimus ex eius effectibus.* Ex qua doctrina applicata ad Trinitatem, ſic formo argumentum. Scire Trinitatem eſſe, non eſt ſcire ipſam Trinitatem in ſe; ſed eſt ſolū evidenter cognoſcere, quod hæc propoſitio, quā formamus de Trinitate, nempe, *in Deo eſt Trinitas*, vera ſit; ſed hoc ipſo, quod anima Chriſti videbat viſionem beatam Petri, videbat prædictum actum terminari ad Trinitatem, intuendo illum, & ab illa ſpecificari: ergo videbat hanc propoſitionem, quam de Trinitate formamus, nempe, *in Deo eſt Trinitas* eſſe veram, etiam ſi Trinitatem ipſam non videret in ſe.

Dices eſſe maximum diſcrimen inter viſionem beatam, & Trinitatem cuius eſt viſio, ex vna parte; & effectus naturales, & Deum vt vnum, bonum, &c. ex alia, quod Deus vt Trinus, nullo modo repræſentatur per viſionē beatam, ſiquidem ab illa nō continetur; at Deus vt bonus, vnus, ſapiens, &c. repræſentatur per effectus naturales; ſiquidem ab illis participatur, & ſic ſaltim mediate poteſt videri Deus in ſe per effectus naturales; non vero Trinitas per viſionē beatam. Sed contra hoc eſt. Nam viſio beata, eſto non ſit expreſſa repræſentatio Trinitatis, alias per illam haberi poſſet notitia quidditativa illius; tamen Trinitatem repræſentat ſufficienti modo ad evidentiam faciendum quoad an eſt Trinitatis: ergo ſolutio nulla. Prob. Ant. viſio beata in genere cauſæ formalis eſt effectus Trinitatis: ergo præhabet Trinitatem aliquo modo; omnis enim cauſa participatur à ſuo effectu, aliàs, non eſſet cauſa illius; ergo aliquo modo repræſentat Trinitatē, ſic, vt poſſimus quoad an eſt illam cognoſcere.

Ex qua doctrina ſolvo inſtantiam, quę contra illam poſſet fieri. Etenim non magis connectitur viſio beata cum Trinitate, quā revelatio divina Trinitatis connectatur cum Trinitate; ſed videre revelationē divinam Trinitatis, non eſt medium ſufficiens ad videndum Trinitatē, adhuc quoad an eſt: ergo neque videre viſionem beatā, erit mediū ſufficiens ad videndam Trinitatem, adhuc quoad an eſt. Ad hoc nego Mai. etenim connexio atteſtationis, vel revelationis divinæ cum Trinitate revelata, non eſt connexio effectus cum cauſa, cum divina revelatio non accipiat ſpeciem a rebus revelatis: vnde per revelationem nequit probari Trinitas tanquam per mediū intrinſecum; at connexio viſionis beatæ cum Trinitate, eſt connexio cum cauſa formali ſpecificante, & ſic per viſionem beatā tanquam per medium intrinſecum, poteſt evidenter probari Trinitas quoad an eſt. Voco medium intrinſecū id, quod intrinſice præcontinet rem demonſtratam, ſicut effe-

Digitized by Google

effectus cauſam ; non autem illud ex quo intrinſice conſtituitur res demonſtrabilis. Secundo reſp. negando Min. iuxta ea quæ docuimus 2.2. quæſt.1.quod videlicet evidentia in atteſtante tollat fidem, quia facit evidentiam rei atteſtatæ quoad an eſt.

226 Dices ſecundo rationi noſtræ cum Suarez 3.p.q.11.ar.1.ſect.5. viſionẽ beatam non ſpecificari à Trinitate perſonarũ, ſed tantũ à Deo, & ſic videns viſionẽ beatam, ſolum poſſe videre ad Deũ terminari præfatam viſionem;non vero illam terminari ad Deum vt Trinum:attingentia enim Dei vt Trini, (inquit Suarez) non eſt primaria,ſed Conſequens. Ad illud de actu fidei, quo fidelis expreſſe credit Deum eſſe Trinum, qui actus videri nequit, niſi Deus videatur vt Trinus quoad an eſt:reſpondet, ita eſſe, quod anima Chriſti videns actum fidei, quo fidelis expreſſe credit Deum eſſe Trinum, videt eſſe verum, quod Deus ſit Trinus; tamen, quia prædictus actus ſumit ſuam infallibilitatẽ ex divino teſtimonio, ideo tota evidentia,quam per illum habebat de myſterio Trinitatis, vltimo revocatur ad teſtificantem,& ſic non egreditur limites evidentiæ in atteſtante.

Sed contra primum dictum Suarij,ſic argumentor. Licet ita ſit,quod ſola eſſentia divina obtineat rationem obiecti motivi ad videndum Deum;tamen negari nõ poteſt, quod primario per viſionem Deus vt Trinus videatur: videtur enim primario Deus vti eſt in ſe; in ſe autẽ eſt Trinus, & vnus, & ſic eſt neceſſe, quod primario videatur vt vnus, & Trinus.neque quando dicimus, quod perſonæ videntur ratione eſſentiæ,per hoc volumus explicare, quod ſecundario videantur perſonæ,ſed tantum, quod ſe habeant veluti obiectum materiale ad formale,ſicut album dicitur videri ratione colorati; non quia non ſit obiectum primarium viſionis ad album terminatæ, ſed tantum,quia ratione albedinis non habet primo movere viſum, ſed ratione colorati, vnde ſe habet veluti obiectum primarium materiale: ergo viſio beata vere ſpecificatur à Deo vt Trino, licet non motive, ſaltim primario terminative concurrente ad ſpecificandum viſionem beatam.

Secundo inſto. Nam eſto viſio beata, ſub ratione viſionis, ponatur tantum accipere ſpeciẽ à Deitate,& non à Trinitate; in ratione tamen beatitudinis,non poteſt non accipere ſpeciem à Deo,vti eſt in ſe Trinus, & vnus; exigit enim beatitudo noſtra terminari ad omnia,quæ Deo conveniũt formaliter: vnde ſi per poſsibile, vel impoſsibile poſſet vna viſio terminari ad Deum, & non ad perſonas; tunc illa nullo modo eſſet beatitudo, quia hæc requirit neceſſario videre omnia, quæ ſunt in Deo formaliter,& tunc non videret perſonas,quæ ſunt formaliter Deus.

Quoad id autem,quod Suarez dicit de actu fidei:ſic in contra inſurgo. Nam evidentia Trinitatis, quæ habetur per viſionem actus fidei, quo fidelis credit Trinitatem, licet antecedenter ſupponat infallibilitatem divinæ atteſtationis; proxime tamen,non fundatur in illa, ſed in effectu ipſius Trinitatis, nempe in ipſo actu fidei, qui ex eſſentia ſua habet terminari ad Trinitatẽ. Explico hoc. Licet actus,quo fidelis credit Trinitatem,non ſit attingentia Trinitatis clara,& evidens,ſed obſcura; Chriſtus tamen comprehendens prædictum actum, evidenter cognoſcebat illum ſpecificari à Trinitate expreſſe credita:ergo per ipſum act. fidei, vt quod cognitum evidenter, evidenter quoad an eſt cognoſcebat Trinitatem.

Inſtabis.Sequi ex hoc quemlibet fidelem poſſe habere ſcientiam evidentem quoad an eſt Trinitatis; hoc nõn eſt admittendum, nam evidentia Trinitatis quoad an eſt, non eſt compatibilis cum fide Trinitatis: ergo.Prob.Sequela.Eliciens actum fidei circa Trinitatem, evidenter cognoſcit ſe habere actum fidei circa Trinitatem: ergo poteſt per prædictum actum fidei, vt quod evidenter cognitum, evidenter cognoſcere myſterium Trinitatis quoad an eſt. Ant.prob.ex D.Tho.1.2.q.111.ar.5.ad ſecundum,vbi ſic habet: *De ratione ſcientiæ eſt, quod homo certitudinem habeat de his,quorum habet ſcientiam:& ſimiliter de ratione fidei eſt, quod homo ſit certus de his, quorum habet fidem; & ideo quicumque habet ſcientiam, vel fidem,certus eſt ſe habere:* ergo habens actum fidei circa Trinitatem,certus eſt ſe habere actum fidei circa illam.

Ad hoc dico D.Tho. non velle,quod ille,qui actu credit Trinitatem,habeat evidentiam de eo, quod actu fidei divinæ credit Trinitatem, ſed tantum velle, quod ea certitudine,qua eſt certus de Trinitate, ea ſit certus de eo, quod actu credit Trinitatem: vnde ſicut ſine evidentia eſt certus de Trinitate credita,ita ſine evidentia eſt certus de fide habita.

227 Ex his patet ſolutio ad obie-

ctionem,

Digitized by Google

ctionem, quam facit Vazquez contra noſtram Concluſionem. Arguit enim ſic. Evidentia quoad an eſt Trinitatis debet haberi, vel per ſpecies immediate repræſentãtes Trinitatẽ, vel per effectus ipſius Trinitatis; neutro modo haberi poteſt: ergo. Prob. Mi. non quidẽ primo modo, nã implicat dari ſpeciẽ immediate repręſentantẽ Trinitatẽ; non ſecundo modo, nam omnis effectus, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis cauſatur à Deo, vt vnus eſt: ergo nullus effectus poteſt ducere in Deũ, vt Trinũ. Ad hoc nego Min. ad prob. diſt. Ant. pro ſecunda parte, omnis effectus cauſatur à Deo vt vnus eſt, in genere cauſæ efficientis, tranſ. Antec. in omni genere cauſæ, nego Ant. & Conſ. diximus enim ſupra eſſe effectus, qui in genere cauſæ formalis cauſantur à Trinitate, & ſic iſti dicunt habitudinẽ ad Trinitatẽ, ac per Cõſequẽs ille, qui evidẽter tales effect⁹ cognoſcit, poterit per illos evidẽter quoad an eſt, Trinitatem cognoſcere, non minus ac ille, qui videt effectus naturales dicentes habitudinem ad Deum vt vnum, cognoſcit evidenter quo ad an eſt, Deum vt vnum.

Inſtabis. Atteſtatio divina, qua Deus revelat Trinitatem, etiam ſpecificatur à Trinitate atteſtata; & tamen hoc non ſufficit vt ille, qui videt divinam atteſtationem, videat Trinitatem quoad an eſt: ergo ſimiliter, licet actus viſionis beatæ, & actus fidei circa Trinitatem ſpecificentur à Trinitate, non ſufficiet ad evidentiam Trinitatis quoad an eſt.

Ad hoc reſp. primo negando Maj. atteſtatio enim divina non ſpecificatur à re atteſtata; eſt enim actus divinus, qui nullo modo ad extra ordinatur: vnde vere extrinſice ſe habet ad rem atteſtatam, & ſic evidentia illius nequit ducere in evidentẽ cognitionem rei atteſtatæ adhuc quoad an eſt. Secundo reſp. iuxta ea quæ docuimus in 2.2. q. 1. vbi diximus evidentiam revelationis divinæ facere evidentiam rei revelatæ quoad an eſt, quia eſto divinus actus non ſpecificetur à re revelata; tamẽ quoad exiſtere, per ſe connectitur cum illa; nec enim poſſunt ſtare iſta duo, quod Deus revelet Trinitatem exiſtere, & quod Trinitas non exiſtat: & ſic atteſtatio divina evidenter cognita, ob neceſſariam præfatam connexionem, habet ducere evidenter in notitiam rei revelatæ quoad an eſt.

Inſtabis ſecundo probando, quod Iſaias per lumen propheticũ nõ cognoverit Trinitatem evidenter quoad an eſt, & ſic ratio prima pro noſtro aſſerto ſit nulla. Nam non eſt credendum Iſaiam Prophetam maiorem evidentiam Trinitatis habuiſſe, quã habuerit ſupremus Angelus, dũ fuit in via; ſed ſupremus Angelus non habuit notitiam evidentem Trinitatis quoad an eſt: ergo neque Iſaias. Prob. Min. ex D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 1. vbi docet, quod licet Angeli habuerint fidem de veritate prima, de alijs tamen materialiter creditis, quędam Angeli, vel homo manifeſta cognitione cognoverunt, quæ nunc nos non poſſumus cognoſcere, niſi credendo. Sed principale ſcibile de prima veritate eſt, quod ſit Deus Trinus, & vnus: ergo de hoc ſupremus Angelus habuit fidem. Quod & affirmat Caietanus in commento articuli proxime citati.

Ad hoc nego Mai, nam ratio, quæ militabat, vt Iſaias Trinitatem quoad an eſt, ſciret, non militabat in Angelo adhuc ſupremo. Iſaiæ enim datũ eſt, quod eſſet Magiſter fidelium, ſpecialiter quantum ad myſterium Trinitatis, & ſic oportuit, quod Trinitatem, ſaltim quoad an eſt, ſciret, quã fidelibus docebat, & prophetabat, quæ ratio non militabat in Angelo ſupremo, quia non fuit hominum Magiſter, & Propheta inſtitutus: neque ex ſuperioritate Angeli ad hominem oppoſitũ colligitur; nam Moyſes inferior fuit Angelo ſupremo, & nihilominus, quia erat inſtitutus Magiſter, & ſupremus Propheta Iudæorum, adhuc dum eſſet in via, vidit divinam eſſentiam, & ſimiliter Paulus, quia erat futurus Magiſter, & Propheta Gentium, adhuc dum eſſet in via divinam eſſentiam vidit.

Inſtabis 2. Nam talis evidẽtia Trinitatis nequit haberi, niſi per evidentiam alicuius effectus ſupernaturalis, quos effectus reduximus nos ad actum viſionis beatæ, & ad actum fidei Trinitatis; ſed per lumen propheticum Iſaias non videbat actum viſionis beatæ in ſe ipſo, neque actum fidei, quo fidelis credit expreſſe Trinitatem: ergo carebat omni medio, quo poſſet cognoſcere myſterium Trinitatis quoad an eſt. Prob. Ant. Propheta dictos actus tantum poterat cognoſcere evidenter per extrinſecam revelationem: ergo non poterat eos videre in ſe ipſis. Ad hoc nego Min. poterat enim Deus infundere ſpeciem Iſaiæ, repræſentãtem illi aliquem effectum ſupernaturalem, in quo, quoad an eſt, Trinitas evidenter cognoſceretur: vnde ad prob. nego Antec. multoties enim, præter lumen propheticum,

cum, Prophetis infunduntur aliquæ ſpecies repræſentantes aliquos effectus ſupernaturales, quibus, quoad an eſt, Deum, vt authorem ſupernaturalem, euidenter cognoſcere poſſunt.

Inſtabis 3. ex doctrina quam habet D. Thom. 2. 2. quæſt. 3. ar. 1. ibi: *Cum ergo Angelus ante confirmationem, & homo ante lapſum, non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per eſſentiam videtur, manifeſtum eſt, quod non habuit ſic manifeſtam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei*: ergo fides ſolum poteſt excludi per viſionem beatam: cum ergo Iſaias per lumen Propheticum, non habuerit viſionem beatam, non habuit cognitionem Trinitatis talem, quod excluſerit ab illo fidem Trinitatis: ergo neque habuit euidentiam Trinitatis quoad an eſt; neque enim fides Trinitatis opponitur tantum viſioni, ſed etiam ſcientiæ euidenti quoad an eſt rei.

Ad hoc dico illam cauſalem eſſe veram, loquendo de Angelis, & primo homine ante lapſum, qui non ſunt inſtituti Prophetæ, & Magiſtri hominum, & ſic non habuerunt prophetiam Trinitatis, neque ſcientiam quoad an eſt illius: vnde tantum reſtabat ad excluſionem fidei eorum, quod Deum vidiſſent, dum erant in via Angeli, & homo ante lapſum: etenim dubitari non poteſt, quod fides alicuius veritatis, per duo media poteſt excludi: primum eſt, & principale, viſio illius rei, de qua veritas enunciatur. Secundum eſt, demõſtratio *quia*, euidentiam quoad an eſt, rei faciens; etenim nos non habemus fidem Dei vnius, quia de hoc habemus ſcientiam quoad an eſt, ex effectibus naturalibus adquiſitam; & tamẽ non videmus Deum vt vnum in ſe, dum ſumus in via, ſolum enim illum ex creaturis cognoſcimus.

§. VI.

Statuuntur aliqua corolaria.

228 HINC infero 1. Paulum poſtquam vidit Deum vt Trinum, & recordabatur ſe illum vidiſſe, habuiſſe euidentiam quoad an eſt Trinitatis, ſicut ille, qui amittit medium probatiuum alicuius concluſionis, & tamen recordatur ſe aliquando ſciviſſe quoad quod quid eſt talem concluſionem, hic habet ſcientiam quoad an eſt illius concluſionis, eſto, quia deficit illi medium, careat ſcientia quoad quod quid eſt illius: ſic Paulus, dum recordabatur ſe Deum vidiſſe vt Trinum, eſto, viſionem beatam amiſerit, qua Deum vt Trinum cognovit quidditatiue, ſcientiam tamẽ quoad an eſt ſemper retinuit: vnde exiſtimo, quod reſpectu eorum, quæ vidit, fidem poſtea non habuit, prout fides opponitur ſciẽtiæ quoad an eſt, eſto habuerit fidem, prout hæc opponebatur viſioni, quam habuit, & poſtmodum amiſit.

Infero 2. falſo dixiſſe Suarez Chriſtum per ſcientiam infuſam ſolum habuiſſe euidentiam Trinitatis in atteſtante, hoc eſt, in quantum per ſpecies à Deo illi infuſas cognoſcebat euidenter Dei locutionem ad ſe factam, reuelantem illi hoc myſterium, quo cognoſcebat euidenter Deum eſſe, qui illi loquebatur, & ſic imperfectam habebat Trinitatis cognitionem; non ea imperfectione quæ opponeretur claritati viſionis, quam ab initio ſuæ conceptionis de omni diuino myſterio habebat.

Falſo in hoc dicit, quia Chriſtus per ſcientiam infuſam cognovit omnia entia ſupernaturalia comprehenſiue; ſed cognitio euidens aliquorum entium ſupernaturalium, eſt ſufficiens medium ad cognoſcẽdum Trinitatem euidenter quoad an eſt, vt probauimus: ergo Chriſtus per ſcientiam infuſam, non ſolum habuit euidentiam in atteſtante myſterij Trinitatis ſed vere illud cognovit euidenter quoad an eſt, in aliquo effectu ſupernaturali ab ipſo comprehẽſo. Tum etiam; nam vt ipſe Suarez ſentit 3. p. q. 7. ar. 8. ſect. 1. Chriſtus per ſcientiam infuſam fuit verus Propheta: ergo cognovit per dictam ſcientiam omnia ea, quæ alij Prophetæ cognoverunt; ſed probatum eſt, Iſaiam cognoviſſe per lumen Propheticum myſterium Trinitatis quoad an eſt, & non ſolum in euidentia atteſtationis: ergo ſimiliter Chriſtus per ſcientiam infuſam dictum myſterium cognovit, non ſolum in euidentia atteſtationis, ſed etiam in ſeipſo quoad an eſt.

Infero 3. quod lumen naturale relictum ſuæ naturali inclinationi, non poteſt iudicare hoc myſterium eſſe impoſsibile. Quod ſic prob. nam lumen naturale rationis noſtræ ex ſe inclinatur ad verum: ergo cum hoc myſterium ſit veriſsimum, non poteſt ſuæ innatæ inclinationi relictum, iudicare hoc myſterium eſſe impoſsibile, alias inclinaret ex ſe in falſum.

Sed obijcies. Lumen naturale ex ſe incli-

clinat in hoc principium, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: & etiã in hoc, *impoſsibile eſt idem, de eodem ſimul affirmari, & negari*: ergo ſuæ inclinationi relictum, iudicabit eſſe falsũ id, quod prædictis principijs ſe opponit; ſed Deum eſſe Trinum, & vnum deſtruit hæc duo principia relata: ergo lumen naturale relictum ſuæ innatæ inclinationi, iudicabit eſſe falſum, quod Deus ſit Trinus, & vnus. Prob. Mi. in primis myſteriũ Trinitatis deſtruit illud principium, *quæ ſunt eadem vni tertio &c.* Nam hic ſyllogiſmus nihil valet, Pater eſt eſſentia diuina; Filius eſt eſſentia diuina: ergo Filius eſt Pater. Præmiſſæ enim ſunt veræ, & Conſ. eſt hæreticum: ergo illud principium eſt falſum, *quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: nam Pater, & Filius ſunt idem eſſentiæ; & tamen non ſunt idem inter ſe. Similiter deſtruitur illud aliud principium, nam de eadẽ diuinitate dicitur, quod communicatur, & quod non communicatur: ergo idem prædicatum, nempe communicari, affirmatur, & negatur de eodem: ergo Trinitas deſtruit prædicta duo principia.

Ad hoc conc. prima Conſ. nego Min. ſub ſumptam, ad prob. dico, quod myſteriũ Trinitatis nullum ex prædictis principijs deſtruit, ſi dicta principia ſano, & debito modo intelligantur; nam primum debet ſic intelligi: quæcumque ſunt idem tertio, re, & ratione eidem, ſunt idem inter ſe; non vero ſi ſint idem tertio, re idem, & ratione diuerſo: ſicut non valet etiam in creatis, actio eſt motus; paſsio eſt motus: ergo actio eſt paſsio; quia actio & paſsio tantum ſunt idem motui, re idem, ſed ratione diuerſo: ſiquidem in eadem entitate motus, ſunt rationes diuerſæ, & inter ſe oppoſitæ, nempe actio, & paſsio: ſimiliter cũ diuinitas claudat duas rationes, nempe abſolutum, & relatiuum, & Pater, & Filius ſint tantũ illud abſolutum, non bene infertur eſſe idem inter ſe; inferretur autem bene ſic, omnis res, quæ eſt diuinitas, eſt Pater; omnis res, quæ eſt diuinitas, eſt Filius: ergo Filius eſt Pater, qui ſyllogiſmus fundatur in illo principio, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: non ergo myſteriũ Trinitatis dictum principium deſtruit.

Similiter aliud principium non deſtruitur, ſi bene intelligatur; intelligentia autem ſana illius eſt hæc. Impoſsibile eſt idem, de eodem ſimul affirmari, & negari. Si ſit idem de eodem, formaliter, & virtualiter eodem, principium eſt verum: ſi ſit idẽ de eodem formaliter, diuerſo tamen virtualiter, dictum principium eſt falſum: vnde quia communicari, & non communicari, non affirmantur, & negantur de eodem formaliter, & virtualiter eodem; ideo principium illud ſane intellectum, non deſtruitur per myſterium Trinitatis.

Sed inſtas. Licet iſta principia ſane intellecta, non deſtruantur per veritatẽ Trinitatis; tamen lumen naturale, ſibi ſoli relictum, nequit ad hanc ſanam intelligentiam peruenire: ergo ſibi ſoli relictum, ex ignorantia talis intelligentiæ, propoſito ſibi myſterio Trinitatis, dicet eſſe falſum. Prob. Ant. prædicta ſana intelligentia oritur à Theologia, quæ fidei inixa corrigit, & emendat lumen naturale, ne erret. ergo lumen naturale ſibi ſoli relictũ, ſtans in principijs naturalibus, ſecluſa tali intelligentia, dicet illud principium eſſe falſum. Ad hoc nego Conſ. nam lumen naturale, ſibi ſoli relictum, careníque prædicta intelligentia, ex vi inclinationis naturalis, qua inclinat in verum, non præcipitabit iudicium, ſed ſuſpendet illud, donec ſana intelligentia præueniatur.

Dices. Multos erraſſe circa hoc myſterium, quia fide, & Theologia illi inixa deſtituti ſunt: ergo falſum eſt, quod lumen naturale, ſibi ſoli relictum, non iudicabit myſterium Trinitatis eſſe falſum. Ad hoc nego Conſ. nam illi, qui errarunt; vel fuit propter corruptionem naturæ, prouenientem ex peccato originali, vel quia Deus permiſſit illos ſic errare propter alia peccata, vel quia ſua libertate voluerunt vti, dum in rebus naturalibus non inuenerunt ea, quibus conuincerentur circa veritatem talis myſterij quam plures enim modo ſunt, qui à veritate recedunt, non ob aliam cauſam, niſi quia non inueniunt rationem efficaciter inducentem ad eius aſſertionem. Dum enim hæc ſcribo, occurrit theſis typis mandata, ſcilicet, Angeli naturaliter, certo, & euidenter cognoſcunt cogitationes alieni cordis, independenter à conſenſu cogitantis. Quã defendens dicit eſſe Enrici, Vulgo Doctor Solemnis, non ob aliam rationem id dicentis, niſi quod pro oppoſito nullam inuenerit rationem efficaciter conuincentem, nos autem loquimur de lumine naturali ſano ſuæ inclinationi innatæ, ad verum inixo.

(.?.)

Verum

§. VII.

Vtrum lumen naturale ſolum confortatum extrinſeca revelatione fidei, poſsit evidenter cognoſcere myſterium Trinitatis quoad an eſt?

RICHARDVS à S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 4. & lib. 3. cap. 5. & lib. 9. cap. 5. tenet rationem naturalem, ſola fidei revelatione ſuppoſita, poſſe ad invenire rationes evidenter demonſtrãtes quoad an eſt, quod Deus ſit vnus, & Trinus. Iuxta quam ſententiam Vazquez interpretatur Raymundum Lulyum. Hæc tamen ſententia falſiſsima eſt, contra quam talem ſtatuo concluſionem.

229 Virtute luminis naturalis, tantum confortati ſola extrinſeca aſsiſtentia fidei, nequit homo, vel Angelus cognoſcere myſterium Trinitatis quoad an eſt. Volo dicere, quod poſtquam fides dictavit, quod Deus ſit Trinus, non poſsit ſolis ſuæ naturæ viribus clare cognoſcere, quod ita ſit, ſicut fides dictat. Hanc concluſionem ſic explicatam exiſtimo eſſe D. Tho. hic ad ſecundum vbi habet: *Ad aliquam rem dupliciter inducit ratio: vno modo, ad probandum ſufficienter aliquam radicem, ſicut in ſcientia naturali inducitur ratio ſufficiens ad probandum, quod motus cœli ſemper ſit vniformis velocitatis; alio modo inducit ratio, non quæ ſufficiẽter probet radicem, ſed, quæ radici iam poſitæ oſtendat congruere conſequentes effectus, ſicut in Aſtrologia ponitur ratio eccentricorum, & epiſialorum, ex hoc, quod hac poſitione facta poſſunt ſalvari apparentia ſenſibilia circa motus cœleſtes; non tamẽ ratio hæc eſt ſufficienter probans, quia etiam forte alia poſitione facta ſalvari poſſent: primo ergo modo poteſt adduci ratio ad probandum Deum eſſe vnum, & ſimilia; ſed ſecundo modo ſe habet ratio, quæ inducitur ad manifeſtationem Trinitatis, quia ſcilicet, Trinitate poſita, congruunt huiuſmodi rationes; non tamen ita, quod per has rationes ſufficienter probetur Trinitas perſonarum:* Quibus verbis D. Tho. aſſerit, quod poſtquã per fidem ponitur, quod ſit Trinitas, ratio noſtra, licet poſsit adducere rationes, quæ poſitioni Trinitatis congruant; non tamẽ, quæ ſufficienter convincant Deum eſſe Trinum: ergo.

Ratione ſic probatur concluſio. Nam ex ſola extrinſeca coniunctione cum lumine ſupernaturali, ratio naturalis nequit elicere cognitionem intrinsice ſupernaturalem; ſed cognitio, quæ evidenter cognoſceretur Trinitas, adhuc quoad an eſt, eſt intrinſice ſupernaturalis: ergo ex ſola coniunctione extrinſeca cum lumine ſupernaturali, Vis naturalis nequit evidenter cognoſcere Deum eſſe Trinũ, adhuc quoad an eſt. Prob. Mai. illa cognitio eſt ſupernaturalis, quæ elicitur ex principio ſupernaturali; ſed talis cognitio elicita à ratione naturali, tantum ſuppoſita fide in anima, non eſſet elicita à principio ſupernaturali; ſiquidem ſuppono, quod non eſſet active a lumine ſupernaturali: ergo talis cognitio eſſet pure naturalis. Min. ſic prob. cognitio, quæ evidenter, quoad an eſt, cognoſceretur Trinitas, ſpecificaretur ab obiecto ſupernaturali, nempe a Trinitate cognita: ergo eſſet intrinsice ſupernaturalis.

Dices, quod licet talis cognitio eſſet elicitive naturalis, vtpote elicita à principio activo naturali; eſſet tamen ſupernaturalis directive, nam licet lumen ſupernaturale, quod eſſet in anima, nõ eliceret talem cognitionem, dirigeret tamen, & firmaret animam in ordine ad illam, & ſic ſaltim directive ad dictam cognitionẽ concurreret.

Sed contra eſt. illa cognitio eſſet cognitio obiecti perfectiſsime ſupernaturalis; igitur non ſolum directive, ſed etiam elicitive deberet eſſe ſupernaturalis. Patet Conſequentia, nam ſupernaturalitas, quæ ſpecificative convenit actui ex obiecto, eſt neceſſe, quod elicitive conveniat illi ex ſuo principio effectivo; ſed dicta cognitio eſſet intrinsice ſupernaturalis ex obiecto ſpecificativo: ergo eſſet neceſſe, quod eliceretur ab aliquo principio effectivo ſupernaturali, à quo haberet effective ſupernaturalitatem, quã haberet ab obiecto ſpecificative.

Secundo inſto, nam quod fides dictet, quod Deus eſt Trinus, & vnus, tantum infert, quod lumen naturale firmetur, & certum fiat de hac veritate, *Deus eſt Trinus, & vnus*; non tamen dat vires lumini naturali, vt quærat, & inveniat medium, quod talem veritatem probet: ergo non ſufficit ad hoc, vt lumen naturale Trinitatem evidenter quoad an eſt, cognoſcat. Prob. Ant. medium cui innititur hæc veritas, *Deus eſt Trinus, & vnus*, eſt ſupernaturale, nam talis veritas cum nullo naturali connectitur: ergo ſolis viribus naturalibus nequit inveniri; ſed quod fides dictet Deum eſſe Trinum, nullas dat vires ſupernaturales lumini naturali: ergo licet firmet illud in hac veritate, non tamen dat vires requiſitas ad inveniendum

medium;

dum medium talis veritatis probativum.

Prob. 2. concluſio. Philoſophus habens ſolam fidem huius myſterij, nõ poſſet vti effectibus ſupernaturalibus ad indagendum, & clare cognoſcendum tale myſteriũ: ergo ſola fide adiutus, non poſſet pervenire ad claram, & evidentem notitiam illius. Patet Conſ. nam Trinitas ſolum participatur ab aliquibus effectibus ſupernaturalibus: cum enim ſit altioris ordinis, nequit participari ab aliquo ordinis inferioris, quales ſunt effectus naturales: ergo ſi lumen naturale non poſsit procedere ad illius inveſtigationem, ex principijs ſupernaturalibus, non poterit pervenire ad illius evidentem notitiam. Ant. ſic probo. Demonſtratio, quæ procedit ex principijs ſupernaturalibus eſt neceſſario ſupernaturalis; ſed lumen mere naturale nequit producere demonſtrationem ſupernaturalem: ergo etiam nequit vti principijs, quæ ſint effectus ſupernaturales.

Tertio prob. nam dato caſu, quod poſſet vti effectibus ſupernaturalibus, quæ illi miniſtraret fides, adhuc ad claram Trinitatis notitiam pervenire nõ poſſet: ergo. Prob. Ant. tales effectus ſupernaturales non cognoſceret niſi per fidem: ergo ex illis nequiret evidẽter myſterium Trinitatis cognoſcere. Patet Conſ. nam vbi premiſſæ ſunt per ſe obſcuræ, concluſio non poteſt eſſe evidens; ſed ſi tales effectus per fidem cognoſceret, premiſſæ, ex quibus procederet, eſſent per ſe obſcuræ, vtpote dictatæ à ſola fide: ergo adhuc ſi illis vteretur, non poſſet ad claram Trinitatis notitiam pervenire.

§. VIII.

Solvuntur rationes Rychardi.

230 PRIMO ſic arguit hic author. Nam poſtquam quis edocetur à fide dari Trinitatem, per diſcurſum naturalem cognoſcit evidenter in omni creatura reperiri Trinitatis veſtigia, & cognoſci lumine naturæ creaturas intellectuales eſſe imagines Trinitatis: ergo poteſt ex his evidenter inferre dari in Deo Trinitatem.

Ad hoc conc. Antecedenti pro prima parte, nego Conſ. nam creaturæ ſolum dicuntur veſtigia Trinitatis, quia repræſentant attributa abſoluta bonitatis, ſapientiæ, & potentiæ, quæ divinis perſonis attribuũtur; nec tamen repræſentant ea, reduplicative vt illis attribuuntur, ſed tantum ſpecificative: vnde non ſequitur, quod ex illis poſſit lumen naturale evidenter diſcurrere dari Trinitatem. Ad id, quod dicitur de imagine Trinitatis, quæ eſt anima, dico, quod lumen naturale non valet ſe ſolo acquirere, quod anima ſit imago Trinitatis, & in quo illi aſsimilatur, ſed hoc, vel habetur per fidẽ, vel non habetur: vnde, adhuc ſuppoſita fide de Trinitate, nequit per animã, vt imaginem, cognoſcere illam. Quod ſi fides dictet, animam eſſe imaginem Trinitatis, tunc poterit formari ratio probativa Trinitatis, non quæ ſit evidens, ſed quæ tãtùm ſit demonſtratio Theologica, ſic, fides dictat, animam rationalem eſſe imaginem Trinitatis: ergo datur Trinitas: ſed de hac Theologica ratione non procedit noſtra difficultas, quia cum antecedens ſit de fide, conſequens nequit eſſe evidens.

Secundo arguit. Naturaliter cognoſcitur à nobis, quod productio Verbi, & amoris pertinent intrinsice ad perfectionẽ naturæ intellectualis, & etiam naturaliter cognoſcitur à nobis, quod Deus eſt naturæ intellectualis: ergo ex his naturaliter inferri poteſt, quod Deo conveniat productio Verbi, & productio amoris, quia in illo debet eſſe quidquid intrinsice pertinet ad perfectionem naturæ intellectualis.

Ad hoc nego Mai. imò cum intellectus noſter, & Angelicus ſolum forment verbum ex indigentia, & limitatione, ratione cuius non eſt in vltimo gradu intellectualitatis; non poteſt naturaliter percipere, quod de intrinſeca perfectione naturæ intellectualis ſit Verbum producere, cum videat hoc competere creaturis intellectualibus ex ſui imperfectione, nempe quia in vltimo gradu intellectualitatis non ſunt: vnde neque poteſt procedere ex hoc principio naturaliter cognito, ad cognoſcendum Deo competere productionem Verbi, & amoris.

Tertio arguitur. Naturaliter cognoſcitur, quod Deus eſt ſummum bonũ, & quod de ratione ſummi boni eſt, quod ſe infinite communicet: ſimiliter, naturaliter cognoſcitur, quod ad extra nequit ſe infinito modo communicare; alias extra Deum daretur infinitum in actu, quod vis naturalis iudicat impoſsibile: ergo ex his poteſt vis naturalis inferre, quod Deus ad intra ſe infinito modo communicet aliquibus perſonis. Ad hoc dico, quod ratione naturali cognoſcimus Deum eſſe ſummũ bonum,

&

Digitized by Google

& ſumme ſe communicare iuxta qualitatem, & quantitatem recipientis communicationem, hoc eſt, ſi recipiens capax ſit infinitæ bonitatis; quod autem detur hoc recipiens capax infinitę bonitatis, ſola fides docet, quæ ponit Filium, & Spiritum Sanctū eiuſdem numero infinitæ bonitatis cum Patre, à quo illam accipiunt: vnde ex hoc principio naturaliter non valemus indagare veritatem.

Quarto arguitur. Lumine naturali cognoſcimus Deum in ſeipſo, independenter à creaturis, eſſe ſumme beatum; ſed etiam lumine naturali ſcimus ad perfectam beatitudinem requiri amicitiam, & multorum ſocietatem: ergo ex his, fide præſuppoſita, demonſtrare poſſumus in Deo eſſe perſonarum pluralitatem. Ad hoc dist. Mi. ad ſummam, & perfectam beatitudinem requiritur amicitia, & plurium ſocietas, quando in habente beatitudinem non adeſt tota illa bonitas, quæ ei poſſet provenire ex plurium ſocietate, conc. Min. quando adeſt, nego Min. & Conſ. cum enim in Deo omnis bonitas, quæ illi ex plurium ſocietate poterat provenire, inveniatur in vna tantū perſona, ex hoc principio nequit ſufficienter probari divinarum perſonarum pluralitas.

§. IX.

Vtrùm poſsit extra viſionem beatam communicari clara viſio Trinitatis, quantum ad quæſtionem quid eſt?

SCOTVS loco ſupra citato in ea eſt ſententia, vt affirmet non ſolùm homini viatori peculiari lumine illuſtrato poſſe à Deo concedi notitiam propriam, & quidditativam evidentem Trinitatis; abſtractivam tamen, & non pertingentem ad Dei intuitionem, verum etiam Angelum virtute propria eam habere poſſe per ſpeciē à Deo infuſam, quam quodammodo ſupernaturalem, quodammodo naturalē appellat; naturalem quidem, quia eſt ad eliciendum actum ordinis naturalis, ſupernaturalem vero, quia eſſet à Deo Angelo libere infuſa, & non neceſſario; nec ab obiecto naturali derivata. Cum Scoto in partem conſentit Maiòr in 2. diſt. 3. q. 5. concl. 5. & q. 3. prologi. Idem affirmat Baſolis q. 1. prologi ar. 2. Petrus de Aliaco q. 1. prologi art. 2. & Ocham. q. 1. prologi ar. 5. concl. 2. 3. & 4. dixi in parte hos authores convenire, quia licet aſſerant extra Verbum poſſe communicari notitiam propriam, & quidditativam Trinitatis; dicunt tamen illam fore ſupernaturalem: ſuperaddunt etiam, quod reſpectu myſterij contingentis, quale eſt myſterium incarnationis, talem notitiam non poſſe viatori communicari extra viſionem beatam. Cæterum communis ſententia Theologorum tenet extra Verbum per nullum lumē vel ſpeciem poſſe, Deum non videnti, notitiam quidditativam Trinitatis concedi.

231 Sit concluſio. Per nullam Dei potentiam poteſt viatori, extra viſionem beatam, notitia quidditativa evidens Trinitatis communicari. Prob. notitia quidditativa alicuius rei, ea eſt ſola, quæ habetur per ſpeciem propriam rei illam immediate repræſentantem; ſed nequit extra viſionem beatam dari ſpecies propria, & immediata Dei: ergo nequit extra viſionem beatam communicari viatori notitia quidditativa clara Trinitatis. Mai. non negat Scotus. Et probo Mi. ſpecies immediate repræſentans Dei quidditatem, deberet eſſe Deus in eſſe intelligibili; at implicat ſpeciem creatam eſſe Deum in eſſe intelligibili: ergo prob. Mai. talis ſpecies in eſſe intelligibili eſſet ipſa Dei quidditas, quam immediate repræſentaret: ergo eſſet ipſe Deus in eſſe intelligibili. Quod autē hoc implicet, inde patet, quia ex eo ſequeretur talem ſpeciem eſſe Deum in eſſe entis; eſſe enim entis Dei, ſumme identificatur cum eſſe intelligibili eius: ergo ſi dicta ſpecies eſſet Deus in eſſe intelligibili, eſſet Deus in eſſe entis. Hęc ratio ſic formata impugnat modum dicendi Scoti, quantum ad id, quod aſſerit, quod ſpecies illa immediate quidditative repræſentaret Deum.

Sed ſecundo impugno modum eius dicendi in eo, quod dictat talem ſpeciem eſſe abſtractivam eo, quod non repræſentaret Deum, vt exiſtentem, ſed tantum repræſentaret Dei quidditatem. Implicat dari notitiam Dei immediatam quidditativam, quę non ſit intuitiva; ſed non admittitur à Scoto ſpecies, quæ ſit Dei intuitiva extra Verbum: ergo neque debet admitti extra Verbum ſpecies Dei quidditativa. Prob. Mai. quidditas Dei, nequit immediate repræſentari, niſi prout in ſeipſa eſt; ſed hoc ipſo, quod repręſentatur immediate, prout in ſeipſa eſt, hoc ipſo repræſentatur intuitive: ergo hoc ipſo, quod detur notitia Dei quidditativa, dabitur neceſſario notitia Dei

Digitized by Google

intuitiva. Mai. videtur clara, nam hoc ipſo, quod Dei quidditas ſit immediatum repręſentatum, neceſſe eſt fateri Dei quidditatẽ non repræſentari in alio: ergo eſt neceſſe fateri repræſentari in ſeipſa. Min. etiam patet, nam notitia intuitiva eſt notitia rei in ſeipſa.

Dices rem repræſentari in ſeipſa, dupliciter contingere; vel ita, quod ly *in ſeipſa*, dicat ipſiſsimam rem, & quidditatem eius, & non aliud ab ipſa diſtinctum, vel ita, quod ly *in ſeipſa*, dicat rem, prout exiſtẽtem in ſe. Si hoc ſecundo modo res contingat, repræſentatur per ſpeciem intuitivam; ſi primo modo, per ſpeciem abſtractivam: notitia ergo, quam Scotus cocedit extra Verbum, Dei quidditativa, eſt Dei in ſe primo modo, non ſecundo, & ſic erit abſtractiva.

Sed contra hoc eſt, primo. Quia Scotiſtæ communiter tenent, quod exiſtentia ſit ipſa Dei quidditas formaliter: ergo implicabit ipſiſsimam Dei quidditatem immediate in ſeipſa repræſentari, & non repræſentari vt exiſtentem; ſi enim id, in quo Dei quidditas conſiſtit, non repræſentetur, non erit poſsibile ipſam Dei quidditatem immediate repræſentari. Secũdo, nam eſto Dei quidditas virtualiter diſtinguatur ab eius exiſtentia; ſi tamen ſemel ponatur ipſiſsimam Dei quidditatem, per dictam ſpeciem immediate repræſentari, erit neceſſarium repręſentari, vt exercentem eſſe phyſicum, & reale: ergo notitia, quæ habebitur per talẽ ſpeciem, erit neceſſario intuitiva.

Tertio prob. concluſio. Nam ſi eſt poſsibilis extra Verbum ſpecies repræſentans Deum quoad quidditatem immediate, per quam Deus abſtractive cognoſcatur, erit etiam poſsibilis ſpecies repræſentans Deum immediate vt exiſtentem, per quam Deus intuitive cognoſcatur; ſed hoc non admittit Scotus: ergo nec debet admittere primum. Prob. Sequela. Non magis ſupernaturalis eſt exiſtentia Trinitatis, quam quidditas eius: ergo ſi ponitur quidditatem Trinitatis immediate repræſentari per ſpeciem creatam extra Verbum, ad habendum Dei notitiam abſtractivam, poni etiam poterit quidditatem Trinitatis vt exiſtẽtem, poſſe immediate repræſentari per ſpeciem creatam extra Verbum, ad habendam notitiam illius intuitivam.

Dicet aliquis pro Scoto, ſpeciem repræſentantem quidditatem Trinitatis, vt exiſtentem, eſſe perfectiorem ſpecie tantũ repræſentante ſolam quidditatem, & ſic ex poſsibilitate ſpeciei ſecundæ, non inferri poſsibilitatem primæ.

Sed contra eſt, nam licet ſpecies, quæ repræſentaret quidditatem ſolam, nõ eſſet ita perfecta, ſicut illa, quæ quidditatem, & exiſtentiam ſimul repræſentaret; tamen hic exceſſus in perfectione non reddit impoſsibilem ſpeciem, per quam quidditas Trinitatis vt exiſtens repræſentetur, ſi ſemel ponitur poſsibile, quod Trinitas immediate, quoad quidditatem, poſsit repræſentari per ſpeciem creatam: ergo ſolutio nulla. Prob. Ant. prædictus exceſſus non eſt in eo, quod creatura nõ poſsit divinitatem repræſentare immediate, ſed tantum in eo, quod magis, vel minus repræſentet de divinitate: ergo ſi ponitur poſsibile, quod creata ſpecies repræſentet immediate quidditatem Trinitatis, ponetur etiam poſsibile, quod creatura aliqua poſsit repræſentare divinitatem Trinitatis quoad eſſe quidditatis, vt exiſtentis. Prob. Conſ. nam ille tantum exceſſus reddit impoſsibilem ſpeciem propriam divinitatis, quæ creata ſit, qui eſt exceſſus pœnes creatum repræſentans, & increatum repræſentatum, pœnes finitum repræſentans, & infinitum repræſentatum, pœnes repræſentans potentialẽ, & purum actum immediate repræſentatũ; ſed exceſſus pœnes repræſentare plures, vel pauciores formalitates divinas, non eſt exceſſus in aliquo ex his numeratis: ergo non ſufficit ad aſsignandum diſcrimen. In eo, quod ſit poſsibilis ſpecies creata repræſentans clare quidditatem Trinitatis immediate, & non ſit poſsibilis ſpecies creata repræſentans quidditatem Trinitatis, & eius exiſtentiam.

Confir. hoc. Ideo ſpecies repræſentans immediate quidditatem Trinitatis non implicat, quia licet repræſentet infinitum; non tamen repræſentat infinite: vel quia ſtat, quod aliquid ſit Deus in eſſe intentionali, & non ſit Deus in eſſe phyſico & reali; ſed ſpecies creata, quæ repræſentaret quidditatem Trinitatis vt exiſtentem, non repræſentaret infinitum infinite, neque eſſet Deus in eſſe phyſico, ſed tantum in eſſe intentionali: ergo dum admittitur ab Scoto ſpecies creata quidditativa Trinitatis abſtractiva, debet etiam admitti vt poſsibilis ſpecies quidditativa Trinitatis intuitiva.

Dices non eſſe repugnantiam ex eo, quod ſpecies creata non poſsit repræſentare Trinitatem intuitive; ſed in eo, quod ho-

homini viatori non habenti lumen gloriæ, talis ſpecies Trinitatis intuitiva concedatur: cum enim ſpecies dentur iuxta proportionem luminis, vbicumque non datur lumen viſivum, & intuitivum Trinitatis, impoſsibile erit dari ſpeciem viſivam, & intuitivam illius: cum ergo ſolum lumen gloriæ ſit viſivum, & intuitivum Trinitatis, fit inde, quod viatori non habenti tale lumen, ſpecies creata viſiva, & intuitiva Trinitatis concedi non valeat.

Sed contra hoc eſt, nam idem lumen, quod ſufficit ad videndum clare Deum abſtractive, dum illi ſola quidditas Dei repræſentatur, ſufficit etiam ad videndum Deum intuitive, ſi illi, non ſolum Dei quidditas, ſed quidditas vt exiſtens repræſentetur; ſed Scotus ponit eſſe poſsibile lumen diſtinctum à lumine gloriæ, quod evidenter quidditative Trinitatem cognoſcat, licet abſtractive, quia illi ſola quidditas Trinitatis repræſentatur: ergo debet admittere, quod per illudmet lumen Deum videat intuitive, ſi ei quidditas Trinitatis, vt exiſtens repræſentetur. Prob. Ant. inductione facta à luminibus creatis, etenim eodem indiviſibili lumine cognoſcit Aſtrologus eclypſim factam in hoc noſtro emiſphœrio intuitive, quo cognoſcit abſtractive eclypſim factam in alio emiſphœrio. Philoſophus eodem lumine cognoſcit intuitive roſam phyſice præſentem, quo cognoſcit illam abſtractive, quando eſt abſens, & ſic de alijs: igitur eodem indiviſibili lumine, quo quis cognoſcit abſtractive clare Trinitatem, quando illi non repræſentatur vt exiſtens, cognoſcet illam intuitive, ſi proponatur, & repræſentetur vt phyſice exiſtens. Quorum omnium vna eſt ratio, nam diſtinctio notitiæ pœnes abſtractivam, & intuitivam, non ſe tenet ex parte luminis, ſed ex parte repræſentationis ſpeciei; quando enim res repræſentatur, vt phyſice exiſtens, cognoſcitur intuitive, & quando repræſentatur, vt abſens, cognoſcitur abſtractive; ſed vtranque notitiam idem elicit lumen: ergo ſi præter lumen gloriæ, datur aliud lumen, quo quidditas Trinitatis poſsit cognoſci clare abſtractive, dum ſola quidditas Trinitatis repræſentatur per ſpeciem, per idem lumen diſtinctum à lumine gloriæ, poterit cognoſci intuitive, ſi vt exiſtens per ſpeciem quidditas Trinitatis repræſentetur.

Quarto impugno Scotum in eo, quod dicit talem ſpeciem repræſentantem Trinitatem abſtractive, fore naturalem, quia eſt principium cognitionis naturalis: & ſupernaturalem, quia libere conceditur Angelo, vel homini, hoc eſt non debito, & quoad primam partem huius dicti ſic argumentor. Cognitio quidditativa, & clara Trinitatis eſt ſupernaturalis ſimpliciter: ergo falſum eſt prædictam ſpeciem eſſe naturalem. Prob. Ant. illa cognitio eſt ſupernaturalis, cuius obiectum immediatum eſt ſupernaturale; ſed quidditas Trinitatis, vel Trinitas, vt quidditative immediate cognita, eſt ſupernaturalis: ergo cognitio illius immediata erit ſupernaturalis. Prob. Ant. cognitio ſpeciem accipit ab obiecto primario cognito per illam: ergo ſi hoc ſit ſupernaturale, cognitio erit neceſſario ſupernaturalis. Min. prob. quidditas Trinitatis vt exiſtens, eſt obiectum ſupernaturale: ergo & quidditas ſola Trinitatis erit obiectum ſupernaturale. Patet Conſ. nam quidditas Trinitatis, & eius exiſtentia eiuſdem omnino ſupernaturalitatis ſunt.

Secundo prob. hoc ipſum. Nam ſi quidditas Trinitatis, vel Trinitas, vt quidditative cognita, non eſſet ſupernaturalis, cognitio illius eſſet Angelo debita; at ſecundum Scotum prædicta cognitio eſt Angelo indebita, ſiquidem ſpecies ad illam eliciendam, dicit Scotus, quod eſt indebita Angelo: ergo fatendum eſt prædictam cognitionem eſſe ſupernaturalem. Prob. Maior. Angelo cuilibet, quia eſt natura completa intellectualis, debetur omnis entis naturalis cognitio, dum modo eſſe neceſſarium habeat; ſed quidditas, vt quidditative cognita, eſt ens neceſſario exiſtens, & ſecundum Scotum eſt obiectum non ſupernaturale: ergo cognitio illius erit debita Angelo. Explico hoc. Quia Deus, vt author naturæ, eſt obiectum naturale cognitionis, cognitio Dei vt authoris naturæ, eſt debita Angelo: ergo, quia Trinitas vt tantum quidditative abſtractive cognita, eſt obiectum neceſſarium, & naturale, cognitio illius erit Angelo debita.

Per quam doctrinam impugnatur, quod ſecundo dicit Scotus, nempe talem ſpeciem non eſſe debitam Angelo.

§. X.

Solvuntur Argumenta.

232 PRIMO Suadere conatur Scotus ſuam ſententiam de notitia abſtractiva Trinitatis hac ratione. Abſtractiva notitia ſuapte natura præcedit intuitivam eiuſdem obiecti; prius autem poteſt eſſe ſine poſteriori: ergo poterit dari notitia abſtractiva quidditativa Trinitatis, quæ non ſit intuitiva. Deinde poteſt Deus quamcumque notitiam intuitivam conſervare in abſentia obiecti: ergo poteſt efficere, vt notitia, quæ erat intuitiva, ſit abſtractiva: ergo poterit dari notitia quidditativa Trinitatis, quæ tantum ſit abſtractiva.

Ad hoc nego Mai. etenim cum quis primo videt Petrum, cuius nunquam notitiam habuit, primo habet notitiam intuitivam Petri, ſive externam, ſive internam, quam habuerit notitiam abſtractivam illius: falſum ergo eſt aſſerere, ſuapte natura notitiam abſtractivam præcedere intuitivam eiuſdem obiecti.

Secundo reſpond. diſt. Mai. notitia abſtractiva ſuapte natura eſt prior quam intuitiva, quidditativa, nego Mai. quidditativa, vel connotativa, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſequentiam. Itaque veriſſimum eſt, quod notitiam intuitivam myſterij Trinitatis præcedit abſtractiva connotativa, quæ habetur per fidem, & per alienas ſpecies; non quidditativa, & per proprias ſpecies. Cuius ea eſt ratio, quia cum notitia quidditativa Trinitatis, ſit rei neceſſario exiſtentis, nequit eſſe notitia quidditativa Trinitatis abſtractiva, quia ſemper videtur res in ſeipſa exiſtens, & ſic cum primo incipit eſſe notitia Trinitatis quidditativa, incipit eſſe notitia intuitiva Trinitatis; connotativa autem notitia Trinitatis, cum non ſit per proprias ſpecies, eſto ſit obiecti neceſſario exiſtentis, non oportet, quod ſit primo intuitiva, quia non eſt notitia rei in ſe immediate, ſed per aliud. Et certe ſi hoc argumentum convinceret, probaret homines, & Angelos de facto habuiſſe primo notitiam abſtractivam quidditativam Trinitatis, quam intuitivam per facialem viſionem, quod videtur abſurdum. Patet hoc, nam homines, & Angeli de facto habent ante notitiam intuitivam Trinitatis id, quod ſuapte natura præcedit illam; ſed iuxta vim argumenti facti, notitiam intuitivam Trinitatis præcedit ſuapte natura notitia quidditativa abſtractiva eius: ergo homines, & Angeli de facto, ante facialem viſionem Trinitatis haberent in via notitiam quidditativam claram Trinitatis abſtractivam.

Ad ſecundũ, nego Antecedens. Falſiſſimum enim eſt, quod poſſit Deus omnem notitiam intuitivam conſervare in abſentia obiecti: etenim notitia intuitiva Petri præſentis, nequit conſervari in abſentia eius, quia eſſentialiter pendet à Petro præſenti, ſic notitia intuitiva Trinitatis, id eſt, qua Trinitas videtur in ſe, cum eſſentialiter dependeat ab ipſa Trinitate, vt præſenti, ſi abſens ſit Trinitas, peribit neceſſario notitia: & licet hoc poſſibile eſſet in illis notitijs, quæ habentur per ſpecies realiter diſtinctas ab ipſis obiectis viſis; tamen non eſt poſſibile in illis notitijs, quæ non poſſunt haberi, niſi per hoc, quod ipſum obiectum per ſeipſum vniatur Intellectui ſub munere ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, qualiter contingit in notitia intuitiva, quam beati habent de Deo, quæ habetur per hoc, quod ipſe Deus vnitur menti beatorum per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ.

233 Tertio arguitur. Chriſtus Dominus per ſcientiam infuſam cognoſcit viſionem beatam D. Petri: ergo cognoſcit S. Petrum cognoſcere quidditative Deum: ergo cognoſcit id, in quo conſiſtit quidditas Dei: ergo cognoſcit Deum quidditative. Antecedens aſſeritur à D. Thom. 3. p. q. 11. art. 1. & Conſ. primã probo, quia de ratione viſionis beatæ eſt, quod ſit cognitio quidditativa Dei, vt eſt in ſe. Secũda vero prob. quia ſi ignoraret id, in quo conſiſtit quidditas Dei, non poſſet iudicare, vtrũ talis notitia eſſet quidditativa Dei, vel non. Tertia vero prob. qui cognoſcit clare in quo conſiſtit quidditas rei, cognoſcit illam quidditive.

Ad hoc conc. prima Conſeq. nego 2. ad prob. nego Ant. Ad hoc enim, vt Chriſtus ſciat D. Petrũ cognoſcere Deum quidditative, non requiritur quod quidditative cognoſcat Deum; ſed ſufficit cognoſcere, quod viſio beata eſt talis naturæ, quod videntibus illam, facit cognoſcere eam quidditative.

Inſtas: natura viſionis beatæ eſſentialiter conſiſtit in eo, quod ſit viſio quidditativa Dei: ergo, vt cognoſcatur viſionem D. Petri eſſe beatam, erit neceſſarium videre, quod ſit Dei quidditativa cognitio; at hoc non poteſt fieri, ſi Deus non cognoſcatur quid-

quid-

Digitized by Google

quidditative: ergo. Prob. hæc Min. nequit aliquis cognoſcere, animal rationale mortale, eſſe diffinitionem quidditativam hominis, niſi cognoſcat hominis quidditatem in eo conſiſtere, quod animal rationale mortale ſit: ergo ſimiliter nequibit aliquis cognoſcere clare, & evidenter viſionem beati Petri, eſſe viſionem quidditativam Dei, niſi cognoſcat quidditative Deum.

Ad hoc nego Min. ſubſumptam. Ad prob. nego Conſ. etenim cũ definitio eſſentialis rei, formaliter explicet rei quidditatem, implicat ſcire definitionem rei, & nõ cognoſcere clare rei quidditatem, & ſic, qui ſcit animal rationale mortale eſſe hominis diffinitionem eſſentialẽ, quidditative cognoſcit hominem: nec enim res definita melius cognoſcitur, quam per eius definitionem; viſio autem beata D. Petri non præhabet in ſe formaliter Dei quidditatem, ſed extrinſice comparatur ad illam, & ſic per hoc, quod quis habeat claram notitiam viſionis beatæ D. Petri, non infertur Deũ cognoſcere quidditative per illam; cognoſcet tamẽ viſionem illam eſſe beatam, per hoc, quod videt eſſe ellicitive à lumine gloriæ, mediante Deo vnito per modum ſpeciei impreſſç, & expreſſç, & hoc ipſo, quod cognoſcit eſſe beatam, cognoſcit convenire illi hoc prædicatum, nempe, quod ſit attingentia quidditativa Dei.

Inſtabis: nequit anima Chriſti cognoſcere viſionem Petri elici ab intellectu perfecto lumine gloriæ, & à Deo per modum ſpeciei impreſſæ ei vnito, niſi videat concurſum luminis, & concurſum Dei per modum ſpeciei impreſſæ: ergo neque poterit videre viſionem beatam terminari ad Deũ quidditative, niſi videat quidditatem Dei in ſeipſa concurrere, per modum obiecti ſpecificantis, ad viſionem beatam D. Petri; at videre Deum, ſeipſo concurrere active ad viſionem, per modum ſpeciei impreſſæ, & concurrere terminative ad viſionem per modum obiecti ſpecificantis illam, eſt eum videre quidditative in ſeipſo: ergo nequit anima Chriſti cognoſcere quidditative viſionem beatam D. Petri, quin Deum cognoſcat quidditative.

Ad hoc argumentum reſp. quod ad videndum viſionem beatam in ſeipſa, non oportet, quod videantur in ſeipſis omnia principia, à quibus procedit; ſed ſufficit, quod videatur aliquod principium, cuius concurſus non poteſt poni in re, niſi ponantur concurſus omnium aliorum principiorum, quæ concurrunt ad viſionem beatam; vnde ſufficit, quod anima Chriſti per ſcientiam infuſam videat lumen gloriæ, vt concurrens ad viſionem: cum enim concurſus luminis per ſe ſit connexus cum concurſu Dei per modũ ſpeciei impreſſæ, & vt obiecti ſpecificantis viſionem, viſo lumine, vt concurrẽte, evidenter cognoſcit Deum ſub munere ſpeciei, & ſub munere obiecti ſpecificantis ad viſionem concurrere.

Sed inſto contra ſolutionem, viſio beata, non ſolum depẽdet per ſe à lumine gloriæ, ſed etiam per ſe dependet à Deo obiecto vnito menti beatæ, per modum ſpeciei impreſſæ: igitur, vt viſio beata videatur, prout in ſe ipſa eſt, non ſufficit videre lumen gloriæ, à quo procedit, ſed etiam ipſum Deum, prout vnitus menti beatæ concurrit ad viſionem. Prob. Conſ. nam, vt res aliqua perfecte in ſeipſa videatur, debent neceſſario videri ea, à quibus per ſe dependet: ergo dum viſio beata, per ſe dependet à lumine, & à ſpecie, vt perfecte videatur, debent videri lumen gloriæ, & Deus vt gerit munus ſpeciei.

Ad hoc reſpondeo, diſtinguendo Conſ. vt videatur, prout in exercitio oritur à mẽte beata, concedo Conſ. vt videatur, præciſſe per modum quidditatis, nego Conſ. Ad prob. diſt. Ant. vt videatur, vt in exercitio procedit ab his, à quibus dependet, conc. Ant. vt videatur, ſignate, & per modũ quidditatis, nego Ant. & diſt. Conſ. vt videatur, vt in exercito profluit ab his, à quibus depẽdet, conc. Conſequentiam, vt videatur, ſolum ſignate, & per modum quidditatis, nego Conſ. Itaque dupliciter cognoſcit Chriſtus viſionem beatam D. Petri; primo per modum exercitij profluentis à mente D. Petri illuſtrata lumine gloriæ, & affecta ipſa eſſentia divina per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, & ſic Chriſtus non videt viſionem beatam D. Petri per ſcientiã infuſam, ſed per ſcientiam beatam, quia Deus, vt vnitus menti beatæ modo dicto, nequit videri per ſcientiam infuſam: alio modo poteſt videri viſio beata D. Petri ſignate, & per modum quidditatis, id eſt, per ſuam propriã definitionem, & ſic ſolum videtur de ipſa, quod ſit quædam quidditas attractiva Dei, vt eſt in ſe attingentia viſiva, & prout ſic videt Chriſtus viſionem beatam D. Petri per ſcientiam infuſam; ſed ad ſic videndum, non requiritur, quod videatur Deus ſicuti eſt in ſe.

Digitized by Google

QVÆSTIO X.

De notionibus divinis.

§. I.

Vtrùm dentur notiones in divinis?

234 IN limine quæſiti præhabenda eſt diffinitio notionis divinæ. Sic enim illam definit D.Thom. in artic.1.quæſt.32. *Notio divina eſt ratio propria cognoſcendi perſonam divinam.* In qua diffinitione illa dictio *ratio* denotat aliquod prædicatum commune notioni, & alijs attributis eſſentialibus in abſtracto ſignificatis, nam deitas eſt ratio conſtitutiva Dei, & ſapientia eſt ratio conſtitutiva ſapientis, & ſimiliter notio eſt ratio. Vnde quia de conceptu intrinſeco rationis eſt, quod ſit aliquid ſignificatum in abſtracto, de ratione notionis eſt eſſe aliquid, quod ſignificatur in abſtracto, particula *propria* denotat id, per quod notio incipit diſtingui ab alijs rationibus eſſentialibus, quæ communes ſunt omnibus perſonis, & ſic non poſſunt habere rationem notionis. Particula illa *cognoſcendi*, denotat notionem diſtingui à ſignificato horum nominum *relatio perſonalis*, & *proprietas non perſonalis*, nam relatio ſignificat id, quod refertur ad correlativum, & perſonam conſtituit; proprietas autem non perſonalis, dicitur id, quod non convenit omnibus perſonis; non tamen conſtituit perſonam. Notio autem dicitur illud, quod eſt principium formale cognoſcendi perſonam: itaque ipſa forma vt ſignificata per nomen *Paternitas* ſignificat id, quod eſt ad Patrem, & ſignificata per nomen *notio* ſignificatur, vt principium cognoſcendi peculiariter Patrem. Quæ omnia ad litteram habet D. Thom. in primo diſt. 26. quæſt. 2. artic. 3. tandem ponitur in definitione, *perſonam divinam* ad denotandum, notionem ſignificare aliquid ſpectans ad originem, ſpectanſque ad dignitatem. Cuius ea eſt ratio, quoniam notio eſt ratio propria cognoſcendi perſonam divinam; perſona autem divina, vt talis, importat duo, & rationem originis, & rationem dignitatis: diximus enim ſupra hoc nomen *perſona* ſuper ſignificatum de ly *hypoſtaſis*, vel *ſuppoſitum*, addere eſſe ſuppoſitum naturæ intellectualis, quod quoddam genus dignitatis refundit in ipſum ſuppoſitum, & ſignificatur per hoc nomen *perſona*; & ſic ratio cognoſcendi perſonam aliquid ſpectans ad originem, & ſpectans ad dignitatem.

Hoc ergo præmiſſo, quæſitum præſens inquirit; vtrum ſignificatum per hoc nomen *notio* ſit in divinis perſonis, an tantum ſit in conceptibus noſtris, quos de divinis perſonis formamus. In quo puncto Præpoſitivus antiquus Scholaſticus, quem hic artic. primo refert D.Tho. aſſeruit quod notiones non ſunt in ipſis perſonis divinis, ſed in noſtris conceptibus. Accipit enim nomine *notionis*, non rationem, qua intelligitur de re; ſed tantum ipſam notitiam formalem, qua cognoſcimus illam, forſàm male intelligendo Auguſtinum 5. de Trinit. cap. 6. vbi ait: *Alia eſt notio, qua intelligitur genitor, alia, qua intelligitur genitus.* Præpoſitivum ſecuti ſunt Gregorius de Arimino in primo diſt. 22. quæſt. vnica artic. 2. & Gabriel ibidem diſt. 18. quæſt. 1. artic. 3. dub. 1. licet iſti authores moveantur ad negandum notiones eſſe in divinis perſonis ex alio principio ab eo, quo monebatur Præpoſitivus: exiſtimant enim, quod notiones ſunt quædam complexa, ſicut notio Patris, eſt genuiſſe Filium, & notio Filij, eſſe genitum à Patre; hæc autem complexa in re non ſunt, ſed tantum in noſtris conceptibus, per quos complexiones facimus circa ipſas res ſimpliciſsimas.

Scotus autem, & eius ſequaces aſſerunt, quod notiones ſunt in perſonis, & ex natura rei diſtinguntur ab illis ante operationem noſtri intellectus, quia vbi abſtractum, & concretum ex rei natura non diſtinguntur, quidquid prædicatur de abſtracto, prædicatur de concreto, & è contra; cumque aliquid prædicetur de Paternitate, quod non prædicatur de Patre, & è contra, inferunt notionem Patris ex natura rei diſtingui à Patre. Tertia ſententia aſſerit dari notiones in divinis perſonis, non tamen ex natura rei diſtinctas ab illis, ſed tantum ex noſtro modo intelligendi rem, nempe pœnes abſtractum, & concretum.

(.1.)

§. II.

Statuitur Concluſio.

235 PONENDÆ ſunt notiones in divinis perſonis. Prob. in divinis perſonis reperitur id, quod ſignificatur per hoc nomen *notio*: ergo ponendę ſunt notiones in divinis perſonis. Conſ. pater, & Ant. prob. etenim notio nihil aliud eſt, quam ratio propria cognoſcendi divinam perſonam; ſed in divinis perſonis vere dantur rationes cognoſcendi illas: ergo prob. Min. ratio, per quam vna perſona diſtinguitur ab alia, eſt id, quo cognoſcitur, vel innoteſcit nobis, vt ab illa diſtincta; ſed in divinis perſonis dantur rationes, quibus vna divina perſona ab alia diſtinguitur, nã Pater Paternitate diſtinguitur à Filio, & Filius filiatione diſtinguitur à Patre: ergo dãtur rationes propriæ, quibus manifeſtantur, & nobis innoteſcunt divinæ perſonæ.

Dices huic argumento, notionem non dicere illam rationem obiectivam, per quã cognitam divinæ perſonæ nobis innoteſcunt; ſed dicere illam ſimplicem notitiam, & conceptum formalem, per quã active intellectus noſter cognoſcit vnã perſonã ab alia diſtingui, notio enim ex terminis videtur dicere idem, ac notitia formalis, quę, vel eſt actus intelligendi, vel Verbũ, quod de re concipitur.

Sed contra hoc eſt: nam conceptus cõmuniter ſolet dividi in conceptum formalem, & obiectivũ; formalis eſt illa qualitas mentis, per quã exprimitur conceptus obiectivus, id eſt illud, quod de re concipitur, cõceptus vero obiectivus eſt illa ratio, quę expreſſatur, vel expreſſabilis eſt per conceptum formalem: ergo ſimiliter dictio *notio*, non coartabitur, vt tantũ ſignificet notionem formalem, qua intellectus active intelligit; ſed etiam ſignificabit illam rationem, qua cognita res ſecundũ propria cognoſcitur: ergo cum prædictæ rationes dentur in divinis perſonis, fatendum erit in divinis perſonis notiones inveniri.

Confir. hoc. Nam dũ hæretici inquirunt à nobis prædicantibus myſteriũ Trinitatis, quo tres perſonę ſunt vnũ, & quo ſunt tres, neceſſario debemus reſpõdere nominibus abſtractis, dicẽdo, eſſe vnũ deitate; eſſe tres tribus proprietatibus, nempe Paternitate, filiatione & Proceſsione: ergo vtendo his nominibus abſtractis, damus hæreticis intelligere myſteriũ Trinitatis; non autẽ damus intelligere myſteriũ Trinitatis per noſtras notitias formales: ergo prædictæ proprietates perſonales, vt ſignificabiles ſunt nominibus abſtractis, vere, & proprie dicẽdæ ſunt notiones, ſiquidẽ per illas innoteſcunt hæreticis, quæ de Trinitate prædicamus. Ant. primũ prob. nam ſi hæreticorum quæſito reſponderemus, tres perſonas eſſe tres tribus perſonis, irrideret hæreticus, ſiquidem hoc eſſet reſpondere idem per idẽ; ergo ad ſatisfaciendum, neceſſarium eſt nobis vti nominibus abſtractis, ſignificantibus dictas rationes obiectivas proprias vnicuique perſonæ.

Explicatur hoc. Reſponſio, quæ debetur alicui quæſito, debet eſſe formalis, & proportionata quęſito: ſi ergo quæſitum ſit de concreto, debet reſponſio, vt proportionata ſit interrogationi, fieri per concretum, & ſi quæſitũ ſit de abſtracto, reſponſio, vt proportionata ſit, debet fieri per abſtractũ; ſed cum hæreticus inquirit, quo tres perſonæ ſunt vnũ, & quo ſunt tres, interrogatio eſt de abſtracto, hoc enim ſonat Verbum *quo*: ergo reſponſio, vt proportionata ſit, debet fieri per abſtractũ, dicendo, deitate eſſe vnũ & proprietatibus perſonalibus eſſe tres.

Dices Auguſtinum ſermone de fide, & ſymbolo factæ interrogationi ab hæreticis, non reſpondiſſe per abſtracta, ſed per concreta. Verba ſunt Auguſtini: *Credimus Trinitatem perſonis diſtinctam, ſubſtantia vnitam*; nomine autem *perſona*, & *ſubſtantia* concreta ſunt. Similiter Hieronymus in expoſitione fidei eodẽ modo dictæ interrogationi reſpondet dicens: *Subſtantia vnum ſunt, ſed perſonis, ac nominibus diſtinguuntur*.

Sed contra eſt, nã quæſitũ, cui reſpondẽt iſti ſancti, non eſt quæſitũ, quod nos produximus, & quod poteſt ab hæreticis fieri, ſed eſt quæſitũ de quidditate Trinitatis, ac ſi inquireretur, quid eſt Trinitas, & huic quęſito debet fieri ſatis per diffinitionem Trinitatis, nempe, tres perſonæ, & vna ſubſtãtia, vel ſi inquiratur, quibus conſtet, vel diffiniatur Trinitas, reſpõſio debet fieri, tribus perſonis, & vna ſubſtãtia; ſic enim non reſpondemus idẽ ad idẽ, ſed diffinito reſpondemus per diffinitionẽ; quia autem Trinitas in recto importat vnam ſubſtantiam in tribus perſonis, adæquatiſsime reſponſũ eſt ab Auguſtino, & Hieronymo per nomina concreta *ſubſtantia*, & *perſona*, quæ concreta ſunt: verũ quia præter illam interrogationem poteſt fieri alia à nobis poſita, nempe quo perſonæ ſunt tres, & quo vnum, neceſ-

ſario debemus reſpondere nominibus abſtractis, nempe deitate, Paternitate, filiatione, & Proceſsione, ne idem repetet reſponſio, quod dixerat interrogatio.

236 Secundo prob. Concluſio ratione D. Tho. Nam Pater divinus tantum eſt vna perſona; & nihilominus ſunt in illo duæ relationes reales, nempe Paternitas, & communis ſpiratio: ergo oportet vti nominibus abſtractis ſignificantibus illam rationē, qua vna perſona eſt, & illas quibus duæ relationes reales ſunt; ſed prædictę rationes, in abſtracto ſignificatæ, ſunt notiones: ergo neceſſum eſt ponere in divinis perſonis notiones. Ant. ſic probat D. Tho. nam duabus relationibus, quæ ſe tenent ex parte Patris, opponuntur duæ relationes reales, realiter diſtinctę, nempe filiatio, & paſsiva ſpiratio: ergo oportet, quod in Patre Paternitas, & ſpiratio ſint duæ relationes reales, neque enim poteſt fieri, quod duæ relationes, realiter diſtinctæ, terminentur ad vnam relationem realem: ergo oportet in Patre cum vnitate perſonæ ponere Paternitatem, & ſpirationem eſſe duas relationes reales.

§. III.

Solvuntur obiectiones contra hanc rationem D. Thom.

237 OBIICIES primo. Sequitur ex hac ratione Paternitatem, & ſpirationem non ſolum eſſe duas relationes reales, verùm debere eſſe inter ſe realiter diſtinctas; conſequens nequit admitti: ergo. Prob. Sequela. Paternitati, & ſpirationi correſpōdent ex parte Filij, & Spiritus Sancti, duæ relationes reales, & realiter diſtinctæ: ergo Paternitas, & ſpiratio activa debent etiam inter ſe realiter diſtingui. Prob. Conſ. nam non eſt maior ratio, cur ex realitate duarum relationū oppoſitarum, colligatur Paternitatem, & ſpirationem activam eſſe duas relationes reales, & ex reali diſtinctione, quam habet inter ſe filiatio, & proceſsio, non colligatur Paternitatem, & activam ſpirationem eſſe inter ſe realiter diſtinctas: ſicut enim duæ relationes reales non poſſunt terminari ad vnam relationē realem, ſic non poteſt eſſe, quod duæ relationes realiter inter ſe diſtinctæ, non exigāt terminari ad alias duas reales, & realiter diſtinctas: ergo ſi ex eo, quod filiatio, & proceſsio ſūt duę relationes reales colligitur, quod Paternitas, & activa ſpiratio ſint duæ relationes reales, ex eo etiā, quod filiatio, & proceſsio inter ſe realiter diſtinguuntur, colligetur Paternitatem, & activam ſpirationem etiam inter ſe debere realiter diſtingui.

Ad hoc nego Sequelam, ad prob. nego Conſ. ad prob. nego Ant. nam licet duæ relationes reales, ſpecie diſtinctæ, requirant pro termino duas relationes ſpecie diſtinctas; non tamen duæ relationes realiter inter ſe diſtinctæ, requirunt pro termino duas relationes realiter inter ſe diſtinctas, nā diſtinctio realis duarum relationū in divinis, nullo modo ſumitur à terminis, ſed ab oppoſitione, qua realiter opponuntur inter ſe, & ſic, licet ex hoc, quod Paternitas, & ſpiratio terminantur ad duas relationes reales, nempe ad filiationem, & proceſsionē, colligatur illas eſſe duas relationes reales; non tamen ex hoc, quod terminentur ad duas relationes realiter inter ſe diſtinctas, colligi poterit eas inter ſe realiter diſtingui, quia in divinis realis diſtinctio ſolū poteſt oriri ex hoc, quod duæ relationes inter ſe mutuo opponantur, quod non contingit in Paternitate, & activa ſpiratione.

238 Obijcies 2. Relatio, qua Chriſtus refertur ad Matrē Virginem, vt Filius eius, & relatio, qua refertur ad Patrem æternū, vt Filius æternus, non ſunt duæ relationes reales; & tamen ex parte Patris ęterni, & ex parte Matris tēporalis correſpondent Chriſto duæ relationes reales, & realiter diſtinctæ: ergo non bene valet, relatio, qua Pater divinus refertur ad Filiū, & relatio, qua refertur ad Spiritū Sanctū, habent pro termino duas relationes reales, & realiter inter ſe diſtinctas: igitur ipſæ ſunt duæ relationes reales. Patet Conſ. a paritate rationis.

Ad hoc diſt. Mai. non ſunt duę relationes reales, ex meritis terminorum, ad quos referuntur, nego Mai. ex incapacitate perſonæ Chriſti, quæ nō poteſt eſſe ſubiectum relationis realis tēporalis, conc. Mai. & cōceſſa Mi. nego Conſ. quā nō probat paritas, quia ratio D. Th. ſupponit Patrē eſſe capacē duarum relationum realiū, & hac capacitate ſuppoſita, evidenter cōvincit, quod ſi refertur ad duas relationes reales, realiter diſtinctas, debet referri duabus relationibus realibus; at in Conſ. facta, nō ſupponitur capacitas ex parte perſonæ Xpti, in qua deberet ſubiectari relatio realis ad Matrē ex tēpore illi advenientē, & ſic nō tenet paritas.

Sed inquiris, quare ſupponitur capacitas ex parte Patris ad duas relationes reales, & non ex parte Chriſti? Reſpōdeo Patrem eſſe eiuſdem ordinis cum Filio, & Spiritu San-

Digitized by Google

Sancto ; & ſic habere capacitatem ad hoc, vt realiter referatur ad vtrumque: perſona autem Chriſti, non eſt eiuſdem ordinis cum Matre, & ſic non habet capacitatem ad hoc, vt realiter referatur ad Matrem: quando enim extrema relatiua non ſunt eiuſdem ordinis, non habetur, neque haberi poteſt relatio realis ex parte vtriuſque extremi.

239 Tertio obijcies. Nam Filius in creatis vnica relatione reali refertur ad Patrem, & ad Matrem, qui terminant relationem Filij per diuerſas relationes reales: ergo ſtabit ſimiliter, quod Pater vnica relatione referatur ad Filium, & ad Spiritum Sanctum, & quod ex parte illorum illi correſpondeant diuerſæ relationes reales.

Huic argumento reſp. 1. nego Ant. nã licet realiter in Filio ſit vna relatio; formaliter tamen ſunt duæ relationes, ſecundum quod Filius refertur ad Patrem, & ad Matrem, ratione diuerſorum concurſuum ſpecie diſtinctorum, à quibus filiatio dependet: dependet enim à Matre, ratione concurſus paſsiui, & à Patre, ratione concurſus actiui, qui ſunt concurſus ſpecie diuerſi; & ſic filiatio, vt effectus eſt Patris; eſt ſpecie diuerſa à ſeipſa, vt eſt Matris effectus. Poteſt roborari hæc ſolutio ex doctrina D. Th. 3. p. q. 35. ar. 5. ad 3. vbi poſtquam docuit hæc, videlicet: *Contingit, quod ex parte vnius extremi eſt vna relatio; ex parte vero alterius extremi ſunt multæ relationes, ſicut in hominibus, ex parte Parentum eſt duplex relatio, altera Paternitatis, & alia Maternitatis, quæ ſunt ſpecie differentes propter hoc, quod alia ratione Mater, & alia ratione Pater eſt generationis principium.* Poſt hæc ſubdit: *Ex parte autem prolis eſt vna filiatio ſecundum rem; ſed duplex ſecundum rationem, inquantum correſpondet vtrique relationi Parentum ſecundum duos reſpectus intellectus.* Quibus videtur docere, quod licet materialiter in Filio ſit vnica tantum relatio, formaliter tamen, & ſpecifice ſint duæ relationes.

Hæc ſolutio ſubſtinetur à Ferrara 2. contra g. cap. 125. ex illis; à Vazquez in præſenti, annotatione ad articulum ſecundum, à Suarez in metaphyſica diſp. 47. ſect. 17. n. 24. Non tamen videtur continere veritatem, nam Filius ad Patrem, & ad Matrẽ non refertur tanquã ad duas cauſas totales generationis, ſed tantũ tanquã ad duas cauſas partiales eiuſdẽ generationis: ergo vna filiatione materialiter, & formaliter eadẽ, refertur ad Patrem, & ad Matrẽ. Patet Cõſ. nam effectus totalis, ad cauſas partiales ſui eſſe, vnica tantũ relatione refertur, vt licet videre in toto reſultante ex materia, & forma, tanquam ex cauſis partialibus: neque enim alia relatione refertur ad materiam, & alia ad formam, ſed vna relatione indiuiſibili refertur ad vtrumque, eſto ex parte materiæ ſit alia relatio ad totum, ab ea quę eſt ex parte formæ; ſed Filius concurſũ actiuum Patris, & concurſum paſsiuum Matris reſpicit tanquã concurſus partiales, ex quibus integratur vna cauſa totalis ſui eſſe: ergo ad Patrem, & ad Matrem non refertur duplici filiatione formaliter, & ſpecie diuerſa, ſed vna tantum.

Confir. & explicatur hoc. Etenim materia ad totum, quod cauſat, diuerſo ſpecie concurſu cõcurrit ab eo, quo concurrit forma: ſiquidẽ concurſus materię eſt in genere cauſæ materialis, & concurſus formę eſt in genere cauſæ formalis, & cauſa materialis, & formalis ſpecie diſtinguuntur; & nihilominus totum vna relatione realiter refertur ad materiam, & ad formam: ergo eſto Pater concurrat cõcurſu actiuo ad Filium, & Mater paſsiuo, & illi duo concurſus ſpecie diſtinguantur; Filius tamen, qui eſt vnicum genitum vna generatione, & vna Natiuitate, vnica omnino filiatione refertur ad Patrem, & ad Matrem. Patet Conſ. nam ideo totum ad materiam, & ad formã vna omnino relatione refertur; quia quamuis ex parte cauſarum ſeorſim ſumptarum ſint concurſus ſpecie diuerſi, tamen ſunt cõcurſus partium per ſe ordinatarum ad faciendũ vnum effectum, qui eſt totum: ergo ſimiliter Filius vna reali filiatione referetur ad Patrem, & ad Matrem, quia licet illi concurſibus ſpecie diuerſis concurrant, tamen concurſus Patris, & Matris partialiter ſe habent ad cauſandam vnam generationem, quæ eſt fundamentũ vnius tantũ filiationis.

Neque D. Tho. in adducta authoritate vult oppoſitum; nam in illa, non dicit ex parte Filij ad Patrem, & ad Matrem eſſe duas relationes reales; ſed tantum eſſe duas ſecundum noſtrum intellectum: ſi autem relatione ſpecie diuerſa Filius reſpiceret Patrẽ ab ea, qua reſpicit Matrẽ, deberet dicere ex parte Filij eſſe duas relationes reales, ſicut quia Pater diuinus alia relatione ſpecie diuerſa refertur ad Filium ab ea, qua refertur ad Spiritum Sanctum, aſſerit in Patre eſſe duas relationes reales: cum ergo dicat duabus relationibus, tantum ſecundum intellectum noſtrum diuerſis, referri ad

Digitized by Google

Patrem, & ad Matrem, non ſentit Filium, duabus relationibus ſpecie diverſis, referri realiter ad Patrem, & ad Matrem, ſed tantum vult, quod intellectus noſter videns Patrem, & Matrem, diverſis relationibus realibus fundatis in diverſis concurſibus, referri ad vnum Filium, poſſit vnam filiationem in duas dividere relationes; non quæ ſint duæ in ratione filiationis; ſed quæ ſint duæ in ratione effectus partialis, dum enim conſiderat Filium referri ad Patrem, vt effectum partialem illius, & dum videt Matrem referri ad Filium, conſiderat Filiũ referri ad Matrem, vt partialis effectus illius; & ſic vnicam relationem realem filiationis, veluti in duas partialiter dividit.

Vnde ad argumentum reſpondetur negando Conſ. nam Pater, & Mater, cum ſint cauſę partiales vnius geniti, poſſunt reſpici ab vna relatione reali; verum Filius, & Spiritus Sanctus, cum ſint termini adæquati, & totales ſpecie inter ſe, & totaliter diverſi, nequeunt ab vna relatione, ſpecie vna, reſpici: & ſic oportet in Patre divino ponere duas relationes ſpecie inter ſe diverſas, atque adeo duas relationes, cum virtuali reali diſtinctione inter ſe.

Sed inſtas probando Patrem, & Matrẽ eſſe duos terminos totales filiationis, & ſic, vel debere poni duas filiationes in Filio, vel debere dici vnam filiationem poſſe habere pro termino duas relationes reales, ſpecie totali inter ſe diſtinctas, contra id, quod intendit D. Tho. in ſua ratione. Etenim ſi Paternitas, & Maternitas eſſent duo termini partiales eiuſdem omnino filiationis, ſequeretur, quod pereunte Patre, & remanente Matre, vel pereunte Matre, & remanente Patre, periret ſimpliciter ratio filiationis in Filio; hoc videtur falſum: ergo aſſerendum eſt Maternitatem, & Paternitatem non eſſe duos terminos partiales relationis filiationis. Prob. Mai. quoties aliquis actus per ſe ſpecificatur à duobus obiectis partialibus, pereunte vno, perit actus; quia, cum ad ſui exiſtere requirat duos terminos partiales, vno tantum exiſtente, non habet cauſam adæquatam ſui eſſe, v.g. notitia intuitiva per ſe ſpecificata à Petro, & Paulo exiſtentibus, altero eorum tantum exiſtenti, non conſervatur in eſſe: ergo ſi filiatio ad Patrem, & ad Matrem terminatur, tanquam ad duos terminos partiales, exiget ad ſui exiſtere exiſtentiam Patris, & Matris: & ſic quolibet eorum divinitus pereunte, non exiſtet relatio filiationis.

Confirm. hoc ipſum exigit filiatio ad ſui conſervationẽ ſub exiſtentia, quod exigit ad ſuum fieri ſub exiſtentia; ſed nõ poteſt primo exiſtere filiationem deficiente Patre, vel deficiente Matre: ergo non ſtabit conſervari ſub exiſtentia deficiente Patre, vel deficiente Matre.

Secundò conf. Ex his quæ docemur in tractatu incarnationis à noſtris Thomiſtis contra eos, qui dicunt præſens decretũ, quod Deus habuit circa incarnationem habuiſſe duo motiva partialia, nempe hominem redimere à peccato, & illuminare, & docere gentes per Chriſtum incarnatum, ex quo inferunt, quod ſi Adamus non peccaret Chriſtus ex vi præſentis decreti veniret; quia licet deficeret vnum motivum, non tamen deficeret aliud, nempe illuminare mundum per Chriſtum incarnatum. Contra quos docent Thomiſtæ, quod ſi præſens decretum haberet illa duo motiva partialia recenſita, quolibet eorum deficiente, deficeret decretum, & ſic, ſi Adam non peccante, Chriſtus veniret; non veniret ex vi præſentis decreti. Ex qua doctrina ſic argumentor. Decretum ſpecificatum à duobus motivis partialibus non remaneret, altero tantum motivo partiale deficiente: ergo relatio Filiationis, quæ refertur ad Patrem, & Matrem, tanquam ad duos terminos partiales, non exiſteret, deficiente Patre, vel deficiente Matre.

Ad hoc argumentum reſp. negando Mai. ad prob. dicti Ant. ſi illud, quod perit aliquo modo remaneat in illo, quod ſuperſtes eſt, nego Ant. ſi nullo modo remaneat in illo, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque duæ cauſæ partiales alicuius effectus, poſſunt ſe habere dupliciter; vel ſic, quod concurſus vnius de medio ablati, non remaneat aliquo modo in concurſu alterius, quod conſervatur in eſſe, altero pereunte, vel ſic, quod remaneat aliquo modo in illo, qui in eſſe remanet, altero de medio ablato; quando res ſe habet primo modo, id, quod exigit illas duas cauſas partiales ad ſui exiſtere, perit, quolibet partiali de medio ablato: non autem res ſic habet, quando contingit ſecundo modo. Pono exemplum huius doctrinæ; etenim portatio ponderis vt octo à duabus cauſis partialibus portantibus vt quatuor, non fit altero portante vt quatuor tantum exiſtente, quia vis portativa pereuntis, qui portabat, nullo modo remanet in iſto, qui vult perſeverare adhuc in portatione lapidis, ſimiliter notitia intuitiva Petri, & Pauli,

Digitized by Google

li, non remánet in eſſe, abſente Petro, vel abſente Paulo, quia id, quod dabat Paulus per modum terminantis viſionem, nullo modo remanet in Petro, quia Paulus videbatur per ſuam ſubſtantiam, vel per ſuos colores, qui nullo modo, vt erant Pauli, remanent in Petro primo diverſo à Paulo: concurſus autem, quem dedit Mater, remãſit aliquo modo in concurſu, quem dedit Pater, & concurſus, quem dedit Pater, remanſit aliquo modo in concurſu, quem dedit Mater, nam cum iſti Parentum concurſus ad cauſandum genitum, ſe adinvicẽ modificent; fit inde, quod ad invicem aliquo modo ſe præcontineant, & ſic pereunte Matre, & ſuperſtite Patre, fit, quod remaneat ille, cuius concurſus aliquo modo præcontinet concurſum Matris, & ſic fit, quod remaneat eadem relatio Filiationis, etiam ſi pereat Mater, ſi remanet Pater; quia aliquo modo Mater, vt Mater, remanet in Patre, & Pater, vt Pater, remanet in Matre: hancque exiſtimo eſſe rationem propter quam dicitur, quod maſculus, & fœmina propter copulam carnalem fiunt vna caro, quia id, quod decciditur ex carne maſculi, intrinſice remanet in eo, quod relinquitur ex carne fœminæ, & è contra: vnde fit, quod in Patre, vt Patre, aliquo modo exiſtat Mater, & in Matre, vt Matre, aliquo modo exiſtat Pater vt Pater. Et ad id, quod dicitur, quod ſi Filiatio reſpiceret Patrem, & Matrem tanquam terminos partiales, ad ſui exiſtentiam, requireret exiſtentiam Patris, & Matris: diſt. Ant. exiſtentiam in ſe ipſis, nego Ant. exiſtentiã vnius in alio, conc. Ant. & nego Conſeq.

Ad Confir. nego Min. nam poſtquam ſemel Pater decidit ſemen in clauſtrũ Matris; eſto moriatur, ſi remanet Mater, genitum, cum primum naſcitur, Filius relative eſt, & dicitur. Ad 2. Confirm. dico prædictam doctrinam eſſe veram, quia quodlibet illorũ motivorũ, ſi deficeret, periret in ſe, & in alio, & ſic decretum per ſe exigens illa duo motiva partialia, altero pereunte, neceſſario periret.

Inſtabis: ſequitur ex hac doctrina mortuo tantum Patre, adhuc Filium eſſe, & dici Filium Patris, & mortua Matre, adhuc dici Filium Matris; hoc autem videtur falſiſsimum: ergo. Prob. Sequela, quia Mater remanet aliquo modo in Patre, qui ſupereſt; Filius conſervat relationem, qua referebatur ad Patrem, & ad Matrem: ergo quia Pater remanet aliquo modo in Patre, mortua Matre, & vivente Patre, Filius cõſervabit Filiationem, quam habebat vivẽte Matre, ſed vivente Matre dicebatur Filius Matris: ergo ipſa pereunte, adhuc ſervabit eandem denominationem.

Ad hoc nego Sequelam, ad prob. nego Conſ. non enim id, quod ſufficit ad cõſervandum ſub exiſtentia entitatẽ relationis, ſufficit ad conſervandam omnem eius denominationem: etenim mortuo ſecundo Filio, & remanente primo, non perit relatio Patris quoad ſui realitatem, & perit quoad denominandum Patrem reſpective ad Filium mortuum, quia id, quod ſufficit ad conſervandam realitatem relationis, non ſufficit ad conſervandam denominationem illius, & ſic contingit in caſu noſtro: remanere enim Matrem aliquo modo in Patre, ſufficit ad conſervandam entitatem relationis Filij, ſed non ſufficit ad conſervandam denominationem relati in ordine ad Matrem, hæc enim, cum magis formalis ſit, requirit exiſtentiam Matris in ſe ipſa.

§. V.

Vtrùm ſint tantum quinque notiones in divinis.

SCOTVS In primo diſt. 28. q. 1. ad 3. præter quinque notiones communiter aſsignatas à Theologis cum D. Thom. hic, art. 3. ſextam aliam docet debere ſuper addi, ſcilicet inſpirabilitatem; oppoſitum tamen tenendum eſt: vnde ſit concluſio.

240 Tantum ſunt ponendæ quinque notiones in divinis. Prob. ratione Div. Thom. notio eſt propria ratio cognoſcendi divinam perſonam: ergo ratio notionis attenditur ſecundum originem: ergo attẽditur ſecundum hæc duo, *qui ab alio*, & *is à quo alius*: ergo notiones ſunt tantum quinque. Primũ Ant. eſt definitio notionis ſupra tradita. Prima Conſeq. conſtat, quia perſonæ multiplicantur ſecundum origines. Secunda Conſeq. patet, quia illa duo per ſe ſpectant ad ordinem originis, & ſic ſecundum ea innoteſcunt nobis perſonæ. Tertia Conſ. Patebit applicando vtrumque modum originis ad ſingulas perſonas. Et quidem quoad perſonam Patris ex modo *qui ab alio*, non poſitive, ſed negative, habetur in Patre notio innaſcibil[...] per quam denotatur Patrem à null[...] dere per originem. Ex illo mod[...]

Digitized by Google

alius, innoteſcit Pater primo per Paternitate, quia Filius procedit à Patre naſcendo, ſecundo innoteſcit per Spirationem ſibi, & Filio communem, quia ratione Spirationis, Spiritus Sanctus procedit à Patre. Ex ly *qui ab alio* primo innoteſcit Filius Filiatione, quia Filius à Patre eſt, innoteſcit etiam Filius Spiratione, qua communiter cum Patre Spirat. Per ly *qui ab alio*, cognoſcitur etiam Spiritus Sanctus ipſa paſiva proceſsione. Nec quia nulla perſona à Spiritu Sancto procedit; aliqua notio ſpecialis debet convenire Spiritui Sancto, poſitiva, vel negativa, quia notio debet ſpectare ad dignitatem perſonæ; nulla autem eſt dignitas perſonæ, quod ab ipſa nulla alia perſona procedat, & ſic notiones erunt tantum quinque, ſcilicet innaſcibilitas, Paternitas, communis Spiratio, Filiatio, & Proceſsio.

§. VI.

Solvuntur obiectiones.

241 SIC Arguit Scotus. Innaſcibilitas, quæ eſt negatio omnis proceſsionis in Patre, eſt peculiaris notio Patris: ergo inſpirabilitas, id eſt, negatio proceſsionis per voluntatem in Filio, erit notio ipſius Filij. Prob. Conſeq. nam ſicut Patris dignitas eſt à nulla alia perſona procedere, ſic Filij dignitas eſt, non procedere per voluntatem: ergo ſicut ponitur notio Patris innaſcibilitas, ita ponetur notio Filij inſpirabilitas, vel aſsignetur ratio diſcriminis.

242 Huic argumento, vt reſpondeat Pater Vazquez, & diſcrimen aſsignet, dicit, quod innaſcibilitas denotat aliquid poſitivum in Patre, nempe rationem primi, & Fontalis principij, quod, non exacte innoteſcit per Paternitatem; & ſic oportet prędictum poſitivum explicare per negationem: Cæterum inſpirabilitas nihil denotat in Filio ſpeciale, quod non exacte cognoſcatur per Filiationem; qui enim exacte cognoſcit Filium eſſe à ſolo Patre, & Spiritum Sanctum eſſe a Patre, & Filio, exacte cognoſcit Filium eſſe ſecundā perſonam Trinitatis, & Spiritum Sanctum eſſe tertiam: & ſic per hoc, quod Filius cognoſcatur per inſpirabilitatem, non cognoſcitur ſecundum aliquid poſitivum, quod non [illegible]noſcatur per Filiationem; vnde non [illegible]et ponere inſpirabilitatem diſtinctam [illegible] a Filiatione.

Verum hæc ratio diſcriminis eſt nulla; ſiquidem fundatur in aliquo falſo, videlicet, quod innaſcibilitas ſignificet aliquid poſitivum. Vnde pro exacta illius impugnatione adverto, quod Vazquez, dum dicit innaſcibilitatem ſignificare aliquid poſitivum, non loquitur de ſignificato formali huius vocis *innaſcibilitas*, nam hoc apud ipſum etiam eſt carentia proceſsionis ab aliqua perſona, ſed loquitur de ſignificato materiali, id eſt, de illo, quod per ſignificatū formale, quod eſt negatio, nobis innoteſcit, & dum inquiritur ab illo, quid ſit illud poſitivum? Reſpondet, illud, vt diſtinctum ab eo poſitivo, quod exprimit Paternitas, eſſe quandam relationē relationis, ex qua Pater dicitur primum principium, vel prima perſona Trinitatis.

Hoc ſuppoſito impugno primum, quod dicit, quod ſignificatum formale de ly *innaſcibile*, ſit quid poſitivum. Nam in hoc expreſſe contradicit D. Thom. nam in primo diſt. 28. q. 1. art. 1. ait: *Dicendum, quod ſecundum Auguſtinum, Pater eſt principium totius divinitatis: unde, & Dionyſius dicit, quod in Patre eſt fontana divinitatis: unde ſi in divinis perſonis eſſet ordo, qui poneret prius, & poſterius, Pater eſſet primum principium; ſeu quia ibi non eſt talis ordo, loco eius quod eſt Primum, dicimus principium non de principio. Vnde Pater poteſt dupliciter innoteſcere; vel inquantum eſt de non principio, & ſic innoteſcit per notionē innaſcibilitatis.* Quibus verbis relegat à Patre illud poſitivum, quod ponit Vazquez ſignificari per innaſcibilitatem, nempe ratio primi principij, quia illud poſitivum non habet locum, niſi vbi inter aliqua habetur ratio prioris, & poſterioris, quæ non habetur in divinis.

Similiter quæſtione ſequenti art. 4. ad 1. D. Thom. proponit ſententiam eorum, qui dicunt innaſcibilitatem in recto ſignificare aliquid poſitivum, & illam ſic impugnat: *Dicendum, quod quidam dicunt, quod innaſcibilitas, quam ſignificat nomē ingenitū, ſecundum quod eſt proprietas Patris, non dicitur tantum negative, ſed importat, vel vtrumque ſimul, ſcilicet, quod Pater à nullo eſt, & quod eſt principium aliorum: vel importat univerſalem authoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem. Sed hoc non videtur verum, quia ſic innaſcibilitas non eſſet alia proprietas à Paternitate, & Spiratione, ſed includeret eas, ſicut includitur proprium in communi, nam fontalitas, & authoritas nihil*

aliud

Digitized by Google

aliud ſignificat in divinis, quam principium originis; & ideo dicendum eſt, ſecundum Auguſtinum 5. de Trinitat. quod ingenitus negationem paſſivæ generationis importat. Ex quibus conſtat D. Thom. ex profeſſo impugnare opinionem Vaſquij quantum ad hoc, quod ingenitus, vel innaſcibilitas ſignificat aliquid poſitivum.

Nec valet, ſi dicas cum Vaſquio, loqui de ſignificato formali; non vero de ſignificato materiali. Non quidē valet. Nam Vazquez, pro ſignificato materiali ponit rationem fontalis principij; hanc autē impugnat D. Thom. ſignificari per innaſcibilitatem, quia alias innaſcibilitas non eſſet alia proprietas à Paternitate, & Spiratione, ſed includeretur in illis, ſicut proprium in communi: ergo D. Thom. non ſolum convincit innaſcibilitatem pro formali, non dicere aliquid poſitivum, ſed etiam convincit, quod illud poſitivum, quod Vazquez dicit per ſe ſignificari de materiali, non eſſe ſignificatum innaſcibilitatis. Secundo, nam D. Thom. impugnat, quod per hoc nomen *innaſcibilitas*, ſimul ſignificantur hæc duo, nempe, quod Pater à nullo ſit, & quod, ſit principium aliorum, per quæ duo ratio primi principij videbatur explicari: ergo impugnat ſententiam, quæ aſſerit hoc nomen *innaſcibilitas*, duplex ſignificatum habere; aliud formale, quod eſt negatio, & aliud materiale, quod eſt poſitivum.

Sed ratione ſic impugno ſententiam Vzaquez, nam in fontali principio divinitatis, duo tantum ſunt: alterum poſitivū, nempe eſſe principium divinarum perſonarum; alterum eſt, quod hoc ipſum à nullo ſit: primum horum exacte explicatur per Paternitatem, & Spirationem: ergo ſi innaſcibilitas eſt notio ſpecialis diſtincta à Paternitate, & Spiratione, tantū reſtat, quod ſignificet illud, quod eſt principium omnium proceſsionum à nullo eſſe; ſed hoc, quod eſt à nullo alio eſſe, eſt mera negatio: ergo innaſcibilitas, vt ſpecialis notio ſit, debet ſignificare meram negationem proceſsionis ab alio.

Secundo impugno illud, quod dicit, quod poſitivū illud ſit quædam relatio rationis. Etenim Vazquez ideo aſſerit, quod innaſcibilitas ſignificat aliquid poſitivum, & non meram negationem, quia notio debet ſignificare aliquid, quod ſpectat ad dignitatem perſonæ, & mera negatio aliquid dignitatis non dicit; ſed etiam mera relatio rationis aliquid ſpectans ad dignitatem perſonæ non dicit: ergo ſi cui non ſignificat meram negationem, neque ſignificabit merum reſpectum rationis. Prob. Min. relatio rationis tantum ex intellectu confingente habet perſonæ convenire: ergo nihil ſpectans ad dignitatem perſonæ poteſt explicare.

§. VII.

Proponitur ſolutio Domini Caietani.

243 DOMINVS Caietanus, vt argumento Scoti ſatisfaciat, præmittit, quod cum notio gratia innoteſcendi ponenda ſit, & negatio, & privatio potius cognoſcantur per habitus, & formas quibus privant, quā è contra; ſit inde, quod negationes modorum originum, per ſe non computentur inter notiones, in cuius ſignum perſona Spiritus Sancti vnam tantum notionē habet, nempe proceſsionem, eſto illi conveniat negatio nativitatis convenientis Filio: Vnde cum inſpirabilitas negatio ſit, ſit inde, quod inter notiones computari non debeat: quod autem innaſcibilitas notio poſita ſit negativa, præter regulariter eſt, propter tres ſingulares rationes locum non habentes in alijs negationibus.

Prima eſt, quia ſola perſona Patris ſe habet, vt prima in ratione principij; ſolus enim Pater eſt principium non de principio, in quo tanta authoritas eſt, quod ad illam comendandam maior dicitur Filio ſecundum Hilarium, & Filius in Evangelio ſolitus eſt omnia referre ad Patrem, & Eccleſia omnes fere orationes ad Patrem dirigit; & ideo ad hoc explicādum in Patre merito dicta negatio, notio Patris poſita eſt. Secunda ratio eſt propter variam connexionem iſtorum terminorū in communi, ſcilicet Pater, & ingenitus; hæc enim duo ſeparata inveniuntur apud nos; omnis enim Pater eſt genitus, id eſt ab alio: in Patre autem æterno ex proprijs rationibus iuncta ſunt, quod non currit in Filio, & in ſpirabili, nam coniunctio horū duorum non eſt Filij divini propria, cum omni Filio creato conveniat: omnis enim Filius creatus eſt inſpirabilis, id eſt impotens habere eſſe per voluntatem. Tertia ratio eſt, ad comendandam vnitatem divinæ naturæ, ponendo ſiquidem vnam perſo-

nam

Digitized by Google

nam innaſcibilem, ponitur vnum principium, & vnum caput in natura divina: vnde inquit Hilarius, *quod ponere plures innaſcibiles, eſt ponere plures Deos, & plures naturas*: propter has ergo rationes, quæ militant in innaſcibilitate, merito prima ponitur Patris notio; non vero inſpirabilitas ponitur notio Filij.

Hanc ſubtilem rationem enervare conatur Vazquez, ex eo, quod eſto Caietanus dicat, per illam rationem innaſcibilitatis ſignificari nobis rationem primi principij, non tamen explicat Caietanus, quod per illam rationẽ ſignificetur aliquid poſitivum diſtinctum a poſitivo, quod per alias notiones Patris ſignificatur, quod requirebatur ad hoc, vt notio eſſet: nequit enim (inquit) notio eſſe per hoc, quod puram negationem ſignificet, nec per hoc, quod idem poſitivum ſignificet, quod per Paternitatem, & Spirationem ſignificatur.

Secundam Caietani differentiam etiam enervare conatur his verbis. Præterea quid quæſo refert, innaſcibilitatem eſſe negationem in Patre æterno, & hanc in alijs Patribus creatis non inveniri, vt ideo ſit peculiaris notio Patris æterni, nam ſi cum hoc non aſsignatur aliquid poſitivum ſpeciale, quod innoteſcat per illam, non erit computanda inter notiones. Tandem, circa tertiam differentiam, inquit, mitto tertiam, quam Caietanus refert ex Hilario, illa enim parum habet momenti.

Verum iſtæ impugnationes potius in livore contradicendi ſubtiliſsimo Caietano, quam in ſolida ratione fundatur, vt patebit diſcurrendo per ſingulas. Prima enim nihil valet, nam, vt probatum eſt ſupra, innaſcibilitas non ſignificat aliquid poſitivũ; ſed tantum ſignificat negationem, connotando pro ſui radice Paternitatem, & per hoc diſtinguitur à Paternitate, quod hæc de Patre dicit poſitivum, & non negativum; hæc autem dicit illam, quam Paternitas divina fundat negationem: Vnde ex hoc, quod Caietanus non explicat per innaſcibilitatem, non explicari aliquid poſitivum diſtinctum ab eo, quod explicatur per Paternitatem, & Spirationem, non ſequitur, quod eius diſcrimen aſsignatum ſit nullũ. Secunda impugnatio etiam nullius eſt roboris; nam nullus poteſt negare maximã eſſe excellentiam Patris æterni, tam in ordine ad intra, quã in ordine ad extra, quod ipſe ſolus ab alio non ſit, cum omnia alia, ſive æterna, ſive temporalia, ſive æviterna ſint ab alio: ergo ad ſignificandum hoc ſic ſingulare in Patre, merito potuit negatio innaſcibilitatis in Patre, locum habere notionis.

Tertium, quod evomit circa tertiam differentiam, nempe, quod illa parum momenti habeat, iudico id dixiſſe, quia illam rationem Caietanus dixerit deſumpſiſſe ex Hilario; nam cui nunquam placuerunt Sãctorum dicta, ſufficiebat, vt ei non placeret præfata differentia, dixiſſe eam ex tanto Sancto deprompam. Et vt appareat, quam iniuſte hic author rationem Hilarij nota inutilitatis inurat, advertite, quod hanc eandem doctrinam adducit D. Thom. ex Hilario quæſt. ſequenti art. 4. ad 4. dicens, quod *ſicut in quolibet genere oportet ponere vnum primum, ita in divina natura oportet ponere principium, quod non ſit ab alio, quod ingenitum dicitur. Ponere igitur duos innaſcibiles, eſt ponere duos Deos, & duas naturas divinas: Vnde Hilarius dicit in libro de Synodis, cum vnus Deus ſit, duo innaſcibiles eſſe non poſſunt. Et hoc præcipue, quia ſi eſſent duo innaſcibiles, vnus eorum non eſſet ab alio, & ſic non diſtinguerentur oppoſitione relativa, oporteret igitur, quod diſtinguerentur diverſitate naturæ; ponere autem duos inſpirabiles, & duos ingenerabiles, non ponit duos Deos, neque duas naturas*: ergo in hoc ſufficiens principium, vel congruentia habetur ad Patrẽ ſignificandum per innaſcibilitatem, vt denotetur in Deo eſſe tantum vnum innaſcibile, quæ non habetur ad ſignificandum Filium per negationem inſpirabilitatis.

Sed dices contra hanc rationem, notiones perſonarum non poni in divinis, vt nobis innoteſcant ea, quæ ad eſſentialia, & abſoluta ſpectant; ſed tantum ad denotanda propria, per quæ vna perſona diſtinguitur ab alia; ſed dari duos Deos, vel duas naturas divinas, ſpectat ad eſſentialia, & ababſoluta Dei: igitur ad hoc, vt innoteſcat nobis in Deo non eſſe duos Deos, vel duas naturas divinas, non debet poni innaſcibilitas notio Patris.

Ad hoc conceſsis præmiſsis, diſt. Conſ. ad hoc, tanquam ad ſignificatum per notionem innaſcibilitatis, conc. Conſ. ad hoc, tanquam ad aliquid, quod comendatur, & ſtabilitur ex poſitione notionis innaſcibilitatis, nego Conſeq. Itaque de ratione notionis eſt, quod ſignificet aliquam proprietatem, per quam vna perſona diſtinguitur ab alia, ſed non eſt contra notionem, quod per illam ſtabiliatur aliquod prædicatum

ab-

Digitized by Google

abſolutum Dei: innaſcibilitas ergo, non ſignificat vnitatem naturæ divinæ, ſed ſignificat proprietatem Patris, quæ eſt, quod à nullo ſit; ex poſitione autem huiuſmodi proprietatis ſtabilitur, quod tres perſonæ vnius naturæ ſint, & ſic ſuppoſita hac congruentia, quod videlicet per innaſcibilitatem ſtabilitur, quod Deus vnius naturæ ſit, & ſuppoſita ſignificatione proprietatis perſonalis, quam ex ſe habet, habetur ſufficiens fundamentum ad hoc, vt innaſcibilitas ponatur notio; quod fundamentum non ad eſt ad ponendum notionem inſpirabilitatem, quia licet in primo conveniat cum innaſcibilitate; in ſecundo tamen differt, quia per poſitionem inſpirabilitatis, non comendatur vnitas naturæ; ſiquidem de facto dantur in Deo duo inſpirabiles, nempe Filius, & Pater, & per hoc non probatur dari duos Deos, vel duas naturas, ſicut probaretur ſi darentur duo innaſcibiles.

§. VIII.

Stabilitur vera ſolutio ex mente D. Thom. & aſsignatur ratio diſcriminis.

244 DIV. Tho. in primo diſt. 26. art. 3. q. 1. & in primo ad Annibaldum diſt. 28. q. 1. art. 1. ad 3. hanc aſsignat rationem diſcriminis inter negationem, quam dicit innaſcibilitas, & quam dicit inſpirabilitas: ſic enim habet: *Ad tertiũ dicendũ, quod notiones affirmativæ in divinis, vel pertinent ad rationem principij, vel ad rationem eius, quod eſt de principio; remotio autem principij non eſt dignitatis; & ideo non ponitur notio perſonæ, neque negatio Paternitatis, neque negatio communis ſpirationis: negatio vero eius, quod eſt à principio non eſt dignitatis, niſi ſit vniverſalis, & ideo innaſcibilitas, prout ponitur notio Patris, excludit omnino eſſe ab alio, & non ſolum eſſe ab alio per nativitatem.* Ex quibus conſtat, quod cum inſpirabilitas non ſit negatio vniverſalis, ſi quidẽ per illam tantũ ſignificatur non eſſe ab alio per voluntatem, in Filio eſſe inſpirabilem, non eſt ponenda notio, quia notio ſolum eſt id, quod ſpecialem dignitatẽ perſonæ ſignificat.

Sed contra hanc ſolutionem obijcies. Sic comparantur in ordine negationis negatio eſſendi ab alio, & negatio eſſendi ab alio per voluntatem, ſicut in ordine affirmationis comparantur eſſe principiũ vniverſale omnis proceſsionis; & eſſe principium particulare alicuius proceſsionis; ſed tam principium vniverſale, quam particulare proceſsionis divinæ, ſpectat ad dignitatem perſonæ: ergo tam negatio eſſendi ab alio, quam negatio eſſendi ab alio tanquam à principio particulari, ſpectabit ad dignitatem perſonæ, vel naturæ intellectualis.

Confirm. non poteſt probari negationem vniverſalem eſſendi ab alio, eſſe dignitatem, niſi inductione facta ex negationibus particularibus eſſendi ab alio, v. g. nequit probari negationem eſſendi ab alio eſſe dignitatem, niſi aſſumatur hoc Antec. negatio eſſendi ab alio per generationem, eſt dignitas; negatio eſſendi ab alio per ſpirationem eſt dignitas, & iſti ſunt omnes modi negationis eſſendi ab alio: ergo negatio vniverſalis eſſendi ab alio eſt dignitas. Si enim illud prædicatum *dignitas* non non invenitur in negationibus particularibus, non poteſt inveniri in vniverſali. Sicut hæc nequit probari vera, nullus homo currit, niſi in particularibus contẽtis in illa vniverſali negatio curſus inveniatur: ergo negatio vniverſalis eſſendi ab alio, nequit probar dignitas, niſi in particularibus negationibus eſſendi ab alio, hoc prædicatum *dignitas* inveniatur.

Ad 1. Reſpondetur diſtinguendo Mai. ſic comparantur, &c. quantum ad rationem vniverſalis, & particularis, conc. Mai. quantum ad prædicatũ *dignitas*, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque eſt proportio inter rationem principij vniverſalis proceſsionũ, & particulare ex vna parte; & negationem eſſendi ab alio vniverſalem, & negationẽ eſſendi ab alio in particulari ex alia, in eo, quod ſicut affirmationes particulares præcontinentur in vniverſali; ita nagationes particulares præcontinentur in negatione vniverſali eſſendi ab alio; eſt tamen diſparitas quantum ad rationem dignitatis, quod cum producere perſonam, ex terminis dignitas ſit, cum ſit communicare eſſe, & hoc prędicatum propriiſsime ſalvetur, ſive in principio vniverſali, ſive in principio particulari; ſit conſequens, quod eſſe principium omnis proceſsionis ſit dignitas, & eſſe principium particularis proceſsionis per voluntatem, ſit etiam dignitas: verum, cum negatio eſſendi ab alio, ex terminis dignitas non ſit, poteſt eſſe dignitas ex capite negationis vniverſalis, quin ſit digni-

tas

tas ex capite negationum particularium: quæ enim conveniunt vniverſali, quia vniverſale, non oportet, quod conveniant particularibus in illo contentis; non enim valet, ratio entis in vniverſali eſt ſpecificativum intellectus: ergo ratio huius entis in particulari, erit ratio ſpecificativi intellectus; & hoc ideo, quia eſſe ſpecificativum, non convenit enti vniverſali, quia ens, ſed, quia vniverſale: & ſic licet ratio entis deſcendat ad particularia entis; hoc tamen prædicatum, quod eſt ſpecificare intellectũ, non deſcendit ad particularia entia. Ex quibus patet ad Confir. negandum eſt enim Ant. prædicata enim, quæ conveniunt vniverſali, ratione vniverſalitatis, non probantur illi convenire per inductionem à ſingularibus.

245 Sed inquiris, cur hoc prædicatum *dignitas* conveniat negationi eſſendi ab alio, tanquam à principio, non quia negatio, ſed quia negatio vniverſalis? Rationem huius aliqui aſsignant, quia hoc ipſo, quod eſt negatio eſſendi ab alio vniverſaliſsima, hoc ipſo tantum vni poteſt convenire, & ſic præter Patrem æternum, neque in divinis, neque in creatis convenire poteſt negatio innaſcibilitatis: ſi autem ſint negationes eſſendi ab alio, vel tanquam ab Intelligente, vel tanquam à volente præciſſe, hoc ipſo prædictæ negationes alijs ſuppoſitis naturæ intellectualis poſſunt convenire, & ſic prædicatum *dignitas* convenit negationi vniverſali eſſendi ab alio ratione vniverſalitatis, & non deſcendit ad particulares negationes eſſendi ab alio tanquam à principio generante, vel ſpirante.

Cæterum contra hoc facit, nam quod inſpirabilitas alijs ſuppoſitis naturæ intellectualis conveniat, non aufert, quod inſpirabilitas dignitas ſit: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. quod eſſe genitum conveniat alijs ſuppoſitis naturæ intellectualis Filio divino, non aufert, quod eſſe genitum non ſit dignitas: ergo, quod inſpirabile conveniat alijs ſuppoſitis naturæ intellectualis, non auferet, quod ſit dignitas Filij.

Similiter. Ex hoc, quod negatio eſſendi ab alio, quia vniverſaliſsima, ſoli Patri habeat convenire, non infertur, quod innaſcibilitas ſit Patris: ergo reſponſio data nulla eſt. Prob. Ant. nam ex hoc, quod negatio eſſendi ab alio ſoli Patri conveniat, tantum ſequitur, quod ſit prædicatum convertibiliter ſe habens cum Patre: ergo ſi illud prædicatum ex ſe non ſit dignitas, ex hoc, quod ſingulariter habeat convenire Patri, non infertur, quod ſit Patris dignitas. Patet Conſeq. nam ex hoc, quod illud prædicatum ſingulariter conveniat Patri, non immutatur in ſe: ergo ex hoc non habebit pertinere ad dignitatem Patris.

Confirm. hoc. Ex hoc, quod carere omni principio ſoli Patri conveniat, ſolũ habetur, quod carere omni principio ſui productivo, ſit Patris proprietas quarto modo; ſed hoc non ſufficit ad eſſe notionem: ergo neque ſufficit ad hoc, quod eſt pertinere ad dignitatem. Prob. Min. nam ad rationem notionis hæc duo requiruntur tanquam diſtincta, nempe, quod ſit propria ratio perſonæ, & quod ſpectet ad dignitatẽ: ergo ex hoc ſolum, quod innaſcibilitas ſit proprietas Patris, non habetur, quod ſit dignitas, ſed vlterius videndum reſtat, vtrum præter hoc ſpectet ad dignitatem.

Ad hoc nego Antec. pro vtraque parte. Ad prob. contra primam partem, nego Conſeq. quia cum eſſe genitum ex ſe, & ex proprijs terminis dicat participationẽ naturæ intellectualis, ad dignitatem naturæ intellectualis ſpectat, & ſic per hoc, quod ſit alijs commune, non aufertur, quod ad dignitatem Filij ſpectet: Verum cum inſpirabile ex ſe, ad dignitatem naturæ intellectualis non ſpectet, ſi alijs commune ſit; in incapax eſt, quod ex aliquo capite dignitas ei conveniat, nam ex ſe non habet, quod ſit dignitas, & ex capite conveniendi alicui perſonæ ſingulariter, illi non convenit, quia negatio eſt, & quia cõmune eſt alijs; reſtat ergo, quod ex nullo capite illi conveniat ſpectare ad dignitatem naturæ intellectualis. Ad prob. pro 2. parte, nego Ant. nam ex hoc, quod carere principio omni, ſoli Patri conveniat; infertur eſſe privilegium ſolius Patris, & ſic computari debet inter ea, quæ ſpectant ad Patris authoritatem: vnde quamvis ex terminis carentiæ, dignitas non ſit; ex terminis ſingulariter conveniendi ſoli Patri, ad dignitatem Patris denotatur ſpectare.

Ad Confirm. dico, quod immediate tantum ſequitur, quod ſit proprium quarto modo Patris; ſed mediate ſequitur etiam, quod ad Patris dignitatem ſpectet id, per quod ab omni ente, ſive creato, ſive increato diſtinguitur Pater: vnde diſtincta Maiori penes ſequelam mediatam, & immediatam, neganda eſt Maior, & ad prob. dico, quod tunc ſpectare ad dignitatem, dicitur diſtingui à prædicato proprie-

tas

ratis, quando illa proprietas non eſt quarto modo proprietas: ſicut contingit in communi Spiratione, quæ eſt proprietas Filij diuini; non tamen quarto modo, quia cõvenit etiam Patri: propterea enim illa duo requiruntur ad notionem, quia non omnis proprietas perſonæ, eſt quarto modo proprietas: ſi enim ad notionem requireretur, quod eſſet proprietas quarto modo, illa duo non requirerentur, vt diſtincta, quia in primo includeretur ſecundum; per hoc enim, quod eſſet proprietas quarto modo perſonæ, haberet, quod ſpectaret ad eius dignitatem.

246 Alij reſpondent, propterea ſpectare ad dignitatem, convenire negationi vniverſali eſſendi ab alio tanquam à principio, quia ex hoc, quod eſt carentia omnis principij, denotat excellentiam capitis totius naturæ intellectualis: Pater enim ex hoc, quod eſt principium, & non de aliquo principio, denotatur, quod ſit caput totius naturæ intellectualis: hoc non denotat carentia eſſendi ab alio, vel tantū per ſpirationem, vel tantum per generationem, quia, quod tantum non eſt ab alio per generationem, oportet, quod ſit ab alio per Spirationem, & quod tantum non eſt ab alio per Spirationem, oportet, quod ſit ab alio per generationem; & ſic per nullā negationem eſſendi ab alio particulariter, denotatur aliquid ſpectans ad dignitatem.

Sed contra hoc inſtabis: nam vel illa ratio capitis totius naturæ intellectualis eſt quid poſitivum, vel eſt pura negatio; ſi dicatur primum, inciditur in ſententiā Vazquez, quæ aſſerit propterea innaſcibile ſpectare ad dignitatem, quia ſignificat aliquid poſitivum: ſi dicatur ſecundum, non apparet quo modo pura negatio poſsit ſpectare ad dignitatem.

Ad hoc dico, quod ratio capitis totius naturæ intellectualis, nec eſt pure poſitivum, nec pure negativum, ſed partim poſitivum, & partim negativū; habet enim eſſe principiū, & hoc eſt poſitivū, & habet eſſe de non principio, & hoc eſt negativum: primum innoteſcit nobis per Paternitatem, & Spirationem; ſecundum, per innaſcibilitatem, & ſic non incidimus in ſententiam Vazquez, nam nos ponimus innaſcibilitatem ſignificare negativum, vt conveniens eſt poſitivo; ille autem ponit ſignificare negativum, & poſitivum. Et ad id, quod dicitur, quod ſi ſit pura negatio non apparet quomodo ad dignitatem ſpectet: dico ſpectare ad dignitatem, quia ad alicuius entis dignitatem non ſolum ſpectant poſitiva; ſed etiam reales remotiones illarum formarum, per quarum poſitionem amitteretur aliquid poſitivum illis conveniens, & quia ſi Pater eſſet à principio aliquo, amitteret eſſe caput totius naturæ intellectualis, ideo remotio omnis principij ſpectat ad Patris dignitatem.

Sed inſtabis: ſequi ex hoc inſpirabilitatem ſpectare ad dignitatem Filij; conſequens eſt contra dicta: ergo. Prob. Sequela: Per nos tunc remotio formæ poſitivæ ſpectat ad dignitatem perſonæ, quando ſi perſona haberet illam formam poſitivam, qua caret, careret aliquo poſitivo illi convenienti, & illi debito; ſed ſi Filius Spiraretur, careret Filiatione, quia nequit eſſe Filius, & ſimul Spirari: ergo inſpirabilitas, quæ ſignificat carentiam eſſe in ſpirati, eſt aliquid ſpectans ad dignitatē Filij. Ad hoc nego Min. cum enim hæ duæ relationes Filiatio, & Proceſsio, diſparatæ ſint, non ſequeretur, quod ſi per poſsibile, vel impoſſibile Filius Spiraretur, ſequeretur non eſſe Filium: eſſet enim primario, & conſtitutive Filius, & ſecundario ſpiratus, ſicut Pater primario, & conſtitutive eſt Pater, & ſecūdario Spirator.

Sed fortius vrges. Si Filius eſſet ſpiratus, ſequeretur Filium non poſſe ſpirare Spiritum Sanctum: ergo careret ratione ſpiratoris, quæ illi proprie convenit: ergo inſpirabile denotat carentiam formæ, quæ ſi abeſſet Filio, removeretur ab illo aliqua eius proprietas. Prob. 1. Antec. nam eſſe ſpiratum non eſt compoſibile in eodē ſuppoſito cum hoc, quod eſt eſſe ſpiratorem: ſiquidem ſpirator, & ſpiratus opponuntur relative, & non diſparate: ergo ſi Filius eſſet ſpiratus, non eſſet ſpirator; ac per conſequens inſpirabile ſignificat remotionem formæ poſitivæ, quæ ſi Filio adeſſet, deſtrueret in illo aliquam proprietatem ſpectantem ad dignitatem Filij.

Ad hoc omit. Conſequens, ſic, quod carentia talis formæ non reſarciretur per id, quod poneret ſpiratus in Filio, nego Conſeq. ſic, quod reſarciretur per adventum eſſe ſpirati, conc. Conſeq. Itaque veriſsimum eſt, quod ſi Filius eſſet ſpiratus, non eſſet ſpirator, quia iſta duo ſunt incompoſsibilia in eodem: Verum, cum eſſe ſpiratum æquivaleat huic, quod eſt eſſe ſpiratorem, eiuſdem omnino dignitatis eſſet Filius, ac

eſt

eſt modo: Verum ſi Pater eſſet ab aliquo tanquam à principio, adhuc æquivalenter non eſſet eiuſdem omnino dignitatis, ac authoritatis, quam de facto poſſidet: ſiquidem non eſſet caput omnium ſuppoſitorũ naturæ intellectualis; hoc enim ita tollitur per eſſe ab alio, quod nullo modo poteſt reſarciri.

Ex his ad argumentum n, quo Scotus probabat inſpirabilitatem eſſe ſextam notionem; reſp. neg. Conſeq. ad prob. nego Antec. & ratio iam eſt aſsignata, quia innaſcibilitas facit innoteſcere aliquid ſpectans ad dignitatem Patris, nempe eſſe caput omnium ſuppoſitorum naturæ intellectualis; negatio autem ſolum procedendi ab alio per voluntatem, quæ inſpirabilitas dicitur, non ſignificat aliquid ſpectans ad dignitatem Filij, cuius iam aſsignavimus rationem.

§. IX.

Solvuntur alia Argumenta contra Concluſionem.

247 SECVNDO Arguitur. Quod à Spiritu Sancto nulla alia procedat perſona, eſt ratio propria Spiritus Sancti: ergo erit ratio propria cognoſcendi Spiritum Sanctum: ergo erit notio: ergo dabitur alia notio à quinque numeratis. Si dicatur cum D.Thom. non eſſe notionem, quia non ſpectat ad dignitatem perſonæ, quod ab illa nulla alia perſona procedat.

In contra eſt, nam ad rationem notionis non requiritur, quod ſignificet dignitatem: ergo. Prob. Antec. ſi ad rationem notionis requireretur ſignificare dignitatem, ſequeretur, quod hoc prædicatũ *dignitas* eſſet prædicatum perſonale, & ſic perſonæ in dignitate opponerentur, ſicut & opponuntur in relationibus. Item ſequeretur tres perſonas eſſe tres dignas ſubſtantive, & non tantum adiective, hoc eſt, tribus dignitatibus, quæ omnia ſunt contra D.Thom. infra quæſt.42. art.4. ad 2. ibi: *Paternitas igitur eſt dignitas Patris, ſicut & eſſentia Patris, nam dignitas eſt abſoluta, & ad eſſentiam pertinet: ſicut igitur eadem eſſentia, quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio eſt Filiatio; ita eadem dignitas, quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio eſt Filiatio:* vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; nec ſequitur, Paternitatẽ habet Pater: ergo Paternitatem habet Filius; mutatur enim quid in ad aliquid: eadem enim eſt eſſentia, & dignitas Patris, & Filij, ſed in Patre eſt ſecundum relationem dantis, in Filio ſecundum relationem accipientis: ergo iuxta D.Thom. dignitas non eſt prædicatum perſonale, nec in ea opponuntur Pater, & Filius, nec tres perſonæ ſunt tres digni ſubſtantive, ſed tantum adiective. Sequela autem ſic prob. nam id, quod ſignificat ratio propria alicuius perſonæ, eſt perſonale: ergo ſi de ratione notionis eſt ſignificare dignitatem, cum notio ſit propria ratio perſonæ, & ſignificatum eius ſit dignitas, dignitas erit prædicatum perſonale, & ſic multiplicabitur in perſonis, & ſic erunt oppoſitæ penes dignitatem, & ſic erunt tres digni ſubſtantive.

Ad hoc argumentum benedictum eſt. Ad replicam diſt. Ant. non requiritur, quod ſignificet dignitatem, vel aliquid ſpectans ad dignitatem, nego Antec. non requiritur neceſſario, quod ſignificet dignitatẽ, concedo Ant. & nego Conſ. Itaque, de ratione notionis non eſt, quod ſignificatum eius ſit dignitas, ſed ſufficit, quod ad dignitatẽ perſonæ ſpectet. Ratio huius eſt, quia, vt conſtat ex authoritate adducta, dignitas eſt prædicatum eſſentiale, & ſic tantum ſtat pro abſoluto: vnde cum ſignificatum notionis ſit relatio, vel aliqua proprietas relationis, non reſpondet notioni pro ſignificato dignitas, ſed id, quod modificat dignitatem, quod autem à Spiritu Sancto nulla alia perſona procedat, nec eſt dignitas, nec ſpectat ad dignitatem, & ſic non ſequitur eſſe notionem.

Inſtabis. Si dignitas eſſet prædicatum abſolutum, non eſſent diſtinctæ dignitates in Deo; Conſ. videtur falſum: ergo. Prob. Min. nam Patrem eſſe innaſcibilem, diſtincta dignitas eſt ab ea, qua Spiritus Sanctus eſt ſpiratus, & ſic poteſt diſcurri de alijs: ergo falſum erit, quod in Deo non ſint plures, & diſtinctæ dignitates. Ad hoc nego Min. Ad prob. nego Ant. Eadem enim dignitas eſt, qua Pater eſt Pater, & qua Spiritus Sanctus eſt Spiritus Sanctus, & ſolum eſt diſcrimen, quod aliter innoteſcit nobis per innaſcibilitatem, & aliter innoteſcit per paſſivam ſpirationem: ſicut eadem eſſentia eſt, qua Pater eſt Pater, & qua Filius eſt Filius; cum hoc tamen diſcrimine, quod ipſamet eſſentia in Patre eſt Paternitas, & in Filio eſt Filiatio; vnde non valet, Filius

non

Digitized by Google

non eſt Pater:ergo Pater, & Filius non ſunt eiuſdem eſſentiæ; & ſic ſimiliter non valet, eſſe innaſcibile eſt dignitas Patris; Filius non eſt innaſcibilis:ergo Filius non eſt eiuſdē dignitatis cū Patre; mutatur enim quid in ad aliquid; valet tamen bene:ergo Pater, & Filius non ſunt eiuſdem notionis, quod veriſsimum eſt.

248 Tertio arguitur. Ratio geniti eſt ratio propria cognoſcendi Filium, vt diſtinguitur à Patre, & à Spiritu Sancto, & ſpectat etiam ad dignitatem Filij. Et idem argumentum fit de ratione generantis, quę eſt propria Patris notio, per quam cognoſcitur, vt quid diſtinctum ab alijs perſonis. Inſuper hæ duæ rationes ſpectant ad originem: ergo dabuntur aliæ notiones præter quinque. Prob. hæc Conſeq. nam alia eſt ratio geniti, & ratio Filij, & alia eſt ratio generantis, & alia eſt ratio Patris; quod patet ex eo, quod baptiſmus non licet fieri ſub hac forma, ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & procedentis; patet etiam, quia ratio generantis eſt fundamentum Paternitatis, & ratio geniti eſt fundamentum filiationis: ergo erunt notiones diſtinctæ à Paternitate, & Filiatione.

Ad hoc argumentum nego Conſ. ad prob. diſt. Anteced. alia eſt ratio geniti à ratione filiationis, alietate relativa, neg. Anteced. alietate explicativa alicuius conceptus, qui per nomen *relatio* non explicatur, conced. Ant. & nego Conſeq. Itaque ipſa relatio Filiationis habet duo munia, & munus generationis paſsivæ, & ſic facit genitum, & munus relationis, & ſic conſtituit Filium, & idem dico de relatione Paternitatis: vnde genitum, & Filius, generans, & Pater relative non diſtinguuntur, ſed tantum diſtinctione gaudent in eo, quod eandem relationem ſignificant ſub diſtincto munere; ad diſtinctionem autem notionis requiritur, quod diſtincta proprietas ſignificetur.

Sed inſtas. Ad rationem notionis ſextæ ſufficit, quod nobis innoteſcat perſona ſecundum proprietatem relativam ratione alicuius muneris inadæquati, quod non innoteſcit nobis per quinque enumeratas notiones; ſed ratio geniti facit innoteſcere proprietatem relativam ratione alicuius muneris, quod non innoteſcit nobis per aliquam ex quinque enumeratis notionibus: ergo genitum erit ſexta notio, & generans ſeptima.

Ad hoc diſt. Mai. ſi tale munus inadæquatum ſit conſtitutivum perſonæ, conc. Mai. ſi ſit tantum præambulum ad conſtitutionem perſonæ, vel ad formam conſtituentem perſonam, nego Mai. & diſt. Min. facit innoteſcere munus in adæquatum perſonæ, conſtituens, nego Min. præambulum ad perſonam, conced. Min. & nego Conſ. itaque genitum facit innoteſcere Filium ratione alicuius præambuli ad perſonam Filij, & ſic non conſtituit notionem diſtinctam à Filiatione.

Inſtas. Spiratio activa eſt notio Patris; & tamen non conſtituit Patris perſonam, ſed ſupponit conſtitutam. Ratio generantis non eſt etiam præambula ad perſonam Patris, nam generatio ſupponit Patrem conſtitutum: ſiquidem actiones ſunt ſuppoſitorum, & ſic generatio ſupponit perſonam Patris, à quo procedit: ergo ex hoc, quod genitum non ſignificet proprietatem relativam, vt conſtituentem Filium, non amittet rationem notionis, neque ex hoc, quod ratio generantis ſit præambula ad Paternitatem, ſimiliter amittet rationem diſtinctæ notionis.

Confirmatur hoc, & ſimul explicatur. Nam de ratione notionis non eſt, quod ſit ratio perſonalis, hoc eſt, ratio conſtituens perſonam; ſed ſufficit, quod ſit ratio perſonæ vt diſtinguitur ab alia, ſive conſtituat, ſive non conſtituat: Pater enim non conſtituitur per innaſcibilitatem, neque per ſpirationem; & nihilominus ſpirator, & innaſcibile ponuntur notiones Patris:ergo eſto genitus non ſignificet proprietatem vt conſtituentem Filium, non ſequetur, quod non ſint ponendæ notiones.

Ad hanc inſtantiam nego Conſequētiam, nam licet ad rationem notionis non requiratur, quod ſit ratio conſtituens perſonam, vt patet de ſpiratione; requiritur tamen, quod ſi proprietas relativa, quæ eſt notio, habeat duos conceptus inadæquatos, alterum formæ conſtituentis, & alterum præambulum ad ſeipſam vt conſtituentem, tantum ſit notio ſecundum illum conceptum, quo conſtituit; non ſecundum illum conceptum præambulum ad ſeipſam vt conſtituentem. Similiter, ſi proprietas relativa habuerit duos conceptus inadæquatos, quorum alter primo perſonam conſtituit, & alter ſequitur ad perſonam iam

Digitized by Google

iam conſtitutam, requiritur, quod ſit notio ſecundum primum conceptum, non vero per ſecundum. Et ratio ea eſt: nam notio eſt propria ratio cognoſcendi perſonam; id autem, quod eſt præambulum ad perſonam, eſt veluti diſpoſitio, & via ad perſonam, & ſic ſecundum quod eſt præambulum, non eſt propria ratio cognoſcendi perſonam: vnde tantum poteſt eſſe notio ſecundum conceptum, quo conſtituit. Si autem conceptus inadæquati ſic ſe habeant, quod primarius conſtituat, & alter ſequatur, ponenda eſt notio ratione conceptus primarij, non vero ratione conceptus ſecundarij: quia conceptus ſecundarius eiuſdem proprietatis, ſicut non variat proprietatem, pariter non variat notionem.

Ad Confir. nego Conſ. quia ratio innaſcibilis, & ratio ſpirationis activæ, eſto non ſint proprietates perſonales, hoc eſt, perſonas conſtituentes, dicunt tamen diſtinctas proprietates à Paternitate: & ſic nō eſt mirum, quod diſtinctas notiones conſtituant. Paternitas autem, & generatio, vel eſſe genitum, & filiatio non ſignificant diſtinctas proprietates, ſeu vnam, & eandem ſecundum conceptus inadæquatos: paternitas enim, & generatio dicunt ipſiſſimam Paternitatis relationem, quæ, vt nomine *Paternitatis* explicatur, ſignificatur vt conſtituens Patrem; vt autem ſignificatur nomine generationis, ſignificatur vt operatio: ſimiliter eſſe genitum, & filiatio dicunt eandem relativam proprietatem ſecundum inadæquatos conceptus explicatam, quorum primus eſt præambulus ad ſecundum, vt hic conſtituit perſonam, & ſic non habent diſtinctas notiones conſtituere.

Secundo reſpondetur ad argumentum principale, negando Conſeq. nam illa tantum dicitur ratio propria cognoſcendi perſonam, quæ de illa aliquid facit cognoſcere, quod non cognoſcitur per alias notiones: ratio autem geniti ſtatim cognoſcitur, per hoc, quod cognoſcitur ratio Filij; non enim poteſt eſſe Filius, niſi ſit genitus: ratio etiam generantis ſtatim cognoſcitur cognito de perſona, quod ſit Pater, & ſic ratio geniti non eſt propria ratio cognoſcendi Filiū, nec ratio generantis eſt propria ratio cognoſcendi Patrem: propria enim ratio cognoſcendi dicitur illa, per quã in ſe res cognoſcitur per vnam rationem, quod non poſsit ſtatim innoteſcere per aliam. Liceat hoc videre in innaſcibilitate, & Paternitate, & ſpiratione: etenim poſtquam Pater innoteſcit Paternitate, adhuc reſtat aliquid cognoſcendum de Patre, quod per Paternitatem non innoteſcit, nempe, non eſſe ab alio: & poſtquam cognoſcitur Patrem non eſſe ab alio per innaſcibilitatem, adhuc non innoteſcit, quod ſit ſpirator, quia ex terminis poterat eſſe Pater, & non ſpirare Spiritum Sanctum; eſſe autem Patrem, & non eſſe genitorem, eſſe Filium, & non eſſe genitum, in terminis implicat: & ſic, cum ſint rationes, quæ innoteſcunt de perſonis per alias notiones, nō oportet, quod notiones ſpeciales cōſtituāt.

249 Quarto arguitur. Ratio Verbi, & ratio Filij virtualiter diſtinguuntur in Filio, & ratio doni, & amoris virtualiter diſtinguūtur in Spiritu Sancto, & vtraque ratio ſpectat ad originem, & ad dignitatē perſonæ: ergo datur in Filio duæ notiones, & totidem dantur in Spiritu Sancto: ergo notiones ſunt plures, quam quinque.

Ad hoc argumentum nego Antec. vt enim ſupra vidimus q.2.§.8. Verbū, & Filius eandem prorſus ſignificant perſonalem proprietatem: vnde adduximus ibi Parentē Auguſtinum dicentem, eo dicitur Verbum quo Filius; ipſa enim nativitas Filij, quę eſt proprietas perſonalis eius diverſis, nominibus ſignificatur, quæ Filio attribuuntur, nam, vt oſtendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; vt oſtendatur coæternus, dicitur ſplendor: vt oſtendatur omnino ſimilis, dicitur imago: vt oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum; nec enim potuit vnum nomen inveniri, quo omnia iſta explicarentur. Ad notionem autem diſtinctā non ſufficit diſtinctio nominum, ſed requiritur diſtinctio ſecundum rem ſignificatā: cum ergo eadē prorſus relatio ſignificetur, per Filiū, ac ſignificatur per Verbum, non erit ratio Verbi ponenda notio diſtincta à filiatione. Et idē dico de dono, & de amore; etenim id, quod primo donatur, eſt ipſe amor: & ſic ratio doni ſimpliciter dicti, & amoris procedentis idē ſunt prorſus. Fateor autem inter iſta dari conceptus inadæquatos eiuſdem omnino proprietatis, ſed hoc, vt ſupra vidimus, non ſufficit ad diſtinctam notionem.

250 Quinto arguitur. Spiratio activa non eſt notio: ergo non dantur quinque notiones. Prob. Ant. Notio debet eſſe proprietas perſonalis, nā quod non eſt propriū, nō poteſt eſſe ratio cognoſcendi perſonā in ſua pro-

Digitized by Google

propria ratione; ſed ſpiratio activa non eſt proprietas perſonalis, cum duabus perſonis conveniat: ergo rationem notionis non obtinet.

Ad hoc reſp. ex D. Thom. opuſc. 2. cap. 59. proprietatem dici dupliciter: primo abſolute. Secundo comparative, ſic riſibilitas eſt proprietas hominis abſoluta; eſſe autē bipedem, eſt proprietas hominis cōparative ad quadrupedia: ita etiā in propoſito, ſpiratio activa non eſt proprietas abſoluta, quaſi conveniens vni perſonæ; ſed cōparative in ordine, ſcilicet ad Spiritū Sanctum, cui ipſa non convenit.

Sed ſecundo reſpondetur neg. Ant. ad prob. nego Ant. non enim requiritur, quod notio ſit proprietas perſonalis, id eſt perſonam conſtituens, ſed ſufficit, ſi ſit proprietas perſonæ, vel perſonarum, prout ab altera perſona diſtinguuntur, & quando dicitur, quod notio eſt propria ratio cognoſcendi perſonam, dico, ibi diffiniri notionem vnius perſonæ in particulari, non vero omnem notionem; poteſt tamen adaptari definitio, ſi dicatur eſſe propriam rationem cognoſcendi perſonam, vel perſonas, prout ab aliqua perſona diſtinguuntur, ſub qua definitione comprehenditur activa ſpiratio, quæ eſt ratio propria cognoſcendi Patrem, & Filium, prout à Spiritu Sancto diſtinguuntur.

QVÆSTIO XI.

De Perſona Patris.

POSTQVAM egimus de perſonis in communi, & de earum notionibus in particulari, reſtat agere de perſonis ſecundum peculiaria vniuſcuiuſque. Et quia Pater eſt principium fontale omnis divinitatis perſonalis, primo debemus inquirere de Patre.

§. I.

Vtrùm Patri competat eſſe Principium?

251 RESPONSIO Eſt affirmativa. Et prob. quia principium nihil eſt aliud, quam id, à quo aliquid procedit; ſed Pater eſt id, à quo procedit Filius: ergo Pater eſt principium. Huic oportet advertere, quod greci vtūtur indifferēter nomine principij eſt nomine cauſæ; cæterū latini non vtuntur nomine cauſæ in divinis ad intra, ſed nomine principij. Cuius eām do rationem, quia principium communius eſt, quā cauſa, ſicut & cauſa communius eſt, quam elementum: prima enim rei pars, dicitur principiū, ſed non cauſa; quanto autem aliquod nomen eſt communius, tanto convenientius aſſumitur in divinis, quia nomina quanto ſpecialia ſunt, tanto magis determinant modum convenientem creaturæ: Vnde hoc nomen *cauſa* videtur importare diverſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam vnius ab alio, quam non importat nomen *principium*, quia nomine principij vtimur in his, quæ nullam huiuſmodi differentiam habent, ſed ſolum ſecundum quemdam ordinem, ſicut cum dicimus, punctum eſſe principium lineæ.

252 Contra hæc autem aliqua videntur militare. Contra primum dictum ſtat, quod Hilarius in 4. de Trinitate, nomen authoris Patri attribuit; author autem idem videtur ſonare, quod cauſa. Auguſtinus etiam 7. de Trinitat. cap. 4. dicit de Patre: *id, quod eſt ei cauſa, vt ſit, eſt ei cauſa, vt ſapiens ſit*; ſed Hilarius & Auguſtinus Doctores Latini ſunt: ergo falſo diximus Authores Latinos non vti in divinis nomine cauſæ.

Ad hoc dico. Ad 1. quod nomen *Author* non importat cauſam, ſed principium non ab alio, & ideo Patri attribuitur. Ita D.Thom. in primo diſt. 29. quæſt. 1. artic. 1. Ad Auguſtinum dico loqui de cauſa, non formali, ſed virtuali. Patet hoc, nam loquitur de eſſentialibus prędicatis, inter quæ neque apud gręcos, neque apud latinos poteſt eſſe vera cauſa, cum inter illa non ſit diſtinctio realis, imò neque ratio principij, quæ etiā requirit diſtinctionem realē inter principiū, & id, quod procedit ab illo. Cauſam virtualē voco illam perfectionē, quæ ſic ſe habet ad aliā, quod ſi inter illa diſtinctio realis interveniret, veram rationē cauſæ haberet reſpectu illius.

Contra ſecundum dictum militat. Nam non ſolum ratio minus communis, quam principium, nempe ratio cauſæ, Deo repugnat; verum etiam quælibet ratio principij ex his, quæ aſſignavit Philoſophus 5. metaph. repugnat Patri: igitur nomen *principij* non eſt attribuendum Patri. Prob. Antec. principia definiuntur ſic, quæ *neque ſiunt ex alijs, neque ex alterutris, ſed omnia ſiunt ex ipſis*; ſed Filius non ſit

ex Patre: igitur ratio communiſſima principij repugnat Patri reſpectu Filij. Ad hoc nego Antec. Ad prob. dico, in illa diffinitione non diffiniri principia, communiſſime ſumendo rationem principij; diffiniri autem ibi alia diffinitione, nempe illa, quam Philoſophus dicit communiſſimam rationem principij eſſe, primum ex quo eſt, aut cognoſcitur aliquid; conſtat autem Filium eſſe ex Patre, iuxta illud ſymboli, *& ex Patre natum ante omnia ſæcula*.

253 Tertio arguitur, contra id, quod dicitur, quod quanto nomina ſunt magis peculiaria, tãto magis determinant modum convenientem creaturæ. Nam ratio ſapientiæ magis ſpecialis eſt, quam ratio qualitatis; & tamen non magis determinat modum convenientem creaturæ, quam qualitas: ergo. Prob. Antec. qualitas repugnat Deo; & ratio ſapientiæ Deo attribuitur: ergo ratio qualitatis magis determinat modum convenientem creaturæ, quam ratio ſapientiæ.

Ad hoc diſt. Mai. nomen *qualitas* eſt magis commune, quam nomen *ſapientia*, vt ſignificat ſapientiam creatam, conced. Mai. vt ſignificat ſapientiam vt ſic, vt dicit rationem analogam ad creatam, & increatam, nego Mai. & diſt. Min. loquendo de ſapientia, quæ eſt inferior ad qualitatem, nego Min. loquendo de ratione analoga, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque, ſapientia accipitur dupliciter: vel vt analogatum minus principale, quod eſt ſapientia creata, vel vt dicit ſapientiam analogam ad creatam, & increatam: primo modo eſt minus commune, quam ratio qualitatis, quia determinat illam ad certam ſpeciem. Secundo modo eſt quid communius, quia prout ſic abſtrahit à Deo, & creaturis, & ſic nullum prædicatum creaturæ includit: vnde ſemper reſtat vera propoſitio Div. Thom. quod quanto nomina ſunt magis ſpecialia, tanto magis determinant modum ſpecialem creaturæ.

Quarto arguitur contra exemplum, quod adducitur de puncto lineæ, de quo dicitur eſſe principiũ, quia inter punctum, & lineam ſolũ eſt differentia ordinis. In contra eſt, nam punctum, à quo incipit linea, vere intrinſice informat lineam: ergo inter ipſum, & lineam mediat cauſalitas formalis, & non tantum differentia ordinis. Prob. Ant. nam punctum, à quo incipit linea, vnitur cum illa per continuationem intrinſecam cum illa: ergo vere informat lineam. Ad hoc nego Ant. Ad prob. nego Conſeq. punctum enim non informat lineam, ſed ſubiectum in quo eſt; continuatur autem cum linea per intimam aſſiſtentiam, & intrinſecam terminationem; ad continuationem enim non requiritur, quod continuativum informet rem, quam continuat, ſed quod intrinſice illam terminet.

Tertio arguitur contra id, quod dicitur, quod principium tantũ dicit id, à quo aliquid procedit. Si principium tantũ diceret id, à quo aliud procedit, ſequeretur, quod ſicut Pater dicitur principium Filij, ita Filius diceretur principiatum à Patre; Conſeq. eſt contra D. Thom. hic ad ſecundum, vbi habet, quod *licet apud græcos Filius, & Spiritus Sanctus dicantur principiari, apud latinos autem non ſic dicuntur, quia licet attribuamus Patri aliquid authoritatis ratione principij, nihil tamen ad ſubiectionem, vel minorationem pertinens quocumque modo, attribuimus Filio, vel Spiritu Sancto*: negat ergo D. Thom. Filium, vel Spiritum Sanctum principiari à Patre: ergo. Prob. Sequela Mai. nam ſi per hoc aliquid dicitur principium, quod aliquid ab ipſo procedit: ergo neceſſario dicetur principiatũ id, quod procedit ab alio tanquam à principio: videntur enim ſe habere principium, & principiatum, ſicut generans, & genitum, producens, & productum.

Ad hoc nego ſequelam, ad prob. nego Ant. amplius enim requiritur in divinis ad hoc, vt aliquid dicatur tale, quam requiratur ad hoc, vt aliquid ſit tale; ad primum enim requiritur, quod prædicatum ſit talis qualitatis, quod vere conveniat, & inſit illi, de quo dicitur; ad ſecundum vltra requiritur, quod non ſequatur occaſio erroris ex hoc, quod aliquid dicatur de Deo, & de perſona divina: vnde licet ſecundum rem, non poſſit negari, quod Filius principiatur, quia hoc tantum eſt, quod Filius habeat principium, quod negari non poteſt, cum habeat Patrem; nihilominus, quia habere principium denotare poteſt, quod Filius inceperit, ideo, eſto ſecundum rem verum ſit, quod Filius, & Spiritus Sanctus principientur, tamen ne detur occaſio incidendi in errorem de eo, quod Filius inceperit, ideo, eſto ſecundum rem verum ſit, quod Filius, & Spiritus Sanctus principientur, cavendum eſt adicto *principiati*, loquẽdo de Filio, & Spiritu Sancto.

Ex

Digitized by Google

Ex quo patet diſcrimen, quod verſatur inter iſtos terminos *generans*, & *genitum, producens*, & *productum* ex vna parte, *principium*, & *principiatum* ex altera: illi enim, & conveniunt, & dicuntur de divinis perſonis, quia in eo, quod de illis dicantur, non poteſt dari occaſio erroris, non vero ita contingit inter principium, & principiatum, propter rationem dictam: nec hoc eſt particulare de his terminis, etenim ſecundũ Hilarium 9. de Trinitate, Pater dicitur donantis authoritate maior, ex quo non ſequitur, quod Filius accipiens à Patre dicatur minor; & tamen maior, & minor ſic comparantur ſicut Principium, & principiatũ; tanta enim repugnantia videtur eſſe in eo, quod Pater, quia dat eſſe Filio, maior non ſit reſpective ad Filiũ, & quod Filius reſpective ad Patrem non ſit minor, quanta eſt in eo, quod Pater ſit principium Filij, & Filius non dicatur principiatus à Patre.

§. II.

Vtrùm nomen Pater *ſit nomen divinæ perſonæ.*

254 RESP. Affirmativè & probo, quia illud eſt nomen propriũ cuiuſlibet perſonæ, per quod illa perſona diſtinguitur ab omnibus alijs; id autem per quod diſtinguitur perſona Patris ab omnibus alijs, eſt Paternitas: ergo proprium nomen perſonæ Patris, eſt hoc nomen *Pater*. Notat hic Caietanus, quod hoc nomen *Pater* dupliciter accipi poteſt; primo, vt dicit rationẽ analogam ad Patrem increatũ, & ad Patres creatos, vel vt dicit analogatum magis principale: ſi enim primo modo accipiatur, ſic non eſt verũ, quod eſt principium nomen perſonæ Patris, quia ſic in illo proportionantur Pater creatus, & Pater increatus, bene vero ſi ſecundo modo accipiatur, & ſic locutus eſt D. Thom. hic de nomine Patris.

Quomodo autem ſtare poſsit, quod ipſiſsimo nomine ſignificetur ratio analoga, vt analoga, & analogatum magis principale, videtur difficile: nam in vnivocis quæ communiter dicuntur de aliquibus inferioribus, contingit aliquando, quod ratio inferior propter ſuam imperfectionem aliquando nominetur ipſo nomine, quo ratio ſuperior vnivoca; vt licet videre in hoc nomine *diſpoſitio*, quo ſignificatur ratio communis generica ad habitum, & ad aliã ſpeciem eius, quæ etiam diſpoſitio dicitur; cuius ea eſt ratio, quia cum ſpecies, quæ diſpoſitio eſt, imperfectiſsima ſit, videtur quaſi parum addere ſupra rationem communem, & ſic quia parum addit ſuper illã, nomine ipſo rationis communis nominatur; non autem hoc contingit, quando ſpecies perfectior eſt, quia cum ſupra rationem communem maximam addat perfectionem, nequit nobis innoteſcere per nomen, quo rationem communem nominamus, vnde debet alio nomine explicari: videtur ergo hoc ipſum dicendum in analogis, quod licet analogatum minus principale, quia parum addit ſupra rationem analogam, poſsit ſignificari eodẽ nomine, quo ratio analoga nuncupatur; non tamen hoc poſsit convenire analogato magis principali, quia propter ſui perfectionem particularem exigit alio nomine nuncupari: cumque Pater divinus ſit principale analogatũ in ratione Patris, non videtur, quod eo nomine explicetur, quo ratio analoga nuncupatur.

Huic difficultati poterat reſponderi aſsignando diſcrimen inter rationem analogam, & vnivocam: etenim, cum ratio analoga nihil aliud ſit, niſi ipſa analogata, vt proportionantur inter ſe, & cum ratio imperfecti analogati nihil aliud ſit, quam quædam imperfecta participatio analogati principalis, fit inde, quod quidquid invenitur in ratione analoga, inveniatur in analogato magis principali, licet non formaliter, ſaltim participabiliter: etenim licet ſubſtantia non ſit accidens, eſt tamen id, cuius imperfecta participatio accidens eſt, & ſic poteſt analogatum magis principale eodem nomine, quo ratio analoga ſignificari. Hinc ſolemus dicere, quod analogum per ſe ſumptum, ſtat pro famoſiori analogato; in vnivocis autem, res non ſe habet ſic, nam vnivocatum minus principale, non eſt participatio vnivocati magis principalis, vnde hoc nulla via continet illud, nec formaliter, nec virtualiter, & ſic nequit ob ſui excellentiã nomine rationis vnivocæ ſignificari.

Sed dicatur ſecundo, quod cum analogia reperta inter Patrem divinum, & Patrem creatum; non oriatur ex ipſa ratione, quæ expreſſatur nomine *Patris*, ſed ex ratione divini, & creati, non eſt inconveniens, quod vtrumque analogatum nomine *Patris* ſignificetur, quin ad diſtinctionem vniuſcuiuſque ana-

logati ſuperadduntur illa adiectiva *divinus*, & *creatus*. Licet hoc videre in ſapientia vt ſic, quæ analoga eſt ad ſapientiam creatam, & increatam; & tamen vtrumque analogatum ſapientia dicitur, & hoc ideo, quia analogia inter illas non oritur ex conceptu ſapientiæ, ſed ex conceptibus creati, & increati.

Poteſt tertio dici, quod hoc nomen *Pater* in Deo dupliciter poteſt conſiderari; primo ex modo ſignificandi. Secundo ex parte rei ſignificatæ: ſi primum attendamus, ſic tantum habet ſignificare relationem Patris ad Filium, & ſic non eſt proprium nomen perſonæ Patris divini, ſi ſecundum conſideremus, ſic ſignificat relationem Patris, vt ſubſiſtentem vt quod, & ſic eſt proprium nomen perſonæ Patris, quæ ſolum conſtituitur per relationem vt ſubſiſtentem: vnde attendendo ad rem ſignificatam, non ſignificatur eodem nomine analogatum magis principale, quo ſignificatur ratio analoga.

§. III.

Vtrùm hoc nomen Pater *ſecundum quod perſonaliter ſumitur, per prius dicatur in divinis.*

255 RESP. Affirmative. Quia per prius nomen dicitur de illo, in quo ſalvatur tota ratio ſignificata per nomen perfecte, quam de illo, in quo ſalvatur ratio ſignificata per nomen tantum ſecundum aliquid; ſed ratio ſignificata per nomen *Pater* adæquate perfecte ſalvatur in Deo Patre reſpectiue ad perſonam Filij, & tantum imperfecte, & ſecundum aliquid reſpective ad creaturas: ergo per prius dicitur de Deo hoc nomen *Pater*, prout ſumitur perſonaliter, quam prout ſumitur eſſentialiter, ſeu abſolute. Maior probatur, quia de illo, in quo ratio ſignificata per nomen, tantum invenitur ſecundum aliquid, tantum dicitur quaſi per ſimilitudinem ad illud, in quo perfecte ſalvatur, quia omnia imperfecta ſumuntur à perfectis: ergo per prius dicitur de illo, in quo ratio importata per nomen perfecte ſalvatur, quam de illo, in quo tantum ſalvatur ſecundum aliquid. Min. etiam probatur, quia in Deo Patre, & Deo Filio invenitur vna natura, & vna gloria; ergo ratio Paternitatis perfecte invenitur in Deo Patre, reſpectu Dei Filij. Quod autem imperfecte inveniatur reſpectu creaturæ prob. quia creatoris, & creaturæ non eſt vna natura formaliter, ſed tantum ſecundum aliqualem ſimilitudinem: dicitur enim Deus alicuius creaturæ Pater, propter ſimilitudinem veſtigij reperti in creatura irrationali: vnde Iob 38. dicitur: *Quis eſt Pater pluviæ, aut quis genuit ſtellas maris.* Dicitur aliorum Pater propter rationem imaginis, iuxta illud Deuteronomij 3. *Ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, fecit, & creavit te.* Aliquorum vero eſt Pater ſecundum ſimilitudinem gratiæ, ſecundum quod ordinantur ad hæreditatem gloriæ per gratiæ acceptionem, vnde Paulus Roman.8. *Quod ſi Filij, & hæredes*, aliquorum vero ſecundum ſimilitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem poſſident, iuxta illud Roman.3. *Gloriamur in gloria Filiorum Dei*; in nulla autem ex his acceptionibus perfecte ratio Patris habetur, ſed tantum ſecundum aliquid: ergo.

§. IV.

Solvuntur aliqua dubia.

256 PRIMO Dubitatur, Vtrum prædicata eſſentialia abſolute ſumpta, ſint priora noſtro modo intelligendi, quam prædicata perſonalia. Huic quæſito ſatiſfacit D. Th. hic, quæſt. 33. articul. 3. ſolut. ad 1. dicens, quod ſic, quia includuntur in proprijs, & propria non includuntur in communibus. Hoc tamen videtur difficile; nam in divinis omnia ſe formaliter tranſcendunt, & propria communia, & communia propria: igitur propria ſunt de conceptu communium, & communia ſunt de conceptu propriorum: ergo propria includuntur in communibus, & communia in proprijs.

Ad hoc dici poterat, quod communia divina ſecundum conceptum expreſſum, ſaltim in obliquo ſunt de conceptu, & de diffinitione propriorum, nam divina perſona eſt divinæ naturæ individua ſubſtantia, ſeu ſubſiſtentia, in qua diffinitione natura divina ſecundum expreſsionem ſuam ingreditur; perſona autem divina, non ingreditur diffinitionem Dei abſolute ſumpti: diffinitur enim Deus à nobis inadæquate intelligentibus, ſine eo,

Digitized by Google

eo, quod aliquã perſona intret diffinitionem eius. Vnde ad difficultatem propoſitam diſtinguo Conſequens: igitur propria ſunt de conceptu communium, ſecundum expreſsionem propriorũ, nego Conſeq. ſecundum implicitum, conc. Conſeq. Itaque, dum intelligimus expreſſe Deum, implicite intelligimus perſonas; non tamen explicite, & ſic verificatur, quod propria ſunt de conceptu communium; cum autem intelligimus propria, intelligimus, vt dixi, communia ſecundum propriam expreſsionem, & non ſolum vt tranſcendunt propria.

Sed contra hanc doctrinam ſic argumentor. Nam ſicut in diffinitione Dei non ingreditur proprium ſecundum explicitum, ſic nec in definitione Patris diuini ingreditur commune ſecundum expreſſionem communitatis; diffinitur enim Pater diuinus per hoc, quod ſit ad Filium diuinum, & idem dico de Filio, qui ſolum definitur per hoc, quod ſit ad Patrem: non ergo illa doctrina data eſt vniverſaliter vera. Sed reſpondetur, quod de nomine *Patris*, dupliciter, vt ſupra notavimus, loqui poſſumus: vel ſecundum modum ſignificandi, vel ex parte rei ſignificatæ: ex modo ſignificandi, ſic ſolum dicit relationem ad Filium diuinum; ex parte autem rei ſignificatæ, ſignificat Paternitatem, vt ſubſiſtentem in natura diuina, & iſto modo eſt proprium nomen perſonæ Patris, & in eius ſignificato includitur natura diuina ſecundum expreſsionem naturæ, & ſic doctrina à nobis data vniverſaliter eſt vera.

Poterat etiam probari reſolutio Diu. Thom. ex eo, quod illud eſt prius noſtro modo intelligendi, à quo non valet ſubſiſtendi Conſeq. ſed bene valet, eſt Pater diuinus: ergo eſt Deus; non autem bene valet, eſt Deus: ergo eſt Pater diuinus: igitur Deus eſt prius noſtro modo intelligendi, quam Pater.

Sed contra reſolutionem inſtabis. Si communia eſſent priora notionalibus, vel eſſent priora prioritate à quo, vel in quo; neutrum horum verum eſſe poteſt: ergo Conſeq. eſt bona. Mai. certa, & Minor probatur. In primis, non prioritate in quo, quia iſta non admittitur in Schola Thomiſtica inter prædicata diuina, quia prioritas in quo eſt prioritas in exiſtendo, & Deus non eſt prior in exiſtendo adhuc in ſigno rationis, quam tota Trinitas; nec etiam eſſet prior prioritate à quo; quia hæc ſolum invenitur inter perſonas diuinas ad invicem conſideratas; & inſuper, iſta eſt prioritas realis, & non tantum ſecundum modum noſtrum intelligendi: ergo communia nullo modo ſunt priora notionalibus.

Reſpondeo, communia dici priora noſtro modo intelligendi, quam propria; non quia in re inter communia & propria ſit aliqua prioritas, vel in quo, vel à quo; ſed quia noſter intellectus imperfecte concipiens diuina, & admodum rei materialis, prius, id eſt, in aliquo ſigno rationis concipit communia, quam perſonalia: vnde prioritas tantum ſe tenet ex parte noſtræ cognitionis, & nullatenus ſe tenet ex parte rei intellectæ ſpecificative ſumptæ, licet in eſſe intellecti à nobis inter ipſa, prioritas, & poſterioritas ſit. Itaque communia dicuntur priora propriis, quia licet in ſe ſimultate omni gaudeant cum illis, tamen intellectus noſter non ſimul, ſed ordine quodam prioris, & poſterioris ipſa intelligit, prius intelligendo communia, deinde propria.

257. Dubitatur ſecundo: Vtrum prædicata abſoluta relative ſumpta ad creaturas, ſint poſteriora perſonalibus. Reſpondet D. Thom. in eadem ſolutione ad primum affirmative. Et probat, quia ipſa perſona procedens in diuinis, procedit vt principium productionis creaturarum; ſicut enim Verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur procedere ab artifice, quam artificiatum, quod producitur ad ſimilitudinem Verbi concepti in mente; ita per prius procedit Filius à Patre, quam creatura, de qua dicitur Filiatio, ſecundum quod aliquid participat de ſimilitudine Filij. Sic Diu. Thom.

Cuius doctrina apparet difficilis. Nam ſi Verbum perſonale, quod Filius diuinus eſt, comparatur ad creaturam productam ſicut Verbum, quod format artifex intra ſe, vt artificiatum producat, ſequitur, quod creaturæ productæ extra Deum, non tantum aſſimilentur prædicatis abſolutis Dei, ſed etiam prædicato perſonali Verbi, quod Filius eſt: ex quo ſequitur, quod ex creaturis nõ tãtũ poſsint cognoſci prędicata abſoluta Dei, ſed etiã relatiua, quod nõ eſt admittẽdum. Vtraq; ſequela patet, nam artificiatũ, quia procedit ex Verbo artificis, aſſimilatur

illi, & ducit in cognitionem, non ſolum artificis operantis, ſed etiam Verbi, quod artifex intra ſe operatur: ergo ſi creatura procedit ex Verbo perſonali, quod Filius eſt, ſicut artificiatum ex Verbo artificis, creatura aſſimilabitur Verbo perſonali, & ducet in manifeſtam cognitionem Verbi perſonalis, cuius oppoſitum ſupra docuimus.

Explico hanc difficultatem. Diximus creaturam tantum repræſentare prædicata abſoluta Dei, & ſic non poſſe ducere in relativa prædicata Dei, quia tres perſonæ cauſant creaturam ratione ſolius Deitatis, quæ abſoluta eſt, & non ratione alicuius formæ perſonalis: ergo ſi ſecundum litterã D. Thom. creaturæ procedunt à Verbo ſupremi artificis, & hoc Verbum perſonale, & relativum eſt, non tantum repræſentabunt Deitatem abſolutam, ſed etiam Verbum relativum, à quo procedunt; & ſic non tantum ducunt in cognitionem manifeſtam Deitatis abſolutæ, ſed etiam in cognitionem manifeſtam Verbi relativi.

Ad hanc difficultatem nego primas ſequelas. Ad prob. diſt. Conſeq. creatura aſſimilabitur Verbo perſonali, ſecundũ munus repræſentabilis prædicatorum abſolutorum Dei, conc. Conſeq. ſecundum munus producti, nego Conſeq. Itaque in Verbo producto à Patre, eſt duo conſiderare, & ratio repræſentativi omnium divinorum, & etiam creaturarum, & ratio vitaliter producti, ex qua habet, quod ſit perſona diſtincta à Patre: primum habet ex Deitate ſibi à Patre communicata, ſecundum habet ex relatione producta: creatura ergo procedit ab ipſo, vt ſub eſt muneri repræſentativi, ſicut, & omne artificiatum procedit ex repræſentatione Verbi exiſtentis in mente artificis; non tamen procedit ex munere producti, & ſic eſto à verbo perſonali creatura procedat, non habet repræſentare relativa Dei, ſed tantum abſoluta: vnde nõ habet ducere in cognitionem divinæ Filiationis. Per quod patet ad explicationẽ; eſto enim creaturæ procedant à verbo perſonali, tamen ſunt ab illo vt repræſentante abſoluta Dei, non tamen vt ſub eſt muneri producti, vel muneri Filiationis.

Inſtabis. Ex littera D. Thom. creaturæ dicuntur Dei Filiæ ad ſimilitudinẽ Verbi, a quo procedunt, quod eſt Filius Patris æterni, ex quo concludit nomen *Filij* per prius convenire Filio æterno, quam conveniat creaturis: ergo imitantur creaturæ divinum Verbum, non ſolum ex capite repræſentationis, ſed etiam ex capite Filiationis: ergo ducent in cognitionẽ æterni Filij.

Ad hoc diſt. Conſeq. imitatione propria, nego Conſeq. imitatione ſecundum tropum, & metaphoram, conc. Conſeq. Itaque ratio Filiationis, quæ convenit Filio æterno reſpectu Patris æterni, & quæ convenit creaturis reſpectu Dei, non eſt eiuſdem rationis, ſed de Filio dicitur ſecundum propriam rationem; de creatura autem dicitur ſecundum metaphoram tantum, ſicut riſus de agri floriditate dictus, non eſt riſus proprie, ſed tantum metaphorice: vnde quamvis in hac Filiatione creaturæ Verbum perſonale imitentur, non ſunt ſufficientes ad manifeſtandam illius Filiationem, ſicut neque per agri floriditatem venire poſſumus in cognitionem proprij riſus.

258 Contra reſolutionem Divi Thom. eſt etiam argumentum difficile. Nam ſcientia, qua Deus cognoſcit poſsibilia, ſumpta adhuc comparative, & relative ad illa, præcedit relationẽ perſonalẽ Verbi æterni: ergo falſum eſt, quod abſoluta, ſumpta relative ad creaturas, ſunt poſteriora perſonalibus. Prob. Antec. Verbum procedit ex ſcientia Dei, vt ſumpta relative ad creaturas poſsibiles: igitur per prius debet convenire noſtro modo intelligendi Deo, quã relatio Filiationis perſonalis Verbi. Patet Conſeq. nam id, quod præſupponitur vt principium, per prius intelligitur convenire, quam id, quod oritur ex illo; ſed Verbum procedit ex ſcientia creaturarum poſſibilium: ergo hæc prius intelligitur convenire Deo, quam Verbum perſonale.

Propter hoc argumentum Magiſter Bañez hic, exiſtimat litteram D. Thom. debere coarctari ad illa nomina, quæ ſignificant Dei abſoluta, cum reſpectu ad creaturas fundato in aliqua actione, quæ Deo non naturaliter, & neceſſario conveniat, ſed tantum libere, ſicut eſt creatio, gubernatio, vel actualis volitio creaturarum; de his enim ſolis verum eſt, quod per poſterius dicuntur de Deo, quam nomen ſignificans relationes perſonales: cumque reſpectus ſcientiæ Dei ad creaturas poſsibiles, fundetur ſuper actionem naturaliter, & neceſſario Deo convenientem, non oportet, quod nomen illam ſignificans per poſterius dicatur de Deo, quam relatio perſonalis.

Ve-

Digitized by Google

Verũ magis placet dicere, quod propoſitio illa vniverſaliter ſumpta pro omni nomine Dei ſignificante reſpectum ad creaturas, ſive talis reſpectus fundetur ſuper actionem naturaliter, & neceſſario Deo convenientem, ſive libere conveniẽtem, de omni enim exiſtimo per poſterius dici de Deo, quam nomen ſignificans reſpectum realem perſonalem. Et ratio ea eſt, nam licet Verbum procedat ex notitia abſtractiva creaturarum poſſibilium, procedit tamen ex notitia intuitiva ſui primario: ergo divina ſcientia prius dicit habitudinem ad Verbum exiſtens, quam ad poſſibilia: ergo Verbum, vel nomen illam ſignificãs prius habent Deo convenire, quàm nomen ſignificans reſpectum alicuius abſoluti divini ad creaturas, etiam ſi talis reſpectus fundetur ſuper actionem naturaliter, & neceſſario Deo convenientem. Patet Conſ. quia ſi Verbum divinum intuetur prius, quam intelligantur creaturæ: ergo intelligitur exiſtere prius, quam creaturæ intelligantur; ac per conſequens reſpectus Verbi, & filiationis prius dicentur de Deo, quam reſpectus ſcientiæ ad poſſibilia.

Ad argumentum ergo nego Ant. ad prob. diſt. Ant. Verbum divinum procedit ex ſcientia Dei ſumpta relativa ad creaturas, id eſt, procedit per ſcientiam, per quam neceſſario cognoſcuntur poſſibilia, conc. Ant. ly *ex ſcientia* dicente præſuppoſitionẽ ſciẽtis, vt terminatæ ad poſſibilia, ad proceſſionem verbi, nego Antec. & Conſ. ad prob. nego, quod ſcientia Dei, vt terminata ad poſſibilia, ſit principium à quo procedit Verbum, ſed Verbum procedit ex cognitione divinorum quæ talis naturæ eſt, quod non poſſit non eſſe cognitio poſſibilium poſt cognitionem Verbi: vnde non ſequitur, quod Verbum non prius conveniat Deo, quam ſcientia vt relata ad poſſibilia.

Vnde talis habetur ordo, Pater divinus perfectiſſime cognoſcit ſeipſum, & ſic cognoſcendo format Verbum comprehenſivum ſui ipſius, deinde cognitio, qua productum eſt Verbum, cognoſcit poſſibilia, vnde eſt comprehenſiva Dei, ſecundum quod producit Verbum; non quia præſupponat terminationem ad poſſibilia, ſed quia neceſſario infert cognitionem poſſibilium: cognitio enim comprehenſiva à priori obiecti primarij, non requirit eſſe notitiam obiecti ſecundarij, antecedenter ad comprehenſionem primarij obiecti, ſed ſufficit, quod dum pervenit ad primarium, non poſſit non eſſe cognitio ſecundarij; nihil enim aliud eſt cognoſcere comprehenſive obiectum primarium, quam ſic cognoſcere adæquate illud, quod ex vi attingentiæ illius cognoſcatur omne id, quod in primario, tanquam quid ſecundarium, cõtinetur: cum ergo Verbum divinum ſpectet ad obiectum primarium terminativum divinę cognitionis, & poſſibilia in ſe ipſis ſpectent ad ſecundarium, tunc intelligitur Verbum cognoſci comprehenſive, quando ex vi cognitionis illius, non poſſunt non cognoſci poſſibilia: vnde ſcientia Dei, vt relata ad poſſibilia, poſterior eſt ipſo Verbo producto. Sed de hoc argumento plura dicam infra.

259 Dubitatur tertio. Vtrum eſſe ingenitum ſit Patri proprium. Affirmative reſpondet D. Thom. hic quæſt. 33. art. 4. & probat. nam ſicut in rebus creatis invenitur principium primum, & principium ſecundum, ita in rebus divinis, in quibus non eſt prius, & poſterius, invenitur principium non de principio, quod eſt Pater, & principium à principio, quod eſt Filius; principium autem primum in rebus creatis innoteſcit nobis dupliciter: vno modo, in quantum eſt principium, per hoc, quod habet relationem ad ea, quæ ab ipſo ſunt; alio modo in quantum eſt primum principium, per hoc, quod non eſt ab alio: ſic igitur, & Pater innoteſcit Paternitate, & communi ſpiratione per reſpectum ad perſonas ab eo procedentes; in quantum autem eſt principium non de principio, innoteſcit per hoc, quod non eſt ab alio, quod pertinet ad proprietatem innaſcibilitatis, quam ſignificat ingenitum. Et ſic eſſe ingenitum eſt proprium Patris. Sic D. Th.

Vbi adverto, quod ingenitum ſtat dupliciter: primo, rigoroſe, prout tantum dicit non eſſe ab alio per generationem; alio modo, large, prout dicit non eſſe ab alio per veram actionem, ſive illa ſit generatio, ſive creatio, ſive volitio &c. In qua acceptione id eſt, quod improductum: eſt ergo proprium Patri hoc ſecundo modo ſumptum; non primo, quia primo modo convenit Spiritui Sancto, qui eſſe habet, non per generationem, ſed per ſpirationem, & ſic in hoc ſenſu poteſt dici ingenitus.

Sed hinc oritur difficultas, quia ſumendo ingenitum hoc ſecundo modo, tunc ingenitum eſt mera negatio, & non pri-

Digitized by Google

privatio, quia Patri repugnat habere principium. Ad quod reſpondet D. Tho. quod licet Patri non ſit debitum habere principium; alicui tamen ſuppoſito habenti eandem naturam cum Patre, convenit habere principium, nempe Filio, vel Spiritui Sancto, quod ſufficit, vt privationis ratio competat in genito; & ſic ingenitum non mera negatio erit in Patre, ſed privatio; ita tamen, quod nullam imperfectionem inducat in Patre.

Quod difficultate non vacat. Nam difficile eſt intelligere rationem privationis præciſam ab omni imperfectione: nam omnis privatio adducit carentiam formæ debitæ; carentia autem formæ debitæ, non poteſt non eſſe imperfectio.

Nec valet ſi dicas, quod carere forma debita illi ſuppoſito, cui convenit carentia, eſt imperfectio; carere autem forma debita alteri ſuppoſito eiuſdē naturæ, non eſt illi imperfectio Nō inquam valet, nam formam eſſe debitam alteri ſuppoſito eiuſdem naturæ cum Patre, vel ponit prædictā formam aliquo modo deberi Patri, vel non; ſi dicatur ſecundum; carere Patrem tali forma, non erit privatio in Patre, & ſic non erit imperfectio: ſi dicatur primū, iam Pater habebit in ſe ipſo carentiam formæ aliquo modo ſibi debitæ: ergo prædicta carentia, non poterit non eſſe imperfectio.

Ad hoc dico, quod carentia eſſe geniti eſt carentia formæ debitæ Patri, non ex quo eſt Pater, ſed ex quo eſt ſuppoſitum naturæ divinæ, ex quo habet, quod illi non repugnet eſſe genitum: vnde huiuſmodi debitum, non eſt debitum exigentiæ alicuius formæ, ſed eſt debitū non repugnantiæ: non enim repugnat Patri eſſe genitū, quia ſuppoſitū naturæ divinæ; ſi enim prout ſic repugnaret, repugnaret omni ſuppoſito, repugnat tamē, quia Pater; carere autem forma, quæ illi non debetur debito exigētiæ, ſed tantū debito non repugnātiæ, privatio eſt, imperfectio non eſt; quia hæc tantum habet locum, cū aliquis non habet id, quod aliquo modo exigit; non vero, cum non habet id, quod ex aliquo ſui prædicato non repugnat habere, ſi tamen illi ex alio prædicato illud habere repugnet: cum ergo Pater ex nullo prædicato ſuo exigat eſſe genitum, ſed tantum hoc illi non repugnet, quia ſuppoſitum naturæ divinæ eſt, cum repugnātia ex quo Pater eſt, fit inde, quod carere eſſe geniti in Patre, privatio ſit, imperfectio tamen non ſit.

QVÆSTIO XII.

De Perſona Filij.

PERSONÆ Filij tria propriſſima attribuuntur nomina, dicitur enim Filius, dicitur Verbum, & dicitur imago: ratio ergo Filij ſufficienter innoteſcit ex perſona Patris: vnde poſtquam egimus de Patre, non eſt neceſſe agere de perſona Filij, prout hoc nomine *Filius* ſignificatur: agemus ergo de illo, prout ſignificatur nomine *Verbi*, & in ſequenti quæſtione agemus de illo, prout nomine *imaginis* ſignificatur.

§. I.

Vtrùm nomen Verbum in Deo, ſecundum propriam acceptionem, ſolum dicatur perſonaliter?

260 NOMINE propriæ acceptionis poſſumus intelligere, vel proprie, vt diſtinguitur contra commune, qua ratione divina prædicata partimur in communia, & propria; communia dicimus abſoluta, quia omnibus perſonis conveniūt: relativa vocamus propria, quia ſecundum illa perſonæ diſtinguuntur: vel poſſumus intelligere propriè, vt diſtinguitur contra metaphorice, ſicut homo pictus non dicitur proprie homo, ſed metaphorice. In præſenti ergo non loquimur de *proprie* ſecundum primam acceptionem, ſed iuxta ſecundam: prætendimus enim explicare, vtrum in Verbo cōmuniter dicto, vera ratio Verbi inveniatur, an ſolum metaphorice verbum dici poſſit?

Circa quam difficultatem D. Thom. non videtur ſemper eodem loqui modo, nam in primo diſt. 27. art. 1. ſic habet: *Dicendum eſt cum alijs, quod hoc nomen Verbum ex virtute vocabuli poteſt perſonaliter, & eſſentialiter accipi; non enim ſignificat tantum relationem, ſicut hoc nomen Pater, & Filius; ſed imponitur ad ſignificandum rem aliquam abſolutam ſimul cum reſpectu, ſicut hoc nomen ſcientia; ſed in hoc differt, quod relatio, quæ importatur hoc nomine ſcientia, non eſt relatio originis, ſecundum quam refertur ad illud, à quo eſt; ſed eſt relatio ſecundum quam refertur ad illud, ad quod eſt, nempe ad ſcibile; ſed hoc nomen Verbum importat relationem ſe-*

cun-

Digitized by Google

cundum quam refertur ad illud, à quo eſt, ſcilicet ad dicentem: huiuſmodi autem relationes in divinis contingit eſſe dupliciter, quædam enim ſunt reales, quæ requirunt diſtinctionem realem, ſicut Paternitas, & Filiatio, quia nulla res poteſt eſſe Pater, & Filius reſpectu eiuſdē; quædam autem ſunt relationes rationis tantum, ſicut relatio, quæ importatur in hoc nomine operatio; habet enim in divinis operatio reſpectum implicitum ad operatorem, à quo eſt; nec tamen in divinis differunt operans, & operatio, niſi ratione tantum: ſi igitur relatio importata per hoc nomen Verbum, ſit relatio rationis, nihil prohibet, quin eſſentialiter dicatur, & videtur ſufficere ad rationem Verbi, ſecundum quod à nobis in Deum tranſumitur, quia in nobis nihil aliud eſt Verbum, quam ſpecies intellecta, vel forte ipſa operatio intelligentis, quorum neutrum realiter diſtinguitur ab eſſentia divina: ſi autem importat relationem realem diſtinctionem exigentem, oportet, quod perſonaliter dicatur, quia non eſt realis diſtinctio in divinis, niſi perſonarum. ſic D. Tho.

Et poſt pauca ſubdit: *Cum enim Verbum ſit ſimilitudo rei intellectæ, prout eſt concepta intellectu, & ordinata ad manifeſtationem, vel ad ſe, vel ad alterum, iſta ſpecies in divinis poteſt accipi dupliciter, vel ſecundum id, quo aliquid in divinis formaliter intelligitur, & ſic cum ipſa eſſentia per ſe intelligatur, & manifeſtetur, ipſa eſſentia erit Verbum, & ſic Verbum, intellectus, & res, cuius eſt Verbum, non differunt niſi ſecundum rationem tantum: vel ſecundum quod ſpecies intellecta nominat aliquid diſtinctum realiter ab eo, cuius ſimilitudinem gerit, & ſic Verbum dicitur perſonaliter.* Quibus, vt patet D. Thom. vult, quod proprie loquendo de Verbo, poſſit dici eſſentialiter, & perſonaliter.

Quæſt. 4. de veritate artic. 2. ita habet: *Ita ergo Verbum intellectus in nobis duo habet de ſua ratione, ſcilicet, quod eſt intellectum, & quod eſt ab alio expreſſum: ſi ergo ſecundum vtriuſque ſimilitudinem Verbum dicatur in divinis, tunc non ſolum importabitur per Verbū divinum proceſſus rationis, ſed etiam rei; ſi autem ſecundum ſimilitudinem alterius tantum, ſcilicet ſecundum quod eſt intellectum, ſic hoc nomen Verbum in divinis non importabit proceſſum realem, ſed rationis tantum: ſicut hoc nomen intellectum, ſed hoc non erit ſecundum propriam Verbi acceptionem, quia ſi aliquid eorum, quæ ſunt de ratione alicuius, auferatur, iam non erit propria acceptio: vnde ſi Verbum proprie accipiatur, in divinis non dicitur, niſi perſonaliter; ſi autem accipiatur communiter, poterit etiam dici eſſentialiter; vbi ly communiter idem ſonat, quod improprie, & ſecundum latam ſignificationem.* Sic D. Tho. In præſenti autem articulo 1. q. 34. reſolutorie dicit, quod Verbum ſi proprie accipiatur, tantum dicitur perſonaliter.

Plures ex diſcipulis D. Tho. hanc quæſtionem reſolvunt per illam diſtinctionem Verbi, qua diſtinguitur in Verbum communiter, & Verbum proprie: dicunt enim, quod Verbum communiter dictum convenit eſſentiæ divinæ, & ſic dicitur eſſentialiter; Verbum autem proprie acceptum tantum convenit Filio, & ſic tantum dicitur perſonaliter. Sic Salmanticenſes hic, & plures quos ipſi referunt. Verum per hoc meo videri difficultas præſens non ſolvitur, quæ in eo ſiſtit, vtrum in Verbo, quod communiter dicitur, vera ratio Verbi inveniatur: de hoc autem nihil iſti authores dicunt: vel tantum metaphorice, ſicut in homine picto, ſola hominis relucet apparentia, non veritas. Vnde melius his Caietanus hic, Magiſter Bañez, & Albelda dicunt, quod hoc nomen *Verbum* proprie loquendo de Verbo, vt diſtinguitur contra impropriam locutionem, tantum dicitur perſonaliter, & nullo modo eſſentialiter.

261 Sit Concluſio. Proprie loquendo de Verbo, vt ly *proprie* diſtinguitur contra metaphorice, Verbum in divinis tantum dicitur perſonaliter. Probatur concluſio ratione D. Tho. hic q. 34. ar. 1. Verbum cordis, proprie loquendo de Verbo, dicitur id, quod immediate procedit ex notitia intelligentis vt expreſſum per illam: ergo Verbum cordis in divinis, proprie loquendo, debet tantum dici id, quod procedit ex notitia Patris intelligentis, vt expreſſum per illam; at hoc neceſſario dicit relationem realem originis: ergo proprie loquendo, Verbum in divinis dicit relationē originis: ergo tantum dicitur perſonaliter, & non eſſentialiter.

Reſp. neg. Min. ſubſumptam. Nam invenimus in divinis quædam, quę originem important, non ſecundum rem, ſed ſolum ſecundum rationem; operatio enim proculdubio ſignificat aliquid procedens ab operante; & tamen proceſſus iſte in Deo non eſt ſecundum rem, ſed ſolum ſecundum rationem.

Sed contra eſt. Nam id, quod tantum ſecundum rationem procedit ab alio, non vere procedit ab illo, ſed tantū eſt id, quod licet non procedat, intelligitur tamē à nobis

bis vt procedens; Verbum autem vere procedit, & non tantum ſignificatur vt procedens: ergo procedit proceſſu ſecūdum rem: ergo dicit relationem originis neceſſario, & indiſpenſabiliter. Ant. quo ad primam partem eſt certum, id enim, quod alicui tantum ex modo noſtro intelligendi convenit, non dicitur rei vere convenire: quo ad ſecundam autem ſic probo. Nam Verbum eſt id, quod intelligendo quis aliquam rem, vere exprimit de illa re, non ſic, quod per ipſam intellectionem exprimat, ſed ſic, quod per ipſam intellectionem producat ipſam conceptionem, quæ eſt ipſa notitia expreſſa: ergo eſt id, quod vere procedit, & non illud, quod tantum intelligitur vt procedens.

Explicatur hoc. Operatio divina non eſt id, quod procedit à Deo operante, ſed tantum dicitur id, quod noſtro modo intelligendi ſignificatur vt procedens: vnde qui diceret operationem divinam procedere à Deo operante, falſum diceret: qui autem dicit Verbum divinum eſt, quod procedit ex notitia Patris, verum dicit: ergo de conceptu Verbi non eſt, quod tantum intelligatur vt procedens, ſeu quod vere procedat; id autem quod vere procedit in Deo, veram relationem originis dicit: ergo & dicit relationem realem.

Dices, in nobis non magis dici Verbū procedere ab intellectu, quam operationem procedere ab operante; & tamen in Deo ponitur operatio propria, quæ intellectio eſt; eſto realiter non procedat ab intellectu: ergo & poterit poni Verbū, quod proprie ſit Verbum, eſto vere non procedat ab intellectu, ſed ſolum ſignificetur vt procedens.

Sed contra hoc eſt. Nam intellectio ideo dicitur in nobis procedere ab intellectu, quia intellectus noſter propter ſui imperfectionem eſt principium in potentia intelligens, & ſic fit intelligens per intellectionem, quæ vere ab illo egreditur; hæc autem ratio non militat in Verbo, quod procedit ab intellectu, etiam facto in actu per ipſam intellectionem: ergo aſcendendo ad Deum, licet ponatur intellectio propria, per hoc, quod intelligatur, & ſignificetur vt procedens; Verbum tamē nequibit proprie poni, niſi vere, & ſecundum rem procedat ab intellectu. Patet Conſ. quia Verbum vere procedere ab intellectu adhuc facto in actu per vltimam actualitatē, quæ intellectio eſt, denotat verum proceſſum convenire Verbo ex ſua natura, non vero illi convenire ex defectu actualitatis competente intellectui; ſed ad rationem Verbi proprie dicti requiritur, quod habeat ea, quæ illi conveniunt ex ſua natura: ergo vt Verbum proprie ponatur in Deo, debet poni, quod vere procedat à Deo intelligente, & ſic ſolum ſalvabitur propria ratio Verbi in illo, quod proprie procedit, quod ſolum eſt Verbum Perſonale.

Confir. ex doctrina D. Thom. quæſt. 4. de verit. art. 2. ad 7. ibi. *Dicendum, quod dupliciter poteſt aliquid procedere ab alio; vno modo ſicut actio ab agente, vel operatio ab operante: alio modo ſicut operatum ab operante: proceſſus ergo operationis ab operante non diſtinguit rem per ſe exiſtentem ab alia re per ſe exiſtente; ſed diſtinguit perfectionem à perfecto, quia operatio eſt perfectio operantis; ſed proceſſus operati diſtinguit vnam rem ab alia: in divinis autem non poteſt eſſe ſecundum rem diſtinctio perfectionis a perfectibili; inveniuntur tamen in Deo res ab invicem diſtinctæ, ſcilicet tres perſonæ, & ideo proceſſus, qui ſignificatur in divinis, vt operationis ab operante, non eſt niſi rationis, ſed proceſſus, qui ſignificatur vt rei a principio poteſt in Deo realiter inveniri.* Ex quibus ſic argumentor. Proceſſus Verbi divini, qui convenit Verbo divino, non eſt proceſſus vt operationis ab operante: ergo eſt proceſſus rei à re exiſtente, ſcilicet perſonæ à perſona: ergo eſt proceſſus alicuius realiter diſtincti ab eo, à quo procedit. Patet hæc Conſ. quia in divinis non eſt res, & res procedens ab illa, niſi ſit perſona, & perſona.

Confir. ſecundo quia de ratione Filij eſt procedere à Patre vt quid operatum ab illo, nequit in divinis poni propria ratio Filij, niſi ponatur res realiter diſtincta à Patre: ergo, quia de ratione Verbi eſt manifeſtare obiectum intellectus per modum rei operatæ ab intelligente, non poterit in Deo dari Verbum ſecundum propriam rationē, niſi ponatur res realiter diſtincta ab intelligente.

Secundo principaliter prob. Concluſio. Si ratio propria Verbi reperiretur in Deo in aliquo prædicato abſoluto, & eſſentiali, non poſſemus ex Scriptura Sacra colligere rationem Verbi perſonalis, quæ ſecundum fidem attribuenda eſt Filio; hoc autem dici nequit: ergo. Prob. Sequela. Nam tunc loca Scripturæ in quibus inſinuatur in Deo reperiri Verbum, ſufficiētiſſime explicaremus de Verbo eſſentiali: er-

Digitized by Google

go nō poſſet colligi ex Scriptura ratio Verbi perſonalis. Prob.Ant. ad exactam intelligentiam Scripturæ,dum loquitur de Verbo in divinis, ſufficit ponere Verbum in Deo ſecundum propriam acceptionē Verbi:ergo cum hæc inveniatur inter prædicata abſoluta,& eſſentialia Dei,non cogeremur ab illis,ponere in Deo Verbum perſonale.

Explico hoc. Si aliquis hæreticus negaret in Deo eſſe Verbum perſonale, tunc ad illum convincendum deberemus recurrere ad dictum Ioann.1. *Et Verbum caro factum eſt*, & ex hoc loco probare Verbum perſonale Deo convenire;ſed ſi in eſſentia divina,vt eſt ſumme manifeſtativa ſui, & vt ſecundum rationem intelligitur procedere à Patre, propria ratio Verbi inveniretur, ex hoc loco non poſſemus convincere hæreticum ad ponendum Verbum perſonale in Deo:ergo.Prob.Min.Nam tunc hæreticus admitteret authoritatem Ioannis, & negaret Conſ.quia ille locus tantum cōvinceret Deo competere propriam rationem Verbi,non vero, quod illud perſonale ſit.

Dices convinci poſſe hæreticum ex antecedentibus,nempe virtute illius particula,*Et Verbum erat apud Deum*, quæ particula *apud*,cum ſit præpoſitio intranſitiva, denotat diſtinctionem: vnde datur intelligere,quod ſit Verbum diſtinctum à Patre, apud quem eſt. Sed contra:dictio illa *apud* nequit importare niſi illam diſtinctionem, quam importat dictio *Verbum*; ſed hæc diſtinctio non eſt neceſſario realis, & perſonalis, vt tenet oppoſita ſententia: ergo adhuc ex illa particula non poſſet convinci hæreticus ad aſſerendum in Deo dari Verbum perſonale,realiter diſtinctum à perſona Patris.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

262 PRIMO Arguitur authoritate Auguſtini qui 9. de Trinit. definiens Verbum ait: *Verbum eſt notitia cum amore*. Et tract.1. In Ioan.tomo 9 dicit, *Verbum divinum eſt potentia operativa Patris*;ſed notitia, & potentia operativa eſt quid abſolutum in Deo: igitur Verbum proprie eſt eſſētiale,vt dicitur de Deo.

Ad hoc dico, quod notitia, quæ ponitur in definitione Verbi,eſt notitia expreſſa ab alio,& de hac intelligitur Auguſtinus. Et quamvis ſapientia, & notitia quid eſſentiale dicat in Deo; notitia tamen expreſſa, & ſapientia genita,non niſi perſonaliter dicitur,quia eſt notitia vere emanans, & procedens ab intelligente.Ad illud,quod Verbum divinum eſt potentia operativa Patris: dico, quod nomine potētiæ operativæ duo poſſumus intelligere, vel ipſam vim, quæ eſt principium proximum operationis; vel ipſum conceptum, quem de operabilibus artifex intra ſe format: ſi loquamur de potentia operativa primo modo, ſic Verbum divinum formaliter non eſt potentia operativa Patris; hanc enim Pater habet ab eſſentia divina: ſi loquamur ſecundo modo, ſic Verbum divinum poteſt dici potentia operativa Patris,quatenus omnia operatus eſt Verbo ſuo, ſed iſto modo loquendo de potentia operativa, nō eſt dicendum,quod ſit eſſentialis,ſed perſonalis,quia vere emanat, & procedit à Patre ad eum modum, quo Verbum artificis dimanat ab ipſo artifice,& in hoc ſenſu loquitur Auguſtinus.

263 Secundo arguitur. Eſſentia divina vnitur mentibus beatorum, non ſolum ſub munere ſpeciei impreſſę,ſed etiam ſub munere ſpeciei expreſſæ: ergo Supplet vices Verbi:ergo eſt proprie Verbum,nam eſſe proprie Verbum nihil eſt aliud, quam ſpecies expreſſa. Prob.Ant. nam beati non poſſunt intelligere niſi vel formando ſpeciem expreſſam, vel vniendo ſibi Deum per modum ſpeciei expreſſæ;ſed ſecundum opinionem probabiliorem inter Thomiſtas, non vident Deum formando ſibi ſpeciem expreſſam Dei: ergo vident Deum vniendo illum ſibi per modum ſpeciei expreſſæ: ergo eſſentia divina vnitur mētibus beatorum per modum ſpeciei expreſſæ.

Ad hoc argumentum diſt.Ant.ſub munere ſpeciei expreſſę,quantum ad rationem manifeſtationis expreſſæ, nego Ant.quantum ad rationem clare, & diſtincte manifeſtandi Deum,conc.Ant.& diſt.Conſ.ſupplet vices Verbi,proprie dicti,nego Conſ. lato modo dicti,tranſ.Conſ.& nego ſecundam, quæ infertur. Itaque, eſſentia divina vnitur mentibus beatorum, & in eis duo munia exercet: primum eſt per modū ſpeciei impreſſæ actuare intellectum ad eliciendam viſionem beatam; ſecundum eſt eſſe terminum, in quo contemplentur ipſum Deum,quem vident,& ſecundum hoc munus ſapit rationē Verbi, quatenus Verbum eſt id,in quo contemplatur obiectum; non

non tamen eſt Verbum, quia deficit illi ratio expreſsi, & operati per intellectionem.

264 Tertio arguitur. Ideo in creatis Verbum realiter procedit ab Intelligente, quia obiectum, quod intelligitur, non eſt ſe ipſo intellectum, ſed tantum eſt intelligibile in potentia; ſed Deus à Deo intellectus non eſt intelligibile in potentia, ſed ſe ipſo eſt intellectus: ergo Verbum in Deo ſecūdum ſibi propria non requirit realiter procedere ab Intelligente. Prob. Min. quod ſe ipſo eſt ſuum intelligere, ſe ipſo eſt ſuum actualiter intelligi: ergo Deus ſe ipſo eſt in actu intellectus, & non eſt intelligibilis in potentia.

Ad hoc nego Mai. licet enim ex hoc, quod obiectum, quod intelligitur, non ſit ſe ipſo intellectum, probatur, quod intellectus intelligens illud debeat formare Verbum; non tamen probatur, quod Verbum, quod format intellectus ſic intelligens, debeat realiter ab illo procedere; hoc enim non habet Verbum creatum ex illo capite, ſed ex natura ſua, ex qua habet, quod ſit operatum, & productum per intellectionē: vnde argumentum factum convincit, quod Deus intelligens ſe ipſum, non producit Verbum ex indigentia, quaſi ſi non formaret, intelligere non poſſet: non tamen convincit dari in Deo Verbum proprie dictū, quod realiter à Deo non procedat.

Et ſi inſtes. Si Deus vt perfectiſsime ſe ipſum intelligat, nō indiget formare Verbū: ergo formatio Verbi ſuperflue ponitur in Deo. Ad hoc dico, quod licet Deus Verbum non formet ex indigentia ad intelligendum ſe ipſum, format tamen illud, quia oportet naturam intellectualem in ſupremo analogato, quale eſt Deus, eſſe fœcundam ad intra: etenim ſi omnis natura intellectualis creata fœcundatur ad partū, qui eſt Verbum; oportet pariter, quod natura intellectualis divina fœcunditate non careat, & ſic oportet, quod ab eſſentia divina vnita per modum ſpeciei impreſſæ, non tantum fiat potens intelligere, ſed etiam fœcundetur ad partum conceptus.

Inſtabis. Naturæ Intellectuali, prout reperitur in creaturis, non convenit fœcunditas ad producendum Verbum, niſi ratione indigentiæ ad intelligendum: ergo, cum Deus non habeat indigentiam Verbi ad intelligendum, non erit inconveniens, quod careat fœcunditate ad productionem Verbi: vbi enim ceſſat radix alicuius effectus, ibi ceſſat talis effectus, ergo ſi indigentia Verbi ad intelligēdū eſt radix fœcunditatis ad producendum verbum, hæc ceſſante in Deo, non ponetur fœcunditas ad producendum Verbum.

Ad hoc poſſem diſtinguere Ant. ratione indigentiæ ad intelligendum, tanquam ex cauſa ſufficienti, conc. Ant. tanquam ex cauſa adæquata fœcunditatis, nego Antec. forſam enim natura intellectualis creata Verbum produceret, eſto illo ad intelligēdum non indigeret: neque enim implicat, quod poſtquā quis intelligit aliquod obiectum ſe ipſo, poſtmodum formet Verbum, quo exprimat id, quod de tali obiecto intellexit: vnde licet bene valeat, natura intellectualis creata indiget ad intelligēdum Verbo: ergo format Verbum; non tamen valet, format Verbum: ergo indiget Verbo ad intelligendum; quia ſi per poſsibile, vel impoſsibile non indigeret, adhuc ex alio capite Verbum formaret; & ſic ſtat bene Deo non convenire indigentiam Verbi ad intelligendum, & nihilominus convenire illi fœcunditatem ad formandum Verbum.

Explico totum hoc. In Verbo duo ſunt, videlicet eſſe id, in quo obiectum contemplatur, & ratio dicti, quæ eſt terminus locutionis interioris, qua quis per Verbū, quod format, interius loquitur ſibi id, quod de obiecto intelligitur, ſicut & poteſt alijs dicere per verba externa: quando intellectus noſter cognoſcere vult obiectū, quod ſe ipſo non eſt intellectum, tunc indiget formare Verbum ex primo capite, nempe ex quo Verbū eſt id, in quo manifeſtatur obiectum; non autem ex ſecundo capite, quia poterat intelligere, & ſibi non dicere id, quod interius intelligeret, ſicut faciūt beati, qui Deum intelligunt; & tamen non ſibi dicunt id, quod de Deo cognoſcunt, quia Verbum non formant: vnde fit, quod ſi per poſsibile, vel impoſsibile obiecta creata per ſe ipſa intelligerētur, intellectus noſter non indigeret Verbo ad intelligendum; indigeret tamen Verbo ad loquendum interius, & ad dicendum ſibi id, quod de obiecto intelligeret. Vnde formationis Verbi aſsignantur duæ radices, alia ad intelligendum, & alia ad loquendum interius: intellectui ergo noſtro convenit formare Verbum ex indigentia ad intelligendum, & ex indigentia ad loquendum ſibi; Deo autē convenit formare Verbum, non ex indigentia ad intelligendum, ſed ex indigentia ad loquendum, & dicendum ſibi id; quod

cog-

cognoſcit de ſeipſo: vnde licet fœcunditas Dei non conveniat illi ex prima indigentia, convenit tamen illi ex ſecunda.

Ex dictis colligo D. Tho. ad notitiam perfectam huius quæſiti paulatim perveniſſe. Etenim in primo, diſt. 27. tenuit illam ſententiam, quæ ponit in prædicatis divinis eſſentialibus propriam rationem Verbi, & ſic dixit propriam rationem Verbi aliquādo eſſe eſſentialem, aliquando perſonalem; poſtmodum tenuit in diſputata citata de verit. quod erat probabilis vtraque ſententia, tam quæ affirmat, quam quæ negat Verbum in divinis dici tantum perſonaliter: & tandem, hic q. 34. ar. 1. vltimate ad veritatem pervenit, dum abſolute reſolvit Verbum in divinis, ſecundum propriam acceptionem, tantum dici perſonaliter.

§. III.

Vtrum Verbum procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo formaliter?

265 CVM Divinitas ſit formaliter abſoluta, & formaliter relativa, ea, quæ conveniunt Deo formaliter, dividuntur per relativa, & abſoluta: procedit ergo præſens quæſitum tam de formaliter relativis, quam de formaliter abſolutis. Et quidem quod formaliter procedat ex cognitione omnium abſolutorum, ſive eſſentia, ſive attributa ſint, nulli eſt dubium; nam Verbum divinum, cum ſit eiuſdem naturæ cum Patre, per ſe requirit, quod ſibi communicetur natura cum proprietatibus abſolutis, quas Pater poſſidet: cumque hæc communicatio fiat per cognitionem, fit etiam apud omnes certum, quod Verbum per ſe petit procedere ex cognitione omnium abſolutorum Dei.

Diſcrimen autem eſt in eo, vtrum Verbum per ſe, & non ſolum concomitanter, procedat ex cognitione omnium perſonarum. In quo puncto elucidando Scotus in 2. diſt. 1. q. 2. §. *Quantum ad hoc igitur dico*, quantum ad productionem perſonarum diſcurrit ſic. Ponit enim primum inſtans naturæ, in quo ſimpliciter intelliguntur produci perſonæ ad hunc modum: etenim in illo primo inſtanti intellectui Patris tantum offertur eſſentia divina, vt intelligibilis per intellectum, & vt amabilis per voluntatem: cuius aſsignat rationem, quia pro tunc tantum offertur illud obiectum, quod ex ſe primo intelligibile, & primo amabilē eſt; hoc autem (inquit) tantum eſt eſſentia divina, non perſona, neque Filij, neque Spiritûs Sancti, quorum intelligibilitas, & volibilitas convenit illis per productiones intellectus, & voluntatis: ergo (inquit Scotus) Pater circa eſſentiam divinam comparatam cum eius intellectu operatur perfecte intelligendo illam, & quia illa obiectū infinitum eſt, ex memoria illius producit Verbum infinitum, & hæc eſt productio ſimpliciter Verbi, & per hanc productionem illi communicat ſuam voluntatem, & per voluntatem, quæ intelligitur eſſe in Patre, & Filio, circa eſſentiam divinam, quæ eſt ex ſe primum volibile, operatur volendo illam, & deinde ſpirando producit perſonam Spiritus Sancti, & his productis, finitur primus ordo naturæ. Vnde patet, quod iuxta Scotum Verbum tantum producitur ex notitia eſſentiæ divinæ, & Spiritus Sanctus tantum producitur ex amore eiuſdem eſſentiæ divinæ. Quod ipſum repetit de Spiritu Sancto in primo, diſt. 32. q. 1.

Pater Vazquez hic, diſp. 142. ar. 4. aſſerit Verbum divinum non procedere per ſe ex cognitione Spiritus Sancti, nō quia cognitio, qua Verbum producitur, non ſit per ſe cognoſcitiva, intuitiva que Spiritus Sancti; ſed quia, quod ſit Spiritus Sancti cognitio, non per ſe requiritur ad cognitionem Verbi, nam ſi per poſsibile, vel impoſsibile nō daretur Spiritus Sanctus, adhuc illa cognitio haberet omnia requiſita per ſe ad productionem Verbi, & Filij. Itaque aliud eſt, quod convenit prædictæ cognitioni per ſe, & eſſentialiter, & aliud, quod convenit illi per ſe, vt cauſa, & principium Verbi; per ſe quidem in primo modo dicendi per ſe convenit prædictæ cognitioni eſſe notitiam intuitivam omnium, quæ ſunt in Deo formaliter: ſed non convenit illi cognitioni, eſſe cognitionem Spiritus Sancti perſeitate cauſæ, & principij Verbi. Ita Vazquez, quē ſequitur Alarcon hic, diſp. 8. citatque pro ea Turrianum, Egidium Luſitanum, & alios.

Tertia Sententia docet Verbum per ſe procedere ex cognitione eſſentiæ, & primæ perſonæ, non vero ex cognitione ſui & Spiritus Sancti. Ita Puteanus in præſenti dubit. 2. Concluſ. vltima, & quidam alij, quos ſine nomine refert Arrubal hic, diſp. 123. cap. 5. Quarta ſententia affirmat Verbum divinum procedere per ſe ex cognitione omnium, quæ Deo conveniunt formaliter, ſive relativa ſint, ſive abſoluta, excep-

ceptis decretis liberis, prout terminantur ad creaturas vt libere volitas. Ita tenent communiter Thomiſtæ omnes.

§. IV.

Refellitur ſententia Scoti.

266 CVM Scotus affirmet Verbum divinum ſolum per ſe procedere ex cognitione abſolutorum, ſufficienter impugnabitur, ſi probaverimus cōtra illum per ſe procedere ex cognitione Patris, ideoque talem ſtatuo concluſionem. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione Patris Æterni. Prob. Cōcluſio. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione omnium eorum, quæ intelliguntur ad eſſe in illo primo ſigno, quo notionaliter intelligit Filium; ſed indiſpenſabiliter pro illo primo ſigno intelligitur ad eſſe Paternitatem: ergo per ſe procedit ex cognitione Patris. Conſ. eſt bona, & Mi. videtur certa, nam illo primo ſigno indiſpenſabiliter intelligitur Patrem intelligere ſeipſum: ergo in illo primo ſigno indiſpenſabiliter ad eſt Paternitas. Mai. autem probatur. Filius, ſeu Verbum per ſe procedit ex cognitione, qua Pater comprehendit ſe; ſed cognitio comprehenſiva Patris per ſe eſt cognitio omnium eorum, quæ formaliter habet Pater in illo ſigno, quo primo intelligit ſe: ergo Verbũ procedit per ſe ex cognitione omnium, quæ formaliter conveniunt Patri in illo primo ſigno, quo primo intelligit ſe.

Dices cum Scoto. In illo primo ſigno, qua Pater intelligit ſe, adeſſe Paternitatem; non tamen ad eſſe, vt intelligibilem pro illo primo ſigno, quia in illo tantum offertur intelligibile id, quod per ſe, & ratione ſui intelligibile eſt: Paternitas autem non eſt intelligibilis per ſe, & ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ, & ſic in illo primo ſigno ſolum cognoſcit eſſentiam, & non Paternitatem.

Sed contra eſt. Eſto eſſentia divina tantum ſit per ſe cognoſcibilis, non tamen poteſt comprehendi, niſi ratione ipſius cognoſcantur ea, quæ ipſi actu conveniunt in illo primo ſigno; ſed actu illi convenit Paternitas: ergo vt illa cognitio ſit comprehenſio divinæ eſſentiæ in illo primo ſigno, indiſpenſabiliter requiritur, quod ratione eius cognoſcatur Paternitas. Prob. Mai. cognitio comprehenſiva eſſentiæ divinæ debet eſſe talis, quod virtute illius nihil lateat cognoſcentem ex his, quæ illi conveniunt actu, dum comprehenditur; ſed ſi non cognoſcerentur omnia ea, quæ illi inſunt in illo primo ſigno, aliquid ex illis lateret Patrem cognoſcentem: ergo, vt ſit comprehenſiva eſſentiæ pro illo ſigno, non ſufficit, quod cognoſcatur eſſentia, ſed requiritur, quod cognoſcatur ratione eius Paternitas, quæ pro tunc dicitur illi convenire; ſed ponitur à Scotiſtis, quod pro illo ſigno eſſentia divina comprehenſive cognoſcitur: ergo & debet poni, quod non ſolum eſſentia cognoſcatur, ſed etiam quod ratione eſſentiæ cognoſcatur Paternitas.

Præterea. In illo primo ſigno eſſentia divina comprehenditur: ergo cognoſcitur vt radix Paternitatis: ergo cognoſcitur ipſa Paternitas. Secunda Conſ. patet ex prima, & prima prob. nam ad comprehenſionem eſſentiæ divinæ requiritur indiſpenſabiliter, quod cognoſcatur actu ſecundum omnia, quæ illi actu conveniunt; ſed pro priori, quo Pater intelligit ſe, convenit eſſentiæ divinæ radicare Paternitatem: igitur cognoſcitur vt radix Paternitatis. Præterea, vt Pater comprehendat ſe, non ſufficit videre eſſentiam divinam ex terminis, ſed requiritur cognoſcere illam, vt eſt Patris: ergo requiritur cognoſcere illam, vt in perſona Patris radicat Paternitatem. Prob. Mai. vt Pater comprehendat ſe, requiritur cognoſcere eſſentiam vt ſpectat ad Patrem, prout ſic enim tantum poteſt ducere in cognitionem Patris; ſed vt ſpectat ad Patrem, radicat Paternitatem: ergo requiritur cognoſcere illam, vt radicat Paternitatem.

Dices, Patrem ſolum cognoſcere id, quod exprimit in Verbo ſuo; ſed in Verbo non exprimit naturam, vt eſt Patris, ſed ſolum exprimit naturam ſuam, quia natura, vt eſt Patris, non eſt in Filio, ſed ſolum eſt in Patre: igitur in illo primo ſigno ſolum cognoſcit naturam, non vero Paternitatem. Sed contra eſt. Nam licet Pater cognoſcendo ſe, ſolum communicet phyſice naturam ſuam, & non communicet ſuam Paternitatem; communicat tamen naturam, quæ vere repræſentat Patrem: Verbum enim non eſt Trinitas; & tamen repræſentat perfectiſsime Trinitatem: ergo ex ſolutione data non convincitur, quod Pater cognoſcendo ſe, ſolum cognoſcat naturam ſuam, & non cognoſcat Paternitatem ratione ſuæ naturæ. Præterea. Verbum in nullo ſigno eſt Pater; & tamen in ſecũdo

ſig.

Digitized by Google

ſigno verè repræſentat Paternitatem: ergo, & poterit in primo ſigno perfectiſsimè accipere repræſentationem Paternitatis ſine eo, quod Pater in eſſe phyſico ei communicet eſſe Patrem.

Explicatur hoc. Eſto Pater non communicet Filio ſuam Paternitatē; communicat tamen Filio repræſentationē perfectiſſimam ſuæ Paternitatis, quia per eſſentiam, quam Verbū accipit à Patre, perfectiſsimè repræſentatur Paternitas; & non poſſet Filio communicare repræſentationem ſuæ Paternitatis, niſi Pater cognoſcendo ſuam Paternitatem, illum produceret: ergo verè in illo ſigno in quo eum producit, cognoſcit ratione eſſentiæ divinæ ſuam Paternitatem. Prob. Min. Verbum non habet repræſentare ex vi ſuæ proceſsionis niſi id, quod Pater cognoſcit, dum illam format: ergo ſi ratione ſuæ eſſentiæ habet repræſentare Paternitatem, vere in ſigno, quo Verbū format, habebit cognoſcere illam.

Secundo impugno modū dicendi Scoti. Nam inter naturam divinam, & Paternitatem nulla datur prioritas in quo; aliàs ſecundū exiſtere, eſſentia eſſet prior Paternitate, quod nequit admitti: ergo perfectè cognoſcens ſe ipſum, quale eſt Pater, ſimul omni ſimultate ſigni in quo cognoſcit eſſentiam, & Paternitatem: chymerica eſt ergo illa cognitio, qua ſic in ſigno aliquo cognoſcit Pater naturā quod in eodē ſigno nō cognoſcat Paternitatē. Præterea. Pater in ſigno, quo producit Filiū, cognoſcit ſe ipſum comprehenſive; & ſi ſolū naturā cognoſcat, & nō Paternitatē, ſe ipſum comprehendere non poterit, cū ei deficiat cognitio proprij conſtitutivi, quod eſt Paternitas: ergo in illo ſigno, in quo Verbum format, cognoſcit Paternitatem.

Præterea. Eſto ſola eſſentia ſit obiectū per ſe cognoſcibile, & attributa abſoluta non cognoſcantur niſi ratione eſſentiæ; tamen in illo ſigno, quo Pater producit Verbū, non ſolū cognoſcit eſſentiā, ſed etiā cognoſcit attributa abſoluta ratione eſſentiæ primario cognitæ: ergo; & cognoſcet proprietates perſonales, quamvis non ſint cognoſcibiles niſi ratione eſſentiæ. Ant. admittitur à Scoto. Et Conſ. prob. nam Ant. eſt verū, quia eſſentia nequit cōprehendi, non cognitis proprietatibus abſolutis; ſed etiā nequit comprehendi, niſi cognoſcātur proprietates relativæ, ſaltim illæ, quæ pro illo ſigno conveniunt eſſentiæ: ergo, cum Paternitas ſit proprietas, & conveniat eſſentiæ pro illo primo ſigno, non poterit cognoſcere comprehenſive eſſentiam, quia pro illo tunc cognoſcat Paternitatem.

§. V.

Solvuntur Argumenta Scoti.

267 PRIMO Arguit Scotus. Nam intelligere divinum in primordiali ſuo eſſe, tantum terminatur ad eſſentiam divinam: ergo Verbum, quod tunc producitur ſolum procedit ex cognitione eſſentiæ divinæ. Conſeq. eſt bona, & Antec. prob. nam intelligere Dei in primordiali tendentia ad obiectum ſuum, tantum terminari poteſt ad illud, quod omni modo ratione ſui eſt per ſe intelligibile; ſed ſola eſſentia divina omni modo ratione ſui eſt per ſe intelligibilis, cùm omnia divina ratione eſſentiæ habeant intelligibilitatem: ergo intelligere divinum in primordiali tendentia ad ſuum obiectum, tantum terminatur ad eſſentiam divinam.

Ad hoc argumentum nego Antec. Ad prob. diſt. Mai. ſi dictio *tantum* excludat alia divina à ratione obiecti primarij, conced. Mai. ſi excludat alia divina à ratione obiecti terminantis divinā intellectionē, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. ſi ly *tantum* excludet alia divina à ratione obiecti terminantis primario conc. Conſ. ſi excludat à ratione obiecti terminantis in eodem ſigno, nego Conſ. Itaque veriſsimū eſt, quod intelligere in ſua primordiali tendentia, tantum terminatur ad eſſentiā divinā tanquam ad obiectum primariū, quia alia divina non terminant niſi ratione eſſentiæ divinæ, in qua ſola habetur ratio primarij ſpecificativi divini intelligere; falſiſsimum autem eſt, quod in eodē ſigno, in quo terminatur ad eſſentiam divinam, vt ad obiectum primarium, non terminetur ſimul ad alia divina tanquam ad obiectum ſecundarium, nam ratio illa primarij non conſiſtit in eo, quod in vno ſigno eſſentia attingatur, & alia divina attingantur in ſignis ſubſequentibus; etenim ſi in hoc conſiſteret, non attingerentur attributa abſoluta in illo primo ſigno, in quo eſſentia primo attingitur, ſiquidem attributa abſoluta non ſunt obiectum primarium, ſed ſecundarium, & ſic argumentum factum ſolum concludit, quod Verbum non procedat ex cognitione per-

Digitized by Google

ſonarum , tanquam ex obiectis primario cognitis;non vero cōcludit,quod non procedat ex cognitione perſonarum tanquam ex obiecto ſecundario cognito in eodem ſigno,in quo cognoſcitur primarium.

Sed contra ſolutionem inſto. Diſtinctio obiecti primarij,& ſecundarij,quæ reperitur inter eſſentiam , & perſonis ſufficit,vt in aliquo ſigno attingatur eſſentia, & in alijs attingantur perſonæ: ergo ſufficiet etiam,vt in illo ſigno,in quo ſolū cognoſcitur eſſentia,producatur Verbū ex ſola cognitione eſſentiæ, prob.Ant. nam iuxta diſtinctionem obiectorū,quæ attinguntur, debent quoque ſecundum rationē diſtingui ſigna:ergo ſi inter eſſentiā, & perſonas datur diſtinctio obiecti penes primarium , & ſecundarium, poterunt pariter per noſtros cōceptus diſtingui duo ſigna rationis, quorum primum menſuret ſolam attingentiā obiecti primarij , & aliud menſuret attingentiam obiecti ſecundarij.

Secundo inſto. Nam hoc ipſo , quod eſſentia attingitur primario, & perſonæ ſecundario , poterit Verbum procedere ex cognitione eſſentiæ vt primario cognitæ, quantum ad id,quod eſt primarium in Verbo, & ex cognitione aliorum, quantum ad id,quod ſecundarium in illo eſt : ergo ſalvabitur,quod quantum ad id,quod eſt primarium in Verbo , Verbum procedat ex ſola cognitione eſſentiæ , licet quo ad id, quod eſt ſecundarium in illo , procedat ex cognitione perſonarū,prob.Ant.nam divinum intelligere non minus eſt potens exprimere ſolam naturā primario per expreſſionem conceptus,quam ſit potens illā attingere contemplando; ſed eſt potens intelligere primario ſolam naturā , qui primario perſonas intelligat:ergo,& erit potens exprimere in Verbo ſolam naturā primario,quin primario exprimat perſonas.

Ad primam, nego Ant. ad prob. diſt. Conſ.duo ſigna originis,conc.Conſ. durationis,vel in quo,nego Conſ.Itaque,quando duo obiecta comparantur vt primariū, & ſecundarium,tantum per prioritatem,& poſterioritatem originis,non poſſumus diſtinguere duo ſigna in quo , vel duo ſigna, in quorum vno inveniatur vnum exiſtere, & non alterum;ſed tantum poſſumus diſtinguere duo ſigna à quo , quia ordo inter ſigna diſtincta , non poteſt aſsignari , niſi iuxta ordinem , qui reperitur inter obiecta intellecta : cum ergo inter eſſentiam, & perſonas tantum habeatur ratio primarij , & ſecundarij penes puram originem; hoc eſt, quia eandē intelligibilitatē, quam habet eſſentia, habent perſonæ; verum eſſentia habet illam à ſe, & perſonæ ab eſſentia: fit inde,quod eſſentiam intelligi vt obiectum primarium, & perſonas vt obiectū ſecundarium, non ſit prius eſſentiam intelligi,& deinde perſonas,ſed ſit omnia ſimul intelligi; cum hoc tamen ordine , quod eſſentia habeat à ſe illud intelligi , perſonas vero illud habeant ab eſſentia.

Ad ſecundam concedo totum. Nam obiecta exprimuntur in conceptu eo ordine, quo cognoſcuntur : cum ergo alterum cognoſcatur primario , & alterum ſolū ſecundario , ita Verbum quoad primarium procedit ex cognitione primarij , & quoad ſecundarium ex cognitione ſecundarij: neque ex hoc ſequitur aliquid in favorem Scoti, qui prætendit in primo ſigno Verbum procedere ex ſola cognitione eſſentiæ , ſic , quod in illo nec primario , nec ſecundario procedat ex cognitione perſonarum ; nos autem dicimus, quod licet quoad ſibi primarium ſolum procedat ex cognitione primarij;in vno tamen ſigno rationis procedit quoad primariū ex cognitione primarij , & quoad ſecundariū ex cognitione ſecundarij.

268 Secundo arguit Scotus. Verbū per ſe procedit ex cognitione illius , quod per ſe repręſentat ; ſed repræſentat tantum eſſentiam , & non Paternitatem : ergo ex cognitione ſolius eſſentiæ per ſe procedit. Prob.Min.nam Verbum repręſentat Patrē vt imago illius;ſed nō eſt imago Patris ratione Paternitatis,ſed ratione eſſentię , cū ſolum aſsimiletur Patri in eſſentia,& nō in Paternitate : ergo per ſe repręſentat tantū eſſentiam Patris,non autem Paternitatem.

Ad hoc nego Min. ad prob. diſt. Min. Verbum eſt imago Patris ratione eſſentiæ , inadęquate , conced. Min. adęquate, nego Min. nam , vt docet Div. Thom. quæſt. ſequenti , art. 1. duo ſunt de ratione imaginis, ſimilitudo ſcilicet, & origo,ſeu expreſsio: vnde imago non ſolū repręſentare debet id,in quo eſt ſimilitudo,ſed etiā id,a quo tanquā à principio procedit;& cōſequenter Verbum,vt imago,non ſolū repræſentat per ſe Patris naturam, ſed etiam adæquatum principium , à quo procedit, ac proinde ipſam relationem Paternitatis , quæ per ſe requiſita eſt in principio quo per modum connotati. Nec ex eo , quod ſolum in natura ſit ſimilitudo,

ſe-

Digitized by Google

recte colligitur eſſe imaginem Patris ſolum ratione naturę, quia ad rationem imaginis non ſolum ſimilitudo, ſed etiam diſtinctio exigitur.

Secundo reſpondetur diſtinguendo Mai. Verbum per ſe procedit ex cognitione illius, quod per ſe repræſentat, id eſt, quod repræſentat tantum primario, nego Mai. quod per ſe repræſentat, ſive vt primarium, ſive vt ſecundarium repræſentatum, conc. Mai. & diſt. Min. Sed per ſe repræſentat tantum eſſentiam, & non Paternitatē, ſi ly *tantum*, excludat à ratione primario repræſentati, conc. Min. ſi ly *tantum* excludat a primario, & ſecundario, nego Min. & nego Conſequentiam. Itaque Verbum divinum per ſe habet repræſentare, nō ſolum primarium repræſentatum, ſed etiā ſecundarium, ſine quo comprehensive primarium repræſentari non valet; ſine repręſentatione autem perſonæ Patris eſſentiam comprehensive repræſentare non valet, & ſic per ſe convenit illi, non ſolum repræſentare eſſentiam, ſed etiam Paternitatem, & ſic habet procedere per ſe, non ſolum ex cognitione eſſentię, ſed etiā ex cognitione Paternitatis. Nec dicitur Verbum imago Patris, quia ſolum repræſentet eſſentiā, quæ eſt in Patre, ſed quia repræſentat eſſentiam Patris, vt Patris eſſentia eſt, quod fieri nō valet, niſi Paternitatem repræſentat. Nec huic doctrinæ obſtat, quod Verbum in eo quod tale, non aſsimiletur Patri, quia Verbum non eſt Pater. Non inquā obſtat, quia licet Verbum, ex proprijs Verbi, non habeat ſimilitudinem cum Patre; habet tamen naturam Patris, quæ primo, & per ſe repræſentat ſeipſam, & ſecundario Paternitatem, tum quia radicat illam, tum quia ſumme realiter identificatur cum illa, tum quia Pater illam exprimit in Verbo ſuo.

§. VI.

Refellitur doctrina Puteani.

269 PVTEANVS, vt vidimus ſuprà, dictabat Verbum per ſe tantum procedere ex cognitione primæ perſonæ; non vero ex cognitione ſui ipſius. Contra iſtum ergo Authorem talem ſtatuo concluſionem. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione ſui ipſius. Probatur rationibus, quibus vtuntur Thomiſtæ. Etenim iſte Author admittit Verbū divinū per ſe procedere ex cognitione Patris Æterni: ergo debet concedere, quod per ſe procedat ex cognitione Verbi, quod eſt Filius. Prob. Conſ. Nam Filius, & Pater, cum ſint correlativa, debent eſſe ſimul natura, & cognitione, ſic, quod ſicut nequit exiſtere Filius non exiſtente Patre, nec Pater non exiſtente Filio, ſic nequeat comprehenſive cognoſci Pater, quin Filius cognoſcatur comprehenſive: ergo ſi per ſe Verbum procedit ex cognitione Patris, debet quoque per ſe procedere ex cognitione Verbi, quod eſt Filius.

Aliqui prætendunt ſolvere hanc rationē dicentes, quod Verbum per ſe procedit ex cognitione Paternitatis ſub conceptu formæ hypoſtaticę, non vero ſub expreſſo cōceptu Paternitatis: ſub primo autē conceptu, non dicitur correlative ad Filium, & ſic non eſt neceſſe, quod ſit ſimul natura, & cognitione cum illo.

Sed hæc ſolutio non enervat vim argumenti facti. Nam licet per noſtros conceptus imperfectos poſsimus diſtinguere inter Paternitatem ſub conceptu formę hypoſtaticæ, & conceptum expreſſum Paternitatis; tamen cognitio comprehenſiva, & perfectiſsime intuitiva relationis Paternitatis, nequit terminare ad Paternitatem ſub munere formæ hypoſtaticæ, quin terminetur ad illam ſub expreſſo conceptu Paternitatis; ſed relatio Patris, ſecundum expreſſum conceptum Paternitatis, nequit perfecte cognoſci, quin cognoſcatur Filius, qui eſt Verbum: ergo Verbū, quod Filius eſt, per ſe procedet ex cognitione Filij, ſeu ex cognitione ſui ipſius. Conſeq. cum Minori patent. & Mai. prob. cognitio Paternitatis, tantum vt forma hypoſtatica, eſt cognitio tantum inadæquata Paternitatis: nam, eſt ſolum cognitio Paternitatis ſolum quoad vnam formalitatem eius, & non eſt cognitio omnium, ex quibus coaleſcit Paternitas; at cognitio comprehensiva relationis Patris, debet eſſe cognitio eius quoad omnes formalitates eius: res enim non perfecte comprehenditur, niſi quoad omnes ſuas formalitates cognoſcatur: ergo cognitio comprehenſiva Paternitatis, debet eſſe cognitio illius ſecundum quod forma hypoſtatica eſt, & etiam ſecundum expreſsionem Paternitatis.

Secundo prob. Concluſio. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione comprehenſiva eſſentiæ divinæ: ergo procedit ex cognitione filiationis: ergo ex cognitio-

Digitized by Google

ne ſui ipſius. Secunda Conſ. patet ex prima, & prima prob. eſſentia divina vt comprehendatur, debet cognoſci, non ſolum ſub munere eſſentiæ, ſed etiam vt radicat filiationem, nam debet cognoſci, vt cognoſcibilis eſt; eſt autem cognoſcibilis, vt radicans filiationē: vt ergo comprehendatur, debet cognoſci vt radix filiationis; prout ſic autē nequit cognoſci, niſi cognoſcatur filiatio; ergo ſi eſſētia divina cognoſcitur comprehenſive, debet ex vi illius cognoſci filiatio.

Reſpōdet Puteanus, quod pro illo priori, pro quo Pater comprehendit ſe, non adeſt filiatio, & ſic quamvis eſſentia comprehendatur, non tamen filiatio cognoſcitur. Sed contra. Nam licet filiatio ſit poſterior origine ipſa Paternitate, tamen quoad exiſtentiam indiſpenſabiliter eſt ſimul cum illa: ergo pro priori, quo Pater comprehendit ſe, iam adeſt filiatio: ergo dum eſſentia comprehenditur, ipſa filiatio ſibi coętanea, etiam indiſpenſabiliter cognoſcitur. Explicatur hoc. Prioritas, & poſterioritas ſecundum originem, in eo ſolum ſtat, quod cum omnia divina ſint ſimul pro quocumque ſigno, tamen vnum ab altero ſit; ſemper enim, & pro ſemper eſt eſſentia divina, & etiā Paternitas; ſed Paternitas eſt ab eſſentia, vtpote eius proprietas, & ſic ſecundum rationē eſt origine poſterior ipſa eſſentia; ſemper, & pro ſemper eſt Paternitas, & ſimiliter filiatio; ſed filiatio eſt poſterior origine ipſa Paternitate, quia eſt à Patre: vt ergo eſſentia cōprehēdatur, requiritur, quod ex vi illius cognoſcatur omne id, quod ſimul tecum in exiſtendo habet cum illa; cū ergo in exiſtendo filiatio ſimul ſit cum eſſentia, quamvis remote ſit ab illa, & eſt media Paternitate, erit neceſſe, quod pro quocumque ſigno cognoſcitur comprehenſive eſſentia, etiam cognoſcatur filiatio.

§. VIII.

Solvuntur argumenta Puteani.

270 PRIMO Arguit. Sola intellectio eſſentiæ prout in Patre, eſt fœcunda ad Verbi productionem: ergo Verbum ex ſolius eſſentiæ, & Paternitatis cognitione per ſe procedit. Conſeq. videtur bona, & Ant. prob. ex communi doctrina aſſerente intellectionem ad generandum fœcunditatem eſſe propriam Patris: ergo ſola intellectio eſſentiæ prout in Patre, eſt fœcunda ad generandum.

Ad hoc argumentum diſting. Ant. Sola intellectio eſſentiæ divinæ prout in Patre, eſt fœcunda ad generationem, ſola intellectio eſſentiæ egreſſive, conc. Ant. egreſſive, & terminative, nego Ant. & Conſ. Itaque intellectio eſſentiæ vt in Patre, dupliciter conſiderari debet: primo egreſſive, id eſt quatenus à principio productivo activè; & iſto modo veriſsimum eſt, quod ſola cognitio eſſentiæ prout in Patre, eſt fœcunda ad generandū, quia ſolus Pater eſt, qui activè generat; alio modo poteſt intelligi ſola cognitio eſſentiæ terminative, quaſi velit dicere, quod ſola cognitio eſſentiæ, id eſt, prout terminata ad eſſentiam prout in Patre, ſit ſufficiens ad generandū, & iſto modo propoſitio præfata eſt falſa, quia cum cognitio fœcunda ad generandum debeat eſſe comprehenſiva eſſentiæ divinę, & hæc nequeat comprehendi, niſi omnia divina cōprehendantur, falſiſsimum erit, quod ſola cognitio eſſentiæ prout in Patre, ſit fœcunda ad generandum.

271 Secundo arguitur. Filiatio in eo primo ſigno, in quo divina intellectio terminatur ad eſſentiā, non eſt cognoſcibilis: ergo Verbum per ſe non procedit ex cognitione filiationis. Conſ. eſt bona, & Ant. prob. nam notitia intuitiva ſupponit ſuum obiectū exiſtens; ſed filiatio in illo ſigno, in quo intellectio Patris terminatur ad eſſentiā, non ſupponitur exiſtens, cū non ſupponatur productus Filius: ergo in illo primo ſigno filiatio non eſt cognoſcibilis.

Aliqui hoc argumento convicti negant Filiū procedere ex cognitione ſui intuitiva, quia hæc præſupponit ſuum obiectū in ſua exiſtentia, & pro illo priori, pro quo primo illa cognitio terminatur ad eſſentiam, Filius nondum intelligitur exiſtere, & ſic illa cognitio eſt Filij, non intuitiva, ſed ſolum abſtractiva. Cæterū hæc doctrina admitti nō valet, nam ſi in illo ſigno, in quo intelligitur cognitio Patris terminari ad eſſentiam prout in Patre, Filius non intelligitur, vt exiſtens, cū tamen de facto intelligatur, intelligetur indiſpēſabiliter, vel vt poſsibilis, vel vt futurus: qui ſtatus rerū vere repugnat Filio Æterni Patris; vel intelligetur in ſtatu imaginario, quæ omnia falſiſsima ſunt: debet ergo in quocumque ſigno, in quo intelligitur cognitio Filii, Filius exiſtere, & ſic illa notitia erit intuitiva, & non abſtractiva Filii.

Aliter ergo alii reſpondent, quod notitia intuitiva eſt duplex, alia productiva ſui obiecti, alia mere ſpeculativa illius: hæc

ſecunda præſupponit ſuum obiectum ſub exiſtentia, quia cum prout ſic obiectum ſuum vt exiſtens contempletur, & prout ſpeculativa non faciat ſuum obiectum exiſtere, debet præſupponere exiſtens; prima autem notitia intuitiva facit ſuum obiectũ exiſtere, & ſic non præſupponit ſui obiecti exiſtentiam, ſed eſt ſimul cum exiſtentia ſui obiecti: cognitio ergo Patris in illo ſigno, in quo ad eſſentiam comprehendendo illam, terminatur, producit Filium ſub exiſtentia, & ſic fertur intuitive ad Filium exiſtentem, non exiſtentia præſuppoſita ad illam, ſeu exiſtentia ſimul cum illa. Optima eſt hæc ſolutio.

Sed inſto: vt Filius fiat ex cognitione ſui, non ſufficit, quod per cognitionem ſui producatur, ſed vlterius requiritur, quod cognitio ſui ſit origine prior ipſo Filio producto ex illa; at hoc nequit intelligi habere veritatem: ergo Filius non producitur ex cognitione ſui. Conſeq. eſt bona, & probantur præmiſſæ; Mai. quidem, nam id, quod producitur ex alio, eſt poſterius origine illo, ſiquidem poſterioritas originis in eo ſolum ſtat, quod vnum ab alio ſit: ergo ſi Filius producitur ex cognitione ſui, erit poſterior ſui cognitione, poſterioritate originis. Min. etiam prob. nam Filius, vt productus ex cognitione ſui, debet eſſe poſterior ſeipſo vt cognito, poſterioritate originis; at implicat intelligere Filium vt productum eſſe poſteriorem origine, ſeipſo vt cognito: ergo, & implicat intelligere, quod Filius procedat ex cognitione ſui ipſius. Conſeq. cum Minori patent, & Mai. prob. Filius vt cognitus eſt ſimul origine cum cognitione ſui; ſed Filius vt productus eſt poſterior origine cognitione ſui: ergo de primo ad vltimum Filius vt productus eſt poſterior origine, ſeipſo vt cognito.

Ad hoc nego Min. ad prob. nego Mai. ad prob. nego etiam Mai. cum enim Filius in eſſe Filij producatur per ipſam ſui cognitionem, eſt à ſui cognitione, & ſic eſt poſterior origine cognitione ſui. Sed contra evidenter inſto, quod fit per ſui cognitionem, non fit ex ſui cognitione: ergo ſi Filius fit ex hoc ipſo, quod cognoſcitur, fit per ſui cognitionem, non vero ex ſui cognitione. Ad hoc nego Ant. Etenim dum dicimus Filium produci ex cognitione ſui, tantum volumus dicere, quod cognitio ſui habeat vim ad Filij productionem; hoc autem boniſsime componitur cum hoc, quod eſt fieri per ſui cognitionem; & ſic bene componuntur, quod Filius producatur per ſui cognitionem, & quod producatur ex cognitione ſui.

Sed inſtas. Vis ad producendum Filiũ convenit cognitioni, non ſolum ex quo egreditur à Patre, ſed etiam ex quo terminatur ad Filium vt cognitum; ſed Filius producitur ex hac vi, & eſt illa origine poſterior: ergo etiam erit poſterior origine ſeipſo vt cognito; hoc autem non eſt dicendum: ergo. Ad hoc nego Mai. vis enim productiva Filij non convenit cognitioni ex obiecto cognito, ſed ex hoc, quod eſt à Patre; à Paternitate tantum, dum habet fœcunditatem, habet quoque vim tãtum Filij productivã: vnde ſolus Pater habet producere Filium per cognitionẽ ſui, & aliarum perſonarum.

Tertio arguitur, & erit replica contra ſolutionẽ datam ſecundo argumento. Cognitio productiva Filij prius eſt contemplativa, quam ſit productiva: ergo Filius vt productus eſt poſterior origine ſeipſo vt cognito, vel non producitur ex cognitione ſui; at primum nequit admitti: ergo debet admitti ſecundum. Primum Ant. in quo eſt difficultas prob. nam cum Pater divinus nõ formet Verbum ex hoc, quod illo indigeat ad cognoſcendum id, quod cognoſcit, ſed formet illud ex mera fœcũditate; prius intelligit, quam formet Verbum: ergo cognitio prius eſt contemplativa, &c.

Ad hoc nego Ant. non enim in intelligere Filij, prout exit à Patre, diſtinguuntur duę formalitates, quarũ altera ſit cognitio per modũ contemplationis Filij, & alia ſit pura productio Filij, ſed in tranſitive ipſum cognoſcere Filium, prout exit à Patre, eſt productio ipſius Filij. Ad prob. concedo, quod non format Verbum ex indigentia Verbi ad cognoſcendum ſe, quia ſi per impoſsibile Verbum non formaret, adhuc id ipſum cognoſceret; ex hoc autẽ non ſequitur, quod prius videat Filiũ, & deinde producat illum: neque enim damus puram dictionem, quæ intellectio non ſit, ſed damus intelligere cum fœcunditate ad producendum id, quod intelligitur: vnde intelligit Filium, producẽdo illum, & producit cognoſcendo illum, vnde non datur prioritas, & poſterioritas inter Filium vt cognitum, & vt productum, ſed in tranſitive ipſum intelligi à Patre, eſt produci Verbi, quod in alio non conſiſtit, quam in intelligi.

Digitized by Google

privatio, quia Patri repugnat habere principium. Ad quod reſpondet D. Tho. quod licet Patri non ſit debitum habere principium; alicui tamen ſuppoſito habenti eandem naturam cum Patre, convenit habere principium, nempe Filio, vel Spiritui Sancto, quod ſufficit, vt privationis ratio competat in genito; & ſic in genitum non mera negatio erit in Patre, ſed privatio; ita tamen, quod nullam imperfectionem inducat in Patre.

Quod difficultate non vacat. Nam difficile eſt intelligere rationem privationis præciſam ab omni imperfectione: nam omnis privatio adducit carentiam formæ debitæ; carentia autem formæ debitæ, non poteſt non eſſe imperfectio.

Nec valet ſi dicas, quod carere forma debita illi ſuppoſito, cui convenit carentia, eſt imperfectio; carere autem forma debita alteri ſuppoſito eiuſdē naturæ, non eſt illi imperfectio Nō inquam valet, nam formam eſſe debitam alteri ſuppoſito eiuſdem naturæ cum Patre, vel ponit prædictā formam aliquo modo deberi Patri, vel non; ſi dicatur ſecundum; carere Patrem tali forma, non erit privatio in Patre, & ſic non erit imperfectio: ſi dicatur primū, iam Pater habebit in ſe ipſo carentiam formæ aliquo modo ſibi debitæ: ergo prædicta carentia, non poterit non eſſe imperfectio.

Ad hoc dico, quod carentia eſſe geniti eſt carentia formæ debitæ Patri, non ex quo eſt Pater, ſed ex quo eſt ſuppoſitum naturæ divinæ, ex quo habet, quod illi non repugnet eſſe genitum: vnde huiuſmodi debitum, non eſt debitum exigentiæ alicuius formæ, ſed eſt debitū non repugnantiæ: non enim repugnat Patri eſſe genitū, quia ſuppoſitū naturæ divinæ; ſi enim prout ſic repugnaret, repugnaret omni ſuppoſito, repugnat tamē, quia Pater; carere autem forma, quæ illi non debetur debito exigētiæ, ſed tantū debito non repugnātiæ, privatio eſt, imperfectio non eſt; quia hæc tantum habet locum, cū aliquis non habet id, quod aliquo modo exigit; non vero, cum non habet id, quod ex aliquo ſui prædicato non repugnat habere, ſi tamen illi ex alio prædicato illud habere repugnet: cum ergo Pater ex nullo prædicato ſuo exigat eſſe genitum, ſed tantum hoc illi non repugnet, quia ſuppoſitum naturæ divinæ eſt, cum repugnā ia ex quo Pater eſt, fit inde, quod carere eſſe geniti in Patre, privatio ſit, imperfectio tamen non ſit.

QVÆSTIO XII.

De Perſona Filij.

PERSONÆ Filij tria propriſſima attribuuntur nomina, dicitur enim Filius, dicitur Verbum, & dicitur imago: ratio ergo Filij ſufficienter innoteſcit ex perſona Patris: vnde poſtquam egimus de Patre, non eſt neceſſe agere de perſona Filij, prout hoc nomine *Filius* ſignificatur: agemus ergo de illo, prout ſignificatur nomine *Verbi*, & in ſequenti quæſtione agemus de illo, prout nomine *imaginis* ſignificatur.

§. I.

Vtrùm nomen Verbum in Deo, ſecundum propriam acceptionem, ſolum dicatur perſonaliter?

260 NOMINE propriæ acceptionis poſſumus intelligere, vel proprie, vt diſtinguitur contra commune, qua ratione divina prædicata partimur in communia, & propria; communia dicimus abſoluta, quia omnibus perſonis conveniūt: relativa vocamus propria, quia ſecundum illa perſonæ diſtinguuntur: vel poſſumus intelligere propriè, vt diſtinguitur contra metaphorice, ſicut homo pictus non dicitur proprie homo, ſed metaphorice. In præſenti ergo non loquimur de *proprie* ſecundum primam acceptionem, ſed iuxta ſecundam: prætendimus enim explicare, vtrum in Verbo cōmuniter dicto, vera ratio Verbi inveniatur, an ſolum metaphorice verbum dici poſſit?

Circa quam difficultatem D. Thom. non videtur ſemper eodem loqui modo, nam in primo diſt. 27. art. 1. ſic habet: *Dicendum eſt cum alijs, quod hoc nomen Verbum ex virtute vocabuli poteſt perſonaliter, & eſſentialiter accipi; non enim ſignificat tantum relationem, ſicut hoc nomen Pater, & Filius; ſed imponitur ad ſignificandum rem aliquam abſolutam ſimul cum reſpectu, ſicut hoc nomen ſcientia; ſed in hoc differt, quod relatio, quæ importatur hoc nomine ſcientia, non eſt relatio originis, ſecundum quam refertur ad illud, à quo eſt; ſed eſt relatio ſecundum quam refertur ad illud, ad quod eſt, nempe ad ſcibile; ſed hoc nomen Verbum importat relationem ſe-*

Digitized by Google

cundum quam refertur ad illud, à quo eſt, ſcilicet ad dicentem: huiuſmodi autem relationes in divinis contingit eſſe dupliciter, quædam enim ſunt reales, quæ requirunt diſtinctionem realem, ſicut Paternitas, & Filiatio, quia nulla res poteſt eſſe Pater, & Filius reſpectu eiuſdē; quædam autem ſunt relationes rationis tantum, ſicut relatio, quæ importatur in hoc nomine operatio; habet enim in divinis operatio reſpectum implicitum ad operatorem, à quo eſt; nec tamen in divinis differunt operans, & operatio, niſi ratione tantum: ſi igitur relatio importata per hoc nomen Verbum, ſit relatio rationis, nihil prohibet, quin eſſentialiter dicatur, & videtur ſufficere ad rationem Verbi, ſecundum quod à nobis in Deum tranſumitur, quia in nobis nihil aliud eſt Verbum, quam ſpecies intellecta, vel forte ipſa operatio intelligētis, quorum neutrum realiter diſtinguitur ab eſſentia divina: ſi autem importat relationem realem diſtinctionem exigentem, oportet, quod perſonaliter dicatur, quia non eſt realis diſtinctio in divinis, niſi perſonarum. ſic D. Tho.

Et poſt pauca ſubdit: *Cum enim Verbum ſit ſimilitudo rei intellectæ, prout eſt concepta intellectu, & ordinata ad manifeſtationem, vel ad ſe, vel ad alterum, iſta ſpecies in divinis poteſt accipi dupliciter, vel ſecundum id, quo aliquid in divinis formaliter intelligitur, & ſic cum ipſa eſſentia per ſe intelligatur, & manifeſtetur, ipſa eſſentia erit Verbum, & ſic Verbum, intellectus, & res, cuius eſt Verbum, non differunt niſi ſecundum rationem tantum: vel ſecundum quod ſpecies intellecta nominat aliquid diſtinctum realiter ab eo, cuius ſimilitudinem gerit, & ſic Verbum dicitur perſonaliter.* Quibus, vt patet D. Thom. vult, quod proprie loquendo de Verbo, poſſit dici eſſentialiter, & perſonaliter.

Quæſt. 4. de veritate artic. 2. ita habet: *Ita ergo Verbum intellectus in nobis duo habet de ſua ratione, ſcilicet, quod eſt intellectum, & quod eſt ab alio expreſſum: ſi ergo ſecundum vtriuſque ſimilitudinem Verbum dicatur in divinis, tunc non ſolum importabitur per Verbū divinum proceſſus rationis, ſed etiam rei; ſi autem ſecundum ſimilitudinem alterius tantum, ſcilicet ſecundum quod eſt intellectum, ſic hoc nomen Verbum in divinis non importabit proceſſum realem, ſed rationis tantum: ſicut hoc nomen intellectum, ſed hoc non erit ſecundum propriam Verbi acceptionem, quia ſi aliquid eorum, quæ ſunt de ratione alicuius, auferatur, iam non erit propria acceptio: vnde ſi Verbum proprie accipiatur, in divinis non dicitur niſi perſonaliter; ſi autem accipiatur communiter, poterit etiam dici eſſentialiter; vbi ly communiter idem ſonat, quod improprie, & ſecundum latam ſignificationem.* Sic D. Tho.

In præſenti autem articulo 1. q. 34. reſolutorie dicit, quod Verbum ſi proprie accipiatur, tantum dicitur perſonaliter.

Plures ex diſcipulis D. Tho. hanc quæſtionem reſolvunt per illam diſtinctionem Verbi, qua diſtinguitur in Verbum communiter, & Verbum proprie: dicunt enim, quod Verbum communiter dictum convenit eſſentiæ divinæ, & ſic dicitur eſſentialiter; Verbum autem proprie acceptum tantum convenit Filio, & ſic tantum dicitur perſonaliter. Sic Salmanticenſes hic, & plures quos ipſi referunt. Verum per hoc meo videri difficultas præſens non ſolvitur, quæ in eo ſiſtit, vtrum in Verbo, quod communiter dicitur, vera ratio Verbi inveniatur? de hoc autem nihil iſti authores dicunt: vel tantum metaphorice, ſicut in homine picto, ſola hominis relucet apparentia, non veritas. Vnde melius his Caietanus hic, Magiſter Bañez, & Albeida dicunt, quod hoc nomen *Verbum* proprie loquendo de Verbo, vt diſtinguitur contra impropriam locutionem, tantum dicitur perſonaliter, & nullo modo eſſentialiter.

261 Sit Concluſio. Proprie loquendo de Verbo, vt ly *proprie* diſtinguitur contra metaphorice, Verbum in divinis tantum dicitur perſonaliter. Probatur concluſio ratione D. Tho. hic q. 34. ar. 1. Verbum cordis, proprie loquendo de Verbo, dicitur id, quod immediate procedit ex notitia intelligentis vt expreſſum per illam: ergo Verbum cordis in divinis, proprie loquendo, debet tantum dici id, quod procedit ex notitia Patris intelligentis, vt expreſſum per illam; at hoc neceſſario dicit relationem realem originis: ergo proprie loquendo, Verbum in divinis dicit relationē originis: ergo tantum dicitur perſonaliter, & non eſſentialiter.

Reſp. neg. Min. ſubſumptam. Nam invenimus in divinis quædam, quę originem important, non ſecundum rem, ſed ſolum ſecundum rationem; operatio enim procul dubio ſignificat aliquid procedens ab operante; & tamen proceſſus iſte in Deo non eſt ſecundum rem, ſed ſolum ſecundum rationem.

Sed contra eſt. Nam id, quod tantum ſecundum rationem procedit ab alio, non vere procedit ab illo, ſed tantū eſt id, quod licet non procedat, intelligitur tamē à nobis

bis vt procedens; Verbum autem vere procedit, & non tantum ſignificatur vt procedens: ergo procedit proceſſu ſecũdum rem: ergo dicit relationem originis neceſſario, & indiſpenſabiliter. Ant. quo ad primam partem eſt certum, id enim, quod alicui tantum ex modo noſtro intelligendi convenit, non dicitur rei vere convenire: quo ad ſecũdam autem ſic probo. Nam Verbum eſt id, quod intelligendo quis aliquam rem, vere exprimit de illa re, non ſic, quod per ipſam intellectionem exprimat, ſed ſic, quod per ipſam intellectionem producat ipſam conceptionem, quæ eſt ipſa notitia expreſſa: ergo eſt id, quod vere procedit, & non illud, quod tantum intelligitur vt procedens.

Explicatur hoc. Operatio divina non eſt id, quod procedit à Deo operante, ſed tantum dicitur id, quod noſtro modo intelligendi ſignificatur vt procedens: vnde qui diceret operationem divinam procedere à Deo operante, falſum diceret: qui autem dicit Verbum divinum eſt, quod procedit ex notitia Patris, verum dicit: ergo de cõceptu Verbi non eſt, quod tantum intelligatur vt procedens, ſeu quod vere procedat; id autem quod vere procedit in Deo, veram relationem originis dicit: ergo & dicit relationem realem.

Dices, in nobis non magis dici Verbũ procedere ab intellectu, quam operationem procedere ab operante; & tamen in Deo ponitur operatio propria, quæ intellectio eſt; licet realiter non procedat ab intellectu: ergo & poterit poni Verbũ, quod proprie ſit Verbum, etſi vere non procedat ab intellectu, ſed ſolum ſignificetur vt procedens.

Sed contra hoc eſt. Nam intellectio ideo dicitur in nobis procedere ab intellectu, quia intellectus noſter propter ſui imperfectionem eſt principium in potentia intelligens, & ſic fit intelligens per intellectionem, quæ vere ab illo egreditur; hæc autem ratio non militat in Verbo, quod procedit ab intellectu, etiam facto in actu per ipſam intellectionem: ergo aſcendendo ad Deum, licet ponatur intellectio propria, per hoc, quod intelligatur, & ſignificetur vt procedens; Verbum tamẽ nequibit proprie poni, niſi vere, & ſecundum rem procedat ab intellectu. Patet Conſ. quia Verbum vere procedere ab intellectu adhuc facto in actu per vltimam actualitatẽ, quæ intellectio eſt, denotat verum proceſſum convenire Verbo ex ſua natura, non vero illi convenire ex defectu actualitatis competente intellectui; ſed ad rationem Verbi proprie dicti requiritur, quod habeat ea, quæ illi conveniant ex ſua natura: ergo vt Verbum proprie ponatur in Deo, debet poni, quod vere procedat à Deo intelligente, & ſic ſolum ſalvabitur propria ratio Verbi in illo, quod proprie procedit, quod ſolum eſt Verbum Perſonale.

Confir. ex doctrina D. Thom. quæſt. 4. de verit. art. 2. ad 7. ibi. *Dicendum, quod dupliciter poteſt aliquid procedere ab alio; vno modo ſicut actio ab agente, vel operatio ab operante: alio modo ſicut operatum ab operante: proceſſus ergo operationis ab operante non diſtinguit rem per ſe exiſtentem ab alia re per ſe exiſtente; ſed diſtinguit perfectionem à perfecto, quia operatio eſt perfectio operantis; ſed proceſſus operati diſtinguit vnam rem ab alia: in divinis autem non poteſt eſſe ſecundum rem diſtinctio perfectionis a perfectibili; inveniuntur tamen in Deo res ab invicem diſtinctæ, ſcilicet tres perſonæ, & ideo proceſſus, qui ſignificatur in divinis, vt operationis ab operante, non eſt niſi rationis, ſed proceſſus, qui ſignificatur vt rei a principio poteſt in Deo realiter inveniri.* Ex quibus ſic argumentor. Proceſſus Verbi divini, qui convenit Verbo divino, non eſt proceſſus vt operationis ab operante: ergo eſt proceſſus rei à re exiſtente, ſcilicet perſonæ à perſona: ergo eſt proceſſus alicuius realiter diſtincti ab eo, à quo procedit. Patet hæc Conſ. quia in divinis non eſt res, & res procedens ab illa, niſi ſit perſona, & perſona.

Confir. ſecundo quia de ratione Filij eſt procedere à Patre vt quid operatum ab illo, nequit in divinis poni propria ratio Filij, niſi ponatur rés realiter diſtincta à Patre: ergo, quia de ratione Verbi eſt manifeſtare obiectum intellectus per modum rei operatæ ab intelligente, non poterit in Deo dari Verbum ſecundum propriam rationẽ, niſi ponatur res realiter diſtincta ab intelligente.

Secundo principaliter prob. Concluſio. Si ratio propria Verbi reperiretur in Deo in aliquo prædicato abſoluto, & eſſentiali, non poſſemus ex Scriptura Sacra colligere rationem Verbi perſonalis, quæ ſecundum fidem attribuenda eſt Filio; hoc autem dici nequit: ergo. Prob. Sequela. Nam tunc loca Scripturæ in quibus inſinuatur in Deo reperiri Verbum, ſufficiẽtiſſime explicarentur de Verbo eſſentiali, ter-

qu

go nõ poſſet colligi ex Scriptura ratio Verbi perſonalis. Prob. Ant. ad exactam intelligentiam Scripturæ, dum loquitur de Verbo in divinis, ſufficit ponere Verbum in Deo ſecundum propriam acceptionẽ Verbi: ergo cum hæc inveniatur inter prædicata abſoluta, & eſſentialia Dei, non cogeremur ab illis, ponere in Deo Verbum perſonale.

Explico hoc. Si aliquis hæreticus negaret in Deo eſſe Verbum perſonale, tunc ad illum convincendum deberemus recurrere ad dictum Ioann. 1. *Et Verbum caro factum eſt*, & ex hoc loco probare Verbum perſonale Deo convenire; ſed ſi in eſſentia divina, vt eſt ſummè manifeſtativa ſui, & vt ſecundum rationem intelligitur procedere à Patre, propria ratio Verbi inveniretur, ex hoc loco non poſſemus convincere hæreticum ad ponendum Verbum perſonale in Deo: ergo. Prob. Min. Nam tunc hæreticus admitteret authoritatem Ioannis, & negaret Conſ. quia ille locus tantum cõvinceret Deo competere propriam rationem Verbi, non vero, quod illud perſonale ſit.

Dices convinci poſſe hæreticum ex Antecedentibus, nempe virtute illius particulæ, *Et Verbum erat apud Deum*, quæ particula *apud*, cum ſit præpoſitio intranſitiva, denotat diſtinctionem: vnde datur intelligere, quod ſit Verbum diſtinctum à Patre, apud quem eſt. Sed contra: dictio illa *apud* nequit importare niſi illam diſtinctionem, quam importat dictio *Verbum*; ſed hæc diſtinctio non eſt neceſſario realis, & perſonalis, vt tenet oppoſita ſententia: ergo adhuc ex illa particula non poſſet convinci hæreticus ad aſſerendum in Deo dari Verbum perſonale, realiter diſtinctum à perſona Patris.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

262 PRIMO Arguitur authoritate Auguſtini qui 9. de Trinit. definiens Verbum ait: *Verbum eſt notitia cum amore*. Et tract. 1. in Ioan. tomo 9 dicit, *Verbum divinum eſt potentia operativa Patris*; ſed notitia, & potentia operativa eſt quid abſolutum in Deo: igitur Verbum proprie eſt eſſẽtiale, vt dicitur de Deo.

Ad hoc dico, quod notitia, quæ ponitur in definitione Verbi, eſt notitia expreſſa ab alio, & de hac intelligitur Auguſtinus. Et quamvis ſapientia, & notitia quid eſſentiale dicat in Deo; notitia tamen expreſſa, & ſapientia genita, non niſi perſonaliter dicitur, quia eſt notitia vere emanans, & procedens ab Intelligente. Ad illud, quod Verbum divinum eſt potentia operativa Patris: dico, quod nomine potẽtiæ operativæ duo poſſumus intelligere, vel ipſam vim, quæ eſt principium proximum operationis; vel ipſum conceptum, quem de operabilibus artifex intra ſe format: ſi loquamur de potentia operativa primo modo, ſic Verbum divinum formaliter non eſt potentia operativa Patris; hanc enim Pater habet ab eſſentia divina: ſi loquamur ſecundo modo, ſic Verbum divinum poteſt dici potentia operativa Patris, quatenus omnia operatus eſt Verbo ſuo, ſed iſto modo loquendo de potentia operativa, nõ eſt dicendum, quod ſit eſſentialis, ſed perſonalis, quia vere emanat, & procedit à Patre ad eum modum, quo Verbum artificis dimanat ab ipſo artifice, & in hoc ſenſu loquitur Auguſtinus.

263 Secundo arguitur. Eſſentia divina vnitur mentibus beatorum, non ſolum ſub munere ſpeciei impreſſę, ſed etiam ſub munere ſpeciei expreſſæ: ergo Supplet vices Verbi: ergo eſt proprie Verbum, nam eſſe proprie Verbum nihil eſt aliud, quam ſpecies expreſſa. Prob. Ant. nam beati non poſſunt intelligere niſi vel formando ſpeciem expreſſam, vel vniendo ſibi Deum per modum ſpeciei expreſſæ; ſed ſecundum opinionem probabiliorem inter Thomiſtas, non vident Deum formando ſibi ſpeciem expreſſam Dei: ergo vident Deum vniendo illum ſibi per modum ſpeciei expreſſæ: ergo eſſentia divina vnitur mẽtibus beatorum per modum ſpeciei expreſſæ.

Ad hoc argumentum diſt. Ant. ſub munere ſpeciei expreſſę, quantum ad rationem manifeſtationis expreſſæ, nego Ant. quantum ad rationem clare, & diſtincte manifeſtandi Deum, conc. Ant. & diſt. Conſ. ſupplet vices Verbi, proprie dicti, nego Conſ. lato modo dicti, tranſ. Conſ. & nego ſecundam, quæ infertur. Itaque, eſſentia divina vnitur mentibus beatorum, & in eis duo munia exercet: primum eſt per modũ ſpeciei impreſſæ actuare intellectum ad eliciendam viſionem beatam; ſecundum eſt eſſe terminum, in quo contemplentur ipſum Deum, quem vident, & ſecundum hoc munus ſapit rationẽ Verbi, quatenus Verbum eſt id, in quo contemplatur obiectum;

non

non tamen eſt Verbum, quia deficit illi ratio expreſsi, & operari per intellectionem.

264 Tertio arguitur. Ideo in creatis Verbum realiter procedit ab intelligente, quia obiectum, quod intelligitur, non eſt ſe ipſo intellectum, ſed tantum eſt intelligibile in potentia; ſed Deus à Deo intellectus non eſt intelligibile in potentia, ſed ſe ipſo eſt intellectus: ergo Verbum in Deo ſecūdum ſibi propria non requirit realiter procedere ab intelligente. Prob. Min. quod ſe ipſo eſt ſuum intelligere, ſe ipſo eſt ſuum actualiter intelligi: ergo Deus ſe ipſo eſt in actu intellectus, & non eſt intelligibilis in potentia.

Ad hoc nego Mai. licet enim ex hoc, quod obiectum, quod intelligitur, non ſit ſe ipſo intellectum, probatur, quod intellectus intelligens illud debeat formare Verbum; non tamen probatur, quod Verbum, quod format intellectus ſic intelligens, debeat realiter ab illo procedere; hoc enim non habet Verbum creatum ex illo capite, ſed ex natura ſua, ex qua habet, quod ſit operatum, & productum per intellectionē: vnde argumentum factum convincit, quod Deus intelligens ſe ipſum, non producit Verbum ex indigentia, quaſi ſi non formaret, intelligere non poſſet: non tamen convincit dari in Deo Verbum proprie dictū, quod realiter à Deo non procedat.

Et ſi inſtes. Si Deus vt perfectiſsime ſe ipſum intelligat, nō indiget formare Verbū: ergo formatio Verbi ſuperflue ponitur in Deo. Ad hoc dico, quod licet Deus Verbum non formet ex indigentia ad intelligendum ſe ipſum; format tamen illud, quia oportet naturam intellectualem in ſupremo analogato, quale eſt Deus, eſſe fœcundam ad intra: etenim ſi omnis natura intellectualis creata fœcundatur ad partū, qui eſt Verbum; oportet pariter, quod natura intellectualis divina fœcunditate non careat, & ſic oportet, quod ab eſſentia divina vnita per modum ſpeciei impreſſæ, non tantum fiat potens intelligere, ſed etiam fœcundetur ad partum conceptus.

Inſtabis. Naturæ intellectuali, prout reperitur in creaturis, non convenit fœcunditas ad producendum Verbum, niſi ratione indigentiæ ad intelligendum: ergo, cum Deus non habeat indigentiam Verbi ad intelligendum, non erit inconveniens, quod careat fœcunditate ad productionem Verbi: vbi enim ceſſat radix alicuius effectus, ibi ceſſat talis effectus. ergo ſi indigentia Verbi ad intelligēdū eſt radix fœcūditatis ad producendum verbum, hæc ceſſante in Deo, non ponetur fœcunditas ad producendum Verbum.

Ad hoc poſſem diſtinguere Ant. ratione indigentiæ ad intelligendum, tanquam ex cauſa ſufficienti, conc. Ant. tanquam ex cauſa adæquata fœcunditatis, nego Antec. forſam enim natura intellectualis creata Verbum produceret, eſto illo ad intelligēdum non indigeret: neque enim implicat, quod poſtquā quis intelligit aliquod obiectum ſe ipſo, poſtmodum formet Verbum, quo exprimat id, quod de tali obiecto intellexit: vnde licet bene valeat, natura intellectualis creata indiget ad intelligēdum Verbo: ergo format Verbum; non tamen valet, format Verbum: ergo indiget Verbo ad intelligendum; quia ſi per poſsibile, vel impoſsibile non indigeret, adhuc ex alio capite Verbum formaret; & ſic ſtat bene Deo non convenire indigentiam Verbi ad intelligendum, & nihilominus convenire illi fœcunditatem ad formandum Verbum.

Explico totum hoc. In Verbo duo ſunt, videlicet eſſe id, in quo obiectum contemplatur, & ratio dicti, quæ eſt terminus locutionis interioris, qua quis per Verbū, quod format, interius loquitur ſibi id, quod de obiecto intelligitur, ſicut & poteſt aliis dicere per verba externa: quando intellectus noſter cognoſcere vult obiectū, quod ſe ipſo non eſt intellectum, tunc indiget formare Verbum ex primo capite, nempe ex quo Verbū eſt id, in quo manifeſtatur obiectum; non autem ex ſecundo capite, quia poterat intelligere, & ſibi non dicere id, quod interius intelligeret, ſicut faciūt beati, qui Deum intelligunt; & tamen non ſibi dicunt id, quod de Deo cognoſcunt, quia Verbum non formant: vnde fit, quod ſi per poſsibile, vel impoſsibile obiecta creata per ſe ipſa intelligerētur, intellectus noſter non indigeret Verbo ad intelligendum; indigeret tamen Verbo ad loquendum interius, & ad dicendum ſibi id, quod de obiecto intelligeret. Vnde formationis Verbi aſsignantur duæ radices, alia ad intelligendum, & alia ad loquendum interius: intellectui ergo noſtro convenit formare Verbum ex indigentia ad intelligendum, & ex indigentia ad loquendum ſibi; Deo autē convenit formare Verbum, non ex indigentia ad intelligendum, ſed ex indigentia ad loquendum, & dicendum ſibi id; quod cog-

cog-

Digitized by Google

cognoſcit de ſeipſo: vnde licet fœcunditas Dei non conveniat illi ex prima indigentia, convenit tamen illi ex ſecunda.

Ex dictis colligo D. Tho. ad notitiam perfectam huius quæſiti paulatim perveniſſe. Etenim in primo, diſt. 27. tenuit illam ſententiam, quæ ponit in prædicatis divinis eſſentialibus propriam rationem Verbi, & ſic dixit propriam rationem Verbi aliquādo eſſe eſſentialem, aliquando perſonalem; poſtmodum tenuit in diſputata citata de verit. quod erat probabilis vtraque ſententia, tam quæ affirmat, quam quæ negat Verbum in divinis dici tantum perſonaliter: & tandem, hic q. 34. ar. 1. vltimate ad veritatem pervenit, dum abſolute reſolvit Verbum in divinis, ſecundum propriam acceptionem, tantum dici perſonaliter.

§. III.

Vtrum Verbum procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo formaliter?

265 CVM Divinitas ſit formaliter abſoluta, & formaliter relativa, ea, quæ conveniunt Deo formaliter, dividuntur per relativa, & abſoluta: procedit ergo præſens quæſitum tam de formaliter relativis, quam de formaliter abſolutis. Et quidem quod formaliter procedat ex cognitione omnium abſolutorum, ſive eſſentia, ſive attributa ſint, nulli eſt dubium; nam Verbum divinum, cum ſit eiuſdem naturæ cum Patre, per ſe requirit, quod ſibi communicetur natura cum proprietatibus abſolutis, quas Pater poſſidet: cumque hæc communicatio fiat per cognitionem, fit etiam apud omnes certum, quod Verbum per ſe petit procedere ex cognitione omnium abſolutorum Dei.

Diſcrimen autem eſt in eo, vtrum Verbum per ſe, & non ſolum concomitanter, procedat ex cognitione omnium perſonarum. In quo puncto elucidando Scotus in 2. diſt. 1. q. 2. §. *Quantum ad hoc igitur dico*, quantum ad productionem perſonarum diſcurrit ſic. Ponit enim primum inſtans naturæ, in quo ſimpliciter intelliguntur produci perſonæ ad hunc modum: etenim in illo primo inſtanti intellectui Patris tantum offertur eſſentia divina, vt intelligibilis per intellectum, & vt amabilis per voluntatem: cuius aſsignat rationem, quia pro tunc tantum offertur illud obiectum, quod ex ſe primo intelligibile, & primo amabile eſt; hoc autem (inquit) tantum eſt eſſentia divina, non perſona, neque Filij, neque Spiritus Sancti, quorum intelligibilitas, & volibilitas convenit illis per productiones intellectus, & voluntatis: ergo (inquit Scotus) Pater circa eſſentiam divinam comparatam cum eius intellectu operatur perfecte intelligendo illam, & quia illa obiectū infinitum eſt, ex memoria illius producit Verbum infinitum, & hæc eſt productio ſimpliciter Verbi, & per hanc productionem illi communicat ſuam voluntatem, & per voluntatem, quæ intelligitur eſſe in Patre, & Filio, circa eſſentiam divinam, quæ eſt ex ſe primum volibile, operatur volendo illam, & deinde ſpirando producit perſonam Spiritus Sancti, & his productis, finitur primus ordo naturæ. Vnde patet, quod iuxta Scotum Verbum tantum producitur ex notitia eſſentiæ divinæ, & Spiritus Sanctus tantum producitur ex amore eiuſdem eſſentiæ divinæ. Quod ipſum repetit de Spiritu Sancto in primo, diſt. 32. q. 1.

Pater Vazquez hic, diſp. 142. ar. 4. aſſerit Verbum divinum non procedere per ſe ex cognitione Spiritus Sancti, nō quia cognitio, qua Verbum producitur, non ſit per ſe cognoſcitiva, intuitiva que Spiritus Sancti; ſed quia, quod ſit Spiritus Sancti cognitio, non per ſe requiritur ad cognitionem Verbi, nam ſi per poſsibile, vel impoſsibile nō daretur Spiritus Sanctus, adhuc illa cognitio haberet omnia requiſita per ſe ad productionem Verbi, & Filij. Itaque aliud eſt, quod convenit prædictæ cognitioni per ſe, & eſſentialiter, & aliud, quod convenit illi per ſe, vt cauſa, & principium Verbi; per ſe quidem in primo modo dicendi per ſe convenit prædictæ cognitioni eſſe notitiam intuitivam omnium, quæ ſunt in Deo formaliter: ſed non convenit illi cognitioni, eſſe cognitionem Spiritus Sancti perſeitate cauſæ, & principij Verbi. Ita Vazquez, quē ſequitur Alarcon hic, diſp. 8. citatque pro ea Turrianum, Egidium Luſitanum, & alios.

Tertia Sententia docet Verbum per ſe procedere ex cognitione eſſentiæ, & primæ perſonæ, non vero ex cognitione ſui & Spiritus Sancti. Ita Puteanus in præſenti dubit. 2. Concluſ. vltima, & quidam alij, quos ſine nomine refert Arrubal hic, diſp. 123. cap. 5. Quarta ſententia affirmat Verbum divinum procedere per ſe ex cognitione omnium, quæ Deo conveniunt formaliter, ſive relativa ſint, ſive abſoluta, ex-

cep-

Digitized by Google

ceptis decretis liberis, prout terminantur ad creaturas vt libere volitas. Ita tenent communiter Thomiſtæ omnes.

§. IV.

Refellitur ſententia Scoti.

266 CVM Scotus affirmet Verbum divinum ſolum per ſe procedere ex cognitione abſolutorum, ſufficienter impugnabitur, ſi probaverimus cōtra illum per ſe procedere ex cognitione Patris, ideoque talem ſtatuo conclusionem. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione Patris Æterni. Prob. Cōcluſio. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione omnium eorum, quæ intelliguntur ad eſſe in illo primo ſigno, quo notionaliter intelligit Filium; ſed indiſpenſabiliter pro illo primo ſigno intelligitur ad eſſe Paternitatem: ergo per ſe procedit ex cognitione Patris. Conſ. eſt bona, & Mi. videtur certa, nam illo primo ſigno indiſpenſabiliter intelligitur Patrem intelligere ſeipſum: ergo in illo primo ſigno indiſpenſabiliter ad eſt Paternitas. Mai. autem probatur. Filius, ſeu Verbum per ſe procedit ex cognitione, qua Pater comprehendit ſe; ſed cognitio comprehenſiva Patris per ſe eſt cognitio omnium eorum, quæ formaliter habet Pater in illo ſigno, quo primo intelligit ſe: ergo Verbū procedit per ſe ex cognitione omnium, quæ formaliter conveniunt Patri in illo primo ſigno, quo primo intelligit ſe.

Dices cum Scoto. In illo primo ſigno, qua Pater intelligit ſe, adeſſe Paternitatem; non tamen ad eſſe, vt intelligibilem pro illo primo ſigno, quia in illo tantum offertur intelligibile id, quod per ſe, & ratione ſui intelligibile eſt: Paternitas autem non eſt intelligibilis per ſe, & ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ, & ſic in illo primo ſigno ſolum cognoſcit eſſentiam, & non Paternitatem.

Sed contra eſt. Eſto eſſentia divina tantum ſit per ſe cognoſcibilis, non tamen poteſt comprehendi, niſi ratione ipſius cognoſcantur ea, quæ ipſi actu conveniunt in illo primo ſigno; ſed actu illi convenit Paternitas: ergo vt illa cognitio ſit comprehenſio divinæ eſſentiæ in illo primo ſigno, indiſpenſabiliter requiritur, quod ratione eius cognoſcatur Paternitas. Prob. Mai. cognitio comprehenſiva eſſentiæ divinæ debet eſſe talis, quod virtute illius nihil lateat cognoſcentem ex his, quæ illi conveniunt actu, dum comprehenditur; ſed ſi non cognoſcerentur omnia ea, quæ illi in ſunt in illo primo ſigno, aliquid ex illis lateret Patrem cognoſcentem: ergo, vt ſit comprehenſiva eſſentiæ pro illo ſigno, non ſufficit, quod cognoſcatur eſſentia, ſed requiritur, quod cognoſcatur ratione eius Paternitas, quæ pro tunc dicitur illi convenire; ſed ponitur à Scotiſtis, quod pro illo ſigno eſſentia divina comprehenſive cognoſcitur: ergo & debet poni, quod non ſolum eſſentia cognoſcatur, ſed etiam quod ratione eſſentiæ cognoſcatur Paternitas.

Præterea. In illo primo ſigno eſſentia divina comprehenditur: ergo cognoſcitur vt radix Paternitatis: ergo cognoſcitur ipſa Paternitas. Secunda Conſ. Patet ex prima, & prima prob. nam ad comprehenſionem eſſentiæ divinæ requiritur indiſpenſabiliter, quod cognoſcatur actu ſecundum omnia, quæ illi actu conveniunt; ſed pro priori, quo Pater intelligit ſe, convenit eſſentiæ divinæ radicare Paternitatem: igitur cognoſcitur vt radix Paternitatis. Præterea, vt Pater comprehendat ſe, non ſufficit videre eſſentiam divinam ex terminis, ſed requiritur cognoſcere illam, vt eſt Patris: ergo requiritur cognoſcere illam, vt in perſona Patris radicat Paternitatem. Prob. Mai. vt Pater comprehendat ſe, requiritur cognoſcere eſſentiam vt ſpectat ad Patrem, prout ſic enim tantum poteſt ducere in cognitionem Patris; ſed vt ſpectat ad Patrem, radicat Paternitatem: ergo requiritur cognoſcere illam, vt radicat Paternitatem.

Dices, Patrem ſolum cognoſcere id, quod exprimit in Verbo ſuo; ſed in Verbo non exprimit naturam, vt eſt Patris, ſed ſolum exprimit naturam ſuam, quia natura, vt eſt Patris, non eſt in Filio, ſed ſolum eſt in Patre: igitur in illo primo ſigno ſolum cognoſcit naturam, non vero Paternitatem. Sed contra eſt. Nam licet Pater cognoſcendo ſe, ſolum communicet phyſice naturam ſuam, & non communicet ſuam Paternitatem; communicat tamen naturam, quæ vere repræſentat Patrem: Verbum enim non eſt Trinitas; & tamen repræſentat perfectiſsime Trinitatem: ergo ex ſolutione data non convincitur, quod Pater cognoſcendo ſe, ſolum cognoſcat naturam ſuam, & non cognoſcat Paternitatem ratione ſuæ naturæ. Præterea. Verbum in nullo ſigno eſt Pater; & tamen in ſecūdo

Digitized by Google

ſigno verè repræſentat Paternitatem: ergo, & poterit in primo ſigno perfectiſsimè accipere repræſentationem Paternitatis ſine eo, quod Pater in eſſe phyſico ei communicet eſſe Patrem.

Explicatur hoc. Eſto Pater non communicet Filio ſuam Paternitatē; communicat tamen Filio repræſentationē perfectiſſimam ſuæ Paternitatis, quia per eſſentiam, quam Verbū accipit à Patre, perfectiſsimè repræſentatur Paternitas; & non poſſet Filio communicare repræſentationem ſuæ Paternitatis, niſi Pater cognoſcendo ſuam Paternitatem, illum produceret: ergo verè in illo ſigno in quo eum producit, cognoſcit ratione eſſentiæ divinæ ſuam Paternitatem. Prob. Min. Verbum non habet repræſentare ex vi ſuæ proceſsionis niſi id, quod Pater cognoſcit, dum illam format: ergo ſi ratione ſuæ eſſentię habet repræſentare Paternitatem, verè in ſigno, quo Verbū format, habebit cognoſcere illam.

Secundo impugno modū dicendi Scoti. Nam inter naturam divinam, & Paternitatem nulla datur prioritas in quo; aliàs ſecundū exiſtere, eſſentia eſſet prior Paternitate, quod nequit admitti: ergo perfectè cognoſcens ſe ipſum, quale eſt Pater, ſimul omni ſimultate ſigni in quo cognoſcit eſſentiam, & Paternitatem: chymerica eſt ergo illa cognitio, qua ſic in ſigno aliquo cognoſcit Pater naturā quod in eodē ſigno nō cognoſcat Paternitatē. Præterea. Pater in ſigno, quo producit Filiū, cognoſcit ſe ipſum comprehenſivè; & ſi ſolū naturā cognoſcat, & nō Paternitatē, ſe ipſum comprehendere non poterit, cū ei deficiat cognitio proprij conſtitutivi, quod eſt Paternitas: ergo in illo ſigno, in quo Verbum format, cognoſcit Paternitatem.

Præterea. Eſto ſola eſſentia ſit objectū per ſe cognoſcibile, & attributa abſoluta non cognoſcantur niſi ratione eſſentiæ; tamen in illo ſigno, quo Pater producit Verbū, non ſolū cognoſcit eſſentiā, ſed etiā cognoſcit attributa abſoluta ratione eſſentiæ primariò cognitæ: ergo, & cognoſcet proprietates perſonales, quamvis non ſint cognoſcibiles niſi ratione eſſentiæ. Ant. admittitur à Scoto. Et Conſ. prob. nam Ant. eſt verū, quia eſſentia nequit cōprehendi, non cognitis proprietatibus abſolutis; ſed etiā nequit comprehendi, niſi cognoſcātur proprietates relativæ, ſaltim illæ, quæ pro illo ſigno conveniunt eſſentiæ: ergo, cum Paternitas ſit proprietas, & conveniat eſſentiæ pro illo primo ſigno, non poterit cognoſcere comprehenſivè eſſentiam, quia pro illo tunc cognoſcat Paternitatem.

§. V.

Solvuntur Argumenta Scoti.

267 PRIMO Arguit Scotus. Nam intelligere divinum in primordiali ſuo eſſe, tantum terminatur ad eſſentiam divinam: ergo Verbum, quod tunc producitur ſolum procedit ex cognitione eſſentiæ divinæ. Conſeq. eſt bona; & Antec. prob. nam intelligere Dei in primordiali tendentia ad objectum ſuum, tantum terminari poteſt ad illud, quod omni modo ratione ſui eſt per ſe intelligibile; ſed ſola eſſentia divina omni modo ratione ſui eſt per ſe intelligibilis, cùm omnia divina ratione eſſentiæ habeant intelligibilitatem: ergo intelligerę divinum in primordiali tendentia ad ſuum objectum, tantum terminatur ad eſſentiam divinam.

Ad hoc argumentum nego Antec. Ad prob. diſt. Mai. ſi dictio *tantum* excludat alia divina à ratione objecti primarij, conced. Mai. ſi excludat alia divina à ratione objecti terminantis divinā intellectionē, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. ſi ly *tantum* excludet alia divina à ratione objecti terminantis primario conc. Conſ. ſi excludat à ratione objecti terminantis in eodem ſigno, nego Conſ. Itaque veriſsimū eſt, quod intelligere in ſua primordiali tendentia, tantum terminatur ad eſſentiā divinā tanquam ad objectum primariū, quia alia divina non terminant niſi ratione eſſentiæ divinæ, in qua ſola habetur ratio primarij ſpecificativi divini intelligere; falſiſsimum autem eſt, quod in eodē ſigno, in quo terminatur ad eſſentiam divinam, ut ad objectum primarium, non terminetur ſimul ad alia divina tanquam ad objectum ſecundarium, nam ratio illa primarij non conſiſtit in eo, quod in uno ſigno eſſentia attingatur, & alia divina attingantur in ſignis ſubſequentibus; etenim ſi in hoc conſiſteret, non attingerentur attributa abſoluta in illo primo ſigno, in quo eſſentia primò attingitur, ſiquidem attributa abſoluta non ſunt objectum primarium; ſed ſecundarium, & ſic argumentum factum ſolum concludit, quod Verbum non procedat ex cognitione per-

ſonarum, tanquam ex obiectis primario cognitis; non vero cōcludit, quod non procedat ex cognitione perſonarum tanquam ex obiecto ſecundario cognito in eodem ſigno, in quo cognoſcitur primarium.

Sed contra ſolutionem inſto. Diſtinctio obiecti primarij, & ſecundarij, quæ reperitur inter eſſentiam, & perſonis ſufficit, vt in aliquo ſigno attingatur eſſentia, & in alijs attingantur perſonæ: ergo ſufficiet etiam, vt in illo ſigno, in quo ſolū cognoſcitur eſſentia, producatur Verbū ex ſola cognitione eſſentiæ, prob. Ant. nam iuxta diſtinctionem obiectorū, quæ attinguntur, debent quoque ſecundum rationē diſtingui ſigna: ergo ſi inter eſſentiā, & perſonas datur diſtinctio obiecti penes primarium, & ſecundarium, poterunt pariter per noſtros cōceptus diſtingui duo ſigna rationis, quorum primum menſuret ſolam attingentiā obiecti primarij, & aliud menſuret attingentiam obiecti ſecundarij.

Secundo inſto. Nam hoc ipſo, quod eſſentia attingitur primario, & perſonæ ſecundario, poterit Verbum procedere ex cognitione eſſentiæ vt primario cognitæ, quantum ad id, quod eſt primarium in Verbo, & ex cognitione aliorum, quantum ad id, quod ſecundarium in illo eſt: ergo ſalvabitur, quod quantum ad id, quod eſt primarium in Verbo, Verbum procedat ex ſola cognitione eſſentiæ, licet quo ad id, quod eſt ſecundarium in illo, procedat ex cognitione perſonarū, prob. Ant. nam divinum intelligere non minus eſt potens exprimere ſolam naturā primario per expreſſionem conceptus, quam ſit potens illā attingere contemplando; ſed eſt potens intelligere primario ſolam naturā, quin primario perſonas intelligat: ergo, & erit potens exprimere in Verbo ſolam naturā primario, quin primario exprimat perſonas.

Ad primam, nego Ant. ad prob. diſt. Conſ. duo ſigna originis, conc. Conſ. durationis, vel in quo, nego Conſ. Itaque, quando duo obiecta comparantur vt primariū, & ſecundarium, tantum per prioritatem, & poſterioritatem originis, non poſſumus diſtinguere duo ſigna in quo, vel duo ſigna, in quorum vno inveniatur vnum exiſtere, & non alterum; ſed tantum poſſumus diſtinguere duo ſigna à quo, quia ordo inter ſigna diſtincta, non poteſt aſsignari, niſi iuxta ordinem, qui reperitur inter obiecta intellecta: cum ergo inter eſſentiam, & perſonas tantum habeatur ratio primarij, & ſecundarij penes puram originem; hoc eſt, quia eandē intelligibilitatē, quam habet eſſentia, habent perſonæ; verum eſſentia habet illam à ſe, & perſonæ ab eſſentia: fit inde, quod eſſentiam intelligi vt obiectum primarium, & perſonas vt obiectū ſecundarium, non ſit prius eſſentiam intelligi, & deinde perſonas, ſed ſit omnia ſimul intelligi; cum hoc tamen ordine, quod eſſentia habeat à ſe illud intelligi, perſonas vero illud habeant ab eſſentia.

Ad ſecundam concedo totum. Nam obiecta exprimuntur in conceptu eo ordine, quo cognoſcuntur: cum ergo alterum cognoſcatur primario, & alterum ſolū ſecundario, ita Verbum quoad primarium procedit ex cognitione primarij, & quoad ſecundarium ex cognitione ſecundarij: neque ex hoc ſequitur aliquid in favorem Scoti, qui prætendit in primo ſigno Verbum procedere ex ſola cognitione eſſentiæ, ſic, quod in illo nec primario, nec ſecundario procedat ex cognitione perſonarum; nos autem dicimus, quod licet quoad ſibi primarium ſolum procedat ex cognitione primarij; in vno tamen ſigno rationis procedit quoad primariū ex cognitione primarij, & quoad ſecundariū ex cognitione ſecundarij.

268 Secundo arguit Scotus. Verbū per ſe procedit ex cognitione illius, quod per ſe repræſentat; ſed repræſentat tantum eſſentiam, & non Paternitatem: ergo ex cognitione ſolius eſſentiæ per ſe procedit. Prob. Min. nam Verbum repræſentat Patrē vt imago illius; ſed nō eſt imago Patris ratione Paternitatis, ſed ratione eſſentiæ, cū ſolum aſsimiletur Patri in eſſentia, & nō in Paternitate: ergo per ſe repræſentat tantū eſſentiam Patris, non autem Paternitatem.

Ad hoc nego Min. ad prob. diſt. Min. Verbum eſt imago Patris ratione eſſentiæ, inadæquate, conced. Min. adæquate, nego Min. nam, vt docet Div. Thom. quæſt. ſequenti, art. 1. duo ſunt de ratione imaginis, ſimilitudo ſcilicet, & origo, ſeu expreſsio: vnde imago non ſolū repræſentare debet id, in quo eſt ſimilitudo, ſed etiā id, a quo tanquā à principio procedit; & conſequenter Verbum, vt imago, non ſolū repræſentat per ſe Patris naturam, ſed etiam adæquatum principium, à quo procedit, ac proinde ipſam relationem Paternitatis, quæ per ſe requiſita eſt in principio quo per modum connotati. Nec ex eo, quod ſolum in natura ſit ſimilitudo,

Digitized by Google

recte colligitur eſſe imaginem Patris ſolum ratione naturę, quia ad rationem imaginis non ſolum ſimilitudo, ſed etiam diſtinctio exigitur.

Secundo reſpondetur diſtinguendo Mai. Verbum per ſe procedit ex cognitione illius, quod per ſe repræſentat, id eſt, quod repræſentat tantum primario, nego Mai. quod per ſe repræſentat, ſive vt primarium, ſive vt ſecundarium repræſentatum, conc. Mai. & diſt. Min. Sed per ſe repræſentat tantum eſſentiam, & non Paternitatē, ſi ly *tantum*, excludat à ratione primario repræſentati, conc. Min. ſi ly *tantum* excludat a primario, & ſecundario, nego Min. & nego Conſequentiam. Itaque Verbum divinum per ſe habet repræſentare, nō ſolum primarium repræſentatum, ſed etiā ſecundarium, ſine quo comprehenſive primarium repræſentari non valet; ſine repræſentatione autem perſonæ Patris eſſentiam comprehenſive repræſentare non valet, & ſic per ſe convenit illi, non ſolum repræſentare eſſentiam, ſed etiam Paternitatem, & ſic habet procedere per ſe, non ſolum ex cognitione eſſentię, ſed etiā ex cognitione Paternitatis. Nec dicitur Verbum imago Patris, quia ſolum repræſentet eſſentiā, quæ eſt in Patre, ſed quia repræſentat eſſentiam Patris, vt Patris eſſentia eſt, quod fieri nō valet, niſi Paternitatem repræſentat. Nec huic doctrinæ obſtat, quod Verbum in eo quod tale, non aſſimiletur Patri, quia Verbum non eſt Pater. Non inquā obſtat, quia licet Verbum, ex proprijs Verbi, non habeat ſimilitudinem cum Patre, habet tamen naturam Patris, quæ primo, & per ſe repræſentat ſeipſam, & ſecundario Paternitatem, tum quia radicat illam, tum quia ſumme realiter identificatur cum illa, tum quia Pater illam exprimit in Verbo ſuo.

§. VI.

Refellitur doctrina Puteani.

269 PVTEANVS, vt vidimus ſuprà, dictabat Verbum per ſe tantum procedere ex cognitione primæ perſonæ; non vero ex cognitione ſui ipſius. Contra illum ergo Authorem talem ſtatuo concluſionem. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione ſui ipſius. Probatur rationibus, quibus vtuntur Thomiſtæ. Etenim ille Author admittit Verbū divinū per ſe procedere ex cognitione Patris Æterni: ergo debet concedere, quod per ſe procedat ex cognitione Verbi, quod eſt Filius. Prob. Conſ. Nam Filius, & Pater, cum ſint correlativa, debent eſſe ſimul natura, & cognitione, ſic, quod ſicut nequit exiſtere Filius non exiſtente Patre, nec Pater non exiſtente Filio, ſic nequeat comprehenſive cognoſci Pater, quin Filius cognoſcatur comprehenſive: ergo ſi per ſe Verbum procedit ex cognitione Patris, debet quoque per ſe procedere ex cognitione Verbi, quod eſt Filius.

Aliqui prætendunt ſolvere hanc rationē dicentes, quod Verbum per ſe procedit ex cognitione Paternitatis ſub conceptu formæ hypoſtaticę; non vero ſub expreſſo cōceptu Paternitatis: ſub primo autē conceptu, non dicitur correlative ad Filium, & ſic non eſt neceſſe, quod ſit ſimul natura, & cognitione cum illo.

Sed hæc ſolutio non enervat vim argumenti facti. Nam licet per noſtros conceptus imperfectos poſſimus diſtinguere inter Paternitatem ſub conceptu formę hypoſtaticæ, & conceptum expreſſum Paternitatis; tamen cognitio comprehenſiva, & perfectiſſime intuitiva relationis Paternitatis, nequit terminare ad Paternitatem ſub munere formæ hypoſtaticæ, quin terminetur ad illam ſub expreſſo conceptu Paternitatis; ſed relatio Patris, ſecundum expreſſum conceptum Paternitatis, nequit perfecte cognoſci, quin cognoſcatur Filius, qui eſt Verbum: ergo Verbū, quod Filius eſt, per ſe procedet ex cognitione Filij, ſeu ex cognitione ſui ipſius. Conſeq. cum Minorī patent. & Mai. prob. cognitio Paternitatis, tantum vt forma hypoſtatica, eſt cognitio tantum inadæquata Paternitatis: nam, eſt ſolum cognitio Paternitatis ſolum quoad vnam formalitatem eius, & non eſt cognitio omnium, ex quibus coaleſcit Paternitas; at cognitio comprehenſiva relationis Patris, debet eſſe cognitio eius quoad omnes formalitates eius: res enim non perfecte comprehenditur, niſi quoad omnes ſuas formalitates cognoſcatur: ergo cognitio comprehenſiva Paternitatis, debet eſſe cognitio illius ſecundum quod forma hypoſtatica eſt, & etiam ſecundum expreſſionem Paternitatis.

Secundo prob. Concluſio. Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione comprehenſiva eſſentiæ divinæ: ergo procedit ex cognitione filiationis: ergo ex cognitio-

Digitized by Google

ſecundà præſupponit ſuum obiectum ſub exiſtentia, quia cum prout ſic obiectum ſuum vt exiſtens contempletur, & prout ſpeculativa non faciat ſuum obiectum exiſtere, debet præſupponere exiſtens; prima autem notitia intuitiva facit ſuum obiectū exiſtere, & ſic non præſupponit ſui obiecti exiſtentiam, ſed eſt ſimul cum exiſtentia ſui obiecti: cognitio ergo Patris in illo ſigno, in quo ad eſſentiam comprehendendo illam, terminatur, producit Filium ſub exiſtentia, & ſic fertur intuitive ad Filium exiſtentem, non exiſtentia præſuppoſita ad illam, ſeu exiſtentia ſimul cum illa. Optima eſt hæc ſolutio.

Sed inſtas: vt Filius fiat ex cognitione ſui, non ſufficit, quod per cognitionem ſui producatur, ſed vlterius requiritur, quod cognitio ſui ſit origine prior ipſo Filio producto ex illa; at hoc nequit intelligi habere veritatem: ergo Filius non producitur ex cognitione ſui. Conſeq. eſt bona, & probantur præmiſſæ; Mai. quidem, nam id, quod producitur ex alio, eſt poſterius origine illo, ſiquidem poſterioritas originis in eo ſolum ſtat, quod vnum ab alio ſit: ergo ſi Filius producitur ex cognitione ſui, erit poſterior ſui cognitione, poſterioritate originis. Min. etiam prob. nam Filius, vt productus ex cognitione ſui, debet eſſe poſterior ſeipſo vt cognito, poſterioritate originis; at implicat intelligere Filium vt productum eſſe poſteriorem origine, ſeipſo vt cognito: ergo, & implicat intelligere, quod Filius procedat ex cognitione ſui ipſius. Conſeq. cum Minori patent, & Mai. prob. Filius vt cognitus eſt ſimul origine cum cognitione ſui; ſed Filius vt productus eſt poſterior origine cognitione ſui: ergo de primo ad vltimum Filius vt productus eſt poſterior origine, ſeipſo vt cognito.

Ad hoc nego Min. ad prob. nego Mai. ad prob. nego etiam Mai. cum enim Filius in eſſe Filij producatur per ipſam ſui cognitionem, eſt à ſui cognitione, & ſic eſt poſterior origine cognitione ſui. Sed contra evidenter inſto, quod fit per ſui cognitionem, non fit ex ſui cognitione: ergo ſi Filius fit ex hoc ipſo, quod cognoſcitur, fit per ſui cognitionem, non vero ex ſui cognitione. Ad hoc nego Ant. Etenim dum dicimus Filium produci ex cognitione ſui, tantum volumus dicere, quod cognitio ſui habeat vim ad Filij productionem; hoc autem boniſsime componitur cum hoc, quod eſt fieri per ſui cognitionem; & ſic bene componuntur, quod Filius producatur per ſui cognitionem, & quod producatur ex cognitione ſui.

Sed inſtas. Vis ad producendum Filiū convenit cognitioni, non ſolum ex quo egreditur à Patre, ſed etiam ex quo terminatur ad Filium vt cognitum; ſed Filius producitur ex hac vi, & eſt illa origine poſterior: ergo etiam erit poſterior origine ſeipſo vt cognito; hoc autem non eſt dicendum: ergo. Ad hoc nego Mai. vis enim productiva Filij non convenit cognitioni ex obiecto cognito, ſed ex hoc, quod eſt à Patre; à Paternitate tantum; dum habet fœcunditatem, habet quoque vim tātum Filij productivā: vnde ſolus Pater habet producere Filium per cognitionē ſui, & aliarum perſonarum.

Tertio arguitur, & erit replica contra ſolutionē datam ſecundo argumento. Cognitio productiva Filij prius eſt contemplativa, quam ſit productiva: ergo Filius vt productus eſt poſterior origine ſeipſo vt cognito, vel non producitur ex cognitione ſui; at primum nequit admitti: ergo debet admitti ſecundum. Primum Ant. in quo eſt difficultas prob. nam cum Pater divinus nō formet Verbum ex hoc, quod illo indigeat ad cognoſcendum id, quod cognoſcit, ſed formet illud ex mera fœcūditate; prius intelligit, quam formet Verbum: ergo cognitio prius eſt contemplativa, &c.

Ad hoc nego Ant. non enim in intelligere Filij, prout exit à Patre, diſtinguuntur duę formalitates, quarū altera ſit cognitio per modū contemplationis Filij, & alia ſit pura productio Filij, ſed in tranſitive ipſum cognoſcere Filium, prout exit à Patre, eſt productio ipſius Filij. Ad prob. concedo, quod non format Verbum ex indigentia Verbi ad cognoſcendum ſe, quia ſi per impoſſibile Verbum non formaret, adhuc id ipſum cognoſceret; ex hoc autē non ſequitur, quod prius videat Filiū, & deinde producat illum: neque enim damus puram dictionem, quæ intellectio non ſit, ſed damus intelligere cum fœcunditate ad producendum id, quod intelligitur: vnde intelligit Filium, producēdo illum, & producit cognoſcendo illum, vnde non datur prioritas, & poſterioritas inter Filium vt cognitum, & vt productum, ſed intranſitive ipſum intelligi à Patre, eſt produci Verbi, quod in alio non conſiſtit, quam in intelligi.

Digitized by Google

§. VIII.

Refellitur Sententia Vazquez.

272 VIDIMVS Sentire Patrem Vazquez Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione Patris, & Filij, non vero ex cognitione Spiritus Sancti. Hæc tamen ſententia falſa eſt. Nam, vt pluries diximus Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione comprehẽſiva intuitiva ipſius eſſentiæ divinæ; at hæc nequit dari, niſi ſit cognitio trium perſonarum Patris, Filij, & Spiritus Sancti: igitur Verbum per ſe procedit ex cognitione Spiritus Sancti. Prob. Mi. cognitio cõprehenſiva intuitiva divinæ eſſentiæ, eſt cognitio adæquata eſſentię divinę, prout eſt in ſe; ſed prout eſt in ſe adæquate eſſentia divina, eſt in tribus perſonis: igitur vt ſit comprehenſiva intuitiva eſſentiæ divinæ, debet eſſe cognitio trium perſonarum.

Dices ad productionem Verbi ſufficere cognoſci eſſentiam divinam vt eſt in ſe, in illo ſigno, in quo producitur Verbum; in illo autem ſigno non dari Spiritum Sanctũ, quia cum productio Spiritus Sancti ſit à Patre, & Filio præſupponit Filium productũ, & ſic ad productionem Verbi per ſe non requiri cognitionem Spiritus Sancti.

Sed contra eſt. Nam licet Spiritus Sanctus ſit poſterior origine Patre, & Filio, quia ab vtroque procedit; non tamen eſt poſterior duratione illis, ſed in quocunque ſigno, in quo intelliguntur exiſtere Pater, & Filius, intelligitur quoque exiſtere Spiritus Sanctus: igitur in omni ſigno durationis, in quo intelligitur exiſtere eſſentia divina, intelligitur exiſtere in perſona Spiritus Sancti: ergo nequid comprehendi in illo primo ſigno productionis Verbi, quin cognoſcatur Spiritus Sanctus. Explicatur hoc. Cognitio comprehenſiva intuitiva eſſentiæ divinæ fertur ad illam, ſicuti ipſa exiſtit in ſe; ipſa autem in tribus ſimul exiſtit, quãvis Filius ſit à Patre, & Spiritus Sanctus ſit à Patre, & Filio: ergo cognitio comprehenſiva intuitiva eſſentiæ divinæ, eſt ſimul cognitio omnium divinarum perſonarum: cum ex hac per ſe procedat Filius; per ſe habebit procedere ex cognitione trium perſonarum.

Secundo prob. concluſio. Secundum Vazquez Filius per ſe procedit ex cognitione comprehenſiva ſui: ergo cognoſcit, ex vi cognitionis productivæ Filij, rationẽ Filij, rationem actualiter ſpirantis Spiritũ Sanctum, & relationẽ ſpirãtis: ergo indiſpenſabiliter cognoſcit Spiritũ Sanctũ actu ſpiratũ à Filio. Patet prima Conſ. ex eo, quod vt Filius comprehendatur, debet cognoſci ſecundum omnia, quæ naturaliter illi conveniunt: cum ergo tria relata illi actualiter conveniant, vt comprehendatur, omnia illa debent in actu cognoſci. Secũda autẽ Conſ. ex eo patet, quia relatio ſpirantis actualiter, eſt ſimul natura, & cognitione cum relatione ſpirati: ergo dum ex vi cognitionis per ſe productivæ Filij, cognoſcitur Filius cum relatione actualiter ſpirãtis, debet ex vi illius cognoſci relatio ſpirati ad ſpirãtẽ: ergo debet cognoſci Spiritus Sãctus.

Ad hoc reſpondent ſequaces doctrinæ Vazquez, Verbum procedere ex cognitione comprehenſiva ſui ſub ratione Filij, vel ſub ratione Verbi: non vero ſub ratione ſpirantis, & ſic non requiri, quod procedat ex cognitione Spiritus Sancti.

Sed contra eſt, nam cognoſcere Filium, & non cognoſcere in eo rationem ſpirãtis, non eſt comprehendere Filium; nam cognoſcere radicem proprietatis, & non cognoſcere proprietatem actu inhærẽtem radici, non eſt cõprehendere radicem: eſt autem proprietas Filij habita ſecundario ex vi generationis, ſpirare Spiritum Sanctum: ergo dum ponitur Filium procedere ſolum ex cognitione Filij, prout ſolũ refertur ad Patrem, & non prout ſpirat Spiritum Sanctum, eſt ponere, quod Filius non procedat ex cognitione comprehenſiva ſui: vel ſi admittitur procedere ex cognitione comprehenſiva ſui, debet dici, quod procedat ex cognitione ſpirantis Spiritum Sanctum. Deinde, cum generatio Filij ſit ipſa Filij cognitio, ad tantum hæc ſe debet extendere, ad quantum ſe extendit generatio; ſed hæc non ſiſtit in ratione Filij, ſed etiam ſe extendit ad rationem Spiratoris, & ſpirantis Spiritum Sanctum: ergo cognitio ex qua per ſe procedit Verbum, eſt cognitio, non ſolum Filij quo ad eſſentialia Filij, ſed etiam quo ad proprietatem ſpirantis: ergo Filius procedit ex cognitione ſui, non ſolum vt Filij, ſed etiam vt ſpirantis Spiritum Sanctum.

Sol-

Digitized by Google

§. IX.

Soluuntur Argumenta contra Concluſionem.

273 PRIMO Arguit Vazquez. Si Verbum procederet ex cognitione Spiritus Sancti, ſequeretur Verbum eſſe imaginem Spiritus Sancti; hoc autem dici non poteſt, vt communiter docent Theologi: ergo. Prob. Sequela. Verbum eſt Imago, & proles obiecti, ex cuius cognitione per ſe procedit: ergo ſi Verbum per ſe procedit ex cognitione Spiritus Sancti, erit imago, & proles illius. Quod ſi huic argumento neges Sequelam, & ad prob. neges Ant. & dicas; ad rationem imaginis proprie dictæ non ſufficere, quod aliquid procedat ex aliquo vt cognito; ſed Vlterius requiri, quod procedat ab illo tanquam ab active exprimente, quod Verbo non convenit reſpectu Spiritus Sancti; ſicut nec reſpectu ſui ipſius. Cõtra hoc ſic arguit. Nã imago artificialis Imperatoris vere, & proprie eſt illius imago; & tamen ab Imperatore non procedit tanquam ab exprimẽte imaginem ſuam, ſed tantum tanquam ab obiecto cognito ab artifice, ad quod inſpiciens imaginem format: ergo ad veram, & propriam rationem imaginis non requiritur, quod aliquid procedat ab aliquo tanquam ab active exprimente, ſed ſufficit, quod procedat ab illo tãquã ab obiecto cognito.

Ad hoc argumentum communiter reſpondetur ſolutione data. Et ad replicam negatur Mi. non enim imago Imperatoris eſt proprie imago, quia tãtum procedit ab Imperatore tanquam ab obiecto cognito: ſed quia procedit ab Imperatore tanquam à vera cauſa exemplari; Verbum autem divinum non procedit ab Spiritu Sancto tanquam à cauſa exemplari; & ſic non ſequitur, quod ſi Verbum divinum procedit ex cognitione Spiritus Sancti, proprie ſit imago illius.

Sed contra ſolutionem inſto: nam licet Spiritus Sanctus non ſit, nec poſſit eſſe cauſa exemplaris Verbi; quia in divinis omnis ratio cauſalitatis, & effectus excluditur; tamen ſi ex cognitione Spiritus Sancti Verbum producitur, vere & proprie Verbum imitabitur Spiritum Sanctum, ſicut & imago artificialis imitatur Imperatorem: ergo Verbum erit imago Spiritus Sancti; nõ minus, ac imago externa eſt imago Imperatoris. Prob. Ant. nam imago externa eo imitatur Imperatorem, quia artifex inſpiciendo Imperatorem, illam producit; ſed hoc ipſo, quod fiat Verbum ex cognitione Spiritus Sancti; Pater Æternus inſpiciendo Spiritum Sanctum producet illud: ergo vere Verbum imitabitur Spiritum Sanctum, & ſic erit Imago illius.

Confir. hoc. Quia Verbum divinum fit ex cognitione Spiritus Sancti, vere eſt Verbum, non tantum Patris, ſed etiam Spiritus Sancti: ergo quia fit ex cognitione Spiritus Sãcti, vere erit imago Spiritus Sancti. Prob. Conſ. nam Verbum eſt imago illius reſpectu cuius dicitur Verbum: ergo ſi eſt Verbũ Spiritus Sancti, vere erit imago illius. Confir. 2. Pater intelligendo ſe, Filium, & Spiritum Sanctum, totam Trinitatem Verbo dicit: ergo in Verbo, quod producit, totam Trinitatem exprimit: ergo Verbum eſt expreſsio totius Trinitatis eo modo, quo artifex exprimit Imperatorẽ in ſui imagine: ergo vere Verbum divinum erit imago totius Trinitatis; ac per conſequens Spiritus Sancti.

Ad hoc nego Ant. ad prob. nego Mai. non enim imago Cæſaris proprie eſt illius imago, quia artifex cognoſcendo Imperatorem illã efformat, ſed quia cognitio Imperatoris, quæ effective concurrit ad productionem externam imaginis, effective cauſatur ab ipſo Imperatore per ſuam propriã ſpeciem impreſſam: vnde Imperator non tantum terminative, & per modum obiecti concurrit ad externã imaginem, ſed etiã active: Spiritus autem Sanctus non eſt principium activum cognitionis, qua Pater Verbum producit, ſiquidem non obtinet rationem ſpeciei impreſſæ; cũ ſola eſſentia divina ſpecies impreſſa ſit, ex qua Pater divinus originat cognitionem formativã Verbi: & ſic eſto imago Cæſaris ſit propria illius imago, non tamen Verbum divinum erit proprie Imago Spiritus Sancti.

Sed contra ſolutionem manifeſte Inſto, & ſupponamus, quod pictor dum imaginem depingit Imperatoris, non cognoſcat Imperatorem per ſpeciem impreſſam cauſatam effective ab ipſo Imperatore, ſed per ſpeciem à Deo illi infuſam: tunc Imperator nulla via active concurret ad cognitionem Imperatoris; quia non immittit ſpeciem: ergo tunc iuxta doctrinam datam imago ex Imperatore deducta non erit vero imago ipſius Imperatoris; Conſeq. videtur falſiſsimum: ergo. Et ſuppono, quod pictor ſit Angelus, qui nequit

intelligere per ſpecies ab obiectis immiſſas. Reſpondeo, quod in dato caſu Imperator etiam concurrit effective ad talem ſpeciem, non quidem per ſe, ſed per ſui ideam exiſtentem in mente divina, à qua idea cauſatur effective ſpecies Imperatoris, quæ infunditur Angelo. Vel verius dicatur, quod cum illa ſpecies Imperatoris active concurrat ad cognitionem Imperatoris, & ſit virtus obiectiva ipſius Imperatoris, per illam active concurrit Imperator ad præfatam ſui cognitionem, & ſic ſemper ſalvatur, quod Imperator ad formationem ſuæ imaginis ſemper active concurrat.

Ad Confir. nego Ant. proprie loquendo de Verbo: Verbum enim divinum proprie loquendo, ſolum eſt Verbum Patris, à quo profertur; communiter autem, & improprie loquẽdo, ſecundum quod aliqu id in Verbo intelligitur, & repræſentatur, poteſt dici Verbum Spiritus Sancti: vnde etiam proprie loquendo imago Spiritus Sancti dici non poterit. Ad 2. Confir. diſt. Conſ. totam Trinitatem exprimit, concurrente tota Trinitate active ad hanc expreſſionem, nego Conſ. concurrente pure terminative obiective, conc. Conſ. & nego aliam, quæ ſub infertur. Imperator enim, vt dixi, active concurrit ad expreſſionem ſui in imagine, per ſpeciem impreſſam ſui repræſentativam, & ſic imago Cæſaris proprie eſt Cæſaris imago: tota autem Trinitas mere terminative concurrit ad ſui expreſſionem in Verbo, & ſic Verbum non eſt proprie imago totius Trinitatis.

274 Secundo arguit Vazquez. Nam ablato Spiritu Sancto per conſiderationem noſtram, & ſuppoſitionem impoſſibilem, adhuc remaneret Verbum productum: ergo cognitio Spiritus Sancti non requiritur per ſe ad productionem Verbi. Patet Conſ. nam illa, quæ per ſe requiruntur ad productionem alicuius rei, ſunt talis cõditionis, quod illis de medio ablatis, res non producitur: ergo ſi cognitio Spiritus Sancti per ſe requiritur ad productionem Verbi, ablato Spiritu Sancto, non producetur Verbum. Ant. autem prob. nam licet Pater, & Filius vt Spiratores, non poſſint intelligi, non intellecto Spiritu Sancto, quia vnum correlativum non poteſt intelligi alio non intellecto; ſub ratione tamen Patris, & Filij, ſub qua ratione non dicuntur correlative cum Spiritu Sancto, bene poſſunt intelligi Spiritu Sancto non intellecto; ſicut licet Pater, vt Pater, non poſſit intelligi, non intellecto Filio; ſub ratione tamen primæ perſonæ, ſub qua non dicitur correlative ad Filium, bene poteſt intelligi non intellecto Filio: ergo per noſtram conſiderationem ablato Spiritu Sancto, adhuc poteſt intelligi Verbum per ſe produci ex cognitione Patris.

Ad hoc, vt reſpondeam noto, quod Spiritum Sanctum auferri per noſtram conſiderationem, ſtat dupliciter; vel tantum præciſive, id eſt intelligendo Deum Patrẽ, & Filium, non tamen intelligendo Spiritum Sanctum; vel negative, id eſt negando Deum eſſe Spiritum Sanctum: ſi primo modo contingat, tunc manebit Verbum; quia quod ego imperfecte Deum cognoſcendo, Patrem, & Filium, non cognoſcam Spiritum Sanctum, non aufert proprietatem Verbi divini; ſi ſecundo modo contingat: tunc non manebit hoc Verbum, quod de facto eſt, nam de conceptu eius eſſentiali eſt, quod ſit fœcundum ad producendum Spiritum Sanctum. Ex his ad argumentum reſp. ablato per noſtram conſiderationem Spiritu Sancto, adhuc maneret Verbum, diſt. Ant. ablato, id eſt non intellecto, conc. Ant. ablato, id eſt poſitive negato, adhuc maneret Verbum, quod de facto eſt, nego Ant. aliud Verbum, tranſ. Ant. & diſt. Conſequens, non requiritur per ſe ad productionem Verbi: Verbi, quod de facto eſt, nego Conſ. Verbi alterius rationis, conc. Conſ.

Sed contra Inſtabis, non intellecto Spiritu Sancto, adhuc intelligitur manere Verbum, quod de facto eſt, vt ſolutio concedit: ergo Verbum, quod de facto eſt, non per ſe producitur ex cognitione Spiritus Sancti. Prob. Conſ. nam non eſt poſſibile intelligere Deo convenire Verbum, quod de facto eſt, quin intelligatur id, quod per ſe indiſpenſabiliter requiritur ad ſui productionem; ſed non intellecto Spiritu Sancto, intelligitur manere Verbum, quod de facto eſt: ergo hoc Verbum ad ſui productionem non requirit per ſe indiſpenſabiliter cognitionem Spiritus Sancti.

Ad hoc nego Conſ. ad prob. diſt. Mai. ſi intelligatur manere Verbum, quod de facto eſt, intellectione perfecta, & adæquata, conc. Mai. ſi intelligatur manere intellectione imperfecta, nego Mai. & conceſſa Mi. nego Conſ. Itaque, ſola cognitio rei adæquata requirit, quod cognoſcantur omnia, quæ per ſe deſiderantur ad rei productionem; non vero cognitio rei imperfecta, & inadæquata: illa autem cognitio, qua quis

Digitized by Google

quis cognoſceret Verbum, non cognito Spiritu Sancto, vel non cognito procedere ex Spiritus Sancti productione; non eſſet cognitio perfecta, & adæquata Verbi, ſed tantum imperfecta, & ſic non eſſet neceſſe illa cognoſcere omnia requiſita per ſe ad productionem Verbi.

Sed inſtabis ſecundo probãdo, quod & ſi auferatur Spiritus Sanctus, intellectione negativa, id eſt poſitive aſſerẽdo Deum non eſſe Spiritum Sanctum, adhuc remaneat Verbum, quod de facto eſt, quoad eſſentialia Verbi. Nam non magis connectitur Verbum cum Spiritu Sancto, quam connectatur cũ hoc, quod eſt Spiritum Sanctum procedere à Verbo; ſed ſecundum omnes Theologos, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc maneret Verbum, & Filius, qui de facto eſt, quoad eſſentialia Filii: ergo ſi ponatur Deum non eſſe Spiritum Sanctum, adhuc ponetur manere Verbum, quod de facto, eſt quoad eſſentialia Verbi.

Ad hoc tranſeat Maior, & diſt. Mi. maneret Verbum, & Filius eiuſdẽ ſpeciei cum eo, qui de facto eſt, nego Mi. alterius rationis, conc. Mi. & nego Conſ. Itaque, Theologi quando dicunt, quod ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc maneret Filius, non curant indagare; vtrum ille Filius eſſet in illa hypotheſi eiuſdẽ rationis, vel non eſſet cum Filio, qui de facto eſt; ſed tantum curant indagare: vtrum ille Filius, qui maneret, poſſet diſtingui realiter à Spiritu Sancto: Scoto affirmante, quod ſic; & D. Tho. aſſeverante, quod non. Ego dico, quod non maneret Filius, neque Verbum eiuſdem rationis cum eo, qui de facto eſt, nam rei ſpecies probatur manere eadem per hoc, quod habeat eaſdem proprietates; data autẽ hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, tunc Filius non haberet eaſdem proprietates, quas modo habet: nam modo radicat ſpirationem activam, quam tunc non radicaret: non ergo eſſet eiuſdem ſpeciei, & rationis Verbum, ſeu Filius cum eo, qui modo eſt.

Sed vt penitus corruat doctrina Vazquez; adverto, quod quando nos dicimus Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione Spiritus Sancti, ſupponimus tanquam certum de fide, nempe Deum formaliter eſſe Spiritum Sanctum, quę ſuppoſitio, ſi non fieret, non diceremus Verbum per ſe procedere ex cognitione Spiritus Sancti: vnde facta ſuppoſitione, quod Deus non eſſet Spiritus Sanctus, non eſſet mirum aſſeverare, quod Filius non procederet ex cognitione Spiritus Sancti.

§. X.

Vtrum Verbum per ſe procedat ex cognitione Poſſibilium?

275 DVPLICITER poteſt intelligi Deum cognoſcere creaturas poſſibiles, primo, prout ſunt in Deo, tanquam in cauſa: qua ratione ſunt poſitive ipſe Deus; vel vt ſunt aliquid diſtinctum à Deo, non habens eſſe aliquod extra Deum poſitive; quia hoc tantum poſſet illis convenire per hoc, quod per creationem haberent exiſtentiam, ſed tantum eſſe obiectivũ, ſecundum quam rationem dicunt non repugnantiam ad exiſtendum, & connotant omnipotentiam, per quam poſſunt extrahi ab ſtatu poſſibilitatis: primo modo loquendo de cognitione poſſibilium, nulli eſt dubium, quod Verbum per ſe petat procedere ex cognitione eorum, quia ſic ſunt ipſe Deus, & Verbum per ſe petit procedere ex cognitione perfectiſsima Dei.

Secundo ergo modo tantum procedit difficultas. Vtrum Verbum per ſe procedat ex cognitione poſsibilium. Circa quod quæſitum partem negantem tenent Scotus in 2 diſt. 1. q. 2. illum ſequitur eius Schola. Tenẽt etiã Vazquez hic diſp. 143. c. 3. Peſãtius hic diſp. 2. Arrubal diſp. 125. c. 5. Alarcon, Turrianus, & plures alij Ieſuitæ. Non tamen vno modo cum Scoto Ieſuitæ hanc ſententiam defendunt, nam Scotus fundatur in eo, quod in illo ſigno, in quo Verbum producitur, non intelligitur poſsibilitas creaturarum, ſiquidem iuxta illum creaturæ poſsibiles habent eſſe productum per divinam cognitionem; & cum eſſe productum creaturarum ſupponat eſſe productũ Verbi, fit inde, quod Verbum non procedat ex cognitione creaturarum poſsibilium. Vazquez autem, & alij alia via incedunt: ſupponunt enim Patrem cognoſcere creaturas poſsibiles illã cognitione, qua Verbum producit; verum, quia Deum cognoſcere creaturas poſsibiles non eſt ita neceſſarium, ſicut neceſſarium eſt Verbum divinum eſſe; quia ſi creaturæ non eſſent poſsibiles, adhuc Verbum divinum eſſet, ideo dicunt, quod licet Deus illa cognitione creaturas poſsibiles cognoſcat, non tamen Verbum producit illa cognitione, prout

prout poſsibilium cognitio eſt; ſed tantum prout Dei cognitio, quam cognoſci eſt tantæ neceſsitatis, quantæ neceſsitatis eſt Verbum divinum dari. Secunda ſententia affirmat Verbum divinum per ſe procedere ex cognitione poſsibilium. Hanc tenent Bonaventura in 1. diſt. 27. q. 2. Richardus in eadem diſt. ar. 2. q. 3. Alexander 1. p. q. 62. membro 1. ar. 4. ex Schola Thomiſtica tenent omnes. Ex Societate tenent Valentia 1. p. diſp. 2. de Trinit. q. 8. p. 2. Molina hic diſp. 1. Granado tract. 9. diſp. 6. Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 6. Montoya tomo de Trinit. diſp. 63. tenent etiam ex Carmelitis Cornejo tom. 1. in 1. p. tract. 3. diſp. 2. dub. 5. Salmanticenſes hic dubio 2. & Gabriel à S. Vincentio ibidem.

276 Sit pro veritate Concluſio. Verbum divinum procedit per ſe ex cognitione poſsibilium. Solet probari concluſio ex D. Tho. hic q. 34. ar. 1. vbi habet: *Pater intelligendo ſe, Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia, quæ in eius ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Quibus D. Thom. videtur docere conceptionem Verbi ſupponere cognitionem creaturarum omnium tanquam id, ex quo originatur. Verum ex iſto loco hoc non poſſe colligi, manifeſte indicat illud Verbum *omnis creatura*, quod diſtribuit, tam pro poſsibilibus, quam pro exiſtentibus: vnde cum ex iſto loco non poſsit inferri, quod Verbum procedat per ſe ex cognitione exiſtentium creaturarum, etiam nō poteſt colligi, quod Verbum procedat per ſe ex cognitione poſsibilium, quia D. Tho. eodem prorſus modo loquitur de poſsibilibus, ac de exiſtentibus.

Solet etiam probari ex his, quæ docet in hac quæſtione ar. 3. videlicet: *Deus enim cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam: Verbum igitur in mente conceptum eſt repræſentativum omnis eius, quod actu intelligitur: vnde in nobis ſunt diverſa Verba ſecundum diverſa, quæ intelligimus; ſed quia Deus vno actu ſe, & omnia intelligit, vnicum Verbum eius eſt expreſsivum, non ſolum Patris, ſed etiam creaturarum.* Quibus videtur inſinuare Verbum divinum procedere ex ſcientia creaturarum, quod cum non poſsit intelligi de creaturis futuris, debet intelligi de poſsibilibus. Sed nec ex iſto loco videtur probari concluſio, nam in eo tantum inſinuat procedere Verbum ex ſcientia creaturarum: Vtrum autem per ſe exigat ex ſcientia creaturarum procedere, hoc non inſinuat.

His ergo omiſsis vt minus ſufficientibus. Probatur concluſio ratione. Verbum per ſe procedit ex perfectiſsima Dei cognitione; ſed hæc non habetur, niſi creaturæ poſsibiles cognoſcantur: igitur Verbum per ſe procedit ex cognitione poſsibiliū. Prob. Min. Deus non perfecte comprehenditur, niſi cognoſcantur omnia, quæ ſunt in ipſo formaliter, & omnia, quæ ſunt in ipſo virtualiter: ergo non habebitur comprehenſio perfecta Dei, niſi cognoſcantur poſsibilia.

Reſp. Arrubal, cognitionem Dei, non ideo eſſe comprehenſionem Dei, quia cognitio creaturarum poſsibilium ſit, ſed potius Deum cognoſcere creaturas poſsibiles, oriri ex hoc, quod Deus ſeipſum comprehenſive cognoſcit: vnde admiſſo, quod Verbum per ſe procedat ex cognitione comprehenſiva Dei, non infertur, quod debeat procedere ex illa, ſecundum quod cognitio creaturarum poſsibilium eſt: quia Deum cognoſcere poſsibilia, eſt veluti effectus huius, quod eſt Deum comprehendere ſeipſum.

Sed contra ſolutionem ſic argumentor. Nam iuxta illam, non datur cognitio comprehenſiva Dei, niſi inferat cognitionem poſsibilium: ergo cognitioni, ex qua procedit per ſe Verbum, per ſe convenit eſſe cognitionē poſsibilium: ergo Verbum per ſe procedit ex cognitione, quæ per ſe eſt cognitio poſsibilium. Explicatur hoc. Hoc ipſo, quod cognitio, ex qua procedit Verbum, per ſe ſit cognitio poſsibilium, hoc ipſo habet per ſe exprimere in Verbo; non ſolum prædicata divina, ſed etiam poſsibilia: ergo ſicut Verbum per ſe primario procedit ex tali cognitione, ſecundum quod cognoſcit prædicata divina, per ſe ſecundario habebit procedere ex illa, ſecundum quod illa per ſe ſecundario cognoſcit poſsibilia. Explicatur vlterius. Cognitio comprehenſiva Dei per hoc, quod exit à Patre, eſt productiva Verbi: ergo perſeitas circa poſsibilia eo modo ſe habebit ad Verbum, quo ſe habet ad cognitionem Verbi productivam; ſed quod ſit cognitio poſsibilium, per ſe ſecundario convenit tali cognitioni: ergo exprimere poſsibilia, per ſe ſecundario conveniet Verbo; ſed Verbum nequit exprimere poſsibilia, niſi procedendo ex cognitione poſsibilium, vt poſsibilium: ergo dum per ſe convenit ei exprimere poſsibilia, per ſe quoque conveniet ei, procedere ex cognitione poſsibiliū.

Ita;

Digitized by Google

Itaque duplici via poſſumus defenſari, Verbum per ſe procedere ex cognitione poſsibilium: primo ſic, quod cognitio vt poſsibilium per ſe requiratur ad Verbum, etiam ſecundum quod primario repræſentat divina; vel ſic, quod cognitio vt poſsibilium per ſe requiratur ad productionem Verbi, ſecundum quod per ſe ſecundario habet repræſentare poſsibilia. Primum tenent aliqui Thomiſtæ, contra quos militat doctrina Patris Arrubal, ſed hos ego non ſequor; ſequor tamē eos, qui ſecundo modo defendunt concluſionē. Et contra me nihil facit doctrina Arrubalis, quæ ſolū convincit, quod Verbum quoad id, quod per ſe primario repræſentat, non procedat a cognitione vt poſsibilium, quod ego defendo; ſed quia repræſentare poſsibilia, per ſe neceſſario connectitur cum repræſentatione divinorum: ſemper ſalvo, quod Verbum per ſe procedat ex cognitione poſsibilium vt poſsibilium, & etiam ſalvo vim rationis noſtræ; nam ſi divina non comprehenduntur, niſi poſsibilia cognoſcantur: Verbum etiam non procedet, niſi poſsibilia cognoſcantur, & ſic habebit, per ſe procedere ex cognitione poſsibilium.

277 Vazquez reſpondet rationi noſtræ alio modo; negat enim omnipotentiam Dei non poſſe comprehendi, niſi creaturæ cognoſcantur: cum enim ſit quid abſolutum à reſpectu ad creaturas, poteſt adęquatiſsime cognoſci, non cognitis creaturis; ſiquidem quando vnum abſolvitur à reſpectu ad alterum, adæquatiſsime cognoſci poteſt, non cognito altero.

Sed contra eſt. Nam licet omnipotentia ſit abſoluta à reſpectu ad creaturas, non tamen eſt abſoluta à connexione cum illis, quia illas adæquatiſsime præcontinet, & adæquatiſsime repræſentat: ergo non poterit perfectiſsime cognoſci, quin perfectiſsime cognoſcantur creaturę poſsibiles. Prob. Conſ. nam cauſa perfectiſsime præcontinens, & perfectiſsime repræſentans effectum, nequit perfectiſsime cognoſci, niſi effectus perfectiſsime cognoſcatur: ergo ſi omnipotentia non abſolvitur à connexione cum creaturis, non poterit perfectiſsime cognoſci, ſi creaturæ perfectiſsime non cognoſcatur. Secundo inſto, nam Vazquez non poteſt negare eſſentiam divinam Deo repræſentare creaturas; eſto eſſentia divina non dicat ordinem ad illas: ergo ex hoc, quod omnipotentia abſoluta ſit ab ordine ad creaturas, non poteſt inferri poſſe comprehendi omnipotentiam non cognitis creaturis. Ant. mihi videtur certum, quia Vazquez etiam docet, quod Deus ea cognitione, qua ſe cognoſcit, cognoſcit etiam creaturas: ergo nequit negare, quod eſſentia divina illi creaturas repræſentet. Conſ. vero prob. nam hoc ipſo, quod detur aliquod divinum abſolutum à reſpectu ad creaturas, & repræſentans illas, Conſequentia Vazquez nihil valet; omnipotentia abſolvitur à reſpectu ad creaturas: ergo poteſt cognoſci comprehenſiva, etiam non cognitis creaturas.

Sed reſpondet Vazquez, eſſentiam divinam, & omnipotentiam repræſentare creaturas, non eſſe prędicatum intrinſecum & abſolutum Dei; ſed eſſe tantum reſpectum rationis convenientem illis ex ſuppoſitione, quod creaturæ poſsibiles ſint: vnde, cum ad prædictum reſpectum omnis Dei intrinſeca perfectio præſupponatur: Verbum divinum non poterit per ſe produci ex cognitione creaturarum, quia per ſe produci; ſonat, quoad ſibi intrinſecam perfectionem produci; & Verbum repræſentare creaturas, non eſt intrinſeca perfectio Verbi, ſed tantum reſpectus rationis conveniens illi ex ſuppoſitione, quod creaturæ poſsibiles ſint: vnde concludit, ex cognitione creaturarum poſsibilium ſolum produci Verbum quoad reſpectum rationis, non vero quoad aliquod ſibi intrinſecum prædicatum.

Sed contra eſt, nam eſſentiam divinam, omnipotentiam, & Verbum actu repræſentare poſsibiles creaturas; licet non poſſit explicari, niſi per reſpectum rationis ad creaturas; tamen aliqua perfectio intrinſeca horum trium eſt: ergo ſi ab illis abeſſet talis creaturarum poſsibilium repræſentatio, vere illis deeſſet aliquod prædicatum intrinſecum: ergo cum Verbum ex cognitione poſsibilium accipiat eſſe in actu repręſentativum illorum; vere ex cognitione poſsibilium procedet, ſecundum aliquam perfectionem ſibi intrinſecam, & non tamen ſecundum reſpectum rationis. Prob. Antec. Eſſentia, & omnipotentia repræſentant perfectiſsime poſsibilia, quia præcontinent perfectiſsime ea in eſſe entis; ſed activa præcontinentia in eſſe entis eſt aliquod prædicatum in cauſa præcontinente: ergo repræſentare poſsibilia eſt prædicatum intrinſecum eſſentiæ, & omnipotentiæ divinæ.

Huic inſtantiæ negat Vazquez, quod præ-

Digitized by Google

præcontinentia poſsibilium ſit in eſſe entis prædicatum [illegible] intecum abſolute conveniens De[illegible] (inquit)de ratione deitatis, ſed [illegible]mnipotentiæ, non eſt abſolute, & ex vi terminorum præcontinere poſsibilia, ſed tantum ex ſuppoſitione, quod poſsibilia ſint, hoc eſt, ex ſuppoſitione, quod non repugnent: vnde ſi repugnarent omnes creaturæ, adhuc maneret in Deo omnipotentia cum omni ſua intrinſeca perfectione; & tamen non præcontineret creaturas.

Sed contra eſt, nam licet omnipotentiam præcontinere poſsibilia, eorum non repugnantiam requirat; non tamen prius intelligitur ea non repugnare, & poſtmodum intelligitur omnipotentiam ea præcontinere, quia ipſa non repugnantia oritur à priori ex ipſa eſſentiæ divinæ præcontinentia: ergo omnipotentiam præcontinere poſsibilia, eſt prædicatum ex ipſa rei natura Deo conveniens. Prob. Ant. non repugnantia creaturæ ad exiſtendum requirit duo, & connexionem prædicatorum, & cauſam potentem talem connexionem prædicatorum in re ponere; cauſa potens in re ponere talem connexionem, non poteſt intelligi ſine eo, quod intelligatur in re præcontinere illam: ergo non repugnantia creaturæ ad eſſendum oritur à priori ex Dei præcontinentia. Itaque veriſsimum eſt, Deum non præcontinere niſi ea, quæ non repugnant; verum falſum eſt, Deum ad præcontinendum poſsibilia, expectare appoſitionem extrinſecam non repugnantiæ eorum; non enim hoc expectat, ſed illam in ſeipſo habet, & ſic à ſeipſo, & ex natura ſua habet præcontinere poſsibilia, ſicut, & à ſeipſo, & abſolute habet eſſe omnipotens.

Secundo impugno ſolutionem Vazquez. Nam dato, quod Deo non conveniret præcontinentia poſsibilium niſi ex ſuppoſitione, quod poſsibilia abſolute ſint; adhuc non ſequitur, quod præcontinentia poſsibilium non ſit prædicatum ſic ab intrinſeco conveniens Deo, quod perfectio illius non ſit: ergo. Prob. Ant. creaturas poſsibiles eſſe poſsibiles, non eſt aliquid, quod potuit eſſe, & potuit non eſſe: ergo Deum præcontinere illas, non eſt prædicatum, quod potuit convenire, & potuit non convenire Deo: ergo eſt prædicatum Deo neceſſario conveniens: ergo ablato hoc prædicato, Deus non maneret Deus: ergo falſum eſt, quod ſi creaturæ, quæ modo ſunt poſsibiles, repugnarent, adhuc Deus maneret in omni ſua perfectione, qua de facto perfectus eſt. Primum Ant. in quo iſtæ conſequentiæ fundantur, ex eo patet, nam poſsibilitas conveniens creaturis, quæ de facto poſsibilia ſunt, non eſt accidens ipſarum creaturarum, ſed eſt ipſa earum eſſentia: ergo ſic convenit creaturis, quod non potuit non convenire. Prima autem Conſ. patet, nam ſecundum Vazquez omnipotentia neceſſario continet creaturas ex ſuppoſitione, quod poſsibiles ſint: ergo ſi non poſſunt, nec potuerunt non eſſe poſsibiles, non potuit, nec poteſt Deo non convenire præcontinentia earum: aliæ autem conſequentiæ evidenter inferuntur.

Dices, ita eſſe, quod præcontinere creaturas, non potuit Deo non convenire; verum quia hoc, quod eſt præcontinere, non convenit Deo abſolute, & ex vi terminorum deitatis, ſed ex ſuppoſitione conditionis poſsibilitatis creaturarum: hinc infertur, quod dicta præcontinentia non ſit perfectio intrinſeca Dei, ſed tantum reſpectus rationis.

Sed contra hoc eſt. Nam ex hoc, quod præcontinentia poſsibilium Deo conveniat ex ſuppoſitione non repugnantiæ eorum, tantum ſequitur, quod illi conveniat aliqua intrinſeca perfectio abſoluta à reali reſpectu ad creaturas, non tamen abſoluta à connexione cum illis; ſed non eſt inconveniens ponere in Deo perfectiones non abſolutas à connexione cũ creaturis: ergo non erit inconveniens ponere, quod præcontinentia poſsibilium ſit intrinſeca perfectio Dei. Prob. Min. nam perfectio Dei intrinſeca cum creaturis connexa, non eſt perfectio dependens à creaturis, ſed potius facit à ſe dependere creaturas: ergo non eſt inconveniens in Deo talem perfectionem intrinſecã ponere. Prob. ſecundo Min. Nam iuxta D.Th. 3.p.q.1.art.1. de ratione ſummi boni eſt, quod ſe alijs ſummo modo communicet; quæ propoſitio, ſi intelligatur de communicatione per modum actus primi, ab omnibus Theologis admittitur, ad hunc ſenſum, quod ſit perfectio intrinſeca ſummi boni, ſine qua non eſſet ſummum bonum; & tamen ſummo modo alijs à ſe ſummum bonum eſſe ſui communicativum connectitur cum non repugnantia talis ſummæ communicationis: ergo non eſt inconveniens ponere in Deo perfectiones intrinſecas connexas cum non repugnantia ex parte creaturæ. Tertio nam attributum miſericordiæ perfectio intrinſeca Dei eſt, ad hunc modum, quod illo abla-

Digitized by Google

ablato à Deo, non remaneret Deus; & tamen non poteſt intelligi prædictum attributum Deo convenire, niſi ſupponatur creaturam non repugnare: ergo ſtat bene, perfectiones intrinſecas Deo convenire connexas cum creaturis.

278 Tertio alij reſpondent rationi noſtræ, quod eſto cognitio, qua Deus comprehendit ſe, de facto ſit cognitio omnium poſsibilium; ut tamen ſit Dei comprehenſiva, non requiritur, quod in particulari omnia poſsibilia cognoſcat, ſed ſufficit, ſi in communi rationem factibilis non repugnantis attingat, & ſic licet Verbum procedat per ſe ex cognitione comprehenſiva Dei, non ſequitur, quod per ſe procedat ex cognitione omnium poſsibilium, ſed tantum procedat concomitanter, & per accidens.

Sed contra iſto, nam omnipotentia non præcontinet creaturas poſsibiles ſolum ſecundum rationem poſsibilis, ſeu non repugnantis, ſed præcontinet illas ſecundum omnes ſuas rationes peculiares: ergo ut omnipotentia perfectiſsime comprehendatur, requiritur, quod in ea, & ex vi illius omnia poſsibilia in particulari cognoſcantur. Prob. Conſeq. nam, ut omnipotentia perfectiſsime comprehendatur, debet adæquate cognoſci virtus eius; cum ergo præcontineat omnia poſsibilia in particulari, ut adæquate cognoſcatur, debet cognoſci ſecundum quod in particulari illa, & ita, & ſic de omnibus alijs valet producere; ergo alias adæquate non cognoſcetur.

Confir. quando aliqua potentia ex ſe tantum eſt determinata ad rationem actus in communi, qui ſint intra eandem rationem formalem, tunc ad comprehenſionem talis potentiæ, non requiritur in ea cognoſcere omnes actus in particulari, quos poteſt facere. Exemplum eſt in potentia viſiva, quæ quidem ex ſe tantum determinatur ad eliciendum actum intra rationem lucidi colorati, non autem ex ſe determinata eſt ad aliquem actum in particulari, quia hæc determinatio convenit illi ex diſtinctis ſpeciebus, quibus ad videndum in particulari hæc obiecta, præ alijs iuvatur, & determinatur: unde ad comprehenſionem potentiæ viſivæ non requiritur cognoſcere omnes actus in particulari, qui poſſunt ab illa oriri: ergo, cum omnipotentia determinate, adæquate præcontineat omnia poſsibilia, ſecundum peculiares rationes uniuſcuiuſque, ut perfecte comprehendatur, omnino neceſſe eſt, quod in illa omnia poſsibilia ſecundum ſuas peculiares rationes cognoſcantur.

Confir. ſecundo. Cognitio poſsibilium, quæ ſufficit ad cognitionem quidditativam omnipotentiæ, non ſufficit ad cognitionem comprehenſivam illius: ad cognitionem quidditativam illius, cognitio rationis factibilis, & non repugnantis communiter ſumpti, requiritur, & ſufficit ad cognitionem quidditativam omnipotentiæ: ergo non ſufficit ad cognitionem perfecte comprehenſivam eius ſolum cognoſcere, quod poteſt ſe extendere ad omne non repugnans, ſed requiritur indiſpenſabiliter cognoſcere exercite omnipotentiam, ſic, quod in illa videantur omnia in particulari, quæ in ipſa tanquam in cauſa adæquata continentur.

§. XI.

Probatur ſpecialiter concluſio contra Scotum.

279 SCOTUS, ut ſupra dixi, diſtinguit in Deo primo inſtanti naturæ, in primo ponit Patrem intelligendo tantum ſuam eſſentiam, ex memoria fœcunda ſuæ eſſentiæ producere Verbum, deinde, Patrem, & Filium ſe amare mutuo, & poſtmodum producere amorem, qui Spiritus Sanctus eſt; hæcque omnia implere, & complere primum inſtans naturæ, in quo nihil habetur de poſsibilibus, quia nondum ſunt poſsibilia, & ſic nequeunt cognoſci. Poſtquam autem perſonæ divinæ productæ ſunt, ſequitur inſtans ſecundum naturæ, in quo Deus intelligendo poſsibilia prius, poſtmodum illa producit ſecundum eſſe diminutum (quod Scotus vocat eſſe cognitum). Unde concludit, Verbum nullo modo procedere ex cognitione poſsibilium. Sic Scotus.

Verum hæc eius poſitio omnino chymerica eſt. Nam illud eſſe productum, quo dicit gaudere poſsibilia in ſecundo inſtanti; vel eſt eſſe veri effectus actionem habens, vel eſt mera denominatio extrinſeca, vel eſt quid intrinſecum, licet non reale, rationis tamen: ſi dicatur primum, vere Scotus ponit creaturas ab æterno productas, ſecundum aliquod verum eſſe effectus, quod ſine ſcandalo dici non valet; ſiquidem ponit Deum non incepiſſe producere res in tempore, ſed ab æternitate contra illud: *In principio creavit Deus cælum, & terram*, id eſt,

in principio temporis, vt communiter doceretur à Catholicis; ſi dicatur ſecundum: ergo illa denominatio extrinſeca ſupponit ſubiectum, quod extrinſece denominat, & non facit illud: ſicut eſſe viſum ſupponit parietem, tanquam ſubiectum denominabile à denominatione extrinſeca viſi, & ſic creaturæ, vt intelligibiles pertinebunt ad primum inſtans naturæ, in quo Deus debet neceſſario cognoſcere omne id, quod pro illo rationem habet intelligibilis; eſt enim in primo inſtanti comprehenſor ſuæ eſſentiæ, & ſic debet cognoſcere omne id, quod in primo inſtanti cognoſcibile eſt: ſi dicatur tertium: ponit creaturas poſsibiles eſſe quoddam ens rationis, quod eſt ridiculum. Quod ſic probo. Nam ens rationis eſt, cuius fieri eſt tantum eſſe obiecti, & nullatenus eſſe veri effectus; ſed ſecundum Scotum, creaturæ poſsibiles tantum producuntur ſecundum rationem cogniti intrinſece, quod non eſt aliud, quam eſſe obiecti: igitur ſecundum illum creaturæ poſsibiles tantum gaudebunt eſſe rationis, & non reali eſſe.

Dices cum Scoto, Deum extra ſe nihil produxiſſe, niſi in tempore; intra ſe autem produxiſſe eſſe poſsibile creaturarum, & ſic in ſuo hoc dicto non opponi his, quæ fides prædicat, videlicet, quod in temporis initio Deus creare inceperit; nam hoc intelligi debet de productione rerum extra Deū, quæ eſt productio rerum ſecundum eſſe exiſtentiæ realis: non vero productio rerum ſecundum eſſe poſsibile.

Sed contra hoc eſt, nam illud eſſe productum, quo Deus creaturas producit intra ſe ſecundum eſſe poſsibile, vel eſt productum per veram cauſalitatem, ſic, quod inter producentem, & productum ſit vera ratio cauſæ, & effectus, vel non, ſed tantum obtinet puram rationem producti eo modo, quo Verbum producitur à Patre omni cauſalitate, & omni ratione effectus ſecluſſa; ſi primum dicatur: ergo ponit Scotus aliquod ens intra Deum manens habens veram rationem effectus, quod blaſphemum eſt, quia quidquid eſt intra Deum, Deus eſt, & nihil, quod Deus eſt, rationem effectus habere poteſt: ſi dicatur ſecundum: ergo Deus relatione reali originis referretur ad creaturas, ſecundum eſſe poſsibile intra ſeipſum originatas, ſicut quia Verbum producitur, vera relatione originis refertur ad ipſum, & ſic debuntur intra Deum ſex relationes originis, nempe quatuor, quas omnes Theologi ponunt, & duas alias, vnam per quam Deus conſtituitur in ratione principij vere producentis creaturas ſub eſſe poſsibili, & aliam, qua ipſæ creaturæ realiter referuntur ad Deum producentem, quod eſt erroneum.

Dices, creaturas non dici produci ſecundum aliquod eſſe ſpectans ad lineam entis, eo quod non producuntur per veram productionem memoriæ, quæ iam intelligitur eſſe in tribus perſonis pro ſecundo inſtanti naturæ, ſed fieri intelligibiles per hoc, quod intellectus, prout iam tribus perſonis convenit, illas intelligit: vnde non ſequitur, quod multiplicentur relationes originis, quia hæ tantum multiplicantur per originem alicuius ſecundum verum eſſe reale; non vero ſecundum purum eſſe intelligibile: ſicut ex hoc, quod intellectus producat ſecundam intentionem, non habet referri ad illam realiter, quia ſecunda intentio non producitur ſecundum verum eſſe reale, ſed dicitur produci, quia ſit obiectum, vel ſit intellectum id, quod antea intelligibile, vel intellectum non erat.

Sed contra hoc eſt; nam eſſe intelligibile, quod creaturæ poſsibiles accipiunt per intelligentiam actualem intellectus divini, vel ſupponit eſſe ipſarum creaturarum, quæ intelliguntur, vel non ſupponit eſſe poſsibile earum; ſi dicatur primum: ergo creaturæ per talem intellectionem non accipiunt eſſe intelligibile, ſed ſolum denominationem extrinſecam intellecti, nam vnaquæque res intrinſece eſt intelligibilis ratione ſuæ entitatis: cum ergo creaturæ ſupponantur habere eſſe poſsibile, habebunt eſſe intelligibile, & ſic ab actu intellectus divini, tantum accipient denominationem extrinſecam intellecti: ſi dicatur ſecundum; ergo earum eſſe pro primo inſtanti tantum conſiſtit in intelligi, & in eſſe actualiter obiecti divinæ intellectionis, & ſic erunt entia rationis, de quorum diffinitione eſt, eſſe tantum obiective in intellectu; quod de lapide poſsibili dici non poteſt: vel conſiſtit earum eſſe in intelligi, quod eſt verum naturale eſſe Verbi, & tunc requiritur neceſſario verus ordo originis inter intelligentem, & intellectum, & ſic habebimus intentum, videlicet, quod ex hac poſitione Scotica ſequatur multiplicatio relationum originis.

Explico hoc. Vel imaginatio Scotica ſiſtit in eo, quod res poſsibiles primo producantur à ſupremo artifice intra ſuum intelle-

telle-

Digitized by Google

intellectum, quam producantur ad extra ſecundum eſſe exiſtentiæ ad eum modum, quo artifex primo producit intra ſe Cathedram ſecundum eſſe intelligibile, quam illam producat ſecundum eſſe exiſtentiæ, quo gaudet extra artificem, & tunc oportebit neceſſario fateri, quod poſsibilia vere realiter producantur à ſupremo artifice; ſicut & producitur vere, & realiter ab artifice creata Cathedra ſecundum eſſe intelligibile, quo gaudet intra intellectum artificis: vel ſiſtit in eo, quod mere ſpeculative Supremus rerum Artifex eſſentias rerum poſsibilium contempletur, & tunc ad dictam intellectionem poſsibilium præſupponentur eſſentiæ poſsibilium, & ſic talis intellectio ſolum producet in illis quandam denominationem extrinſecam, nempe eſſe cognitum: ex quo vlterius ſequitur, quod creaturæ poſsibiles in primo inſtanti naturæ, cum iam præintelligantur habere eſſe poſsibile, intelligibiles ſint: vnde ad comprehenſionem eſſentiæ divinę, quę, ſecundum Scotum, fit in primo inſtanti naturæ, requiretur neceſſario cognitio poſsibilium, ſiquidem requiritur cognitio omnium eorum, quæ pro illo inſtanti cognoſcibilia ſunt.

§. XII.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

280 ARGVITVR Primo authoritate D. Thom. quæſt. 4 de verit. art. 5. in corpore ibi: *Quia Pater principaliter dicit ſe generando Verbum, & ex conſequenti creaturas; ideo Verbum principaliter refertur ad Patrem, ex conſequenti vero, & quaſi per accidens ad creaturas: accidit enim Verbo, quod per ipſum creatura dicantur.* Quæ vltima Verba digne ponderanda ſunt; accidit enim Verbo, quod per ipſum creaturæ dicantur: ſi enim accidit Verbo creaturas dicere: ergo poteſt intelligi ſubſtantia, & eſſentia Verbi non intellecto, quod Verbum exprimat creaturas: ergo, & poterit intelligi ſubſtantia, & eſſentia Verbi ſine eo, quod per ſe procedat ex cognitione creaturarum.

Ad hoc reſp. quod illud Verbum *accidit*, non ſignificat ibi id, quod potuit non eſſe, ſed tantum ſignificat id, quod convenit Verbo ratione alterius, & ſecundario; communiter enim vtimur hoc nomine *per accidens*, vt ſignificemus idem, quod per aliud, vel ratione alterius: vnde, cum Verbum divinum principaliter exprimat Patrem, & ratione huius principaliter expreſſi, exprimat creaturas, quamvis non poſsit non exprimere illas; ideo dicit D. Thom. accidere Verbo, quod ipſo creaturæ dicantur. Moveor ad hoc, quia apud omnes eſt certum, quod ſicut Pater non potuit non cognoſcere creaturas poſsibiles, ita Verbum Patris non potuit non exprimere illas: vnde D. Thom. non potuit loquendo de poſsibilibus aſſeverare, quod Verbum ſic exprimat creaturas, quod potuit non exprimere illas; & ſic Verbum *accidit*, non ſtat ibi pro eo, quod potuit non convenire Verbo, ſed pro eo, quod licet Verbo neceſſario conveniat, tamen illi non convenit primario, ſed ſecundario ratione alterius, nempe ratione eſſentiæ divinæ primario cognitæ. Hæc ſolutio ſatis probabilis eſt.

Verum videtur mihi probabilius dicere D. Thom. loqui tantum de creaturis futuris, de quibus verificatur in omni proprietate Verbum illud *accidit*, ſiquidem ſic ſiunt à Deo, quod potuit illa non facere: vnde libere ſciuntur, & libere dicuntur Verbo Dei. Moveor ad hoc ex his, quæ in principio illius articuli habet D. Thom. quæ placet educere: *Reſpondeo dicendum, quod quando aliqua duo ſic ſe habent ad invicem, quod vnum dependet ab altero, ſed non è converſo, in eo, quod dependet ab altero, eſt realis relatio: ſed in eo, à quo dependet, non eſt relatio, niſi rationis tantum, prout ſcilicet non poteſt intelligi aliquid referri ad alterum, quin intelligatur etiam reſpectus oppoſitus ex parte alterius, vt patet in ſcientia, quæ dependet à ſcibili; ſed non è converſo: vnde, cum creatura omnes à Deo dependeant, ſed non è converſo, in creaturis ſunt relationes reales, quibus referuntur ad Deum; ſed in Deo ſunt relationes oppoſitæ ſecundum rationem tantum.* Loquitur ergo D. Thom. in illo articulo de illis creaturis, quæ realiter referuntur ad Deum; hoc autem nequit verificari de poſsibilibus in ſtatu poſsibilitatis, ſicut enim non ſunt entia in actu, ſic nec actu realiter referuntur ad Deum: verificari ergo debet tantum de exiſtentibus, quæ vere effectus Dei ſunt, vere dependent, & vere referuntur ad Deum.

Moveor ſecundo, quia de illis creaturis agitat D. Thom. illum articulum quintum, de quibus in articulo 4. diffinierat, quod Pater dicit Verbo ſuo omnem creaturam, ſed ibi tantum hoc inquirit de crea-

turis

Digitized by Google

turis exiſtentibus pro aliqua differentia temporis: ergo in art. 5. dum inquirit, vtrum Verbum relationem ad creaturam importet: tantum loquitur de exiſtentibus. Prob. Min. nam in art. 7. ſequenti expreſſe inquirit de ſolis poſſibilibus dicens; vtrum reſpectu eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, Verbum ſit: ergo in articulo 4. tantum loquitur de exiſtentibus.

Tertio poſſumus explicare dicta Verba D. Thom. accidit autem Verbo, quod creatura Verbo dicatur de dici quoad executionem, non vero de dici quoad ſolam manifeſtationem: nam licet Verbum diuinum neceſſario manifeſtet poſſibilia; libere tamen de illis aliqua dixit in ordine ad executionem. Quæ doctrina eſt D. Thom. in dicto art. 7. vbi dicit: *Dicendum, quod aliquod poteſt eſſe dupliciter in Verbo: vno modo ſicut id, quod Verbum cognoſcit, vel quod in Verbo cognoſci poteſt, & ſic in Verbo eſt illud, quod nec eſt nec fuit, nec erit; alio modo dicitur eſſe aliquid in Verbo ſicut id, quod per Verbum dicitur; omne autem, quod Verbo dicitur, ordinatur quocumque modo ad executionem, quia Verbo inſtigamus alios ad agendum, & ordinamus aliquos ad exequendum id, quod in mente concipimus: vnde dicere Dei diſpoſitio ipſius eſt.* Et concludit: *Vnde, ſicut Deus non diſponit, niſi quæ ſunt, vel fuerunt, vel erunt, ita nec dicit: vnde Verbum eſt horum tantum, ſicut dictorum.* Ex quo in forma ad argumentum factum reſpondetur. Accidit Verbo quod per ipſum creatura dicatur, diſt. Ant. vt tantum manifeſtata, nego Antecedens, vt res dicta in ordine ad executionem, conc. Ant. ergo poteſt intelligi ſubſtantia, & eſſentia Verbi non intellecto, quod exprimat creaturas, diſt. Conſ. expreſſione, quæ ſola manifeſtatio ſit, nego Conſ. quæ ſit diſpoſitio in ordine ad executionem, conc. Conſ. & nego aliam, quæ ſub infertur.

281 Ratione arguit Arrubal Oſigo, & cognitio obiecti, per quam formaliter procedit Verbum, tam neceſſaria debet eſſe in exiſtendo, quam ipſum Verbum; ſed nullius creaturæ cognitio tam neceſſaria poteſt eſſe, quam Verbum, ſiquidem creatura, adhuc ſecundum eſſe poſſibile, habet minorem neceſſitatem, quam Verbum: ergo Verbum nequit procedere per cognitionem creaturæ, quatenus cognitio creaturæ eſt.

Huic argumento Reſpondet Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 6. num. 18. & 19. & Navarrete tom. 3. controv. 27. §. 2. negat Min. ad prob. negant, quod creatura poſſibilis ſit inferioris neceſſitatis, quam Deus, & aſſignat rationem: nam vel creaturæ poſſibiles ex ipſa Dei omnipotentia, vel à ſeipſis habent poſſibilitatem; ſi primum: ergo creaturas eſſe poſſibiles, erit ita neceſſarium, ſicut Deum eſſe omnipotentem: nam tunc poſſibilitas creaturarum, ſolum conſiſtet in eo, quod ſit omnipotentia potens illas producere: ſi dicatur ſecundum, multo magis probabitur creaturas eſſe poſſibiles, eſſe tantæ neceſſitatis, ſicut Deum eſſe: ſiquidem eſſe Dei ideo eſt omnino neceſſarium, quia eſt à ſeipſo independenter à quolibet alio; ſed creaturæ habent eſſe poſſibilitatis a ſeipſis independenter à Deo: ergo erunt eiuſdem omnino neceſſitatis, ac eſt ipſe Deus.

Sed contra hanc ſolutionem facit primo, quod prædicatum dictum de Deo, & creaturis, ſi in indiviſibili non conſiſtat, ſed ſuſcipiat magis, & minus, non poteſt ſecundum æqualitatem dici de Deo, & creaturis; ſed neceſſitas dicta de Deo, & creaturis, eſt prædicatum ſuſcipiens magis, & minus: igitur non poteſt prædicari ſecundum omnimodam æqualitatem de Deo, & creaturis: ergo non poſſumus aſſerere tam neceſſarium eſſe, Deum eſſe Deum, quam creaturas poſſibiles eſſe poſſibiles. Secundo nam neceſſarium, quod pendet ab alterius neceſſitate, non eſt ita neceſſarium ſicut id, à quo dependet; ſed creaturas poſſibiles eſſe poſſibiles, dependet ex neceſſitate omnipotentiæ Dei: diximus enim ſupra, quod poſſibilitas conſiſtit in duobus, nempe in non repugnantia terminorum, & in eo, quod ſit omnipotens cauſa, quæ illas ex nihilo poteſt reducere ad eſſe exiſtentiæ: igitur creaturas poſſibiles eſſe poſſibiles, non eſt ita neceſſarium, ſicut Deum eſſe, vel omnipotentiam eſſe.

Secundo reſp. alij neg. Min. ad prob. dicunt; creaturam poſſibilem eſſe poſſibilem, dupliciter poſſe conſiderari, vel in ſe, & ex intrinſecis terminis ſuis, vel illatiue ex neceſſitate omnipotentiæ. Primo modo ſpectata, non eſt tantæ neceſſitatis, quantæ eſt omnipotentia; bene vero ſecundo modo, quia eadem neceſſitate, qua Deus eſt omnipotens, infert creaturas eſſe poſſibiles. Sed contra hoc eſt, nam Verbum non tantum procedit per ſe ex cognitione Dei, vt neceſſario inferente cognitionem poſſibilium; ſed etiam procedit per ſe ex cognitione poſſibilium, formaliter vt terminata

ad

Digitized by Google

d poſsibilia: ergo oportet, quod non ſolum cognitio Dei, vt inferens cognitionē poſsibiliū, ſit tantæ neceſsitatis, quantæ eſt Verbum, ſed etiam requiritur, quod cognitio, vt terminata ad poſsibilia formaliter, ſit tantæ neceſsitatis, quantę eſt Verbum; ſed dato, quod poſsibilia in ſe non ſint tantæ neceſsitatis, quantæ eſt Verbum, cognitio vt poſsibilium, non erit tantæ neceſsitatis, quantæ eſt Verbum: ergo non ſufficit poſsibilia vt illata habere tantam neceſsitatē, quantam habet Verbum, ſed requiritur vlterius, quod in ſe intrinſece tantam neceſsitatem habeant, quantam Verbum habet, vt Verbum poſsit per ſe ex earum cognitione procedere.

Tertio alij reſp. quod de neceſſario poſſumus dupliciter loqui; vel de illo, vt opponitur contingēti, qua ratione dicit id, quod nō poteſt nō eſſe, vel de illo, in ordine ad ſua principia tam intrinſeca, quam extrinſeca: loquendo primo modo, creaturas poſsibiles eſſe poſsibiles, eiuſdem omnino neceſsitatis eſt cum hoc, quod eſt Deum eſſe, vel omnipotentem eſſe; loquendo vero ſecundo modo, non ſic res habet, quia non poſſe non eſſe, convenit Deo omnino à ſe; creaturas autem poſsibiles, non poſſe non eſſe poſsibiles, convenit dependenter à Deo. Inſuper, principia intrinſeca neceſsitatis poſsibilium, tantum eſt non repugnantia terminorum; in Deo autem eſt quid poſitivum, nempe eſſe ipſum eſſe. Et ſi fiat argumentum contra hoc, quod iam datur aliquod prædicatum ſuſcipiens magis, & minus, quod dicitur vnivoce, & ſecundum eandem rationem de Deo, & creaturis: negandum eſt Antec. quia neceſsitas, vt dicitur de Deo, & creaturis, non ſuſcipit magis, & minus, quantum ad hoc, quod eſt non poſſe non eſſe, quia eſt neceſsitas depurata omnino à ſuo contrario, quod eſt contingentia: neque enim poteſt fieri per aliquam potentiam ſive ordinariam, ſive abſolutam, quod Deus, Deus non ſit, & ſimiliter fieri non valet, quod creatura, quæ poſsibilis eſt, poſsibilis non fuerit, & ſic poſsibilitas convenit creaturis ea neceſsitate, qua maior excogitari non poteſt, vtpote quæ depuratur ab omni contingentia.

Sed licet hæc ſolutio ſufficiens ſit, placet tamen aliter ad argumentum reſpondere. Diſt. Min. ſed nullius creaturæ cognitio tantæ neceſsitatis eſt, quantæ eſt Verbum, reſpective ad id, quod Verbum primario exprimit, conc. Min. quam Verbum, reſpective ad id, quod repræſentat per ſe ſecundario, nego Min. & nego Conſeq. Itaque eodem modo philoſophandum eſt de neceſsitate Verbi, ac de neceſsitate cognitionis, ex qua per ſe procedit: in cognitione ergo, ex qua producitur, eſt maior, & minor neceſsitas; magis enim neceſſaria eſt, vt terminatur ad Deum, quā vt terminatur ad creaturas: ſimiliter de Verbo dicendū, quod magis neceſſariū eſt Verbū quoad id, quod primo manifeſtat, quā quoad id, quod ſecūdario manifeſtat, & ſicut cognitio nō amittit eſſe divinum per hoc, quod maiori neceſsitate refertur ad Deum, quā ad poſsibilia; ita non amittit Verbum eſſe divinum per hoc, quod maiori neceſsitate repræſentet Deum, quam poſsibilia: & ſicut hoc nō obſtante, cognitio, ex qua procedit Verbum, non poteſt nō eſſe cognitio creaturarum, quia Dei comprehenſiva eſt; ita, & Verbū non poteſt non repræſentare poſsibilia, quia comprehenſivū Dei eſt, & ſicut cognitio, ex qua procedit, per ſe habet eſſe cognitio poſsibilium: ita, & Verbum, quia Dei comprehenſivum eſt, per ſe petit procedere ex cognitione poſsibilium.

282 Tertio arguitur. Nam Verbum ſolum procedit per ſe ex cognitione vt cōprehenſiva Dei; ſed cognitio non habet, quod ſit Dei cōprehenſiva ex hoc, quod eſt cognitio poſsibilium: ergo non habet per ſe procedere ex cognitione poſsibiliū. Prob. Min. Tum, quia ſi inquiramus, quare cognitio illa eſt Dei cōprehenſiva? non recte reſpondetur, quia eſt cognitio poſsibiliū, & ſi inquiratur, quare illa cognitio Dei eſt cognitio poſsibiliū à priori? adæquate reſpondebitur; quia eſt cognitio comprehenſiva Dei; eſſe enim illam cognitionem omniū poſsibilium, tantum eſt ſignum à poſteriori huius, quod eſt illam cognitionem eſſe Dei comprehenſivam: ergo illa cognitio eo ſolum Dei comprehenſiva eſt, quia tangit adæquate Deum, non vero, quia terminatur ad poſsibilia.

Secundo prob. eadem Minor. Si illa cognitio eſſet Dei comprehenſiva, quia terminatur ad poſsibilia, vere ſecundum quod eſt comprehenſiva, ſpecificaretur à poſsibilibus cognitis; hoc autem dici nequit: ergo. Prob. Sequela. Illa cognitio vt comprehenſiva, non eſſet tantum cognitio Dei, ſed Dei, & poſsibiliū: ergo vt comprehenſiva ſpecificaretur à poſsibilibus. Tertio prob. illa Min. nā ſi ex hoc, quod Deus cog-

noſcit poſsibilia, ſe ipſum comprehendit: ergo per hoc, quod cognoſcit poſsibilia, magis ſe ipſum cognoſcit: ergo habet notitiam à poſteriori de ſe ipſo. Prob. hæc Conſeq. nam notitia Dei orta ex cognitione poſsibilium, eſt cognitio Dei à poſteriori vtpote ab effectibus ad cauſam. Quarto prob. eadem Min. nam illa cognitio, vt Dei comprehenſiva, Patrem beatificat; ſed non beatificat Patrem ex hoc, quod creaturas poſsibiles cognoſcit, ſed ſolum ex hoc, quod Deum perfectiſsime cognoſcit: ergo non eſt Dei comprehenſiva ex hoc, quod eſt cognitio poſsibilium.

Ad hoc argumentum diſt. Min. ſed ex hoc, quod eſt cognitio Dei, abſolute, nego Min. ſed ex hoc, quod eſt cognitio Dei talis, quod ex vi illius non ſolum Deus cognoſcitur, ſed etiam cognoſcuntur poſſibilia, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque, cognitio poſsibilium ex terminis non eſt cauſa, quod cognitio illa ſit Dei comprehenſiva; eſt tamen cognoſcere poſsibilia, ſic per ſe connexum cum illa cognitione, vt Dei comprehenſiva eſt, quod ſi non eſſet cognitio poſsibilium, non eſſet Dei comprehenſiva. Cuius ea eſt ratio, nam, vt ſit Dei comprehenſiva, requiritur, quod cognoſcantur omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, & virtualiter; nequeunt autem illa omnia in Deo cognoſci, niſi in ſe ipſis cognoſcantur: vnde eſt neceſſe, quod ſi Dei eſt cognitio comprehenſiva, omnia poſsibilia in ſe ipſis cognoſcantur.

Sed in contra inſto, nam ad productionem Verbi, tantum requiritur cognitio, vt Dei eſt comprehenſiva; ſed licet cognitio Dei comprehenſiva connectatur cum ſe ipſa, vt poſsibilium cognitio eſt; non tamen eſt comprehenſiva ex hoc, quod poſsibilium cognitio eſt: ergo Verbum divinum non procedet per ſe ex cognitione vt poſsibilium, ſed tantū ex cognitione Dei, non qualicumque, ſed illa, quę connectatur cum ſe ipſa, vt cognitio poſsibilium eſt. Explicatur hoc, hoc ſyllogiſmo. Quod non eſt per ſe cauſa, quod aliqua cognitio ſit Dei comprehenſiva, non eſt per ſe cauſa productionis Verbi; ſed quod illa cognitio ſit poſsibilium, non eſt cauſa, quod ſit Dei cōprehenſiva: ergo non erit cauſa per ſe productionis Verbi.

Ad hoc poteſt concedi totum, ex quo nihil infertur contra noſtram concluſionē, quia quando dicimus Verbum ad ſui productionē requirere cognitionem poſsibilium, non ſic debet intelligi, quod illam requirat, quia prout cognitio poſsibilium, cauſet per ſe Verbum; ſed quia non poteſt produci Verbum, niſi cognitio, ex qua producitur, cognitio poſsibilium ſit, ſive cauſet, ſive non cauſet Verbum, vt poſsibilium cognitio eſt; ſic enim aſsignamus diſcrimen inter proceſſum Verbi ex cognitione futurorum, & proceſſum Verbi ex cognitione poſsibilium: ex illorum enim cognitione ſic producitur, quod ſi illa cognitio non eſſe futurorum, vt potuit non eſſe, ſi Deus non decreviſſet libere ea producere; adhuc Verbum per ſe procederet; ex cognitione autem, quæ eſt poſsibilium, ſic procedit, quod ſi ponatur non eſſe cognitio poſsibilium, non procedet Patris comprehenſivum Verbum. Poteſt defenſari hæc ſolutio.

Sed ad argumentum principale verius reſpondetur diſt. Mai. ſecundum id, quod eſt primarium in Verbo, conc. Mai. ſecundum id, quod per ſe ſecundario convenit Verbo, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſeq. quantum ad id, quod primario convenit Verbo, conc. Conſ. quoad id, quod ſecundario, licet indiſpenſabiliter, illi cōvenit, nego Conſ. Itaque Verbo per ſe duo cōveniunt, alterū per ſe primo, nempe manifeſtare obiectum primarium comprehenſive, & alterum per ſe ſecundo, id eſt manifeſtare poſsibilia: quoad primum per ſe convenit Verbo divino procedere ex cognitione comprehenſiva Dei, quoad ſecundum per ſe, licet ſecundo, convenit Verbo divino procedere ex cognitione poſsibilium.

§. XIII.

Soluuntur alia Argumenta.

283 QVARTO Arguitur. Si per poſsibile, vel impoſsibile creaturæ redderentur impoſsibiles, adhuc remaneret in Deo omnipotentia: igitur procederet Verbū ſecundū eandem perfectionem, ſecundum quam procedit de facto: ergo non petit per ſe produci ex cognitione poſsibilium. Prob. Ant. nam ablata poſsibilitate creaturarū, adhuc maneret terminus primarius omnipotentiæ ad intra productus, nempe Filius, & Spiritus Sanctus: ergo adhuc maneret omnipotentia. Prob. Conſeq. nam omnis potentia manet manente termino primario,

Digitized by Google

ſto auferatur ſecundarius: cum ergo creaturæ poſsibiles ſint terminus ſecundarius divinæ omnipotentiæ, illis ablatis, maneret omnipotentia per remanentiam termini primarij eius.

Ad hoc argum. nego Ant. ad prob. nego, quod Filius, & Spiritus Sanctus ſint terminus primarius omnipotentiæ, nam omnipotentia eſt quid commune tribus perſonis, & ſic terminus primarius illius debet eſſe id, quod eſt producibile à tribus; Filius autem tantum eſt, producibilis à Patre, & Spiritus Sanctus tantum eſt producibilis à Patre, & Filio, & ſic nequit eſſe terminus primarius producibilis à tribus: vnde neque poteſt eſſe terminus primarius omnipotentiæ: ſunt ergo creaturæ poſsibiles terminus primarius illius, & ſic iſto ablato, auferretur de medio omnipotentia.

Sed contra eſt. Omnis potentia ſpeciem capit à termino primario: ergo ſi poſſibilia ſunt terminus primarius omnipotentiæ, hæc ſpeciem accipiet à poſsibilibus; quod dici nequit, aliàs perfectio divina ſpeciem caperet à creatura. Secundo, omnis potentia eſt propter ſuum terminum primarium; ſed omnipotentia non eſt propter creaturas poſsibiles: ergo hæ non ſunt terminus primarius omnipotentiæ. Mai. patet inductive in omnibus potentijs creatis, & Min. prob. nam ſi omnipotētia eſſet propter creaturas poſsibiles, vere dependeret ab illis, & vere relatione reali referretur ad illas, quod falſiſsimum eſt.

Ad 1. diſt. Ant. potentia ſpeciem accipit à termino primario, ſi ſit eiuſdem ordinis cum illo, conc. Ant. ſi ſit ordinis altioris, & terminus ſit ordinis inferioris, nego Antec. & Conſeq. Itaque, quando cauſa, vel potentia eſt ordinis altioris, & terminus primario tactus, vel cauſatus per illam, eſt ordinis inferioris, tunc talis cauſa, vel potentia habet eſſe omnino independenter à termino primo tacto, vel cauſato per illam: vnde tunc non habet ſpecificari ab illo, licet habeat connecti cum illo, quia ſpecificare eſt dare eſſe, ſaltim in genere cauſæ formalis extrinſecæ: cumque omnipotentia ſit ordinis divini, & poſsibilia ſint ordinis creati, omnipotentia habet eſſe omnino à ſe, & ſic habet eſſe independenter omnino à poſsibilibus: vnde nequit ab illis ſpecificari, quamvis illa reſpiciat pro primario termino, hoc eſt, pro primo tangibili ab illa. Ex quo ſolvitur ſecunda obiectio, diſt. Min. ſi ſit potentia ordinis altioris, quam terminus, nego Mai. ſi ſit eiuſdem ordinis, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. tunc enim tantū potentia eſt propter terminū, quando eſt eiuſdem ordinis cum illo, non vero quando eſt ordinis altioris, & terminus eſt ordinis inferioris.

Sed contra ſolut. inſto, nam Thomiſtæ probant non poſſe dari in Deo actum cognitionis, immediate terminatū ad creaturam, neque actum volitionis, immediate terminatum ad volitum creatum; ſed omnia debere Deum cognoſcere, & diligere per actus primo terminatos ad eſſentiā divinam, tanquam ad primum verum, & tanquam ad primum volitum, quia ſi actus divinus primo terminaretur ad creaturas, ſpeciem caperet ab illis: ergo ſi omnipotentia immediate terminatur ad poſſibilia, tanquam ad terminum primo factibilem per illam, ſpeciem capiet à poſsibilibus.

Ad hoc nego Conſeq. & aſsigno diſparitatem; nam ſi ſcientia Dei, vel voluntas eius immediate terminaretur ad creaturam, eo ſolum hoc poſſet contingere, quia divina eſſentia in ratione veri non præcontineret omne verum, & in linea boni non præcontineret omne bonum, & ſic ſcientia acciperet neceſſario ſpeciem à vero creato, & volitio à volito creato; ex hoc autem, quod omnipotentia immediate connectatur cū poſsibilibus, non ſequitur, quod aliquid accipiat à creaturis, quia poſſe immediate producere creaturas, nō deſumitur à creaturis prout in ſe ipſis, ſed tantum deſumitur à creaturis, prout contentis perfectiſſime in Deo: cum ergo Deus perfectiſsime in linea entis creaturas omnes contineat, poteſt immediate illas producere, ſine eo, quod aliquid accipiat ab illis.

Inſtabis, ſequi ex hoc nullam potentiam activam creatam ſpeciem capere poſſe à termino creato factibili; conſequens videtur extraneum à bona philoſophia: ergo. Prob. Sequela. Omnipotentia ideò non accipit ſpeciem à factibili, quia non dependet ab illo prout in ſe ipſo, ſed prout præcontento in Deo, ex hoc enim poteſt producere poſsibilia, quia præcontinet illa; ſed omne poſſe activum creatum etiam fundatur ſuper præcontinentiam termini factibilis: igitur nulla potentia activa creata ſpeciē capiet à ſuo termino factibili primario, Min. patet inductione, ideo enim

ignis poteſt producere ignem, quia in ſe illud præcontinet, & ſic de alijs activis contingit.

Ad hoc nego ſequelam. Ad prob. diſt. Min. ſuper præcontinentiam effectuum, à natura datam propter perfectionem effectuum in ſe ipſis, conc. Min. ſuper præcōtinentiam, non datam propter perfectionem effectuum in ſe ipſis, nego Min. & Conſeq. hoc enim eſt diſcrimen inter præcontinentiam omnium rerum, quam habet Deus, & inter præcontinentiam ſuorū effectuum, quā habent potentiæ creatæ, quod Deus eo ſolū præcontinet in ſe omnia factibilia, vt in ſe infinite perfectus ſit; cæteræ autem potentiæ activæ creatæ, non eo ſolū præhabent in ſe effectus ſuos, vt in ſe ſint perfectæ; ſed vltra hoc datur à natura illa præcontinentia propter perfectionē aliorū, v.g. generans hominem, non dat genito potentiā generativā ſolum propter perfectionē geniti, ſed propter perfectionem generandi, & ſic licet præcontineat generātum, cum propter ipſum ſit, ad ipſum ordinatur, & ſic ab illo ſpeciē capere poteſt.

284 Quinto arguitur. Si Verbum per ſe procederet ex cognitione omnium poſsibilium ſequeretur, quod repugnante lapide v.g. non procederet hoc ipſum Verbum, quod de facto procedit; Conſ. videtur falſiſsimum: ergo. Prob. Sequela. Lapide repugnante, non procederet Verbū ex cognitione omniū poſsibilium: ergo nō procederet ex cognitione, ex quo petit procedere. Min. prob. Lapide tamū repugnante, & alijs poſsibilibus non repugnantibus, eadē maneret omnipotentia: ergo eſto nō procederet Verbum ex cognitione lapidis, adhuc idem procederet Verbum prob. Antec. obiecto formali permanente in eſſe, potentia conſervatur in eſſe, eſto deficiat obiectum aliquod materiale; ſed lapis non eſt obiectum formale omnipotentiæ, ſed ratio eſt non implicans contradictionem: ergo repugnante tantum lapide, maneret de facto eadem prorſus omnipotentia. Confirm. lapide tantum repugnante, non poſſet dici, quod Deus non poſſet producere lapidem, ſed tantum, quod lapis nō poſſet fieri, vt habet D. Thom. loco ſupra adducto: ergo lapide repugnante, eſſet verum dicere, quod Deus omnia poſſet: ergo, & quod eſſet omnipotens.

Ad hoc argumentum nego Min. ad prob. nego primam partē Minoris, & diſt. ſecundā, ſed tantum non implicans contradictionē, de facto, conc. Min. nō implicans contradictionē, aliqua ſuppoſitione impoſſibili facta, nego Min. & nego Conſ. Itaque, omnipotentia ab ea dicitur, quod poſſit omnia producere, quæ de facto nō implicant: cū ergo de facto lapidē eſſe, nō implicet, cū lapide prout ſic nō implicante neceſſario conectitur formaliter: vnde ſi lapis de nō repugnante, ponetur repugnare; ponetur ex cōſequenti nō ad eſſe obiectū formale omnipotentiæ, & ſic nō ſalvabitur omnipotentia, quæ eſt de facto. Ad Confirm. diſt. primam Conſeq. eſſet verum dicere, quod Deus omnia poſſet, quæ de facto poteſt, neg. Conſeq. quæ in illa ſuppoſitione tantum poſſet, conc. Conſeq. & diſt. Conſeq. ſub illatum: ergo, & quod eſſet omnipotens; omnipotentia, qua facto gaudet, nego Conſ. alia omnipotentia, quæ tunc ad eſſet, tranſeat Conſeq.

Verum contra hanc doctrinam inſtabis probando, quod obiectum formale omnipotentiæ nō ſit omne id, quod de facto non implicat. Nam ſi hoc eſſet obiectum formale omnipotentiæ; ſequeretur beatos videre omnia poſsibilia; hoc autē eſt falſiſsimum; alias Deum comprehenderent: ergo. Prob. Sequela. Beati vident omnipotentiam, prout in ſe ipſa eſt: ergo vident eius obiectum formale: ergo ſi omne de facto non implicans eſt eius obiectum formale, vident omne nō implicans. Prob. primā Conſeq. nam potentia nequit in ſe ipſa videri, niſi videatur in ſe ipſo eius obiectum formale.

Ad hoc nego ſequelam, ad prob. diſt. Conſeq. vident eius obiectum formale, adæquate, nego Conſeq. ſecundum aliquā rationem communem, concedo Conſeq. ergo vident omne non implicans, ſecundū rationem cōmunem nō implicantis, conc. Conſ. ſecundū rationes particulares vniuſcuiuſque non implicantis, nego Conſeq. Itaque, de obiecto formali alicuius potentiæ debemus philoſophari eo modo, quo philoſophamus de potentia: ſi potentia videatur adæquate, debet eius obiectum formale adæquate, & ſecundum omnem eius rationem formalem videri; ſi tantum potentia videatur inadæquate, nō eſt neceſſe, quod eius obiectum formale videatur adæquate, & quia beati non vident omnipotētiam adæquate, non eſt neceſſe, quod videant omne non implicans adæquate, ſed ſufficit, quod videant ſub ratione communi non implicantis.

Eſ

Digitized by Google

Et ſi inſtes, quod cognitio beatifica eſt cognitio quidditativa omnipotentiæ: ergo debet eſſe cognitio quidditativa obiecti formalis: ergo debet videri ſecundũ omne id ſecundũ quod eſt obiectum formale: ergo ſi non tantum ſecundũ rationẽ communem eſt obiectũ formale, ſed etiam ſecundum omnes rationes particulares, erit neceſſe, quod beati videant omne non implicans ſecundũ omnes ſuas rationes particulares. Reſp. diſt. Ant. eſt cognitio quidditativa, adæquate, nego Ant. inadæquate conc. Ant. & diſt. Conſ. eadem diſtinctione. Itaque, reſpectu omnipotentiæ duplex cognitio quidditativa debet diſtingui, altera, qua cognoſcatur omnipotẽtia ſecundũ omnia, quæ habet tam formaliter, quã virtualiter; altera, qua cognoſcatur tantum ſecundum ea, quæ habet formaliter: cognitio quã habent beati de omnipotentia, eſt quidditativa ſecundo modo, non primo, & ſic non oportet, quod ſit cognitio quidditativa obiecti formalis adæquate, ſed ſufficit, ſi ſit ſecundum aliquam rationem communem.

Vel ſecundo dicatur ad Inſtantiã principalem, quod cum omnipotentia ſubdatur duabus cognitionibus, alteri quidditativæ, & alteri comprehenſivę, duplex ei aſsignatur obiectum formale, alterũ, vt præciſſe ſubditur cognitioni quidditativæ, & hoc eſt non implicans ſecundum rationem cõmunem non implicantis: alterum, ſecundũ quod ſubditur cognitioni cõprehenſivæ, & hoc eſt omne non implicans ſecundũ omnem eius rationẽ particularẽ. Videt Deus omnipotentiam comprehenſive, & ſic eſt neceſſe, quod videat omne non implicans, ſecundum omnẽ eius rationem particularem: vident beati omnipotentiam, ſolum quidditative, & ſic tantum ex neceſsitate attingunt rationẽ communem nõ implicantis. Neque hoc novum appareat, nam nullus negare poteſt, quod omnipotentia diffiniatur duplici definitione, alia quidditativa, alia comprehenſiva; his autẽ diffinitionibus reſpondent duæ cognitiones, altera cõprehenſiva, altera quidditativa: quid ergo mirũ, quod his reſpondeant duo obiecta formalia, quorum alterũ ſit ratio cõmunis non implicantis, altera ſit omne nõ implicans, ſecundum omnem eius rationem in particulari.

(I)

§. XIV.

Solvuntur alia Argumenta.

285 SEXTO Arguitur principaliter. Poſsibilitas creaturarum præſupponit Verbum in ſuo eſſe perfecto productum: ergo Verbum non procedit per ſe ex cognitione poſsibilium. Prob. Antec. Poſsibilitas creaturarum præſupponit omnipotentiam in tribus perſonis: ergo præſupponit Verbum conſtitutum, & productum. Prob. Antec. illius tantum eſt poſſe creare, cuius eſt de facto creare; ſed creare tantum convenit tribus perſonis: ergo poſſe creare tantum convenit tribus perſonis: cum ergo poſsibilitas præſupponat agens potens creare, præſupponet iam omnipotentiam in tribus perſonis.

Secundo prob. primum Ant. Poſsibilitas creaturarum oritur ex Deo, non influxu notionali, ſed eſſentiali: ergo oritur ex Deo, vt in tribus perſonis exiſtente: ergo præſupponit omnes tres perſonas exiſtẽtes in ſe ipſis. Prob. Conſ. nam influxus eſſentialis eſt communis tribus perſonis: ergo ſi poſsibilitas creaturarum in ſe ipſa, oritur ex Dei influxu eſſentiali, orietur ex tribus perſonis. Tertio prob. idem Antec. nam prius intelligitur exiſtere, id, quod habet eſſe à ſe, quam id, quod habet eſſe ab alio; ſed tres perſonæ habent eſſe à ſe; poſſibilitas vero creaturarum habet eſſe ab ab alio, nam reſultat ex eſſe à ſe: igitur poſsibilitas creaturarum præſupponit divinas perſonas in ſuo eſſe conſtitutas.

Ad hoc argumentum nego Antec. ad prob. diſt. Antec. Poſsibilitas creaturarum præſupponit omnipotentiã in tribus, præſuppoſitione ſigni à quo, conc. Antec. ſigni in quo, nego Antec. neque aliud probat probatio, quæ ibi adducitur: vnde diſt. vltimum Conſeq. præſupponit in tribus, præſuppoſitione ſigni in quo, nego Conſeq. ſigni à quo, conc. Conſeq. Itaque, in eodem ſigno in quo etiam rationis, ſunt omnia iſta, hic Deus abſolutus, hic Deus in tribus, & non repugnantia creaturarum, cum omnipotentia in tribus ad omne non implicans contradictionem: cæterum in illo ſigno, *in quo*, habentur diſtinctæ prioritates *à quo*, nam poſsibilitas eſt ab omnipotentia vt in tribus, & ſic poſsibilitas, poſterioritate à quo, po-

Digitized by Google

poſterior eſt ipſo Verbo; Verbum etiam, dum fit ex cognitione poſsibilium, poſterius eſt, poſterioritate à quo; ipſa poſsibilium cognitione: vnde omnia conſonant: nam cum in eodē ſigno, in quo omnia prędicta ſint, in eo Pater videt creaturas poſterioritate à quo poſteriores Verbo; & videt Verbum prioritate à quo prius creaturis poſsibilibus, & ſimul videt eſſe poſterius, poſterioritate à quo, ipſa cognitione poſsibilium.

Ex his patet ad alias duas probationes. Solū enim probant poſsibilia eſſe poſteriora Verbo, poſterioritate à quo; non autē in quo. Vnde ad 3. in forma diſt. Mai. prius intelligitur exiſtere id, quod habet eſſe à ſe, quā quod habet eſſe ab alio, ſi habeat eſſe ab alio, per puram reſultantiā, nego Mai. ſi per veram actionē, tranſ. Mai. & diſt. Min. pro ſecunda parte; poſsibilitas vero creaturarū habet eſſe ab alio, per puram reſultantiam, conc. Min. per veram actionem, nego Min. & nego Conſeq. loquendo de pręſuppoſitione quoad exiſtere.

286 Septimo arguitur. Cognitio Paterna prius attingit obiectum primariū, quā ſecundarium; ſed Verbum ſpectat ad obiectum primarium, ſaltem terminativū divinæ cognitionis, & creaturæ ad obiectum ſecundarium: ergo cognitio poſsibilium poſterior eſt ipſo Verbo, ac per conſequens hoc non procedet per ſe ex cognitione poſsibilium. Prob. Maior. Cognitio divina attingit obiectum ſecundarium in primario cognito vt quod: ergo prius attingit primarium, quam ſecundarium. Ad hoc diſt. Mai. Cognitio Paterna prius attingit obiectum primarium, quā ſecundarium, prioritate à quo, conc. Mai. in quo, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. poſterior eſt cognitio vt poſsibilium ipſo Verbo, poſterioritate à quo conc. Conſeq. in quo, nego Conſeq.

Sed inſtas. Verbum producitur ipſa cognitione poſsibilium: ergo eſt poſterius, poſterioritate à quo, ipſa cognitione: ergo nequit ipſa cognitio vt poſsibilium, poſterioritate à quo, eſſe poſterior ipſo Verbo. Ad hoc diſt. Ant. Verbum producitur ipſa cognitione poſsibilium, quoad primario repræſentatum in Verbo, nego Ant. quoad ſecundario, licet per ſe repræſentatū, conc. Antec. & diſt. Conſ. ergo eſt poſterius poſterioritate à quo ipſa cognitione poſsibilium, quoad primariò repręſentatū Verbi, nego Conſ. quoad ſecundariò, eſto per ſe repræſentatum, conc. Conſeq. & diſt. aliud Conſ. nequid ipſa cognitio vt poſsibilium, eſſe poſterior Verbo, quoad primariò repræſentatum in Verbo, nego Conſ. quoad ſecundariò per ſe repræſentatum, conc. Conſeq. Itaque Verbum quoad primariò repræſentatum in ipſo, eſt poſterius à quo ipſa cognitione, vt terminatur ad obiectū primarium; eſt tamen prius à quo, ipſa cognitione vt poſsibilium quoad ſecundariò repræſentatum & poſterius à quo, ipſa cognitionem poſsibilium.

§. XV.

Vtrùm Verbum per ſe procedat ex cognitione creaturarum futurarum.

287 CERTISSIMVM Eſt Verbū divinum procedere ex cognitione, quæ eſt cognitio Dei, poſsibilium, & futurorum, nam vt habet D. Thom. ſupra quæſt. 27. art. 5. ad 3. Deus vno ſimplici intuitu omnia intelligit, & vno ſimplici actū omnia vult. Quod & repetit hic quæſt. 35. & ſic per illam cognitionem, per quā Deus cognoſcit ſe, poſsibilia, & futura, producitur Verbū. Eſt ergo difficultas in duobus. Primo, an illa cognitio vt futurorū eſt, de facto Verbū originet: ſecundo, vtrū dato, quod de facto ex illa procedat, per ſe ex illa producatur ſic, quod ſi nō procederet ex illa, non maneret hoc ipſum Verbū, quod de facto eſt, ſicut diximus dubio pręcedēti, quod ſi non procederet ex cognitione poſsibiliū, non maneret idem Verbū, quod de facto eſt. In quo puncto elucidando, Valentia hic diſput. 2. q. 7. puncto ſecundo tenet Verbum per ſe produci ex cognitione futurorum. Sequuntur Zuñiga hic, hic diſp. 9. dub. 7. Montoya diſp. 63. ſect. 4. Alij tenent partem negantem. Sic Caietanus in præſenti. Bañez, Nazarius, Ripa, Vazquez, Suarez, Arrubal, & Granado. Tertia ſententia aſſerit Verbum de facto procedere ex cognitione futurorum; non tamen ex illa procedere per ſe.

288 Sit prima concluſio. Verbum de facto procedit ex cognitione futurorum. Prob. ex art. 2. huius quæſt. 34. ſolut. ad 3. vbi D. Th. habet: *Pater intelligendo ſe, & Filiū, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ in eius ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas dicatur, & etiā omnis creatura.* Ex quibus ſic argumētor. Verbum

de

e facto procedit ex cognitione eorum, quæ dicuntur Verbo; ſed omnis creatura ſine diſtinctione penes poſsibilem, & futuram Verbo dicitur à Patre: ergo Verbũ de facto procedit ex cognitione futurorũ. Nec valet dicere ly *omnis creatura* tantum diſtribuere pro poſsibilibus. Non inquam valet, nam D. Thom. dum non diſtinguit inter creaturas poſsibiles, & futuras, nec nos debemus diſtinguere.

Vlterius prob. ex quæſt. 4. de verit. art. 7. vbi habet, quod *aliquid poteſt eſſe dupliciter in Verbo: vno modo ſicut id, quod Verbum cognoſcit, vel quod in Verbo cognoſci poteſt, & ſic eſt etiã illud, quod nec eſt, nec fuit, nec futurũ eſt; alio modo dicitur eſſe aliquid in Verbo, ſicut id, quod per Verbum dicitur; omne autẽ, quod aliquo Verbo dicit, ordinatur quodammodo ad exequutionem, quia Verbo inſtigamus aliquos ad agendum id, quod in mente concipimus: vnde ſicut Deus non diſponit, niſi quæ ſunt, vel erunt, vel fuerunt, ita nec dicit: vnde Verbum eſt horum tantũ, ſicut dictorũ.* In quibus Verbis expreſſe habet, creaturas futuras Verbo dici: ergo Verbum de facto procedit ex cognitione futurorum.

289. Ratione prob. concluſio. Verbum de facto procedit ex cognitione omnium eorum, quæ Pater in illo exprimit; ſed Pater exprimit creaturas futuras in Verbo ſuo: ergo Verbum de facto procedit ex cognitione futurorum. Patet Maior, nam cognitio Patris, vt expreſsiva alicuius obiecti in verbo, originatur ex cognitione eiuſdem obiecti: ergo ſi Pater exprimit futura in Verbo, vere Verbum procedit ex cognitione futurorum. Min. vero prob. ex quæſt. 4. de verit. art. 4. ibi: *Sic igitur oportet, quod quidquid in ſcientia Patris continetur, totum hoc per vnum ipſius Verbum exprimatur, & hoc modo, quo in ſcientia continetur, vt ſit verũ Verbũ ſuo principio correſpondens per ſcientiam, & Verbum ipſius exprimat ipſum Patrem principaliter, & conſequenter omnia alia, quæ cognoſcit Pater, & ſic Filius ex hoc ipſo, quod eſt Verbum perfecte exprimens Patrem, exprimit omnem creaturam:* ergo. Ratione etiam prob. nam Pater omnia, quæ cognoſcit, exprimit Verbo ſuo; ſed cognoſcit, non tantum poſsibilia, ſed futura: igitur exprimit, non ſolum poſsibilia, ſed futura. Patet Mai. nam expreſsio Verbi debet adæquate correſpondere cognitioni Patris: ergo ſi Pater cognoſcendo ſe, cognoſcit futura, exprimet illa in Verbo. Min. vero etiã videtur certiſsima, nam Pater vnica indiviſibili cognitionẽ cognoſcit poſsibilia & futura, & Conſ. patet ex ipſa ſua forma.

Dices: huic rationi, quod licet Pater vnica cognitione futura, & poſsibilia cognoſcat; non tamen hoc habet pro omni ſigno: nam futura non poſſunt cognoſci niſi poſito decreto de eorum futuritione; hoc autẽ decretũ, cum ſit à tribus perſonis, ſupponit Verbum productum, & ſic inter cognitionem Patris, vt eſt poſsibilium, & eandem, vt eſt futurorum, mediat adæquata proceſsio Verbi: vnde non ſequitur, quod Verbum procedat ex cognitione futurorũ, vt cognitio futurorum eſt.

Sed contra hoc eſt, nam ex hoc, quod cognoſci non poſsint futura, niſi medio decreto, & decretum ſit à tribus perſonis, non ſequitur, quod Verbum non procedat ex cognitione futurorũ. ergo ſolutio nulla. prob. Antec. decretum non eſt à Verbo ſecundum omnia, quæ de facto habet Verbum, ſed tantum ſecundum ea, quæ neceſſario, & per ſe illi conveniunt: ergo ſtat, quod futura non poſsint cognoſci, niſi medio decreto, & quod decretum ſit à tribus perſonis, & quod Verbum ſecundũ ea, quæ illi conveniunt quaſi accidentaliter, procedat ex cognitione futurorũ. Patet Conſ. nã Verbum bene poteſt procedere ex cognitione eorũ, quorũ non præſupponitur repræſentativum; ſed pro illo priori, pro quo Pater in decreto libero cognoſcit futura, Verbũ non præſupponitur vt repræſentans futura, ſed tantũ vt repræſentans poſsibilia: ergo, vt repræſentans futura poterit procedere ex cognitione futurorũ. Secundo: nam cognitio futurorũ in decreto, licet communis ſit tribus perſonis; tamen prioritate originis, prius Pater intelligit futura in decreto, quã Verbum: ergo Verbũ accipit à Patre ſcientiam liberam futurorum: ergo & accipit expreſsionem liberam futurorum: ergo ſecundum quod expreſsivum eſt futurorum, de facto procedit ex cognitione eorundem.

Dices, expreſsionem futurorum, quam habet Verbum, non eſſe diſtinctam ab expreſsione poſsibilium, ſed per eandem expreſsionem, qua exprimit aliqua vt poſsibilia, ſuperaddito tantum decreto de eorum futuritione, repræſentare eadem vt futura, & ſic non eſſe neceſſarium, quod poſtquam Verbum procedit à Patre, vt repræſentans poſsibilia, iterato procedat à Patre vt repræſentans futura, ex cognitione futurorum. Vis ſolutionis

Digitized by Google

in eo ſtat, quod Verbum ſine nova additione repræſentationis ab ea, qua exprimit poſsibilia, habet repræſentare futura; addito tamen decreto libero, & ſic ex cognitione futurorum nihil accipit Verbum à Patre.

Sed contra hoc eſt, nam ad hoc, quod Verbum repræſentet futura; non ſufficit ſuperaddi decretum liberum, veluti in linea entis, ſed vlterius requiritur, quod Pater decretum liberũ, quod prioritate originis cognoſcit, exprimat in Verbo ſuo; ſed expreſsio decreti liberi fit à Patre ex cognitione futuri: ergo Verbum ſecundum id, quod quaſi eſt accidens illi, nempe repræſentare futura, procedit ex futurorum cognitione. Prob. Mai. repræſentatio, qua Verbum repræſentat futura medio decreto libero, eſt perſonalis, & non eſſentialis: ergo requiritur, quod fiat medio decreto, vt expreſſio à Patre in Verbo ſuo: patet Conſeq. nam decretum, vt præuenit eſſe expreſſum, eſt pure eſſentiale.

Quam doctrinam eleganter tradidit D.Thom. quæſt. 4. de verit. art. 4. ad 3. ibi: *Dicendum, quod diſpoſitio creaturarum non dicitur Verbum proprie loquendo, niſi ſecundum quod eſt ab altero progrediens, quæ eſt diſpoſitio genita, & dicitur perſonaliter, ſicut & Sapientia genita, quamvis diſpoſitio ſimpliciter ſumpta eſſentialiter dicatur.* Quibus Verbis aperte demonſtrat diſpoſitionem creaturarum, quæ eſt idem, quod præordinatio, vel prædiffinitio, vel decretum, poſſe dupliciter accipi, vel eſſentialiter, ſecundum quod intelligitur actus omnium triũ perſonarum, vel perſonaliter, ſecundum quod eſt diſpoſitio genita, ſecundum quam rationem proprie dicitur Verbum: ergo repræſentatio futurorum in Verbo, quæ fit per repræſentationem ipſius diſpoſitionis, prædiffinitionis, vel decreti importat hæc vt expreſſa, & genita à Patre exprimente, & generante.

Secundo inſto. Nam licet expreſsio decreti liberi non ſuperaddat aliquam perfectionem, ſuper expreſsionem actus neceſſarij; tamen requiritur, quod exprimat ipſum actum neceſſarium, vt libere terminatum ad futura; ſeu exprimere illum vt ſic terminatum ad futura, non poteſt convenire Verbo niſi ex cognitione, qua Pater futura cognoſcit: ergo Verbum ſecundum aliquid ſui, ſive ſit perfectio, ſive ſola terminatio nova, de facto procedit ex cognitione futurorum.

Secundo prob. principaliter concluſio. Nam Verbum divinum de facto eſt comprehenſivum Dei: ergo exprimit omnia, quæ de facto Deo conveniunt: ergo exprimit neceſſaria, & libera; ſed vt exprimens neceſſaria, procedit ex cognitione neceſſarium: ergo vt exprimens libera, procedit ex cognitione eorum, quæ libere Deo conveniunt: ergo ex cognitione futurorũ. Omnes conſequentiæ pręter primam patent, & prima prob. nam comprehenſio perfectiſsima Dei involuit neceſſario cognitionem omnium, quæ Deo conveniunt, ſi enim aliquid Dei Deum lateret, ſe ipſum non perfectiſsime cognoſceret, & ſic non ſe perfectiſsime comprehendere.

§. XVI.

Solvuntur Argumenta.

290 ARGVITVR Primo contra concluſionem. Non datur in Verbo aliquod prædicatum, ratione cuius procedat ex cognitione futurorum: ergo falſa eſt concluſio. Prob. Antec. cognitio futurorum vt talis, tantum poteſt eſſe principium alicuius prędicati, quod ſic conveniat Verbo, quod potuerit illi non convenire; ſed in Verbo non datur huiuſmodi prædicatum: ergo ſecundum nullum prędicatum ſuum, poteſt Verbum procedere ex cognitione futurorum: Maj. patet, nam effectus nequit in neceſsitate ſuum effectivum excedere; ſed cognitio futurorum ſic eſt eorum cognitio, quod potuit non eſſe eorum cognitio: ergo prædicatum, quod ſecundum illam competeret Verbo, ſic conveniret, quod poſſet non convenire Verbo. Min. vero prob. nam Verbum eſt omnino ens neceſſariũ: ergo nullum prædicatum ſic illi convenit, quod potuerit ei non convenire.

Confirm. Verbum divinum procedit naturaliter à Patre, hoc eſt, procedit à Patre vt ab agente omnino neceſſario, & nullo modo libero: ergo procedit ex cognitione mere naturali, & nullo modo libera; ſed cognitio futurorum eſt libera, ſiquidem nititur decreto libero: ergo non procedit ex cognitione Patris, prout cognitio eſt futurorum.

Ad hoc argumentum nego Antec. ad prob. nego Min. ad prob. diſt. Antec. omnino neceſſarium, quoad perfectionem, & entitatem, conc. Antec. quoad repræſenta-

tio-

Digitized by Google

ionem omnium, quæ per ipſum repræſentantur, nego Ant. & Conſ. Itaque, Verbum divinum, ſi conſideretur in ſe quoad ſuam omnem perfectionem, omnino eſt ens neceſſarium: ſi autem conſideretur quoad repræſentationem futurorum, quia ſic ea repræſentat, quod potuit non repræſentare; ſic non eſt neceſſarium abſolute, & ex vi terminorum, ſed tantum ex ſuppoſitione decreti liberi: ſicut ſcientia futurorum, ſi conſideretur in ſe, & ſecundum ſuam perfectionem, omnino neceſſaria eſt; ſi vero conſideretur, vt eſt ſcientia futurorum, ſic tantum ex ſuppoſitione eſt neceſſaria, non vero ex vi terminorum; nam ſi Deus nihil decreviſſet producere, nullum futurum per dictam ſcientiam cognoſceret. Et hoc eſt, quod D. Thom. dixit quæſt. 4. de verit. citat. a ſupra: accidit Verbo, quod per illum dicatur creatura, quia non convenit Verbo, quod per illud dicatur creatura futura, niſi ex ſuppoſitione decreti liberi de eius productione.

Ad Confir. diſt. Ant. quantum ad omnia prædicata Verbi, nego Ant. quantum ad ea prædicata Verbi, ſine quibus potuit eſſe Verbum, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque in Verbo, vt dixi, eſt expreſſio deitatis, & creaturarum poſſibilium, & eſt expreſſio futurorum: quantum ad illa duo ſic procedit, quod non potuit non procedere à Patre vt agente neceſſario; quantum ad ſecundum ſic procedit ab illo, neceſſario tantum ex ſuppoſitione libera, nempe ex ſuppoſitione, quod decreviſſet libere producere futura; ſi enim non decreviſſet futura libere producere, illa non cognoſceret, & ſic illa Verbo ſuo non exprimeret. Et ſi inferas: ergo aliquod prædicatum habet Verbum, quod potuit illi non convenire. Diſt. Conſ. quod potuit illi non convenire, quoad perfectionem, nego Conſ. quoad liberam terminationem, tranſeat Conſ.

291 Secundo arguitur. Ad hoc, quod Verbum repræſentet futura, non requiritur, quod procedat ex cognitione futurorum; ergo de facto non procedit ex illa. Conſeq. eſt bona, & Ant. prob. per hoc ſolum, quod Verbum procedat ex perfectiſſima cognitione poſſibilium, & ponatur decretum liberum de aliquorum poſſibilium productione, ſtat Verbum perfectiſſime repræſentare futura: ergo non requiritur cognitio futurorum vt cauſa productionis Verbi. Prob. Ant. eſſentia divina ex ſola poſitione decreti liberi habet perfectiſſime repræſentare futura: ergo, & Verbum ex ſola poſitione decreti liberi habebit perfectiſſime repræſentare vt futura, quæ ante poſitionem decreti ſolum repræſentabat vt poſſibilia. Confir. ſcientia viſionis, quæ eſt futurorum, ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non addit aliquid intrinſecum ſcientiæ, ſed tantum actum liberum de productione futuri: ergo, & repræſentatio futurorum ſupra repræſentationem poſſibiliorum, tantum addet novam terminationem ad futura, non vero aliquid productum ex cognitione futurorum.

Ad hoc nego Ant. ad probationem nego Ant. ad prob. nego Conſ. nam repræſentatio Verbi non eſt repræſentatio eſſentialis, ſed expreſſa, & genita à Patre, & ſic ad repræſentationem futurorum non ſufficit poſitio decreti, veluti in linea entis, ſed requiritur, quod Pater illud decretum, quod cognoſcit, exprimat Verbo ſuo; hoc autem nequit fieri niſi ex cognitione futurorum, & ſic requiritur, quod Verbum procedat ex cognitione futurorum. Ad Confir. nego Ant. ſuperaddit enim decretum liberum; decretum enim liberum duo habet, alterum ex parte voluntatis, & alterum ex parte intellectus: ex parte enim voluntatis addit actum liberum, quo ſcientia Dei inclinatur ad rerum productionem, & ex parte intellectus diſpoſitionem actualem, vel directionem per modum imperij.

Inſtabis, ſequi ex hoc, quod ſcientia viſionis ſit diſtinctum attributum à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quod eſt contra commune placitum Theologorum: ergo. Prob. Sequela. Scientia viſionis addit ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ aliquid ſe tenens ex parte ſcientiæ: ergo erit diſtinctum attributum. Ad hoc nego Sequelam. Ad prob. diſt. Ant. addit aliquid; quoad obiectum primarium ſcientiæ, nego Ant. quoad obiectum ſecundarium, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque, attributum ſcientiæ per ſe primo ſpecificatur à Deo viſo, & ab ipſo accipit vnitatem, quia in ordine ad ipſum diverſitatem non habet; ſecundario vero tangit creaturas, & ſic non multiplicatur in ordine ad illas, eſto dum attingit futura, aliquid concernat, quod non concernit, dum attingit poſſibilia.

******

Digitized by Google

§. XVII.

Statuitur Secunda Concluſio.

292 VERBUM Divinum non procedit per ſe ex cognitione futurorum. Volo dicere, quod eſto productionem Verbi non præcederet, præcedentia originis, cognitio futurorum, adhuc produceretur hoc ipſum Verbum, quod de facto eſt. Prob. concluſio. Verbum divinum per ſe tantum procedit ex cognitione eorum, quæ non potuit non convenire Deo; ſed cognoſcere futura, potuit non convenire Deo: ergo per ſe non procedit ex cognitione futurorum. Conſ. eſt bona. Min. patet, nam cognoſcere futura, eſt liberum Deo: igitur potuit illi non convenire. Maj. autem prob. quod per ſe convenit Verbo, ſic convenit, quod non potuit illi non convenire: ergo petit oriri ex cauſa, quæ non potuit non convenire Deo: ergo petit oriri ex cognitione, quæ non potuit non convenire Deo.

Dices, Verbo dupliciter convenire aliquid per ſe. Primo modo abſolute, & ex vi terminorum: ſecundo modo aliqua ſuppoſitione facta. Primo modo perſeitatis convenit Verbo per ſe ex cognitione Dei, & poſsibilium: ſecundo modo per ſe convenit Verbo procedere ex cognitione futurorum.

Sed contra hoc eſt. Nam id, quod convenit alicui aliqua ſuppoſitione facta, quæ potuit non fieri, non convenit illi per ſe: ergo ſi Verbo divino procedere ex cognitione futurorum, tantum convenit ex ſuppoſitione, quæ potuit non fieri, non conveniet illi per ſe, procedere ex cognitione futurorum. Prob. Ant. quod convenit alicui ratione alicuius, quod non convenit illi per ſe, nequit illi convenire per ſe: ergo quod convenit alicui ex aliqua ſuppoſitione, quæ tantum accidentaliter, & non per ſe convenit, nequit illi per ſe convenire. Explicatur hoc. Quod convenit alicui ratione alterius, nequit intimius illi convenire, quam illud, ratione cuius convenit: ergo ſi id, ratione cuius convenit, non per ſe conveniat, nequit illud, quod ratione alterius convenit, per ſe convenire; ſed Verbum repræſentare futura, convenit ratione ſuppoſitionis decreti liberi de eorum productione: ergo nequit illi intimius convenire, quam illi conveniat decretum liberum; ſed hoc non convenit Deo per ſe, ſed quaſi accidentaliter, nempe quia ſic voluit, cum poſſet velle oppoſitum: ergo Verbo divino nequit per ſe convenire, procedere ex cognitione futurorum.

Dices, Ant. huius doctrinæ eſſe falſum, & probabis, nam Angelo ſemper exiſtere, convenit per ſe; & tamen illi convenit ex ſuppoſitione omnino libera, nempe ex ſuppoſitione, quod Deus creet illum: ergo ſtat aliquod prædicatum intimius coniungi cum aliquo, quam ſuppoſitio media qua illi convenit.

Sed contra hoc eſt, nam ex vi terminorum, cum eſſentia Angeli non magis comparatur ut accidens terminare productionem, quam exiſtere: abſolute enim loquendo omnia illa tria ſunt accidentia communia Angeli: ergo in illo non inſtatur ratio à nobis adducta. Explico hoc. Etenim abſolute loquendo, ſicut Angelus potuit non terminare creationem, ita, & potuit non exiſtere, & ſi potuit non exiſtere, potuit non ſemper à parte poſt exiſtere: ergo ſemper exiſtere non intimius connectitur cum eſſentia Angeli, quam terminare creationem ſui. Bene vero verum eſt, quod poſtquam Angelus terminavit productionem, ab intrinſeco convenit illi ſemper exiſtere, & ſic poſſumus dicere, quod per ſe illi conveniat exiſtere, illa ſuppoſitione accidentali facta; ſed hæc perſeitas non eſt Logica, ſed Phyſica, quam nos non negamus convenire Verbo: ex ſuppoſitione enim, quod Deus decernat libere productionem futurorum, Deus Pater neceſſario debet futura cognoſcere, & neceſſario debet Verbum ex eorum cognitione produci; ſed loquimur de illa perſeitate, quæ convenit Verbo ex vi terminorum, & dicimus, quod loquendo de perſeitate Logica, quæ eſt proprium quarto modo Verbi, Verbo non convenit per ſe, produci ex cognitione futurorum, quia ſi Deus non decerneret futurorum productionem, adhuc Verbum haberet omnem perfectionem, quam habet de facto, eo prorſus modo, quo ſi Deus omni prorſus actu libero careret, actus divinæ Voluntatis eiuſdem omnino eſſet perfectionis, ac modo eſt: & ſi divina ſcientia ad futura non ſe extenderet, adhuc eiuſdem omnino perfectionis maneret, ac modo eſt.

(.:.)

Sol-

§. XVIII.

Solvuntur Argumenta.

293 PRIMO arguitur ex Auguſtino 15. de Trinit. cap. 13. vbi ait: *Quod Pater Æternus Verbum non integre, perfecteque dixiſſet, ſi aliquid minus, vel amplius eſſet in Verbo, quam in ſe ipſo*: ergo, cum ſcientia Patris præhabeatur viſio, & repræſentatio creaturarum futurarum, hoc ipſo, quod ſupponūtur futuræ, oportet, vt hæc contineantur in Verbo, vt integre, perfecteque dicatur, & ita oportebit, quod ipſum Verbum procedat ex dicta viſione, & repræſētatione, hoc ipſo, quod creaturæ ſupponantur futuræ.

Ad hoc argumentum, conc. totū, quia illo tantum probatur, quod ex ſuppoſitione futurorum, neceſſarium ſit Verbum procedere ex eorum cognitione: verum, cum hæc neceſsitas non conveniat Verbo abſolute, & ex vi terminorum; non probatur, quod Verbum divinum per ſe exigat procedere ex cognitione futurorum. Pono huius exēplum: eſto ex ſuppoſitione, quod Petrus ſit albus, neceſſe ſit diſgregare viſū; tamen quia illa neceſsitas convenit Petro ratione albedinis, quæ accidens illius eſt, adhuc facta ſuppoſitione, quod albus ſit, nō ſequitur, quod Petro per ſe conveniat diſgregare viſum; aliud enim eſt loqui de Petro ex terminis, aliud eſt loqui de Petro reduplicative vt albo: primo modo loquendo de Petro, illi neceſſario non convenit diſgregare viſum, quia per hoc nō ponitur connexio neceſſaria inter Petrum ex terminis, & diſgregationem viſus, ſed tantum inter albedinem, & diſgregationem viſus; ſic ſimiliter, ex ſuppoſitione, quod Pater videat futura, neceſſarium eſt Verbum procedere ex cognitione futurorum, ſed abſolute loquendo, ſicut eſt quaſi accidens Patris, cognoſcere futura, ſic eſt quaſi accidens Verbi, procedere ex illorum cognitione.

294 Secundo arguitur Verbum per ſe procedit ex cognitione poſsibilium: ergo per ſe procedit ex cognitione futurorū, ex ſuppoſitione quod futura ſint, prob. Conſ. non minus eſt efficax cognitio futurorum ad producendum Verbum, vt ipſorum eſt repræſentativum, quam cognitio poſsibilium ad producendum Verbum, vt ipſorum repræſentativum: ergo ſi vt cognitio poſsibilium per ſe requiritur ad productionem Verbi, etiam vt cognitio futurorum per ſe requiretur ad productionem Verbi. Prob. ſecundo, quia cognitio poſſibilium, ideo per ſe requiritur ad productionem Verbi; quia in eodē ſigno, in quo repræſentatur Deus per eſſentiam divinā, repræſentantur etiam poſsibilia; ſed etiam in eodem ſigno, in quo poſsibilia repræſentantur, repræſentantur etiam futura, ex ſuppoſitione quod ſint futura: igitur ſi cognitio poſsibilium per ſe requiritur ad productionem Verbi, etiam requiretur per ſe cognitio futurorum. Prob. Min. Nam futura poſitive menſurantur inſtanti æternitatis: ergo in eo ſigno, in quo habetur poſſibilitas eorum, habebitur etiam eorum futuritio, ac per conſequens repræſentatio ex parte eſſentiæ divinæ, & cognoſcibilitas ex parte futurorum.

Ad hoc nego Conſ. ad prob. dato Antecedenti, nego Conſequentiā, licet enim cognitio futurorum ſit ita efficax ad producendum in Verbo id, quod de facto producit, ſicut cognitio poſsibilium; tamen eſt diſcrimen, quod cognitio poſsibilium eſt efficax ad producendum id, ſine quo Verbum divinum eſſe non poteſt abſolute, & ex vi terminorum: vt autem eſt futurorum cognitio, tantum eſt efficax ad producendum in Verbo id, ſine quo poteſt ſalvari integra ſubſtantia, & perfectio Verbi: & ſic non ſequitur, quod ſi vt cognitio poſsibilium per ſe requiritur, ita ſimiliter, vt cognitio futurorum per ſe requiratur. Ad ſecūdā prob. nego Mai. non enim ex eo præciſe, quod eſſentia divina in eodem ſigno, in quo repræſentat Deum, repræſentat poſsibilia, probatur Verbum per ſe procedere ex cognitione poſsibilium; ſed ex eo, quod ſic neceſſario illa repræſentat, quod non poteſt Deus comprehenſive cognoſci, quin poſsibilia cognoſcantur: poteſt autem Deus perfectiſsime cognoſci, ſine eo, quod futura cognoſcantur, & ſic, licet ſint in eodem ſigno cognoſcibilia, quo creaturæ poſsibiles; non ſequitur, quod ſicut per ſe requiritur cognitio poſsibilium ad productionem Verbi, per ſe ad illam requiratur cognitio futurorum.

Sed contra has ſolutiones ſic inſto, in primis contra primam datam primæ probationi. Nam cognitio poſsibilium vt talis, non producit in Verbo aliquid, quod ſit de ſubſtantia Verbi, ſed tantum aliquid ſpectans ad puram terminationem ad poſsibilia; ſicut & cognitio futurorum tantum producit in Verbo aliquam puram termi-

Digitized by Google

nationem ad futura: ergo ex hoc capite non aſsignatur diſcrimen. Prob. Ant. quidquid Verbum habet pro ſubſtantia, & ſui perfectione eſt Deus, & non creatura: ergo quoad ſubſtantiam, & perfectionem, tantum procedit ex cognitione Dei, & non ex cognitione creaturarum, etiam poſsibilium: Deus enim de Deo tantum eſt active, & terminative: ergo nequit eſſe de creatura adhuc terminative, hoc eſt de cognitione creaturæ.

Secundo nam cognitio creaturarum poſsibilium in ſeipſis, ſupponit cognitionem earundem prout in Deo ſunt ipſe Deus: ergo ſubſtantia, & perfectio Verbi non procedit ex cognitione poſsibilium in ſeipſis: cognitio enim poſsibilium in ſeipſis, ſupra cognitionem eorum prout in Deo, tantum addit novam terminationem in cognitione: ergo pariter in Verbo, tantum producet terminationem ad poſsibilia; non vero aliquid ſpectans ad ſubſtantiam, & perfectionem Verbi. Confir. hoc: Ponamus per impoſsibile, quod Pater ſolum cognoſceret poſsibilia prout in Deo contenta, ſicut & illa tantum amat, prout in Deo tantùm contenta: tunc Verbum perfectiſsime repræſentativum eſſet poſsibilium eo modo, quo de facto eſt repræſentativum eorum: ergo cognitio poſsibilium in ſeipſis, non producit aliquid ſpectans ad ſubſtantiam, & perfectionem Verbi, ſed tantum ad terminationem, qua terminatur ad poſsibilia.

Contra ſolutionem datam ſecundæ probationi, ſic inſto. Ex ſuppoſitione, quod ſint futura, Deus nequit comprehendi, quin futura cognoſcantur, neque Verbum poteſt eſſe comprehenſivum perfecte Dei, quin illa ex vi ſuæ proceſsionis repræſentet: ergo ſi aliàs ſunt futura cognoſcibilia in eodem ſigno, in quo poſsibilia cognoſcibilia ſunt, & repræſentantur in eodem ſigno, in quo poſsibilia, Verbum per ſe petet procedere ex cognitione futurorum, ſicut petit per ſe procedere ex cognitione poſsibilium.

Ad primã, diſt. Ant. Sed tantum ſpectans ad terminationem, ſine qua non poteſt intelligi Verbum comprehenſivum, conc. Ant. ſed tantum ſpectans ad terminationem, libere convenientem Verbo, nego Ant. & Conſeq. Etenim licet ſubſtantia, & perfectio Verbi tanquam ex cauſa (vt ſic dicamus) ſolum proveniat ex Deo cognito, & non ex creatura poſsibili cognita; tamen cognitio creaturæ poſsibilis, ſic neceſſario connectitur cum Deo cognito comprehensive, quod non poſsit verificari, quod Deus comprehenditur, ſi poſsibilia non cognoſcantur, & ſic licet ex cognitione poſsibilium non procedat Verbum ratione ſuæ ſubſtantiæ, & perfectionis, procedit tamen ex illa tanquam ex aliquo, quo ablato, Verbum quoad ſuam perfectionem non procederet ex Deo cognito comprehensive, & propter hoc Verbum dicitur per ſe procedere ex cognitione poſsibilium: ex cognitione autem futurorum, Verbum neque procedit tanquam ex principio activo ſuæ perfectionis, neque tanquam ex aliquo per ſe connexo cum principio productivo, ſed tantum tanquam ex aliquo libere connexo cum principio productivo ſuæ perfectionis, & ſic eſto procedat per ſe ex cognitione poſsibilium, non tamen procedit per ſe ex cognitione futurorum.

Ad ſecundo inſtantiam tranſeat, quod ex cognitione poſsibilium tanquam ex principio productivo, non producatur perfectio Verbi, ſed tantum pura terminatio ad poſsibilia; ſed ex hoc non licet inferre, non procedere per ſe ex cognitione poſsibilium, quia productio Verbi ſecundum terminationem ad poſsibilia, ſic per ſe connectitur cum productione ſuæ perfectionis, quod ſi ponatur non produci ſecundum dictam terminationem, ponetur non produci ſecundum ſuam perfectionem, quia, vt in §. præcedenti docuimus, non ſtat poſsibilia cognoſci, prout ſunt in Deo, quin cognoſcantur prout in ſeipſis ſunt: vnde nec ſtabit Verbum illa repræſentare, prout in Deo ſunt, quin repræſentet illa, prout in ſeipſis ſunt. Ad Confir. nihil contra nos; eſto enim cognitio poſsibilium prout in ſeipſis, tantum producat Verbum ſecundum terminationem ad poſsibilia, & non ſecundum perfectionem; quia tamen dicta terminatio ſic neceſſario connectitur cum dicta perfectione, quod ſi non produceretur ſecundum illam, non produceretur ſecundum ſuam perfectionem: hoc ſufficit, vt dicatur procedere per ſe ex cognitione poſsibilium.

Ad inſtantiam contra ſolutionem ſecundæ probationis, nego Conſ. nam, vt dixi, perſeitas, qua petit Verbum procedere ex cognitione poſsibilium, eſt perſeitas Logica, & ex vi terminorum conveniens Deo; perſeitas autem, qua petit procedere

ex

Digitized by Google

ex cognitione futurorum, tantum eſt phyſica, hoc eſt, ex ſuppoſitione accidentali, quod futura ſint: ſi enim Deus non decreviſſet futura producere, cognitio Patris perfectiſsime eſſet ſui comprehenſiva, & tamen futura non cognoſceret, & ſic produceret Verbum perfectiſsime comprehenſivum ſui, non tamen repræſentans futura.

295 Tertio Arguitur, ſicut decretum de productione futurorum ſupponit Verbum iam productum, quo ad omnia ſibi neceſſaria, ita poſsibilitas creaturarum ſupponit Verbum iam productum, quo ad ſibi omnia neceſſaria; ſed hoc non obſtante, Verbum per ſe procedit ex cognitione poſsibilium: ergo hoc non obſtante, per ſe procedet ex cognitione futurorum. Prob. Mai. ideo decretum liberum ſupponit Verbum productum quoad ſibi neceſſaria, quia eſt active à tribus perſonis; ſed etiam poſſibilitas creaturarum eſt active à tribus perſonis: ergo ſupponit Verbum iam productum quo ad ſibi neceſſaria. Prob. Min. poſſibilitas creaturarum eſt prædicatum conveniens creaturis extra Deum; ſed omne prædicatum conveniens creaturis extra Deum, eſt à tribus perſonis, nam opera deitatis ad extra ſunt indiviſa, hoc eſt, neceſſario ſunt à tribus perſonis: ergo poſsibilitas creaturarum eſt à tribus perſonis.

Ad hoc nego Mai. ad prob. diſt. Mai. quia eſt active, libere, conc. Mai. præciſe, quia eſt à tribus perſonis, nego Mai. & diſt. Min. eſt à tribus perſonis, neceſſario omnino, conc. Min. libere, vel ſic, quod potuerit non eſſe ab illis, nego Min. & Conſ. Itaque, ex perfectiſsima cognitione Dei, prout Dei eſt, procedit Verbum quo ad ſuam perfectionem neceſſariam; & ab omnipotentia iam communicata Verbo poſsibilitas deſumitur creaturarum, & quia cognitio Dei comprehenſiva nequit intelligi, niſi intelligantur poſsibilia, ideo per ſe quo ad terminationem neceſſariam, quam dicit ad creaturas poſsibiles, vt repræſentans illas ex vi ſuæ proceſsionis, procedit ex cognitione poſsibilium: decretum autem de futurorum productione, ſic eſt à Verbo divino, quod potuit non eſſe ab illo, & ſic ſupponit Verbum ſecundum omnia ea, quæ illi conveniunt neceſſario: vnde nequit Verbum per ſe procedere ex cognitione futurorum.

(.)

§. XIX.

Vtrùm in nomine Verbi importetur reſpectus ad creaturas?

296 RESP. cum D. Thom. hic art. 3. quod in Verbo importatur reſpectus ad creaturas. Prob. Deus enim cognoſcendo ſe, cognoſcit omnem creaturam; ſed Verbum eſt repræſentativũ omnis eius, quod actu à Deo Patre intelligitur: ergo Verbum refertur ad creaturas, tanquam earum repræſentativum.

297 Contra hanc doctrinam primo objicitur; omne enim nomen connotans effectum in creatura, eſſentialiter dicitur in divinis; ſed Verbum non dicitur eſſentialiter, ſed perſonaliter: ergo Verbum non importat reſpectum ad creaturam. Ad hoc reſp. D. Thom. *Dicendum, quod in nomine perſonæ includitur etiam natura oblique, nam perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia: in nomine igitur perſonæ divinæ, quantum ad relationem perſonalem, non importatur reſpectus ad creaturam, ſed importatur in eo, quod pertinet ad naturam; nihil tamen probibet, quod in quantum includitur in ſignificato eius eſſentia, quod importetur reſpectus ad creaturam.* Sic D. Thom. vnde in forma conceſsis præmiſsis, diſt. Conſeq. ergo Verbum non importat reſpectum ad creaturam, ratione illius, quod Verbum dicit in recto, conc. Conſeq. ratione illius, quod in perſona Verbi ingreditur in obliquo, nego Conſeq.

Sed contra hanc doctrinam inſto, nam ſi Verbum ratione naturæ divinæ, quam connotat, quia perſona eſt, reſpectum dicit ad creaturam, cùm tres perſonæ divinę eodem modo in obliquo ſignificent naturam divinam, quia, cum ſint perſonæ, ſunt rationalis naturæ individuæ ſubſtantiæ, videtur, quod per nomina Patris, Filij, & Spiritus Sancti importetur reſpectus ad creaturas. Secundo; nam Verbum importat reſpectum ad creaturam, in quantum eſt ſimilitudo expreſſa creaturæ; ſed ratio ſimilitudinis expreſſæ, non tantum dicit naturam, ſed ſupernaturam communicatam addit rationem producti à Patre, in quo ſiſtit ratio perſonalis Verbi: igitur falſo dicitur, quod reſpectus ad creaturam non convenit Verbo ratione reſpectus perſonalis.

Ad primam dico, quod Verbũ ratione naturæ, quam in obliquo ſignificat, dicere reſpectum ad creaturam, ſtare poteſt dupli-

Digitized by Google

citer; vel ratione naturæ, prout communis eſt tribus perſonis; vel ratione naturæ, vt determinatæ per proprietatem Verbi: primo modo convenit Verbo dicere reſpectũ ad creaturam, quia Creator eſt ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto, & ſic reſpectus ad creaturam, non eſt ita proprium huius nominis *Verbum*, quod non ſit etiam commune nominibus *Patris*, & *Filij*, & *Spiritus Sancti*: ſiquidem omnes tres perſonæ ratione naturæ divinæ conſtant vnum Creatorem: ſecundo modo convenit Verbo ratione naturæ importare reſpectum ad creaturam, tanquam ad rem dictam per Verbũ, & iſto modo non importatur per nomen *Patris*, neque per nomen *Spiritus Sancti*, ſiquidem creaturæ tantũ dicuntur per Verbum divinum, & non per Patrem, neque per Spiritum Sanctum: vnde ad inſtantiam dico, quod loquendo de reſpectu ad creaturam, in ratione Creatoris ita eſt, quod per trium perſonarum nomina reſpectus ad creaturam importatur, quia hoc convenit tribus perſonis vt illis commune ratione naturæ; loquendo vero de reſpectu ad creaturam, tanquam ad rem dictam per Verbum, ſic tantum importatur per Verbum, quia licet illi conveniat tantum ratione naturæ, convenit tamen illi vt iam determinatæ per proprietatem perſonalem Verbi.

Ad ſecundũ conc. Maj. diſtinguo Min. ſuperaddit rationem producti, ſecundum quod refertur ad exprimentem, conc. Min. ſecundum quod refertur ad rem expreſsã, nego Min. & Conſ. Itaque, in ſimilitudine expreſſa habentur duo: & id, quod exprimitur, & hoc eſt natura, quæ à Patre Verbo communicatur, & munus expreſsi, ratione cuius tantum refertur Verbum ad exprimentem, & non ad rem expreſſam, & hoc eſt relatio perſonalis procedentis ad eum, à quo procedit: relatio ergo ad creaturas, cum ſit relatio formaliter manifeſtantis ad rem manifeſtatam, & manifeſtare creaturas conveniat Verbo ratione naturæ, reſpectus ad creaturam etiam convenit Verbo ratione naturæ, & non ratione reſpectus perſonalis, licet tantum conveniat ratione naturæ, vt ſtat ſub relatione perſonali Verbi, ex quo habet ſic convenire Verbo, quod non conveniat alijs perſonis.

§. XX.

An proprie, & perfecte loquendo de imagine, ratio imaginis ſoli Filio conveniat in divinis?

298 IMAGO proprie dicta eſt ſimilitudo in ſpecie, vel in ſigno ſpeciei originata, vel expreſſa ab exemplari. In primis, quod ſit ſimilitudo, nullus dubitat: quod ſit in ſpecie, vel in ſigno ſpeciei, id eſt in figura, hæc enim proprie eſt ſignum ſpeciei, videmus enim animalia diverſa habere diverſam figuram; non vero colorem diverſum. Quod etiam requiratur origo, probatur ex Auguſtino libro 83. quæſtionum. Quæſt. 73. & 74. tom. 4. vbi habet: *Vnum ovum non eſt imago alterius ovi, quia non eſt ab illo expreſſum*: ergo ad rationem imaginis requiritur, quod ſit ſimilitudo expreſſa ab illo, cuius dicitur imago ex quo colligitur, quod Imago in divinis nomen perſonale eſt, nam nomen in divinis ſignificans originem, nomen eſt perſonale; ſed Imago ſignificat originem: ergo nomen perſonale eſt. Quod autem difficultatem facit, eſt, vtrum ſit nomen proprium Filij, ſic, quod de alijs nullo modo proprie affirmari poſsit.

In hoc puncto duo ſunt certa. Primum eſt, rationem imaginis vere, & proprie Filio Dei convenire. Patet ex Scriptura Sacra, ad Coloſſenſes primo: *Qui eſt imago Dei inviſibilis*, ad Hæbræos primo, *qui, cum ſit ſplendor Gloriæ & figura ſubſtantiæ eius*. Patet etiam ex eo, quod Filio vere conveniunt duo requiſita ad propriam rationem imaginis, nam in primis eſt ſimilis Patri in natura, vnde Filius dictabat, *ego, & Pater vnum ſumus*, quod denotat perfectam ſimilitudinem in eſſentia, & ly *ſumus*, denotat diſtinctionem. Præterea, Filius eſt Verbum Patris intelligentis ſeipſum: ergo perfectiſsime repræſentat naturam eius: vnde erit illi ſimilis in natura, eſt etiam ſimilitudo expreſſa, & originata à Patre: ergo ſecundum propriam rationem erit Imago Patris.

Secundo eſt certum, quod de Filio ratio imaginis, non ſolum vere, & proprie, ſed etiam perfectiſsime competit Verbo divino. Etenim, cum ratio imaginis ſit ſimilitudo, tanto perfectius aliquid habet rationem imaginis, quanto perfectius habet rationem ſimilitudinis; ſed Filius in divinis perfectiſsime aſsimilatur Patri in natu-

ra;

ra, cum eadem numero natura in vtroque exiſtit: ergo eſt perfectiſsima illius Imago. Quam rationem egregiè expendit D. Tho. in 1. diſt. 28. quæſt. 2. art. 1. ad 3. *Invenitur* (inquit) *quidam gradus perfectionis imaginis: dicitur enim quandoque imago alterius id, in quo invenitur aliquid ſimile qualitati alterius, quæ deſignat, & exprimit naturam ipſius, quamvis ea natura in ea non inveniatur; ſicut lapis dicitur eſſe imago hominis, inquantum habet ſimilem figuram, cui non ſubſiſtit natura illa, cuius eſt ſignum, & ſic imago Dei eſt in creatura, ſicut imago Regis in denario, & hic eſt imperfectus modus imaginis; ſed perfectior ratio invenitur, quando illi qualitati, quæ deſignat naturam ſubſtantiæ, eſt eadem natura in ſpecie, ſicut eſt imago Patris in Filio ſuo, quia habet ſimilitudinem in figura, & in natura, quam figura deſignat; ſed perfectiſſima ratio imaginis eſt, quando tandem numero formam, & naturam, invenimus in imagine cum eo, quē imitatur, & ſic eſt Filius perfecta Imago Patris, quia omnia attributa divina, quæ ſunt per modum qualitatis ſignificata, ſimul cum ipſa natura ſunt in Filio, non ſolum ſecundum ſpeciem, ſed etiam ſecundum vnitatem in numero.*

His ergo vt certis præſuppoſitis, difficultas eſt in eo, an ſoli Filio in divinis, ratio imaginis proprie dictæ conveniat? In quo puncto Authores Græci tenent rationem imaginis proprie dictæ, non convenire in divinis ſoli Filio, ſed etiam proprie convenire Spiritui Sancto. Doctores autem Latini tenent ſolum convenire Filio. Vnde ſit noſtra concluſio.

299 Ratio imaginis in divinis, ſolum dicitur de Filio. Hanc concluſionem aliqui probant ex eo, quod Filius ſolum convenit cum Patre, non ſolum in natura, ſed etiam in ratione principij; Spiritus autem Sanctus non convenit cum Patre, & Filio in aliqua notione principij, ſed ſolū in natura. Sed hoc non videtur ſufficere, quia, ſicut ſecundum relationes, non attenditur in divinis æqualitas, vel inæqualitas, ita neque ſimilitudo, quæ eſt de ratione imaginis. Secundo, alij hoc probabant dicentes, Spiritum Sanctum non eſſe Imaginem Filij, quia imaginis non eſt imago: Filius ergo, cum Imago ſit, non poterit ſui habere imaginem Spiritum Sanctum, neque eſt Imago Patris, quia imago refertur immediate ad id, cuius eſt imago; Spiritus autem Sanctus refertur ad Patrem per Filium, nec eſt Imago Patris, & Filij, quia ſic eſſet vna Imago duorum: relinquitur ergo, quod Spiritus Sanctus nullo modo ſit Imago. Sed hoc nullius eſt roboris, quia Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti: vnde nihil prohibet eſſe illorum vnam imaginem, in quantum vnum ſunt, ſicut & homo ponitur vna Imago Trinitatis.

300 Prob. ergo primo concluſio, quia in Scriptura Canonica non invenitur nomen *Imago* dictum, niſi de Filio, vt patet ex illo ad Coloſ. 1. *Qui eſt Imago Dei inviſibilis, Primogenitus creaturæ.* Et illud ad Hebræos 1. *qui, cum ſit ſplendor Gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Quibus in locis ſolus Filius Imago dicitur Patris; de Spiritu autem Sancto nullus locus extat, quo illum eſſe imaginem prædicetur: ergo ſolus Filius erit proprie Imago in divinis. Probatur ergo ratione D. Thom. hic quæſt. 35. art. 2. vbi rationē diſcriminis aſsignat, ob quam Filius Imago ſit Patris; non vero Spiritus Sanctus. Stat ergo diſcrimen in eo, quod Filius procedit vt Verbum, de cuius ratione eſt, quod ſit ſimilitudo ſpeciei eius, à quo procedit; Spiritus Sanctus procedit vt Amor, de cuius ratione non eſt, quod ſit ſimilitudo ſpeciei eius, à quo procedit, licet ſit ſimilitudo, in quantum Amor divinus eſt, & ſic Filius eſt Imago, non vero Spiritus Sanctus. Quæ doctrina maxime notetur, quia ſuper illam fundavimus ſupra proceſsionem Spiritus Sancti, non eſſe generationem, bene vero proceſsionem Verbi.

Ad hoc reſpondere poterunt adverſarij, quod videlicet, eſto de ratione amoris non ſit eſſe ſimilitudinē eius, à quo procedit in ſpecie; eſt tamē de ratione eſſe eius ſimilitudinem in ſigno ſpeciei eius, à quo procedit: cum enim amor divinus ſit attributum naturæ divinæ, vere, & proprie eſt naturæ divinæ ſignum, & ſic dum Spiritus Sanctus procedit vt divinus amor, procedet vt ſimile in ſigno divinæ naturæ; hoc autem ſufficere ad rationem imaginis proprie dictæ, docuimus ex D. Thom. in principio huius quæſiti & ſic Spiritus Sanctus vere, & proprie erit Imago Patris, & Filij.

Sed contra eſt, nam Imago tantum per modum ſigni ſpeciei, non habet locum in divinis: ergo nequit hæc ratio imaginis adaptari Spiritui Sancto Prob. Ant. etenim in creatis ſolum locum habet ex eo, quod creatura poteſt cognoſcere ſpeciem à poſteriori, per ſignum ſpeciei; Deus autem nequit

Digitized by Google

quit cognoſcere ſeipſum à poſteriori per ſignum ſuæ ſpeciei, cum indiſpenſabiliter cognitio Dei debeat eſſe à priori, reſpectu cuiuſcumque cogniti, vt docuimus in tractatu de ſcientia Dei; ergo Imago tantum per modum ſigni ſpeciei, nequit in divinis habere locum.

Dices, quod quamvis Deus Pater non poſsit per attributa cognoſcere ſuam eſſentiam, quaſi addiſcēs, ſeu accipiens ſcientiam ſuæ naturæ ex attributis; poteſt tamen cognoſcere ſe perfectiſsime repræſentari per ſua attributa: ergo quamvis per impulſum non poſsit venire in ſui cognitionem, quaſi addiſcēs, ſeu primo accipiens ſcientiam ſuæ naturæ ex impulſu; poterit tamen cognoſcere ſuam naturam perfectiſsime repræſentari per impulsū, ſeu in impulſu, quod ſufficere videtur, vt ſit Imago Dei, nam etiam in Verbo ſuo non cognoſcit ſuam eſſentiam, quaſi addiſcens, ſeu accipiens ſcientiam ſui à Verbo, aliàs eſſet ſapiens ſapientia genita; & tamen hoc non obſtat, quin Verbum propriſsime ſit Imago Patris: ergo, & ſufficiet, in Spiritu Sancto, vt ſit Imago Patris, & Filij.

Sed contra inſto, nam licet Verbum non ſit id, à quo Pater ſui primo accipit ſcientiam, quia illam habet à ſe, & non à Filio; tamen dum ex proprijs Verbi, à priori exprimit ipſam eſſentiam Patris, vere illius imago eſt, & dicitur: dum autē Amor, non à priori, ſed tantum à poſteriori, veluti fructus radicem, & effectus cauſam, Patris eſſentiam denotet, rationem perfectiſſimam imaginis habere non valet: vnde Patris, & Filij proprie Imago non dicitur. Contra hanc veritatem aliqua ſunt, quæ parum obſtant, videantur in cōmentatoribus D.Tho.

QVÆST. XIII.

De Perſona Spiritus Sancti.

DVM *Venerit Paraclitus Spiritus, qui à Patre procedit, ille* (inquit Chriſtus) *docebit nos omnem veritatem.* Præcipua autem inter veritates, eſt veritas Spiritus Sancti: vnde ſine ipſo, quid ſit, & à quo ſit, ſcire nequimus; adſit ergo nobis virtus Spiritus Sancti, vt poſsimus de eodem Spiritu recta ſapere, & in curſu veritatum eius ſine errore procedere.

§. I.

Vtrùm Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio?

POST errorem Macedonij, qui Spiritum Sanctum, verum Deum eſſe negavit, ſequutus eſt Græcorum error circa eius proceſsionē. Theodoretus enim D. Cyrillo obiecit, quod Spiritus Sanctus non procedit à Filio, quia id ſcriptura non dicit, ſed ſolum à Patre, quia id ſcriptura teſtatur. Hic error per aliqua tempora in ſilētio fuit, quouſque Theophilactus illum ſuſcitavit, dum ad illa verba Ioann. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*, docuit, Spiritum Sanctum, vocari Spiritum Filij, non quia procedat à Filio, ſed quia per Filium hominibus datur. Quem errorē Græci poſtea tāta pertinacia ſequuti ſunt, quod ab Eccleſiæ Latinæ communione receſſerint tempore Leonis IX. anno 1052.

301 Eſt ergo Catholica veritas, quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedat. Sic enim diffinitur primo in Concilio Barenſi ſub Vrbano 2. anno 1097. in quo Concilio Anſelmus cum Græcis diſputans, illos convicit. Diffinita fuit deinde præfata veritas in Concilio Lateranēſi ſub Innocentio 3. deinde in Lugdunenſi ſub Gregorio IX. & tandem in Florētino ſub Eugenio IV. vbi res concluſa eſt, & inter Latinos, & Græcos ſacra vnio, conſentientibus, & affirmantibus eorum præcipuis, quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit.

Veritas hæc non habetur expreſſa ad Verbum in Sacra Scriptura, ſed habetur ad ſenſum, vt docet D. Thom. hic quæſt. 36. art. 2. ad 1. vbi habet: *Licet autem per verba non inveniatur in Sacra Scriptura, quod Spiritus Sanctus procedit à Filio; invenitur tamen, quantum ad ſenſum, nam Filius loquens Ioan. 16. de Spiritu Sancto dictat; ille me clarificabit, qui de meo accipiet, non potuit autem Spiritus Sanctus accipere à Filio, niſi aliquo modo procedat ab illo.* Nec valet Græcorum interpretatio dicentium, Chriſtum non dixiſſe, *de me accipiet*, ſed *de meo*, vt ſignificaret, quod Spiritus Sanctus accepit à Patre omnia, quæ ſunt Filij, præter eſſe Filium. Non in quam valet, nam, iuxta illam explicationem, pariter poſſet dicere Spiritus Sanctus de Filio, *de meo accipiet*, quia, licet de Spiritu Sancto non acceperit; tamē accepit à Patre omnia bona, quæ Spiritus Sanctus poſ-

Digitized by Google

poſsidet, præter eſſe Spiritum Sanctũ, quod tamen nec dicitur, nec poteſt dici.

Apparet etiam in ſcriptura huius veritatis ſenſus, dum in Pſal. 109. introducitur Pater æternus loquens cum Filio, illique dicens: *Tecum principium in die virtutis tuæ; in ſplendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genuite.* Quibus inſinuatur non leviter, quod à diebus æternitatis, Pater erat ſimul principium cum Filio, non reſpectu creaturarum, quarum ſolum eſt principiũ in tempore: ergo eſt ſimul cum Filio principium ad intra, producendo perſonã Spiritus Sancti à diebus æternitatis eius.

Habetur etiam hæc veritas ex antiquiſſima traditione Eccleſiæ, conſtatque etiam ex dictis Sanctorum Patrum tam Græcorum, quam Latinorum, qui videri poſſunt apud Div. Thom. opuſculo primo contra errores Græcorum, cap. 32. Probat. Div. Thom. hanc veritatem tribus rationibus quarum primam modo examinabimus, & deinde alias duas in §§. diſtinctis. Prima ergo ratio in eo ſtat. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo; hoc autem eſt contra fidem: ergo debet procedere realiter ab illo. Min. cum Conſ. patent, & Mai. prob. in divinis omnia ſunt vnũ, vbi non obviat relationis oppoſitio; ſed ſi Spiritus Sanctus non procederet realiter à Filio, inter Filium, & Spiritũ Sanctum, non daretur relationis oppoſitio: igitur in hypotheſi, quod non procederet realiter à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo.

§. II.

Vtrum ſi Spiritus Sanctus realiter non procederet à Filio, adhuc realiter diſtinguetur ab illo?

IN Examen rationis propoſitæ, duo examinanda occurrunt, alterum eſt, vtrum in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, verus adhuc maneret Filius, & verus Spiritus Sanctus? Alterum eſt, vtrum ſic remanentes, inter ſe realiter diſtinguerentur? De hoc ſecundo ex profeſſo hic acturi ſumus, reſervantes primum ſpeciali §. Duæ ergo ſunt celebres ſententiæ circa hoc quæſitum, primam tenuit Enriquus quodlibet. 5. quæſt. 9. quem deinde ſequutus eſt Scotus cum ſua familia, videlicet, quod in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, adhuc realiter diſtingueretur ab illo: alia ſententia è diametro huic oppoſita negat Filium in data hypotheſi realiter diſtinguendum à Spiritu Sancto. Hanc tenet D. Thom. hic art. 2. & 4. contrag. cap. 24. & q. 10. de potentia, art. 5. in primo diſt. 11. q. 1. art. 1. opuſc. 1. cap. 49. & 50. & 51. & opuſc. 3. c. 49. quibus in locis aſſerit, quod ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo. Tenueruntque hanc ſententiam Alenſ. 1. p. q. 43. membro 4. Albertus Magnus ibidem q. 31. membro 3. Bonavẽtura in 1. diſt. 11. art. 1. q. 1. Durandus eadem diſt. q. 2. Egidius art. 1. quæſt. 3. Herveus quæſt. 1. Argentinas diſt. 11. Capreolus quæſt. 1. art. 1. Ferrara 4. contrag. cap. 24. & communiter omnes Thomiſtæ tam ex Schola Societatis, quam ex diſcipulis D. Thom. ex Dominicana Familia. Vnde pro veritate ſit Concluſio.

302 Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo. Prob. primo ex Concilio Toletano 11. vbi loquens de perſonis divinis inquit: *In hoc ſolum numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, & in hoc numero carent, quod ad ſe ſunt.* Ex quibus ſic argumentor. Concilium non invenit principium diſtinguendi perſonas, niſi eſſe ad invicem; ſed ſi damus, quod Spiritus Sanctus non ſit à Filio, Filius, & Spiritus Sanctus non erunt ad ſe invicem: ergo in tali hypotheſi non erunt numero diſtincti. Conſeq. eſt in forma. Min. ex ſe patet, & Maior eſt adducta ex verbis Concilij, *in hoc ſolum numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt.* Confirm. Scotus tenens, quod ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc diſtingueretur realiter ab illo, ponit, quod de facto Filius, & Spiritus Sanctus duplici ex capite realiter diſtinguũtur, primo, diſtinctione diſparata, nempe, quia alter eſt Filius, & alter eſt Spiritus Sanctus; ſecundo, quia de facto ad invicem ſunt, nempe, quia mutuo referuntur: ergo Scotus plane ſe opponit Concilio adducto, in quo habetur, quod de facto in hoc tantum numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt. Patet hæc Conſequentia, quia excluſiva Concilij nequit eſſe vera, ſi eſt vera poſitio Scoti, ſiquidem excluſiva dicit, quod ſolum ex vno capite de facto realiter diſtinguuntur, & Scotus ponit ex duobus capitibus de facto realiter diſtingui.

Dices Concilium per ly *eſſe ad invicem*, ſolum velle Spiritum Sanctum, & Filium perſonaliter diſtingui per relationes; non vero velle ſolum realiter diſtingui per hoc, quod vnus ab alio ſit. Sed contra eſt, nam explicans Concilium, quid ſit perſonas eſſe ad invicem, ait, *quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium eſt, & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt; ſimiliter Spiritus Sanctus non ad ſe eſt; ſed ad Patrem, & Filium relative refertur*: ergo Concilium per eſſe ad invicem non ſolum vult Spiritum Sanctum, & Filium diſtingui per relationes, ſed vult, quod Filius diſtinguatur à Patre per hoc, quod ad Patrem refertur, & Spiritus Sanctus diſtinguatur à Patre, & Filio per hoc, quod ad vtrumque referatur.

Confir. hoc ex Concilio Florentino, Seſſ. 18. ibi: *Secundum omnes Doctores, tam Græcos, quam Latinos, ſola differentia proceſſionum multiplicat perſonas in divinis*. Et explicans quænam ſit hæc differentia proceſſionũ aſſerit, *ad quam ſola duo accomodantur, qui ab alio eſt, & à quo eſt*. Et poſt modum, *nulla alid ratio diſtinctionis, aut diſcriminis eſt in divinis, niſi per hoc, quod perſona aliqua, ab altera eſt*. Quæ verba adducit Concilium, vt probet de facto Spiritum Sanctum procedere à Filio, quaſi faciat hoc argumentum. Perſonæ diſtinguũtur realiter ad invicem per hoc ſolum, quod vna ab altera eſt: ergo, cùm Spiritus Sanctus diſtinguatur realiter à Filio, erit neceſſarium, quod procedat à Filio. Confir. iſtæ ſunt contradictoriæ, nulla alia ratio diſtinctionis eſt in divinis, niſi per hoc, quod perſona aliqua ab altera eſt, aliqua alia ratio diſtinctionis eſt in divinis præter hoc, quod vna perſona ab altera ſit; primã aſſerit Conciliũ, ſecundã defendit Scotus: ergo, cum propoſitio dictata à Concilio, non poſſit eſſe vera, illius contradictoria dictata à Scoto, erit neceſſario falſa.

303 Secundo prob. principaliter Concluſio. Ratione D. Thom. Filius, & Spiritus Sanctus in Deo debent ſolum diſtingui realiter per relationes; at relationes, quæ non ſunt realiter oppoſitæ inter ſe, nõ habent diſtingui realiter inter ſe: ergo, vt Filius, & Spiritus Sanctus diſtinguantur realiter, eſt neceſſe, quod relatio Filiationis, & ſpirationis ſint realiter inter ſe oppoſitæ; ſi autẽ Spiritus Sanctus nõ procederet a Filio, tam hic non procederet à Spiritu Sancto, relationes Filij, & Spiritus Sancti, non eſſent oppoſitæ realiter inter ſe: igitur ſi Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo.

Huic rationi reſpondet Scotus conceſſo primo ſyllogiſmo, negando Min. ſubſumptam. Sentit enim, quod in data hypotheſi, ſicut, & de facto Filiatio, & paſſiva ſpiratio ſint relationes realiter oppoſitæ, non oppoſitione relativa, ſed diſparata. Sed contra eſt, nam ad hoc, vt in divinis duę relationes realiter inter ſe diſtinguantur, non ſufficit diſparate inter ſe opponi; ſed inſuper requiritur, quod relative realiter opponantur: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Antec. nam Paternitas, & activa ſpiratio diſparate inter ſe opponuntur, nec tamen ex hoc realiter diſtinguuntur: ergo, vt duæ relationes in Deo realiter inter ſe diſtinguantur, non ſufficit oppoſitio diſparata, ſed requiritur relativa.

Reſpondent Scotiſtæ, quod diſtinctio, vel oppoſitio diſparata eſt duplex: alia tantũ formalis, & ex natura rei, & hæc ſolum facit differre extrema diſparate oppoſita ſolũ formaliter, & hanc habent inter ſe Paternitas, & ſpiratio activa; alia eſt realis, & hæc facit relationes differre inter ſe realiter, & hanc oppoſitionẽ habent inter ſe Filiatio, & ſpiratio paſsiva. Si autẽ ab eis inquiras, ex quo habẽt opponi aliqua duo extrema ſolũ formaliter diſparate, & ex quo habent opponi realiter diſparate? Dicunt, quod quando extrema ſunt in eadẽ cõpoſſibilia perſona, tunc ſolũ habent opponi formaliter; quãdo vero in eadẽ perſona ſunt incõpoſsibilia, tunc habent opponi realiter diſparate: vnde quia Paternitas, & activa ſpiratio ſunt compoſſibilia in eadẽ perſona, ideo ſolũ formaliter diſparate diſtinguũtur; quia vero Filiatio, & ſpiratio paſsiva incompoſsibilia ſunt in eadem perſona, ideo realiter opponuntur, & realiter diſtinguntur. Sed contra inſurgo: ergo iam non ſola oppoſitio diſparata facit realiter diſtinguere, ſed vltra hoc requiritur incompoſsibilitas in eadem perſona: modo ergo videndũ reſtat, ex quo capite hæc incompoſsibilitas in eadem perſona oriatur, & cum ad illã nõ ſufficiat oppoſitio diſparata, neceſſe erit recurrere ad oppoſitionem relativam.

Sed dices, proprietates perſonales, cum ex eſſentia ſua ſint communicabiles, ex hoc ipſo eſſe in eadem perſona incompoſſibiles, & ſic relationes, quæ ſunt proprietates conſtituentes perſonas, ex eſſentia ſua habent eſſe incompoſsibiles, quamvis vna ab alteram non ſit; cum; ergo Paternitas, & ſpi-

ſpiratio activa non ſe habeant, vt duæ proprietates perſonales, ſed ſola Paternitas ſit proprietas perſonalis, & ſpiratio activa ſit ſolum proprietas perſonæ, non ſunt relationes incompoſsibiles in eadem perſona; quod cum è contra eveniat in Filiatione, & paſsiva ſpiratione, dum vtraque proprietas perſonalis eſt: fit inde, quod illæ duæ relationes in eadem perſona incompoſsibiles ſint, etiam ſi ad invicem non referantur.

Sed contra ſic inſurgo, nam ſi incompoſsibilitas duarum relationum in eadem perſona præciſſe oritur ex conceptu proprietatis perſonalis: ergo ad conſtituendas perſonas in divinis, non eſt neceſſe recurrere ad relationes, quod eſt contra commune placitum Theologorum. Probatur hæc Conſeq. nam ſi ponantur modi abſoluti perſonarum conſtitutivi, hoc ipſo ex eſſentia ſua erunt incommunicabiles: ergo erunt eidem perſonæ incompoſsibiles: ergo ad conſtituendas perſonas in divinis, non erit neceſſarium recurrere ad relationes.

Explicatur hoc. Scotus dicit, quod omnis relatio divina, quæ non conſtituit perſonam, poteſt identificari cum alia relatione perſonam conſtituente; ſolum vero duæ relationes, quæ conſtituunt perſonas, ſunt inter ſe inidentificabiles: ergo ſimiliter dicere poterit, quod omnia abſoluta divina ſunt compoſsibilia in eadem perſona, niſi ſint abſoluta conſtituentia perſonas, & ſic, ſicut dantur in ſententia Scoti duæ relationes, quarum vna non eſt ad alteram, nec è contra, realiter inter ſe diſtinctæ, & perſonas diſtinctas conſtituentes, poterit ſimiliter dici, quod dentur duo abſoluta inter ſe realiter diſtincta, & perſonas divinas diſtinctas conſtituentia; & ſic non erit neceſſe ad inveniendum dictas proprietates realiter inter ſe incommunicabiles divinas, recurrere ad relationes.

Vrgetur hoc amplius, & inquiro, vt quid, vt duo divina inter ſe realiter diſtinguantur, requiritur, quod illa divina relationes ſint? Huic quæſito ſane reſponderi non poteſt, niſi dicendo, quod abſoluta non habent diſtingui realiter, niſi ex limitatione & finitate; relationes vero habent realiter diſtingui non quia finitæ, & limitatæ, ſed quia relative oppoſitæ ſunt. Bona quidem, & adæquata reſponſio; ſed tunc inſurgo. Ergo nec poterit dici, quod duæ divinæ relationes realiter inter ſe diſtinguantur, niſi ex hoc, quod relative opponantur. Prob. Conſeq. omnis alia diſtinctio realis indiſpenſabiliter oritur ex limitatione, & finitudine extremorum: ergo, cum finitudo, & limitatio non habeat locũ in divinis, nequibit dici, quod duæ relationes divinæ inter ſe realiter diſtinguantur, niſi ad invicem relative oppoſitæ ſint.

Vrgetur amplius, & iterum inquiro, ſi Filiatio, & paſsiva ſpiratio ad invicem non ſunt, & tamen realiter diſtinguntur, per quid realiter diſtinguũtur? Scotus reſpondebit, quia Filiatio eſt Filiatio realiter, & non eſt realiter paſsiva ſpiratio. Sed inſtabo, ex quo oritur, quod realiter non ſit ſpiratio? Vtique reſpondere cogitur, hoc oriri ex limitatione naturæ Filiationis, ex qua ſic finitur ad eſſe Filiationis, quod nequit identificari realiter cum paſsiva ſpiratione. Amplius vrgeo, Filiatio, ſi non eſt ad ſpirationem, nec ſpiratio ad Filiationem: ergo comparative inter ſe comparantur abſolute, & non reſpective: ergo diſtinguuntur inter ſe eo modo, quo duo abſoluta divina, & eo modo, quo duæ relationes divinæ, quæ inter ſe non ordinantur: ergo non diſtinguentur realiter, ſed ad magis ex natura rei formaliter. Rurſus. Relatio Filiationis identificatur cum omni divino abſoluto, non alia de cauſa, niſi quia licet abſolutum ſit ad ſe, & relativum ad aliud; tamen abſolutum non eſt illud aliud, ad quod Filiatio refertur: ergo ſimiliter, licet Filiatio ſit ad Patrem, non diſtinguetur à paſsiva ſpiratione, ſi non referatur ad illam, vel ſaltim non ſit id, ad quod paſsiva ſpiratio refertur.

304 Tertio prob. Concluſio principaliter. Si Filius non ſpiraret Spiritum Sanctum, Filius eſſet ſpiratus à Patre: ergo Filius eſſet Spiritus Sanctus. Conſeq. eſt bona, & Ant. prob. Filium non ſpirare Spiritũ Sanctum, ſolũ poſſet oriri ex eo, quod ſpiraretur paſsive à Patre: ergo ſi non ſpiraret, ſpiraretur. Prob. Ant. Filium nõ ſpirare Spiritũ Sanctũ, deberet oriri ex diſtinctione reali Filiationis ab activa ſpiratione; at hæc nequiret convenire Filio niſi per hoc, quod paſsive ſpiraretur: ergo nõ ſpirare Spiritũ S. ſolum poſſet cõvenire Filio, ex hoc, quod ſpiraretur à Patre. Min. prob. nam diſtinctio ab activa ſpiratione, nõ poſſet conve-

Digitized by Google

venire ex ſolâ oppoſitione diſparata, nam de facto Filiatio, & Spiratio activa diſparate opponuntur; & tamen de facto realiter non diſtinguuntur: ergo deberet illi convenire ratione oppoſitionis relativæ: ergo ſi Filius non ſpiraret active, ſpiraretur paſſive à Patre, & ſic eadem perſona eſſet Filius, & Spiritus Sanctus, ſicut modo eſt Filius, & Spirator.

Confirm. Scotus dicit Filiationem, & ſpirationem paſsivam realiter diſtingui in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus nō procedat à Filio, quia ſicut modo Filiatio, & paſsiva ſpiratio ex natura Filiationis, & ex natura ſpirationis paſsivæ, realiter diſtinguuntur per oppoſitionem diſparatā, ita in illa hypotheſi ex vi eiuſdem oppoſitionis diſparatæ, realiter diſtinguerentur: ergo ſimiliter debet fateri Scotus, quod ſicut Filiatio, & ſpiratio activa modo realiter nō diſtinguuntur ex vi oppoſitionis diſparatæ, quā de facto habēt, ita in data hypotheſi Filiatio, & ſpiratio activa nō diſtinguerētur ex vi oppoſitionis diſparatæ, quā tunc haberent; at in caſu, quo Filius non ſpiraret Spiritum Sanctum, realiter diſtinguerentur Filiatio, & activa ſpiratio: ergo, cum non diſtinguerentur realiter ex vi oppoſitionis diſparatæ; deberent diſtingui ex vi oppoſitionis relativæ: ergo tunc Filius eſſet à Patre ſpiratus.

Confir. ſecundo, cū Filius divinus ſit Patri conſubſtantialis, Pater non poteſt nō communicare Filio omnia, quæ habet, exceptis his, in quibus Filio opponitur relative: ergo ſi tunc non communicaret virtutem ſpirativā Filio, ſicut modo eam cōmunicat, hoc tantū eſſet, quia in linea ſpirationis opponeretur relative Filio: ergo, cum Pater tunc eſſet ſpirator, Filius, vt relative opponeretur Patri in linea ſpirationis, deberet eſſe ſpiratus à Patre, & ſic in in hypotheſi, quod Spiritus ſanctus non procederet à Filio, Filius non diſtingueretur realiter à Spiritu Sancto. Hæc ratio cū ſuis confirmationibus efficaciſsima eſt, nam cum ea ſim viris aliquoties, etiā à viris ſapientibus nihil, niſi voces, & verba in eius ſolutionem audita ſunt.

305 Quarto prob. principaliter concluſio. Ratio producti per intellectū divinum, & ratio producti per divinam volūtatem, non repugnat eidem divinæ perſonæ convenire: ergo in caſu, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nullū eſſet inconveniens affirmare, quod Filius eſſet genitus per intellectum, & ſpiratus per voluntatem; & ſic Filius ſine repugnantia eſſet Spiritus Sanctus. Prob. Ant. non repugnat eandem perſonam eſſe improductā ratione naturæ, & ſimul eſſe productam ratione relationis: ergo non repugnabit etiā ratione vnius formalitatis eſſe productā per intellectum, & ratione alterius formalitatis eſſe productam per voluntatē. Prob. Conſeq. magis pugnant inter ſe ratio producti, & improducti; quam ratio producti, & ratio producti ſub diverſa ratione productionis: nam prima opponuntur contradictorie; ſecunda tantum ſunt diverſa formaliter: ergo ſi ex terminis non repugnat eandem perſonam eſſe improductam ratione naturæ, & productam eſſe ratione relationis, pariter in caſu, quod vna perſona non procedet ab alia, non repugnabit, quod eadem perſona, vt Filius ſit productus per intellectum, & vt Spiritus Sanctus ſit productus per voluntatem.

Dices, quod produci adæquate vnam perſonam, & non produci adæquate, magis repugnat quam produci vnam perſonam per intellectum, & produci ſimul per voluntatem: produci autem inadæquate ſecundum vnam rationem; & non produci inadæquate ſecundum alteram; hoc non ita repugnare, ſicut repugnat eandem perſonam produci per intellectum, & ſimul produci per voluntatem, ratio eſt, quia iſtæ productiones adæquate ſunt: perſona enim Filij adęquate producitur per intellectum: vnde nequit iterato produci per voluntatem.

Sed contra eſt. Data hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Filius, eſto ſub ratione Filiationis adæquate produceretur per intellectū; tamen in omni genere producibilitatis eius, non produceretur adæquate: ergo non repugnaret, quod ſub formalitate ſpirati produceretur per voluntatē. Prob. Ant. ex eo ratio producti, & improducti ſunt duæ rationes inadæquate convenientes Filio, quia nec id, quod producitur refertur ad id, quod in eo improductum eſt, nec id, quod in eo improductū eſt, refertur ad id, quod in eo producitur; ſed in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus nō procederet à Filio, nec id, quod produceretur per intellectum, referretur ad id, quod produceretur per voluntatem; nec id, quod produceretur per voluntatē referretur ad productum per intellectum; ergo etiā

iſtæ

iſtæ duæ rationes ad perſonã Filij ſe haberent inadæquate, & ſic Filius nõ produceretur adæquate à toto genere producibilitatis eius ab intellectu: vnde poſſet ſecundũ rationẽ ſpirati, produci per voluntatem.

Confirm. magis differunt ex terminis ſubſiſtens abſolutum, & ſubſiſtens relativũ, quam differant duæ relationes divinæ, quæ ſe mutuo non reſpiciunt: ſiquidem prima ſunt diverſi generis entis; ſecunda autem eiuſdem generis ſunt; ſed prima in eadem perſona componuntur, quia licet vnum ſit ad ſe, & aliud ſit ad aliud, non tamen ad invicem ſunt: ergo dum duæ relationes ad invicem non ſunt, vel ſaltim vna ad aliam non eſt, facile in vna perſona divina componi poterunt.

Poterat dicere Scotus, quod ſubſiſtens abſolutum, & relativum in Deo magis differunt formaliter, & ex natura rei, quam præfatæ duæ relationes; non vero magis differunt entitative, quia ſubſiſtens abſolutum non eſt perſona, & ſic poteſt realiter identificari cum relativo, quod ſolum perſona eſt: at præfatæ duæ relationes conſtituunt duas perſonas, & ſic magis entitative diſtinguuntur. Sed contra hoc eſt, nam ſubſiſtens abſolutum non ob aliam cauſam perſona non eſt, niſi quia non refertur ad relativum, nec relativum refertur ad illud: ſi enim ſubſiſtens abſolutum referretur, incommunicabilis ſubſiſtentia eſſet, & ſic perſona eſſet; ſed in hypotheſi data Spiritus Sanctus non referretur ad Filium: ergo non compararetur ad illum, vt perſona ad perſonam, ſed ad magis, vt proprietas perſonæ iam conſtitutæ.

Dices, ſufficere Spiritui Sancto, vt ſit perſona, referri ad Patrem vt Spiratorem, ſicut ſufficit Filio, vt ſit perſona, referri ad Patrem vt Patrem: cumque in data hypotheſi Spiritus Sanctus referretur ad Patrem, verè eſſet perſona, & non proprietas perſonæ. Sed contra eſt, nam ratio perſonæ in Deo non habetur per hoc ſolũ, quod eſt ad aliud referri: ratio enim ſpiratoris refertur realiter ad Spiritum Sanctum, nec tamen ratio ſpiratoris perſonam conſtituit; ſed proprietas perſonalis in hoc diſtinguitur à proprietate perſonæ, quia illa eſt prima in linea conſtitutionis, & alia, cum ſupponat perſonam conſtitutam, tantum eſt proprietas perſonæ iam conſtitutæ; ſed in hypotheſi data ſpiratio paſsiva præſupponeret perſonam Filij iam via originis conſtitutam: ergo ſpiratio paſsive in data hypotheſi, ſolum eſſet proprietas perſonæ Filij non vero proprietas perſonalis, id eſt, perſonam conſtituens.

§. III.

Soluuntur Argumenta.

306 CONTRA Concluſionem arguitur primo authoritate Anſelmi in epiſtola de proceſsione Spiritus Sancti contra Græcos, vbi habet ſic *Filius ideo non eſt Spiritus Sanctus, neque Spiritus Sanctus eſt Filius, quia Filius naſcendo, habet eſſe à Patre; Spiritus Sanctus verò non naſcendo, ſed procedendo.* Et §. *nunc quærendum eſt*, inquit, *habent vtique eſſe à Patre Filius, & Spiritus; ſed diverſo modo, quia alter naſcendo, alter procedendo.* Et paulo poſt: *Nam & ſi per aliud, non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent diverſi.* Vbi adverto, quod quando hæc dicebat Anſelmus, adhuc non erat exploratum, quod Spiritus Sanctus à Filio eſſet: tantum enim cognoſcebatur, realiter diſtingui Spiritum Sanctum à Filio, quod fides dictabat; & nihilominus Anſelmus dicit, quod diſtinctio realis Filij à Spiritu Sancto eſt per hoc, quod alter naſcendo, alter procedendo habet eſſe à Patre. Confirm. Authoritate Auguſtini in appendice ad 3. tomum, lib. de fide ad Petrum, cap. 1. vbi inquit: *Quia igitur aliud eſt genuiſſe, quam natum eſſe, aliudque eſt procedere, quam genuiſſe, & natum eſſe; manifeſtum eſt, quod alius eſt Pater, alius Filius, & alius Spiritus Sanctus*: ergo alietas realis inter perſonas, non eſt ex eo, quod ad invicẽ ſint, ſed ex eo, quod diverſo modo à Patre procedunt, nempe naſcendo, & procedendo.

Hanc auctoritatem Anſelmi explicat D. Thom. q. 10. de potentia, art. 5. ad 2. his verbis: *Dicendum, quod id, quod dicit Anſelmus, quod Filius, & Spiritus Sanctus per hoc ſolum ad invicẽ diſtinguuntur, quod diverſo modo procedunt, eſt omnino verũ: ſed ſicut oſtenſum eſt, diverſo modo procedere nõ poſſent, niſi Spiritus Sãctus à Filio eſſet: unde remoto, quod Spiritus Sanctus à Filio ſit, omnimode diſtinctio Spiritus Sancti removerentur à Filio: eſt autẽ intentio Anſelmi in libro de proceſsione Spiritus Sancti, prius ponere ea, in quibus nos convenimus cum negantibus Spiritum Sanctũ eſſe à Filio, qui tamen à Filio dicunt diſtingui*

vnde verba Anſelmi inducta ſunt magis, vt diſputativa ſuppoſitio, quam vt veritatis definitio. Itaque Anſelmus ſupponit duo, in quibus conveniunt Latini cũ Græcis. Primũ, quod tres perſonæ realiter inter ſe diſtinguuntur: ſecundũ quod diſtingui realiter cõvenit Filio, & Spiritu S. quia alter naſcendo, alter procedendo exit à Patre, vt ex his, quibus conveniunt Græci cũ Latinis, poſſit cõvincere Græcos, quod Spiritus S. debeat procedere à Filio, nã procedere à Patre nõ poteſt vt perſona diſtincta à Filio; niſi procedat à Filio, & ſic conceſſo, quod realiter debeat diſtingui à Filio, debet etiam concedi quod etiã exeat procedẽdo à Filio. Itaq. apud Anſelmũ, & apud veritatẽ, Spiritus S. realiter diſtinguitur à Filio, quia exit procedẽdo, & Filius naſcẽdo; ſed vtrũ procedere tantũ à Patre, faciat realiter diſtinguere Spiritũ S. à Filio, de hoc nihil dixit Anſelmus. Vnde illud, quod protulit, quod ſi per aliud non eſsẽt plures Filius, & Spiritus S. per hoc ſolũ eſſent diverſi, non protulit diffiniẽdo veritatẽ, ſed referendo ex ſententia Græcorum. Quod bene prævidit Scotus, dum dixit, *nolo multũ circa eius intentionem immorari.* Ad locum Auguſtini dico, mentẽ illius eſſe ex reali diſtinctione originũ colligere realem diſtinctionem perſonarũ: cæterum, cũ origines non ſint realiter diſtinctæ, niſi Spiritus Sanctus procedat à Filio, non ſit argumentũ contra nos ex teſtimonio Auguſtini.

307 Ratione ſecundo arguitur. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nihilominus vterq; procederet à Patre per duas proceſsiones totales, habentes conditiones incõpoſsibiles in eodẽ perſona: ergo adhuc diſtinguerentur perſonaliter Conſ. patet, & Ant. prob. nam vna ex illis proceſsionibus eſſet perfecta generatio, & adæquata productio Filij, altera eſſet ſpiratio, & adæquata productio amoris, per vnã cõmunicaretur per ſe primo natura divina, per aliã cõmunicaretur per ſe primo impulſus divinus, qui eſt proprietas eiuſdẽ divinæ naturæ; implicat autẽ, quod eadẽ divina perſona ſit Fili°, & ſit amor ſpiratus, implicat etiã, quod habeat naturã per ſe primo cõmunicatã, & & quod habeat eadẽ naturã communicatã per aliud, nẽpe ratione impulſus primo cõmunicati: ergo in data hypotheſi procederẽt Filius, & Spiritus Sãctus duabus proceſſionibus adæquatis, habentibus conditiones incompoſsibiles in eadem natura.

Secundo prob. idem Ant. nam quælibet illarũ productionẽ per ſe primo produceret vnam relationẽ, per ſe incõmunicabiliter ſubſiſtẽtẽ: ergo, cũ productiones eſſent duæ, producerentur in eo eventu duæ relationes ſubſiſtentes, & incõmunicabiles; ergo duæ perſonæ realiter diſtinctæ. Prob. Ant. nã in eo evẽtu illæ productiones retinerent hoc, quod eſt vnũ eſſe generationẽ, & alterã ſpirationẽ, ſicut hoc habent modò: ergo ſicut de facto producunt duas relationes per ſe ſubſiſtẽtes cõmunicabiliter, ita, & tunc illas producerent. Tertio prob. idẽ Ant. nã in eo evẽtu, proceſsio per voluntatẽ eſſet poſterior origine, ipſa generatione Filij, ſiquidẽ actus voluntatis eſt origine poſterior actu intellectus, qui in Deo generatio eſt: ergo ſupponeret etiã terminũ productũ per generationẽ adæquate conſtitutũ in ſuo eſſe; ergo terminaretur ad aliã perſonã, quæ eſſet poſterior origine Filio, & ſic in eo evẽtu Filius, & Spiritus Sanctus eſſent realiter inter ſe diſtincti.

308 Ad hoc argum. nego Ant. ad prob. nego Min. etenim in eo evẽtu prædictæ productiones tantũ virtualiter inter ſe diſtinguerẽtur, cũ vna non eſſet ab alia, & ſic termini illorũ tantũ virtualiter diſtinguerentur; vnde produceretur vna perſona, quæ eſſet Filius ratione eorũ, quæ accepiſſet per intellectionẽ notionalẽ, & eſſet Spiritus Sãctus ratione eorũ, quæ accepiſſet per volitionẽ notionalẽ: acciperet enim per ſe primo naturã vt genitã, & acciperet illã ratione impulſus vt ſpirata, quæ non implicarẽt, quia cũ vna nõ eſſet ab alia, nõ haberet per quid eſſent realiter plura, & ſic eſſent vnũ, ſicut de facto abſolutũ, & relativũ ſunt idẽ in vna perſona, quia nec relativũ eſt ab abſoluto, non abſolutum eſt à relativo.

Ad 2 prob. Ant. diſt. Ant. produceret vnã relationẽ incommunicabiliter ſubſiſtentẽ, reſpective ad Patrẽ, à quo produceret, cõc. Ant. reſpective ad Filium, à quo non procederet, nego Ant. & Conſ. & ad prob. dico, quod tunc retinerent eſſe generationem, & ſpirationẽ, quantũ ad diverſitatẽ formalẽ virtualem; non vero quantũ ad diverſitatem entitativã, & realẽ, quam de facto habent, & ratio eſt aſsignata, quia tunc vna nõ eſſet ab altera; bene vero de facto vna ab altera eſt. Ad tertio prob. diſt. Ant. poſterioritate reali originis, nego Ant. poſterioritate ſolũ virtuali, vel rationis, conc. Ant. & diſt. Conſeq ſupponeret terminum conſtitutũ in ſuo eſſe, quantum ad eſſe Filij, tranſeat Conſequens, quantum ad omnia, quæ illi tunc competerent, nego Conſequentiã, ſi-

Digitized by Google

ſicut de facto relatio ſpiratoris ſupponit Patrem quantum ad omnia ea, quæ attinent ad eſſe Patris, non vero quantum ad omnia, quæ identificantur cum Patre. Itaque in eo eventu inter proceſsiones per voluntatẽ, & intellectum, daretur illemet ordo originis, qui datur inter generationẽ, & ſpirationẽ activam, quarũ prima intellectio notionalis eſt, ſecũda volitio; inter illas autẽ tantũ eſt ordo originis virtualis, vel rationis, non realis, & ſic tunc inter ſpirationem paſsivã, & generationẽ paſsive ſumptam, tantum eſſet ordo virtualis, non realis actualis, cum vna non eſſet ab altera, realiter: vnde tantum produceretur vna perſona, realiter vna, cum duplici formalitate, nempe geniti, & ſpirati.

308 Secundo arguitur, nam ſi Spiritus Sanctus nõ procederet à Patre, & procederet à Filio, adhuc realiter diſtingueretur à Patre: ergo ſi procedat à Patre, & nõ à Filio, adhuc diſtingueretur à Filio. Ant. communiter conceditur à Theologis, & Conſ. prob. nã in eo evẽtu Spiritus S. non opponeretur relative cũ Patre, ſicut in ſuppoſitione, quod nõ procedat à Filio, nõ habet oppoſitionẽ relativã cum Filio: ergo, ſi hoc nõ obſtãte, diſtingueretur realiter a Patre, hoc non obſtante, diſtinguetur realiter à Filio. Confir. dato, quod Pater non ſpiraret active Spiritũ Sanctũ non eſſet neceſſe, quod ſpiraretur à Filio: ergo dato, quod Filius non ſpiraret, non eſſet neceſſe, quod ſpiraretur à Patre. Prob. Conſ. nam tunc eſſet realis diſtinctio inter Filium, & Patrẽ, nõ ſolũ, quia Pater, & quia Filius, ſed etiã, quia Filius eſſet ſpirator, & non Pater; ſicut ſi Filius non ſpiraret active, realiter diſtingueretur à Patre vt ſpiratore; at talis diſtinctio ſalvaretur ſine oppoſitione relativa penes ſpirantem Patrem, & Filium ſpirantem: ergo ſimiliter in caſu, quo Pater ſpiret, & Filius non ſpiret, poterit ſalvari diſtinctio realis ſine eo, quod Filius paſive ſpiretur.

Huic argumento communiter reſpondetur à Thomiſtis aſsignando diſparitatem in eo, quod in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Patre, & procederet à Filio, tunc mediate opponeretur relative Patri, quia procedendo immediate à Filio, ex fœcũditate accepta à Patre, mediate procederet à Patre, & ſic haberet oppoſitionẽ relativã mediatã cum Patre: ſi autẽ procederet à Patre, & nõ à Filio, tunc neque mediate, neque immediate relative opponeretur Filio, cum neque mediatẽ, neque immediate à Filio procederet, & ſic non haberet per quid realiter à Filio diſtingueretur.

Sed inſtabis, nam hæc mediata oppoſitio, per accidens ſe habet, ad diſtinguendũ Spiritũ Sanctũ à Patre: ergo oportet recurrere ad aliud principiũ, ad aſsignandam diſtinctionem realem inter Patrẽ, & Spiritũ Sanctũ. Prob. Ant. nam tunc Pater, ad productionẽ Spiritus S. omnino per accidens ſe haberet, cum nullũ influxũ neque principij proximi, neque radicalis haberet in Spiritũ Sanctum, ſicut avus omnino per accidens ſe habet ad productionẽ nepotis, quia neque proxime, neque remote concurrit ad generationẽ eius: ergo illa mediata oppoſitio relativa, non efficeret diſtinctionẽ realẽ inter Spiritum Sanctum, & Patrem.

Ad hoc nego Ant. ad prob. neg. Ant. nã licet Pater neque proxime, neque radicaliter cõcurreret ad Spiritũ Sanctũ; concurreret tamen mediate ad eum modũ, quo diximus, quod quidquid eſt cauſa per ſe cauſæ, eſt cauſa cauſati, quæ maxima tenet, quando eſt per ſe ordo in cauſando, qualis tunc ordo adeſſet, quando Spiritus Sanctus procederet à Filio, & non à Patre, nã tunc Spiritus S. per ſe cauſaretur à Filio, & Filius per ſe cauſaretur à ſuo Patre. Dico per ſe cauſari, quia ſic cauſaretur Filius à Patre, quod non poſſet cauſari ab alio, & ſic Spiritus S. cauſaretur à Filio, quod non poſſet cauſari ab alia perſona: vnde mediate Spiritus Sanctus cauſaretur à Patre, quæ ratio non militat inter avum, & nepotem, nam avus nõ eſt per ſe cauſa Petri, Patris illius, qui dicitur nepotis; nam hic poſſet ab alio individuo cauſari, & ſic avus nõ habet concurſum per ſe in nepotẽ, quamvis habeat concurſum in eius Patrem; Pater autem divinus per ſe habet concurſum in Filium, à quo per ſe peteret produci Spiritus Sanctus, & ſic per ſe ſaltim mediate concurreret ad Spiritum Sanctum.

Sed contra inſto, nam ex hoc doctrina ſequitur Spiritum Sanctum de facto referri ad Patrem tanquam ad ſpiratorem mediatum, & immediatum; Conſ. non videtur admitti poſſe: ergo. Prob. ſequela, nam de facto Spiritus Sanctus procedit à Patre tanquam à ſpiratore immediato, vt fides tenet, & etiã procederet de facto tanquam à ſpiratore mediato; nam immediate per ſe procederet à Filio, & Filius acciperet per ſe a Patre virtutẽ, qua Spiritum Sanctum produceret: ergo Spiritus Sanctus procedet

Digitized by Google

de facto à Patre mediante Filio, & ſic mediate, & immediate Spiritus Sanctus procederet à Patre: quod autem hoc non poſſit admitti, probatur; nam implicat vnum relativum reſpectu eiuſdem termini habere oppoſitionē relativā mediatam, & immediatam.

Secundo inſto: nam ſequitur ex ſolutione data Spiritum Sanctum opponi relative cum Patre vt generante; hoc autem eſt falſum: ergo. Prob. Sequela; nam Filius non accipit à Patre virtutem ad ſpirandū Spiritum Sanctum, per ſpirationem activam Patris, ſed tantum per generationem: ergo Spiritus Sanctus non refertetur ad Patrem tanquam ad mediatum Spiratorem, ſed tanquam ad Patrem generantem Filiū, à quo Spiritus Sanctus immediate ſpiraretur. Quod autem hoc ſit falſum prob. nam cum Patre vt generante, ſolum genitū poteſt habere relativam oppoſitionem, immediatam, quia immediate generatur, & mediatam, quia generatur ab alio immediate genito ab alio illum generante; ſed Spiritus Sanctus neque mediate, neque immediate poteſt dici genitus à Patre: ergo nequit referri ad Patrem vt generantē, ſive immediate, ſive mediate.

Confirm. & explicatur hoc. Concurſus, quem habet Pater in Filium, adæquate terminatur in Filio: ergo non tranſit in Spiritum Sanctum: ergo nequit dici, quod Spiritus Sanctus procedat mediate à Patre. Cōſeq. videtur bona, nam quando aliqua actio adæquate ſiſtit in vno termino, id, quod ex tali termino oritur, nequit dici, quod habeat eſſe ex vi actionis, quæ in alio termino adæquate ſiſtit; v.g quia creatio Angeli habet pro termino adæquato perſonam Angeli, & ſolas operationes, quæ incipiunt cū eſſe Angeli, non poſſumus dicere, quod operationes, quas habet Angelus in ſecundo inſtanti, & termini producti per illas, mediate ſint ab Authore ex vi creationis: ergo ſi productio Filij adæquate ſiſtit in Filio, non poſſumus dicere, quod Spiritus Sanctus procedens à Filio, procedat a Patre mediante productione Filij. Antec. autem primum prob. nam talis concurſus eſt generatio; ſed generatio ſiſtit in Filio tanquam in termino ſuo adæquato; nam tantum poteſt terminari ad genitum, vel ad congenitum: primum, eſt eſſentia Filiationis, ſecundum, ſunt proprietates eius, quæ terminant generationem ratione termini primario geniti; Spiritus autē Sanctus neque eſt genitus, neque congenitus: ergo nequit eſſe à Patre mediate ratione generationis, qua producitur Filius.

Ad 1. nego Min. ad prob. diſt. Ant. ſub vna formalitate, conc. Ant. ſub diſtinctis formalitatibus, nego Ant. & Conſeq. Itaque, de facto iſtæ duæ propoſitiones ſunt veræ, *Spiritus Sanctus immediate procedit à Patre*, & hæc, *Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium*, de prima non poteſt dubitari, nec etiam de ſecunda, nam expreſſe habetur à D.Thom. hic art. 3. ibi: *Quia igitur Filius habet à Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, poteſt dici, quod Pater per Filium ſpirat Spiritum Sanctum: vel quod Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium.* Super quæ Caietanus: *Hoc poteſt dici conſiderando Spiritum Sanctum, vt eſt à Patre mediate; ſecus autem dicendum eſt loquendo de ipſo, vt eſt immediate à Patre.* Quibus expreſſe aſſerit; Spiritum Sanctum de facto eſſe à Patre immediate, quatenus ipſum, per actum voluntatis immediate illi convenientem, ſpirat, & mediate, quatenus Spiritus Sanctus procedit à Filio per virtutem ſpirativam acceptam à Patre.

Ad ſecundam inſtantiam nego ſequelam, ad prob. nego Conſeq. nam generatio tantum denominat Patrem generantem in ordine ad ea, quæ producuntur à Patre, ſive mediate, ſive immediate per actionem generativam; non verò denominat Patrem generantem in ordine ad ea, quæ Filius ex virtute accepta à Patre producit: vnde ſi Filius, per virtutem acceptā à Patre per generationem immediate, ſpirat; id, quod ſpiratur, non refertur ad Patrem tanquam ad generantem, ſed tanquā ad cauſam mediatam ſui eſſe ſpirati. Habemus huius exemplum ſatis accomodatum. Etenim actio vitalis, quam Angelus elicit in primo inſtanti, tribuitur Deo, qui per creationem creavit Angelum, & tamē non refertur ad Deum tanquam ad ſui creatorem, quia illa actio nova eſt, & diſtincta ab actione, qua Deus creavit Angelū: vnde neque dicitur creari, vel concreari ab ipſo Deo; refertur tamen ad Deum tanquam ad cauſam mediatam ſui eſſe: ita pariter, etſi Spiritus Sanctus referatur ad Patrem, quia per generationem Pater communicat Filio virtutem, qua ſpirat Spiritum Sanctum; non tamen ſequitur, quod referatur ad Patrem tanquam ad genitorē, ſed tanquam ad mediatum principium ſui eſſe ſpirati.

Ad

Ad Confir.diſt.Ant. terminatur in Filio,tanquam in genito,conc.Ant.tanquam in quomodocunque per illam producto, nego Ant.& diſt. Conſ. ergo non tranſit in Spiritum Sanctum, tanquam in genitum, conc. Conſ.tanquam in quomodocunque productum, nego Conſ. & diſt. vltimum Conſ. ergo non poteſt dici, quod Spiritus Sanctus procedat à Patre mediate,tanquam genitum à generante, adhuc mediate,concedo Conſ. tanquam productum à mediate producente, nego Conſ. Itaque,vt dixi, generatio Patris reſpectu omnium, quæ competunt Filio,ſervat nomen,& rem generationis; reſpectu autem eorum, quæ producit Filius ex virtute accepta à Patre, obtinet rationem principij mediate producentis,vel mediate ſpirantis.

Ad Confir. principalis argumenti nego Conſ.ad prob.diſt. Mai. ſi ly *ſicut* dicat in adæquatam ſimilitudinem, conc.Mai.ſi dicat adæquatam ſimilitudinem,nego Mi. & conc.Min.nego Conſeq. Itaque,vt Filius ſpiraret,& non Pater, non requireretur realis diſtinctio orta ex oppoſitione relativa ſpirantis ad ſpiratum, ſed ſufficeret oppoſitio relativa penes hoc, quod Filius, vt ſpirator Spiritus Sancti,eſſet à Patre: neque enim ſpiraret à ſe,ſed ex acceptis à Patre, & ſic ſalvaretur,quod Filius ſpiraret, & non Pater; negatio autem ſpirationis activæ in Filio conſubſtantiali Patri ſpiratori,non poſſet oriri niſi ex oppoſitione relativa ſpirati à Patre ſpiratore, quia nequit intelligi, quod Pater habeat aliquam virtutem,& illam nō communicet Filio, niſi ſecundum illam opponatur illi:non ergo alia via poſſet Filius carere virtute ſpirativa,quā habet Pater, niſi per hoc,quod penes illam daretur oppoſitio relativa inter Patrem, & Filium, & ſic ſi Filius non ſpiraret,neceſſario ſpiraretur à Patre.

Sed contra inſto.De facto Filius habet virtutem ſpirativam à Patre; & tamen inde non ſequitur,quod in ratione ſpiratoris à Patre realiter diſtinguatur: ergo licet in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus à Filio procederet,& non à Patre, & Filius ſpiraret ex virtute accepta à Patre,non ſequeretur per hoc realiter intra lineam ſpirandi diſtingui à Patre.Prob. Conſ. à paritate rationis.Ad hoc nego Conſ.& nego quod ſit paritas,nam ſi ſupponamus Patrē non ſpirare,& Filium ſpirare,tunc debemus dicere,quod virtus ſpirativa in Filio ſit accepta à Patre per veram productionem; & ſic eſt neceſſe,quod Filius in ratione ſpiratoris realiter diſtinguatur à Patre; ſicut enim ratio geniti, quia producta eſt à Patre generante,diſtinguit realiter Filium à Patre,ita tunc,cum ratio ſpirativa eſſet realiter à Patre producta in Filio, realiter diſtingueret Filium à Patre non ſpirante: de facto autem res non ita contingit; nam virtus ſpirativa Filij, quamvis ſit accepta à Patre, non tamen eſt producta, ſed pure communicata, & ſic conſtituit Filium ſimul cum Patre ſpiratorem ſine aliqua diſtinctione in linea ſpirantis inter Patrem, & Filium; Vnde non eſt paritas.

§. IV.

Soluuntur alia Argumenta contra Concluſionem.

309 TERTIO arguitur. De facto Filius realiter diſtinguitur à Spiritu Sancto ratione ſolius Filiationis:ergo cū in data hypotheſi Filius maneret Filius,&Spiritus Sanctus maneret Spiritus Sanctus; vere inter ſe diſtinguerentur realiter.Prob.Ant. ſola filiatio conſtituit perſonam Filij:ergo illa ſola facit diſtinguere perſonaliter Filium à Spiritu Sancto. Probatur Ant. ex D. Thom.ſupra quæſt.32.art.3.ibi: *Tres autem ſunt notiones perſonales, id eſt conſtituentes perſonas, ſcilicet, Paternitas, Filiatio, & Proceſsio; communis autem ſpiratio, & innaſcibilitas dicuntur notiones perſonarum,non vero perſonalia.*

Ad hoc argumentum reſp. Vazquez negando Ant.ad prob. diſtinguit Ant. ſola filiatio cōſtituit perſonam Filij,re ipſa,negat Ant.conſtituit tantum ſecūdum rationem,concedit Antec.& negat Conſ. Et ad prob.dicit,quod quando conſtitutivum eſt phyſicum,& re ipſa conſtituit, tunc per illud, per quod vna res phyſica, & realiter cōſtituitur,per illud ab omni alio non habente tale cōſtitutivum,realiter diſtinguitur;quando vero conſtitutivum tantum eſt ſecundum rationem conſtitutivum, non oportet, quod per illud realiter differat à quocumque non habente illud: quia ergo filiatio non eſt phyſicum conſtitutivū perſonæ Filij,hoc enim tantum eſt relatio filiationis prout aparte rei exiſtit, & quæ aparte rei ab ipſa ſpiratione non diſtinguitur;ſiquidem aparte rei filiatio, & ſpiratio activa non diſtinguuntur realiter, etſo per noſtros conceptus cum fundamentō in re

ali-

Digitized by Google

diſtinguantur,non oportet,quod ſi perſona Filij conſtituitur in eſſe perſonæ per filiationē,per eam realiter diſtinguatur à Spiritu Sancto.

Sed contra inſto, nam adæquate conſtitutivum per noſtros conceptus cum fundamento in re,eſt adæquate dans eſſe,prout eſſe diſtinguitur à proprietate: ergo includit differentiam adæquatam, per quam illud,quod cōſtituitur,differt ab omni alio, quod tali conſtitutivo non gaudet:ergo ex vi illius res conſtituta differt ab omni alio: ergo ſi filiatio ſola per noſtros conceptus conſtituit adæquate perſonam Filij,ſola filiatio faciet diſtinguere ab omni alio,quod non habet filiationem. Explico hoc. Quia homo adæquate conſtituitur ex gradu ſubſtantiæ,viventis, ſenſibilis, rationalis,etiam ſi per illos gradus ſecundum rationem conſtituatur (quia phyſica cōſtituitur per formam phyſicam rationalem) per illos habet diſtingui ab omni alio, quod non eſt homo: ergo quia in ſola relatione filiationis,vt virtualiter diſtinguitur à cōmuni ſpiratione, habetur adæquatum conſtitutivum perſonæ Filij, per illam ſolam oportet, quod Filius diſtinguatur perſonaliter ab omni eo,quod Filius non eſt.

Secundo inſto. Quia ſi aparte rei,tam formalitas filiationis,quam formalitas cōmunis ſpirationis,conſtituit phyſice perſonam Filij in eſſe perſonæ: ergo non minus erit proprietas perſonalis communis ſpiratio,quam filiatio,quod eſt contra D.Tho. adductum ſupra. Prob. Sequela, nam proprietas perſonalis eſt illa,quæ aparte rei facit perſonam:ergo ſi à parte rei formalitas communis ſpirationis conſtituit perſonam Filij, erit proprietas perſonalis Filij, & nō ſolum proprietas perſonæ.

310 Reſp.ſecundo Caiet. argumēto facto,diſtinguens duplex conſtitutivum; aliud abſolutum,& aliud relativum, & inquit, quod quia conſtitutivum abſolutum rem conſtituit abſolute, & in ordine ad omnia alia à ſe, etiam facit rem diſtinguere in ordine ad omnes res, quæ non habent tale conſtitutivum:verùm,quia conſtituens relativum rem non conſtituit abſolute, ſed tantum in ordine ad correlativum, ideo tantum facit differre in ordine ad correlativum: vnde cum filiatio conſtituat perſonam Filij, tantum in ordine ad Patrem, tantum habebit diſtinguere à Patre, & non ab illis, cum quibus non opponitur relative.

Sed contra ſic inſto, nam Filius non tantum habet eſſe perſonam reſpective ad Patrem, ſed etiam reſpective ad Spiritum Sanctum: ergo vel per ſolam filiationem habet eſſe perſonæ, tam in ordine ad Patrem, quam in ordine ad Spiritum Sanctū, & ſic habebit diſtingui per ſolam filiationem ab vtroque;vel poſtquàm per filiationem habet eſſe perſonæ in ordine ad Patrē, per ſpirationem activam habet eſſe perſonæ in ordine ad Spiritum Sanctum, & ſic non conſtituetur adæquate in eſſe perſonæ per ſolam filiationem,quod eſt contra ipſū Caietanū. Secūdo inſto. Nā Filius perſonaliter diſtinguitur à Spiritu Sancto: ergo eſt neceſſe, quod diſtinguatur ab illo per id, quod conſtituit illum in ratione perſonæ: ergo,ſi per filiationem adæquate conſtituitur in ratione perſonæ, neceſſe erit, quod per filiationem perſonaliter diſtinguatur à Spiritu Sancto. Explico hoc. Filius non tantum diſtinguitur realiter à Spiritu Sancto, ſed etiam perſonaliter diſtinguitur ab illo; at perſonaliter diſtingui nequit, niſi ex principijs perſonalibus diſtinguatur:ergo ſi in ſola filiatione adæquate habentur principia perſonalia Filij, Filius per ſolam filiationem perſonaliter diſtinguetur à Spiritu Sancto.

Confir. hoc,proprietas perſonalis, & proprietas perſonæ non ſunt idem,vt vidimus ex D. Thom. ſupra: ergo proprietas perſonæ, eſto diſtinguat perſonam à perſona; non tamen diſtinguet perſonaliter perſonam à perſona: cum ergo ſpiratio activa non ſit proprietas perſonalis Filij, ſed tantum ſit proprietas perſonæ Filij, eſto faciet Filium diſtingui à Spiritu Sancto, non tamen faciet illum perſonaliter diſtingui ab illo. Huius adduco exemplum ex metaphyſica. Etenim aliud eſt portionem ſubſtantiæ diſtingui à portione ſubſtantiæ, & aliud eſt portionem ſubſtantiæ, ſubſtantialiter diſtingui ab altera portione ſubſtantiæ: primum facit quantitas; ſecundum debet facere ſubſtantię diverſitas penes principia ſubſtantiæ: ergo ſi communis ſpiratio non conſtituit perſonam Filij, non poterit ponere diſtinctionem perſonalem inter Filium,& Spiritum Sanctum.

311 Tertio alij reſp. conceſſo Antecedenti,negando Conſ. quia filiatio, quæ de facto eſt, habet vim ſpirandi Spiritum Sanctum; in hypotheſi autem, quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio,non haberet vim ſpirandi, eſſet enim alterius

ra-

Digitized by Google

rationis filiatio ab iſta, quæ de facto eſt; & ſic tunc non diſtingueret Filium à Spiritu Sancto, licet de facto illum diſtinguat. Sed contra ſolutionem inſto: quia licet de facto filiatio coniuncta ſit cum vi ſpirativa; non tamen conſtituitur perſonaliter Filius per filiationem, & per vim ſpirandi, ſed tantũ conſtituitur filiatione: ergo de facto Filius quia Filius, diſtinguitur perſonaliter à Spiritus Sancto, & non quia coniũctus cum vi ſpirandi. Patet Conſ. nam idem eſt diſtinguere perſonaliter, & conſtituere perſonam; & Ant. prob. coniunctio cum vi ſpirandi communis eſt Filio, & Patri: ergo nullo modo eſt proprietas conſtituens perſonam Filij: proprietas enim perſonalis eſt illa, quę ita eſt proprietas vnius perſonæ, quod nullo modo eſt alteri communis.

312 Quarto Reſpondent alij, diſt. Ant. ratione ſolius filiationis Filius diſtinguitur perſonaliter à Spiritu Sancto; perſonaliter realiter, nego Ant. perſonaliter formaliter, conc. Ant. & diſtingunt Conſ. ergo in data hypotheſi diſtinguerentur perſonaliter, realiter, nego Conſ. formaliter, vel virtualiter, conc. Conſ. Itaque, ex alio capite oritur diſtinctio perſonalis, & ex alio capite oritur diſtinctio realis, quæ habetur inter perſonas: prima oritur ex illis rationibus, quæ ſic ſunt propriæ Filio, quod nõ inveniuntur in alijs, ſecunda oritur ex oppoſitione relativa: & quia de facto inter Filium, & Spiritum Sanctum habetur vtrumque principium diſtinctionis, habetur de facto inter illos diſtinctio perſonalis realis: in illo tamẽ eventu non haberetur principium diſtinctionis realis; cum vna perſona non procederet ab alia: & ſic tantum inveniretur vna perſona realiter, & duplex virtualiter.

Sed contra inſto. Perſona eſt ſubſiſtens diſtinctum incommunicabile: ergo, & principia, quæ conſtituunt perſonam, faciunt ſubſiſtens diſtinctum, & incommunicabile: ergo faciunt perſonã diſtinguere ab omni eo, ad quod cõparantur vt diſtincta perſona: ergo, cum ſola filiatio conſtituat perſonam Filij, ex vi illius habebit Filius eſſe diſtinctum, & incommunicabile; & ſic habebit eſſe realiter diſtinctum: ergo diſtinctio realis non orietur ex alijs principijs ab eis, ex quibus oritur diſtinctio perſonalis.

313 His modis dicendi relectis, vera ſolutio argumenti facti eſt diſtinguere Ant. de facto Filius diſtinguitur à Spiritu Sancto ratione ſolius filiationis, vt filiatio tantum explicat reſpectum ad Patrem, nego Ant. vt radicans activam ſpirationem, conc. Ant. & nego Conſ. quia in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, tantum maneret de Filio, qui modo eſt, explicatio reſpectus ad Patrem, non vero maneret Filius filiatione radicante ſpirationem activam; & ſic non ſequeretur, quod ſi modo Filius filiatione realiter diſtinguitur à Spiritu Sancto, ita in data hypotheſi ſola filiatione deberet realiter diſtingui ab illo; imò Filius, qui tunc eſſet, exigeret ſpirari paſsive a Patre.

Sed inſtas. Hæc radicatio ſpirationis Spiritus Sancti communis eſt Patri, & Filio: igitur nequit ingredi conceptum proprietatis conſtituentis perſonam. Sed reſp. Eſt communis, quaſi generice, conc. Ant. quaſi ſpecifice, nego Ant. & Conſ. Itaque, Pater habet radicare ſpirationem activam, quia principium fontale eſt totius deitatis procedentis ab alio, Filius habet radicare ſpirationem activam, quia conſubſtantialis eſt Patri, & ſic exigit habere omnia ea, quæ habet Pater, præterea in quibus Pater opponitur Filio: cũque in ſpiratione activa non ſit oppoſitio inter Patrem, & Filium, filiatio habet radicare ſpirationem activam.

Sed inſtas. Virtus radicata eſt omnino vna in Patre, & in Filio: ergo, & ratio radicis eius in Patre, & in Filio debet eſſe omnino vna. Prob. Conſ. nam idem omnino radicatum nequit oriri ex radicibus ſpecifice diſtinctis. Ad hoc diſt. Anteced. virtus radicata eſt omnino vna, in pluribus, conc. Ant. In vno tantum, nego Antec. & nego Conſ. ad prob. diſt. Ant. idem omnino radicatũ nequit oriri ex radicibus; quaſi ſpecifice diverſis, ſi radicatum ſit cõmune pluribus, nego Ant. ſi ſit vnius ſolius, cõc. Ant. & nego Conſ. Itaque, quamvis virtus ſpirativa ſit vna, eſt vna duorum relative inter ſe quaſi ſpecifice diſtinctorum, & ſic non eſt mirum, quod radices eius ſint quaſi ſpecifice plures.

Sed inſtabis vrgentius. Per hoc, quod filiatio radicet virtutem proxime ſpirativam, quæ proxime, & formaliter relative opponitur cum Spiritu Sancto, non ſequitur, quod realiter differat à Spiritu Sancto: ergo tota diſtinctio realis debet Filio convenire ratione virtutis proximè ſpirativæ, Conſ. eſt bona, & Ant. probatur. Natura divina radicat Paternitatem, per quam Pater relative proxime opponitur Filio; & ta-

Digitized by Google

men ex hoc non ſequitur quod natura divina realiter diſtinguatur à filiatione: ergo per hoc, quod Filius radicet virtutem ſpirativam, quæ proxime opponitur Spiritui Sancto, non ſequitur, quod Filius realiter diſtinguatur à Spiritu Sancto.

Ad hoc nego Ant. ad prob. diſt. Mai. Natura divina radicat Paternitatem, cum in capacitate referibilitatis per ipſam Paternitatem, conc. Mai. cum capacitate referibilitatis per ipſam Paternitatẽ, nego Mai. & conc. Mi. nego Conſ. Itaque, hoc eſt diſcrimẽ inter Deitatem radicantẽ Paternitatẽ, & filiationẽ radicantem virtutem ſpirativam, quod cum Deitas ſit abſoluta, & abſoluta nequeant referri ad intra per relationes, non ſunt radicaliter referibilia, & ſic ſicut per relationes radicatas non referuntur, ita neque per hoc, quod illas radicant, radicaliter referibilia ſunt; & ſic Deitas, dum per Paternitatem actu nõ refertur ad Filium, ita non eſt radicaliter referibilis ad Filium, vnde neque habet realiter diſtingui à filiatione: at filiatio refertur ad Spiritum Sanctum media activa ſpiratione, & ſic illam radicat, quaſi referibilis per illam, vnde habet realiter diſtingui à Spiritu Sancto, cum quo, vt ſpirator, immediate opponitur.

Sed inquires. Quomodo ſtare poteſt, quod natura divina ſit capax radicandi relationem, & nõ ſit capax referibilitatis per ipſam relationem? Reſp. bene illa cõponi, quando id, quod radicatur eſt id, quod refertur vt quod; non vero quando radicatum eſſet tantum principium quo referendi. Et ratio eſt, quia dum id, quod radicatur eſt id, quod vt quod primo refertur, nequit in ſui radice invenîri id, quod vt quod refertur, ſed intrãſitive ipſa relatio refertur vt quod; quando autem id, quod radicatur, ſolum eſt vt quo ratio referendi, cum non ſit ratio referendi ſeipſam vt quod, quærit in ſui radice principium quod vt quod referatur, & ſic, cum in creatis omnis relatio tantum ſit vt quo ratio referendi abſoluta, à quibus oritur, habet denominare relata vt quod; in divinis vero, quia proprietates perſonales ſunt rationes referendi ſeipſas vt quod, non habent naturam divinam referre vt quod, & ſic quamvis ex illa oriantur; non tamen illam denominant relatam, neque referibilem: non ſic de proprietate perſonę, qualis eſt ſpiratio communis, philoſophandum eſt, quia illa non eſt ratio vt quod referendi ſeipſam, ſed ſolum eſt ratio referẽdi Patrem, & Filium, qui vt quod ſpirant, media ipſa virtute ſpirativa vt quo.

§. V.

Solvuntur alia Argumenta.

314 QVARTO Arguitur. Si Filius non ſpiraret Spiritum Sanctum, non neceſſarium eſſet, quod ſpiraretur à Patre: ergo eſto non ſpiraret Spiritum Sanctum, poſſet realiter diſtingui ab Spiritu Sancto. Conſ. eſt bona. Nam ſi Pater ſpiraret, & Filius non ſpiraretur, Filius deberet realiter diſtingui à perſona ſpirata à Patre. Ant. autem prob. ex hoc, quod Spiritus Sanctus non generet, nõ ſequitur, quod generetur: ergo ex hoc, quod Filius non ſpiraret, non ſequeretur, quod ſpiraretur à Patre. Confir. Spiritus Sanctus non opponitur Patri vt generanti, neque Filio vt genito; & tamen neque participat à Patre generare, neque à Filio generari: ergo poſſet intelligi, quod Filius neque opponeretur Patri vt ſpiranti, neque Spiritui Sancto vt ſpirato, & tamen neque participaret à Patre ſpirare, neque à Spiritu Sancto ſpirari, & ſic diſtingueretur à Patre, & Spiritu Sancto ſine eo, quod ſpiraret, & ſine eo, quod ſpiraretur.

Ad hoc argumento nego Ant. ad prob. nego Conſ. Etenim, cum Patrem active ſpirare Spiritum Sanctum, ſit poſterius origine, quam Filiũ naſci; eſt neceſſarium, quod ſi Filius non participat à Patre ſpirare, hoc ideo ſit, quia intra lineam ſpirativam Patri opponitur: intra lineam autem ſpirativam tantum eſt oppoſitio penes active ſpirare, & paſsive ſpirari; & ſic ſi à Patre non participat ſpirare, eſt neceſſarium, quod à Patre ſpiretur, & propter eandem rationem, quia Spiritus Sanctus eſt poſterior origine Patre generante, & Filio genito, eſt neceſſarium, quod procedat ab vtroque, & ſic ex quo procedit à Patre nequit generare cum Patre, & ex quo procedit à Filio, nequit generari cum Filio. Ad Confir. nego Ant. opponitur enim genito, quia genitũ conſubſtantialiter à Patre radicat ſpirationem activam Spiritus Sancti; opponitur etiam generanti, quia generans, cum ſit principiũ fontale totius Deitatis procedentis: etiam radicat ſpirationem activam Spiritus Sancti.

315 Quinto Arguitur. Patrem ſpirare Spiritum Sanctum, eſt poſterius origine,

Digitized by Google

gine, quam generare Filium: ergo in omni eventu ſive Spiritus Sanctus procedat à Filio, ſive non procedat, ſupponit Filium natum: ergo nequit ſpirare perſonam Filij, ſed aliam diſtinctam: ergo in eo eventu Filius diſtingueretur realiter à Spiritu Sancto. Prima Conſ. patet, & ſecunda prob. quia perſonæ jam conſtitutæ nequit fieri additio alterius perſonæ: ergo cum ſpiratio activa producat perſonam, ſi Filius ordine originis ſupponitur natus, per ſpirationem activam producetur perſona diſtincta à Filio; aliàs perſonæ Filij fieret additio per perſonam Spiritus Sancti.

Confir. quia Spiritus Sanctus eſt poſterior origine Filio genito, de facto nequit illi convenire ratio geniti: ergo, quia in data hypotheſi Filius eſt prior origine Spiritu Sancto, nequiret illi convenire eſſe Spiritum Sanctum. Confir. ſecundo. Nam duæ actiones totales ordine quodam ſe habentes, petunt producere duos terminos totales ordine quodam ſe habentes; ſed generatio, & ſpiratio in data hypotheſi eſſent duæ actiones totales ordine quodam ſe habentes: igitur deberent producere duos terminos totales ordine quodam ſe habentes: ergo diſtinctos realiter.

Ad hoc argumentum diſt. Ant. Patrem ſpirare Spiritum Sanctum eſt poſterius origine, quam generare Filium, poſterioritate reali originis, nego Antecedens, poſterioritate rationis tantum, qualis invenitur inter duos actus notionales inter ſe realiter identificatos, conc. Ant. & diſt. primum Conſ. præſupponeret, præſuppoſitione reali originis, nego Conſ. rationis tantum, concedo Conſ. & nego ſecundam, quæ infertur: vel diſt. Conſ. nequit ſpirare perſonam Filij, inquantum Filij, cōc. Conſ. vt Spiritum Sanctum, nego Conſ. Itaque in eo eventu ipſamet perſona ordine quodam rationis, eſſet primo Filius, deinde Spiritus Sanctus.

Ad Confir. diſt. cauſalem, quia Spiritus Sanctus eſt poſterior origine Filio genito, nequit illi communicari ratio geniti, quia eſt poſterior poſterioritate reali originis; conc. Ant. quia eſt poſterior tantum, nego Ant. & Conſ. quia in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, inter generationem, & ſpirationem activam tantum eſſet ordo rationis, & ſic inter terminos productos ſolùm eſſet ordo rationis: de facto autem, cum ſpiratio ſit à genito; ſpiratio eſt poſterior origine realiter ipſa generatione; & ſic Spiritus Sanctus, qui producitur per illam, eſt realiter poſterior genito, & ſic realiter diſtinguitur ab illo. Explico hoc. In divinis nihil eſt poſterius origine realiter altero, niſi quod realiter procedit ab illo: cum ergo in data hypotheſi Spiritus Sanctus non eſſet realiter à genito, non eſſet poſterior poſterioritate originis ipſo genito, & ſic ipſum genitum eſſet Spiritus Sanctus: de facto autem proceſsio Spiritus Sancti à genito eſt, & ſic Spiritus Sanctus realiter poſterior eſt ipſo genito, & ſic de facto tantum eſt Spiritus Sanctus, & non genitus.

Ad ſecundā Confir. diſt. Mai. petunt producere duos terminos totales ordine quodam ſe habentes, ordine ſecundum rationem tantum, conc. Mai. reali, nego Mai. & diſt. Min. ſed generatio, & ſpiratio in illo eventu eſſent duæ actiones totales ordine quodam ſe habentes, ordine ſecundū rationem tantum, conc. Min. ordine reali, nego Min. & diſt. Conſeq. ordine quodam, ſecundum rationem tātum, conc. Conſeq. ordine reali, nego Conſ. & aliam quæ ſub infertur. Itaque, duę actiones totales ex terminis ſuis, tantum petunt producere duos terminos totales, ea totalitate duplici, qua gaudent actiones; cum ergo ſpiratio Patris, & generatio non ſint duo actiones ſic totales, quod realiter diſtinguantur, non poſſunt producere duos terminos totales realiter diſtinctos, niſi ex alio capite contingat prædictos terminos realiter diſtingui; ſicut contingit de facto, quod Filius, & Spiritus Sanctus non ſunt diſtincti realiter, quia alter producitur per intellectum, & alter producitur per volūtatem; cum enim volitio, & intellectio ſint realiter omnino idem inter ſe, non poſſent realiter producere duos terminos realiter inter ſe diſtinctos: vnde oportuit hanc realem diverſitatem ex alio capite deſumere; nempe ex eo, quod Spiritus Sanctus, qui eſt terminus actionis volitivæ, ab ipſo genito paſsive realiter eſt; cum ergo in hypotheſi quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Filius, & Spiritus Sanctus procederent ab eadem perſona, per duas actiones ſola ratione diſtinctas inter ſe, & aliàs vnus non eſſet ab alio, non poſſent inter ſe realiter diſtingui.

316 Sexto arguitur. In creatis relatio, non tantum facit differre à ſuo correlativo, ſed etiam à ſibi oppoſito diſparate: ergo in divinis pariter relatio realis, nō tantum faciet differre à ſuo correlativo, ſed etiam

Digitized by Google

etiam à ſibi oppoſito diſparate: cum ergo in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, relatio ipſius diſparata haberet oppoſitionem cum Filio, eſto non haberet oppoſitionem relativam cū illo, realiter diſtingueretur ab illo. Ad hoc nego Conſ. quia increatis hoc contingit propter limitationem, & imperfectionem, quā habet vna relatio comparative ad aliam, ratione cuius eſſentia vnius relationis ſic eſt limitata ad vnam ſpeciem, quod non poteſt habere in ſe ea, quæ ad alteram ſpeciem pertinent; in divinis autem, cum relatio ſit ab omni imperfectione, & limitatione depurata, nequit realiter diſtingui niſi ab illo, ad quod relative dicitur. Et quidem hoc argumento etiam probaretur relationem divinam realiter diſtingui ab eſſentia abſoluta, quia increatis non tantum diſtinguitur realiter ab altera relatione, ad quam comparatur diſparate, ſed etiam à quolibet abſoluto: vnde ſicut in divinis nō probatur diſtinctio realis inter relationem, & abſolutum, neque probabitur diſtinctio realis inter relationem, & relationem ſibi inter ſe diſparate ſe habentem.

Sed contra inſto. Salvatur in divinis relationem Paternitatis v.g. infinitam, & illimitatam, & ſumme perfectam eſſe, etiam ſi non identificetur cum relatione filiationis, neque illam in ſe præcontineat: ergo eſto infinita, & ſumme perfecta eſſet, poſſet realiter diſtingui à relatione ſibi diſparate oppoſita: etenim ſi realis diſtinctio ab oppoſito, non tollit infinitatem relationis divinæ, neque realis diſtinctio à ſibi diſparato illam auferet.

Ad hoc nego Conſ. nam oppoſitio relativa, & realis diſtinctio ex illa orta, quæ reperitur inter Paternitatem, & filiationē non aufert, quin Paternitas realiter ſit ipſa res, quæ eſt relatio filiationis, & ſic non aufert, quod filiatio, vel Paternitas infinitæ ſint, & illimitatæ: ſi autē admittatur, quod ex oppoſitione diſparata oriatur realis diſtinctio, tunc eſt neceſſarium ponere, quod illæ relationes ſic inter ſe diſtinguantur, quod in eſſentia divina non conveniant, & ſic vna relatio non erit res, quæ eſt altera relatio; vnde non erit in linea relationis infinita. Prob. hoc aſſumptum. Hoc ipſo, quod relatio realiter differat à relatione ſibi diſparata, eſt neceſſarium, quod ambæ realiter differant ab eſſentia divina, cum qua etiam diſparate ſe habent, nam ſi differre diſparate relationem à relatione, eſt ſufficiens ad diſtinguendum realiter relationem à relatione, differre diſparate relationem ab abſoluto, erit ſufficiens ad diſtinguendum ambas relationes ab eſſentia, quę eſt abſoluta. & ſic ex hoc, quod relatio differat realiter à relatione, quæ diſparate ſe habet ad illam, ſequitur relationem non eſſe rem illam, quæ eſt altera relatio; & ſic ſequitur relationem divinam non eſſe infinitam.

317 Septimo arguitur. Si in data hypotheſi Filius eſſet à Patre ſpiratus paſſive, ſequeretur ipſam paſſivam ſpirationem eſſe proprietatem perſonæ Filij, ſicut modo ipſa ſpiratio activa ponitur eius proprietas; hoc autem non eſt dicendū: ergo. Prob. Sequela, nam tunc ſpiratio paſſiva non eſſet proprietas perſonalis Filij, vt nos dicimus: ergo eſſet proprietas perſonæ Filij, nam quidquid convenit relative Filio, vel convenit vt proprietas perſonalis eius, vel vt proprietas perſonæ; at non conveniret vt proprietas perſonalis: ergo vt proprietas perſonæ. Quod autem hoc non poſſit dici, prob. quia proprietas perſonæ, quæ ab alia procedit, convenit ex vi eiuſdem actionis, per quam primario ipſa perſona producitur; nam eſt conſecutum ad perſonam, ſed ſpirari paſſive nequit convenire Filio ex vi generationis, per quam primario producitur; nec enim haberi poteſt, niſi per activam ſpirationem: igitur ſpiratio paſſiva nequiret eſſe proprietas perſonæ Filij.

Ad hoc nego Min. ad prob. nego Maiorem vniverſaliter intellectam: aliquid enim dupliciter poteſt eſſe proprietas alterius, primo in omni rigore proprietatis, & ſic loquendo, illud ſolum dicitur proprietas alicuius, quod ſecundario producitur per actionem, per quam illud producitur primario: ſecundo modo aliquid dicitur alterius proprietas per hoc, quod eſto non fiat per actionem, per quam illud primario producitur, tamen exigit res producta illud habere ex vi alterius actionis. Ad eſt exemplum in motu cœli, qui dicitur per modum proprietatis convenire cœlo, cum tamen non conveniat illi ex vi actionis, per quam cœlum creatur, cum illi conveniat ex actione intelligentię motricis moventis active illud. Species etiam impreſſæ rerum naturalium dicuntur proprietates Angelorum, quia eſto non oriantur ab eſſentia eorum ex vi actionis creativæ, qua Angeli creati ſunt; tamen Angeli, quia ſubſtantiæ completæ intellectuales ſunt, exigunt

gunt

Digitized by Google

gunt à Deo ſibi eas in inſtanti creationis infundi. Sed & habemus aliud exemplum magis accommodatum in divinis: etenim Filiatio divina dicitur proprietas naturæ divinæ, nec tamen illi convenit omnino à ſe, ſed convenit ei media actione generativa Patris: ſic ad caſum, in data hypotheſi ſpirari paſsive eſſet proprietas Filij, non quia ex vi generationis, per quã Filius producitur, illi conveniret, ſed quia in illa hypotheſi Filius exigeret ſpirari à Patre, cum enim exigeret habere identitatem cũ omni eo, quod ab ipſo non eſſet, vel cum omni eo, à quo ipſe Filius non procederet, hinc exigeret identitatem cum Spiritu Sãcto, quam cum non poſſet habere, niſi media ſpiratione Patris, exigeret ſpirare à Patre, & ſic ſpiratio paſsiva eſſet proprietas perſonæ Filij.

§. VI.

Inferuntur aliqua ex dictis in hoc quæſito.

318 EX Dictis in hoc quæſito infero primo, vtiliſsime agitari à Theologis hanc quæſtionem, videlicet, vtrum ſi Spiritus Sanctus nõ procederet a Filio, realiter diſtingueretur ab illo. Corollarium hoc ſtatuitur contra Gothofredum, quodlibeto 7. quæſt. 4. qui aſſerit dubium hoc in nullo ſenſu poſſe vtiliter diſputari, eo ductus argumento; quoniã illud nequit admiſſa aliqua ſuppoſitione vtiliter diſcuti, qua data non poteſt magis vna pars eius, quod inquiritur, quam alia illi contradictoria decidi, quoniam vtilis diſputatio de aliquo, eo tendit, vt vna pars contradictionis, potius quam alia inde eligatur; ſed omnis diſputatio procedens ex aliqua hypotheſi impoſsibili, qualis eſt præſens, eſt talis conditionis, vt in ea non poſſit vna pars, potius quam oppoſita contradictorie inferri, quia iuxta commune axioma, *ex impoſsibili ſequitur quodlibet*: ergo præſens dubium inutiliter diſcutitur.

Sed noſtrum Corollarium eſſe verum communis eſt Theologorum plauſus; ſiquidem communiter præſens dubium agitant. Et prob. nam ex deciſione huius quæſiti colligitur, per quid formaliter realiter vna perſona differat ab alia; nam dum determinamus, quod ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo, probamus diſtinctionem realem vnius perſonæ ab altera, eſſe indiſpenſabiliter relativam oppoſitionem: aſsignamus etiam rationem efficaciſsimã, propter quã neceſſarium ſit Spiritũ Sanctũ debere procedere à Filio; nam cum fides doceat, ad eſſe realem diſtinctionem inter Filium, & Spiritũ Sanctum, & hæc iuxta ea, quę in hoc dubio reſolvimus, haberi non poſsit ſine eo quod Spiritus Sanctus procedat à Filio: infertur eſſe neceſſarium, quod à Filio Spiritus Sanctus procedat. Quam neceſsitatem illationis bene viderunt Patres Concilij Florentini, dum ad convincendum Græcos, & obligandum eos à ſuo errore deſiſtere, paſſim hac ratione vſi ſunt.

Nec argumentum, quo vtitur Gothofredus, alicuius eſt roboris: vnde facile ſolvitur, diſt. Min. per locum ab intrinſeco, nego Min. arguendo ex principijs extrinſecis, conc. Min. & nego Conſ. Itaque ex ſuppoſitione alicuius impoſsibilis, dupliciter poteſt ſequi duplex contradictorium: primo ſic, quod ex illo tanquam ex aliqua ratione formali, & intrinſecã vtraque pars contradictionis ſequatur, vt licet videre in hac ſuppoſitione, ſi homo eſſet hinnibilis, non diſtingueretur ſpecie ab equo: ex quo per intrinſecã ſequitur vtraque pars, nam cum talis homo eſſet hinnibilis, eſſet eiuſdem ſpeciei cum equo; ex quo tamen eſſet homo, neceſſario haberet ſpecie diſtingui ab equo, quia de eſſentia hominis eſt non eſſe equum. Secũdo poteſt inferri ſic, quod vna pars contradictionis per intrinſeca principia ex tali impoſsibili ſequatur; alia vero non, ſed tantum inferatur ab extrinſeco, vt licet videre in hac ſuppoſitione, ſi Deus non eſſet immutabilis, ex quo impoſſibili poſitio in eſſe, ſequitur per locum ab intrinſeco, quod Deus non eſſet æternus, quia radix æternitatis ſumma immutabilitas eſt: per locum autem ab extrinſeco etiã probatur, quod æternus eſſet, ſic, in illa ſuppoſitione ſupponitur eſſe Deum: ergo deberet eſſe æternus, nam Deitas vera ſine æternitate non eſt.

Quando ergo contingit ſuppoſitio impoſsibilis primo modo, tunc inutiliter dubitatur de veritate alicuius partis contradictionis, cum vtraque pars per intrinſeca ſequatur ex poſitione impoſsibilis; ſecus autem ſi res ſecundo modo contingat, quia tunc quæſtiones agitantur ad cognoſcendas rationes formales aliquorum effectuum: vnde a Theologis agitatur hæc quæſtio. Vtrum ſi Deus non eſſet immutabilis, eſſet æternus? Cui reſpõdetur negative; quia ra-

dix

dix propria æternitatis, immutabilitas eſt. In caſu ergo præſenti non fit ſuppoſitio impoſsibilis, ex qua per locum ab intrinſeco duplex contradictorium ſequatur, ſed tantum altera pars in via D. Tho. & altera pars in via Scoti, quia ex diſtinctis principijs ex hoc impoſsibili, Spiritus Sanctus non procedit à Filio, ſequitur in via D. Tho. quod non diſtinguatur ab illo, nempe, quia in via D.Thom. hoc principium eſt certum, quod in divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio: vnde ſubſumitur ſed in illa hypotheſi inter Spiritum Sanctum, & Filium non daretur relationis oppoſitio: ergo neque inter illos daretur realis diſtinctio. In via autem Scoti ex diſtinctis principijs infertur altera pars affirmans diſtinctionem, nempe quod in divinis ſola diſtinctio diſparata relationum ſufficit ad diſtinctionem realem; ſed in data hypotheſi daretur oppoſitio diſparata inter relationes Filij, & Spiritus Sancti: ergo daretur inter eos realis diſtinctio. Apponitur ergo ſuppoſito hoc impoſsibili, Spiritus Sanctus non procedit à Filio, in vtraque Schola hoc dubium, vtrum diſtingueretur, vel non, ad oſtendendum, quis verioribus principijs vtatur, & melius arguat. Nec Scotus ſuis principijs vtens vtraque contradictionis partē infert, ſed affirmativam tantum: nec D.Th. ſuis principijs vtens vtramque infert, ſed vnam tantum, & ſic præſens quæſtio vtilis eſt; imò & celeberrima in Dei Eccleſia facta eſt, ita vt nullus de Trinitate tractet, quin hanc quæſtionem ventilet.

Infero ſecundo ex dictis, optimam eſſe primam rationem D. Tho qua probavit Spiritum Sanctum de facto procedere à Filio; nempe, quia ex fide habemus, quod Filius, & Spiritus Sanctus realiter diſtinguuntur; ſed non poſſent realiter diſtingui, niſi Spiritus Sanctus procederet ex Filio: ergo de facto procedit ex illo. Prob. Min. nam in divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio; ſed tunc Filius, & Spiritus Sanctus non opponerentur relative: ergo nec realiter inter ſe diſtinguerentur.

(?)

§. VII.

Vtrùm ſecunda ratio, qua D. Thom. probat Spiritum Sanctum procedere à Filio, bona ſit?

319 PROBAVIT Secundo D.Thom. Spiritum Sanctum procedere à Filio, hac ratione. Filius procedit per modum intellectus, vt Verbum, & Spiritus Sanctus per modum voluntatis, vt amor; neceſſe eſt autem, quod amor à Verbo procedat; non enim aliquid amamus, niſi ſecundum quod conceptione mētis illud apprehendimus: ergo neceſſe eſt Spiritum Sanctum procedere à Filio. Quā rationē tradit etiā D. Th. opuſc. 2. cap. 49. vbi ſic ait: *Secundum autem, quod intellectus actu intelligit, eſt in illo id, quod intelligitur: hoc igitur, quod eſt intellectum eſſe in intelligente, procedit ex virtute intellectiva intellectus, & hoc eſt Verbum ipſius. Similiter etiā id, quod amatur, eſt in amante, ſecundum quod actu amatur; quod autem aliquid actu amatur, procedit ex virtute amativa amantis, & ex bono amabili actu intellecto: hoc igitur, quod eſt amatum, eſſe in amante ex duobus procedit, ſcilicet ex principio amativo, & ex intelligibili apprehenſo, quod eſt Verbum conceptum de amabili: cum igitur in Deo ſeipſum intelligente, & amante, Verbum ſit Filius; is autem, cuius eſt Verbum, ſit Pater, neceſſe eſt, quod Spiritus Sanctus, qui pertinet ad amorem, ſecundum quod Deus in ſeipſo eſt, vt amatum in amante, ex Patre procedat, & Filio.*

320 Hæc ratio videtur difficilis; nam propoſitio illa, *neceſſe eſt amorem procedere à Verbo*, videtur falſa: nam ad amorem ſufficit ex parte intellectus cognitio, & perceptio rei amatæ; cognoſcere autē, & percipere rem amatam, nō neceſſario fit Verbo, nam Beati vere percipiunt Deum, quē perfectiſsime amant; & tamen non formāt Verbum: ergo non eſt neceſſe, quod amor procedat à Verbo.

Secundo difficultatem facit. Nam admiſſo, quod amor procedat à Verbo, non habetur intentum D. Tho. ergo hæc ratio non eſt efficax. Prob. Ant. intentum D.Th. eſt probare, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio active per voluntatem notionaliter volentem; ſed hoc non convincitur ex proceſſu amoris à Verbo; nam hic non eſt tanquam à volente active, ſed eſt tantum, vel tanquam à forma, vel tanquam à principio quo,

quo, extra voluntatem exiſtente: ergo hac ratione non probat D. Thom. ſuum intentum. Confirm. hoc, nam vt ſupra vidimus, amor ab obiecto apprehenſo, & voluntati propoſito vt amabili, tantum procedit tanquam à movente ad amorem, non tanquam à principio eliciente, vel producente amorem; obiectum enim apprehenſum, tantum concurrit ad amorem, quia cognoſcitur, non quia eſt, & ſic allicit ad ſui amorem, non tamen amorem elicit: ergo, cum D. Thom. hac ratione intendat probare, Spiritum Sanctum procedere à Filio tanquam à principio activo, non ſolum movente ad ſui amorem, ſed etiam active producente illum; hæc ratione non concludit ſuum intentum.

321 His non obſtantibus ſit concluſio. Ratio D. Thom. adducta efficax eſt ad probandum id, quod D. Thom. intendit probare per illam. Pro intelligentia huius adverto primo, quod ad amorem, non ſolum concurrit cognitio obiecti amabilis, ſed etiam ipſum obiectum; non vt intelligibile, ſecundum quam rationem eſt in intellectu per ſpeciem impreſſam, & per modum actus primi; ſed vt actu intellectum, per modum termini intellectionis: obiectum autem eſſe in intellectu vt actu intellectum, ſit dupliciter, vel ſe ipſo, ita vt non formetur Verbum repræſentativum obiecti, ſed ſe ipſo obiectum propter ſummam ſuam actualitatem in linea intelligibili vniatur intellectui, quaſi ſupplendo vices Verbi; vel ita, quod ſit actu intellectum per Verbum procedens ex virtute activa intellectus: quando ergo obiectum tantum primo modo eſt in intellectu vt actu intellectum; tunc amor non procedit à Verbo ſtricte dicto, ſed ab ipſo obiecto ſupplente vices Verbi; quando autem eſt in actu intellectum per Verbum, quod procedit active ex vi intellectiva, tunc amor neceſſario procedit à Verbo: quia ergo Pater divinus intelligendo ſe ipſum, perfectiſſimum producit Verbum ſui repræſentativum, neceſſarium eſt, quod amor procedat à Verbo.

Adverto ſecundo, quod D. Thom. hac ratione non intendit probare, Spiritũ Sanctum procedere à Filio tanquam à principio activo per modum virtutis volentis notionaliter; ſed tantum intendit probare; quod vere procedat ab illo, ſive per modum princip. quo activi, ſive formalis, ſive efficientis, ſive moventis ad amorem: tantum enim intendit probare, quod ſit neceſſarium fateri, quod Spiritus Sanctus à Filio procedit, quod proterve negabant Græci. Patet hoc ex doctrina, qua concludit corpus articuli, quæ ſic habet: *Vnde etiam ipſi Græci proceſſionem Spiritus Sancti aliquem ordinem habere ad Filium, intelligunt; concedunt enim Spiritum Sanctum, eſſe Spiritum Filij; & eſſe à Patre per Filium: & quidam eorum dicuntur concedere, quod ſit à Filio, vel profluat ab eo; non tamen quod procedat, quod videtur, vel ex ignorantia, vel ex protervia eſſe; quia ſi quis recte conſideret, inveniet proceſſionis Verbum inter omnia, quæ ad originem qualecumque pertinent, communiſſimum eſſe: vtimur enim eo ad deſignandum qualemcumque originem, ſicut quod linea procedit à puncto, radius à ſole, rivus à fonte, & ſimiliter in quibuſcumque alijs: vnde ex quocumque alio ad originem pertinente poteſt concludi, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio.* Ex quibus patet, quod D. Thom. hac ratione tantum vult probare, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio, modo origo ſit à principio activo, modo ſit à principio motivo, modo ſit à principio formali: cũ ergo in omnium ſententia inter obiectũ apprehenſum in actu per Verbum, & amorem, ſit origo, ſitque profluxus aliquo ex dictis modis; recte concludit Spiritum Sanctum procedere à Filio, quia Filius eſt Verbum, Spiritus Sanctus Amor, & Amor procedit à Verbo, quoties amans id, quod amat intelligit formando Verbum, & ſic conſtat efficaciſſimam eſſe rationem D. Thom. ad probandum ſecum intentum.

§. VIII.

Solvuntur rationes dubitandi.

322 EX His ad primam rationem dubitandi ſupra propoſitã, reſpond. negando propoſitionem illam D. Thom. eſſe falſam, ad prob. diſt. Min. non neceſſario ſit Verbo, quãdo amans intelligit id, quod amat, formando Verbum, nego Min. quando amans intelligit id, quod amat, non formãdo Verbũ, conc. Min. Et diſt. Conſ. non eſt neceſſe, quod amor procedat à Verbo, quando id, quod amatur, intelligitur ab amãte, formãdo Verbũ, nego Conſ. quando intelligitur, non formando Verbũ, conc. Conſ. & quia, licet Beati intelligant Deum, quẽ amant,

Digitized by Google

non formando Verbum, tamen Pater intelligendo id, quod amat, Verbum formet, neceſſe eſt, quod amor divinus procedat à Verbo, eſto amor Beatorũ à Verbo non procedat.

Inſtas, ad hoc vt Pater amet ſe ipſum perfectiſsime ſufficit, quod ſe ipſum perfectiſsime intelligat ſe ipſum per ſe ipſum, & non requiritur, quod ſe ipſum intelligat Verbo à ſe producto: ergo non eſt neceſſe, quod amor procedat à Verbo, ſed ſufficit, quod procedat à Deo eſſentialiter ſe ipſo in actu intellecto.

Ad hoc diſt. Ant. ſufficit, ſufficientia excludente indigentiam, conc. Antec. excludente fœcunditatem, nego Antec. & diſt. Conſeq. neceſsitate indigentiæ, conc. Conſeq. neceſsitate ſolius fœcunditatis, nego Conſeq. Itaque bene poſſumus intelligere amorem procedere ex ſolo Deo eſſentialiter intellecto; verum quia Pater eſto non indigeat Verbo ad cognoſcendum ſe ipſum, tamen ex fœcunditate infinita ſua Verbum producit; oportet ſimiliter, quod amor licet non ex indigentia, tamen ex fœcunditate intellectualis naturæ ex Verbo procedat. Explico hoc. De ratione perfectiſsimi non eſt, quod procedat ab obiecto apprehenſo quomodocumque, ſed etiam eſt de eius ratione, quod procedat ab obiecto apprehenſo omni modo, quo apprehenſum eſt, ſed Deus Pater non ſolum perfectiſsime intelligit ſe ipſum ſe ipſo intranſitive, ſed etiam intelligit ſe ipſum notionaliter, ex fœcunditate ſua Verbum formando, & ſicut perfectiſsime ſe ipſum amet, eſt neceſſarium, quod ex obiecto apprehenſo per Verbum, quod format, procedat ad amorem ſui notionalem.

323 Ad ſecundam difficultatem nego Antec. ad prob. nego Mai. hac enim ratione ſolum intendit D. Thom. probare, quod Spiritus Sanctus ſolum procedat à Filio, non curando de genere proceſsionis, vtrum videlicet procedat à Filio, vt volente notionaliter, vel ab ipſo vt Verbo: quod iam patet ex ſecundo notabili ſupra facto. Ad confirm. nego ſuppoſitum conſequentis videlicet, quod intendat hac ratione probare, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio vt à volente active.

Inſtabis. D. Thom. hac ratione intendit probare, Spiritum Sanctum procedere à Filio ea proceſsione, quæ ponat appoſitionem relativam inter Filium, & Spiritum Sanctum; at hæc nequit eſſe alia, niſi ſit proceſsio ſecundum originẽ, qua vna perſona active ſit ab alia: ergo hac ratione intendit probare D. Thom. non quancumque proceſsionẽ, ſed eam tantum, qua Spiritus Sanctus procedit à Filio, tanquam ab active notionaliter volente.

Inſtabis ſecundo. Spiritus Sanctus non procedit à Filio de facto, niſi tanquam ab active volente notionaliter Patrem: ergo D. Thom. non intendit probare aliquam proceſsionem Spiritus Sancti à Filio, quæ non ſit tanquam à principio activo. Prob. Antec. Si procederet à Filio tanquam ab active volente, & tanquam à Verbo motive alliciente ad ſui amorem, referretur ad Filium duplici relatione originis, alia qua reſpiceret Filium, vt principium ſui activum, alia qua reſpiceret Filium, vt motivum, & allicitivum ad ſui amorem; hoc autem dicendum non eſt, nam eſſent plures relationes, quam quatuor in divinis: ergo. Inſtabis tertio. Spiritus Sanctus non procedit à Filio niſi ea proceſsione, qua procedit à Patre, ſed à Patre tantum procedit, vt ab active ſpirante, ergo à Filio tantum procedit, vt ab active ſpirante, & per Conſequens non procedit à Filio vt à Verbo; nam hic proceſſus non eſt vt à ſpirante.

Ad 1. nego Min. ſi enim Spiritus Sanctus non procederet à Verbo vt à principio activo, ſed tantum vt à principio movente, & alliciente ad ſui amorem, vere realiter relativo illi opponeretur: omnis enim realis proceſſus vnius ab alio in divinis fundaret relationes oppoſitas inter eum, à quo procederet, & eum, qui ab eo procederet. Ad ſecundam nego Antec. ad prob. nego Mai. cum enim in Filio relatio Verbi, & relatio Filii, eadem prorſus relatio ſit, fit inde, quod ex parte Spiritus Sancti eademmet relatio reſpiciat Filium, vt Filium, & vt Verbum. Ad tertiam tranſ. Mai. & nego Min. etenim procedere à Verbo, & à re dicta in Verbo, non ponunt in numero: cum ergo Pater dicat ſe ipſum Verbo ſuo, fit inde, quod dum Spiritus Sanctus procedit à Verbo ſub munere Verbi, etiam procedat à Patre vt primo dicto in Verbo. Vel ſecundo reſpond. diſt. Mai. Spiritus Sanctus non procedit à Filio, niſi ea proceſsione, qua procedit à Patre, eodem modo concurrendo ad illam, ac Pater, nego Maior. ea proceſsione, diverſo modo con-

concurrendo ad illam, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque activa ſpiratio à Patre tantum eſt, vt ab active concurrente per modum notionaliter volentis: à Filio autem eſt, & tanquam ab active ſpirante, & tanquam à movente, & alliciente ad amorem ſui, & Patris.

Adhuc inſtabis. Sequitur ex hoc doctrina Filium opponi relative Spiritui Sancto, non præciſe quia ſpirator, ſed etiam quia Verbum, ac per Conſequens in caſu, quo non procederet ab ipſo, vt à ſpirante, adhuc realiter debere diſtingui à Spiritu Sancto, Conſeq. videtur contra dicta, nam definivimus ſupra, quod ſi Spiritus Sanctus non ſpiraretur à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo: ergo. Patet ſequela, nam proceſſus Spiritus Sancti à Filio vt à Verbo, non eſt proceſſus à Filio media virtute ſpirativa, ſed eſt proceſſus à Filio immediate, vt Verbum eſt: ergo fundat oppoſitionem inter Filium, & Spiritum Sanctum, non tantum tanquam inter ſpiratum, & ſpiratorem; ſed etiam tanquam inter Verbum vt Verbum, & Spiritum Sanctum vt impulſum.

Ad hoc nego Min. non enim ſupra diximus, quod ſi Filius nõ ſpiraret Spiritum Sanctum, non diſtingueretur ab illo realiter, ſed tantum reſolvimus cum Div. Thom. quod ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nullo modo realiter diſtingueretur ab illo: aliud enim explicat proceſſus ab aliquo, tanquam ab activo principio, & aliud explicat proceſſus ab aliquo ex terminis; exiſtimo enim, quod ſi ſolus Pater active ſpiraret Spiritum Sanctum, & ad hanc ſpirationem concurreret Verbum, non vt ſpirans, ſed vt Verbum, adhuc realiter diſtinguerẽtur Filius, & Spiritus Sanctus.

Sed contra hoc obijcies, nam ſequitur ex hac doctrina Verbum divinum vt Verbum, non ſolum referri ad Patrem, vt dicentem, ſed etiam ad Spiritum Sanctum, cum quo habet iuxta ſolutionem datam realem oppoſitionem, conſequens eſt contra Div. Thom. ſupra quæſt. 35. articul. 3. ad 4. ibi: *Sed nomen Verbi principaliter impoſitum eſt ad ſignificandum relationem ad dicentem, & ex conſequenti ad creaturas*: ergo Verbum divinum vt Verbum, non refertur realiter ad Spiritum Sanctum.

Ad hoc diſt. Mai. Verbum, ſecundum eſſentialia Verbi; nego Mai. Verbum, ſecundum rationem moventis, & allicientis ad amorẽ perſonalẽ, conc. Mai. & nego Min. quæ non prob. ex illa doctrina D. Th. nam ibi tantum loquitur de his, quæ conveniunt Verbo, ſecundum quod expreſſivum eſt ſui obiecti; non vero loquitur de illo, ſecundum rationem qua movet; & allicit ad amorem perſonalem Patris, & Filij. Et ſi inquiras de hac relatione, an ſit diſtincta à relatione ſpiratoris? Iam dixi, quod non; ſed eſt eadem prorſus duplici titulo conveniens perſonę Filij, nempe, quia eſt Filius eiuſdem naturæ cum Patre, & quia Verbum eſt movens ad amorem Patris & Filij.

§. IX.

Expenditur tertia ratio D. Thomæ.

324 TERTIO Probavit D. Thom. quod Spiritus Sanctus procedat à Filio. Ex eo, quod nuſquam invenimus, quod ab vno procedant plura abſque ordine inter ſe, niſi in illis ſolum, quæ materialiter differunt, ſicut vnus Faber producit plures cultellos, materialiter ab invicem diſtinctos, nullum ordinem ad invicem habentes: ſi ergo ab vna perſona Patris procedunt duæ perſonæ, ſcilicet Filius, & Spiritus Sanctus, oportet eſſe aliquem ordinem eorum ad invicem; ordo autem, qui poteſt eſſe inter Spiritum Sanctum, & Filium, non eſt alius, niſi quod vnus ab alio ſit: cum ergo Filius nõ ſit à Spiritu Sancto, debemus ponere Spiritum Sanctum eſſe à Filio.

325 Verum contra hanc rationem, vt eius vis appareat, ſic obijcio. Nam etiam in rebus immaterialibus non invenitur ille ordo, quem Div. Thom. affirmat ſolum convenire rebus, quæ tantum materialiter differunt: ergo ratio D. Thom. nulla eſt. Prob. Ant. nam ab intellectu vnius Angeli videmus plures intellectiones procedere abſque aliquo ordine inter ſe. Tum etiam, quia Deus ſe ſolo produxit Angelos omnes, & inter Angelos non eſt hic ordo, quod vnus ab alio ſit: igitur falſum eſt, quod tantum in his, quæ materialiter diſtinguuntur non ſit ordo inter ſe. Præterea nam Filius procedit à Patre per Intellectum, Spiritus Sanctus pro-

Digitized by Google

cedit à Patre per voluntatem; ſed inter iſtas proceſsiones vere per ſe reperitur ordo: ergo & ſi vna perſona ab alia non procedat, adhuc inter illas ſalvabitur ordo per ſe.

His non obſtantibus ratio D. Thomæ efficaciſsima eſt. Et pro ſolutione primæ difficultatis adverto, quod ab intellectu vnius Angeli poſſunt oriri plures intellectiones, dupliciter plures, vel ſpecifice, vel plures tantum numerice; ſi circa idem obiectum actus repetat, erunt plures intellectiones ſolo numero diverſæ: ſi circa diverſa obiecta verſetur, erunt plures ſpecificæ: ſi ergo actus primo modo ſe habeant, erunt per ſe ordinati inter ſe perſeitate exceſſus in perfectione, cum duæ ſpecies rerum nequeant in perfectione eſſe æquales, & ſic eſt neſſarium, quod adinvicem referantur vt inæquales, & ſe excedentes: ſi tantũ ſecundo modo ſe habeant, ſic tantũ æſtimantur differre diſtinctione materiali; ſubiectũ enim in quo ſunt, & à quo oriuntur, cõparantur ad illa, tanquam materia: vnde iſtæ reputantur à D. Thom. veſti ea, quæ tantum materialiter differunt.

Ex his ad 1. difficultatem nego Ant. ad prob. diſtinguo Antec. ſi illæ intellectiones ſpecie differant, nego Ant. nam ſic habent ordinem per ſe exceſſus, & inferioritatis in gradibus ſibi eſſentialibus: ſi tantum numero differant, conc. Ant. & nego Conſ. nam prout ſic comparantur cum his, quæ tantũ materialiter differunt, ex eo, quod ab eodem ſubiecto diſtincto tempore producuntur. Et ſic ſalvatur ratio D. Thom. quod ſolum in his, quæ tantum materialiter differunt, invenitur plura abſque aliquo ordine inter ſe, ab vno oriri.

Ad 2. dico inter Angelos omnes, cum ſint ſpecie differentes, verum, & realem ordinem reperiri exceſſus, & inferioritatis in perfectione: vnde verificatur de illis, quod proveniant ab vno principio, nempe à Deo creatore cum aliquo ordine inter ſe; non quo vnus Angelus ab alio ſit, ſed quo vnus Angelus realiter alium excedat in perfectione ſpecifica; inter divinas autem perſonas hic ordo exceſſus, & inferioritatis reperiri nequit, quia omnes eiuſdem perfectionis ſunt: materialis etiam ordo deſumptus ex ſubiecto, etiam non invenitur vnde differant numero divinæ perſonæ, neque ex materia vt res materiales, neque ex ſupplente vicem materiæ, quale eſt ſubiectum eliciens, & recipiens intellectiones numero tantum differentes, vnde ſolùm poſſunt ordinari inter ſe per hoc, quod vna ab alia ſit.

Ad 3. dico, quod quando intellectus & voluntas omnino ſunt idem à parte rei, tunc earum actus omnino ſunt idem, & ſic realiter ad invicem nequeunt coordinari, neque enim eſt ordo realis, niſi inter ea, quæ realiter differunt: vnde ſi Spiritus Sanctus non eſſet à Filio, Filius, & Spiritus Sanctus eſſent ab vno realiter ſine aliquo ordine reali inter ſe, quod eſt contra id, quod communiter experimur contingere.

326 Totam hanc doctrinam, quam in ſolutione harum difficultatum expendimus, inveni apud Div. Thom. quæſt. 10. de potentia, art. 5. & placet eam adducere: *In rebus enim materialibus* (inquit D. Thom.) *in quibus poſsibile eſt, fieri multiplicationem per diviſionem materiæ, & quantitatis, poſsibile eſt duo individua eiuſdem ſpeciei exæquo ſe habere, ſicut, & duæ partes quantitatis exæquo ſe habent: vbi autem invenitur prima differentia ſecundum formam, ibi impoſsibile eſt, quod aliqua duo ſe habeant exæquo. Vt enim Philoſophus dicit 8. metaph. formæ rerum ſunt ſicut numeri, in quibus variantur ſpecies per vnitatis additionem, vel ſubſtractionem; & formales rerum differentiæ conſiſtunt in quodam perfectionis ordine, nam planta ſpecie differt à lapide in hoc, quod ſuperaddit vitam; animal vero brutum à planta in hoc, quod ſuperaddit ſenſum; homo vero à bruto in hoc, quod ſuperaddit rationem: & ideo in rebus immaterialibus, in quibus non poteſt eſſe multiplicatio ſecundum diviſionem materiæ; impoſsibile eſt, quod ſit pluralitas niſi cum ordine quodam: in ſubſtantijs quidem immaterialibus creatis eſt ordo perfectionis, ſecundum quod vnus Angelus eſt perfectioris naturæ, quam alius, & quia quidam Philoſophi crediderunt, quod omnis natura imperfecta crearetur à perfectiori, ideo dixerunt, quod in ſubſtantijs ſeparatis non poteſt eſſe multiplicatio, niſi per cauſam, & cauſatum; quod tamen recta fides non tenet: credimus enim ex ordine divinæ ſapientiæ differentes ordines ſubſtantiarum immaterialium creatos eſſe: cum autem in divinis non poſsit eſſe ordo perfectionis, vt Arriani poſuerunt dicentes Patrem Filio eſſe maiorem, & vtrumque Spiritu Sancto, relinquitur, quod pluralitas in divinis perſonis eſſe non poteſt, nec intelligi, niſi ſecundum ordinem originis ſolum, vt ſcili-*

Digitized by Google

licet Filius ſit à Patre, & Spiritus Sanctus ſit à Patre, & Filio, ſi enim non eſſet à Filio, exæquo reſpiceret Patrem, quantum ad originem: unde, vel non eſſent duæ perſonæ, vel eſſet ordo inter eos perfectionis ſecundum Arrianos, vel eſſet inter eos materialis diviſio, quod eſt impoſſibile. Hæc D. Thom. per quæ elucidatur eius tertia ratio, qua probat Spiritum Sanctum procedere à Filio, & ſimul roborantur ea, quæ inter ſolvendas difficultates adduximus.

§. X.

Vtrùm Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium?

327 HVIC Quæſito affirmativè reſp. D. Thom. hic, art. 3. & probat, nam Filius habet à Patre virtutem ſpirativam, & quod actu ſpiret Spiritum Sanctum: ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium. Antec. patet, nam quicquid perfectionis, & virtutis eſt in Filio, habet Filius ſibi communicatum à Patre: ergo virtutem, & actionem, qua ſpirat Spiritum Sanctum, habet ſibi communicatam à Patre. Conſeq. vero prob. quia quidquid producit aliquem terminum per virtutem, & actionem ſibi ab alio communicatam, eſt cauſa, aut quaſi cauſa ratione cuius prædictus terminus actu procedit ab eo, qui talem virtutem, & operationem tribuit: quia enim martellus producit artificiatum per virtutem, & operationem ſibi communicatam ab artifice, eſt cauſa, vt artificiatum procedat ab artifice: & quia cauſa ſecunda producit aliquem effectum per virtutem, & actionem communicatam ei à cauſa prima, eſt cauſa, vt prædictus effectus procedat à Deo tribuenti talem virtutem, & actionem: ergo hoc ipſo, quod Filius producat Spiritum Sanctum per virtutem, & actionem ſibi communicatam à Patre, erit quaſi cauſa Spiritui Sancto, vt procedat à Patre, & ſic hæc erit vera, *Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium*: & ſimiliter hæc erit vera, *Pater per Filium ſpirat Spiritum Sanctum.*

328 Sed contra hanc veritatem obijcies primo. Si Spiritus Sanctus procederet à Patre per Filium, quia à Patre haberet Filius virtutem, & actionem, qua producit Spiritum Sanctum, ſequeretur, quod inter Patrem, & Filium in ipſo actu ſpirandi, eſſet aliquis ordo originis; ſed hoc ponere eſt maximum inconveniens: ergo. Prob. ſequela, in omnibus his, quæ habet Filius à Patre, eſt ordo originis inter Patrem, & Filium: ergo ſi virtutem, & actū ſpirandi Filius haberet à Patre, vere inter Patrem, & Filium in actu ſpirandi, eſſet ordo originis. Min. probat Vazquez ſic, nam ſpiratio, cum ſit origo, tantum poteſt ponere ordinem inter ſpirantem, & ſpiratum; cum ergo Pater, & Filius ſint ſpirantes Spiritum Sanctum, & Filius non comparetur vt ſpiratus à Patre, videtur maximum inconveniens, quod in ipſo actu ſpirandi ſit ordo originis inter Patrem, & Filium.

Ad hoc diſt. Mai. prout origo dicit communicationem, conc. Mai. prout dicit productionē rei quæ originatur ab eo, à quo originatur, nego Mai. & ad Min. dico, quod ponere originis ordinem in ipſo actu ſpirandi ſic, quod actus ſpirandi ſit productus in Filio, & actus ſpirandi ſit producens in Patre eſt maximum inconveniens: ponere autem ordinem originis ſic, quod tota productio teneat ſe ex parte ſuppoſiti Filij, cum communicatione ex parte actus ſpirandi, ſic non eſt aliquod inconveniens: non enim eſt inconveniens ponere, quod Filius ordine originis ſit poſterius in Deitate, ſapientia, & alijs attributis ipſo Patre, quia per hoc ſolum denotatur, quod Filius illa habeat à Patre: ſic ſimiliter de ipſo actu ſpirandi dico, quod cum Filius virtutem, & actum ſpirandi habeat à Patre, non erit incovēniens ponere, quod Filius in ſpirando ſit poſterior origine Patre.

Sed inſtabis. Si Filius in ſpirando eſt poſterior origine Patre, ſequitur Patrem prius prioritate originis ſpirare Spiritum Sanctum, quam Filius, ex quo ſequitur Spiritum Sanctum immediatius procedere à Patre, quam à Filio, ex quo vlterius ſequitur, quod Filius ſpiret Spiritum Sanctum, iam ordine originis prius ſpiratum à Patre.

Ad hoc dico, quod Filium eſſe poſteriorem origine Patre in ſpirando, dupliciter percipi poteſt: primo ita, vt detur intelligi per hoc ſolum quod Pater virtutē, & actionē ſpirationis habeat à ſe, & Filius illam habeat non à ſe, ſed à Patre: ſecundo modo ſic, quod detur intelligi, quod virtus ſpirativa, & actus ſpirandi in Patre, prius ſe explicant in productionē Spiritus S. quam

ſe explicent in Filio. Primò modo res habet verum, ſecundo modo habet falſum. Ex hoc ad inſtantiam reſpondetur in forma diſt. 1. ſequelam, ſi detur intelligi per illam propoſitionem Patrem, & virtutem, & actionem ſpirandi habere à ſe, & Filium habere à Patre, conc. ſequelam; ſi detur intelligi, quod virtus, & actio prout in Patre, prius ſe explicet in productionem Spiritus Sancti, quam in Filio; nego ſequelam. Et ad ſecundam ſequelam diſt. Conſ. ſi ly *immediatius procedere Spiritum Sanctum à Patre*, ſit hoc ipſum, quod eſt procedere à Patre per virtutem, & actionem, quam Pater habet à ſe, & Filius habet à Patre, conc. ſequelam, ſi ly *immediatius procedere à Patre, quàm à Filio*, ſit dicere, quod ſpiratio prout in Patre, prius ſe explicet in proceſsionem Spiritus Sancti, quam ſe explicat in Filio, nego ſequelam, & nego etiam aliam Conſequentiam, quæ infertur, nam ad veritatem illius requirebatur, quod ſpiratio prout in Patre, prius ſe explicaret in proceſsionem Spiritus Sancti, quam ſe explicat in Filio.

329 Objicies ſecundo: Si hæc propoſitio eſſet vera; Pater per Filium ſpirat Spiritum Sanctum, hæc etiam erit vera, Filius ſpirat Spiritum Sanctum per Patrem; quia enim hæc eſt vera, Rex operatur per Ballivum, hæc etiam eſt vera, Ballivus operatur per Regem; ſed nullo modo dicimus, quod Filius ſpirat Spiritum Sanctum per Patrem: ergo neque dicendum erit, quod Pater ſpirat Spiritum Sanctum per Filium.

Hoc argum. proponit D. Thom. hic art. 3. & ſolvit negando Conſ. non enim ſemper ita res ſe habet, quod ſi vnum ſuppoſitum dicitur operari per aliud, è contra aliud dicatur operari per illud: dicimus enim, quod Faber operatur per martellum, & non dicimus, quod martellus operatur per Fabrum, quia operari eſt Fabri, non martelli; dicimus autem Ballivum operari per Regem, vt denotetur ordo virtutis, quia Ballivus operatur per virtutem ſubordinatam virtuti Regis, & dicitur Rex operari per Ballivum, quia ſuppoſitum Ballivi medium eſt inter Regem, & effectum: inter Patrem autem, & Filium non eſt ordo quantum ad virtutem, ſed tantum quantum ad ſuppoſitum, & ſic nequit dici, quod Filius operetur per Patrem.

Sed inſtas: Vt Pater verè dicatur ſpirare per Filium; non eſt neceſſe, quod Pater ſibi ſubordinet virtutem Filij, ſed ſufficit, quod Filius à Patre accipiat virtutem, qua ſpirat Spiritum Sanctum: ergo, vt Filius dicatur ſpirare per Patrem, non eſt neceſſe, quod virtus, qua Filius ſpirat, ſit ſubordinata virtuti Patris, ſed ſufficiat, quod ſpiret per virtutem acceptam à Patre.

Ad hoc nego Conſeq. quia ad veritatem huius, Pater ſpirat per Filium; ſufficit authoritas dantis virtutem Filio, vt ſpiret, quæ cum reperiatur in Patre, illa propoſitio eſt vera, Pater ſpirat per Filium; ad hoc autem, vt hæc eſſet vera, Filius ſpirat per Patrem, requirebatur vnum è duobus in Filio; vel authoritas dantis; vel inferioritas in virtute ſpirativa, neutrum autem horum reperitur in Filio, licet ad ſpirandum accipiat virtutem à Patre, & ſic non adſunt requiſita ad veritatem illius propoſitionis, Filius ſpirat per Patrem Spiritum Sanctum.

§. XI.

Vtrum Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus Sancti.

330 AFFIRMATIVE Reſp: Ita diffinitur in Concilio Florent. Seſſ. vltima in litteris Sacræ vnionis, ibi: *Spiritus Sanctus ſuum eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex vtroque æternaliter tanquam vno principio, & vnica ſpiratione procedit.* Habetur etiam concluſio in Concilio Lugdunenſi relato in cap. vnico de ſumma Trinitat. lib. 6. ibi: *Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit.*

331 Reſp. Durandus Concilia conſulto appoſuiſſe illud Verbum *tanquam ab vno principio*, & non dixiſſe Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti, vt denotetur, quod licet aliqualiter Pater, & Filius poſſint dici vnum principium Spiritus Sancti, quia vno modo principiant Spiritum Sanctum, non tamen propriè, & ſtrictè: hoc enim (inquit Durandus) ſonat illa particula *tanquam*, quæ diminuit à proprietate vnius principij.

Sed contra eſt; nam illud Verbum *tanquam* non apponitur ibi tanquam dictio di-

di-

Digitized by Google

diminuens proprietatem, ſed ſolum apponitur ad explicandam rei veritatem, de qua erat controverſia inter Græcos, & Latinos, aſſerentibus Græcis Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, tanquam à duobus principijs; Latinis vero aſſerentibus tantum procedere ab illis, tanquam ab vno principio. In qua controverſia non erat lis de modo procedendi, quaſi vellent inquirere, cui proceſſioni aſſimilaretur proceſſio Spiritus Sancti, an illi, quæ eſt ab vno, vel illi, quæ eſt à pluribus principijs; ſed lis erat de pluralitate, vel vnitate principij, à quo procederet Spiritus Sanctus: Cui reſpondent Concilia, procedere tanquam ab vno principio; quaſi dicant procedere à Patre, & Filio, vt vno principio: vnde ſicut illa particula *quaſi* non ſemper diminuit proprietatem, ſed aliquando ponitur in rei explicationem, vt manifeſtat illud Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, vbi ly *quaſi* non diminuit proprietatem vnigeniti, cum ſit de fide Chriſtum eſſe vnigenitum Dei Patris in toto rigore ſermonis: ita illa particula *tanquam* non diminuit proprietatem vnitatis principij.

Secundo inſto contra rationem Durandi. Si Pater, & Filius dicuntur vnum principium Spiritus Sancti eo ſolum, quia vno modo principiant illum, nempe amando, & diligendo ſe ad inuicem, ſequitur, quod Pater dicatur duo principia Filij, & Spiritus Sancti, ſiquidem non vno, ſed diverſo modo illos principiat, nempe gignendo Filium, & ſpirando Spiritum Sanctum. Quod dici non poteſt.

332 Probat D. Thom. hanc veritatem hac ratione. Pater, & Filius in omnibus his ſunt vnum, in quibus non invenitur relationis oppoſitio; ſed in hoc, quod eſt ſpirare Spiritum Sanctum, non invenitur oppoſitio inter Patrem, & Filium: ergo dicendum eſt, eſſe vnum principium Spiritus Sancti.

333 Sed contra hanc rationem inſtabis. Inter Paternitatem, & Spirationem activam non mediat relationis oppoſitio; & tamen Paternitas, & active ſpiratio ſunt duæ relationes reales: ergo licet in principiando Spiritum Sanctum, non ſit oppoſitio inter Patrem, & Filium poterunt nihilominus dici duo principia Spiritus Sancti.

Ad hoc conceſſis præmiſſis, nego Conſeq. nam illæ relationes dicuntur duæ, quia licet inter ſe non opponantur relative, per illas tamen Pater duabus perſonis relative opponitur: dicuntur etiam duæ, quia inter ſe diſtinctione virtuali gaudent, & diverſæ rationis ſunt: ſpiratio autem in Patre, & Filio omnino vna eſt; tum quia per illam vni ſoli perſonæ Pater, & Filius opponuntur, tum etiam, quia in ſe ipſa omnino vna eſt: vnde ſi non opponuntur Pater, & Filius in ſpirando, oportet neceſſario, quod ſit vnus ſpirator, vnumque principium ſpirationis. Itaque in divinis ex duplici capite poſſunt aliqua dici duo: vel quia inter ſe relative opponantur, vel quia diverſæ rationis ſint: vnde excluſo, quod ratio ſpirandi in Patre, & in Filio diverſæ rationis formalis ſint, ſolum reſtat, quod inter ſe relative opponantur: vnde iuxta ſubiectam materiam bona eſt Conſ. D. Thom. Pater, & Filius non opponuntur relative in ſpirando: ergo ſunt vnum principium ſpirandi Spiritum Sanctum.

334 Secundo obijcies contra hanc rationem. Hæc Conſeq. non valet; Pater, & Filius in terminando ad extra naturam humanam v. g. non opponuntur relative: ergo in terminando naturam humanã ſunt vnum terminans: ergo ſimiliter non erit bona conſequentia, Pater, & Filius in ſpirando Spiritum Sanctum non opponuntur relative: ergo ſpirant vt vnus ſpirator, vel vt vnum principiũ Spiritus Sancti. Ad hoc conceſſo Antec. nego Conſeq. nam Pater, & Filius ſpirant vna virtute, & vna ſpiratione, & cum alias in ſpirando non opponantur, poſitive ſiunt vnum ſpirans ab vna virtute, & ab vna ſpiratione. Pater ergo, & Filij, eſto in terminando ad extra naturam humanam non opponantur; tamen non terminant per vnam indiviſibilem terminationem, neque per vnam formam, ſed Filius terminat perſonalitate Filiationis, & Pater, ſi terminaret, terminaret ipſa perſonalitate Paternitatis: vnde cum in terminando non adunentur in forma terminante, neque in ipſa terminatione, ſunt duo in terminando humanitatem ad extra, vel eſſent duo, ſi Pater terminaret.

(†)

Digitized by Google

§. XII.

Expenditur ſecundò ratio, qua D. Thom. probat, quod Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti.

335 PROBAT Secundò D. Thom. quod Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti ſic. Etenim nomen numerale additum termino ſubſtantivo, numerum accipit à forma ſignificata per nomen; ſed hoc nomen *Principium* eſt nomen ſubſtantivum: ergo ly *vnum* additum illi, numerum accipit à forma ſignificata per nomen *Principium*: ergo, cum forma, & actio, per quam Pater, & Filius ſunt principium Spiritus Sancti, ſit omnino vna in vtroque ſuppoſito, hæc propoſitio erit concedenda, *Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti*, ſicut & conceditur hæc, *tres perſonæ ſunt vnus Deus*, & hæc erit neganda, *Pater, & Filius ſunt duo principia Spiritus Sancti*; ſicut & negatur hæc, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt tres Dij*.

336 Sed vt efficacia, & veritas huius rationis appareat, ſic contra illam objicio. Si nomen numerale additũ termino ſubſtantivo, numerum acciperet à forma ſignificata, hæc propoſitio eſſet vera, *Pater eſt duo principia*, ſcilicet *Filij, & Spiritus Sancti*; hoc non eſt admittendum: ergo. Prob. ſequela, in Patre ſunt duæ formæ ſubſtantiales, nempe Paternitas, & ſpiratio activa, quarum vna eſt principium Filij, & alia eſt principium Spiritus Sancti: ergo dum dicerem, Pater eſt duo principia, numerarem dualitatem formarum ſubſtantialium, & ſic propoſitio eſſet vera, ſicut quia ly *vnum* numerat formam ſubſtantialem, hæc propoſitio eſt vera, *Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti*, quia virtus ſpirativa eſt vna tantum in Patre, & Filio.

Ad hoc reſp. D. Thom. ſolut. 1. quod non ſequitur, quod ſi Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti propter vnitatem formæ, Pater etiam dicatur duo principia propter duas proprietates, quia in hac locutione implicaretur pluralitas ſuppoſitorum. Hæc D. Thom. ſed non explicat Sanctus D. quare in hac, *Pater, & Filius ſunt vnum principium*, non implicatur vnitas ſuppoſiti, & in hac, *Pater eſt duo principia*, implicaretur pluralitas ſuppoſitorum. Etenim vel nomen numerale tantũ numerat formam, & non ſuppoſitum, vel numerat vtrumque; ſi primum: ergo ſicut in hac *Pater, & Filius ſunt vnum principiũ*, non denotatur vnitas formæ in vno ſuppoſito, ita in hac *Pater eſt duo principia*, non denotabitur dualitas formarum in duobus ſuppoſitis: ſi ſecundum: ergo ſicut hæc eſt falſa *Pater eſt duo principia*, ita & hæc erit falſa, *Pater, & Filius ſunt vnum principium*.

337 Vt rem explicet Caietanus hic, diſtinguit inter nomen ſubſtantivum, & concretum ſubſtantivum, aſſeritque nomen ſubſtantivum ex terminis ad ſui pluralitatem requirere pluralitatem formæ ſignificatæ per nomen, & hanc ſufficere ad ſui pluralitatem, ſi abſtractum ſit; ſi autem ſit concretum, ad ſui pluralitatem exigere pluralitatem formæ ſignificatæ per nomẽ, non tamen illam ſufficere, quia concretũ ſubſtantiale dicit duo, & formam, & ſuppoſitum habens illam: cum ergo hoc nomen *principium* concretum ſubſtantiale ſit, qua parte eſt nomen ſubſtantivum, exigit ad ſui pluralitatem formæ ſignificatæ pluraficationem; qua vero concretum, exigit vltra hoc ſuppoſitorum pluralitatem, & ſic cum in Patre, & Filio tantũ ſit vna forma, nempe vis ſpirativa eſto ſint plura ſuppoſita, ex defectu prærequiſiti ad pluralitatem concreti ſubſtantialis, dicuntur vnum principium Spiritus Sancti: quia autem non ſufficit pluralitas formæ ſubſtantialis ad pluralitatem concreti, fit inde, quod eſto in Patre ſint duæ formæ ſubſtantiales, nempe Paternitas, & Filiatio, Pater non dicatur duo principia Filij videlicet, & Spiritus Sancti.

Sed contra hanc doctrinam inſto. Nam non eſt maior ratio ob quam concretum ſubſtantiale ad ſui pluralitatem, exigat pluralitatem formæ, ex quo nomen ſubſtantivum eſt, & pluralitatem ſuppoſitorum, ex quo concretum eſt, & quod ad ſui vnitatem non exigat ex quo nomen ſubſtantivum eſt vnitatem formæ, & ex quo concretum eſt vnitatem ſuppoſiti: ergo ſi quia in Patre abeſt pluralitas ſuppoſitorum exacta ad pluralitatem concreti, non dicitur duo principia, eſto adſint duæ formæ ſubſtantiales, ita in Patre, & in Filio ex defectu vnitatis ſuppoſiti, quam exigit nomen *principium*, ex quo concretum eſt, non dicetur etiam Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti. Præterea, vellẽ erudiri à Caietano de hoc, quare nomen ſub-

Digitized by Google

ſubſtantivum ad ſui pluralitatem ; exigat pluralitatem formæ ſignificatæ per nomē, & ad ſui vnitatem non exigat vnitatem formę: videmus enim, quod Pater eſt vnum principium, & nihilominus habet duas formas, per quas principiat, nempe Paternitatem, & ſpirationem.

338 Ad obiectionem ergo principaliter factam contra rationem D. Tho. nego Sequelam, ſicut illam negat D. Tho. & ratio ea eſt, quam inſinuat Caietanus, videlicet quod nomen concretum ſubſtantivum requirit ad ſui pluralitatem, pluralitatem formæ, & pluralitatem ſuppoſitorum: ad ſui autem vnitatem non requirit vnitatem formæ, & vnitatē ſuppoſiti, etenim cū vnum, & plura in linea entis opponantur, quotieſcumque non apponuntur requiſita ad pluralitatem concreti ſubſtantialis, toties nomen concretum denotat vnitatem; cumque ad pluralitatem concreti ſubſtantialis requiratur pluralitas formæ, & pluralitas ſuppoſiti, hoc ipſo, quod aliquod ex his requiſitis deeſt, toties non adeſt pluralitas, & ſic habetur aliud extremum oppoſitum, nempe vnum: vnde quia ex duplici capite poteſt contingere, quod non apponantur requiſita ad pluralitatem, nempe quia ſuppoſita ſunt plura, & forma vna, vel quia formæ ſunt plures, & ſuppoſitum eſt vnum; inde fit, quod quando ſuppoſita ſunt plura, & forma ſubſtantialis eſt tātum vna, concretum ſubſtantiale tantum eſt vnum, & etiam quando formæ ſunt plures, & ſuppoſitum vnum, concretum tantum ſit vnū. Vnde, cum hoc nomen *principium* ſit concretum ſubſtantivum, dum virtus ſpirativa in Patre, & Filio tantum eſt vna, tantum habetur vnum principium, & dum in Patre ſunt Paternitas, & activa ſpiratio, tantum Pater ſit vnum principium, quia cū ad pluralitatem concreti huius requirerentur plures formæ, & plura ſuppoſita, dum formæ ſunt plures, & ſuppoſitum eſt tantum vnū, ex defectu requiſiti ad pluralitatem, concretum principium tantum eſt vnum: vnde quamvis Pater principiet Filium, & principiet Spiritum Sanctum alia, & alia forma ſubſtantiali, tantum dicitur vnum principium, & non duo principia.

Et ad replicam, quæ facta eſt contra hanc doctrinam, quæ Caietani eſt. Reſpondetur, quod cum vnum, & plura opponuntur immediate, neceſſe eſt, quod dum non apponuntur requiſita ad plura, ponatur vnum. & ſic vnitas concreti ſubſtantivi poteſt contingere multipliciter, vel quia habetur vna forma in vno ſuppoſito, vel quia plures formæ ſunt in eodem ſuppoſito, vel quia in pluribus ſuppoſitis tantum ſit vna forma: omnibus enim his tribus modis recedimus à pluralitate concreti ſubſtantivi, & ſic omnibus illis modis ſit vnum concretum ſubſtantivum.

Sed contra arguitur. Quando ſunt duæ formæ, & ſuppoſitum eſt vnum, tunc nomē numerale additum termino ſubſtantivo, vel numerat formas, vel ſuppoſitum ſi formas: ergo cum hæ ſint duæ, concretum abſolute erit vnum ; ſi numerat ſuppoſitum, hoc eſt contra proprietatem termini numeralis additi termino ſubſtantivo: ergo. Reſp. quod nomen numerale additum termino ſubſtantivo ſemper numerat formas; ſed quando ſunt duæ formæ in vno ſuppoſito, tunc ſunt idem ſuppoſito: vnde numerantur vt vnum, & non vt duo, & ſic tantum habetur vnum. Hinc quando vna forma eſt in tribus, etiam numeratur forma vt id, in quo illa tria conveniunt, & ſic illa numerantur vt vnum, & non vt plura: vnde tantum habetur vnum.

339 Secundo obiicies contra rationem. Si plures perſonæ aſſumerent eandem numero naturam, dicerentur plures homines, vt docet Caietanus 3. p. quæſt. 3. art. 6. & 7. ergo licet ſit vnica virtus ſpirativa in Patre, & Filio, non dicentur vnum principium, ſed plura principia. Prob. Conſ. paritate rationis.

Ad hoc reſp. primo ex doctrina Caiet. & iuxta eius mentem, negando Conſ. & paritatem, nam hoc nomen *homo* dictus de divinis Perſonis habet proprietates termini adiectivi, quia humanitas, quam ſignificat, non ſecum adducit proprium ſuppoſitum, ſed applicat ſuppoſitis divinis ſibi extraneis, & ſic quaſi adiacet illis, ac per conſequens nomen numerale in illa hypotheſi non numeraret ſuppoſita ratione formæ, ſed potius numeraret formam ratione ſuppoſitorum: vnde ſicut ſi vna albedo exiſteret in tribus, dicerentur tria alba, ita ſi vna humanitas aſſumeretur à tribus divinis ſuppoſitis, dicerentur tres homines: non ſic res contingit in virtute ſpirativa, quæ per ſe identificatur cum Patre, & Filio, vnde ſpirator veram rationem concreti ſubſtantivi habet, & ſic Pater, & Filius ob vnam virtutem ſpirativam, vere ſubſtantive dicuntur vnus ſpirator.

Cæterum quia hæc doctrina Caietani

eſt

Digitized by Google

eſt contra D. Thom. ibidem art. 5. ad 1. vbi ſic habet: *Dicendum, quod hac poſitione facta, quod tres Perſonæ aſſumerent vnam humanam naturam, verum eſſet dicere, quod tres Perſonæ eſſent vnus homo propter vnam humanam naturam; ſicut enim nunc verũ eſt dicere, quod tres Perſonæ ſunt vnus Deus propter vnam diuinam naturam: nec ly vnus importaret vnitatem Perſonæ ſed vnitatem in natura humana, non enim poſſet argui ex hoc, quod tres Perſonæ ſunt vnus homo, quod eſſent vnus ſimpliciter, nihil enim prohibet dicere, quod homines, qui ſunt plures ſimpliciter, ſint vnum quantũ ad aliquid, puta vnus Populus.* Sic D. Thom. Ideoque ad argumentum nego Ant. eſſent enim vnus homo ob vnam naturam humanam, vnde tunc ſignificarentur illa plura, non vt vnus vnitate Perſonæ, ſed vt vnus vnitate humanæ naturæ.

Et ſi inſtes, quod hæc propoſitio eſt vera, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnus Deus*, quia prædicatum *Deus* ſignificat quid ſubſiſtens abſolutum, quod cum ſit vnum, illa propoſitio redditur veriſſima; nã in ea ſignificatur, quod tres Perſonæ ſunt vnum ſubſiſtens abſolutum, quod ſignificatur per nomen *Deus*. Quæ doctrina locum non habet in caſu, quo tres Perſonę aſſumerent vnam naturam humanam, cum hæc enim non eſſet ſubſiſtens, neque *quod*, ſed tantum *quo*; non poſſet verificari, quod tres Perſonæ ſunt vnus homo: ergo. Si inquam ſic inſtes. Reſp. quod illa propoſitio *tres Perſonæ ſunt vnus homo*, vt eſſet vera, non eſſet neceſſe, quod in illa fieret ſenſus, quod tres Perſonę eſſent illa natura aſſumpta; ſed ſufficeret, vt dicerentur vnus homo, quod convenirent in aſſumptione vnius numero naturæ: ſicut enim ab humanitate haberẽt, quod eſſent homo, ita ab vna natura aſſumpta haberent, quod eſſent vnus homo.

340 Tertio objicies contra concluſionem. Si Pater, & Filius ſunt vnũ principium Spiritus Sancti, aut ſunt vnum principium, quod eſt Pater, aut ſunt vnum principium, quod non eſt Pater; ſed neutrum poteſt dici: ergo. Sequela Pater, nam illa propoſitio eſt vna disiunctiva ex partibus contradictorijs, & ſic eſt neceſſaria. Min. vero prob. nam ſi ſunt vnum principium, quod eſt Pater, ſequitur, quod Filius ſit Pater; ſi ſunt vnum principium, quod non eſt Pater, ſequitur, quod Pater non eſt Pater: ergo non eſt dicendum, quod Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti.

Ad hoc reſp. D. Tho. negando; quod illæ propoſitiones, ex quibus conſtat disiunctiva, ſint contradictoriæ. Dicit inſuper, quod ly *vnum principium* in dicta propoſitione ſupponit confuſe, & ſic non licet deſcẽdere ſub illo, priuſquam reſolvatur ſignum ſpecialiter illum terminum confundens: vnde in dicta Conſequentia argumentamur à confuſa ad determinatam.

Sed contra hoc eſt. Nam non videtur à quo ſigno confundatur terminus *principium*: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. nam ſi ab aliquo confunderetur, maxime à ly *&*, quod videtur eſſe ſignum vniverſale affirmativum, & ſic habet confundere prædicatum; ſed hoc non poteſt dici: ergo. Prob. Min. nam in hac propoſitione, *Petrus, & Paulus ſunt currentes*, prædicatum non confunditur à ly *&* poſitum ex parte ſubiecti, ſiquidem licet immediate deſcendere ſub illo prædicato: vnde hæc eſt bona Conſeq. Petrus, & Paulus ſunt currentes: ergo vel ſunt iſti currentes, vel iſti, vel iſti &c. Ergo neque ly *&* in hac propoſitione, *Pater, & Filius ſunt* vnum principium Spiritus Sancti, confundet hoc prædicatum *vnum principium*, & ſic licebit immediate deſcendere ſub illo: ſic ergo, vel ſunt vnum principium, quod eſt Pater, vel ſunt vnum principium, quod eſt Filius.

Secundo nam licet non bene valeat, Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti: ergo vel ſunt vnum principiũ, quod eſt Pater, vel vnum principium, quod eſt Filius; bene tamen valet: ergo, vel ſunt hoc vnum principium, vel ſunt hoc vnum principium: hoc enim Conſequens eſt verum, ſiquidem eſt vna disiũctiva, cuius vna pars eſt vera, nempe, pro Patre, & Filio ſpirantibus vnum Spiritum Sanctum: igitur prædicatum dictæ propoſitionis non confunditur à ly *&*, quia ſi cõfunderetur, nullo modo liceret deſcendere ſub ipſo ante reſolutionem ſubiecti. Huius appono exemplum, quia in hoc propoſitione, Pariſijs & Romæ venditur piper, dictio *piper* confunditur à diſtributione de ly *&*, i. e. licet deſcendere ſub illa immediate ante reſolutionem de ly *&*: vnde hæc Conſequentia eſt mala, Pariſijs, & Romæ venditur piper: ergo venditur hoc piper, vel hoc piper, vel hoc piper: eſt enim Conſequens vna disiunctiva, cuius omnes partes ſunt falſæ & ſic tota eſt falſa: denotatur enim in qualibet illarum, quod hoc numero *piper* Pariſijs, & Romæ vendatur, quod impoſſibile eſt: ergo

Digitized by Google

go ſi in noſtra propoſitione ly *vnum principium* confunditur a ly *&*, non licebit deſcendere ſub ipſo ante reſolutionem ſigni vniverſalis, cuius oppoſitum probatum eſt.

Pro ſolutione Adverto, quod D. Tho. non dicit, quod ly *vnum principium* ſtet confuſe ſic, quod nullo modo liceat deſcendere ſub illa dictione *vnum principium*; ſed tantū dicit, quod ſtat confuſe pro duabus perſonis ſimul, & ſic non licet diviſive deſcendere ad perſonas Patri, & Filij in particulari. Verba ſunt D. Tho. *Hoc, quod dico principiū, non habet determinatam ſuppoſitionem, ſed confuſam pro duabus perſonis ſimul, & ratio ea eſt, quia cum ex Patre, & Filio fiat vnum ſingulare principium, & ratio Patris, & Filij nō invenitur in ſolo Patre, neque in ſolo Filio: ſingularia illius dictionis non ſunt Pater diviſive à Filio, neque Filius diviſive à Patre, & ſic non licet deſcendere ſub illo termino ad Patrem in particulari, vel ad Filium in particulari, quia in particulari ſumpta ſingularia illius dictionis non ſunt*. Ex his reſpondetur ad argumentum ſolutione data à D. Tho. etenim vnum principium ibi ſupponit confuſe pro duabus perſonis, quia nulla illarum diviſive ſumpta eſt ſingulare illius dictionis *vnum principium*. Et dum inquiritur in replica facta, à quo confundatur illud *vnum principium*? Reſp. nō confundi abſolute, ſed tantum reſpective ad Patrem, & Filium diviſive, quia appellat ſupra conceptū ſimultatis Patris, & Filij, & ſic immobilitat ſeipſum, vt ad Patrem diviſive à Filio deſcendat, & ad Filium diviſive à Patre, ſicut in hac: *Homo eſt ſpecies*, prædicatum non ſtat confuſe abſolute, ſed tantum reſpective ad Individua hominis, ita vt non bene valeat: ergo eſt ſpecies, quæ eſt hic homo, vel hic homo &c. Omnes enim ſunt falſæ, quia homo immobilitatur ex via appellationis prædicati *ſpecies*.

§. XIII.

Vtrùm ly vnum principium Spiritus Sancti ſupponat pro aliquo communi ſubſiſtenti Patri, & Filio?

341 DIXIMVS cum D. Tho. in præcedenti §. quod ly *vnum principium Spiritus Sancti* in hac propoſitione *Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti*, ſupponebat confuſe pro duabus perſonis Patris, & Filij,

Reſtat nunc videre, vtrum præter ſuppoſita Patris, & Filij debeamus aſſignare aliud ſubſiſtens, vt quod relativum, quod dicatur ſpirator identificatum cum perſonis Patris, & Filij; ad eum modum, quo in hac propoſitione *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnus Deus*; ly *Deus* ſupponit pro aliquo ſubſiſtente vt quod abſoluto identificato cum tribus perſonis. In quo puncto elucidādo ſunt duæ ſententiæ altera affirmat, quā tenent Vazquez hic, diſp. 149 cap. 2. Molina diſp. 2. Becanus tract. de Trinit. cap. 6. referens pro ſe Ocham et Gabrielem. Nazarius controv. 2. ad art. 4 huius quæſt. Canarienſis in eodem articulo ad tertiam partem Comentarij.

Communiter tamen partem negativum tenent Thomiſtæ. Et probant primo. Quia Pater in divinis, non ſolum eſt principium ſpirandi, ſed primum, vnde & *Anartos* dicitur, hoc eſt, principium principale, ſive primum. Inſuper dicitur à Dionyſio, *Solus fons ſuperſubſtantialis Deitatis Pater*: ergo in divinis non eſt conſtituendum aliquod ſubſiſtens relativum præter Patrem, & Filium, cui competat vt quod ſpirare Spiritum Sanctum. Probant Conſ. quia ſemel dato, quod admittatur ſubſiſtens relativum, quod ſpiraret vt quod Spiritum Sanctum, illi conveniet primo ſpirare Spiritū Sanctum: ergo non conveniet Patri, & ſic Pater non erit primum principium ſpirans Spiritum Sanctum.

Confirmant hanc rationem ex eo, quod in divinis non poſſunt eſſe duo prima principia, duoque innaſcibiles: alioquin darentur duo Dij, vt ſupra diximus: ergo nequit etiam dari ſpirator vt quod communis communitate rei Patri, & Filio. Probant Conſ. quia hoc dato, darentur plures ingeniti, & plures Dij: ſiquidem Pater eſſet ingenitus, & ſimiliter communis hic ſpirator, quippe, qui non procederet ab alio. Præterea, Pater eſſet primus divinitatis fons, ſiquidem communicaret Filio divinitatem per generationem, & etiam hic communis ſpirator eſſet primus divinitatis fons, ſiquidem primo communicaret divinitatem Spiritui Sancto; eſſet ſimiliter pluralitas Deorum, ſiquidem pluralitas plurium ſimpliciter primorum arguit, vt vidimus, pluralitatem Deorum.

342 Cæterum hæc ratio non me convincit: nam cum hic ſpirator identificetur cum Patre, & illum ſupponeret ad eū modum, quo proprietas ſupponit radicem; ſi-

Digitized by Google

licet ſpiratio proxime vt quod, eſſet ab hoc ſpiratore: radicaliter tamen, & veluti mediate eſſet à Patre, & ſic non auferretur à Patre, quod eſſet primum principium divinitatis, neque ſequeretur dari duos innaſcibiles. Tum, quia licet hic ſpirator prout conveniret Patri, non eſſet ab alio, tamen prout conveniret Filio, eſſet ab alio, nempe à Patre communicante illi per generationem rationem huius ſpiratoris, ad eum modum, quo non ponimus ſubſiſtens abſolutum in Deitate eſſe innaſcibile, hoc eſt, non eſſe ab alio, quia licet in Patre à nullo ſit; tamen in Filio eſt à Patre communicante Filio eſſe Deum abſolutum, vt docet D. Tho. ſupra quæſt 34. art. 4. ad 2. probans eſſentiam divinam non dici Innaſcibilem his verbis: *Nec etiam divina eſſentia, de qua poteſt dici, quod eſt in Filio, & Spiritu Sancto, ab alio ſcilicet à Patre.* Quibus removet rationem innaſcibilis ab eſſentia divina eo, quod in Filio, & in Spiritu Sancto eſt à Patre: cum ergo hic ſpirator prout in Filio, eſſet ab alio, nempe à Patre, non poſſet dici innaſcibilis ſicut Pater.

Tum etiam, quia cum hic ſpirator eſſet proprietas Patris, ratio innaſcibilis non poſſet illi primario convenire, ſed tantum ſecundario ad eum modũ, quo de proprietatibus Filij, non dicimus eſſe genitũ primario, ſed ſecundario, & de proprietatibus rei creatæ, non dicimus eſſe creatas, ſed tãtum eſſe concreatas: vnde hic ſpirator adhuc prout in Patre, non poſſet dici innaſcibilis, ſed co innaſcibilis, id eſt, proprietas innaſcibilis, in quo nullum inconveniens reperio: etenim licet de Paternitate dicatur, quod eſt innaſcibilis, quia à nullo alio tanquam à principio eſt; de virtute ſpirativa, quæ eſt illius proprietas dicimus, quod eſt ſecundario innaſcibilis, id eſt, coæva innaſcibili, in quo nullum invenitur inconveniens, vel abſurdum.

343 Secundo hoc ipſum probant Thomiſtæ alia ratione, quia ſi daretur hic ſpirator ſubſiſtens relative vt quod, ſubſiſtentia, quæ non eſſet Paternitas, nec filiatio, conſtitueret aliam perſonam in divinis diſtinctã ab his, quas fides dictat, quod nullatenus admitti poteſt. Probant Sequelam, quia ſubſiſtens, vt quod relativum adveniens poſt perſonas Patris, & Filij, non poſſet non conſtiture perſonam: ergo ſi hic ſpirator ponitur ſubſiſtens relativum, & advenit poſt perſonas Patris, & Filij, neceſſario conſtituet aliam perſonam.

Etiam hæc ratio non me convincit; nam, vt ſcimus ex Div. Thom. ſupra, non omne ſubſiſtens divinum conſtituit perſonam, ſed ſolum illud, quod eſt ſubſiſtens divinum incommunicabile; ſed hic Spirator non ponitur ſubſiſtens divinum, & incommunicabile: ergo non conſtitueret perſonam, prob. Min. nam hic Spirator, eſto ponatur relative vt quod ſubſiſtens; non tamen ponitur, quod procedat à Patre, & Filio: ergo nequit poni, quod realiter diſtinguatur ab illis.

Dices huic impugnationi, quod licet ſubſiſtens, vt quod abſolutum, non habeat conſtituere perſonam, quia abſoluta ex ſe petunt communicari relativis; tamen ſubſiſtens divinum, vt quod relativum, cũ neceſſario habeat diſtingui vt quod ab aliqua perſona, non poteſt non conſtituere perſonam: cumque ſi ponatur hic Spirator ſubſiſtens vt quod relative, poni debeat vt quod diſtinctum à Spiritu Sancto; non poterit nõ conſtituere perſonam ſaltim virtualiter diſtinctam à Patre, & Filio.

Sed contra hoc eſt. Nam ſolum illud ſubſiſtens relativum habet conſtituere perſonam, quod eſt incommunicabile omnibus alijs perſonis; ſed hic Spirator, eſto ponatur ſubſiſtens relativum, non ponitur, tamen, quod ſit incommunicabile perſonis Patris, & Filij: ergo neque deberet poni perſona adhuc virtualiter diſtincta à perſonis Patris, & Filij. Confirm. hac evidenti inſtantia. In hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc diceretur de illo, quod eſſet ſubſiſtens vt quod relativũ, & quod realiter diſtingueretur à Patre; & nihilominus à Thomiſtis nõ ponitur, quod relatio Spiritus Sancti eſſet in ea hypotheſi conſtitutiva perſonæ, quia tunc Spiritus Sãctus eſſet communicabilis Filio, quem ſupponeret, & à quo non diſtingueretur realiter: ergo, cum hic ſpirator ſit proprietas Patris, & Filij illis communicabilis, cum ab illis nullo modo procedat, eſto ponatur eſſe ſubſiſtens relativum, & vt quod realiter diſtinctum à Spiritu Sancto, non ſequitur debere cõſtituere perſonam virtualiter diſtinctam à perſonis Patris, & Filij.

Nec valet dicere, quod in dicta hypotheſi relatio Spiritus Sancti non eſſet vt quod ſubſiſtens, ſed tantum ſe haberet vt quo. Nam in contra eſt, quod tunc fieret Spiritus Sanctus per actionem diſtinctam ab ea, qua procederet Filius; ſed omnis actio divina notionalis petit terminari ad tu-

Digitized by Google

productum, vt quod ſubſiſtens: ergo debemus aſſeverare, Spiritum Sanctum tunc futurum relationem ſubſiſtentem vt quod. Confirmantur hæc omnia. Ideo ſubsiſtens abſolutum non ponitur perſona etiam virtualiter tantum diſtincta à Patre, & Filio; quia eſt communicabilis illis, nō vero quia abſolutum: ergo ſubsiſtens relativum vt quod non erit etiam perſona adhuc virtualiter tantum diſtincta ab alijs, quia eſſet cōmunicabilis illis. Ant. eſt communis doctrina Thomiſtarum admittentium in Deo ſubsiſtentiam abſolutam, & Conſ. prob. à paritate rationis.

344 Tertiò alij probant. Nam ſpiratio activa præſupponit perſonam Patris, & Filij potentes ſpirare: ergo non conſtituitur illa aliquod ſuppoſitum, quod ſit ſpirator. Probant Conſ. nam ideo generatio activa conſtituit ſuppoſitum generans, quia antecedenter ad relationem Patris nō præhabetur ſuppoſitum, à quo oriri poſsit generatio: ergo ſi ſpiratio præſupponit ſuppoſita Patris, & Filij, quæ poſſunt ſpirare, non habebit conſtituere aliquod ſubsiſtens relativum, à quo primo egrediatur ſpiratio activa.

Sed hæc ratio etiam non me convincit, nam Paternitas non ideo conſtituit ſuppoſitum potens generare, quia illud non præſupponit; ſed ideo, quia cum ſit relatio divina ſeipſa intranſitive eſt vt quod ſubſiſtens; ſi enim ſeipſa non eſſet vt quod ſubſiſtens, etiam ſi ſuppoſitum Patris non præſupponeret, non conſtitueret: cumque relatio ſpiratoris ſit ſeipſa vt quod ſubsiſtens, neceſſarium erit, quod ſuppoſitum ſpirans conſtituat.

§. XIV.

Efficacius probatur communis ſententia.

345 PRIMO Mihi plauſibilior apparet pars negans ſpirationem activam eſſe vt quod ſubsiſtētem. Probatur quia apud Concilia, & Patres tantum enumerantur tres ſubſiſtentiæ relativæ, & quatuor relationes; ſi autem communis ſpiratio eſſet ſubsiſtens vt quod, ſubsiſtentiæ relativæ eſſent quatuor, ſicut & relationes ſunt quatuor. Nec valet dicere Concilia ſolum enumerare ſubsiſtentias, quæ conſtituunt perſonas. Nō inquam valet, nam dū dicitur relationes eſſe quatuor, ibi ſit locutio de omni divina relatione, ſive conſtituat, ſive non perſonam: ergo ſi ſubsiſtentiæ eſſent quatuor, etiam diceretur eſſe quatuor ſubsiſtentias, comprehendendo tam eas, quæ conſtituunt perſonas, quam eas, quæ ſunt tantum proprietates perſonæ: dum ergo dicitur, ſubsiſtentias eſſe tres, & relationes quatuor, plane intelligunt Concilia, ſolum relationes conſtituentes perſonas eſſe ſubsiſtentes vt quod. Similiter moveor ad hanc ſententiam tenendam, quia D. Tho. qui accuratiſsimè tractavit materiam de Trinitate, nuſquam meminit huius ſubsiſtentiæ relativæ ſpiratoris, imò in hoc articulo videtur illam poſitive excludere, dum huic dictioni *unum principium* tātum aſsignat pro ſuppoſito, Patrem, & Filium; quod verum non eſſet, ſi vltra ſuppoſita Patris, & Filij daretur aliud ſuppoſitū, nempe hic ſpirator; ſupponeret enim determinate pro illo.

Ad eſt etiam pro hac ſententia ſatis efficax ratio, quæ talis eſt. Si relatio Spiratoris eſſet ſubsiſtens vt quod ſubsiſtentia relativa, Pater, & Filius non referrentur vt quod immediate ad Spiritum Sanctum; Conſ. nequit admitti, alias non opponerētur relative cum illo, & ſic non diſtinguerentur realiter ab illo; ergo. Prob. Sequela, ſi relatio ſpiratoris ſeipſa eſſet relative ſubſiſtens vt quod; illa vt quod referretur immediate ad Spiritum Sanctum: ergo Pater, & Filius non referrentur immediate vt quod ad Spiritum Sanctum. Patet Conſeq. nam tunc inter Patrem, & Filium mediaret hic ſpirator.

Dices, ad diſtinctionem realem inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ſufficere, quod mediate vt quod Pater, & Filius referantur ad illum. Sed contra eſt, nam referri vt quod mediate, tantum eſt identificari realiter cū illo ſuppoſito, quod ſeipſo immediate, & vt quod refertur; ſed hoc non ſufficit ad diſtinguendum Patrem, & Filium à Spiritu Sancto: ergo. Prob. Mi. eſto ſubsiſtens abſolutum idētificetur cum ſuppoſito Patris, quod immediate vt quod refertur ad Filium; hoc tamē non ſufficit, vt ſubsiſtens abſolutum diſtinguatur realiter à Filio: ergo eſto ſuppoſita Patris, & Filij identificarentur cum ſuppoſito relativo, quod immediate vt quod referretur ad Spiritum Sanctum, hoc tamen non ſufficeret, vt Pater, & Filius diſtinguerentur à Spiritu Sancto.

Facit præterea pro hac ſententia, quod illud eſt ſuppoſitum immediatum ſpiratoris,

pris,

nis, quod immediate ſpirat; ſed Pater, & Filius immediate ſpirant, id eſt non medio alio ſuppoſito ſpirant: igitur Pater, & Filius ſunt ſuppoſita immediata, pro quibus ſupponit ſpirator. Prob. Ant. illud immediate ſpirat, quod immediate diligit; ſed tantum Pater, & Filius immediate mutuo ſe diligunt: ergo immediate ſpirant. Mai. patet, nam ſpiratio activa dicit dilectionē eſſentialem connotando relationem: ergo illud immediate ſpirat, quod immediate diligit.

§. XV.

Solvuntur Argumenta contra noſtram reſolutionem.

346 PRIMO arguitur in favorem partis affirmativæ ex D. Thom. in primo ad Annib. diſt. 29. quæſt. vnica art. 4. ad 2. vbi cum inquireret, vtrum vna notione Pater, & Filius, ſint principiū Spiritus Sancti, proponit contra reſolutionem ſuam hoc argumentum: In divinis relationes ſunt ſubſiſtētes; ſed notio, ſecundū quam Pater, & Filius dicuntur vnum principium Spiritus Sancti, eſt quædam relatio: ergo eſt perſona ſubſiſtens. Si ergo eſt vna relatio ſecundum quam Pater, & Filius ad Spiritum Sanctum referuntur, erit vna perſona ſubſiſtens vtrique, quod eſt hæreticū. Ad quod argumentum ſic reſpondet: *Dicendum, quod ſicut Divinitas in divinis non eſt niſi ſubſiſtens; & tamen vna Deitas eſt Patris, & Filij, quia ſunt duo ſubſiſtentes ex alia ratione diſtincti: ſimiliter, & de communi ſpiratione oportet intelligi.* In quibus vt patet D. Tho. admittit relationem ſpiratoris eſſe ſubſiſtentem ſeipſa eo modo, quo Deitas ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta, & quod ſicut ſubſiſtens abſolute non eſt perſona, quia cōmunicatur Patri, & Filio, ita relatio ſpiratoris non conſtituit perſonam, quia eſto ſit vt quod ſubſiſtens relative, tamen communis eſt Patri, & Filio: ergo iuxta mentem D. Tho. hic ſpirator eſt ſubſiſtens relative ſubſiſtentia propria virtualiter diſtincta à perſonis Patris, & Filij.

Si reſpondeatur ad hoc D. Tho. ſolum velle, quod ſicut Deitas ſubſiſtens vt quod ſubſiſtentia abſoluta non facit perſonam, quia communicatur Patri, & Filio; ita relatio ſpiratoris ſubſiſtens, vt *quod*, non ſubſiſtentia relativa, ſed ſubſiſtentia abſoluta, qua ipſa Deitas ſubſiſtit, non conſtituere perſonam, quia communis eſt Patri, & Filio: non vero velle D. Tho. quod ſicut Deitas ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta de ſua linea, ita & relatio ſpiratoris ſubſiſtat ſubſiſtentia propria relativa de ſua linea.

In contra eſt. Nam D. Tho. negat relationem ſpiratoris conſtituere perſonam ex eo ſolum, quod licet ſit ſubſiſtens, tamen eſt communis Patri, & Filio: ergo non negat id, quod argumentum petebat, quantū ad hoc, quod eſt relationem ſpiratoris eſſe ſubſiſtentem, ſicut aliæ relationes ſubſiſtentes ſunt; ſed aliæ relationes divinæ ſunt ſubſiſtentes ſubſiſtentia relativa: ergo admittit relationem ſpiratoris ſubſiſtere ſubſiſtentia relativa. Itaque D. Tho. admittit iſtum ſyllogiſmum quantum ad duas præmiſſas, videlicet, relationes divinæ ſubſiſtentes ſunt; ſed notio, ſecundum quam Pater, & Filius dicuntur principium Spiritus Sancti, eſt relatio divina: & his admiſſis negat Conſequentiam iſtam, ergo eſt perſona divina. Et aſſignat rationē; quia eſto ſit ſubſiſtens, eſt tamē communis Patri, & Filio; ſed Maior præmiſſa admiſſa procedebat de ſubſiſtentia relativa: ergo hanc admittit competere relationi ſpiratoris.

Ad hoc argumentum, concedo, quod D. Tho. admittat relationem Spiratoris eſſe ſubſiſtentem; nego tamen, quod vellit eſſe ſubſiſtentem ſubſiſtentia relativa, ſicut aliæ tres relationes ſubſiſtentes ſunt: illam enim ſolum appellavit ſubſiſtentem, quia non inhæret ſubiecto, ſicut relationes creatæ inhærent; ſed appellavit ſubſiſtentem tanquam ens divinum, quod eo ipſo, quod divinum eſt, ſubſtantia Dei eſt: & ſic eſt ſubſiſtens ipſa ſubſiſtentia abſoluta, qua Deus ſubſiſtit. Ad replicam fateor, quod D. Tho. ſolum excludit relationem ſpiratoris à ratione perſonæ, quia communis eſt Patri, & Filio, & de ratione perſonæ eſt, quod ſit ſubſiſtens diſtinctū incommunicabile aliis perſonis: nego tamen ſequi ex hoc, quod admittat D. Tho. prædictam relationem facere ſuppoſitum relativum. Et ad id, quod dicitur, quod admittit eſſe ſubſiſtentem, ſicut aliæ relationes ſubſiſtentes ſunt, diſtinguo Mai. ly *ſicut* dicente convenientiam in ratione communi ſubſiſtendi, conc. Mai. in linea ſubſiſtendi, nego Mai. & ad Min. ſed aliæ relationes ſubſiſtunt relative, conc. Mi. ergo & relatio ſpiratoris ſubſiſtet relative, nego Conſ. Itaque, cum ratio ſubſiſtendi ſit ſuperior ad ſubſiſtentiam abſolutam, & relativam, ex hoc, quod relatio ſpiratoris ſit ſubſiſtens, non ſequitur, quod ſeipſa intranſi-

ſtive ſit ſubſiſtens relativum vt quod.

347 Secundo arguitur. Nam relatio ſpiratoris non poteſt concurrere vt principium quo, ad ſpirationem: ergo concurrit neceſſario, vt principium quod. Patet Cõſ. nam duplex tantum concurſus eſt poſsibilis ad ſpirationem, vt quo nempe, & vt quod: ergo ſi relatio ſpiratoris nequit concurrere vt quo, concurret vt principium quod. Ant. autem probatur, nam principium quo eſt divina voluntas, ſicut principium quo generationis tantum eſt divinis intellectus connotando ſuppoſitum Patris: ergo relatio ſpiratoris erit ſuppoſitum quod ſpirans connotatum à voluntate, ſicut principium quod generans eſt relatio Paternitatis connotata ab intellectu; non vero erit principium quo. Vis huius conſequẽtis in eo ſtat, quod ſicut vis generativa ſolum eſt intellectus prout in Patre ita vis ſpirativa ſolum ſit voluntas prout in hoc Spiratore.

Dices huic argumento, præter relationem Patris non requiri aliam relationem, quia relatio Patris ſe ipſa opponitur filiationi, & ſe ipſa refertur ad Filium: cæterum cum relationes Patris, & Filij, ſe ipſis non opponantur Spiritui Sancto relative, requiritur alia relatio, qua mediante opponantur, & referantur ad Spiritum Sanctum.

Sed contra inſto, nam ex hac ſolutione ſequitur, quod potentia ſpirativa non connotet, neque compleatur per relationẽ Spiratoris, & idem dico de ſpiratione; Cõſequẽs videtur eſſe contra omnes Theologos: ergo. Prob. Sequela. Nulla vis activa, vel actio connotat, vel completur per relationem prædicamentalem ſubſecutã ad actionem, niſi per talem relationem conſtituatur principium quod talis actionis, ſed ſecundum ſolutionem datam, relatio Spiratoris non conſtituit, vt quod Spiratorem, ſed tantum ſequitur ad actionem, quæ Spiratio eſt, vt referat Patrem, & Filium ad Spiritum Sanctũ: ergo vis ſpirativa, & actio ſpirandi non complebuntur in eſſe talium per relationem Spiratoris. Prob. Mai. etenim in creatis, quia relatio Patris non conſtituit ſuppoſitum, à quo egreditur generatio, vis generativa, & generatio non complentur per relationem Patris; & in divinis, quia relatio Patris conſtituit ſuppoſitum, à quo egreditur generatio, potentia generativa, & generatio complentur per relationem Paternitatis, & illam connotant: ergo ſi relatio Spiratoris non conſtituit ſuppoſitum Spiratoris, ſed illud adæquate ſuppoſitum conſtitutum, & tantum habet illud referre ad Spiritum Sanctum, vis ſpirativa, & eius actio non complebuntur per ipſam relationem Spiratoris.

Ad hoc argumentum dico, relationẽ Spiratoris non concurrere ad ſpirandum, neque vt principium quo, neque vt principium quod, ſed tantum connotari à potentia ſpirativa ex eo, quod in potentia ſpirativa debet ſaltim per modum connotati eſſe aliquid, quod per ſe diſtinguatur à Spiritu Sancto; hoc autem non eſt relatio Patris, neque relatio Filij ex terminis Paternitatis, & filiationis: ſic enim præciſse ad Spiritũ Sanctum compararentur diſparate; vnde debet eſſe relatio Spiratoris, inter quam, & Proceſsionem paſsivam amoris datur oppoſitio relativa: vnde potentia ſpirativa erit voluntas, prout connotat Paternitatem, & filiationem modificatas vnica relatione Spiratoris.

Et ad aliud argumentum, quod ibi formatur, nego cauſalem Antecedentis: non enim potentia generativa ſalvatur in intellectu vt ſolum connotante Patrem, quia Pater tantum eſt ſuppoſitum, à quo egreditur generatio, ſed ideo, quia eſt ſuppoſitum conſtitutum per Paternitatem, quæ ſe ipſa immediate habet opponi filiationi: oportet enim, quod in potentia notionali connotetur aliquid relative oppoſitũ perſonæ procedenti ab illo: cumque Paternitas, & filiatio non habeant relative opponi Proceſsioni Spiritus Sancti; oportet, quod potentia ſpirativa nõ ſalvetur ſolum in eo, quod voluntas divina connotet perſonam Patris, & Filij, ſed vlterius requiritur, quod illas connotet vt modificatas relatione Spiratoris.

Ad inſtantiam contra hoc, bene ibi dictum eſt. Ad prob. nego Sequelã; ad prob. nego Ant. nõ enim ſolum principium quo connotat relationem ſubſecutam ad eius actionem, quando per dictam relationem habet ſuum principium quod; ſed etiam quando eius principium quod modificatur per dictam relationem. Neque contra hoc faciunt exempla adducta ex creatis, & ex Deo. Non quidem primum, quia in creatis antecedenter ad relationem, vere potentia generativa diſtincta eſt realiter à genito, & ſic non indiget compleri, vel connotarè relationem ad eius actum ſubſecutam; vnde ſalvatur completa ſine tali connotatione. Neque exemplum de Deo Patre iuvat, nam ibi potentia generativa connotat Paterni-

ratem, quia per illam fit principium diſtinctum à Filio: cæterum, vt dixi, voluntas diuina connotat Paternitatem, & filiationem vt modificatur per relationem Spiratoris; quia in ſola Paternitate, & filiatione non habetur principium per ſe diſtinctum à Spiritu Sancto.

348 Tertio arguitur. Aliæ tres relationes diuinæ ſubſiſtentes ſunt ſubſiſtentia relatiua: ergo, & relatio Spiratoris ſubſiſtens erit ſubſiſtentia de linea relatiua. Prob. Conſ. ideo aliæ ſubſiſtunt ſubſiſtentia relatiua, quia non intelliguntur aduenire huic Deo, tanquam formæ ſubiectis ſuis inhærentes; ſed etiam relatio Spiratoris non intelligitur aduenire huic Deo, tanquam forma ſubiecto, cui inhæreat: ergo etiam erit in ſe ipſa vt quod ſubſiſtens.

Secundo prob. vrgentius illa Conſeq. relatio Spiratoris debet gaudere omni perfectione de ſua linea; alias eſſet imperfecta: ergo debet gaudere ſubſiſtentia relatiua. Prob. Conſ. ſubſiſtentia relatiua poſſibilis eſt, & de facto conuenit alijs relationibus diuinis: ergo, ſi relatio Spiratoris non habet ſubſiſtere relatiue, erit incompleta, & imperfecta: ſiquidẽ deficiet illi aliquid, quod eſt debitum lineæ relatiuæ. Tertio prob. eadem Conſ. nam ſi relatio Spiratoris de propria linea relationis tantum eſt id quo, & non id quod: ergo multiplicabitur iuxta multiplicationem perſonarum Patris, & Filij. Prob. Conſ. nam id, quod obtinet rationem vt quo tantum, neceſſum eſt multiplicari ad multiplicationem ſuppoſitorũ quod; ergo ſi relatio Spiratoris tantum habet eſſe id *quo* de linea relatiua, multiplicabitur iuxta multiplicationem perſonarum Patris, & Filij.

Nec valet dicere, quod ad hoc, vt non multiplicetur, ſufficit, quod ſubſiſtat ſubſiſtentia abſoluta, & non requiritur relatiua; ob quam rationem natura diuina, eſto in Patre, & in Filio ſit, non tamen multiplicatur, quia ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta. Non inquam valet, quia natura diuina nõ ideo non multiplicatur, quia ſubſiſtat ſubſiſtentia abſoluta, ſed quia forma abſoluta eſt: vnde illi, qui non agnoſcunt ſubſiſtentiã abſolutam, ſed tantum relatiuam, adhuc non multiplicant naturam diuinam iuxta multiplicationem ſuppoſitorum: ergo cum relatio ſpiratoris quid abſolutum nullatenus ſit, ſed relatiuum capax multiplicationis, ſi tantum eſt id quo, in linea relatiua, multiplicabitur ad multiplicationem perſonarum Patris, & Filij.

Ad hoc argumentum nego Conſeq. ad prob. nego Mai. vt enim relatio Spiratoris non adueniat Patri, & Filio vt forma inhærens, non requiritur, quod ſubſiſtat vt quod relatiue; ſed ſufficit, quod ſubſiſtat vt quod abſolute: cumque relatio Spiratoris, eſto non ſit ſubſiſtens vt quod relatiue, eſt tamẽ ſubſiſtẽs vt quod abſolute; non aduenit Patri, & Filio, vt forma inhærẽs ſubiecto, ſed vt ſubſiſtens commune vtrique ſuppoſito.

Ad ſecundã, prob. diſt. Ant. omni perfectione de ſua linea conueniente illi, quatenus relatio eſt, conc. Ant. quatenus prima relatio eſt, nego Ant. & Conſ. ad probationem nego Conſ. alijs enim relationibus diuinis conuenit ſubſiſtere vt quod relatiue, quia vnaquæque illarum prima eſt in ſuppoſito, & ſic oportet, quod per illã ſuppoſitum fiat; relatio autem ſpiratoris non eſt relatio, quæ primo cõuenit Patri, & Filio, & ſic non oportet, quod faciat ſuppoſitum notionale; cum illud præſupponat: vnde neque oportet, quod relatiue ſubſiſtat, nec per hoc defraudatur aliquo ſibi debito; quia non eſt debitum, quia relatio, ſed quia prima relatio in ſuppoſito, in quo eſt. Ad tertiam prob. bene ibi dicitur, ad replicam dico, quod licet relatio ſpiratoris forma abſoluta non ſit; non tamen habet multiplicari ad multiplicationem Patris, & Filij; quia in diuinis ſolum ea multiplicantur, inter quę realis oppoſitio relatiua inuenitur: cumque inter ſpiratoris relationem, quæ eſt in Patre, & relationem ſpiratoris quæ eſt in Filio, relatiua oppoſitio nõ inueniatur, non ſequitur, quod relatio Spiratoris multiplicetur ad multiplicationem Patris, & Filij.

§. XVI.

Vtrùm Spiritus Sanctus ad ſui productionem per ſe exigat Perſonam Patris, & Perſonam Filij.

349 PLACET in limine huius quæſiti aduertere, quod ad alicuius productionẽ dupliciter requiri poſſunt plures perſonæ: primo, ita vt hæc pluralitas perſonarum tantum exigatur ex parte virtutis productiuæ, nõ vero ex parte rei productæ, quomodo ad productionẽ formicæ, v.g. concurrant tres diuinæ perſonæ, non quia formica exigat ad ſui productionem trium perſonarum concurſum; eſſet

let enim eadem formica, ſi à Deo tantum ao produceretur, ſed eo, quia virtus proictiva formicæ talis conditionis eſt, quod on poteſt non eſſe in tribus perſonis, nec oteſt vna ex illis ad extra operari, quin ſimul omnes tres operentur: cum enim operi ad extra ſit eſſentiale, & abſolutũ attrimũ, non poteſt nõ convenire tribus perſos. Secundo, contingit ad aliquam produionẽ requiri pluralitatẽ perſonarũ ex parrei productę, hoc eſt, quia talis conditios, & qualitatis eſt, quod niſi à pluribus proiceretur eiuſdẽ qualitatis, & conditionis erit; quo modo amor amicitiæ exigit ocedere à pluribus ſuppoſitis, quia talis ialitatis, & conditionis eſt, quod ſit mus amor ex reciproco duorũ amore orinatus, quod ſi non procedat à duobus rebit amor, ſed non amicitia.

Quæſitum ergo noſtrum non procedit exigentia ſe tenente ex parte virtutis ſpitivæ, hæc enim, cum nullã habeat oppoionem cum Patre, & Filio, non poteſt nõ nvenire illi, & cum in ſpirando etiam nõ beant oppoſitionem, non poteſt intelli quod Pater ſpiret; & Filius non ſpiret; procedit quæſitũ ex parte Spiritus San; vtrum videlicet talis qualitatis, vel cõtionis ſit, quod niſi à Patre; & Filio ocedat, Spiritus Sanctus eſſentialiter non aneat. In quo puncto elucidando Scotus primo diſt. 12. quæſt. 1. Gabriel ibim, & Durandus diſtinctione 11. quæſt. & alij horum aſſeclæ partem tenent nétivam aſſerentem ad productionem Spius Sancti non per ſe, ſed per accidens Pas, & Filij perſonas requiri; quia licet de to, quia proceſsio Spiritus Sancti priorie originis ſupponit proceſsionem Verbi Patre, & Spiritus Sanctus procedat à Pa, & Filio, tamen ſi per impoſsibile Verbũ Patre non procederet, idem Spiritus Sans procederet à Patre, cũ eadem omnino oprietate perſonali, quã de facto habet. ppoſitã autẽ ſententiã tenent communi Theologi, præcipue Diſcipuli D. Th.

350 Sit concluſio. Spiritus Sanctus ex proprietatis perſonalis, quam de facto bet, per ſe exigit procedere a Patre, & lio. Pro intelligentia noto, quod poſſuus loqui de Spiritu Sancto, vel prout tanm dicit divinum impulſum, qui terminus oductus per amorẽ divinum eſt, vel ſendũ ea omnia, quæ habet ex vi ſuæ proietatis perſonalis vt nunc eſt: ſi loquaur de Spiritu Sancto primo modo, ſic nulli eſt dubium, quod per ſe non exigat ad ſui productionem pluralitatem perſonarũ: procedit ergo concluſio noſtra loquendo de Spiritu Sancto ſecundo modo. Et prob. Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis, exigit procedere vt perfectiſsimus amor: ergo exigit procedere ex amorẽ amicitiæ: ergo exigit procedere à Patre, & Filio. Ant. negari non valet. Prima Conſ. etiã patet, nam perfectiſsimus amor, amor amicitiæ eſt. Et 2 Conſeq. ex eo conſtat, quod amicitia eſt mutuus amor, quo ſe diligunt ad invicem Pater, & Filius. Quæ ratio videtur eſſe D. Thom. quæſt. ſequenti, art. 3. ibi: *Spiritus Sanctus dicitur eſſe nexus Patris, & Filij, in quantum eſt amor, quia cum Pater amet vnica dilectione ſe, & Filium, & è converſo, importatur in Spiritu Sancto, prout eſt Amor, habitudo Patris ad Filium, & è converſo, vt amantis ad amatum; ſed ex hoc quod Pater, & Filius ſe mutuo amant, oportet, quod mutuus Amor, qui eſt Spiritus Sanctus, ab vtroque procedat.*

Reſp. Pater Suarez, de facto ita eſſe; quod Spiritus S. eſt mutuus Amor, & Amor amicitiæ, & quia talis eſt, ab vtraque perſona, nẽpe Pater, & Filio procedit: cęterũ eſſe Amorem amicitiæ, & eſſe mutuum Amorẽ, non convenire illi ex vi proprietatis perſonalis; dato enim, quod Pater, & Filius mutuo nõ ſe diligerent; eſſet eadẽ proprietas Spiritus Sancti, quæ modo eſt: & nihilominus non eſſet mutuus amor, neque amicitia. Sed cõtra eſt. Nã Spiritui S. ex vi proprietatis perſonalis cõvenit ratio perfectiſsimi amoris; ſed hæc eſt ratio amoris amicitiæ: ergo ex vi proprietatis perſonalis cõvenit illi ratio amoris amicitiæ. Prob. Min. ratio perfectiſſimi amoris illa eſt, quæ per differẽtias eſſentiales amoris cõtracta eſt ad perfectiſſimã differẽtiã amoris; ſed perfectiſsima differẽtia in genere amoris cõtrahens amorẽ per intranea eſt ratio amicitiæ: ergo.

Reſp. Suarez, quod licet in creatis amor amicitiæ ſit perfectiſsimus præ omni alio amore; tamen in Deo, vbi omnia divina eiuſdem omnino indiviſibilis perfectionis ſunt, non eſt dicendum, amorem mutuum, vel amicitiæ eſſe maioris perfectionis, quã eſſet amor benevolentiæ in caſu, quo Pater ſe ipſum, & Filium diligeret, & Filius non diligeret Patrem. Quod roborare tentat Suarez ex eo, quod amor divinus non accipit perfectionem ex hoc, quod ab vno principio notionali ſit, vel a duobus, ſiquidẽ duæ perſonæ diligunt per eundem

S omn

omnino amorem abſolute, & eſſentialiter eodem modo, quo vna tantum diligeret; cum eadem omnino virtus, & eadem omnino actio, quæ de facto in duobus eſt, eſſet in vno tantum.

Sed contra eſt, nam eſto in divinis vna perfectio realiter formaliter non ſit maior altera; tamen virtualiter, & per noſtros cōceptus negare non poſſumus, quod vna non excedat alteram: quis enim negare valet, quod intellectus divinus virtualiter non excedat in perfectione divinam voluntatem? & quis neget, quod gradus intellectivus virtualiter non excedat gradum vitæ: & gradus vitæ gradum ſubſtantiæ? Si enim formaliter, & virtualiter eiuſdem omnino perfectionis eſſent, non eſſet ratio, cur potius in gradu intellectivo, quam in gradu vitæ rationem differentialiter conſtitutivam Deitatis ſtatueremus: cum ergo ex terminis amor amicitiæ intra ſphæram amoris perfectior ſit omni alia ſpecie amoris, debemus ponere, quod etiam in Deo ſaltim virtualiter, perfectior ſit amor amicitiæ, quam amor benevolentiæ; ſed Spiritus Sanctus debet eſſe perfectiſsimus Amor tam formaliter, quam virtualiter, non minus ac Verbum divinum eſt perfectiſsimum Verbum tam formaliter, quam virtualiter: igitur debemus dicere, quod ex vi ſuæ proprietatis perſonalis exigat rationē amoris amicitiæ.

Sed demus ſolutioni, quod amor amicitiæ virtualiter non ſit maioris perfectionis, quam amor benevolentię: adhuc ſic argumentor. Negari non poteſt, quod amor amicitiæ ſit perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo amor perfectiſsimus neceſſario requirit ad cumulum ſuæ perfectionis, eſſe amorem amicitiæ; non enim eſt perfectiſsimus amor, cui deeſt aliqua amoris perfectio: ergo, cum Spiritus Sanctus ſit perfectiſsimus amor, ex vi proprietatis perſonalis exiget eſſe amorē amicitiæ. Neque eſt alicuius roboris id, quod dicit Suarez, videlicet, quod amor nullā accipit perfectionē ex eo, quod ſit ab vna perſona, vel à duabus; quia notionalia nō addunt perfectionē ſuper eſſentialia, & abſoluta. Quod ſic oſtendo. Nam licet notionalia non addant perfectionē ſuper eſſentialia, & abſoluta; tamen abſoluta aliquam perfectionē abſolutam habent in notionalibus, quam non haberent, ſi in notionalibus non eſſent; etenim Paternitas nihil perfectionis addit ad Deum; cæterum ſi Deus non eſſet Pater, non eſſet fœcundus ad generandum Filium, ſimiliter ſi amor non eſſet mutuus inter duas perſonas, non produceretur Spiritus Sanctus, qui ex proprietate perſonali petit eſſe perfectiſsimus Amor.

Secundo prob. Concluſio. Nam Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis habet diſtingui realiter à Patre, & Filio: ergo ex vi proprietatis ſuæ perſonalis habet procedere à Patre, & Filio. Prob. Cōſeq. nam in divinis non eſt intelligibilis diſtinctio realis inter perſonas, niſi vna intelligatur procedere ab alia. Scio Scotū negare Conſ. quia exiſtimat Spiritū S. diſtingui à Patre, & Filio non ex eo præciſſe, quod procedat à Filio, & Patre; ſed ex eo, quod diſparate comparatur ad illos. Sed hæc ſolutio ſatis impugnata manet ex his, quæ diximus ſupra in deciſione illius quæſtionis, vtrum ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, realiter diſtingueretur ab illo.

§. XVII.
Solvuntur Argumenta.

351 CONTRA Concluſionē arguitur primo. Ad productionem alicuius effectus per ſe requiritur virtus perfecte ſufficiens ad illum: quod autē dicta virtus ſit in hoc, vel in illo ſuppoſito, in vno, vel in pluribus per accidens ſe habet ad effectus productionē: ergo ad productionem Spiritus Sancti per ſe conducet virtus perfecte ſpirativa illius; quod hæc autem ſit in hoc, vel illo, in vno, vel in pluribus ſuppoſitis, per accidens ſe habebit ad Spiritus Sancti productionem. Prob. Antec. actus, qui producūtur ab humanitate Chriſti Domini, quæ exiſtit in ſuppoſito increato, eiuſdem rationis ſunt in eſſe phyſico, cum actionibus procedentibus ab humanitate exiſtente in ſuppoſito creato, quia virtus per ſe productiva eorū eiuſdem omnino rationis eſt in vtroque ſuppoſito: ergo. Præterea. Effectus, qui producuntur à Deo exiſtēte in tribus perſonis, eiuſdē omnino rationis ſunt, cū effectibus, qui producuntur à Deo, ſi in vno tantū ſuppoſito exiſteret, ſicut ponunt Iudæi: ergo dum ſalvatur virtus perfecte productiva alicuius effectus, per accidens ſe habet ad illius productionem, quod ſit in vno, vel in pluribus ſuppoſitis talis virtus.

Confirm. hoc. Vel virtus ſpirativa exiſtens in ſolo Patre perfecte producit Spiritū Sanctum, vel non: ſi dicatur primum: ergo

non

non requiritur ad perfectam productionem Spiritus Sancti, quod ſit in ſuppoſito Filij; ſi dicatur ſecundum: ergo producit imperfecte, quod non videtur poſſe dici.

Ad hoc argumentum diſt. Ant. quando effectus ad ſui productionē nō exigit procedere à virtute prout in pluribus, conc. Antec. quando exigit ex peculiari ſui conditione procedere à virtute productiva, prout in pluribus, nego Antec. & Conſeq. quia Spiritus Sanctus ex quo capite eſt impulſus amicabilis, quo nectuntur inter ſe mutuo Pater, & Filius exigit procedere à virtute ſpirativa, vt à pluribus ſuppoſitis poſſeſſa.

Inſtabis. Amor creatus in nulla ſui ſpecie petit procedere à pluribus: ergo neque Amor divinus hæc petet. Patet Conſ. Quia dum ex creaturis non habemus exemplū, ſive fundamento ſic loquimur de Spiritu Sancto. Confirmatur hoc. Procedere à duobus ſuppoſitis, ſi per ſe conveniat Spiritui Sancto; non debet illi convenire, ex quo capite divinus Amor eſt, ſed debet illi convenire ex aliqua ratione differentiali amoris, quæ reperitur in amoribus creatis, ſed in nullo amore creato hoc invenitur, vt patet diſcurrenti: igitur nequit Spiritui Sancto convenire ex vi ſuę proprietatis notionalis. Prob. Mai. etenim, quia Verbo divino ex vi proprietatis perſonalis convenit procedere vt ſimilis in natura dicentis, hoc non habet illi convenire, quia divinum, ſed ex ratione differentiali Verbi, quæ reperitur in verbis creatis; vt in Verbo Angelico, quo ſe ipſum cognoſcit Angelus: igitur ſi procedere à pluribus convenit Spiritui Sancto ex vi proprietatis ſuæ, hoc debet illi convenire, non quia divinus amor, ſed ex aliqua ratione, quæ ſaltim communis analoga ſit ad creaturas.

Ad hoc diſt. Antec. loquendo de amore adæquate ſumpto, nego Antec. loquendo de amore inadæquate ſumpto, conc. Antec. & nego Conſeq. ad prob. nego non eſſe exemplum in creatis. Etenim licet non inveniatur in illis, quod aliquis indiviſibilis impulſus exigat eſſe à duobus ſuppoſitis, quia hoc eſt impoſsibile, dum implicat, quod plura ſuppoſita creata agant per eandem virtutem, & per eandem indiviſibilem actionem, & ſic implicat, quod producant eundem indiviſilem impulſum; tamen non reperitur in creaturis amicitia, quæ inter plures perſonas non ſit, & quæ eſſe inter plures non requirat: vnde ſi charitatem, qua Deum diligimus, Theologi appellant amicitiam, loquuntur de amicitia inadæquate, non vero adæquate ſumpta, hæc enim requirit præter charitatem, qua Deum diligimus, alium amorē, quo Deus nos diligat. Ad confirm. inſtantiæ nego Min. amicitia enim creata non eſt, vbi amor mutuus non eſt.

Ad confirm. argumenti principalis dico, Patrem perfectiſsime ſpirare Spiritum Sanctum, quantum ad rationem impulſus, ſed non quantum ad rationem impulſus adæquate amicabilis, hæc enim eſſentialiter exigit procedere ab amore mutuo Patris, & Filij.

Inſtabis: ergo Spiritus Sanctus prout intelligitur eſſe à ſolo Patre, non intelligitur eſſe ita perfectus amor, ſicut intelligitur eſſe perfectus, dum intelligitur procedere à Patre, & Filio; Conſeq. non eſt admitendum: ergo. Prob. ſequela. Spiritus Sanctus vt amor amicitiæ, aliquam perfectionem explicat, quam non dicit, vt eſt amor ſolus benevolentiæ; ſed prout intelligitur tantum eſſe à Patre, tantū intelligitur vt amor benevolentiæ, non vero vt amor amicitiæ: igitur prout intelligitur eſſe à ſolo Patre, non intelligitur ita perfectus, ſicut intelligitur eſſe perfectus, dum intelligitur eſſe à Patre, & Filio.

Ad hoc diſt. Conſ. non intelligitur eſſe ita perfectus amor, entitative, nego Conſ. explicative, cōc. Conſ. Itaque, ipſammet perfectionē entitative capit amor à ſolo Patre, quam capit à Patre, & Filio: ſed nō ipſam explicative, quia dum illamet perfectio intelligitur eſſe à Patre, & Filio, explicat ſe ipſam vt adæquate amicabilē, & vt tantū intelligitur eſſe à Patre, explicat ſe vt inadęquate amicabilē: ſicut ipſamet perfectio naturæ divinæ entitative eſt in Patre, & in Filio, cum hoc diſcrimine, quod in Patre explicat perfectionē fœcunditatis ad generādum, quā non explicat in Filio: non quia ſit aliqua perfectio in Patre, quæ non ſit in Filio, ſed quia in Patre habet conditionem requiſitam ad explicandā fœcunditatē ad generandum, quam non habet in Filio.

Sed 2. reſp. ad Confir. principalis argumenti; Patrē perfectiſsime producere Spiritū S. ſi per ly *perfectiſsime producere*, detur intelligi, quod Pater habet in ſe omnia illa, quæ per modū perfectionis requirūtur ad productionis Spiritus Sancti; non autē perfectiſsime producere, ſi in ly *perfectiſsime*

Digitized by Google

clauduntur omnia ea, quæ requiruntur ad productionem Spiritus Sancti, ſive per modum perfectionis, ſive per modum connotati notionalis; nam iſto modo requiruntur duæ perſonæ, quas non claudit ſolus Pater: ad quẽ ſenſum ſupra dixit D.Thom. hanc eſſe falſam., *Pater eſt vnum principium Spiritus Sancti*, quia in vno principio Spiritus Sancti clauduntur duo ſuppoſita, nempe Pater, & Filius.

Sed inſtabis contra hanc doctrinam. Vere affirmamus, in Patre eſſe potentiam ſpirativam Spiritus Sancti: ergo debemus conſequenter affirmare, eſſe in ipſo omnia requiſita ad ſpirandum, ſive deſiderentur per modum perfectionis, ſive per modum conditionis, quæ perfectio non ſit. Prob. Conſeq. eſto Filius habeat in ſe omnia requiſita ad generandum de linea perfectionis; non tamen dicimus gaudere potentia generativa, quia deeſt illi relatio Paternitatis, quæ nõ per modũ perfectionis, ſed ſolum per modũ cõditionis requiritur ad generandũ ergo ſi affirmamus Patrẽ gaudere potentia ſpirativa Spiritus Sancti, debemus conſequẽter affirmare, in Patre ad eſſe omnia requiſita ad ſpirandum Spiritũ Sanctũ, ſive perfectiones ſint, ſive non.

Ad hoc diſt. Conſ. debemus affirmare, in Patre eſſe omnia requiſita ad ſpirandũ, adæquate amicabiliter, nego Conſ. ad ſpirandũ, inadæquate amicabiliter, conc. Cõſ. ad prob. conc. Ant. diſt. Conſeq. debemus affirmare, in Patre eſſe omnia requiſita ad ſpirandum, iuxta qualitatem ſpirationis, quæ convenit Patri, conc. Conſ iuxta qualitatem ſpirationis, per quam per ſe petit procedere Spiritus Sãctus, nego Conſ. Hoc enim inter eſt diſcrimen inter potẽtiã generativã, & ſpirativam, quod tantũ datur vnus modus generandi, qui requirit de linea perfectionis potentiam intellectivam, & de linea nõ perfectionis Paternitatem: cumque Filio nõ adſit Paternitas, eſto adſit intellectus, Filius nõ dicitur habere potentiã generativã; ſpirativa autẽ potentia poteſt eſſe principiũ amoris mutui, & amoris nõ mutui, & vtroq; modo ſemper eſt potentia ſpirativa; ad primũ requirit voluntatẽ de linea perfectionis, & de linea non perfectionis Patrẽ, & Filium, & illo modo non dicitur, quod Pater gaudeat potentia ſpirativa; ad ſecundũ ſufficit voluntas de linea perfectionis, & relatio Patris, vel Filij de linea connotati notionalis, & ſic cum in Patre voluntas habet connotatum Paternitatis, vere dicitur in Patre eſſe potentiam ſpirativam.

352 Secundo arguitur. Si Spiritus Sanctus per ſe exigeret produci à Patre, & Filio, ſequeretur Patrem ſe ſolo eſſe principium partiale Spiritus Sancti, & idem dico de Filio; Conſ. nõ videtur poſſe admitti: ergo. Prob. ſequela, quando aliquis effectus ſic per ſe exigit produci à duobus cauſis, quod à neutra illarum diviſive produci valeat: tunc reducitur in illas tanquã in cauſas partiales; ſed hoc ipſo, quod Spiritus Sanctus per ſe exigat produci à Patre, & Filio, à neutro illorũ diviſive produceretur: igitur reducetur in Patrem, & Filium tanquam in principia partialia.

Ad hoc nego ſequelam. Ad prob. diſt. Mai. ſi prædictæ cauſæ agant per eãdẽ virtutẽ, & influunt per eandẽ indiviſibilem actionem, nego ſequelam; ſi agant per diſtinctas virtutes, & actiones, conc. ſequelam Mai. & diſt. Min. à neutra illarũ diviſive produceretur, ex defectũ virtutis, vel actionis, nego Min. ex defectu conditionis ad operandũ, conc. Min. & nego Conſ. Itaq; principiũ partiale illud dicitur, quando non gaudet adæquata virtute, in qua effectus adæquate continetur: ſicut pondus vt octo, ſi portetur à duobus portantibus vt quatuor, reducitur ad portantes tanquã ad cauſas partiales portationis; quia in neutro portante vt quatuor adeſt virtus portativa vt octo: verum ſi per impoſsibile vtrumq; portaret per virtutẽ vt octo, quæ eſſet omnino eadẽ in illis; non eſſent cauſæ partiales portationis ponderis vt octo; cumque Pater agat ipſiſsima virtute indiviſibili, & eadem actione, qua Filius, non ſequitur, quod poſsit dici principium partiale Spiritus Sancti.

Inſtabis: eſto virtus ſpirativa eadem ſit in Patre, & in Filio, & eadem ſit actio in vtroque, tamen prout tantum in Patre non eſt adæquatum principium Spiritus Sancti; ergo prout in illo erit inadæquatum principium illius. Patet Conſ. nam inter principium adæquatũ; & inadæquatum alicuius effectus non datur medium. Ad hoc diſt. Antec. non eſt adæquatum principium, ex defectu virtutis adæquatæ nego Antec. ex defectu ſolius conditionis ad ſpirandum, conc. Antec. & diſt. Conſeq. inadæquatum principium, id eſt inadæquata conditio ad producendum Spiritum Sanctum, conc. Conſeq. inadæquatum principium, id eſt inadæquata virtus ad producendum, nego Conſeq.

Ter-

Digitized by Google

353 Tertio arguitur. Si ſpirare Spiri- o Sanctum, per ſe exigeret pluralitatem poſitorum, tunc Pater haberet à Filio, od ſpiraret; hoc autem nequit admitti, as ſicut dicitur, quod Pater per Filiũ ipſ- Spiritum Sanctum, ita diceretur, quod ius per Patrem ſpiraret Spiritum San- m, quod negat D. Thom. vt ſupra vidi- s: ergo. Prob. ſequela. Pater non ſpira- Spiritum Sanctum, niſi ſimul ſpiraret ius; ergo haberet à Filio, quod ſpiraret. nfirm. cauſa coadiuvans ad operandum illa, quæ & ſi non det virtutem ad ope- dum eſt illa, quæ & ſi non det virtutem operandum alteri concauſæ; tamen al- a nequit effectum producere, niſi ſimul eratur, & iſta; ſed ſi Spiritus Sanctus per exigeret procedere à Patre, & Filio, & ſi ius non daret Patri virtutem ad ſpiran- n, tamen Pater non ſpiraret, niſi ſpiraret ius: ergo Filius eſſet cauſa coadiuvans rem ad ſpirandum: ergo Pater haberet à lo aliquomodo, quod ſpiraret Spiritum ctum.

Ad hoc nego ſequelam, nam eſto non et Pater, niſi Filius ſpiret, tamen Filiũ are Spiritum Sanctum eſſet à Patre, & ſic non ſequitur, quod Pater habeat à Fi- , quod ſpiret; eſt exemplum; eſto Deus n operetur intellectionẽ meam niſi me elligente, non ſequitur, quod Deũ ope- i meam intellectionẽ à me habeat; quia tus, & operatio, per quam ego intelligo, Deo ſunt: ſic ergo eſto Pater non ſpiret niſi Filius ſpiret; quia tamen hoc, quod eſt, lium ſpirare habeat à Patre ei commu- catum per generationem, non ſequitur, od Pater habeat ſpirare à Filio.

Ad confirm. nego Mai. ad rationem im cauſæ coadiuvantis requiritur, vltra enumerata, quod non accipiat virtutẽ operandum ab altera concauſa: Filius au- n eſto non det virtutem Patri ad ſpiran- m, accipit tamen virtutem ad ſpirandũ, ò, & ipſam ſpirationem à Patre: & ſic li- Pater non ſpiret, niſi ſpiret Filius, non uitur, quod Filius ſit principium coad- vans Patrem ad ſpirandum.

354 Quarto arguitur. Si Spiritus nctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis r ſe exigeret procedere à Patre, & Filio, queretur quod ſi non procederet à Filio, n eſſet idem Spiritus Sanctus, qui modo; Conſeq. eſt falſum: ergo. Mai. eſt evi- ns, nam ſi Spiritus Sanctus non haberet am proprietatem perſonalem, quam de facto habet, nõ eſſet idem Spiritus Sanctus; ſed dato, quod per ſe exigeret eſſe à duo- bus, ſi tantum ab vno procederet, non habe- re eandem proprietatẽ perſonalem, quam de facto habet: ergo non eſſet idem Spiritus Sanctus: Min. vero prob. nam ſi non rema- neret idem, inutilis redderetur quæſtio à Theologis excitata, in qua inquiritur: *Vtrũ ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio diſtin- gueretur ab illo*; quod ſic oſtendo, nam vti- litas illius quæſtionis in eo conſiſtit, quod ex reſolutione illius cognoſcatur per quid Spiritus Sanctus conſtituitur, & diſtinguitur à Filio de facto: hæc autem vtilitas non conſequitur, ſi ſupponamus habere in illa hypotheſi diſtinctam proprietatem perſo- nalem Spiritum Sanctum ab ea, quam de facto habet, dum à Patre, & Filio procedit, diſtincta enim proprietas perſonalis diſtin- ctum requirit conſtitutivum: ergo ſi non remaneret idem Spiritus Sanctus in caſu, quo à Filio non procederet, inutilis redde- retur prædicta quæſtio.

Ad hoc argumentum nego Min. ad prob. nego Antec. ad prob. dico, quod vti- litas illius quæſtionis ſiſtit in eo, quod ex eius reſolutione cognoſcamus, vtrũ in di- vinis ſit tantum diſtinctio realis perſonarũ inter ſe, per hoc quod vna ſit, à qua alia, & alia ſit, quæ ab alia procedit: ſive autem Spiritus Sanctus in caſu, quo non procede- ret à Filio eſſet diſtinctæ proprietatis per- ſonalis ab eâ, quam modo habet, ſive euſ- dem: ſemper reſtaret videndum, per quid diſtingueretur realiter Filius à Spiritu San- cto: aſſerente Scoto, tunc diſtingui ſolum diſparata oppoſitione, quæ tunc adeſſet in- ter Filium, & Spiritum Sanctum: & Tho- miſtis aſſerentibus, non diſtingui realiter, quia tunc Filius non eſſet is, à quo Spiri- tus Sanctus procederet, neque Spiritus Sanctus is, qui procederet à Filio.

(?)

claudantur omnia ea, quæ requiruntur ad productionem Spiritus Sancti, ſive per modum perfectionis, ſive per modum connotati notionalis; nam iſto modo requiruntur duæ perſonæ, quas non claudit ſolus Pater: ad quē ſenſum ſupra dixit D.Thom. hanc eſſe falſam., *Pater eſt unum principium Spiritus Sancti*, quia in vno principio Spiritus Sancti clauduntur duo ſuppoſita, nempe Pater, & Filius.

Sed inſtabis contra hanc doctrinam. Vere affirmamus, in Patre eſſe potentiam ſpirativam Spiritus Sancti: ergo debemus conſequenter affirmare, eſſe in ipſo omnia requiſita ad ſpirandum, ſive deſiderentur per modum perfectionis, ſive per modum conditionis, quæ perfectio non ſit. Prob. Conſeq. eſto Filius habeat in ſe omnia requiſita ad generandum de linea perfectionis; non tamen dicimus gaudere potentia generativa, quia deeſt illi relatio Paternitatis, quæ nō per modū perfectionis, ſed ſolum per modū cōditionis requiritur ad generandū: ergo ſi affirmamus Patrē gaudere potentia ſpirativa Spiritus Sancti, debemus conſequēter affirmare, in Patre adeſſe omnia requiſita ad ſpirandum Spiritū Sanctū, ſive perfectiones ſint, ſive non.

Ad hoc diſt. Conſ. debemus affirmare, in Patre eſſe omnia requiſita ad ſpirandū, adæquate amicabiliter, nego Conſ. ad ſpirandū, inadæquate amicabiliter, conc. Cōſ. ad prob. conc. Ant. diſt. Conſeq. debemus affirmare, in Patre eſſe omnia requiſita ad ſpirandum, iuxta qualitatem ſpirationis, quæ convenit Patri, conc. Conſ. iuxta qualitatem ſpirationis, per quam per ſe petit procedere Spiritus Sāctus, nego Conſ. Hoc enim inter eſt diſcrimen inter potentiā generativā, & ſpirativam, quod tantū datur vnus modus generandi, qui requirit de linea perfectionis potentiam intellectivam, & de linea nō perfectionis Paternitatem: cumque Filio nō adſit Paternitas, eſto adſit intellectus, Filius nō dicitur habere potentiā generativā; ſpirativa autē potentia poteſt eſſe principiū amoris mutui, & amoris nō mutui, & vtroq; modo ſemper eſt potentia ſpirativa; ad primū requirit voluntatē de linea perfectionis, & de linea non perfectionis Patrē, & Filium, & iſto modo non dicitur, quod Pater gaudeat potentia ſpirativa; ad ſecundū ſufficit voluntas de linea perfectionis, & relatio Patris, vel Filij de linea connotati notionalis, & ſic cum in Patre voluntas habeat connotatum Paternitatis, vere dicitur in Patre eſſe potentiam ſpirativam.

352 Secundo arguitur. Si Spiritus Sanctus per ſe exigeret produci à Patre, & Filio, ſequeretur Patrem ſe ſolo eſſe principium partiale Spiritus Sancti, & idem dico de Filio; Conſ. nō videtur poſſe admitti: ergo. Prob. ſequela, quando aliquis effectus ſic per ſe exigit produci à duobus cauſis, quod à neutra illarum diviſive produci valeat: tunc reducitur in illas tanquā in cauſas partiales; ſed hoc ipſo, quod Spiritus Sanctus per ſe exigat produci à Patre, & Filio, à neutro illorū diviſive produceretur: igitur reducetur in Patrem, & Filium tanquam in principia partialia.

Ad hoc nego ſequelam. Ad prob. diſt. Mai. ſi prædictæ cauſæ agant per eandē virtutē, & influunt per eandē indiviſibilem actionem, nego ſequelam; ſi agant per diſtinctas virtutes, & actiones, conc. ſequelam Mai. & diſt. Min. à neutra illarū diviſive produceretur, ex defectu virtutis, vel actionis, nego Min. ex defectu conditionis ad operandū, conc. Min. & nego Conſ. Itaq; principiū partiale illud dicitur, quando non gaudet adæquata virtute, in qua effectus adæquate continetur: ſicut pondus vt octo, ſi portetur à duobus portantibus vt quatuor, reducitur ad portantes tanquā ad cauſas partiales portationis; quia in neutro portante vt quatuor adeſt virtus portativa vt octo: verum ſi per impoſsibile vtrumq; portaret per virtutē vt octo, quæ eſſet omnino eadē in illis; non eſſent cauſæ partiales portationis ponderis vt octo; cumque Pater agat ipſiſsima virtute indiviſibili, & eadem actione, qua Filius, non ſequitur, quod poſsit dici principium partiale Spiritus Sancti.

Inſtabis: eſto virtus ſpirativa eadem ſit in Patre, & in Filio, & eadem ſit actio in vtroque, tamen prout tantum in Patre non eſt adæquatum principium Spiritus Sancti; ergo prout in illo erit inadæquatum principium illius. Patet Conſ. nam inter principium adæquatū, & inadæquatum alicuius effectus non datur medium. Ad hoc diſt. Antec. non eſt adæquatum principium, ex defectu virtutis adæquatæ nego Antec. ex defectu ſolius conditionis ad ſpirandum, conc. Antec. & diſt. Conſeq. inadæquatum principium, id eſt inadæquata conditio ad producendum Spiritum Sanctum, conc. Conſeq. inadæquatum principium, id eſt inadæquata virtus ad producendum, nego Conſeq.

Ter-

Digitized by Google

353 Tertio arguitur. Si ſpirare Spiritum Sanctum, per ſe exigeret pluralitatem ſuppoſitorum, tunc Pater haberet à Filio, quod ſpiraret; hoc autem nequit admitti, alias ſicut dicitur, quod Pater per Filiũ ſpirat Spiritum Sanctum, ita diceretur, quod Filius per Patrem ſpiraret Spiritum Sanctum, quod negat D. Thom. vt ſupra vidimus: ergo. Prob. ſequela. Pater non ſpiraret Spiritum Sanctum, niſi ſimul ſpiraret Filius; ergo haberet à Filio, quod ſpiraret. Confirm. cauſa coadiuvans ad operandum eſt illa, quæ & ſi non det virtutem ad operandum eſt illa, quæ & ſi non det virtutem ad operandum alteri concauſæ; tamen altera nequit effectum producere, niſi ſimul operatur, & iſta; ſed ſi Spiritus Sanctus per ſe exigeret procedere à Patre, & Filio, & ſi Filius non daret Patri virtutem ad ſpirandum, tamen Pater non ſpiraret, niſi ſpiraret Filius: ergo Filius eſſet cauſa coadiuvans Patrem ad ſpirandum: ergo Pater haberet à Filio aliquomodo, quod ſpiraret Spiritum Sanctum.

Ad hoc nego ſequelam, nam eſto non ſpiret Pater, niſi Filius ſpiret, tamen Filiũ ſpirare Spiritum Sanctum eſſet à Patre, & & ſic non ſequitur, quod Pater habeat à Filio, quod ſpiret; eſt exemplum; eſto Deus non operetur intellectionẽ meam niſi me intelligente, non ſequitur, quod Deũ operari meam intellectionẽ à me habeat; quia virtus, & operatio, per quam ego intelligo, à Deo ſunt; ſic ergo eſto Pater non ſpiret niſi Filius ſpiret; quia tamen hoc, quod eſt Filium ſpirare habeat à Patre ei communicatum per generationem, non ſequitur, quod Pater habeat ſpirare à Filio.

Ad confirm. nego Mai. ad rationem enim cauſæ coadiuvantis requiritur vltra illa enumerata, quod non accipiat virtutẽ ad operandum ab altera concauſa: Filius autem eſto non det virtutem Patri ad ſpirandum, accipit tamen virtutem ad ſpirandũ, imò, & ipſam ſpirationem à Patre: & ſic licet Pater non ſpiret, niſi ſpiret Filius, non ſequitur, quod Filius ſit principium coadiuvans Patrem ad ſpirandum.

354 Quarto arguitur. Si Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis per ſe exigeret procedere à Patre, & Filio, ſequeretur quod ſi non procederet à Filio, non eſſet idem Spiritus Sanctus, qui modo eſt; Conſeq. eſt falſum: ergo. Mai. eſt evidens, nam ſi Spiritus Sanctus non haberet illam proprietatem perſonalem, quam de facto habet, nõ eſſet idem Spiritus Sanctus; ſed dato, quod per ſe exigeret eſſe à duobus, ſi tantum ab vno procederet, non habere eandem proprietatẽ perſonalem, quam de facto habet: ergo non eſſet idem Spiritus Sanctus: Min. vero prob. nam ſi non remaneret idem, inutilis redderetur quæſtio à Theologis excitata, in qua inquiritur: *Vtrũ ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio diſtingueretur ab illo*; quod ſic oſtendo; nam vtilitas illius quæſtionis in eo conſiſtit, quod ex reſolutione illius cognoſcatur per quid Spiritus Sanctus conſtituitur, & diſtinguitur à Filio de facto: hæc autem vtilitas non conſequitur, ſi ſupponamus habere in illa hypotheſi diſtinctam proprietatem perſonalem Spiritum Sanctum ab ea, quam de facto habet, dum à Patre, & Filio procedit, diſtincta enim proprietas perſonalis diſtinctum requirit conſtitutivum: ergo ſi non remaneret idem Spiritus Sanctus in caſu, quo à Filio non procederet, inutilis redderetur prædicta quæſtio.

Ad hoc argumentum nego Min. ad prob. nego Antec. ad prob. dico, quod vtilitas illius quæſtionis ſiſtit in eo, quod ex eius reſolutione cognoſcamus, vtrũ in divinis ſit tantum diſtinctio realis perſonarũ inter ſe, per hoc quod vna ſit, à qua alia, & alia ſit, quæ ab alia procedit: ſive autem Spiritus Sanctus in caſu, quo non procederet à Filio eſſet diſtinctæ proprietatis perſonalis ab ea, quam modo habet, ſive eiuſdem: ſemper reſtaret videndum, per quid diſtingueretur realiter Filius à Spiritu Sancto: aſſerente Scoto, tunc diſtingui ſolum diſparata oppoſitione, quæ tunc adeſſet inter Filium, & Spiritum Sanctum: & Thomiſtis aſſerentibus, non diſtingui realiter, quia tunc Filius non eſſet is, à quo Spiritus Sanctus procederet, neque Spiritus Sanctus is, qui procederet à Filio.

(?)

Digitized by Google

QVÆSTIO XIV.

De nomine Spiritus Sancti, quod eſt Amor.

§. I.

Vtrùm Amor ſit proprium nomen Spiritus Sancti?

355 DISTINGVIT D.Thom.hic, q. 37. inter ſignificata huius nominis *Amor. Poteſt enim*, inquit, *ſumi eſſentialiter, & perſonaliter*: Et præſuppoſita diſtinctione, dicit *Si ſumatur perſonaliter eſt propriũ nomen Spiritus Sancti, eo prorſus modo, quo Verbũ eſt propriũ nomen Filij.* In probatione huius veritatis prænotat, quod, *vt ex ſuperioribus conſtat, in diuinis ſunt duæ proceſſiones, altera per modũ intellectus, quæ eſt proceſſio Verbi; altera per modũ voluntatis, quæ eſt proceſſio Amoris: quia autẽ prima proceſſio eſt magis nobis nota, ideo ad ſignificandũ illã ſunt magis propria nomina, & vocabula adinventa, quæ ad ſignificandũ eam, quæ ſpectant ad ſecundã proceſſionẽ: vnde ad eã ſignificandã neceſſariũ eſt nobis, vti quibuſdã circũloquutionibus. Ex quo fit, quod nomina, quibus ſignificamus relationes ſpectãtes ad iſtam proceſſionẽ magis ſunt nomina originis, quam ſignificent relationem procedentem.*

Hanc doctrinã reducit D.Th. ad praxim, dicens: *Sicut enim ex hoc, quod aliquis rem intelligit, provenit quædã intellectualis cõceptio rei intellectæ in intelligẽte, quæ dicitur Verbũ; ita ex hoc, quod aliquis rem aliquã amat, provenit quædam impreſſio rei amatæ in effectu amantis, ſecundũ quam amatum dicitur eſſe in amante; ſicut & intellectũ in intelligente: ita quod, cũ aliquis ſe ipſum intelligit, & amat eſt in ſe ipſo non ſolũ per identitatẽ rei, ſed etiã, vt intellectũ in intelligente, & amatũ in amãte. Sed hoc eſt diſcrimen quod ex parte intellectus ſunt vocabula inventa ad ſignificandũ reſpectũ intelligentis ad rem intellectã, vt patet in hoc quod dico intelligere, & ſunt vocabula inventa ad ſignificandũ proceſſum intellectualis cõceptionis, ſcilicet dicere, & terminũ proceſſionis, ſcilicet Verbũ. Vnde in divinis, intelligere ſolũ dicitur eſſentialiter, quia non importat habitudinẽ ad verbũ procedens; ſed Verbũ perſonaliter dicitur; quia ſignificat id, quod procedit: ipſum vero dicere notionaliter dicitur; quia importat habitudinem Principij Verbi ad ipſum Verbum. Ex parte vero voluntatis præter diligere, & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non ſunt aliqua vocabula impoſita ad ſignificandum habitudinem impreſſionis, vel affectionis rei amatæ, quæ provenit in amante, ex hoc, quod amat ad ſuũ principiũ: & ideo propter vocabulorũ inopiã, huiuſmodi habitudines ſignificamus vocabulis amoris, & dilectionis; ſicut ſi Verbũ ipſum nominaremus intelligentiã conceptã, vel ſapiẽtiã genitã: ſic igitur* (concludit S.Doct.) *in quãtũ in amore non importatur, niſi habitudo amãtis ad rẽ amatã; amor, & diligere eſſentialiter dicitur: ſicut intelligẽtia, & intelligere. In quãtũ vero his vocabulis vtimur ad exprimendã habitudinẽ eius rei, quæ procedit per modum amoris ad ſuũ principiũ, & è cõverſo, ſic Amor eſt nomen perſonæ; & diligere, vel amare eſt verbum notionale: ſicut dicere, & generare.* Sic D.Thom. & nos cum ipſo.

Sed oportet hic advertere cum Domino Caietano, quod hæc diſtinctio amoris in eſſentialẽ, & perſonalẽ non eſt diſtinctio rei, ſed vocis in ſuas ſignificationes; tota enim ratio diſtinctionis eſt accomodatio huius vocis, *Amor* ad ſignificandũ aliud, quod nõ eſt amor, ſed terminus amoris: ſicut ſi nomen *Notitia* accomodaretur ad ſignificãdũ Verbũ; vnde non ſunt duo amores in divinis, alter eſſentialis, & alter perſonalis; ſed ly *Amor* propter penuriã vocabulorũ quãdoq; ſignificat divinũ amorẽ, qui procul dubio eſſentiale quoddam eſt; quandoque vero tertiam perſonam procedentem per modum voluntatis, & per modum amoris.

§. II.

Vtrùm Pater & Filius diligant ſe Spiritu Sancto.

356 DIFFICVLTATEM Attulit antiquis Scholaſticis hæc propoſitio, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*; quia videtur hablativus ille, *Spiritu Sancto*, conſtrui ſecundũ habitudinẽ alicuius cauſæ; & ſic denotari in dicta propoſitione, quod Spiritus S. ſit principiũ diligendi, & Patri, & Filio, quod eſt omnino impoſsibile. Et ideo quidã dixerunt hanc propoſitionẽ eſſe falſam: *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu S.* & fuiſſe retractatã ab Auguſtino lib. 1. Retract. c. 26. tom. 1. in ſuo tamẽ ſimili cũ enim ibi retractat hanc *Pater eſt ſapiens ſapientia genita*, videtur quoque, retractare iſtam, ob eandem rationẽ, quæ militat in vtraque. Alij dixerunt, quod eſt propoſitio impropria; & ſic exponenda;

Pater diligit Filium Spiritu Sancto, id eſt, amore eſſentiali, qui attribuitur Spiritui Sancto. Alij dixerunt, quod ablativus ille, *Spiritu Sancto*, conſtruitur in habitudine ſigni: vt ſit ſenſus; Spiritus Sanctus eſt ſignũ, quod Pater diligat Filium, in quantum Spiritus Sanctus procedit ab eis vt Amor. Alij vero dixerunt, quod ablativus ille conſtruitur in genere cauſæ formalis: quia Spiritus Sanctus eſt Amor, quo formaliter Pater, & Filius ſe invicem diligunt. Alij dixerunt, quod ablativus ille conſtruitur in habitudine effectus formalis, cui ſententiæ adhæret D.Thomas hic quæſt.37.art.2.

357 His temporibus propoſitio præfata communiter recipitur à Theologis vt vera cum D.Thom. qui illam defendit hic. Eſt tamen lis inter Scholaſticos circa aſſignandam rationem propter quam vera ſit. Pater Vazquez relicta ratione D. Thom. quã infra dabimus, vt ſuam rationẽ explicet, prænotat, quod ſunt duo genera actionũ ſive in genere, ſive in ſpecie; quædam ſignificãtur ſub reſpectu ſolũ ad terminũ, quem producunt vt generare, ſpirare, producere, & efficere: aliç verò ſignificãtur cum duplici ordine, altero ad terminum productum, altero ad rem aliam; non quidem productam per illas, ſed aut per modum obiecti, aut per modum ſubiecti ſe habentis ad illas. Harum quædam ſunt tranſeuntes, vt calefactio tranſmutatio, quædã immanentes, & vitales operationes, vt dictio, dilectio, intellectio. In actionibus primi generis inquit Vazquez, non fit denominatio à termino producto in caſu ablativo; & ideo non dicimus, Pater generat Filio ſe, aut aliquid aliud, nec ſpirat Spiritu Sancto. Rationẽ huius aſsignat, nã ſi in his operationibus fieret denominatio huiuſmodi, neceſſe erat eas ſignificari ſub ordine ad aliquid aliud, quã ad terminũ; cũ enim dicimus, Pater generat Filio; ſenſus eſt, Pater generat Filio ſe, aut aliquid aliud à ſe. Quod ſi iſtæ operationes nihil aliud præter terminum ſuum, quem efficiunt reſpiciunt, non poteſt operans in caſu ablativo à termino producto denominari; cum nihil ſuperſit quod operans operatione illa reſpiciat. Contrà vero res ſe habet in operationibus ſecundi generis; cum alter reſpectus ſignificatur, vel ad ſubiectum, vel ad obiectum, cum quibus verbum has actiones ſignificans conſtruitur in caſu accuſandi, optime fieri poteſt denominatio a termino producto in caſu ablativo; atque idcirco recte dicimus ignis calefacit calore, non tantum calore, quẽ in ſe habet, ſed etiam eo, quem in ſubiecto producit: dicimus etiam dealbari parietem albedine in ipſa producta. Hæ namque actiones non ſolum ſignificantur ſub reſpectu ad terminum productum, ſed etiam ſub reſpectu ad ſubiectum, in quod inducunt terminum productũ veluti formam illius. Idem etiam contingit in actionibus, quæ ſignificãtur in ordine ad obiectum: qua de cauſa dicimus, Pater intelligit, vel dicit Verbo ſuo; quia intellectio Patris, quæ notionalis eſt, præter reſpectum ad Verbum ſignificatur cum ordine etiã ad obiecta dicta, ſive intellecta. Hinc ergo patet, concludit, quare iſta ſit vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, & hęc falſa; *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: licet enim per vtramque propoſitionẽ eadem actio notionalis productiva ſignificetur, tamen in prima ſignificatur non ſolũ vt dicens ordinem ad terminum productũ, ſed vt dicens ordinem ad obiecta dilecta; in ſecunda autẽ ſignificatur cũ ſolo ordine ad terminum productum. Sic Vazquez.

358 Magiſter Albelda hic, vt rem explicet, etiam diſtinguit duplex genus actionum, aliæ enim (inquit) ſunt actiones inter quas, & vltimũ earũ terminũ mediat effectus productus per illas, vt calefacere, & dealbare, inter quas actiones, & lignũ calefaciendũ, vel murũ dealbandũ mediat calor, qui producitur per calefactionẽ, & albedo, quæ producitur per ipſam dealbationẽ: aliæ ſunt actiones inter quas, & vltimũ terminũ, ad quem dicunt habitudinẽ, nihil mediat productũ per illas vt ſpirare, & generare: actionis enim ſpirativç vltimus terminus eſt res ſpirata, inter quã, & ſpirationẽ nihil mediat; terminus vltimus generationis eſt genitũ, inter quod, & generationẽ nihil mediat. Loquendo ergo de primis actionibus poteſt operans dici tale, nõ ſolũ ab actione, ſed etiã ab effectu procedẽte per illã; & ſic dicimus ignẽ calefacere ipſo calore, quẽ producit in ligno, & dealbare murũ ipſa albedine producta per dealbationẽ: nõ vero loquẽdo de ſecũdis actionibus. Et ratio ea eſt, nã denominatio operãtis nõ ceſſat quouſq; perveniatur ad vltimũ terminũ; ad vltimum autẽ terminũ non pervenitur niſi mediantibus intermedijs: non enim calefaciens pervenit ad calefaciendum lignum niſi media cauſalitate formali, quam exercet calor productus in ligno, Vnde calefaciens lignum non ſolum

dicitur calefacere calefactione, ſed etiam ipſo ſuo effectu producto. Non ſic in ſecundo genere actionum res habet, nam cum inter vltimum terminum, quem actio reſpicit, & ipſam actionem nihil mediet productum; agens tunc ſola actione, & forma, quam in ſe habet, ad vltimum terminum pervenit, & ſic nequit ab ipſo termino producto à ſe denominari: Vnde tantũ dicetur, quod generans ſua forma, & actione generativa generat, non vero ipſo genito. Et idẽ eſt de iſto termino *ſpirat*. Spirans enim vt ſic, tantum reſpicit ſpiratum, & ad illum ſola forma, & ſpiratione pervenit; non vero ipſo termino producto. Vnde nequit dici, quod Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto, quia terminus adæquatus ſpirationis Patris, & Filij, eſt Spiritus Sãctus; & ſic medio Spiritu Sancto non itur ad aliũ terminum: terminus autem dilectionis eſt amor productus per dilectionem, ſed non eſt vltimus terminus, quem dilectio reſpicit, ſed tantum terminus immediatus, quo itur ad vlteriorem terminum: & ſic poſſumus dicere Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto. Sic Albelda.

359 D. Thom. rationem veritatis illius propoſitionis, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, ex eo aſsignat, *quia contingit* (inquit) *aliquando agens denominari tale non ſolum à ſua actione, ſed etiam à termino, qui eſt effectus actionis. Quando autem hoc accidat* (inquit D. Thom.) *hoc accidere, quãdo ipſe effectus in intellectu actionis includitur; dicimus enim, quod ignis calefacit non ſolum forma ſibi intrinſeca, ſed etiam calefactione, quæ eſt eius effectus: dicimus etiam, quod arbor floret floribus, quamvis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedentes; cum ergo Spiritus S. ſit de intellectu dilectionis notionaliter ſumpta, ſicut Verbũ eſt de intellectu dictionis: ſicut enim eſt vera hæc, Pater dicit ſe Verbo; ita & hæc eſt vera, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Sic Div. Thom. verum hanc rationem impugnavit Scotus in 1. diſt. 32. q. 1. dicens; quod non minus clauditur in concepto ſpirationis Spiritus Sanctus, ac clauditur in conceptu dilectionis; & tamen non dicimus Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto: ergo neque propter hoc dicendum erit, quod Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.

Vt Caietanus hanc inſtantiam diluat, notat, quod effectum eiuſcuius actionis claudi in intellectu eius ſtat dupliciter, vel per modum termini ſpecificantis dictam actionem, & reducentis illam ad ſpeciẽ actionis determinatæ, ſicut de albare claudit albedinem, & calefacere calorem; alio modo contingit effectũ claudi in intellectu actionis vt coniunctum illi actioni, vt productũ ſuæ productioni; ſicut in ly *dico* vocaliter ſumpto clauditur Verbum vocale, eſt enim dicere, proferre Verbum: quando ergo terminus productus clauditur in intellectu actionis vt coniunctus actioni, vt productũ ſuæ productioni; tunc poteſt agens denominari à ſuo effectu in ablativo caſu. Cuius eam aſsignat rationem; quoniam Verba ſic includentia effectus, ſi conſtruantur tranſitive cum aliquo, non dicunt ad illum habitudinem producentis ad productum; vt videre licet cum ſortes dicit Hiſtoriam Troyæ: dicere illud ſolũ importat habitudinẽ producentis ad productum reſpectu verborum vocaliũ, quibus narratur Hiſtoria; non vero reſpectu rerum geſtarum, quæ exprimuntur per voces.

His ergo prænotatis reſpondet Caietanus ad obiectionẽ, quod effectus harum actionum ſpirare, ædificare, generare tantum clauduntur in his actionibus, prout ſic ſignificantur, tanquã termini ſpecificantes dictas actiones; nõ vero vt coniuncti ſuis productionibus; & ſic non ſequitur, quod ſi hæc non eſt vera, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*; quod hæc etiam non ſit vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*. Sic Dominus Caietanus. Sed vellem ſcire, quid eſt ſignificare effectum vt coniunctum actioni, vt productum productioni; & cur ex hoc ſequitur, quod actio quæ ſignificat effectum vt coniunctum ſuæ productioni, ſi conſtruatur tranſitive in ordine ad aliud, non explicet habitudinem producentis ad productum in ordine ad illud.

Ad primum quæſitum dico, illã actionem ſignificare ſuum effectum vt ſibi coniunctum, vt productum productioni, quando in ſignificatione verbi per quod ſignificatur actio clauditur etiam ipſe effectus vt productus per actionem. V. g. verbum *dico* quod ſignificat actionẽ, qua quis loquitur; non ſolũ actionẽ talẽ ſignificat, ſed etiã ipſum Verbũ vt productũ per actionẽ: vnde idem quod ſignificatur per has voces *profero Verbum*, hoc tantũ dicit illa ſola vox *dico*. Ex hoc evidenter colligitur reſponſio ad ſecundũ quæſitũ; ſi enim effectus talis actionis tantũ ſignificatur intrãſitive per ipſummet verbum, per quod actio ſignificatur: igitur, cum dictum verbum conſtruitur

cum

Digitized by Google

tum aliquo alio tranſitive in caſu accuſandi, non habebit in ordine ad illum importare habitudinem producentis ad productum.

§. III.

Defenditur hic modus dicendi.

360 ESTO Omnes alij modi dicendi relati veri, & ingenioſi ſint; iſte tamen magis placet. Tum quia D.Tho.eſt. Tum propter ſubtilitatem Caietani in explicatione D.Th. Tum etiã, quia magis radicitus veritatem illius propoſitionis, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, declarat, verbum enim *diligo* in ſuo intellectu claudit amorem, quem producit; & ſic dum conſtruitur tranſitive cum illo accuſativo *ſe* non importat habitudinem ad illum producentis ad productum, ſed diligentis ad rem dilectam: ſicut in hac, *Pater dicit ſe Verbo* non importat ly *dicit* ad accuſativum habitudinem producentis ad productum, ſed tantum habitudinem dicentis ad rem dictã verbo, id eſt expreſſatam per verbum. Hinc clarum apparet diſcrimẽ inter hæc ſpirare, generare, producere amorem, & diligere, vel dicere, quod verbum *ſpirare* tantum ſignificat ipſam actionem, quæ eſt ſpirare; verbum generare tantum ſignificat ipſam actionem, quæ eſt generatio: vnde quando conſtruuntur cum accuſativis tranſitive ſemper important habitudinem producentis ad rem productam; vnde cum dico, *Petrus generat ſe*, eſt falſa, cum dico *Petrus ſpirat ſe* eſt falſa, cum dico, *Petrus producit ſe* eſt falſa; quia in omnibus his verbum ſignificans dictas actiones importat ad accuſativum, cum quo conſtruitur, habitudinem producentis ad productũ: quæ ex oppoſito non contingunt in his *Petrus diligit ſe*, *Petrus dicit ſe*, quia in his nõ explicatur ex parte verbi habitudo producentis ad productum. Apparet etiam quam ad rem D.Tho. adduxerit exemplum floritionis arboris: dicimus enim, quod *arbor eſt florens floribus*; quia verbum *florere* non ſolum ſignificat ipſam actionem emiſſionis florum: ſed etiam ſignificat ipſas flores vt effectus coniunctos productioni; vnde cum dico, *arbor floret floribus*, non explico aliquam activitatem, quam arbor exerceat in ſe ipſam: & ſic propoſitio eſt vera.

361 Sed contra dicta aliqua militant argumenta. Primum eſt. Dilectio notionaliter ſumpta idem prorſus ſignificat, quod ſpiratio; ſed hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: ergo & hæc erit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*. Confirm. verbum *diligo* notionaliter ſumptum tantum ſignificat productionem Amoris; cum ergo tantum producatur Amor, qui Spiritus Sanctus eſt: non videtur eſſe verum, quod loquendo de Amore notionaliter ſumpto, dicta propoſitio vera ſit. Confir. ſecundo, iuxta doctrinam D. Th. ſupra quæſt. 27. productio verbi formaliter eſt intelligere, & productio amoris formaliter eſt diligere; neque enim diſtinguimus duas actiones, vt Scotus vult, quarum altera ſit mera productio, & altera ſit pura intellectio, vel pura volitio: ergo ſpirare Spiritum Sanctum, per quod denotatur productio Spiritus Sancti, formaliter eſt diligere, hoc eſt, diligendo producere. Tunc ſic, & tamen hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: ergo & hæc erit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

Ad hoc argumentum diſt. Mai. idem ſignificant ex parte rei ſignificatæ tranſ. Mai. formaliter ſumptæ nego Mai. & cõc. Min. nego Conſ. Itaque, licet hoc, quod eſt producere amorem, fiat per dilectionem; tamen ſpiratio nõn eſt impoſita ad ſignificandam ipſam productionem amoris prout formaliter fit per dilectionem; ſed tantum eſt impoſita ad ſignificandum ipſam dilectionem ſub ſolo munere productionis: & ſic per Verbum *ſpirat* tantum importatur habitudo producentis ad productum; vnde illa eſt falſa: dilectio autem notionaliter ſumpta ſignificat productionem amoris, prout fit media dilectione rei dilectæ, & ſic licet in ordine ad amorem ſervet habitudinem producentis ad productum: in ordine tamen ad rem dilectam tantum dicit habitudinem actionis ad ſuum obiectum, & ſic illa eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

Ad primam Confir. dico quod Verbũ *diligo* notionaliter ſumptum ſignificat productionem amoris, prout formaliter fit per dilectionem obiecti dilecti; & ſic non ſignificat ipſum ſolum munus productionis: vnde Confirmatio nihil probat. Ad ſecundam dico, quod licet ita ſit, quod in doctrina D. Tho. non diſtinguantur duo actus, quorum alter ſit volitio, & alter ſit productio impulſus; tamen in eodem actu diſtinguimus duo munia, alterum volendi, & alterum producendi; ſpiratio ergo impoſita

ta eſt ad ſignificandum hoc tantum munus dilectionis, quod eſt producere, & ſic tantum importat habitudinem producentis ad rem productam; nomine autem dilectionis vtrumque munus ſignificatur: & ſic non præciſſe habetur per illum habitudo producentis ad rem productam, ſed etiam habitudo volentis ad volitum; vnde non ſequitur quod ſi hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: etiam hæc ſit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.*

362 Secundo arguitur contra noſtram doctrinam. Si hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, ſequeretur prius eſſe prioritate originis Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, quam Patrem, & Filium ſe diligere; Conſ. nequit admitti: ergo. Prob. Sequela. Patrem, & Filiũ diligere ſe Spiritu Sancto denotat Spiritum Sanctum eſſe veluti formam mediam inter dilectionem, & rem dilectam: ergo denotat formam ad quam pervenit diligens per productionem prius origine eſſe, quã quod media illa producta perveniat ad rem dilectam: ergo ſi hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*; Spiritus Sanctus prioritate originis prius intelligetur habere eſſe, quam Pater, & Filius diligant ſe.

Ad hoc argumentum loquendo de amore notionali, qui completur per impulſum productum, non habeo pro inconvenienti dicere, quod dilectio notionalis prius ſe exerceat ſub munere productionis, quam ſub munere volitionis ad rem dilectam; & ſic non habeo pro inconvenienti dicere prius prioritate tantum originis Spiritum Sanctum produci, quam notionaliter ſe diligant Pater, & Filius.

Et ſi inſtes Spiritus Sanctus eſt Amor adæquate amicabilis: ergo petit procedere ex amore, quo ſe diligunt Pater, & Filius: ergo prioritate originis præcedit dilectio etiam notionalis proceſsionẽ Spiritus Sancti. Ad hoc diſt. primum Conſ. ex amore, id eſt, per amorem, quo ſe diligunt Pater, & Filius conc. Conſ. ſi ly *ex* denotet prioritatem nego Conſ. & nego aliam, quæ ſub infertur. Itaque ad hoc, quod Spiritus Sanctus ſit Amor amicabilis non requiritur, quod præſupponat amorem mutuum vt notionalem; nam prout ſic primo ſe explicat in productionem impulſus, & deinde medio impulſu notionaliter pervenit ad rem dilectã. Dixi notionaliter, quia ſi fiat ſermo de amore vt eſſentiali, ſic certum eſt, Patrẽ, & Filiũ mutuo ſe diligere eſſentiali amore, & eſſe prius origine, quã proceſsio Spiritus Sancti.

363 Tertio arguitur. Hæc propoſitio eſt falſa, *Pater eſt ſapiens Sapientia genita*: ergo, & hæc eſt falſa, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto*. Prob. Conſ. ideo prima eſt falſa, quia in illa datur intelligi, quod Sapientia Patris aliquomodo principietur à Sapientia Filij, quæ eſt Sapientia genita; ſed etiam in ſecunda datur intelligi, quod dilectio Patris erga ſe aliquomodo principietur à Spiritu Sancto: ergo ſicut prima eſt falſa, etiam ſecunda erit falſa. Prob. Min. nam non videtur poſſe aſsignari diſcrimen inter hoc, quod in prima denotetur Sapiẽtiam Patris principiari à Sapientia Filij, & quod in ſecunda dilectio Patris erga ſe nõ principietur à Spiritu Sancto. Communiter reſpondetur ad hoc, negando Conſ. & aſsignando diſcrimen inter vnam, & aliam propoſitionem: in prima enim propoſitione fit ſenſus iſte, nempe, Patrem in ſeipſo eſſe ſapientem Sapientia genita, hoc eſt, Filio, quod falſiſsimum eſt; ſiquidem Pater ex ſua eſſentia, & ſuis attributis habet eſſe ſapientem, non autẽ à Filio: vnde dicta propoſitio eſt falſa, quia aſsignatur in ea pro cauſa formali id, quod cauſa formalis non eſt; in ſecunda autem propoſitione cum ex parte Patris ponatur actus, quo producitur Spiritus Sanctus, non denotatur prædictam dilectionem principiari à Spiritu Sãcto, ſed potius denotatur Spiritum Sanctũ eſſe terminum primo productum, vt illo Pater in ſeipſo à ſe diligatur.

Inſtas ex hac doctrina ſequi hanc deberi concedi, *Pater ſapit ſapientia genita*; Cõſ. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela. In hac propoſitione non denotatur ſapientiam convenire Patri per modum effectus formalis, ſed per modum actus, cuius terminus productus eſt Sapientia genita; ſicut in hac, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto*, nõ denotatur aliquis effectus formalis, ſed actio, qua producitur Spiritus Sanctus: ergo ſi propter hoc, hæc ſecunda eſt vera, ita eſt prima erit admittenda vt vera.

Pro ſolutione huius argumenti Adverto, quod D. Tho. dicit in art. 1. huius quæſtionis 37. ad 1. videlicet, quod hoc Verbum *intelligere* tantum ſumitur eſſentialiter, eo, quod pro notionalibus ſignificandis ſunt alia vocabula impoſita: intelligere autem, & ſapere idem prorſus ſunt. & ſic ſi *intelligere* tantum ſumitur eſſentialiter, *ſapere* tantũ ſumitur eſſentialiter, Quod ex-

Digitized by Google

expreſſe affirmat in art. 2. ſolutione ad 1. his verbis: *Dicendum, quod eſſe ſapientem, vel intelligentem nõ ſumitur niſi eſſentialiter.* Vnde ad argumentum nego Sequelã, ad prob. nego Ant. nam Sapientia genita non producitur per ſapere eſſentiale, ſed per dicere, quod ſignificat, intelligendo Verbum producere, & ſic dicta propoſitio eſt falſa; quia actio eſſentialis ſapientiæ non fit Verbo perſonali, quod datur intelligi in dicta propoſitione. Hinc hæc eſt vera, *Pater dicit ſe Verbo*, ſicut hæc, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto.*

364 In calce huius quæſiti inquires; vtrum hæc ſit vera, *Spiritus Sanctus diligit ſe ſe ipſo, vel Spiritu Sancto?* Et ratio dubitandi ea eſt, quia vel loquimur in dicta propoſitione de dilectione eſſentiali; & ſic propoſitio videtur falſa, quia in illa datur intelligi, quod Spiritus Sanctus diligat ſe Spiritu Sancto producto per dilectionem ſuam, quod falſiſſimum eſt: vel loquimur de dilectione perſonali, & ſic etiam videtur falſa; ſiquidem Spiritus Sanctus non diligit ſe amore notionali, ſed tantum eſſentiali: ergo illa propoſitio in omni ſenſu eſt falſa. Pro parte affirmante quod ſit vera, etiam eſt ratio dubitandi, quia loquendo de dilectione eſſentiali veriſſimũ eſt dicere, quod Spiritus Sanctus ſe ipſo ſe ipſum diligit, ita quod ablativus non denotet principium quo, ſed quod: ergo propoſitio erit vera.

Ad hoc quæſitum reſpondet D. Th. in primo diſt. 32. quæſt. 1. ar. 2. ad 4. ſub diſtinctione de dilectione eſſentialiter ſumpta, & ſic dicit eſſe veram; quia tunc ablativus nõ dicit principium quo, ſed quod, & veriſſimum eſt, quod Spiritus Sanctus ſe ipſo vt principio quod diligit; ſicut enim ſuppoſitum Patris diligit vt quod Spiritum Sanctũ ita Spiritus Sanctus vt quod diligit ſe ipſum & ſic propoſitio eſt vera: loquendo vero de dilectione notionali, propoſitio dicta eſt falſa, quia fit ſenſus; quod Spiritus Sanctus producendo Spiritum Sanctum, ipſo Spiritu Sancto producto ſe ipſum diligat, quod falſiſſimum eſt.

365 Inquires tandem, an hæc debeat admitti; *Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu Sancto?* Et quidem ſi loquamur de dilectione eſſentiali propoſitio eſt falſa, quia amor eſſentialis non fit amore producto, ſed ipſa eſſentia divina; qua ratione negamus hanc loquẽdo de amore eſſentialiter ſumpto, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Si loquamur de amore notionali, etiam videtur falſa, nam dilectio creaturarum ad extra non eſt notionalis, cum conveniat toti Trinitati.

Huic quæſtio affirmative reſpondet D. Thom. hic ar. 2. ad 3. loquendo de diligere ſumpto notionaliter. Et aſſignat rationem, quia ſicut hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, quia diligendo ſe producunt Spiritum Sanctum, qui primario eſt ratio amandi divinam bonitatem; ita hæc alia erit vera, *diligunt creaturas Spiritu Sancto*, quia producunt Spiritum Sanctum, qui ſecundario etiam eſt Amor creaturarum: vnde ſicut hæc eſt vera, *Pater dicit ſe & omnem creaturam Verbo, quod genuit*: ita erit verum dicere, *Pater diligit ſe, & omnem creaturam Amore, quem produxit*. Et ad id, quod dicitur in contra; quod reſpective ad res ad extra non datur in Deo actio notionalis; cũ debeat eſſe omnis actio ad extra communis tribus perſonis. Dico, reſpectu rerum ad extra dari actionem notionalem, non reſpective ad omnes perſonas Trinitatis, ſed ad aliquas. Itaque ipſamet dilectio, qua Pater, & Filius Spiritu Sancto, quem producunt, diligunt creaturas, eſt notionalis reſpective ad Patrem, & Filium; & eſſentialis reſpective ad Spiritum Sanctum, à quo Spiritus Sanctus non procedit: & ſic ſalvatur, quod omnis actio ad extra communis ſit omnibus perſonis, & nihilominus reſpectu aliquorum ſit notionalis; ſicut, & ad intra illa ipſiſſima dilectio, qua Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, eſt qua Spiritus Sanctus diligit ſe, Patrem, & Filium, & nihilominus eſt notionalis reſpective ad Patrem, & Filium, & eſſentialis reſpective ad Spiritum Sanctum.

QVÆSTIO XV.

De nomine Spiritus Sancti quod eſt Donum.

366 DONVM eſſe nomen alicuius divinæ perſonæ probat D. Th. hic quæſt. 38. ar. 1. ex eo, quod nomine Doni importatur aptitudo ad hoc, vt donetur; in hac autem aptitudine duo ſunt, ſcilicet habitudo ad id, à quo datur, & habitudo ad id, cui datur; non enim daretur ab aliquo niſi eſſet eius, & ad hoc alicui datur vt eius ſit: perſona autem divina dicitur eſſe

Digitized by Google

eſſe alicuius, vel ſecundum originem, ſicut Filius eſt Patris, vel in quantum habetur ab aliquo: habere autem dicimus id, quo libere vti, vel frui poſſumus, & per hunc modũ divina perſona haberi poteſt à creatura rationali quæ ſic eſt particeps divini Verbi, & procedentis Amoris, quod poteſt libere Deum velle, & libere Deum verum cognoſcere; ad quod cum non poſsit pervenire propria virtute, oportet, quod detur illi deſuper, & ſic divinæ perſonę proprie competit eſſe Donum: ergo Donum eſt proprium nomen divinæ perſonæ.

Quod hoc Donum, ſecundum quod perſonaliter dicitur, ſit proprium nomen Spiritus Sancti, probat in art. 2. ex eo quod, cum Donum ex Philoſopho ſit datio irredibilis, idem, quod non datur intuitu retributionis importat eſſentialiter gratuitam donationem; ratio autem gratuitæ donationis eſt amor, ideo enim damus gratis aliquid alicui, quia volumus ei bonum: primum ergo, quod ei damus eſt amor, quo volumus ei bonum; vnde manifeſtum eſt, quod amor obtinet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur: cũ ergo Spiritus Sãctus procedat vt Amor, procedit in ratione primi doni, & ſic Donum eſt proprium nomen Spiritus Sancti.

§. I.

Vtrùm ratio doni conveniat Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis?

367 DVO reperiuntur in dono nempe materiale, & formale: materiale eſt illa res, quæ datur, vel eſt dabilis gratioſè, & liberaliter; formale autem eſt ipſa ratio dari gratis, & liberaliter. Ex parte materialis requiruntur duo, nempe, quod ſit alicuius; nihil enim gratioſe, & mere liberaliter dari poteſt niſi ab eo, cuius eſt, & quod ſit donabile alteri, nempe habitudo poſſeſsibilis ab aliquo: ex parte antem formalis requiritur amor; amor enim eſt radix omnis dationis gratioſæ, & liberalis. Si ergo attendamus ad materiale doni, ſic Donum non eſt ita proprium nomen Spiritus Sancti, quod non conveniat etiam Filio divino; ſiquidem Filius eſt res dabilis per gratioſam donationem, iuxta illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filiũ ſuum vnigenitum daret: conveniunt etiam illi omnes conditiones ad rationem doni; eſt enim Patris per originem, & poteſt poſſideri à iuſtis per gratiam, & Charitatem. Difficultas ergo meo videri eſt de ratione formali doni: vtrum hæc conveniat Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis, per quam procedit vt Donum, an illi conveniat ratione eſſentiæ, an ratione proprietatis relativę? Et quidem aliqui ſic opinati ſunt, quod ratio Doni non conveniat Spiritui Sancto ex vi proprietatis relativæ. Pro hac ſententia citari ſolet Caietanus, ſed immerito, vt legenti attentè ipſum ſuper hunc articulum patebit. Cæterum communis Theologorum doctrina tenet rationem Doni convenire Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis.

368 Sit concluſio ratio Doni formaliſsime ſumpta convenit Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis. Prob. concluſio. Primo authoritate Auguſtini 5. de Trin. cap. 11. his verbis. *Sed tamen ille Spiritus Sanctus, qui non Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur in eo, quod proprie dicitur Spiritus Sanctus relative dicitur, cum, & ad Patrem, & ad Filium refertur, quia Spiritus Sanctus, & Patris, & Filij Spiritus eſt; ſed ipſa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem, cũ dicitur Donum Dei; Donum etiam eſt Patris, & Filij.* Quibus habemus Donum Dei explicatius declarare relationem, qua Spiritus Sanctus conſtituitur, quam nomen Spiritus Sanctus, ſed ſi ratio Doni non conveniret Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis, hoc dictum Auguſtini eſſet falſum: ergo. Prob. Min. nam id, quod non convenit perſonæ Spiritus Sancti ex vi proprietatis perſonalis, non poteſt exactius explicare ipſam relationem, qua Spiritus Sanctus conſtituitur, quam nomen inventum, & impoſitum ad ſignificandum illam, qualis eſt nomen *Spiritus Sanctus*; ergo ſi eſſe Donum non conveniret Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis, falſum eſſet dictum Auguſtini.

Prob. ſecundo ex D. Tho. hic art. 2. in corpore ibi: *Ratio autem gratuitæ donationis eſt amor, ideo enim gratis damus alicui aliquid quia volumus ei bonum; vnde manifeſtum eſt, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia gratuita dona donantur: vnde cum Spiritus Sanctus procedat, vt Amor, procedit in ratione Doni primi.* Quibus, & habemus concluſionem, & rationem concluſionis. Primum quidem hoc diſcurſu probo, id, quod convenit Spiritui Sancto ex vi proceſsionis eſt illi conveniens ex vi proprietatis perſonalis; ſed ex D. Tho. Spiritus Sanctus procedit

dit

dit in ratione primi Doni: ergo ratio Doni convenit Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis. Secundum expendam poſtea, cũ probavero ratione concluſionem.

Prob. ſimiliter hoc ipſum ex D.Th. in 1. ad Annibaldum diſt. 18. quæſt. vnica art. 4. ibi: *Dico igitur, quod proceſsio poteſt dicere emanationem Spiritus Sancti, vel relationem, vel proprietatem: ſic Spiritus Sanctus proprietate ſua formaliter loquendo eſt Spiritus Sanctus, & Donum, & Amor; non autem Deus: ſicut nec Filius filiatione eſt Deus formaliter, ſed filiatione eſt Filius, Deitate Deus, & Sapientia ſapiens; ſi dicat emanationem; tunc poteſt dici, quod Spiritus Sanctus ſua proceſsione eſt Donum, eſt Deus: ſicut etiam Filius ſua nativitate eſt Filius, & Deus.* Ex quibus ſic argumentor. Ea, quæ competunt perſonæ ratione relationis vt diſtinctæ à Deitate, abſolute conveniunt illi ex vi proprietatis perſonalis; ſed hæc tria Spiritus Sanctus, Donum, & Amor conveniunt perſonæ Spiritus Sancti ratione relationis perſonalis, vt diſtinctæ à deitate: igitur eſſe Donum formaliter loquendo convenit Spiritui Sancto ratione proprietatis perſonalis.

369 Ratione prob. concluſio. Ratio donabilitatis convenit Spiritui Sancto ratione proprietatis perſonalis: igitur & ratio Doni. Conſ. eſt evidens, & Ant. prob. ratio donabilitatis convenit alijs donis ex ratione amoris: ſed Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis eſt Amor ſubſiſtens: ergo ex vi ſuæ proprietatis perſonalis convenit Spiritui Sancto ratio donabilitatis. Mai. huius ſyllogiſmi eſt D. Thom. hic in corp. illis verbis. *Ratio autem gratuitæ donationis eſt amor; ideo enim damus gratis alicui aliquid; quia volumus ei bonum.* Min. ſic probo Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis ſuæ procedit per amorem Patris, & Filij: ergo id quod primo, & per ſe communicatur Spiritui Sancto eſt amor: ergo procedit primo, & per ſe, & per ſe ſubſiſtens in amore.

Dices hac ratione tantum convinci amorem eſſentialem primo, & per ſe communicari Spiritui Sancto; non vero Filio, quia Filio primo, & per ſe communicatur natura divina: perſonæ autem Spiritus Sancti primo, & per ſe communicatur amor eſſentialis; non autem convinci, ipſam relationem Spiritus Sancti eſſe Amorem, & ſic cum ratio doni formaliter ſit ex amore, non convinci rationem doni eſſe relationem.

Sed contra eſt, nam cum dicimus Spiritum Sanctum ex vi proprietatis relativæ eſſe Amorem, non loquimur de amore, vt quo, ſed de Amore relative ſubſiſtenti, id eſt de primo ſubſiſtenti in Amore, ſicut dicimus tertiam Trinitatis perſonam ex vi proprietatis relativæ eſſe Spiritum Sanctũ, quia eſt talis conditionis, quod illi convenit primo, & per ſe ſubſiſtere in impulſu Sancto, & Filium appellamus Verbum ex vi proprietatis relativæ, quia ex vi illius convenit illi, quod primo, & per ſe communicetur notitia Patris dicentis illud: ergo dum ſolutio data admittit convinci ratione noſtra, quod Spiritui Sancto ex vi proprietatis ſuæ convenit primo, & per ſe ſubſiſtere in amore; tenetur fateri etiam illa convinci, quod Spiritui Sancto ratione ſuæ proprietatis relativæ conveniat eſſe Amorem, hoc eſt, primo ſubſiſtere in Amore.

370 Aliter probat Vazquez noſtram Concluſionem; ſic reducendo ad formam rationem D. Thom. Spiritus Sanctus procedit vt Amor: ergo procedit per dilectionẽ; ſed dilectio eſt donatio: igitur procedit vt Donum. Sed inſtabis contra illam; nam quando Vazquez dicit dilectionem eſſe donationem, vel intelligit dationem actualem, & tunc infertur evidenter Spiritum Sanctum ex vi ſuæ proceſsionis procedere non ſolum vt Donum per modũ actus primi, ſed etiam vt Donum donatũ in actu ſecundo, quod videtur falſum; nam Spiritus Sanctus tantum in tempore actu datur Iuſtis per gratiam, & Charitatem; vel intelligit, quod dilectio ſit donatio, id eſt, forma conſtituens rem in eſſe doni gratuiti; & tunc hæc ratio non ponit in numero cum prima, qua probavimus concluſionem.

Exiſtimaverim cogitaſſe Vazquez Spiritum Sanctum procedere non ſolum vt donabile, ſed vt donatum iuxta dicta Sanctorum, qui diſtinguunt inter Filium & Spiritum Sanctum in eo, quod Filius procedit vt natus, & Spiritus Sanctus vt datus. Et ſi inquiratur, cui ab æterno datur Spiritus Sanctus, cum non ſint iuſti ab æterno, quibus detur? Dicam, dari effective ab æterno, id eſt, quod ſi attendamus ad affectum Patris, & Filij, ab æterno Spiritus Sanctus datur, licet effective, & exequutive tantum detur creaturis rationalibus in tempore.

(.I.)

Sol.

§. II.

Soluuntur Argumenta.

371 PRIMO arguitur contra concluſionem. Spiritus Sanctus non datur creaturis rationalibus ex vi Amoris notionalis, ſed ex vi amoris eſſentialis, qui communis eſt tribus perſonis: igitur rationem Doni non habet ex vi proprietatis perſonalis. Prob. Ant. Spiritus Sanctus datur, dum *Charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, vt inquit Cõcilium; ſed diffuſio Charitatis ad extra convenit tribus perſonis ratione amoris eſſentialis: igitur Spiritus Sanctus non datur creaturis rationalibus ex vi Amoris notionalis, Conſ. autem prima Prob. nam, ex illo amore, ex quo aliqua res datur gratioſe, ex illo conſtituitur in eſſe doni: ergo ſi Spiritus Sanctus datur creaturis ex vi amoris eſſentialis, vere ex illo habebit eſſe Donum, & non ex vi Amoris notionalis.

Ad hoc argumentum nego Ant. ad prob. diſt. Min. convenit tribus perſonis ratione amoris eſſentialis tantum, nego Mi. ratione amoris eſſentialis, & ſimul perſonalis conc. Min. & nego Conſ. Itaque, dum Deus elargitur dona iuſtis, & dat ipſum Spiritum Sanctum, ibi ſunt duo conſideranda; aliud, quod tenet ſe ex parte rationis agendi, quæ communis eſt tribus perſonis, & aliud, quod ſe tenet ex parte termini producti per dilectionem notionalem Patris, & Filij, quod Spiritus Sanctus eſt; ſi attendamus tantum ad primũ, ſic Spiritus Sanctus datur tantum ratione amoris eſſentialis; ſi attendamus ad ſecundum, ſic datur ratione Amoris notionalis, qui ipſe Spiritus Sanctus eſt. Quod voluit Concilium, cũ dixit, *Charitatem diffundi in cordibus noſtris per Spiritũ Sanctum*, quo voluit ſignificare dupliciter Spiritum Sanctum concurrere ad noſtra dona, vel ad dationem ſui ipſius; primo ratione amoris eſſentialis, qui communis eſt tribus perſonis: deinde ſpecialiter, quia hoc eſt illi ſpeciale inter alias perſonas Trinitatis, quod ex vi proprietatis ſuæ habeat eſſe Amorẽ productum. Quod etiam voluit ſignificare Auguſtinus, dum lib. 15. de Trinit. cap. 19. ante medium, tom. 3. dixit: *Per donum, quod Spiritus Sanctus eſt multa propria dona dividuntur membris Chriſti.*

372 Secundo arguitur Spiritus Sanctus non obtinet rationem primi Doni: ergo eſſe Donum non convenit illi ratione ſuæ proprietatis perſonalis. Patet Conſ. nã, eo ipſo, quod primum Donũ non ſit, oportet, quod ratio Doni conveniat illi ex alio, quod primi Doni rationem habeat, & ſic Spiritus Sanctus ratione proprietatis perſonalis non erit Donum, ſed hoc emendicabit ab alio à ſe virtualiter diſtincto, ſicut, & Filius. Ant. vero prob. Spiritus Sanctus datur ratione amoris eſſentialis ſicut, & Filius: ergo amor eſſentialis, cum præcedat notionalem, obtinebit rationem primi Doni: patet Conſ. quia iuxta D. Tho. amor eſt primum donum; primum enim quod damus alicui eſt velle ei bonũ: ergo ſi Spiritus Sanctus datur ratione amoris eſſentialis, amor eſſentialis erit primum Donum.

Ad hoc argumentum reſpondet Vazquez, Spiritum Sanctum non dici primum Donum, quia primo abſolute detur, ſed dici primum Donum, quia ex vi ſuæ originis procedit vt Amor, & Amor habet proprietatem Doni. Patres Salmanticenſes nõ erubeſcunt admittere duo prima dona aliud eſſentiale, aliud notionale: fundãtque ſuam ſententiam in eo, quod D. Tho. in primo ad Annibaldum diſt. 18. ar. 3. ad 4. diſtinguit duos amores, alterum eſſentialem, alterum notionalem, cumque ad multiplicationem amoris ſequatur multiplicatio doni, non erit inconveniens dari duo prima dona, alterum eſſentiale, & alterum notionale.

Sed contra ſolutionem Vazquez, ſic argumentor, nam aliud eſt Spiritum Sanctũ ex ſua proprietate eſſe Donum, & aliud eſt eſſe primum Donum; primum ſolum ponit rationem Doni perſonalis, ſed non rationem primi Doni; hæc enim præter primum requirit, quod ſit id, quod primo datur; cumque hoc non conveniat Spiritui Sancto, vt prætendit argumentum, ſequitur non poſſe appellari primum Donũ. Deinde hæc duo videntur pugnare inter ſe, nempe Spiritum Sanctum ex ſua perſonali proprietate habere, quod ſit Donum, & non eſſe primum datum; etenim dum ſeipſo, & non ab alio participat rationem Doni Spiritus Sanctus, ideo dicitur ex vi proprietatis ſuæ eſſe Donum; ſed hoc pugnat cum eo, quod Spiritus Sanctus ſupponat alium Amorem primo datum: ergo. Prob. Min. nam hoc ipſo quod amor eſſentialis primo datur, hoc ipſo dari convenit Spiritui Sancto ratione amoris eſſentialis: ergo hoc ipſo convenit illi ratio Doni, ratione alicuius virtualiter diſtincti à ſua proprietate, & ſic

ſi Spiritus Sanctus non primò donatur, non erit verum dicere rationem Doni illi convenire ratione ſuæ proprietatis perſonalis.

Placet ſecunda ſolutio ſi rectè intelligatur. Vnde Adverto, quod amor divinus capitur dupliciter, vel per modum rationis agendi, vel per modum termini dilectionis: ſi primo modo capiatur, ſic cum ipſe Spiritus Sanctus, & omnes aliæ perſonæ donabiles donentur ad extra ratione amoris eſſentialis, qui ſolus ratio agendi eſt tribus perſonis; ſic dico, quod amor eſſentialis eſt primum donum: ſi ſecundo modo capiatur; ſic cum perſona Filij detur ratione Spiritus Sancti, ſic loquendo de amore, Spiritus Sanctus eſt primum Donum, quia loquendo de amore per modum termini, ſeipſo Spiritus Sanctus eſt Amor, & Donũ; Filius autem non ſeipſo, ſed Spiritu Sancto habet eſſe Donum: vnde ad argumentum in forma nego Ant. ad prob. diſt. Ant. ſumẽdo amorem per modum termini, & per modum rationis agendi nego Ant. ſumendo amorem tantum per modum rationis agendi conc. Ant. & diſt. Conſ. obtinet rationem primi Doni ſumendo amorem tantum per modum rationis agendi conc. Cõſ. ſumendo illum tam per modum rationis agendi, quam per modũm termini, nego Conſ.

Sed iam inquiris; quid ſit amor per modum rationis agendi, & per modũ termini? Reſpondeo, quod ratio diligendi ſtat dupliciter, vel per modum influentis active in ea, quæ dantur, & hic eſt amor eſſentialis communis tribus perſonis, vel per modum termini producti, qui eſt ratio diligendi; qua ratione dicimus Patrem, & Filium diligere ſe, & creaturas Spiritu Sancto, non minus, ac Pater dicit ſe & creaturas Verbo, quod notionaliter format; & hic eſt Amor notionalis per ſe primo competens Spiritui Sancto, & alijs ratione Spiritus Sancti: vnde ſicut in hoc ordine eſt ſeipſo Amor, ſic eſt, & Donum; & ſicut eſt primus Amor: ita & primum Donum.

373 Tertio arguitur relatio Spiritus Sancti eſt relatio Amoris, qui illi communicatur à Patre, & Filio: ergo non eſt Amor Spiritus Sanctus ex vi proprietatis relativæ: ergo neque eſt Donũ. Prob. Conſ. quia relatio Filiationis eſt relatio Deitatis primo communicatæ Filio, Filius non dicitur Deus eo, quo Filius; dicitur enim Filius tantum ratione relationis, & Deus ratione Deitatis primo acceptæ per modum naturæ: ergo quia relatio Spiritus Sancti eſt relatio Amoris primo communicati Spiritui Sancto, non erit Amor: Ant. autem primum prob. eo prorſus modo communicatur primo, & per ſe natura divina Filio, quo amor eſſentialis communicatur primo, & per ſe Spiritui Sancto; ſed filiatio eſt relatio Deitatis primo communicatæ Filio: ergo, & relatio Spiritus Sancti erit relatio Amoris primo communicati Spiritui Sancto. Confir. & explicatur, eſſentialia, eſto communicentur perſonis, non tamen producũtur; alias daretur diſtinctio realis inter eſſẽtialia divina: ergo cum amor communicatus à Patre, & Filio Spiritui Sancto ſit eſſẽtialis, non producetur in ratione Amoris: ergo nõ dabitur Amor productus, ſic, quod ly *productus* appellet ſupra Amorem, & ſic non dabitur duplex amor, alter eſſentialis communicatus, alter productus; cum ergo productio ſpectet tantum ad relationem, non poterit dici Spiritum Sanctum ex vi proprietatis relativæ eſſe Amorem: ſed dicendum erit, totam rationem Amoris illi convenire ratione prædicati abſoluti, & eſſentialis.

Ad hoc argumentum diſt. Conſ. ergo non eſt Amor eſſentialis conc. Conſ. perſonalis nego Conſ. ad prob. nego cauſalem, non enim ex eo, quod filiatio ſit relatio ſequuta ad naturam acceptam per generationem, ideo Filius non dicitur Deus eo, quo dicitur Filius; ſed quia relatio filiationis ex terminis habet aliud ſignificatum ab eo, quod habetur per naturam acceptam per generationem: vnde in creatis non omne genitum appellatur Filius, ſed tantum genitum rationale; de ratione autem amoris per modum termini eſt; quod vitaliter producatur, & quod realiter procedat ab amante, & ſic vere, & proprie relationi Spiritus Sancti convenit ratio Amoris producti: vnde relatio Amoris non eſt extra eſſentiam amoris, & ſic perſona, quæ per illam conſtituitur vere, & proprie ex vi ſuæ proprietatis perſonalis dicitur Amor; ſicut quia de conceptu Verb. eſt quod producatur à dicente, vere productum a dicente dicitur Verbum: ita quia de conceptu Amoris per modum impreſſionis rei amatæ eſt, quod vitaliter producatur ab amante, relatio, quæ immediate ſubſiſtit in amore vere, & proprie dicitur Amor. Et ſi contrà hoc inferas; igitur ſicut non datur Verbum eſſentiale, & Verbum perſonale, ita non dabitur amor eſſentialis & Amor perſonalis, quod eſt

Digitized by Google

eſt contra dicta. Reſpondeo, quod loquendo de amore per modum impreſsionis vitalis obiecti amati non datur duplex amor, ſed tantum vnus, qui eſt Amor perſonalis; verum, quia ob penuriam nominum actum dilectionis appellamus amorem, & dilectio eſt duplex, altera eſſentialis, quæ non producit terminum, & altera notionalis, quæ illum producit; ideo diſtinximus ſupra duplicem amorem alterum eſſentialem, & alterum notionalem.

Ad Confir. fateor Ant. videlicet, quod prædicata eſſentialia non producantur intranſitive, eſto tranſitive ad relationē producantur. Et ad Conſ. diſt. Conſ. non producitur in ratione amoris, vt amor eſſentialiter dicitur conc. Conſ. non producitur in ratione amoris ſecundum quod *Amor* ſignificat terminum procedentem ab amante. Nego Conſ. Itaque vt dixi, eſt duplex acceptio amoris, altera per modum actus, altera per modum termini, in quo aliqualiter præcontinetur res amata; primo modo loquendo de amore non producitur amor, bene vero ſecundo modo: ſicut notitia eſt duplex altera eſſentialis, & hæc non producitur intranſitive, altera expreſſa, quam ſignificat hoc nomen *Verbum*, & hæc in ſuo conceptu, cum importet expreſsionem, importat productionem; ita eſt duplex amor, alter eſſentialis, alter per modū impreſsionis obiecti manentis in amante; primus non producitur; ſecundus vero producitur.

374 Quarto. Arguitur Spiritus Sanctus vt Donum debet importare habitudinem ad creaturas, quibus donabilis eſt; ſed relatio ad creaturas nequit illi convenire ratione relationis perſonalis: ergo debet illi convenire ratione alicuius prædicati eſſentialis: ergo ratio Doni non convenit illi ratione proprietatis perſonalis. Prob. Min. omnis habitudo Dei ad creaturas debet eſſe communis tribus perſonis: ergo nequit convenire perſonæ ratione proprietatis perſonalis, per quam vna perſona differt ab omnibus alijs.

Ad hoc dico, quod habitudo Dei ad creaturas eſt duplex, altera cauſę ad effectū, & hæc oportet, quod ſit eſſentialis, & conveniens Deo, & perſonis eius ratione alicuius prædicati eſſentialis, altera eſt habitudo alicuius ſpecialis denominationis, per quā aliqua perſona divina ſpecialiter connectitur cum illis, & hæc non oportet, quod illi conveniat ratione alicuius prædicati eſſentialis: etenim habitudo, quam dicit Verbū ad humanitatem per modum terminantis illam, non convenit verbo ratione alicuius prædicati eſſentialis, ſed tantum ratione proprietatis perſonalis; ita in præſenti habitudo, quam dicit Spiritus Sanctus, vt Amor perſonalis, & vt Donum, cum non ſit habitudo cauſæ ad effectum, non eſt neceſſe, quod conveniat Spiritui Sancto ratione prædicati eſſentialis, ſed ſufficit ſi cōveniat illi ratione prædicati perſonalis.

375 In calce quæſiti infero, quod cum hæc tria nomina, Spiritus Sanctus Amor, & Donum ſignificent eandem proprietatem perſonalem, nempe ipſiſsimam relationem, qua tertia perſona refertur ad Patrem, & Filium, non oportet multiplicare notiones iuxta multiplicationem harum trium formalitatum, quia, vt vidimus ſupra, ad multiplicationem notionis eſt neceſſarium, quod multiplicentur proprietates; vnde ſicut Verbum, & Filius non ſunt duæ notiones, quia ſignificant eandem relationem ad Patrē: ita nec Spiritus Sanctus, Amor, & Donum ſunt tres notiones, quia ſignificant eandem relationem tertiæ perſonæ Trinitatis.

QVÆSTIO XVI.

De Perſonis ad eſſentiam Relatis.

POST ea, quæ de Perſonis divinis abſolute tractata ſunt: conſiderandum reſtat de perſonis in comparatione ad eſſentiam, & ad proprietates, & ad actus notionales, & de comparatione ipſarum ad invicem. Poteram hic agere de identitate eſſentiæ divinæ cum perſona, ſed quia de hoc ex profeſſo ad longum egimus ſupra; cum nihil aliud præter ibi dicta dicendum occurrat; abſtinemus ab hoc quæſito. Poteram etiam agere, vtrum tres perſonæ ſint eiuſdem eſſentiæ, vel eſſentia ſit trium perſonarum; ſed quia de hoc clariſsime agit D.Tho. in ar. 2. ideo lectorem ad litteram talis articuli remittimus.

(.:.)

Vtrum

§. I.

Vtrùm nomen ſubſtantivum ad ſui pluralitatem requirat, non ſolum pluralitatem formæ, ſed etiam ſuppoſitorum?

376 ESTO Aliqua ad hunc punctum ſpectantia tetigerimus ſupra, quia tamen de hac materia hic D. Thom. exprofeſſo ſermonem facit, placet exprofeſſo hic hanc quæſtionē exprofeſſo tractare, & reſolvere. Supponit ergo quæſitum nomina ſubſtantiva ſignificantia eſſentialia prædicata Dei tantū ſingulariter dici de tribus perſonis, & hoc ſive in concreto, ſive in abſtracto ſignificent: & hoc ideo, quia cū hæc nomina ſive concreta, ſive abſtracta ſint, ſignificent formam per modum ſubſtantiæ, & ſubſtantia à ſe ipſa habeat eſſe, à ſe ipſa habet pluralitatem; vnde ad ſui pluralitatem neceſſario requirit pluralitatem formæ ſignificatæ per nomen, ita quod, ſi non ſint plures formæ nullo modo nomen ſubſtantive ſignificans pluraliter dici poteſt. Suppoſito ergo, quod ad pluralitatem nominis ſubſtantivi requiratur pluralitas formæ, & non ſufficiat pluralitas ſuppoſitorum, reſtat ſcire: an ſola pluralitas formæ ſufficiat ad pluralitatem nominis ſubſtantivi, ita vt, ſi Verbum duas humanitates aſſumeret, dicendum ſit duo homines? Et quæſtio præſens non procedit de nominibus ſubſtantivis abſtractis: ſicut hoc nomen Deitas, Eſſentia: de his enim certiſsimum eſt ſufficere pluralitatem formæ; quia per talia nomina nihil aliud ſignificatur præter formam ſubſtantialem: & ſic ipſa ſola multiplicata, neceſſum eſt, quod nomen pluralitatem accipiat. Procedit ergo præſens difficultas de concretis, vbi, & habetur forma, & habetur ſuppoſitū, quod eſt habens formam.

In quo puncto elucidando Vazquez hic diſput. 155. cap. 4. tenet ad pluralitatē concreti ſubſtantivi ſufficere pluralitatem formarum, ita vt, ſi aliqua perſona divina duas aſſumeret humanitates, dicenda eſſet duo homines. Citat pro ſe Altiſiodorenſem, Scotum, & Capreolum. Oppoſita tamen ſententia communior eſt. Illam ſequitur nobilior pars Thomiſtarum, & extra Scholam Thomiſticam innumeri alij Ieſuitæ.

377 Sit Concluſio ad pluralitatem nominis ſubſtantivi non ſufficit multiplicatio formæ, ſed requiritur multiplicatio ſuppoſitorum. Concluſio eſt Div. Thom. 3. part. quæſt. 3. artic. 7. ad ſecundum, vbi loquens de caſu, quo vna perſona aſſumeret duas humanitates, ſic habet: *Poſſet videri dicendum, quod prædicta poſitione facta, ſequeretur quod eſſent duo homines propter duas naturas, abſque eo, quod eſſent ibi duo ſuppoſita: Sicut è converſo tres perſonæ dicerentur vnus homo caſu, quo vnam aſſumerent humanitatem: ſed hoc non videtur eſſe verum, quia nominibus vtendum eſt ſecundum quod ſunt ad ſignificandum impoſita; nunquam autem nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur niſi ob pluralitatem ſuppoſitorum, & ideo; ſi perſona divina aſſumeret duas naturas humanas, diceretur vnus homo habens duas naturas humanas.* Quibus noſtram concluſionem expreſsis verbis declaravit.

Prob. ſecundo alia authoritate Div. Thom. quæſt. 36. art. 4 ad 2. ibi: *Dicendum, quod cum dicitur, Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti, deſignatur vna proprietas, quæ eſt forma ſignificata per nomen; nec ſequitur, quod propter plures proprietates poſsit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum.*

Huic authoritati reſpondet Vazquez D. Thom. negaſſe, Patrem eſſe duo principia, quia in illa propoſitione fieret loquutio, quod eſſet duo principia realiter diſtincta; non tamē negare eſſe duo principia ratione diſtincta: eo enim tantum modo, quo proprietates plurificantur, oportet plurificari principia: cumque proprietates Patris, nempe vis generativa, & vis ſpirativa ſola ratione diſtinguantur: hinc fit, quod Pater ſit dicendus duo principia ſecundum rationem; non vero abſolute duo principia, ne detur intelligi, quod eſt duo principia realiter diſtincta.

Sed contra inſto. Tum; quia D. Thom. non negat, Patrem eſſe duo principia, quia dicta propoſitio faciat ſenſum, quod Pater ſit duo principia realiter diſtincta, ſed ex eo, quod in illa loquutione implicatur pluralitas ſuppoſitorum, vt conſtat ex litera: ergo explicatio adducta aperte pugnat cum D. Th. Tum etiā, nam iuxta Vazquez ad multiplicationem ſolius formæ multiplicantur concreta: ergo, quod ſufficit ad multiplicandū abſolute formas, ſufficiet

QVÆSTIO XIV.

De nomine Spiritus Sancti, quod eſt Amor.

§. I.

Vtrùm Amor ſit proprium nomen Spiritus Sancti?

355 DISTINGVIT D.Thom. hic, q. 37. inter ſignificata huius nominis *Amor. Poteſt enim*, inquit, *ſumi eſſentialiter, & perſonaliter*: Et præſuppoſita diſtinctione, dicit *Si ſumatur perſonaliter eſt propriū nomen Spiritus Sancti, eo prorſus modo, quo Verbū eſt propriū nomen Filij*. In probatione huius veritatis prænotat, quod, *vt ex ſuperioribus conſtat, in diuinis ſunt duæ proceſsiones, altera per modū intellectus, quæ eſt proceſſio Verbi; altera per modū voluntatis, quæ eſt proceſſio Amoris: quia autē prima proceſſio eſt magis nobis nota, ideo ad ſignificandū illā ſunt magis propria nomina, & vocabula adinventa, quā ad ſignificandū eam, quæ ſpectant ad ſecundā proceſſionē: vnde ad nominandū ſignificandā neceſſariū eſt nobis, vti quibuſdā circū loquutionibus. Ex quo fit, quod nomina, quibus ſignificamus relationes ſpectātes ad iſtam proceſſionē magis ſunt nomina originis, quam ſignificent relationem procedentem.*

Hanc doctrinā reducit D.Th. ad praxim, dicens: *Sicut enim ex hoc, quod aliquis rem intelligit, provenit quædā intellectualis cōceptio rei intellectæ in intelligēte, quæ dicitur Verbū; ita ex hoc, quod aliquis rem aliquā amat, provenit quædam impreſſio rei amatæ in affectu amantis, ſecundū quam amatum dicitur eſſe in amante; ſicut & intellectū in intelligente: ita quod, cū aliquis ſe ipſum intelligit, & amat eſt in ſe ipſo non ſolū per identitatē rei, ſed etiā, vt intellectū in intelligente, & amatū in amāte. Sed hoc eſt diſcrimen quod ex parte intellectus ſunt vocabula inventa ad ſignificandū reſpectū intelligentis ad rem intellectā, vt patet in hoc quod dico intelligere, & ſunt vocabula inventa ad ſignificandū proceſſum intellectualis cōceptionis, ſcilicet dicere, & terminū proceſsionis, ſcilicet Verbū Vnde in diuinis, intelligere ſolū dicitur eſſentialiter, quia non importat habitudinē ad verbū procedens; ſed Verbū perſonaliter dicitur; quia ſignificat id, quod procedit: ipſum vero dicere notionaliter dicitur; quia importat habitudinem Principij Verbi ad ipſum Verbum. Ex parte vero voluntatis præter diligere, & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non ſunt aliqua vocabula impoſſita ad ſignificandum habitudinem impreſsionis, vel affectionis rei amatæ, quæ provenit in amante, ex hoc, quod amat ad ſuū principiū: & ideo propter vocabulorū inopiā, huiuſmodi habitudines ſignificamus vocabulis amoris, & dilectionis; ſicut ſi Verbū ipſum nominaremus intelligentiā conceptā, vel ſapiētiā genitā: ſic igitur* (concludit S.Doct.) *in quātū in amore non importatur, niſi habitudo amātis ad rē amatā; amor, & diligere eſſentialiter dicitur: ſicut intelligētia, & intelligere. In quātū vero his vocabulis vtimur ad exprimendā habitudinē eius rei, quæ procedit per modum amoris ad ſuū principiū, & è cōverſo, ſic Amor eſt nomen perſonæ; & diligere, vel amare eſt verbum notionale: ſicut dicere, & generare.* Sic D.Thom. & nos cum ipſo.

Sed oportet hic advertere cum Domino Caietano, quod hæc diſtinctio amoris in eſſentialē, & perſonalē non eſt diſtinctio rei, ſed vocis in ſuas ſignificationes; tota enim ratio diſtinctionis eſt accomodatio huius vocis, *Amor* ad ſignificandū aliud, quod nō eſt amor, ſed terminus amoris: ſicut ſi nomen *Notitia* accomodaretur ad ſignificādū Verbū; vnde non ſunt duo amores in diuinis, alter eſſentialis, & alter perſonalis; ſed ly *Amor* propter penuriā vocabulorū quādoque ſignificat divinū amorē, qui procul dubio eſſentiale quoddam eſt; quandoque vero tertiam perſonam procedentem per modum voluntatis, & per modum amoris.

§. II.

Vtrùm Pater & Filius diligant ſe Spiritu Sancto.

356 DIFFICVLTATEM Attulit antiquis Scholaſticis hæc propoſitio, *Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*; quia videtur hablativus ille, *Spiritu Sancto*, conſtrui ſecundū habitudinē alicuius cauſæ; & ſic denotari in dicta propoſitionē, quod Spiritus S. ſit principiū diligendi, & Patri, & Filio, quod eſt omnino impoſsibile. Et ideo quidā dixerunt hanc propoſitionē eſſe falſam: *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu S.* & fuiſſe retractatā ab Auguſtino lib. 1. Retract. c. 26. tom. 1. in ſuo tamē ſimili cū enim ibi retractat hanc *Pater eſt ſapiens ſapientia genita*, videtur quoque, retractare iſtam, ob eandem rationē, quæ militat in vtraque. Alij dixerunt, quod eſt propoſitio impropria; & ſic exponenda;

Pa-

Pater diligit Filium Spiritu Sancto, id eſt, amore eſſentiali, qui attribuitur Spiritui Sancto. Alij dixerunt, quod ablatiuus ille, *Spiritu Sancto*, conſtruitur in habitudine ſigni: vt ſic ſenſus; Spiritus Sanctus eſt ſignũ, quod Pater diligat Filium, in quantum Spiritus Sanctus procedit ab eis vt Amor. Alij vero dixerunt, quod ablatiuus ille conſtruitur in genere cauſæ formalis: quia Spiritus Sanctus eſt Amor, quo formaliter Pater, & Filius ſe invicem diligunt. Alij dixerunt, quod ablatiuus ille conſtruitur in habitudine effectus formalis, cui ſententiæ adhæret D. Thomas hic quæſt. 37. art. 2.

357 His temporibus propoſitio præfata communiter recipitur à Theologis vt vera cum D. Thom. qui illam defendit hic. Eſt tamen lis inter Scholaſticos circa aſsignandam rationem propter quam vera ſit. Pater Vazquez relicta ratione D. Thom. quã infra dabimus, vt ſuam rationẽ explicet, prænotat, quod ſunt duo genera actionũ ſive in genere, ſive in ſpecie; quædam ſignificãtur ſub reſpectu ſolũ ad terminũ, quem producunt vt generare, ſpirare, producere, & efficere: alię verò ſignificãtur cum duplici ordine, altero ad terminum productum, altero ad rem aliam; non quidem productam per illas, ſed aut per modum obiecti, aut per modum ſubiecti ſe habentis ad illas. Harum quædam ſunt tranſeuntes, vt calefactio tranſmutatio, quædã immanentes, & vitales operationes, vt dictio, dilectio, intellectio. In actionibus primi generis inquit Vazquez, non fit denominatio à termino producto in caſu ablatiuo, & ideo non dicimus, Pater generat Filio ſe, aut aliquid aliud, nec ſpirat Spiritu Sancto. Rationẽ huius aſsignat, nã ſi in his operationibus fieret denominatio huiuſmodi, neceſſe erat eas ſignificari ſub ordine ad aliquid aliud, quã ad terminũ; cũ enim dicimus, Pater generat Filio; ſenſus eſt, Pater generat Filio ſe, aut aliquid aliud à ſe. Quod ſi iſtæ operationes nihil aliud præter terminum ſuum, quem efficiunt reſpiciunt, non poteſt operans in caſu ablatiuo à termino producto denominari; cum nihil ſuperſit quod operans operatione illa reſpiciat. Contrà vero res ſe habet in operationibus ſecundi generis; cum alter reſpectus ſignificatur, vel ad ſubiectum, vel ad obiectum, cum quibus verbum has actiones ſignificans conſtruitur in caſu accuſandi, optime fieri poteſt denominatio a termino producto in caſu ablatiuo; atque idcirco recte dicimus ignis calefacit calore, non tantum calore, quẽ in ſe habet, ſed etiam eo, quem in ſubiecto producit: dicimus etiam dealbari parietem albedine in ipſa producta. Hæ namque actiones non ſolum ſignificantur ſub reſpectu ad terminum productum, ſed etiam ſub reſpectu ad ſubiectum, in quod inducunt terminum productũ veluti formam illius. Idem etiam contingit in actionibus, quæ ſignificãtur in ordine ad obiectum: qua de cauſa dicimus, Pater intelligit, vel dicit Verbo ſuo; quia intellectio Patris, quæ notionalis eſt, præter reſpectum ad Verbum ſignificatur cum ordine etiã ad obiecta dicta, ſive intellecta. Hinc ergo patet, concludit, quare iſta ſit vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, & hęc falſa; *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: licet enim per vtramque propoſitionẽ eadem actio notionalis productiva ſignificetur, tamen in prima ſignificatur non ſolũ vt dicens ordinem ad terminum productũ, ſed vt dicens ordinem ad obiecta dilecta; in ſecunda autẽ ſignificatur cũ ſolo ordine ad terminum productum. Sic Vazquez.

358 Magiſter Albelda hic, vt rem explicet, etiam diſtinguit duplex genus actionum, aliæ enim (inquit) ſunt actiones inter quas, & vltimũ earũ terminũ mediat effectus productus per illas, vt calefacere, & dealbare, inter quas actiones, & lignũ calefaciendũ, vel murũ dealbandũ mediat calor, qui producitur per calefactionẽ, & albedo, quæ producitur per ipſam dealbationẽ: aliæ ſunt actiones inter quas, & vltimũ terminũ, ad quem dicunt habitudinẽ, nihil mediat productũ per illas vt ſpirare, & generare: actionis enim ſpiratiuę vltimus terminus eſt res ſpirata, inter quã, & ſpirationẽ nihil mediat; terminus vltimus generationis eſt genitũ, inter quod, & generationẽ nihil mediat. Loquendo ergo de primis actionibus poteſt operans dici tale, nõ ſolũ ab actione, ſed etiã ab effectu procedẽte per illã; & ſic dicimus ignẽ calefacere ipſo calore, quẽ producit in ligno, & dealbare murũ ipſa albedine producta per dealbationẽ: nõ vero loquẽdo de ſecũdis actionibus. Et ratio ea eſt, nã denominatio operãtis nõ ceſſat quouſq; perveniatur ad vltimũ terminũ; ad vltimum autẽ terminũ non pervenitur niſi mediantibus intermedijs: non enim calefaciens pervenit ad calefaciendum lignum niſi media cauſalitate formali, quam exercet calor productus in ligno, Vnde calefaciens lignum non ſolum

Digitized by Google

dicitur calefacere calefactione, ſed etiam ipſo ſuo effectu producto. Non ſic in ſecundo genere actionum res habet, nam cum inter vltimum terminum, quem actio reſpicit, & ipſam actionem nihil mediet productum; agens tunc ſola actione, & forma, quam in ſe habet, ad vltimum terminum pervenit, & ſic nequit ab ipſo termino producto à ſe denominari: vnde tantũ dicetur, quod generans ſua forma, & actione generativa generat, non vero ipſo genito. Et idẽ eſt de iſto termino *ſpirat*. Spirans enim vt ſic, tantum reſpicit ſpiratum, & ad illum ſola forma, & ſpiratione pervenit; non vero ipſo termino producto. Vnde nequit dici, quod Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto, quia terminus adæquatus ſpirationis Patris, & Filij, eſt Spiritus Sanctus; & ſic medio Spiritu Sancto non itur ad aliũ terminum: terminus autem dilectionis eſt amor productus per dilectionem, ſed non eſt vltimus terminus, quem dilectio reſpicit, ſed tantum terminus immediatus, quo itur ad vlteriorem terminum: & ſic poſſumus dicere Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto. Sic Albelda.

359 D.Thom. rationem veritates illius propoſitionis, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, ex eo aſsignat, *quia contingit* (inquit) *aliquando agens denominari tali non ſolum à ſua actione, ſed etiam à termino, qui eſt effectus actionis. Quando autem hoc accidat* (inquit D.Thom.) *hoc accidere, quãdo ipſe effectus in intellectu actionis includitur; dicimus enim, quod ignis calefacit non ſolum forma ſibi intrinſeca, ſed etiam calefactione, quæ eſt eius effectus: dicimus etiam, quod arbor floret floribus, quamvis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedentes; cum ergo Spiritus S. ſit de intellectu dilectionis notionaliter ſumpta, ſicut Verbũ eſt de intellectu dictionis: ſicut enim eſt vera hæc, Pater dicit ſe Verbo; ita & hæc eſt vera, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Sic Div. Thom. verum hanc rationem impugnavit Scotus in 1. diſt. 32. q. 1. dicens; quod non minus clauditur in concepto ſpirationis Spiritus Sanctus, ac clauditur in conceptu dilectionis; & tamen non dicimus Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto: ergo neque propter hoc dicendum erit, quod Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.

Vt Caietanus hanc inſtantiam diluat, notat, quod effectum alicuius actionis claudi in intellectu eius ſtat dupliciter, vel per modum termini ſpecificantis dictam actionem, & reducentis illam ad ſpeciẽ actionis determinatæ, ſicut de albare claudit albedinem, & calefacere calorem; alio modo contingit effectũ claudi in intellectu actionis vt coniunctum illi actioni, vt productũ ſuæ productioni; ſicut in ly *dico* vocaliter ſumpto clauditur Verbum vocale, eſt enim dicere, proferre Verbum: quando ergo terminus productus clauditur in intellectu actionis vt coniunctus actioni, vt productũ ſuæ productioni; tunc poteſt agens denominari à ſuo effectu in ablativo caſu. Cuius eam aſsignat rationem; quoniam Verba ſic includentia effectus, ſi conſtruantur tranſitive cum aliquo, non dicunt ad illum habitudinem producentis ad productum; vt videre licet cum Sortes dicit Hiſtoriam Troyæ: dicere illud ſolũ importat habitudinẽ producentis ad productum reſpectu verborum vocaliũ, quibus narratur Hiſtoria; non vero reſpectu rerum geſtarum, quæ exprimuntur per voces.

His ergo prænotatis reſpondet Caietanus ad obiectionẽ, quod effectus harum actionum ſpirare, ædificare, generare tantum clauduntur in his actionibus, prout ſic ſignificantur, tanquã termini ſpecificantes dictas actiones; nõ vero vt coniuncti ſuis productionibus; & ſic non ſequitur, quod ſi hæc non eſt vera, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*; quod hæc etiam non ſit vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*. Sic Dominus Caietanus. Sed vellem ſcire, quid eſt ſignificare effectum vt coniunctum actioni, vt productum productioni; & cur ex hoc ſequitur, quod actio quæ ſignificat effectum vt coniunctum ſuæ productioni, ſi conſtruatur tranſitive in ordine ad aliud, non explicet habitudinem producentis ad productum in ordine ad illud.

Ad primum quæſitum dico, illã actionem ſignificare ſuum effectum vt ſibi coniunctum, vt productum productioni, quando in ſignificatione verbi per quod ſignificatur actio clauditur etiam ipſe effectus vt productus per actionem. V.g. verbum *dico* quod ſignificat actionẽ, qua quis loquitur; non ſolũ actionẽ talẽ ſignificat, ſed etiã ipſum Verbũ vt productũ per actionẽ: vnde idem quod ſignificatur per has voces *profero Verbum*, hoc tantũ dicit illa ſola vox *dico*. Ex hoc evidenter colligitur reſponſio ad ſecundũ quæſitũ; ſi enim effectus talis actionis tantũ ſignificatur intrãſitive per ipſummet verbum, per quod actio ſignificatur: igitur, cum dictum verbum conſtruitur cum

tum aliquo alio tranſitive in caſu accuſandi, non habebit in ordine ad illum importare habitudinem producentis ad productum.

§. III.

Defenditur hic modus dicendi.

360 ESTO Omnes alij modi dicendi relati veri, & ingenioſi ſint; iſte tamen magis placet. Tum quia D.Tho. eſt. Tum propter ſubtilitatem Caietani in explicatione D.Th. Tum etiã, quia magis radicitus veritatem illius propoſitionis, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, declarat; verbum enim *diligo* in ſuo intellectu claudit amorem, quem producit; & ſic dum conſtruitur tranſitive cum illo accuſativo *ſe* non importat habitudinem ad illum producentis ad productum, ſed diligentis ad rem dilectam: ſicut in hac, *Pater dicit ſe Verbo* non importat ly *dicit* ad accuſativum habitudinem producentis ad productum; ſed tantum habitudinem dicentis ad rem dictã verbo, id eſt expreſſatam per verbum. Hinc clarum apparet diſcrimẽ inter hæc ſpirare, generare, producere amorem, & diligere, vel dicere, quod verbum *ſpirare* tantum ſignificat ipſam actionem, quæ eſt ſpirare; verbum generare tantum ſignificat ipſam actionem, quæ eſt generatio: vnde quando conſtruuntur cum accuſativis tranſitive ſemper important habitudinem producentis ad rem productam; vnde cum dico, *Petrus generat ſe*, eſt falſa, cum dico *Petrus ſpirat ſe* eſt falſa, cum dico, *Petrus producit ſe* eſt falſa; quia in omnibus his verbum ſignificans dictas actiones importat ad accuſativum, cum quo conſtruitur, habitudinem producentis ad productũ: quæ ex oppoſito non contingunt in his *Petrus diligit ſe, Petrus dicit ſe*; quia in his nõ explicatur ex parte verbi habitudo producentis ad productum. Apparet etiam quam ad rem D.Tho. adduxerit exemplum floritionis arboris: dicimus enim, quod *arbor eſt florens floribus*; quia verbum *florere* non ſolum ſignificat ipſam actionem emiſſionis florum: ſed etiam ſignificat ipſas flores vt effectus coniunctos productioni; vnde cum dico, *arbor floret floribus*, non explico aliquam activitatem, quam arbor exerceat in ſe ipſam: & ſic propoſitio eſt vera.

361 Sed contra dicta aliqua militant argumenta. Primum eſt. Dilectio notionaliter ſumpta idem prorſus ſignificat, quod ſpiratio; ſed hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: ergo & hæc erit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*. Confirm. verbum *diligo* notionaliter ſumptum tantum ſignificat productionem Amoris; cum ergo tantum producatur Amor, qui Spiritus Sanctus eſt: non videtur eſſe verum, quod loquendo de Amore notionaliter ſumpto, dicta propoſitio vera ſit. Confir. ſecundo, iuxta doctrinam D.Th. ſupra quæſt. 27. productio verbi formaliter eſt intelligere, & productio amoris formaliter eſt diligere; neque enim diſtinguimus duas actiones, vt Scotus vult, quarum altera ſit mera productio, & altera ſit pura intellectio, vel pura volitio: ergo ſpirare Spiritum Sanctum, per quod denotatur productio Spiritus Sancti, formaliter eſt diligere, hoc eſt, diligendo producere. Tunc ſic, & tamen hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: ergo & hæc erit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

Ad hoc argumentum diſt. Mai. idem ſignificant ex parte rei ſignificatæ tranſ. Mai. formaliter ſumptæ nego Mai. & cõc. Min. nego Conſ. Itaque, licet hoc, quod eſt producere amorem, fiat per dilectionem; tamen ſpiratio non eſt impoſita ad ſignificandam ipſam productionem amoris prout formaliter fit per dilectionem; ſed tantum eſt impoſita ad ſignificandum ipſam dilectionem ſub ſolo munere productionis: & ſic per Verbum *ſpirat* tantum importatur habitudo producentis ad productum; vnde illa eſt falſa: dilectio autem notionaliter ſumpta ſignificat productionem amoris, prout fit media dilectione rei dilectæ, & ſic licet in ordine ad amorem ſervet habitudinem producentis ad productum: in ordine tamen ad rem dilectam tantum dicit habitudinem actionis ad ſuum obiectum, & ſic illa eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

Ad primam Confir. dico quod Verbũ *diligo* notionaliter ſumptum ſignificat productionem amoris, prout formaliter fit per dilectionem obiecti dilecti; & ſic non ſignificat ipſum ſolum munus productionis: vnde Confirmatio nihil probat. Ad ſecundam dico, quod licet ita ſit, quod in doctrina D.Tho. non diſtinguantur duo actus, quorum alter ſit volitio, & alter ſit productio impulſus; tamen in eodem actu diſtinguimus duo munia, alterum volendi, & alterum producendi; ſpiratio ergo impoſi-

Digitized by Google

ta eſt ad ſignificandum hoc tantum munus dilectionis, quod eſt producere, & ſic tantum importat habitudinem producentis ad rem productam; nomine autem dilectionis vtrumque munus ſignificatur: & ſic non præciſſe habetur per illum habitudo producentis ad rem productam, ſed etiam habitudo volentis ad volitum; vnde non ſequitur quod ſi hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: etiam hæc ſit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.*

362 Secundo arguitur contra noſtram doctrinam. Si hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, ſequeretur prius eſſe prioritate originis Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, quam Patrem, & Filium ſe diligere; Conſ. nequit admitti: ergo. Prob. Sequela. Patrem, & Filiũ diligere ſe Spiritu Sancto denotat Spiritum Sanctum eſſe veluti formam mediam inter dilectionem, & rem dilectam: ergo denotat formam ad quam pervenit diligens per productionem prius origine eſſe, quã quod media illa producta perveniat ad rem dilectam: ergo ſi hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*; Spiritus Sanctus prioritate originis prius intelligetur habere eſſe, quam Pater, & Filius diligant ſe.

Ad hoc argumentum loquendo de amore notionali, qui completur per impulſum productum, non habeo pro inconvenienti dicere, quod dilectio notionalis prius ſe exerceat ſub munere productionis, quam ſub munere volitionis ad rem dilectam; & ſic non habeo pro inconvenienti dicere prius prioritate tantum originis Spiritum Sanctum produci, quam notionaliter ſe diligant Pater, & Filius.

Et ſi inſtes Spiritus Sanctus eſt Amor adæquate amicabilis: ergo petit procedere ex amore, quo ſe diligunt Pater, & Filius: ergo prioritate originis præcedit dilectio etiam notionalis proceſsionẽ Spiritus Sancti. Ad hoc diſt. primum Conſ ex amore, id eſt, per amorem, quo ſe diligunt Pater, & Filius conc. Conſ. ſi ly *ex* denotet prioritatem nego Conſ. & nego aliam, quæ ſub infertur. Itaque ad hoc, quod Spiritus Sanctus ſit Amor amicabilis non requiritur, quod præſupponat amorem mutuum vt notionalem; nam prius ſic primo ſe explicat in productionem impulſus, & deinde medio impulſu notionaliter pervenit ad rem dilectã. Dixi notionaliter, quia ſi fiat ſermo de amore vt eſſentiali, ſic certum eſt, Patrẽ, & Filiũ mutuo ſe diligere eſſentiali amore, & eſſe prius origine, quã proceſsio Spiritus Sancti.

363 Tertio arguitur. Hæc propoſitio eſt falſa, *Pater eſt ſapiens Sapientia genita*: ergo, & hæc eſt falſa, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto*. Prob. Conſ. ideo prima eſt falſa, quia in illa datur intelligi, quod Sapientia Patris aliquo modo principietur à Sapientia Filij, quæ eſt Sapientia genita; ſed etiam in ſecunda datur intelligi, quod dilectio Patris erga ſe aliquo modo principietur à Spiritu Sancto: ergo ſicut prima eſt falſa, etiam ſecunda erit falſa. Prob. Min. nam non videtur poſſe aſsignari diſcrimen inter hoc, quod in prima denotetur Sapiẽtiam Patris principiari à Sapientia Filij, & quod in ſecunda dilectio Patris erga ſe nõ principietur à Spiritu Sancto. Communiter reſpondetur ad hoc, negando Conſ. & aſsignando diſcrimen inter vnam, & aliam propoſitionem: in prima enim propoſitione fit ſenſus iſte, nempe, Patrem in ſeipſo eſſe ſapientem Sapientia genita, hoc eſt, Filio, quod falſiſsimum eſt; ſiquidem Pater ex ſua eſſentia, & ſuis attributis habet eſſe ſapientem, non autẽ à Filio: vnde dicta propoſitio eſt falſa, quia aſsignatur in ea pro cauſa formali id, quod cauſa formalis non eſt; in ſecunda autem propoſitione cum ex parte Patris ponatur actus, quo producitur Spiritus Sanctus, non denotatur prædictam dilectionem principiari à Spiritu Sãcto, ſed potius denotatur Spiritum Sanctũ eſſe terminum primo productum, vt illo Pater in ſeipſo à ſe diligatur.

Inſtas ex hac doctrina ſequi hanc deberi concedi, *Pater ſapit ſapientia genita*; Cõſ. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela. In hac propoſitione non denotatur ſapientiam convenire Patri per modum effectus formalis, ſed per modum actus, cuius terminus productus eſt Sapientia genita; ſicut in hac, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto*, nõ denotatur aliquis effectus formalis, ſed actio, qua producitur Spiritus Sanctus: ergo ſi propter hoc, hæc ſecunda eſt vera, ita eſt prima erit admittenda vt vera.

Pro ſolutione huius argumenti Adverto, quod D. Tho. dicit in art. 1. huius quæſtionis 37. ad 1. videlicet, quod hoc Verbum *intelligere*, tantum ſumitur eſſentialiter, eo, quod pro notionalibus ſignificandis ſunt alia vocabula impoſita: intelligere autem, & ſapere idem prorſus ſunt. & ſic ſi *intelligere* tantum ſumitur eſſentialiter, *ſapere* tantũ ſumitur eſſentialiter, Quod ex-

Digitized by Google

expreſſe affirmat in art. 2. ſolutione ad 1. his verbis: *Dicendum, quod eſſe ſapientem, vel intelligentem nõ ſumitur niſi eſſentialiter.* Vnde ad argumentum nego Sequelã, ad prob. nego Ant. nam Sapientia genita non producitur per ſapere eſſentiale, ſed per dicere, quod ſignificat, intelligendo Verbum producere, & ſic dicta propoſitio eſt falſa; quia actio eſſentialis ſapientiæ non fit Verbo perſonali, quod datur intelligi in dicta propoſitione. Hinc hæc eſt vera, *Pater dicit ſe Verbo*, ſicut hæc, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto.*

364 In calce huius quæſiti inquires; vtrum hæc ſit vera, *Spiritus Sanctus diligit ſe ſe ipſo, vel Spiritu Sancto*? Et ratio dubitandi ea eſt, quia vel loquimur in dicta propoſitione de dilectione eſſentiali; & ſic propoſitio videtur falſa, quia in illa datur intelligi, quod Spiritus Sanctus diligat ſe Spiritu Sancto producto per dilectionem ſuam, quod falſiſsimum eſt: vel loquimur de dilectione perſonali, & ſic etiam videtur falſa; ſiquidem Spiritus Sanctus non diligit ſe amore notionali, ſed tantum eſſentiali: ergo illa propoſitio in omni ſenſu eſt falſa. Pro parte affirmante quod ſit vera, etiam eſt ratio dubitandi, quia loquendo de dilectione eſſentiali veriſsimũ eſt dicere, quod Spiritus Sanctus ſe ipſo ſe ipſum diligit, ita quod ablatiuus non denotet principium quo, ſed quod: ergo propoſitio erit vera.

Ad hoc quæſitum reſpondet D. Th. in primo diſt. 32. quæſt. 1. ar. 2. ad 4. ſub diſtinctione de dilectione eſſentialiter ſumpta, & ſic dicit eſſe veram; quia tunc ablatiuus nõ dicit principium quo, ſed quod, & veriſsimum eſt, quod Spiritus Sanctus ſe ipſo vt principio quod diligit; ſicut enim ſuppoſitum Patris diligit vt quod Spiritum Sanctũ, ita Spiritus Sanctus vt quod diligit ſe ipſum & ſic propoſitio eſt vera: loquendo vero de dilectione notionali, propoſitio dicta eſt falſa, quia fit ſenſus; quod Spiritus Sanctus producendo Spiritum Sanctum, ipſo Spiritu Sancto producto ſe ipſum diligat, quod falſiſsimum eſt.

365 Inquires tandem, an hæc debeat admitti; *Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu Sancto*? Et quidem ſi loquamur de dilectione eſſentiali propoſitio eſt falſa, quia amor eſſentialis non fit amore producto, ſed ipſa eſſentia diuina; qua ratione negamus hanc loquẽdo de amore eſſentialiter ſumpto, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Si loquamur de amore notionali, etiam videtur falſa, nam dilectio creaturarum ad extra non eſt notionalis, cum conueniat toti Trinitati.

Huic quæſito affirmatiue reſpondet D. Thom. hic ar. 2. ad 3. loquendo de diligere ſumpto notionaliter. Et aſsignat rationem, quia ſicut hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, quia diligendo ſe producunt Spiritum Sanctum, qui primario eſt ratio amandi diuinam bonitatem; ita hæc alia erit vera, *diligunt creaturas Spiritu Sancto*, quia producunt Spiritum Sanctum, qui ſecundario etiam eſt Amor creaturarum: vnde ſicut hæc eſt vera, *Pater dicit ſe, & omnem creaturam Verbo, quod genuit*: ita erit verum dicere, *Pater diligit ſe, & omnem creaturam Amore, quem produxit*. Et ad id, quod dicitur in contra; quod reſpectiue ad res ad extra non datur in Deo actio notionalis; cũ debeat eſſe omnis actio ad extra communis tribus perſonis. Dico, reſpectu rerum ad extra dari actionem notionalem, non reſpectiue ad omnes perſonas Trinitatis, ſed ad aliquas. Itaque ipſamet dilectio, qua Pater, & Filius Spiritu Sancto, quem producunt, diligunt creaturas, eſt notionalis reſpectiue ad Patrem; & Filium; & eſſentialis reſpectiue ad Spiritum Sanctum, à quo Spiritus Sanctus non procedit: & ſic ſaluatur, quod omnis actio ad extra communis ſit omnibus perſonis, & nihilominus reſpectu aliquorum ſit notionalis; ſicut, & ad intra illa ipſiſsima dilectio, qua Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, eſt qua Spiritus Sanctus diligit ſe, Patrem, & Filium, & nihilominus eſt notionalis reſpectiue ad Patrem, & Filium, & eſſentialis reſpectiue ad Spiritum Sanctum.

QVÆSTIO XV.

De nomine Spiritus Sancti quod eſt Donum.

366 DONVM eſſe nomen alicuius diuinæ perſonæ probat D. Th. hic quæſt. 38. ar. 1. ex eo, quod nomine Doni importatur aptitudo ad hoc, vt donetur; in hac autem aptitudine duo ſunt, ſcilicet habitudo ad id, à quo datur, & habitudo ad id, cui datur; non enim daretur ab aliquo niſi eſſet eius, & ad hoc alicui datur vt eius ſit: perſona autem diuina dicitur eſſe

eſſe alicuius, vel ſecundum originem, ſicut Filius eſt Patris, vel in quantum habetur ab aliquo: habere autem dicimus id, quo libere vti, vel frui poſſumus, & per hunc modũ divina perſona haberi poteſt à creatura rationali quæ ſic eſt particeps divini Verbi, & procedentis Amoris, quod poteſt libere Deum velle, & libere Deum verum cognoſcere; ad quod cum non poſsit pervenire propria virtute, oportet, quod detur illi deſuper, & ſic divinæ perſonę proprie competit eſſe Donum: ergo Donum eſt proprium nomen divinæ perſonæ.

Quod hoc Donum, ſecundum quod perſonaliter dicitur, ſit proprium nomen Spiritus Sancti, probat in art. 2. ex eo quod, cum Donum ex Philoſopho ſit datio irredibilis, idem, quod non datur intuitu retributionis importat eſſentialiter gratuitam donationem; ratio autem gratuitæ donationis eſt amor, ideo enim damus gratis aliquid alicui, quia volumus ei bonum: primum ergo, quod ei damus eſt amor, quo volumus ei bonum; vnde manifeſtum eſt, quod amor obtinet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur: cũ ergo Spiritus Sãctus procedat vt Amor, procedit in ratione primi doni, & ſic Donum eſt proprium nomen Spiritus Sancti.

§. I.

Vtrùm ratio doni conveniat Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis?

367 DVO reperiuntur in dono nempe materiale, & formale: materiale eſt illa res, quæ datur, vel eſt dabilis gratioſè, & liberaliter; formale autem eſt ipſa ratio dati gratis, & liberaliter. Ex parte materialis requiruntur duo, nempe, quod ſit alicuius; nihil enim gratioſe, & mere liberaliter dari poteſt niſi ab eo, cuius eſt, & quod ſit donabile alteri, nempe habitudo poſſeſsibilis ab aliquo: ex parte autem formalis requiritur amor; amor enim eſt radix omnis dationis gratioſæ, & liberalis. Si ergo attendamus ad materiale doni, ſic Donum non eſt ita proprium nomen Spiritus Sancti, quod non conveniat etiam Filio divino; ſiquidem Filius eſt res dabilis per gratioſam donationem, iuxta illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filiũ ſuum vnigenitum daret: conveniunt etiam illi omnes conditiones ad rationem doni; eſt enim Patris per originem, & poteſt poſſideri à iuſtis per gratiam, & Charitatem. Difficultas ergo meo videri eſt de ratione formali doni: vtrum hæc conveniat Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis, per quam procedit vt Donum, an illi conveniat ratione eſſentiæ, an ratione proprietatis relativę? Et quidem aliqui ſic opinati ſunt, quod ratio Doni non conveniat Spiritui Sancto ex vi proprietatis relativæ. Pro hac ſententia citari ſolet Caietanus, ſed immerito, vt legenti attentè ipſum ſuper hunc articulum patebit. Cæterum communis Theologorum doctrina tenet rationem Doni convenire Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis.

368 Sit concluſio ratio Doni formaliſsime ſumpta convenit Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis. Prob. concluſio. Primo authoritate Auguſtini 5. de Trin. cap. 11. his verbis. *Sed tamen ille Spiritus Sanctus, qui non Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur in eo, quod proprie dicitur Spiritus Sanctus relative dicitur, cum, & ad Patrem, & ad Filium refertur, quia Spiritus Sanctus, & Patris, & Filij Spiritus eſt; ſed ipſa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem, cũ dicitur Donum Dei; Donum etiam eſt Patris, & Filij.* Quibus habemus Donum Dei explicatius declarare relationem, qua Spiritus Sanctus conſtituitur, quam nomen Spiritus Sanctus, ſed ſi ratio Doni non conveniret Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis, hoc dictum Auguſtini eſſet falſum: ergo. Prob. Min. nam id, quod non convenit perſonæ Spiritus Sancti ex vi proprietatis perſonalis, non poteſt exactius explicare ipſam relationem, qua Spiritus Sanctus conſtituitur, quam nomen inventum, & impoſitum ad ſignificandum illam, qualo eſt nomen *Spiritus Sanctus*; ergo ſi eſſe Donum non conveniret Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis, falſum eſſet dictum Auguſtini.

Prob. ſecundo ex D. Tho. hic art. 2. in corpore ibi: *Ratio autem gratuitæ donationis eſt amor, ideo enim gratis damus alicui aliquid quia volumus ei bonum; vnde manifeſtum eſt, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia gratuita dona donantur: vnde cùm Spiritus Sanctus procedat, vt Amor, procedit in ratione Doni primi.* Quibus, & habemus concluſionem, & rationem concluſionis. Primum quidem hoc diſcurſu probo, id, quod convenit Spiritui Sancto ex vi proceſsionis eſt illi conveniens ex vi proprietatis perſonalis; ſed ex D. Tho. Spiritus Sanctus procedit

dit in ratione primi Doni: ergo ratio Doni convenit Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis. Secundum expendam poſtea, cũ probavero ratione concluſionem.

Prob. ſimiliter hoc ipſum ex D. Th. in 1. ad Annibaldum diſt. 18. quæſt. vnica art. 4. ibi: *Dico igitur, quod proceſsio poteſt dicere emanationem Spiritus Sancti, vel relationem, vel proprietatem: ſic Spiritus Sanctus proprietate ſua formaliter loquendo eſt Spiritus Sanctus, & Donum, & Amor; non autem Deus: ſicut nec Filius filiatione eſt Deus formaliter, ſed filiatione eſt Filius, Deitate Deus, & Sapientia ſapiens; ſi dicat emanationem; tunc poteſt dici, quod Spiritus Sanctus ſua proceſsione eſt Donum, eſt Deus: ſicut etiam Filius ſua nativitate eſt Filius, & Deus.* Ex quibus ſic argumentor. Ea, quæ competunt perſonæ ratione relationis vt diſtinctæ à Deitate, abſolute conveniunt illi ex vi proprietatis perſonalis; ſed hæc tria Spiritus Sanctus, Donum, & Amor conveniunt perſonæ Spiritus Sancti ratione relationis perſonalis, vt diſtinctæ à deitate: igitur eſſe Donum formaliter loquendo convenit Spiritui Sancto ratione proprietatis perſonalis.

369 Ratione prob. concluſio. Ratio donabilitatis convenit Spiritui Sancto ratione proprietatis perſonalis: igitur & ratio Doni. Conſ. eſt evidens, & Ant. prob. ratio donabilitatis convenit aliis donis ex ratione amoris: ſed Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis eſt Amor ſubſiſtens: ergo ex vi ſuæ proprietatis perſonalis convenit Spiritui Sancto ratio donabilitatis. Mai. huius ſyllogiſmi eſt D. Thom. hic in corp. illis verbis. *Ratio autem gratuitæ donationis eſt amor; ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum.* Min. ſic Probo Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis ſuæ procedit per amorem Patris, & Filii: ergo id quod primo, & per ſe communicatur Spiritui Sancto eſt amor: ergo procedit primo, & per ſe, & per ſe ſubſiſtens in amore.

Dices hac ratione tantum convinci amorem eſſentialem primo, & per ſe communicari Spiritui Sancto; non vero Filio, quia Filio primo, & per ſe communicatur natura divina: perſonæ autem Spiritus Sancti primo, & per ſe communicatur amor eſſentialis; non autem convinci, ipſam relationem Spiritus Sancti eſſe Amorem, & ſic cum ratio doni formaliter ſit ex amore, non convinci rationem doni eſſe relationem.

Sed contrà eſt, nam cum dicimus Spiritum Sanctum ex vi proprietatis relativæ eſſe Amorem, non loquimur de amore, vt quo; ſed de Amore relative ſubſiſtenti, id eſt de primo ſubſiſtenti in Amore; ſicut dicimus tertiam Trinitatis perſonam ex vi proprietatis relativæ eſſe Spiritum Sanctũ, quia eſt talis conditionis, quod illi convenit primo, & per ſe ſubſiſtere in impulſu Sancto, & Filium appellamus Verbum ex vi proprietatis relativæ; quia ex vi illius convenit illi, quod primo, & per ſe communicetur notitia Patris dicentis illud: ergo dum ſolutio data admittit convinci ratione noſtra, quod Spiritui Sancto ex vi proprietatis ſuæ convenit primo, & per ſe ſubſiſtere in amore, tenetur fateri etiam illa convinci, quod Spiritui Sancto rationè ſuæ proprietatis relativæ conveniat eſſe Amorem, hoc eſt, primo ſubſiſtere in Amore.

370 Aliter probat Vazquez noſtram Concluſionem; ſic reducendo ad formam rationem D. Thom. Spiritus Sanctus procedit vt Amor: ergo procedit per dilectionẽ; ſed dilectio eſt donatio: igitur procedit vt Donum. Sed inſtabis contra illam; nam quando Vazquez dicit dilectionem eſſe donationem, vel intelligit dationem actualem, & tunc infertur evidenter Spiritum Sanctum ex vi ſuæ proceſsionis procedere non ſolum vt Donum per modũ actus primi, ſed etiam vt Donum donatũ in actu ſecundo, quod videtur falſum; nam Spiritus Sanctus tantum in tempore actu datur iuſtis per gratiam, & Charitatem; vel intelligit, quod dilectio ſit donatio, id eſt, forma conſtituens rem in eſſe doni gratuiti; & tunc hæc ratio non ponit in numero cum prima, qua probavimus concluſionem.

Exiſtimaverim cogitaſſe Vazquez Spiritum Sanctum procedere non ſolum vt donabile, ſed vt donatum iuxta dicta Sanctorum, qui diſtinguunt inter Filium & Spiritum Sanctum in eo, quod Filius procedit vt natus, & Spiritus Sanctus vt datus. Et ſi inquiratur, cui ab æterno datur Spiritus Sanctus, cum non ſint iuſti ab æterno, quibus detur? Dicam, dari effective ab æterno, id eſt, quod ſi attendamus ad affectum Patris, & Filii, ab æterno Spiritus Sanctus datur, licet effective, & exequutive tantum detur creaturis rationalibus in tempore.

(3.)

Sol.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

371 PRIMO arguitur contra concluſionem. Spiritus Sanctus non datur creaturis rationalibus ex vi Amoris notionalis, ſed ex vi amoris eſſentialis, qui communis eſt tribus perſonis: igitur rationem Doni non habet ex vi proprietatis perſonalis. Prob. Ant. Spiritus Sanctus datur, dum *Charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, vt inquit Cōcilium; ſed diffuſio Charitatis ad extra convenit tribus perſonis ratione amoris eſſentialis: igitur Spiritus Sanctus non datur creaturis rationalibus ex vi Amoris notionalis. Conſ. autem prima Prob. nam, ex illo amore, ex quo aliqua res datur gratioſe, ex illo conſtituitur in eſſe doni: ergo ſi Spiritus Sanctus datur creaturis ex vi amoris eſſentialis, vere ex illo habebit eſſe Donum, & non ex vi Amoris notionalis.

Ad hoc argumentum nego Ant. ad prob. diſt. Min. convenit tribus perſonis ratione amoris eſſentialis tantum, nego Mi. ratione amoris eſſentialis, & ſimul perſonalis conc. Min. & nego Conſ. Itaque, dum Deus elargitur dona iuſtis, & dat ipſum Spiritum Sanctum, ibi ſunt duo conſideranda; aliud, quod tenet ſe ex parte rationis agendi, quæ communis eſt tribus perſonis, & aliud, quod ſe tenet ex parte termini producti per dilectionem notionalem Patris, & Filij, quod Spiritus Sanctus eſt; ſi attendamus tantum ad primū, ſic Spiritus Sanctus datur tantum ratione amoris eſſentialis; ſi attendamus ad ſecundum, ſic datur ratione Amoris notionalis, qui ipſe Spiritus Sanctus eſt. Quod voluit Concilium, dū dixit *Charitatem diffundi in cordibus noſtris per Spiritū Sanctum*, quo voluit ſignificare dupliciter Spiritum Sanctum concurrere ad noſtra dona, vel ad dationem ſui ipſius; primo ratione amoris eſſentialis, qui communis eſt tribus perſonis: deinde ſpecialiter, quia hoc eſt illi ſpeciale inter alias perſonas Trinitatis, quod ex vi proprietatis ſuæ habeat eſſe Amorē productum. Quod etiam voluit ſignificare Auguſtinus, dum lib. 15. de Trinit. cap. 19. ante medium, tom. 3. dixit: *Per donum, quod Spiritus Sanctus eſt multa propria dona dividuntur membris Chriſti.*

372 Secundo arguitur Spiritus Sanctus non obtinet rationem primi Doni: ergo eſſe Donum non convenit illi ratione ſuæ proprietatis perſonalis. Patet Conſ. nā, eo ipſo, quod primum Donū non ſit, oportet, quod ratio Doni conveniat illi ex alio, quod primi Doni rationem habeat, & ſic Spiritus Sanctus ratione proprietatis perſonalis non erit Donum, ſed hoc emendicabit ab alio à ſe virtualiter diſtincto, ſicut, & Filius. Ant. vero prob. Spiritus Sanctus datur ratione amoris eſſentialis ſicut, & Filius: ergo amor eſſentialis, cum præcedat notionalem, obtinebit rationem primi Doni: patet Conſ. quia iuxta D. Tho. amor eſt primum donum; primum enim quod damus alicui eſt velle ei bonū: ergo ſi Spiritus Sanctus datur ratione amoris eſſentialis, amor eſſentialis erit primum Donum.

Ad hoc argumentum reſpondet Vazquez, Spiritum Sanctum non dici primum Donum, quia primo abſolute detur, ſed dici primum Donum, quia ex vi ſuæ originis procedit vt Amor, & Amor habet proprietatem Doni. Patres Salmanticenſes nō erubeſcunt admittere duo prima dona aliud eſſentiale, aliud notionale: fundātque ſuam ſententiam in eo, quod D. Tho. in primo ad Annibaldum diſt. 18. ar. 3. ad 4. diſtinguit duos amores, alterum eſſentialem, alterum notionalem, cumque ad multiplicationem amoris ſequatur multiplicatio doni, non erit inconveniens dari duo prima dona, alterum eſſentiale, & alterum notionale.

Sed contra ſolutionem Vazquez, ſic argumentor, nam aliud eſt Spiritum Sanctū ex ſua proprietate eſſe Donum, & aliud eſt eſſe primum Donum; primum ſolum ponit rationem Doni perſonalis, ſed non rationem primi Doni; hæc enim præter primum requirit, quod ſit id, quod primo datur; cumque hoc non conveniat Spiritui Sancto, vt prætendit argumentum, ſequitur non poſſe appellari primum Donū. Deinde hæc duo videntur pugnare inter ſe, nempe Spiritum Sanctum ex ſua perſonali proprietate habere, quod ſit Donum, & non eſſe primum datum; etenim dum ſeipſo, & non ab alio participat rationem Doni Spiritus Sanctus, ideo dicitur ex vi proprietatis ſuæ eſſe Donum; ſed hoc pugnat cum eo, quod Spiritus Sanctus ſupponat alium Amorem primo datum: ergo. Prob. Min. nam hoc ipſo quod amor eſſentialis primo datur, hoc ipſo dari convenit Spiritui Sancto ratione amoris eſſentialis: ergo hoc ipſo convenit illi ratio Doni, ratione alicuius virtualiter diſtincti à ſua proprietate, & ſic

ſi

Digitized by Google

ſi Spiritus Sanctus non primò donatur, non erit verum dicere rationem Doni illi convenire ratione ſuæ proprietatis perſonalis.

Placet ſecunda ſolutio ſi rectè intelligatur. Vnde Adverto, quod amor divinus capitur dupliciter, vel per modum rationis agendi, vel per modum termini dilectionis: ſi primo modo capiatur, ſic cum ipſe Spiritus Sanctus, & omnes aliæ perſonæ donabiles donentur ad extra ratione amoris eſſentialis, qui ſolus ratio agendi eſt tribus perſonis; ſic dico, quod amor eſſentialis eſt primum donum: ſi ſecundo modo capiatur; ſic cum perſona Filij detur ratione Spiritus Sancti, ſic loquendo de amore, Spiritus Sanctus eſt primum Donum, quia loquendo de amore per modum termini, ſeipſo Spiritus Sanctus eſt Amor, & Donū; Filius autem non ſeipſo, ſed Spiritu Sancto habet eſſe Donum: vnde ad argumentum in forma nego Ant. ad prob. diſt. Ant. ſumēdo amorem per modum termini, & per modum rationis agendi nego Ant. ſumendo amorem tantum per modum rationis agendi conc. Ant. & diſt. Conſ. obtinet rationem primi Doni ſumendo amorem tantum per modum rationis agendi conc. Cōſ. ſumendo illum tam per modum rationis agendi, quam per modūm termini, nego Conſ.

Sed iam inquiris; quid ſit amor per modum rationis agendi, & per modū termini? Reſpondeo, quod ratio diligendi ſtat dupliciter, vel per modum influentis activè in ea, quæ dantur, & hic eſt amor eſſentialis communis tribus perſonis, vel per modum termini producti, qui eſt ratio diligendi; qua ratione dicimus Patrem, & Filium diligere ſe, & creaturas Spiritu Sancto, non minus, ac Pater dicit ſe & creaturas Verbo, quod notionaliter format; & hic eſt Amor notionalis per ſe primo competens Spiritui Sancto, & alijs ratione Spiritus Sancti: vnde ſicut in hoc ordine eſt ſeipſo Amor, ſic eſt, & Donum; & ſicut eſt primus Amor: ita & primum Donum.

373 Tertio arguitur relatio Spiritus Sancti eſt relatio Amoris, qui illi communicatur à Patre, & Filio: ergo non eſt Amor Spiritus Sanctus ex vi proprietatis relativæ: ergo neque eſt Donū. Prob. Conſ. quia relatio Filiationis eſt relatio Deitatis primo communicatæ Filio, Filius non dicitur Deus eo, quo Filius; dicitur enim Filius tantum ratione relationis, & Deus ratione Deitatis primo acceptæ per modum naturæ: ergo quia relatio Spiritus Sancti eſt relatio Amoris primo communicati Spiritui Sancto, non erit Amor: Ant. autem primum prob. eo prorſus modo communicatur primo, & per ſe natura divina Filio, quo amor eſſentialis communicatur primo, & per ſe Spiritui Sancto; ſed filiatio eſt relatio Deitatis primo communicatæ Filio: ergo, & relatio Spiritus Sancti erit relatio Amoris primo communicati Spiritui Sancto. Confir. & explicatur; eſſentialia, eſto communicentur perſonis, non tamen producūtur; aliàs daretur diſtinctio realis inter eſſētialia divina: ergo cum amor communicatus à Patre, & Filio Spiritui Sancto ſit eſſētialis, non producetur in ratione Amoris: ergo nō dabitur Amor productus, ſic, quod ly *productus* appellet ſupra Amorem, & ſic non dabitur duplex amor, alter eſſentialis communicatus; alter productus; cum ergo productio ſpectet tantum ad relationem, non poterit dici Spiritum Sanctum ex vi proprietatis relativæ eſſe Amorem: ſed dicendum erit, totam rationem Amoris illi convenire ratione prædicati abſoluti, & eſſentialis.

Ad hoc argumentum diſt. Conſ. ergo non eſt Amor, eſſentialis conc. Conſ. perſonalis nego Conſ. ad prob. nego cauſalem, non enim ex eo, quod filiatio ſit relatio ſequuta ad naturam acceptam per generationem, ideo Filius non dicitur Deus eo, quo dicitur Filius; ſed quia relatio filiationis ex terminis habet aliud ſignificatum ab eo, quod habetur per naturam acceptam per generationem: vnde in creatis non omne genitum appellatur Filius, ſed tantum genitum rationale; de ratione autem amoris per modum termini eſt; quod vitaliter producatur, & quod realiter procedat ab amante, & ſic vere, & proprie relationi Spiritus Sancti convenit ratio Amoris producti: vnde relatio Amoris non eſt extra eſſentiam amoris, & ſic perſona, quæ per illam conſtituitur vere, & proprie ex vi ſuæ proprietatis perſonalis dicitur Amor; ſicut quia de conceptu verb. eſt quod producatur à dicente, vere productum a dicente dicitur Verbum: ita quia de conceptu Amoris per modum impreſſionis rei amatæ eſt, quod vitaliter producatur ab amante, relatio, quæ immediate ſubſiſtit in amore vere, & proprie dicitur Amor. Et ſi contrà hoc inferas; igitur ſicut non datur Verbum eſſentiale, & Verbum perſonale, ita non dabitur amor eſſentialis & Amor perſonalis, quod eſt

Digitized by Google

§. I.

Vtrùm nomen ſubſtantivum ad ſui pluralitatem requirat, non ſolum pluralitatem formæ, ſed etiam ſuppoſitorum?

376 ESTO Aliqua ad hunc punctum ſpectantia tetigerimus ſupra, quia tamen de hac materia hic D. Thom. exprofeſſò ſermonem facit, placet exprofeſſo hic hanc quæſtionē exprofeſſo tractare, & reſolvere. Supponit ergo quæſitum nomina ſubſtantiva ſignificantia eſſentialia prædicata Dei tantū ſingulariter dici de tribus perſonis, & hoc ſive in concreto, ſive in abſtracto ſignificent: & hoc ideo, quia cū hæc nomina ſive concreta, ſive abſtracta ſint, ſignificent formam per modum ſubſtantiæ, & ſubſtantia à ſe ipſa habeat eſſe, à ſe ipſa habet pluralitatem; vnde ad ſui pluralitatem neceſſario requirit pluralitatem formæ ſignificatæ per nomen, ita quod, ſi non ſint plures formæ nullo modo nomen ſubſtantive ſignificans pluraliter dici poteſt. Suppoſito ergo, quod ad pluralitatem nominis ſubſtantivi requiratur pluralitas formæ, & non ſufficiat pluralitas ſuppoſitorum, reſtat ſcire: an ſola pluralitas formæ ſufficiat ad pluralitatem nominis ſubſtantivi, ita vt, ſi Verbum duas humanitates aſſumeret, dicendum ſit duo homines? Et quæſtio præſens non procedit de nominibus ſubſtantivis abſtractis: ſicut hoc nomen Deitas, Eſſentia: de his enim certiſſimum eſt ſufficere pluralitatem formæ; quia per talia nomina nihil aliud ſignificatur præter formam ſubſtantialem: & ſic ipſa ſola multiplicata, neceſſum eſt, quod nomen pluralitatem accipiat. Procedit ergo præſens difficultas de concretis, vbi, & habetur forma, & habetur ſuppoſitū, quod eſt habens formam.

In quo puncto elucidando Vazquez hic diſput. 155. cap. 4. tenet ad pluralitatē concreti ſubſtantivi ſufficere pluralitatem formarum, ita vt, ſi aliqua perſona divina duas aſſumeret humanitates, dicenda eſſet duo homines. Citat pro ſe Altiſiodorenſem, Scotum, & Capreolum. Oppoſita tamen ſententia communior eſt. Illam ſequitur nobilior pars Thomiſtarum, & extra Scholam Thomiſticam innumeri alij Ieſuitæ.

377 Sit Concluſio ad pluralitatem nominis ſubſtantivi non ſufficit multiplicatio formæ, ſed requiritur multiplicatio ſuppoſitorum. Concluſio eſt Div. Thom. 3. part. quæſt. 3. artic. 7. ad ſecundum, vbi loquens de caſu, quo vna perſona aſſumeret duas humanitates, ſic habet: *Poſſit videri dicendum, quod prædicta poſitione facta, ſequeretur quod eſſent duo homines propter duas naturas, abſque eo, quod eſſent ibi duo ſuppoſita: Sicut è converſo tres perſonæ dicerentur vnus homo caſu, quo vnam aſſumerent humanitatem: ſed hoc non videtur eſſe verum, quia nominibus vtendum eſt ſecundum quod ſunt ad ſignificandum impoſita; nunquam autem nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur niſi ob pluralitatem ſuppoſitorum, & ideo; ſi perſona divina aſſumeret duas naturas humanas, diceretur vnus homo habens duas naturas humanas.* Quibus noſtram concluſionem expreſsis verbis declaravit.

Prob. ſecundo alia authoritate Div. Thom. quæſt. 36. art. 4 ad 2. ibi: *Dicendum, quod cum dicitur, Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti, deſignatur vna proprietas, quæ eſt forma ſignificata per nomen; nec ſequitur, quod propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum.*

Huic authoritati reſpondet Vazquez D. Thom. negaſſe, Patrem eſſe duo principia, quia in illa propoſitione fieret loquutio, quod eſſet duo principia realiter diſtincta; non tamē negare eſſe duo principia ratione diſtincta: eo enim tantum modo, quo proprietates plurificantur, oportet plurificari principia: cumque proprietates Patris, nempe vis generativa, & vis ſpirativa ſola ratione diſtinguantur: huic fit, quod Pater ſit dicendus duo principia ſecundum rationem; non vero abſolute duo principia, ne detur intelligi, quod eſt duo principia realiter diſtincta.

Sed contra inſto. Tum; quia D. Thom. non negat, Patrem eſſe duo principia, quia dicta propoſitio faciat ſenſum, quod Pater ſit duo principia realiter diſtincta, ſed ex eo, quod in illa loquutione implicatur pluralitas ſuppoſitorum, vt conſtat ex litera: ergo explicatio adducta aperte pugnat cum D. Th. Tum etiā, nam iuxta Vazquez ad multiplicationem ſolius formæ multiplicantur concreta: ergo, quod ſufficit ad multiplicandū abſolute formas, ſufficiet

ad multiplicandum abſolute concreta ſubſtantiva; ſed in Patre abſolute loquendo dicitur, quod ſunt duæ proprietates; hæc enim abſolute conceditur, *in Deo ſunt quatuor relationes*: ergo abſolute ſecundum Vazquez debet concedi, quod Pater ſit duo principia.

378 Ratione prob. Concluſio. Nam, licet nomen ſubſtantivum ſignificet formam per modum per ſe ſtantis; non tamen ſolam formam ſignificat, ſed etiam ſuppoſitum: igitur ad ſui pluralitatem requirit non tantum pluralitatem formæ, ſed etiam pluralitatem ſuppoſitorum. Conſeq. patet nam ad multiplicationem nominis præ requiritur multiplicatio ſignificati adæquati: ergo, cum ſignificatum adæquatum nominis ſubſtantivi non ſit ſola forma, non ſufficiet multiplicatio ſolius formæ ad multiplicationem nominis ſubſtantivi. Ant. vero prob. nam homo non ſignificat tantum humanitatem, ſed hominem, qui eſt habens humanitatem, hoc eſt, ſuppoſitum, & forma: ergo.

Dices concretum accidentale tantum ſignificare formam; & nihilominus ad ſui multiplicationem non requirit multiplicationem formæ: ergo eſto concretum ſubſtantiale ſignificet ſuppoſitum non requirat ad ſui pluralitatem, pluralitatem ſuppoſitorum. Sed contra eſt. Nam concretum accidentale, ideo non requirit multiplicationem formæ, eſto illam tantum ſignificet, quia ſignificat illam vt habentem eſſe à ſubiecto, cui inhæret, ac per conſequens, vt habentem vnitatem, & pluralitatem ab illo: cæterum concretum ſubſtantiale non ſignificat, neque formam vt habentem eſſe à ſuppoſito, neque ſuppoſitum vt habens eſſe à forma, ſed vtrumque ſignificat per modum ſubſtantiæ: igitur nomen concretum ſubſtantivum requireret ad ſui pluralitatem multiplicationem vtriuſque, nempe formæ, & ſuppoſiti. Mai. & certa, & Min. Prob. ſuppoſitum eſt id, in quo ſubſiſtit, & exiſtit forma: igitur nomen concretum ſubſtantivum non ſignificat ſuppoſitum vt habens eſſe à forma, ſed ſignificat illud per modum primæ ſubſtantiæ.

Secundo prob. ratione Concluſio. Ad diſtinctionē nominis ſubſtantivi ab adiectivo ſufficit, quod illud ad ſui pluralitatē requirat pluralitatem non ſolum ſuppoſitorum, ſed etiam formarum; illud vero tantum deſideret pluralitatem ſuppoſitorum: ergo vt aſſignemus diſcrimen inter vtrumque nomen, non oportet dicere, quod nomen ſubſtantivum ad ſui multiplicationem ſolum deſideret pluralitatem formarum.

Tertio prob. nam nomen ſubſtantivum ſignificans duas formas in vno ſuppoſito, neceſſario debet ſignificare illas vt conveniunt in habere vnum ſuppoſitum: ergo dum vnicuique formæ non correſpōdet ſuum ſuppoſitum, non poterit nomen concretum pluraliter dici. Patet Conſeq. quia ſaltim ad pluralitatem requirit concretum ſignificare formas plures, vt plures: ergo ſi dum vniuntur in vno ſuppoſito, neceſſum eſt ſignificari vt vniuntur, non poterit concretum pluraliter dici. Prob. Antec. dum vna forma ſubſtantialis reperitur in tribus, illa tria non poſſunt ſignificari per nomen concretum ſubſtantivum, vt plura, quia neceſſario debent ſignificari vt vniuntur, & conveniunt in vna forma: ergo dum duæ formæ vniuntur in vno ſuppoſito, nomen ſubſtantivum concretum nequit ſignificare illas, vt plures, ſed tantum vt ſunt vnum in ſuppoſito. Patet Conſeq. nam non minus concretum ſubſtantivum ſignificat ſuppoſitum per modum ſubſtantiæ, quam ipſam formam: igitur, ſi dum plura habent vnam formā, nomē ſubſtantivū neceſſario ſignificat illa, vt ſunt vnum in forma; etiā dum vna perſona habet duas formas, nomen concretum ſubſtantivum neceſſario ſignificabit illas formas, vt ſunt vnum in ſuppoſito.

Quarto prob. nomen ſubſtantivum concretū per ſe primo ſignificat compoſitū ex natura, & ſuppoſito: ergo, dum non pluriſicantur compoſita, nequit multiplicari nomen; ſed ſi duæ naturæ ſint in vno ſuppoſito, non erunt duo compoſita, ſed tantū vnum ex vna perſonalitate, & duabus formis: igitur in data hypotheſi non multiplicabitur nomen ſubſtantivū. Prob. Min. In Chriſto ex duabus naturis vnitis in vna perſona, tantū fit vnū cōpoſitū ſubſtantiale, & vna perſona cōpoſita: ergo ex duabus naturis vnitis in vno ſuppoſito, tātū fit vnū compoſitū ſubſtātiale. Confir. Corpus non amitteret vnitatē per hoc, quod ſucceſsive plures formæ corporeæ diverſę ſpeciei terminētur ab eodē ſuppoſito: ergo neq; amitteret vnitatē, eſto ſimul terminarētur plures formæ ſubſtātiales ab eodē ſuppoſito. Prob. Ant. iuxta D. Th. in triduo mortis Chriſti erat verū dicere de Chriſti corpore, quod

eſſet

Digitized by Google

eſſet idem, ac erat antè mortem; & tamen tunc ratio corporis proveniebat à forma cadaveris, quæ ſpecie diſtincta eſt à forma rationali, quam antea habebat: ergo ſucceſsio plurium formarum ſub eodem ſuppoſito nō facit amittere vnitatē corporis.

§. II.

Soluuntur argumenta contra Concluſionem.

379 PRIMO Arguit Vazquez ex D.Tho. in hoc art.3. ibi: *Vnde ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantivi attenditur ſecundum formam ſignificatam per nomen.* Ex quibus ſic argumentū. Singularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantivi attenditur ſecūdū formam ſignificatam per nomen: igitur, ſi ſola ſingularitas formæ facit vt concretū dicatur ſingulariter, ſola pluralitas formæ faciet concretum dici pluraliter. Ad hoc nego Conſeq. Nam, cum nomen concretum ſubſtantiale per ſe primo ſignificet compoſitum, non poteſt dici pluraliter niſi plurificatis compoſitis; ad pluralitatem autē compoſiti ſubſtantialis requiruntur duo, & plurificatio formę, & plurificatio ſuppoſiti: vnde quolibet horū ablato, nomē concretū dicetur ſingulariter, & nō pluriliter.

Sed contra hanc ſolutionē inſto. Nam D.Thom. dicit, quod ſingularitas nominis attenditur ſecundum ſingularitatē formæ: ergo requirit ad ſingularitatem nominis concreti ſubſtantivi, quod forma ſit vna, & ſingularis: ergo in caſu, quo formæ ſint duæ, nomen non dicetur ſingulariter, ſed pluraliter. Confir. cum D.Thom. In eodem art. aſſerit: *Et ideo in adiectivis ſingularitas, & pluralitas attenditur ſecundum ſuppoſita*, vult dicere, quod ad multiplicationem nominis adiectivi ſufficit multiplicatio ſuppoſitorum, ſic, quod nullo modo requiratur multiplicatio formæ: ergo, dum dicit ſingularitas, & pluralitas nominis ſubſtantivi attenditur ſecundū formā ſignificatam per nomen, vult dicere, ad ſingularitatem nominis ſubſtantivi requiri, & ſufficere ſingularitatē formæ, & ad pluralitatem requiri, & ſufficere formæ pluralitatem ſignificatæ per nomen.

Hæc replica difficillima eſt. Cæterum, cum conſtet ex alijs locis D.Th. de mente eius; ad illam reſpondeo neg. Conſeq. non enim D.Th. dicit ad ſingularitatē nominis attendi debere ad ſingularitatē formæ ſignificatæ per nomen, quia ſi hæc non adſit nomen ſingulariter non dicetur; ſed ideo, quia ſi contingat vnā formā eſſe in pluribus ſuppoſitis, ad indagandam pluralitatem, vel ſingularitatē nominis non debemus attendere ad ſuppoſita, ſed ad formam, quia hac exiſtēte ſingulari, nomen ſubſtantivū non poteſt dici pluraliter, etſi plura ſuppoſita habeat: vult enim D.Th. tantū aſsignare diſcrimen inter nomen adiectivum, & ſubſtantivum in eo, quod ſi plura ſuppoſita poſsideant vnam formā ſubſtantialem, nomen ſubſtantivū propter ſingularitatē formæ tantū dicetur ſingulariter: ſi autem adiectivum ſit, dicetur pluraliter ob ſolā pluralitatem ſuppoſitorum.

Ad Confir. nego Conſeq. quia licet idē ſit tenor verborum D. Thom. in adiectivis, & ſubſtantivis; non tamen eadē eſt materia, de qua ſit loquutio. Etenim in adiectivis, cum ſuppoſitū ſit tota rei ſubſtantia, & forma ſit tantū eſſe ſecundum quid; ad ſingularitatem, & pluralitatem adiectivorū, tantum attendi debet ſingularitas, vel pluralitas ſuppoſitorum, & non formarum; in ſubſtantivis res non ita contingit, quia neque forma eſt tota ſubſtantia, neque ſuppoſitum, ſed compoſitum ex natura, & ſuppoſito, quod primo ſignificatur per nomen; & ſic, cū ex vna forma, & pluribus ſuppoſitis fiat vnum ſubſtantivū, attendere debemus ad hoc, quod forma eſt vna, & non plurificare concreta. Et quando ex pluribus formis, & vno ſuppoſito ſit vnū compoſitum, non debemus attendere ad hoc, quod formæ ſint plures, ſed ad hoc, quod ſuppoſitum eſt vnū, quia quantumvis formæ multiplicentur non fiunt plura compoſita, ſed vnū, quod primo ſignificat nomen ſubſtantivum: vnde ſi Petrus habeat plures artes non dicitur plures Artifices, ſed vnus tantum Artifex.

Nec valet inſtantia, quam contra hanc doctrinam facit Vazquez, videlicet, quod ille modus loquendi ad ſingularitatem, vel pluralitatem nominis attendi debet ſingularitas, vel pluralitas formæ: videtur in rigore Scholaſtico ſonare hoc, quod ad ſingularitatem nominis ſubſtantivi requiratur, & ſufficiat ſingularitas formæ, & ad pluralitatem requiratur, & ſufficiat formæ pluralitas. Non inquam valet, nam rigor ille literæ debet attemperari per ea, quæ alibi in ſumma D.Thom. docuit; cumque in 3.p.q.3.art.7. dixerit, quod in caſu, quo vna perſona aſſumpſiſſet duas naturas

dicitur calefacere calefactione, ſed etiam ipſo ſuo effectu producto. Non ſic in ſecundo genere actionum res habet, nam cum inter vltimum terminum, quem actio reſpicit, & ipſam actionem nihil mediet productum; agens tunc ſola actione, & forma, quam in ſe habet, ad vltimum terminum pervenit, & ſic nequit ab ipſo termino producto à ſe denominari: vnde tantũ dicetur, quod generans ſua forma, & actione generativa generat, non vero ipſo genito. Et idẽ eſt de iſto termino *ſpirat*. Spirans enim vt ſic, tantum reſpicit ſpiratum, & ad illum ſola forma, & ſpiratione pervenit; non vero ipſo termino producto. Vnde nequit dici, quod Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto, quia terminus adæquatus ſpirationis Patris, & Filij, eſt Spiritus Sãctus; & ſic medio Spiritu Sancto non itur ad aliũ terminum: terminus autem dilectionis eſt amor productus per dilectionem, ſed non eſt vltimus terminus, quem dilectio reſpicit, ſed tantum terminus immediatus, quo itur ad vlteriorem terminum: & ſic poſſumus dicere Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto. Sic Albelda.

359 D. Thom. rationem veritates illius propoſitionis, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, ex eo aſsignat, *quia contingit* (inquit) *aliquando agens denominari tale non ſolum à ſua actione, ſed etiam à termino, qui eſt effectus actionis. Quando autem hoc accidat* (inquit D. Thom.) *hoc accidere, quãdo ipſe effectus in intellectu actionis includitur; dicimus enim, quod ignis calefacit non ſolum forma ſibi intrinſeca, ſed etiam calefactione, quæ eſt eius effectus: dicimus etiam, quod arbor floret floribus, quamvis flores non ſint forma arboris, ſed quidam effectus ab ipſa procedentes; cum ergo Spiritus S. ſit de intellectu dilectionis notionaliter ſumpta, ſicut Verbũ eſt de intellectu dictionis: ſicut enim eſt vera hæc, Pater dicit ſe Verbo; ita & hæc eſt vera, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Sic Div. Thom. verum hanc rationem impugnavit Scotus in 1. diſt. 32. q. 1. dicens, quod non minus clauditur in cocepru ſpirationis Spiritus Sanctus, ac clauditur in conceptu dilectionis; & tamen non dicimus Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto: ergo neque propter hoc dicendum erit, quod Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.

Vt Caietanus hanc inſtantiam diluat, notat, quod effectum eiuſcuius actionis claudi in intellectu eius ſtat dupliciter, vel per modum termini ſpecificantis dictam actionem, & reducentis illam ad ſpeciẽ actionis determinatæ, ſicut de albare claudit albedinem, & calefacere calorem; alio modo contingit effectũ claudi in intellectu actionis vt coniunctum illi actioni, vt productũ ſuæ productioni; ſicut in ly *dico* vocaliter ſumpto clauditur Verbum vocale, eſt enim dicere, proferre Verbum: quando ergo terminus productus clauditur in intellectu actionis vt coniunctus actioni, vt productũ ſuæ productioni; tunc poteſt agens denominari à ſuo effectu in ablativo caſu. Cuius eam aſsignat rationem; quoniam Verba ſic includentia effectus, ſi conſtruantur tranſitive cum aliquo, non dicunt ad illum habitudinem producentis ad productum; vt videre licet cum ſortes dicit Hiſtoriam Troyæ: dicere illud ſolũ importat habitudinẽ producentis ad productum reſpectu verborum vocaliũ, quibus narratur Hiſtoria; non vero reſpectu rerum geſtarum, quæ exprimuntur per voces.

His ergo prænotatis reſpondet Caietanus ad obiectionẽ, quod effectus harum actionum ſpirare, ædificare, generare tantum clauduntur in his actionibus, prout ſic ſignificantur, tanquã termini ſpificantes dictas actiones; nõ vero vt coniuncti ſuis productionibus; & ſic non ſequitur, quod ſi hæc non eſt vera, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*; quod hæc etiam non ſit vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*. Sic Dominus Caietanus. Sed vellem ſcire, quid eſt ſignificare effectum vt coniunctum actioni, vt productum productioni; & cur ex hoc ſequitur, quod actio quæ ſignificat effectum vt coniunctum ſuæ productioni, ſi conſtruatur tranſitive in ordine ad aliud, non explicet habitudinem producentis ad productum in ordine ad illud.

Ad primum quæſitum dico, illã actionem ſignificare ſuum effectum vt ſibi coniunctum, vt productum productioni, quando in ſignificatione verbi per quod ſignificatur actio clauditur etiam ipſe effectus vt productus per actionem. V. g. verbum *dico* quod ſignificat actionẽ, qua quis loquitur; non ſolũ actionẽ talẽ ſignificat, ſed etiã ipſum Verbũ vt productũ per actionẽ: vnde idem quod ſignificatur per has voces *profero Verbum*, hoc tantũ dicit illa ſola vox *dico*. Ex hoc evidenter colligitur reſponſio ad ſecundũ quæſitũ; ſi enim effectus talis actionis tantũ ſignificatur intrãſitive per ipſummet verbum, per quod actio ſignificatur: igitur, cum dictum verbum conſtruitur

cum

Digitized by Google

tam aliquo alio tranſitiue in caſu accuſandi, non habebit in ordine ad illum importare habitudinem producentis ad productum.

§. III.

Defenditur hic modus dicendi.

360 ESTO Omnes alij modi dicendi relati veri, & ingenioſi ſint; iſte tamen magis placet. Tum quia D.Tho. eſt. Tum propter ſubtilitatem Caietani in explicatione D.Th. Tum etiã, quia magis radicitus veritatem illius propoſitionis, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, declarat, verbum enim *diligo* in ſuo intellectu claudit amorem, quem producit; & ſic dum conſtruitur tranſitiue cum illo accuſatiuo *ſe* non importat habitudinem ad illum producentis ad productum, ſed diligentis ad rem dilectam: ſicut in hac, *Pater dicit ſe Verbo* non importat ly *dicit* ad accuſatiuum habitudinem producentis ad productum, ſed tantum habitudinem dicentis ad rem dictã verbo, id eſt expreſſatam per verbum. Hinc clarum apparet diſcrimẽ inter hæc ſpirare, generare, producere amorem, & diligere, vel dicere, quod verbum *ſpirare* tantum ſignificat ipſam actionem, quæ eſt ſpirare; verbum generare tantum ſignificat ipſam actionem, quæ eſt generatio: vnde quando conſtruuntur cum accuſatiuis tranſitiue ſemper important habitudinem producentis ad rem productam; vnde cum dico, *Petrus generat ſe*, eſt falſa, cum dico *Petrus ſpirat ſe* eſt falſa, cum dico, *Petrus producit ſe* eſt falſa; quia in omnibus his verbum ſignificans dictas actiones importat ad accuſatiuum, cum quo conſtruitur, habitudinem producentis ad productũ: quæ ex oppoſito non contingunt in his *Petrus diligit ſe, Petrus dicit ſe*, quia in his nõ explicatur ex parte verbi habitudo producentis ad productum. Apparet etiam quam ad rem D.Tho. adduxerit exemplum floritionis arboris: dicimus enim, quod *arbor eſt florens floribus*; quia verbum *florere* non ſolum ſignificat ipſam actionem emiſſionis florum: ſed etiam ſignificat ipſos flores vt effectus coniunctos productioni; vnde cum dico, *arbor floret floribus*, non explico aliquam actiuitatem, quam arbor exerceat in ſe ipſum: & ſic propoſitio eſt vera.

361 Sed contra dicta aliqua militant argumenta. Primum eſt: Dilectio notionaliter ſumpta idem prorſus ſignificat, quod ſpiratio; ſed hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: ergo & hæc erit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*. Confirm. verbum *diligo* notionaliter ſumptum tantum ſignificat productionem Amoris; cum ergo tantum producatur Amor, qui Spiritus Sanctus eſt: non videtur eſſe verum, quod loquendo de Amore notionaliter ſumpto, dicta propoſitio vera ſit. Confir. ſecundo, iuxta doctrinam D.Th. ſupra quæſt. 27. productio verbi formaliter eſt intelligere, & productio amoris formaliter eſt diligere; neque enim diſtinguimus duas actiones, vt Scotus vult, quarum altera ſit mera productio, & altera ſit pura intellectio, vel pura volitio: ergo ſpirare Spiritum Sanctum, per quod denotatur productio Spiritus Sancti, formaliter eſt diligere, hoc eſt, diligendo producere. Tunc ſic, & tamen hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto*: ergo & hæc erit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

Ad hoc argumentum diſt. Mai. idem ſignificant ex parte rei ſignificatæ, tranſ. Mai. formaliter ſumptæ nego Mai. & cõc. Min. nego Conſ. Itaque, licet hoc, quod eſt producere amorem, fiat per dilectionem; tamen ſpiratio non eſt impoſita ad ſignificandam ipſam productionem amoris prout formaliter fit per dilectionem; ſed tantum eſt impoſita ad ſignificandum ipſam dilectionem ſub ſolo munere productionis: & ſic per Verbum *ſpirat* tantum importatur habitudo producentis ad productum; vnde illa eſt falſa: dilectio autem notionaliter ſumpta ſignificat productionem amoris, prout fit media dilectione rei dilectæ, & ſic licet in ordine ad amorem ſeruet habitudinem producentis ad productum: in ordine tamen ad rem dilectam tantum dicit habitudinem actionis ad ſuum obiectum, & ſic illa eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*.

Ad primam Confir. dico quod Verbũ *diligo* notionaliter ſumptum ſignificat productionem amoris, prout formaliter fit per dilectionem obiecti dilecti; & ſic non ſignificat ipſum ſolum munus productionis: vnde Confirmatio nihil probat. Ad ſecundam dico, quod licet ita ſit, quod in doctrina D.Tho. non diſtinguantur duo actus, quorum alter ſit volitio, & alter ſit productio impulſus; tamen in eodem actu diſtinguimus duo munia, alterum volendi, & alterum producendi; ſpiratio ergo impoſita

ta

Digitized by Google

ta eſt ad ſignificandum hoc tantum munus dilectionis, quod eſt producere, & ſic tantum importat habitudinem producentis ad rem productam; nomine autem dilectionis vtrumque munus ſignificatur : & ſic non præciſſe habetur per illum habitudo producentis ad rem productam, ſed etiam habitudo volentis ad volitum; vnde non ſequitur quod ſi hæc eſt falſa, *Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto* : etiam hæc ſit falſa, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.*

362 Secundo arguitur contra noſtram doctrinam. Si hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, ſequeretur prius eſſe prioritate originis Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, quam Patrem, & Filium ſe diligere; Conſ. nequit admitti: ergo. Prob. Sequela. Patrem, & Filiũ diligere ſe Spiritu Sancto denotat Spiritum Sanctum eſſe veluti formam mediam inter dilectionem, & rem dilectam: ergo denotat formam ad quam pervenit diligens per productionem prius origine eſſe, quã quod media illa producta perveniat ad rem dilectam: ergo ſi hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*; Spiritus Sanctus prioritate originis prius intelligetur habere eſſe, quam Pater, & Filius diligant ſe.

Ad hoc argumentum loquendo de amore notionali, qui compleiur per impulſum productum, non habeo pro inconvenienti dicere, quod dilectio notionalis prius ſe exerceat ſub munere productionis, quam ſub munere volitionis ad rem dilectam; & ſic non habeo pro inconvenienti dicere prius prioritate tantum originis Spiritum Sanctum produci, quam notionaliter ſe diligant Pater, & Filius.

Et ſi inſtes Spiritus Sanctus eſt Amor adæquate amicabilis : ergo petit procedere ex amore, quo ſe diligunt Pater, & Filius: ergo prioritate originis præcedit dilectio etiam notionalis proceſsionẽ Spiritus Sancti. Ad hoc diſt. primum Conſ ex amore, id eſt, per amorem, quo ſe diligunt Pater, & Filius conc. Conſ. ſi ly *ex* denotet prioritatem nego Conſ. & nego aliam, quæ ſub infertur. Itaque ad hoc, quod Spiritus Sanctus ſit Amor amicabilis non requiritur, quod præſupponat amorem mutuum vt notionalem; nam prout ſic primo ſe explicat in productionem impulſus, & deinde medio impulſu notionaliter pervenit ad rem dilectã. Dixi notionaliter, quia ſi fiat ſermo de amore vt eſſentiali, ſic certum eſt, Patrẽ, & Filiũ mutuo ſe diligere eſſentiali amore, & eſſe prius origine, quã proceſsio Spiritus Sancti.

363 Tertio arguitur. Hæc propoſitio eſt falſa, *Pater eſt ſapiens Sapientia genita*: ergo, & hæc eſt falſa, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto*. Prob. Conſ. ideo prima eſt falſa, quia in illa datur intelligi, quod Sapientia Patris aliquo modo principietur à Sapientia Filij, quæ eſt Sapientia genita; ſed etiam in ſecunda datur intelligi, quod dilectio Patris ergo ſe aliquomodo principietur à Spiritu Sancto: ergo ſicut prima eſt falſa, etiam ſecunda erit falſa. Prob. Min. nam non videtur poſſe aſsignari diſcrimen inter hoc, quod in prima denotetur Sapiẽtiam Patris principiari à Sapientia Filij, & quod in ſecunda dilectio Patris erga ſe nõ principietur à Spiritu Sancto. Communiter reſpondetur ad hoc, negando Conſ. & aſsignando diſcrimen inter vnam, & aliam propoſitionem: in prima enim propoſitione fit ſenſus iſte, nempe, Patrem in ſeipſo eſſe ſapientem Sapientia genita, hoc eſt, Filio, quod falſiſsimum eſt; ſiquidem Pater ex ſua eſſentia, & ſuis attributis habet eſſe ſapientem, non autẽ à Filio: vnde dicta propoſitio eſt falſa, quia aſsignatur in ea pro cauſa formali id, quod cauſa formalis non eſt; in ſecunda autem propoſitione cum ex parte Patris ponatur actus, quo producitur Spiritus Sanctus, non denotatur prædictam dilectionem principiari à Spiritu Sãcto, ſed potius denotatur Spiritum Sanctũ eſſe terminum primo productum, vt illo Pater in ſeipſo à ſe diligatur.

Inſtas ex hac doctrina ſequi hanc deberi conceti, *Pater ſapit ſapientia genita*; Cõſ. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela. In hac propoſitione non denotatur ſapientiam convenire Patri per modum effectus formalis, ſed per modum actus, cuius terminus productus eſt Sapientia genita; ſicut in hac, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto*, nõ denotatur aliquis effectus formalis, ſed actio, qua producitur Spiritus Sanctus : ergo ſi propter hoc, hæc ſecunda eſt vera, ita eſt prima erit admittenda vt vera.

Pro ſolutione huius argumenti Adverto, quod D. Tho. dicit in art. 1. huius quæſtionis 37. ad 1. videlicet, quod hoc Verbum *intelligere*, tantum ſumitur eſſentialiter, eo, quod pro notionalibus ſignificandis ſunt alia vocabula impoſita: intelligere autem, & ſapere idem prorſus ſunt. & ſic ſi *intelligere* tantum ſumitur eſſentialiter, *ſapere* tantũ ſumitur eſſentialiter, Quod ex-

expreſſe affirmat in art. 2. ſolutione ad 1. his verbis: *Dicendum, quod eſſe ſapientem, vel intelligentem nõ ſumitur niſi eſſentialiter.* Vnde ad argumentum nego Sequelã, ad prob. nego Ant. nam Sapientia genita non producitur per ſapere eſſentiale, ſed per dicere, quod ſignificat, intelligendo Verbum producere, & ſic dicta propoſitio eſt falſa; quia actio eſſentialis ſapientiæ non fit Verbo perſonali, quod datur intelligi in dicta propoſitione. Hinc hæc eſt vera, *Pater dicit ſe Verbo*, ſicut hæc, *Pater diligit ſe Spiritu Sancto.*

364 In calce huius quæſiti inquires; vtrum hæc ſit vera, *Spiritus Sanctus diligit ſe ſeipſo, vel Spiritu Sancto?* Et ratio dubitandi ea eſt, quia vel loquimur in dicta propoſitione de dilectione eſſentiali; & ſic propoſitio videtur falſa, quia in illa datur intelligi, quod Spiritus Sanctus diligat ſe Spiritu Sancto producto per dilectionem ſuam, quod falſiſsimum eſt: vel loquimur de dilectione perſonali, & ſic etiam videtur falſa; ſiquidem Spiritus Sanctus non diligit ſe amore notionali, ſed tantum eſſentiali: ergo illa propoſitio in omni ſenſu eſt falſa. Pro parte affirmante quod ſit vera, etiam eſt ratio dubitandi, quia loquendo de dilectione eſſentiali veriſsimũ eſt dicere, quod Spiritus Sanctus ſe ipſo ſe ipſum diligit, ita quod ablativus non denotet principium quo, ſed quod: ergo propoſitio erit vera.

Ad hoc quæſitum reſpondet D. Th. in primo diſt. 32. quæſt. 1. ar. 2. ad 4. ſub diſtinctione de dilectione eſſentialiter ſumpta, & ſic dicit eſſe veram; quia tunc ablativus nõ dicit principium quo, ſed quod, & veriſsimum eſt, quod Spiritus Sanctus ſe ipſo vt principio quod diligit; ſicut enim ſuppoſitum Patris diligit vt quod Spiritum Sanctũ ita Spiritus Sanctus vt quod diligit ſe ipſum & ſic propoſitio eſt vera: loquendo vero de dilectione notionali, propoſitio dicta eſt falſa, quia fit ſenſus; quod Spiritus Sanctus producendo Spiritum Sanctum, ipſo Spiritu Sancto producto ſe ipſum diligat, quod falſiſsimum eſt.

365 Inquires tandem, an hæc debeat admitti; *Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu Sancto?* Et quidem ſi loquamur de dilectione eſſentiali propoſitio eſt falſa, quia amor eſſentialis non fit amore producto, ſed ipſa eſſentia divina; qua ratione negamus hanc loquẽdo de amore eſſentialiter ſumpto, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Si loquamur de amore notionali, etiam videtur falſa, nam dilectio creaturarum ad extra non eſt notionalis, cum conveniat toti Trinitati.

Huic quæſito affirmative reſpondet D. Thom. hic ar. 2. ad 3. loquendo de diligere ſumpto notionaliter. Et aſsignat rationem, quia ſicut hæc eſt vera, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, quia diligendo ſe producunt Spiritum Sanctum, qui primario eſt ratio amandi divinam bonitatem; ita hæc alia erit vera, *diligunt creaturas Spiritu Sancto*, quia producunt Spiritum Sanctum, qui ſecundario etiam eſt Amor creaturarum: vnde ſicut hæc eſt vera, *Pater dicit ſe, & omnem creaturam Verbo, quod genuit*: ita erit verum dicere, *Pater diligit ſe, & omnem creaturam Amore, quem produxit.* Et ad id, quod dicitur in contra; quod reſpective ad res ad extra non datur in Deo actio notionalis; cũ debeat eſſe omnis actio ad extra communis tribus perſonis. Dico, reſpectu rerum ad extra dari actionem notionalem, non reſpective ad omnes perſonas Trinitatis, ſed ad aliquas. Itaque ipſamet dilectio, qua Pater, & Filius Spiritu Sancto, quem producunt, diligunt creaturas, eſt notionalis reſpective ad Patrem; & Filium; & eſſentialis reſpective ad Spiritum Sanctum, à quo Spiritus Sanctus non procedit: & ſic ſalvatur, quod omnis actio ad extra communis ſit omnibus perſonis, & nihilominus reſpectu aliquorum ſit notionalis; ſicut, & ad intra illa ipſiſsima dilectio, qua Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, eſt qua Spiritus Sanctus diligit ſe, Patrem, & Filium, & nihilominus eſt notionalis reſpective ad Patrem, & Filium, & eſſentialis reſpective ad Spiritum Sanctum.

QVÆSTIO XV.

De nomine Spiritus Sancti quod eſt Donum.

366 DONVM eſſe nomen alicuius divinæ perſonæ probat D. Th. hic quæſt. 38. ar. 1. ex eo, quod nomine Doni importatur aptitudo ad hoc, vt donetur; in hac autem aptitudine duo ſunt, ſcilicet habitudo ad id, à quo datur, & habitudo ad id, cui datur; non enim daretur ab aliquo niſi eſſet eius, & ad hoc alicui datur vt eius ſit: perſona autem divina dicitur eſſe

Digitized by Google

eſſe alicuius, vel ſecundum originem, ſicut Filius eſt Patris, vel in quantum habetur ab aliquo: habere autem dicimus id, quo libere vti, vel frui poſſumus, & per hunc modũ diuina perſona haberi poteſt à creatura rationali quæ ſic eſt particeps diuini Verbi, & procedentis Amoris, quod poteſt libere Deum velle, & libere Deum verum cognoſcere; ad quod cum non poſsit peruenire propria virtute, oportet, quod detur illi deſuper, & ſic diuinæ perſonę proprie competit eſſe Donum: ergo Donum eſt proprium nomen diuinæ perſonæ.

Quod hoc Donum, ſecundum quod perſonaliter dicitur, ſit proprium nomen Spiritus Sancti, probat in art. 2. ex eo quod, cum Donum ex Philoſopho ſit datio irredibilis, idem, quod non datur intuitu retributionis importat eſſentialiter gratuitam donationem; ratio autem gratuitæ donationis eſt amor, ideo enim damus gratis aliquid alicui, quia volumus ei bonum: primum ergo, quod ei damus eſt amor, quo volumus ei bonum; vnde manifeſtum eſt, quod amor obtinet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur: cũ ergo Spiritus Sãctus procedat vt Amor, procedit in ratione primi doni, & ſic Donum eſt proprium nomen Spiritus Sancti.

§. I.

Vtrùm ratio doni conueniat Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis?

367 DVO reperiuntur in dono nempe materiale, & formale: materiale eſt illa res, quæ datur, vel eſt dabilis gratioſè, & liberaliter; formale autem eſt ipſa ratio dati gratis, & liberaliter. Ex parte materialis requiruntur duo, nempe, quod ſit alicuius; nihil enim gratioſe, & mere liberaliter dari poteſt niſi ab eo, cuius eſt, & quod ſit donabile alteri, nempe habitudo poſſeſibilis ab aliquo: ex parte autem formalis requiritur amor; amor enim eſt radix omnis dationis gratioſæ, & liberalis. Si ergo attendamus ad materiale doni, ſic Donum non eſt ita proprium nomen Spiritus Sancti, quod non conueniat etiam Filio diuino; ſiquidem Filius eſt res dabilis per gratioſam donationem, iuxta illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filiũ ſuum vnigenitum daret: conueniunt etiam illi omnes conditiones ad rationem doni; eſt enim Patris per originem, & poteſt poſſideri à iuſtis per gratiam, & Charitatem. Difficultas ergo meo videri eſt de ratione formali doni: vtrum hæc conueniat Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis, per quam procedit vt Donum, an illi conueniat ratione eſſentiæ, an ratione proprietatis relatiuę? Et quidem aliqui ſic opinati ſunt, quod ratio Doni non conueniat Spiritui Sancto ex vi proprietatis relatiuæ. Pro hac ſententia citari ſolet Caietanus, ſed immerito, vt legenti attentè ipſum ſuper hunc articulum patebit. Cæterum communis Theologorum doctrina tenet rationem Doni conuenire Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis.

368 Sit concluſio ratio Doni formaliſsime ſumpta conuenit Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis. Prob. concluſio. Primo authoritate Auguſtini 5. de Trin. cap. 11. his verbis. *Sed tamen ille Spiritus Sanctus, qui non Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur in eo, quod proprie dicitur Spiritus Sanctus relatiue dicitur, cum, & ad Patrem, & ad Filium refertur, quia Spiritus Sanctus, & Patris, & Filij Spiritus eſt; ſed ipſa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem, cũ dicitur Donum Dei; Donum etiam eſt Patris, & Filij.* Quibus habemus Donum Dei explicatius declarare relationem, qua Spiritus Sanctus conſtituitur, quam nomen Spiritus Sanctus, ſed ſi ratio Doni non conueniret Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis, hoc dictum Auguſtini eſſet falſum: ergo. Prob. Min. nam id, quod non conuenit perſonæ Spiritus Sancti ex vi proprietatis perſonalis, non poteſt exactius explicare ipſam relationem, qua Spiritus Sanctus, conſtituitur, quam nomen inuentum, & impoſitum ad ſignificandum illam, quale eſt nomen *Spiritus Sanctus*; ergo ſi eſſe Donum non conueniret Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis, falſum eſſet dictum Auguſtini.

Prob. ſecundo ex D. Tho. hic art. 2. in corpore ibi: *Ratio autem gratuitæ donationis eſt amor, ideo enim gratis damus alicui aliquid quia volumus ei bonum; vnde manifeſtum eſt, quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia gratuita dona donantur: vnde cum Spiritus Sanctus procedat, vt Amor, procedit in ratione Doni primi.* Quibus, & habemus concluſionem, & rationem concluſionis. Primum quidem hoc diſcurſu probo, id, quod conuenit Spiritui Sancto ex vi proceſsionis eſt illi conueniens ex vi proprietatis perſonalis; ſed ex D. Tho. Spiritus Sanctus procedit

Digitized by Google

dit in ratione primi Doni: ergo ratio Doni convenit Spiritui Sancto ex vi proprietatis perſonalis. Secundum expendam poſtea, cũ probavero ratione concluſionem.

Prob. ſimiliter hoc ipſum ex D. Th. in 1. ad Annibaldum diſt. 18. quæſt. vnica art. 4. ibi: *Dico igitur, quod proceſſio poteſt dicere emanationem Spiritus Sancti, vel relationem, vel proprietatem: ſic Spiritus Sanctus proprietate ſua formaliter loquendo eſt Spiritus Sanctus, & Donum, & Amor; non autem Deus: ſicut nec Filius filiatione eſt Deus formaliter, ſed filiatione eſt Filius, Deitate Deus, & Sapientia ſapiens; ſi dicat emanationem; tunc poteſt dici, quod Spiritus Sanctus ſua proceſſione eſt Donum, eſt Deus: ſicut etiam Filius ſua nativitate eſt Filius, & Deus.* Ex quibus ſic argumentor. Ea, quæ competunt perſonæ ratione relationis vt diſtinctæ à Deitate, abſolute conveniunt illi ex vi proprietatis perſonalis; ſed hæc tria Spiritus Sanctus, Donum, & Amor conveniunt perſonæ Spiritus Sancti ratione relationis perſonalis, vt diſtinctæ à deitate: igitur eſſe Donum formaliter loquendo convenit Spiritui Sancto ratione proprietatis perſonalis.

369 Ratione prob. concluſio. Ratio donabilitatis convenit Spiritui Sancto ratione proprietatis perſonalis: igitur & ratio Doni. Conſ. eſt evidens, & Ant. prob. ratio donabilitatis convenit alijs donis ex ratione amoris: ſed Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proprietatis perſonalis eſt Amor ſubſiſtens: ergo ex vi ſuæ proprietatis perſonalis convenit Spiritui Sancto ratio donabilitatis. Mai. huius ſyllogiſmi eſt D. Thom. hic in corp. illis verbis. *Ratio autem gratuitæ donationis eſt amor; ideo enim damus gratis alicui aliquid; quia volumus ei bonum.* Min. ſic Probo Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis ſuæ procedit per amorem Patris, & Filij: ergo id quod primo, & per ſe communicatur Spiritui Sancto eſt amor: ergo procedit primo, & per ſe, & per ſe ſubſiſtens in amore.

Dices hac ratione tantum convinci amorem eſſentialem primo, & per ſe communicari Spiritui Sancto; non vero Filio, quia Filio primo, & per ſe communicatur natura divina; perſonæ autem Spiritus Sancti primo, & per ſe communicatur amor eſſentialis; non autem convinci, ipſam relationem Spiritus Sancti eſſe Amorem, & ſic cum ratio doni formaliter ſit ex amore, non convinci rationem doni eſſe relationem.

Sed contra eſt, nam cum dicimus Spiritum Sanctum ex vi proprietatis relativæ eſſe Amorem, non loquimur de amore, vt quo; ſed de Amore relative ſubſiſtenti, id eſt de primo ſubſiſtenti in Amore; ſicut dicimus tertiam Trinitatis perſonam ex vi proprietatis relativæ eſſe Spiritum Sanctũ, quia eſt talis conditionis, quod illi convenit primo, & per ſe ſubſiſtere in impulſu Sancto, & Filium appellamus Verbum ex vi proprietatis relativæ, quia ex vi illius convenit illi, quod primo, & per ſe communicetur notitia Patris dicentis illud: ergo cum ſolutio data admittit convinci ratione noſtra, quod Spiritui Sancto ex vi proprietatis ſuæ convenit primo, & per ſe ſubſiſtere in amore, tenetur fateri etiam illa convinci, quod Spiritui Sancto ratione ſuæ proprietatis relativæ conveniat eſſe Amorem, hoc eſt, primo ſubſiſtere in Amore.

370 Aliter probat Vazquez noſtram Concluſionem, ſic reducendo ad formam rationem D. Thom. Spiritus Sanctus procedit vt Amor: ergo procedit per dilectionẽ; ſed dilectio eſt donatio: igitur procedit vt Donum. Sed inſtabis contra illam; nam quando Vazquez dicit dilectionem eſſe donationem, vel intelligit donationem actualem, & tunc infertur evidenter Spiritum Sanctum ex vi ſuæ proceſsionis procedere non ſolum vt Donum per modũ actus primi, ſed etiam vt Donum donatũ in actu ſecundo, quod videtur falſum; nam Spiritus Sanctus tantum in tempore actu datur Iuſtis per gratiam, & Charitatem; vel intelligit, quod dilectio ſit donatio, id eſt, forma conſtituens rem in eſſe doni gratuiti; & tunc hæc ratio non ponit in numero cum prima, qua probavimus concluſionem.

Exiſtimaverim cogitaſſe Vazquez Spiritum Sanctum procedere non ſolum vt donabile, ſed vt donatum iuxta dicta Sanctorum, qui diſtinguunt inter Filium & Spiritum Sanctum in eo, quod Filius procedit vt natus, & Spiritus Sanctus vt datus. Et ſi inquiratur, cui ab æterno datur Spiritus Sanctus, cum non ſint iuſti ab æterno, quibus detur? Dicam, dari effective ab æterno, id eſt, quod ſi attendamus ad affectum Patris, & Filij, ab æterno Spiritus Sanctus datur, licet effective, & exequutive tantum detur creaturis rationalibus in tempore.

Digitized by Google

§. II.

Solvuntur Argumenta.

171 PRIMO arguitur contra concluſionem. Spiritus Sanctus non datur creaturis rationalibus ex vi Amoris notionalis, ſed ex vi amoris eſſentialis, qui communis eſt tribus perſonis: igitur rationem Doni non habet ex vi proprietatis perſonalis. Prob. Ant. Spiritus Sanctus datur, dum *Charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, vt inquit Cōcilium; ſed diffuſio Charitatis ad extra convenit tribus perſonis ratione amoris eſſentialis: igitur Spiritus Sanctus non datur creaturis rationalibus ex vi Amoris notionalis. Conſ. autem prima Prob. nam, ex illo amore, ex quo aliqua res datur gratioſe, ex illo conſtituitur in eſſe doni: ergo ſi Spiritus Sanctus datur creaturis ex vi amoris eſſentialis, vere ex illo habebit eſſe Donum, & non ex vi Amoris notionalis.

Ad hoc argumentum negó Ant. ad prob. diſt. Min. convenit tribus perſonis ratione amoris eſſentialis tantum, nego Mi. ratione amoris eſſentialis, & ſimul perſonalis conc. Min. & nego Conſ. Itaque, dum Deus elargitur dona iuſtis, & dat ipſum Spiritum Sanctum, ibi ſunt duo conſideranda; aliud, quod tenet ſe ex parte rationis agendi, quæ communis eſt tribus perſonis, & aliud, quod ſe tenet ex parte termini producti per dilectionem notionalem Patris, & Filij, quod Spiritus Sanctus eſt; ſi attendamus tantum ad primū, ſic Spiritus Sanctus datur tantum ratione amoris eſſentialis; ſi attendamus ad ſecundum, ſic datur ratione Amoris notionalis, qui ipſe Spiritus Sanctus eſt. Quod voluit Concilium, cū dixit, *Charitatem diffundi in cordibus noſtris per Spiritū Sanctum*, quo voluit ſignificare dupliciter Spiritum Sanctum concurrere ad noſtra dona, vel ad dationem ſui ipſius; primo ratione amoris eſſentialis, qui communis eſt tribus perſonis: deinde ſpecialiter, quia hoc eſt illi ſpeciale inter alias perſonas Trinitatis, quod ex vi proprietatis ſuæ habeat eſſe Amorē productum. Quod etiam voluit ſignificare Auguſtinus, dum lib. 15. de Trinit. cap. 19. ante medium, tom. 3. dixit: *Per donum, quod Spiritus Sanctus eſt multa propria dona dividuntur membris Chriſti.*

372 Secundo arguitur Spiritus Sanctus non obtinet rationem primi Doni: ergo eſſe Donum non convenit illi rationē ſuæ proprietatis perſonalis. Patet Conſ. nā, eo ipſo, quod primum Donū non ſit, oportet, quod ratio Doni conveniat illi ex alio, quod primi Doni rationem habeat, & ſic Spiritus Sanctus ratione proprietatis perſonalis non erit Donum, ſed hoc emendicabit ab alio à ſe virtualiter diſtincto, ſicut, & Filius. Ant. vero prob. Spiritus Sanctus datur ratione amoris eſſentialis ſicut, & Filius: ergo amor eſſentialis, cum præcedat notionalem, obtinebit rationem primi Doni: patet Conſ. quia iuxta D. Tho. amor eſt primum donum; primum enim quod damus alicui eſt velle ei bonū: ergo ſi Spiritus Sanctus datur ratione amoris eſſentialis, amor eſſentialis erit primum Donum.

Ad hoc argumentum reſpondet Vazquez, Spiritum Sanctum non dici primum Donum, quia primo abſolute detur, ſed dici primum Donum, quia ex virtute originis procedit vt Amor, & Amor habet proprietatem Doni. Patres Salmanticenſes nō erubeſcunt admittere duo prima dona aliud eſſentiale, aliud notionale: fundātque ſuam ſententiam in eo, quod D. Tho. in primo ad Annibaldum diſt. 18. ar. 3. ad 4. diſtinguit duos amores, alterum eſſentialem, alterum notionalem, cumque ad multiplicationem amoris ſequatur multiplicatio doni, non erit inconveniens dari duo prima dona, alterum eſſentiale, & alterum notionale.

Sed contra ſolutionem Vazquez, ſic argumentor, nam aliud eſt Spiritum Sanctū ex ſua proprietate eſſe Donum, & aliud eſt eſſe primum Donum; primum ſolum ponit rationem Doni perſonalis, ſed non rationem primi Doni; hæc enim præter primum requirit, quod ſit id, quod primo datur; cumque hoc non conveniat Spiritui Sancto, vt prætendit argumentum, ſequitur non poſſe appellari primum Donū. Deinde hæc duo videntur pugnare inter ſe, nempe Spiritum Sanctum ex ſua perſonali proprietate habere, quod ſit Donum, & non eſſe primum datum; etenim dum ſeipſo, & non ab alio participat rationem Doni Spiritus Sanctus, ideo dicitur ex vi proprietatis ſuæ eſſe Donum; ſed hoc pugnat cum eo, quod Spiritus Sanctus ſupponat alium Amorem primo datum: ergo. Prob. Min. nam hoc ipſo quod amor eſſentialis primo datur, hoc ipſo dari convenit Spiritui Sancto ratione amoris eſſentialis: ergo hoc ipſo convenit illi ratio Doni, ratione alicuius virtualiter diſtincti à ſua proprietate, & ſic

ſi

Digitized by Google

ſi Spiritus Sanctus non primò donatur, non erit verùm dicere rationem Doni illi convenire ratione ſuæ proprietatis perſonalis.

Placet ſecunda ſolutio ſi rectè intelligatur. Vnde Adverto, quod amor divinus capitur dupliciter, vel per modum rationis agendi, vel per modum termini dilectionis: ſi primo modo capiatur, ſic cum ipſe Spiritus Sanctus, & omnes aliæ perſonæ donabiles donentur ad extra ratione amoris eſſentialis, qui ſolus ratio agendi eſt tribus perſonis; ſic dico, quod amor eſſentialis eſt primum donum: ſi ſecundo modo capiatur; ſic cum perſona Filij detur ratione Spiritus Sancti, ſic loquendo de amore, Spiritus Sanctus eſt primum Donum, quia loquendo de amore per modum termini, ſeipſo Spiritus Sanctus eſt Amor, & Donũ; Filius autem non ſeipſo, ſed Spiritu Sancto habet eſſe Donum: vnde ad argumentum in forma nego Ant. ad prob. diſt. Ant. ſumẽdo amorem per modum termini, & per modum rationis agendi nego Ant. ſumendo amorem tantum per modum rationis agendi conc. Ant. & diſt. Conſ. obtinet rationem primi Doni ſumendo amorem tantum per modum rationis agendi conc. Cõſ. ſumendo illum tam per modum rationis agendi, quam per modũm termini, nego Conſ.

Sed iam inquiris; quid ſit amor per modum rationis agendi, & per modũ termini? Reſpondeo, quod ratio diligendi ſtat dupliciter, vel per modum influentis activè in ea, quæ dantur, & hic eſt amor eſſentialis communis tribus perſonis, vel per modum termini producti, qui eſt ratio diligendi; qua ratione dicimus Patrem, & Filium diligere ſe, & creaturas Spiritu Sancto, non minus, ac Pater dicit ſe & creaturas Verbo, quod notionaliter format; & hic eſt Amor notionalis per ſe primo competens Spiritui Sancto, & alijs ratione Spiritus Sancti: vnde ſicut in hoc ordine eſt ſeipſo Amor, ſic eſt, & Donum; & ſicut eſt primus Amor: ita & primum Donum.

373 Tertio arguitur relatio Spiritus Sancti eſt relatio Amoris, qui illi communicatur à Patre, & Filio: ergo non eſt Amor Spiritus Sanctus ex vi proprietatis relativæ: ergo neque eſt Donũ. Prob. Conſ. quia relatio Filiationis eſt relatio Deitatis primo communicatæ Filio, Filius non dicitur Deus eo, quo Filius; dicitur enim Filius tantum ratione relationis, & Deus ratione Deitatis primo acceptæ per modum naturæ: ergo quia relatio Spiritus Sancti eſt relatio Amoris primo communicati Spiritui Sancto, non erit Amor: Ant. autem primum prob. eo prorſus modo communicatur primo, & per ſe natura divina Filio, quo amor eſſentialis communicatur primo, & per ſe Spiritui Sancto; ſed filiatio eſt relatio Deitatis primo communicatæ Filio: ergo, & relatio Spiritus Sancti erit relatio Amoris primo communicati Spiritui Sancto. Confir. & explicatur, eſſentialia, eſto communicentur perſonis, non tamen producũtur; aliàs daretur diſtinctio realis inter eſſẽtialia divina: ergo cum amor communicatus à Patre, & Filio Spiritui Sancto ſit eſſẽtialis, non producetur in ratione Amoris: ergo nõ dabitur Amor productus, ſic, quod ly *productus* appellet ſupra Amorem, & ſic non dabitur duplex amor, alter eſſentialis communicatus, alter productus; cum ergo productio ſpectet tantum ad relationem, non poterit dici Spiritum Sanctum ex vi proprietatis relativæ eſſe Amorem: ſed dicendum erit, totam rationem Amoris illi convenire ratione prædicati abſoluti, & eſſentialis.

Ad hoc argumentum diſt. Conſ. ergo non eſt Amor eſſentialis conc. Conſ. perſonalis nego Conſ. ad prob. nego cauſalem, non enim ex eo, quod filiatio ſit relatio ſequuta ad naturam acceptam per generationem, ideo Filius non dicitur Deus eo, quò dicitur Filius; ſed quià relatio filiationis ex terminis habet aliud ſignificatum ab eo, quod habetur per naturam acceptam per generationem: vnde in creatis non omne genitum appellatur Filius, ſed tantum genitum rationale; de ratione autem amoris per modum termini eſt, quod vitaliter producatur, & quod realiter procedat ab amãte, & ſic vere, & proprie relationi Spiritus Sancti convenit ratio Amoris producti: vnde relatio Amoris non eſt extra eſſentiam amoris, & ſic perſona, quæ per illam conſtituitur vere, & proprie ex vi ſuæ proprietatis perſonalis dicitur Amor; ſicut quia de conceptu verb. eſt quod producatur à dicente, vere productum a dicente dicitur Verbum: ita quia de conceptu Amoris per modum impreſſionis rei amatæ eſt, quod vitaliter producatur ab amante, relatio, quæ immediate ſubſiſtit in amore vere, & proprie dicitur Amor. Et ſi contrà hoc inferas; igitur ſicut non datur Verbum eſſentiale, & Verbum perſonale, ita non dabitur amor eſſentialis & Amor perſonalis, quod eſt

§. I.

Vtrùm nomen ſubſtantivum ad ſui pluralitatem requirat, non ſolum pluralitatem formæ, ſed etiam ſuppoſitorum?

376 ESTO Aliqua ad hunc punctum ſpectantia tetigerimus ſupra, quia tamen de hac materia hic D. Thom. exprofeſſo ſermonem facit, placet exprofeſſo hic hanc quæſtionẽ exprofeſſo tractare, & reſolvere. Supponit ergo quæſitum nomina ſubſtantiva ſignificantia eſſentialia prædicata Dei tantũ ſingulariter dici de tribus perſonis, & hoc ſive in concreto, ſive in abſtracto ſignificent: & hoc ideo, quia cũ hæc nomina ſive concreta, ſive abſtracta ſint, ſignificent formam per modum ſubſtantiæ, & ſubſtantia à ſe ipſa habeat eſſe, à ſe ipſa habet pluralitatem; vnde ad ſui pluralitatem neceſſario requirit pluralitatem formæ ſignificatæ per nomen, ita quod, ſi non ſint plures formæ nullo modo nomen ſubſtantive ſignificans pluraliter dici poteſt. Suppoſito ergo, quod ad pluralitatem nominis ſubſtantivi requiratur pluralitas formæ, & non ſufficiat pluralitas ſuppoſitorum, reſtat ſcire: an ſola pluralitas formæ ſufficiat ad pluralitatem nominis ſubſtantivi, ita vt, ſi Verbum duas humanitates aſſumeret, dicendum ſit duo homines? Et quæſtio præſens non procedit de nominibus ſubſtantivis abſtractis: ſicut hoc nomen Deitas, Eſſentia: de his enim certiſsimum eſt ſufficere pluralitatem formæ; quia per talia nomina nihil aliud ſignificatur præter formam ſubſtantialem: & ſic ipſa ſola multiplicata, neceſſum eſt, quod nomen pluralitatem accipiat. Procedit ergo præſens difficultas de concretis, vbi, & habetur forma, & habetur ſuppoſitũ, quod eſt habens formam.

In quo puncto elucidando Vazquez hic diſput. 155. cap. 4. tenet ad pluralitatẽ concreti ſubſtantivi ſufficere pluralitatem formarum, ita vt, ſi aliqua perſona divina duas aſſumeret humanitates, dicenda eſſet duo homines. Citat pro ſe Altiſiodorenſem, Scotum, & Capreolum. Oppoſita tamen ſententia communior eſt. Illam ſequitur nobilior pars Thomiſtarum, & extra Scholam Thomiſticam innumeri alij Ieſuitæ.

377 Sit Concluſio ad pluralitatem nominis ſubſtantivi non ſufficit multiplicatio formæ, ſed requiritur multiplicatio ſuppoſitorum. Concluſio eſt Div. Thom. 3. part. quæſt. 3. artic. 7. ad ſecundum, vbi loquens de caſu, quo vna perſona aſſumeret duas humanitates, ſic habet: *Poſſet videri dicendum, quod prædicta poſitione facta, ſequeretur quod eſſent duo homines propter duas naturas, abſque eo, quod eſſent ibi duo ſuppoſita: Sicut è converſo tres perſonæ dicerentur vnus homo caſu, quo vnam aſſumerent humanitatem: ſed hoc non videtur eſſe verum, quia nominibus vtendum eſt ſecundum quod ſunt ad ſignificandum impoſita; nunquam autem nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur niſi ob pluralitatem ſuppoſitorum, & ideo; ſi perſona divina aſſumeret duas naturas humanas, diceretur vnus homo habens duas naturas humanas.* Quibus noſtram concluſionem expreſsis verbis declaravit.

Prob. ſecundo alia authoritate Div. Thom. quæſt. 36. art. 4 ad 2. ibi: *Dicendum, quod cum dicitur, Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti, deſignatur vna proprietas, quæ eſt forma ſignificata per nomen; nec ſequitur, quod propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum.*

Huic authoritati reſpondet Vazquez D. Thom. negaſſe, Patrem eſſe duo principia, quia in illa propoſitione fieret loquutio, quod eſſet duo principia realiter diſtincta; non tamẽ negare eſſe duo principia ratione diſtincta: eo enim tantum modo, quo proprietates plurificantur, oportet plurificari principia: cumque proprietates Patris, nempe vis generativa, & vis ſpirativa ſola ratione diſtinguantur: hinc fit, quod Pater ſit dicendus duo principia ſecundum rationem; non vero abſolute duo principia, ne detur intelligi, quod eſt duo principia realiter diſtincta.

Sed contra inſto. Tum, quia D. Thom. non negat, Patrem eſſe duo principia, quia dicta propoſitio faciat ſenſum, quod Pater ſit duo principia realiter diſtincta, ſed ex eo, quod in illa loquutione implicatur pluralitas ſuppoſitorum, vt conſtat ex litera: ergo explicatio adducta aperte pugnat cum D. Th. Tum etiã, nam iuxta Vazquez ad multiplicationem ſolius formæ multiplicantur concreta: ergo, quod ſufficit ad multiplicandũ abſolute formas, ſufficiet

Digitized by Google

eſſet idem, ac erat ante mortem; & tamen tunc ratio corporis proveniebat à forma cadaveris, quæ ſpecie diſtincta eſt à forma rationali, quam antea habebat: ergo ſucceſsio plurium formarum ſub eodem ſuppoſito nõ facit amittere vnitatẽ corporis.

§. II.

Solvuntur argumenta contra Concluſionem.

379 PRIMO Arguit Vazquez ex D.Tho. in hoc art. 3. ibi: *Vnde ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantivi attenditur ſecundum formam ſignificatam per nomen.* Ex quibus fit argumentũ. Singularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantivi attenditur ſecundũ formam ſignificatam per nomen: igitur, ſi ſola ſingularitas formæ facit vt concretũ dicatur ſingulariter, ſola pluralitas formæ faciet concretum dici pluraliter. Ad hoc nego Conſeq. Nam, cum nomen concretum ſubſtantiale per ſe primo ſignificet compoſitum, non poteſt dici pluraliter niſi plurificatis compoſitis; ad pluralitatem autẽ compoſiti ſubſtantialis requiruntur duo, & plurificatio formę, & plurificatio ſuppoſiti: vnde quolibet horũ ablato, nomẽ concretũ dicetur ſingulariter, & nõ pluraliter.

Sed contra hanc ſolutionẽ inſto. Nam D.Thom. dicit, quod ſingularitas nominis attenditur ſecundum ſingularitatẽ formæ; ergo requirit ad ſingularitatem nominis concreti ſubſtantivi, quod forma ſit vna, & ſingularis: ergo in caſu, quo formæ ſint duæ, nomen non dicetur ſingulariter, ſed pluraliter. Confir. cum D.Thom. in eodem art. aſſerit: *Et ideo in adiectivis ſingularitas, & pluralitas attenditur ſecundum ſuppoſita*, vult dicere, quod ad multiplicationem nominis adiectivi ſufficit multiplicatio ſuppoſitorum, ſic, quod nullo modo requiratur multiplicatio formæ: ergo, dum dicit ſingularitas, & pluralitas nominis ſubſtantivi attenditur ſecundũ formã ſignificatam per nomen, vult dicere, ad ſingularitatem nominis ſubſtantivi requiri, & ſufficere ſingularitatẽ formæ, & ad pluralitatem requiri, & ſufficere formæ pluralitatem ſignificatæ per nomen.

Hæc replica difficillima eſt. Cæterum, cum conſtet ex alijs locis D.Th. de mente eius; ad illam reſpondeo neg. Conſeq. non enim D.Th. dicit ad ſingularitatẽ nominis attendi debere ad ſingularitatẽ formæ ſignificatæ per nomen, quia ſi hæc non adſit nomen ſingulariter non dicetur; ſed ideo, quia ſi contingat vnã formã eſſe in pluribus ſuppoſitis, ad indagandam pluralitatem, vel ſingularitatẽ nominis non debemus attendere ad ſuppoſita, ſed ad formam, quia hac exiſtẽte ſingulari, nomen ſubſtantivũ non poteſt dici pluraliter, eſto plura ſuppoſita habeat: vult enim D.Th. tantũ aſsignare diſcrimen inter nomen adiectivum, & ſubſtantivum in eo, quod ſi plura ſuppoſita poſsideant vnam formã ſubſtantialem, nomen ſubſtantivũ propter ſingularitatẽ formæ tantũ dicetur ſingulariter: ſi autem adiectivum ſit, dicetur pluraliter ob ſolã pluralitatem ſuppoſitorum.

Ad Confir. nego Conſeq. quia licet idẽ ſit tenor verborum D. Thom. in adiectivis, & ſubſtantivis; non tamen eadẽ eſt materia, de qua fit loquutio. Etenim in adiectivis, cum ſuppoſitũ ſit tota rei ſubſtantia, & forma ſit tantũ eſſe ſecundum quid; ad ſingularitatem, & pluralitatem adiectivorũ tantum attendi debet ſingularitas, vel pluralitas ſuppoſitorum, & non formarum; in ſubſtantivis res non ita contingit, quia neque forma eſt tota ſubſtantia, neque ſuppoſitum, ſed compoſitum ex natura, & ſuppoſito, quod primo ſignificatur per nomen; & ſic, cũ ex vna forma, & pluribus ſuppoſitis fiat vnum ſubſtantivũ, attendere debemus ad hoc, quod forma eſt vna, & non plurificare concreta. Et quando ex pluribus formis, & vno ſuppoſito fit vnũ compoſitum, non debemus attendere ad hoc, quod formæ ſint plures, ſed ad hoc, quod ſuppoſitum eſt vnũ, quia quantumvis formæ multiplicentur non fiunt plura compoſita, ſed vnũ, quod primo ſignificat nomen ſubſtantivum: vnde ſi Petrus habeat plures artes non dicitur plures Artifices, ſed vnus tantum Artifex.

Nec valet inſtantia, quam contra hanc doctrinam facit Vazquez, videlicet, quod ille modus loquendi ad ſingularitatem, vel pluralitatem nominis attendi debet ſingularitas, vel pluralitas formæ: videtur in rigore Scholaſtico ſonare hoc, quod ad ſingularitatem nominis ſubſtantivi requiratur, & ſufficiat ſingularitas formæ, & ad pluralitatem requiratur, & ſufficiat formæ pluralitas. Non inquam valet, nam rigor ille literæ debet attemperari per ea, quæ alibi in ſumma D.Thom. docuit; cumque in 3. p. q. 3. art. 7. dixerit, quod in caſu, quo vna perſona aſſumpſiſſet duas naturas

Digitized by Google

humanas, non eſſet dicendus duo homines,ſed vnus homo. Et in hac 1.part.quæſt. 36. dicit, quod, eſto in Patre ſint duæ proprietates, non propterea dicendus eſt duo principia,quia in hac loquutione involvitur pluralitas ſuppoſitorum: ideo non poſſumus dicere, quod hic ad ſingularitatem nominis ſubſtantivi requirat ſingularitatem formæ, quia ſic expreſſe contradiceret ſibi in his,quæ docuerat in 3.parte, neque quod hic ad pluralitatem nominis ſubſtantivi dicat ſufficere pluralitatem formæ, quia ſibi contradiceret his, quæ ſupra docuerat quæſt. 36.

380 Secundò arguitur, quia nomen adiectivum ſignificat formam per modum alteri adiacentis, hoc eſt, per modum accipientis eſſe à ſuppoſito, ad pluralitatem adiectivi ſufficit pluralitas ſuppoſitorum: ergo; quia nomen ſubſtantivum ſignificat formam per modum per ſe ſtantis,hoc eſt, per modum habentis eſſe à ſe, pluralitas ſola formæ ſignificatæ ſufficiet ad pluralitatem nominis ſubſtantivi. Patet Conſeq. Tum, quia hic videtur eſſe diſcurſus D.Tho. in hoc art. 3. Tum etiam à paritate rationis: vtrobique enim cauſa eſſendi plurificat, & ſic vtrobique pluralitas,& vnitas ab ea deſumenda erit.

Ad hoc nego Conſeq. nam ſuppoſitum eſt cauſa adæquata eſſe vnitatis, & pluralitatis formæ ſignificatæ per nomen adiectivum: ſuppoſitum autem eſto non ſit cauſa vnitatis, & pluralitatis formæ, quæ eſt natura abſtractivè ſumpta; eſt tamen cauſa eſſendi naturæ concretive ſumptæ: non enim natura exiſtit, vel ſubſiſtit in ſe ipſa, ſed in ſuppoſito, & ſic concretive ſumpta non habet pluralitatem niſi plurificato ſuppoſito. Explico hoc, natura humana poteſt ſignificari abſtractive, vt cum dico *humanitas*; & tunc ſignificatur vt omnino independens à ſuppoſito,& ſic ad pluralitatem illius nominis ſufficit,& requiritur multiplicatio humanitatis:poteſt etiam ſignificari concretive,vt cum dico *homo*,& tunc ſignificatur vt dependens in ſuſtentari, & in eſſe à ſuo ſuppoſito; dicitur tamen vtroque modo ſignificari per ſe, quia ipſa ſubſiſtentia, in qua ſubſiſtit, oritur ab ipſa natura vt proprietas eius;quod non contingit in cõcretis accidentiũ,vel in adiectivis; forma enim accidentalis adæquate accipit eſſe à ſuppoſito,cuius ſubſiſtentia non oritur ex ipſa forma accidẽtali,& ſic adęquate accipit vnitatẽ,& pluralitatẽ ab ipſo: vnde Infero, quod in caſu, quo duæ formæ ſubſtantiales ſint in eodem ſuppoſito,nõ erunt duæ concretive,ſed tantum abſtractive; nõ enim poterunt ſignificari per homines, ſed per hominem, vel per humanitates: neque eſt diſcurſus D. Th. vt patet per explicationem,quam eius literæ dedimus.

Inſtabis,ſequi ex hac doctrina, quod ſi duæ perſonæ aſſumant eandem humanitatẽ,quod ſint dicendi duo homines,Conſ.eſt contra D.Thom.3.p.q.3. art.6.ergo.Prob. ſequela.Homo ſignificat naturam vt depẽdentẽ in ſuſtentari,& in eſſe à ſuppoſito,ergo multiplicabitur hoc concretũ *homo* ad multiplicationem ſuppoſiti, eſto non multiplicetur natura. Patet Conſ. nam adiectivum multiplicatur ad ſolam multiplicationem ſuppoſitorum, quia ſignificat formã vt dependentem in eſſe; & in ſuſtentari à ſuppoſito:ergo.Ad hoc nego ſequelam; ad prob. nego Conſ.ad prob.diſt.Ant. præciſe ex illo capite,nego cauſalem, ex illo,& quia ſuppoſitũ nullo modo cauſatur à forma accidentali ſignificatà,conc. Ant.& nego Conſ.quia,vt dixi, inter ſuppoſitum, & naturam ſubſtantialem datur mutua cauſalitas,quam ſignificat nomen *homo*; & ſic ad pluralitatẽ requirit pluralitatem formæ,& ſuppoſiti; non ſic autẽ res habet inter ſubiectum, & accidens,vt iam dixi.

Sed inſtas,licet hæc doctrina verũ habeat in ſuppoſitis creatis, quia ſubſiſtentia creata oritur ex ipſa natura, vnde natura humana dicitur ſubſiſtere in ſe & per ſe; non tamen verum habet loquendo de divino ſuppoſito aſſumente naturam,vel naturas humanas:etenim natura humana terminata à ſuppoſito divino,in nullo facit à ſe dependere ſuppoſitũ divinum, eſto ipſa dependeat in eſſe à ſuppoſito divino, quia in illo ſubſiſtit,& exiſtit: ergo ſaltim in caſu,quo duæ perſonæ aſſumerent vnã humanitatẽ deberemus philoſophari ſicut de ſubiectis habẽtibus vnũ accidens,& pariter de adiectivis nominibus: vnde ſicut duo ſubiecta accipientia vnam albedinem dicuntur duo alba, ita duæ perſonæ accipientes vnã humanitatem dicerentur duo homines. Ad hoc nego Conſ.quia,licet ita ſit, quod ſuppoſitum divinum in nullo cauſetur à natura humana aſſumpta, tamen iſte terminus *homo* ſemper ſervat eundem modum ſignificandi, ſive dictum de ſuppoſito creato, ſive dictum de ſuppoſito divino; vnde, cum modus ſignificandi ſit ſignificare compoſitum; ſit inde, quoddam non mul-

Digitized by Google

multiplicantur compoſita ; niſi ad multiplicationem formæ, & ſuppoſiti : pariter non multiplicantur concreta, niſi ad multiplicationem, formæ, & ſuppoſiti.

§. III.

Vtrùm nomina eſſentialia concreta poſsint ſupponere pro perſona?

381. REFERT D. Thom. in art. 4. huius quæſt. 34. opinionem eorum, qui dicebant, hoc nomen *Deus* proprie ſolum ſupponere pro eſſentia; ſed ex vi alicuius adiuncti notionalis trahi, vel quaſi diſtrahi à propria ad alienam ſignificationem ; & ſic ſupponere pro perſona. Hanc opinionem refutat D. Thom. deſtruendo radicem, ex qua oriebatur huiuſmodi modus philoſophandi, quæ erat ; quia iſti Authores conſiderabant ad Dei ſimplicitatem ſpectare, quod idem ſit habens, & quod habetur & ſic habens Deitatem, quod eſt, hic Deus, debebat eſſe omnino idem cum Deitate : cumque *Deitas* nequeat ſupponere pro perſona, inferebant, quod etiam *Deus* nequibat ſupponere pro perſona. Quod ſic impugnat: *Quia in proprietatibus loquutionum non tantum attendenda eſt res ſignificata, ſed etiam modus ſignificandi rem : vnde licet Deus, & Deitas ex parte rei ſignificata ratione diuinæ ſimplicitatis ſint idem, tamen ex modo ſignificando differunt : nam Deus ſignificat per modum habentis Deitatem, Deitas per modum rei habita ; & cum perſonæ ſint habentes Deitatem, fit inde, quod licet Deitas non poſsit ſupponere pro perſona; hoc tamen nomen Deus proprie poſsit ſupponere pro illa : cùm ergo hoc nomen Deus ſignificet naturam diuinam prout in ſuppoſito, ſicut hoc nomen homo : ex proprio modo ſignificandi habet, vt proprie poſsit ſupponere pro perſona, ſicut hoc nomen homo ſupponit pro Petro : vnde aliquando ſupponit pro eſſentia, vt in hac, Deus creat ; quia creare conuenit ſubiecto ratione Deitatis : aliquando pro perſona, vel vna tantum, vt cum dicitur, Deus generat, vel pro duabus, vt cum dicitur, Deus ſpirat, vel pro tribus, vt cum dicitur Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria.* Veriſsimæ ſunt hæc dicta à D. Thom. facit tamen difficultatem id, quod dicit, quod concreta eſſentialia proprie poſſunt ſupponere pro perſonis. Difficultas autem oritur ex eo, quod ſuppoſitio propria eſt acceptio termini pro eo, quod proprie ſignificat; ſed ly *Deus* proprie ſolum ſignificat naturam diuinam vt ſubſiſtentem in ſuppoſito abſoluto : ergo ly *Deus* proprie non poteſt ſupponere pro perſona.

Pro reſolutione aduerto, quod terminum proprie ſupponere, nihil aliud eſt, quam paſsiue accipi pro aliquo ſignificato, de quo verificatur illa ſua ſubſtitutio ; vnde ly *verificatur* non requirit, quod propoſitio, in qua terminus ſupponit, vera ſit ; qua ratione in hac, *homo eſt lapis*, quæ falſa eſt, terminus *homo* ſupponit pro homine, & *lapis* pro lapide, & ideo propoſitio eſt falſa, quia extrema non ſupponunt pro eodem : requiritur ergo ad ſuppoſitionem termini, quod id, pro quo terminus ſubſtituit, verum inueniatur re iuxta exigentiam copulæ ; v. g. dum dico, *homo eſt albus*, ſi volo oſtendere quod homo ſupponat, demonſtro hominem, & dico, *hoc eſt homo* ; & deinde, vt oſtendam propoſitionem eſſe veram, dico, *& hoc eſt albus*, id eſt, habet albedinem.

Noto præterea, quod terminus ſubſtantiuus, vt *homo* habet duplex ſignificatum, alterum immediatum, nempe naturam humanam in ſuppoſito, alterum immediatum, nempe perſonas, in quibus inuenitur talis natura : vnde aliquando ſtat pro immediato ſignificato ſuo, ſic quod non liceat deſcendere ad mediatum; nempe ad ſingulares perſonas, vt cum dico, *homo eſt ſpecies* ; non enim licet deſcendere : *ergo hic homo eſt ſpecies, vel hic homo eſt ſpecies, &c.* Quia ille terminus *homo* tantum ſtat pro homine concepto conceptu communi ; aliquando ſtat pro immediato ſignificato, ſic tamen, quod liceat deſcendere ad mediatum, vt cum dico, *homo eſt animal rationale*, verificatur de homine, & de ſingularibus hominis : aliquando ſtat pro perſonis, vt cum dico *homo currit* ; curſus enim, cum ſit actio perſonalis, non conuenit homini, quia homo, ſed quia hic homo, vel hic homo. Similiter hoc nomen *Deus* habet ſignificare immediate naturam diuinam in habente illam abſolute, & mediate habet ſignificare illam in ſuppoſitis relatiuis ; vnde ſuppoſita relatiua ſunt illius mediata, ſed propria ſignificata.

383. Ex his infertur; veriſsimam eſſe doctrinam D. Thom. videlicet, quod nomina eſſentialia concreta proprie poſ-

ſunt ſupponere pro perſona. Vnde ratio formatur ſic. Vnuſquiſque terminus proprie ſupponit pro ſuo proprio ſignificato, ſive primario, & immediato, ſive ſecundario & mediato; ſed nomen concretũ eſſentiale *Deus*, cum ſit habens Deitatem, habet pro ſignificato perſonas divinas, de quibus verificatur quod ſint habẽtes Deitatẽ: ergo proprie habebit ſupponere pro perſonis. Prob. Min. ly *homo* quia ſignificat habens humanitatẽ, habet pro mediato ſignificato proprio perſonas humanas, quæ ſunt habẽtes humanitatẽ: ergo quia ly *Deus* ſignificat habens Deitatem, habebit pro ſignificato mediato perſonas divinas, quæ ſunt habentes Deitatẽ, & ſic poterit proprie ſupponere pro illis. Ad rationem dubitandi nego Min. quia vt conſtat ly *Deus* licet non immediate, mediate tamen habet ſignificare divinas perſonas, & ſic proprie poteſt ſupponere pro illis.

Sed objicies ly *homo* ideo mediate, & ſecundario ſupponit pro ſingularibus perſonis humanis, quia ſignificatũ eius immediatũ ſubſiſtit in perſonis humanis; ſed ſignificatum abſolutũ de ly *Deus* non ſubſiſtit in perſonis relativis, ſed tantũ ſubſiſtit in ſubſiſtente abſoluto: ergo tantum habebit mediate ſupponere pro hoc Deo abſoluto, & non pro perſona relativa. Prob. Min. Deus intra lineam abſolutam habet ſuum completũ ſubſiſtere, & exiſtere, & ſuam perfectam ſingularitatẽ: nihil enim horũ mendicat à relationibus: ergo intra lineam abſolutam habet ſuum immediatũ, & mediatum ſignificatum: ergo neque immediate, neque mediate habebit proprie ſignificare relativa, & ſic non habebit proprie ſupponere pro illis.

Ad hoc nego Min. ad prob. diſt. Ant. prout ly *ſubſiſtere* dicit independentiam ab alio tanquã à ſuſtentante conc. Ant. prout dicit incommunicabiliter ſubſiſtere, nego Ant. & Conſ. Itaque, vt ſupra diximus, Deus intra lineam abſolutã habet eſſe independenter ab alio tanquã à ſuſtentante; non tamen habet incommunicabiliter ſubſiſtere: hoc enim habet à relationibus, per quas redditur incommunicabilis: iſtæ autẽ relationes, cũ ſint incommunicabiles vt quod, ſuppoſita dicuntur, & perſonæ, in quibus eſt Deus vnus in tribus, & ſic obtinere poſſunt rationem mediati ſignificati per hoc nomẽ *Deus*; vnde & poteſt proprie ſupponere pro illis.

(?)

§. IV.

Vtrùm ly Deus *in hac propoſitione,* Deus creat; *ſupponat pro eſſentia.*

384 PARTEM Affirmantem tenet D. Thom. hic articul. 4. Difficilis tamen apparet eius doctrina, quia eſſentia non creat, ſed perſonæ habentes eſſentiam, vel hic habens eſſentiam: actiones enim ſuppoſitorum ſunt, non naturarum: igitur falſum eſt, quod in hac propoſitione *Deus creat*, ly *Deus* ſupponat pro eſſentia. Sed reſp. facile, quod D. Thom. hic nomine eſſentiæ non intelligit eſſentiam abſtractive ſignificatam, ſed concretive, id eſt, pro individuo Deitatis, quod ſignificatur per hoc nomen *hic Deus*.

Sed ex alio capite eſt difficultas, nam creare non ſolum convenit huic Deo, ſed etiam perſonis: opera enim ad extra ſunt indiviſa, id eſt, poſitive communia tribus perſonis, vnde iſtæ ſunt veræ, *Pater creat, Filius creat, Spiritus Sanctus creat*: ergo in hac, *Deus creat*, ly *Deus* non ſupponit pro Deitate, ſed pro tribus perſonis. Quod ſi dicatur D. Thom. loqui de immediato ſuppoſito; non de mediato, quales ſunt perſonæ: convenit enim creare immediate huic Deo, & quia tres perſonæ ſunt hic numero Deus, illis mediate convenit creare, & ſic ly *Deus* immediate ſupponit in dicta propoſitione pro hoc Deo, quidquid ſit de mediata ſuppoſitione.

Sed contra hoc eſt, nam Div. Thom. videtur loqui cum præciſione, ſic quod tantum habeat ſupponere pro hoc Deo, vel pro eſſentia concretive: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Antecedens, adducendo literam Div. Thom. ſic enim habet: *Quandoque ergo hoc nomen* Deus *ſupponit pro eſſentia, vt cum dicitur, Deus creat, quia hoc prædicatum convenit ſubiecto ratione formæ ſignificatæ: quandoque vero ſupponit perſonam, vel vnam tantum, vt cum dicitur, Deus generat, vel duas, vt cum dicitur, Deus ſpirat, vel tres, vt cum dicitur, Regi ſæculorum immortali, & inviſibili, ſoli Deo honor, & gloria.* In qua propoſitione vltima ly *Deus* ſupponit mediate pro tribus perſonis, & immediate pro hoc Deo: ergo cum ex adverſo dicit quod in iſta, *Deus creat* ly *Deus* ſupponit pro eſſentia debet intelligi quod ſolum ſupponat pro individuo Deitatis,

ſic

Digitized by Google

ſic quod non ſupponat mediate etiam pro tribus perſonis.

Sed reſpondetur negando Antec. ad prob. dico, quod in prima, & in vltima propopoſitione ly *Deus* mediate ſupponit pro perſonis, aliter tamen, & aliter; nam in prima ſic ſupponit mediate pro illis, quod poſſimus diviſive deſcendere ad illas ſub illo prædicato *creat*; vnde iſtæ ſunt veræ, *Deus Pater creat, Deus Filius creat, Deus Spiritus Sanctus creat*; in vltima autem dum apponitur illa dictio excluſiva *Soli Deo honor & gloria*, non licet deſcendere diviſive ad perſonas, ſed ſtat tantum *ſolus Deus* pro collectione trium perſonarum: vnde iſtæ ſunt falſæ, *ſoli Deo Patri honor, & gloria, ſoli Deo Filio honor, & gloria, ſoli Deo Spiritui Sancto honor, & gloria*. Et quod hæc ſit germana intelligentia D. Thom. patet ex contextu, ex quo apparet, quod loquatur de immediato ſuppoſito; dicit enim: *Quandoque ergo hoc nomen Deus ſupponit pro eſſentia, vt cum dicitur, Deus creat, quandoque autem pro perſona, vel pro vna tantum, vt cum dicitur, Deus generat, quandoque pro duabus, vt cum dicitur, Deus Spirat*, in quibus duabus vltimis ly *Deus* immediate ſupponit pro perſona: ergo in prima loquitur de ſuppoſito immediato huius termini *Deus*, quod eſt hoc individuum Deitatis. Ex quo item infero, quod in iſta, *ſoli Deo honor, & gloria*, ibi ſuppoſitio pro tribus perſonis non eſt mediata, ſed immediata; quia illud verbum *ſoli* determinat Deum reſpective ad prædicatum ad ſtandum pro Deo, non vtcumque, ſed vt vno in tribus: vnde habetur diſcrimen inter ſuppoſitionem pro perſona, quam habet ly *Deus* in hac, *Deus creat*, & quam habet in hac, *ſoli Deo honor, & gloria*, quia in prima ſuppoſitio pro perſona eſt tantum mediate, quia creare convenit tribus ratione individui Deitatis abſolutæ: honor autem, & gloria ſoli Deo non debetur ratione abſoluti tantum, ſed ratione abſoluti in tribus; id eſt, ſoli Deo, qui trinus; & vnus eſt honor, & gloria: vnde hæc videtur falſa, *ſoli Deo abſoluto ſumpto honor, & gloria*. Quod & confirmat diſcurſus Div. Thom. nam loquendo de ſupponere pro perſona immediate dicit, *aliquando pro vna perſona tantum, vt cum dicitur, Deus generat, aliquando pro duabus, vt in hac, Deus ſpirat, aliquando pro tribus, vt in hac, ſoli Deo honor, & gloria*: cum in duabus primis loquatur de ſupponere immediate pro vna perſona, & pro duabus, ita dum dicit; *aliquando pro tribus* loquitur de ſupponere immediate pro tribus perſonis.

§. V.

Vtrùm ly Deus in hac, Deus generat, ſupponat reſtricte pro perſona Patris?

385 AFFIRMAT D. Thom. hic ſolutione ad 3. illis verbis: *Sed forma ſignificata per hoc nomen Deus, ſcilicet eſſentia divina, eſt vna, & communis ſecundum rem, vnde per ſe ſupponit pro natura communi; ſed ex adiuncto determinatur eius ſuppoſitio ad perſonam: vnde cum dicitur, Deus generat, & ratione actus notionalis ſupponit hoc nomen Deus pro perſona Patris*.

Contra quod ſic argumentor, nam in hac propoſitione, *Deus non generat*, ly *Deus* non ſtat reſtricte pro perſona Patris: ergo in hac affirmativa, *Deus generat*, non ſtabit reſtricte pro perſona Patris. Patet Conſeq. nam iſtæ ſunt contradictoriæ, *Deus generat*, *Deus non generat*, ſed in contradictorijs debet ſervari eadem ampliatio, & reſtrictio, & appellatio: ergo ſi in negativa, *Deus non generat* ly *Deus* non ſupponit reſtricte pro perſona Patris, in affirmativa, *Deus generat*, non ſtabit etiam reſtricte pro perſona Patris. Antec. autem prob. nam ſi ly *Deus* in iſta, *Deus non generat*, ſtaret reſtricte pro perſona Patris, fieret ſenſus, quod generare non conveniret Patri; hic autem ſenſus non ſit, nam D. Thom. dicit, quod in illa negativa datur intelligi, quod generatio repugnet divinæ naturæ: ergo ly *Deus* in illa ſtat pro individuo Deitatis, & non ſtat reſtricte pro perſona Patris.

386 Circa ſolutionem huius difficultatis variant Scholaſtici in aſsignando ſuppoſitum de ly *Deus* in hac propoſitione, *Deus generat*. Vazquez hic diſput. 157. cap. 4. aſſerit ly *Deus* ſupponere in illa pro individuo Deitatis connotando confuſe, & indiſtincte aliquam perſonam: ſicut cum dicimus *homo currit*, ly *homo* ſupponit pro individuo humano connotando confuſe aliquam perſonam, cui curſus competat, & ſimiliter in negativa, *Deus non generat*, ly *Deus* ſupponit determinate pro individuo Deitatis connotando perſonam aliquã in confuſo, & ſic propoſitiones illæ ſunt contradictoriæ, & affirmativa eſt vera, & negativa eſt falſa.

Digitized by Google

Sed contra Vazquez primo facit litera D.Thom.in qua dicitur,quod ly *Deus dum dicitur,Deus generat,ratione actus notionalis ſupponit determinate pro perſona Patris*:ergo non ſupponit pro individuo Deitatis connotando in confuſo aliquam perſonam,ſed connotando determinate perſonã Patris. Secundo inſto,nam ex hac poſitione ſequitur hanc negativam eſſe veram, *Deus non generat*, Conſ. nequit admitti à Vazquez, qui dicit illas propoſitiones eſſe contradictorias, & affirmativam eſſe veram: ergo. Prob.ſequela, ly *Deus* ſupponeret in negativa pro Deitate connotando in confuſo aliquam perſonam: ergo poſſet verificari pro ſuppoſito Filij, vel pro ſuppoſito Spiritus Sancti. Prob. Conſeq. nam cum ly *non* ſequeretur ad ſubiectum, & tantum præcederet prædicatum, non diſtribueret ſubiectum, ſed ſolum prædicatum: ergo in dicta propoſitione fieret hic ſenſus, Deus in aliquo ſuppoſito Trinitatis non generat, ſeu nullum generans eſt, ſicut in affirmativa facit hunc ſenſum, Deus in aliquo ſuppoſito Trinitatis aliquod generans eſt; ſed dicta propoſitio eſſet vera, nam verum eſt Deum in ſuppoſito Filij nullum generans eſſe: ergo.

Explico hoc. Quia in hac propoſitione, *homo non currit*, ly *homo* ſupponit determinate pro homine prout connotat aliquã perſonam humanam; & ly *non* ſequitur ad hominem,& præcedit prædicatum, fit iſte ſenſus in illa propoſitione, homo in aliquo individuo ſuo nullum currens eſt: ergo ſimiliter in illa, Deus non generat, quia ſubiectum ſupponit indeterminate pro tribus perſon s,& non diſtribuitur per ly *non*, fiet hic ſenſus, Deus non generat, id eſt, Deus in aliquo ſuppoſito Trinitatis nullum generans eſt.

387 Caietanus hic aſſerit cum D. Thom. in propoſitione affirmativa, *Deus generat*, ly *Deus* ſupponere determinate pro perſona Patris,quia reſtringitur à Verbo notionali *generat*; in negativa vero ſupponere pro individuo Deitatis ſine determinatione ad aliquam perſonam,quia *non generare* non eſt terminus notionalis conveniẽs Filio, vel Spiritui Sancto, ſiquidem etiam de eſſentia divina verificatur,vt patet in illa, *eſſentia divina non generat*.

Sed contra ſolutionem inſto, nam ſequitur has non eſſe contradictorias, *Deus generat, Deus non generat*, Conſeq.eſt contra omnes: ergo. Prob. ſequelam. Nam contradictoriæ, cum debeant eſſe omnino eiuſdem de eodem, eſt neceſſarium quod ſervent eandem reſtrictionem, & ampliationem,qua ratione iſtæ nõ contradicunt, *omnis homo albus currit, homo non currit*, quia in affirmativa ly *homo* ſtat reſtricte pro hominibus albis,& in negativa ſtat ample pro albis,& pro non albis; ſed ſecundum Caietanum in his duabus propoſitionibus non ſervatur eadem reſtrictio, nam in affirmativa *Deus generat*, ly *Deus* reſtringitur, vt ſtet tantum pro perſona Patris,in negativa ſtat ample pro omni perſona Trinitatis: ergo non erunt contradictoriæ.

Secundo ſic impugno, ſi ly *generat* in prima reſtringit ly *Deus* vt ſupponat determinate pro perſona Patris, etiam in negativa debet reſtringere illum tantũ pro perſona Patris: ergo doctrina Caietani ſuſtineri non valet. Prob. Antec. prædicatum propoſitionis negativæ non eſt totum illud, quod explicatur per has duas voces *non generat*, ſed tantũ per ly *generat*: ly enim *non* tenet ſe ex parte copulæ, faciendo propoſitionem negativam: ergo ſi in affirmativa reſtringit ſubiectum, vt ſtet pro perſona Patris, ſimiliter in negativa; neque enim prædicatum repugnare ſubiecto ex vi alicuius negationis, aufert ab illo vim appellativam, vel reſtrictivam. Hoc ſic explico, quia ly *ſpecies* in hoc affirmativa, *homo eſt ſpecies*, reſtringit ſubiectum, vt ſtet pro homine concepto conceptu communi, etiã in negativa, *homo nõ eſt ſpecies*, reſtringit ſubiectũ, vt ſtet pro homine concepto communi conceptu: ergo ſimiliter, quia ly *generat* in affirmativa reſtringit Deum, vt ſtet determinate pro Patre, etiã in negativa reſtringet illum, vt ſtet determinate pro Patre, & ſic propoſitiones erunt contradictoriæ; & omnino eiuſdem de eodem, & affirmativa erit vera, & negativa erit falſa.

Neque inſtantia, quã Vazquez adducit contra hanc doctrinã alicuius momenti eſt; aſſerit enim quod non eſt neceſſariũ, quod ſi in affirmativa terminus ſupponit determinate pro vno, quod etiam in negativa debeat ſupponere determinate pro illo. Quod probat hoc exemplo; eſto cum dicimus, *aliquis homo currit*, ſubiectum *homo* ſupponat determinate pro Petro currente, non ex hoc fit neceſſarium, quod in hac negativa, *homo non currit*, determinate ly *homo* ſupponat pro eodem Petro: ergo ex hoc, quod ly *Deus* in affirmativa, *Deus generat*, ſupponat determinate pro perſona

Pa-

Digitized by Google

Patris, nõ ſequitur quod in negativa *Deus nõ generat*, debeat ſupponere determinate pro Patre, ſed ſufficit ſupponere pro illo vage.

Non inquam alicuius momenti eſt hæc inſtantia, quia iſtæ propoſitiones, *homo diſputat, homo non diſputat*, non ſunt contradictoriæ; quia non repugnant in veritate, & falſitate, ſed ſunt ſubcontrariæ, quæ poſſunt ſimul eſſe veræ, & ſic ſtat, quod ſubiectum vnius ſupponat pro aliquo determinate, & reſtricte; & ſubiectum alterius ſtet ample: vnde iſtæ propoſitiones, *homo albus currit, homo non currit*, ſubcontrariæ ſunt; etiam ſi ſubiectum affirmativæ ſtet reſtricte pro homine albo, & ſubiectum negativæ ſtat ample pro albis, & nigris: iſtæ autem contradictoriæ non ſunt *omnis homo albus currit, homo non currit*; dantur enim ſimul falſæ, in caſu, quo non ſint in mundo homines albi, & ſint nigri, & currant; nam affirmativa eſt falſa, quia eſt de ſubiecto non ſupponente, & etiam negativa, quia omnes homines exiſtentes currunt. Et ratio horũ eſt, quia ad repugnantiam in falſitate & veritate requiritur quòd ſint omnino eiuſdẽ de eodem ſubiecto, non autem ſunt omnino eiuſdem de eodem, ſi ſubiectum vnius ſtet reſtricte pro vno, & ſubiectum alterius ſtet ample pro omnibus: cumque doctrina noſtra procedat de duabus contradictorijs, nempe de iſtis *Deus generat, Deus non generat*: nullius roboris eſt inſtantia adducta à Vazquez.

388 Patres Salmanticenſes hic dub. 3. aſſerunt iſtas propoſitiones eſſe contradictorias, *Deus generat, Deus nõ generat*, & quod in vtraque ly *Deus* ſupponat determinate pro perſona Patris. Quam ſententiã vt probabilem ſequitur Gonçalez, licet affirmet non eſſe valde conſonam litteræ D. Tho. in hoc ar. 4. Etenim in corpore hæc habet: *Sed forma ſignificata per hoc nomen Deus, ſcilicet eſſentia divina, eſt vna, & communis ſecundum rem: vnde per ſe ſupponit pro natura, ſed ex adiunctio determinatur eius ſuppoſitum ad perſonam, vnde cum dicitur, Deus generat, ratione actus notionalis ſupponit hoc nomen Deus pro perſona Patris; ſed cũ dicimus, Deus non generat nihil additur, quod determinet hoc nomen Deus ad perſonam Filij; vnde datur intelligi quod generatio repugnet Divinæ naturæ.* Ex quibus verbis fit argumentum. In hac propoſitione, *Deus non generat*, datur intelligi, quod generatio repugnet Deitati: ergo ſubiectum huius, *Deus non generat* non ſupponit pro Deo reſtricto, & determinato ad perſonam Patris. Prob. Conſequentia, quia ſtat bene aliquid repugnare naturæ divinæ, vt in Patre, & non repugnare illi, vt in omnibus ſuppoſitis: ergo ſi datur intelligi, quod repugnat generatio Deitati, ly *Deus* non ſupponit determinate pro Patre.

389 Dicam quid ſententiã. Dico ergo, quod iſtæ ſunt contradictoriæ, *Deus generat, Deus non generat*; & quod in prima ly *Deus* ſtat determinate pro Patre non reſtrictione, ſeu determinatione ſignificationis, ſic quod ſolum ſignificet Deum Patrẽ, ſed reſtrictione quo ad veritatem propoſitionis; neque enim iſtæ duæ propoſitiones *Deus generat, Pater generat*, eiuſdem ſubiecti in ſignificando ſunt, ſed ſubiectum primæ ſignificat individuum Deitatis; & quo ad veritatem propoſitionis ſtat pro Patre, quia videlicet, talis propoſitio ſolum pro Patre poteſt habere veritatem; vnde datur intelligi, quod huic individuo Deitatis in Patre tantum convenit generare: in negativa etiam ly *Deus* quo ad falſitatem propoſitionis ſtat tantum pro Patre, quamvis nõ quo ad ſignificationem termini, vnde ad ſui falſitatẽ requirit, quod generare repugnet individuo Deitatis in perſona Patris. Quando ergo dicitur, quod in contradictorijs debet ſervari eadem reſtrictio, hoc debet intelligi de reſtrictione termini quo ad ſignificationem, non vero quo ad veritatẽ, & falſitatem; vnde iſtæ non ſunt contradictoriæ *omnis homo albus currit, homo non currit*, quia ſubiectum primæ quo ad ſignificationem termini reſtringitur pro albis, & ſubiectum negativæ ſtat ample pro albis, & nigris: in noſtro ergo caſu ſubiectum huius, *Deus generat*, reſtringitur quo ad veritatem pro Patre, & in eius contradictoria reſtringitur ſubiectum eius quo ad falſitatem, etiã pro Patre, vnde fit ſenſus, quod Deus in nullo ſuppoſito ſuo generat, quæ propoſitio ſolum eſt falſa ratione ſuppoſiti Patris. Et hoc eſt, quod D. Tho. dicit, quod in negativa, *Deus non generat*, datur intelligi, quod generare repugnet ſuppoſito Deitatis in omni perſona ſua, quod falſum eſt, quia in Patre ei non repugnat; licet repugnet in Filio, & in Spiritu Sancto: vnde quo ad falſitatem ly *Deus* in negativa reſtringitur pro Patre, quia ſolum pro ipſo poteſt habere falſitatem.

Cur autem in affirmativa, vt ſit vera, ſufficiat quod illud individuum Deitatis in vno ſuppoſito generet, & ad veritatem nega-

Digitized by Google

gative non ſufficiat, quod in vno, vel altero ſuppoſito non generet, ſed requiratur quod in nullo generet? Rationem aſſignat D. Tho. in 1. ad Annibaldum diſt. 4. quæſt. 1. ar. 2. ad 3. ibi: *Dicendum, quod hoc nomen Deus habet naturam termini cōmunis in hoc, quod poteſt multis communicari, ſcilicet tribus perſonis, & ideo poteſt reddere loquutionem veram pro vno. & ideo hæc eſt vera, Deus generat Deum, quia pro Patre habet veritatem: habet etiam naturam termini ſingularis, quia imponitur à forma non multiplicabili. & ideo quidquid negatur de ipſo pro tota Trinitate negatur: vnde falſum eſt, Deus nō generat.* Vnde ſi fiat argumentum, quod in hac negativa, *Deus non generat*, ly *non* ſequitur ad ſubiectum, & ſolum præcedit prædicatum: ergo non diſtribuit ſubiectum, ſed ſolum prædicatum. Reſpondeo, quod illa doctrina eſt vera loquendo de termino communi ex parte rei ſignificatæ, & ex parte modi ſignificandi; non vero loquendo de termino ſolum communi quia vnam naturam ſingularem pluribus ſecundum rem communicatam ſignificat: tunc enim id, quod negatur de illo ſingulari communi, neceſſe eſt, quod negetur de omnibus illis, quibus eſt commune: cum ergo in hac, *Deus non generat*, prædicatum negetur de indiviGuo Deitatis, neceſſe eſt, quod negetur de omnibus ſuppoſitis, in quibus invenitur.

§. VI.

An hæc propoſitio ſit falſa. Pater genuit Deum, qui eſt Deus Pater?

390 AFFIRMATIVE reſpondet D. Tho. hic in ar. 4. ſolutione ad 5. & reddit rationem ſuæ falſitatis, quia cum ly *Pater* appoſitive cōſtruatur cum ly *Deus* reſtringit ipſum ad ſtandum pro perſona Patris, vt ſit ſenſus, genuit Deum, qui eſt ipſe Pater, & ſic Pater eſſet genitus, quod eſt falſum.

Hæc doctrina difficultatem habet non parvam, nam relativum *qui* non refert ſuū Ant. nempe ly *Deum* cum reſtrictione, quā habet pro perſona Filii, ſed tantum refert illud communiter, ita vt fiat ſenſus, Pater genuit Deum, & ille Deus eſt Deus Pater, quæ propoſitio veriſsima eſt. Nam hæc eſt vera, *Deus eſt Deus Pater*: ergo falſa eſt doctrina D. Tho. Prob. Ant. in his propoſitionibus, *per hominem redempti ſumus, per quem eramus captivi*, accuſativus *hominem*, quod eſt antecedēs relativi *quem* ſtat reſtrictè pro Chriſto; & tamen relativum *quem* non refert illud pro Chriſto reſtrictum, ſed tātum refert *hominem* communiter; & ſic illa propoſitio eſt vera: nam fit in ea ſenſus, per vnum hominem redempti ſumus, & per vnum hominem eramus captivi, quæ veræ ſunt; prima in Chriſto: ſecunda in Adamo. Similiter in hac *mulier clauſit portam, quæ reſeravit*, ly *mulier* ſtat reſtrictè pro Eva, & tamen relativum *quæ* refert communiter, ita vt poſsit verificari de Virgine Maria: ergo non eſt neceſſe, quod relativum *qui* in hac propoſitione, *Pater genuit Deum, qui eſt ipſe Pater*, referat reſtrictè Deum, vt ſtat pro Filio, ſed ſufficit, quod referat Deum communiter, ſic quod fiat ſenſus, genuit Deum, & ille, nempe Deus eſt Pater, quæ vera ſunt.

391 Pro ſolutione argumenti. Adver. quod quando antecedens, & relativum ſituantur ex parte eiuſdem extremi, relativum *qui* refert ſuum antecedens reſtrictè pro eodem, pro quo antecedens ſupponit; vt licet videre in iſta, *homo, qui currit, diſputat*, in qua ly *homo*, quod eſt antecedens, quo ad veritatem propoſitionis ſupponit reſtrictè pro homine diſputante, & relativum *qui* refert reſtrictè pro eodem: vnde ad veritatem huius, *homo, qui currit, diſputat*, non ſufficit, quod vnus homo currat, & vnus homo diſputet; ſed requiritur, quod ille homo, qui diſputat, ille met curra. Quando autem antecedens ponitur ex parte vnius extremi, & relativum ex parte alterius, tunc non refert reſtrictè, & ſic contingit in adductis propoſitionibus, in quibus antecedens ponitur ex parte vnius extremi, & relativum ex parte alterius: vnde iſtæ propoſitiones non ſunt eædem; *Mulier, quæ clauſit portam, reſeravit*, & iſta; *Mulier clauſit portam, quæ reſeravit*: prima enim eſt falſa, quia cum antecedens, & relativum ſituentur ex parte eiuſdem extremi; relativū *quæ* refert reſtrictè mulierem, pro muliere reſerante, quæ eſt B. V. Maria: vnde reſolvitur per vnam copulativā, cuius vna pars eſt falſa, nempe mulier reſeravit, & illa clauſit portam: hæc enim ſecunda propoſitio eſt falſa, quia ly *illa* refert reſtrictè; ſecunda autem eſt vera, quia cum antecedēs, & relativum ſe teneant ex parte diverſorum extremorum, relativum non refert reſtrictè; vnde ſenſus eſt, quod vna mulier reſeravit, & vna mulier clauſit portam. Idem licet videre in iſta. *Per hominem redem-*

demptiſumus; per quem eramus captivi, quæ quidem eſt vera, quia cum antecedens hominem, & quem relativum ſituentur ex parte diverſorum extremorum; relativum refert communiter, & non reſtrictè; vnde fit ſenſus, quod per vnum hominem ſumus redempti, & per vnum hominē eramus captivi: hæc autem eſt falſa. *Per hominem, per quem redempti ſumus, eramus captivi*, quia cū *hominem*, & *quem* ſe teneant ex parte eiuſdē extremi, ly *quem* refert *hominē* reſtrictè pro redimente. Sic ergo in noſtro caſu cum in hac propoſitione, *Pater genuit Deum, qui eſt Deus Pater* Ant. *Deum*, & relativum, *qui* ſe teneant ex parte eiuſdem extremi, & ly *Deum* ſtet pro Deo genito, qui eſt Filius, ly *qui* refert reſtrictè pro Deo genito, & de illo dicit, quod eſt Deus Pater, quod falſiſſimum eſt: & ſic talis propoſitio eſt falſa. Vnde iſtæ non ſunt eædem propoſitiones *Pater, qui genuit Deum eſt Deus Pater* & iſta, *Pater genuit Deum, qui eſt Deus Pater*: prima enim veriſsima eſt: ſit enim ſenſus, Pater eſt Deus Pater, & ille genuit Deum Filium, quæ veriſsimæ ſunt; ſecunda autem eſt falſa, vt vidimus. Et propter eandem rationem hæc negativa eſt vera, *Pater genuit Deum, qui non eſt Deus Pater*.

391 Sed inſtâ in contra, nam in hac propoſitione, *Pater genuit Deum, qui eſt Deus Pater*, ly *qui* poteſt non referre accuſativum *Deum*, ſed nominativum *Pater*; ita vt ſit ſenſus; Pater eſt Deus Pater, & ille genuit Deum; hic autem ſenſus veriſsimus eſt: ergo tota propoſitio eſt vera, & negativa ſimiliter erit falſa in hoc eodem ſenſu, nam reſolvetur ſic, *Pater non eſt Deus Pater*, vel non ille *genuit Deum*, quæ eſt vna diſiunctiva, cuius vtraque pars eſt falſa, & ſic tota eſt falſa. Sed reſpondeo, quod ly *qui* non poteſt referre Patrem, quia relativum debet eſſe rei immediate antelatæ recordativum; res autem immediate antelata eſt accuſativus *Deum*, & ſic ly *qui* eſt relativum illius, & nō habet referre Patrem.

Sed inſtabis, in hac, *Mulier clauſit portam, quæ reſeravit*, relativum *quæ* refert mulierem, & non *portam*: ergo non eſt neceſſe, quod relativum ſit rei immediate recordativum. Probatur Conſ. quia res immediate antelata eſt ly *porta*, & non ly *mulier*: ergo. Reſpondeo ly *mulier* eſſe rem antelatam immediate formaliter, quia de ipſa fit recordatio; ly autem *portam* eſt tantum materialiter ante relativum, quia de ipſa non poteſt fieri recordatio per relativum, *quæ* in ordine ad verbum activum *reſeravit*. In hac autem, *Pater genuit Deum, qui eſt Deus Pater* accuſativus *Deum* eſt immediate formaliter, & materialiter antecedens referibile per relativum *qui*, vt patet ex cōceptu cōmuni, qui de tali propoſitione habetur; vnde nulla eſt paritas.

§. VII.

Vtrùm nomina eſſentialia in abſtracto ſignificata poſſint ſupponere pro Perſona?

392 NOMINA eſſentialia ſupponere pro perſonis non eſt inquirere, vtrum perſonæ poſſint vere prædicari de eſſentialibus abſtractive ſignificatis: certiſsimum enim eſt eſſentiam divinam eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; vnde iſtæ ſunt veræ, *Eſſentia divina eſt Pater, eſſentia divina eſt Filius, eſſentia divina eſt Spiritus Sanctus*, ſed eſt inquirere, vtrum nomina eſſentialia abſtracta poſsint ſupponere pro perſona in ordine ad actus notionales, quibus perſonæ ad invicem diſtinguuntur? Et difficultas tota reducitur ad hanc propoſitionem, *Eſſentia divina generat*, vtrùm vera ſit? circa quod turpiter erravit Abbas Ioachim, aſſerens, quod ſicut dicitur, *Deus genuit Deum*; ita poteſt dici, *Eſſentia genuit eſſentiam*: conſiderans, quod propter divinā ſimplicitatem non eſt alius Deus, quam divina eſſentia.

Sed in hoc deceptus fuit, quia ad veritatem loquutionum non ſolum oportet conſiderare res ſignificatas, ſed etiam modum ſignificandi; licet autem ſecundum rē ſit idem Deus, quod Deitas, non tamen eſt idem modus ſignificandi vtrobique: nam hoc nomen *Deus* quia ſignificat divinam eſſentiam, vt in habente, ex modo ſuæ ſignificationis naturaliter habet, quod poſſit ſupponere pro perſona, & ſic ea, quæ ſunt propria perſonarum poſſunt prædicari de hoc nomine *Deus*, vt dicatur, quod *Deus eſt genitus*, vel *generans*; ſed hoc nomen *Eſſentia* non habet ex modo ſuæ ſignificationis, quod ſupponat pro perſona, quia ſignificat eſſentiam, vt formam abſtractam; & ideo ea, quæ ſunt propria perſonarum, quibus ab invicem diſtinguūtur non poſſunt eſſentiæ attribui: ſignificaretur enim quod eſſet diſtinctio in eſſentia, ſicut eſt diſtinctio in perſonis. Ex quibus patet quod nōn ſolum iſta non ſit concedenda, *eſſentia divina genuit di-*

vinam eſſentiam; verum neque iſta, *eſſentia divina generat*, quia generare eſt actus ſuppoſiti perſonalis; eſſentia autem, prout ſic ſignificata, non ſignificatur vt in habente: vnde nequit reddere ſuppoſitum verbo *generat*, & ſic illa eſt falſa.

Nec ad veritatem dictæ propoſitionis ſufficit identitas realis, qua gaudent inter ſe eſſentia, & ſuppoſitum Patris, quia verbum *generat*, cum ſignificet actum notionalem, ex modo ſignificandi determinat egreſſum à perſona, cuius notio eſt: & ſic eſt neceſſarium ad veritatē dictæ propoſitionis, quod ex parte ſubiecti importetur perſona Patris, vel expreſſe, & primario ſignificata, vt habetur per nomen *Pater*, vel ſecundario ſignificata, vt habetur per nomē *Deus*, de quo diximus, quod licet primario ſignificet individuum Deitatis, ſecundario tamen ſignificat perſonas, & poteſt ſupponere pro illis: cumque nomen *eſſentia*, neque primario, neque ſecundario ſignificet perſonas, cum ſignificetur vt abſtracta ab illis, fit inde, quod in dicta propoſitione nequeat pro perſona ſupponere, & ſic dicta propoſitio ſit falſa.

Tum ſecundo, nam verbum *generat* ponit diſtinctionem inter ſubiectum, cui cōvenit, & terminum, qui generatur: eſſentia autem divina, vt ſic ſignificata, à nullo divino realiter diſtinguitur: vnde de illa nequit vere prædicari verbū *generat*. Tum etiam, nam verbum *generat*, cum ſit adiectivum, nō affert ſecum ſuum ſuppoſitum, ſed tantum habet applicare ſuum ſignificatum formale ad ſuppoſitum ſubſtantivi poſitum ex parte ſubiecti; ſed in dicta propoſitione ex parte ſubiecti quod eſt *eſſentia* non importatur ſuppoſitum; cui conveniat ſignificatum de ly *generat*: ergo dicta propoſitio eſt falſa.

393 Ex his infero, has propoſitiones eſſe valde diverſas, *eſſentia divina generat*, & hæc, *eſſentia divina eſt res generans*, ſi verbum *res* ſupponat pro perſona Patris, non vero ſi ſupponat pro eſſentia in abſtracto ſignificata: prima enim eſt falſa, & ſecūda vera. Prima eſt falſa, quia ex parte ſubiecti, vt dixi, nullum importatur ſuppoſitum, cui verbum *generat* adiectivum applicet ſuum formale ſignificatum: in ſecunda importatur ſuppoſitum Patris ſignificatum per verbum *Res*, & ſic eſt vera propter ſenſum identicum, quia fit ſenſus, quod in re identificantur ſignificatum de ly *eſſentia* cū ſuppoſito Patris, quod veriſſimum eſt.

Infero ſecundo, has duas propoſitiones eſſe veras, *eſſentia divina eſt res generans*, *Eſſentia divina eſt res non generans*, ſi in prima verbum *res* ſtet pro ſuppoſito, & in ſecūda ſtet pro ipſa eſſentia. Etenim res, cum ſit tranſcendens, aliquando ſupponit pro abſtracto, aliquando ſupponit pro concreto. Infero tertio. Hanc conſequentiam eſſe nullam, *eſſentia divina eſt Pater; Pater generat: ergo eſſentia divina generat*. Argumentamur enim in illa ab identica ad formalem: nam maior tantum in ſenſu identico, quē admittit, eſt vera, & in conſequenti, cum non admittatur ſenſus identicus propter rationes dictas, fit ſenſus formalis, & ſic eſt falſa: denotatur enim in conſequenti, quod generare competat eſſentiæ, ex quo eſſentia eſt.

Sed inquires, quare hæc propoſitio, *eſſentia divina eſt Pater*, admittat ſenſum identicum verum, & hæc, *eſſentia divina generat*, non admittat ſenſum identicū? Reſpondeo, hoc oriri ex diverſitate nominis ſubſtantivi, & adiectivi: ſubſtantivum enim nomen ſecum affert ſuum ſuppoſitum, vnde cum prædicatur de ly *eſſentia* non eſt neceſſe, quod copulet ſuum ſignificatum formale cum ſuppoſito tenente ſe ex parte ſubiecti, & ſic datur locus ſenſui ſolum idētico: cum ergo prædicatum huius, *eſſentia divina eſt Pater*, ſit ſubſtantivum, non eſt neceſſe, quod formale eius applicetur formali ſignificato de ly *eſſentia*, & ſic ly *eſt* in tali propoſitione poteſt dicere realem identitatem, quæ habetur inter prædicatum, & ſubiectum; ly autem *generat* eſt adiectivum; & hoc, cum non habeat ſecum ſuppoſitum, ſed tantum formale, neceſſario applicat ad ſignificatum per ſubiectum, & ſic hæc propoſitio *eſſentia generat*, non admittit ſenſum identicum, ſed ſolum formalem.

§. VIII.

Vtrùm iſta ſint per ſe, Pater eſt Deus, Deus eſt Pater?

394 DIFFICVLTAS Oritur ex litera D.Tho. hic ar. 6. ad 2. vbi ſic dicit: *Dicendum, quod cum dicitur Deus, vel divina eſſentia eſt Pater, eſt prædicatio per identitatem; non autem ſicut inferioris de ſuperiori, quia in divinis non eſt vniverſale, & ſingulare: vnde ſicut eſt per ſe iſta, Pater eſt Deus, ita & iſta, Deus eſt Pater, & nullo modo per accidens*. Sic D.Tho. Quibus vi-

videtur ſentire, ita eſſe per ſe iſtam, *Deus eſt Pater*, ſicut iſta, *Pater eſt Deus*. Quod videtur contrà dicere his, quæ docuit de potentia quæſt. 8. ar. 2. ad 6. vbi dicit non eſſe prædicationem per ſe, cum Paternitas prædicatur de eſſentia. Do verba D. Tho. *Dicendum, quod ratio illa tenet in prædicationibus per ſe: per ſe autem aliquid prædicatur de aliquo, quod prædicatur de eo ſecundum propriam rationem; quod vero non ſecundum propriam rationem prædicatur, ſed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per ſe: cum ergo dicitur, eſſentia diuina eſt Paternitas, non prædicatur Paternitas de eſſentia diuina propter identitatem rationis, ſed propter identitatem rei, & ſimiliter, nec eſſentia de Paternitate, quia alia eſt ratio eſſentiæ, & relationis: & ideo in prædicto proceſſu incidit fallacia accidentis. Licet enim in Deo nullum ſit accidens, eſt tamen quædam ſimilitudo accidentis, in quantum ea, quæ de ſe inuicem prædicantur ſecundum accidens, & differunt ratione, ſunt vnum ſubiecto.* Sic D. Thom. Quibus conſtat ſentire, quod neque quando Paternitas prædicatur de eſſentia, vt in iſta *eſſentia diuina eſt Paternitas*, neque quando eſſentia prædicatur de Paternitate, prædicatio illa ſit per ſe.

Eſt etiam difficultas in eo, quod non videtur gaudere eadem perſeitate iſta *Deus eſt Pater*, ac iſta, *Pater eſt Deus*, nam propria non ſunt de conceptu eſſentialium; benè autem eſſentialia ſunt de cōceptu propriorum. Sic habet D. Tho. ſupra quæſt. 33. ar. 3. ad 1. ibi: *Dicendum, quod communia abſolutè ſumpta ſecundum ordinem intellectus noſtri, ſunt priora, quam propria, quia includuntur in intellectu propriorum; ſed non è conuerſo. In intellectu enim perſona Patris intelligitur Deus, ſed non conuertitur.* Ex quibus ſic, quādo in aliqua propoſitione prædicatum includitur in intellectu ſubiecti, talis propoſitio eſt formalis, per ſe, & directa, vt licet videre in iſta, *homo eſt animal*; quando autem prædicatum non eſt de intellectu ſubiecti, talis propoſitio non eſt per ſe, nec directa, vt licet videre in iſta, *animal eſt homo*; ſed iuxta D. Tho. in hac, *Pater eſt Deus*, prædicatum eſt de intellectu ſubiecti; non vero in iſta *Deus eſt Pater*: igitur prima erit per ſe, & formalis; non vero ſecunda erit propoſitio per ſe. Prob. Min. nam iuxta D. Tho. communia, & eſſentialia ſunt de intellectu propriorum, non vero è conuerſo propria ſunt de intellectu communium; ſed ly *Deus* abſolutum, eſſentiale, & commune eſt prædicatum in prima, reſpectu de ly *Patris*, qui dicit proprium, & perſonale: igitur eſt de intellectu illius: in ſecunda autem Perſonale, & proprium eſt prædicatum reſpectu communis, & eſſentialis, nēpe de ly *Deus*, quæ eſt ſubiectum: igitur prædicatum non eſt de intellectu ſubiecti: non ergo illæ duæ propoſitiones poſſunt eſſe eiuſdem perſeitatis.

395 In reſolutione huius quæſiti duo ſunt examinanda. Primum, an illæ duæ propoſitiones ſint per ſe: ſecundum, an ſint æqualis perſeitatis. Circa primum, debemus cum D. Thom. hic dicere, quod ſic. Sed oportet diſtinguere de perſeitate abſoluta, & ex vi terminorum, vel de ſola perſeitate identitatis: per ſe enim ita eſt omnino indiſpenſabile, quod Deus ſit Pater, & quod Pater ſit Deus; vnde non eodem modo philoſophandum de iſtis, *homo eſt animal*, & *animal eſt homo*, nam animali accidit identitatem habere cum homine, & ſic iſta non eſt per ſe, *animal eſt homo*; Deo autem non accidit, quod ſit Pater, neque Deitati accidit, quod ſit Paternitas, ſed per ſe hic Deus eſt Pater per identitatem: nam nulla via fieri poteſt, quod Deus verus Pater non ſit. Quod, & non aliud vult D. Thom. hic art. 6. ad ſecundum. Contra quod non militat auctoritas ex quæſt 8. de potentia. In illa enim ſolum vult D. Thom. quod illæ duæ propoſitiones, *eſſentia eſt Paternitas, Paternitas eſt eſſentia*, non ſint per ſe perſeitate abſoluta, ſed cum addito; nempe perſeitate identitatis rei, cum quo bene compatitur fallacia accidentis propter diſtinctionem rationis formalis prædicati à ratione formali ſubiecti: differunt enim penes abſolutum, & relatiuum; vnde non valet, *eſſentia Diuina eſt Paternitas, eſſentia Diuina eſt filiatio: ergo Paternitas eſt filiatio* mutatur enim quid, in ad aliquid, vel fit argumentū ab identica ad formalem.

Circa ſecundum, an videlicet gaudeāt illæ duæ propoſitiones æquali perſeitate? adverto, quod ly *Pater* poteſt ſumi dupliciter. Primo ſolum pro ſignificato Paternitatis per modum relationis: alio modo, prout dicit perſonam primam ſubſiſtentē in natura Deitatis. Si primo modo ſumatur, illa propoſitio ſolum eſt per ſe perſeitate identitatis; hæc enim, & non alia poteſt haberi inter abſolutum, & relatiuum, neque enim formaliter ſecundum rationē poſſunt conuenire: vnde ſolum poſſunt eſſe idem identitate rei. Si autem ſumantur

ſe-

Digitized by Google

ſecundo modo Pater non ſolum claudit in ſe relationem Paternitatis, ſed etiam naturam divinam: vnde ex parte, qua claudit in ſe naturam divinam per modum naturæ, hęc eſt per ſe, & formalis *Pater eſt Deus*, quia prædicatum eſt de intellectu alicuius, quod ſe tenet ex parte ſubiecti, nempe Deitatis, in qua ſubſiſtit Pater. In quo ſenſu dicit D. Tho. loco citato, quod communia ſunt de conceptu propriorum, quatenus propria claudunt abſolutum naturę, & proprium relationis; quod abſolutum ex terminis ſuis conſtitutive non claudit: & ſic loquendo, dictæ propoſitiones non ſunt æqualis perſeitatis, nam illa *Pater eſt Deus*, modo explicato eſt per ſe formaliter, & non ſolum identice: illa vero, *Deus eſt Pater*, ſolũ eſt per ſe perſeitate identitatis rei. Per quæ omnia conſonant.

QVÆSTIO XVII.

De conſtitutivo Divinarum Perſonarum.

POSTQVAM egimus de Perſonis divinis in communi, & in particulari abſolute, & de illis comparative ad eſſentiam, quam connotant: rectus ordo poſtulat, vt agamus de illis comparative ad relationes, quibus conſtituuntur: vnde agitamus quæſtionem de conſtitutivo perſonarum præ omnibus, quæ in hoc tractatu ſunt difficilem. Si enim creaturarum immaterialium vix conſtitutiva eſſentialia ſcire poſſumus, qua arte ad ſcientiam proprij conſtitutivi divinarum perſonarũ exacte poterimus pervenire? Illuſtret ergo Sãctiſſima Triados mentem noſtram, vt ſine errore de tam alto, & tam recondito Sacramento agamus.

§. I.

Vtrùm in divinis perſonis ſint aliqua proprietates, quibus conſtituantur, & diſtinguantur?

396 NOMINE proprietatis non intelligimus id, quod Logicus proprium vocat, quod eſt id, quod conſequitur ad rei eſſentiam ſequela neceſſaria; ſed intelligimus id, quod in vnaquaque perſona diſtinguitur à prædicatis, quibus cum alijs communicat, ſive illa abſoluta ſint, ſive relativa: vnde quia per ſpirationem activam Pater non diſtinguitur à Filio, ſed potius cum illo communicat, nomine proprietatis non comprehendimus relationem ſpirationis activæ. Et quoad iſtum punctum examinãdum quatuor ſunt modi opinandi, vel eſſe poſſunt. Alter, qui dicit proprietates, nec eſſe perſonas, nec eſſe in perſonis: & ſic opinati ſunt, qui dixerunt, relationes divinas non eſſe eſſentiam divinam; ſed tantum eſſe illi aſsiſtentes, & extrinſecus affixas, ſicut dixit Gilbertus Porretanus. Alter modus opinandi eſt eorum, qui dicunt proprietates eſſe perſonas; non eſſe tamen in perſonis. Sic poſuit Præpoſitivus. Alter eſt eorum, qui dicunt proprietates non eſſe perſonas; eſſe tamen in perſonis. Alter eorum, qui dicunt proprietates eſſe ipſas perſonas, & eſſe in perſonis. Quem modum dicendi tenet D. Tho. hic, & cum eo omnes Theologi.

397 Sit concluſio. In divinis perſonis vere dantur proprietates, quibus ipſæ conſtituuntur, & diſtinguuntur. Prob. concluſio primo, nã in decreti. Hormiſdæ Papæ ad Epiphanium Epiſcopum Conſtantinopolitanum dicitur, *proprietatem tamen ſuam ſcimus ineſſe perſonis*. Et in 6. Synodo Generali, quæ eſt Conſtantinopolitana 3. ſub Agathone, actione 3. in Epiſtola Sophronij dicitur, quod *Spiritus Sanctus non eſt Pater propter alterſeras trium proprietates*: Et poſt pauca: *ſicut ergo eſſe Deũ vnaquaque inconvertibiliter poſſidet, ita & proprietatẽ, per quam ipſa perſona figuratur, immutabilẽ, & immobilem poſſidet, quæ eidem ſoli eſt inſinita, & ab ipſis alijs perſonis eum diſcernit*. Et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio 3. aſſeritur. *Sancta Trinitas ſecundum perſonales proprietates eſt diſcreta*. Et in Concilio Florentino ſeſſ. 9. dicitur. *Nam perſona ex ſubſtãtia, proprietatibuſque conſiſtit*. In quibus omnibus locis Patres, & Concilia admittunt perſonis divinis ineſſe proprietates, quibus conſtituuntur, & diſtinguuntur.

Poterat his reſponderi ex Præpoſitivo, Concilia accipere abſtractum pro concreto, id eſt, proprietatem pro perſona, ſicut cum dicimus; rogo Sanctitatem, aut Benignitatem tuam; idem volumus dicere, quod rogo te Sanctum, aut Benignum. Sed contra hoc eſt, nam Concilia eſto multoties accipiant abſtractum pro concreto, non tamen hoc faciunt, neque facere poſſunt, quan-

Digitized by Google

quando loquuntur de abſtractis; vt aliquo modo à ſuis concretis diſtinctis; ſed in adductis Concilij; fit loquutio de abſtractis, vt aliquo modo à ſuis concretis diſtinctis: igitur nullatenus aſſumunt abſtractum pro cõcreto. Prob. Min. in dictis loquutionibus Concilia, & Patres vtuntur abſtractis ad declarandum ea, quibus perſonæ conſtituantur, & diſtinguantur: ergo loquũtur de proprietatibus in abſtracto per comparationẽ ad propria concreta, & diſtinctionem ab ipſis. Secundo prob. Min. nam, Concilia dicũt proprietates in eſſe perſonis, & perſonas figurari proprietatibus; ſed nihil ineſt ſibi omnino ipſi, nihil etiam figuratur etiam à ſeipſo: ergo loquuntur de proprietatibus, vt aliquo modo diſtinctis à concretis, quorum ſunt proprietates.

398 Prob. ſecundo concluſio, nam quoties aliqua conveniunt, & ſimul inter ſe diſtinguuntur, debemus aſsignare aliquam rationem, in qua conveniant, & aliam per quam diſtinguantur; ſed perſonæ divinæ conveniunt inter ſe, & ſimiliter inter ſe diſtinguuntur: igitur debemus aſsignare aliquam rationem, in qua conveniant, & aliam, in qua diſtinguantur. Tunc ſic ſed per proprietates perſonales diſtinguuntur: ergo neceſſario fatendum eſt, in perſonis vere dari proprietates perſonales, quibus conſtituantur, & diſtinguantur.

Huic rationi poterit reſponderi maiorem illius eſſe veram, quando ea, quæ conveniunt, & diſtinguuntur omnimoda ſimplicitate non gaudent; tunc enim in illis debet diſtingui habens à re habita, & id, *quo* ab id, *quod*: cumque perſonæ divinæ comparatæ ad ſuas proprietates omnimoda ſimplicitate gaudeant, fit inde, quod non poſsimus diſtinguere id, *quo* ab id, *quod*, & ſic debemus fateri, perſonas ſeipſis intranſitive convenire, & ſeipſis intranſitive diſtingui.

Sed contra inſurgo, nam licet quando res omnimoda ſimplicitate gaudet, nõ poſſimus realiter diſtinguere rationem habentis à re habita, rationem conſtituentis à re conſtituta; poſſumus tamen diſtinguere prædictas formaliter, vel ſaltim diverſa munia eiuſdem formaliter per noſtros conceptus: ergo poſſumus eandem ſimplicisſimam formam ſecundum modum conſtituentis, & diſtinguentis intelligere, & ipſiſsimam formam ſecundum rationem conſtituti cõcipere; ſed intellectam ſecundum modum conſtituentis, ad ſeipſam ſecundum modum conſtituti, poſſumus eam apprehendere, vt in habente: igitur eandem proprietatẽ perſonalem poſſumus intelligere, vt in perſona per illam conſtituta.

Secundo eſto inter Paternitatem, & Patrem quoad id, quod Pater in recto importat, nulla inter ſit diſtinctio adhuc virtualis; tamen illam ſic aliquando concipimus, quod concipiamus in abſtracto, & ſignificamus per hoc nomen *Paternitas*, aliquando illam ſic concipimus, quod ſignificamus illam per hoc nomen *Pater*; ſed ly *Pater* ſignificat vt habens Paternitatẽ, & ly *Paternitas* vt res habita: igitur poſſumus vere dicere, Paternitatem eſſe in Patre, Patrẽque conſtitui, & diſtingui Paternitate. Præterea, Pater includit in ſe divinã naturam; cum ſit intellectualis naturæ individua ſubſtantia, includit etiam Paternitatem: ergo Paternitas non dicit expreſſe totum, quod dicit Pater: ergo vere poſſumus dicere Paternitatem eſſe in Patre, & naturam divinã eſſe in Patre: cum ergo Paternitas proprietas Patris ſit: vere affirmandum erit, proprietatem eſſe in perſona, illam conſtituere, & illam diſtinguere.

§. II.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

399 ARGVITVR primo contra concluſionem. Si Paternitas eſſet in Patre; vere aſſerendum eſſet, Patrem Paternitate conſtitui; hoc eſt falſum: ergo. Prob. Min. Pater nequit Paternitate realiter conſtitui, nec ſecũdum rationem: ergo eſt falſum, Patrem Paternitate conſtitui. Prob. Ant. quoad primã partem, nam ad conſtitutionem realem ex aliquo requiritur diſtinctio realis inter conſtituens, & conſtitutum; ſed ea, quæ ſunt in Patre ſunt omnino realiter idem: igitur nequit dici, Patrem conſtitui Paternitate conſtitutione reali. Secundo conſtitutio alicuius ex aliquibus, eiuſdem conditionis eſt, cuius ſunt illa plura, ex quibus cõſtituitur; ſed ea, quæ Pater habet non ſunt aliquo modo plura realiter: ergo nequit Pater dici conſtitutum reale ex eſſentia, & Paternitate. Quoad ſecundam partem prob. quia conſtitutio ſecundum rationem requirit ad minus diſtinctionem rationis inter conſtitutum, & conſtituentia; ſed inter Patrem, & Paternitatem hæc diſtinctio adhuc non militat: igitur non eſt dicendum, Patrem conſti-

Digitized by Google

ſtitui Paternitate ſecundum rationem.

Ad hoc argumentum nego Min. Ad prob. nego Ant. quo ad vtramque partem ad prob. quo ad primam diſt. Mai. ad conſtitutionem, quæ fit per realem compoſitionem conc. Mai. ad conſtitutionem, quæ fit per ſolam realem identitatem, cumque ſummā nego Mai. & conc. Mi. nego Conſ. Ad ſecundam prob. nego Conſ. nam, duplex eſt conſtitutum, alterū ex pluribus, & hoc, ſi ſit reale, oportet, quod illa plura diſtinguantur realiter, alterum conſtitutum per ſummā identitatem, & cum ad hoc non requirantur plura, non eſt neceſſe, quod ſi ſit reale conſtitutum, conſtet ex pluribus realiter diſtinctis; ſed ſufficit, quod ipſa forma hoc ipſo, quod ſeipſam ponat, hoc ipſo concretum faciat: & quia hoc habet relatio Paternitatis, quia ſeipſa intransitive eſt ſubſiſtens vt quod, fit inde, quod perſona realiter conſtituatur proprietate relativa.

Inſtabis implicat intelligere conſtitutum niſi intelligatur id, ex quo cōſtituitur; ſed in relatione Paternitatis v.g. realiter nō invenitur id, quod conſtituitur, & id, ex quo conſtituitur: ergo implicat huiuſmodi conſtitutionem eſſe realem. Prob. Mi. illæ formalitates conſtituti, & ex quo conſtituitur ſunt aliquo modo inter ſe diſtinctæ; ſed ipſiſſima Paternitas nullam realiter admittit diſtinctionem in ſeipſa igitur à parte rei nō datur conſtitutum realiter, & id, ex quo conſtituitur in ipſa Paternitate. Ad hoc nego Min. ad prob. nego Mai. conſtitutum enim per ſummā identitatem non requirit diſtinctionem ſecundum eſſe inter conſtituens, & id, quod conſtituitur; ſed ſufficit, quod ſit forma, quæ ſe ipſa eſt ſubsiſtens vt quod; nam hoc ipſo, quod forma eſt, hoc ipſo conſtituit; & hoc ipſo, quod ſe ipſa intransitive ſubsiſtens vt quod eſt, hoc ipſo intelligitur conſtitutum: & quia totum hoc invenitur in Paternitate divina à parte rei, ideo dico, Patrem eſſe conſtitutum reale ipſa Paternitate. Dixi nō requiri diſtinctionem ſecundum eſſe, eſto requiratur diſtinctio ſecundum dici, & ſecundum explicari; quia illa eminentia formæ ſecundum munus conſtituentis, & conſtituti nequit niſi per plura, & diſtincta explicari.

400 Secundo arguitur conſtitutū vere realiter dependet a conſtituente, ſi ſit reale conſtitutum; ſed Paternitas nequit realiter dependere a ſe ipſa: ergo Pater nequit eſſe reale conſtitutum ipſa Paternitate. Reſpondet Mag. Gonet, quod conſtitutum realiter formaliter dependet à pluribus realiter formaliter diſtinctis; conſtitutum vero ſolum realiter, & virtualiter ſolum dependet dependentia virtuali, nō vero actuali formali: cumque perſona divina conſtituatur ſolum realiter virtualiter, non vero formaliter: fit inde, quod ſolum dependeat à conſtituentibus dependentia virtuali, quæ non dicit imperfectionem in divinis. Sed verius reſpondetur, quod conſtitutum reale per ſummā ſimplicitatem non dependet à conſtituente reali dependentia, quæ nō habet locum in ſimpliciſsima virtualitate ſecundum rem; quidquid ſit de modo ſignificandi, vel explicandi, vt diximus: cumque Perſona ſit conſtitutum per ſummā ſimplicitatem, non eſt neceſſe, quod realiter dependeat, nec formaliter; nec virtualiter à conſtituente.

§. II.

Vtrùm proprietates diſtinguentes Perſonas ſint abſolutæ?

401 LOQVIMVR de primario diſtinctivo perſonarum, id eſt de illo, ante quod non præhabetur perſona conſtituta: vnde primo diſtinguere perſonam nequit non eſſe illam primo conſtituere. Dupliciter ergo aliquid contingit diſtingui per aliud. Primo ſic, quod ante illud res iam ſupponatur eſſe, ſicut cum aqua diſtinguitur per diviſionem, quæ tamen non habet conſtitui per illam: quia totum eſſe aquæ præhabetur ante diviſionē; & ſicut Pater, & Filius diſtinguūtur à Spiritu Sancto per ſpirationem activam, qui tamen non conſtituuntur per illā: ſiquidem ad hoc diſtinctivum præſupponatur; rationale etiam quod diſtinguit animal, illud non conſtituit, quia illud præſupponit, ſed conſtituit hominem, quem non præſupponit, ſed primo facit. Hoc ergo præſuppoſito. Circa huiuſmodi quæſitum fuit opinio aliquorum antiquorum tenentium perſonas divinas conſtitui, & diſtingui per quoſdam modos abſolutos. Referuntur pro hac ſententia Ioannes de Ripis, quem citat Scotus in primo diſt. 26. quæſt. vnica §. 3. Opinio quam ipſe Scotus probabilem indicat, & vt probabilem eius familia defendit. Vt veram tamen illam ſequitur Lychetus, Lyconienſis, & alij citati à Granados tomo 3. in 1. p. tract. 12. diſp. 13.

402 Sit coclusio Perſonæ divinæ non

non conſtituuntur, nec diſtinguuntur per modos abſolutos. Prob. primo, quia ſi perſonæ conſtituerentur per aliquid abſolutũ, vel illud abſolutum eſſet finitum, & limitatum, vel infinitum, & illimitatum; nõ primum, nec ſecundum: ergo. Prob. Min. quoad primam partem, quia ſi ille modus eſſet finitus, & limitatus, iam in Deo daretur aliqua forma intrinſeca finita, & limitata, quod dicẽdũ non eſt: ergo. Quoad ſecundam partem prob. quia ſi illa forma abſoluta eſſet infinita, & illimitata, identificaret ſibi omne conſtitutivum, & diſtinctivum divinarum perſonarum, & ſic perſonæ divinæ nequirent inter ſe diſtingui realiter per ſuas proprietates conſtitutivas: eſt autem maximum inconveniens ponere in Deo actu puriſsimo formam intrinſecam finitam, & limitatum: eſt etiã maximum inconveniens ponere quod perſonæ non diſtinguantur realiter per ipſas proprietates, per quas conſtituuntur: ergo, & erit maximũ inconveniens aſſerere, quod perſonæ conſtituantur modis abſolutis.

Dices primo ad hoc, nõ eſſe incõveniens in ente infinito ponere aliquid finitum, & limitatum ſpectans ad conſtitutivum vnius perſonæ, prout ab alia diſtinguitur. Nam relatio Paternitatis in linea relationis quid finitum eſt, & tamen ponitur forma intrinſeca entis infiniti, eo, quod ſpectat ad conſtitutivum; & diſtinctivum vnius perſonæ ab alia. Sed contra eſt, nam relatio Paternitatis non eſt quid finitum, & limitatum: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. licèt relatio Paternitatis, ex quo explicat *ad*, non habeat ſecum identificare relationem Filiationis, tamen ex quo explicat *in*, eſt ipſa res, quæ eſt Trinitas; identificatur enim ſumme cũ divina eſſentia: ergo relatio Paternitatis infinita eſt. Patet Conſ. nam ad rationẽ infiniti ſimpliciter ſufficit identificare ſibi omnem rationem entis, ex quo res explicat ens; nam tantum ex hoc capite habet quantitatẽ virtutis, & perfectionis: cumque relatio ſolũ ex capite *in* explicet entitatem, ex illo tantum explicat perfectionem, & ſic vt ſit ſimpliciter infinita, ſufficiet ex illo capite identificare ſibi omnem perfectionem.

Ex qua doctrina ſic roboratur ratio facta. Ad conſtitutivum perſonæ divinæ duo requiruntur, nempe quod ſit infinitum, & quod ſit diſtinctum realiter ab alio; ſed hæc duo nequeunt convenire formæ abſolutæ: ergo nequeunt perſonæ forma abſoluta conſtitui. Mai. patet, nam conſtitutivum entis divini oportet quod ſit infinitum, ſiquidem conſtitutum infinitum eſt; oportet etiam quod ſit realiter diſtinctum, ſiquidem alteri incommunicabile eſt. Min. vero prob. nam forma abſoluta, ex quo eſſet abſoluta, nõ haberet oppoſitionẽ cum aliquo divino: ergo, ex quo eſſet abſoluta, identificaret ſibi omne divinum: ergo ex nullo capite poſſet diſtingui ab aliquo divino.

Dices, formam abſolutam conſtitutivam perſonæ Patris v. g. poſſe opponi diſparate cum perſona Filii: oppoſitio autem diſparata non repugnat Deo; relatio enim Paternitatis, & ſpirationis activæ in Deo ſunt, & tamen diſparate opponuntur. Sed contra eſt; nam oppoſitio diſparata inter duas formas abſolutas non ſufficit in Deo illas realiter diſtinguere: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Ant. Etenim iuſtitia, & miſericordia diſparate inter ſe differunt, & tamen in Deo realiter non differunt: inſuper forma abſoluta, quã Scotus dicit probabiliter conſtitui Patrẽ, diſparate opponitur eſſentiæ abſolutæ; & tamẽ in Deo illa inter ſe realiter non differunt. Inſuper Paternitas, & ſpiratio activa diſparate opponuntur, & tamen in Deo realiter nõ differunt: ergo oppoſitio diſparata duarũ abſolutarũ, non ſufficit ad diſtinctionem realem in Deo.

Dices, non quamlibet oppoſitionẽ diſparatam ſufficere ad diſtinctionẽ realem in divinis; ſed ſolũ illa, quæ eſſet inter duas proprietates; propria enim vniuſcuiuſque perſonæ ex terminis incommunicabilia ſunt, & ſic eſt neceſſe, quod realiter inter ſe diſtinguantur. Sed contra eſt, in primis quia ſolutio petit principiũ: Nã ratio procedit quod ex hoc, quod formæ abſolutæ ſint, cũ infinitatẽ debeant explicare, non poſſunt eſſe propria perſonarũ: & ſolutio ſupponit formas abſolutas eſſe propria vniuſcuiuſque perſonæ: manifeſta ergo eſt petitio principij in data ſolutione. Tum etiã, quia ex ſolutione ſequuntur duo cõtradictoria, nã ex quo ponuntur propria perſonarũ, oportet quod neceſſario perſonas diſtinguãt: ex quo autẽ ponuntur abſoluta divina, oportet neceſſario, quod vnaquaque illarũ omnia divina ſibi identificet: igitur ex ſolutione dãtur duo contradictoria ſimul vera, nempe quod ſint propria, & quod nõ ſint propria, quod diſtinguant, & quod non diſtinguant.

Sed vlterius inſto, forma abſoluta conſtitutiva perſonæ Patris, ſi ponitur realiter diſtin-

Digitized by Google

diſtingui à forma abſoluta perſonæ Filij; inquiro, per quid realiter identificatur cum eſſentia, & attributis abſolutis? Et per quid realiter diſtinguitur à forma abſoluta conſtitutiva Filij? Sane nequit dici, quod identificetur cum eſſentia, & attributis, niſi quia illa abſoluta ſunt, & ipſa etiã abſoluta eſt, & infinitas convenit vtriſque: ergo cũ vtraque forma conſtitutiva ſit abſoluta, & ſit infinita, debemus dicere, quod inter ſe realiter identificabuntur, vel dicendum, quod in ordine ad eſſentiam, & attributa eſt infinita, & in ordine ad alteram proprietatem abſolutam eſt finita: nam, ſi inter ſe comparantur, vt quid abſolutum, & infinitum; dum propter hæc duo identificantur cũ alijs divinis, etiam identificabuntur inter ſe. Dicere autem quod inter ſe ſunt incommunicabilia, & ſunt communicabilia alijs divinis; hoc eſt ſine fundamento loqui: nam ex eo ſunt communicabilia cum alijs, quia abſoluta divina infinita ſunt: ergo cũ inter ſe abſoluta divina infinita ſint, etiam erunt communicabilia inter ſe.

Præterea, dum ponitur formam abſolutam conſtitutivã Patris realiter diſtingui à forma abſolutã conſtitutiva Filij, ponitur, quod neutra ſit infinita ſimpliciter; nam ad infinitatem ſimpliciter non ſufficit identificari cum aliquibus; ſed eſt neceſſe, identificari cum omnibus: nam infinitas ſimpliciter aufert ab ente explicante entitatem cauſam pluralitatis, & ponit omnimodam rationem identitatis: ergo non relinquit reali diſtinctioni locum. Explico hoc, poteſt infinitum realiter diſtingui à finito, ſicut Deus diſtinguitur à creatura; ab alio autem infinito ſimpliciter realiter diſtingui non valet, quia dum vnũ realiter diſtinguitur ab alio, huic deeſt illa perfectio, per quã diſtinguitur ab illo, & ſic concluditur, quod nec hoc, nec illud ſit infinitum ſimpliciter, quia tale non eſt, cui aliqua perfectio, quam aliud poſſidet deeſt.

403 Tandem prob. Concluſio. Nam omne abſolutum divinum explicat abſolutã perfectionem: ergo ſi dantur duo abſoluta divina, dabuntur duo explicantia abſolutam perfectionem: ergo ſi ponantur realiter diſtincta, erit neceſſe, quod in ente illo, in quo illa duo inveniuntur, dentur duæ perfectiones abſolutæ realiter inter ſe diſtinctæ; quod quidem ſine blaſphemia dici non poteſt: nam blaſphemia eſt aſſeverare, quod dentur in Deo duæ perfectiones abſolutæ realiter inter ſe diſtinctæ: eſt enim dicere, quod Deus realiter non eſt ſumme ſimplex, nec ſumme perfectus, nec ſumme vnus.

Nec valet dicere, quod illi duo modi prout eſſent inter ſe incommunicabiles, non explicarent perfectionem, quamvis implicite quid perfectum eſſent; ſicut licet peccatum commiſſionis explicite abſolutũ ſit, tamen perfectionẽ nõ explicat, ſed poſitivam malitiã, licet implicite, & ſecũdum quod ens eſt, perfectionem dicat. Non inquam hoc dici valet; nam cum illi modi abſoluti eſſent conſtitutivi perſonæ divinæ, deberent explicare formã abſolutam divinam; ſed forma abſoluta divina indiſpenſabiliter explicat perfectionem illius, cuius eſt forma: ergo prout ſic explicarent perfectionem. Inſuper, cum eſſent abſoluti divini, deberent explicare rationem puriſsimi actus; ratio autem puriſsimi actus non poteſt explicare niſi perfectionem: ergo deberent explicare perfectionem. Itaque non explicare perfectionem, ſolum oriri poteſt ex eo, quod aliquid explicet relationem, quæ cum ex ſua ratione non ſit in ſe ens, ſed ſit ad ens; nempe ad aliud, poteſt implicite habere perfectionem ſecundum quod dicit *in*, non vero illam explicare ſecundum quod dicit *ad*; vel poteſt aliquid abſolutum non explicare perfectionem, quia explicat quid finitum, & limitatum, vel poteſt non explicare perfectionem, quia explicat deformitatem, ſicut peccatum commiſſionis; neutro autem illorum modorum poſſent illi modi abſoluti non explicare perfectionem: ergo. Prob. Min. non ex primo capite, quia, cum eſſent abſoluti, non eſſent relationes; non ex ſecundo, quia, cum eſſent divini, non poſſent non explicare infinitatem; non ex tertio capite, quia, cum non eſſent mali moraliter, non poſſent deformitatem explicare: ergo illi modi explicarent perfectionem.

Dices, quod actus liber Dei prout talis abſolutum quid divinum eſt, & infinitum, & actus purus; & tamen reduplicative, cum explicet poſſe deficere, non habet explicare perfectionem: ſic ſimiliter, cum modus abſolutus Patris deficeret ab abſoluto Filij, explicaret prout ſic defectum alterius abſoluti, à quo diſtingueretur realiter, vnde prout ſic non explicaret perfectionem.

Sed

Sed contrà eſt, nàm, vt dixi, modus conſtitutivus perſonæ divinæ deberet explicare infinitatem, cùm explicaret abſolutàm divinitatem: ergo non poſſet explicare defectum alterius abſoluti conſtitutivi alterius perſonæ; quia hoc opponeretur explicationi infinitatis eius. Nec eſt eadem ratio de actu libero, quia hic à nemine admittitur, quod poſsit deficere in ſe ſubiective, ſed ſolum admittitur poſſe deficere terminative, & connexive cum creatura volita potente deficere: illud autem abſolutum neceſſariū eſſet, & ponitur cùm defectu actuali alicuius divinæ perfectionis, quod nulla via valet admitti.

§. IV.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

404 PRIMO Arguitur ſic. Accedenter ad relationem Paternitatis vere datur ſuppoſitum generans; ſed non conſtituitur per relationem: ergo per aliquid abſolutum. Patet Mai. nam ratio generationis præcedit rationem Patris ſicut fundamentum relationem: ergo antecedenter ad relationem Patris vere datur in Deo ſuppoſitū generās. Min. etiam prob. nam, ſi eſſet ſuppoſitum per relationē, daretur in Patre præter Paternitatē, & ſpirationē alia relatio realis, qua conſtitueretur genitor, quod eſt contra fidē: ergo non eſt dicendū, quod tale ſuppoſitū generans conſtituatur per relationem.

Ad hoc nego Mai. ad prob. diſt. Ant. quando relatio, & Paternitas, ſubſtantia ſe ipſa ſubſiſtens eſt, nego Ant. quando eſt accidens, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque in creatis res ita habet, quod Paternitas ſupponit generationem, & generatio genitorem, quia eſt accidens genitoris, & omne accidens præſupponit ſubiectum, cui ineſt: cumque Paternitas divina ſubſtantia ſit, & ſe ipſa ſubſiſtat, non eſt neceſſe quod relatio Patris rationem generationis præſupponat.

Sed contra inſtabis, nam ſi ratio Patris præſupponitur ad rationem genitoris, ſequitur primam perſonam eſſe genitorem, quia eſt Pater, non vero eſſe Patrem, quia genitor eſt, quod videtur maximum abſurdum. Sequitur etiam quod ratio geniti non præcedat rationem Filij, & ſic ratio generationis non ſit via ad Filiationem, quod etiam videtur maximum abſurdum. Sequela prob. nam antecedenter ad generationem activam intelligitur Pater; ergo etiam pro illo priori intelligitur Filius; cum Filius, & Pater ſint ſimul natura, & cognitione; at pro illo priori non intelligitur generatio paſsiva, cum nondum intelligatur generatio paſsiva: ergo prius intelligeretur ratio Filij, quam ratio geniti.

Ad hoc dico pro nunc, quod in Paternitate eſt duplex munus, aliud formæ hypoſtaticæ, quo fit ſuppoſitum Patris non exprimendo rationem Patris, ſed tantum illam implicando, aliud eſt formæ Patris vt Patris expreſsive, ratione cuius illud ſuppoſitū Pater eſt, & dicitur: ratione primi, Paternitas præſupponitur ad generationē, ratione ſecundi, ſequitur ad illā, & ſic nunquā eſt verū dicere, primā perſonā eſſe genitorē, quia eſt Pater: daretur enim intelligi, quod ante actū generationis ratio explicita Patris præſupponeretur, quod falſum eſt; eſt tamen verū dicere, quod prima perſona eſt Pater, quia genitor, vel quia generavit, quia ratio explicita generationis præcedit rationē explicitā Paternitatis, & hoc ipſum dicatur de ratione geniti, & Filij: ratio enim expreſſa geniti præſupponitur ad rationem expreſsam Filij, licet non præſupponatur ad Filiationē ſecundū munus faciendi perſonā: vnde nō ſequitur abſurdū illatū in inſtātia. Sed de hoc, vtrū verum ſit, agemus infra.

405 Secundo arguitur id, quod refertur, eſt prius relatione, quia res prius eſt in ſe, quā referatur; ſed perſona divina eſt, quæ refertur: ergo eſt prius in ſe, quā referatur: ergo conſtituitur in ſe ipſa per aliquid abſolutū. Secundo, omnē compoſitū ſupponit partes cōponētes, & vnionē earū; homo enim ſupponit animā, & corpus, & vnionē earum: ergo relatū ſupponit rem, quæ refertur, relationē, & earū vnionē; ſeu res, quæ refertur, eſt perſona: ergo hæc cōſtituitur in eſſe talis ante relationē. Tertio, omnis relatio realis ſupponit extrema diſtincta, & conſtituta in ſuo eſſe: ergo nulla relatio realis conſtituit, & diſtinguit perſonas, & ſic conſtituentur per aliquid abſolutum.

Ad hoc argumentū Scoti reſp. diſt. Mai. ſi id, quod refertur, nō ſit ipſa relatio, conc. Mai. ſi ſit ipſa relatio, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque, cum relatio divina ſe ipſa ſit ſubſiſtens, ſe ipſa *vt quod* refertur per ſe ipſam intranſitive, & ſic non eſt neceſſe, quod perſona,

Digitized by Google

quæ refertur, præcedat ipſam relationem, qua refertur. Ad ſecundum diſt. Conſeq. relativum per compoſitionem, conc. Conſeq. relativum per omnimodam identitatem cum forma relativa, nego Conſ. Itaque, vbi relativum fit per compoſitionem, oportet partes componentes prius vniri, & ex eis vnitis reſultare, & ſic requiritur, partes componentes præſupponi ad relativum: cumque in Deo relativum ſit ipſamet relatio divina, non oportet, præintelligi ad illam ſubiectum recipiens illius denominationem, & ſic non oportet, ad relationem præſupponi perſonam conſtitutam. Ad tertium diſt. Antec. ſi ſit accidens, conc. Anteced. ſi ſit forma ſe ipſa ſubſiſtens, nego Anteced. & Conſeq.

406 Tertio arguitur. Relatio nequit perſonam conſtituere: ergo perſona debet conſtitui per aliquid abſolutum. Prob. Antec. ratio conſtituens perſonam ex ſe debet eſſe incommunicabilis; ſed relatio divina eſt ex ſe communicabilis pluribus: ergo nequit conſtituere perſonam. Prob. Min. relatio eſt quædam quidditas relativa; ſed omnis quidditas relativa communicabilis eſt: ergo. Secundo prob. eadem Min. nam ſupponamus primam Trinitatis perſonam antequam Filium per intellectum producat ſpirare Spiritum Sanctum, illa hypotheſi data, Paternitas non tantum conveniret primæ perſonæ, ſed etiam Spiritui Sancto, ſicut de facto ſpiratio activa communis eſt Patri, & Filio: ergo Paternitas divina ex ſe communicabilis eſt. Prob. Conſeq. nam ſi eſſet incommunicabilis ex ſe nulla facta ſuppoſitione poſſet alijs communicari: ſicut quia rationale eſt vltima differentia hominis, ex ſe eſt incommunicabilis pluribus ſpeciebus nulla facta ſuppoſitione, ſi maneret integer conceptus rationalis, pluribus ſpeciebus communicari non poſſet.

Ad hoc nego Antec. ad prob. diſt. Min. eſt communicabilis ſuo correlativo, neg. Min. eſt communicabilis ſuis inferioribus, ſi inferiora habeat, tranſ. Min. & neg. Conſeq. nec aliud convincit Conſeq. facta, relatio eſt quædam quidditas: ergo communicabilis, diſt. enim Conſeq. communicabilis ſibi correlative oppoſito nego Conſeq. non ſibi relative oppoſitis, tranſ. Conſeq. neque in hoc in Deo aliquam difficultatem adeſſe in relatione, quæ majori iure non adſit in forma abſoluta. Ad ſecundam replicam Vazquez admittit in dicta hypotheſi Paternitatem communicari Spiritui Sancto, ſicut de facto ratio Spiratoris communicatur Filio. Sed tunc (inquit) eſſet Paternitas alterius rationis ab ea, quæ modo eſt: vnde non eſſet proprietas primæ perſonæ. Et placet ſolutio. Nec argumentum in contra factum aliquid cõvincit, nam ſuppoſitio non debet deſtruere conceptum proprium illius rei, quæ debet manere omni ſuppoſitione facta, quod autem prima perſona per voluntatem primo ſpiret Spiritum Sanctum, & deinde per intellectum producat Filium, aufert à Paternitate rationem proprietatis primo convenientis primæ perſonæ, & ſic aufert ab illa rationem incommunicabilis omni alteri perſonæ: vnde non fit argumentum contra noſtram reſolutionem.

Sed contra hanc doctrinam manifeſte inſto. Etenim, vt ſupra vidimus, quæſt. 36. in D. Tho. Theologi admittunt quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, vt inde cognoſcant, per quid modo Filius realiter diſtinguatur à Spiritu Sancto; & tamen illa ſuppoſitio tollit à Spiritu Sancto rationem proprietatis perſonalis, & conſtituentis perſonam, nam nos diximus ibi cum Thomiſtis, quod illa hypotheſi data Spiritus Sanctus non eſſet perſona diſtincta à Filio, ſed Filius tunc conſtitueretur in eſſe perſonæ per Filiationem, & deinde eſſet Spiritus Sanctus ſecundario, & per proprietatem perſonæ, ſicut modo eſt primario Filius, & ſecundario Spirator: ergo ſuppoſitio, non eſt neceſſe, quod in extremis remanentibus relinquat rationem proprietatis perſonalis, & conſtituẽtis perſonam.

Propter hanc inſtantiam placet clarius reſpondere ad ſecundam prob. conc. Antec. diſt. Conſeq. Paternitas divina ex ſe communicabilis eſt, Paternitas, quæ modo eſt, nego Conſ. Paternitas, quæ tunc remaneret tranſ. Conſ. ad prob. diſt. Ant. ſi eſſet incommunicabilis ex ſe nulla ſuppoſitione poſſet communicari, ſi facta ſuppoſitione maneret in ea id, quod modo reddit illam ex ſe incommunicabilem, conc. Antec. ſi illud facta ſuppoſitione non conſervaret, nego Antec. & Conſeq. Itaque illa ſuppoſitio per locũ ab intrinſeco tollit à Paternitate divina rationem proprietatis perſonalis, ex qua convenit illi, quod ſit ex ſe incommunicabilis, & ſic in data hypotheſi

non

non occurreret obſtans communicationi, ſimili modo, quo in hypotheſi quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, tolleretur à Spiritu Sancto ratio incommunicabilitatis Filio, quæ illi modo ei convenit ex ſe, quia modo proprietas perſonalis eſt, & tunc proprietas perſonalis non eſſet, ſed tantum eſſet proprietas perſonæ Filij, & ſic non ſit bonum argumentum, quod ſi tunc eſſet communicabilis, modo ex ſe incommunicabilis non ſit, quia incommunicabilitas non convenit Paternitati ex ſolo conceptu Paternitatis, ſed ex eo, quod Paternitas modo proprietas perſonalis eſt, tunc autem Paternitas eſſet, ſed proprietas perſonalis non eſſet: & ſic nulli eſt mirum, quod modo ex his, quæ ei conveniunt ex ſe ſit incommunicabilis, & tunc communicabilis eſſet, quia proprietas perſonalis non eſſet.

407 Quarto arguitur perſona debet conſtitui per ſubſiſtentiam, & perſeitatem eſſendi; ſed hæc ſunt abſoluta: igitur perſona divina conſtituitur per aliquid abſolutum. Conſeq. eſt bona, & probo præmiſſas. Mai. quidem, nam perſona eſt ſubſiſtens diſtinctum incommunicabile: igitur perſona conſtituitur per ſubſiſtentiam, & perſeitatem eſſendi. Min. vero ſic probo; nam relatio tantum tribuit eſſentiæ divinæ incommunicabilitatem, non tamen tribuit independentiam ab alio tanquam à ſuſtentante: hoc enim Deus habet ex ſe, & ab hoc Deo hoc participant relationes vt dicit, D. Thom. de potentia quæſt. 5. art. 5. ad 13. vbi docet, quod perſonæ divinæ habent ab eſſentia quod ſubſiſtant: igitur ratio ſubſiſtentiæ, & modi eſſendi per ſe abſoluta ſunt.

Ad hoc reſp. Gonet diſt. Mai. conſtituitur per ſubſiſtentiam, prout dicit independentiam ab alio tanquam à ſuſtentante, neg. Mai. prout dicit incommunicabilitatem vnius cum altero, conc. Mai. & diſtinguit Min. hæc ſunt abſoluta, prout dicunt independentiam ab alio tanquam à ſuſtentante, conc. Min. prout dicunt incommunicabilitatem vnius extremi cum altero, negat Min. & Conſeq. Itaque in hoc modo dicendi non ingreditur conſtitutivum perſonæ formaliter ipſa perſeitas conſiſtens in independentia ab alio tanquam à ſuſtentante, ſed ſolum ingreditur perſeitas incommunicabilitatis, qua vnaquæque relatio, *vt quod* eſt incommunicabilis alteri ſibi oppoſito relative.

Sed contra ſolutionem inſto, nam perſonalitas creata non conſiſtit in eo ſolum, quod naturam rationalē terminet, & reddat incommunicabilē alteri ſuppoſito: ergo neque perſonalitas divina conſiſtet tantum in eo, quod perſeitatē incommunicabilitatis ponat in natura divina, ſed ſicut ad creatam attinet dare naturæ independentiā ab alio tanquam à ſuſtentante, & dare incommunicabilitatem alteri ſuppoſito, ſic ad divinam vtraque formaliter pertinebit. Sed reſp. negando Conſeq. & aſsignando diſcrimen, nam in creatis non dantur duæ ſubſiſtentiæ, quarum altera tribuat naturæ independentiam ab alio in ſuſtentari, & alia tribuat ſolam incommunicabilitatem, vnde ipſa indiviſibilis ſubſiſtentia naturæ rationalis tribuit vtramque perſeitatem; in Deo autem perſonalitas ſupponit iam naturam independentem in ſuſtentari ab alio ſuppoſito per ſubſiſtentiam convenientem naturæ ex ſe de linea abſoluta: & ſic ad perſonalitatem divinam ſolum reſtat dare perſeitatem incommunicabilitatis.

Inſtas Verbum vnitum humanitati, ex quo perſona humana dicitur, vel perſona huius hominis, tribuit humanitati non ſolum perſeitatem incommunicabilitatis ad alterum ſuppoſitum creatum, ſed etiam independentiam ab altero in ſuſtentari: ergo perſona Verbi vtraque perſeitate conſtituitur, nam ſi vtraque non conſtitueretur vtramque humanitati non tribueret. Prob. Ant. nam perſona Verbi tribuit humanitati proximam capacitatem exiſtendi exiſtentia, qua exiſtit Deus; ad hanc autem humanitas nequit reddi capax per ſolā incommunicabilitatem, ſed ſicut natura divina fit capax exiſtendi per ſubſiſtentiam abſolutā, & non per relativam, ita humanitas ſolū fit capax exiſtendi per ſubſiſtentiā abſolutam, & non per ſolam relativam.

Ad hoc dico, quod Verbum quamvis immediate terminet humanitatem per relationem, in qua ſola perſonalitas Verbi divini conſiſtit, tamen ratione relativi etiā communicat humanitati ſubſiſtentiā abſolutam, qua illam reddit capacem exiſtendi exiſtentia divina: quia, cum humanitas nō præveniatur ſubſiſtens ad aſſumptionem aliquo genere ſubſiſtentiæ, eſt neceſſe, quod vtramque perſeitatem à perſona Verbi accipiat. Nec tamē ex hoc licet inferre, quod perſonalitas Verbi vtraq; perſeitate conſtituatur, ſed ſufficit, quod propter identitatē,

quam habet cum perſeitate abſoluta, eam illi communicet.

408 Quinto arguitur. Perſona divina debet conſtitutive importare principium *quod* actionum divinarum; ſed principium *quod* actionum divinarum eſt aliquid abſolutum: ergo debet conſtitutive importare aliquid abſolutum. Prob. Min. nam, vel actiones divinæ ſunt abſolutæ, & eſſentiales, vel ſunt notionales: ſi primum, ante relationes invenitur, quod Deus intelligat, & vellit non ſolum vt *quo*, ſed vt *quod*: ergo principium *quod* illarum eſt aliquid abſolutum. Si actiones ſint notionales, vt intelligere notionale, & velle notionale, etiam principium *quod* debet eſſe abſolutum diſtinctum per relationem: ergo. Prob. hoc nam actio notionalis eſt ipſa intellectio eſſentialis modificata relatione: ergo, & principium notionale *quod* debet eſſe hic Deus modificatus relatione.

Ad hoc diſt. Mai. perſona debet conſtitutive importare principium *quod* actionum divinarum, principium *quod* per modum ſuppoſiti, conc. Mai. per modum puræ ſubſiſtentis vt *quod*, nego Mai. & diſt. Min. ſed principium *quod* actionum divinarum eſt aliquid abſolutum, principium per modum ſuppoſiti, nego Min. per modum ſubſiſtentis, tranſ. Min. & nego Conſeq. Itaque perſona divina conſtitutive ſolum importat principium *quod* per modum ſuppoſiti, & hypoſtaſis, quia debet importare id, quod realiter diſtinguitur à termino producto, quod non poteſt eſſe ſubſiſtens eſſentiale, cum hoc identificetur cum omnibus divinis: vnde debet eſſe ſubſiſtens relativum. Et quidem, ſi actiones ſunt eſſentiales, principium *quod* earum non eſt perſona, ſed ſubſiſtens abſolutum in divina natura: ſi ſint notionales, tunc habentur duo *quod*, alterum eſſentiale, & alterum perſonale; perſonale tantum dicit relationem, eſſentiale dicit quid abſolutum: vnde actio notionalis dicitur eſſentialis per habitudinem ad principium *quod* eſſentiale, & dicitur notionalis per habitudinem ad *quod* relativum, & perſonale: vnde nunquam convincitur, quod perſona debeat conſtitui per abſolutum.

(?)

§. V.

Vtrùm perſonæ conſtituantur per relationes?

409 CONCLVSIO Eſt affirmativa, & prob. primo ex Conciliis, nam in Concilio Toletano 11. ſeſſ. 2. in confeſſione fidei ſic dicitur: *In relativis perſonarum nominibus Pater ad Filium; & Filius ad Patrem, & Spiritus Sanctus ad vtroſque refertur, quæ, cum relative tres perſonæ dicantur, vna tamen natura per ſubſtantiam creditur.* Et poſt pauca: *In hoc ſolum numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, & in hoc ſolum numero carent, quod ad ſe ſunt.* Ex quibus ſic formatur argumentum. Perſonæ, eo conſtituuntur, quo multiplicantur; ſed ex Concilio ſolum multiplicantur per relationes: ergo ſolum conſtituuntur relationibus. In Concilio Florentin. ſeſſ. 18. Ioannes Theologus ſic arguit: *Ipſa ſubſtantia cum perſonis communicat, proprietates verò nequaquam communicabiles ſunt, quod quidem ex relationis indicitur evenire.* Ex quibus ſic argumentor. Ratio incommunicabilis perſonam conſtituit, & diſtinguit; ſed quod proprietates perſonarum incommunicabiles ſint inter ſe, oritur ex vi relationis: ergo conſtitutivum, & diſtinctivum, oriri debet ex vi relationis. Et in Seſſ. vltima in literis Sacræ vnionis. *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater gignendo Filio dedit præter eſſe Patrem.* Ex quibus ſic. Solum id, quo conſtituitur perſona Patris, Filio non communicatur à Patre; ſed ex omnibus, quæ habet Pater; ſolum Filio non communicatur eſſe Patrē: ergo ſolum per relationē Paternitatis conſtituitur perſona Patris.

410 Patres etiam in hanc veritatem conſpirant. Nam Boetius adductus à D. Th. hic art. 2. dicit; quod *ſola relatio multiplicat Trinitatem perſonarum.* Anſelmus. *In divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio.* Cyrillus Alexandrinus lib. 3. Theſauri, cap. 3. ſic habet: *Cum ſimplex natura Deitatis ſit, nunquam in plures perſonas diſtingueretur, niſi quædam inveniretur differentia, non ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum relationem.* Plures alios adducit Vazquez hic. Sed dicit, quod illorum authoritate tantum probatur, quod perſonæ differant per aliquid relativum; ſed non quod conſtituantur in eſſe perſonæ per aliquid relativum.

Digitized by Google

Sed contra hanc falſitatem inſto, quia Sancti relati, & Concilia nullum aliud diſtinctivum agnoſcunt in perſonis, niſi illud, quod habetur per relationem : ergo ſentiunt perſonarum conſtitutivum non haberi per aliud, quam per relationes. Patet Conſeq. nam licet poſsit dari diſtinctivum rei ab alia, quod non ſit eſſentiale conſtitutivum; tamen nequit dari conſtitutivum rei, quod non habeat rem ad omni alio, quod non habet ſimile conſtitutivum, diſtinguere : ergo, dum Sancti dicunt non adeſſe diſtinctivum inter perſonam, & perſonam, niſi per relationem, manifeſte ſentiunt perſonarum conſtitutivum eſſe relationem. Tum etiam, nam in Concilio Florentino non ſolum habetur perſonas diſtingui per relationes, ſed etiam habetur conſtitui per illas : nam in Oratione pro vnione cap. 6. Beſſarion Patriarcha expreſſe dicit, *per relationes conſtitui perſonas*: ergo. Tum etiam, nam conſtitutivum perſonarum eſt eſſe diſtinctum quid incommunicabile : ergo, dum Concilia, & Patres affirmant, hoc eſſe diſtinctum incommunicabile ſolum haberi per relationem, manifeſte dicunt, perſonarum conſtitutivum haberi per relationem.

411 Ratione prob. Concluſio, quam adducit D. Thom. in primo diſt. 26. quæſt. 2. art. 2. his verbis : *Omnis diſtinctio, vel diviſio eſt per quantitatem, vel per formam ſecundum Philoſophum 5. Metaph. ſecundum quantitatem, vel materiam in divinis diſtinctio non eſt, cum non ſit ibi quantitas, vel materia. Omnis autem diſtinctionis formalis principium eſt aliqua oppoſitio, vt largo modo oppoſitio ſumatur, ſecundum quod etiam imperfectum, & perfectum opponuntur, in quantum in vno eſt negatio, vel privatio alterius; in omnibus autem oppoſitionibus alterum eſt, vt perfectum, alterum vt imperfectum præter relationem. Quod patet per ſe in affirmatione, & negatione, privatione, & habitu. Patet etiam in contrarietate, quia ſecundum Philoſophum 1. Phyſic. ſemper alterum contrariorum eſt ſicut nobilius, alterum ſicut vilius, & ſicut privatio, vt album, & nigrum, frigidum, & calidum, & huiuſmodi omnia. Et ideo nulla talis diſtinctio poteſt eſſe in divinis, ubi eſt omnimoda perfectio. In relativis autem neutrum eſt ſicut privatio alterius, vel defectum aliquem importans : cuius ea eſt ratio, quia in relativis non eſt oppoſitio ſecundum id, quod relativum in aliquo eſt; ſed ſecundum id, quod ad aliud dicitur : unde quamvis relatio habeat annexam negationem alterius relationis in eodem ſuppoſito; non tamen iſta negatio importat aliquem defectum, quia defectus non eſt niſi ſecundum aliquid, quod in aliquo natum eſt eſſe : unde, cum id, quod habet oppoſitionem relativam ad ipſum, ſecundum rationem oppoſitionis non ponat aliquid, ſed ad aliquid, non ſequitur imperfectio, vel defectus. Et ideo ſola talis oppoſitio competit diſtinctioni perſonarum.* Hæc D. Thom.

Ex quibus talem formo rationem pro concluſione. Id, quo perſonæ divinæ primo diſtinguuntur, conſtituuntur; ſed tantum poſſunt diſtingui per relationem: ergo tantum poſſunt conſtitui relatione. Mai. eſt certa, facta inductione in omni ente, & in omni ſpecie entis. Conſtitutivum enim, cum ſit peculiare, & propriū cuiuſcumque rei, debet eſſe illius diſtinctivum. Min. ſic prob. Omnis diſtinctio oritur neceſſario ex aliqua oppoſitione, ſaltim largo modo loquendo, prout perfectum opponitur imperfecto; ſed in Deo ſolum poteſt habere locum oppoſitio relativa: ergo ſolum perſonæ poſſunt per relationes diſtingui. Prob. Min. In omni alia oppoſitione alterum oppoſitorum eſt imperfectius altero: ergo, cum in Deo omnia ſint æqualiter perfecta, nulla alia oppoſitio præter relativam habebit locum in Deo. Quod autem in oppoſitione relativa hoc non contingat. Prob. quia relative oppoſita non opponuntur ſecundum quod aliquid ſunt, ſed ſecundum quod ad aliquid ſunt; ſed ex parte ad aliquid non dicunt perfectionem : ergo oppoſitio relativa non importat defectum in perfectione.

412 Sed contra hanc rationem inſtabis primo. Nam relationes divinæ non tantū diſtinguunt perſonas ex quo ad aliud ſunt, ſed etiam vt aliquid ſunt : ergo vnum oppoſitum relative dicit defectum alterius. Prob. Antec. relationes divinæ eo diſtinguunt perſonas, quo eas conſtituunt; ſed conſtituunt non ſolum ex quo ad aliquid ſunt, ſed etiam ex quo in ſe aliquid ſunt : nam perſona ad ſe dicitur : ergo diſtinguunt perſonas ex quo aliquid ſunt. Secundo, D. Thom. dicit hic artic. 2. relationem conſtituere perſonam, & non originem, quia relatio ſignificatur vt forma intrinſeca, non vero origo: ergo relatio

vere conſtituit ſecundum quod eſt aliquid; non vero ſecundum quod ad aliquid ſignificatur: ſic enim non ſignificatur vt forma.

Ad hoc diſt. Antec. ſed etiam vt aliquid ſunt, de linea relativa, conc. Antec. de linea abſoluta, cum qua identificantur, nego Antec. & diſt. Conſequens, dicit defectum alterius quoad perfectionem, nego Conſeq. quoad aliquid ſpectans ad lineam relativam, de qua non eſt perfectio, conc. Conſeq. Itaque D. Thom. dum negat alterum oppoſitorum relativum dicere defectum alterius, loquitur de defectu alicuius, quod perfectio ſit; non vero de defectu alicuius, prout tranſcendit perfectionem, vel non perfectionem: relatio enim, eſto non ſit aliquid de linea perfectionis; eſt tamen aliquid relativum, quod quia perfectionem non dicit, non eſt inconveniens, quod vna relatio dicat defectum alterius. Ad ſecundam diſt. Conſeq. ſecundũ quod eſt aliquid de linea relativa, conc. Conſ. de linea abſoluta, penes quam penſatur perfectio, nego Conſ.

Secundo reſpondetur ad principalem Inſtantiam negando Antec. Ad prob. diſt. Mai. eo diſtinguunt, quo conſtituunt, ſub eodem munere, nego Mai. ſub diſtincto munere, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque perſonæ ipſa relatione, qua conſtituuntur, diſtinguuntur, aliter tamen, & aliter: nam conſtituunt ſecundum quod concipiuntur vt in ſe ſunt quid relativum, vnde prout conſtituunt, licet ad aliud ſint; non tamen, vt ad aliud explicantur, conſtituunt: diſtinguunt autem prout ad aliud explicantur, quia diſtinguunt vt inter ſe opponuntur: vnde non ſequitur, quod ſi prout conſtituunt quid ſunt, etiam prout diſtinguunt, aliquid ſint ex parte modi ſignificandi. Quam doctrinam optime confirmat ſecunda probatio, quæ ibi facta eſt: vnde nihil habetur contra rationem Divi Thomæ.

§. VI.

Vtrum relationes per modum originis conſtituant perſonas?

413 DIV. Thom. hic in principio huius articuli ſecundi dicit: *Inveniuntur autem in divinis perſonis duo ſecundum quæ differunt, ſcilicet origo, & relatio, quæ quidem quamvis re non differant; differunt tamen ſecundum modum ſignificandi: nam origo ſignificatur per modum actus, vt generatio, relatio vero per modum formæ, vt Paternitas.* Quibus datur intelligi, quod relatio duo munia habet, & munus originis, & munus referendi vnum ad alterum, in quo ſecundo explicatur differentia eſſentialis relationis. Hinc præſens quæſitum ſibi parat locum. Suppoſito enim quod conſtitutivum perſonarum debeat eſſe forma relativa, & in hac ſint duo aſſignata munia, an videlicet ſecundum munus originis relatio conſtituat perſonam? Et quidem hoc quæſitum in noſtra ſententia, in qua ſupra in principio huius tractatus defendimus proceſsiones divinarum perſonarum conſiſtere in recto in actibus voluntatis, & intellectus connotando relationes non habet difficultatem in ſui reſolutione, ſiquidem perſona requirit conſtitui per aliquid, quod ſit relativum in recto; ſed in noſtra ſententia origo, vel proceſsio divinarum perſonarum in recto eſt quid abſolutum, & tantum de connotato eſt relativum: ergo non poteſt origo conſtituere perſonam. Habet tamen difficultatem hoc quæſitum in ea ſententia, quam videtur innuere D. Thom. in hoc art. quæ tenet proceſsiones eſſe ſolum relationes ſub munere actionis, vel paſsionis. Vnde in omni ſententia illud reſolvendum eſt.

In quo puncto elucidando D. Bonaventura in primo diſt. 27. q. 3. aſſerit proprietates, quibus perſonæ divinæ conſtituuntur, & diſtinguuntur eſſe relationes ſecundum munus originis. Quam ſententiam ſimiliter tenet Richardus à Sancto Victore lib. 4. de Trinit. cap. 15. Secunda ſententia aſſerit perſonas divinas conſtitui, & diſtingui æque primo per relationes; & per origines. Ita tenent Valentia hic q. 144. part. 2. & lib. 2 de Trinit. cap. 11. & Molina hic diſput. 2. membro 3. Tertia ſententia negat perſonas conſtitui & diſtingui per origines. Pro cuius luce ſit concluſio.

414 Perſonæ divinæ nõ conſtituuntur per origines. Prob. ratione D. Th. hic art. 2. nam origo, vel accipitur active, vel accipitur paſsive: ſi primo modo, intelligitur vt egrediens à perſona producente: ergo ſupponit perſonam in ſuo eſſe conſtitutam. Si ſecundo modo, intelligitur vt via ad perſonam producendam: igitur origo nequit perſonam conſtituere. Patet Conſeq. quia quod intelligitur vt via ad perſonã, nequit non

Digitized by Google

non intelligi vt antecedens perſonam:ergo nequit intelligi vt conſtituens perſonam. Dices ſententiam eſſe ſatis probabilem, Deū eſſentialiter conſtitui ſua intellectione eſſentiali; & tamen intellectio eſſentialis intelligitur vt egrediēs à Deo intelligēte: ergo non erit bona Conſ. origo intelligitur vt egrediens à perſona:ergo intelligitur vt ſupponens perſonam conſtitutam.

Huic ſolutioni primo obuiam occurrit Suarez de Trinit.cap. 6.dicens; intelligere eſſentiale conſtituere eſſe Dei,non vt intelligitur vt via, & egreſſus à Deo intelligente; ſed tantum ſecundum rationē perfectiſsimi gradus. Secundo reſp. Salmanticenſes hic diſp.18.dub.3. intelligere eſſentiale non dicere ex parte rei conceptæ eſſe viale, & conſiſtens quaſi in fluxu, licet quia à nobis intelligitur connotatiue ad noſtrum intelligere, quod in fluxu,& eſſe viali conſiſtit, concipiatur vt in fluxu, & eſſe viali:origo autem quia vera productio eſt,ex parte rei conceptæ viam,& fluxum, quo perſona conſtituitur in eſſe producētis dicere, & ſic non poſſe originem perſonam conſtituere.

Sed contra primam reſponſionem ſic inſto. Nam non eſt maior ratio, ob quam in intelligere, quod actio eſſentialis eſt, duas formalitates diſtinguamus, alteram viæ,& fluxus, & alteram perfectiſsimi gradus, & dicamus ſecundum primam non conſtituere Deum,benè vero per ſecundam & quod ſimiliter in origine non diſtinguamus alias duas formalitates,alteram viæ,& fluxus,& alteram hypoſtaticæ formæ,& dicamus originem non conſtituere perſonam per primam; bene vero conſtituere per ſecundam: ergo ſolutio data eſt nulla. Explicatur hoc,ſecundum D.Tho. non eſt aliqua formalitas diuina, quæ ſubſiſtens non ſit; ſi abſoluta, ſubſiſtentia abſoluta; ſi relatiua, ſubſiſtentia relatiua:ergo in origine diuina debent diſtingui duæ rationes,altera viæ,& fluxus, & altera formæ hypoſtaticæ: ergo poſſumus dicere,originem conſtituere perſonam,non ſecundum munus fluxus,ſed ſecundum munus formæ hypoſtaticæ. Etenim, quia actus intellectionis eſſentialis eſt perfectiſsima actualitas diſtinguuntur in illo duo cōceptus, alter perfectiſsimi gradus, alter viæ, & fluxus: per primum aſsignatur conſtitutiuum Dei;nō vero per ſecundum: ergo,quia origo eſt forma hypoſtatica,etiā poſſumus dicere, quod ſecundum munus fluxus,& viæ non conſtituit perſonam; bene vero ſecundum munus formæ hypoſtaticæ.

Dices non eſſe eandem rationem de actu intellectionis eſſentialis,& de actu notionali originis, nam actus eſſentialis non eſt productio, ſed tantū perfectiſsima obiecti contemplatio, & ſic non habet veram rationem viæ, licet à nobis ſic concipiatur: origo autem,cum vera productio ſit, veram rationem viæ habere debet, & ſic in origine vt tali non poſſumus aſsignare formalitatem, qua per modū actus primi perſonam conſtituat in eſſe, & formalitatem viæ, & fluxus, qua eandem perſonam operantem in actu ſecundo conſtituat.

Sed contra hoc eſt; nam eſto intellectio eſſentialis non ſit productio,eſt tamen vera actio:ergo eſt verus egreſſus ab intelligente,& tamen conſtituit intelligentem in eſſe eſſentiali:ergo,& ſi origo productio ſit poterit ea parte, qua ſubſiſtens eſt, conſtituere perſonam in eſſe perſonæ, & ea parte,qua productio eſt,poterit cōſtituere perſonam operantem in eſſe actualiter operātis. Patet Conſ.nam ratio actus primi eſſendi ita repugnat actioni productiuæ, quam actioni non productiuæ, dum modo vera actio, & verus egreſſus ab agente ſit: ergo vel vtraque ſecundum vnam formalitatem dabit actum primum eſſendi, & ſecundum aliam actum ſecundum operandi, vel nulla.

Reſponſio Salmanticenſium ita impugnatur. Nā difficillimū eſt credere,quod intelligere ex parte rei conceptæ non importet fluxum actiuum, & viam: ergo reſponſio nulla eſt. Prob. Ant. Deus enim,& eſt perfectiſsimum ens, & eſt perfectiſsimū agens per intellectum: ergo ſicut ex parte rei conceptæ ponimus formam, qua vere conſtituatur in linea eſſendi,ita debebimus ex parte rei conceptæ ponere in illo formā, qua vere conſtituatur in linea agendi per intellectum:ergo,& debemus ponere actionem in illo,quæ ſit vera actio:ergo,& quæ ſit fluxus, & via, licet non ad terminum productum, ſaltim ad terminum contemplatum. Secundo. Deus non eſt beatus in linea eſſendi,ſed in linea operandi:ergo,cum ſit vere beatus, debemus in illo ponere veram operationem,qua beetur,hæc eſt intellectio ſui: igitur intellectio ſui ex parte rei conceptæ vera operatio eſt:ergo, & verus fluxus,& via.

415 Hoc argumentum, quod contra rationem, qua probavi concluſionē

pro-

Digitized by Google

produxi, ita mihi ſemper viſum eſt difficile, vt propter illud in tractatu de ſcientia Dei docuerim, intelligere Dei per modum actus ſecundi nullo modo eſſe Dei conſtitutivum. Sed interim placet illud ſolvere, prænotando, quod in nulla ſententia intelligere per modũ actionis ponatur Dei conſtitutivum eſſentiale, quia ſecundum modũ actionis dicit egreſſum ab intelligente, & ſic ſupponit intelligentem in ſuo eſſe eſſentiali conſtitutum. Dicunt ergo Authores huius ſententiæ, quod quia intelligere per modum actus ſecundi eſt vltima actualitas omnium, quæ ſpectant ad genus intelligibile, ideo eſt quid actualiſsimum, & perfectiſsimum, & ſic in illo intelligere diſtinguũt rationem perfectiſsimę, & actualiſsimæ formæ, & ſic dicunt; Deum per intelligere ſub hac conſideratione conſtitui, & modum actionis ſeu egreſſus, dicunt, non conſtituere Deum, ſed eſſe attributum Dei. Ad rem ergo præſentem veniamus, & in primis non eſt dubium præſens, quod relatio perſonam conſtituat, ſed quia in relatione eſt duplex conſideratio, altera relationis vt origo, altera vt formæ referentis ad aliud: dubium eſt, vtrum relatio ſub munere originis reduplicative perſonam conſtituat? Nos dicimus quod non. Quia ſignificata vt origo, ſignificatur vt egrediens à producente, & ſic ſupponit producentem conſtitutum, & ſic non conſtituit illud: vnde retorqueo argumentum. Intellectio vt actio, & vt egreſſus ab intelligente in nulla ſententia conſtituit eſſe intelligentis: ergo relatio vt origo, & vt productio ſignificata nullo modo conſtituet perſonam producentem.

Ex his ad argumentum in forma reſp. ſententia probabilis eſt, quod intellectio eſſentialis ſit Dei conſtitutivum diſt. Mai. ſub munere actionis, nego Mai. ſub munere vltimæ actualitatis, & perfectiſsimæ formæ, conc. Mai. & tamen intellectio intelligitur vt egrediens, ſub munere actionis, conc. Min. ea ratione, ſub qua Deum conſtituit, nego Min. & Conſ. quia nos in concluſione ſolum dicimus relationem ſub munere originis nõ conſtituere perſonam, eſto ſub alia ratione, ſub qua relatio ſignificatur vt forma, perſonam conſtituat.

Inſtas, origini vt origo eſt correſpondet ſua ſubſiſtentia diſtincta ab ea, quæ correſpondet relationi vt relatio eſt: ergo origo ſub munere ſubſiſtẽtis poterit perſonam conſtituere. Ad hoc nego Ant. loquendo de ſubſiſtentia relativa: hæc enim tantum correſpondet relationi ſecundum munus relationis vt forma eſt: origo autem vt origo non ſignificatur vt forma eſſe fixum & permanens habens; & ſic illi vt tali nequit ratio ſuppoſiti relativi correſpondere. Et ad id, quod contra hoc dixi inter impugnandũ ſententiam Suarij, quod videlicet ſecũdum D.Tho. omnia, quæ ſunt in Deo debent eſſe ſubſiſtentia, & ſic, cum origo ſit formalitas divina, debebit ſubſiſtere. Dico, illi debere correſpondere ſubſiſtentiam ſub eo munere, quo vt forma habens eſſe fixum ſignificatur: vt origo autem relatio non ſignificatur vt forma, ſed vt via, & ſic relationi vt origo eſt non correſpondet ſpecialis ſubſiſtentia.

§. VII.

Probatur Concluſio alia ratione.

416 SECVNDO prob. concluſio. Ratio conſtituens perſonam debet ſignificari vt intrinſeca perſonæ conſtitutæ; ſed relatio vt origo non ſignificatur vt intrinſeca perſonæ conſtituibilis: igitur relatio vt origo non conſtituit perſonam. Prob. Min. relatio vt origo ſignificatur vt egrediens à perſona, & tendens in perſonam: ergo non ſignificatur vt intrinſeca perſonæ.

Sed contra hanc rationem ſtatim occurrit obiectio. Nam relatio vt relatio non ſignificatur vt inhærens, ſed vt ad aliud; & tamen conſtituit perſonam vt relatio: ergo eſto relatio vt origo nõ ſignificetur vt quid inhærens, ſed vt ab alio eſt, poterit perſonã conſtituere. Reſpondet Caietanus, quod licet relatio vt relatio non ſignificetur vt inhærens, tamen de conceptu relationis realis eſt, quod realiter inſit: actio autem tam vt actio, quam vt actio realis habet rationem egredientis, quamvis forte inſit, & ſic illi nequit adaptari ratio formæ intrinſecæ ex parte rei ſignificatæ, bene tamen relationi. Sed contra eſt, nam ſicut de conceptu relationis vt relatio, non eſt ineſſe, bene tamen de conceptu relationis realis; ita licet de conceptu actionis vt ſic non ſit ineſſe agenti, de conceptu tamen actionis immanentis eſt manere in agente, & informare agens: ergo, cum origo actio immanens ſit, de conceptu eius erit manere in Patre generante: ergo ex parte rei ſignificatæ, ſicut relatio vt relatio eſt forma intrinſeca, ita,

& vt

Digitized by Google

& vt origo forma intrinſeca erit.

Secundo, nam hæc ratio non procedit de eſſe formæ intrinſecæ ex parte rei ſignificatæ, ſed de eo, quod eſt ſignificari vt forma intrinſeca; ſed tam relatio vt relatio, quam vt origo non ſignificantur vt forma intrinſeca: ergo nullum erit diſcrimen requiſitum ad efficaciam rationis adductę inter relationem vt relationem, & vt originem. Itaque vis rationis, qua ſecundò probatur concluſio ſtat in hoc, quod relatio vt origo ſignificatur vt forma extrinſeca, & ſic nequit ſignificari vt intrinſicè conſtituens; relatio vero vt relatio ſignificatur vt forma intrinſeca, & ſic ſignificatur vt conſtituens perſonam: ſi ergo ſolutio Caietani concedit quod tam relatio vt relatio, quam vt origo non ſignificantur vt formæ intrinſecæ, non ſolvit obiectionem contra rationem noſtram factam.

417 Secundo. Reſpondent Salmanticenſes obiectioni factæ, quod licet tā relatio vt relatio, quam vt origo ſecundum rationem communem concipiantur vt inhærentes, adeſt tamen inter ea hoc diſcrimen, quod origo ſignificatur vt quid intrinſecum viale, & fluxile, & vt tendens ad alterius perfectionem; relatio vero ſignificatur vt inhærens permanentia fixa, & per modum termini ad quem via terminatur; cumque res permanens, qualis eſt perſona, debeat conſtitui aliquo intrinſeco non fluxili, & viali; ſed rato, & fixo: fit inde, quod conſtituatur relatione vt relatio, non vero vt eſt origo. Itaque in hac ſolutione illa propoſitio D.Thom. *Relatio vt origo non ſignificatur vt forma intrinſeca*, non vult originem non inhærere intrinſice, ſed tantum vult non ſignificari vt inhærens inhærentia formæ; licet inhæreat per modum viæ, & fluxus: etenim loquendo de inhærentia intrinſeca vt abſtrahit ab inhærentia vt formæ, vel vt viæ ad formam, non poſſumus negare de origine paſſiva, quod non inhæreat genito, vel etiam non ſignificetur vt inhærens genito.

Roboraturque hæc ſolutio ex his, quæ D.Thom. docuit ſupra quæſt. 33. ar. 2. ad 2. ibi: *Denominatio rei debet fieri maximè à perfectione, & fine: generatio autem ſignificat vt in fieri, ſed Paternitas ſignificat complementum generationis, & ideo potius eſt nomen divinæ perſonæ Pater, quam generans.* Quibus verbis conſtat, quod dato, quod generatio, ſive active, ſive paſsive ſumpta inhæreat, & vt inhærens ſignificetur, tamen, quia ſignificatur vt via, & productio per ſe tendens ad formam productam, non poſsit denominationem formæ conſtituentis perſonam dare: ſicut albefactio paſsive ſumpta, eſto ſignificetur vt inhærens parieti, non tamen parietem album denominat, ſed hæc denominatio tantum oritur ab albedine, ad quā producendam albefactio ordinatur.

Placet hæc ſolutio, & doctrina, & ſic iuxta illam obiectioni reſpondetur negando Mai. aliud eſt enim, quod origo inhæreat, & ſit intrinſeca, & ſignificetur vt talis, & aliud eſt quod ſignificetur vt forma intrinſeca; ſicut aliud eſt, quod calefactio ſignificetur vt intrinſece, & vt inhærens calido, & aliud eſt, quod vt forma det denominationem calidi: hoc ergo eſt diſcrimen inter relationem vt relationem, & vt originem, quod, cum origo ſit via, & fluxus ad Paternitatem, & paſsivè ſumpta ad filiationem, ſignificatur vt intrinſeca, ſed nō vt dans denominationem perſonæ; quod è contra ſe habet in relatione, & ſic ratio ſecunda, qua probavimus concluſionem manet inconcuſſa.

§. VIII.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

418 PRIMO Arguitur authoritate Patrum, nam D. Auguſtinus lib. de fide ad Petrum cap. 1. ſic inquit: *Quia igitur aliud eſt genuiſſe, quam natum eſſe, manifeſtum eſt, quoniam alius eſt Pater, alius Filius, & alius Spiritus Sanctus.* Quod, & repetit 5. de Trinit. cap. 6. Damaſcenus lib. primo de fide cap. 2. inquit: *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum omnino eſſe vnum excepta ingeniti, generationis, & proceſsionis proprietate.* Præterea. D. Tho. hic habet, quod hoc nomen *Pater* non ſolum ſignificat proprietatem ſed etiam hypoſtaſim: hoc autem nomen *genitor* vel *generans* ſignificat proprietatem. Ex quibus ſic. Perſonæ diſtinguuntur per ſuas proprietates; ſed generare eſt proprietas Patris: ergo diſtinguit Patrem: ergo conſtituit, nam principium diſtinctivum neceſſario debet eſſe cōſtitutivum.

Ad argumentum reſpondetur. In primis ad Auguſtinum, verbum illud *quia* non denotare cauſam formalem, à qua per modum formæ proveniat alietas perſonarum; ſed tantum denotare aliquid per ſe connexum cum cauſa formali: generatio autem;

natiuitas,& proceſsio,eſtò non ſint formæ, à quibus perſonæ conſtituuntur, & diſtinguuntur, per ſe tamen connectuntur cum illis. Quod ſi inquiras, vt quid dum D.Auguſtinus potuit ſignificare alietatem perſonarum per ſuam formam, illam aſsignaverit per proprietatem per ſe connexam cum forma? Reſp. id feciſſe, quia, cum notum ſit,actiones,& paſsiones eſſe ſuppoſitorum, & proprietates prędictas actiones,& paſsiones proprias divinarum perſonarum ſignificent, ideo ad maiorem notitiam quò ad nos, quaſi per magis notum manuducens ad perſonas divinas, vſus eſt proprietatibus perſonarum non vero formis conſtitutivis.

Ad Damaſcenum dico, loqui de illis proprietatibus prout in re, non curando de hac noſtra quæſtione. Certiſsimum enim eſt relationem conſtituere, ſed illi Sancti forſan non curarunt de hac ſubtilitate:vtrū perſonæ conſtituantur relationibus ſub cōceptu originis, vel ſub conceptu relationis? Vel dicatur ad Damaſcenum, ſicut dictum eſt ad Auguſtinum,explicaſſe differentiam perſonarum per id, quod eſt nobis magis notum.Ad argumentum formatū ex verbis D.Tho conceſſo primo ſyllogiſmo,nego Conſ. quæ vlterius infertur. Nam res poteſt diſtingui duobus, nempe vel forma conſtituente, vel aliquo per ſe connexo cū tali forma.Conſtitui autem non poteſt niſi ab vno,nempe ab eo, quod per modū formæ permanentis, & fixæ ad ipſum comparatur:perſonę ergo diſtinguūtur originibus, & relationibus, illis vt formis, illis vt vijs, & fluxibus per ſe connexis cum illis;conſtituuntur autem ſolum relationibus, quia iſtæ ſolum ſunt formę intrinſecę in eſſe permanenti,& fixo:vnde quando dicitur idem eſt principium diſtinctivum, & conſtitutivum, hoc tantum eſt verum de diſtinctivo per modum formæ, non vero de omni diſtinctivo, vel de illo, quod tantum diſtinguit,quia per ſe connectitur cum forma per ſe primo diſtinguente, & conſtituente.

419 Ratione ſic arguitur. Nam in qualibet perſona reperitur ratio originis ante quodcumque munus relationis vt relatio eſt: igitur per relationem ſub munere originis conſtituentur perſonæ. Patet Cōſ. nam illa ratio, quæ prius intelligitur convenire rei,conſtitutiua rēgitur,ſi ante quodlibet munus relationis vt relatio eſt, reperitur munus originis, per origines conſtituentur perſonæ.Ant.autem probatur nam relatio ſub omni alio munere relativo,hoc eſt, conveniente illi vt ratio referendi eſt, fundatur ſuper rationem originis: ergo ratio originis convenit perſonæ divinæ ante quodcumque munus relationis vt relatio eſt. Ad hoc argumentum reſpondent Salmanticenſes neg. Conſ.ad prob. diſtinguſit Ant. ſi talis ratio conveniat vt forma in facto eſſe conc.Ant.ſi tantum conveniat per modum fieri formæ negant Ant. & Conſ. quia,eſtò origo prius intelligatur convenire,quam omne aliud munus relationis,intelligitur tamen prius convenire non per modum formæ in facto eſſe,ſed tantum per modum fieri, viæ, & fluxus, & ſic non ſequitur perſonam conſtituere.

Sed contra hoc eſt, nam ſemel admiſſo originē prius convenire perſonæ, quam quodlibet aliud munus relationis vt relatio eſto, ſequitur evidenter perſonas non conſtitui per relationes ſub aliquo munere relativo:Conſ.eſt contra id,quod intenditur: ergo. Prob. Sequela, origo activa in Patre ſignificatur vt egrediens à Perſona Patris: ergo ſignificatur vt ſupponens illam conſtitutam; non per aliquod munus relationis:ergo per aliquid, quod relatio non ſit: ergo concluditur perſonas conſtitui per aliquid,quod relatio non ſit ſub munere relationis Min. Prob. quia ſolutio ponit quod primum munus relationis, quod convenit perſonæ eſt munus originis:ergo, cum hoc munus ſupponat perſonam conſtitutam, ſupponet illam conſtitutam independenter à relatione vt relatio eſt.

Melius ergo reſpondetur negando Ant.ad prob. nego Ant. licet enim relatio, quæ accidens eſt ſub omni ſuo conceptu fundetur ſuper originem activam,vel paſſivam;tamen relatio quæ ſeipſa ſubſiſtens eſt,nō oportet,quod ſub omni conceptu relationis originem tanquam ſui fundamentum præſupponat. Solutio videtur eſſe D. Tho.hic ad 4.ibi:*Dicendū,quod relatio præſupponit diſtinctionem ſuppoſitorum, quando eſt accidens;ſed ſi relatio ſit ſubſiſtens,non præſupponit,ſed ſecum affert*. Quod ſi non præſupponit ſuppoſitum,quando ſeipſa eſt ſubſiſtens:ergo neque fundamentum. Contra hanc ſolutionem multa militant,de quibus poſtea reddibit ſermo.

420 Ex dictis infero falſam eſſe ſententiam relatam ex Valentia & Molina, quod videlicet perſonæ æque primo conſtituantur, & diſtinguantur originibus, & rélationibus.Falſa quidem eſt, tum primo

Digitized by Google

mo: quia eſt contra D.Tho. hic in hoc ar.2. ibi: *Vnde melius dicitur, quod perſonæ, ſeu hypoſtaſes diſtinguuntur relationibus, quam per origines*: licet enim diſtinguantur vtroque modo, tamen prius, & principalius per relationes ſecundum modum intelligendi. Tum etiam ſecundo propter rationes, quas fecimus in probationem noſtræ concluſionis; quæ etiam militant contra hanc ſententiam, vt intuenti patebit.

§. VIIII.

Vtrum relatio conſtituat perſonam ſecundum conceptum in, vel ſecundum conceptum ad?

421 VIDIMVS Relationes conſtituere perſonas ſecũdum quod relatio eſt. Sed quia in relatione vt relatio eſt diſtinguitur duplex cõceptus alter *in*, & alter *ad*, reſtat ſciendum, ſub quo iſtorum conceptuum perſonam conſtituat. Eſt ergo prima ſententia, quæ affirmat conſtituere perſonam ſecundum conceptum *in*, non vero ſecundum conceptum *ad*. Ita tenent Capreolus in primo diſt. 26. quæſt. 1. Herbæus ibidem, Ferrarienſis 4 contrag. cap. 26. quam etiam tenent plures alij in manuſcriptis ad hunc articulum. Authores huius ſententiæ duplici via procedunt. Alij dicunt tantum eſſe vnum *in* cõveniens relationi ſecundum quod eſt accidens, & hoc translatum ad relationem divinam nihil eſt aliud, quam relationem eſſe identice ſubſtantiam, vel eſſentiam divinam. Alij præter hoc *in* diſtinguunt aliud *in* relativum, quod convenit relationi per habitudinem ad ſubiectum ſecũdum quod tribuit illi non ſolum rationem accidentis, ſed etiam rationem differentialem relationis. Itaque ipſa relatio vt forma relativa per habitudinem ad ſubiectum, quod conſtituit relatum vocatur *in* relativum: & hoc translatum ad divina nihil aliud eſt, quam ipſa relatio divinæ ſecundum quod ſupervenit huic Deo.

Cæterum quocumque modo defendatur hæc ſententia falſa eſt. Primo quidem modo: quia relatio debet conſtituere perſonam per id, quod ſeipſa diſtinguitur ab omni alia perſona; ſed hoc nequit eſſe illud, in quo relatio identice divina eſſentia eſt. ergo. Patet Mai. tum, quia conſtitutivum primũ rei debet eſſe illius primum diſtinctivum. Tum etiam: quia forma conſtituens perſonam nihil aliud eſt quam ipſa divina perſona, vt multoties repetit D.Tho. in hac quæſtione; ſed perſona divina ſeipſa diſtinguitur ab omni alia perſona: ergo primum conſtitutivum perſonæ divinæ debet eſſe illius primum diſtinctivum. Min. vero ſic probo. Nam perſona nequit diſtingui à perſona in eo, in quo omnimodam convenientiam habet cum illa, ſed per illud *in*, quod eſt eſſe eſſentiam divinam, eſt omnimoda convenientia inter divinas perſonas: igitur per illud *in* nequit vna perſona ab alia diſtingui.

Dices quod illud *in* communiter ſumptum, eſto ſit id, in quo conveniunt perſonæ, tamen vt appropriatum diverſis relationibus poteſt eſſe principium diſtinguendi illas. Sed contra eſt, nam eſſentia divina, per hoc, quod appropriatur divinis relationibus, non partitur, neque dividitur in ſe: ergo, per hoc, quod eſt diverſas relationes eſſe divinam eſſentiam, non poteſt haberi diſtinctivum divinarum perſonarum.

Secundo dices, non eſſe neceſſarium quod, id conſtituat perſonas, quod illas diſtinguit ſub eo conceptu, quo conſtituit, ſed ſufficere, quod relatio ratione dicti *in* conſtituat, & ratione *ad*, quod ſibi tale *in* appropriat, diſtinguat. Sed contra eſt, nã conſtitutivum perſonæ eſt id, quo perſona redditur incommunicabilis vltima, & athoma incommunicabilitate; ſed hoc non poteſt non diſtinguere perſonam ab omni alia perſona gaudente alia athoma incommunicabilitate: ergo per eundem conceptum, quo relatio conſtituit perſonam, debet primo illam diſtinguere ab omni alia perſona.

Si autem hæc ſententia ſecundo modo defendatur, licet minus à veritate recedat, tamen ad veritatem non pervenit: quia *in* relativum convenit relationi vt relatio eſt; ſed perſona divina non conſtituitur per relationem vt relatio eſt: igitur perſona nõ conſtituitur per *in* relativum. Prob. Mai. *in* relativum ſecundum hos Authores nihil aliud eſt, quam ipſa relatio vt facit ſubiectum relatũ; ſed hoc, quod eſt facere ſubiectum relatum, habet ex quo relatio eſt ſecundum athomam differentiam relationis: ergo *in* relativum convenit relationi vt relatio eſt. Min. vero prob. nam D.Th. habet in tota hac quæſtione, quod relatio conſtituit perſonam non vt relatio eſt, ſed vt forma hypoſtatica: ergo. Prob. ſecundo: nam Perſona Patris debet conſtitui per ali-

quid

Digitized by Google

quid antecedens generationem; ſed relatio Paternitatis vt relatio ſignificata non antecedit generationem, ſed potius illam ſequitur, tanquam id, quod in illa fundatur: ergo relatio ſignificata, vt relatio eſt, non conſtituit perſonam.

§. X.

Vtrùm relatio vt concepta; non vero vt exercita, conſtituat perſonam?

422 CELEBRIS Eſt ſententia Caiet. hic in ar. 4. huius quæſtionis diſtinguentis in relatione cōceptum relationis vt conceptæ, & vt exercitæ, aſſerentiſque relationem Paternitatis vt conceptam conſtituere perſonam Patris, nō vero vt exercitam: nam primo modo præcedit generationem, & ſecundo modo ſequitur ad illam. Hæc Caietani acuties non placet. Nam implicat intelligere relationem, vel eam concipere vt alicui communicatam, & nō intelligere illam tribuere ſubiecto, cui communicatur in exercitio ea, quæ competunt relationi vt relatio eſt: ergo nulla eſt diſtinctio relationis in relationem vt conceptam, & relationem vt exercitam. Conſ. eſt bona, & Ant. prob. relatio, ſicut & quælibet alia forma ſubiecto capaci effectus formalis illius ſeipſam in exercitio communicat: ergo ſubiecto in exercitio tribuit id, quod habet in ſeipſa; ſed in ſeipſa habet actu referre ſubiectum ad terminum: ergo concepta vt vnita ſubiecto in exercitio, non poteſt non concipi vt referens in exercitio ſubiectum ad terminum.

Secundo impugnatur hic modus dicendi: vel Caietanus dum dicit relationem vt conceptam conſtituere perſonā tantū, loquitur de relatione concepta vt relatio eſt, vel loquitur de relatione concepta non vt relatio eſt, ſed vt forma hypoſtatica, & ſubſtantifica: ſi primū, tenetur dicere, quod relatio ſignificata vt relatio conſtituit perſonam: quod iam probavimus eſſe contra D. Tho. & contra rationem: ſi ſecundum; eſto verum dicat, non tamen per dictam diſtinctionem veritatem explicat: nam relatio vt concepta ex terminis eſt quid cōmune ad relationem cōceptam vt relatio, & ad relationem conceptam vt forma hypoſtatica: ergo per illos terminos non explicatur proprius conceptus obiectivus, quo relatio perſonam conſtituat: debebat enim dicere, quod relatio concepta vt forma hypoſtatica perſonam conſtituit.

Tertio impugnatur in eo, quod dicit, quod relatio vt concepta non requirit fundamentum; bene vero vt exercita. Nam relatio vt concepta & vt exercita ſolum differunt ex terminis penes hoc, quod vt exercita non poſsidet munus obiecti noſtri intellectus imperfecti; bene vero vt cōcepta: dicit enim vt ſic eſſe actu obiectum noſtri intellectus: ergo ſicut exercita requirit fundamentum vt exercitum, ita vt concepta requiret fundamentum vt cōceptum. Explicatur hoc, nos concipimus divinā relationem connotative ad relationes creatas; ſed relationes creatas non intelligimus convenire ſuis ſubiectis, niſi prius intelligamus, & concipiamus fundamenta, quibus mediis ſubiectis ſuis in exercitio conveniunt; ergo ſimiliter relationes divinas vt relationes non concipiemus ſubiecto divino convenire, quin prius concipiamus ei convenire fundamentum ad illas.

Tandem impugnò hanc ſententiam. Et inquiro, quando dicit Caietanus Paternitatem divinam vt conceptam conſtituere perſonam, & præcedere generationem, quid correſpondet ex parte obiecti illi conceptui, à quo relatio denominatur concepta? Nam vel illi correſpondet aliquid conveniens in re relationi, vel aliquid fictum à noſtro intellectu; non hoc ſecundum: ergo primum. Tunc ſic: ergo correſpondet illi ipſum exercitium reale relationis; ſed illud ſecundum Caietanum non convenit ſubiecto niſi medio fundamento: ergo neque poterit concipi à nobis vt conveniens ſubiecto niſi medio fundamento.

§. XI.

Vtrùm relatio per modum actus primi conſtituat perſonam; non vero vt referens in exercitio per modum actus ſecundi?

423 PATER Torres volēs ſuo modo interpretari ſententiam Caietani, diſtinguit relationem in relationem per modum actus primi, & in relationem per modum referentis in exercitio v.g. Patrem ad Filium, aſſeritque per relationem Paternitatis primo modo conceptam conſtitui perſonam Patris, antecedere

dere

dereque, prout ſic, generationem; prout autem in exercitio, & veluti in actu ſecūdo referens, ſequi ad generationem, & non conſtituere perſonam Patris.

Hic tamen modus dicendi minus placet, quam præcedens. Nam relatio eſſentialiter conſiſtit in hoc, quod eſt eſſe ad aliud, ſicut & eſſentia viſionis ſiſtit in hoc quod eſt videre: ergo ſicut in viſione non poſſumus diſtinguere viſionem per modū actus primi, & viſionem per modum actus ſecūdi, ſic neque relationem poterimus diſtinguere in eam, quæ eſt per modum actus primi, & in eam, quæ referat in actu ſecundo. Confir. relatio actualis conſiſtit in actuali ordine vnius ad alterum; ſed inintelligibile eſt aliquem actualiter habere ordinem ad alterum, & actualiter non referri ad illū: ergo intelligibile non eſt relationem tantū dare ſubiecto aptitudinem referibilitatis per modum actus primi. Confir. ſecundo ſicut albedo v. g. ſeipſa intranſitive facit album, ſic relatio ſeipſa intranſitive actu referri; ſed non diſtinguimus albedinem vt facientem album per modum actus primi, & per modum actus ſecundi: ergo neque diſtinguere debemus relationem vt facientem relatum per modum actus primi, & facientem relatum per modum actus ſecūdi. Prob. Mai. ſicut eſſe actu album correſpondet albedini vt formæ, ita & relationi actu referre: neque enim relatio eſt principium actiuum, neque paſſiuum, neque materiale exercitij referendi: ergo illi convenit intranſitive, vt forma relatiua eſt.

Dices cum Torres, poſſe concipi relationem vt rationē referendi, & non vt actu referentem: ſicut Logici dicunt de relatione, quæ eſt generaliſſimum prædicamenti relationis, quæ concipitur vt ratio referendi, & non vt actu referens. Sed contra eſt, nam generaliſſimum prædicamenti relationis non importat relationem vt actu cōſtituentem relatum, ſed tantum dicit id, quo ſubſtantia poteſt actu referri, quia non ſignificat relationem in concreto, ſed tantum in abſtracto: nos vero loquimur de relatione vt actu in exercitio ſubiecto ſuo communicata, & ſignificata in concreto, & de illa dicimus, non poſſe communicari ſubiecto per modum actus primi, ſed debere neceſſario communicari illi, vt referens illud in actu ſecundo: quid enim referret relatio vt ſic, prout tantum conſideratur vt genus ad ſuas ſpecies, ſi actū non ſignificatur vt in ſubiecto? Imò ex hoc exemplo ſumo argumentuum contra hunc modum dicendi: relatio vt ſic diffinitur per hoc, quod eſt eſſe rationem referendi in actu ſubiectum, quod afficit; nō per hoc, quod ſit ratio, qua ſubiectum relatione affectum poſſit referri: igitur effectus formalis relationis eſt actu referre; non vero conſtituere ſubiectum referibile per modum actus primi. Patet Conſ. nam, quia albedo eſt id, quo ſubiectum habens illam eſt actu album, nequit intelligi, quod albedo conſtituat ſubiectum, quod afficit, in eſſe albi per modum actus primi: ergo quia relatio eſt id, quo ſubiectum habens illam actu refertur, non poterit intelligi, quod relatio actu communicetur ſubiecto, & non actu referat illud. Confir. ſicut relatio vt ſic actu non refert, ita nec generaliſſimum qualitatis actu qualificat ſubiectum; & tamen ex hoc non licet inferre, quod qualitas ſubiecto communicata conſtituat ſubiectum quale per modum actus primi, & non actu quale: ergo ſimiliter ex hoc, quod relatio vt ſic actu non referat, quia actu in ſubiecto non intelligitur; non licebit inferre, quod actu ſubiecto communicata, actu non referat ſubiectum.

§. XII.

Vtrùm Perſona Patris conſtituatur per conceptum innaſcibilis, & fœcundi ad generandum?

424 PATER Vazquez hic diſp. 159. ar. 5. & ſequentibus plane tenet perſonam Patris non conſtitui per Paternitatem, ſed formam illius conſtitutiuam eſſe innaſcibilitatem, ſeu rationem fontalis principij. Illum ſequitur ſuus diſcipulus Alarcon, qum fatetur rationem formalem conſtitutiuam Patris non eſſe Paternitatem, ſed relationem fontalis, ſeu radicalis principij conſiſtentis in quadam relatione tranſcendentali reali. Hæc tamen ſententia diſplicet communiter, & merito. In primis eſt contra D. Tho. qui primo ad Annibaldum diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. ad 2. ait quod *ratio ingeniti præſupponit Paternitatem*, & hic ar. 3. ad 3. docet, quod innaſcibilitas non conſtituit, nec diſtinguit perſonam Patris. *Hæc enim* (inquit) *eſſe non poteſt, cum ingenitum nihil ponat, ſed negatiue dicatur.*

Reſpondet Vazquez, innaſcibile explicare negationem, non tamen in re negationem eſſe, ſed aliquid poſitiuum. Sed inquiro

quiro de illo poſitivo, au ſit abſolutum, an ſit relatio? Si primum: ergo prima perſona conſtituetur per aliquid abſolutum. Si ſecūdum, cum non ſit alia relatio niſi Paternitas, conſtituetur prima perſona per Paternitatem. Reſpondet Vazquez, eſſe relationē non realem, ſed rationis, cum enim (inquit Vazquez) conſtitutio divinarum perſonarum ſolum rationis ſit, non eſt inconveniēs aſſerere conſtitutivum Patris eſſe relationem rationis.

Sed contra inſto, nam, nos ſupra docuimus hanc cōſtitutionem eſſe per ſummam ſimplicitatem & identitatem, & ſic eſſe realem non compoſitionis, ſed identitatis. Sed eſto admittatur quod ex defectu diſtinctionis realis inter conſtituens, & conſtitutum hæc conſtitutio rationis ſit, non eſt tamen rationis, quia forma conſtituens quid rationis ſit, vel quia conſtitutum ſit quid rationis: ergo ex hoc capite non probatur, quod forma conſtituens perſonam Patris ſit relatio rationis. Reſpondet Alarcon eſſe relationem realem tranſcendentalem. Sed contra eſt, nam relatio tranſcendentalis realis non habet locum in divinis: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. nam relatio realis tranſcendentalis, vel eſt cauſæ ad effectum, vel effectus ad cauſam, vel menſurati ad menſuram, vel verę radicis ad ſuas proprietates; at nihil ex prædictis locum habet in Deo, vbi nec habetur cauſa, nec effectus, nec mēſura, & menſuratum: ergo.

6.. Probatur ſecundo, nam, ſi relatio tranſcendentalis locum haberet in Deo, relativa tranſcendentalia realia translata ad Deum, etiam conſervarēt ſuam relationem tranſcendentalem: vnde ſcientia divina ad ſcibile divinum relationem tranſcendentalem diceret, intellectus ad ſuum obiectum, & voluntas ad ſuum: omnia enim iſta in ſuis conceptibus relativa tranſcendentalia ſunt. Explicatur hoc, & roboratur. Etenim, quia relatio prædicamentalis non repugnat divinis, & quæ in creaturis relatione reali prædicamentali conſtituuntur, translata ad divina, etiam relativa prædicamentalia ſunt; vt patet in Patre, & Filio, qui dum in creatis relativa prædicamētalia ſunt, tranſlati ad Deum etiam ſunt relativa prædicamentalia: ergo ſi relatio tranſcendentalis realis locum habet in divinis, ea, quæ in creatis relativa tranſcendentalia ſunt, tranſlata ad divina relativa tranſcendentalia erunt: & ſic ſcientia, intellectus, & voluntas, quæ in creatis ex ſuis rationibus ſpecificis relativa tranſcendentalia ſunt, tranſlata ad Deum relativa tranſcendentalia erunt, quod falſiſsimum eſt.

425 Secundo impugnatur ſententia Patris Vazquez. Etenim noſtro modo intelligendi antecedēter ad Paternitatem, & generationē nequit intelligi prima perſona ſub conceptu ingeniti, & innaſcibilis fœcundi ad generandum: ergo modus dicēdi Vazquez in veritate non ſtat. Prob. Ant. Innaſcibilitas dicit puram negationem fundatam in poſitivo Paternitatis: ergo non intellecta Paternitate nequit intelligi perſona ſub ratione innaſcibilis. Primam part. Ant. probavimus ſupra agentes cōtra Vazquez de notione innaſcibilitatis. Secundam ſic oſtendo. In Patre divino tantum ſunt duo entia poſitiva, ſuper quæ dicta negatio fundari poſsit, ſcilicet eſſentia divina, & relatio Paternitatis; ſed ratio innaſcibilis non fundatur immediate ſuper eſſentiam divinam: igitur fundari debet immediate ſuper Paternitatem. Prob. Min. nam innaſcibilitas immediate fundatur ſuper illud, cuius ipſa eſt proprietas; ſed innaſcibilitas non eſt proprietas eſſentiæ, ſed Patris, cuius eſt notio: igitur non fundatur ſuper eſſentiam.

Præterea, innaſcibilitas eſt notio principij; ſignificat enim, quod principium omnium proceſsionum à nullo ſit: ergo nequit antecedenter ad Paternitatem, eſſentiæ divinæ convenire. Patet Conſ. nam eſſentia antecedenter ad relationem non obtinet rationem principij actuum notionalium: ergo ſi innaſcibilitas eſt notio principij actuum notionalium, nequibit immediate eſſentiæ divinæ convenire. Præterea, cōſtitutum ex eſſentia, & innaſcibilitate, de quo Vazquez aſſerit, quod eſt principium fœcundum ad generandum, & à quo immediate egreditur actus generationis, vel eſt perſona, vel non: ſi dicatur ſecundū, falſum dicetur, quia cum actiones notionales ſuppoſitorum ſint, & generatio, quæ actio notionalis eſt, egrediatur ab illo conſtituto tanquam à principio *quod*, oportet aſſerere illud eſſe perſonam. Tum etiam, quia D. Tho. hic in hoc art. 2. probavit generationē non poſſe conſtituere perſonam, quia ſupponit illam conſtitutam; ſed generatio ſecundum Vazquez nihil aliud ſupponit niſi conſtitutum ex eſſentia, & innaſcibilitate: ergo de illo debet aſſerere eſſe perſonam. Si dicatur primum: ergo intelligitur perſona non intellecta relatione, & ſic debet intelligi perſona conſtituta aliqua forma abſolu-

ſoluta, quod eſt contra ipſum Vazquez.

Reſpondet Vazquez, quod intelligitur perſona inadæquate conſtituta, hoc eſt, ſecundum rationem fœcundæ ad producendum. Sed contra eſt, nam fœcunditas ad producendũ perſonam ad intra nequit cõvenire naturæ niſi in aliquo ſuppoſito; ſed conſtitutum ex natura & innaſcibilitate non eſt, neque intelligitur vt ſuppoſitum: ergo prout ſic, non intelligitur perſona vt fœcunda ad producendum ad intra aliam perſonam. Prob. Min. ratio ſuppoſiti divini eſt relativa; ſed ſecundum Vazquez prædictum conſtitutum ſicut præcedit generationem, præcedit etiam omnem conceptum relationis: igitur non intelligitur, vt ſuppoſitum, & ſic pro illo tunc, natura non intelligitur vt fœcunda ad generandum.

§. XIII.

Vtrùm relatio, ſecundum quod forma hypoſtatica eſt, perſonam conſtituat?

426 COMMVNITVR Defendunt Thomiſtæ relationem Paternitatis, & idem eſt de alijs, conſtituere perſonã Patris, prout ſignificatur vt ſubſiſtens. Et meritò, nã videtur expreſſa littera D. Th. in hoc art. 2. ibi: *Sic autem relationes, vel proprietates diſtinguunt, vel conſtituunt perſonas, in quantũ ſunt ipſæ perſonæ ſubſiſtentes.* Et ſupra q. 39. art. 4. his verbis: *Perſona igitur divina ſignificat relationẽ vt ſubſiſtentẽ, & hoc eſt ſignificare relationẽ per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis.*

Vnde ſit noſtra Concluſio hæc communis ſententia. Et primo illam probo formãdo argumentũ ex adducta authoritate. Eo modo Paternitas conſtituit perſonam, quo illã ſignificat perſona Patris; ſed ſecundum D. Th. perſona Patris ſignificat Paternitatẽ vt ſubſiſtentem: ergo Paternitas vt ſubſiſtens conſtituit perſonam Patris.

Ratione prob. Concluſio. Perſona Patris eo conſtituitur, quo redditur incommunicabilis alijs perſonis; ſed Paternitate vt ſubſiſtente redditur incommunicabilis alijs perſonis: ergo Paternitate vt ſubſiſtente cõſtituitur Perſona Patris. Conſ. eſt bona. Maior certa, quia perſona eſſentialiter diffinitur, quod ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia, vel incommunicabilis ſubſiſtentia: ergo eo conſtituitur perſona determinata, quo eſt illi rationalis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia determinata. Min. vero prob. nam Paternitas ſignificata vt relatio non ſignificatur vt ſubſiſtens: ergo prout ſic ſignificata, non tribuit Patri eſſe ſubſiſtens incommunicabile. Prob. Antec. nam ſignificata vt relatio non ſignificatur vt ſubſiſtens in ſe, ſed vt ad aliud tantum: ergo non ſignificatur vt ſubſiſtens.

Dices, nulli eſſe dubiũ, quod Paternitas vt ſubſiſtens perſonam Patris conſtituit, ſed dubiũ eſſe, ex quo capite conveniat relationi hoc, quod eſt vt *quod* ſubſiſtere, an relationi conveniat vt dicit *ad*, an relationi conveniat vt dicit *in*? Sed contra hoc eſt, nã cum relatio divina non præſupponat ſuppoſitũ, quod conſtituat, vel diſtinguat, ſed ſit intranſitive ipſum ſuppoſitũ; tantũ poteſt dici eſſe in ſuppoſito, in quantum ſe ipſa eſt ipſum ſuppoſitum; ergo non eſt dicendũ conſtituere ſuppoſitum ratione *in*, ſed quia eſt forma ſubſiſtens, & ſignificatur vt ſubſiſtens. Explicatur hoc, relationi divinæ non convenit eſſe in perſona, vel in ſuppoſito ex parte rei ſignificatæ, ſed tantum ex modo ſignificandi, hoc eſt, quia in abſtracto à nobis ſignificatur: quæſtio autem præſens quærit de illo prædicato convenienti relationi ex parte rei ſignificatæ, & non tantũ ex modo ſignificandi; qua enim formalitate realiter reperta in divina relatione, divina relatio perſonam conſtituat? cũ ergo ratio ſubſiſtentis realiter relationi divinæ conveniat, meritò dicitur in concluſione, quod relatio vt ſubſiſtens ſignificata perſonam conſtituat.

Explicatur vlterius; duplex *in* diſtinguo in divina relatione, aliud, reſpectu Dei abſolute ſumpti, & hoc eſt *in* ex parte rei ſignificatæ cõveniens relationi, ſecundũ quod Deus eſt per identitatem formalẽ, nõ verò virtualẽ, aliud *in* convenit illi reſpectu perſonæ: proprietates enim conſtituẽtes perſonas ſunt in perſonis, vt ſupra vidimus, & hoc in tantũ convenit relationi divinæ ex parte modi ſignificãdi; nõ vero ex parte rei ſignificatæ: Primũ *in* nequit perſonã conſtituere, vt ſupra vidimus, quia *in* cõmune eſt omnibus tribus perſonis, ſecundũ etiã nequit conſtituere, quia nõ eſt aliquod prædicatum realiter conveniens relationi: ergo relatio non eſt dicenda conſtituere perſonã ratione *in*, cumque nõ ſit conſtitutiva perſonæ ex quo tantum relatio eſt, & vt talis ſignificatur, quia prout ſic non ſignificatur vt ſubſiſtens: reſtat quod perſonam conſtituat vt ſignificatur vt ſubſiſtens.

Dices, relationem conſtituere perſonam vti ſignificat in abſtracto; ſed ſignificata in abſtracto non ſignificatur vt ſubſiſtens: ergo ſignificata vt ſubſiſtens non conſtituit perſonam. Prob. Min. quia in abſtracto ſignificatur vt id, *quo*, & non vt id, *quod*: ergo non ſignificatur vt ſubſiſtens. Ad hoc diſt. Min. non ſignificatur vt ſubſiſtens ex parte rei ſignificatæ, nego Min. ex parte modi ſignificandi dialectico, conc. Min. & nego Conſ. Itaque ex parte rei ſignificatæ ipſiſſimus cõceptus ſignificatur per Paternitatem, & per ly *Pater*, licet ad ſignificandam differentiam dialecticam inter conſtituens, & conſtitutum, idem ſignificetur in abſtracto, & in concreto; vnde ſi conſtitutũ eſt relatio vt ſubſiſtens, etiam conſtituens eſt relatio vt ſubſiſtens: eſt enim hæc conſtitutio, vt ſupra dixi, per ſummam identitatẽ, & ſimplicitatẽ excludẽtẽ adhuc virtualẽ diſtinctionẽ inter conſtituens, & conſtitutum, & ſolum admittens diverſum modum ſignificandi dialecticum penes abſtractum, & concretum.

§. XIV.

Vtrùm antecedenter ad generationem, antecedentia ſola noſtri modi intelligendi, intelligatur ratio Patris ſubſtantive, licet non relative?

427 RESPONDEO Affirmative. Explico terminos. Ratio Patris ſubſtantive intelligitur Paternitas ſignificata vt ſubſiſtens, ratio Patris relative intelligitur Paternitas ſignificata admodũ relationis. Primũ affirmo dari ante generationẽ, non vero ſecundũ. Primã partem probo expreſsis authoritatibus D. Th. Prima eſt ex art. 4. huius quæſtionis ad primũ, quod tale erat: *Dicit enim Magiſter, quod Pater ſemper eſt, quia genuit Filiũ, & ita videtur, quod generatio ſecundũ intellectũ præcedat Paternitatem.* Ad quod ſic reſpondet: *Quod aũ Magiſter dicit, quod, quia generat, eſt Pater, accipitur nomen Patris ſecundũ quod deſignat relationem tantũ; non autẽ ſecundum quod deſignat perſonam ſubſiſtentẽ: ſic enim oporteret è converſo dicere, quod, quia Pater eſt, generat.* In qua authoritate habemus duo. Primũ, quod hoc nomẽ *Pater* ſignificat Paternitatẽ admodũ relationis tãtũ, id eſt, ſignificando tantum relationẽ Paternitatis, & non eius ſubſiſtentiã, & ſimiliter ad divina applicatũ ſignificat ipſam Paternitatem vt ſubſiſtentẽ, id eſt, vt hypoſtaſim, & perſonam. Secundo habemus, quod ſignificatum per hoc nomen *Pater* præcedit generationẽ ſecundũ quod eſt relatio vt ſubſiſtens, & ſequitur ad generationẽ ſecundũ quod eſt relatio ſolũ ſignificata vt relatio: ergo ex D. Th. antecedẽter ad generationẽ datur ratio expreſſa Patris ſubſtãtive, licet nõ relative.

Præterea in art. 2. huius quæſtionis ſic habet: *Vnde hoc nomen* Pater *non ſolũ ſignificat proprietatem, ſed etiã hypoſtaſim, ſed hoc nomẽ* generãs, *vel* genitor *ſignificat tantũ proprietatẽ, quia hoc nomen* Pater *ſignificat relationẽ, quæ eſt conſtitutiva, & diſtinctiva hypoſtaſis.* Ex quibus ſic argumẽtor. Si ante generationem nõ poſſet intelligi expreſſe ratio Patris, eo eſſet, quia Pater ſolũ ſignificat Paternitatẽ per modũ relationis, ſecundũ quã rationẽ requirit fundari ſuper generationẽ; ſed D. Th. dicit, quod ſignificat hoc nomen *Pater* Paternitatẽ vt hypoſtaſim, ſecundum quam rationẽ non prærequirit fundamentũ: ergo ante generationis intelligentiam (ſecundum D. Th.) datur ratio expreſſa Patris ſubſtantive, licet non relative.

428 Ratione prob. Concluſio. Id, quod primo advenit huic Deo abſolute ſumpto, intelligitur ſe ipſo vt *quod* diſtingui ab omnibus alijs perſonis; ſed ſi ratio Patris expreſſa admodum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis nõ primo adveniat huic Deo abſolute ſumpto, id, quod primo advenit, nõ intelligetur ſe ipſo vt *quod* diſtingui ab omnibus alijs perſonis: ergo oportet, quod antecedenter ad generationẽ ratio Patris expreſsè habeatur. Conſ. eſt bona, quia id, quod primo intelligitur advenire huic Deo abſolute ſumpto, nõ intelligitur advenire media generatione, quæ actus notionalis cũ ſit, Deo abſolute ſumpto convenire nõ valet. Præmiſſas ſic probo. Mai. quidẽ, nam id, quod primo huic Deo intelligitur advenire, non eſt perſona vt ſic, ſed perſona determinata, & in ratione ſingularis perſonæ conſtituta: ergo intelligitur ſe ipſo vt *quod* diſtinctum ab omnibus alijs perſonis. Min. ſic prob. nam perſona Patris non intelligitur diſtincta a perſona Filij, & Spiritus S. niſi per rationẽ Patris: ergo vt perſona Patris poſsit intelligi pro illo priori vt diſtincta ab alijs perſonis, erit neceſſe expreſſe intelligere Paternitatẽ.

Huic rationi primo negabis Mai. non enim oportet antecedenter ad generationem intelligere perſonam Patris vt diſtinctã ab omnibus alijs perſonis, quia pro illo tunc, aliæ perſonæ non ſunt, cum primo Filius accipiat eſſe per generationẽ, deinde Spiritus Sanctus per proceſsionem a Patre,

& Fi-

& Filio : ſicut pro illo priori , quo Adam præceſsit productionem Evæ nõ diſtinguebatur actualiter perſonaliter ab Eva , quæ non dum erat producta. Sed contra ſic argumentor. Nam , licet pro illo priori Pater non intelligatur actualiter perſonaliter diſtingui à Filio , ſi tamen pro illo priori intelligitur in illo id, per quod ſufficienter in ratione determinata in ſingulari perſonæ conſtituitur , oportet intelligere in illo id, per quod ſufficienter habebit diſtingui ab alijs perſonis, quando aliæ erunt productæ: ergo oportet , quod illud , quod primò vt perſona intelligitur advenire huic Deo abſolute ſumpto, ſit talis conditionis , quod ſeipſo diſtinguatur ab alijs perſonis, quando erunt productæ. Prob. Ant. Etenim, quia Adam ante productionẽ Evæ, erat cõſtitutus in ratione perſonæ determinatæ , licet pro tunc non diſtingueretur ab Eva, tamen pro tunc habebat id, per quod producta Eva perſonaliter ab illa diſtinguebatur: ergo Pater divinus, quia antecedẽter ad generationẽ ſupponitur conſtitutus in ratione perſonæ, debebit pro tũc habere id, quo productis perſonis diſtinguatur perſonaliter ab illis.

Præterea, primũ conſtitutivũ eſt primũ vel diſtinctivũ, ſed ante generationẽ habetur primũ cõſtitutivũ perſonæ Patris: ergo, & debet haberi primũ diſtinctivum illius. Præterea, licet Filius, & Spiritus Sãctus ſint origine poſteriores Patre vt prima perſona, tamẽ in omni ſigno rationis debẽt eſſe totæ tres perſonę: ergo pro illo ſigno debet habere Pater id, per quod actualiter diſtinguatur à Filio & à Spiritu Sancto coexiſtentibus illi in eodẽ ſigno *in quo*, etiã rationis.

Dices ſecũdo rationi noſtrę, neg. Mi. nã ad intelligẽdũ perſonã Patris pro illo priori vt diſtinctã ab alijs perſonis non oportet intelligere expreſſe Paternitatẽ, ſed ſufficit intelligere perſonalitatẽ per ſe connexã cũ Paternitate, quę explicabitur pro alio poſteriori advenieñte generatione. Sed cõtra hoc eſt, nã ante generationẽ in ſent. oppoſita nõ intelligitur expreſſe Pater, ſed tãtum ratio perſonę: ergo neq; poteſt intelligi perſonalitas illa vt cõnexa cũ Paternitate, quę explicabitur pro illo poſteriori. Prob. Cõſ. nã ad intelligẽdã cõnexionẽ vnius cũ alio, oportet expreſſe intelligi vnũ, & alium: ergo, ſi pro illo priori non intelligitur expreſſe Pater, neq; poterit expreſſe intelligi perſonalitas vt connexa cũ Paternitate. Dices, quod licet illa cognitio ſe ſola non poſsit pro illo priori intelligere perſonalitatẽ vt per ſe connexã cum Paternitate; illa tamẽ vt adiuta fide, quæ dictat primã perſonam Trinitatis eſſe Patrẽ, bene poteſt cognoſcere talem perſonalitatẽ, cum cognoſcat eſſe primam perſonã per ſe connecti cũ Paternitate. Sed contra eſt, nã ſi fides dictat primam Trinitatis perſonã eſſe Patrẽ: ergo cognitio quæ non expreſſe intelligit Paternitatẽ, nõ intelliget expreſſe primã perſonã: ergo illa cognitio adhuc adiuta fide nequit habere pro obiecto connexionem illius perſonalitatis cum Paternitate.

429 Secũdo principaliter impugnatur hæc ſecunda ſolutio. Nam ſi perſona Patris ſolum diſtinguitur per connexionẽ cũ Paternitate: igitur diſtinguitur Paternitate in obliquo, & non in recto : ergo conſtituitur Paternitate in obliquo, & non in recto; nã Paternitas eo tantũ modo poteſt conſtituere, quo primo poteſt diſtinguere: ergo ſi ſolũ in obliquo poteſt primò diſtinguere perſonã, tantum ſignificata in obliquo poterit conſtituere. Hoc autẽ videtur falſiſsimũ, nã ſequitur expoſitionẽ huius , quod perſona Patris non ſignificet in recto relationẽ, ſed tantũ in obliquo , & ſic rectũ conſtituens erit abſolutum, quod nequit admitti. Prob. Sequela, nã perſona Patris ſecundũ ſolutionem datã non ſignificat in recto relationẽ Patris, neque relationẽ vt ſic: ergo in recto non ſignificat relationẽ. Primũ patet, nam non conſtituitur per Paternitatem in recto, ſed tantũ in obliquo: ergo non ſignificat illam in recto. Secundum patet, quia perſona determinata nequit cõſtitui per relationẽ vt ſic: ergo neque illam dicere in recto.

Dices inter relationẽ vt ſic, & Paternitatem dari mediũ, nempe relationẽ Paternitatis nõ expreſſando Paternitatẽ, ſed expreſſando relationem connexã cũ Paternitate. Sed contra eſt, & inquiro, vt quid Paternitas pro illo priori ante generationem ſolũ poteſt exprimere rationẽ relationis, & non exprimere Paternitatem? Reſpondent adverſarij, quia ante generationem nõ poteſt intelligi expreſsive Pater; poteſt tamẽ intelligi perſona , quæ in recto dicit relationem per modum formæ hypoſtaticæ.

Sed cõtra eſt, nã non magis ratio expreſſa Paternitatis requirit ex terminis fundamẽtũ, quam ratio expreſſa relationis requirat fundamentum; ſed hoc non obſtante , pro priori ad generationem habetur expreſſa ratio Paternitatis vt expreſſe eſt relatio, omni fundamento ſecluſo: ergo , & poterit haberi ratio Paternitatis vt expreſſe eſt Pa-

Digitized by Google

Paternitas nondum intellecta generatione. Mai. conſtat ex creaturis, in quibus non ſolum ratio differentialis relationis requirit præter ſubiectum fundamentũ, ratione cuius illi conveniat, quam ratio relationis, vt relatio eſt. Min. eſt Authorum, quos impugno. Et Conſ. prob. eſto gradus relationis requirat fundamentum, quãdo ſignificatur vt relatio; non tamen illud requirit, ſi prædictus gradus ſignificetur vt forma hypoſtatica: ergo eſto gradus expreſſus Paternitatis requirat generationem pro fundamento, quando ſignificatur vt relatio; non tamẽ illud requiret, ſi prædictus gradus ſignificatur vt forma hypoſtatica: ergo, eſto gradus expreſſus Paternitatis divinæ ſignificatus vt relatio, requirat generationem pro fundamento; non tamẽ illam requiret ſignificatus vt forma hypoſtatica: nõ enim invenio diſcrimen. Ex qua doctrina ſic in forma argumentor. Ratio expreſſa Paternitatis poteſt ſignificari vt forma hypoſtatica, & vt relatio, ſed ſignificata vt forma hypoſtatica non requirit generationẽ pro fundamẽto: ergo ratio expreſſa Patris poteſt intelligi ante generationẽ. Mai. patet, ratio expreſſa relationis poteſt ſignificari vt ſubsiſtens, & vt relatio: ergo ratio expreſſa Paternitatis poterit ſignificari vt ſubsiſtẽs, & vt relatio. Min. ſic probo, ratio expreſſa relationis ſignificata vt ſubsiſtens non requirit fundamẽtum: ergo, & Paternitas expreſſe ſignificata vt ſubsiſtens non requiret fundamentum, quod eſt generatio. Patet Conſ. quia fundamentũ non exigitur à relatione ex ratione differentiali, ſed ex cõceptu relationis, quæ vt conveniat ſubiecto requirit in illo rationẽ fundandi: ergo, ſi ratio relationis expreſſa non requirit fundamẽtum, ſignificata vt ſubsiſtens; neque ratio differentialis expreſſa requiret differentiale fundamentum ſignificata vt ſubsiſtens.

§. XVII.

Solvuntur argumenta contra reſolutionem §. XIII.

430 DIXIMVS in §. XII. perſonam divinam conſtitui per relationem ſub munere formæ hypoſtaticæ. Contra hoc ſic argumẽtor. Perſona Patris debet conſtitui per aliquid expreſſe relativum: ergo debet conſtitui per relationem vt exprimit *ad*: ergo non per relationem vt ſubsiſtentem. Patet hæc vltima Conſequentia, quia relatio vt ſubsiſtens non eſt relatio vt exprimens *ad*. Prima autem prob. relatio eſſentialiter eſt ad terminum: ergo id, quod expreſſe vt relatio conſtituit debet conſtituere vt expreſſe dicit *ad*.

Ad hoc argumentũ reſpondetur à tenentibus noſtram ſententiã, negando Conſ. ad prob. diſt. Ant. relatio eſsẽtialiter eſt ad terminum, ſub omni munere relationis, nego Ant. ſub aliquo eius munere, conc. Ant. & nego Conſ. Itaq; in relatione ſpecialiter divina ſunt multa munia, aliud eſt munus referendi vnũ ad aliud, & hoc explicite dicit *ad* terminũ, aliud eſt munus formæ hypoſtaticæ; id eſt, incõmunicabilitas ſubsiſtẽdi, aliud eſt munus originis activæ, & paſsivæ: vnde dũ explico hęc munia ſemper explico relationẽ, ſed non ſemper illam explico vt *ad* alterũ; ſed aliquando illam explico vt à principio, & ſic explico illam, vt origo eſt, aliquando illam explico, vt in ſe ipſa ſubsiſtit, & ſic explico relationem ſub munere formæ hypoſtaticæ; aliquando illam explico vt refert ad terminum, & tunc illam explico vt dicit *ad*: vnde non ſequitur, quod ſi perſona conſtituitur per aliquid expreſſe relativum, debeat conſtitui per relationem vt exprimit *ad*. Sed contra hanc doctrinam ſic inſto, relatio vt diſtinguitur à forma abſoluta, diffinitur per hoc, quod eſt, quod totum ſuum eſſe ſit ad aliud ſe habere: ergo munia, vel formalitates, quæ non exprimunt ad aliud ſe habere non poſſunt exprimere relationem; ſed ratio ſubsiſtentis, & ratio originis non exprimunt ad aliud ſe habere: ergo neque exprimunt relationem.

Propter hanc replicam aliter reſpondetur ad argumentum, diſt. Conſ. ergo debet conſtitui per relationem vt exprimit *ad*, ſecundum quod, *ad*, habet eſſe in ſeipſo ratũ, fixum, & ſubsiſtẽs, conc. Conſ. vt exprimit *ad* per puram comparationem ad terminũ, nego Conſ. Ad prob. relatio eſſentialiter eſt ad terminũ: ergo id, quod exprimit relationẽ debet exprimere *ad*, diſt. Conſ. *ad* per ſolam comparationẽ ad terminũ, nego Cõſ. debet exprimere *ad* vt habet eſſe in ſeipſo, vel vt habet eſſe ab alio, conc. Conſ. Itaque relatio eſt ad terminũ, ſed hoc eſſe ad terminum habet eſſe in ſeipſo fixũ, ratũ, & ſubsiſtens; & ſic dum ſignificatur relatio vt ſubsiſtens, ſignificatur ipſum eſſe ad terminũ, vt quoddã eſſe vt *quod* fixum, & ſubsiſtens. Inſuper ipſum *ad* terminum habet eſſe ab alio, nempe vt origo à perſona originante, & ſic quando ſignificatur relatio vt origo,

ſig.

ſignificatur *ad* terminum, prout tamen ab alio eſt: vnde quotieſcũque exprimitur relatio exprimitur *ad*; ſed non ſub eodẽ munere, ſed ſub diverſo: vnde dum dicimus, quod relatio vt ſubſiſtens habet conſtituere perſonam, dicimus quoque; quod ipſum *ad* terminũ in quo eſſentia relationis conſiſtit, conſtituit perſonam non comparative ad terminũ, ſed ſecundum quod in ſeipſo habet eſſe fixum, ratum, & ſubſiſtens. Itaque in illo *ad* terminũ poſſum conſiderare, præciſſe quod ad terminum ſit, & ſic ſignificare illud: & illo modo dico, quod non conſtituit perſonã: poſſum etiã conſiderare quod ſit in ſeipſo vt quod ſubſiſtens, & prout ſic ſignificatum, dico, conſtituere perſonam.

Inſtas hæc munia recenſita ſunt abſoluta: ergo nequeunt convenire *ad* relationis. Patet Conſ. quia *ad* expreſſum vt *ad* tantum exprimit munus relationis vt diſtinguitur à forma abſoluta: ergo ab ipſo expreſſo vt *ad* nequeũt provenire prædicta munia. Ant. prob. nam prædicta munia ſunt ad ſe: ergo ſunt abſoluta. Ad hoc diſt. Ant. ſunt abſoluta, ex parte rei ſignificatę, nego Ant. ex parte modi ſignificandi, conc. Ant. & diſt. Cõſ. nequeunt convenire *ad* relationis, ex parte rei ſignificatæ, nego Conſ. ex parte modi ſignificandi, conc. Conſequentiam. Itaque prædicta munia ex parte modi ſignificandi abſoluta ſunt, quia vt in ſe ſunt ſignificantur: ex parte rei ſignificatæ quid relativum ſunt, quia non ſunt aliud, quã ipſum *ad*, ſignificatum, vt in ſeipſo eſſe ſubſiſtens habet; & ſicut dicimus de nomine *perſona divina*, quod ex parte rei ſignificatæ ſignificat relationem, & ex parte modi ſignificandi quid abſolutum eſt, ita, & dicimus, quod ex parte rei ſignificatæ ſignificat ad aliud, ſed ex parte modi ſignificãdi ſignificat in ſe, & ad ſe, quia ſignificat quod ad aliud eſt, vt in ſe quędam forma, vel quoddam ſuppoſitũ eſt.

431 Secundo arguitur. Perſona Patris debet conſtitui per id, per quod redditur incommunicabilis alijs perſonis, ſed nõ redditur incommunicabilis alijs perſonis per *ad* vt ſubſiſtens eſt: ergo non conſtituitur per *ad* vt ſubſiſtens eſt. Prob. Min. incõmunicabilitas oritur ex oppoſitione relativa, qua gaudent inter ſe perſona Patris, & Filij; ſed hęc tantum habetur per *ad* per cõparationem ad terminum: ergo non conſtituitur perſona Patris per *ad* vt ſubſiſtẽs, ſed per *ad* comparative ad terminũ. Prob. Min. relatio ſignificata ſubſiſtens ſignificatur in ſe, & vt ad ſe: ergo non ſignificatur vt relative oppoſita ſuo correlativo.

Ad hoc argumentũ, nego Min. ad prob. diſt. Min. tãtum habetur per *ad* per comparationem ad terminum prout in ſeipſo ſubſiſtens eſt, conc. Min. prout explicatur *ad* oſculative ad terminum, nego Min. & diſt. Conſ. non ſignificatur vt relative oppoſita ſuo correlativo, ex parte rei ſignificatæ, nego Conſ. ex parte modi ſignificandi, conc. Conſ. Itaque quocũque modo cõcipiamus relationẽ, ſemper concipimus *ad*, & quia *ad* ſemper habet opponi relative cũ termino ad quẽ dicitur, ſemper ſignificamus id, quod relative opponitur cum alio; verum quia hoc poteſt ſignificari vt in ſeipſo eſt, qua ratione ſignificatur vt ſubſiſtẽs, ideo dicimus, quod perſona conſtituitur per *ad*, quod vere opponitur, & quod vere diſtinguitur à correlativo, ſignificatum tamen vt ſubſiſtẽs eſt; non vero prout comparatur ad terminum, ita, vt hoc, quod eſt non comparari ad terminum habeatur ſolũ ex modo ſignificãdi, non vero teneat ſe ex parte rei ſignificatæ.

Neque ex hoc licet inferre, quod ratio *ad* non conſtituat vt expreſſa, ſiquidem hæc nõ expreſſio *ad*, vt *ad*, tantum videtur ſe tenere ex modo ſignificandi, & nos dicimus *ad* non conſtituere perſonã, vt ex parte modi ſignificandi ſignificatur vt *ad*. Nõ, inquã, ſic licet inferre, nam expreſſio alicuius contingit dupliciter, vel ita quod tãtum ſit expreſſio ex parte rei ſignificatæ, vel ita quod ſit expreſſio alicuius tã ex modo ſignificandi, quam ex parte rei ſignificatæ: exemplum primi habemus in his *Deus*, *Deitas*, qui ex parte rei ſignificatæ idem prorſus ſignificãt, & exprimunt, licet non ex parte modi ſignificandi: nam prout ſic *Deus* ſignificat habentem Deitatẽ, & ly *Deitas* ſignificat Deitatem vt habitam: exemplum ſecundi habemus in hoc nomine *Pater*, quod ſive ſubſtãtive, ſive relative ſemper relationem exprimit, ſed ſubſtantive ſumptũ ex parte rei ſignificatæ exprimit relationem, ſed ex parte modi ſignificandi exprimit abſolutũ: relative vero tam ex parte modi ſignificandi, quã ex parte rei ſignificatæ ſignificat, ſeu exprimit relationem: cum ergo *ad* poſſit exprimi, vel abſolute ex parte modi ſignificandi, vel relative, non ſequitur, quod ſi conſtituit perſonam vt ex parte modi ſignificandi ſignificatur, abſolute non conſtituat perſonam, vt *ad*.

§. XVI.

Solvuntur argumenta contra Concluſionem §. XIII.

432 DIXIMVS in §. XIII. quod ante generationem intelligitur Pater ſubſtantive, licet non relative, id eſt, Paternitas ſignificata ad modum ſubſtantiæ, non ad modum relationis. Contra quod. Primo arguitur, nam D. Th. hic in art. 4. diſtinguit in Paternitate conceptum relationis, & conceptũ formæ hypoſtaticæ, docetque ſub priori conſideratione generationẽ ſupponere, & ſuper illã fundari; ſub alia vero, generationem præcedere, & perſonam conſtituere, quod etiam docet ſupra quæſt. 29. art. 4. ad 1. & quæſt. 9. de potentia art. 4 & quæſt. 10. art. 3. ſed Pater etiam ſubſtantive exprimit relationẽ Paternitatis: ergo ſecundum D. Tho. prout ſic, nec perſonam conſtituit, nec generationem præcedit.

Ad hoc admiſſa authoritate diſt. Min. ſed Pater etiam ſubſtantive exprimit relationem, tam ex parte rei ſignificatæ, quam ex parte modi ſignificandi, nego Min. exprimit relationem ex parte rei ſignificatę, & abſolutum ex parte modi ſignificandi, conc. Min. & nego Conſ. Itaque dũ D. Th. in Paternitate diſtinguit relationem à forma hypoſtatica, ſolum diſtinguit inter relationem ſignificatam vt relatio, tam ex modo ſignificandi, quam ex parte rei ſignificatæ, & ipſam relationem ſignificatã abſolute ex ſolo modo ſignificandi; non vero ex parte rei ſignificatæ, quod eſt hoc ipſum, quod ego voco Pater ſubſtãtive, quod eſt hoc ipſum, quod D. Th. dicit Paternitatem vt forma hypoſtatica, de hacque dicit præcedere generationem, & conſtituere perſonam; non vero Paternitatem ſolũ relative ſignificatã: vnde non facit contra noſtram reſolutionem authoritas adducta.

433 Arguit ſecundo Gonet. Nam ſi Pater ſubſtantive, id eſt, ſub expreſsione Paternitatis præcedat generationem, ſequitur, quod ſi per impoſsibile prima perſona Trinitatis non generaret ſecundam; adhuc eſſet Pater, quod eſt magnum abſurdum, eo quod implicat concipere Patrem non generantem Filium: nam Pater eſt Filij Pater: ergo. Sequela prob. nam iuxta hũc modum dicendi Paternitas divina non fundatur in generatione, nec illam ſupponit ſub aliquo ſui conceptu, ſed ad illam adæquate præſupponitur; atqui prius in quãtum prius non dependet à poſteriori, manetque illo, per impoſsibile, ablato, ſicut per impoſsibile voluntate ablata intellectus remaneret, quia intellectus voluntatem præcedit: ergo ſi Pater ſubſtantive Pater præſupponitur ad generationem, ſequitur, quod ſi nõ generaret, adhuc prima perſona Trinitatis eſſet Pater. Confirm. nam quia abſoluta in Deõ ſunt priora notionalibus, & proprietatibus relativis, his per impoſsibile ablatis, adhuc abſoluta remanerent: ergo ſi Paternitas adæquate ſumpta eſt prior generatione Filij hac per impoſsibile ablata, Paternitas divina, & Pater in eſſe Patris remanerent. Confirm. ſecundo, id enim dicitur remanſurũ alio per impoſsibile ablato, quod hoc non intellecto intelligitur; ſed eo ipſo quod Paternitas ſumpta adæquate præcedat generationem Filij, intelligitur Paternitas non intellecta generatione: ergo eo ipſo concedendum eſt, manſuram Paternitatem ablata per impoſsibile generatione.

Ad hoc argumẽtum, nego ſequelam, ad prob. diſt. Mai. Paternitas non fundatur in generatione, Paternitas ſub adæquato conceptu Paternitatis, nego Mai. ſub conceptu inadæquato Paternitatis, conc. Mai. & diſt. Min. prius non dependet à poſteriori, prius adæquate ſumptum ſecundum omnem ſuũ conceptũ, conc. Min. prius ſecũdum inadęquatum conceptum non dependet à ſeipſo ſecundum alium conceptũ poſteriorẽ, nego Min. & neg. Conſ. Itaque prius altero ſtat dupliciter, vel ſic, quod ſecundũ omnia, quę habet ſit altero à ſe diſtincto prius, & tunc trãſeat, quod poſsit manere poſteriori ablato, vel prius ſecundum vnã conſiderationẽ à ſeipſo ſecundũ alteram, & illo modo non ſequitur, quod ablato poſteriori poſsit manere realiter prius. Pono exemplũ. Gratia iuſtificans vt auferẽs ab anima maculã peccati, prius eſt ſeipſa, vt aufert offenſam, & tamen ſi ponatur non auferre offenſam non poterit manere, vt auferens ſolum maculam, quia gratia vt auferens maculam, eſto ſit prius ſeipſa vt auferente offenſam, tamen non eſt prius ſecundum ſui adæquatam rationem, ſed ſolum ſecundum ſui conceptum inadæquatum, inter quem, & poſteriorem conceptum habetur talis connexio, quod non poſito poſteriori, non ponitur gratia ſecundũ quod tribuit primum conceptũ: ita Paternitas divina, & habet cõceptum formæ hypoſtaticæ, quod eſt Pater ſubſtãtive, & habet conceptũ generationis,

& habet cõceptum relationis ex parte modi ſignificandi ſignificatæ vt relatio: inter hos habetur intelligentiæ ordo prioris, & poſterioris; ſed quia ex illis collectivè integratur indivisibilis eſſentia Paternitatis, fit inde, quod quolibet ablato, auferatur Paternitas, & ſic ſi ponatur quod illa relatio, quam ſubſtantive ſignificat Pater, non ſit generatio, auferetur ab illa quod ſit Pater ſubſtantive: vnde ſi prima perſona Trinitatis non generaret, non ſequeretur primam perſonam eſſe Patrem.

Ad primam confir. nego Antec. nam cum de conceptu abſolutorum ſit quod ſint in tribus perſonis, ablatis tribus, non manerent ea abſoluta, quæ de facto ſunt, nec maneret hic Deus, quem de facto adoramus. Ad ſecundam confir. diſtingo Mai. id dicitur remanſurum, alio per impoſsibile ablato, quod hoc non intellecto intelligitur, non intellecto per ſimplicem apprehenſionem tantum nego Mai. non intellecto per diviſionem dialecticam tranſ. Mai. & nego ſuppoſitum Min. Aliud enim eſt, quod Paternitas ſecundum conceptum perſonæ Patris intelligatur ante generationẽ, & aliud eſt quod Paternitas adæquate ſumpta intelligatur non intellecta generatione: primum eſt verum, ſecundum falſum: nam Paternitas divina, cum ſecundum vnum conceptum ſit generatio, ſi non intelligitur vt generatio, non intelligitur adæquate, ſed tantum inadæquate, id eſt, ſecundum vnum tantum ſui conceptum.

434 Tertio arguitur, nequit intelligi expreſſe ratio Patris nõ intellecta expreſſe ratione Filij; ſed ante generationem non intelligitur ratio Filij: ergo neque poteſt intelligi expreſſe ratio Patris. Prob. Mai. Tũ, quia relativa ſunt ſimul natura, & cognitione. Tum etiã, quia Pater eſſentialiter diffinitur per hoc, quod eſt eſſe ad Filiũ: igitur pro priori, quo intelligitur Pater debet intelligi Filius. Mi. vero prob. quidquid habet Filius, habet per generationem, vel cõmunicatum, ſi ſit abſolutũ, vel productũ ſi ſit relativum: ergo nõ intellecta generatione, nequit intelligi ratio Filij.

Ad hoc dist. Mai. nequit intelligi expreſſe ratio Patris non intellecta expreſſe ratione Filij, ratio Patris ſignificata relative concedo Mai. ſignificata tantum ſubſtãtive, nego Mai. & conc. Min. dist. Conſ. nequit expreſſe intelligi ratio Patris vt ſignificatur ſubſtantive nego Conſ. vt ſignificatur relative conc. Cõſ. ad prob. Mai. dico Patrẽ ſubſtantive tantũ ſignificatũ non ſignificari vt correlativum Filij, quia prout ſic Paternitas, eſto exprimatur, non tamẽ exprimitur vt relatio ex parte modi ſignificãdi; ſed vt ſubſtantia, & abſoluta, & vt in ſe quoddã ens ſubſiſtens eſt: vnde prout ſic non explicatur vt ad Filium, & ſic non explicatur vt correlativũ Filij, & prout ſic non eſt ſimul naturã, & cognitione cum Filio: & licet ex parte rei ſignificatæ ſit ad Filiũ, ex parte tamen modi ſignificandi explicatur abſolute, & vt ſubſiſtens in ſe, & ſic non eſt neceſſe, quod dum Pater intelligitur tantum ſubſtantive, intelligatur Filius.

435 Quarto arguitur, antecedenter ad originem paſsivam non intelligitur ratio expreſſa Filij, neque relative, neque ſubſtantive: ergo antecedẽter ad generationem activam non intelligetur, neque Pater relative, neque Pater ſubſtãtive. Prob. Cõſ. nam, ideo primũ eſt verum, quia ratio expreſſa Filij petit pro fundamento originem paſsivam: ergo ſecundum etiam erit verũ, quia ratio expreſſa Patris petit pro fundamento originem activã. Explicatur hoc ſub hac forma. Sicut datur Pater ſubſtantive, & relative, ita datur Filius ſubſtantive, & relative, & ſicut Pater ſubſtantive eſt ipſa perſona Patris, ita & Filius ſubſtantive eſt ipſa perſona Filij intranſitive: ergo, ſi nõ obſtãte quod Filius ſubſtantive ſignificatus eſt ipſa perſona Filij, adhuc ad ſui expreſſam intelligentiam requirit originem paſsivam; etiam non obſtante, quod Pater ſubſtantive ſignificatus ſit ipſa perſona Patris, ad ſui expreſſam intelligentiam requiret originem activam pro fundemento.

Confir. ratio expreſſa Patris divini nequit à nobis pro hoc ſtatu intelligi niſi cõnotative ad Patrem creatum, ſicut, & ratio Filij nequit intelligi niſi cõnotative ad Filium creatum; ſed, quia Filius nequit à nobis intelligi niſi per connotationem ad Filium creatum, nequit ratio expreſſa Filij à nobis intelligi niſi prævie intellecta origine paſsiva: ergo, quia ratio expreſſa Patris divini nequit a nobis intelligi niſi connotative ad Patrem creatum, nequivit à nobis intelligi niſi prævie intellecta origine activa. Ad hoc argumentum nego Conſ. ad prob. nego Cauſalẽ. Ratio enim, cur Filius neque ſubſtãtive, neq̃ relative poteſt intelligi non intellecta origine paſsiva, nõ eſt quia origo paſsiva eſt fundamẽtũ filiationis: nã, vt dixi, ad relationem vt ſubſiſtens eſt, nullũ fundamentũ præ̃requiritur, ſicut neque ſubiectũ, cui

Digitized by Google

cui inſit; ſed ratio eſt, quia origo paſsiva eſt via ad Filiationem etiam vt Filiatio, perſona, & forma hypoſtatica eſt; eſt enim paſsive ſumpta productio perſonæ Filij, & ſic, non intellecta ratione originis paſsive nullo modo intelligi poteſt Filius; origo autem activa, cum ad rationem Patris ſolũ concurrat vt fundamentum, & Paternitas vt perſona fundamento nõ indigeat, poteſt bene intelligi Pater vt perſona, id eſt, ſubſtantive Pater non intellecta origine activa. Doctrina eſt D. Tho. hic in art. 2 ibi: *Sed contra rationem originis eſt, quod conſtituat hypoſtaſim, vel perſonam, quia origo activè ſignificata, ſignificatur vt progrediens à perſona ſubſiſtente: vnde præſupponit eam: origo autem paſsivè ſignificata, ſignificatur vt via ad perſonam ſubſiſtentem, & nondum vt eam conſtituens.* Pondero illa verba *ſignificatur vt via ad perſonam*, non enim dixit vt fundamentum, ne daretur intelligi, quod Filiatio vt perſona requirebat fundamentũ, nec dixit ad relationem Filiationis; ſed *ad perſonam ſubſiſtentem*, vt daretur intelligi, quod eſto Filiatio non requirat fundamentum vt perſona, requirit tamen ſui productionẽ, & ſic illa non intellecta, nequit Filius etiam vt perſona intelligi.

Ad explicationem, nego Conſ. propter rationem dictam, quia perſona Filij eſt producta, & ſic nequit intelligi ante originem paſsivum, quæ eſt illius productio; Pater autem productus non eſt, & inſuper intranſitive perſona eſt, & ſic non requirit prævìam generationem ad ſui expreſſam intelligentiam. Ad Confir. diſt. Mai. ratio expreſſa Patris divini nequit intelligi a nobis niſi connotative ad Patrem creatum, vt relative ſignificata, conc. Maj. vt ſubſtantive ſignificata, nego Mai. & cõc. Min. diſt. Conſeq. nequibit cognoſcere niſi prævia origine activa, ſignificata vt relatio, conc. Conſ. ſignificata vt hypoſtaſis, nego Conſeq. Itaque, cum ratio divinæ Paternitatis, & ſit relatio, & ſit hypoſtaſis, hoc eſt, prima ſubſtantia, nequit adæquate cognoſci à nobis per ſolã connotationẽ Paternitatis creatæ, quæ ſolum eſt relatio, & non ſubſtantia prima; & ſic ad cognoſcendũ Patrem divinum vt perſonam, hoc eſt, vt ſubſtantive eſt Pater, vtimur connotatione hypoſtaſis creatæ: vnde ſicut hypoſtaſis creata Patris ad ſui intelligentiam neque ſupponit cognitionem ſubiecti, neque fundamenti, ſic Paternitas ad ſui cognitionẽ vt hypoſtaſis Patris, neque præſupponit ſubiectum, neque fundamentum. Ad cognoſcendum autem Paternitatẽ vt relatio, vtimur Paternitate creata, quæ pure relatio eſt: vnde, cum hæc requirat ſubiectum, & fundamentum: hæc etiam duo requirimus ad cognitionem Paternitatis vt relatio eſt, tam ex parte rei ſignificatæ, quam ex parte modi ſignificandi. Quia autem Filius divinus ſupra Patrem addit rationẽ producti, & nullus Filius in creatis, etiam vt perſona, intelligatur exiſtere ante ſui productionẽ, hinc fit, quod perſonam Filij divini non poſsimus intelligere ante cognitionem ſuæ productionis, & ſic omnia conſonant, & quod Pater ſubſtantive non præſupponat generationem: bene autem relative, & quod Filius adhuc ſubſtãtive ſupponat originem paſsivam, eſto non vt fundamentũ, ſaltim vt ſui productionem.

Sed inſtabis contra hanc doctrinam. Prima ſubſtantia, vel creata hypoſtaſis tantum poteſt manuducere in cognitionẽ hypoſtaſis divinæ: ergo illa manuducti tantũ poterimus cognoſcere de Patre, quod ſit hypoſtaſis, non vero quod ſit Pater: ergo ad cognoſcendũ divinum Patrem, etiam ſubſtantive, debebimus vti Paternitate creata. Tunc ſic, ſed hæc nõ cognoſcitur, niſi prius cognoſcatur ratio generantis creati: ergo ſimiliter divinus Pater non cognoſcetur vt Pater ante cognitionem perſonæ vt generantis. Ad hoc diſt. Ant. hypoſtaſis creata vt ſic, conc. Ant. hypoſtaſis determinata, nego Ant. & Conſ. Itaque ad cognoſcendũ Patrem ſubſtantive, id eſt, vt hypoſtaſim divinam conſtitutam per Paternitatem, non debemus aſſumere hypoſtaſim creatam vt ſic, ſed aliquam in ſingulari, putà illam, quã ſignificat ly *Petrus*, vel ly *Paulus*: ſicut enim hæc ſunt nomina perſonarum in ſingulari, ita Pater eſt nomen perſonæ divinæ in ſingulari, & ex connotatione harum cognoſcere Patrem, non ſolum vt perſonam, ſed vt determinatam perſonam, fit autem perſona determinata per ipſam Paternitatem, & ſic ex tali connotatione venimus in cognitionem Patris expreſsive vt perſonæ, quæ eſt intranſitive Pater.

436 Quinto arguitur. De Patre antecedenter ad generationem id ſufficit expreſſe intelligere, quod requiritur ad cognoſcendum ipſum vt principium generationis; ſed ad hoc non requiritur expreſſe cognoſcere de illo, quod ſit Pater: ergo ante generationem non oportet de perſona Patris expreſſe intelligere quod ſit Pater.

Prob,

Digitized by Google

Prob. Min. ad principiandum actum generationis ſufficit ratio perſonæ: ergo non requiritur cognoſcere de hac perſona, quod ſit Pater. Confir. non intellecta generatione, nullum adeſt principium, quod determinet nos ad cognoſcēdum quod id, quod præſupponitur vt principium generationis ſit Pater pro priori ante generationem: ergo de principio divinæ generationis pro priori antecedente ad illam non poſſumus intelligere quod ſit Pater. Prob. Ant. primū determinans nos ad cognoſcendum de aliquo, quod ſit Pater, eſt ipſum genuiſſe: ergo ante generationem nullum adeſt principium ad cognoſcendum de principio generationis, quod ſit Pater pro priori ad generationem.

Ad hoc argumentum nego Min. ad prob. ſufficit ratio perſonæ vt ſic, nego Min. perſonæ determinatæ in ſingulari conc. Min. & neg. Conſ. Itaque, cum generatio ſit actio determinata, oportet, pro principio illius activo cōſignare perſonam in ſingulari determinatam: perſonæ autem divinæ ſolum intelliguntur determinatæ per Paternitatem, Filiationē, & Proceſsionem paſsivam, & ſic eſt neceſſarium intelligere expreſſe de perſona, quæ eſt principium generationis, quod ſit Pater. Ad Confir. nego Ant. ad prob. diſt. Ant. ad cognoſcēdum de aliquo determinate, quod ſit Pater, relative tantum, conc. Ant. ad cognoſcendum de aliquo, quod ſit Pater, ſubſtantive nego Ant. & diſt. Conſ. eadem diſtinctione. Itaque, cum alij Patres non ſint perſonæ per hoc ipſum, quod ſunt Patres, ſed in illis eſſe Patrem eſt accidens relativum, non poſſumus determinate cognoſcere de illis, quod ſint Patres, ante quā cognoſcamus illos genuiſſe. Pater autem divinus ſit perſona determinata per hoc ipſum, quod eſt eſſe Patrem, & ſic ad cognoſcendum quod ſit Pater, non eſt neceſſe cognoſcere ipſum genuiſſe.

Sed inſtabis, dato quod ad cognoſcendum Patrem ſubſtantive non requiratur cognoſcere de tali perſona quod genuerit, vt ſolutio data intentat, adhuc tamen reſtat difficultas in aſsignando illud prædicatum, quo pro priori antecedenti ad generationem cognoſcitur talem perſonam eſſe Patrē: neque enim videtur eſſe pro illo priori aliqua notio Patris, vt Patris. Reſp. Patrem ſubſtātive eſſe illam perſonam, à qua egreditur generatio: cūque pro illo priori cognoſcamus generationem egredi ab aliqua perſona, cognoſcimus ex hoc illam perſonam eſſe Patrem, & ſic notio, qua cognoſcitur pro illo priori, quod illa perſona ſit Pater, eſt egredi generationem ab ipſa. Exiſtimo hanc eſſe doctrinam D. Tho. hic in ar. 4. ad 1. vbi aſſerit hanc propoſitionē eſſe veram de Patre ſubſtātive dicto, quod *quia Pater eſt, generat*: ergo dum videmus illam perſonam determinatam generare, cognoſcimus de illa, quod ſit Pater ſubſtantive.

QVÆSTIO XVIII.

De perſonis in comparatione ad actus notionales.

POST Comparationem perſonarū ad relationes, quibus vidimus conſtitui, reſtat nobis agendum de comparatione divinarum perſonarum in ordine ad actus notionales, de qua tractat D. Tho. hic quæſt. 41. quam dividit in ſex articulos.

§. I.

Vtrùm actus notionales ſint attribuendi Perſonis?

437 HVIC quæſito reſpondet affirmative D. Tho. in ar. 1. & probat ſuam reſolutionem. *Etenim* (inquit) *in divinis attenditur diſtinctio ſecundum originem: origo autem convenienter deſignari non poteſt niſi per aliquos actus; ad ſignificandum ergo ordinem originis in divinis perſonis neceſſum fuit attribuere divinis perſonis actus notionales.* Concluſio eſt certa, & ratio pro ea adducta eſt optima. Solum hic poteſt adeſſe difficultas circa illos terminos *actus notionales*. Videtur enim quod actio divina non ſpectet ad relationem, ſed ad abſolutum Dei. Aſſerit enim Boetius in lib. de Trinit. circa medium, quod omnia genera, cum quis vertit in divinam prædicationem, in divinam mutantur ſubſtantiam, exceptis relativis; ſed actio eſt vnum de decem generibus: ergo in Deo ſpectabit ad eſſentialia, & non ad notionalia. Similiter Auguſtinus in lib. 5. de Trinit. cap. 4. & 5. in

Digitized by Google

5. in 3. tomo. Aſſerit, quod omne, quod de Deo dicitur, aut dicitur ſecundum ſubſtantiam, aut ſecundum relationem; ſed etiam quæ ad ſubſtantiam pertinent, ſignificantur per eſſentialia attributa, quæ vero ad relationem per nomina perſonarum, & per nomina proprietatum: non ergo ſunt notionales actus. Præterea, ſi ſunt actus notionales, erunt ipſæmet habitudines perſonarum; hoc autem non videtur conſonum: ergo. Conſ. eſt bona Mai. patet, nam in Deo ſolum datur abſolutum, & relativum, ſed actus notionales non ſunt abſolutum: ergo erunt relativum: ergo erunt ipſæmet habitudines perſonarum. Min. vero prob. nam in relatione divina ſolum diſtingui poſſunt duo, nempe, quod ſit vt *quod* ſubſiſtens, & quod hoc, quod vt *quod* ſubſiſtit ſit ad terminum; ſed formalitas veræ actionis vtrique formalitati repugnat: nam vt ſubſiſtens habet eſſe fixum, & ratum, vt ad aliud formaliter non eſt vt ab alio, tanquam productio, vel cauſalitas principij productivi: ergo non eſt conſonum aſſeverare, quod ipſi actus notionales ſint ipſæmet habitudines, ſeu relationes.

Secundo, quia actio notionalis, ſi ſit generatio, debet eſſe intellectio, ſi ſit ſpiratio, debet eſſe volitio; at intellectio, & volitio implicat eſſe puram relationem: ergo non eſt conſonum ipſas actiones notionales non eſſe aliud quã ipſe relationes. Conſ. eſt bona, Mai. patet, quia Deus generat Deũ per actum intellectus, & ſpirat Spiritum Sanctum per actum voluntatis: ergo. Min. vero prob. nam ſi datur actio intellectus, quæ ſit pura relatio, cum detur actio intellectus, quæ ſit abſoluta, erit neceſſe diſtinguere duos intellectus, alterum eſſentialem, & alterum notionalem; & ſi datur ſpiratio, quæ ſit pura relatio, cum detur actio voluntatis abſoluta, dabitur etiam duplex voluntas, altera abſoluta, altera pure relativa, quæ quidem non admittuntur à Theologis: ergo. Explicatur hoc, etenim Thomiſtæ contra Scotum aſſerentem dictionẽ non eſſe formaliter intellectionem, ſed eſſe actionem diſtinctam, arguunt, ſequi ex hoc dari duos intellectus, quorum alter ſit pure intellectivus, & alter ſit pure productivus, quia potentiæ diſtinguuntur per actus, & iuxta naturam actuum debent multiplicari potentiæ, & ſic, ſi datur actio intellectus, quæ eſt pura intellectio, & actio, quæ eſt mera productio, dabuntur duo intellectus, alter pure contemplativus, & alter mere productivus: ſic ergo argumentabimus in præſenti, datur actus intellectus, qui eſt pura relatio, & actus intellectus, qui eſt quid abſolutum: ergo dabuntur duo intellectus, alter abſolutus, alter pure relativus.

438 Sanctus Tho. hoc quæſitum reddit difficile, dum in ſolutione ad ſecundum ita habet: *Dicendum, quod actus notionales ſecundum modum ſignificandi tantũ differunt à relationibus perſonarum, ſed re ſunt omnino idem: unde Magiſter dicit in primo ſent. quod generatio, & nativitas alijs nominibus dicuntur Paternitas, & filiatio. Ad cuius evidentiam attendendum eſt, quod primo oportet cognoſcere originem alicuius ab alio ex motu, quia enim aliqua res à ſua diſpoſitione removeretur per motum, manifeſtum fuit, hoc ab aliqua cauſa accidere, & ideo actio ſecundum primam nominis impoſitionem importat originem motus; ſicut enim motus, prout eſt in mobili ab aliquo, dicitur paſſio, ita origo ipſius motus ſecundum quod incipit ab alio, & terminatur in id, quod movetur, vocatur actio: remoto igitur motu, actio nihil aliud importat, quam ordinem originis, ſecundum quod à cauſa aliqua vel principio procedit in id, quod eſt à principio: unde cum in divinis non ſit motus, actio perſonalis producentis perſonã nihil aliud eſt, quam habitudo principij ad perſonam, quæ eſt à principio; quæ quidem habitudines ſunt ipſa relationes, vel notiones. Quia tamen de divinis, & intelligibilibus loqui non poſſumus niſi ſecundum modum rerum ſenſibilium, à quibus cognitionem accipimus, & in quibus actiones, & paſſiones in quantum motum implicant, aliud ſunt à relationibus, quæ ex actionibus, & paſſionibus conſequuntur, oportuit ſeorſum ſignificari habitudines perſonarum per modum actus, & ſeorſum per modum relationum. Et ſic patet, quod ſunt idem ſecundum rem, ſed differunt ſolum ſecundum modum ſignificandi.* Sic D. Tho. Quibus videtur non admittere aliam actionem præter ipſam relationem, quæ quidem vix capi poſſunt. Nam habitudo principij actu producentis non eſt ipſa productio, ſed potius ex productione oritur; at actio, qua principium producit eſt vera productio: igitur ipſa habitudo intranſitive ad aliam formalitatem nequit eſſe actus notionalis. Præter quã quod, generatio divina non eſt pura habitudo intelligentis in actu primo, ſed intelligentis in actu ſecundo: ergo ipſa intellectio modificata relatione generantis erit ipſa generatio. & non ipſa pura habitudo intelligentis: Unde placet intelligere D. Tho. ſic, quod

quod actus notionalis ſecundum id, quod addit ad actum eſſentialem, non eſt quia diſtinctum à relatione, ſed eſt ipſamet habitudo, vel relatio perſonalis: vnde actus notionalis, qui eſt generatio, erit ipſa diuina intellectio prout modificatur ipſa relatione Paternitatis: ſic quod diſtinctio actus notionalis ab eſſentiali ſit penes includens, & incluſum, ad hunc ſenſum, quod eſſentialis ſolum dicat eſſentialia; notionalis vero, & dicat eſſentialia, & addat ad illa relationẽ per modum connotati, vel per modũ modificãtis actum eſſentialem: eo prorſus modo, quo potentia generatiua dicit intellectum connotando relationem Paternitatis.

Hinc ad difficultates propoſitas. Ad Boetium dico, quod omnia genera entium præter relationem mutantur in Deo in diuinam ſubſtantiam ſaltim quo ad rectum, non vero quo ad rectum, & obliquum: vnde, cum actus notionalis quo ad rectum dicat quid abſolutum, & quo ad ſolum obliquum dicat relationem, authoritas Boetij non facit contra noſtram reſolutionem. Ad Auguſtinum etiam dico, quod omne, quod de Deo dicitur in recto, vel eſt ſubſtantia, vel relatio; cum quo bene ſtat, quod dentur prædicata diuina, quæ quo ad rectum ſint ſubſtantia, id eſt, abſolutum, & quo ad connotatum ſint relatio: ſicut de potentia generatiua negare nequit Auguſtinus, quæ dicit abſolutum modificatum relatione Paternitatis: ſic etiam de actu notionali. Ad aliam difficultatem ex ratione petitam, dico, quod actus notionales quo ad id, quod addunt ſuper eſſentiales, ſunt ipſemet habitudines reales Patris, Filij, & Spiritus Sancti; non vero quo ad omnia, quæ includũt, tam quoad rectum, quam quoad obliquum. Aliæ difficultates, quæ ſuper adduntur probãt noſtram reſolutionem, & quod iuxta illam debeat intelligi D. Thom.

§. II.

Vtrùm actus notionales ſint voluntarij?

439 ACTVS Voluntarius ille eſt, qui voluntate fit, ſed eſſe, vel fieri voluntate, ſtare poteſt dupliciter: vno modo, vt ablatiuus deſignet concomitantiam tantum; ſicut poſſumus dicere, quod ego ſum homo mea voluntate, quia ſcilicet volo me eſſe hominem, & hoc modo poteſt dici, quod Pater genuit Filium voluntate, ſicut, & eſt voluntate Deus, quia vult ſe eſſe Deum, & vult ſe generare Filium: alio modo ſic, quod ablatiuus importet habitudinem principij, ſicut dicitur quod artifex operatur voluntate, quia voluntas eius eſt principium operis; & ſecundum hũc modum dicendum eſt, quod Deus Pater non genuit Filium voluntate, ſed voluntate produxit creaturam: vnde in libro de Synodo, qui habetur inter opera Hilarij circa medium ſic dicitur: *Quod ſi quis voluntate Dei tanquam vnum de creaturis Filium factum dicat, anathema ſit.* Rationem huius eam aſſignat D. Tho. *quia voluntas, & natura differunt in cauſando, quia natura determinata eſt ad vnum, ſed voluntas non eſt determinata ad vnum; cuius ratio eſt, quia effectus aſſimilatur formæ agentis per quam agit, manifeſtum eſt autem, quod vnius rei non eſt niſi vna forma naturalis, per quam res habet eſſe: vnde quale ipſum eſt, tale facit; ſed forma per quam voluntas agit non eſt vna tantum, ſed ſunt plures ſecundum quod ſunt plures rationes intellectæ: vnde quod voluntate agitur non eſt tale, quale eſt agens, ſed quale vult, & illud intelligit eſſe agens; eorum igitur voluntas principium eſt, quæ poſſunt ſic, vel aliter eſſe; eorum autem, quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, principium natura eſt, quod autem poteſt ſic, vel aliter eſſe, longe eſt à natura diuina; ſed hoc pertinet ad rationem creaturæ. Quia Deus eſt per ſe neceſſe eſſe, creatura autẽ eſt facta ex nihilo: & ideo Ariani volentes ad hoc deducere quod Filius ſit creatura, dixerunt, quod Pater genuit Filium voluntate, ſecundum quod voluntas deſignat principium.* Sic D. Thom.

Sed iſta difficultatem habent. Nam Spiritus Sanctus producitur voluntate concurrente per modum principij ad eius proceſſionem; & tamen Spiritus Sanctus non poteſt ſic, vel aliter eſſe, quia ens per ſe neceſſarium eſt: ergo falſo dicit D. Tho. quod ſola ea, quæ poſſunt ſic, vel aliter fieri, producuntur à voluntate concurrente per modum principij. Si reſpondeatur cum Caietano, quod voluntas accipitur tripliciter; primo pro potentia volitiua, ſecundo pro voluntate operante vt natura, tertio pro voluntate vt libera: Spiritus ergo Sanctus procedit voluntate concurrente vt principio, dupliciter, primo, quia producitur per voluntatem, ſecundo, quia producitur per voluntatem operantẽ neceſſario, & ad modum naturæ, non tamen procedit voluntate operante vt libera: quod autem D. Tho.

Digitized by Google

dicit,quod ſolum ea, quæ procedunt ſic, quod poſſunt non procedere, fiunt voluntate concurrente vt principio, loquitur de voluntate vt libera, & ſic nulla eſt contradictio.

Sed contra hoc ſic argumentor. Nam ſi hæc ſunt vera, & de mente D. Thom. ſequitur, quod ex diſcrimine aſsignato inter ea,quæ procedunt à natura, & ea,quæ procedunt à voluntate vt principio, non probetur generationem Filij non eſſe à voluntate vt principio, ſed ſolum probetur non eſſe à voluntate vt libera,& ſic non probabitur generationē divinam non eſſe voluntariam voluntate vt principio concurrēte. Prob.prima Sequela. Nam, vt generatio ſit voluntaria voluntate concurrente vt principio, non requiritur, quod procedat à voluntate vt libera;nam Spiritus Sanctus procedit à voluntate vt principio, & non procedit ab illa vt libera,ſed procedit ab illa vt à potentia volitiva,& vt à volente per modum naturæ;at ex hoc, quod generatio ſit ens per ſe neceſſarium, ſolum iuxta doctrinam datam probari poteſt, quod non ſit à volūtate vt libera:ergò ex diſcrimine aſsignato inter ea, quæ procedunt à natura, & ea,quæ fiunt voluntate, ſolum probabitur, quod generatio Verbi divini non ſit libera, non verò quod non ſit voluntaria, voluntate concurrente vt principio.

Secundo infero, falſo etiam intuliſſe D. Thom. quod Arriani volentes ad hoc deducere,quod Filius ſit creatura,dixerunt quod Pater genuit Filium voluntate,ſecundum quod voluntas deſignat principium, quaſi ex hoc;quod Arriani dicerent, quod Pater genuit Filium voluntate concurrente per modū princip j, vellit inferre, quod Filium ponerent creaturam:etenim per veritatē, Spiritus Sanctus verus Deus ſit à voluntate vt principio : ergo ex hoc quod Arriani dicerent Patrem genuiſſe Filium voluntate,non licet inferre, quod Filium ponerent creaturam.

440 Ad hoc admitto doctrinam Caietani, & nego quod Div. Thom. non probat ex diſcrimine aſsignato,quod Pater non genuerit Filium, voluntate concurrēte vt principio: etenim hoc adeſt diſcrimen inter opera neceſſaria ex vi terminorum ſpectantia ad alias potentias à voluntate diſtinctas,& opera ſpectantia ad ipſam voluntatem, ſicut ſunt actus propriæ voluntatis, vel impulſus producti per illos : cum enim reſpectu horum omnium voluntas eſſentialiter comparetur vt principium, ſive illa ſint neceſſaria, ſive libera:ſemper fiunt voluntate concurrente vt principio ; non ſic autem de alijs operibus ſpectātibus ad alias potentias,nam ſi potentiæ ſint à natura determinatæ quoad ſpeciem, & exercitium ad aliqua opera, illa opera fiunt independēter à voluntate tāquam à principio,quamvis fiant voluntate concomitanter ſe habente : ſi autem talia opera non neceſſariò procedant ab alijs potentijs, ſic eſt neceſſarium,quod voluntas,cum ſit primum movens quoad exercitium, moveat illas, vt exeant in ſuos actus, & ſic eſt neceſſe,quod talia opera fiant voluntate concurrente per modum principij:cum ergo generare Patrē divinum Filium non ſit opus volūtatis, ſed intellectus, & ſit opus ex ipſa rei natura determinatum, non poteſt voluntas in illud habere influxum ; vnde ex hoc quod illud opus ex natura rei eſt neceſſe vt fiat, rectè probatur, quod non fiat voluntate vt principio, quia voluntas tantum concurrit vt principium ad opera intellectus, quæ ſic fiunt, quod poſſunt non fieri, vel aliter fieri.

Hinc etiam convincitur, quod ex hoc quod Arriani dicerent, Patrem generare Filium voluntate vt principio, rectè infertur, illos ponere Filium Dei eſſe creaturā; quia ad opera intellectus, quæ non poſſunt non fieri,voluntas non concurrit vt principium;ſed tantum ad illa,quę ſic fiunt,quod vel poſſunt non fieri,vel aliter fieri:vnde ſi Filius generaretur à Patre voluntate concurrente vt principio, Filius non eſſet ens neceſſarium,& ſic eſſet creatura.

§. III.

Vtrùm proceſſio Spiritus Sancti ſit libera?

441 DIXERAT D.Thom. in hoc articulo 2. ſolutione ad 5. quod Spiritus Sanctus procedit vt Amor in quantum Deus amat ſeipſum:vnde naturaliter procedit quamvis per modum voluntatis procedat. Huic dicto ſe opponit Scotus in primo diſt. 2. in quæſtione de numero divinarum perſonarum. Et in diſt. 10. eiuſdem,& in quodlibetis quæſt. 16. tenens Spiritum Sanctum procedere libere, conaturque infringere diſtinctionem aſsignatam à D. Thom. de proceſſu à voluntate per modum naturæ, & de proceſſu à voluntate vt libera, prætendens nullum opus

opus procedere à voluntate niſi libere. Sequiturque in hac parte Scotum eius Schola, vt in plurimum, diſtinguens duplex genus libertatis, aliud libertatis neceſſariæ, & aliud libertatis contingentis: dicit ergo Spiritum Sanctum procedere libere libertate eſſentiali, non vero libertate contingenti. Oppoſitum autem tenent cum D. Thom. hic omnes Theologi extra Scholam Scoti. Vnde ſit pro veritate concluſio.

Spiritus Sanctus procedit à voluntate Patris, & Filij per modum naturæ operantis, non vero libere. Prob. ſi Spiritus Sanctus procederet libere, non procederet ex neceſsitate impoſita volūtati à natura ad eius productionem; ſed procedit ex neceſsitate impoſita voluntati divinæ ad eius productionem: igitur nō procedit libere, ſed procedit à voluntate per modum naturæ. Cōſ. eſt bona & probo præmiſſas Mai. quidem. Nam opus aliquod procedere ab aliqua potentia per modum naturæ, non poteſt alio modo explicari niſi per hoc, quod procedat ab illa ex neceſsitate ei impoſita à natura ad eius productionem: ergo Mai. eſt vera. Min. ſic diſcurro. Spiritus Sanctus ſic procedit à voluntate divina, quod nunquā fuit in poteſtate voluntatis divinæ non producere Spiritum Sanctum; ergo neceſsitatē ad producendum Spiritum Sanctum volūtas divina non ſibi præſcripſit, ſed hauſit à natura, ex qua oritur: ergo procedit à volūtate determinata à natura ad productionem ſui.

Prob. ſecundo eadem Min. libertas deſcendit ad voluntatem medio intellectu proponente illi liberū amabile: ergo quando intellectus ex ipſa rei natura eſt neceſsitatus ad proponendum hoc determinate amabile, ſic quod non poteſt non proponere illud voluntati vt amandum, voluntas nequit libere amare, ſed amabit neceſſario neceſsitate illi à natura derivata medio intellectu; ſed intellectus Patris, & Filij ſic habet proponere amorē mutuum ſui, quod ex quo intellectus divinus eſt, non potuit non proponere præfatum amorem voluntati: igitur Spiritus Sanctus procedit ex amore voluntatis amantis per modum naturæ, & non libere. Prima Cōſ. videtur bona. Et Min. ſubſumpta prob. nam ea, quæ conveniunt intellectui independenter ab actu voluntatis, conveniunt ei ex neceſsitate derivata à natura, cuius eſt intellectus; ſed proponere amorem mutuum Patris, & Filij, ex quo procedit Spiritus Sanctus, convenit intellectui neceſſario neceſsitate non orta ex voluntate, nam convenit ei præfata neceſsitas ante omnem actum voluntatis: ergo præfata neceſsitas convenit intellectui ex natura, cuius intellectus eſt.

Audivi ſolutionem huic argumento aſsignatam a quodam Sapientiſsimo Franciſcano conſiſtentem in eo, quod cum voluntas non poſsit cogi ab intellectu ad amplexum illius, quod illi proponit: fit Conſ. quod quantumvis neceſſario neceſsitate naturali intellectus voluntati proponat amabile, illa tamen libere vult, quia ſolum amat, & ſequitur intellectum, quia vult ſequi illum, non quia neceſsitetur ad amplexum obiecti neceſſario propoſiti: vnde ex hoc quod intellectus divinus neceſsitate orta ex natura proponat amorem mutuum Patris, & Filij voluntati, non ſequitur, quod illa libere non amet Spiritum Sanctum.

Sed inſtabam ſic, quamvis voluntas à nemine cogatur, quia velle opponitur coactioni, tamen poſtquam divinus intellectus ſic neceſſario proponit voluntati amorem mutuum Patris, & Filij, ipſa non poteſt velle oppoſitum, nec poteſt non velle præfatum amorem: ergo iuxta naturam neceſsitatis intellectus in proponendo, ipſa neceſsitatur in amando: ergo, dum intellectus ex neceſsitate naturæ amandum proponit, voluntas quoque eadem neceſsitate amat. Rurſus inquirebam. Ex quo habet voluntas, quod facta hac propoſitione non poſsit non amare? Non habet ex ſe: ergo ex natura. Min. probo, nam ſi ex ſe ſola illā haberet, ſic amaret, quod potuiſſet non amare, & non ſic amat, quod potuit non amare: ergo illam neceſsitatem non habet ex ſe.

Dices talem neceſsitatem habere ex ſe, & non à natura, quia non cogitur ad amorem, & ſi haberet à natura cogeretur ad amandum. Sed contra ſic inſurgo, nam Pater divinus à natura ſua eſt determinatus ad generandum Filium, & tamen non coactus Filium generat, alias neque voluntate concomitanter ſe habente generaret illum; illa enim, quæ coacte agimus, cum renitentia propriç voluntatis agimus: ergo eſto voluntas naturaliter, & non libere Spiritum Sanctum produceret, non diceretur cogi ad productionem Spiritus Sancti. Præterea, coactio fit ab agente extrinſeco paſſo non conferente vim; at cum ipſa natura voluntatis ſit ipſiſsima voluntas divina, vis ab

ex-

Digitized by Google

extrinſeco voluntati divinæ advenire non poſſet: ergo quantumvis naturaliter Spiritum Sanctum produceret, non coactè illũ produxiſſet.

Explicatur hoc. Quæ naturaliter fiunt, à principio intrinſeco fiunt, quæ coactè fiunt, ab extrinſeco procedũt; vnde iſta vocantur violenta, non naturalia. Quis enim dicet, quod, quia grave ex natura ſuæ gravitatis movetur in centrum, moveatur violenter, ſeu coactè? Illa autem vocantur naturalia: ergo, cum voluntarium ſit à principio intrinſeco cum cognitione finis, nullam habebunt inter ſe oppoſitionem, fieri voluntarie, & fieri naturaliter: ergo ſtabit bene, quod amor, ex quo procedit Spiritus Sanctus, naturalis ſit, & voluntarie fiat. Itaque, licet aliquid nequeat eſſe naturale tantum, & voluntarium, quia hoc ſecundum addit ſupra primum fieri cum cognitione finis, tamen eſſe naturale, & eſſe voluntarium oppoſitionem habere non poſſunt. Pono exemplum, quia ſupra vegetativum, ſenſitivum addit ſenſibilitatem, etiò implicet aliquid eſſe vegetativum tãtum, & eſſe ſenſitivum, tamẽ optime ſtat, quod aliquid ſit vegetativum, & ſimul ſit ſenſitivum, vt per ſe patet: ergo, quia voluntarium addit ſupra naturale, quod fiat cum cognitione, licet implicet aliquid fieri naturaliter tantum, & fieri voluntarie, tamen non implicabit aliquid fieri naturaliter, & fieri voluntarie: ergo ſtabit bene, proceſsionem Spiritus Sancti eſſe naturalem, & voluntariam. Quod ſi voluntaria eſt coacta non eſt: ergo ſtabit eſſe naturalem, & non eſſe coactam.

§. IV.

Solvuntur Argumenta Scoti.

442 PRIMO Arguit Scotus voluntas, & natura habẽt diſtinctos modos principiandi, ita quod nec ambo reducuntur in tertium, neque alter in alterum, & neuter dicit imperfectionẽ: ergo, nec natura poteſt libere operari, nec voluntas naturaliter. Prob. Ant. quoad primam partem, quia natura eſt de ſe determinata ad agendum; voluntas autem non ex ſe naturaliter inclinatur; ſed ſeipſam determinat ad exercitium operis: ergo habent diſtinctos modos principiandi, quod vnus non reducatur in alterum. Probatur ſecunda pars, quia tunc alterum ſecundum ſe totum eſſet imperfectum, quod nequit admitti, cum ambo perfecti ſint: ergo. Confir. quia oppoſiti modi agendi primo diſtinguentes potentiam activam, non ſunt eiuſdem potentiæ activę; ſed libere, & naturaliter operari ſunt huiuſmodi: ergo. Prob. Min. ex Ariſt. tam in Phyſica quam in Metaphyſica ponente primas differentias principij activi naturale, & liberum, ſub diverſis tamen nominibus; nam in ſecundo Phyſic. vocatur liberum à propoſito, & in 9. Metaphyſ. potentia libera vocatur rationalis. Confir. ſecundo quia voluntas tendit in ea, quæ ſunt ad finem vt potentia libera: ergo ſub ratione potentiæ liberæ tendit etiam in ipſum finem. Patet Conſ. quia eadem eſt potentia reſpectu vtriuſque, & ſic non erit libera reſpectu mediorum, & naturalis reſpectu finis.

Ad hoc argumentum, nego Ant. pro illa parte, qua negat vnum non reduci ad alterum; reducitur enim liberum ad naturale; habet enim ſe liberum ad naturale, vt multa ad vnũ, vt motus ad immobile, & vt varium ad vniforme, & propterea eſt neceſſe, quod liberum oriatur à naturali, & fundetur in ipſo, ſit quæ ipſius effectus, vt optime demonſtrat D. Thom. infra quæſt. 6. art. 2. vbi ſic ait: *Dicendum, quod in Angelis eſt quædam dilectio naturalis, & quædam electiva, & naturalis dilectio in eis eſt principiũ electivæ, quia ſemper id, quod pertinet ad prius habet rationem principij: vnde cum natura ſit primum, quod eſt in vnoquoque, oportet quod id, quod ad naturam pertinet, ſit principium in quolibet. Et hoc apparet in homine quantum ad intellectum, & quantum ad voluntatem: intellectus enim cognoſcit principia naturaliter, & ex hac cognitione cauſatur in homine ſcientia concluſionum, quæ non cognoſcuntur naturaliter ab homine, ſed per inventionem, vel doctrinam: ſimiliter in voluntate finis hoc modo ſe habet, ſicut principium in intellectu, vt dicitur in ſecundo Phyſic. vnde voluntas naturaliter tendit in ſuum finem vltimum, omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem; & ex hac naturali voluntate cauſantur omnes aliæ voluntates, cum quiquid homo vult, vellit propter finem. Dilectio igitur boni, quod homo naturaliter vult, ſicut finem, eſt dilectio naturalis, dilectio autem ab hac derivata, eſt dilectio electiva.* Sic dilucide probat D. Th. liberũ oriri, fundari, & cauſari à naturali. Et ad prob. in contra; quia ſequeretur, quod liberũ ſecundum totũ genus ſuũ eſſet imperfectum, dico, eſſe imperfectum nega-

Digitized by Google

tive, non vero privative, quæ ſola imperfectio à divinis releganda eſt: ſic dico de naturali, & libero ex parte producentis, & ex parte rei productæ, dico, quod in realiter producto, productio libera dicit imperfectionem, quoniam dicit ſic, & aliter ſe habere poſſe, & loquor de productione paſſive ſumpta, nam activa non eſt producta, ſed eſt ipſa actio libera Dei, quæ potuit eſſe, & non eſſe pure terminative propter imperfectionem creaturæ productæ: vnde prorſus ruit argumentum Scoti, & hinc, quia ex parte rei productæ dicit libertas imperfectionem, non poteſt poni libertas in Deo reſpectu productorum ad intra, quæ, cum entia omnino neceſſaria ſint, imperfectionem habere non poſſunt.

Ad Confir. dico, quod modi agendi oppoſiti, quando ſe habent vt prius, & poſterius intra eandem rationem obiectivam potentiæ activæ, non variant potentiam activam: liberum autem & naturale ſic cõparantur, vt vidimus, intra rationem boni, quod eſt ſpecificativum voluntatis, & ſic abſque vllo inconvenienti ponuntur eſſe eiuſdem potentiæ activæ; hacque de cauſa intellectus principiorum, & ratio, quia intra rationem veri comparantur vt prius, & poſterius eidem intellectui poſsibili conveniunt. Ad ſecundam Confirm. nego Conſ. ad prob. dico, quod licet ſit eadem potentia volitiva, quæ tendit ad finem, & ad ea, quæ ſunt ad finem, non tamen ſub eadem ratione tendit ad vtrumque: vnde non ſequitur, quod ſi ad media tendit libere, ſic etiam libere tendat ad finem. Et iſtud evidenter in hac; eiuſdem potentiæ ſunt tendere in concluſiones, & tendere in principia: ergo ſi tẽdere in concluſiones convenit intellectui rationabiliter, ita & tendere in principia. Ant. eſt verum, & Cõſ. falſum, & hoc propter eandem rationem, quia licet idem intellectus tendat in vtrumque, ſub alia tamẽ, & alia ratione tendit; nam in principia tendit vt intellectus principiorum, & ad concluſiones tendit vt ratio.

Sed inſtas; diximus ſupra, quod naturaliter tantum operari, & libere tantum operari non poſſunt convenire eidem potentiæ; ſed actio, qua voluntas fertur in vltimum finem eſt tantum naturalis in noſtra ſententia, & actio, qua fertur in media eſt tantum libera: ergo, debemus aſſerere, quod non poſſunt convenire eidem potentiæ. Ad hoc diſtinguimus Mai. ſumendo ly *operari* naturaliter, & libere pro ipſo exercitio, & actu operationis, nego Mai. ſumendo pro principio operativo concedimus Mai. & conceſſa Min. diſtinguo Conſ. ſumendo ſolas actiones, nego Conſ. ſumendo principia operativa, concedo Conſ. Itaque nos diximus, quod ſicut eſſe tantum principium vegetandi, & eſſe ſimul principium ſentiendi non poſſunt eidem animæ convenire, bene tamen eſſe principium vegetandi tantum, & ſentiendi tantum poſſunt eidem animæ convenire ly *tantum* determinante actionem non principium actionis cum videmus quod eadem anima elicit vnam operationem, quæ tantum eſt vegetatio, & elicit aliam, quæ tantum eſt ſenſatio: ita eſſe principium tantum operandi naturaliter, & tantum operandi libere, eidem principio convenire non poſſunt, quia ly *tantum* determinat principium; tamen bene ſtat quod idem principium eliciat vnã operationem, quæ ſit tantum naturalis, & aliam, quæ ſit tantum libera propter ſubordinationem, quam illa duo habent intra rationem obiectivam ſpecificantem eandem voluntatem.

443 Secundo arguitur, & probari prætenditur quod libertas bene componatur cum neceſsitate, & ſic ex hoc quod proceſsio Spiritus Sancti eſt neceſſaria, non bene inferatur, quod non ſit ſimul libera. Cõditio intrinſeca potentiæ abſolutæ, vel in ordine ad actum perfectum non repugnat perfectioni in operando; ſed libertas eſt conditio intrinſeca potentiæ abſolutæ, vel in ordine ad actum perfectum: ergo poteſt ſtare cum cõditione perfecta poſsibili in operando: hæc autem conditio perfecta poſsibilis eſt neceſsitas: ergo non repugnabit ſtare ſimul cum libertate. Confir. firmitas operationis perficit operationem; ſed neceſsitas importat firmitatem operationis: ergo perficit operationem liberam, & ſic ſtabit cum illa. Confir. ſecundo, illę diviſiones, quibus dividitur principium activum in neceſſarium, & contingens, & in naturale, & liberum non ſunt eędem, ſed diverſæ; ſed poteſt aliquod principium naturaliter agere, & contingenter agere, quia poteſt impediri: ergo, & poterit aliquod principium libere agere, & neceſſario agere. Tandem confirmat hæc omnia Scotus authoritate Auguſtini dicentis, *aut voluntas non eſt; aut libera eſt, qua beati ſic eſſe volumus, vt eſſe miſeri non ſolum non velimus, ſed nequaquam velle poſsimus*. Ergo iuxta Auguſtinum non eſt actus voluntatis, qui non ſit liber.

Ad

Digitized by Google

Ad hoc argumentum diſt. Min. ſed libertas eſt conditio intrinſeca potentiæ abſolutæ in ordine ad actum perfectum, perfectum quacumque perfectione potenti convenire actui voluntatis, nego Min. actui tantum libero, conc. Min. & diſt. Conſ. ergo poterit ſtare cum conditione perfecta poſſibili in operando, in operando libere, côc. Conſ. in operando omni modo, quo voluntas operari poteſt, nego Conſ. & ad Min. ſubſumptam, diſt. hæc autem conditio perfecta poſsibilis in operando eſt neceſsitas poſsibilis operationi liberæ, nego Mi. operationi non liberę, conc. Min. ergo poterit ſtare cum libertate, nego Conſ. Itaque potentia vt libera in operando ſolum poteſt perfici illa perfectione, quæ non deſtruit liberam operationem; neceſsitas autem in operando, eſto perfectio ſit poſsibilis convenire voluntati, non tamen eſt poſsibilis convenire illi vt libere operatur: nam libere operari eſt ſic operari, quod operans poſſit non operari: neceſſario autem operari eſt ſic operari, quod operans non poſsit nô operari; & ſic quamvis neceſſario operari ſit perfectio in operando; nô tamen eſt perfectio compoſsibilis cum operatione libera: vnde licet vtrumque valeat convenire eidem voluntati diviſive, non tamen copulative in ordine ad eundem actum.

Ad confir. diſt. Min. ſed neceſsitas importat firmitatem operationis, operationis liberæ, nego Min. operationis neceſſariæ, conc. Min. & nego Conſ. Itaque vnũquodque debet perfici eo modo, quo ſibi non repugnat; & ſic operatio libera debet perfici firmitate, quæ non deſtruat libertatem, ſed illa firmitas non eſt, quam importat neceſsitas ſimpliciter dicta, ſed eſt tantum neceſsitas immutabilitatis, quæ quidem tantum ſecundum quid neceſsitas dici poteſt: vnde ſtat bene, quod aliquid fiat libere, & immutabiliter fiat; non tamen quod neceſſario ſimpliciter fiat. Ad ſecundam confir. nego Conſ. quia naturaliter agere, & contingenter agere non opponuntur ex terminis, ſed ſolum opponuntur in naturaliter agente primo, nulli ſuperiori ſubordinato, quod poſsit eius actionem impedire: in agẽtibus autem ſubordinatis Deo in operando, nullam habent oppoſitionem, quia contingenter agere eſt ſic agere, quod poſsit eius actio ab aliquo ſuperiori agente impediri, quod convenit omni cauſæ ſecundæ reſpectu Dei; at libere operari, & neceſſario ſimpliciter operari pugnant ex terminis, & in omni materia, quia libere agere eſt ſic agere, quod agens poſsit non agere; neceſſario agere eſt ſic agere, quod agens ex vi terminorum non poſsit non agere, quæ inter ſe contradictorie opponuntur, & ſic nequeunt eidem actioni convenire.

Ad authoritatem Auguſtini dico quod ibi nomine voluntatis non vtitur Auguſtinus ad ſignificãdum potentiam volitivam, ſed vtitur ad ſignificandum actum voluntatis, quo volumus eſſe beati, qui actus, eſto ſit neceſſarius quoad ſpecificationem, eſt tamen liber quoad exercitium. De illo ergo appetitu dicit Auguſtinus quod, *aut voluntas non eſt*, quia poterat dubitari de illo, an eſſet tantum appetitus innatus, & non elicitus, *aut libera eſt*, id eſt, aut ſi actus volũtatis eſt, liber eſt libertate quoad exercitium, quia non ſemper in actu deſideramus beatitudinem.

In fine huius quæſiti adverto, quod licet concedatur iſta, *Spiritus Sanctus procedit naturaliter*: non tamen debet concedi iſta, *Spiritus Sanctus procedit ad modum naturæ*. Ita tenet D. Thom. de pot. quæſt. 10. art. 2. ad 4. ibi: *Sicut ergo Filius naturaliter procedit à Patre, ita Spiritus Sanctus naturaliter procedit ab eo, vt Amor; nec tamen procedit per modum naturæ: hoc enim procedere dicitur in divinis per modum naturæ, quod procedit ſicut ea, quæ in creaturis à natura producuntur, & non à voluntate. Sic ergo differt naturaliter produci, & produci per modum naturæ: dicitur aliquid produci naturaliter propter naturalem habitudinem, quam habet ad ſuum principium, per modum vero naturæ dicitur produci, quod producitur ab aliquo principio ſic producente, ſicut natura producit.*

§. V.

Vtrum ante actum generationis divinæ detur in Deo actus, quo vellit generare?

444 DIXERAT D. Thom. generationem divinam eſſe ſolum concomitanter volitam, non antecedenter, ſic quod voluntas habuerit aliquem influxum in illam. Modo nunc inquirit, an præceſſerit aliquis actus divinæ voluntatis ipſam generationẽ ratione cuius Deus voluerit generare Filium, vel Pater voluerit Filium generare? Super quod Caietanus, §, circa primã concluſione, ita loquitur, adverte quod voluntas concomitãs

vocatur voluntas comparata ad aliquid vt ad obiectum præciſe; voluntas autẽ principians vocatur voluntas cõparata ad aliquid vt cauſa, ſeu principiũ ad effectũ, & propterea voluntas concomitans poteſt inveniri dupliciter, ſcilicet antecedenter, ſicut cum deſidero pluviã futurã, & conſequenter, ſicut cum placet pluvia, quę eſt, aut fuit. Vtrũ autẽ concluſio prima verificetur de voluntate concomitante, & prius, & poſt ſecundũ intellectũ, an non? in littera non exprimitur. Scotus tamẽ in 1. diſt. 6. tenuit partẽ affirmativã, quã credo conſonã S. Thomæ. Tum, quoniã ſupra q. 33. art. 3. ad primum docuit, quod abſoluta ſunt priora notionalibus: conſtat autẽ quod velle generationẽ Filij, ſicut velle etiã eſſentiam divinam eſt abſolutũ, communeque toti Trinitati: ergo prius Pater vult generationẽ Filij, quã generet. Tum etiã, quia par videtur ratio de proceſsione Spiritu S. quam conſtat prius amari ſecundũ rationẽ, quã oriri: quoniam Pater amando ſe, & Filium & Spiritũ Sanctum & ipſam ſpirationẽ, ſpirat Spiritũ S. Caietanũ ſequitur Nazarius hic. Alia ſententia affirmat voluntatẽ generandi nullo modo procedere ipſam generationẽ, neque origine, neque natura, ſed poſtquã Filius genitus eſt, Patrẽ gaudere de illa generatione: hunc autẽ amorẽ eſſe communẽ toti Trinitati. Ita tenent Suarez lib 6. de Trin. c. 3. & 4. Vazquez diſp. 160. c. 3. & 4. Navarrete hic, contr. 34. & Ruiz diſp. 93. ſect. 1. & 2.

Circa huiuſmodi quæſitum vnũ eſt certum, nempe quod actus voluntatis divinæ non potuit præcedere generationẽ divinã, ſicut actus deſiderij præcedit rẽ deſideratã. Deſiderium enim tantum eſt de re, quæ nõ exiſtit ſimul cum ipſo deſiderio, nõ enim deſideramus habere niſi ea, quæ nondum habemus; ſed eſſentialia non præcedunt notionalia in aliquo ſigno *in quo* etiã rationis: igitur non potuit præcedere actus divinæ voluntatis divinam generationem per modum deſiderij illius.

445 Dico ergo, generationẽ non pręcedit actus divinæ voluntatis, qui feratur ad illa n anteqũ egrediatur à Patre generante, ſed eſt omnino ſimul cum ipſa generatione. Probatur primo. Si actus voluntatis præcederet generationẽ, non poſſet non præcedere illã, quia non præcederet libere, ſed neceſſario: ergo generatio procederet ex imperio divinæ voluntatis, & ſic Filius generaretur voluntate vt principio ſaltem imperante, quamvis non efficiente; at hoc dici non valet: ergò neque primum. Prob. prima Conſ. nam quotieſcumque actus voluntatis per ſe præcedit actionem, vel factionem alicuius operis, toties tale opus non poteſt fieri, niſi voluntas prius vellit vt fiat; ſed hoc eſt opus fieri ex imperio voluntatis: igitur ſi actus voluntatis generandi per ſe præcederet ipſam generationem, hæc procederet per ſe ex imperio divinæ voluntatis. Explicatur hoc; tunc aliquod opus non procedit ex voluntate præcedenti vt imperante, quando opus eſt talis qualitatis, & conditionis, quod etiam ſi actus voluntatis non procederet, independenter ab eo opus tale fieret; ſed ſi actus voluntatis generandi neceſſario, & per ſe præcederet generationem, generatio non fieret, niſi talis actus voluntatis generandi præcederet: ergo ſi ponatur voluntatem generandi neceſſario præcedere generationem, generatio procedet ex imperio voluntatis.

Confirm. in divinis in linea eſſendi ſi vnum attributum neceſſario virtualiter eſt prius altero, illud prius eſt cauſa virtualis huius alterius, vt patet in immutabilitate, & æternitate, in intellectu, & voluntate, ſimiliter in linea operandi, ſi vna operatio neſſario præcedit aliam, illa, quæ præcedit eſt cauſa virtualis, ſeu ratio formalis ſubſequentis, vt patet in electione, & imperio: nam, quia non poteſt intellectus divinus imperare niſi præcedat electio, electio habet influxum virtualem in imperium: ergo, ſi voluntas generandi neceſſario pręcederet generationem, talis voluntas haberet influxum in ipſam generationem; ſed non poteſt poni quod actus divinæ voluntatis generandi præcedat generationem, niſi ponatur, quod neceſſario præcedat illam: ergo nequit poni, quod generationẽ præcedat, niſi ponatur, quod ſit principium ſaltim imperans ipſius generationis.

446 Secundo prob. nam ſi voluntas generandi præcederet generationem, vel præcederet præcedentia *à quo*, vel præcedentia ſigni *in quo*; neutro modo poteſt dici quod præcedat: ergo. Prob. Min. quoad primam partem, nam in Deo nihil præcedit præcedentia *à quo*, quod non comparetur vt principiũ ad illud, quod præceditur, ſed actus voluntatis ad generationẽ Filij, vt omnes Theologi dicunt, nõ poteſt cõparari vt principiũ, vel vt cauſa virtualis: igitur nequit volũtas generãdi pręcedere genera-

tionem prioritate *à quo*. Prob. Min.quoad ſecundam partem, præcedentia ſigni *in quo* eſt prioritas ſecundum exiſtere; at ſecundũ exiſtere nullum prædicatum divinum poteſt eſſe prius altero: igitur talis voluntas generandi nequit præcedere in ſigno *in quo* ipſam generationem.

Dices, omnia divina ſimul exiſtere in omni ſigno *in quo* reali, non vero in ſigno *in quo* rationis, neceſſe eſt, quod omnia ſimul exiſtant, & ſic voluntatẽ generandi in ſigno *in quo* rationis eſſe priorem generatione. Sed contra eſt, nam licet verum ſit quod imperfectus intellectus noſter imperfecte intelligẽdo in vno ſigno rationis poſſit intelligere vnũ prædicatũ divinũ exiſtere, nõ intelligẽdo exiſtentiã alterius divini prædicati; nõ tamẽ poteſt intelligere, quod vnum divinum prædicatũ in vno ſigno rationis exiſtat, & ſimul intelligere, quod aliquod aliud divinũ prædicatum in illomet ſigno rationis non exiſtat: ergo etiã loquendo de ſigno *in quo* rationis nequimus dicere; quod duo prædicata divina non exiſtunt ſimul in eodem ſigno *in quo*. Pro Ant. nam intelligere quod vnũ prædicatũ divinum in vno ſigno *in quo* rationis exiſtat, & ſimul intelligere, quod aliud divinũ in illomet ſigno non exiſtat, eſt ponere, quod vnũ exiſtat, & aliud ſit tantum potens exiſtere, & ſit in ſtatu puræ poſſibilitatis; hic autem ſtatus divinus omnimode repugnat ob ſui manifeſtã imperfectionẽ: ergo. Itaque hic ſolet contingere æquivocatio. Nam aliqui, quia vident quod nos non concipimus divina ſimul, ſed ordine quodam conſumendo diverſa ſigna rationis in intelligẽdo, inferunt ex hoc, quod divina ſolum ſunt ſimul in eodẽ inſtanti reali, non vero ſunt ſimul in eodem ſigno rationis; quæ illatio eſt prorſus nulla. Nam ad auferendum à divinis ſimultatem in exiſtendo in omni ſigno *in quo* non ſufficit, quod ego in cognoſcendo divina conſumerem plura ſigna, ſed vlterius requirebatur, quod ego intelligerem in vno ſigno vnum divinum exiſtere, & ſimul intelligere poſſem aliud divinũ in illo ſigno non gaudere exiſtentia; hoc enim eſſet ponere prioritatẽ, & poſterioritatem in exiſtendo inter divina; at hoc ſecundũ facere non poſſumus, nam, vt dixi, eſſet Deo attribuere imperfectionẽ prorſus ei repugnantem; debemus ergo cõcedere primũ, & negare ſecundum.

447 Reſtat ergo ſolvere obiectiones, quas producit Dominus Caietanus. Ad primã ergo dico, quod dum D. Th. dicit quod abſoluta prædicata ſunt priora notionalibus, non vult quod abſoluta ſint priora, vel prioritate *à quo*, vel prioritate *in quo*, ſed tãtum vult, quod noſter intellectus prius intelligit abſoluta, quã intelligat notionalia; non quia prius intelligat exiſtere abſoluta, quã notionalia exiſtant: vnde ex hoc quod voluntas eſſentialis, qua amantur omnia divina ſit prior notionalibus, id eſt, prius intellecta à nobis imperfecte intelligentibus, non ſequitur, quod voluntas generandi præcedat ipſam generationẽ, habendo pro obiecto illã antequã exiſtat: ſunt ergo omnia ſimul, eſto nõ ſimul à nobis intelligantur. Ad ſecundã, nego ſuppoſitũ antecedentis, videlicet, quod voluntas ſpirandi præcedat ipſam ſpirationẽ, vel ortũ ipſius ſpirationis. Et ad prob. quod Spiritus Sanctus procedit ex amore, quo ſe, & Filiũ, & ſuã ſpirationẽ amat: ergo volũtas ſpirandi præcedit ipſam ſpirationem, Conc. Ant. & nego Conſ. amat enim Pater ſpirationẽ, quæ eſt ſimul cũ ſui amore, ſicut, & amat Spiritum Sanctũ, qui ſimul eſt cum amore, quo amatur: nam Spiritus Sanctus etiã procedit ex amore ſui, & tamen non eſt illo exiſtendo poſterior amore, ex quo procedit.

Sed vrgentius inſtatur in favorẽ ſententiæ Caietani. Pater per generationẽ communicat Filio omnia, quæ habet præter eſſe Patrẽ; ſed Pater amat generationẽ Filij: ergo eam cõmunicat Filio per generationẽ: ergo prioritate originis præcedit in Patre amor generationis ipſum exercitiũ generandi: nam omnia, quæ Filius accipit a Patre per generationẽ, præcedunt prioritate originis ipſam generationẽ Filij. Ad hoc concedo totũ. Neque enim ex hoc probatur, quod amor generationis ſit in exiſtẽdo prior ipſa generatione; ſed ad magis probatur, quod ſit prior origine generatione; nõ quia ſit cauſa ipſius generationis, ſed quia reperitur in Filio vt acceptus à Patre; ſicut ex hoc quod Deitas communicetur Filio a Patre per generationẽ, non ſequitur, quod ſit prior in exiſtẽdo ipſa generatione, nec quod ſit cauſa generationis, ſiquidem Deitas non generat; ſed tantũ probatur, quod origine ſit prior, quia Filius accipit eam à Patre per puram communicationẽ. Itaque Pater ſimul dum generat vult generare, & ipſum velle generare per generationem Filio communicat, quæ omnia in exiſtendo ſunt ſimul.

(†)

§. VI.

Quid ſit potentia generativa & ſpirativa in Deo?

448 OPORTET Generationi aſſignare duplex principiũ, aliud *quod*, & hoc eſt perſona vt *quod* aliam producens, aliud *quo*, & hoc eſt potentia, qua principium *quod* ſit potens producere perſonam: de hoc ergo inquirimus, quid ſit. An videlicet ſit quid pure abſolutum, an ſit quid pure relativum, an abſolutum connotans relationem? Et primo damnanda venit ſententia Aureoli in 1. diſt. 7. q. 1. art. 2. quem ſecutus eſt Gregorius in eadem diſt. q. 2. art. 2. quæ affirmat in Deo non dari hanc potentiam, ea ductus ratione, quod vbi datur potentia realis ad actionem, debet dari actio realis realiter diſtincta ab actione; at in Deo non datur diſtinctio realis inter potentiã, & actionẽ, cum ſit ſua actio: igitur neque dari poterit realis potentia. Cæterum, ſi hoc fundamentum ſubſiſteret, pariter negaret Aureolus dari in Deo potentiam realem creativam, quia actio creativa nõ diſtinguitur realiter à vi creativa, ſeu ab illo, quo Deus ſit potens creare creaturam, quod cũ admitti nequeat, pariter nequit admitti primum. Sicut ergo admittitur potentia realis creativa, quia creatura realiter procedit à Deo per potentiã realiter identificatã ſuo actui, ita debet admitti potentia realis generativa, quia genitum realiter procedit à potentia identificata realiter cum ipſo actu generationis. Neque enim intelligibile eſt, quod Filius producatur realiter à Patre non potente realiter producere illum, quod ſi Pater realiter eſt potens producere Filium: ergo ab aliqua reali potentia hoc habet, ſicut enim non datur album niſi ab albedine, ita nec realiter potens generare niſi à potentia reali.

Hac ergo ſententia exploſa. Controverſia præſens eſt inter eos, qui admittunt potentiam generativam, & ſpirativam; in quo videlicet conſiſtat. Bonaventura ergo in primo diſt. 7. q. 1. & Durandus ibidem, q. 2. exiſtimarunt potentiam generativam non eſſe aliud, quam ipſam relationem Paternitatis. Alij dixerunt potentiam generativam eſſe ipſam divinam naturam vt præſcindit à relatione, etiam connotata. Ita Gabriel in primo diſt. 7. q. 1. 2. & 3. Communis autem ſententia Theologorum defendit potentiam generativam conſiſtere in abſoluto connotando relationem. Hanc ſententiam tenet D. Th. hic q. 41. art. 5. & Caietanus ibi, quos ſequuntur omnes Thomiſtæ. Et quia hæc ſententia veriſſima eſt, ideo à nobis ſtatuitur pro concluſione.

449 Dico ergo potentia generativa eſt ipſa divina natura, ſeu vt melius dicam, ipſe intellectus divinus vt fœcundus ad producendum Filium connotando relationem Paternitatis. Itaque dicimus, quod ipſa natura divina, ſeu intellectus divinus non eſt fœcundus ad generandum niſi in Patre, & ſic vt ſit potentia generativa debet connotare Paternitatẽ. Prob. concluſio; nam potentia generativa debet dicere vim productivã termini realiter diſtincti à producente: ergo debet eſſe abſolutum connotando relationẽ, à qua terminus productus diſtinguatur realiter. Prob. Conſ. nam vis productiva debet eſſe aſſimilativa termini producti in natura producentis; at hoc nequit eſſe relatio, quia hæc, cum non ſit natura, nequit aſſimilare terminum productũ in natura, vel in aliquo abſoluto, in quo tantum aſſimilatio fit, ſimiliter debet eſſe productiva termini realiter diſtincti à producente: hæc autẽ diſtinctio, cum nequeat oriri ab abſoluto, debet in diſpenſabiliter oriri à relatione realiter oppoſita termino producto: ergo potentia generativa debet neceſſario connotare relationẽ oppoſitam genito; hæc non eſt alia niſi relatio Paternitatis: igitur potentia generativa debet eſſe abſolutum connotans Paternitatem. Præterea, potentia vt generativa reduplicative debet eſſe incõmunicabilis Filio: ergo vt talis debet habere aliquid talem de connotato, quod Filio communicare non poſſit, ſed hoc nequit eſſe purum abſolutũ, nam hoc cõmunicatur Filio conſubſtantiali Patri generanti: ergo debet eſſe aliquid relativũ connotatũ ab abſoluto.

§. VII.

Soluuntur Argumenta.

450 PRIMO Arguitur contra concluſionem ex verbis Damaſceni lib. de duabus Chriſti voluntatibus. *Omnia, quæ habet Pater, Filij ſunt, ſola gignendi vi excepta*: ergo vis generativa non eſt Filij; ergo non eſt abſolutum ſed relativum. Prob. Conſ. quia ſola relativa Patris non communicãtur Filio,

Ad hoc, admiſſa authoritate Damaſceni diſt. primam Conſeq. ergo vis generativa non eſt in Filio, vt dicit rectum, & connotatum, conc. Conſ. vt dicit purum rectum, nego Conſ. Itaque Pater, & Filius eiuſdem virtutis, & perfectionis ſunt, non eiuſdem relationis; ſed quia potentia generativa vt talis non dicit ſolam perfectionem, & virtutem, ſed dicit illam vt connotantem relationem oppoſitam Filio: ideo quamvis omne abſolutum, quod habet Pater, habeat Filius, non infertur, quod ſi potentiam generativam habet Pater, & hæc quoad rectum ſolum ſit abſolutum, potentiam generativam, vt talem, habeat Filius.

451 Secundo arguitur, potentia productiva realiter debet diſtingui à termino realiter producto, cum terminus productus egrediatur realiter ab ipſa: ergo potentia generativa debet realiter diſtingui à Filio; at nihil abſolutum realiter diſtinguitur à Filio: igitur potentia generativa debet eſſe quid pure relativum. Ad hoc diſt. Ant. potentia productiva realiter debet diſtingui à termino producto realiter, in eo per quod habet eſſe realiter productiva, conc. Ant. in eo, per quod habet rationem productivi, ſeu aſsimilativi, nego Ant. & diſt. Conſeq. ergo potentia generativa debet realiter diſtingui à Filio in eo, quod dicit vim productivam, nego Conſ. In eo, quod dicit vim non vtcumque productivam, ſed realiter productivam, conc. Conſeq. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque potentia generativa duo dicit, nempe vim productivã, & vim productivã realiter, id eſt, termini realiter diſtincti à producente; primũ habet ab abſoluto, ſecundũ habet à relatione oppoſita realiter termino: debet ergo in primo habere identitatem cum abſoluto, & realem diſtinctionem ab illo in ſecundo, nempe in relativo.

Sed contra eſt, in Filio id, quo aſsimilatur producenti non eſt productum, ſed eſt pure communicatum; ſola enim relatio Filiationis vt *quo*, & vt *quod* producitur: ergo ex parte producentis id, in quo producens ſibi aſsimilat productum, nullo modo erit vis productiva, ſed ſola relatio Paternitatis erit vt *quo*, & vt *quod* productiva. Prob. Conſ. nam aſsimilans, & aſsimilatum, producens, & productũ ſibi debent proportionari: ergo ſi aſsimilatũ, nec vt *quo*, neque vt *quod* eſt productũ, aſsimilans neque vt *quo*, neque vt *quod* debet eſſe produces, & ſi ſola relatio vt *quo* & vt *quod* eſt producta, ſola relatio erit vt *quo*, & vt *quod* producens. Ad hoc diſt. Antec. in Filio id, quo aſsimilatur non eſt productum, ſumptum pure abſolute. Conc. ſumptum connotative nego, & nego Conſeq. Ad prob. nego ſuppoſitum conſequentis. Itaque de aſsimilato vt *quo* poſſumus loqui dupliciter, ſicut & de aſsimilante vt *quo* active; ſicut enim diximus quod potentia generativa non eſt ſolum abſolutum vt commune tribus, ſed eſt abſolutum vt Patris, vel vt connotat Paternitatem, ita de genito vt *quo* dicimus non eſſe ſolum abſolutum; ſed eſſe abſolutum vt eſt Filij, vel vt connotans relationem Filiationis: ſicut ergo de abſoluto vt connotante relationem Patris vere dicimus, quod ſit productivum vt *quo*, ita de aſsimilato, vel de eo, in quo Filius aſsimilatur, dicimus, quod vt connotat relationem Filij, vere eſt productum vt *quo*, quamvis ratione abſoluti pure abſolute, & ſine connotatione ſumpti dicamus, quod eſt pure communicatum: vnde habetur proportio inter productivum *quo*, & productum *quo*; ſicut enim illud eſt abſolutum vt Patris, ita iſtud eſt abſolutum vt Filij: vnde non ſequitur, quod ſola relatio ſit vt *quo*, & vt *quod* producta, ſicut neque ponitur, quod ſola relatio ſit vt *quod*, & vt *quo* producens.

Sed inſtas: ergo in divinis non ſola relatio vt *quo*, & vt *quod* realiter diſtinguitur ab altera relatione; ſed etiam abſolutum vt connotans relationem diſtinguitur realiter ab abſoluto vt connotante relationem oppoſitam. Conſ. videtur abſurdum: ergo. Prob. ſequela omne id realiter diſtinguitur ab alio in Deo, quod realiter comparatur ad illud vt producens ad productum; ſed præter relationem, abſolutum vt connotans relationem realiter producit vt *quo*, & abſolutum vt connotans relationem oppoſitam realiter producitur vt *quo*: ergo præter relationem dabitur abſolutum vt connotans relationem realiter diſtinctum ab abſoluto vt connotante oppoſitam relationem. Min. vero Prob. nam, ſi datur abſolutum vt connotans relationem realiter diſtinctum ab abſoluto vt connotante oppoſitam relationem, neceſſario dabuntur duo abſoluta realiter diſtincta, ſaltem diſtinctione convenienti illis ex relationibus oppoſitis, quod admitti nequit: quia, licet abſoluta identificẽtur cũ relationib⁹, nõ tamẽ poteſt dici, quod juxta diſtinctio-

ctionem relativorum realiter diſtinguantur; alias natura divina multiplicaretur in Patre, & Filio, ſicut natura humana multiplicatur in Petro, & Paulo, iſta per principia materialia, illa per principia relativa.

Ad hoc nego Min. ad prob. nego Maiorem, vt abſolutum pure connotative realiter diſtinguatur ab abſoluto etiam connotative ſumpto, non eſt neceſſe, quod abſoluta multiplicentur ad multiplicationẽ relationis connotatæ: hoc enim non eſſet diſtingui realiter pure connotative, ſed eſſet diſtingui abſolute per principia relativa, ſicut multiplicatur formæ per principia pure materialia; ſed diſtingui realiter pure connotative, ſolũ eſt, quod idẽ abſolutũ prout connotans vnam relationem, quæ realiter diſtinguitur ab alia, realiter diſtinguatur à ſeipſo, prout connotat relationem oppoſitam, & diſtinctam: ſicut enim in tractatu de Voluntate docent Theologi, quod ex hoc, quod connotatum actus liberi divini poteſt deficere, actus liber poteſt deficere connotative ſine eo quod inde ſequatur, quod actus liber entitative, & ratione ſuæ perfectionis poſſit deficere; ita ex hoc quod connotatum realiter diſtinguatur à connotato, poſſumus dicere, quod abſolutũ connotative realiter diſtinguitur ab abſoluto connotative, ſine eo quod inde ſequatur realis diſtinctio inter abſolutũ, & abſolutũ: vnde tantum ponimus in ſumma identitate abſoluti penes abſoluta ſolã diſtinctionem ex parte connotati, vel ſolam diſtinctionẽ connotativam.

452 Tertio arguitur ad probandũ quod potentia generativa dicat abſolutum ſine connotatione relationis. Relatio Paternitatis nullo modo eſt vis activa, ſed tantum eſt principium *quod*, vt ſuppoſitum: ergo divinum abſolutum non fit potentia generativa ex connotatione Paternitatis. Patet Antec. nam Paternitas, vel ſumitur vt relatio, vel vt ſubſiſtens; ſi vt relatio, cum ſequatur ad generationem, nequit etiam de connotato eſſe vis activa generationis, ſi vt ſubſiſtens, ſolum eſt principium *quod*: ergo adhuc per modum connotati nequit conſtituere principium *quo*, quale eſt potentia generativa. Et Conſeq. Prob. hac paritate. Si enim connotatum actus liberi, quod eſt creatura, non eſſet defectibile, actus liber ex connotatione illius non redderetur potens deficere: ergo ſi Paternitas nullo modo eſt vis activa, abſolutum ex connotatione eius nequit fieri activum. Similiter, ſi relatio divina non diſtingueret abſolutum ex connotatione relationis, non poſſet dici realiter diſtinctum connotative: ergo ſi relatio non eſt vis activa, abſolutum ex connotationis relationis nequibit fieri virtus vt *quo* activa. Confirm. In quocumque agente id tantum eſt potentia generativa, in quo generans ſibi genitum aſsimilat; ſed Pater ſolum Filium ſibi aſsimilat in abſoluto, vt præſcindit à connotatione: igitur abſolutum vt præſcindit à connotatione Paternitatis erit potentia generativa.

Ad hoc argumentum, nego Conſeq. ad probationem conc. Antec. & nego Conſeq. etenim, cum actus liber Dei ſit in ſe, & ex ſe omnino ens neceſſarium fit defectibile ex ſola defectibilitate connotati, vnde ſi connotatum non eſſet defectibile, cum ille ex ſe indefectibilis ſit, etiã connotative non fieret potens deficere: natura autem divina non connotat Paternitatem ex defectu virtutis activæ, ſed ſolum ex defectu diſtinctionis realis requiſitæ ad vim realiter productivam; vnde non connotat Paternitatem, vt ab ea vim productivam accipiat, ſed tantum vt ab ea habeat diſtinctionem realem à termino producto, quam non haberet, ſi relationem non connotaret: & ſic quamvis Paternitas non ſit vis activa, quia tamen eſt diſtinctiva realiter, ideo ex connotatione Paternitas fit realiter generativa Filij. Ex his ad ſecundum exemplum, nego Conſequentiam, nam natura divina, cum abſoluta ſit, ex ſe nequit habere diſtinctionem cum aliquo divino, & ſic connotat relationem, quæ vt *quod* diſtinguitur ab altera relatione, vt connotative dicatur realiter diſtincta; at natura non connotat Paternitatem, vt ex eius connotatione accipiat vim activam, ſed tantum vt accipiat diſtinctionem, quæ requiritur in potentia generativa; & genitum; & ſic quamvis Paternitas non ſit vis activa naturæ, ex connotatione eius fit realiter generativa; quia ex hac connotatione accipit conditionem diſtinctionis, quam non habebat ex ſe.

Ad Confirm. conc. Mai. loquendo de generante creato, & conc. Min. nego Conſ. Etenim; cum generans creatum non aſsimilet ſibi effectum aſsimilatione identitatis, ſed purè conformitatis, id eſt, pro-

Digitized by Google

ducendo formam diſtinctam, ſimilem tamen ſimilitudine ſolius conformitatis cum forma generantis, in forma, in qua aſſimilat, invenit ſimilitudinem, & diſtinctionem realem à genito, & ſic in illa invenit complete virtutem generativam, quæ requirit duo, & aſſimilationem, & diſtinctionem realem: generans autem divinum aſſimilat ſibi genitum ſimilitudine omnimodæ identitatis, id eſt, communicando ei eandem numero naturam, quam in ſe habet; & ſic in eo, in quo fit aſſimilatio tantum adeſt ſimilitudo, & nulla diverſitas, & ſic oportet illam diverſitatem mendicare ex Paternitate, quæ vt *quod* diſtinguitur à Filiatione: vnde potentia generativa non eſt pure abſolutum, ſed eſt abſolutum connotans Paternitatem.

Sed inſtas, ſi potentia generativa eſſet natura, vel intellectus vt connotans Paternitatem, Paternitas eſſet principium *quod*, & principium *quo* generationis; hoc non eſt dicendum: ergo. Conſeq. eſt bona. Min. videtur certa, nam Paternitas connotata deberet eſſe vt forma ſubſiſtens, & non vt relatio; ſed vt forma ſubſiſtens ſolum eſt principium *quod* generationis: ergo non eſt dicendum, quod Paternitas ſit principium *quod*, & *quo* generationis. Mai. autem Prob. nam, tunc ex natura, & Paternitate connotata tantum fieret principium *quo*, nempe potētia generativa: ergo prout ſic, Paternitas ſolum eſſe principium *quo*, & alias eſt principium *quod*: ergo eſſet principium *quod*, & *quo* generationis. Ad hoc diſt. Mai. eſſet principium *quo*, & *quod* generationis, Paternitas in recto importata, nego Mai. importata in recto ad *quod*, & in obliquo ad *quo* conc. Mai. & nego Min. ad prob. diſt. Mai. deberet eſſe connotata vt forma ſubſiſtens, vt ſignificata in recto, nego Mai. vt ſignificata tantum in obliquo, conc. Mai. & diſt. Min. ſignificata in recto, conc. Mai. ſignificata, ſive in recto, ſive in obliquo, nego Min. & Conſeq. Itaque principium *quod* generationis eſt Pater; natura autem vt in Patre, non autem vt eſt Pater, eſt principium *quo*, in quo complexo ſolum ingreditur in obliquo: vnde ipſa forma ſubſiſtens penes rectū, & obliquum variata, variaretur penes *quod* & *quo*.

453 Quarto arguitur. Principium reale per modum virtutis productivum perſonæ nequit conſtitui tale per relationem prædicamentalem, & quæ purus reſpectus ſit; ſed ſolum per relationem tranſcendentalem: ergo nequit eſſe relativum de connotato, ſed debet eſſe pure abſolutum. Conſeq. eſt bona, & Antec. Prob. Productivum vt tale reſpicit productum vt productum, non vt purum terminum; ſed relatio prædicamentalis nequit reſpicere niſi purum terminum, bene vero tranſcendentalis poteſt reſpicere productum vt effectum: ergo potentia generativa debet conſtitui per connotationem relationis tranſcendentalis, non vero prędicamentalis. Ad hoc nego Antec. ad prob. diſt. Mai. pro ſecunda parte, non vt purum terminum, quando productum in tranſitivo eſt ipſa relatio prædicamentalis, nego Mai. quando non eſt ipſa relatio, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque quando productum eſt ipſa relatio, idem eſt reſpicere productum, & reſpicere correlativum; & ſic idem eſt reſpicere productum, & reſpicere purum terminum.

Sed contra inſta, eſto productum ſit relatio, non tamen vt relatio terminat productionem, ſed vt perſona, & vt forma ſubſiſtens: ergo non terminat vt correlativum, & vt purum terminum: ergo prout ſic nequit terminare relationē prædicamētalē. Prob. 1. Conſ. quia perſona vt talis, cum ſignificetur ad ſe & non vt ad aliud, nō ſignificatur vt relativū, ſed vt abſolutū: ergo quod terminat vt perſona producta, terminat vt abſolutū, & nō vt correlativū. Ad hoc diſt. Conſ. ergo prout ſic nequit terminare relationem prædicamentalem, vt relationem prædicamentalem ex parte rei ſignificatæ & ex parte modi ſignificandi, conc. Conſ. vt relationem prædicamentalē ex parte rei ſignificatæ tantū, nego Cōſ. Ad probationem diſt. Ant. non ſignificatur vt relativum, ſed vt abſolutū ex parte modi ſignificandi, & ex parte rei ſignificatæ, nego Ant. ex parte modi ſignificandi tantum, conc. Ant. & diſt. Conſ. terminat vt abſolutū ex ſolo modo ſignificandi, conc. Conſ. vt abſolutum ex modo ſignificandi, & ex parte rei ſignificatæ, nego Conſ. Itaque perſona vt producens ex parte rei ſignificatæ eſt relatio prædicamentalis, licet non ſignificetur vt relatio, & ſic perſona producta terminat ex modo ſignificandi abſolute, & ex parte rei ſignificatæ relative, & ſic omnia conſonant: ſiquidem perſonæ producenti, quæ ex modo ſignificandi ab-

Digitized by Google

abſolutè ſignificatur, correſpondet pro termino relatio modo abſoluto ſignificata, & perſonæ producenti, quæ ex parte rei ſignificatæ eſt relatio, correſpondet terminus productus, qui ex parte rei ſignificatæ etiam relatio prædicamentalis eſt.

§. VIII.

Vtrùm actus notionales ad plures perſonas poſſint terminari?

454 QVÆRITVR Hic non de pluralitate ſpecifica, ſed tantum de pluralitate numerali vtrũ videlicet poſſint dari duo Filij diuini, & duo Spiritus Sancti? Et reſpondet D. Th. hic in art. 6. quod non. Et probat primò, quia cum perſonæ ſint ipſæ relationes ſubſiſtentes, non poſſent eſſe plures Patres, & plures Filij in diuinis, niſi eſſent plures Paternitates, & plures Filiationes; hæc autem implicant: ergo. Prob. Min. nam formæ non multiplicantur intra eandẽ ſpeciẽ, niſi ſecundum materiam; hæc autem repugnat in diuinis: ergo & plures Patres, & plures Filij repugnant in diuinis.

Secundo probat, quia cum Filius in diuinis ſit Verbum productum per intellectũ, & Spiritus Sanctus ſit impulſus productus per voluntatem, ſi darentur plures Filij deberent dari plura verba, ſi darentur plures Spiritus Sancti deberent dari plures impulſus producti per voluntatẽ; ſed implicat dari plura verba, & plures impulſus: ergo. Prob. Min. Pater omnia intelligit vno ſimplicisſimo actu intellectus, & omnia vult vno ſimplicisſimo actu voluntatis; ergo nequit producere niſi vnũ Verbum, & nequit producere nisi vnum impulſum: ergo nequeunt dari plures Filij, & nequeunt dari plures Spiritus Sancti. Tertio probat, quia perſonæ procedunt naturaliter; natura autem tantum eſt ad vnum: igitur tantum eſt vnus Filius, & vnus Spiritus Sanctus. Quarto probat, nam ex hoc Filius eſt perfectus Filius, quia tota Filiatio diuina in eo continetur, & quia eſt tantum vnus Filius, & ſimiliter dicendum de alijs perſonis: igitur nequibunt intra eandem rationem athomam multiplicari.

455 Sed contra primam rationem arguitur, nam materia non requiritur ad multiplicationẽ perſonarũ eiuſdem numero naturæ; ſed duo Filij, vel duo Patres, vel duo Spiritus Sancti eſſent eiuſdem numero naturæ: ergo ex defectu materiæ non bene probatur, quod nõ poſſent dari duo Patres, duo Filij, & duo Spiritus Sancti. Prob. Mai. materia ſolum requiritur ad multiplicationem indiuiduorum diuidentium naturam ſolo numero; ideo enim abſque materia poſſunt in Deo dari tres perſonæ, quia non ſunt tria indiuidua diuidentia numero naturam diuinam, ſed ſunt tres perſonæ eiuſdem indiuidui Deitatis: ergo materia ſolum requiritur ad multiplicationem perſonarum, ſeu indiuiduorum diuidentium naturam. Confirm. In Angelis ex carentia materiæ ſolum probatur repugnantia indiuiduorum intra eandem ſpeciem cum diuiſione numerica ſpeciei, nam ſi modo Verbum diuinum aſſumeret naturam Raphaelis, tunc eſſet alia perſona Angelica ab illa, quæ erat antea, nam hæc eſſet creata, illa increata; non tamen eſſet diſtincta numero natura Raphaelis modo, ac antea: ergo ſola diuerſitas perſonarum ſine multiplicatione naturæ non arguit materiam in his, quæ multiplicantur.

Secundo arguitur contra eandem, nam ad diſtinctionem duorum Filiorum diuinorum ſufficeret diſtinctio realis entitatiua eorundem; at hæc in diuinis non ſumitur à materia, ſed ab eo, quod vnus ab alio ſit: igitur ex carentia materiæ, non infertur in Deo non poſſe dari duos Filios, neque duos Patres, neque duos Spiritus. Prob. Mai. nam, tunc non dicerentur numero ſolum diſtingui, quia naturam multiplicarent: ergo ſufficeret ad eorum numericam diſtinctionem realiter inter ſe diſtingui. Confirm. illi duo Filij, ſi darentur, eſſent vnus numero Deus: ergo tantum differrent per hoc, quod vnus eſſet ab alio; at ad hoc non requiritur materia: igitur ex defectu materiæ non probatur repugnantia duorum Filiorum in diuinis. Confirm. ſecundo, & ponamus quod illi duo Filij non eſſent eiuſdem Patris Filij, ſed diuerſorum, vt ſi ponamus quod modo Filius diuinus generaret alium Filium, tunc ſufficienter primus Filius diſtingueretur à ſecundo per hoc, quod eſſet à Patre, qui modo eſt tantum Pater, & ſecundus diſtingueretur à primo per hoc, quod eſſet à Patre, qui eſt Filius, & Pater; at totum hoc poſſet eſſe non intellecta materia: ergo ex defectu materiæ non conuincitur non poſſe dari duos Filios, neque duos Patres.

Dices quod ſi darentur duo Filij deberent eſſe inter ſe fratres, & Filij eiuſdem Patris; quia cum Pater per ipſam Paternitatem reddatur incommunicabilis Filio, non poſſet ei communicare eſſe Patrem, & ſic tantum poſſet eſſe vnus Pater; vnde ſi darentur duo Filij, deberent eſſe Filij eiuſdem Patris, & ſic vnus non poſſet ab alio realiter diſtingui, per hoc quod eſſet ab illo. Sed contra eſt, nam Pater non communicaret Filio Paternitatem, per quã illi opponitur, ſed communicaret eſſe Patrem alterius à Filio, & à Patre, qui modo Pater eſt: ergo nulla ſolutio prob. Ant. Pater ſolum habet oppoſitionem cum Filio, in quantum Filius eſt eius, non vero opponeretur Filio, in quantum hic eſſet Pater alterius Filij: ergo poſſet Filio, qui modo tantum eſt Filius, eſſe Patrem alterius perſonæ à duobus diſtinctæ: poſſent ergo abſque repugnantia eſſe Filij diverſorum Patrum, & per hoc ſolum realiter inter ſe diſtingui.

456 Contra ſecundam rationem inſto. Quamvis intellectio eſſentialis in Deo ſolum ſit vna, notionaliter tamen poſſet eſſe multiplex; at Verbum producitur per intellectionem notionalem: igitur ex vnitate intellectionis non colligitur vnitas Verbi. Prob. Mai. vt fieret notionaliter multiplex ſufficeret in Patre, & in Filio connotare diſtinctam relationem; at hoc non eſſet inintelligibile: ergo poſſet cum vnitate intellectionis eſſentialis ſtare multiplicatio intellectionis notionalis. Prob. Min. non eſt inintelligibile quod eadem intellectio vt connotat perſonam, quæ tantum eſt Pater, notionaliter differat à ſe ipſa vt connotante perſonam, quæ ſimul eſſet Filius, & Pater; at hoc eveniret ſi Filius, qui modo eſt, alium Filium produceret; tunc enim intellectionem, quam accepiſſet à Patre, modificaret per Filiationem radicantem Paternitatem: ergo tunc eſſet intellectio vna eſſentialiter, & multiplex notionaliter.

Nec valet dicere, quod ſi Filius eſſet Pater alterius Filij, cum in prædicato Paternitatis non opponeretur cum ſuo Patre, deberet Filius à Filio productus procedere à Patre, & Filio, ſicut quia Pater, & Filius non opponuntur in hoc quod eſt ſpirare Spiritum Sanctum, de facto Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio: hoc autem ipſo, quod à duabus perſonis procederet, Filius non eſſet, & ſic modificatio intellectionis per Filiationem non multiplicaret intellectionẽ notionaliter. Sed contra eſt. Nam, licet tunc illa perſona, ſic procedens à Patre, & Filio, procederet à pluribus, non tamen procederet ab illis vt à pluribus, ſed vt ab vno tantum aſsimilante ſibi in natura perſonam procedentem: ergo vere produceretur vt Filius: Ant. patet in Spiritu Sancto, qui procedit à pluribus vt ab vno ſpiratore: ergo tunc ille Filius eſſet, quia à pluribus vt ab vno genitore procederet.

Tum ſecundo, quia ratio communiter aſsignata, ob quam id, quod procedit vt Verbum ſit Filius, non vero id, quod procedit vt amor, non eſt, quia hic à pluribus, illud vero eſt ab vno tantum, ſed quia Verbo ex vi proceſsionis communicatur natura divina, non vero Amori, cui tantum cõmunicatur impulſus ex vi proceſsionis; ſed in illa hypotheſi quod Filius generaret ſimul cum Patre, perſonæ procedenti ab illis primo, & per ſe communicaretur natura: igitur eſto procederet à duobus, procederet vt Filius.

457 Contra tertiam rationem etiam inſtatur, nam, quando dicit D. Th. quod natura ſolum determinatur ad vnum, vel intelligitur de vno numero, & hoc eſt falſum etiam in naturis creatis, ſiquidem videmus quod generatio humana eſt à natura, & tamen ſunt plures generationes, & plures Filij numero diſtincti; vel intenditur in illa, quod natura eſt tantũ determinata ad vnũ modum procedendi, & operandi, & hoc inſtatur; in natura divina, quæ operatur naturaliter per intellectum producendo Filiũ, & operatur naturaliter per voluntatẽ producendo Spiritum Sanctum: ergo ratio hæc non convincit non poſſe dari plures Filios.

Contra quartam rationẽ inſtatur. Nam, ſi Filius nequit multiplicari, quia tota perfectio Filiationis in eo reperitur: ergo, cũ in qualibet perſona divina ſit omnis divina perfectio, ſequetur non poſſe multiplicari perſonas divinas, quod aſſerere hæreticum eſt. Tum etiam, nam in ſole v.g. reperitur omnis perfectio, quæ poteſt convenire formæ ſolaris; & tamen non repugnat dari plures ſoles: ergo ex hoc quod in Filio divino reperiatur omnis perfectio Filiationis, non ſequitur, quod repugnet dari in Deo plures Filios. Tum etiam, quia hæc ratio ſupponit falſum, nam Filiatio non eſt perfectio, cum hæc ad abſoluta tantum ſpectet, & relationes non habeant perfectionem de propria li-

Digitized by Google

ſineas, ſupponit autem quarta ratio ; quod Filiatio perfectio ſit : ergo hæc ratio non convincit non poſſe dari plures Filios.

§. IX.

Explicatur vis primæ rationis.

458 PRO Intelligentia clara primæ rationis notat Caietanus, quod nomine materiæ, cuius defectus aſſumitur pro medio ad prob. repugnare duas filiationes numero tantum diſtinctas, intelligit D.Thom. non materiam primam, ſed quodlibet receptivum ; ex cuius materiali diverſitate poſſet oriri multiplicatio numeralis filiationum : ad quod convincitur, quia charitas multiplicatur numero, & tamen nec eſt in materia, nec conſtat ex materia ; ſed ſolum ex diverſitate ſpirituum, in quibus recipitur, numericam patitur diviſionem. Cæterum non placet hæc Caietani doctrina. Nam, licet ad diſtinctionem numericam tantum, in accidentibus; qualis eſt charitas, non requiratur materia, ſed ſufficiat diverſitas receptivi ; tamen ad diſtinctionem numericam tantum in ſubſtantijs nō ſufficit receptivum, ſed requiritur, quod illud ſit materia: vnde licet forma Angelica recipiatur realiter in ſuppoſito, non tamen ex hoc habet ſufficiens principium ad multiplicationem tantum numericam: cum ergo relationes divinæ ſint ſubſtantiæ ſubſiſtentes, vt numero tantum differrent, neceſſe eſſet ; quod vel conſtarent ex materia, vel reciperentur in ea : quod cum ſit impoſsibile, impoſsibile eſt quoque dari duas filiationes numero tantum diverſas. Vnde accipiendo ibi materiam pro materia prima, dicimus, rationem convincere : ſicut enim illa convincimus non poſſe dari duos Angelos ſolo numero diſtinctos, ita & convincimus non poſſe dari duos Filios numero tantum diſtinctos.

459 Vnde ad ea quæ obiecimus contra hanc rationem. Reſp. ad primum diſt. Mai. ad multiplicationem perſonarum eiuſdem naturæ non requiritur materia, ad multiplicationem ſpecificam, vel quaſi ſpecificam, conc. Mai. ad multiplicationem ſolum numeralem perſonarum, nego Mai. & conc. Min. nego Conſ. Ad prob. Mai. nego Mai. ad prob. nego Cauſalem. Nō enim quia ſunt eiuſdem numero naturæ, etiam ſine materia multiplicantur in Deo perſonæ, ſed quia inter ſe non diſtinguuntur ſolum numero, ſed ſpecie, vel quaſi ſpecie: duæ autem filiationes eiuſdem naturæ ſolo numero differrent, & ſic non tenet paritas. Ad Confir. nego Ant. ad prob. dico, quod in caſu, quod verbum aſſumeret naturam Gabrielis darentur duæ perſonæ, non numero ſolum diſtinctæ, ſed pluſquam ſpecie diſtinctæ inter ſe, cum vna eſſet Angelica, & alia divina, & quæ differunt penes Angelicum, & divinum non ſolo numero differunt.

Ad ſecundum argumentum, diſt. Mi. hæc non ſumitur à materia de facto, quando perſonæ procedentes inter ſe non diſtinguuntur ſolo numero. Conc. in hypotheſi, quod eſſent duo Filij ſolo numero diſtincti, nego Min. vt enim eſſent duo Filij, eſſet neceſſe, quod in omni principio formali non ſolum naturæ, ſed etiam perſonalitatis cōvenirent, & ſic ſolum numero differre poſſent penes principia materialia : vnde ſine materia non poſſet Filius à Filio realiter procedere, ſicut neque de facto in nobis poteſt Filius à Filio procedere, niſi alia ſit materia Filij procedentis ab ea, quæ eſt in Filio, à quo proceſsio ſit. Ad Confir. nego Ant. cum enim illi duo Filij deberent eſſe diſtincti per principia materialia, non poſſent non dividere Deitatem per principia materialia, & ſic non poſſent eſſe vnus numero Deus.

Sed inſtas, eo modo perſonæ differant inter ſe quaſi ſpecie, non faciunt differre hunc Deum ſpecie: ergo quamvis numero tantum differrent ; non facerent diſtinguere hunc Deum ſolo numero. Reſpondeo, negando Conſ. quia, cum perſonæ, quæ de facto ſunt, formæ puriſsimæ ſint, & ſolum differant, quia inter ſe opponuntur: non habent diſtinctionem comparatæ ad Deum, ſed ſolum inter ſe, & ſic non diſtinguunt hunc Deum abſolutum. Si autem ſolo numero differrent, materiales eſſent, & ſic non ſolum diſtinguerentur quia opponerentur, ſed etiam quia materia conſtarent: vnde actus purus non eſſent, ſed abſolute diſtinguerentur, & ſic non poſſent eſſe vnus numero Deus. Ad ſecundam Confir. dico, quod illi Filij diverſorum Patrum Filij eſſe non poſſent, niſi Pater, & Pater materialiter diſtinguerentur, vt enim darentur duo Patres, deberent convenire in athoma ſubſtantia ſpecifica Paternitatis, & ſic, vt differrent ſolo numero deberent conſtare ex materia, vel recipi in materia, alias per principia formalia diſtinguerentur inter ſe, vnde non ſolum numero differrent.

Ex,

Digitized by Google

§. X.

Expenditur ſecunda ratio D.Thom.

460 SECVNDA ratio etiam eſt evidēs. Nam vna numero tantum intellectio non producit niſi vnum tantum numero Verbū; ſed in divinis, etiā comprehendendo perſonalia, de facto non datur niſi vna numero intellectio: ergo in divinis nequit dari niſi vnum numero Verbum: vnde cum Filius, & Spiritus Sanctus non intelligant niſi ipſa numero intellectione, qua intelligit Pater, nequeunt producere Verbum diſtinctū ab eo, quod producit Pater.

Ad rationē ergo dubitandi, nego Mai. Ad Prob. vt fieret notionaliter multiplex ſufficeret in Patre, & Filio connotare diſtinctam relationem, diſt. Mai. diſtinctam, & aptam ad producendum Verbum, conc. Mai. diſtinctam, ſed ineptam ad productionem Verbi, nego Mai. & diſt. Min. at hoc non eſt inintelligibile loquendo de connotatione diſtinctæ relationis ineptæ ad producendum Verbum, conc. Min. loquendo de relatione apta ad productionem Verbi, nego Min. & Conſ. Itaque ad multiplicandam intellectionem notionaliter non ſufficit connotare diſtinctam relationem: etenim de facto intellectio, qua Pater format Verbum, in Filio connotat relationem diſtinctam à Patre, nec tamen per hoc ipſa intellectio notionaliter multiplicatur: ergo ad multiplicationem notionalem intellectionis non ſufficit connotatio diverſæ relationis: requireretur ergo quod illa relatio connotata apta eſſet ad generandum, vt ipſa intellectio ex vi connotationis eius fieret fœcunda, ſic enim, & non aliter notionaliter multiplicaretur intellectio. Dices, quare implicat quod filiatio non radicet Paternitatem? Reſpondeo, implicare ex eo, quod per Patris Paternitatem iam præſupponitur productum Verbum adæquate expreſsivum intellectionis: vnde, cum nihil reſtet exprimendum, Filius nequit radicare Paternitatē, qua iterum exprimat id, quod Pater adæquate expreſsit.

Inſtas, eſto Pater adæquate intelligat, tamen Filius poſterior origine Patre, & adæquate idipſum intelligit, quod Pater, & eadem intellectione, qua Pater: ergo eſto Pater adæquate exprimat quidquid intelligit, poterit Filius iterato idipſum exprimere. Secundo eſto Pater intellectione ſua Filium exprimat adæquate; non tamen intelligi poteſt quod Filius Patrem intelligat, & conceptum non formet expreſsivum Patris: ergo poterit formare Patris conceptum expreſsivum. Prob. Ant. ſicut Pater, & Filius mutuo ſe diligunt, ſic mutuo ſe intelligunt; ſed quia mutuo ſe diligunt Pater format impulſum, qui eſt amor Filij, & Filius format impulſum, qui eſt amor Patris: ergo, quia mutuo ſe intelligunt, Pater formabit verbum repræſentativum Filij, & Filius formabit verbum repræſentativum Patris.

Ad primam, nego Conſ. nam intelligere, cum ſpectet ad eſſentialia, & Pater, & Filius eiuſdē eſſentiæ ſint; eſt neceſſe, quod Filius accipiat à Patre ipſum intelligere, nā in hoc nulla eſt oppoſitio inter Filium, & Patrem: & cum Filius ſit ipſum Verbum expreſſum, opponitur Patri vt exprimenti, & ſic poſtquam Pater adæquate exprimit, Filius tantum valet exprimi, & non valet exprimere. Ad ſecundam, nego Ant. ad prob. nego Mai. ſi iy *ſicut* dicat omnimodam paritatem: etenim, cum ipſe Filij impulſus non ſit à Patre productus in ratione producendi impulſum, non habet oppoſitionem cum Patre, & ſic Pater poteſt producere amorem Filij, & Filius poteſt producere amorem Patris: vnde idem amor producitur à duobus, ſecundum quod inclinat ad Filium, à Patre, & ſecundum quod inclinat ad Patrem à Filio; at cum ipſe Filius ſit verbum productum à Patre, opponitur Patri vt producenti verbum, & ſic non poteſt, dum Patrem intelligit, formare verbum repræſentativum Patris. Ob quam rationem, quia Spiritus Sanctus eſt Amor productus à Patre, & Filio, etiam ſi vtrumque amet, amorem, qui ſit inclinatio eorum, non producit.

§. XI.

Expenduntur tertia, & quarta ratio.

461 TERTIA Ratio fundatur in dicto Averroys 12. Metaph. cōment. 44. vbi habet, quod *ab agente voluntario* id eſt libero, *poſſunt plura ſimul produci; à naturali autē non niſi vnum ab vno*; iſtæ autem proceſsiones naturales ſunt, & non liberę & ſic non ſunt, neque poſſunt eſſe niſi duæ, iuxta duplicem modum, quo natura divina communicabilis eſt, nempe per intellectum, & voluntatem. Vnde illa pro-

propoſitio, *à natura non eſt niſi vnum*, debet intelligi à natura ſub vno modo communicandi ſe non eſt niſi vnum exhauriens illum modum communicabilitatis ſuæ; cumque natura divina duobus modis naturaliter tantum communicari poſſit, nempe per intellectum, & voluntatem: tantum erunt duæ communicationes, altera per intellectum, altera per voluntatem. Ruſus debet intelligi dicta propoſitio de natura nõ impedibili agere ſecundum vltimum ſui poſſe, ſic enim vno actu explicat ſeipſam adæquate in productum per illam, quaſi exhauriens ſeipſam ſecundum modum communicationis ſuæ. Rurſus debet intelligi dictæ propoſitio de natura, quæ habeat ſimul totam perfectionem, quam poteſt habere; nam ſi in dies in virtute perficiatur, poterit diviſive ſe pluribus vicibus naturaliter cõmunicare; vnde, quia natura corruptibilis in dies perficitur in virtute generativa ex adventu novi alimenti, quamvis generatiõ ſit opus naturæ, pluribus vicibus poteſt repetere actũ generationis. Rurſus debet intelligi dicta propoſitio de natura operante per virtutem non diviſam iuxta diſtincta receptiva, quâ ratione, quia in fœmina, quæ fœcundatur ad partum per ſemen viri, ſunt varia vaſcula, quæ poſſunt repleri virili ſemine, contingit quod maſculus vna generatione, quæ opus naturæ eſt, varios fœtus producat. A quibus omnibus cum divina natura libera ſit, vnum tantum producit per intellectum, & vnum tantum producit per voluntatem, dum naturaliter intelligit, & naturaliter vult. Ex quibus ſolvuntur omnia, quæ contra tertiam rationem poterant militare.

462 Quarta ratio fundatur in eo, quod omnis res divina intra ordinem, ſeu rationem formalem ſibi debitã habet omnem perfectionem, quam habere poteſt, & ſic intra illam rationem formalem non valet multiplicari. Hinc Pater habet omnẽ perfectionem poſſibilem intra latitudinem poſſibilem Paternitatis; & idem de Filio, & de Spiritu Sancto; & ſic impoſſibile eſt dari duos Patres, vel duos Filios, vel duos Spiritus Sanctos. Ex quâ ratione ſic intellecta facile ſolvuntur obiectiones ſupra factæ contra illam. Ad primam dico, quod Filius ſolum intra lineam filiationis habet omnem perfectionem ſibi poſſibilem, non vero intra lineam Paternitatis, quia non eſt, & ſic convincitur, quod non poſſunt dari duo Filij, nec duo Patres; non vero ex hoc infertur, quod non poſſint dari plures perſonæ, quia licet quælibet perſona omnem divinam perfectionem habeat, non tamen illam habet ſub omnimodo, quo divina perfectio communicari valet: nam Pater illam habet omnino à ſe, Filius habet per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem, & ſic poſſunt multiplicari divinæ perſonæ iuxta diſtinctos modos, quibus divina perfectio ad intra communicari valet. Ad ſecundum, nego quod in ſole ſit omnis perfectio poſſibilis, quæ poteſt competere eius naturæ ſolari, & ſic non eſt mirum, quod divinitus multiplicari poſſit.

Sed inſtas, materia ſolis eſt adæquate ſatiata ſua forma: ergo ſol habet omnem perfectionem, quæ poteſt competere naturæ ſolari. Prob. Conſeq. nam, ſi alia perfectio ſolaris poſſibilis eſſet, materia prima ſolis illam appeteret: ergo non ſatiaret forma, quam de facto habet. Ex quo ſequeretur, quod ſol non eſſet incorruptibilis, quia conſtaret materia exigente aliam formam ab ea, quam de facto habet. Ad hoc diſt. Ant. eſt adæquate ſatiata ſua forma negative, & poſitive, nego Ant. ſolum negative, conc. Ant. & nego Conſ. ad prob. nego Ant. nam ad appetendum aliam formam poſſibilem non ſufficit non habere illam, ſed requiritur poſſe illam habere: porrò materia ſolis quamvis non habeat aliam formam ſolarem poſſibilem, non tamen illam habere poteſt, quia vt illam haberet, deberet ſpoliari forma, quam de facto habet: neque enim duas ſimul habere poteſt: non poteſt autem ſpoliari forma, quam habet, quia, cum non ſit mixtum, non conſtat qualitatibus contrarijs inter ſe pugnantibus, neque eſt capax recipiendi qualitates corruptivas, & ſic, dum formam, quam habet amittere naturaliter non poteſt, in ipſa naturaliter quieſcit, & ad aliam habendam non inclinat: vnde dixi, quod illa ſatiatur negative, ſed non poſitive, quia ad primum ſufficit non inclinari ad habendam aliam formam; ad ſecundum vero requiritur quod forma habeatur ſecundum omnem ſibi poſſibilem perfectionem.

Ad tertiam probationem dico, quod D. Thom. nomine perfectionis non intelligit perfectionem ſtrictè dictam, qualem negant Theologi, dum dicunt non dari perfectiones relativas; ſed intelligit omnem rationem, quæ poteſt filiationi competere intra lineam filiationis; ſicut enim Deus ſubſiſtit in ipſa plenitudine eſſendi, ſic Filius

divinus ſubſiſtit in ipſa plenitudine filiationis, & ſic omnis ratio filiationis ab ipſo poſſidetur. Vnde in forma, nego Ant. ad prob. filiatio non eſt perfectio, quia hæc ſolum attinet ad abſoluta, dico, hoc eſſe verũ loquendo ſtricte de perfectione, non vero loquendo lato modo de illa: quo ſecũdo modo, non primo loquitur D. Thom. in ſua quarta ratione. Et ſic non convincitur, quod inefficax ſit.

QVÆSTIO XIX.

De æqualitate, & ſimilitudine divinarum Perſonarum ad invicem.

RESTAT Nobis conſiderandum circa divinas perſonas, & comparationem earum ad invicem. Circa quod, primo occurrit quæſtio de æqualitate, & ſimilitudine, qua inter ſe comparatæ dicuntur æquales, & dicuntur omnino ſimiles.

§. I.

Vtrũm æqualitas locum habeat in divinis?

463 ABSQVE Omni formidine tenẽdum eſt dari æqualitatem inter divinas perſonas. Nam Athanaſius in ſuo ſymbolo dicit: *Tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Ratione id demonſtrat D. Thom. hic quæſt. 42. art. 1. quia æquale dicitur per negationẽ maioris, & minoris; & in divinis habetur negatio maioris, & minoris, atteſtante Athanaſio, *nihil maius, aut minus*, & ipſa ratione probante: quia vbi eſt vna numero quantitas, non poteſt adeſſe maius, aut minus; in divinis autem adeſt vna numero quantitas virtutis, nempe eſſentia: igitur in illis habetur negatio maioris, & minoris: ergo habebitur æqualitas inter divinas perſonas.

Nec valet ſi dicas, Maiorem diſcurſus eſſe falſam, quia inter punctum, & lineam habetur negatio maioris, & minoris, nec enim punctum eſt maius, neque minus linea; & tamen non eſt æquale lineæ: ergo ex negatione maioris, & minoris non infertur æqualitas, vt dicit D. Thom. in maiori ſui diſcurſus. Non, inquam, valet, nam licet ex vi terminorũ illa conſequentia non teneat; in extremis tamen quantis tenet ſine inſtantia; ſed D. Thom. loquitur de extremis habentibus quantitatem, nempe eſſentia divina, quæ eſt quantitas virtutis: igitur eius conſequentia infallibilis eſt. Vnde placet illam ad hanc formam reducere. Perſonæ divinæ ſunt quantæ quantitate virtutis; at inter eas datur negatio maioris, & minoris: ergo inter illas reperitur æqualitas.

Nec valet ſi ſecundo dicas, quod hæc ratio ſolum probabiliter poteſt demonſtrare concluſionem, & ſic non habet auferre omnem formidinem. Quod probabis ex eo, quod ex vna præmiſſa ſolum probabili, tantum poteſt probabiliter procedi; illa autem præmiſſa *in divinis perſonis tantum eſt vna numero quantitas virtutis, ſeu perfectionis, ſcilicet eſſentia divina*, tantum eſt probabilis: qui enim affirmant inter divinas perſonas dari perfectiones relativas realiter inter ſe diſtinctas, admittere tenentur dari in divinis plures quantitates numero diſtinctas, & ſic negabunt illam propoſitionem D. Thom. *in divinis perſonis tantum eſt vna numero quantitas.*

Sed contra eſt, nam licet loquendo de perfectione, vel quantitate vt abſtrahit à abſoluta, & relativa tantum ſit probabilis illa propoſitio, *in divinis perſonis eſt tantum vna numero quantitas, vel vna numero perfectio*, loquendo tamen de perfectione abſoluta, certiſsima eſt apud omnes præfata propoſitio; ſed ad inferendum quod in divinis eſt negatio maioris, & minoris, ſufficit quod quantitas abſoluta ſit tantum vna, quamvis relativæ ſint plures: ergo cum loquendo de quantitate abſoluta illa propoſitio ſit certiſsima, ratio D. Thom. non procedet ex probabilibus. Prob. Min. nam tenentes dari plures perfectiones in divinis perſonis, probant dari in illis negationem maioris, & minoris, ex eo, quod licet inter ſe tales perfectiones diſtinguantur, ſunt tamen omnes tres illa numero quantitas, & perfectio abſoluta, & ſic ſunt ipſe puriſsimus actus omnis potentialitatis expers, ac per conſequens habens negationem maioris, & minoris: ergo ad inferendum quod in divinis perſonis detur negatio maioris, & minoris, ſufficit accipere veritatem illius præmiſſæ ſecundum loquutionem de quantitate, & perfectione abſoluta.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

464 CONTRA Concluſionem arguitur primo. Etenim Filio deeſt aliqua perfectio, quam habet Pater: ergo non eſt æqualitas inter Patrem, & Filium. Prob. Ant. Dignitas per ſe pertinet ad perſonam: ergo multiplicatur iuxta numerum perſonarum: ergo dignitatem, quam habet Pater, non habet Filius: igitur non ſunt æquales in dignitate. Cõfir. Authoritas ſpectat ad perfectionem; ſed Pater, & Filius non ſunt eiuſdem authoritatis: ergo non ſunt eiuſdem perfectionis. Prob. Min. Pater habet authoritatem ſupra Filium, ratione cuius poteſt mittere illum; Filius autem non habet authoritatem ſupra Patrem, vnde nequit mittere Patrem: ergo Filius, & Pater non ſunt eiuſdem authoritatis.

Ad hoc argumentum, nego Ant. ad prob. diſt. Ant. per ſe pertinet ad perſonam, ratione naturæ rationalis, cuius eſt ſubſiſtentia, conc. ratione relationis, nego Ant. & Conſ. Itaque dignitas dicitur pertinere ad perſonam, non ratione relationis, ſed ratione naturæ; quia enim inter omnes ſubſiſtentias ſola perſonalitas dicitur illa, quę eſt ſubſiſtentia perfectiſsimæ naturæ, qualis eſt intellectualis, ideo perfectio dicitur per ſe pertinere ad perſonam; non vero quia ratione relationis hæc perfectio illi conveniat: vnde non ſequitur quod ſit relativa. Ad Confir. diſt. Min. Sed Pater, & Filius nõ ſunt eiuſdem authoritatis, eiuſdem connotative, & abſolute, conc. Min. eiuſdem abſolute, nego Mi. & diſt. Conſ. ergo non ſunt eiuſdem perfectionis, eiuſdem abſolute, & cõnotative, conc. Conſ. eiuſdem abſolute, nego Conſ. Itaque authoritas, vel capitur abſolute, vel capitur reſpective ad alteram perſonam; ſi primo modo accipiatur, ſic omnes tres perſonæ ſunt eiuſdem omnino authoritatis, ſi capitur reſpective ad aliquã perſonam, putà Patris ad Filium, ſic authoritas Patris ſupra authoritatem Filii nihil abſolutum addit, ſed ſolum connotat relationem: cumque relatio perfectionem non dicat, non ſequitur, quod ſi Pater habet authoritatem ad Filium, quam Filius non habet ad Patrem, aliqua perfectione careat Filius, quam habet Pater, ſed ſolum ſequitur, quod vnamet perfectio in Patre connotet relationem, quam non connotat in Filio.

Secundo reſp. tenendo ſententiam, quod detur dignitas relativa. Diſt. Ant. Filio deeſt aliqua perfectio, quam habet Pater, abſoluta, nego, relativa ſubdiſtinguo, deeſt oppoſitive cum Filio, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque, qui ponunt perfectiones relativas, dicunt, inter ſe comparatas eſſe diſtinctas, vtpote relative oppoſitas; comparatas tamen ad eſſentiam nulla via diſtingui: vt autẽ daretur inæqualitas in divinis, oporteret, quod ex nullo capite illę perfectiones eſſent idẽ, ex hoc enim inferretur vni perſonæ deeſſe aliquam perfectionem divinã: verum cum res non ita contingat, cum ſolum diſtinguantur prout ſe ad invicem reſpiciunt, cum ex alio reſpectu ad eſſentiam omnimode realiter identificentur, non poſſumus dicere, quod vni perſonæ deſit abſolute perfectio alterius, ſed tantum quod deſit illi oppoſitive cũ ſuo correlativo, quod non ſufficit ad auferendum à divinis perſonis negationem maioris, & minoris.

465 Secundo arguitur. Potentia activa eſt de linea quantitatis virtutis; at in hac non ęquantur Pater, & Filius: ergo non eſt æqualitas in divinis. Prob. Mi. habet Pater divinus potentiam generandi, quæ activa potẽtia eſt; eam autem nõ habet Filius: ergo non ſunt in potentia activa æquales Pater, & Filius. Ad hoc, nego Min. ad prob. diſt. Mi. eam autem non habet Filius, abſolute, nego Min. connotativę, conc. Min. & nego Conſ. Itaque potentia generativa dicit abſolutum potentiæ activæ divinæ connotando relationem Patris; hãc autem potentiam habet Filius, ſed quia non habet eam connotando relationem Patris, ideo non dicitur habere potẽtiam generativam: cum ergo tota ratio perfectionis ſtet in ratione potentiæ activæ abſolute ſumptæ, ſit cõſequens, quod eandem prorſus perfectionem, quam habet Pater, habeat Filius.

Sed contra inſto, potentia generativa non ſolum eſt perfectio, ex quo eſt activa, ſed etiam ex quo eſt activa generativa; at prout activa generativa habetur à Patre, & non à Filio: ergo nõ ſunt eiuſdem perfectionis Pater, & Filius. Prob. Ma. implicat quod aliquid ex ratione communi ſit perfectio, & non ſit perfectio ex propria ratione differentiali; ſed potentia generativa ex ratione communi potentiæ activæ eſt perfectio: ergo ex ratione differentiali, qualis eſt ratio generativæ, etiã erit perfectio. Ad hoc diſt. Mai. ſed etiam ex quo eſt activa generativa, ad hunc ſenſum, quod ly *generativa* au-

Digitized by Google

addat perfectionem ſupra rationem potentiæ activæ, nego Mai. adhunc ſenſum quod ly *generativa*, licet nõ addat perfectionem, non tamen auferat, ſed eam conſervet, cõc. Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque ly *generativa*, cum non addat activitatem ſupra potentiam divinam activam, nõ addit perfectionem & ſicut ſit generativa per hoc quod activitas potentiæ abſolutæ connotat Paternitatem, ita vt generativa poſsideatur à Patre, & non à Filio, ſolo diſcrimine relationis connotatæ, non vero diſcrimine perfectionis ab vno poſſeſſæ, & non ab alio. Et ad id, quod dicitur, quod dum ratio communis potentiæ activæ dicit perfectionem, etiam ratio differentialis debet dicere perfectionem, quod potentia divina activa nõ contrahitur per ly *generativa* vt ratio communis per differentiam, ſed vt res per modum: vnde, cum modus Paternitatis non addat perfectionem ad abſolutum, ly *generativa* non addit perfectionem ad rationem potentiæ activæ; ſed quia modus relationis non deſtruit perfectionem potentiæ activæ, ſed potius eam cõſervat, ideo dicimus quod vt generativa etiam eſt perfecta; quia licet relatio connotata perfectionem non addat, tamen non deſtruit perfectionem rei, quæ relationem connotat. Habemus exemplum in Chriſto, qui nõ ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo dicitur Filius Dei naturalis, non quia eſſe Filium naturalem Dei habeat à natura humana poſsitive; ſed quia id, quod ratione naturæ divinæ illi convenit, in humanitate aſſumpta conſervat; ſic in præſenti, potentia generativa, etiam vt talis, dicit perfectionem, non quia ex Paternitate cõnotata illi adveniat perfectio quaſi ſuperaddita ad rationem potentiæ activæ, ſed, quia vt generativa adhuc conſervat, quod illi convenit ex quo potentia infinite activa eſt.

§. III.

An æqualitas aſsignata relative ſumpta ſit relatio realis?

466 ÆQVALITAS dupliciter capitur, vel abſolute, vel relative. Primo modo dicuntur æqualia, quando quantitas ſic participatur ab vtroque extremo, quod adeſt illis negatio maioris, & minoris ſecundum illam quantitatem: relative duo dicuntur æqualia, quando mutuo ſe reſpiciunt vt talia. Loquendo de prima æqualitate, iam vidimus §. præcedenti, divinas perſonas realiter eſſe æquales, quia realiter convenit illis negatio maioris, & minoris: reſtat nũc examinare, vtrum relative dicantur æquales à relationibus realibus æqualitatis. Circa quod quæſitum Scotus in ſecundo diſt. 32. quæſt. vnica affirmat huiuſmodi relationes in Deo eſſe reales. Ipſum ſequuntur eius diſcipuli ſpecialiter Rada 1. part. controv. 26. art. 2. Smiſing. diſp. 2. de Trinitate, quæſt. 3. Franciſcus Felix, cap. 9. de Trinit. difficultate 2. & alij plures. Oppoſitũ tenent Thomiſtæ cum D. Thom. hic art. 1. ad 4. & in 1. ad Annibal. diſt. 31. quæſt. vnica art. 4. & quia hæc ſententia veriſsima eſt, à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Perſonæ divinæ non dicuntur relative æquales à reali relatione æqualitatis. Hæc concluſio ſolet probari ab aliquibus, quia vna relatio nequit fundari ſuper aliã, alias daretur proceſſus in infinitum; & quia fundamentum ſemper debet eſſe perfectius ipſa relatione fundata, vtpote, cum fundamentum non ſit ſolum cauſa materialis relationis, ſed ſpecificativa eius, à quo relatio accipit ſpeciem, & realitatem, quam non poteſt habere à relatione, cum omnis relatio minimæ entitatis ſit, ſed ſi daretur relatio realis æqualitatis in divinis, iſta deberet fundari ſuper aliam, nempe in Patre ſuper Paternitatem, & in Filio ſuper filiationem: ergo.

Cæterum hæc ratio meo videri nihil convincit, nam, vel per ly *fundari* accipiunt hoc ipſum, quod eſt oriri vnam relationẽ ex altera, & ſic aſſumunt falſum, dum dicunt vnam relationem non poſſe fundari ſuper aliam, id eſt, oriri ex alia, videmus enim quod relatio Spiratoris in divinis, eſto non fundetur ſuper Paternitatem, ex illa tamen oritur, nam eſt proprietas perſonæ, id eſt, dimanans, ſeu oriens à perſona. Et diximus ſupra quæſt. 36. quod filiatio conſtituit perſonam Filij ſecundum quod radicat ſpirationem activam, id eſt, relationem Spiratoris: vel per ly *fundari* accipiũt rigoroſam rationem fundamenti, & tunc conceſſo quod vna relatio nequeat fundari ſuper aliam, nulla via inferri poteſt, quod relatio æqualitatis in divinis realis non ſit: nam Scotus, qui eam ponit realem non fundat eam ſuper aliam relationem, ſed ſuper magnitudinem abſolutam, in qua dicuntur Pater, & Filius abſolute æquales:

non

Digitized by Google

non ergo ex hoc principio, quod vna relatio nequit fundari ſuper aliam, abſolute concludi poteſt, quod relatio æqualitatis in divinis realis non ſit.

Nec valet dicere quod D. Thom. vtitur hac ratione hic quæſt. 42. art. 1. ad 4. & ſic debemus eam defenſare vt efficacem. Non, inquam, valet, nam D. Thom. non vtitur illa ad convincendum abſolute quod relatio æqualitatis non ſit realis, ſed tantum vtitur ea ad probandum quod ſi ex parte fundamenti relationis æqualitatis daretur realis diſtinctio, putà ſi relationes haberent perfectionem de propria linea, quæ realiter diſtingueretur iuxta diſtinctionem realem perſonarum, tunc illæ perſonæ eſſent æquales relative realiter, ſed non per relationem diſtinctam ab ipſa Paternitate, & Filiatione, ſed per ipſaſmet relationes Paternitatis, & Filiationis: ſicut dicuntur relative realiter diſtinctæ, & realiter oppoſitæ per ſe ipſas intranſitive, vnde ex ratione facta nunquam probatur relationem æqualitatis eſſe rationis tantum, ſed probatur eſſe realem, ſed indiſtinctam à quatuor relationibus realibus.

Probatur ergo concluſio ratione efficaci. Fundamentum æqualitatis relativæ eſt in Deo ipſa magnitudo abſoluta, penes quã habetur negatio maioris, & minoris inter divinas perſonas; hæc autem magnitudo eſt vna numero in omnibus perſonis: ergo non eſt fundamentum ad relationem realem æqualitatis relativæ realis. Concedit præmiſſas Scotus, & negat Conſ. Sed eam ſic probo. Relationes reales petunt extrema realiter oppoſita in ipſa ratione fundandi: ergo, ſi ex parte magnitudinis, quæ eſt fundamentum ad relationem æqualitatis, non datur realis diſtinctio, relatio æqualitatis nequibit eſſe realis. Prob. Ant. in eo debet eſſe diſtinctio, quod realiter refertur per relationem ſubſequutam; ſed non ſolum extremum, ſed etiam ipſa ratio fundandi in vno extremo relationem, debet realiter referri ad alterum extremum: igitur in ipſa ratione, quæ fundat, debet eſſe realis diſtinctio. Explicatur hoc. Dum vnum album vt ſimile refertur ad alterum, non ſolum habens albedinem refertur, ſed etiam ipſa albedo, in qua eſt ſimilitudo refertur ad aliã albedinem, & dum vnum quantum refertur ad alterum vt illi æquale, non ſolum habens quantitatem æqualem refertur ad alium habens, ſed etiã ipſa quantitas, in qua eſt æqualitas, refertur ad aliam ſibi coæqualem: ergo ex parte fundamenti relationis æqualitatis debet eſſe realis diſtinctio ad hoc vt conſurgat relatio æqualitatis.

Reſpondent Scotiſtæ, quod fundamentum relationis non refertur vt quod, ſed vt quo, id eſt, eſt ratio, ob quam ſubiectum relationis refertur vt quod; ad hoc autem vt referatur vt quo non requiritur diſtinctio realis, ſed ſufficit, quod hæc reperiatur in ſubiecto, quod refertur vt quod. Sed contra eſt. Et admitto, quod fundamentum ſolum referatur vt quo, & habens fundamentum referatur vt quod, & ſic arguo. Neque vt quo, neque vt quod poteſt idem ad omnino realiter idem realiter referri: ergo, ſi fundamentũ realiter debet referri ſaltim vt quo, neceſſe eſt, quod realiter diſtinguatur ab eo, quod eſt ratio fundandi in altero extremo. Prob. Ant. inter id, quod realiter refertur vt quo, & id ad quod refertur debet eſſe realis oppoſitio ſaltim vt quo: ergo debet eſſe realis diſtinctio tanquam inter quo, & aliud quo: ergo idem ad ſe ipſum realiter nequit referri etiam vt quo. Pono exemplum in ipſa relatione. Relatio eſt ratio referendi, & eſt id, quo vnum extremũ realiter refertur ad alterum, & ipſa etiam ſolum vt quo refertur ad alteram correlationem; at, vt vna relatio etiam tantum vt quo referatur ad aliam etiam vt quo, requiritur quod realiter diſtinguatur ab altera relatione, & quod ſint duæ relationes realiter inter ſe diſtinctæ: ergo, etiam ſi fundamẽtum tantum referatur vt quo, requiret diſtingui realiter ab illo, quo ad quod realiter refertur.

Secundo impugnatur Scotus. Nam ex communi plauſu Patrum, & Conciliorum, in divinis tantum dantur tres perſonæ, quatuor relationes, & quinque notiones; at ſi vera eſt ſententia Scoti, in Deo debent poni viginti duæ relationes reales: ergo nulla via admittenda eſt hæc Scoti doctrina. Prob. Min. nam Scotus in Patre ponit ſex relationes, duas identitatis, duas ſimilitudinis, & duas æqualitatis; & in Filio aliã ſex, & alias ſex in Spiritu Sancto, quibus dum addimus alias quatuor Patris, Filij, Spiritus Sancti, & communis Spiratoris ſiunt vigintæ duæ relationes reales: ergo.

(.?.)

Digitized by Google

§. IV.

Solvuntur argumenta contra concluſionem.

467 PRIMO Arguitur. In divinis datur perfectiſsima, & realis æqualitas abſoluta, nõ obſtante identitate abſoluta in magnitudine perfectionis: ergo hac etiam non obſtante, poterit dari in Deo realis æqualitas relativa. Probo Conſ. nam æqualitas relativa oritur ex abſoluta tanquam ex fundamento: ergo æqualitas relativa realis oritur ex æqualitate abſoluta reali: ergo ſi hæc datur in divinis, dabitur quoque in eis æqualitas relativa realis. Ad hoc communiter negatur Conſ. ad prob. diſt. Ant. æqualitas relativa oritur ex abſoluta, quando datur diſtinctio in forma, ſecundum quam habetur æqualitas, conc. Ant. quando datur omnimoda indiſtinctio, nego Ant. & diſt. Conſ. ex qualibet æqualitate reali, nego Conſ. ex illa, in qua habetur realis diſtinctio in forma æqualificante extrema, conc. Conſ. & nego aliã, quæ ſubinfertur. Itaque, vt aliqua duo ſe reſpiciant vt æqualia, oportet, quod in ipſa forma æqualificante extrema realiter diſtinguatur; vnde ad relationem realẽ æqualitatis non ſufficit quæcumque æqualitas abſoluta, ſed requiritur illa, in qua inter fundamenta datur diſtinctio realis.

Sed contra eſt. Nam ea poſſunt vere, & realiter ſe reſpicere vt æqualia, quæ vere in re æqualia ſunt: ergo, ſi perſonæ divinæ inter ſe vere, & realiter æquales ſunt abſoluta æqualitate, vere realiter poterunt ſe reſpicere vt æquales. Confir. duo inter ſe æqualia abſoluta æqualitate ſunt inter ſe abſolute coæqualia: ergo ſunt fundamentaliter inter ſe oppoſita: ergo poſſunt fundare relationem realem æqualitatis; nam realiter fundamentaliter opponi nihil eſt aliud, quam fundare oppoſitionem realem formalem. Confir. ſecundo, vel enim cum participatione eiuſdem numero magnitudinis ſtat prædicatũ formale æqualitatis realis, vel ſolum fundamentaliter; ſi hoc ſecũdum dicatur, perſonæ divinæ non dicentur formaliter æquales: ſi primum dicatur, erunt realiter relative æquales; nam æqualitas formalis tantum eſt relativa: ergo, vel non datur abſoluta æqualitas realis, vel ſi hæc datur, dabitur quoque æqualitas realis relativa.

Ad primam diſt. Ant. quæ vere in re æqualia ſunt, per ſolam adæquatam participationem vnius numero magnitudinis, nego Ant. quæ vere in re æqualia ſunt, per participationem duarum magnitudinum, inter quas non habeatur exceſſus maioris, & minoris, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque realiter duo eſſe æqualia contingit dupliciter. Primo modo, ſola participatione adæquata eiuſdem formæ, & iſto modo, non habetur fundamentum ad reales reſpectus æqualitatis: vnde, quæ ſic ſolum ſunt æqualia, non ſunt realiter relative æqualia; alio modo contingit aliqua in re eſſe æqualia; per hoc quod in vnoquoque extremo reperitur forma adæquans cum reali diſtinctione, & iſto modo habetur fundamentum æqualitatis realis reſpectivæ. Primo modo divinæ perſonæ dicuntur æquales abſolute; non ſecundo modo: & ſic non ſunt æquales realiter relative.

Ad primam Confir. diſt. Ant. duo inter ſe æqualia abſoluta æqualitate ſunt inter ſe abſolute coæqualia, ſi ſint æqualia per ſolam adæquatam participationem eiuſdem numero magnitudinis, nego Anteced. ſi ſint æqualia participatione diſtinctæ magnitudinis, conc. Ant. & diſt. Conſ. poſſunt fundare relationem realem æqualitatis, ſi primo modo ſolum ſint æqualia, nego Conſ. ſi ſecundo modo, conc. Conſ. Itaque, proprie illa dicuntur coæqualia, quę in ipſa æqualitate opponuntur; quæ autem vna tãtum magnitudine gaudent in illa opponi non poſſunt, & ſic illa proprie coæqualia nequeunt dici: cum ergo divinæ perſonæ ſolum dicantur æquales à participatione adæquata eiuſdem numero formæ, coæquales non dicuntur proprieloquendo, & ſic nequeunt relative opponi relationibus æqualitatis.

Et ſi inſtes; quod Athanaſius dicit in ſymbolo, quod *totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*: igitur falſo negamus perſonas divinas ſibi eſſe coæquales. Reſpondeo, coæqualitatem dupliciter dici, vel oppoſitive in ipſa forma participata, vel pro participatione formæ adæquate à pluribus, ſic quod in omnibus diviſive, & ſimul ſũptis eadem numero forma reperiatur: hoc ſecundo modo dicit Athanaſius perſonas eſſe ſibi coæquales, non primo. Fundoque veritatem huius doctrinæ in eo, quod cum realis æqualitas relativa ſit oppoſitio realis formalis, eſt neceſſe, quod in abſoluto, ex quo tanquam ex fundamento oritur, ſit oppoſitio abſoluta; porro relativa oppoſitio conſiſtit in eo, quod vnum referatur ad alte-

rum

rum, & alterum correferatur ad illum. Itaque in eo, quod eſt referri, & correferri ſtat relative opponi: ergo pariter in hoc quod eſt æquari, & coæquari ſtabit oppoſitio abſoluta; hæc autem inveniri non poteſt, vbi non habetur diſtinctio in forma, penes quā penſatur æqualitas; & ſic, vbi non habetur niſi ſimplex participatio eiuſdem formæ, proprie non datur coæqualitas. Ad ſecundam Confirm. Arg. principalis dico, quod æqualitas formalis ſtat dupliciter, vno modo relative, & hæc invenitur quando extrema opponuntur in fundamento relationis; tunc enim illa relativa reſultāt: alio modo ſtat pro participatione adæquata vnius numero formę, & iſto modo, perſonę divinę dicuntur realiter formaliter ęquales: vnde nego quod ęqualitas formalis ſolum conſiſtat in relatione.

468 Secundo arguitur. Si relatio ęqualitatis non eſſet realis, maxime quia fundamentum eius eſt vna indiviſibilis forma à tribus adęquate participata; hæc autem ratio non convincit: ergo. Prob. Min. Etenim increatis fundamentum Paternitatis, & Filiationis non ſunt duę res realiter inter ſe diſtinctę; & tamen relationes, quæ conſurgunt ſunt reales: ergo. Prob. Mai. actio, & paſſio non diſtinguutur realiter; actio & paſſio ſunt fundamentum Paternitatis, & Filiationis: ergo inter formas fundantes Paternitatem, & Filiationem non datur diſtinctio realis. Confir. In divinis intelligere, & intelligi fundant relationes reales Paternitatis, & Filiationis; at illa inter ſe non diſtinguuntur realiter: igitur inter ea, quæ fundant relationes reales non requiritur diſtinctio realis. Confir. ſecundo, quando ea, quæ fundant relationes reales ęqualitatis realiter diſtinguuntur, nō fundant eas ex quo diſtinguūtur; ſed ex quo ſunt vnū: ergo quo magis erunt vnū in forma, perfectius fundabunt: ergo, cum in Deo detur vna forma perfectiſsime vna, dabitur in eo perfectiſsimum fundamentum relationis realis æqualitatis. Prob. Antec. diſtincta, ex quo diſtinguūtur, non fundant relationem æqualitatis, ſed diverſitatis: ergo relationem æqualitatis non fundant diſtincta, ex quo diſtincta ſunt, ſed ex quo ſunt vnum.

Ad hoc argumentum nego Min. ad prob. nego Mai. ad prob. inprimis Maior eſt falſa, nam actio realiter infert paſſionē, & ſic debet realiter diſtingui ab illa. Sed admiſſa Mai. diſputationis gratia, nego Min. Paternitas enim non fundatur ſuper actionem, ſed ſuper potentiam generativam, vt ad actum reductam, & Filiatio non fundatur ſuper paſſionē, ſed ſuper potentiam paſſivam vt reductam ad exercitium paſsionis: ſunt enim relationes permanentes, & ſic requirunt fundamenta permanentia; vnde nequeūt in ipſa actione, & paſsione, quæ tranſeunt fundari. Ad primam Confir. diſt. Mai. intelligere, & intelligi fundāt relationes reales Paternitatis, & Filiationis, ſumpta eſſentialiter, nego Mai. ſumpta notionaliter, conc. Mai. & diſt. Min. iſta non diſtinguuntur realiter, ſumpta eſſentialiter, conc. Min. ſumpta notionaliter, nego Min. & Conſ. Itaque, vt ſupra vidimus, fundamētū Paternitatis divinæ eſt origo activa, id eſt, actus intellectionis divinæ, vt modificatus relatione Paternitatis per modū ſubſiſtentis, & fundamentū Filiationis divinæ eſt ipſum intelligi, nō purè eſſentialiter, ſed vt connotat relationē Filiationis, ſecundum quod dicitur origo paſsiva; prout ſic autem intelligere, & intelligi realiter diſtinguuntur connotative, quia connotant relationes inter ſe realiter oppoſitas, & ſic non concluditur, quod fundamenta relationum divinarum non diſtinguantur realiter.

Sed contra ſolutionem inſto, Magnitudo, in qua fundatur æqualitas, licet abſolute ſit eadem realiter in Patre, & Filio, tamen connotative eſt diverſa in Patre, & in Filio: ergo poterit fundare relationē realē æqualitatis. Prob. Conſ. nam ad illā fundādā, ſufficit quod fundamentum habeat vnitatem cum diverſitate; ſed in magnitudine, vt connotantem diverſas relationes habetur vnitas cum diverſitate: igitur habebitur requiſitum ad fundandam relationem realē æqualitatis. Ad hoc nego Conſeq. ad prob. diſt. Mai. ſufficit quod fundamentum habeat vnitatem cum diverſitate, de linea abſoluti, conc. Mai. cum diverſitate, de linea relativi, nego Mai. & diſtinguo Min. habetur vnitas cum diverſitate, de linea abſoluti, nego Mai. de linea relativi, conc. Min. & nego Conſ. Itaque fundamentum relationis æqualitatis realis nequirit quod forma illa, in qua eſt æqualitas ſit inter ſe diviſa, & partita; vt ſic poſsit habere in ſe fundamentalem oppoſitionem, ex qua oriatur oppoſitio realis, relativa; at magnitudo quamvis connotet diſtinctionem relationum oppoſitarum inter ſe, non tamen per hoc illa in ſe ipſa dividitur,

& partitur, ſed manet in linea abſoluta ſemper vna numero,& ſic manet impotens ad fundandam relationem realem æqualitatis.

Ad ſecundam. Confirm.diſt.Ant.non fundant relationem ex quo diſtinguuntur, ſi ly *ex quo* dicat rationem formalē fundādi,conc. Ant. ſi dicat ſolam conditionem ad fundandum,nego Ant. & Conſeq. Itaque ratio fundandi eſt vnitas vt ſubeſt diſtinctioni vt conditioni; vnde, ſi auferas diſtinctionem, vnitas non fundabit ex defectu conditionis, & quia in Deo in magnitudine habetur vnitas ſine diſtinctione, ibi non habetur fundamentū relationis realis ęqualitatis.

469 Tertio arguitur. Id, quod ab Eccleſia adoratur, & colitur nequit eſſe aliquid rationis,ſed æqualitas divinarū perſonarum adoratur,& colitur ab Eccleſia:ergo hæc non debet eſſe aliquid rationis. Prob.Min. nam in præfatione Sanctiſsimæ Trinitatis habetur: *Vt in eſſentia vnitas, & in perſonis proprietas, & in maieſtate adoretur æqualitas*: igitur æqualitas adoratur, & colitur in divinis. Confir. Si æqualitas divinarū perſonarū eſſet ſola relatio rationis, æqualitas formalis non conveniret Deo ab æterno, ſeu ſolum in tempore; hoc non eſt dicendum:ergo.Prob.Mai.relatio rationis, cum ſolum fieri poſsit ab intellectu humano, qui ab æterno non eſt, tantum in tempore deberet convenire: ergo ſi æqualitas formalis eſſet ſola relatio rationis,æqualitas formalis nō conveniret Deo ab æterno, ſed tantum conveniret in tempore.

Ad hoc argum.:tranſ.Mai.& conc.Min. & Conſeq. æqualitas enim,quę colitur, & adoratur ab Eccleſia non eſt relativa ęqualitas,ſed tantum abſoluta, quę conſiſtit in participatione adęquata vnius numero divinę perfectionis: vnde quāvis ens rationis non adoretur, non ſequitur, quod ęqualitas divinarum perſonarum non adoretur.

Ad Confir. aliqui admittunt,quod Deo ab ęterno non conveniat ęqualitas formalis,ſed ſolum fundamentalis, quod ſufficit, vt dicantur tres perſonę realiter ęquales. Cæterum, ſi hoc intelligant de æqualitate poſitivo fundamentali, exiſtimo hoc eſſe falſum, nec enim poſſum intelligere, quod realiter detur fundamentum relationis æqualitatis, & quod non poſsit relatio eſſe realis: etenim fundamentum reale relationis æqualitatis,diximus,quod eſt vnitas,vt ſubeſt diſtinctioni; hoc totum à parte rei non datur: ergo fundamentum poſitivum relationis æqualitatis non datur in Deo à parte rei. Præterea, ſicut à poſteriori hæc eſt bona conſequentia: *Chymera realiter repugnat: ergo non datur in Deo potentia ad productionem chymeræ*, ita & hæc eſt bona à poſteriori, *repugnat in Deo relatio æqualitatis realis: ergo, & fundamentum talis relationis repugnat, ſed relatio æqualitatis realis repugnat: ergo, & æqualitatis fundamentum poſitivum repugnat.* Si autem nomine fundamenti intelligatur quædam non repugnantia, vt intellectus relationem æqualitatis formet, tunc ita iudico eſſe verum: ſed dico, quod tres perſonæ, vt dicantur formaliter æquales, non indigent relatione rationis, quia vt ſupra dixi, æqualitas formalis eſt duplex, alia conſiſtens inadæquata participatione alicuius magnitudinis cum negatione exceſſus maioris, & minoris, & hæc non eſt relativa, ſed abſoluta; alia, quæ præter hoc admittit diſtinctionem in magnitudine, & hæc eſt ſolum fundamentaliter æqualitas, quia ad illam realiter conſequitur relatio æqualitatis: hæc ſecunda nullo modo invenitur in Deo, bene vero prima; & hæc convenit Deo ab æterno, quidquid ſit de relativa rationis. Vnde ad argumenti Confirmationem, conceſsis præmiſsis, nego Conſeq. quia, vt dixi, præter æqualitatem formalem relativam rationis datur alia æqualitas formalis conveniens Deo ab æterno pure abſoluta,cum ſola non repugnantia vt intellectus noſter formet æqualitatem relativam rationis.

Sed inſtas contra hanc doctrinam. Nos non poſſumus intelligere æqualitatem formalem in divinis,niſi per æqualitatem formalem creatam; at hæc in creatis non eſt niſi realiter relativa:ergo in Deo non erit niſi relativa rationis. Reſp.inſtando Conſ. Nos non poſſumus intelligere perſonas divinas niſi connotando perſonas creatas; at omnis perſona creata eſt abſoluta:ergo perſonalitas divina erit abſoluta. Ita & hæc nō valet, nos non poſſumus intelligere ęqualitatem formalem divinam niſi connotando creatam; hæc eſt tantum in creatis relativa: ergo æqualitas formalis in divinis tantum erit relativa. Aliud enim eſt quod ego,qui connotative ad ſpecies creatas divina intelligo, non poſsim intelligere æqualitatem divinam, niſi per ſpeciem relationis creatæ, & aliud eſt, quod

quod ipſa æqualitas divina formalis conſiſtat in relatione tantum, ſic quod non inveniatur in abſolutis. Primum eſt verum; ſecundum falſum, quia eſſe divinorum ſic, vel ſic, non dependet ab eo, quod ſic, vel aliter intelligam: vnde, ſicut ex hoc quod perſolitatem divinam non poſſim intelligere niſi per abſolutam perſonalitatem creatam, non ſequitur, quod perſonalitas divina conſiſtat formaliter in eſſe abſoluto rationis, ſic ex hoc quod æqualitatē formalem divinam non poſſim intelligere niſi per relationē creatam, non ſequitur, quod æqualitas divina ſit relativa rationis.

§. V.

Vtrùm in ſententia admittentium perfectiones relativas debeat poni in Deo æqualitas formalis realis relativa?

470 CVM Ratio quantitatis virtutis in Deo reperibilis, non ſit aliud quam perfectio divina, qui ponunt perfectiones relativas realiter diſtinctas in Deo, multiplicant realiter illo magnitudinem, in qua conſiſtit æqualitas. Vnde iſti videntur ponere omne id, quod requiritur ad relationem realē æqualitatis. Dico ergo, qui ponunt in Deo perfectiones reales relativas realiter inter ſe diſtinctas, tenentur ponere in Deo reales relationes æqualitatis, non tamen diſtinctas ab ipſis relationibus conſtituentibus perſonas. Pro intelligentia adverto, quod licet difficile, ac quaſi inintelligibile ſit ponere perfectiones relativas realiter inter ſe diſtinctas, & ponere perſonas in omnibus eſſe æquales tam in abſolutis, quam in relativis; nam relationes divinæ non differunt tantum numero, ſed differunt quaſi formaliter ſpecificæ, & duæ ſpecies, vel quaſi ſpecies, implicat in perfectione eſſe æquales, & ſic videtur quaſi inintelligibile, quod relationes divinæ, ſi perfectionem relativā dicunt, in perfectionibus relativis prorſus æquales ſint. Tamen Authores eius opinionis non audent adhuc in perfectionibus relativis eas dicere inæquales, ſed fatentur in omnibus prorſus eſſe æquales. Hinc aſſumentes, quod fatentur, dicimus, ipſos teneri ad ponendum in divinis relationes reales æqualitatis. Quod ſic diſcurro, Vbi ex parte fundamenti æqualitatis relativæ adeſt diſtinctio realis inter formas, penes quas aliqua extrema dicuntùr æqualia, ibi adeſt omne id, quod requiritur ad fundandum relationem realem æqualitatis; ſed Pater, & Filius, dum ſunt æquales in perfectionibus relativis, ſunt æquales in perfectionibus realiter inter ſe diſtinctis: ergo in eis adeſt ex parte fundamenti omne id, quod requiritur ad relationem realem æqualitatis.

Secundam partem concluſionis ſic demonſtro. Nam, ſi Pater, & Filius dicerētur realiter æquales à relationibus realiter ſuperadditis, daretur proceſſus in infinitum, nam relationes reſultantes, cum eſſent perfectæ perfectione relativa, & æquales in ea, etiam fundarent alias relationes reales æqualitatis, de quibus fieret argumentum idem, & ſic procederetur in infinitum in relationibus relativis, quod nequit admitti: ergo dicendum eſt, quod dicerentur realiter relative æquales ipſiſmet relationibus, quibus dicuntur Pater, & Filius. Confirm. Pater, & Filius per eaſdem relationes, per quas denominantur tales relative, denominantur relative oppoſiti, & relative diſtincti inter ſe, quia formæ, in quibus opponuntur, & diſtinguuntur ſunt ipſæ relationes Patris, & Filij, ſed etiam formæ, in quibus eſſent æquales eſſent ipſæ perfectiones relativæ; quæ nulla via diſtinguuntur à Paternitate, & Filiatione: igitur, ſicut ſe ipſis fundamentaliter eſſent æquales, ita ſe ipſis formaliter reſpicerent ſe vt æquales in perfectionibus relativis.

471 Hinc optime inferes, quam aptè Sanctus Doctor, vt convincat in divinis non dari relationem realem æqualitatis diſtinctam à relationibus perſonalibus, vius ſit illa ratione, quod videlicet vna relatio realis nequit realiter fundari ſuper aliam: vnde ſi Pater, & Filius in ſuis relativis perfectionibus eſſent æquales, relatio æqualitatis deberet eſſe intranſitive ipſa relatio æqualitatis, nam alia ab ipſa debuiſſet ipſam Paternitatem habere pro fundamento, quod cum verum non ſit, cum vna relatio nequeat fundari ſuper aliam, reſtat quod ipſa Paternitas relatio æqualitatis ſit.

Inſtabis contra ſecundam partem concluſionis. Paternitas, & Filiatio fundantur in actione, & paſſione, relationes æqualitatis fundantur in vnitate, iſtæ ſpectant ad primum genus, primæ ad ſecundum; ſed ita ſic diverſa implicat convenire eiſdem numero relationibus: ergo in caſu,

quod darentur relationes reales æqualitatis, non poſſent eſſe ipſæ relationes Paternitatis, & Filiationis. Ad hoc diſt. Mai. pro ſecunda parte, relationes æqualitatis fundantur in vnitate, quando datur fundamentum, & relatio vere fundata, conc. Mai. quando non datur fundamentum, nego Mai. & eadem diſtinctione diſt. aliam ſecundam partem, iſtæ ſpectant ad primum genus, quando ſunt relationes veræ fundatæ, conc. quando non ſunt fundatæ, nego, & conceſſa Minori, nego Conſeq. Itaque, vt duæ relationes æqualitatis ſpectent ad primum genus, non ſufficit ipſas relationes ſe ipſis eſſe æquales, ſed requiritur, quod realiter reſultent ex æqualitate abſoluta: genera enim fundamentorum, penes quæ variantur relationes, non ſunt relationes, ſed abſoluta, ex quibus realiter reſultare poſſunt relationes reales: porrò Paternitas diuina, & Filiatio diuina ſe ipſis eſſent æquales, & cum alias eſſent relationes, ſe ipſis intranſitive ſe reſpicerent vt æquales: vnde non eſſent relationes primi generis, ſed ſecundi. Itaque duo abſoluta quando inter ſe ſimilia ſunt, quia ſe ipſis reſpicere non poſſunt, oportet, quod per relationes ſuperadditas ſe reſpiciant: quando autem ipſæ relationes ſe ipſis ſimiles ſunt, cum relationes ſint, duo habent, & ſimiles ſunt, & mutuo vt ſimiles ſe reſpiciunt; ſic ergo, dum Paternitas, & Filiatio ſe ipſis in ſuis relatiuis perfectionibus eſſent æquales, duo haberent ex proprijs, & æquales eſſent, & ſe vt æquales reſpicerent.

Sed inſtas Pater, & Filius denominantur vnus ſpirator à relatione ſuperaddita Paternitati, & Filiationi: ergo, & poterunt denominari æquales à relatione æqualitatis ſuperaddita. Ad hoc, nego Conſ. nam Pater, & Filius non ſunt ſpirator ſe ipſis intranſitive, ſed inter relationem ſpirationis, & Paternitatem, & Filiationem mediat actio ſpiratiua, & ſic non eſt inconueniens, quod per modum ſuppoſiti, & *vt quod* à relatione ſpirationis dicantur ſpirator; at ſi eſſent perfecti perfectione relatiua ſe ipſis intranſitive eſſent æquales, & ſic ſe ipſis intranſitive ad relationem ſuperadditam dicerentur æquales relative, id eſt, ſe reſpicerent vt æquales.

(?)

§. VI.

Quæ prioritas ſit admittenda in diuinis?

472 QVATVOR Modos prioritatis diſtinguunt Theologi in præſenti. Prima eſt prioritas durationis, quando videlicet vnū duratione præcedit alterum, nempe quando vnum exiſtit altero nondum exiſtente. Secunda eſt prioritas naturæ, ab hoc dicta, quod natura, vel relatio præſupponitur alteri, eo ſolū, quia ab ipſa hoc alterū depēdet, vel cauſatur, licet vtrumque in eadem exiſtant duratione; qua de cauſa ſol dicitur prioritate naturæ præcedere lucē, quia hæc per veram cauſalitatem dependet à ſole. Tertia prioritas originis eſt, dum vnū ab alio omni prorſus cauſalitate ſecluſa procedit: vnde hoc modo prius; ſolum explicatur per hoc, quod ab vno ſit alius. Quarta prioritas intelligentiæ dicitur, quæ ſolū explicatur non per ordinem prioris, & poſterioris, quem res habeat in ſe; ſed per ordinem, quem intellectus ſeruat in intelligēdo: dum enim rem adæquate ſimul cognoſcere non valet, intelligit vnum alio non intellecto; illud ergo quod primæ intellectioni noſtræ per modum cogniti correſpondet, illud dicitur intelligentiæ, ſeu rationis ordine eſſe prius altero. Hoc ergo animaduerſo, certū eſt in diuinis nihil eſſe prius altero primo, & ſecundo genere prioritatis; vbi enim omnia ſibi coæterna ſunt, & vbi ratio effectus & cauſalitatis non admittitur, prioritas ſecundum durationem, & ſecundum ordinem naturæ locum habere non poſſunt: cum ergo omnia diuina huiuſmodi ſint, primæ duæ prioritates in eis locū habere nō poſſunt: vnde de iſtis prioritatibus verū habet illud Athanaſij, *in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius.*

Circa tertiam prioritatem aliqua videtur eſſe difficultas, nā D. Th. inter diuinas perſonas admittit ordinem originis omni prioritate, & poſterioritate ſecluſa: ſic enim habet in fine corporis: *Vnde oportet ibi eſſe ordinem ſecundum originem abſque prioritate;* quod, & repetit alia vice in corpore articuli, & ſupra quæſt. 33. art. 1. ad 3. vbi habet, quod, *licet hoc nomen principium quantū ad id, à quo imponitur ad ſignificandum videatur à prioritate ſumptum, non tamen ſignificat prioritatem, ſed originem; non enim idem eſt quod ſignificat nomen, & à quo nomē imponitur;* ſenſit ergo D. Thom. quod inter di-

divinas perſonas ſit ordo originis, ſed inter eas nulla ſit prioritas, & poſterioritas.

His tamen ſe opponit Scotus dicens, quod vbi invenitur realis ordo ibi indiſpẽſabiliter in eo genere, in quo eſt ordo, debet eſſe prioritas, & poſterioritas: ergo ſi in divinis reperitur realis ordo, debet quoque ibi aſsignari prioritas, & poſterioritas. Secundo, quia vbi eſt primũ, ſecundũ, & tertiũ indiſpenſabiliter requiritur ordo prioris, & poſterioris, cum ſecundũ ſit poſterius primo, & tertiũ poſterius ſecundo, & primo; ſed inter perſonas Sanctiſsimæ Trinitatis datur prima perſona, quæ eſt Pater, ſecunda quæ eſt Filius, & tertia quæ eſt Spiritus Sanctus: ergo indiſpenſabiliter reperitur prioritas, & poſterioritas.

Cæterum D. Th. manifeſte convincit inter divinas perſonas non adeſſe prioritatẽ, ſed tantũ adeſſe ordinẽ originis; nam in ipſis tantũ reperitur eſſentia, & relatio; in eſſentia non eſt prioritas, quia vna eſt eſſentia trium, nec etiã in relationibus; quia correlativa ſunt ſimul natura, & cognitione: ergo riguroſe loquẽdo de prioritate, nõ eſt concedenda prioritas in divinis. Cæterum, ſi iſta ſane intelligantur, nulla erit in hoc puncto diſcordia. Etenim prioritatem, & poſterioritatẽ, quam D. Th. excludit à divinis, eſt ſecundũ durationẽ; cum enim prius, & poſterius ſint differentiæ temporis ſucceſsivi, prius & poſterius denotant ordinem in exiſtere: vnde quia divinæ perſonæ ſimul exiſtunt, & vna nõ eſt alia antiquior, neque in ſigno *in quo* realis, neque in ſigno *in quo* rationis, nõ eſt abſolute concedendũ inter divinas perſonas dari realẽ ordinem prioris, & poſterioris. Vocare autẽ priorem origine Patrẽ non ſignificando per illã vocem *priorem* aliud, quã quod Pater ſit à ſe, & ſit id, à quo eſt Filius, non opponitur dictis D. Th. & quia Scotus nihil aliud prætendit, ideo ſecundũ rem, dictis D. Th. non opponitur. Poſſumus ergo concedere, quod Pater eſt prius origine Filio, & Filius origine eſt poſterius Patre, ſolũ per hoc ſignificando, quod Filius eſt à Patre, & Pater eſt à ſe: in quo ſenſu dicimus, Patrẽ eſſe primã perſonã Trinitatis, & Filiũ ſecundã, quia Filius eſt à Patre, & Spiritũ Sanctum tertiã, quia eſt à Patre, & Filio. Sed, ſi quis velit quod Pater ſit prior ogine, ad hunc ſenſum, quod quia originat, ſit prior in exiſtendo Filio originato, hæc nulla via admitti poterit: cũ originans, & originatum correlativa ſint, & hæc ſint ſimul natura, & cognitione.

473 Circa quartam prioritatem, etiam videtur aliquod eſſe diſsidiũ, nam D. Th. hic art. 3. ad ſecundũ ait: *Vnde neque ex parte naturæ, neque ex parte relationũ vna perſona poteſt eſſe prior alia, neque etiam ſecundũ naturã, & intellectum.* Quibus videtur ſibi opponere ſupra, q. 40. art. 4. vbi inquit: *Origines enim paſsive ſignificatæ ſimpliciter præcedunt ſecũdum intellectũ proprietates perſonarũ procedentium, etiã perſonales, quia origo paſsive ſignificata ſignificatur vt via ad perſonam conſtitutam, ſimiliter, & origo activè ſignificata prior eſt ſecundũ intellectũ; quã relatio perſonæ originantis, quæ non eſt perſonalis, ſicut actus notionalis ſpirationis ſecundum intellectum præcedit proprietatem relativam innominatam communẽ Patri, & Filio.* Sic D. Th. Quibus manifeſte videtur ſe opponere dictis ex q. 40. art. 4. adductis.

Prætendit hæc concordare Caietanus, & dicit, quod de Paternitate, & Filiatione dupliciter loqui poſſumus, vel de illis pure ſecundũ rem, id eſt, ex his, quæ habent tantũ ex meritis ſuis, & iſto modo ſunt ſimul natura, & cognitione, quia correlativa ſunt; alio modo contingit loqui de eis ſub aliquo partiali conceptu, ſeu modo concipiendi, & ſic loquutus eſt D. Th. ſupra q. 40. art. 4. & merito, quia ibi loquutus eſt de præintellectione actuum notionaliũ ad proprietates perſonales, & è converſo: vnde Pater conceptus vt hypoſtaſis præcedit ſecundũ intellectum generationẽ, & Filiũ: vnde nulla eſt contradictio. Hæc dicta Caietani ſic intelligo, quod loquendo de Patre adæquatè ſumpto, ſic non eſt Filio prior, etiã ſecundũ intellectum: loquendo autẽ de Patre inadæquate concepto, id eſt, præciſſe ſecundum quod eſt hypoſtaſis Patris, ſic præcedit ſecũdũ intellectũ originẽ activã, paſsivã, & ipſam Filiationẽ: hoc ſecundo modo loquutus eſt q. 40. primo autẽ modo hic loquitur; & merito quidẽ ſic debemus philoſophari, nam Patrẽ divinũ intelligimus connotative ad Patrem creatũ; in hoc enim primo intelligimus perſonã, deinde actũ generationis, deinde relationẽ Paternitatis: aſcendendo ergo ad Patrẽ divinũ, cum illa tria habeantur ab eadẽ indiviſibili Paternitatis relatione, primò debemus intelligere illam vt perſonam, ſecundò vt generantẽ, tertiò vt relationem ſecundum modum relationis, & ſic eſt neceſſe ponere ordinẽ prioris, & poſterioris ſecundũ intellectum non valentem illa tria, quæ vnum indiviſibile ſunt, vno actu intelligere.

§. VII.

De modo, quo vna perſona exiſtit in alia.

474 VNAM Perſonam eſſe intra aliam mortalibus inviſum eſt, nam, cum generationes humanæ ſint actiones tranſeuntes, non poſſunt generantes, Filios intra ipſos producere. Sed hoc mortalibus inviſum, Trinitatis magnum eſt Sacramentum. Etenim Pater intelligendo Verbum format, & hoc Verbum fides dictat eſſe divinum Filium; cum ergo Verbũ ſit terminus actionis immanentis, debet neceſſario manere intra intelligentem notionaliter, ſeu intra dicentem illud: eſt ergo Filius intra perſonam Patris, quia Verbum eſt intra ipſum intelligentem producentẽ illud, ſimiliter impulſus, Spiritus Sanctus eſt; impulſus autẽ intra amantem eſt, & manet, quandiu amor durat: ergo in Patre, & Filio, à quibus producitur, exiſtit, & manet Spiritus Sanctus. Rurſus Deus Pater perfectiſsime producit Verbum intra intellectũ ſuum: igitur eſt tanquã producens in producto per quendam veluti perfectiſsimũ illapſum. Similiter, Pater, & Filius habent intra ſe producere Spiritũ Sanctum: ergo tanquam producens in producto in Spiritu Sancto exiſtunt, & ſic mutuo perſonæ intra perſonas ſunt.

Inſtas contra hoc, natura divina eſt in tribus perſonis, quia communicatur tribus; at perſonæ inter ſe incommunicabiles ſunt: igitur vna perſona non erit intra aliam. Reſp. naturam divinam eſſe in tribus conſtitutive, quia tres Deum vnum eſſe conſtituit, & ideo hoc convenit illi media communicatione, qua communicatur vt forma ſuppoſito; at Pater non eſt in Filio, Filium conſtituendo Patrem, neque Filius eſt in Patre, Patrem conſtituendo Filium, ſed dicitur eſſe in Filio Pater, & Filius in Patre per intimam præſentiam, & illapſum, ad quod non requiritur, quod Filius communicetur Patri communicatione identitatis, & ſic ſtat Patrem eſſe incommunicabilem Filio, id eſt, realiter diſtingui à Filio cum hoc, quod eſt eſſe realiter incommunicabilem Filio, ſimili modo, quo Deus eſt in omnibus rebus creatis per intimum illapſum, à quibus tamen realiter diſtinguitur.

475 Secundo inſtabis. Si Pater vt Pater eſſet in Filio, *ad* Paternitatis vt *ad* vere conveniret eſſe *in*, ſeu explicare *in*; hoc autem nequit dici: igitur etiam nequit dici, quod Pater vt Pater ſit in Filio. Prob. Mai. *ad* Paternitatis vt *ad* eſſet in Filio, nam eſſet in Filio etiam reduplicative vt à Filio diſtinguitur; reduplicative autem diſtinguitur per *ad*: ergo *ad* Paternitatis vere conveniret eſſe *in*. Ad hoc diſt. Mai. vere *ad* Paternitatis conveniret eſſe *in*, *in* identitatis cum Filio, nego Mai. *in* per intimam præſentiam, ſeu intimam aſsiſtentiam, conc. Mai. & in hoc ſenſu, nego Min. Etenim, cum *ad Filium* dicat ſolam incommunicabilitatem cum Filio, repugnat explicare *in* Filio, id eſt, explicare identitatem cum illo: eſſe autem *in Filio* per ſolam intimam aſsiſtentiam requirit realem diſtinctionem à Filio, & ſic non repugnat *ad* Patris explicare *in* comparative ad Filium.

Sed inſtas, omne *in* explicat eſſe, ſed *ad Filium* nequit explicare eſſe: ergo nequit ei vt *ad*, convenire eſſe *in Filio*. Ad hoc diſt. Mai. omne *in* explicat eſſe, entitatis, nego, entitatis, vel intimæ aſsiſtentiæ, conc. Mai. & diſt. Min. nequit explicare eſſe entitatis, conc. Min. eſſe pure aſsiſtentiæ; nego Min. & diſt. Conſeq. eſſe *in Filio*, prout dicit entitatẽ, conc. Conſeq. prout tantum dicit intimam aſsiſtentiam, ſeu illapſum, nego Conſeq.

Sed contra eſt, nam ſi admittimus quod Pater eſt in Filio tanquam producens in producto per intimam illapſum, & intimam aſsiſtentiam, videtur quod ponamus Patrem eſſe in Filio tanquam locatum in loco; hoc autem non videtur dicendum: ergo. Prob. Mai. quando Angelus vnitur corpori, vt operans operato, vere eſt in corpore tanquam locatum in loco, ſimiliter, cum Deus vnitur creaturis vt operans operatis, vere eſt in creaturis tanquam locatũ in loco: ergo cum Pater eſt in Filio vt procedens in producto, vere erit in illo tanquam locatũ in loco. Confir. quod eſt in altero vt producens in producto, vere contingit illud ſolo contactu virtutis: ergo vere eſt in illo vt locatum in loco. Prob. Conſeq. nam argumentamur à definitione ad definitum: tum vltra, ſed Pater eſt in Filio vt producens in producto: ergo tãget illum vero contactu virtutis, & ſic erit in illo tanquam locatum in loco.

Ad hoc nego Mai. ad probationem nego Conſeq. nam ad eſſendum in aliquo tanquam locatum in loco requiritur, quod

lo-

Digitized by Google

locus ſe habeat vt quid extraneum locato; porrò Filius non eſt extraneus Patri, cum Pater, & Filius ſint ſuppoſita eiuſdem numero naturæ, vnde quantũvis Pater vniatur Filio vt producens producto, non ſequitur, quod ſit in Filio tanquam locatũ in loco. Hæc autẽ non militant in Angelo reſpectu corporum, in quibus eſt vt producens in producto, neque in Deo reſpectu creaturarum; ſunt enim iſtæ extra naturam, & extra ſuppoſita naturæ divinæ, & illa ſunt extra ſubſtantiam Angeli: vnde iſti ſtant in operatis vt locatum in loco, non vero Pater in Filio. Præterea, quod eſt in loco, vt operans in operato ſibi ſubordinat locũ vt videre licet in Angelo reſpectu corporum, & in Deo reſpectu creaturarum; Pater autem divinus nequit ſibi ſubordinare Filium, aliàs illum excederet in perfectione: vnde nequit eſſe in illo tanquam locatum in loco. Ad Confirm. nego Conſ. quia ad eſſendum in aliquo tanquam locatum in loco, non ſufficit illud contingere contactu virtutis, ſed requiritur, quod alio modo non ſit ei intrinſice vnitum: vnitur autem Pater intrinſice Filio, quatenus eſt eiuſdem naturæ cum illo, & Filius vnitur Patri, quatenus eſt intra intellectum Patris vt Verbum eius, & ſic quamvis Pater Filiũ contingat, vt producens tangit productum, non tamen ſequitur, quod ſit in Filio tanquam locatum in loco.

QVÆSTIO XX.

De Miſsione Divinarum Perſonarum.

POSTQVAM Egimus de perſonis inter ſe comparatis, modo reſtat agere de perſonis comparative ad creaturas, & quia ex Scripturis habemus perſonas divinas mitti ad nos, & venire ad nos, ideo in præſenti vt fœlicem finem imponamus tractatui de Trinitate, oportet agere de miſſione divinarum perſonarum ad nos.

§. I.

Vtrùm alicui perſonæ divinæ conveniat mitti?

476 DE Miſsione poſſumus loqui, vel prout determinate dicitur de creaturis, vel prout determinate dicitur de perſonis divinis, vel de illa prout abſtrahit à creatis, & à divinis. Si primo modo de miſsione ſit loquutio, ſit dicit quandam motionem, vel proceſsionem vnius rei ab alia tranſmiſſæ ad alium locum, vel perſonam, vt ibi exequatur iuſſum perſonæ mittentis, ſic ad Virginem ſalutandam Lucæ 1. dicitur Gabriel miſſus *ad Civitatem Galileæ*, ecce locum, *ad Virginem*, ecce perſonam, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, ecce functionem, ad quam per agendam miſſus eſt, nempe ad ſalutandam Virginem. Quod ſi ab inanimatis huius doctrinæ deſideretur exemplum, illud aſsigno. Conſiderate ſagittam, cum à ſagittario procedit vi impulſus eius in locum determinatum, tunc vere dicitur mitti à ſagittario in ſignum, quod ſibi determinat. Si autem ſecundo modo loquamur de miſsione, ſic miſsio ſignificat duo, nempe originem æternam ab illa perſona, qua mitti dicitur alia, & novum modum eſſendi in creatura, præter hoc quod eſt eſſe in illa per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: quiſnam autem ſit hic ſpecialis modus, & in quo conſiſtat? Div. Thom. hic, quæſt. 43. articul. 3. dicit, conſiſtere in eo, quod Deus ſit in nobis, ſicut cognitum in cognoſcente, & ſicut amatum in amante. Si tertio modo loquamur de miſsione, ſic ſignificat quandam proceſsionem ab aliquo principio alicuius ad aliquem terminum, vbi prius non erat res, quæ mitti dicitur, vel vbi incipit de novo eſſe alio modo, quam ibi antea erat. Vnde in re, quæ mittitur eſt neceſſario diſtinguenda duplex habitudo, altera ad mittentem tanquam ad id, à quo procedit res miſſa, altera ad terminum, ad quem mittitur, vt ibi ſit, ſaltim ſecundum novum modum eſſendi diſtinctum ab illo, quem prius habebat in illo.

477 His prænotatis. Concluſio indubitate eſt tenenda, videlicet, mitti cõvenit alicui perſonæ divinæ. Hanc concluſionem multis in locis dictant Scripturæ Sacræ. 1. Ioann. 4. *Miſit Deus Filium ſuum.* Ioann. 15. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.* Ioan. 6. *Miſit me Pater vivens.* Cap. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis.* Hinc hanc veritatẽ communiter complexantur Sancti Patres, & Scholaſtici omnes. Eã prob. D.Th.

Digitized by Google

hic quæſt. 43. art. 1. Miſſio prout de divinis perſonis dicitur ſignificat originem æternam perſonæ, quæ mittitur à mittente, & novum modum exiſtendi in creatura; ſed hæc duo conveniunt perſonis Filij, & Spiritus Sancti: igitur alicui perſonæ divinæ cōvenit mitti. Diſcurſus eſt legitimus. Mai. patet ex diffinitione miſſionis ſupra adducta prout determinate dicitur de perſonis divinis, & Min. Prob. in primis Filius procedit æternaliter à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, deinde in tempore per gratiam habitualem inviſibiliter in habitant mentem hominum, & ſunt ibi per modū obiecti contemplationis, & amoris, qui eſt novus modus eſſendi in rebus diſtinctus ab hoc, quod eſt eſſe per eſſentiam, præſentiā, & potentiam in illis: ergo.

Dices, rationem originis æternæ à mittente nihil facere ad caſum, ſed impertinēter ſe habere ad rationem miſſionis, quæ temporalis eſt. Quod probabis ſic. Nam ad rationem miſſionis proprie dictæ requiritur exitus à mittente ad creaturā, vt ſit novo modo in illa; ſed perſona divina non incipit eſſe novo modo in creatura ex vi originis æternæ, qua procedit à perſona divina, ſed tantum ex vi alicuius effectus, qui temporaliter producitur à tota Trinitate: igitur origo æternæ perſonæ, quæ dicitur mitti à mittente, impertinenter ſe habet ad propriam rationem miſſionis divinæ perſonę.

Sed contra eſt, nam vis, & potentia, per quam perſona Filij v. g. producit gratiā habitualem, ratione cuius temporaliter in habitat novo modo mentes hominum, nō convenit Filio, niſi vt communicata à Patre per proceſsionem ęternam, qua ab illo ęternaliter procedit: ergo ad rationē miſſionis, qua novo modo incipit in tempore eſſe in creatura per gratiam, non ſe habet impertinenter origo æterna, qua procedit à Patre, ſed valde per ſe conducit. Itaque Filius, & idem dico de Spiritu Sancto exit à Patre iuxta illud Ioann. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundū*, & exeundo æternaliter à Patre accipit potentiam, & vim, per quam ad extra effectus operatur, ratione quorum novo modo in tempore mentes rationales inhabitat; & ſic dicitur mitti à Patre, eo modo, quo ſagitta dicitur mitti à ſagittario, quia, dum ab eo exit, accipit vim, & impulſum, quo in ſignum determinatum à ſagittario tendat.

Secundo inſto contra ſolutionem datam. Nam ad rationem miſſionis per ſe requiritur authoritas in mittente reſpectu perſonæ, quæ mittitur; ſed divinis perſonis nequit convenire alia authoritas reſpectu divinarum perſonarum, niſi per hoc quod vna perſona ſit id, à quo alia procedit: igitur non impertinenter, ſed valde per ſe ſe habet ratio æternæ originis ad rationem temporalis miſſionis. Diſcurſus apparet legitimus. Mai. certa, ideo enim divinus Pater, quamvis liberaliter det ſe ipſum creaturis, & veniat ad illas, & manſionem faciat ad illas, non tamen dicitur mitti à ſe ipſo, quia, cum à ſe ipſo non procedat, non habet authoritatem ſupra ſe ipſum, vi cuius ſe ipſum mittat; neque mitti dicitur à qualibet alia perſona, quia, cum à nulla procedat, ſed omnes procedant ab ipſo, nulla alia perſona habet authoritatem ſupra ipſum. Min. apparet clara, nam inter divinas perſonas non eſt aliqua inæqualitas, neque in perfectione, neque in duratione, cum totæ ſibi ſint coæternæ, & coæquales: ergo authoritas vnius ſuper aliam ſolum penſari poterit per hoc quod vna ſit, à qua eſt alia.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

478 CONTRA Hanc veritatem D. Tho. in primo ad Annibaldū diſt. 15. q. vnica, art. 1. tale producit argumentum. *Secundum Dionyſium, Angelis ſuperioribus ratione ſuæ dignitatis non convenit mitti ad nos, ſed ſolum convenit Deo aſsiſtere: ergo multo minus conveniet divinis perſonis.* Huic argumento, reſp. D. Thom. duplici ſolutione. Primo: *Dicendum, quod non eſt ſimile, quia Angeli ſuperiores non operantur circa nos, niſi mediātibus Angelis inferioribus, ſed perſona divina operantur immediate circa nos.* Secūdo reſp. *Vel dicendum, quod miſsio Angelorum ſuperiorum ad nos eſſet imperfectionis in eis, quia locum mutarent, ſed divina perſona, cum ad nos mittuntur, locum non mutant, & ideo miſsio non dicit imperfectionem in eis.* Vbi advertetim, quod in nulla iſtarū ſolutionum dicit D. Thom. quod Angeli ſuperiores non poſſunt mitti ad nos, nam ſi Deo placuerit illos mittere, mitti non repugnabit illis, ſiquidē, & poſſunt locum mutare, & poſſunt immediate operari in nobis, non minus ac Angeli inferiores operantur; tantum ergo

Digitized by Google

D.Thom.vult, quod rebus vt nunc ſic ordinatis, ſicut de facto ordinavit Angelos,nō conveniat illis mitti ad nos;ordinavit autē Deus de facto, quod ſuperiores Angeli careant aliquibus imperfectionibus, quibus Angeli inferiores non carent:altera eſt, quod locum non mutent,ſed ſoli Deo aſsiſtant ſemper:altera eſt, quod in operationibus erga nos miniſterio vtantur Angelorum inferiorum:vnde ſtādo in his ſtatutis, bene dicit D. Thom. quod non convenit Angelis mitti ad nos.

Sed contra doctrinam ſecundæ ſolutionis ſic inſto ex ipſo D.Thom.in Epiſtola ad Hebræos cap.1.lect. 6. vbi explicans illa verba: *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiūt ſalutis*,quibus Paulus videtur dicere, quod omnes Angeli tam ſuperiores, quam inferiores mittantur ad nos. D. Thom.ſic habet: *Dicendum eſt, quod duplex eſt miſsio, vna, quæ motum localem importat, & ſic mittuntur ſolum inferiores, alia eſt miſsio, quæ fit per applicationē, & directionem novi effectus in creatura, & ſic mittuntur Filius, & Spiritus Sanctus, & hoc modo mittūtur ſuperiores, quia virtus eorum immittitur in inferiores immittenda alijs.* Quibus verbis attribuit Angelis ſuperioribus miſsionem eo modo,quo miſsio attribuitur divinis perſonis: vnde ſe opponit doctrinæ datæ in ſecunda ſolutione.Secundo aſſerit,dari miſsionem convenientem ſuperioribus abſque mutatione loci; in ſolutione autem data dicit, quod miſsio non convenit ſuperioribus,quia deberent mutare locum, quod eſſet imperfectio in eis: pugnantia ergo inter ſe dicit. Præterea, infra quæſt.112.art.2.ad 1 ſic habet: *Dicendum,quod ſicut in miſsionibus divinarum perſonarum aliqua eſt viſibilis, quæ attenditur ſecundum creaturam corpoream, aliqua inviſibilis, quæ fit ſecundum ſpiritualē effectum: ita in miſsionibus Angelorum aliqua dicitur exterior, quæ ſcilicet eſt ad aliquod miniſteriū circa corporalia exibendum, & ſecundum, & ſecundum hanc miſsionem non omnes mittuntur, alia eſt interior, ſecundum intellectuales effectus, prout ſcilicet vnus Angelus illuminat alium, & ſic omnes Angeli mittuntur.* Quibus aperte docet Angelos ſupremos mitti ad nos eodem prorſus genere miſsionis, quo mittuntur divinæ perſonæ, cum inviſibiliter mittuntur, quod eſt contra doctrinam traditam in prima, & in ſecunda ſolutione.

Pro ſolutione huius Inſtantiæ Advertο,miſsionem interiorem, quæ fit ſecundū intellectuales effectus circa nos productos, ratione quorum illi, qui mittuntur novo modo dicuntur venire ad nos,eſſe in duplici differentia,aliam eſſe, per quam illuminans immediate, & ſeipſo nos illuminat: aliam,per quam illuminans non immediate, & ſeipſo nos illuminat, ſed medijs alijs immediate nos illuminantibus: loquendo de hoc ſecundo genere miſsionis,ſic Angeli ſupremi dicuntur mitti ad nos, quatenus à Deo applicantur, & diriguntur, vt medijs Angelis inferioribus nos illuminent. Hoc ergo prænotato, ſic concillio loca adducta D.Thom.dicens,quod dum in Sentētiarijs ad Annibaldum negat Angelos ſupremos mitti ad nos, loquitur de illa miſsione, per quam immediate operantur circa nos, nos illuminando: ad hanc enim requiritur,quod mutent locū, quia ſi immediate operarentur in nobis, in nobis eſſent localiter, & cum non poſſent eſſe ſimul in duobus locis, oporteret mutare locum: cum autem ſuper Epiſt. ad Hebræos & 1. p. quæſt. 112. affirmat Angelos mitti ad nos, loquitur de miſsione ſecundo modo, per quam applicantur,& diriguntur à Deo, vt nos illuminent medijs Angelis inferioribus; non vero loquitur de miſsione, qua mentes noſtras ſeipſis immediate illuſtrent. Et ad id, quod dicitur in inſtātia,quod parificat miſsionem ſupremorum Angelorum cum miſsione divinarum perſonarum, dico, quod paritas non eſt adæquata, ſed tantum inadæquata, & conſiſtit in eo, quod ſicut perſonæ divinæ mittuntur ad nos, quia inviſibilem effectum cauſant in nobis:ita & Angeli ſupremi dicuntur mitti ad nos, quia effectum interiorem,vtpote illuminationem,cauſant in nobis;ſed differunt in eo, quod perſonæ divinæ prædictū effectum immediate operantur in nobis,& ſic ſunt in nobis immediate ſeipſis: Angeli autem ſupremi, dum non immediate operantur circa nos,ad nos non veniunt,ſed dicuntur mitti, quatenus à Deo applicantur, & diriguntur vt illuminent nos per Angelos inter medios, quæ eſt miſsio mediata, non immediata, qualis convenit divinis perſonis.

479 Secundo arguitur, In creatis ad hoc vt Pater dicatur mittere Filium ad aliquem locum, non ſufficit Filium exiſſe per generationem a Patre, & per eandem generationem accepiſſe naturam, potentiamque deambulativam, qua de facto perve-

venit ad locum, ad quem mittitur à Patre, ſed per ſe requiritur aliquis moralis influxus, quo per imperium, conſiliū, aut preces Pater inducat Filium ad effectus exequutionem: ergo Filium divinum ab æterno originem ducere à Patre, ab illoque per dictam originem accepiſſe potentiam, & vim, qua ad extra operetur effectus, ratione quorum in creatura novo modo eſt, per accidens ſe habebit ad rationem miſsionis, & præter illud requiretur alius influxus in Filium; qui, cum excogitabilis non ſit, non videtur quo modo ratio miſsionis illi adaptari poſsit.

Ad hoc, nego Conſ. multa enim deſiderantur ad miſsionem in humanis, quę nō requiruntur ad miſsionem divinarum perſonarum: vnde non fit bonum argumentum ab vna ad alteram. Cuius ea eſt ratio; nam miſsio in humanis dicit perfectionem involutam imperfectionibus: in divinis autem dicit perfectionem ab omni imperfectione depuratam, & ſic ex his, quæ in humana miſsione reperiuntur, ſolum divinæ miſsioni cōvenire poſſunt ea, quæ perfectionem dicunt: indigentia autem prædicti influxus moralis oritur increatis ex imperfectione, nempe ex ignorantia Filij, qui mittendus eſt à Patre, eorum, quæ Pater vult: ignorat enim Filius, ſi Pater vellit illū alicubi mittere, & ad quid ibi operandum vellit illum mittere. Præterea, cum volūtas libera Filij diverſa ſit à volūtate Patris, multoties diverſa appetit ab his, quæ vult Pater: vnde vt flectatur, & ſe conformet cū Patris voluntate, oportet, quod adſit vel imperium, vel conſilium, vel preces, quorum nihil invenitur in divinis perſonis: nam Filius per proceſsionem, qua à Patre æternaliter procedit, accipit eandem omnino ſcientiam, & eandem omnino voluntatem, quam Pater habet, & ſic, nequit ignorare, quo Pater vellit illum mittere, & quia habet eandem omnino voluntatem, nequit diſcordare à voluntate Patris: vnde eſto in humanis ad miſsionem, hoc quod eſt accepiſſe naturam, & potentiam deambulativam, vel exequutivam veluti per accidens ſe habeat; inter divinas tamen perſonas per ſe ſe habet ad rationem miſsionis, quod vna ęternaliter procedat ab alia.

480 Tertio arguitur. Ad propriam rationem miſsionis requiritur quod ille, qui mittitur exeat à mittente, ſic quod non maneat apud ipſum; ſed Filius v.g. vel Spiritus Sanctus ſic exit à Patre, quod ſemper manet in Patre: ergo non convenit illi propriè mitti. Conſ. videtur bona Min. eſt certiſsima, quia Filius ſemper eſt in Patre, & Pater in Filio. Mai. autem Prob. in omnibus miſsionibus, quas experimur. Ad hoc argumentū, diſt. Mai. quando ille, qui mittitur incipit eſſe ſimpliciter in eo loco, ad quem mittitur, conc. Mai. quando ille, qui mittitur, iam erat in eo loco, ad quē mittitur, nego Mai. & nego Conſ. Itaque, quādo ille, qui mittitur ad aliquem locum adhuc dum manet apud mittentem, occupat illum locum, ad quem eſt mittendus, non oportet, quod per miſsionē ſeparetur à mittente, & quia perſonæ divinæ, quæ ſunt capaces miſsionis, antequam mittantur, ſunt iam in eo loco, ad quem ſunt mittendæ, nō eſt neceſſe, quod ipſa miſsione ſeparentur à mittente illas: creaturę autem, ſive homines, ſive Angeli, cum non poſsint eſſe in omni loco, fit inde, quod dum mittuntur ſeparentur ſecundum locum ab eo, qui illas mittit.

Sed hinc oritur difficultas, nam Filius divinus v.g. non poteſt eſſe in aliquo loco, in quo Pater divinus non ſit, vt ſolutio data dictat: ergo nequit mitti à Patre ad aliquē locum. Ant. patet, nam eadem indiviſibili immenſitate, qua gaudet Filius, gaudet & Pater: ergo eſt neceſſe, quod in omni loco, in quo eſt Filius, ſit etiam Pater. Conſ. autem prob. nam mitti hoc ſonat, quod ille, qui mittitur ipſa miſsione ſepararetur à mittente, & appareat in aliquo loco, in quo antea non erat: ergo ſi Filius divinus nequit eſſe in aliquo loco, in quo ſimul cum Filio non ſit Pater, non videtur quod poſsit mitti à Patre.

Dices, Filium non mitti à Patre vt incipiat eſſe in aliquo loco, in quo antea non erat ſimul cum Patre; ſed tantum mitti à Patre, vt novo modo incipiat eſſe in aliquo loco, in quo antea non erat eo modo. Sed contra hoc eſt, nam Filius non incipit novo modo eſſe in creatura, quin ſimul Pater etiam illo novo modo incipiat eſſe cū illa: ergo adhuc non mittetur à Patre, vt etiam novo modo in aliquo ſit, in quo iam antea ſimpliciter erat. Prob. Ant. nam Filius eo dicitur novo modo eſſe in creatura rationali, quatenus in illa operatur gratiam gratum facientem, vt infra dicetur; ſed Pater ſimul cum Filio operatur in creatura rationali eandem gratiam gratum facientē, quia opera ad extra ſunt communia tribus perſonis: ergo Filius non incipit eſſe novo

mo-

Digitized by Google

modo in creaturâ, quin Pater eodem novo modo incipiat eſſe in illa.

Ad hanc difficultatem bene reſponſum eſt. Ad impugnationem, nego Conſ. nam eſto Filius, & Pater ſimul incipiant eſſe in creatura rationali novo modo per gratiã, tamen Filius incipit eſſe ibi novo modo authoritate Patris, quod declarat hoc, quod eſt Filium procedere à Patre, & non è contra: ſiquidem per hoc Filius intelligitur habere à Patre omnia, quæ requiruntur vt novo modo ſit per gratiam in creatura rationali.

481 Quarto arguitur. Ratio miſſionis divinæ debet ſaltim analogari cum miſſione creata, ita vt detur vna ratio miſſionis communis vtrique; ſed hoc non apparet, ſi ponamus rationem miſſionis divinæ perſonæ conſiſtere in æterna proceſsione, qua miſſa perſona procedit ab ea, quæ dicitur mittens: ergo. Conſ. eſt bona, Mai. certiſsima, & Min. Prob. nam exitus, qui convenit perſonæ divinæ à Patre v.g. eſt ſecundum eſſe, exitus, qui convenit creaturæ, ratione cuius mittitur eſt ſecundum locum; ſed his non eſt aliqua ratio miſſionis analogicè communis: ergo. Prob. Min. nam huic quod eſt eſſe in ſe, & huic quod eſt eſſe in loco, nulla ratio locabilitatis eſt analogicè communis: ergo ſimiliter, huic quod eſt exire ab alio ſecundum ſuum eſſe, & huic quod eſt exire ab alio tantum ſecundum locum, nulla ſimiliter ratio miſſionis erit analogicè communis.

Ad hoc argumentum diſt. Min. ſi ponamus conſiſtere rationem miſſionis in æterna proceſsione quaſi in prædicato eſſẽtiali; conc. Min. ſi ponamus conſiſtere in illa, quaſi in aliquo per ſe requiſito ad hoc vt ſalvetur conceptus miſſionis inter divinas perſonas, nego Min. & Conſ. Solutio eſt D. Thom. ad Annibaldum diſt. 15. quæſt. vnica art. 2. ibi: *Quidam tamen dicunt, quod miſſio principaliter ſignificat; quod notionale eſt; alij autem dicunt, quod principalius ſignificat, quod eſſentiale eſt, & hoc videtur verius, quia miſſio non ponit de ſe exitum miſſi à mittente ſecundum eſſe: ſicut patet de ſervo miſſo à Domino; ſed importat ſolum quantum ad aliquem effectum authoritatem mittentis reſpectu miſſi: ſed quia in divinis non poteſt eſſe authoritas in mittente, niſi quatenus miſſus procedit ab eo, ideò ex conſequenti ſignificat, quod notionale eſt.* Quibus verbis apertè explicat D. Thom. quod exitus ille æternalis miſſi à mittente non eſt ea ratio eſſentialis, per quam miſſio divinæ perſonæ analogatur cum miſſione creaturæ, ſed ſit tantum requiſitum, vt inde mittens authoritatem habeat ſuper miſſum. Similiter explicat rationem, per quam analogãtur miſſio creaturæ, & miſſio divinæ perſonæ, quod eſt venire ad aliquam creaturam novo modo exiſtendo in illa per ſpecialem effectum, quem miſſus cauſat in illa authoritate mittentis, hoc eſt illius, à quo æternaliter miſſus procedit. Itaque, cum Pater, & Filius veniunt ad creaturam, & illam per gratiã inhabitant; ratio miſſi in Filio eſt venire ibi, & eſſe ibi per operationem authoritate Patris: vnde eſto Pater, & Filius veniant, tamen Pater venit vt mittens; & Filius vt miſſus.

§. III.

Vtrùm ratio miſſionis, quam diximus convenire divinis perſonis, ſit tantum metaphorica?

482 D. IV. Tho. in loco citato ad Annibaldũ videtur ſentire, quod miſſio conveniẽs divinis perſonis, ſolum ſit metaphorica. Ita enim habet art. 1. *Miſſio in divinis accipitur non propriè ſed ſimilitudinariè.* Et poſtmodum ait: *In miſſione propriè dicta creatura, quatuor repeniuntur, vnum ex parte mittentis; ſcilicet authoritas, alterum ex parte miſſi, ſcilicet ſeparatio, ſive diverſitas miſſi à mittente. Tertium ex parte termini à quo, ſcilicet mutatio loci. Quartum ex parte termini ad quem, ſcilicet effectus aliquis. Primum, & vltimum perfectiones ſunt, & ideò conveniunt divinæ miſſioni, ſecundum, & tertium imperfectiones ſunt; & ideo non conveniunt perſonis divinis.* Quibus verbis expreſſe tenet miſſionem ſimilitudinariè dici de miſſione divinarum perſonarum. Et ratione probat; quia miſſio propriè dicta ſignificat perfectionẽ, imperfectioni ad mixtam, & quod tantum quod perfectionis eſt ſalvatur in divina miſſione: ergo miſſio prout convenit divinis perſonis ſolum eſt metaphoricè miſſio.

Sed his non obſtantibus; crediderim miſſionem convenire divinis perſonis ſecũdum propriam rationem miſſionis. Hoc mihi ſuadent loca Scripturæ in prob. concluſionis præcedentis §. adducta, quæ rotũde proclamant Filium miſſum à Patre, & Spiritum Sanctum à Patre, & Filio. Quod ex eo confirmo, quia verba Scripturæ quan-

Digitized by Google

do abſolute proferuntur debent intelligi non metaphorice, ſed ſecundum propriam vocum ſignificationẽ, niſi cum alijs Scripturæ locis aperte diſcordent, quę diſcordantia, cum in præſenti locum non habeat, & Scripturæ aperte dicant, Filiũ miſſum à Patre, & Spiritum Sanctum miſſum à Patre, & Filio: oportet neceſſario intelligere, quod loquantur de miſsione ſecundum propriam rationem miſsionis, & non tantum metaphoricam.

Quod etiam ratione ſuadeo ex verbis D.Thom. in art. 1. huius quæſtionis ibi: *In ratione miſsionis duo importantur, quorum vnum eſt habitudo miſſi ad eum, à quo mittitur, aliud eſt habitudo miſſi ad terminum, ad quem mittitur.* Quibus verbis D.Tho. enumerat ea, quæ ſunt de eſſentiali, & propria ratione miſsionis; ſed hæc duo ſecundum propriam rationẽ conveniunt miſsioni divinæ perſonæ: ergo miſsio non metaphorice, ſed proprie convenit divinæ perſonæ. Prob. Min. nam vere Filius dicit habitudinem ad Patrem, cuius authoritate ad extra operatur, vt ad extra novo modo eſſe incipiat; dicit etiam habitudinẽ, alterũ ſecundũ dici, ad terminũ, in quo novo modo inhabitat: ergo vtraque habitudo proprie convenit perſonæ divinæ, ac per conſequens ratio miſsionis proprie dicta, quæ in illis duabus habitudinibus eſſentialiter conſiſtit, etiam illi proprie conveniet.

Dices, eum, qui mittitur per miſsionẽ vere ordinari ad terminum, ad quem mittitur, vt patet in eo, qui mittitur per conſilium, vel per imperium, vel per preces; divinam autem perſonam nequire vere ordinari ad terminum, ad quem mittitur, ſiquidem divinæ perſonæ non ordinantur ad aliquid ad extra, & ſic illis non poſſe convenire propriam rationem miſsionis. Sed contra hoc eſt, nam, licet dicta imperfectio inveniatur in miſsione creaturæ, in qua id, quod mittitur capax eſt ordinabilitatis ad alterum, tamen in divinis perſonis non eſt neceſſe quod inveniatur, vtpote, quæ incapaces ſunt dicendi ordinem realem ad creaturas, à quibus nullatenus dependent, ſed quas potius à ſe omnino dependere faciũt: qua ratione eſto ratio Dominij dicat habitudinẽ realem ad ſervum in creatis; in Deo tamen nullam habitudinem realem dicit, ſed tantum rationis. Quod ipſum poſſemus exemplificari in multis alijs prædicatis divinis: ergo ſolutio noſtræ rationi adhibita nullius roboris eſt.

483 Secundo ſic probo aſſertum: Nam de conceptu eſſentiali miſsionis proprie dictæ tantũ videtur eſſe, quod quis vadat ad aliquem terminũ authoritate alterius; ſed vere Filius divinus venit ad creaturas rationales, & manet apud illas authoritate Patris: ergo ratio miſsionis proprie dictæ vere illi convenit: non ergo ſolum metaphorice dicendus eſt miſſus. Nec D.Tho. oppoſitum huius voluit, dũ in loco pro ratione dubitandi adducto dixit: *Miſsio in divinis accipitur non proprie, ſed ſimilitudinarie.* His enim tantum vult, quod ſtando in proprietate huius nominis *miſsio*, ſolum dicitur de miſsione creata, quia ad illam tantũ ſignificandam nomen impoſitũ eſt, non autẽ negat proprietatẽ rei ſignificatæ per nomẽ, quam ex ſimilitudinibus creatis venati ſumus, vere convenire perſonis divinis. Nec ratio in oppoſitum adducta id ſuadet, quia illa quatuor, quæ ibi enumerat D.Tho. eſto ſint de conceptu miſsionis, prout determinate miſsio creaturæ eſt, non tamen eſt de conceptu eſſentiali rationis cõmunis analogæ: vnde falſum eſt, quod miſsio ex ſuo conceptu cõmuni dicat perfectionẽ imperfectionibus admixtam. Vnde in forma ad rationem factam, nego Ant.

§. IV.

An cuilibet perſona divina conveniat mitti?

484 PRÆSENS Quæſitum ſolum reducitur ad perſonam Patris, nã de alijs duabus perſonis apertiſſime ſacræ Scripturæ dicunt eas de facto mitti ad nos. Et quidẽ Vazquez ſentit colligi ex ſententia Magiſtri in primo diſt. 15. ipſum ſenſiſſe Patrẽ mitti à ſeipſo, eo quod eodem modo loquatur de donatione, qua Spiritus Sanctus nobis datur, & de eius miſſione ad nos, & de illa dicat ſolũ conſiſtere in quadam operatione Dei ad extra circa creaturas, quæ operatio Dei ad extra circa creaturas eo prorſus modo, quo convenit Spiritui Sancto convenit pariter, & Patri: vnde ſicut Spiritus Sanctus ratione illius proprie dicitur mitti, pariter & Pater ratione illius, ſicut dicitur donare ſeipſum, dicetur mitti à ſeipſo.

Verum ex hoc non colligi huiuſmodi ſenſum fuiſſe Magiſtri, patet, quia Magiſter requirit ad hoc vt aliqua perſona mittatur, quod procedat ab alia æternaliter, cumque in Spiritu Sancto hæc duo reperiantur, nẽ-

Digitized by Google

pe operari ad extra circa creaturas, & ſimul procedere à Patre, & Filio, infert quod Spiritus Sanctus mittitur, non præciſſe quia ad extra circa creaturas operetur, ſed quia cũ hoc coniungit proceſsionem à Patre, & Filio; cumque Pater à nulla perſona procedat, ex hoc quod ad extra circa creaturas operetur, non licet inferre Patrem mitti. Et vt appareat quã longe ſit Magiſter ab ea ſententia, quam falsò illi imponit Vazquez legatur toto §. *Cur Pater non dicitur miſſus* vbi ex Auguſtino eam adducit rationem, nempe quod Pater à nullo ſit, ſed ſit totius Deitatis principium. Et in fine §. inquit: *Si voluiſſet etiam Deus Pater, per ſubiectam creaturam viſibiliter appareret, abſurdiſſime tamen aut à Filio, quem genuit, aut à Spiritu Sancto, qui de illo procedit, diceretur miſſus.*

In hoc ergò puncto elucidando cõmunis Theologorum ſententia tenet, Patri non convenire mitti ad nos, ac per conſequens non convenire cuilibet perſonæ divinæ ad nos mitti. Sic ſentit Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap 5. ibi: *Pater nunquam legitur miſſus* cuius aſsignat rationem lib. 4. de Trinit. cap. 20. ibi: *Pater, cum in tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus, non enim habet de quo ſit, aut ex quo procedat.* Quam rationem ſequitur hic D. Tho. ar. 4. ibi: *Vnde, cum Pater non ſit ab alio, nullo modo convenit ſibi mitti, ſed ſolum Filio, & Spiritui Sancto, quibus convenit eſſe ab alio.* Et inquirens, cur vt perſona dicatur mitti, requiratur quod ſit ab alia per proceſsionem originis? Rationẽ reddit in primo diſt. 15. quæſt. 2. ar. vnico ibi: *Dicendũ, quod in omni miſsione oportet quod ponatur aliqua authoritas alicuius ad ipſum miſſum: in divinis autem non eſt authoritas niſi ſecundum originem, & ideo nulli perſonæ divinæ convenit mitti, niſi, quæ eſt ab alio, reſpectu cuius poteſt in illo deſignari authoritas, & ideo Spiritus Sanctus, & Filius dicuntur mitti, & non Pater; vel Trinitas ipſa.* Aliam rationem adducit D. Tho. in loco ad Annibaldum ſupra citato in argumẽto *ſed contra* huius tenoris. *Omne mobile oportet reduci ad aliquod primum movens immobile: ergo omne miſſum reduci debet ad aliquod primum mittens non miſsibile, & ſic oportebit, quod perſonæ divinæ, quæ mittuntur, reducantur ad Patrẽ, qui ſit mittens immiſsibile: vnde, ſicut omnes perſonæ divinæ, quæ ab alio ſunt, oportet, quod reducantur ad Patrẽ, qui à nullo eſt: ſic, & duæ perſonæ, quæ mittuntur oportet reducantur ad perſonam Patris, quæ mittat, & immiſsibilis ſit.*

Dices, hac ratione ſolum probari, quod ſicut omne mobile reducitur ad primum movens immobile, qui nõ Pater, ſed Deus eſt in tribus perſonis: ita omne miſsibile reducatur ad primum mittens immiſsibile, non quod ſit Pater, ſed quod ſit Deus in tribus perſonis: vnde non concluderetur, Patrem eſſe mittentem immiſsibilem, ſed tantũ quod Deus in tribus perſonis mittens immiſsibilis ſit. Subtiliter quidem dictum: Sed contra inſto. Nam ſicut omne mobile reducitur ad aliquod, in quo ſalvatur conceptus moventis immobilis, ſic quod ſi per poſsibile vel impoſsibile perſonæ divinæ eſſent mobiles, deberent neceſſario reduci ad aliquod movens immobile; ſic eſt neceſſarium, quod omne miſsibile increatum ſic reducatur ad aliquod ens, in quo ſalvetur conceptus mittentis; reſpectu miſsibilis increati; ſed his conceptus mittentis non ſalvatur in Deo prout eſt in tribus perſonis, ſed tantum in Patre: neque enim Deus prout in tribus habet authoritatem ſupra aliquã perſonam divinam in particulari, cum nulla illarum procedat Deo vt in tribus perſonis exiſtens; bene autem procedant à Patre, qui principium totius Deitatis procedentis eſt: ergo ratio miſsibilis increati non in Deum prout in tribus perſonis, ſed in Patrem tantum reduci debet. Et ſic oportebit fateri de illo, quod ſit mittẽs immiſsibile; ſicut Deus dicitur movens immobile.

Dices, ex hac doctrina ſequi, dari duos primos mittẽntes immiſsibiles; Conſ. non videtur poſſe admitti: ergo. Prob. Sequela miſsibilia creata non reducuntur in Patrem vt in primum mittentem, neque enim cum dicitur Ioan. 1. *fuit homo miſſus à Deo*, ibi verbum *à Deo* ſtat pro Patre, ſed pro Deo in tribus perſonis, ad quem ſolum ſpectat mittere creaturas, ſicut & eas producere: ergo ſi ponimus miſsibilia increata reduci ad Patrem tanquam ad primum mittentem immiſsibilem, dabimus duos primos mittentes immiſsibiles, nempe Deum in tribus, reſpectu creaturarum, & Patrem reſpectu perſonarum miſsibilium.

Ad hoc, nego Min. nam, cum Deus vt in tribus ſit principium, à quo procedunt creaturæ omnes, habet authoritatẽ primã ſuper illas, & ſic reſpectu illarum eſt primũ mittens immiſsibile, reſpectu autem perſonarum miſsibilium non habet authoritatem, quia à Deo vt in tribus non procedũt, & ſic reſpectu illarum non poteſt dici mit-

tens;

Digitized by Google

tens: à Patre autem æternaliter procedunt, & ſic ſuper illas ſolus Pater habet authoritatem primam: vnde abſque aliquo abſurdo perſonæ divinæ reducuntur ad Patrem tanquam ad primum mittentem immiſsibilem, & ſic etiam abſque inconvenienti diſtinguimus duos primos mittentes immiſsibiles, aliud reſpectu miſsibilium creatorum, & aliud reſpectu divinarum perſonarum, quæ mittuntur, ſicut nec eſt inconveniens ponere duos primos, à quibus proceſsio fiat: vnum, à quo procedant creaturę, nempe Deum in tribus, & aliud, à quo procedant perſonæ divinæ, quod eſt Pater divinus.

§. V.

Solvuntur argumenta contra concluſionem.

485 PRIMO Arguitur, Pater venit ad creaturam, & illius mentem novo modo inhabitat virtute huius Dei: ergo poteſt dici miſſus ab hoc Deo. Ant. quo ad primam partem patet ex illo, *ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus*, qui locus de tota Trinitate intelligitur: ergo. Quoad ſecundam partem etiam patet, nam operatio ad extra circa creaturas convenit perſonis divinis ratione Deitatis abſolutę, non relativæ: igitur virtute huius Dei, Pater venit ad nos. Conſ. vero prob. nam, ideo Filius mittitur à Patre, quia ex bonis acceptis à Patre venit ad nos: ergo ſi Pater ex bonis huius Dei abſoluti venit ad nos, vere dicetur mitti ab hoc Deo. Confir. hic Deus vt ſubſiſtens habet authoritatem ſuper Patrem: igitur poteſt mittere illum ad nos. Conſ. eſt bona & Ant. prob. nam ratio entis à ſe, ad quam ſequitur authoritas, prius intelligitur convenire huic Deo ſubſiſtenti abſolute, quam intelligatur convenire Patri, & ab hoc Deo abſolute ſubſiſtenti, primo communicatur Patri: igitur hic Deus vt ſubſiſtens abſolute habebit authoritatem ſupra Patrem. Ad hoc argumentuum, diſt. Ant. virtute huius Dei, Patri communicata per modum identitatis, conc. Ant. per veram productionem nego Ant. & Conſ. Itaque ad hoc vt vnum poſsit mittere alium, oportet, quod habeat authoritatem ſuper illum: authoritas autē erga alium requirit diſtinctionem realem ab illo: nihil enim ſupra ſeipſum authoritatem habet, & ſic quāvis Pater ratione Deitatis abſolutæ ad extra circa creaturas operetur; non tamen poteſt dici, quod Deitas habeat authoritatem ſupra Patrem, quia eſt idem omnino cum Patre, & quia eſt etiā partiale conſtitutivum Patris. Ad Confir. nego Ant. ad prob. nego ſuppoſitum Antec. quoad id, quod dicit, quòd rationem entis à ſe ſequitur authoritas: hæc enim tantum ſequitur ad id, quod poteſt habere rationem entis realiter diſtincti ab eo, reſpectu cuius habetur: eſſe autem à ſe huius Dei ſubſiſtētis abſolute à nullo divino realiter diſtingui poteſt, & ſic ad illud realiter non ſequitur authoritas ſuper aliquod divinum: eſſe autē principium non de principio, quod convenit Patri, ſequitur authoritas, quia illi convenit diſtinctio realis ab his, qui procedunt ab illo.

486 Secundo arguitur, miſsio divina eſt prædicatum eſſentiale: igitur debet convenire omnibus, & ſingulis perſonis Trinitatis: ergo, & debet convenire Patri. Patet Conſ. quia eſſentialia prædicata communia ſunt tribus perſonis. Ad hoc diſt. Ant. eſt prædicatū eſſentiale, per ſe connotans notionale, conc. Ant. pure eſſentiale, nego Ant. & Conſ. Iam enim dixi ſupra ex D. Tho. ad Annibaldum, quod licet miſsio eſſentialiter principaliter aliquid eſſentiale, & abſolutum dicat, nempe operari ad extra circa creaturas; tamen per ſe habet connotare originem æternam: vt inde mittens authoritatem habeat ſuper miſſum.

487 Tertio arguitur Pater liberaliter dat ſeipſum creaturæ, vt fruatur à creatura, & ſimiliter venit ad creaturam, & habitat illam, his omnibus cōvenientibus illi à ſeipſo: ergo, & poterit dici, quod mittat ſeipſum. His reſp. à D. Thom. in primo diſt. 15. quæſt. 1. ar. 1. aſsignando diſcrimen inter miſsionem, & dationē, eius verba ſunt. *Datio autem non importat diſtinctionem dati à principio, ſed tantum ab eo, cui datur; ſed miſſio ponit diſtinctionem in miſſo, & ad principium, & ad terminum.*

Sed inſtas inquirendo, cur miſsio neceſſario importat diſtinctionem inter mittentem, & miſſum, & datio, vel donatio non importet diſtinctionem inter dantem, & rem datam? Reſpondebis cum eodem D. Tho. in eodem loco quæſt. 2. ar. vnico, ad 4. quod *adventus, vel inhabitatio convenit Trinitati toti, quæ non dicuntur niſi ratione effectus communis ipſi Trinitati; ſed miſſio ſuper hoc addit authoritatem alicuius reſpectu perſonæ, quæ mittitur; & ideo nequit convenire niſi perſonæ, quæ eſt ab alio principio.* Itaque

que ad dationem alicuius divinæ perſonæ reſpectu perſonæ, quæ mittitur, & ideo nequit convenire niſi perſonæ, quæ eſt ab alio principio. Itaque, ad dationem alicuius divinæ perſonæ ſufficit, quod illa perſona divina voluntaria circa creaturam, cui dari dicitur, operetur: ratione enim effectus, quem in illa producit, dicitur illi coniungi, illamque novo modo inhabitare, & creaturam per intellectum, & voluntatem illa frui: ad miſſionem autem, vt ſæpe diximus, vltra hoc requiritur authoritas in illo, qui dicitur mittens reſpectu miſſi; hæc autem non invenitur abſque diſtinctione reali inter mittentem, & miſſum, & ſic nequit convenire Patri reſpectu ſui.

Sed inſtabis, ad hoc vt Pater ſeipſum liberaliter donet creaturæ, oportet, quod habeat dominium ſuper ſeipſum, & ſuper omnia bona, quæ creaturæ donat; quod ſi habere dicitur dominiũ ſuper ſeipſum, cur non habebit authoritatem ſuper ſeipſum? Et ſic dicetur mittere ſe, ſicut & dicitur liberaliter, dare ſe. Vel cur non ſufficiet illud dominiũ, vt mittat ſe ad creaturas? Confir. eſto mittere in creatis dicat ſuperioritatem ad eum, qui mittitur, & minoritatẽ ex parte miſſi, vt habet D. Thom. in art. 1. huius quæſtionis ad 1. tamen ſecundũ D. Tho. in divinis non importat niſi proceſſionẽ originis, quæ eſt ſecundum omnimodã æqualitatem: ergo, eſto in creatis ſemper habeatur diſtinctio realis inter miſſum, & mittẽtem, poterit miſſio in divinis abſque hac diſtinctione reperiri. Confir. ſecũdo, in Deo ponunt Thomiſtæ rationem imperantis, & rationẽ imperati, ad hunc ſenſum, quod Deus ipſe per actum intellectus practici imperat ſibi ipſi, vt habeat actum voluntatis, qui dicitur vſus; itaque vera ratio imperantis & imperati convenit Deo reſpectu ſui ipſius: ergo, & vera ratio authoritatis poterit convenire illi reſpectu illius, à quo non diſtinguatur realiter; vnde Pater poterit habere authoritatẽ ſupra ſeipſum, ſicut & poteſt per intellectũ imperare ſibi ipſi, & imperari à ſeipſo ratione voluntatis.

Ad hoc diſt. Ant. oportet quod habeat dominium ſuper ſeipſum; largè ſumendo dominium, conc. Ant. ſtrictè ſumendo dominium, nego Ant. ex quo nõ ſequitur habere ſupra ſeipſum authoritatẽ, nec mittere ſeipſum. Itaque dominium ſtrictè dictũ ſonat ſuperioritatem ſupra rem dominatã: ſuperioritas autem, & inferioritas eiuſdẽ ad ſe ipſum chymerica tantum, & ſicuti a ſuperioritas eſſe poteſt, & ſic Pater reſpectu ſui ipſius dominium propriè dictum habere nequit; habet tamen dominium largè ſumptum, prout dominium dicit vis libertatis operandi ad extra circa creaturas, ad illas venire, & in illis manere. Sed hoc dominium non ſequitur authoritas; vnde ex dominio aſſignato Patris ad ſeipſum, nõ ſequitur, quod poſſit mittere ſeipſum; poteſt autem liberaliter dare ſeipſum, quia ad hoc ſufficit ius libertatis, quo gaudet ad operãdum ad extra circa creaturas, ſiquidem ratione talis operationis datur illis, & coniungitur cum illis.

Ad primam Confir. nego Conſ. quia authoritas, cum ſit ad alterum, non poteſt depurari à diſtinctione reali reſpectu illius, cuius reſpectu dicitur; poteſt autem depurari à ſuperioritate, & minoratione, quia ad illam ſufficit prioritas originis ad alterum, qui origine poſterior eſt. Ad ſecundã Confir. fateor in Deo reperiri rationẽ imperantis, & imperati per modum cuiuſdam directionis, ad quã infallibiliter ſequitur actus voluntatis, qui dicitur vſus: verum ex huiuſmodi imperio non infertur authoritas Dei vt imperantis ad ſeipſum vt imperatum. Tum, quia efficacia ipſius actus imperij eſt ab ipſa voluntate, & ſic nequit ponere in actu imperij authoritatẽ reſpectivè ad voluntatis actus: Tum etiam, quia ſicut non ſequitur ſuperioritas, & inferioritas rationẽ cuiuſcumque imperij: ſic nec ratio authoritatis ad quodlibet genus imperij conſequitur; ſed tantum ad illud, quod vel eſt deſpoticum, vel habet vim coercivam: ad illud autem, quo quis habet dirigere ſeipſum, nõ oportet, quod ratio authoritatis ſequatur.

§. VI.

Vtrùm ad hoc vt vna perſona dicatur mitti ab alia, requiratur quod ab illa procedat; vel ſufficiat procedere ab aliqua.

498 MAIOR Difficultas eſt in eo, an vt Filius dicatur mitti à Spiritu Sancto ſufficiat Filium procedere à Patre? Et idem dico de Spiritu Sancto, an vt dicatur mittere ſeipſum ad nos, ſufficiat procedere à Patre, & Filio, eſto à ſeipſo non procedat? Et quidem partem affirmantem tenet Magiſter ſent. loco ſupra adducto, & Scotus poſt ipſum in pri-

primo diſt. 15. & D. Auguſtinus 2. de Trinitate cap. 5. vbi habet, quod *Filius mittitur, & à ſe, & à Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus etiam mittitur & à ſe, & à Filio.* Itaque in hac ſententia, quęlibet perſona divina eſt mittens vel ſeipſam, vel aliam; non tamen quælibet eſt miſſa, quia non omnis ab alia per originem procedit. Innumeri tamen Theologi tenent oppoſitum, negantes Spiritum Sanctum mittere ſeipſum, & ſimiliter Filium mitti à Spiritu Sancto. Sed D. Tho. hic in ar. 8. vtramque ſententiam volens conciliari mediam inſequitur viam dicens: *Vtrumque autem habet aliquo modo veritatem, quia, cum dicitur aliquam perſonã mitti, deſignatur, & ipſa perſona ab alio exiſtens, & effectus viſibilis, aut inviſibilis, ſecundum quem miſſio divinæ perſonæ attenditur; ſi igitur mittens deſignetur vt principium perſonæ, quæ mittitur, ſic non quælibet perſona mittit, ſed ſolum illa, cui convenit eſſe principium illius perſonæ, & ſic Filius mittitur tantum à Patre, Spiritus autẽ Sanctus à Patre, & Filio; ſi vero perſona mittens intelligatur eſſe principium effectus, ſecundum quem attenditur miſſio, ſic tota Trinitas mittit perſonã miſſam.* Hæc D. Th.

Vt rem explicem adverto, nos non poſſe negare Filium aliquo modo mitti à Spiritu Sancto, & Spiritum Sanctum mittere ſe propter loquutionem Concilij Toletani 11. in confeſſione fidei, vbi Conciliũ hæc profert: *Miſſus tamen Filius non ſolum à Patre, ſed à Spiritu Sancto miſſus eſſe credendus eſt in eo, quod per Prophetam dicitur, & nunc dominus miſſit me, & Spiritus eius.* Qua loquutione, & habemus ex Concilio Filiũ mitti à Spiritu Sancto, & locum Scripturæ Sacrę, vt cuius Concilium illud diffinit. Auguſtinus etiam ſupra adductus hoc ipſum teſtatur 2. de Trinit. cap. 5. non ergo hoc negare poſſumus. Non poſſumus etiam negare ex alia parte, quod mittens requirit habere authoritatem ſuper miſſum, quod hucuſque defenſabimus cum Angelico Doctore: authoritas autem inter divinas perſonas non poteſt eſſe niſi in illa perſona, quæ eſt principium alterius; vnde nequit intelligi perſonam mitti niſi ab ea, quæ procedit.

489 His poſitis, ſic reſolvo quæſitum. Si miſſio accipiatur adæquate, hoc eſt, ſecundum omnia requiſita ad miſſionem, ſic nulla perſona mittitur niſi ab ea, à qua æternaliter procedit: ſi miſſio accipiatur inadæquate, prout dicit tantum principium effectus ad extra, ratione cuius rei miſſa novo modo incipit eſſe in creatura, ſic poteſt dici, quòd Spiritus Sanctus mittat Filium, & quod mittat ſe. Hanc exiſtimo eſſe mẽtem D. Thom. in hoc art. 8. verbis iam adductis. Et quod illius ſit genuina mẽs ex eo mihi ſuadeo, quia D. Thom. vt hucuſque vidimus, perpetuus eſt in eo, quod miſſio in ſuo conceptu eſſentiali importat duo, & originem æternam à perſona, à qua fit miſſio, & novum modum exiſtendi in creatura. Sic habet in articulo primo, in 2. ad 3. in 4. in corp. & ad 4. requirit etiam, quod mittens habeat authoritatem ſuper miſſum; quam authoritatem nulla perſona poteſt habere ratione ſui ipſius, neque ratione alterius, quæ ab ipſo non procedit, vt ex eodẽ D. Th. ſuper ad Annibaldũ probavimus. Secundam partem noſtræ reſolutionis etiã eſſe D. Tho. patet ex eo, quòd poſtquã hæc duo annumerata requirit ad miſſionẽ, poſtea in ar. 8. aſſerit, quòd *ſi miſſio tantũ dicat eſſe principium effectus ad extra, ratione cuius perſona miſſa inhabitat creaturas, ſic Spiritus Sanctus mittit ſe, & etiam mittit Filiũ.* Quibus ponit miſſionem in vno tantũ ex duobus, quæ requiſivit in alijs articulis ad illã: ergo loquitur de miſſione inadæquate ſumpta, & non de illa, quæ adæquate ſumitur.

Sed inſtabis contra reſolutionem huius ſecundę partis. Si ad verificandum quod aliqua perſona divina mittitur ſufficit, quod illa ſit principium effectus ad extra circa creaturas, ratione cuius illas inhabitat, ſequitur, debere dici de Patre, quod ſeipſum mittat, ſicut & reſolutio noſtra hoc verificat de Spiritu Sancto, quod ſe mittat, & de Filio, quod mittatur à Spiritu Sãcto; hoc autem eſt contra Patres, & contra D. Tho. qui expreſſe in ar. 4. huius quæſtionis determinat Patrem non mitti neque à ſe, neque ab alio: ergo reſolutio noſtra non eſt ad mentem D. Tho. Prob. Sequela, nam, ſicut Spiritus Sanctus eſt principiũ ad extra alicuius effectus, ratione cuius mentem inhabitat rationalem, ita Pater eſt principium effectus ad extra, ratione cuius mentem rationalem inhabitat: ergo, ſi hoc ſolum ſufficit ad verificandum, quod Spiritus Sanctus mittat ſe, ſufficiet pariter, vt Pater dicatur mittere ſe.

Exiſtimo ita ſentire D. Tho. hic ar. 8. nam, poſtquam vtramque ſententiam conciliavit, & ad concordiã reduxit per adductam diſtinctionẽ de miſſione inadæqua-

te, & adęquate ſumptam iuxtá noſtram explicationem, dicit: *Et per hac patet ad obiecta.* Obiectio autem prima, quam formaverat ad probandũ quod perſona non mittatur, niſi ab ea, à qua æternaliter procedit; hæc erat: *Quia ſicut dixit Auguſtinus 4. de Trinit. Pater à nullo mittitur, quia à nullo eſt; ſi ergo aliqua perſona mittitur ab alia, oportet, quod ſit ab illa.* Huic autē obiectioni non fit ſatis niſi per hoc, quòd explicetur Auguſtinus, cũ dicit: *Patre à nullo mitti, quia à nullo eſt,* de miſſione adæquate ſumpta, prout dicit authoritatē in mittente reſpectu miſſi, cum quo ſtat, quod loquendo de miſſione Inadæquate ſumpta modo explicato; poſſit dici, quod Pater mittat ſe, & ſic philoſophare in hoc puncto iuxta principia ſuperius à nobis adducta.

400 Verum, quia ſancti negant Patrem miſſum vel à ſe, vel ab alio, & ex altera parte affirmant Spiritũ Sanctũ miſſum à ſe, & Filiũ miſſum à Spiritu Sancto, placet aliter diſcurrere etiã iuxta principia D. Th. nēpe, quòd ad hoc vt verificetur aliquã perſonam divinam mittere ſe, per hoc quod ſit principiũ effectivum effectus circa creaturas, in quibus novo modo exiſtit, requiritur, quòd ſit perſona vere ab alia miſſa miſſione adæquata, & in omni proprietate dicta. Itaq; quãdo perſona vere mittitur ab ea, à qua ęternaliter procedit, tunc ipſamet, dũ cauſa effectiva eſt effectus circa creaturas, ratione cuius, novo modo in illis exiſtit, tunc poteſt dici mittere ſe; & quia Pater à nullo mittitur proprie dicta miſſione, quia à nullo procedit æternaliter, ideo quamvis ſit cauſa effectus circa creaturas, ratione cuius illas inhabitat, non dicitur mittere ſe. Quæ doctrina videtur eſſe D. Th. hic in art. 8. vbi in fine art. habet: *Si vero perſona mittens intelligatur eſſe principiũ effectus, ſecundum quem attenditur miſsio, ſic tota Trinitas mittit perſonã miſſam.* Vbi facio vim in illo verbo *mittit perſonã miſſam,* ſi enim eſſet perſona, quæ ſolũ mitteretur à tota Trinitate diceret ſic, *tota Trinitas mittit perſonã,* dum ergo dicit, *perſonã miſſam,* vult quod illa perſona, quæ à tota Trinitate mittitur iam ſupponatur proprie miſſa ab illa, à qua æternaliter procedit, quod tantũ poteſt verificari de Filio, qui procedit à Patre, & de Spiritu Sancto, qui procedit à Patre, & Filio, non vero de Patre, qui à nullo procedit.

Explico hanc doctrinam, quia in illa exiſtimo totã adeſſe veritatem. Etenim, quando perſona vere non mittitur ab ea, à qua æternaliter procedit, tũc perſona, à qua non procedit, non concurrit adhuc inadęquate ad miſſionem, etiam ſi effectum producat, ratione cuius in creatura novo modo exiſtit; & ſic, cum non concurrat ad miſſionem, neque adæquate, neque Inadæquate dicitur mittere: Pater ergo, cum à nulla perſona à ſe diſtincta mittatur, per hoc quod ſit cauſa effectiva effectus, ratione cuius creaturam inhabitat, non concurrit ad miſſionē ſui ipſius, neque adæquate ſumptam, neque inadæquate ſumptam, & ſic, cũ nullum habeat influxum in ſe ipſum vt miſſum, nequit dici, quod ſe mittat. Quod nõ militat in Filio reſpectu Spiritu Sancti: cum enim Filius vere mittatur à Patre, à quo procedit, & Spiritus Sanctus concurrat ad effectum, ratione cuius Filius novo modo creaturas inhabitat, in quo miſſio inadæquate conſiſtit: vere Spiritus Sanctus habet concurrere inadæquate ad miſſionem Filij, & ſic poteſt dici, quod mittat Filium. Similiter, cum Spiritus Sanctus vere mittatur à Patre, & Filio, à quibus procedit æternaliter, dũ cauſa effectiva eſt illius effectus, ratione cuius novo modo creaturas inhabitat, vere concurrit partialiter, & inadęquate ad ſui miſſionem, & ſic dicitur mittere ſe. Pater autem, cum à nullo mittatur, eſto concurrat effective ad effectum, cuius ratione creaturas inhabitat, adhuc inadæquate ad ſui miſſionem non concurrit, quia nulla ſui ſupponitur miſſio, & ſic nequit dici, quod ſe mittat.

Explico amplius hoc ipſum, ad hoc vt aliquis dicatur cauſare aliquod coniunctũ, non requiritur quod vtramque partem cõiuncti efficiat, ſed ſufficit attingere partem coniuncti v.g. ad hoc, vt quis dicatur facere murum album, non requiritur, quod murum faciat, ſed ſufficit, ſi muro præexiſtēti albedinem adiungat; ſic quamvis ad miſſionem requirantur duo, nempe quod æternaliter perſona miſſa procedat à mittente, & quod novo modo exiſtat in creatura: dum Spiritus Sanctus concurrit in Filio ad hoc ſecundum, vere ad totum coniunctum, quod dicitur *miſſum*, dicetur concurrere, & ſic dicetur mittere Filium, & mittere etiam ſe ipſum, dum cauſa eſt novi modi exiſtandi in creatura. Quæ doctrina expreſſe habetur à D. Th. in 1. ad Annibaldũ diſt. 15. q. vnica, art. 4. ibi: *Miſsio autē duo importat, ſcilicet exitũ miſſi à mittente, & novũ modũ exiſtendi in eo, ad quem ſit miſsio, & ratione huius novitatis nominat aliquam factionem in*

miſſo, quamvis non ſecundum rem, ſed ſecundum rationem; & *ideo ad hoc quod vna perſona dicatur mittere alteram, ſufficit, quod alterum eorum, quæ requiruntur ad miſsionem faciat, ſcilicet novũ modũ exiſtendi in creatura: unde, cum novus modus exiſtendi in creatura ſit à perſona miſſa, quamvis ipſa non exeat à ſe ipſa, miſsio poteſt prædicari de ea, vt dicatur, quod mittat ſe ipſam.* Quibus in verbis noſter modus dicẽdi ad litterã expreſſatur.

§. VII.

Soluuntur Argumenta contra noſtram reſolutionem.

491 PRIMO Arguit Vazquez, nam, ſi ſemel admittimus quod Spiritus Sanctus proprie mittat ſe, & mittat Filium, à quo non procedit, non poterimus iam convincere Græcos de eo, quod Spiritus Sanctus verè æternaliter procedat à Filio, quod eſt maximum inconveniens: ergo. Prob. aſſumptum. Nam Patres convincunt Græcos de hoc hac ratione. Filius ſecundum ſcripturas mittit Spiritũ Sanctum: igitur Spiritus Sanctus procedit à Filio. Hæc autẽ Conſ. nulla eſt, ſi admittatur, quod Spiritus Sãctus mittat ſe, & mittat Filiũ: ergo. Prob. Min. nã, tunc reſpondebunt Græci, illã Conſ. eſſe nullam, *Filius mittit Spiritum Sanctum: ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio:* ſiquidem ſecundum nos Spiritus Sanctus mittit ſe, & Filium, & tamen nec Spiritus Sanctus procedit à ſe, nec Filius à Spiritu Sancto.

Ad hoc argum. nego Mai. ad prob. dico, Patres non ex ſolo conceptu miſsionis convincere Græcos, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio: ita vt faciant hac Conſ. *Filius mittit Spiritum Sanctum: ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio.* Sed argumentũ ſuũ in eo fundant, quod ſcriptura aſſerit, Spiritũ Sanctũ mitti de ipſa ſubſtantia Filij iuxta illud Ioan. 16 *De meo accipiet:* perſona autẽ, quæ non procedit ab alia æternali origine nequit accipere de ſubſtantia illius perſonę, à qua nõ procedit, & ſic, eſto aſſeramus Spiritum Sanctum mittere ſe, & mittere Filium, non ſequitur, quod non habeant Latini argumentum, quo convincant Græcos ad aſſerendum, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio.

Vel ſecundò reſpondetur, quod proceſſio Spiritus Sancti nõ convincitur à Latinis ex quocumque genere miſsionis, ſed tantũ ex miſsione ſimpliciter dicta: Spiritus autẽ Sanctus non dicitur mittere ſe, vel Filium ſimpliciter, ſed tantum inadæquate, & ſecundũ quid, & ſic non adducitur inſtantia argumenti Latinorũ contra Græcos.

492 Secundo arguitur, ad ſalvandum conceptũ miſsionis indiſpenſabiliter requiritur diſtinctio realis inter mittentem, & miſſum: ergo, cum inter Spiritum Sanctũ, & ſe ipſum non adſit hæc diſtinctio, non poterimus verificare, quòd Spiritus Sanctus mittat ſe. Deinde, requiritur authoritas mittentis, & ſub authoritas ex parte miſsi; ſed hoc nequit contingere, niſi quando vna perſona ab alia procedit, tunc enim in illa, à qua alia procedit, eſt authoritas, & in illa, quæ procedit ſub authoritas ad illam: cum ergo Filius non procedat à Spiritu Sancto, hic non habebit authoritatem ad illum, & ſic in proprietate ſermonis non poterit verificari, quòd Spiritus Sanctus mittat Filium.

Ad hoc diſt. Ant. ad ſalvandum conceptum miſsionis adæquate ſumptæ pro vtraque parte coniuncti, conc. Ant. ad ſalvandũ conceptũ miſsionis inadæquatæ, & pro altera tantũ parte coniuncti, nego Ant. & diſt. Conſ. quod ſe mittat adæquate, hoc eſt, cõcurrendo ad omnia, quæ inveniũtur in hoc coniuncto *perſona miſſa*, conc. Conſ. quod ſe mittat tantum inadæquate, nego Conſeq. Et eodem prorſus modo reſpondetur ad ſecundam: authoritas enim requiritur ad miſsionem adæquate ſumptam. Itaque, ſicut album, quod eſſentialiter claudit duo, nempe ſubiectum, & formam denominantem, poteſt dupliciter cauſari, vel ſic, quod vtrumque cauſetur tam ſubiectum, quàm forma, vel ſic, quod ſola forma denominans vt ſubiecto coniuncta cauſetur, quod proprie dicitur dealbare, & vtroq; modo cauſetur, vere dicitur cauſans cauſa albi: ita ſimiliter, hoc concretũ *miſſum* duo dicit, & originẽ æternã, & novũ modum exiſtendi in creatura, & ſic duplici modo poteſt dici aliquis mittens, vel quia miſſum æternaliter ab ipſo eſt, & quia etiã ſit cauſa, quòd novo modo in creatura exiſtat, vel quia ex duobus relatis tangat vnũ vt coniunctum alteri, nempe cauſet modum exiſtendi in creatura perſonæ miſſæ. Quãdo ergo mittens dicitur primo modo, tunc eſt neceſſe, quòd realiter diſtinguatur, à re, quæ mittitur, non vero quando tantum ſecundo modo dicitur mittens, hoc ipſum requiritur. Et idem dico de authori-

ri-

Digitized by Google

ſitatẽ, quæ tantùm requiritur in mittente primo modo, non vero in ſecundo. Et quidem non requiri diſtinctionem realem inter miſſum, & mittentẽ hoc ſecũdo modo, ſed ſufficere diſtinctionem rationis, eſt expreſſa doctrina D. Thom. in 1. ad Annibal, diſt. 15. q. vnica, art. 4. ad 2. ibi: *Dicendum, quod triplex eſt diſtinctio, ſcilicet ſecundum eſſentiam, ſecundũ perſonam, & ſecundum rationem, ſeu modum intelligendi; hoc vltimo modo poteſt idẽ diſtingui à ſe, & ſic mitti à ſe.* Quod etiam non requiratur authoritas ad miſſionẽ ſecundo modo, eſt etiam doctrina expreſſa D. Th. ibidem q. 3. art. 2. ibi: *Sed non requiritur de neceſſitate, quod in mittente ſit authoritas reſpectu miſſi, ſed tantum efficientia reſpectu eius, ſecundum quod miſſus dicitur mitti.* Quibus verbis loquitur dẽ miſſione inadæquate ſumpta, nam de miſſione adæquate ſumpta in tota hac q. 43 requirit neceſſario authoritatem ex parte mittentis erga perſonam miſſam.

493 Tertio arguit Vazquez, quia miſſio proprie dicta eſſentialiter requirit exitũ miſſi à mittente; ſed Spiritus Sanctus non exit à ſe ipſo, neq; Filius à Spiritu Sancto: igitur neque dicetur Spiritus Sanctus à ſe ipſo miſſus, neque Filius à Spiritu Sãcto. Ad hoc diſt. Mai. vt dicatur miſſum ſecundũ adæquatã rationẽ miſſi, conc. Mai. ſecundũ rationem tantum inadæquatã, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. ſecundũ omnia, quæ inveniuntur in hoc coniuncto *miſſus*, conc Conſ. ſecundũ in adæquatã rationẽ, & ſecũdũ aliquid eius tantũ, nego Cõſ. Itaque ad miſſionẽ inadæquatã modo dicto ſufficit, quòd Spiritus Sanctus Filiũ, qui exit æternaliter a Patre, faciat novo modo temporaliter exiſtere in creatura; hoc ipſo enim quod hanc partem vt coniunctam cũ illo æternali exitu à Patre cauſat, hoc ipſo mittere Filium dicitur: ſicut dicitur cauſa albi, qui muro præexiſtenti ſuperaddit albedinem, eſto ad album requirantur duo, nempe ſubiectum, & albedo.

§. VIII.

Vtrùm ex perſonis, quæ mittuntur poſsit vna mitti ſine alia?

494 VT rem, de qua in præſenti exacte poſſimus intelligere, reſtat nobis adhuc examinare. Vtrum in hoc, quod eſt mitti, ſit tanta connexio inter perſonas, quæ mittuntur, vt vna non poſsit ſine alia mitti? Cui quæſito ſub diſiunctione reſpõdet Vazquez hic diſp. 120. cap. 2. de miſſione viſibili, per quam perſona, quæ mittitur, apparet in aliqua re creata, ſicut Verbum Divinum apparuit in humanitate, & Spiritus Sanctus in columba, & figurã linguarũ, & de miſſione inviſibili, quæ fit per gratiã gratũ facientẽ. Primo modo (inquit) fit miſsio vnius perſonę ſine alia, quia comparet vnã perſonam exercere in tempore, quod non exercet altera: ſicut Filius per incarnationẽ comparet vt terminans humanitatẽ, ſic, quod Spiritus Sanctus illã non terminet, Spiritus etiã Sanctus cõparet in columba ſpecialiter aſſumpta, ſic, quòd Filius non ſic comparuit: & ſic miſsione viſibili vna perſona mittitur ſine alia; non autẽ res contingit in miſſione inviſibili, quæ fit per gratiã, quia gratiam, per quam Filius novo modo incipit eſſe in creatura, eodẽ prorſus modo cauſat Spiritus Sanctus, ac Filius, & ſic etiã eodẽ novo modo mentẽ rationalẽ inhabitat, ac Filius, & hoc cum tanta connexione, quod nequit Filius gratiã cauſare, quin ſimul illã cauſet Spiritus Sãctus: vnde neceſſario connectuntur in miſsione, ſic, quod nequeat mitti Filius, quin mittatur Spiritus Sanctus. Salmanticẽſes ſine diſtinctione reſpõdent, ex perſonis, quæ mittuntur non poſſe vnã mitti ſine alia, forſan, quia exiſtimant non dari, vel poſſe dari miſſionẽ perſonæ divinæ, quæ nõ fiat per gratiam gratũ facientẽ, quia omnis miſsio ſive viſibilis, ſive inviſibilis ſit, per ſe ordinatur ad ſanctificandum nos: ſanctificatio autem noſtra formaliter per gratiam gratum facientẽ fit, quæ, cum ſit donum Spiritus Sancti, miſſionem eius requirit; vnde viſibilem miſſionem vnius perſonæ ſemper comitatur miſsio alterius ex his, quæ mittuntur.

495 Cæterum hic oportet diſtinguere de miſſione, vt benè Vazquez, & poſt eũ Ioannes à Sancto Thom. hic diſp. 17. art. 2. vbi aſsignat diſcrimen inter miſsionẽ viſibilem, & inviſibilem, quod in prima mittitur vna perſona, & manifeſtatur ſine alia, in miſsione autem inviſibili nunquam vna ſola perſona mittitur, ſed duæ procedentes. Et quidem primam partẽ ſuadeo ſic. Dum Filius per incarnationem mittitur in mundũ, non mittitur, vt ſit in homine, ſed mittitur, vt ſit homo per terminationem aſſumptæ humanitatis; ſed in hoc quod eſt terminare humanitatẽ non communicat Spiritus Sanctus cũ Filio, eſto enim humanitas

Digitized by Google

Chriſti virtute Spiritus Sancti formata ſit, dum in ſymbolo dicitur, *conceptus de Spiritu Sancto*, tamen illa peculiaris terminatio humanitatis, in qua incarnatio conſiſtit, à ſolo Filio in genere cauſæ formalis terminative facta eſt: ergo Filius per incarnationem viſibiliter eſt miſſus, non miſſo viſibiliter Spiritu Sancto. Et, eſto ibi facta ſit ſanctificatio per gratiam gratum facientē, Chriſto in inſtanti ſuæ conceptionis communicatā, hoc tantum probat miſsionē inviſibilem Spiritus Sancti, non viſibilem: vnde ſemper reſtat, quòd quantum ad hoc, quod eſt mitti viſibiliter, miſsiones Spiritus Sancti, & Filij ſeparentur.

Secunda pars, videlicet, quod in miſſione inviſibili inſeparabiles ſint. Prob. primo authoritate D. Th. hic, art. 3. ſolut. ad 3. ibi: *Dicendum, quod, cùm miſsio importat originem perſonæ miſſæ, & inhabitationē per gratiam, ſi loquamur de miſsione quoad originem, ſic miſsio Filij diſtinguitur à miſsione Spiritus Sancti: ſi autem quantū ad effectum gratiæ, ſic communicantur duæ miſsiones in radice gratiæ, ſed diſtinguuntur in effectibus gratiæ, qui ſunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus, & ſic manifeſtū eſt, quod vna non poteſt eſſe ſine alia, quia neutra eſt ſine gratia gratū faciente, nec vna perſona ſeparatur ab alia.* Quibus, & concluſionē noſtrā docet, & rationē efficaciſsimam pro illa aſsignat, quam ad hanc formam reduco. Miſsio inviſibilis non fit niſi ſecundum communicationem gratiæ gratū facientis, ex hoc enim quod gratia animæ communicatur, anima perſona miſſa fruitur, quia illuminatur ſecundum intellectū, & inflammatur ſecundum affectum; ſed Filius, & Spiritus Sanctus in communicatione gratiæ gratū facientis inſeparabiles ſunt, ſic, quod non poſſit illā Filius communicare, quin illam cōmunicet Spiritus Sanctus, & è contra: igitur in miſsione inviſibili, quæ per gratiam gratum facientem fit, ex perſonis, quæ mittūtur, vna non mittitur ſine alia.

Dices, Filium, mitti ad animā per communicationem gratiæ, quatenus radix eſt illuminandi intellectum; Spiritum Sanctū mitti ad animā per communicationē gratiæ, quatenus radicat inflammationem affectus per amorem: cum ergo Spiritus Sanctus non illuminet, neque Filius inflammet, miſsiones illæ erunt inter ſe diſtinctæ, & ſic erunt ſeparabiles inter ſe. Sed contra eſt. Nam aliud eſt, quòd illę miſſiones ſint inter ſe diſtinctæ, & aliud eſt, eas inter ſe non connecti neceſſariò, ita vt ſeparabiles ſint inter ſe: ſtat enim bene, quòd aliqua inter ſe diſtinguantur, & nihilominus vnum ſine alio eſſe non poſſit: ergo ex diſtinctione miſsionum non convincit ſolutio inter miſsiones ſeparationem, & ſic ſolutio data nulla eſt.

Secundò inſto, nam non ſolum gratia gratum faciens cauſatur indiviſibiliter à Filio, & Spiritu Sancto, qui mittuntur, ſed etiam effectus ſpecialis vni attributus inſeparabiliter cauſatur ab alio: igitur etiam datur connexio inter adductas miſsiones, ratione effectus vniuſcuiuſbet ſpecialiter attributi. Prob. Antec. etenim illuminatio, quæ ſpecialiter Filio attribuitur, quia Verbum eſt, cùm rationem doni habeat, & omne donū à Spiritu Sancto, qui perſonaliter Donum eſt cauſetur, neceſſe eſt, quòd ſub ratione doni animæ à Spiritu Sancto communicetur: vnde dicitur à Filio de Spiritu Sancto, *Spiritus Sanctus, quem ego mittam nobis, ille docebit nos omnem veritatem*, quia doctrina Fidei, & contemplationis, eſto materialiter à Filio ſit, ſub ratione tamen doni à Spiritu Sancto eſt: ſimiliter etiam inflammatio affectus per amorem, qui ſpecialiter attribuitur Spiritui Sācto, à Filio etiā communicatur animæ. Etenim Filius nō vtcumq; animam illuminat illuminatione, per quam mittitur ad illam, ſed illuminat inferendo ex parte voluntatis neceſſario amorē, & ſic etiam ipſe amor à Filio ſpecialiter animę communicatur: ergo miſsiones Filij, & Spiritus Sancti non ſunt tantū connexæ inter ſe ex radice gratiæ, ſed etiā ex parte effectuum gratiæ, qui vnicuique perſonæ ſpecialiter appropriatur. Hanc doctrinā expreſſit D. Thom. in loco citato ad Annibaldū art. 2. in argumento ſed contra, ibi: *Filius præcipuè mittitur cum ſapientia datur;* ſed ſapientia eſt primum donum Spiritus Sancti: ergo in eodem dono dantur Filius, & Spiritus. Et de amore ſic habet in corpore, probans eſſe etiam à Filio: *Vna miſsio nunquam eſt ſine alia; quia amor ſequitur notitiam perfectam, ſecundum quam eſt, & miſſio Filij ſemper inducit amorem, & ideo ſimul infunduntur, & ſimul augmentantur.* Quibus duobus locis, vt patet, probat amorem, qui ſpecialiter attribuitur Spiritui Sancto communicari à Filio, & notitiam, ſeu ſapientiā, quæ Filio attribuitur communicari Spiritui Sancto: ergo miſsiones illæ nō ſolū in radice gratiæ, ſed etiā in affectibus

vni-

Digitized by Google

vnicuique perſonæ ſpecialiter attributis inſeparabiliter connectuntur.

496 Ex his ſolvitur obiectio, quæ contra hanc doctrinam ſolet fieri. Nam Filius mitti dicitur ſecundum dona, quæ ſpectant ad intellectum: ſiquidem hæc appropriantur Filio; ſed hæc, prout ſpectant ad ſtatum viæ, non connectuntur cum gratia habituali, nec cum amore charitatis: igitur non connectuntur neceſſario miſsio Filij, & miſsio Spiritus Sancti, ſic, quòd miſſo Filio, debeat neceſſario mitti Spiritus Sanctus. Prob. Min. nam dona illa ſpectantia ad intellectum nequeunt pro hoc ſtatu excedere dona fidei; ſed fides reperitur ſine gratia, & ſine eo, quod anima ſe exerceat in amore charitatis erga aliquam perſonam divinam: ergo. Præterea in ſtatu viæ non eſt actus amoris ſupernaturalis Dei, qui neceſſario ſequatur ad actum intellectus: ergo non connectuntur neceſſario inter ſe ea, quæ ſpectant ad illuminationē intellectus, cum his, quæ ſpectant ad effectum ſupernaturalis voluntatis: ergo neque miſsiones Filij, & Spiritus Sancti inter ſe neceſſario connectentur.

Præterea, ſi dictæ miſsiones inter ſe eſſent connexæ, oporteret, quod eſſet aliquis ordo inter illas, ſic, quòd miſsio Filij eſſet prior miſsione Spiritus Sancti, vel è contra; hoc autem non videtur poſsibile: ergo. Prob. Min. in primis miſsio Filij nequit eſſe prior, quia Spiritus Sanctus eſt primum Donum, & ſic omnia, quæ donantur in tempore animæ, debent neceſſario ſupponere dationem Spiritus Sancti; in donis enim, vt in ſuperioribus vidimus, primum, quod donatur amor eſt, ratione cuius alia participant rationem doni: ergo miſsio Filij nequit eſſe prior miſsione Spiritus Sancti. Ex alia parte, miſsio Spiritus Sancti videtur quod non poſsit præcedere miſsionē Filij, quia dona ſpectantia ad intellectum ſimpliciter priora ſunt donis ſpectantibus ad voluntatem: cum ergo Filius mittatur ſecundum dona ſpectantia ad intellectū, videtur, quod miſsio Filij præcedere debeat miſsionem Spiritu Sancti.

497 Pro ſolutione primi, quod tangitur in hoc obiectione, adverto. Filiū non mitti ad animam niſi ſecundum illam cognitionem, ſecundum quam poteſt anima in ſe habere, & poſsidere Filium: Filius autem non poſsidetur ab anima niſi per hoc, quod anima perfecte illi aſsimilatur, neque enim aliquis dicitur habere prudentiam, quando illam participat ſecundum actum aliquem imperfectum, ſed tantum quando illam participat ſecundum actum perfectū, qui actus rationis eſt; cum ergo Filius ſit Verbū, & notitia neceſſario inferens amorem, tunc erit perfecta aſsimilatio animæ ad Verbum divinum, quando in ſe habebit illam notitiam per ſe amorē inferens; hæc autem notitia non eſt fidei, licet illam præſupponat, ſed doni ſapientiæ: donum autem ſapientiæ ab anima non habetur, niſi gratiam gratum facientem habeat, & ſic notitia, ſecundum quam Filius mittitur, neceſſario ſupponit in anima gratiam, in qua radicatur; & in qua miſsio vtriuſque perſonę per ſe connectitur, vnde Ad argum. reſp. in forma, neg. Min. ad prob. dico, ita eſſe, quòd fides, cum ſit virtus Theologica, à nullo dono ſpectante ad intellectum pro ſtatu viæ excedi poteſt, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 68. art. 8. cum hoc tamen ſtat, quòd donum ſapientiæ, & idem dico de alijs donis, nō poſsit animæ convenire, niſi gratiā, & charitatē habeat, quia hoc non convenit illi ex excellentia eius, ſed ob rationē, quā D. Thom. adducit quæſt. citata, art. 5. quæ talis eſt: *Quod omnes vires animæ diſponantur per dona in comparatione ad Spiritum Sanctū moventem; Spiritus autem Sanctus habitat in nobis per charitatē ſecundū illud Rom. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis: vnde ſicut virtutes morales connectuntur ſibi in prudentia: ita dona Spiritus Sancti connectuntur ſibi invicem in charitate; ita ſcilicet, quòd, qui charitatem habet omnia dona Spiritus Sancti habet, quorum nullum ſine charitate haberi poteſt.* Neque enim ex exceſſu virtutis ad virtutem, vel ad aliud donum inferri poteſt, quòd, ſi virtus excedens poteſt eſſe ſine charitate, quod virtus, vel donum, quod exceditur poſsit eſſe ſine charitate: etenim fides, & ſpes excedunt virtutes per ſe infuſas morales, & tamen fides, & ſpes poſſunt eſſe ſine charitate, non vero virtutes morales per ſe infuſæ: ſic ergo ex hoc quod fides excedat donum ſapientiæ, non ſequitur, quod ſi fides poteſt eſſe ſine charitate, pariter & ſapientiæ donum poſsit eſſe ſine gratia, & charitate.

Ad ſecundum, nego Ant. actus enim, qui ſequuntur ad imperiū rationis practicū, neceſſario ſequuntur, quia imperiū nō proponit volūtati executionē actus ſub indifferētia ſed determinatè intimat ei dicendo fac hoc; per quod diſtinguitur à iudicio indifferēti;

quod ſub indifferentia proponit voluntati obiectū eligibile: vnde actus imperatus eſt tantū liber in cauſa, non in ſe. Similiter dico de actibus donorū, cum enim mens per donum habituale redditur facile mobilis à Spiritu Sancto, Spiritus Sāctus multoties ad actus donorum improvisò, & ſubitò tam intellectum, quam voluntatem movet ad actus, ad quos Spiritus illam inclinat: vnde & dicitur, *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis*, vbi connectit Scriptura motionem Spiritum Sancti cum exequutione ipſius voluntatis.

Ad tertium dico, miſsionē Filij ſecundum vnā rationem præcedere miſsionē Spiritus Sancti, & ſecundū aliā præcedi ab illa. Si enim attendatur ad proceſsiones æternas, quas diximus per ſe deſiderari ad miſſionem divinarū perſonarū; ſic miſsio Filij præcedit miſsionē Spiritus Sancti origine, quia Filius eſt prior origine Spiritu Sancto: ſi autē attendamus ad dona, quibus temporaliter mittuntur, tunc, vel conſideramus illa ex parte rei datæ, & ſic, notitia, ſecundum quam Filius datur, & mittitur, præcedit amorem, ſecundum quem datur Spiritus Sanctus; ſed ſi conſideremus illa ex parte dantis, tunc, cum primum movens, & inclinans ad dandum ſit amor, ſic datio Spiritus Sancti eſt prior datione Filij, & ſic miſsiones iſtæ ſecundum diverſas conſiderationes ſe præcedunt. Crediderim tamen, quòd abſolute loquendo miſsio Filij præcedat miſsionem Spiritus Sancti.

§. IX.

Vtrùm miſsio rectè dividatur in viſibilem & in inviſibilem?

498 CONSTANS res eſt apud omnes Theologos dari vtramque miſsionem divinarum perſonarum tam viſibilem, quam inviſibilem. Primam ſuadet Incarnationis myſterium, dum in ipſo videmus miſiſſe Deum Filium ſuum in mundum, vt verus homo eſſet per terminationē humanitatis, quā inhabitabat ſimul cum tota Trinitate per eſſentiā, præſentiā, & potentiā, & vltra hoc ratione ſuæ proprietatis relativæ illā reddebat formaliter ſubſiſtentem. Quod explicavit Ioannes Evangeliſta dum dixit: *Verbū caro factum eſt, & habitabit in nobis*, viſibiliter quidē ſicut & alij homines. Secundā ſuadet cōmunis ille locus Pauli ad Rom. 8. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctū, qui datur eſt nobis.* Et illud ad Galat. 4. *Quoniam eſtis Filij miſsit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra.*

Conſtans etiā eſt prædictas duas miſsiones in pluribus convenire & in alijs differre. cōveniunt quidē primo in hoc, quod vtraque ordinatur ad manifeſtationē perſonæ divinæ miſſæ, & proceſsionis eius. Secundo conveniunt in eo, quod vtraque ordinatur ad communicationē ſpecialē divinarū perſonarū illi creaturæ, ad quā mittuntur. Tertio conveniunt in eo, quod vtraque ordinatur ad ſanctificationē creaturæ rationalis, per quā convertitur in ſuum vltimū finem. Differunt autē in eo, quòd miſsio viſibilis fit in aliquo effectu ſenſibiliter exhibente, vel repræſentante perſonam, ſive aſſumēdo illum in vnitatem perſonæ ſubſtantialiter, vt in incarnatione, ſive apparendo in illa vt ſigno talis perſonæ, & ſanctificationis, quā facit, vt in Spiritu Sancto miſſo in formā columbæ: miſsio autē inviſibilis ſit in aliquo ſigno ſpirituali, & inviſibili, quo elevatur creatura rationalis ad participationem ordinis divini, & ad cognoſcendū, & fruendum perſonis. Secundo differunt in eo, quod per miſsionem inviſibilē, vt ſupra vidimus, vna perſona mittitur ſine alia viſibiliter miſſa, in miſsione autem inviſibili nunquam vna ſola perſona mittitur, ſed duæ procedentes. Tertium diſcrimen addit Ioannes à Sancto Thom. in eo, quòd per miſsionē inviſibilē perſona divina venit in hunc mundū; per inviſibilē autē non venit in hunc mundū, ſed facit homines eſſe extra hunc mundū, & transfert eos ad æternitatem. Quod diſcrimen infra examinabimus, vtrum verum ſit?

499 Difficultas ergo præſens in duobus videtur conſiſtere, alterum eſt, vtrum hæc diviſio adæquata ſit? Alterum eſt, vtrum in membris dividentibus proprie ratio miſſionis ſalvetur? Primæ difficultati reſp. affirmative. Et prob. Nam, adducta diviſio attenditur penes diſtinctionem effectuum cauſatorū circa nos per ipſam miſsionē; ſed dicti effectus adæquate dividuntur in viſibiles, & in inviſibiles, ſenſibiles, & ſpirituales: ergo ſimiliter miſsio adæquate dividetur in viſibilem, & in inviſibilem, ſenſibilem, & ſpiritualem.

Sed inſtas contra hoc, ad Euchariſtiā, cōſecratione facta, fit miſsio perſonæ Filij, ſiquidē ibi exiſtit corpus Chriſti de novo ex vi cōverſionis, & perſona Filij per cōcomitantiam; & tamen illa miſsio, nec eſt viſibilis,

Digitized by Google

lis quia ibi Chriſtus nō ponitur viſibiliter, ſed modo inviſibili, nec eſt inviſibilis, quia non eſt ſecundum infuſionem gratię in anima, quia in Euchariſtia ante ſumptionem non eſt anima fidelis, ſed tantum eſt corpus Chriſti & accidentia Panis, quæ remanent ſine ſubiecto: ergo miſſio divinæ perſonæ non dividitur adæquate in viſibilem, & in inviſibilem. Inſtabis ſecundo, datur miſſio, quæ infert effectum ſenſibilem, & inſenſibilem: ergo datur tertium membrum miſſionis mixtum ex viſibili & inviſibili. Conſeq. videtur bona, & Ant. Prob. nam Sacramenta novæ legis cauſant gratiam in anima, & ſimul viſibiliter ſignificant Deū inhabitare illam per gratiam: igitur datur miſſio connotans duos effectus, alterū viſibilem, per quem viſibiliter repræſentatur, vt exiſtens in anima, alterum inviſibilem, nempe gratia gratum faciens.

Ad primam inſtantiam duplici ſolutione reſp. Ioannes à Sancto Thom. prima eſt, quod in Euchariſtia non datur miſſio perſonæ Filij, ſed illa miſſio tantū eſt corporis Chriſti, vt ibi exiſtat, alia eſt enim miſſio perſonæ, vt novo modo ſit in aliquo, & aliud eſt miſſio ipſius humanitatis, ſeu corporis Chriſti, quod tanquā quid creatū mittitur. Secundo reſp. quòd ſi concedatur ibi eſſe miſſionē perſonæ Filij, adhuc argumētū nihil probat, quia tunc illa miſſio erit viſibilis reductive, quatenus corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens quoad ſubſtantiā per ſe eſt ſenſibile, & per alienas ſpecies viſibile redditur. Itaque viſibilitas per ſe primo cōvenit corpori, & medio corpore ſenſibili, & viſibili facto per ſpecies, perſona Filij terminans corpus, fit veluti per accidens, hoc eſt, per aliud, viſibilis. Rationē vtriuſq; ſolutionis fundare conatur. Primæ quidem, quia perſona Chriſti in Sacramēto non exiſtit novo modo ab eo, quo exiſtit ſub humanitate aſſūpta, ipſa enim vnione, qua vnitur humanitati aſſumptæ, ipſa, & non alia vnitur corpori Sacramētato; vnde reſpectu perſonæ Filij miſſio non datur, eſto detur reſpectu corporis, cui eſt vnita. Sicut ex eo quod corpus Chriſti in propria ſpecie immutaretur immutatione glorificationis in transfiguratione, vel reſurrectione, aut immutatione paſſionis, non ex hoc fiebat nova miſſio perſonæ, quia non ex hoc mutabatur modus, quo perſona divina illam naturā, vel corpus aſſumpſit. Secundā ſolutionē ſic explicat, & roborat. Nā, ſi demus ad Euchariſtiam perſonam Filij mitti, tunc oporteret mittere illā ad corpus Chriſti vt Sacramentatū, hoc eſt corpus Chriſti nō ſub proprio modo, ſed ſub aliena ſpecie repręſentatū: igitur perſona divina miſſa, vt pertinēs ad dictū corpus, vere redderetur viſibilis mediate, & per corpus Sacramentatū, in quo eſſet: vnde dicta miſſio adæquate eſſet viſibilis, & nullo modo inviſibilis.

Cæterum illæ ſolutiones pace tanti Magiſtri bonæ non ſunt. Non quidem prima, nam licet verum aſſerat in eo, quod negat perſonam Filij mitti ad Euchariſtiā propter rationē, quā in illa aſſignat, tamen videtur falſum id, quod dicit, nempe quod corpus Chriſti tantū vt aliquid creatum mittatur. Tum, quia corpus Chriſti cūm excluſione perſonæ, cū aliquid creatū ſit, deberet mutare locum, vt vere, & proprie diceretur mitti; ſed corpus Chriſti, dum eſt in Euchariſtia, non habet diverſum locū ab eo, quē tenet in cœlo circumſcriptive: ergo illi non proprie convenit mitti. Mai. patet ex aſſignato diſcrimine inter miſſionem perſonæ divinæ, & creaturæ, quod licet illa non fiat ſecundum mutationem loci, hæc autem indiſpenſabiliter mutationē loci importat; Min. etiā patet, alias corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens non maneret in cœlo circumſcriptive. Et Conſ. eſt in forma.

Secundo impugno eandem ſolutionē, quia in ea collocatur corpus Chriſti vt miſſum ad Euchariſtiā in altero mēbro diviſionis, nempe miſſionis viſibilis, quod ſi verificare vellit hic Author de miſſione viſibili, quę eſt membrū huius diviſionis, falſiſſimū eſt; nam in dicta diviſione tantū fit ſermo de miſſione perſonæ divinæ, vel ratione effectus ſenſibilis, per quem inviſibiliter manifeſtatur, vel ratione effectus inſenſibilis, & ſpiritualis, per quem inviſibiliter mentes noſtras inhabitat; ſed corpus Chriſti cū excluſione perſonæ divinæ, vti excluditur ab iſto Authore, perſona divina non eſt: igitur miſſio illius nequit collocari ſub ſpecie miſſionis viſibilis, eo modo, quo eſt membrum diviſionis, de qua in pręſenti eſt ſermo.

Tertiò inſto, nā corpus Chriſti, ſi mitteretur proprie ad Euchariſtiā, vere mitteretur à Chriſto Dño, cuius perſona, & nomine Sacerdos miniſter conſecrat convertēdo Panē in corpus Chriſti; ſed hoc dici nō poteſt, quia corpus Chriſti, dū fit ex Pane, non exit à Chriſto, neq; exitu ſecundū eſſe ſubſtantiale, neque exitu ſecundum locum: ergo, cum ad miſſionem requiratur exitus

miſsi à mittente, nequit dici, quod Chriſtus mittat illud. Confir. ad hoc vt aliquid proprie mittatur non ſufficit quod novo modo exiſtat in aliquo, in quo antea non exiſtebat, vel quod novum occupet locum, quem antea non occupabat: ergo per hoc quod corpus Chriſti, dum Sacramentatur, de novo ſit ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſub quibus ante conſecrationem non erat, non dicetur proprie mitti. Conſeq. videtur bona, & Ant. Prob. nam omnes effectus à Deo noviter producti, poſtquam producti ſunt, occupant locum in Vniverſo, quem ante ſui productionem non occupabant; & tamen non dicuntur mitti à Deo in Vniverſum, ſed tantum dicuntur à Deo de novo produci: ergo novo modo exiſtere in aliquo, vel occupare novum locum, quem antea non occupabat, non ſufficit vt dicatur aliquid proprie mitti.

Contra ſecundam ſolutionem etiam inſto, quia dato caſu, quòd perſona Filij dicatur mitti ad Euchariſtiam, miſsio illa nō erit viſibilis modo aſsignato ab illo Auctore: ergo ſecunda ſolutio nulla eſt. Prob. Antec. in illo caſu; eſto corpus Chriſti redderetur viſibile, & ſenſibile per ſpecies panis, tamen perſona Filij non poſſet reddi ſenſibilis immediate per ipſum corpus Chriſti, prout in Sacramento exiſtit: ergo adhuc dato illo caſu, miſsio perſonæ divinæ non eſſet viſibilis. Prob. Antec. corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus ad modum ſubſtantiæ prævenientis omnem ſenſibilitatē: igitur, prout in Sacramento exiſtit, non poſſet reddere immediate viſibilem perſonam Filij divini. Dices data illi hypotheſi, nempe, quod perſona Filij mitteretur ad Euchariſtiam, tunc illa miſsio non eſſet inviſibilis, quia non produceret Filius gratiā in Euchariſtia, quæ ſubiectum gratiæ non eſt: omnis autem miſsio inviſibilis perſonæ divinæ fit per productionem gratiæ: ergo eſſet miſsio viſibilis, vel dicendum, dari miſsionem perſonæ divinæ, quæ neque viſibilis, neque inviſibilis ſit. Ad hoc dico, quod admiſſo impoſsibili; quod perſona Filij divini mittatur ad Euchariſtiam, non erit inconueniens admittere tertium membrum miſsionis. Vel dicendum, quod, qui tale quid admitteret, non haberet pro certo, quod omnis miſsio inviſibilis fiat per productionem gratiæ habitualis in eo, ad quod aliquid mittitur.

500 His ſolutionibus refutatis. Ad primam obiectionem factam, nego Ma. ad prob. quod perſona Filij ibi adeſſet per concomitantiam, concedo, ſed nego quod hoc eſſet ex vi miſsionis illius; neque enim ibi eſſet novo modo ſe habendo cum humanitate ab eo, quo ſe habuit ex quo illam aſſumpſit, & ad miſsionem diſtinctam ab incarnatione oportebat, quod novo modo exiſteret in humanitate ab eo, quo antea in illa exiſtebat. Et idem, quod dico de perſona Filij Dei, dico de corpore Chriſti: non enim mittitur ad Euchariſtiam, dum conſecratur, quamvis novo modo ſub ſpeciebus Sacramentalibus ſit; ab eo, quo in cœlo eſt, hoc enim non habet, quia ad Euchariſtiam mittatur, ſed quia fit, & producitur ex pane iuxta dictum Ambroſij, *Ex pane fit corpus Chriſti*: aliud enim eſt aliquid novo modo eſſe alicubi, quia producitur ibi, & aliud eſt novo modo eſſe alicubi ex eo, quod mittatur, vt ibi ſit, vt ſupra explicavimus.

Ad ſecundam obiectionem, nego Antec. ad prob. diſt. Ant. pro ea parte, quā dicit Sacramenta ſignificare viſibiliter Deum habitare animam per gratiam, quaſi per ſe ad hoc ſint inſtituta, nego Antec. quaſi hoc illis conveniat ex conſequenti, conc. Ant. & diſt. Conſ. per ſe conducentes admiſsionem viſibilem, & inviſibilem, nego Conſ. non per ſe conducentes, conc. Conſ. Itaque Sacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis tantum habent ſignificare gratiam, quā ſignificant non perſonam animam inhabitantem; ad hoc autem vt fiat miſsio viſibilis perſonæ, oportet, quòd aſſumatur aliquid ſenſibile ad ſignificandum per ſe primo, quòd talis perſona alicubi ſit: ſicut patet de columba Spiritus Sancti per ſe aſſumpta ad ſignificandum inhabitudinem Spiritus Sancti, & in linguis igneis; & in humanitate aſſumpta à Filio Dei in vnitatem perſonæ.

§. X.

Examinatur ſecundam punctum.

501 DIXIMVS §. 1. miſsionem competere divinis perſonis non metaphorice, ſed ſecundum proprietatem. Modo reſtat nobis examinandum: ſi hæc propria ratio miſsionis ſecundum propriam rationem competat tam miſsioni viſibili, quam inviſibili. Cui quæſito reſp. affirmative, & probo, quia in vtraque miſsione verus reperitur exitus miſsi à mittente, vt novo modo ſit

in creatura : ergo propria ratio miſsionis reperitur in vtraque miſsione. Prob. Ant. nam in viſibili miſsione habita in incarnatione, vere comparuit quod ille qui æternaliter procedebat à Patre, in mundum venit, vt homo fieret, & humanitatem habitavit non eo modo, quo Trinitas illam inhabitabat, ſcilicet exiſtendo in illa per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſed peculiariſsimo modo terminando illam, & reddendo illam ſubſiſtentem: ſimiliter cum in ſpecie columbæ Spiritus Sanctus viſus eſt ſuper diſcipulos, gratiæ charismata illis communicando, in mundum venit, mentéſque Diſcipulorum inhabitavit, & per columbã manifeſtatum eſt, quod ille, qui æternaliter procedebat à Patre ; & Filio novo modo mentes Diſcipulorum inhabitabat. Similiter, cum per gratiam ſecluſa ſui manifeſtatione viſibili mentes rationales inhabitat, qua ratione perſona divina inviſibiliter mittitur, vere exit à Patre, vt novo modo in creatura ſit: ergo in omni miſsione; tam viſibili, quam inviſibili propria ratio miſsionis invenitur.

502 Sed contra hanc reſolutionem, quæ communis eſt inter Theologos obicies primo, ad hoc vt ſalvetur in aliqua miſsione perſonæ divinæ propria ratio miſsionis, oportet, quod per illam creatura rationalis convertatur in Deum, illum perfectè cognoſcendo, & perfectè amando ; at hoc non fit ex vi miſsionis viſibilis, ſed tantum ex vi inviſivilis, per quam ſolam gratia producitur : igitur in miſsione viſibili propria ratio miſsionis non invenitur, Conſ. eſt bona & probantur præmiſſæ. Ma. quidem prob. ex D. Tho. in 1. ad Annibaldum diſt. 15. quæſt. 4. cap. 1. ibi: *Miſsio attenditur in creatura rationali, non ſecundum proceſſum creaturæ à Deo in genere cauſæ efficientis quo ad eſſe; ſed ſecundum converſionem, & regreſſum creaturæ rationalis in Deum vt in finem, quod fit per cognitionem, & amorem perfectum Dei*: igitur oportet: quod vt miſsio viſibilis ſit proprie miſsio, hoc habeat. Min. etiam prob. nam per aſſumptionem carnis, & terminationẽ humanitatis, creatura rationalis non convertitur in Deum, ſed tantum per gratiam gratum facientem, quæ ſola eſt radix cognoſcendi ; & amandi Deum perfectè: ergo per ſolam miſsionem viſibilem non poteſt creatura converti in Deum.

Præterea: vt miſsio viſibilis foret proprie miſsio, oporteret, quod effectus, qui aſſumeretur in ſignum perſonæ miſſæ, eſſe eſſet manifeſtativum talis perſonæ ; ſed hoc non habetur, neque in incarnatione, neque in adventu Spiritus Sancti in ſpecie columbæ: ergo. Prob. Min. quia facta incarnatione, & facto adventu dictæ columbæ, niſi Deus per fidem ſuam revelaret nobis Filium ſuum carnem aſſumpſiſſe, & Spiritum Sanctum ſuper Diſcipulos advenisſe, non poſſemus aliquo modo ex vi horum ſignorum viſibilium venire in cognitionẽ perſonæ Filij, neque in cognitionem Spiritus Sancti ergo per dicta ſigna viſibilia non manifeſtantur perſonæ, quæ dicuntur mitti. Præterea, ſi fieret incarnatio (vt potuit fieri) per aſſumptionem naturæ irrationalis, tunc fieret ſine communicatione alicuius doni gratiæ creaturę, quia creatura irrationalis incapax eſt gratiæ gratum facientis: potuit etiam fieri ſine ordine ad ſanctificandam creaturam rationalem: ergo, vel hoc non requiritur ad propriam miſsionẽ, quod eſt contra D. Thom. vel ſi requiritur, talis incarnatio non eſt proprie miſsio. Quod Confirm. nam baptizato Chriſto in Iordane; Spiritus Sanctus viſibiliter apparuit in ſpecie columbæ ; & tamen ibi non fuit propria miſsio : ergo ad propriam rationem miſsionis non ſufficit perſonam divinam per ſignum ſenſibile manifeſtari. Prob. Min. Nam, tunc gratia gratum faciẽs non fuit producta, neque in Chriſto Domino, neque in alio: ergo ibi non fuit proprie miſsio divinæ perſonæ.

Præterea, quia ſi viſibilis manifeſtatio divinæ perſonæ fuiſſet propria miſsio, non æque nobiliter Spiritus Sãctus eſſet miſſus, ac Filius, quod videtur inconveniens; cum ſint æque nobiles perſonæ, & in omni perfectione ſibi coæquales: ergo. Prob. Sequela nam Spiritus Sanctus tantum apparuit in ſpecie animalis irrationalis, quale eſt ſimplex columba, vel in figuris linguarum ignearum, quę quid inanimatum ſunt: Filius autem apparuit nobis in creatura rationali, qualis eſt humana natura: ergo miſsio Filij nobilior eſſet miſsione Spiritus Sancti, vtpote per ſignum nobilius facta.

Præterea. Baptizato Domino in Iordane, dum Spiritus Sãctus in ſpecie columbæ apparuit, tunc dictum eſt, Spiritum Sanctum eſſe miſſum miſsione viſibili, ſed dicta miſsio non fuit proprie miſsio divinæ perſonæ : ergo in miſsione viſibili divinæ perſonæ non ſalvatur conceptus propriæ miſsionis. Prob. Min. nam ad propriam ra-

tionem miſsionis oportet indiſpẽſabiliter, quòd perſona, quæ mittitur novo modo operaretur in creatura, vt novo modo exiſtat in illa; at Spiritus Sanctus in columba nihil operatus eſt ſpecialiter, quòd non operatæ ſint totæ tres perſonę ſantiſsimę Triados, dũ illam produxerũt: neque in Chriſto aliquid produxit, quia hoc debuiſſet eſſe gratia gratum faciens; gratiæ autem Chriſti, cum conſummata eſſet ab initio ſuæ cõceptionis, additio fieri non poterat: igitur non extitit novo modo in creatura per ſpecialem operationem, quam habuiſſet circa illam, & ſic proprie nequit dici miſſus. Cõfirm. quia tunc tantùm fuit in columba vt repræſentatus in repræſentante; at hoc non ſufficit ad perfectam rationem miſsionis: ergo. Prob. Min. ſignatum in ſigno tantùm exiſtit vt repræſentatum in repræſentante, quod eſt pure intentionaliter exiſtere: ergo ſic exiſtere in aliquo, non ſufficit ad hoc, vt realiter fiat perſonæ miſsio. Secundo prob. eadem Min. nam gratia gratum faciens eſt in Sacramentis ſicut ſignum in ſignato; & nihilominus gratia, vel aliqua perſona non dicitur mitti ad Sacramenta: igitur ad verã miſsionem non ſufficit eſſe in aliquo tanquam ſignatum in ſigno.

503 Ad hęc reſpondetur ſuo ordine. Ad primum, nego Mi. ad prob. diſt. Ant. non convertitur in Deum, operative, conc. Ant. non convertitur in Deum formaliter, nego Ant. & Conſ. Itaque, ſicut ſanctificatio, & iuſtificatio eſt duplex vt docetur 3. p. quæſt. 7. art. 1. alia accidentalis, quæ fit per gratiam habitualem, per quam anima formaliter participative fit Deus; alia ſubſtantialis, quæ fit per hoc, quod anima vnitur Deo in perſona, à qua ſubſtantialiter ſanctificatur; ita & converſio in Deum eſt duplex, alia operativa, quæ fit per actus intellectus, & voluntatis, alia formalis, per quam anima Deo in ſeipſo formaliter vnitur, à quo & formaliter ſanctificatur: in incarnatione ergo anima Chriſti, etſi ex vi ſolius incarnationis non ſit converſa in Deum operative, quia incarnatio non eſt principium vitale operũ ſupernaturalium, eſt tamen converſa formaliter, dum ab ipſo eſt aſſumpta in vnitatem perſonæ, & ab ipſo perfectiſsimè ſanctificata.

Ad ſecundum, nego Min. ad prob. fateor, quod niſi fides dictaret, quòd perſona Filij Dei carnem aſſumpſiſſet, vel quod Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ veniret, non cognoſceremus certo videndo talem hominem, illum eſſe Filium Dei, vel vidẽdo columbam, ibi eſſe Spiritum Sanctum: cùm enim iſta ſigna naturalia non ſint, ſed tantum ex inſtitutione divina, vel ſolum voluntariè aſſumpta, niſi per fidem conſtet de Dei voluntate, vel de Dei inſtitutione, non poſſumus per ſigna viſibilia venire in cognitionem perſonarum inviſibilium latentium: ſuppoſita tamen revelatione per fidem vere per humanitatem aſſumptam, perſonam Filij Dei tanquam per ſenſibile ſignum cognoſcimus, illamque colimus, & adoramus ratione humanitatis, quam videmus.

Ad tertium reſp. Ioannes à Sancto Th. quod in caſu, quo perſona Filij aſſumpſiſſet naturam irrationalem, vere ibi adeſſet Filius novo modo in ratione ſuppoſiti, non in ratione perſonæ, quia hæc eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia; tunc autem natura terminata eſſet irrationalis, non tamẽ diceretur mitti, quia miſsio proprie non convenit ſuppoſito, ſed perſonæ; oportet enim ad veram rationem miſsionis, quod ille, qui mittitur non tantum phyſice cohabitet id, ad quod mittitur, ſed etiam quod morali influxu, & quodam veluti convictu ibi ſit, qui eſt proprius perſonæ intelligentis; non autem ſuppoſiti naturæ irrationalis. Ita hic Author. Sed in his non poſſum non notare illum inconſequentiæ. Nam poſtquam hoc affirmat in ſolutione ad primum, ſtatim ſolvens argumentũ de corpore Chriſti novo modo exiſtentis ſub ſpeciebus panis, dicit, quod ad Euchariſtiam non mittitur perſona Filij Dei, ſed tantum corpus Chriſti, cui ſoli ex vi verborum convenit eſſe in Euchariſtia, quæ, dico, manifeſte videntur opponi. ſi enim ad propriã miſſionem requiritur, quod id, quod mittitur ſit perſona, & requiritur, quod morali convictu ſit in eo, ad quod mittitur, quomodo corpus Chriſti cum excluſsione perſonæ proprie mittitur ad Euchariſtiam? Quando neque verificatur de illo, quod ſit perſona, neque quod morali convictu ibi, prout ibi gaudeat.

Ad argumentuum ergo, conc. Conſ. quia eſt vna disiunctiva conſequens, cuius vna pars eſt vera, & ſic tota eſt vera, nempe illa, in qua habetur, quod aſſumptio naturæ irrationalis non ſit proprie miſsio; cuius aſsigno rationem ex doctrina D. Tho. ſupra adducta, videlicet, quod ad rationem propriam miſsionis requiritur, quod id, ad quod mittitur bene, & perfecte poſsideat

per-

perſonam miſſam ;hæc autem perfecta poſſeſſio non fit, niſi id, quod poſſidere dicitur perfecte aſsimiletur perſonæ, quæ mittitur: In caſu autem noſtro natura irrationalis nō perfecte aſsimilaretur perſonæ Filij Dei; quia ex parte ipſius non adeſſet gratia gratum faciens, per quam fit aſsimilatio accidentalis perfecta, neque adeſſet participatio formalis effectus perſonandi, in quo conſiſtit perfecta aſsimilatio ſubſtantialis: tantū ergo eſſet miſsio perſonæ ſecundum quid; cum perſona Filij tunc ſolum participaretur quoad effectum formalem ſubſiſtendi.

Ad Confir. nego Min. ad prob. nego Conſ. licet enim pro tunc de novo Spiritus Sanctus gratiam non cōmunicaverit Chriſto, neque ad hoc fuerit miſſus, fuit tamen miſſus in ſigno viſibili ſuper Chriſtū apparenti ad deſignandum viſibiliter, quod ipſe Spiritus Sanctus animam Chriſti inhabitabat per gratiam habitualem ab initio ſuæ conceptionis illi communicatam. Sed dices illam tantum fuiſſe viſibilem manifeſtationem perſonæ iam miſſę, nō vero fuiſſe miſſionem de novo eiuſdem perſonæ; ſiquidē de novo nihil operata eſt circa Chriſtum, quod requirebatur ad hoc, vt de novo exiſteret Spiritus Sanctus in illo, in quo tantū miſsio conſiſtit. Ad hoc dico, quòd ad miſſionē pure viſibilem ſufficit, quòd Spiritus Sanctus de novo inhabitet Chriſtū, vt manifeſtatus viſibiliter per ſignū viſibile. Itaque vſque tunc Spiritus Sanctus inhabitavit animam Chriſti, vt inviſibiliter miſſus, & facta apparitione per columbā inhabitare cœpit animam Chriſti vt viſibiliter manifeſtatus, quod eſt viſibiliter mitti.

Ad quartum, nego Sequelam, ad prob. nego Conſ. nobilitas enim miſsionis non attenditur penes nobilitatem effectuū, vel ſignorum, per quę perſona miſſa manifeſtatur, ſed penes nobilitatem mittentis, miſſi, & termini *ad quem* mittitur; hæc autē tria æque nobilia ſunt in miſſione Filij, & Spiritus Sancti: & ſic eſto ſigna, quæ aſſumpſerunt ad ſui manifeſtationem non æque nobilia ſint, tamen miſsio vtriuſque æque nobilis fuit. Quod autem illa tria æquali nobilitate gaudeant, patet diſcurrendo per ſingula, Pater enim Filium mittens, Pater, & Filius Spiritū Sanctū mittentes æque nobiles ſunt, Spiritus Sanctus miſſus eiuſdē nobilitatis eſt cū Filio miſſo: ex parte termini *ad quem* etiam apparet eadem nobilitas, nam Filius Dei miſſus eſt, vt faceret hominem Deum; & Spiritus Sanctus miſſus eſt ad eundem hominem iam factum Deum.

504 Sed inquires, cur prima miſſio facta eſt per aſſumptionem naturæ rationalis, & ſecunda per aſſumptionē naturę irrationalis, nempe columbæ? Ad hoc, hanc aſsignat rationem congruentiæ D. Tho. hic art. 7. ad 4. ibi: *Dicendum, quod perſonam Filij Dei declarari oportuit vt ſanctificationis authorem, & ideo oportuit, quod miſsio viſibilis Filij fieret ſecundum naturam rationalem, cuius eſt agere, & cui poteſt competere ſanctificari; indicium autem ſanctificationis eſſe potuit qualibet alia creatura.* Supponit autem D. Tho. id, quod dixerat in corp. art. videlicet, *Spiritui Sancto, in quantum procedit vt Amor, competit eſſe ſanctificationis Donum; Filio autem in quantum eſt Spiritus Sācti principium competit eſſe ſanctificationis Authorem.* Ex his ſuppoſitis aſſerit, quòd, vt vnaquæque perſona ſecundum ſibi peculiares functiones, manifeſtaretur, quæ diverſæ ſunt, aſſumptæ ſunt in ſigna creaturę diverſæ penes rationalem, & irrationalem; Filius enim, cùm ſit ſanctificationis Author, ad quem attinet agere, declaratus eſt per creaturam rationalem; cuius eſt agere: Spiritus autem Sanctus, cum ſit ipſum Donum ſanctificationis, de cuius conceptu non eſt agere, potuit declarari per aliquam aliam naturam irrationalem.

Ad quintum, nego Min. ad prob. nego Mai. ſufficit enim ad miſsionem viſibilem vnum de duobus, vel quod de novo aliquid operetur in illo, ad quod mittitur, vel quod de novo declaretur, & manifeſtetur, vt iam operans in illo, & inhabitans illud. Ad Cōfir. diſt. Min. non ſufficit ad miſsionem, quæ fiat ad columbā phyſice inhabitandā, conc. Min. non ſufficit ad miſsionem, quæ fit ad Chriſtum, vt tantum declaratū ſenſibiliter per columbā, ad hoc de novo formatā; nego Min. Pro cuius intelligentia adduco pulchram doctrinā D. Tho. ex p. diſt. 16. quæſt. 1. art. 1. ibi *Dicendum, quod illa viſibilis creatura, ſecundum quam miſsio dicitur viſibilis; aliter ſe habet in miſsione viſibili Filij, & aliter ſe habet in miſsione viſibili Spiritus Sancti, quia in miſsione Filij ſe habet nō ſolum vt per quod, & in quo oſtenditur miſsio, ſed etiam vt ad quod fit miſsio, quia naturam humanam viſibilem aſſumpſit in vnitatem perſonæ, ſecundum quam aſſumptionem viſibiliter in carnem mitti dicitur, & ideo in ipſa natura viſibili quodam novo modo extitit, ſcilicet per vnionem, non tātum in anima, ſed etiam in corpore. Et in miſ-*

ſicut viſibili Spiritus Sancti illa creatura viſibilis non ſe habet vt ad quod mittitur, ſed ſolum vt oſtendens miſſionem inviſibilem factam in aliquem, & ideo non oportet, quod in illa creatura viſibili ſit novo modo, niſi ſicut in ſigno, ſed eſt novo modo in eo, ad quem fit miſſio. Quibus docet miſſionem per columbã fuiſſe factam ad Chriſtum, & ſic tantum oportuiſſe Spiritum Sanctum aliquid operari in illo, non autem in columba, quæ tamẽ eſt formata ad manifeſtandam inhabitationẽ Spiritus Sancti in illo per gratiam habitualem, quam ab initio conceptionis poſſidebat. Ad ſecundam prob. Min. fateor, neque Spiritum Sanctum, neque Chriſtũ mitti ad Sacramenta, quia in illis non habitant phyſice, ſed ad magis tanquam ſignata in ſigno; bene autem mitti ad animã, circa quã gratiam producunt, & producendo phyſice inhabitant.

Dices, quod ſi perſonæ inviſibiliter miſſæ ad animam, quando per Sacramenta gratia producitur, in illa ſenſibiliter repræſentantur per Sacramenta, & continentur in Sacramentis tanquam ſignatũ in ſigno, ſequitur, quod tunc viſibili miſſione mittãtur ad animã: ſiquidẽ ad hanc ſufficit, quod perſona animam inhabitet per gratiam, & ſenſibiliter manifeſtetur phyſice habitare in illa, ſicut diximus de miſſione viſibili Spiritus Sancti factam per columbã ad Chriſtũ. Ad hoc reſp. ex D. Tho. nuper citato ad 3. vbi huic difficultati reſpõdet ſic. *Dicendum, quod per Sacramenta ſignificatur præſentia divinæ inhabitationis, ſicut in ſignis inſtitutis, non ad tempus ſed ad ſemper; ſed illæ creaturæ viſibiles non fuerunt inſtitutæ vt ſignificarent gratiam divinæ inhabitationis ſemper, ſed ſolum in illo tempore determinato.* Itaque miſſio ſonat aliquid tranſiens, non permanens, & ſic ſolum fit viſibilis per ſigna tranſeunter tantum formata, & pro determinato tempore, quod non convenit Sacramentis. Vel aliter dicendum cũ eodem Sancto Doctore, quod ſigna, per quæ fit viſibilis miſſio, debent formari ad ſignificandam perſonã iam de facto inhabitantem animã per gratiam: Sacramenta autem hoc nequeunt facere, nam vel ſunt veteris legis, & iſta non ſignificant gratiam datam de præſenti, ſed dandam tempore legis gratiæ, & ſic nequibant ſignificare perſonam iam animam inhabitantem per gratiã, vel ſunt Sacramenta novæ, & hæc ſignificant, & cauſant gratiã, & ſic nequeunt ſignificare perſonam iam animam inhabitantem per gratiam ex alio capite habitam: vnde nequeunt reddere miſſionem viſibilem.

§. XI.

An miſſio inviſibilis divinarum perſonarum ſolum fiat per dona gratiæ Sanctificantis, an etiam per alia dona?

505 NOMINE Gratiæ ſanctificantis, gratiam habitualem intelligimus, de qua dicunt Theologi 1.2. quæſt. 111. quod conſiſtit in quadã formali participatione divinæ naturæ radicantis ſupernaturalia dona fidei, ſpei, & charitatis, per quæ proxime cognoſcamus, ſperamus & diligamus Deũ ſuper omnia. Nomine etiã miſſionis intelligimus eam, quæ ſimpliciter dicatur miſſio divinæ perſonæ, non eam, quæ tantum ſecundũ quid miſſio dicitur. Nomine etiam aliorum donorum ſupernaturalium intelligimus omne genus gratiæ actualis, ſic quod comprehendamus omnem gratiam gratis datã, & omnia auxilia, quæ poſſunt tribui homini exiſtenti in peccato mortali. Circa quam difficultatem quidam relati à Suarez lib. 12. de Trinit. cap. 5. quos deinde ſequutus eſt Arriaga diſp. 55. ſect. 4. aſſerunt poſſe abſolute dici miſſionem inviſibilem, etiã ſi non fiat per dona gratiæ ſanctificantis, ſed per alia dona ſupernaturalia, vt ſunt inſpirationes, auxilia, & habitus ſupernaturales à charitate diſtincti. Oppoſitum tamen communiter tenent Theologi cum D. Tho. hic art. 3. vbi ex profeſſo hoc ipſum inquirit, & affirmative reſpondet. Vnde hoc ipſum affirmo & prob. primo ex illo ſapient. 1. *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Super quæ D. Tho. in p. diſt. 14. quæſt. 2. ar. 1. ait: *Quicumque caret gratia ſanctificante pro ficto habetur.* Similiter in eodẽ loco Sapient. dicitur: *In malevolam animam non introivit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Proverb. 15 *longe eſt Dominus ab impijs*, Sapient. 7. de divina ſapientia dicitur: *cum ſit vna omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas Sanctas ſe transfert, amicos Dei conſtituit.* Ex quibus ſic argumentor. Sola gratia ſanctificans hominem iuſtificat impiũ, & hæc ſola Dei amicum ſtatuit: ergo, cum divina Sapientia non habitet animam impij niſi à peccatis mundetur, nec inhabitet niſi amicos, fit Conſ. per ſolam gratiam ſanctificantem mitti, &

ve

Digitized by Google

venire divinas perſonas ad animas noſtras. Præterea, 1. ad Corinth. 3. habetur: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis?* & vt declaret quid requiratur, vt anima ſit Dei templum, proſequitur Paulus: *Templum enim Sanctum eſt, quod eſtis vos*: cum ergo Deus non inhabitet templũ, niſi ſit ſanctum, & templum myſticũ, quod eſt anima non fiat ſanctum niſi per gratiam ſanctificantem, ſequitur evidenter ſolũ per gratiam gratum facientem, quæ ſola ſanctificans eſt, animam inhabitare Deum, & ſic ſolum ratione illius mitti inviſibiliter ad animam.

506 Prob. ſecundo concluſio ratione qua vtitur D. Th. hic art. 3. in argum. ſed contra: *Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad ſanctificandam creaturam: miſsio autẽ eſt temporalis proceſsio, cum igitur ſanctificatio creaturæ non ſit niſi per gratiam gratum facientem, ſequitur, quod miſsio divinæ perſonæ non fiat niſi per gratiam gratum facientem.*

Dices, Maiorem eſſe falſam, nam Spiritus Sanctus non ſanctificat creaturam ſeipſo formaliter exercendo aliquã functionem in creatura, ſicut Filius exercuit in humanitate aſſumpta, quã ſubſtantialiter ſeipſo ſanctificavit, ſed tantum animã ſanctificat in genere cauſæ efficientis; ſed poteſt efficere hanc ſanctitatẽ, eſto ad animam non veniat: igitur ad animã non venit ea ſolum ratione, vt animã ſanctificet. Explicatur & Confir. nam animã effective ſanctificari, ſolum facit Spiritum Sanctũ eſſe in anima tanquã cauſa efficiens in ſuo effectu, qui non eſt novus modus exiſtendi in anima ab eo, quod eſt eſſe in illa per eſſentiam, præſentiã, & potentiam: ergo falſum eſt Spiritũ Sanctũ ſolum mitti ad animã, vt illam ſanctificet. Prob. Conſ. nã ad miſsionẽ requiritur quod perſona divina novo modo exiſtat in creatura ab eo, qui illi ante miſsionẽ conveniebat, qui erat exiſtere in illa tanquã cauſa in ſuo effectu. Confir. ſecundo, Spiritus Sãctus in tantum mittitur ad animã, in quantum creatura illo fruitur cognoſcendo, & amando illũ: itaque modus inhabitandi animã eſt eſſe in illa tanquã cognitum in cognoſcente, & amatũ in amante; ſed totum hoc ſupponit iam animã ſanctificatã, & iuſtificatã per gratiam gratum facientẽ: igitur non eo ſolũ mittitur, vt animã ſanctificet. Confir. tertio, nam ſecundum D. Tho. gratia gratũ faciens diſponit animã ad hoc, vt illã, perſona, quæ mittitur, inhabitet; format enim primo templum in anima iuſti per gratiã, & templo formato, & ſanctificato, creaturã inhabitat: ergo non tẽporaliter procedit, vt animam ſanctificet.

Pro ſolutione harũ obiectionũ adverto, ſanctitatem creaturæ dupliciter penſari poſſe, primo ſub ratione effectus orti à tota Trinitate ſpecialiter attributi Spiritui Sancto ex eo, quod eſt quoddam Donũ datum animæ per dilectionẽ, quæ ratio Doni ſpecialiter Spiritui Sancto attribuitur, quia ipſe ex vi ſuæ proceſsionis, cum procedat vt Amor, procedit etiam vt Donum, quod eſt ratio formalis donandi omnia dona, quæ dantur creaturæ: alio modo poteſt accipi ſanctitas animæ, vt cauſa radicalis eſt cognoſcendi, & amãdi divina ſanctitate accepta; vtroque modo Spiritus Sanctus ad creaturã rationalem ſanctificandã temporaliter procedit; cum hoc diſcrimine, quod primo modo accipiẽdo ſanctitatẽ, ſic, procedit diſpoſitive, id eſt, vt animã diſponat ad ſui habitationem faciendo illam templũ ſuum, & ſanctificando tabernaculũ ſuum, & iſto modo animam inhabitat, vt cauſa efficiens id, in quo operatur, quę inhabitatio, eſto communis ſit Trinitati; ſpecialiter tamen dicitur de Spiritu Sancto propter rationem peculiarẽ Doni, quæ illi ſpecialiter convenit. Secundo modo procedit ad animã ſpecialiſſimo modo illam inhabitans, ſicut cognitũ in cognoſcente, & amatũ in amante, ſecundum quam rationẽ attenditur ratio miſsi, & inhabitatio animæ vt ſimpliciter miſsũ ad illam. Quando ergo D. Tho. dicit in Maiori ſui diſcurſus, quod Spiritu Sanctus procedit temporaliter ad ſanctificandũ creaturã, loquendo de omni proceſſu, ſive de illo, quo venit vt diſponat, & faciat templũ, ſive de illo, quo venit ſpecialiſsimo modo animã iam ſanctam inhabitare, veriſsime dicit, quia primo modo venit vt ſanctificet, effective cauſando ſanctitatem; ſecundo modo venit cauſando ſanctitatem terminative.

Ex his ad primam obiectionem, neg. Ant. ad prob. nego Mai. eſt enim in anima terminando eius cognitionem, & amorem ſeipſo formaliter. Ex quo patet ad primam Confir. Ad ſecundam dico, Spiritum Sanctũ mitti ad animã diſpoſitive, & formaliter. Primũ facit producendo effective gratiam habitualem in illa; ſecundum facit formaliter ſe illi vniendo, modo in argumento dicto, & vtrumque eſt ſanctificare animam; & ſic verificatur, quod proceſſus tempora-

lis

ſis Spiritus Sancti ad creaturam ſit ad ſanctificandum illam. Ad tertiam, nego Conſ. ad probationem, diſtinguo Conſ. proceſſu tẽporali diſpoſitivo, nego Conſ. proceſſu tẽporali ad eſſendum in anima per modum termini cognitionis, & amoris, conc. Conſeq.

507 Prob. 3. concluſio ratione qua vtitur D. Tho. in corp. art. 3. ad hanc formam reducta. Mitti perſonam divinam ad creaturã eſt novo modo exiſtere in illa ab eo, quo antea exiſtebat, per eſſentiam, præſentiã. & potentiam; hic autem modus non eſt alius niſi eſſe in illa vt cognitum in cognoſcente, & amatũ in amante, quia ſecundũ iſtum modum creatura rationalis attingit ſua operatione vſque ad ipſum Deũ, & Deus dicitur non ſolũ eſſe in ea, ſed etiã habitare in ea ſicut in tẽplo ſuo; ſed anima Deum ſic cognoſcere, & diligere non habet niſi per gratiam gratum facientem: hæc enim tantum eſt principiũ connaturale cognoſcendi, & amandi Deum: ergo miſſio inviſibilis divinæ perſonæ ſolùm fit ſecundũ donum gratiæ gratum facientis. Hæc ratio difficilis eſt, & vt vis eius appareat, oportet ſolvere aliquas obiectiones, quæ videntur militare contra illam.

508 Obijcies primo. Deum eſſe in anima tanquam cognitum in cognoſcente, & tanquã amatũ in amante, non eſt perſonam divinam in anima realiter exiſtere, ſed tantum eſt eſſe in illa ſecundum eſſe intentionale: ergo per hoc nõ poteſt fieri miſſio perſonæ divinæ ad nos. Prob. Ant. Deus pro ſtatu viæ non cognoſcitur à nobis ſeipſo terminando cognitionẽ noſtrã ſupplendo vices verbi, ſed cognoſcitur à nobis medio verbo creato: ergo tantũ eſt in nobis per verbum quod formamus de illo: ergo tantũ eſt in nobis ſecundum eſſe intentionale. De amore etiam prob. nã amor viæ, qui habetur de Deo, non eſt de Deo nobis præſenti: ergo non eſt de Deo amato exiſtenti realiter in nobis. Obijcies ſecundo, ſi fidelis peccator per actum fidei Deum authorẽ ſupernaturalẽ agnoſcat, & per auxilium Deum amet ſecluſa gratia habituali, vere habebit in ſe Deum tanquã cognitũ in cognoſcente, & amatũ in amante; & tamen non habebit Deum novo modo realiter exiſtentẽ in ipſo: ergo per hoc, quod Deus ſit in anima modo dicto, non vere dicitur, quod ad animã proprie mittatur. Prob. Min. quia ſecundũ noſtram concluſionem, quæ D. Tho. eſt, ſive gratia habituali Deus non exiſtit in creatura rationali eo novo modo, qui requiritur ad veram, & realẽ miſſionem: cũ ergo peccator gratiã habitualẽ non habeat, non habebit in ſe Deũ novo modo realiter exiſtentem.

Obijcies tertio, in infantibus recenter baptizatis vere divinæ perſonæ habitant vt miſſæ ad illos; & tamen non ſunt in illis vt cognitũ in cognoſcente, neque vt amatum in amante, cum ſint incapaces cognitionis, & amoris: ergo miſſio non attenditur ſecundũ hoc, quod eſt Deum eſſe in nobis tanquam cognitũ in cognoſcente, & vt amatũ in amante. Prob. Mai. nam ſecundũ D. Th. hic art. 6. miſſio divinarum perſonarum fit ad omnes, qui habent donum gratiæ gratũ facientis. Quarto obijcies, nã duo Angeli vere ſe amant, & cognoſcunt, ſic, quod vnus ſit in altero tanquã cognitũ in cognoſcente, & amatum in amante, etiam ſi vnus ad alterũ non veniat, ſed vterque remaneat in loco realiter ab alio diſtanti: ergo eſſe Deũ in mente humana tanquã cognitũ in cognoſcente, & amatum in amante non facit Deum realem & phyſicam præſentiam habere in anima.

Ad primã diſt. Ant. eſſe in anima tanquam cognitũ in cognoſcente, & amatũ in amante non eſt Deũ in anima exiſtere realiter, cognitũ pure ſpeculative, quomodo Deũ cognoſcimus per fidẽ, conc. Ant. cognitum experimentali notitia, nego Ant. & Conſ. Itaque poſtquam Deus per gratiã animã inhabitat tanquam cauſa realis ſui eſſe ſupernaturalis, tot beneficia animæ largitur & tot bona in illa producit, quod faciat animã ſcire ex his, quæ in ſeipſa experitur, ſe Deũ intra ſeipſam habere, quaſi experimentaliter Deum ipſa tangat, & licet Deũ in ſe non videat, tamen experitur Deũ habere intra ſe: obiectum autẽ non valet experiri niſi præſentiã phyſicam habeat in eo loco vbi experitur, cumque anima gratia affecta Deũ experiatur habere intra ſeipsã, fit inde, quod ex hoc, quod intra animam Deum phyſice cognoſcitur eſſe, phyſicã, & realem præſentiã intra animam ſic cognoſcentem habeat.

Ad ſecundam, diſt. Mai. vere habet in ſe Deum tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, notitia experimentali modo explicato, nego Mai. notitia pure ſpeculativa, conc. Mai. & conc. Mi. diſt. Conſ. ſi tantũ ſit vt cognitum ab anima notitia ſpeculativa, conc. Conſ. ſi ſit cognitũ notitia experimentali, nego Conſ.

Ita,

Itaque in peccatore; cùm Deus non ſit per gratiam, non operatur in eo eos effectus, quibus anima cognoſcat intra ſe habere Deum phyſice, & realiter, & ſic cognoſcit Deum habere eſſe in ſeipſo, ſed non experitur Deum eſſe in anima ſua phyſica præſentia, & ſic non eſt vere tanquam cognitum in cognoſcere, & tanquam amatum in amante, hoc eſt, non eſt ſic cognitum, quod de Deo anima cognoſcat intra ſeipſam habere Deum, neque ſic eſt vt amatum in amante, id eſt, ſic amatum, ſicut res realiter exiſtens intra ipſum amantem.

Sed inſtabis contra hoc, nam notitia experimentalis alicuius obiecti videtur quod ſit intuitiva illius; ſed pro hoc ſtatu viæ non poſſumus habere notitiam intuitivam Dei: ergo neque poſſumus habere notitiam experimentalem illius. Ad hoc diſt. Mai. notitia experimentalis, quæ ſit per propriam ſpeciẽ rei, quæ experimentaliter cognoſcitur, conc. Ma. quæ habetur ex effectibus ipſius rei, quæ cognoſcitur, nego Ma. & conc. Min. nego Conſ. Etenim de aliquo obiecto poſſumus habere notitiam experimentalem dupliciter, vel ſic quòd intellectus, vel ſenſus ſpecie accepta ab obiecto, quod experitur, obiectũ cognoſcat, & tunc intuitive dicitur cognoſcere illud: eſt enim tunc notitia rei in ſeipſa; vel ſic, quòd ex aliquibus effectibus, vel operationibus, quæ ab ipſo tantum provenire poſſunt expertis à nobis cognoſcamus obiectũ alicubi phyſice, & realiter exiſtere: & tunc talis notitia, cum ſit per effectus rei, quæ cognoſcitur, nõ dicitur notitia intuitiva, quia non eſt notitia rei in ſeipſa. Exemplum ſit huius doctrinæ, quamdiu ſumus in corpore cognoſcimus nos experimentaliter animam habere, quia experimur in nobis aliquos effectus quia ſola anima in nobis exiſtente fieri valent, non tamen pro hoc ſtatu dicimus notitiam intuitivam habere de anima noſtra, ſed tantum abſtractivam, quia pro hoc ſtatu res ſpirituales non cognoſcimus per propriam ſpeciem: cum autem in ſtatu ſeparationis dabitur nobis propria ſpecies animæ noſtræ, tunc cognoſcemus illam experientia intuitiva. Similiter contingit in noſtro caſu; quamdiu enim ſumus in hoc ſtatu Deum per propriam ſpeciem non cognoſcimus: vnde, licet per effectus, quos experimur cauſari in nobis, dum gratiam habemus, Deum in nobis eſſe experiamur: huius, quod eſt Deum in nobis eſſe, notitiam experimentalem habemus, non tamen intuitivam, cum autem apparuerit, tũc vnietur mentibus noſtris ſeipſo per modũ ſpeciei intelligibilis, & tunc habebimus notitiam intuitivam experimentalem huius, quod eſt Deum eſſe in nobis, perfectè intuitivam.

509 Ad tertiam diſt. Mi. non ſunt in illis vt cognitum, & amatum actualiter, conc. Min. habitualiter, nego Min. & Cõſ. Itaque infantes recẽtes baptizati, eſto actualiter Deum non cognoſcant, & ament, cũ tamen gratiam habent, Deus iam eſt in illis per modum obiecti phyſicè præſentis præſẽtia intra illos, & ſic poteſt dici, quod realiter perſonę divinæ mittantur ad illos. Sed hæc doctrina videtur difficilis, nam Deus non dicitur præſentiam obiectivam habere intra animam, quamdiu non operatur in illa effectus illos ſpeciales, quibus anima experiri poſsit Deum phyſice præſentem habere intra ſe; ſed in parvulis recenter baptizatis huiuſmodi effectus Deus non operatur: igitur non gaudet in illis præſentia phyſica, & reali obiectiva, licet gaudeat præſentia cauſæ in effectu, quæ dicitur præſentia entitativa. Ad hoc diſt. Mai. loquendo de præſentia phyſica proxima obiectiva, conc. Mai. loquendo de radicali, neg. Mai. & cõc. Mi. nego Conſ. Itaque præſentia obiectiva eſt duplex, alia proxima, quæ conſiſtit in quadam denominatione extrinſeca orta ab intellectu proximè potente obiectum cognoſcere, altera radicalis, quæ non diſtingui ab eſſe intrinſeco reali rei cognoſcendæ; eſto ergo Deus in parvulis, dum proximè non poſſunt experiri Deum intra illos eſſe, non gaudeat præſentia illa obiectiva proxima, gaudet tamen radicali; dum quantum eſt ex ſe, ſic eſt in anima gratia affecta, quod ſi parvuli poſſent ipſum experiri, de facto experirentur illum.

Ad quartam, diſt. Conſ. ſi res antequã cognoſcatur ſupponatur eſſe phyſice, & realiter intra cognoſcẽtem, nego Conſ. ſi non ſupponatur eſſe phyſice, & realiter intra cognoſcentem, conc. Conſ. Itaque præſentia realis obiectiva alicuius in aliquo ſupponit exiſtentiam phyſicam, & realem illius in illo; cum ergo duo Angeli loco diſtant, non ſupponitur Angelum phyſice eſſe intra Angelum, & ſic Angelus nõ habet præſentiam realem obiectivam intra Angelũ cognoſcentem illum: vnde ſtat bene eſſe in illo tanquam cognitum in cognoſcente, & tamen realem præſentiam obiectivam nõ habere in illo: Deus autem in caſu noſtro ſup-

ſupponitur phyſice exiſtere ratione gratiæ habitualis, quam producit in mente rationali, & ſic poteſt habere præſentiã realem obiectivam in anima rationali, ratione cuius poſsit ipſa anima experiri Deum intra ſeipſam eſſe, & habitare.

§. XII.

Soluuntur argumenta contra concluſionem.

510 PRIMO arguitur. Deus ſpeciali modo poteſt eſſe in creaturis independenter à gratia ſanctificante: ergo falſa eſt concluſio. Prob. Ant. Spiritus Sanctus ſpecialiter miſſus eſt ad B. Virginem vt eſſet Mater, & Virgo iuxta illud Lucæ 1 *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi*, ad rationem autem Maternitatis Dei ex terminis non requirebatur neceſſario gratia ſanctificans, poterat enim Chriſtus naſci ex Matre non habente gratiam gratum facientem: ergo bene poteſt dari miſsio inviſibilis Spiritus Sancti ſine gratia gratum faciente. Ad hoc nego Antec. ad prob. diſt. Mai. miſſus eſt ratione ſolius Maternitatis, nego Mai. ratione gratiæ, qua illam prævenit, conc. Ma. & conc. Min. nego Conſ. Itaque de Maternitate Virginis poſſumus loqui dupliciter, vel ex terminis ſolius Maternitatis Filij Dei, & ſic, pro beneplacito ſuo poterat Deus ſtatuere Matrem ſuam eam, quæ gratiam non haberet, ſed hoc non eſſet de lege ordinaria, quia iſta attenta Dei Maternitas requirit eam gratiam, qua congruenter, & digne diſponatur perſona, quæ eligenda eſt in Matrem ad ipſam Maternitatẽ; vel poſſumus loqui de Maternitate Filij Dei, vt de facto B. Virgini eſt conceſſa. Primo modo eſſet ſine gratia, cæterum ratione illius non mitteretur Spiritus Sanctus ſimpliciter ad eam, quæ eſſet Mater. Secundo modo vere miſſus eſt, ſed hoc non fuit ratione ſolius Maternitatis, ſed ratione plenitudinis gratiæ: vnde Angelus ad illam cum ſalutaret dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, præmiſsit enim gratiam, vt de inhabitatione Dei in illa certam faceret.

Inſtabis contra ſolutionem, Maternitas eſt donum altioris ordinis, quam ſit gratia habitualis: ergo eſto B. Virgo non haberet gratiam habitualem, ſi tamen Mater Dei eſſet effecta, vere ratione Maternitatis ad illam mitterentur divinæ perſonæ. Prob. Conſ. nam non eſt ratio, ob quam perſona divina connectatur ſic cum gratia habituali, quod poſita gratia ad illam venit per veram miſsionem; & donum altioris ordinis, quam gratia habitualis non connetatur ſic cum divina perſona, quod ad illam veniat per veram miſsionem. Ant. vero Prob. nam Maternitas Filij Dei eſt donum ordinis hypoſtatici, qui altior eſt ordine gratiæ. Confir. ſi viſio beata alicui daretur ſine gratia habituali vere perſonæ divinæ ad ipſum venirent per veram miſsionem; ſed donũ Maternitatis eſt quid altius dono viſionis beatæ: igitur titulo ſolius Maternitatis vere perſonæ divinæ mitterentur ad eam, quæ eſſet Dei Mater. Conſ. eſt bona & Mai. ſupponitur vera à pluribus Theologis, & Min. Prob. nam quodlibet donum ordinis hypoſtatici eſt altius, & excellentius quolibet dono ordinis gratiæ diviſive ſumpto; ſed viſio beata eſt ordinis gratiæ, & Maternitas Filij Dei eſt ordinis hypoſtatici: ergo hæc eſſet altius, & excellentius donum viſione beata.

Confir. ſecundo. Ideo viſio beata eſſet ſufficiens vt ad animam videntem Deum ſine gratia mitterentur perſonæ divinæ, quia eſto videns Deum nõ haberet gratiam, exigeret tamen habere illam ratione viſionis; ſed eſto Maternitas Filij Dei daretur alicui ſine gratia, tamẽ ea, quæ eſſet Mater ratione Maternitatis exigeret gratiam: ergo ratione illius etiam mitterentur perſonæ divinæ ad illam. Confir. tertio Mater Dei vere ſibi incorporaret perſonam Filij Dei, & vere illi vniretur maiori vnione, quam ſit ea, qua Deus vnitur mentibus beatorum; ſed vnio Dei ad beatos, qui Deum viderẽt ſine gratia, ſufficeret, vt divinę perſonę mitterentur ad illos: ergo & vnio Filij Dei cum ſua Matre ſufficeret vt mitterentur perſonæ divinæ ad eam, quæ eligeretur in Matrem. Confir. quarto. Filius habitans in carne Virginis non poſſet non producere in eius animam eos effectus, per quos anima ſuæ Matris vere experiretur in illa habitare Deum: ergo eſſet in illa Deus tanquam cognitum in cognoſcente, & quia ſic experiretur Deum eſſe intra illam, tot elargiendo illi bona, non poſſet Mater Dei non amare Deum illam inhabitantẽ: ergo eſſet in illa Deus tanquam amatum in amante: ergo eſſet in illa vt miſſus. Omnes iſtæ conſequentiæ ſunt bonæ, & primum Ant. ſic probo. Ex Deo per viſionem poſſeſſo ab anima corpori vnita non poſſunt non redundare in corpus effectus, & operationes,

qui-

Digitized by Google

quibus corpus experimẽtaliter ſentiat Deũ vt exiſtentem intra animam beantem illã: ergo ex Deo corporaliter inhabitante corpus illius, quæ eſſet Dei Mater, vnitũ animæ, non poſſent non redundare ad animã effectus, & operationes, quibus anima experiretur Deũ eſſe in ea, quæ eſſet Mater.

511 Ad primam tranſ. Ant. & nego Conſ. ſicut enim hæc Conſ. non valet, *Maternitas Filij Dei eſt altius donum, quam gratia habitualis; ſed hæc formaliter iuſtificat: ergo Maternitas Filij Dei formaliter iuſtificat*; ita & hæc non valet, *Maternitas Filij Dei eſt altius donũ, quam gratia habitualis; ſed ratione gratiæ habitualis perſona mittitur ad animã: ergo ratione Maternitatis perſona divina mittitur ad animã*. Et ratio vtriuſque eſt eadẽ, nam ſicut ratio formalis iuſtificandi nõ convenit omni dono, ſed tantũ convenit illi, quod eſt radix videndi, & amandi Deũ, quod ſolũ eſt gratia habitualis, ita & ratio, ob quã inviſibiliter mittuntur perſonæ divinæ ad Sanctos, non habet convenire niſi gratiæ habituali, quia tantũ eſt ad ſanctificandũ illos. Vnde diximus ſupra, quod ſi perſona Filij Dei vniretur tabulæ, vel alteri naturæ irrationali, eſto in illa eſſet, non tamen eſſet vt miſſa, quia non poſſet ſanctificare illã, ita in præſenti licet ratione Maternitatis perſona divina inhabitaret Matrẽ, non tamẽ illã inhabitaret vt miſſa, quia nõ ſanctificaret formaliter illã, cũ Maternitas Filij Dei forma ſanctificans non ſit. Ad 2. reſp. ex eadẽ doctrina. Etenim viſio beata, cũ gratia cõſummata ſit, animã formaliter ſanctificaret, & ſic ratione illius perſonę divinæ mitterẽtur ad animã ſic videntẽ Deũ, quod cũ Maternitati Filij Dei nõ cõveniat, dato quod maius donũ ſit, quã viſio, nõ ſequitur Maternitatẽ eſſe ſufficientẽ, vt ratione illius ſolius, perſonæ divinæ mittantur.

Ad 3. nego Mai. non enim ea eſt ratio, quæ in argumẽto adducitur, ſed quã proxime aſſignavimus, nempe quod viſio beata eſt formaliter forma iuſtificãs, & omne peccatũ expellens, quæ Maternitati Filij Dei non conveniunt. Vel ad Mai. dicatur, quia exigeret gratiã habitualẽ exigentia connaturalitatis realis, & phyſicę, conc. Mai. exigentia tantũ moralis decentiæ, nego Mai. & diſt. Min. exigeret gratiã exigentia tantũ moralis decẽtię, quia videlicet deceret Matrẽ Dei habere gratiã, conc. Min. exigẽtia phyſicę connaturalitatis, nego Min. & Coſ. Itaq; hoc invenitur diſcrimen inter viſionẽ beatã, & Maternitatẽ Filij Dei, quod illa petit connaturaliter oriri à gratia habituali, quæ ſola radix eſt videndi, & amandi Deũ, & ſic ratione illius exigentiæ poſſet animã iuſtificare. Maternitas autẽ Filij Dei hoc nõ habet, cũ tantũ titulo congruentiæ, & moralis condignitatis exigat gratiã, & alia dona ſupernaturalia, & ſic ratione illius forma iuſtificans non eſſet, nec ratione illius mitterentur perſonæ. Ad 4. diſt. Ant. nõ poſſet nõ producere eos effectus in anima, per quos experiretur Deũ inhabitare illam, vt ſanctificantem eam per gratiã, nego Ant. vt corporaliter exiſtentẽ in illa, tranſeat Ant. & diſt. Conſ. tanquam cognitũ, vt animam ſanctificans, nego Conſ. vt corporaliter tãtũ exiſtens in illo corpore animæ vnito, vt ex ea carnem ſumeret, conc. Conſ. ex quo non ſequitur, quod perſona eſſet in Matre vt miſſa.

512 Secundo principaliter arguitur, dũ anima convertitur ad Deũ finẽ vltimum naturalem per cognitionẽ, & amorẽ eius ſuper omnia, vere habet Deum tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, qui eſt ſpecialis modus exiſtendi Dei in rebus requiſitus ad miſſionem divinæ perſonę; & tamen non habet gratiã gratum facientẽ: igitur hæc non requiritur indiſpenſabiliter ad rationẽ miſſionis divinæ perſonæ. Conſ. eſt bona. Min. certa, & Mai. prob. nam Deus per hoc, quod cauſat eſſe naturale creaturæ, & illud conſervat, vere exiſtit in creatura: ergo dum Deus convertit ipſam creaturam ad ſe ipſum vltimũ finẽ naturæ per cognitionem, & amorẽ, vere creatura experietur Deũ exiſtere intra illam: ergo erit in illa tanquam cognitũ in cognoſcente, & vt amatũ in amante, quod ſufficere diximus ad miſſionem.

Duas ſolutiones adhibet Ioannes à Sancto Thom. huic argumẽto. Prima eſt, quod converſio hominis ad Deum per cognitionem, & amorem naturalem non ſufficit ad miſſionẽ perſonæ divinæ, quia ad hanc requiritur, quod nobis innoteſcant perſonæ miſſę per id, ratione cuius dicuntur mitti; & quia non innoteſcunt, neque manifeſtãtur perſonę per converſionẽ naturalem, ſed tantũ per ſupernaturalem revelationẽ; fit inde, quòd converſio ad finẽ vltimum naturalem per cognitionem, & amorem non ſufficiat ad miſſionem divinæ perſonæ. Secundò dicit, quòd per cognitionem, & amorẽ naturalẽ dicitur Deus cognitus, & amatus tanquam obiectum extra hominẽ manens, non vt cohabitans, & convivens ipſi homini, & vt fruendus ab eo, quod requirebatur ad miſſionem divinę perſonę,

Digitized by Google

per quam Deus eſt in homine vt in templo; in quo colitur, & habitat vt fructus ab homine, & in ipſo manſionem habens: quòd fieri nequit per converſionem naturalem, quia per illam non datur poteſtas hominibus Filios Dei fieri.

513 Sed contra has ſolutiones obijcio. Contra primam ſic. Nam ad veram rationem miſsionis non requiritur, quod perſona miſſa manifeſtetur per id, ratione cujus dicitur mitti: ergo eſto perſona non manifeſtetur per dictā converſionē ad Deum tanquā ad finē naturalē, non ſequitur inde ratione illius non poſſe fieri miſsionē divinæ perſonæ. Conſ. eſt bona, & Ant. prob. Nam per gratiam habitualē vere mittitur divina perſona; & tamen ſecluſa revelatione divina, per gratiā habitualē non manifeſtatur: ergo. Prob. Min. nam nullus poteſt certo ſcire ſe habere gratiā, ſecluſa extrinſeca revelatione Dei: ergo per gratiam nequit alicui fieri manifeſtatio perſonæ divinæ miſſæ. Prob. ſecundo eadem Minor. Nam ſi nobis Deus per ſcripturas ſuas non revelaſſet, quòd, dum diffunditur charitas in cordibus noſtris, nobis datur Spiritus Sanctus; quamvis cognoſceremus in nobis exiſtere gratiam, & charitatem, non tamen cognoſcere poſſemus Spiritum Sanctū inhabitare in nobis: ergo gratia, & charitas non ſunt formæ manifeſtativæ perſonæ, quæ mittitur.

Secundo objicies contra eandem ſolutionem. Nam per converſionē ad Deū vt finem vltimū vere homo attingit vſq; ad Deū finē vltimū naturalē, vereque illi fit amicus; vnde dicunt Theologi peccatum non poſſe componi cum amore ſuper omnia Dei Authoris naturæ: ergo vere Deus conjungetur cum homine ſic converſo, ita vt homo ſit in Deo Authore naturali, & Deus in eo, eſto ſic amans Deum ignoret Deum vt amicum illi vniri. Prob. Conſ. quia non ſtat, quod homo attingat Deum per amorē, & Deus per redilectionem non pergat vſque ad hominem, & illi vniatur. Præterea, quia ſicut Deus vt Author ſupernaturalis revelat ſe vt Authorem ſupernaturalem dari creaturæ, per dona gratiæ, ita revelare poterit vt Author naturalis dare ſe per dona naturalia homini ſic converſo ad ipſum vt finem naturalem: ergo poterit, hac revelatione facta, homo per converſionem ad finem naturalē cognoſcere Deum vt Authorem naturæ eſſe in eo, ac per Conſeq. omnes perſonas Trinitatis.

Contra ſecundam ſolutionem ſic objicies. Deus per hoc, quod cauſat effective immediate eſſe hominis, & illud conſervat, vere coexiſtit intra hominem, ſicut cauſa agens immediate immediatione ſuppoſiti, & virtutis; nam vere exiſtit ibi, vbi ſic cauſat: ergo per hoc, quod vt Author naturalis hominē convertit ad ſe ipſum vt vltimum finē, vere cognoſcere poterit homo, quòd Deus ſic illū convertens intra ipſum realiter ſit vt Author naturæ: ergo falſo aſſerit ſolutio, quòd per dictam converſionē non cognoſcatur Deus vt intra hominē. Ant. eſt certū; ſecunda Conſ. patet, & prima prob. Nā, quia per gratiā realiter Deus animā inhabitat, tanquā cauſa ſuum effectū, vere per cōverſionē ſupernaturalē, quæ fit per amorē, & cognitionē vltimi finis ſupernaturalis, cognoſcitur vt habitans intra animā, vt finis ſupernaturalis eſt: ergo quia per productionē naturæ hominis vere exiſtit intra hominē, per converſionē naturalē, ad quam movetur homo ab ipſo Deo Authore naturæ, cognoſcet experimentaliter intra ejus naturā Deū vt naturę conditorē exiſtere.

514 Cæterum hæc non infringunt ſolutiones datas. Vnde ad primam objectionem nego Ant. ad prob. nego Min. gratia enim, & charitas ſunt ſpecialiſsima dona perſonæ Spiritus S. ſpecialiſsime attributa, & ſic habent connexionē cū illo, ratione cujus ſunt illius manifeſtativa: dona autem naturalia nō habent connexionē cū aliqua perſona, & ſic ex illis innoteſcere nobis nullatenus poſſunt divinæ perſonæ. Et quāvis nullus certa ſcientia poſsit eſſe certus ſe habere gratiam, tot tamen, & tanta beneficia Deus habenti gratiā confert, quod cōjecturali notitia poſsit cognoſcere ſe habere gratiā, & per illā perſonam Spiritus Sancti habitare in illo: Ad ſecundā prob. Min. dico, quod adhuc ſecluſa revelatione extrinſeca Dei, tot, & tanta beneficia cōmunicat Deus habenti gratiā, & charitatē, quod poſſit homo habens illā cōjecturali experimentali notitia cognoſcere Deū intra ipſum realiter exiſtere: & cum aliàs cognoſceret connexionem charitatis cum perſona Spiritus Sancti, vere conjectaret in ipſo Spiritum Sanctum convivere.

Ad ſecundam objectionem diſt. Ant. loquendo de amicitia ſecundum quid, conc. Antec. de amicitia ſimpliciter, nego Ant. & diſt. Conſ. ita vt Deus ſit in homine, & homo in Deo tantum ſecundū quid, conc. Conſ. ſimpliciter, nego Conſ. Ad id, quod

di-

dicit, quod peccatũ eſt incompatibile cum diligente Deum finẽ naturalem ſuper omnia, diſt. ratione amoris Dei ſuper omnia præciſſe, nego Conſ. ratione gratiæ animã ſanantis, quæ requiritur, quod præſupponat dictus amor, vt elici poſsit pro hoc ſtatu, conc. Conſeq. Ad aliam obiectionẽ, nego quod Deus vt Author naturalis poſsit revelare homini aliquid; omnis enim revelatio, quæ à Deo hominibus fit, eſt ab ipſo vt gratię Authore. Vel admiſſo quod poſsit vt Author naturæ aliquid revelare creaturæ, dico, quod tunc per converſionẽ naturalẽ poſſet homo cognoſcere Deũ eſſe in illo tantũ vt cauſã ſui eſſe naturalis; cumq; hoc nõ habeat connexionẽ cũ Deo vt Trino, ſed tantum vt vno; non poſſet venire in cognitionem alicuius perſonæ Trinitatis.

Ad aliam obiectionem, quæ fit contra ſecundam ſolut. dico, non intendere Auctorem dictæ ſolutionis, quod per converſionem ad finem vltimum non cognoſceret homo cõverſus Deũ habitare intra illũ; loquendo de inhabitatione per eſſentiam, præſentiã, & potentiã, ſed tantũ intendit, quod non cognoſceret Deũ coexiſtere intra illũ, vt amicũ eius, & vt conviventẽ cũ illo: bona enim naturalia, cum ſint tantum bona ſecundum quid, dona amicitiæ ſimpliciter talis ſignificare non valent, cum ipſe Chriſtus dicat *vos amici mei eſtis, quia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis*. Quibus inſinuatur ad amicitiã ſimpliciter dictã cum Deo non ſufficere communicationẽ bonorũ communiũ omni creaturæ, ſed requiri communicationẽ bonorũ ſpecialiũ, qualia ſunt gratia, & charitas: vnde ad obiectionẽ in forma, diſt. Ant. vere coexiſtit in homine tanquã in templo ſuo, vel tanquã amicus cõvivens homini, nego Antec. vere coexiſtit in homine exiſtentia immenſitatis, conc. Ant. & diſt. Conſ. vere poterit cognoſcere eſſe intra illũ, vt Auctor naturalis, loquendo de eſſe per immẽſitatẽ, quod explicatur per eſſe per eſſentiã, præſentiã, & potentiã, conc. Conſ. vere poterit cognoſcere eſſe intra illã tanquã in templo, vel tanquã amicus convivens illi, nego Conſeq. quã non ſuadet exemplũ de gratia habituali: per hanc enim anima iuſti fit Dei templũ, & Deus fit ſimpliciter amicus hominis iuſti; & ſic ratione illius habitat intra hominẽ tanquã in templo ſuo, & tanquã amicus cũ amico; per eſſe autẽ naturale nihil horum habetur, & ſic paritas non tenet.

§. XIII.

An per alia dona ſupernaturalia diſtincta à gratia ſanctificante fiat miſsio perſonæ divinæ ſecundum quid?

515 RESPONDEO Ratione aliorum donorum ſupernaturaliũ, quæ nec ſunt gratia ſanctificans formaliter, vel eminenter, perſonas divinas mitti miſsione ſecundũ quid dicta. Nomine aliorũ donorũ ſupernaturaliũ intelligimus fidẽ, ſpem, ſcientiã, auxilia actualia, gratię gratis datæ, quæ omnia à gratia habituali diſtinguuntur, & cum illa neceſſariã connexionẽ non habent. Concluſio eſt D. Thom. hic art. 3. ad 4. vbi loquens de gratia miraculorũ, quam ſignũ gratiæ gratũ facientis appellat. Sic inquit: *Si autem daretur ſolum ſignum gratiæ gratũ facientis ſine gratia, non diceretur dari ſimpliciter Spiritus Sanctus, niſi forte cũ aliqua determinatione, ſecundũ quod dicitur, quod alicui datur Spiritus Propheticus, vel miraculorum, in quantum à Spiritu Sancto habet virtutem prophetandi.* Quibus, dũ negat in collectione dictorũ donorũ ſine gratia Spiritũ Sanctũ ſimpliciter dari, affirmat etiã dari ſecundũ quid, quod ſonat illud verbum cum aliqua determinatione.

Ratione prob. Concluſio. Nam licet per dicta auxilia, vel alia ſupernaturalia dona non dicatur eſſe in nobis vt inhabitans nos tanquam templũ ſuum, quomodo ſolum habetur à credentibus, qui ex Deo nati ſunt per gratiã ſanctificantẽ, tamen ratione horum donorũ animã commovet, & diſponit ad ſanctitatem, ſic, quod poſsimus dicere, quod inchoat ſanctitatem: ergo poterimus dicere, quod inchoative eſt in nobis, & ſecundũ quid. Explico hoc, perſona ſolũ venit ad animam ſanctificandam, dum ad illam mittitur, vt ſupra probavimus: ergo iuxta quantitatem, vel quantitatem donãtis mittetur ad animam perſona divina: ergo ſi fuerit ſanctitas ſecundum eſſe formale, & ſimpliciter mittetur ſimpliciter, & ſi fuerit ſanctitas ſolum diſpoſitive, & inchoative, mittetur ad animam tantum ſecundum quid.

Hinc colligo rationẽ, ob quam ratione effectuum naturaliũ & beneficiorum pure ordinis naturæ perſona divina adhuc ſecundum quid non dicatur ad animã mitti, eam eſſe, quia cum ſolum veniat ad

Digitized by Google

animam ſanctificandam, & per dictos effectus pure naturales, nec formaliter, nec diſpoſitive anima ad ſanctitatem moveatur, ratione eorum, nec ſecundũ quid nec ſimpliciter mittitur ad animam.

516 Sed videtur D. Thom. militare contra hanc Concluſionem hic art. 3. ad 3. quod tale erat: *Auguſtinus dicit in 4. de Trinit. quod Filius, cum ex tempore mente percipitur, mitti dicitur; ſed Filius cognoſcitur, non ſolum per gratiam gratum facientem, ſed etiam per gratiam gratis datam, ſicut per fidem, & per ſcientiã; non ergo perſona mittitur ſecundum ſolã gratiam gratũ facientem.* Ad quod reſpondet, quod, *licet per aliquos effectus Filius cognoſci poſſit à nobis, non tamen per illos nos inhabitat, neque habetur à nobis.* Ex quibus ſic D. Th. dicit, quod Deus non inhabitat nos, neque habetur à nobis ratione donorũ ſupernaturaliũ diſtinctorũ à gratia ſanctificãte: ergo contra D. Th. dicimus ratione talium donorum mitti, & dari ſecundum quid divinas perſonas. Ad hoc dico, ibi loqui de inhabitatione ſimpliciter, & de miſsione ſimpliciter, non vero de ea, quæ eſt talis ſecundum quid: dum enim in ſolutione ad tertium pro nobis ſtat, nequit in ſolutione ad 4. eiuſdem articuli nobis eſſe contrarius.

Rationi etiam videtur opponi concluſio noſtra. Nam perſona divina, vel ſimpliciter mittitur ad nos, vel nullo modo mittitur: ergo falſa eſt Concuſio. Prob. Antecd. nam perſona divina ſic mittitur ad nos, quod tota, quanta eſt inhabitet animam noſtram, non ſic, quod illam inhabitet ſecundum vnam partem, non vero ſecundum aliam: ergo ſic mittitur ad animã, quod vel ſimpliciter mittatur, vel nullo modo mittatur.

Ad hoc nego Ant. ad prob. diſt. Ant. ſic mittitur ad animam, quod tota, quanta eſt inhabitet animam, tota, & totaliter, nego Ant. tota, ſed non totaliter, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque totam divinam perſonam inhabitare animam ſtat dupliciter, primo modo ſic, quod veniat ſecundum omnem entitatem, qua gaudet; & cũ hæc ſit indiviſibilis, non ſtat ſecundum vnam partem venire, & non venire ſecundum omnem ſuam partem, & ſic dicitur totam venire; alio modo contingit venire ad animam vt cauſam alicuius effectus, quem, vel effective, vel formaliter in anima cauſat, & ſic, ſi donum ſimplicer ſupernaturale, quod eſt radix omnium operum ſupernaturalium, in anima cauſet, tunc dicitur venire ad illam ſimpliciter; tunc enim eſt in illa vt amicus ſimpliciter animæ, ad quam venit, & vt convivens cum illa: ſi autem donum, quod in anima cauſat, ſit donum particulare, & peculiare, qualia ſunt dona diſtincta à gratia ſanctificante; tunc dicitur venire ad animam ſecundum quid, quia tantum eſt in illa vt cauſativus illius particularis doni. Pono exemplum, inſtinctus propheticæ, quo ſubito facit prophetare animam aliquod futurum, vel ſcire aliquam liberam cogitationem cordis communicatus ſine gratia habituali animæ, tantum reddit animam prophetantem, & ſic, dum movetur ad prophetandum, anima ſolum experitur habere in ſe Deum vt ſpiritum propheticum. Ex quo fit, quod ipſe Spiritus Sanctus tantum cognoſcatur ſub ratione facientis prophetare, non vero ſub ratione convertentis animam ad ſe per ſapientiam, & amorem: vnde non eſt novo modo in anima ſimpliciter tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, dum tantum cognoſcitur vt cauſa vnius peculiaris effectus, & prout ſic tantum amatur: cum autem gratiã animæ communicat, cum hæc ſit natura ordinis ſupernaturalis, radicat in anima omnia bona ſupernaturalia, & ſic experitur eſſe in anima vt radix totius ſupernaturalitatis: vnde tunc tantum dicitur ad animam inviſibiliter mitti.

§. XIV.

Vtrùm per augmentum gratiæ ſive intenſivum, ſive extenſivum perſonæ divinæ mittantur?

517 RESPONDEO Sic. Quoties homo proficit in aliquo novo ſtatu, ſeu augmento gratiæ ſive intenſivo, ſive extenſivo fit nova miſsio perſonarum ad animam. Concluſio eſt D. Thom. hic art. 6. ſolutione ad 2. ibi: *Dicendum, quod etiam ſecundum profectum virtutis, vt augmentũ gratiæ, fit miſsio*, quod probat ex Auguſtino 4. de Trinit. c. 20. ibi: *Tunc cuiquam mititur Filius, cum à quoquã cognoſcitur, atque percipitur quantũ cognoſci, & percipi poteſt pro captu, vel proficientis animæ in Deum, vel perfectæ animæ in Deo.* Quibus duobus Auguſtinus explicat miſſionem, quæ fit in augmento gratiæ, quod contingit in via poſt ſanctificationem,

illis verbis: *Vel proficientis animæ in Deum*, & miſsionem, quæ fit per gratiæ conſummationē, quæ contingit in ingreſſu gloriæ, illis verbis: *Vel perfectæ animæ in Deo*.

Sed ratione prob. Concluſio. Poſtquam B. Virgo Maria Sanctiſsima, & gratia plena erat, Spiritus Sanctus in conceptione Filij miſſus eſt ad illam nova miſsione; hoc enim ſonat illud verbum, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, id eſt, veniet ad te novo modo inhabitandam, quæ miſsio, cum inviſibilis fuerit, & non per communicationem primæ gratiæ gratū facientis, debuit fieri per augmentū gratiæ, quo de novo illam perfecit Spiritus Sanctus. Similiter, mundi erant Apoſtoli per gratiā ſanctificātem, cum illis Chriſtus dicebat, *mittam ad vos Spiritum veritatis Paraclytum, qui doceat vos omnem veritatem*: ergo per augmentum gratiæ ſequutum ad ſanctificationem fit nova miſsio divinæ perſonæ. Verum cum gratia dupliciter augeri poſsit, vel intenſive, ſcilicet, cum ipſa gratia, quæ erat iam in anima, intenditur, & perficitur, ſubiectum magis Sanctum reddens: vel extenſive, id eſt, vel cum gratia ad novum munus extenditur, vel in ſtatu melioratur, vel cum per adventum gratiæ gratis datæ, vel ad prophetandum, vel ad exercendum miraculum gratia habitualis extenditur; ideo noſtra concluſio aſſerit, quod ſecundum omne genus augmenti gratiæ ſanctificantis, ſive intenſivum, ſive extenſivū perſona divina mittitur ad animam. Quod voluit D. Th. hic art. 6. ad 2. vbi poſtquā dixit mitti perſonā ſecundū augmentū gratię intenſivū, & extenſivū, ſubdit: *Secundum illud augmentum gratiæ præcipue miſsio inviſibilis ſumitur, quādo aliquis proficit in aliquē novum actū, vel novum ſtatū gratiæ, vtpote, cum proficit in gratia miraculorū, vel prophetiæ, vel in hoc, quod ex fervore charitatis exponit ſe martyrio, aut ad renūtiat his, quæ poſsidet, aut quodcumq; opus arduū aggreditur*.

518 Ratio autē, ob quā, cum gratia extenditur ad hos effectus, perſona divina novo modo mittatur ad animā non tradditur ab his Authoribus, ſed eam poſſumus colligere ex eo, quod, cum habens gratiam ex eius influxu prophetizat, vel miraculū patrat, vel martyrio ſe traddit, aut his, quæ poſsidet, abrenunciat, tunc perfectiſsimum actum dilectionis, fidei, & ſpei elicit, qui dū ex gratia fiunt, perfectiſsimæ diſpoſitiones ad augmētū gratiæ in iam iuſtificatis ſunt, & ſic incipit, dum prædicta exercet, novū augmentum gratiæ: poſito autē novo augmento gratiæ in anima, novo modo incipit eam habitare Spiritus Sanctus, & ſic de novo dicitur ad animam mitti.

Dices, quod cum anima prophetizat, Spiritus Sanctus ſolum in illa manifeſtatur, vt Spiritus propheticus: ergo ſolum in illa manifeſtatur vt miſſus ſecundū quid, & nō ſimpliciter ad animā. Prob. Conſ. ex his, quæ in præcedenti cōcluſione diximus. Sed ad hoc dico, quod iuſtus, & iam ſanctificatus ex gratia, dupliciter poteſt prophetizare, vel alios ſimiles actus gratiæ gratis datæ exercere. Primo ſic, quod gratia ſanctificans nullo modo cōcurrat active ad dictos actus, ſed mere concomitanter ſe habeat, & tunc, ita eſt, quod Spiritus S. nō datur ſimpliciter, ſed tantū ſecundum quid, nempe vt pure ſpiritus propheticus, id eſt, vt principium huius actus, qui eſt prophetare: alio modo cōtingit prophetare, vel patrare miracula, nempe ex concurſu radicali gratiæ gratū facientis, & proximo charitatis, & tunc Spiritus S. datur vt principiū non ſolū actus gratię gratis datę, qui eſt prophetare, vel facere miracula, ſed etiā vt principiū converſionis animę ad Deū tanquā vltimū finem: vnde datur ſimpliciter, & nō ſecundū quid Spiritus Sanctus: nos ergo in cōcluſione loquimur de iuſto exercente dictos actus gratiæ gratis datæ ex gratiæ habitualis influxu, nam loquimur de augmento extenſivo gratiæ gratū facientis; per eos autem actus, quos gratia in iuſto non radicat, gratia non extenditur, cum extenſio illi ſolū conveniat medio influxu ſuo radicali.

Sed contra hoc inſto. Nam iuxta hanc doctrinā videtur dicendum, miſsionē inviſibilē non fieri, niſi, vel cum anima primo ſanctificatur, vel cum eius ſanctitas intēſive augetur; hoc autē videtur eſſe cōtra D. Th. hic art. 6. ad 3. ibi: *Ad beatos facta eſt miſsio inviſibilis in ipſo principio beatitudinis, poſtmodum autem ad eos fit miſsio inviſibilis, non ſecundum intenſionē gratiæ, ſed ſecundū quod aliqua myſteria revelantur illis de novo*. Quibus aperte docet, quod datur miſsio divinæ perſonæ, ſine eo quod gratia intendatur: ergo fit miſsio divinę perſonæ ſine augmēto gratiæ gratum facientis. Ad hoc nego Min. ad prob. dico, quod quāvis huiuſmodi revelationes in Patria de novo fiunt, gratia non intendatur, quia iam conſummata eſt, & ad terminum pervenit; tamen quando iuſtus exiſtens in via promeruit eas revelationes, quæ poſtmodum illi ſucceſ-

Digitized by Google

ſive fiunt in Patria, verum augmentũ intenſivum habuit ſecundũ gratiam, & ſic miſſio ſecundum illas non fit niſi ſecundũ augmentũ intenſivum gratiæ, factum gratiæ eo tempore, quo augeri potuit.

Vel dicatur ſecundo ad D.Th. quod quãvis cum de novo revelatur myſterium beato, gratia eius habitualis nõ augeatur, tamẽ viſio eius, à qua gratia ſuã conſummationẽ recipit, augetur obiective, licet nõ ſubiective, dũ Deus novo modo illi vnitur per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſę ratione cuius novæ vnionis in ipſo Deo myſteriũ, de quo illuminatur agnoſcit, & tunc gratia gratũ faciens, quę dictã viſionẽ radicat, etiã de novo augmentũ extenſivũ obtinet, dum actum viſionis ad novũ obiectũ extenſum radicat, quod ſufficit ad miſſionẽ ſimpliciter, ſaltim dum gratia in termino conſummationis eſt, quia tunc ſubiective augeri nõ poteſt. Vel tertio dicatur, D.Th. non loqui de miſſione ſimpliciter dicta divinæ perſonæ, ſed tantũ de illa, quæ eſt talis ſecundum quid; ad hanc enim non requiritur augmẽtũ intenſivum gratię, ſed ſufficit manifeſtatio ſupernaturalis veritatis.

§. XV.

Vtrùm in miſſione inviſibili divina perſona ea ſola ratione dicatur mitti, quod dona gratiæ ab ea procedentia, nobis donantur?

519 QVAMVIS Ex dictis in hac quæſt. poſſet haberi & colligi reſolutio huius quæſiti, tamẽ quia in ea ſtabilienda apex difficultatis huius materiæ verſatur, ideo placuit ex profeſſo prædictum punctum examinare.

Dico ergo. In miſſione divinæ perſonæ, non tantum dantur animæ dona gratiæ, & charitatis & alia dona ſupernaturalia, ſed etiã ipſa perſona, quæ dicitur mitti venit ad nos, & habetur à nobis. Cõcluſio eſt communis inter Theologos. Illã tenet Auguſtinus ſerm. 43. de verbis Domini, ibi: *Dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritũ Sanctum, qui tale dat donũ, qualis eſt ipſe. Magna eſt miſericordia Dei, donum dat æquale ſibi, quia donũ eius Spiritus Sanctus eſt.* Tenet etiã hoc ipſum lib. 3. de Trin. c. 26. Tenet etiã hoc ipſum D. Th. hic art. 3. ibi: *Sed tamen in ipſo dono gratiæ gratũ facientis Spiritus Sanctus habetur, & inhabitat hominem: unde ipſemet Spiritus Sanctus datur, & mittitur.* In ſolut. ad 1. ibi: *Dicendũ, quod per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc, quod libere non ſolũ ipſo dono creato vtatur, ſed vt ipſa perſona divina fruatur.* Et in 1. diſt. 14. q. 2. art. 1. ibi: *Dicendum, quod ipſemet Spiritus S. procedit temporali proceſſione, vel datur, & nõ ſolũ dona eius.* Quod & tenet in 1. ad Annibal. q. vnica, art. 3. & in opuſc. 4. §. ex iam dictis. Tenẽt etiã omnes Scholaſtici cũ Magiſtro in citata diſt. & cũ D. Th. hic art. 3. Verum quantũ certitudinis habet cõcluſio, tantũ habet difficultatis: vix enim percipi poteſt, quid ſit, & in quo cõſiſtat ipſam perſonã divinã in nobis habitare ſecundũ phyſicã, & realẽ præſentiã, & non ſolũ obiectivam, & intentionalem.

520 Primam rationem exiſtentiæ in nobis divinæ perſonæ aſsignant Salmanticẽſes hic dub. 5. in eo, quod creatura, in qua eſt producta gratia gratũ faciens, & alia dona ſupernaturalia, ratione quorũ perſona divina eſt in nobis vt cauſa in ſuo effectu, realiter refertur, non tantũ ad dona ipſa ſupernaturalia, verũ etiã ad ipſam divinã perſonã per modũ habentis illã, & ſic ipſa perſona correfertur ad creaturã vt habita, & poſſeſſa à dicta creatura per eandẽ relationẽ realẽ, per quã creatura refertur ad perſonã. Quã doctrinã adducunt ex D. Th. in 1. diſt. 14. q. 2. art. 1. ibi: *Cum igitur in acceptione donorũ Spiritus S. non ſolũ relatio noſtra terminetur ad dona, vt ipſa tantum habeamus, ſed etiam ad Spiritũ Sanctũ, quia aliter ipſum habemus, quã prius: non tantũ dicuntur dona ipſius procedere ad nos, ſed etiã ipſemet ſecundũ hoc dicitur refferri ad nos, ſecundum quod nos referimus in illũ, & ideo procedit ipſe in nos, & dona ipſius, quia & dona eius recipimus, & per eadẽ ad ipſum nos aliter habemus, in quãtum per dona eius ipſi Spiritui Sancto coniungimus, per donum nos ſibi aſsimilans.*

Verum licet hac ratione probetur, quod ad hoc vt perſona divina dicatur haberi, & poſsideri à nobis, nõ requiratur, quod realiter referatur ad nos aliqua relatione reali, quæ illi conveniat ex tẽpore, ſed quod ſufficiat, quod referatur ad nos ipſa relatione, qua creatura refertur ad ipſum; non tamen oſtendit rationẽ, per quã ipſa perſona divina exiſtit in nobis: neq; enim creaturã referri ad illã vt habitã, & eam referri ad creaturã vt habentẽ, faciunt formaliter exiſtere in creatura divinam perſonã, ſeu potius hęc ſupponunt iam divinam perſonam creaturam ſpeciali modo habitare, coexiſtendo illi aliquo genere exiſtentiæ realis, quod, cum non ſit exiſtere in creatura per eſſentiam,

Digitized by Google

tiam, præſentiam, & potentiã reſtat ſemper videndum, in quo conſiſtat: Explicatur hoc. Etenim anima refertur ad dona gratiæ vt habita, & ad perſonam pariter vt habitã, & dona, & Spiritus Sanctus correferuntur ad animã vt habentẽ illa; ſed hæc relatio, tam ex parte animę, quam ex parte donorũ ſupponit iã dona coexiſtere in anima: ergo, & ſupponit ex parte Spiritus Sancti, iam Spiritum Sanctum in anima coexiſtere: non ergo ex vi rationis factæ oſtenditur ratio formalis, vi cuius perſona divina, dũ mittitur ad animam, novo modo reali in anima coexiſtat.

521 Secundo conantur Salmanticẽſes radicem huius veritatis aſsignare ex ratione, quã habet D. Th. in art. 3. huius quęſtionis, quã & nos aliquatenus expendimus ſupra, videlicet quod perſonæ divinæ dicuntur mitti ad nos, quatenus media gratia habituali, & eius donis ſunt in nobis tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in amãte. Contra quã rationẽ obijciunt, quod ex hoc tantũ probetur perſonas divinas habere in nobis præſentiã obiectivã, & affectivam, non vero realẽ, prout hęc diſtinguitur ab intentionali, quod probare eſt intentum noſtrũ. Sed poſtquam ſic obijciunt, rationẽ factam ſic roborare, & ab obiectione facta defendere conantur. Quoniam media gratia, & donis, non quomodocumque perſonæ divinæ ſunt tanquã cognitũ in cognoſcente, & amatũ in amante, ſed tanquã cognitũ in cognoſcente ea cognitione, quæ ſit ſufficiens ad perfectiſsimũ amorẽ amicitię, & tanquã amatũ in amante amore amicitiæ; ſed amor amicitiæ exigit ab intrinſeco vnionẽ realẽ amici, non ſolũ intentionalẽ, & affectivã, ſed vere phyſicã per ipſummet amorẽ faciendam: igitur ex hoc, quod perſona divina ſic ab anima per gratiã, & eius dona ametur, vere animæ novo modo realiter coexiſtet. Quod autẽ amor amicitiæ prædictam vnionẽ ſe ipſo formaliter faciat, quæ non ſolum ſit affectiva, ſed etiã phyſica, probant ex Dionyſio 4. de divinis nominibus vbi diſtinguit duplicem vnionem amoris, aliam ſecundũ rem, & alterã ſecundum affectum.

Probant idem ex Auguſt. lib. 8. de Trinit. cap. 10. vbi diffiniens amorẽ inquit: *Amor eſt quaſi iunctura quadã, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, nempe amatum, & amantem.* Quod explicans D. Th. 1. 2. q. 28. art. 1. inquit: *Quod enim dicit copulans, refertur ad vnionẽ affectus, ſine qua non eſt iſte amor, quod vere dicitur, copulare intendens, pertinet ad vnionẽ realẽ.* Tentant hoc ipſum probare ex his, quæ docet D. Th. in art. citato ibi: *Quadã vero vnio eſt effectus amoris, & hæc eſt vnio realis, quã amãs quærit de re amata, vt enim Philoſophus dicit 2. Politicorũ, Ariſtophanes dixit, quod amantes deſiderarent ex ambobus fieri vnũ, ſed quia ex hoc accideret, vel ambos, aut alterũ corrũpi, quærunt vnionẽ, quæ ſic convenit, & decet, vt ſcilicet ſimul cõverſentur, & ſimul colloquantur, & in alijs huiuſmodi coniungantur.* Ex quibus argumẽtantur ſic, iuxta Sãctos Patres effectus amoris perfectiſsimi eſt vnire ſecundũ rẽ amantes: cũ ergo per gratiam, & dona virtutũ habeatur inter Deũ, & animã iuſti perfectus amor amicitiæ, vere ſecundũ rem Deus, & anima vnientur, vt ſic Deus coexiſtat phyſice realiter animæ.

522 Cæterũ, hæc ratio hoc modo explicata nõ cõvincit intentũ. Nam aliud eſt, quod vnio amicorũ, & mutua coexiſtentia convictus, & converſatio appetatur, quæratur, & ardentiſsime deſideretur à perfecto amore amicitiæ, & iſto modo dicatur effectus amoris, & aliud eſt, quod per ipſum amorẽ ſibi coexiſtant phyſice amantes ſic, quod coexiſtẽtia phyſica, & realis rei amatæ habeatur per hoc, quod ſit in amante tãquã res amata. Primũ veriſsimũ eſt, & docetur à Patribus; ſecundũ eſt falſiſsimũ, nulloque modo à dictis Patribus traditũ: ergo adducta ratio nõ convincit intentũ, quod erat aſsignare rationem formalẽ, propter quam perſona divina, dum mittitur ad animam, illi phyſice coexiſtat.

Secundo inſto, nam ratio facta modo explicato non ſolũ non prob. id, per quod formaliter perſona coexiſtit ſpeciali modo in anima iuſti, verũ neque convincitur perſonã divinã dari nobis, quãdiu ſumus in hac vita mortali, quod ſaltim debebat probari. Prob. Ant. nam amor vitæ præſentis, quantumvis perfectus ſit, non pervenit ad conſummationẽ, neque infert gaudiũ de obiecto amato: vnde ſpe ſola gaudemus, nõ vero per poſſeſsionẽ rei ſperatæ: igitur quantumvis amor noſter erga Deũ perfectus ſit, non habet ſibi neceſſario annexã phyſicam præſentiã boni divini, quod amat; habebit autem poſtea, cũ revelata facie, & non iam per ænigmata, videbimus Deum ſicuti eſt.

Dices in favorem rationis factæ, quod amor viæ eſt eiuſdem omnino ſpeciei cum amore Patriæ, & ſic ſi amori Patriæ debetur actualis præſentia phyſica Dei amati,

etiam deberi hanc eandem amori viæ. Quod corroborabis ſic, nam ſi per poſsibile, vel impoſsibile in Patria gratia, & charitas conſummarentur ſine eo, quod Deus videretur, adhuc ex vi amoris Deus coexiſteret præſentia phyſica animæ, ſic amanti Deum; ita vt terminaret dictum amorem coexiſtendo intra amantem per ſuam realem ſubſtantiam: ergo eſto in via non ſupponatur ad amorem Deus viſus, vel phyſice vnitus animæ, per ipſum tamen amorẽ realiter vnietur illi, ad hunc ſenſum, quod, poſito quod anima vniatur Deo per amorem, Deus ſe ipſo adhærebit animæ amanti, & intra illam per ſuam ſubſtantiã exiſtet, & vt intra illam exiſtans terminabit amorem animæ iuſtæ.

Sed his adhuc ratio facta non eas vires recipit, vt intentum convincat. Nam, licet amor viæ, & Patriæ eiuſdem ſpeciei ſint, quia idem prorſus obiectum habent, nempe Deum in ſe ipſo, tamen amor Patriæ habet perfectionem modalẽ conſummationis, ad quam amor viæ, eſto perfectiſsimus ſit, pervenire non valet, quandiu eſt amor viæ. Inſuper, ſi præſentia phyſica rei amata debetur amori amicitiæ; hoc erit, non ex quo tendit in obiectum ſuum ſpecificative, ſed quo conſummatus eſt amor: cum ergo amor viæ ex quo viæ eſt, ad modũ conſummationis pervenire non valeat, videtur nullam in eo eſſe rationẽ, ob quã cum illo in ſtatu viæ Deus amatus phyſica, & reali præſentia coniungatur.

Præterea, amor quantumvis perfectus ſit, non exigit eſſe de re pręſenti; per hoc enim diſtinguitur à gaudio, quod amor tantum reſpicit bonitatem rei amatæ abſtrahendo a præſentia, vel abſentia; gaudium autem concernit pręſentiã rei amatæ: ergo amor ſive viæ, ſive Patriæ ex terminis amoris non neceſſario coniungitur cum præſentia rei amatæ; quod ſi in Patria eſt de bono præſenti, hoc eſt, quia ſupponitur viſio beata, ratione cuius Deus realiter poſsidetur ab anima. Vnde exiſtimo eſſe falſum, quod ſupra retuli in confirmationem rationis factæ pro concluſione, videlicet, quod ſi daretur gratia conſummata ſine viſione, & ſine lumine, & ſolum daretur amor; quod Deus ex vi illius vniretur realiter animæ, & eſſet intra illã, vt amatum in amante præſentia reali phyſica. Exiſtimo quidem hoc eſſe falſum. Nam, vt ſcimus ex 1. 2. q. 4. Beatitudo noſtra tantum conſiſtit eſſentialiter in actu viſionis, & nullo modo in amore, quia Deus tantũ adipiſcitur à Beato, & apprehenditur per viſionem: ergo ablata viſione chymera erit dicere, quod per ſolum amorem Deus pręſentia phyſica vniretur animæ ſic imperfecte beatæ.

Confir. amplius, adeptio, vel apprehẽſio Dei non fit per viſionem, quaſi Deus per illam trahatur à Beato per intellectum ſuũ, hoc enim fieri poſſet, ſi beati Verbum formarent; tunc enim Deum intra ſe conciperent, & ad ſe traherent: cum ergo Verbũ non forment, ſolũ fit apprehenſio, vel adeptio Dei per viſionem, ſic, quod ad poſitionem viſionis Dei, Deus vniatur animæ beati vt intellectus in actu ſecundo ab illo, eo ſimili modo, quo ad poſitionem luminis gloriæ, quod eſt principium ad videndum Deum, Deus neceſſario ſe ipſo vnitur intellectui beati per modũ ſpeciei impreſſæ: non ſic autem res contingit in amore, videlicet, quod ad poſitionem eius Deus ſe ipſo vniatur realiter amanti vt intra ipſum per ſuam ſubſtantiam præſens terminet amorem: ſi hoc enim ita contingeret, neſcio quare beatitudo noſtra inadæquate ſaltim non conſiſteret in amore amicitiæ, ſiquidem tunc poſtquã ſub vna formalitate adipiſceretur ab intellectu, adhuc ſub alia formalitate reſtaret adipiſcendus à voluntate per amorem: falſum ergo eſt, & in principijs Thomiſticis nullatenus admittendum, quod ſi non præcederet viſio ad amorem Patriæ, quod per ſolum amorem Deus animæ vniretur realiter.

523 Alia via conantur ipſimet Authores rationem iam relatam reddere efficacem ad probandum intentum, dicendo, quod dum Deus eſt in anima vt amatum in amante per amorem charitatis, tunc creatura rationalis quieſcit; ſecus vero quando cætera alia diligit, & iſta ſunt in eo ſicut amata in amante: ergo ſignum evidens eſt, quod alia à Deo non habet creatura rationalis intra ſe ipſam realiter, & ſecundum eorum ſubſtantiam; bene autem habet intra ſe ipſam Deum. Antec. quoad primam partem dicunt eſſe clarum, & perſpicuum, & ſic nulla probatione illud roborant. Quoad ſecundam vero probant auctoritate Gregorij Papæ homil. 36. in Evangelia vbi ait: *Hoc diſtare Fratres chariſsimi inter delitias corporis, & cordis ſolet, quod corporales delitiæ, cum non habentur, grave in ſe deſiderium accendunt, cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatie-*

tie;

tiETatem vectunt. Cōſ. vero probant. Nam, cum Deus ſit ſummum bonum, quod ex ſe quietat appetitum, dum eſt in creatura rationali vt amatum in amante, quieſcit in illo appetitus creaturæ rationalis: ſignum ergo eſt, quod tunc intra ſeipſam habeat ipſum Deum, ſecundum ſuam ſubſtantiam realiter per hoc, quod illum amet amorē charitatis. Hanc rationem ſic explicatam exiſtimant eſſe D. Tho. opuſculo 4. §. ſic ergo illis verbis: *Nullus enim vere gaudium habet niſi exiſtens in charitate, quicumque enim aliquid deſiderat, non gaudet, nec quietatur, nec delectatur, donec illud adipiſcatur, vt accidit in rebus temporalibus quod non habitum appetitur, & habitum deſpicitur, & tædium generat; ſed non ſic eſt in ſpiritualibus; imò, qui Deum diligit, habet ipſum, & ideo animus diligentis, & deſiderantis quietatur in eo.* Sic D.Tho. Quibus de verbo ad verbum diſcurſum factum recitare videtur.

Cæterum hæc ratio ſic explicata & authoritate D. Thom. munita, tantum ad magis probat, quod Deus inhabitet animas diligentium eum, & quod non detur amor creaturæ rationalis erga Deum, ſi charitatis ſit, ſine eo, quod Deus ipſe animæ ſic diligenti detur: verum non convincit; quod Deus coexiſtat realiter animæ per hoc ſolum, quod ametur ab anima, quaſi terminare amorem animæ ſit vere; & realiter Deū intra animam coexiſtere, quod videbatur eſſe intētum horum Authorum. Nec enim hæc Conſ. aliquid valet: *Anima diligendo Deum quietatur: ergo per hoc quod diligit Deum, habet intra ſe Deum.* Ant. eſt verum & Conſ. falſum. Anima enim, dum Deum amore charitatis diligit, quietatur, quia per ipſum amorem experitur Deum habere intra ſe: vnde non quieſcit, quia diligendo poſſidet, ſed quia diligendo experitur Deum intra ſe exiſtere.

§. XVI.

Refelluntur rationes Araujo, vt minus efficaces.

524 MAGISTER Araujo probat noſtram concluſionem ipſamet ratione D.Tho. quia videlicet perſona divina per gratiam, & eius dona eſt in creatura rationali tanquam cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, quam præſentiam dicit ſufficere, vt perſona dicatur realiter præſens creaturæ rationali ſpeciali modo præſentialitatis. Quod ſic ſuadet, nam hoc ipſo quod creatura rationalis per dictos actus refertur realiter ad Deum, Deus realiter refertur ad nos; at per prædictos actus nos vnimur Deo vnione propinquitatis: ergo Deus vnitur nobis eadem propinquitatis vnione. Secundo ſuadet, nam hæc vnio eſt intra genus amicitiæ; ſed amicitia contracta per intraneas differentias non poteſt ad vnionem illam realem pertingere, quæ requirat maiorem præſentiam realem extremorum, quam vnio obiecti cogniti, & amati: ergo hæc vnio ſufficit, vt Deus dicatur ſpecialiter præſens creaturis rationalibus. Tertio ſuadet hoc ipſum, quia gratia, ita diſponit animam ad habendum Deum, ſicut lumen gloriæ diſponit in Patria; vt Deus vniatur intellectui beati; ſed lumen gloriæ non diſponit niſi ad vnionem in ratione obiecti cognitionis, & amoris beatifici, quia tantum diſponit ad vnionem Deitatis cum intellectu beati in ratione ſpeciei impreſſæ, teſte D.Tho. ſupra. quæſt. 12. art. 5. vnio autem obiecti mediante ſpecie intelligibili tātum eſt in ordine ad cognitionem primario, & ex conſequenti in ordine ad amorem; & fruitionem: ergo.

Quarto ſuadet hoc ipſum; Nam huiuſmodi vnio per gratiam non eſt ſubſtantialis, ſicut hypoſtatica; ſed eſt accidentalis facta medijs donis creaturæ rationali infuſis, hæc autem nequid eſſe alia ab illa, qua Deus vt obiectum ſupernaturaliū actuum, ſeu habituum vnitur: ergo præſentia realis Dei ad creaturas rationales per gratiam eſt vnio obiecti cogniti ad cognoſcentem, & amati ad rem amantem. Improbat, nam aut iſta vnio accidentalis eſt per intrinſecam formæ accidentalis communicationē in ſubiecto, ſicut vnio albedinis cum corpore, aut eſt accidentalis per extrinſecam determinationem, ſicut centrum eſt in lapide propter inclinationem lapidis in ipſum, vt in terminum ſuæ inclinationis, quo pacto amans eſt in amato, & amatum in amāte ratione impulſus, & ponderis, quo voluntas fertur in res amatas: ad idemque genus ſpectat illa, qua cognitū eſt in cognoſcente mediante ſui ſimilitudine. Vnio autem accidentalis Dei ad creaturam rationalem per dona gratiæ nequit eſſe primi generis, quæ importat imperfectionem inhæſionis, ac dependentiæ Deo repugnantē: ergo eſt ſecūdi generis, in qua proinde fundatur relatio propinquitatis inter Deum, & talem creaturam.

Ve-

525 Verum his probationibus non ſuadetur efficaciter concluſio. Nam quærimus per quid divina perſona, cum realiter mittitur ad animam, reali præſentia gaudeat in anima, diſtincta ab illa, quæ eſt per potẽtiam, eſſentiam, & præſentiam; quæ realis, & phyſica præſentia non probatur per rationes factas. Non quidem per primam, nam relatio realis, qua creatura rationalis realiter refertur ad Deum tanquam ad obiectum cognitum, & amatum, non eſt relatio realis, & phyſicæ propinquitatis creaturæ ad Deum: ergo nequit etiam Deus per illam referri vt propinquus propinquitate phyſica, & reali ad creaturam. Si enim creatura phyſice non appropinquat ad Deũ, neque Deus phyſice appropinquabit creaturæ. Præterea, nihil refertur vt propinquum ad alterum, quin ſupponatur indiſtans ab illo; ergo Deus nequit referri vt propinquus ad creaturam, quin ſupponatur indiſtans ab illa: aſsignari ergo debet ratio huius phyſicæ indiſtantiæ Dei ad animam: hæc autem nequit eſſe per ſolam rationem cogniti, & amati, quæ denominationes extrinſecæ cũ ſint, nequeunt Deum realiter indiſtantem ab anima ſtatuere.

Secunda etiam ratio nihil ſuadet, dum in minori falſum aſſumit, videlicet, quod amicitia per intraneas differentias contracta non requirat maiorem vnionem, quam eam, quæ eſt in ratione cogniti, & amati; hoc (inquit) eſt falſum, nam eſto amor formaliter non faciat aliam vnionem inter amicos, quam eam, quæ eſt in ratione cogniti, & amati, tamen diſponit ad vnionem realem, & phyſicam, & mutuam coexiſtentiam amicorum, ratione cuius fit convictus inter illos. Tertia etiam non probat. Nam lumen gloriæ nõ ſolum diſponit ad Deum habendum per modum obiecti extrinſece cogniti; ſed etiam diſponit ad ipſum vt exercentem munus ſpeciei impreſſæ, quod munus requirit phyſicam coexiſtentiam Dei intra mentem beati: debet enim ſimul cum intellectu per modum comprincipij illius efficere intellectionem: vnde dicta probatio falſum etiam aſſumit, & etiam nullius eſt roboris. Quarta etiam non probat, nam accidentalem vnionem inter Deum, & animam, ratione cuius Deus ſpeciali modo inhabitat animam, tantum reducit ad rationem cogniti, & amati, quod non ſufficere ad præſentiam realis indiſtantiæ Dei cum anima ſatis ex diſcurſu huius §. patet. Et Confirmat. retorquendo contra huiuſmodi Authorem exemplum de lapide, & centro: etenim lapis quantumvis inclinatur ad centrum, dum tamen per motum localem ad centrum non venit, ſemper realiter eſt à centro diſtans, & centrum à lapide: ergo quantumvis anima per amorem inclinetur ad Deum, ſi tamen Deus non venit ad animam, non dicetur realiter indiſtans ab anima, neque hæc dicetur realiter indiſtans à Deo: dicimus autẽ lapidem eſſe in centro, dum inclinatur ad illud, vnione tantum affectiva, ſed nõ effectiva, quæ realiter à centro indiſtantẽ ſtatuat; & ſic ſimiliter dicemus, animam per ſui amorem eſſe in Deo affectiue, non tamen effectiue, ſic, quod per ſolum amorem fiat indiſtans realiter à Deo.

§. XVII.

Refertur modus dicendi Ioannis à Sancto Tho. & defenditur vt verus.

526 IOANNES à Sancto Tho. præſentem punctum altius omnibus meo videri conſideravit, & in quo vis rationis ex D.Tho. adducta conſiſtat clarius omnibus alijs oſtendit. Aſſerit ergo, quod cum vna divina perſona mittitur, non tantum nobis dantur dona gratiæ, verum & ipſa perſona, eo quod, tunc coexiſtit in nobis præſentia phyſica, & reali diſtincta ab ea, quam habet in nobis per immenſitatem, connexa tamen per ſe cum illa, ita vt ſi per poſsibile præſentia per immenſitatem non præſupponeretur, tũc perſona divina non haberet in nobis novo modo coexiſtere: vnde (inquit) quod Deus producendo gratiam in anima, contingit animam, & eſt intra illam, & hoc contactu phyſico præſuppoſito, media ipſa gratia intra nos operante converſionem ad Deum, fit Deus nobis novo modo præſens realiter, nempe, vt obiectum experimentaliter cognoſcibile, & fruibile intra animam: ſicut ſi anima noſtra, quam intime nobis præſentẽ habemus vt radicem, & principium omniũ operationum reddatur etiã nobis præſens, & manifeſtata vt obiectum, non quomodocumque cognitum, & amatum, ſed vt eſt obiectum nobis intimum, & quod eſt radix noſtri eſſe, noſtræque operationis, & ſic cognoſcatur quodam experimentali tactu, & cognitione: ita Deus ipſe per gratiam, quam in anima producit realiter coexiſtit animæ intra ipſam, & dum gratia animam con-

con-

Digitized by Google

convertit ad Deum per hoc, quod radicat cognitionem, & amorem illius, facit cognoſcere Deum vt intra animam exiſtētem, & facit, prout ſic, etiam exiſtentem, amare: & ſic duplicem præſentiam habet intra animam; alteram per immenſitatem & alteram in ratione obiecti experimentaliter cogniti, & quia dum ſic cognoſcitur, & amatur vt realiter intra animam exiſtens; ratione huius præſentiæ obiectivæ dicitur eſſe in anima iuſti tanquam in templo.

Placet hic modus dicendi, quia iuxta illum explicatur modus ille ſingularis, quo Deus fit realiter præſens animæ, dum perſonæ divinæ mittuntur ad animam. Et quia per hunc modum dicendi, vis & efficatia rationis Divi Thomæ oſtenditur. Pro cuius maiori luce adverto, quod præſentia obiectiva eſt duplex; alia pure intentionalis, per quam obiectum pure intentionaliter dicitur eſſe intra cognoſcentem, & amantem, ſic quòd non prærequiratur habere exiſtentiam phyſicam intra ipſum; alia eſt præſentia phyſica, nempe, quando aliquid, vt vniatur vt obiectum cognoſcenti, & amatum amanti, requiritur, quòd ſit exiſtens intra cognoſcentem, & amantem phyſica, & reali exiſtentia, quod tunc contingit, quando aliquis experitur aliquam rem exiſtere intra ipſum, quod contingit dupliciter, vel experientia, quæ ſit notitia intuitiva, quando videlicet, ipſummet obiectum ſeipſo eſt ſpecies impreſſa ad ſui cognitionem, quo modo, dum ſubſtantia Angelica vnitur ſeipſa intranſitive intellectui propriè, tunc Angelus habet notitiam experimentalem intuitivam propriæ ſubſtantiæ, & dùm mentibus beatorum vnitur Deus ſeipſo per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ cognoſcunt beati notitia experimentali intuitiva Deum intra ipſos phyſice exiſtere; vel experientia, quæ ſit tantum notitia abſtractiva, quæ tunc habetur, quando res intra cognoſcentem exiſtens, cognoſcitur intra cognoſcentem exiſtere per ſolos effectus, quos dicta res cauſat intra ipſum cognoſcētem, quomodo vnuſquiſque experitur ſe habere animam ex motibus, quos in ſeipſo experitur.

527 Hoc ergo ſic prænotato, dico, quod perſona divina, dum mittitur, vere nobis datur, quia ſuppoſita vnione phyſica, quam habet cum anima per gratiam habitualem, quam in anima effective producit, novo modo coexiſtit illi vt cognitum in cognoſcente, & amatum in amante notitia, & amore experimentali, quibus experitur iuſtus intra ſeipſum Deum realiter exiſtere. Hoc noſtro dicto ſolum volumus explicare, per quid conveniat perſonæ, quæ mittitur, nova, & realis præſentia cum creatura rationali, diſtincta ab ea, quā ante miſſionem habebat cum illa. Et dicimus, id eſſe præſentiam, per quam fit cognita cognitione experimentali.

Prob. hoc oſtendendo ex D. Th. iuſtos de facto in hac vita habere dictam notitiā. Nam D. Tho. in primo diſt. 14. quæſt. 2. ar. 2. ad 3. ait: *Non qualiſcumque cognitio ſufficit ad rationem miſſionis, ſed ſolum illa, quæ accipitur ex aliquo dono appropriato perſonæ, per quod efficitur nobis coniunctio ad Deum ſecundum modum proprium illius perſonæ, ſcilicet, per amorem, quando Spiritus Sanctus datur; vnde cognitio iſta eſt quaſi experimentalis.* Sic D. Tho. ſecundo oſtendo hoc ipſum ex eodem 2. 2. quæſt. 45. ar. 2. ibi: *Rectitudo iudicij poteſt contingere dupliciter, vno modo ſecundum perfectum vſum rationis; alio modo propter connaturalitatem quandam ad ea, de quibus iam eſt iudicandum, ſicut de his, quæ ad caſtitatem pertinent per rationis inquiſitionem rectè iudicat ille, qui didicit ſcientiam moralem, ſed per quandam connaturalitatem ad ipſam rectè iudicat de eis ille, qui habet habitum caſtitatis: ſic ergo circa res divinas, ex rationis inquiſitione rectum iudicium habere, pertinet ad ſapientiam, quæ eſt virtus intellectualis, ſed rectum iudicium habere de eis ſecundum quandam connaturalitatem ad ipſas, pertinet ad ſapientiam, quæ eſt donum Spiritus Sancti: huiuſmodi autem connaturalitas ad res divinas fit per charitatem, quæ vnit nos Deo. Sic ergo ſapientia, quæ eſt donum, cauſam quidem habet in voluntate ſcilicet charitatem, ſed eſſentiam habet in intellectu, cuius actus eſt rectè iudicare.* Itaque ſecundum D. Tho. charitas vnit nos phyſice cum Deo, ſic, quod nos connaturalizat cum illo, ad eum modum, quo, dum quis ex habitu caſtus eſt, connaturalizatur cum ipſa caſtitate, & ex hac connaturalitate cum Deo iuſtus ſentit intra ſe Deum, & quodam contactu experimentali tangit illum, eſto non videat illū intra ſe, ſicut animam noſtram non videmus, & tamen experientia animationis ſentimus eam quaſi obiectum præſens, quia & informat nos realiter, & informationis indicia nobis præſentat. Sic Deus ſuam intimam præſentiam, quam habet vt agens, & principium totius eſſe per immenſitatem, nobis ſpecialiter per gratiam, & charitatem de-

demonſtrat, & experimentaliter cognoſcibilem hic oculte & per indicia, & quaſi ſtans poſt parietem; realiter tamen nobis præſentem ſe exhibet: & ſic intra nos duplicem præſentiam Deus habet; aliam per immenſitatem, aliam in eſſe obiecti experimentalis notitiæ, quæ etiam realis eſt, eſto obiectiva ſit. Quæ præſentiæ inter ſe ſic comparantur, quòd prima poteſt dari ſine ſecunda, ad eum modum, quo in dormientibus contingit, in quibus anima tantū habet præſentiam phyſicam informationis; non tamen habet præſentiam obiectivam, quā ab illis nec cognoſcitur, nec ſentitur: ſic in peccatoribus, qui vel vt dormientes ſunt, Deus eſt intime præſens, dans illis eſſe naturale, & ſupernaturale fidei, & ſpei; ſed tamē dormiunt, & non ſentiunt vitam Dei, & ſic non habet ſecundam præſentiam in illis, nec Deus experitur ab illis: vnde, & dicit Apoſt. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*: cum autem per gratiam, & charitatem evigilant, tunc Deus incipit habere ſecundam præſentiam in illis, dum ab illis ſentitur, & tunc fit formaliter miſsio perſonæ divinæ, quia, dum manifeſtatur modo dicto, eſt in nobis vt amicus, & vt convivens nobis vivificando nos, iuxta illud Ioan. 6. *Sicut miſsit me Pater vivens, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Tunc etiam fruimur Deo, fruitione non ita perfecta, ſicut ea, quam habent beati in patria, ſed imperfecta, & ænigmatica, qualis haberi poteſt in ſtatu viæ, conſiſtente in gaudio, quod habemus de Deo ſentito, & experto à nobis vt ſanctificante nos.

Ex his talem deduco rationem probativam efficaciter noſtræ concluſionis. Per dona gratiæ, & charitatis vere perſonæ divinæ ſunt in creaturis rationalibus realiter novo modo, diſtinctoque ab eo, quo eſt in illis per immenſitatem: ergo, dum perſona divina mittitur, non ſolum dantur nobis dona gratiæ, & charitatis, ſed etiam ipſæ divinæ perſonæ. Conſ. eſt legitima, & Ant. Prob. poſtquam Deus eſt in nobis per immenſitatem cauſando eſſe naturale, & eſſe ſimpliciter ſupernaturale gratiæ, vere per charitatem, ad quam creaturam mover, facit vt ſentiatur, & experiatur à nobis, vti exiſtens intra nos: igitur incipit tunc habere novam, & realem præſentiam in nobis diſtinctam ab ea, quæ eſt per immenſitatem. Prob. Conſ. nam dicta præſentia, cū ſit experimentalis, neceſſario requirit exiſtentiā realem obiecti, quod in nobis eſſe experitur, & ſic neceſſario eſt realis: inſuper nō eſt præſentia per immenſitatem, nam hæc ſolū convenit Deo vt agens eſt, & principiū effectivum creaturæ, ſive quoad ea, quæ ſpectant ad ordinē naturæ, ſive quoad ea, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ: præſentia autē de qua fit ſermo, ſolum convenit Deo vt obiectum eſt notitiæ experimentalis: ergo eſt præſentia realis, & diſtincta ab ea, quæ eſt per immenſitatem.

§. XVIII.

Soluuntur obiectiones contra iſtum modum dicendi.

528 OBIICIES primo. Nā gratia, & charitas nequeunt manifeſtare iuſto notitia experimentali aliquam perſonam determinatā Trinitatis: ergo per hoc, quod anima per charitatē convertatur ad Deum, non incipit aliqua perſona Trinitatis habere in nobis aliquam præſentiam realem obiectivam. Prob. Ant. gratia, & charitas ſolum poſſunt manifeſtare Deum ſecundum ea prædicata divina, ſecundū quæ à Deo cauſantur; ſed à Deo tantum cauſantur effective vt vnus eſt, & non vt eſt trinus: ergo nequeunt manifeſtare nobis aliquam perſonā Trinitatis. Ad hoc nego Ant. ad prob. nego Mai. eſto enim gratia, & charitas effective à Deo vt vno cauſentur, tamen, quia participationes formales Dei, prout in ſeipſo eſt, ſunt, & Deus prout in ſeipſo, Deus trinus, & vnus eſt, à Deo prout trino, & vno ſpecificantur, & ſic gratia eſt radix videndi, & amandi Deum, non ſolum vt vnum, ſed etiam vt trinum, & per fidem, quæ ſequitur ad gratiam cognoſcimus Deum vt trinum, & per charitatem etiam vt trinum amamus: vnde etiam poſſunt experimentali notitia ducere nos in cognitionē perſonarum Trinitatis. Quod vt magis explicetur adverto, quòd, licet Deus omnia, quæ effective cauſat, cauſet ratione alicuius prædicati cōmunis tribus perſonis, & ſic cauſet ratione prædicati ſpectantis ad vnitatem eius; tamen exemplar, & idea, ad cuius imitationem cauſat, non oportet, quod ſpectet ad eius vnitatem: aſſumit ergo ad cauſandam gratiam, & charitatem pro exemplari naturam divinā, prout radix eſt videndi, & amandi Deum vt vnū, & trinum, & ſic per gratiam, & charitatem repræſentatur nobis, & manifeſtatur Deus

Digitized by Google

vt vnus, & vt trinus. Præterea, cũ Filius ſapientia ſit, & Spiritus Sanctus Amor, dum per ſapientiam nos illuminat, perſonam Filij, cui ſapientia attribuitur, nos experiri facit; & dum amore corda noſtra fervere facit, Spiritum Sanctum intra nos ipſos ſentire cogit.

529 Obijcies ſecundo. Nam ad miſsionem divinæ perſonæ non ſufficit, quod de novo manifeſtetur perſonam divinam eſſe in creatura rationali per immenſitatem, ſed vltra hoc requiritur, quod præter eſſe, quod habet in creatura rationali per immenſitatem, novo modo realiter exiſtat in creatura, ad quam mittitur; ſed ſecundum noſtram reſolutionem perſona divina per gratiam, & charitatem tantũ manifeſtatur eſſe in nobis per immenſitatem, & vt cauſa in ſuo effectu: igitur reſolutio noſtra non aſsignat ſufficientiam eorũ, quæ requiruntur ad miſsionem divinæ perſonæ. Ad hoc dico, ad miſsionem divinæ perſonæ requiri, quod novo modo exiſtat in nobis ab eo, qui eſt exiſtere per immenſitatẽ: Cæterum per hoc quod per gratiam, & charitatem perſona divina ſentitur à nobis, & experitur, vt intra nos novo modo habet exiſtere in nobis: eſſe enim intra nos vt obiectum realiter expertum, & ſpiritualiter attractum per guſtum, & ſaporem ſui, quoddam genus exiſtentiæ realis eſt; hanc autem exiſtentiam incipiunt habere in nobis divinæ perſonæ; dum nobis per experientiam innoteſcunt, & ſic præter exiſtere in nobis per immenſitatem aſsignat noſtra reſolutio aliud exiſtere à primo diſtinctum, & ſic aſsignat omnia ea, quæ per ſe requiruntur ad veram, & propriam miſsionem divinæ perſonæ. Vnde in forma, nego Min. nã, per hoc, quod nobis manifeſtantur perſonæ notitia experimentali, incipiunt novo modo reali exiſtere in nobis.

530 Obijcies tertio probando perſonas divinas non dari nobis, ſed tantum dona gratiæ, dum miſsio fit. Etenim ſi perſonæ divinæ darentur nobis, & ratione ſui novo modo habitarent nos, vere dum mittuntur, venirent ad hunc mundum, in quõ nos ſumus, ſicut, & ipſa dona gratiæ, quæ per talem miſsionem nobis dantur, vere in hoc mundo ſunt, in quo nos illa habentes ſumus; ſed nequit dici perſonas divinas venire ad hunc mundum, dum mittuntur ad nos: ergo. Prob. Min. nam Auguſtinus 4. de Trinit. cap. 20. ita habet: *Cum in carne manifeſtatus eſt Filius Dei, in hunc mundum miſſus eſt in plenitudine temporis factus ex fœmina: cum autem ex tempore cuiuſquam profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, ſed non in hunc mundum, neque enim ſenſibiliter apparet, id eſt, corporeis ſenſibus præſto eſt, quia & nos ſecundum quod mente aliquid æternum, quantum poſſumus accipimus, non in hoc mundo ſumus: & omnium iuſtorum Spiritus etiam adhuc in carne viventium, in quantum divina ſapiunt, non ſunt in hoc mundo*: ergo contra Auguſtinum eſt aſſerere, quod in miſsione inviſibili divinarum perſonarum, perſonæ divinæ veniant in hunc mundum.

Hac authoritate ductus Ioannes à Sancto Tho. ſentit hic art. 2. hoc adeſſe diſcrimen inter miſsionem viſibilem & inviſibilem, quod per primam perſona, quæ mittitur vere venit in hunc mundũ, non vero per ſecundam. Verum hoc eſt vel difficile, imò, & quaſi incredibile in principijs huius authoris. Nam ſecundum illum, & ſecundum veritatem, Deus cauſando effective in nobis gratiam, & charitatem realiter exiſtit in nobis per immenſitatem, & dum convertit nos ad ipſum, vere ſentitur, & experitur à nobis eſſe realiter phyſice intra nos: ergo erit tunc Deus vbi nos realiter ſumus; at nos realiter, & phyſice ſumus in hoc mundo: ergo & Deus exiſtit in hoc mundo realiter, in quo & nos ſumus: ergo, dum per dona charitatis, & gratiæ perſonæ mittuntur ad nos, vere veniunt ad hunc mundũ, in quo nos ſumus. Confir. hoc, perſona divina venit ad eum locum, in quo eſt terminus miſsionis, id eſt, ille ad quem mittitur; ſed creatura rationalis, quæ ſanctificatur per gratiã, ad quam perſonæ mittuntur ſanctificandam vere & realiter exiſtit in hoc mundo: ergo & perſonæ, quæ ſic mittuntur veniunt in hunc mundum. Confir. ſecundo, nam, quia humanitas aſſumpta eſt in hoc mundo, & perſona Filij Dei illã reddit ſubſiſtentem prout in hoc mundo exiſtit, vere, dum mittitur ad illam ſubſtantialiter ſanctificandam, in hunc mundũ venit: ergo quia miſsione inviſibili mittitur perſona divina ad ſanctificandam animam per gratiam, & anima ſanctificanda vere eſt in hoc mundo, vere perſona divina, dũ ſic mittitur, dicetur venire in hunc mundũ. Patet Conſ. nam, non minus reddere in genere cauſæ formalis humanitatem terminatam ſubſiſtentem, & formaliter Sanctã facit perſonam Filij Dei coexiſtere ibi, vbi eſt humanitas, quam ſanctificare animam effective faciat perſonam divinam coexiſtere ibi,

vbi

Digitized by Google

vbi anima eſt, quę ſanctificatur: ergo, ſi quia humanitas, quę terminatur, ſubſiſtit, & ſubſtantialiter ſanctificatur, eſt in hoc mundo, perſona Filij Dei venit in hunc mundum, dum mittitur ad illam; pariter quia anima ſanctificanda eſt in hoc mũdo, perſona, quæ mittitur ad ſanctificandum illam, veniet in hunc mundum.

Ad argumentuum ergo reſp. nego Mi. ad prob. dico, nolle Auguſtinum, quod dum perſonæ inviſibili miſsione mittuntur ad nos, non veniant ad mundũ, in quo nos ſumus, ſed tantum velle, quòd non veniant ad hunc mundum, id eſt, ad conformãdum nos rebus mundanis, & caducis, ſed ad conformandum nos rebus cęleſtibus iuxta dictum Pauli, *Noſtra converſatio in cœlis eſt* per imitationem, & conformitatem cum cœleſtibus civibus, in eo quod, ſicut iſti Deo fruuntur per cognitionem, & amorē, ita & iuſti in via Deo fruantur, eſto imperfecte per cognitionem, & amorem: voluit ergo Auguſtinus aſsignare diſcrimen inter miſſionem Filij Dei per Incarnationem viſibilem, in qua dicitur perſonã Filij Dei veniſſe in mũdum hunc, duplici titulo; primo, quia reddebat humanitatem, quæ in hoc mundo erat, ſubſiſtentem. Secundo, quia voluit per humilitatem ſuam cõformari ſe cum mundanis, & caducis iuxta illud *voluit per omnia aſsimilari fratribus*, ſic, quod immortalis voluit videri mortalis ſecundum carnem, æternus, tēporalis, & qui Deus erat, homo ſicut cæteri homines: in miſsione autem inviſibili, quæ fit per gratiam gratum facientem, eſto perſonæ divinæ mittantur, & veniant in hunc mundum, vbi animæ ſanctificandæ exiſtunt, dum tamen veniunt ad ſanctificandum, & ſanctificatio fit per participium divinæ naturæ, ſic quod ſanctificati dicantur Dij iuxta illud: *Ego dixi; Dij eſtis, & Filij excelſi omnes*, fit inde, quod veniat ad extrahendos homines à mũdo, quia per gratiam facit Deos, & dum per gratiã convertit ad ſe tanquam ad vltimum finē per cognitionem & amorem, vere conformat nos cœleſtibus incolis, qui Deum neceſſario amant, & neceſſario vident. Hæc explicatio Auguſtini eſt D. Tho. in 1. diſt. 15. quæſt. 2. art. 3. vbi dictum Auguſtini ſic tēperat dicens: *Non quod eſſentialiter, ſeu ſubſtantialiter anima ponatur extra mundum: cum in corpore ſit, quod informat, ſed per conformationem eſt extra mundum, quia non conformatur affectus noſter rebus mundanis, & caducis, ſed iuxta quod Apoſt. dicit ad Philip. 3. noſtra converſatio in cœlis, eſt*, quod ſi anima noſtra, dum ſanctificatur, ſubſtantialiter in mundo eſt: ergo, dum ad illã ſanctificandam perſona divina temporaliter procedit, vere ad hunc mundũ, vbi anima eſt, venire dicenda eſt. Aliàs non capio quomodo in dicta ſanctificatione præter dona gratiæ dentur etiam divinæ perſonæ, vt in nobis ſint, & vt nos novo modo inhabitent.

§. XIX.

Vtrùm miſsio divinæ perſonæ dici debeat æterna, vel temporalis?

531 LOQVIMVR De miſsione divinæ perſonæ adęquate ſumpta, de qua ſupra diximus includere duo, nempe proceſsionem ęternam perſonæ miſſæ à mittente, & proceſſum tēporalem ad ſanctificandum creaturam: cũ ergo ex his duobus, alterum ſit æternũ, & alterum temporale, merito quærimus, vtrum miſsio divinæ perſonæ dicenda ſit æterna, vel temporalis? Ad quod quæſitum reſp. D. Tho. hic art. 2. tantum debere dici temporaliter. In cuius probationē præhabet hanc doctrinam, quod in his, quæ important originem divinarum perſonarũ eſt quædam differentia attendenda; quædam enim in ſui ſignificationem important ſolam habitudinem ad principium, vt proceſſio, & exitus; quædam vero cũ habitudine ad principium determinant terminũ proceſsionis: quorum quædã determinant terminum æternũ, ſicut generatio, & ſpiratio; nã generatio eſt proceſsio divinæ perſonæ in naturam divinam, & ſpiratio paſsive accepta importat proceſsionem amoris ſubſiſtentis: quædam vero cum habitudine ad principium important terminum temporalē, ſicut miſsio, & datio: mittitur enim aliquid ad hoc, vt ſit in aliquo, & datur ad hoc vt habeatur: perſonam autem divinã haberi ab aliqua creatura, vel eſſe novo modo exiſtendi in ea, eſt quoddã temporale: vnde miſsio, & datio in divinis dicuntur tēporaliter tantũ. Poteſtque roborari hæc doctrina ex alia eiuſdem D. Tho. etenim creatio, licet actio divina ſit cum ipſo Deo identificata, tamen, quia vt ſignificatur hoc nomine, determinat fieri rei in tempore; creatio tantũ dicitur temporaliter: ergo ſimiliter miſsio licet includat proceſsionem æternã perſonæ, quæ mittitur à mittente, quia tamen vt ſignificatur hac dictione *miſsio*, dicta pro-

proceſsio ſignificatur vt determinans aliquem terminum temporalem, tantũ dicetur temporaliter.

§. XX.

Soluuntur obiectiones contrà hanc doctrinam.

532 PRIMO Obijcies ad hominem contra D.Tho. Nam hic ſolut. ad 3. habet: *Miſsio includit proceſsionem æternã, & aliquid addit, ſcilicet tẽporalem effectũ: vnde gemina dicitur proceſsio, æterna, ſcilicet, & tẽporalis, non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, ſed geminatio eſt ex parte termini, ſcilicet æterni, & tẽporalis.* Ex quibus ſic argumentor. Miſsio ſecundũ D.Th. importat duas proceſsiones, alterã ęternã; alteram temporalẽ: ergo ſicut ratione proceſsionis tẽporalis dicitur tẽporalis, ratione proceſsionis ęternæ dicetur æterna. Ad hoc diſt. Ant. importat duas proceſsiones ſecundũ ſe ſumptas, & prout ſignificantur ſeorſim, & diuiſim, nego Ant. vt prima ſignificatur vt determinata per ſecundam, conc. Ant. & nego ſuppoſitũ Conſequentis, videlicet, quod ratione tantum proceſsionis temporalis dicatur tẽporalis: dicitur enim miſsio tẽporalis ratione miſsionis æternæ, non vt ſignificatur in ordine ad terminum æternum, ſicut illã ſignificat nomen *generatio*, ſed vt determinatur pręciſe ad terminum temporalem, ſic enim ſignificat eam nomen *miſsio*.

Sed inſtas: vnum non importat ens, quo modo ſignificatur per hoc nomen *ens*, ſed vt determinatur per carentiam diuiſionis: bonum ſimiliter tantum ſignificat ens vt determinatum per connexionem cum appetitu: homo nõ importat animal prout ſignificatur per nomen *animal*, ſed vt determinatur per rationale; & nihilominus iſtæ ſunt veræ: *Vnum eſt ens, bonum eſt ens, homo eſt animal*: ergo licet miſsio importet generationem æternam, non vt ſignificatur in ordine ad terminum æternum, ſed vt ſignificatur in ordine ad terminum temporalẽ, hæc propoſitio erit vera, *miſsio diuinæ perſonæ eſt proceſsio æterna.* Confir. In omni concreto accidentali id, pro quo ſupponit concretum, abſolute prædicatur de concreto; iſtæ enim ſunt veræ, *album eſt corpus, terminus eſt vox*; ſed miſsio eſt concretũ, cuius materiale eſt proceſsio æterna, & formale habitudo ad terminum temporalem: ergo proceſsio æterna vere prædicabitur de miſsione, & ſic hæc erit vera, *miſsio diuinæ perſonæ eſt proceſsio æterna.* Confir. ſecundo, Chriſtus non importat perſonam ęternam, niſi vt temporaliter terminantem humanitatem; & tamen hæc eſt vera, ſignato Chriſto, *hic homo eſt æternus*: ergo eſto miſsio proceſsionem æternam ſolum importet vt determinatam per habitudinẽ ad terminum temporalem, hæc erit vera, *miſsio eſt æterna*: ergo falſa eſt concluſio D.Tho. quæ dictat, quod miſsio perſonæ tantum dicitur temporaliter.

Pro ſolutione horum, quæ magnam præferunt difficultatem contra literam D.Tho. quã ſtatuimus pro concluſione, aduerto, quod hic nos poſſumus procedere dupliciter, vel ſic, quod dicamus miſsionẽ eſſe quoddam concretum, cuius materiale eſt proceſsio æterna perſonæ, quæ mittitur; vel ſic, quod dicamus, quod miſsio eſt quoddam abſtractũ præciſe ſignificans, & importans proceſſum temporalem perſonę ab æterno procedentis ab ea, à qua dicitur mitti. Et ſi quidẽ primo modo philoſophemur, non poſſum capere, quod de miſsione nequeat prædicari verbum iſtud *proceſsio æterna*, quia eſt materiale, pro quo ſupponit, & omne materiale ſuppoſitũ prædicatur de concreto, cuius eſt materiale: vnde aſſeuerandum exiſtimo in hoc modo philoſophandi, quod ſicut iſtæ ſunt veræ, *album eſt corpus, terminus eſt vox, hic homo eſt æternus*, ſignato Chriſto; ita loquendo de iſta, *miſsio eſt æterna*, dico eſſe veram, propterea quod miſsio eſto ſignificet proceſſum temporalem perſonæ ad creaturã, tamen ſupponit pro proceſsione æterna, & ſic proceſsio æterna vere affirmatur de miſsione, tanquã materiale de ſuo concreto. Et ſi inſtes, hoc non ſtare cum litera D.Tho. nec cũ noſtra concluſione, in quibus habetur, quod miſsio tantum dicitur temporalis. Reſp. negando aſſumptum, nam cum nos dicimus miſsionem tantum dici temporalẽ, loquimur de miſsione quoad ſuum ſignificatum, non quoad id, pro quo ſupponit: ſi enim inquiratur, quid ſignificat *album*, reſpondetur cum Philoſopho & D. Th. album ſolã qualitatẽ ſignificare, ex quo nõ ſequitur, quod corpus, pro quo ſupponit, nõ prædicetur de albo: ſic in re noſtra, aliud eſt id, quod ſignificat *miſsio*, & aliud eſt id, pro quo ſupponit, quod ſignificat tantum eſt proceſſus tẽporalis ad ſanctificandam creaturam; id autẽ pro quo ſupponit, proceſſus æternus eſt: ergo loquendo de primo, quod illi eſt magis formale, & eſſentiale, dico, quod tantũ dicitur temporaliter, quia tantum dicit habi-

hu-

Digitized by Google

tudinem ad terminum temporalẽ loquendo vero de eo, pro quo ſupponit dicã, quod ſit proceſsio æterna. Contra hunc modũ dicendi nulla ex adductis obiectionibus militat, imò omnia exempla in ipſis adducta favent, nã de vno, bono, homine, termino, & Chriſto pręfatæ propoſitiones ſunt verę, quia in concretis materiale, pro quo ſupponunt, vere prædicatur de illis. Et ſic cũ miſſio ſit concretũ, cuius materiale eſt proceſſio ęterna, vere de illa dicitur, quod ſit ęterna ſuppoſitive, non ſignificative.

Si autem ſequamur ſecundum modum dicendi, ſic non debemus admittere hoc prædicatũ *æternum* poſſe vere affirmari de miſsione. Et ratio ea eſt clara, nã miſsio in hoc modo dicendi non eſt concretum accidentale importans vnum de materiali, & ſignificans aliud de formali, ſed tantum eſt abſtractum; cuius adęquatum ſignificatũ eſt proceſsio temporalis divinæ perſonæ procedentis æternaliter ab alia, à qua mittitur ad ſanctificandum creaturam rationalẽ in tempore: ergo nequit dici æterna, ſed tantũ temporalis. Sed pro maiori intelligentia huius modi dicendi adverto, quod ad miſſionem divinæ perſonæ indiſpenſabiliter requiritur proceſsio æterna ab ea perſona, quæ dicitur mittens: verum hoc, quod eſt indiſpenſabiliter requiri ad miſsionem, ſtare poteſt dupliciter; primo ſic, quod ſit pars intrinſeca ipſius miſsionis, & hoc vel per modum rationis genericæ, vel per modum ſuppoſiti; & quolibet modo ex his includatur in miſsione, vere prædicabitur de illa iuxta primum modum dicendi: alio modo ſtat indiſpenſabiliter requiri ad miſsionem proceſsionem æternam, non quia pars ſit miſsionis illam actualiter componens, ſed quia, niſi hæc præhabeatur, non poterit alicui perſonæ divinæ ratio miſsi convenire, quia hac non habita, non præhabetur authoritas ex parte mittentis, neque ſub authoritas ex parte miſsi: requiritur ergo proceſsio æterna non tanquam pars miſsionis, ſed tanquam præambulum ad miſsionem, hoc eſt, vt perſona divina reddatur capax miſsionis. In hoc ergo ſecundo modo dicẽdi, ſic debemus philoſophari, quod miſsio eſſentialiter tantum dicit proceſſum tẽporalem perſonæ divinæ ab alia procedentis æternaliter ad ſanctificandam creaturam in tempore. Ex his de facili ſolvuntur inſtantiæ factæ. Omnes enim procedunt de concretis ſupponentibus pro ſuo materiali, & ſic omnes prædicationes adductæ ſunt verę: In noſtro autem caſu non ſic res contingit; quia miſsio tantũ eſt abſtractum ſignificans adæquate proceſſum temporalem ad ſanctificandum creaturam, & ſic proceſsio æterna cum non ſit incluſa actualiter in miſsione ad modum, quo materiale includitur in concreto; ſic nihil mirum, quod proceſsio æterna non dicatur de miſsione, & quod hæc tantum dicatur temporalis.

Et ſi inquiras, quem ex his modis dicendi debeamus ſequi? Reſpondeo, vtrumque poſſe defenſari, quia vtrumque iudico probabilem in via D. Th. Primum quidem, quia hic art. 5. inquit: *Dicendum, quod, cum miſsio importet originem perſonæ miſſæ, & inhabitationem per gratiam: ſi loquamur de miſſione quantum ad originem, ſic miſsio Filij diſtinguitur à miſsione Spiritus Sancti.* Quibus verbis non parũ inſinuat, quod origo æterna perſonæ, quæ mittitur actualiter ſit pars miſsionis, & cum non ſit formalis, debet eſſe materialis, & ſic miſsio erit concretũ accidentale ſupponens pro origine æterna perſonæ, quæ mittitur. Secundum expreſſe tenet in primo ad Annibaldum diſt. 15. quæſt. vnica art. 2. ibi: *Quidam dicunt, quod miſsio principalius ſignificat quod notionale eſt, alij autem dicunt, quod principalius ſignificat quod eſſentiale eſt, & hoc videtur verius, quia miſsio non ponit de ſe exitum miſsi à mittente ſecundum ſe, ſicut patet de ſervo miſſo à Domino, ſed importat ſolam quantum ad aliquem effectum authoritatem mittentis reſpectu miſsi, ſed quia in divinis non poteſt authoritas eſſe in mittente, niſi quatenus miſſus procedit ab eo, ideo ex conſequenti ſignificat, quod notionale eſt.* Quibus expreſſe excludit proceſsionem, vel originem æternam ab his, quæ eſſentialiter conſtituunt miſsionẽ, & tantum dicit connotari à miſsione tanquam aliquod præambulum, ſine quo non erit authoritas ex parte mittentis. Verũ licet vtrũque ſit probabile, iudicaverim hoc ſecundum probabilius, & conformius his, quæ docuimus in §. 1. huius quæſtionis, & præcipue, quia iuxta iſtum modum dicendi, cum maiori rigore ſalvatur litera D. Th. videlicet, quod miſsio divinæ perſonæ ſolum dicitur temporaliter; ſiquidem nullo modo ad mittitur, hanc poſſe concedi, *miſſio eſt æterna,* quod non ita contingit in alio modo dicendi, in quo illam pro materiali eſſe æternam admittitur. Et hæc de toto tractatu Sanctiſsimæ Trinitatis dicta ſufficiant ad laudẽ ipſius Sanctiſsimæ Triados, Beatæ Virginis, Sanctorumque Dominici, & Thomæ.

TRACTATVS DECIMVS QVINTVS DE CREATIONE.

QVÆSTIO I.

De Creatione quoad an eſt, & quoad quid eſt.

POST Conſiderationem diuinarum perſonarum, conſiderandum reſtat, de proceſsione creaturarum à Deo, quam dicimus creationem.

§. I.

Vtrùm ſit de fide Deum hunc mundum viſibilem creaſſe producendo illum ex nihilo?

533 LOQVIMVR De creatione ſtrictè dictâ, quã eſſe productionẽ entis ex nihilo conuincit D. Thom. hic quæſt. 45. artic. 1. ex eo, quod non ſolùm oportet conſiderare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari agente, ſed etiam emanationem totius entis ab aliqua cauſa vniuerſali, quam emanationem dicimus ſtrictè creationem. Quod enim procedit ſecũdum emanationem particularem non præſupponitur emanationi: ſicut ſi generatur homo, non fuit prius homo, ſed homo fit ex non homine, & album ex non albo: vnde ſi cõſideretur emanatio totius entis vniuerſalis à primo principio, impoſsibile eſt, quod aliquid ens præſupponatur huic emanationi; idem eſt nihil, quod nullum ens, ſicut igitur generatio hominis eſt ex non homine, ita creatio, quæ eſt emanatio totius eſſe, eſt ex nõ ente, quod eſt nihil. Quo præſuppoſito ad quæſitũ venientes aduertimus, turpiter circa creationem erraſſe antiquos Philoſophos habentes pro indubitato principio, quod ex nihilo nihil fit. Ex quo in varios errores deuenerunt, qui legi poſſunt apud Ioannem à Sanct. Thom. & alios commentatores. Errarunt etiam turpiter antiquiſsimi Hæretici, vt Simon Magus, & Menander eius diſcipulus, quos ſequuti ſunt Baſilides, Saturninus, Carpocrates, Cherintus, & Gnoſtici, qui dixerunt viſibilem mundũ ab Angelis creatum fuiſſe, nõ à Deo ipſo. Poſt hos errarunt Cerdõ, Marcion, Apelles, & alij, qui duos ponebant Deos, ſeu ſumma principia, alterum bonum, & alterum malum, & hunc faciebant corporeum, ſeu mundi viſibilis conditorem. In quem etiã errorem deuenere Manichæi, qui malum Deum viſibilium crea-

creatorem conſtituerunt, quorum errorem damnavit Conſilium Bracarenſe primum per plures Canones; vnde iam fere extinctum poſtmodum ſuſcitarunt Albanenſes, ſeu Albigenſes, contra quos infatigabili ſtudio depugnavit S. P. N. Dominicus in partibus Toloſæ. Et in Concilio Lateranenſi coram Innocentio Tertio, vt refert S. Antoninus 3. part. hiſt. titulo 19. cap. 1. In Italia autem hic error valde propagatus eſt, contra quem valide decertavit inclitus, ac Glorioſiſsimus Pugil S. Petrus à Verona, & proprio devicit ſanguine. Denique Origenes vt refert Sanct. Thomas opuſcul. 13. & in præſenti quæſt. 47 art. 2. poſuit Deum primo creaſſe creaturas ſpirituales, eoſque æquales, deinde ob peccata quorundam fabricaſſe mundum viſibilem, & corporeum, cuius creaturis alligavit ſpirituales peccantes, & hac occaſione quaſi in pœnam peccati mundum hunc viſibilem fuiſſe creatum.

534 Contra hos ergo errores ſit Catholica Concluſio. De fide eſt, Deum hunc mundum inviſibilem creaſſe, illum producendo ex nihilo. Veritas hæc habetur definita in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio 3. in cap. firmiter, vbi definitur, quod *Deus eſt creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Conſtat etiam hæc veritas ex illo Machabæorum primo, cap. 7. *Precor nate ut aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas, quod ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Conſtat etiam hæc veritas ex illis locis Scripturæ, in quibus habetur expreſſum Deum feciſſe omnia, vti ſunt illud Ioann. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Et ad Coloſſenſ. 1. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlo, & in terra, viſibilia, & inviſibilia; & omnia in ipſo conſtant.* Et Iſaia 44. *Ego Dominus faciens omnia extendens cœlos ſolus, ſtabiliens cœlos, & nullus mecum*, ſi enim Deus omnia fecit, ergo aliquid produxit ex nihilo, neque enim omnia facere potuit, niſi ſaltim materiam primam, ex qua viſibilia conſtant ex nihilo produxerit, eſt enim primum ſubiectum totius entis: vnde ex alio ente præſuppoſito fieri non potuit: debuit ergo fieri à Deo ex nihilo.

Ratione hoc ipſum probat Angelicus hic, articul. 2. dicens, quicumque facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit præſupponitur actioni eius, & non producitur per ipſam actionem: ſicut artifex operatur ex rebus naturalibus, vt ex ligno, & ex ære, quæ per artis actionem non cauſantur, ſed cauſantur per actionem naturæ, ſed & ipſa natura cauſat res naturales quantum ad formam, ſed præſupponit materiam; ſi ergo Deus non ageret niſi ex aliquo præſuppoſito, ſequeretur quod illud præſuppoſitum non eſſet cauſatum à Deo: oſtenſum eſt autem, quod nihil poteſt eſſe in entibus, quod non ſit à Deo, qui eſt cauſa vniverſalis totius eſſe: ergo neceſſe eſt dicere, quod ex nihilo res ipſe produxit, oſtenderat autem D. Thomas quod nihil poteſt eſſe in entibus, quod à Deo non ſit ex eo, quod ſolus Deus, cum ſit ens per eſſentiam, debet eſſe ens à ſe, & ſic eſt neceſſe, quod omnia alia ab ipſo habeant eſſe per participationem; nam omne id, quod per participationem eſt tale, oportet cauſari ab eo, quod eſſentialiter eſt tale; cum ergo omnia extra Deum ſint per participationem entia, & ille ſolus ſit per eſſentiam ens, eſt neceſſe, quod omnia cauſentur à Deo.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

535 INSTABIS Primo contra hanc rationem, non eſt verum quod omne id, quod eſt tale per participationem debet cauſari ab eo, quod eſſentialiter eſt tale; ignis enim eſſentialiter eſt ignis, nec tamen ſequitur, quod omne ignitum, quod eſt ignis per participationem debeat cauſari ab igne, cum poſsit cauſari à ſole, vel per antiperiſtaſim, vel ex colliſione duorum lapidum ſine igne. Deinde, homo eſſentialiter eſt animal, non tamen omne animatum cauſatur ab homine, Angelus etiam eſſentialiter eſt intellectivus, non tamen cauſat omne aliud à ſe intellectivum, cum non cauſet animam rationalem, quæ participative Intellectiva eſt. Quod ſi dicatur, quod etiam iſta ſunt eſſentialiter talia, & nō per participationem, vnde de illis non poteſt probari, quod cauſentur: In contra eſt, nam, etiam creaturæ omnes

ſunt

ſunt eſſentialiter entia, & ſuam quidditatem habent in ratione entis, & ſubſtātiæ: ergo etiam non inferretur, quod etiā ſecundum ſuam quidditatē cauſentur à Deo.

Pro ſolutione huius inſtantiæ debemus advertere, quòd, dum dicimus Deum eſſe ens per eſſentiam, nolumus ſolum dicere, quod ratio entis ſit de eſſentia Dei, id eſt, ſit prædicatum eſſentiale eius; hoc enim etiam convenientibus per participationē, quæ etiam eſſentialiter ſunt entia; eſt enim ens prout dicit eſſentiam prædicatū eſſentiale omnis entis, ſicut & ipſa eſſentia prædicatum eſſentiale eſt, ſed volumus dicere, quod Deus ſit ſuum eſſe ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, ad quam eſſendi plenitudinem nullum ens creabile poteſt pervenire, cum finitum, & limitatum ſit. Vnde neceſſe eſt, quod ex plenitudine divinæ entitatis partem capiat, & ſic etiam in eo, quod de eius eſſentia eſt ens, participatum à Deo ſit; quod enim ad plenitudinem alicuius non pervenit adęquate, ſolū partē illius capere dicitur: vnde cum nullum creatum ad Dei plenitudinem pervenire adæquate poſsit, neceſſe eſt, quod illius tantū partem capiat, & ſic ſit ens per participationem. Ex his ad inſtantiam, nego Antec. ad prob. dico, quod omne ignitum eſt ab igne, vel tali formaliter, vel tali eminenter virtualiter, nempe à ſole, qui ignis eminenter eſt, & effectum, quem dat ignis effectivè producere valet, vel etiā à cœlo vt contingit in colliſione duorum lapidum, qui ex virtute corporis cœleſtis, quod etiam eminenter eſt ignis, ignem producere poſſunt. Cum enim ignis, eſto eſſentialiter ignis ſit, non tamen ſubſiſtat in ipſa plenitudine igniendi, datur locus, vt aliæ ſuperiores creaturæ illius naturā eminenter contineant, & illius effectus præſtare poſsint, & ſic ignitum poteſt participari ab igne, à ſole, cœlo, &c. Deus autē eſt ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, & ſic ipſe eſt ſolus per eſſentiam ens: vnde eſt neceſſe, quod ab illo omnia alia eſſe participent.

Ad aliud exemplum de homine, & Angelo dico, quod homo eſt animatus eſſentialiter, ad hunc ſolū ſenſum, quod eſſe animatū eſt prædicatū eſſentiale eius, non tamen ſubſiſtit in ipſa plenitudine eſſe animati, ſed particulatim, & limitate ipſum gradū animationis participat: ſimiliter Angelus eſt ex natura ſua intellectivus, non tamen ſubſiſtit in ipſa plenitudine intellectualitatis, ſed eam limitate, & finite continet: vnde non eſt neceſſe, quod omnia alia animata ab homine participent ſuum eſſe animatum, vel ab Angelo participent ſuum eſſe intellectualitatis.

536 Inſtabis ſecundo, ex hoc quod maxime ens ſit cauſa omnis entitatis, non bene infertur, Deum, qui eſt maxime ens, aliquid produxiſſe ex nihilo: ergo ratio D. Thom. id non convincit. Prob. Antec. fatetur Ariſt. in 2. Metaph. text. 4. quod id, quod eſt maxime ens, & maxime verum eſt cauſa omnis entis, & omnis veri; & tamen negavit aliquid poſſe ex nihilo produci, imò apud ipſum fuit certum illud vulgatum, *ex nihilo nihil fit*: ergo ex hoc, quod maxime ens ſit cauſa omnis entis, non bene infertur, Deum, qui eſt maxime ens, aliquid produxiſſe ex nihilo.

Ad hoc nego Ant. ad prob. diſt. Mai. affirmat quod maxime ens ſit cauſa omnis entis, cauſa per veram tranſmutationem, conc. Min. affirmat eſſe cauſam per vniverſalem emanationem, nego Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque Ariſt. poſuit duplex primū principiū increatum, alterū activum, alterum paſsivum; & dixit, quod omne ens participatum erat ab illo primo activo per tranſmutationem primi paſsivi, quod erat materia prima; & hac de cauſa, non cognovit ex nihilo aliquid poſſe produci. Inſuper Ariſtotel. non cognovit vnum maxime ens, ſic, quod ſubſiſteret in ipſa plenitudine eſſendi; & ſic poſuit materiam primam increatam, & nequaquam participantem de plenitudine illius primi activi: vnde non potuit invenire productionem ex nihilo: nos autem, qui Deum agnoſcimus, ſic eſſe maxime ens, quod ſubſiſtat in ipſa plenitudine eſſendi, ponimus conſequenter, quod quidquid extra Deum eſt, quocumque modo ſit, ex illa Dei plenitudine derivatur; & ſic ponimus ipſam materiā à Deo factam. Vnde conſideramus vniverſalem emanationem entis creati à Deo, per eſſentiam ente; & ſic ex hoc, quod maxime ens, ſit cauſa omnis entis, aptiſsime inferimus, Deū ex nihilo aliquid produxiſſe. Colligo hanc doctrinam ex Div. Thom. de pot. quæſt. 3. artic. 1. ibi: *Dicendum, quòd ex nihilo nihil fieri, Philoſophus dicit eſſe communem animi conceptionem, vel opinionem naturalium. Quia agens naturale, quod ab eis conſideratur, non agit niſi per motum: vnde oportet eſſe aliquod ſubiectum motus, vel mutationis,*

quod (inquit D. Thom.) *in agente ſupernaturali non oportet*. Ex quibus colligo, quod iſti non dicebant, Deum eſſe maximum ens, quomodo nos dicimus, ſed eſſe maxime ens naturale, & ſic non poſſe agere niſi tranſmutando aliquod ſubiectum: vnde ad omnē eius actionē requirebant aliquid præſupponi: nos autē non philoſophamur ſic, ſed Deum agnoſcimus vniverſaliſsimū agens, vtpote de quo dicimus eſſe vniverſaliſsimum ens ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, ac per conſequens non indigens agere per tranſmutationem; vnde cognoſcimus conſequenter ab ipſo aliquid fuiſſe productū ex nullo præſuppoſito ſubiecto, id eſt, ex nihilo.

§. III.

Vtrùm ratione naturali poſsit oſtendi Deum poſſe creare producendo aliquid ex nihilo?

537 QVÆSITO Reſpondeo affirmative. Et probo adducendo rationē D. Th. ex quæſt. 3. de pot. art. 1. quæ ſic habet: *Omne agens agit ſecundum quod eſt actu; vnde oportet, quod per illum modum actio alicui agenti attribuitur, quo convenit ei eſſe in actu. Res autem particularis eſt particulariter in actu. Et hoc dupliciter, primo ex comparatione ſui, quia non tota ſubſtantia eſt actus, cū huiuſmodi res ſint compoſitæ ex materia, & forma, & inde eſt, quod res naturalis non agit ſecundum ſe totam, ſed agit per formam ſuam, per quam eſt in actu; ſecundo, in comparatione ad ea, quæ ſunt in actu; nam in nulla re naturali includuntur actus, & perfectiones omnium eorum, quæ ſunt in actu, ſed quælibet illarum habet eſſe determinatum ad vnum genus, & ad vnam ſpeciem; & inde eſt, quod nulla earum eſt activa entis ſecundum quod eſt ens, ſed ſecundum quod eſt hoc ens determinatum in hac, vel illa ſpecie: nam agens agit ſibi ſimile, & ideo agens naturale non producit ſimpliciter ens, ſed ens præexiſtens, & determinatum ad hoc, vel ad illud, vt puta ad ſpeciem ignis, vel aliquid huiuſmodi, & propter hoc agens naturale agit movendo: & ideo requirit materiam, quæ ſit ſubiectum mutationis, vel motus; & propter hoc non poteſt aliquid ex nihilo facere. Ipſe autem Deus è contrario eſt totaliter actus, & in comparatione ſui quia eſt purus actus, non habens potentiā per mixtam, & in comparatione rerum, quæ ſunt in actu, quia in eo eſt omnium rerum origo; vnde per ſuam actionem producit omne ens ſubſiſtens nullo præſuppoſito ſubiecto, vtpote, qui eſt omnium entium principium, & ſecundum ſe totum; & propter hoc ex nihilo aliquid facere poteſt, & hæc eius actio vocatur creatio.* Hæc D. Thom. Itaque ex quo Deus eſt purus actus, nullatenus potentiæ ſive phyſicæ, ſive metaphyſicæ per mixtus, ex hoc habet præcontinere totum id, quod rationem entis habet in creatura, & ex hoc habet ens in quantum ens cauſare, & ſic poteſt ex nihilo producere: alia autem agentia, vel habent actum informantem materiam phyſicam, & ſic non ſunt purus actus phyſicus, vel habent actum per mixtum potentiæ metaphyſicę, vt ſunt actus formæ Angelicæ, quam potentialitatis mixturam à ſe non valent excludere; dum entia limitata ſunt ad ſuum genus, & ad vnam ſpeciem: vnde de effectibus ſuis non valent præcontinere totum, quod in illis ad lineam entis ſpectat, ſed tantum id, per quod hoc ens, vel illud ens in particulari dicitur, vnde ad hoc, quod eſt cauſare ens in quantum ens, vel totam rationem entis, pervenire non poſſunt, & ſic ex nihilo nihil valent producere. Hæc ratio efficaciſsima eſt, aliquas tamen difficultates patitur, quas ſuperare debemus pro poſſe noſtro.

§. IV.

Proponuntur, & ſolvuntur difficultates, quæ militant contra hanc rationem.

538 PRIMA Difficultas eſt. Nā, ex quo Deus ponitur purus actus nullo modo materiæ per mixtus non poteſt intelligi, quod cauſet totum, quod in ente potentiali invenitur; ergo. Prob. Antec. agens debet aſsimilare effectum in forma, per quam agit; ſed ſi Deus ponitur purus actus, nequit ſibi aſsimilare ens materiale in omni eo, ex quo conſtat: ergo. Prob. Min. nam ens materiale conſtat ex materia, quæ ex pura potentia; hæc autē Deo in eo, in quo purus actus eſt, non aſsimilatur, neque poteſt aſsimilari: igitur ſi Deus ponitur purus actus, nullo modo materiæ per mixtus, non poterit ſibi aſsimilare ens materiale in omni eo, ex quo conſtat. Secunda difficultas eſt, nam ex hoc quod Deus cauſet ens in quantum ens, non ſequitur, quod cauſet omnia, quæ

ſunt

ſunt de eſſentia entis: ergo non ſequitur, quod poſsit ex nihilo producere. Prob. Ant. ex quo Petrus ponitur cauſare Paulum in quantū homo eſt, non ſequitur, quod cauſet in Paulo omnia ea, quæ ſunt de eſſentia Pauli, nam Paulus in quantū homo conſtat ex materia, & forma rationali, & tamen Petrus neque materiam, neque animam rationalem in Paulo cauſare poteſt: ergo ex hoc quod Deus cauſat effectus ſuos in quantum entis ſunt, non ſequitur, quod cauſet omnia ea, quæ ſunt de eſſentia entis.

Tertia difficultas eſt, nam facilius percipi poteſt, quod agens cōſtans ex materia, & forma poſsit producere effectum ex materia, & forma conſtantem, quā quod purus actus nulli potentiæ imper mixtus poſsit effectum conſtantem ex materia, & forma producere; nam primū habet materiā, & formā, in quibus ſibi effectum aſsimilet, ſecundū vero, tantum habet actum, & iſtum ab omni potentialitate depuratum: ergo, dum non ponitur, quod agens conſtans ex materia, & forma poſsit producere vtrumque in effectu ſuo, non debebit poni, quod agens purus actus poſsit effectum in materia, & forma ſibi aſsimilare. Confir. ſic de puratus actus purus ab omni fœce potentialitatis, ſicut divina bonitas ab omni fœce malitię de puratus; ſed ratione huius perfectiſsimæ de purationis, Deus, qui eſt ſumma bonitas, nequit efficere peccatum: ergo ratione ſimilis de purationis, Deus, qui eſt actus purus, nequibit producere materiam primam, quæ pura potentia eſt. Confir. 2. Deus nihil poteſt facere niſi volendo illud quod facit; ſed Deus nequit velle materiam primā, quæ eſt pura potentia: ergo nequit cauſari illam. Prob. Min. quia Deus neceſſario amat ſuam bonitatē, non poteſt velle peccatum, quod contrariatur ſuæ bonitati; ſed pura potentia directe contrariatur puro actui, nā dicitur actus purus per adęquatiſsimū receſſum à ſuo contrario, quod eſt pura potentia: igitur, quia Deus neceſſario amat ſuum puriſsimū actum, non poterit velle materiam primam, quæ eſt pura potentia.

Nec valet dicere, eſſe diſcrimen in eo, quod puriſsimus actus eſto formaliter materia prima non ſit, virtualiter tamen materia prima eſt, & ſic poteſt velle illam ſine oppoſitione ad amorē, quo ſe ipſum neceſſario amat vt puriſsimū actum: at bonitas divina neq; virtualiter peccatū eſt, & ſic peccatū ſine oppoſitione ad amorem, quo neceſſario Deus ſuam bonitatē amat, amare non poteſt. Non inquam valet, nam bonitas divina, & peccatum non magis contrariantur, quam puriſsimus actus, & puriſsima potentia; ſed ex vi contrarietatis bonitas divina adhuc virtualiter nequit eſſe peccatum: ergo ex vi æqualis contrarietatis actus purus adhuc virtualiter pura potentia non erit. Secundo, nam ſolutio petit principium; etenim actum purum eſſe virtualiter puram potentiam, ſolum eſt, poſſe efficere illam, & bonitatem divinam non eſſe virtualiter peccatum, eſt non poſſe effective cauſare illud: huius autem argumentum factum inquirit rationem, dicens; quia peccatum contrariatur divinæ bonitati, Deus non habet virtutem ad cauſandum peccatum: ergo quia pura potentia contrariatur puro actui, Deus, qui eſt purus actus non habebit virtutem ad cauſandum puram potentiam. Sicque ſolutio data petit principium.

539 Sed ad primam ex his, nego Min. ad prob. nego Min. videlicet quod pura potentia phyſica non poſsit puro actui aſsimilari. Eſt enim purus actus ipſa entis plenitudo, & pura potentia phyſica veram obtinet rationem entis, cum ens dividatur in actum, & potentiam, & ſic pura potentia phyſica poteſt de illa entis plenitudine partem accipere, & illi in ratione entis aſsimilari, quam doctrinam tradit Angelicus de potent. quæſt. 3. articul. 1. ad 13 ibi: *Dicendum, quod materia prima habet ſimilitudinem cum Deo in quantum participat de ente, ſicut enim lapis eſt ſimilis Deo in quantum eſt ens, non vero in quantum eſt intellectualis: ita materia prima habet ſimilitudinem cum Deo in quantum ens, non in quantum eſt ens actu, nam ens commune eſt quodammodo potentia, & actui.* Sic D. Thom.

Sed inſtas, quod tantum Deo aſsimilatur in ratione entis, & non in ratione peculiari entis, tantum poteſt cauſari à Deo in quantum ens, non vero ſub ratione peculiaris entis; ſi ſub illa ei non aſsimiletur: ergo ſi materia prima non aſsimilatur Deo ex quo pure potentia eſt, ſed tantum ex quo eſt ens, non poterit à Deo ſub ratione peculiari potentiæ cauſari. Prob. Antec. exemplo peccati: eſto enim peccatum aſsimilatur Deo in quantum ens, quia tamen ſecundum rationē ſpecificam peccati Deo non aſsimilatur, cauſatur in quantum

ens, & in quantum actus, ſub ratione tamẽ peccati non cauſatur: ergo cum pura potẽtia ſolum in prædicato entis non aſsimiletur, ſolum ab illo in quantum ens poterit cauſari.

Ad hoc nego Ant. etenim inter Deũ, & corpus ſolum habetur ſimilitudo in ratione entis ſubſtantialis, & tamen ſecundum differentiam corporis cauſatur à Deo; ſimiliter lapis ſecundum peculiarem rationem Deo non aſsimilatur, & tamen ſecundum illam à Deo cauſatur, etenim inter effectum cauſæ æquivocæ, & ipſam cauſam æquivocam non requiritur convenientia, & ſimilitudo ſecundum propria cauſæ, & peculiarem rationem effectus: calor enim non aſsimilatur ſoli, quia ſol formaliter calidus non eſt, & tamen ſol vere cauſat calorem. Ad prob. Antecedentis, quæ deſumitur ex peccato, dico, quod peccatum eſt quoddam bonum eſſentialiter coniunctum cum defectu morali, vnde ex quo eſt bonum, à Deo cauſatur, quia ſub ente continetur, & in ratione entis Deo aſsimilatur, ex quo autem dicit defectum ſub ente peccatum non continetur, nec Deo aſsimilatur, & ſic, ex illo capite à Deo cauſari nequit; at pura potentia phyſica ſecundum vltimam ſui differentiam eſt ens, & ipſa proprie eſt differentia entis, & ſic, cum in ratione entis Deo aſsimiletur poteſt ſecundum propriam differentiã à Deo cauſari.

Dices, ſi materia prima non eſſet Deo aſsimilata ſub ratione entis, ſub nulla ratione à Deo cauſaretur: ergo, ſi in ipſa ratione peculiari puræ potentiæ Deo non aſsimilatur, non poteſt à Deo ſecundum propriam differentiam cauſari. Ad hoc nego Conſeq. etenim, ſi non aſsimilaretur in ratione entis Deo, eſſet extra rationem adæquatam obiecti formalis diuinæ cauſalitatis, quod eſt ens; ſicut & Angelus, quia coloratus non eſt, extra rationem formalem adæquatam potentiæ viſiuæ eſt: vnde ſicut propter hoc Angelus videri nequit; ita nec pura potentia, ſi ens non eſſet, cauſari à Deo poſſet. Eſtò autem ratio differentialis ratione ſui Deo non aſsimiletur, quia tamen eſt ens, ratione entis aſsimilatur ſaltim, vt *quod*, licet non vt *quo*. Itaque, ſicut experimur, quod murus ex quo colore veſtitur, & luce perfunditur, vt *quod* videtur, ita ex quo ipſa ratio differentialis puræ potentiæ ens eſt, ratione obiecti cauſabilis à Deo veſtitur, & vt *quod* ratione entitatis cauſatur.

540 Ad ſecundam difficultatem, nego Antec. ad prob. nego Conſeq. Etenim ens tranſcendit omnia, quæ de eius eſſentia ſunt, ſic quod de omnibus, & ſingulis ipſa ratio entis prædicatur; & ſic tunc aliquid cauſari poteſt in quantum ens, quando omnia, de quibus ipſa ratio entis prædicatur, cauſantur: at homo non tranſcendit ea, quæ phyſicè ipſum componunt; neque enim materia eſt homo, neque forma eſt homo: vnde ad cauſandum Paulum in quantum homo ſufficit cauſare conſtans ex materia, & forma rationali, hoc autem ſtat benè, ſi totum ex illis reſultans cauſetur, etiam ſi partes non cauſentur, & ſic ſtat bene, cauſare hominem in quantum homo, ſine eo quod partes, ex quibus eſſentialiter phyſice conſtat, non cauſentur. Aliud etiam diſcrimen aſsignari poteſt, in eo quod homo ſit ex non homine: vnde ad cauſandum hominem in quantum homo ſufficit ex parte termini *ad quem* producere hominem ſecundum quod opponitur non homini ex parte termini *à quo*; ad hoc autem non eſt neceſſe producere materiam, quia hæc eſt non homo, & ſic poteſt ſe tenere ex parte termini *à quo* præſuppoſiti ad cauſationem hominis, vt homo eſt; at ens ſit ex non ente, & ſic ad cauſandum aliquid in quantum ens, oportet nullum ens præſupponere, quod eſt ex nihilo cauſare.

541 Ad tertiam difficultatem, nego Antec. ad prob. dico, quod agens conſtans ex materia, & forma ſolum agit ratione formæ, & ſic ſolum ſibi aſsimilare poteſt effectum in forma, forma autem cum limitatus actus ſit non præcontinet omnia, quæ ſunt de eſſentia compoſiti ex materia, & forma: vnde tantum poteſt aſsimilare in forma ſpeciei, non autem in materia: agens vero, quod puriſsimus actus eſt, virtualiter præcontinet materiam, & formam, nam hæ ſunt participationes entis, in cuius plenitudine ſubſiſtit puriſsimus actus; & ſic facilius percipitur puriſsimũ actum cauſare materiam, & formam, quam percipiatur eam cauſare materiale agens. Ad primam Confir. nego Mai. magis enim depuratur à fæce peccati diuina bonitas, quam actus purus depuretur à fæce puræ potentialitatis, quia peccatũ, prout dicit defectũ, non eſt ens,

Digitized by Google

ens, neque bonum; & ſic in nullo prædicato habet convenientiam cum divina bonitate, quæ eſt ipſa plenitudo entis, & plenitudo bonitatis. Pura autem potentia, cum veram rationē entis habeat, cū puro actu aliqualē convenientiam habet, & aliquo modo ei aſsimilatur; vnde magis diſtat bonitas divina à peccato, quam diſtet purus actus à pura potentia phyſica.

Inſtabis adęquata de puratio ab aliquo contrario non ſuſcipit magis, & minus; ſed actus puriſsimus Dei adæquate de puratur à potentialitate, ſicut & divina bonitas à ratione peccati: ergo non magis hæc de puratur à peccato, quam illa de puretur à potentialitate. Ad hoc, nego Min. Etenim actus puriſsimus adæquate de puratur à potentialitate, ex quo contrariatur illi; non tamen ex quo habet convenientiam cum illa: ab ipſa autem ratione peccati, ſic de puratur bonitas divina, quod cum illa ſub nulla ratione retineat convenientiam, cum etiam diſtet ab illa in ipſa ratione entis, quia prout ſic peccatum non eſt ens, ſed defectus entis. Itaque purus actus de puratur à potentialitate, ſicut vnum contrarium ab altero contrario, inter quæ tamen manet convenientia in aliquo prædicato; nam contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maxime diſtant, & ſic eſt neceſſe, quod in genere conveniant, ſic purus actus, & pura potentia maxime diſtant; ſed intra rationem entis, cum vtrumque ſit ens, oportet quod convenientiam ratineant in ratione entis. Bonitas autem divina, & defectus peccati non diſtant, ſicut duo contraria; ſed ſicut lux, & privatio lucis: vnde ſic diſtant, quod in nullo conveniant.

Ad ſecundam Confirm. nego Min. ad prob. diſt. Mai. quia Deus neceſſario amat ſuam bonitatem, non poteſt velle peccatum, quia contrariatur ſummæ bonitati, quia cōtrariatur vtcumque, nego Mai. quia contrariatur ſic, quod in nullo ſui prædicato conveniat cū ſumma bonitate, conc. Mai. & diſt. Min. pura potentia directe contrariatur puro actui, ſic quod neque in ratione entis; & boni aſsimiletur ei, nego Min. ſic quod in ratione explicita potentiæ ei contrariatur, conc. Min. & nego Conſeq. Nam etto pura potentia, ex quo hoc explicat, puro actui contrarietur, tamen, quia eſſe puram potentiam eſt eſſe quoddam ens, & quoddam bonum ſaltim imperfectum, ratione horum à Deo amari poteſt: omnis enim formalitas, quæ intrinſice participat rationem *ſub qua* divinæ voluntatis, poteſt *vt quod* amari à divina voluntate: cum ergo ratio illa potentiæ puræ ſit quoddam bonum, intrinſice participat ratione *ſub qua* divinæ voluntatis, & ſic poteſt amari à divina voluntate.

§. V.

Solvuntur Argumenta probantia impoſsibilitatem creationis.

542 PRIMO Arguitur. Omne; quod fit, antequā eſſet, poſſibile erat eſſe, ſi enim erat impoſsibile eſſe, non erat poſsibile fieri; ſed potentia, qua aliquid poteſt eſſe, non poteſt eſſe niſi in aliquo ſubiecto, niſi ipſamet ſit ſubiectum, nam accidens ſine ſubiecto eſſe non poteſt: ergo omne, quod fit, fit ex materia, & ſubiecto: ergo ex nihilo impoſsibile eſt aliquid fieri. Confirm. infinitam diſtantiam non contingit per tranſiri; ſed non entis ſimpliciter ad ens, eſt infinita diſtātia: ergo impoſsibile eſt, quòd aliquid tranſeat de nō ente ſimpliciter ad ens. Prob. Min. quanto potentia eſt minus diſpoſita, tanto magis ab actu diſtat: ergo ſi omnino potentia ſubtrahatur, erit ad actū infinita diſtantia.

Ad hoc argumentum diſt. Mai. omne, quod fit, ante quam fiat, poſsibile erat eſſe, per aliquam potentiam paſsivam phyſicam, nego Mai. per potentiam activam Dei, & non repugnantiam terminorum ex parte factibilis, conc. Mai. & diſt. Min. ſi ſit potentia phyſica, conc. Min. ſi tantum ſit potentia per non repugnantiam terminorum, nego Min. & nego Conſeq. Itaque poſsibile dicitur dupliciter, vel quia adeſt in rerum natura potentia phyſica, ex qua fiat, ſicut antequam generetur homo in materia diſpoſita ad illius generationē adeſt phyſica potentia materiæ primæ ad hominem, ratione cuius dicitur homo in potentia phyſica ad eſſe hominem; vel poſſibile dicitur, quia non repugnat in terminis, & quia adeſt in Deo potentia activa ad efficiendum illud, & illo modo antequam mundus fieret, poſsibile erat mundum eſſe: vnde non requirebatur exiſtentia alicuius potentiæ paſsivæ, in qua mundus phyſice contineretur.

Sed inſtas, omne ens materialę de facto præcontinetur in materia prima, & non

Digitized by Google

ſolum in illa non repugnantia terminorũ: ergo poſsibilitas eius vt fiat non debet tantum eſſe non repugnantia terminorum, ſed phyſica potentia. Prob. Ant. ens materiale dicitur ex hoc, quod dependet à materia in fieri, & conſervari; non autem à materia dependere poſſet niſi in eius potentia phyſica paſsiva præcontineretur: ergo omne ens materiale præcontinetur in materia prima. Prob. Min. niſi ens materiale præcontineretur in potentia Dei activa, non dependeret à Deo in fieri, & conſervari: ergo niſi ens materiale præcontineatur in materia prima, non dependeret ab ea in fieri, & conſervari. Confirm. materia prima de facto eſt in potentia phyſica ad omnes formas materiales: igitur omne ens materiale in eius phyſica potentia præcontinetur: ergo ex illa educitur, & ſic ex nihilo nullum ens materiale poteſt fieri.

Ad hoc nego Ant. ad prob. diſt. Mai. ad hunc ſenſum, quod non poſsit fieri ſine materia, conc. Mai. ad hunc ſenſum, quod non poſsit fieri niſi ex concurſu materiæ præſuppoſitæ, nego Mai. & diſt. Min. niſi in eius potentia phyſica præcontineretur ante eius factionem, nego Min. in ipſo fieri eius, conc. Min. & diſt. Conſeq. ante eius factionem, nego Conſeq. in ipſo fieri eius, conc. Conſeq. Itaque, cum omne ens materiale eſſentialiter conſtet ex materia, & forma, non poteſt non pręcontineri in materia, ex qua conſtat; non autem requiritur, quod ante quam fiat, in materia præexiſtat, ſed ſufficit quod non fiat niſi materia, ex qua conſtat, producatur.

Vel ſecundo reſp. ad inſtantiam, diſt. Antec. omne ens materiale præcontinetur in materia, adæquate ſumendò ens materiale, nego Anteced. ſumendo ens materiale inadæquate, conced. Antecedens, & diſt. Conſeq. ergo poſsibilitas eius vt fiat non debet ſtare tantum in non repugnantia terminorum, ſed in potentia phyſica materiæ primæ, vt fiat adæquate, nego Conſeq. vt fiat ſolum inadæquate, conc. Conſeq. Itaque, de ente materiali duplex habetur conſideratio, altera adæquate cõprehendendo totum id, quod includit ens materiale; & iſto modo ens materiale ex ſola non repugnantia terminorum habet poſsibilitatem, quia adæquata ratio entis materialis nihil pręſupponit; altera inadæquata, prout tantum dicit formalitatem totius per informationem partiũ, & illo modo, non ſolum pręcontinetur in illa poſsibilitate non repugnantię terminorum, ſed etiam præcontinetur in ipſa phyſica potentia materiæ primæ. Vel ergo ens materiale fit adæquate, & ſic, cum tantum præſupponat non repugnantiam, fit ex nihilo, vel ſolum fit inadæquate, & ſic fit ex aliquo præſuppoſito: probavimus autem ſupra à Deo agente poſſe fieri adæquate, ideſt, per vniverſalem emanationem totius entitatis, ex qua conſtat, quia Deus active præcõtinet omnia, ex quibus conſtat, & ſic omnia illa poſſunt active emanare ab illo: vnde non eſt neceſſe, quod ex præſuppoſito ſubiecto fiat, ſed poteſt fieri ex nihilo, quia adæquate ſumptum nihil ſui præſupponit, in cuius phyſica potentia præcontineatur.

Ad Confir. dico, quod poſtquam materia prima exiſtit, in potentia eſt ad omnes formas educibiles ex illa, non tamen hæc materia ſemper extitit, & ſic primum ens materiale non fuit factum ex illa præſuppoſita ad factionem: vnde iam habemus, quod aliquod ens fuit ex nihilo factum; ſimiliter poſtquam illa exiſtit, & omnes formas materiales præcontinet, ſi ens materiale inadæquate fiat ex illa educitur: ſi autem adæquate fiat, ſic in illa non præcontinebatur: vnde non eſt neceſſe, quod ex illa fiat, quamvis ex materia conſtet.

543 Ad Confirm. principalis argumenti, diſt. Mai. infinitam diſtantiam non contingit pertranſire, quando ex vtroque extremo eſt infinita, conc. Mai. quando tantum ex vno extremo infinita eſt, & ex altero finita, nego Mai. & diſt. Min. non entis ad ens eſt infinita diſtantia ſimpliciter, ex parte non entis tantum, conc. Min. ex parte vtriuſque extremi, nego Min. & diſt. Conſeq. impoſsibile eſt, quod aliquid tranſeat de non ente ad ens, ad ens infinitum, conc. Conſeq. ad ens finitum, nego Conſeq. Itaque, ex non ente ad ens duplex tranſitus conſiderari poteſt, alter de extremo infinito ad extremum infinitum, nempe ad ens, quod eſt Deus; alter de extremo infinito relicto ad terminum finitum adquiſitum. Prima diſtantia nequit pertranſiri, bene autem ſecunda, quia verſus vnum extremum habet finitatem.

Sed contra inſto, ex extremo finito non poſſumus venire ad extremum infinitum: ergo ex extremo ſimpliciter infinito non poſſumus venire ad extremum finitũ. Prob. Conſeq. nam eadem eſt diſtantia ex termino *à quo* finito ad terminum *ad quem*

ſimpliciter infinitum; ac à termino ſimpliciter infinito ad terminum finitum: ergo. Confir. ſicut non eſt adquiſibilis per factionem terminus ſimpliciter infinitus, qui eſt ens ſimpliciter infinitũ, ita nõ eſt derelinquibilis terminus ſimpliciter infinitus, qui eſt non ens ſimpliciter: ergo ſicut per actionẽ ex termino finito non poſſumus venire ad infinitum, ita per factionem ex termino ſimpliciter infinito, qualis eſt non ens ſimpliciter, non poterimus tranſire ad terminũ finitum, nempe ens.

Ad hoc, nego Conſ. ad prob. nego Ant. Etenim terminus finitus *à quo*, qualis eſt ens finitum, ſic infinite diſtat ab infinito, quod inter vtrumque extremum adſint infinita media per tranſibilia, & ſic à finito ad infinitum non poteſt fieri tranſitus; at vero inter terminum infinitum *à quo*, qualis eſt non ens, non eſt ſic infinita diſtãtia, quod adſint infinita intermedia, imò neque eſt diſtantia proprie loquendo, quia hęc requirit terminos poſitivos, ſed eſt, tantũ reſpectu agentis finiti non præcontinentis omnia, quæ ſunt de eſſentia entis creabilis.

Itaque hanc impoſsibilitatem, quam habent omnia agentia creata, & creabilia ad producendum ens ex non ente vocamus diſtantiam infinitam inter non eſſe, & ens, quia nequit eſſe creatum agens, quod illam poſsit vincere: vnde Deus cum agens infinitum ſit præcontinens in ſe ipſam plenitudinem entis, hanc difficultatem vel impoſsibilitatem reſpectivam ad agens creatum, non habet, ſed poteſt ex ſe derivare totum ens, ſi finitum ſit. Ad Confirm. neg. Ant. ad derelinquendum enim non ens ſufficit producere ens ex nullo præſuppoſito producto per aliam actionem, quæ derelictio facilis eſt ipſi Deo, qui præcontinet omnem plenitudinem entis, fieri autem ens ſimpliciter infinitũ ex terminis implicat, cum de eius conceptu ſit; quod à ſe ſit.

544 Secundo arguitur. Philoſophus dixit in lib. 1. de generatione, quod *omni fariam diſsimile non agit in omni fariam diſsimile*, oportet enim, quod agens, & patiens cõveniant in genere, & materia, ſed non ens ſimpliciter, & Deus ſunt omni fariam diſsimilia, ſiquidem in nullo conveniunt: ergo Deus non poteſt agere in non ens ſimpliciter, & ſic non poterit facere aliquid ex nihilo. Ad hoc conc. prima Conſeq. & nego ſecundam. Nam ad faciendum aliquid ex nihilo non eſt neceſſe agere in nihilum, ens enim non fit ex tranſmutatione nihili, neque enim ſe habet vt patiens nihil, ſed tantum ſe habet vt terminus oppoſitus ad id, quod fit per actionem; ſicut privatio hominis, ex qua fit homo, quæ non tranſmutatur, ſed tantum relinquitur vt terminus oppoſitus homini, qui fit ex non homine: Vnde non eſt neceſſe ad hoc vt ex nihilo fiat aliquid, quod Deus agat in nihilum, ſed ſolum requiritur, quod nihilo relicto aliquid faciat. Vnde argumentũ peccat in eo, quod fundatur in falſa exiſtimatione, videlicet, in eo quod, dum aliquid fit ex nihilo, imaginatur fieri ex nihilo tanquam ex aliqua materia, cum potius res è contra ſe habeat, nam fieri ex nihilo idem eſt, ac ex nulla materia fieri.

Sed inſtabis, ſi ly *ex nihilo* non deſignat materiam, ex qua res fiat, non poteſt verificari rem fieri ex nihilo: ergo ſolutio nulla. Prob. Antec. nam rem fieri ex nihilo, vel denotat cauſam materialem, vel denotat ordinem, qui ſit inter non ens, & ens; non denotat hoc ſecundum, quia inter non ens, & ens nullus eſt ordo, vt inquit Boetius: igitur ſi non denotat cauſam materialem, non poterit verificari, quod aliquid fiat ex nihilo. Ad hoc nego Antec. ad prob. nego Ant. nam, licet de facto prima creatio facta ſit ex nihilo, id eſt, poſtquam pręceſsit nihilum; ſicut ex mane fit meridies; quod eſt fieri ſecundum ordinem inter non ens, & ens; tamen hoc non eſt neceſſe, quia ſi Deus produceret ab æterno aliquid per creationem, tunc produceret ex nihilo, nõ tamen poſt nihilum. Præter illos ergo duos modos fiendi ex nihilo teſtat alius, quo ſignificatur, quod aliquid fit, ſed ex nulla materia fit, quæ præ extiterit ad eius factionẽ: ſicut ſolemus dicere, quod aliquis triſtatur ex nihilo.

545 Tertio arguitur, quod ex nihilo factum eſt, habet eſſe poſt non eſſe; eſt ergo conſiderare aliquod inſtans, in quo vltimo non eſt, in quo non eſſe deſinit, & aliquod in quo primo eſt, ex quo eſſe incipit; aut ergo eſt vnum & idem inſtans aut ſunt diverſa: ſi idem, ſequitur non eſſe rei, & eſſe rei eſſe in eodem inſtanti, quod implicat; ſi diverſa, cum inter duo inſtantia mediet tempus, ſequitur, aliquid eſſe medium inter affirmationem, & negationẽ, quod eſt impoſsibile, nam impoſsibile eſt dari tempus, in quo de re neque verificetur, quod non ſit, neque quod ſit: non ergo eſt poſsibilis productio rei ex nihilo. Confirm.

vbi anima eſt,quę ſanctificatur:ergo,ſi quia humanitas,quę terminatur,ſubſiſtit,& ſubſtantialiter ſanctificatur,eſt in hoc mundo, perſona Filij Dei venit in hunc mundum, dum mittitur ad illam; pariter quia anima ſanctificanda eſt in hoc mũdo, perſona,quæ mittitur ad ſanctificandum illam, veniet in hunc mundum.

Ad argumentuum ergo reſp.nego Mi. ad prob.dico,nolleAuguſtinum,quod dum perſonæ inviſibili miſsione mittuntur ad nos,non veniant ad mundũ, in quo nos ſumus, ſed tantum velle, quòd non veniant ad hunc mundum,id eſt, ad conformãdum nos rebus mundanis, & caducis,ſed ad conformandum nos rebus cęleſtibus iuxta dictum Pauli, *Noſtra converſatio in cœlis eſt* per imitationem,& conformitatem cum cœleſtibus civibus, in eo quod, ſicut iſti Deo fruuntur per cognitionem, & amorẽ,ita & iuſti in via Deo fruantur, eſto imperfecte per cognitionem, & amorem: voluit ergo Auguſtinus aſsignare diſcrimen inter miſſionem Filij Dei per Incarnationem viſibilem,in qua dicitur perſonã Filij Dei veniſſe in mũdum hunc,duplici titulo;primo,quia reddebat humanitatem,quæ in hoc mundo erat,ſubſiſtentem.Secundo, quia voluit per humilitatem ſuam cõformari ſe cum mundanis, & caducis iuxta illud *voluit per omnia aſsimilari fratribus*, ſic,quod immortalis voluit videri mortalis ſecundum carnem, æternus,tẽporalis, & qui Deus erat,homo ſicut cæteri homines:in miſsione autem inviſibili,quæ fit per gratiam gratum facientem,eſto perſonæ divinæ mittantur, & veniant in hunc mundum,vbi animæ ſanctificandæ exiſtunt,dum tamen veniunt ad ſanctificandum, & ſanctificatio fit per participium divinæ naturæ, ſic quod ſanctificati dicantur Dij iuxta illud : *Ego dixi; Dij eſtis, & Filij excelſi omnes*, fit inde, quod veniat ad extrahendos homines à mũdo, quia per gratiam facit Deos, & dum per gratiã convertit ad ſe tanquam ad vltimum finẽ per cognitionem & amorem, vere conformat nos cœleſtibus incolis, qui Deum neceſſario amant,& neceſſario vident.Hæc explicatio Auguſtini eſt D. Tho. in 1. diſt. 15. quæſt.2.art.3. vbi dictum Auguſtini ſic tẽperat dicens: *Non quod eſſentialiter, ſeu ſubſtantialiter anima ponatur extra mundum: cum in corpore ſit, quod informat, ſed per conformationem eſt extra mundum,quia non conformatur affectus noſter rebus mundanis, & caducis, ſed iuxta quod Apoſt.dicit ad Philip. 3 noſtra converſatio in cœlis, eſt*, quod ſi anima noſtra,dum ſanctificatur,ſubſtantialiter in mundo eſt:ergo, dum ad illã ſanctificandam perſona divina temporaliter procedit, vere ad hunc mundũ;vbi anima eſt,venire dicenda eſt. Aliàs non capio quomodo in dicta ſanctificatione præter dona gratiæ dentur etiam, divinæ perſonæ,vt in nobis ſint,& vt nos novo modo inhabitent.

§. XIX.

Vtrùm miſsio divinæ perſonæ dici debeat æterna,vel temporalis?

531 LOQVIMVR De miſsione divinæ perſonæ adęquate ſumpta, de qua ſupra diximus includere duo,nempe proceſsionem ęternam perſonæ miſſæ à mittente,&proceſſum tẽporalem ad ſanctificandum creaturam : cũ ergo ex his duobus, alterum ſit æternũ, & alterum temporale, merito quærimus, vtrum miſsio divinæ perſonæ dicenda ſit æterna, vel temporalis? Ad quod quæſitum reſp.D.Tho.hic art. 2. tantum debere dici temporalẽm. In cuius probationẽ præhabet hanc doctrinam, quod in his, quæ important originem divinarum perſonarũ eſt quædam differentia attendenda ; quædam enim in ſui ſignificationem important ſolam habitudinem ad principium,vt proceſſio, & exitus; quædam vero cũ habitudine ad principium determinant terminũ proceſsionis : quorum quædã determinant terminum æternũ,ſicut generatio, & ſpiratio, nã generatio eſt proceſsio divinæ perſonæ in naturam divinam, & ſpiratio paſsive accepta importat proceſsionem amoris ſubſiſtentis : quædam vero cum habitudine ad principium important terminum temporalẽ,ſicut miſsio, & datio:mittitur enim aliquid ad hoc,vt ſit in aliquo, & datur ad hoc vt habeatur:perſonam autem divinã haberi ab aliqua creatura, vel eſſe novo modo exiſtendi in ea, eſt quoddã temporale:vnde miſsio, & datio in divinis dicuntur tẽporaliter tantũ. Poteſtque roborari hæc doctrina ex alia eiuſdem D.Tho.etenim creatio, licet actio divina ſit cum ipſo Deo identificata,tamen, quia vt ſignificatur hoc nomine,determinat fieri rei in tempore; creatio tantũ,dicitur temporaliter : ergo ſimiliter miſsio licet includat proceſsionem æternã perſonæ, quæ mittitur à mittente, quia tamen vt ſignificatur hac dictione *miſsio*, dicta

proceſsio ſignificatur vt determinans aliquem terminum temporalem, tantũ dicetur temporaliter.

§. XX.

Soluuntur obiectiones contra hanc doctrinam.

532 PRIMO Obijcies ad hominem contra D.Tho. Nam hic ſolut. ad 3. habet: *Miſsio includit proceſsionem æternã, & aliquid addit, ſcilicet tẽporalem effectũ vnde gemina dicitur proceſsio, æterna, ſcilicet, & tẽporalis, non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, ſed geminatio eſt ex parte termini, ſcilicet æterni, & tẽporalis.* Ex quibus ſic argumentor. Miſſio ſecundũ D.Th. importat duas proceſsiones, alterã æternã; alteram temporalẽ: ergo ſicut ratione proceſsionis tẽporalis dicitur tẽporalis, ratione proceſsionis æternæ dicetur æterna. Ad hoc diſt. Ant. importat duas proceſsiones ſecundũ ſe ſumptas, & prout ſignificantur ſeorſim, & diuiſim, nego Ant. vt prima ſignificatur vt determinata per ſecundam, conc. Ant. & nego ſuppoſitũ Conſequentis, videlicet, quod ratione tantum proceſsionis temporalis dicatur tẽporalis: dicitur enim miſsio tẽporalis ratione miſſionis æternæ, non vt ſignificatur in ordine ad terminum æternum, ſicut illã ſignificat nomen *generatio*, ſed vt determinatur præciſſe ad terminum temporalem, ſic enim ſignificat eam nomen *miſsio*.

Sed inſtas: vnum non importat ens, quo modo ſignificatur per hoc nomen *ens*, ſed vt determinatur per carentiam diuiſionis: bonum ſimiliter tantum ſignificat ens vt determinatum per connexionem cum appetitu: homo nõ importat animal prout ſignificatur per nomen *animal*, ſed vt determinatur per rationale; & nihilominus iſtæ ſunt veræ: *Vnum eſt ens, bonum eſt ens, homo eſt animal*: ergo licet miſsio importet generationem æternam, non vt ſignificatur in ordine ad terminum æternum, ſed vt ſignificatur in ordine ad terminum temporalẽ, hæc propoſitio erit vera, *miſsio diuina perſonæ eſt proceſsio æterna.* Confir. In omni concreto accidentali id, pro quo ſupponit concretum, abſolute prædicatur de concreto; iſtæ enim ſunt veræ, *album eſt corpus, terminus eſt vox*; ſed miſsio eſt concretũ, cuius materiale eſt proceſsio æterna, & formale habitudo ad terminum temporalem: ergo proceſsio æterna vere prædicabitur de miſſione, & ſic hæc erit vera, *miſsio diuina perſonæ eſt proceſsio æterna.* Confir. ſecundo, Chriſtus non importat perſonam æternam, niſi vt temporaliter terminantem humanitatem; & tamen hæc eſt vera, ſignato Chriſto, *hic homo eſt æternus*: ergo, eſto miſſio proceſsionem æternam ſolum importet vt determinatam per habitudinẽ ad terminum temporalem, hæc erit vera, *miſsio eſt æterna*: ergo falſa eſt concluſio D.Tho. quæ dictat, quod miſsio perſonæ tantum dicitur temporaliter.

Pro ſolutione horum, quæ magnam præferunt difficultatem contra literam D. Tho. quã ſtatuimus pro concluſione, aduerto, quod hic nos poſſumus procedere dupliciter, vel ſic, quod dicamus miſsionẽ eſſe quoddam concretum, cuius materiale eſt proceſsio æterna perſonæ, quæ mittitur; vel ſic, quod dicamus, quod miſsio eſt quoddam abſtractũ præciſſe ſignificans, & importans proceſſum temporalem perſonæ ab æterno procedentis ab ea, à qua dicitur mitti. Et ſi quidẽ primo modo philoſophemur, non poſſum capere, quod de miſsione nequeat prædicari verbum iſtud *proceſsio æterna*, quia eſt materiale, pro quo ſupponit, & omne materiale ſuppoſitũ prædicatur de concreto, cuius eſt materiale: vnde aſſeuerandum exiſtimo in hoc modo philoſophandi, quod ſicut iſtæ ſunt veræ, *album eſt corpus, terminus eſt vox, hic homo eſt æternus*, ſignato Chriſto; ita loquendo de iſta, *miſsio eſt æterna*, dico eſſe veram, propterea quod miſsio eſto ſignificet proceſſum temporalem perſonæ ad creaturã, tamen ſupponit pro proceſsione æterna, & ſic proceſsio æterna vere affirmatur de miſsione, tanquã materiale de ſuo concreto. Et ſi inſtes, hoc non ſtare cum litera D.Tho. nec cũ noſtra concluſione, in quibus habetur, quod miſsio tantum dicitur temporalis. Reſp. negando aſſumptum, nam cum nos dicimus miſsionem tantum dici temporalẽ, loquimur de miſsione quoad ſuum ſignificatum, non quoad id, pro quo ſupponit: ſi enim inquiratur, quid ſignificat *album*, reſpondetur cum Philoſopho & D. Th. album ſolã qualitatẽ ſignificare, ex quo nõ ſequitur, quod corpus, pro quo ſupponit, nõ prædicetur de albo: ſic in re noſtra, aliud eſt id, quod ſignificat *miſsio*, & aliud eſt id, pro quo ſupponit, quod ſignificat tantum eſt proceſſus tẽporalis ad ſanctificandam creaturam; id autẽ pro quo ſupponit, proceſſus æternus eſt: ergo loquendo de primo, quod illi eſt magis formale, & eſſentiale, dico, quod tantũ dicitur temporaliter, quia tantum dicit habi-

Digitized by Google

tudinem ad terminum temporalẽ loquendo vero de eo, pro quo ſupponit dicã, quod ſit proceſsio æterna. Contra hunc modũ dicendi nulla ex adductis obiectionibus militat, imò omnia exempla in ipſis adducta favent, nã de vno, bono, homine, termino, & Chriſto prçfatæ propoſitiones ſunt verç, quia in concretis materiale, pro quo ſupponunt, vere prædicatur de illis. Et ſic cũ miſſio ſit concretũ, cuius materiale eſt proceſſio çterna, vere de illa dicitur, quod ſit çterna ſuppoſitive, non ſignificative.

Si autem ſequamur ſecundum modum dicendi, ſic non debemus admittere hoc prædicatũ *æternum* poſſe vere affirmari de miſsione. Et ratio ea eſt clara, nã miſsio in hoc modo dicendi non eſt concretum accidentale importans vnum de materiali, & ſignificans aliud de formali, ſed tantum eſt abſtractum; cuius adçquatum ſignificatũ eſt proceſsio temporalis divinæ perſonæ procedentis æternaliter ab alia, à qua mittitur ad ſanctificandum creaturam rationalẽ in tempore: ergo nequit dici æterna, ſed tantũ temporalis. Sed pro maiori intelligentia huius modi dicendi adverto, quod ad miſſionem divinæ perſonæ indiſpenſabiliter requiritur proceſsio æterna ab ea perſona, quæ dicitur mittens: verum hoc, quod eſt indiſpenſabiliter requiri ad miſsionem, ſtare poteſt dupliciter; primo ſic, quod ſit pars intrinſeca ipſius miſsionis, & hoc vel per modum rationis genericæ, vel per modum ſuppoſiti; & quolibet modo ex his includatur in miſsione, vere prædicabitur de illa iuxta primum modum dicendi: alio modo ſtat indiſpenſabiliter requiri ad miſsionem proceſsionem æternam, non quia pars ſit miſsionis illam actualiter componens, ſed quia, niſi hæc præhabeatur, non poterit alicui perſonæ divinæ ratio miſsi convenire, quia hac non habita, non præhabetur authoritas ex parte mittentis; neque ſub authoritas ex parte miſsi: requiritur ergo proceſsio æterna non tanquam pars miſsionis, ſed tanquam præambulum ad miſsionem, hoc eſt, vt perſona divina reddatur capax miſsionis. In hoc ergo ſecundo modo dicẽdi, ſic debemus philoſophari, quod miſsio eſſentialiter tantum dicit proceſſum tẽporalem perſonæ divinæ ab alia procedentis æternaliter ad ſanctificandam creaturam in tempore. Ex his de facili ſolvuntur inſtantiæ factæ. Omnes enim procedunt de concretis ſupponentibus pro ſuo materiali, & ſic omnes prædicationes adductæ ſunt verç: in noſtro autem caſu non ſic res contingit; quia miſsio tantũ eſt abſtractum ſignificans adæquate proceſſum temporalem ad ſanctificandum creaturam, & ſic proceſsio æterna cum non ſit incluſa actualiter in miſsione ad modum, quo materiale includitur in concreto; ſic nihil mirum, quod proceſsio æterna non dicatur de miſsione, & quod hæc tantum dicatur temporalis.

Et ſi inquiras, quem ex his modis dicendi debeamus ſequi? Reſpondeo, vtrumque poſſe defenſari, quia vtrumque iudico probabilem in via D. Th. Primum quidem, quia hic art. 5. inquit: *Dicendum, quod, cum miſsio importet originem perſonæ miſſæ, & inhabitationem per gratiam: ſi loquamur de miſſione quantum ad originem, ſic miſsio Filij diſtinguitur à miſsione Spiritus Sancti.* Quibus verbis non parũ inſinuat, quod origo æterna perſonæ, quæ mittitur actualiter ſit pars miſsionis, & cum non ſit formalis, debet eſſe materialis, & ſic miſsio erit concretũ accidentale ſupponens pro origine æterna perſonæ, quæ mittitur. Secundum expreſſe tenet in primo ad Annibaldum diſt. 15. quæſt. vnica art. 2. ibi: *Quidam dicunt, quod miſsio principalius ſignificat quod notionale eſt, alij autem dicunt, quod principalius ſignificat quod eſſentiale eſt, & hoc videtur verius, quia miſsio non ponit de ſe exitum miſsi à mittente ſecundum ſe, ſicut patet de ſervo miſſo à Domino, ſed importat ſolum quantum ad aliquem effectum authoritatem mittentis reſpectu miſsi, ſed quia in divinis non poteſt authoritas eſſe in mittente, niſi quatenus miſſus procedit ab eo, ideo ex conſequenti ſignificat, quod notionale eſt.* Quibus expreſſe excludit proceſsionem, vel originem æternam ab his, quæ eſſentialiter conſtituunt miſsionẽ; & tantum dicit connotari à miſsione tanquam aliquod præambulum, ſine quo non erit authoritas ex parte mittentis. Verũ licet vtrũque ſit probabile, iudicaverim hoc ſecundum probabilius, & conformius his, quæ docuimus in §. 1. huius quæſtionis, & præcipue, quia iuxta iſtum modum dicendi, cum maiori rigore ſalvatur litera D. Th. videlicet, quod miſsio divinæ perſonæ ſolum dicitur temporaliter; ſiquidem nullo modo admittitur, hanc poſſe concedi, *miſſio eſt æterna*, quod non ita contingit in alio modo dicendi, in quo illam pro materiali eſſe æternam admittitur. Et hæc de toto tractatu Sanctiſsimæ Trinitatis dicta ſufficiant ad laudẽ ipſius Sanctiſsimæ Triados, Beatæ Virginis, Sanctorumque Dominici, & Thomæ.

TRAC.

TRACTATVS
DECIMVS QVINTVS
DE CREATIONE.

QVÆSTIO I.

De Creatione quoad an eſt, & quoad quid eſt.

POST Conſiderationem diuinarum perſonarum, conſiderandum reſtat, de proceſsione creaturarum à Deo, quam dicimus creationem.

§. I.

Vtrùm ſit de fide Deum hunc mundum viſibilem creaſſe producendo illum ex nihilo?

533 LOQVIMVR De creatione ſtrictè dicta, quã eſſe productionẽ entis ex nihilo conuincit D.Thom. hic quæſt.45. artic. 1. ex eo, quod non ſolùm oportet conſiderare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari agente, ſed etiam emanationem totius entis ab aliqua cauſa vniuerſali, quam emanationem dicimus ſtrictè creationem. Quod enim procedit ſecũdum emanationem particularem non præſupponitur emanationi: ſicut ſi generatur homo, non fuit prius homo, ſed homo fit ex non homine, & album ex non albo: vnde ſi cõſideretur emanatio totius entis vniuerſalis à primo principio, impoſsibile eſt, quod aliquid ens præſupponatur huic emanationi; idem eſt nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis eſt ex non homine, ita creatio, quæ eſt emanatio totius eſſe, eſt ex nõ ente, quod eſt nihil. Quo præſuppoſito ad quæſitũ venientes aduertimus, turpiter circa creationem erraſſe antiquos Philoſophos habentes pro indubitato principio, quod ex nihilo nihil fit. Ex quo in varios errores deuenerunt, qui legi poſſunt apud Ioannem à Sanct. Thom. & alios commentatores. Errarunt etiam turpiter antiquiſsimi Hæretici, vt Simon Magus, & Menander eius diſcipulus, quos ſecuti ſunt Baſilides, Saturninus, Carpocrates, Cherintus, & Gnoſtici, qui dixerunt viſibilem mundũ ab Angelis creatum fuiſſe, nõ à Deo ipſo. Poſt hos errarunt Cerdõ, Marcion, Apelles, & alij, qui duos ponebant Deos, ſeu ſumma principia, alterum bonum, & alterum malum, & hunc faciebant corporeum, ſeu mundi viſibilis conditorem. In quem etiã errorem deuenere Manichæi, qui malum Deum viſibilium

Digitized by Google

creatorem conſtituerunt, quorum errorem damnavit Conſilium Bracarenſe primum per plures Canones; vnde iam fere extinctum poſtmodum ſuſcitarunt Albanenſes, ſeu Albigenſes, contra quos infatigabili ſtudio depugnavit S. P. N. Dominicus in partibus Toloſæ. Et in Concilio Lateranenſi coram Innocentio Tertio, vt refert S. Antoninus 3. part. hiſt. titulo 19. cap. 1. In Italia autem hic error valde propagatus eſt, contra quem valide decertavit inclitus, ac Glorioſiſsimus Pugil S. Petrus à Verona, & proprio devicit ſanguine. Denique Origenes vt refert Sanct. Thomas opuſcul. 13. & in præſenti quæſt. 47 art. 2. poſuit Deum primo creaſſe creaturas ſpirituales, eoſque æquales, deinde ob peccata quorundam fabricaſſe mundum viſibilem, & corporeum, cuius creaturis alligavit ſpirituales peccantes, & hac occaſione quaſi in pœnam peccati mundum hunc viſibilem fuiſſe creatum.

534 Contra hos ergo errores ſit Catholica Concluſio. De fide eſt, Deum hunc mundum inviſibilem creaſſe, illum producendo ex nihilo. Veritas hæc habetur definita in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio 3. in cap. firmiter, vbi definitur, quod *Deus eſt creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Conſtat etiam hæc veritas ex illo Machabæorum primo, cap. 7. *Precor nate vt aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas, quod ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Conſtat etiam hæc veritas ex illis locis ſcripturæ, in quibus habetur expreſſum Deum feciſſe omnia, vti ſunt illud Ioann. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Et ad Coloſſenſ. 1. *Quoniam in ipſo condita ſunt vniverſa in cœlo, & in terra, viſibilia, & inviſibilia; & omnia in ipſo conſtant.* Et Iſaia 44. *Ego Dominus faciens omnia extendens cœlos ſolus, ſtabiliens cœlos, & nullus mecum*, ſi enim Deus omnia fecit ergo aliquid produxit ex nihilo, neque enim omnia facere potuit, niſi ſaltim materiam primam, ex qua viſibilia conſtant ex nihilo produxerit, eſt enim primum ſubiectum totius entis: vnde ex alio ente præſuppoſito fieri non potuit: debuit ergo fieri à Deo ex nihilo.

Ratione hoc ipſum probat Angelicus hic, articul. 2. dicens, quicumque facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit præſupponitur actioni eius, & non producitur per ipſam actionem: ſicut artifex operatur ex rebus naturalibus, vt ex ligno, & ex ære, quæ per artis actionem non cauſantur, ſed cauſantur per actionem naturæ, ſed & ipſa natura cauſat res naturales quantum ad formam, ſed præſupponit materiam; ſi ergo Deus non ageret niſi ex aliquo præſuppoſito, ſequeretur quod illud præſuppoſitum non eſſet cauſatum à Deo: oſtenſum eſt autem, quod nihil poteſt eſſe in entibus, quod non ſit à Deo, qui eſt cauſa vniverſalis totius eſſe: ergo neceſſe eſt dicere, quod ex nihilo res ipſe produxit, oſtenderat autem D. Thom. quod nihil poteſt eſſe in entibus, quod à Deo non ſit ex eo, quod ſolus Deus, cum ſit ens per eſſentiam, debet eſſe ens à ſe, & ſic eſt neceſſe, quod omnia alia ab ipſo habeant eſſe per participationem; nam omne id, quod per participationem eſt tale, oportet cauſari ab eo, quod eſſentialiter eſt tale; cum ergo omnia extra Deum ſint per participationem entia, & ille ſolus ſit per eſſentiam ens, eſt neceſſe, quod omnia cauſentur à Deo.

§. II.

Solvuntur obiectiones:

535 INSTABIS Primo contra hanc rationem, non eſt verum quod omne id, quod eſt tale per participationem debet cauſari ab eo, quod eſſentialiter eſt tale; ignis enim eſſentialiter eſt ignis, nec tamen ſequitur, quod omne ignitum, quod eſt ignis per participationem debeat cauſari ab igne, cum poſsit cauſari à ſole, vel per antiperiſtaſim, vel ex colliſione duorum lapidum ſine igne. Deinde, homo eſſentialiter eſt animal, non tamen omne animatum cauſatur ab homine, Angelus etiam eſſentialiter eſt intellectivus, non tamen cauſat omne aliud à ſe intellectivum, cum non cauſet animam rationalem, quæ participative Intellectiva eſt. Quod ſi dicatur, quod etiam iſta ſunt eſſentialiter talia, & nō per participationem, vnde de illis non poteſt probari, quod cauſentur: In contra eſt, nam, etiam creaturæ omnes ſunt

ſunt eſſentialiter entia, & ſuam quidditatem habent in ratione entis, & ſubſtãtiæ: ergo etiam non inferretur, quod etiã ſecundum ſuam quidditatẽ cauſentur à Deo.

Pro ſolutione huius inſtantiæ debemus advertere, quòd, dum dicimus Deum eſſe ens per eſſentiam, nolumus ſolum dicere, quod ratio entis ſit de eſſentia Dei, id eſt, ſit prædicatum eſſentiale eius; hoc enim etiam convenientibus per participationẽ, quæ etiam eſſentialiter ſunt entia; eſt enim ens prout dicit eſſentiam prædicatũ eſſentiale omnis entis, ſicut & ipſa eſſentia prædicatum eſſentiale eſt, ſed volumus dicere, quod Deus ſit ſuum eſſe ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, ad quam eſſendi plenitudinem nullum ens creabile poteſt pervenire, cum finitum, & limitatum ſit. Vnde neceſſe eſt, quod ex plenitudine divinæ entitatis partem capiat, & ſic etiam in eo, quod de eius eſſentia eſt ens, participatum à Deo ſit; quod enim ad plenitudinem alicuius non pervenit adæquate, ſolũ partẽ illius capere dicitur: vnde cum nullum creatum ad Dei plenitudinem pervenire adæquate poſsit, neceſſe eſt, quod illius tantũ partem capiat, & ſic ſit ens per participationem. Ex his ad inſtantiam, nego Antec. ad prob. dico, quod omne ignitum eſt ab igne, vel tali formaliter, vel tali eminenter virtualiter, nempe à ſole, qui ignis eminenter eſt, & effectum, quem dat ignis effectivè producere valet, vel etiã à cœlo vt contingit in colliſione duorum lapidum, qui ex virtute corporis cœleſtis, quod etiam eminenter eſt ignis, ignem producere poſſunt. Cum enim ignis, eſto eſſentialiter ignis ſit, non tamen ſubſiſtat in ipſa plenitudine igniendi, datur locus, vt aliæ ſuperiores creaturæ illius naturã eminenter contineant, & illius effectus præſtare poſsint, & ſic ignitum poteſt participari ab igne, à ſole, cœlo, &c. Deus autẽ eſt ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, & ſic ipſe eſt ſolus per eſſentiam ens: vnde eſt neceſſe, quod ab illo omnia alia eſſe participent.

Ad aliud exemplum de homine, & Angelo dico, quod homo eſt animatus eſſentialiter, ad hunc ſolũ ſenſum, quod eſſe animatũ eſt prædicatũ eſſentiale eius, non tamen ſubſiſtit in ipſa plenitudine eſſe animati, ſed particulatim, & limitate ipſum gradũ animationis participat: ſimiliter Angelus eſt ex natura ſua intellectivus, non tamen ſubſiſtit in ipſa plenitudine intellectualitatis, ſed eam limitate, & finite continet: vnde non eſt neceſſe, quod omnia alia animata ab homine participent ſuum eſſe animatum, vel ab Angelo participent ſuum eſſe intellectualitatis.

536 Inſtabis ſecundo, ex hoc quod maxime ens ſit cauſa omnis entitatis, non bene infertur, Deum, qui eſt maxime ens, aliquid produxiſſe ex nihilo: ergo ratio D. Thom. id non convincit. Prob. Antec. fatetur Ariſt. in 2. Metaph. text. 4. quod id, quod eſt maxime ens, & maxime verum eſt cauſa omnis entis, & omnis veri; & tamen negavit aliquid poſſe ex nihilo produci, imò apud ipſum fuit certum illud vulgatum, *ex nihilo nihil fit*: ergo ex hoc, quod maxime ens ſit cauſa omnis entis, non bene infertur, Deum, qui eſt maxime ens, aliquid produxiſſe ex nihilo.

Ad hoc nego Ant. ad prob. diſt. Maj. affirmat quod maxime ens ſit cauſa omnis entis, cauſa per veram tranſmutationem, conc. Min. affirmat eſſe cauſam per vniverſalem emanationem, nego Maj. & conc. Min. nego Conſ. Itaque Ariſt. poſuit duplex primũ principiũ increatum, alterũ activum, alterum paſsivum; & dixit, quod omne ens participatum erat ab illo primo activo per tranſmutationem primi paſsivi, quod erat materia prima; & hac de cauſa, non cognovit ex nihilo aliquid poſſe produci. Inſuper Ariſtotel. non cognovit vnum maxime ens, ſic, quod ſubſiſteret in ipſa plenitudine eſſendi, & ſic poſuit materiam primam increatam, & nequaquam participantem de plenitudine illius primi activi: vnde non potuit invenire productionem ex nihilo: nos autem, qui Deum agnoſcimus, ſic eſſe maxime ens, quod ſubſiſtat in ipſa plenitudine eſſendi, ponimus conſequenter, quod quidquid extra Deum eſt, quocumque modo ſit, ex illa Dei plenitudine derivatur, & ſic ponimus ipſam materiã à Deo factam. Vnde conſideramus vniverſalem emanationem entis creati à Deo, per eſſentiam ente; & ſic ex hoc, quod maxime ens, ſit cauſa omnis entis, aptiſsime inferimus, Deũ ex nihilo aliquid produxiſſe. Colligo hanc doctrinam ex Div. Thoma de pot. quæſt. 3. artic. 1. ibi: *Dicendum, quod ex nihilo nihil fieri, Philoſophus dicit eſſe communem animi conceptionem, vel opinionem naturalium. Quia agens naturale, quod ab eis conſideratur, non agit niſi per motum: vnde oportet eſſe aliquod ſubiectum motus, vel mutationis, quod*

quod (inquit D. Thom.) *in agente ſupernaturali non oportet.* Ex quibus colligo, quod iſti non dicebant, Deum eſſe maximum ens, quomodo nos dicimus, ſed eſſe maxime ens naturale, & ſic non poſſe agere niſi tranſmutando aliquod ſubiectum: vnde ad omnē eius actionē requirebant aliquid præſupponi: nos autē non philoſophamur ſic, ſed Deum agnoſcimus vniverſaliſsimū agens, vtpote de quo dicimus eſſe vniverſaliſsimum ens ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, ac per conſequens non indigens agere per tranſmutationem: vnde cognoſcimus conſequenter ab ipſo aliquid fuiſſe productū ex nullo præſuppoſito ſubiecto, id eſt, ex nihilo.

§. III.

Vtrùm ratione naturali poſsit oſtendi Deum poſſe creare producendo aliquid ex nihilo?

537 QVÆSITO Reſpondeo affirmative. Et probo adducendo rationē D. Th. ex quæſt. 3. de pot. art. 1. quæ ſic habet: *Omne agens agit ſecundum quod eſt actu: vnde oportet, quod per illum modum actio alicui agenti attribuitur, quo convenit ei eſſe in actu. Res autem particularis eſt particulariter in actu. Et hoc dupliciter, primo ex comparatione ſui, quia non tota ſubſtantia eſt actus, cū huiuſmodi res ſint compoſita ex materia, & forma, & inde eſt, quod res naturalis non agit ſecundum ſe totam, ſed agit per formam ſuam, per quam eſt in actu; ſecundo, in comparatione ad ea, quæ ſunt in actu; nam in nulla re naturali includuntur actus, & perfectiones omnium eorum, quæ ſunt in actu, ſed qualibet illarum habet eſſe determinatum ad vnum genus, & ad vnam ſpeciem; & inde eſt, quod nulla earum eſt activa entis ſecundum quod eſt ens, ſed ſecundum quod eſt hoc ens determinatum in hac, vel illa ſpecie: nam agens agit ſibi ſimile, & ideo agens naturale non producit ſimpliciter ens, ſed ens præexiſtens, & determinatum ad hoc, vel ad illud, vt puta ad ſpeciem ignis, vel aliquid huiuſmodi, & propter hoc agens naturale agit movendo: & ideo requirit materiam, quæ ſit ſubiectum mutationis, vel motus; & propter hoc non poteſt aliquid ex nihilo facere. Ipſe autem Deus è contrario eſt totaliter actus, & in comparatione ſui, quia eſt purus actus, non habens potentiā permixtam, & in comparatione rerum, quæ ſunt in actu, quia in eo eſt omnium rerum origo: vnde per ſuam actionem producit omne ens ſubſiſtens nullo præſuppoſito ſubiecto, vtpote, qui eſt omnium entium principium, & ſecundum ſe totum; & propter hoc ex nihilo aliquid facere poteſt, & hæc eius actio vocatur creatio.* Hæc D. Thom. Itaque ex quo Deus eſt purus actus, nullatenus potentiæ ſive phyſicæ, ſive metaphyſicæ permixtus, ex hoc habet præcontinere totum id, quod rationem entis habet in creatura, & ex hoc habet ens in quantum ens cauſare, & ſic poteſt ex nihilo producere: alia autem agentia, vel habent actum informantem materiam phyſicam, & ſic non ſunt purus actus phyſicus, vel habent actum per mixtum potentiæ metaphyſicę, vt ſunt actus formæ Angelicæ, quam potentialitatis mixturam à ſe non valent excludere, dum entia limitata ſunt ad ſuum genus, & ad vnam ſpeciem: vnde de effectibus ſuis non valent præcontinere totum, quod in illis ad lineam entis ſpectat, ſed tantum id, per quod hoc ens, vel illud ens in particulari dicitur, vnde ad hoc, quod eſt cauſare ens in quantum ens, vel totam rationem entis, pervenire non poſſunt, & ſic ex nihilo nihil valent producere. Hæc ratio efficaciſsima eſt, aliquas tamen difficultates patitur, quas ſuperare debemus pro poſſe noſtro.

§. IV.

Proponuntur, & ſolvuntur difficultates, quæ militant contra hanc rationem.

538 PRIMA Difficultas eſt. Nā, ex quo Deus ponitur purus actus nullo modo materiæ permixtus non poteſt intelligi, quod cauſet totum, quod in ente potentiali invenitur; ergo. Prob. Antec. agens debet aſsimilare effectum in forma, per quam agit; ſed ſi Deus ponitur purus actus, nequit ſibi aſsimilare ens materiale in omni eo, ex quo conſtat: ergo. Prob. Min. nam ens materiale conſtat ex materia, quæ ex pura potentia; hæc autē Deo in eo, in quo purus actus eſt, non aſsimilatur, neque poteſt aſsimilari; igitur ſi Deus ponitur purus actus, nullo modo materiæ per mixtus, non poterit ſibi aſsimilare ens materiale in omni eo, ex quo conſtat. Secunda difficultas eſt, nam ex hoc quod Deus cauſet ens in quantum ens, non ſequitur, quod cauſet omnia, quæ ſunt

ſunt de eſſentia entis: ergo non ſequitur, quod poſsit ex nihilo producere. Prob. Ant. ex quo Petrus ponitur cauſare Paulum in quantũ homo eſt, non ſequitur, quod cauſet in Paulo omnia ea, quæ ſunt de eſſentia Pauli, nam Paulus in quantũ homo conſtat ex materia, & forma rationali, & tamen Petrus neque materiam, neque animam rationalem in Paulo cauſare poteſt: ergo ex hoc quod Deus cauſat effectus ſuos in quantum entis ſunt, non ſequitur, quod cauſet omnia ea, quæ ſunt de eſſentia entis.

Tertia difficultas eſt, nam facilius percipi poteſt, quod agens cõſtans ex materia, & forma poſsit producere effectum ex materia, & forma conſtantem, quã quod purus actus nulli potentiæ impermixtus poſsit effectum conſtantem ex materiã, & forma producere; nam primũ habet materiã, & formã, in quibus ſibi effectum aſsimilet, ſecundũ vero, tantum habet actum, & iſtum ab omni potentialitate depuratum: ergo, dum non ponitur, quod agens conſtans ex materia, & forma poſsit producere vtrumque in effectu ſuo, non debebit poni, quod agens purus actus poſsit effectum in materia, & forma ſibi aſsimilare. Confir. ſic depuratus actus purus ab omni fœce potentialitatis, ſicut divina bonitas ab omni fœce malitię depuratus; ſed ratione huius perfectiſsimæ depurationis, Deus, qui eſt ſumma bonitas, nequit efficere peccatum: ergo ratione ſimilis depurationis, Deus, qui eſt actus purus, nequibit producere materiam primam, quæ pura potentia eſt. Confir. 2. Deus nihil poteſt facere niſi volendo illud quod facit; ſed Deus nequit velle materiam primã, quæ eſt pura potentia: ergo nequit cauſari illam. Prob. Min. quia Deus neceſſario amat ſuam bonitatẽ, non poteſt velle peccatum, quod contrariatur ſuæ bonitati; ſed pura potentia directe contrariatur puro actui, nã dicitur actus purus per adęquatiſsimũ receſſum à ſuo contrario, quod eſt pura potentia: igitur, quia Deus neceſſario amat ſuum puriſsimũ actum, non poterit velle materiam primam, quæ eſt pura potentia.

Nec valet dicere, eſſe diſcrimen in eo, quod puriſsimus actus eſto formaliter materia prima non ſit, virtualiter tamen materia prima eſt, & ſic poteſt velle illam ſine oppoſitione ad amorẽ, quo ſe ipſum neceſſario amat vt puriſsimũ actum: at bonitas divina neq; virtualiter peccatũ eſt, & ſic peccatũ ſine oppoſitione ad amorem, quo neceſſario Deus ſuam bonitatẽ amat, amare non poteſt. Non inquam valet, nam bonitas divina, & peccatum non magis contrariantur, quam puriſsimus actus, & puriſsima potentia; ſed ex vi contrarietatis bonitas divina adhuc virtualiter nequit eſſe peccatum: ergo ex vi æqualis contrarietatis actus purus adhuc virtualiter pura potentia non erit. Secundo, nam ſolutio petit principium; etenim actum purum eſſe virtualiter puram potentiam, ſolum eſt, poſſe efficere illam, & bonitatem divinam non eſſe virtualiter peccatum, eſt non poſſe effective cauſare illud: huius autem argumentum factum inquirit rationem, dicens; quia peccatum contrariatur divinæ bonitati, Deus non habet virtutem ad cauſandum peccatum: ergo quia pura potentia contrariatur puro actui, Deus, qui eſt purus actus non habebit virtutem ad cauſandum puram potentiam. Sicque ſolutio data petit principium.

539 Sed ad primam ex his, nego Min. ad prob. nego Min. videlicet quod pura potentia phyſica non poſsit puro actui aſsimilari. Eſt enim purus actus ipſa entis plenitudo, & pura potentia phyſica veram obtinet rationem entis, cum ens dividatur in actum, & potentiam, & ſic pura potentia phyſica poteſt de illa entis plenitudine partem accipere, & illi in ratione entis aſsimilari, quam doctrinam tradit Angelicus de potent. quæſt. 3. articul. 1. ad 13 ibi: *Dicendum, quod materia prima habet ſimilitudinem cum Deo in quantum participat de ente, ſicut enim lapis eſt ſimilis Deo in quantum eſt ens, non vero in quantum eſt intellectualis: ita materia prima habet ſimilitudinem cum Deo in quantum ens, non in quantum eſt ens actu, nam ens commune eſt quodammodo potentia, & actui.* Sic D.Thom.

Sed inſtas, quod tantum Deo aſsimilatur in ratione entis, & non in ratione peculiari entis, tantum poteſt cauſari à Deo in quantum ens, non vero ſub ratione peculiaris entis; ſi ſub illa ei non aſsimiletur: ergo ſi materia prima non aſsimilatur Deo ex quo pure potentia eſt, ſed tantum ex quo eſt ens, non poterit à Deo ſub ratione peculiari potentiæ cauſari. Prob. Antec. exemplo peccati: eſto enim peccatum aſsimilatur Deo in quantum ens, quia tamen ſecundum rationẽ ſpecificam peccati Deo non aſsimilatur, cauſatur in quantum

Digitized by Google

ens, & in quantum actus, ſub ratione tamẽ peccati non cauſatur: ergo cum pura potẽtia ſolum in prædicato entis non aſsimiletur, ſolum ab illo in quantum ens poterit cauſari.

Ad hoc nego Ant. etenim inter Deũ, & corpus ſolum habetur ſimilitudo in ratione entis ſubſtantialis, & tamen ſecundum differentiam corporis cauſatur à Deo; ſimiliter lapis ſecundum peculiarem rationem Deo non aſsimilatur, & tamen ſecundum illam à Deo cauſatur, etenim inter effectum cauſæ æquivocæ, & ipſam cauſam æquivocam non requiritur convenientia, & ſimilitudo ſecundum propria cauſæ, & peculiarem rationem effectus: calor enim non aſsimilatur ſoli, quia ſol formaliter calidus non eſt, & tamen ſol vere cauſat calorem. Ad prob. Antecedentis, quæ deſumitur ex peccato, dico, quod peccatum eſt quoddam bonum eſſentialiter coniunctum cum defectu morali, vnde ex quo eſt bonum, à Deo cauſatur, quia ſub ente continetur, & in ratione entis Deo aſsimilatur, ex quo autem dicit defectum ſub ente peccatum non continetur, nec Deo aſsimilatur, & ſic, ex illo capite à Deo cauſari nequit; at pura potentia phyſica ſecundum vltimam ſui differentiam eſt ens, & ipſa proprie eſt differentia entis, & ſic, cum in ratione entis Deo aſsimiletur poteſt ſecundum propriam differentiã à Deo cauſari.

Dices, ſi materia prima non eſſet Deo aſsimilata ſub ratione entis, ſub nulla ratione à Deo cauſaretur: ergo, ſi in ipſa ratione peculiari puræ potentiæ Deo non aſsimilatur, non poteſt à Deo ſecundum propriam differentiam cauſari. Ad hoc nego Conſeq. etenim, ſi non aſsimilaretur in ratione entis Deo, eſſet extra rationem adæquatam obiecti formalis divinæ cauſalitatis, quod eſt ens; ſicut & Angelus, quia coloratus non eſt, extra rationem formalem adæquatam potentiæ viſivæ eſt: vnde ſicut propter hoc Angelus videri nequit; ita nec pura potentia, ſi ens non eſſet, cauſari à Deo poſſet. Eſtò autem ratio differentialis rationis ſui Deo non aſsimiletur, quia tamen eſt ens, ratione entis aſsimilatur ſaltim, vt *quod*, licet non vt *quo*. Itaque, ſicut experimur, quod murus ex quo colore veſtitur, & luce perfunditur, vt *quod* videtur, ita ex quo ipſa ratio differentialis puræ potentiæ ens eſt, ratione obiecti cauſabilis à Deo veſtitur, & vt *quod* ratione entitatis cauſatur.

540 Ad ſecundam difficultatem, nego Antec. ad prob. nego Conſeq. Etenim ens tranſcendit omnia, quæ de eius eſſentia ſunt, ſic quod de omnibus, & ſingulis ipſa ratio entis prædicatur; & ſic tunc aliquid cauſari poteſt in quantum ens, quando omnia, de quibus ipſa ratio entis prædicatur, cauſantur: at homo non tranſcendit ea, quæ phyſicè ipſum componunt; neque enim materia eſt homo, neque forma eſt homo: vnde ad cauſandum Paulum in quantum homo ſufficit cauſare conſtans ex materia, & forma rationali, hoc autem ſtat benè, ſi totum ex illis reſultans cauſetur, etiam ſi partes non cauſentur, & ſic ſtat bene, cauſare hominem in quantum homo, ſine eo quod partes, ex quibus eſſentialiter phyſice conſtat, non cauſentur. Aliud etiam diſcrimen aſsignari poteſt, in eo quod homo ſit ex non homine: vnde ad cauſandum hominem in quantum homo ſufficit ex parte termini *ad quem* producere hominem ſecundum quod opponitur non homini ex parte termini *à quo*; ad hoc autem non eſt neceſſe producere materiam, quia hæc eſt non homo, & ſic poteſt ſe tenere ex parte termini *à quo* præſuppoſiti ad cauſationem hominis, vt homo eſt; at ens fit ex non ente, & ſic ad cauſandum aliquid in quantum ens, oportet nullum ens præſupponere, quod eſt ex nihilo cauſare.

541 Ad tertiam difficultatem, nego Antec. ad prob. dico, quod agens conſtans ex materia, & forma ſolum agit ratione formæ, & ſic ſolum ſibi aſsimilare poteſt effectum in forma, forma autem cum limitatus actus ſit non præcontinet omnia, quæ ſunt de eſſentia compoſiti ex materia, & forma: vnde tantum poteſt aſsimilare in forma ſpeciei, non autem in materia: agens vero, quod puriſsimus actus eſt, virtualiter præcontinet materiam, & formam, nam hæ ſunt participationes entis, in cuius plenitudine ſubſiſtit puriſsimus actus; & ſic facilius percipitur puriſsimũ actum cauſare materiam, & formam, quam percipiatur eam cauſare materiale agens. Ad primam Confir. nego Mai. magis enim depuratur à fæce peccati divina bonitas, quam actus purus depuretur à fæce puræ potentialitatis, quia peccatũ, prout dicit defectũ, non eſt ens,

Digitized by Google

ens, neque bonum; & ſic in nullo prædicato habet convenientiam cum divina bonitate, quæ eſt ipſa plenitudo entis, & plenitudo bonitatis. Pura autem potentia, cum veram rationẽ entis habeat, cũ puro actu aliqualẽ convenientiam habet, & aliquo modo ei aſsimilatur; vnde magis diſtat bonitas divina à peccato, quam diſtet purus actus à pura potentia phyſica.

Inſtabis adæquata de puratio ab aliquo contrario non ſuſcipit magis, & minus; ſed actus puriſsimus Dei adæquate de puratur à potentialitate, ſicut & divina bonitas à ratione peccati: ergo non magis hæc de puratur à peccato, quam illa de puretur à potentialitate. Ad hoc, nego Min. Etenim actus puriſsimus adæquate de puratur à potentialitate, ex quo contrariatur illi; non tamen ex quo habet convenientiam cum illa: ab ipſa autem ratione peccati, ſic de puratur bonitas divina, quod cum illa ſub nulla ratione retineat convenientiam, cum etiam diſtet ab illa in ipſa ratione entis, quia prout ſic peccatum non eſt ens, ſed defectus entis. Itaque purus actus de puratur à potentialitate, ſicut vnum contrarium ab altero contrario, inter quæ tamen manet convenientia in aliquo prædicato; nam contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maxime diſtant, & ſic eſt neceſſe, quod in genere conveniant, ſic purus actus, & pura potentia maxime diſtant; ſed intra rationem entis, cum vtrumque ſit ens, oportet quod convenientiam retineant in ratione entis. Bonitas autem divina, & defectus peccati non diſtant, ſicut duo contraria; ſed ſicut lux, & privatio lucis: vnde ſic diſtant, quod in nullo conveniant.

Ad ſecundam Confirm. nego Min. ad prob. diſt. Mai. quia Deus neceſſario amat ſuam bonitatem, non poteſt velle peccatum, quia contrariatur ſummæ bonitati, quia cõtrariatur vtcumque, nego Mai. quia contrariatur ſic, quod in nullo ſui prædicato conveniat cũ ſumma bonitate, conc. Mai. & diſt. Min. pura potentia directe contrariatur puro actui, ſic quod neque in ratione entis; & boni aſsimiletur ei, nego Min. ſic quod in ratione explicita potentiæ ei contrariatur, conc. Min. & nego Conſeq. Nam etto pura potentia, ex quo hoc explicat, puro actui contrarietur, tamen, quia eſſe puram potentiam eſt eſſe quoddam ens, & quoddam bonum ſaltim imperfectum, ratione horum à Deo amari poteſt: omnis enim formalitas, quæ intrinſice participat rationem *ſub qua* divinæ voluntatis, poteſt *vt quod* amari à divina voluntate: cum ergo ratio illa potentiæ puræ ſit quoddam bonum, intrinſice participat rationẽ *ſub qua* divinæ voluntatis, & ſic poteſt amari à divina voluntate.

§. V.

Solvuntur Argumenta probantia impoſsibilitatem creationis.

542 PRIMO Arguitur. Omne, quod fit, antequã eſſet, poſſibile erat eſſe, ſi enim erat impoſsibile eſſe, non erat poſsibile fieri; ſed potentia, qua aliquid poteſt eſſe, non poteſt eſſe niſi in aliquo ſubiecto, niſi ipſamet ſit ſubiectum, nam accidens ſine ſubiecto eſſe non poteſt: ergo omne, quod fit, fit ex materia, & ſubiecto: ergo ex nihilo impoſsibile eſt aliquid fieri. Confirm. infinitam diſtantiam non contingit pertranſiri; ſed non entis ſimpliciter ad ens, eſt infinita diſtãtia: ergo impoſsibile eſt, quòd aliquid tranſeat de nõ ente ſimpliciter ad ens. Prob. Min. quanto potentia eſt minus diſpoſita, tanto magis ab actu diſtat: ergo ſi omnino potentia ſubtrahatur, erit ad actũ infinita diſtantia.

Ad hoc argumentum diſt. Mai. omne, quod fit, ante quam fiat, poſsibile erat eſſe, per aliquam potentiam paſsivam phyſicam, nego Mai. per potentiam activam Dei, & non repugnantiam terminorum ex parte factibilis, conc. Mai. & diſt. Min. ſi ſit potentia phyſica, conc. Min. ſi tantum ſit potentia per non repugnantiam terminorum, nego Min. & nego Conſeq. Itaque poſsibile dicitur dupliciter, vel quia adeſt in rerum natura potentia phyſica, ex qua fiat, ſicut antequam generetur homo in materia diſpoſita ad illius generationẽ adeſt phyſica potentia materiæ primæ ad hominem, ratione cuius dicitur homo in potentia phyſica ad eſſe hominem; vel poſſibile dicitur, quia non repugnat in terminis, & quia adeſt in Deo potentia activa ad efficiendum illud, & illo modo antequam mundus fieret, poſsibile erat mundum eſſe: vnde non requirebatur exiſtentia alicuius potentiæ paſsivæ, in qua mundus phyſice contineretur.

Sed inſtas, omne ens materiale de facto præcontinetur in materia prima, & non

ſimpliciter infinitum; ac à termino ſimpliciter infinito ad terminum finitum: ergo. Confir. ſicut non eſt adquiſibilis per factionem terminus ſimpliciter infinitus, qui eſt ens ſimpliciter infinitũ, ita nõ eſt derelinquibilis terminus ſimpliciter infinitus, qui eſt non ens ſimpliciter: ergo ſicut per actionẽ ex termino finito non poſſumus venire ad infinitum, ita per factionem ex termino ſimpliciter infinito, qualis eſt non ens ſimpliciter, non poterimus tranſire ad terminũ finitum, nempe ens.

Ad hoc, nego Conſ. ad prob. nego Ant. Etenim terminus finitus *à quo*, qualis eſt ens finitum, ſic infinite diſtat ab infinito, quod inter vtrumque extremum adſint infinita media pertranſibilia, & ſic à finito ad infinitum non poteſt fieri tranſitus; at vero inter terminum infinitum *à quo*, qualis eſt non ens, non eſt ſic infinita diſtãtia, quod adſint infinita intermedia, imò neque eſt diſtantia proprie loquendo, qui hęc requirit terminos poſitivos, ſed eſt, tantũ reſpectu agentis finiti non præcontinentis omnia, quæ ſunt de eſſentia entis creabilis.

Itaque hanc impoſsibilitatem, quam habent omnia agentia creata, & creabilia ad producendum ens ex non ente vocamus diſtantiam infinitam inter non eſſe, & ens, quia nequit eſſe creatum agens, quod illam poſsit vincere: vnde Deus cum agens infinitum ſit præcontinens in ſe ipſam plenitudinem entis, hanc difficultatem vel impoſsibilitatem reſpectivam ad agens creatum, non habet, ſed poteſt ex ſe derivare totum ens, ſi finitum ſit. Ad Confirm. neg. Ant. ad derelinquendum enim non ens ſufficit producere ens ex nullo præſuppoſito producto per aliam actionem, quæ derelictio facilis eſt ipſi Deo, qui præcontinet omnem plenitudinem entis, fieri autem ens ſimpliciter infinitũ ex terminis implicat, cum de eius conceptu ſit; quod à ſe ſit.

544 Secundo arguitur. Philoſophus dixit in lib. 1. de generatione, quod *omni fariam diſsimile non agit in omni fariam diſsimile*, oportet enim, quod agens, & patiens cõveniant in genere, & materia, ſed non ens ſimpliciter, & Deus ſunt omni fariam diſſimilia, ſiquidem in nullo conveniunt: ergo Deus non poteſt agere in non ens ſimpliciter, & ſic non poterit facere aliquid ex nihilo. Ad hoc conc. prima Conſeq. & nego ſecundam. Nam ad faciendum aliquid ex nihilo non eſt neceſſe agere in nihilum, ens enim non fit ex tranſmutatione nihili, neque enim ſe habet vt patiens nihil, ſed tantum ſe habet vt terminus oppoſitus ad id, quod fit per actionem; ſicut privatio hominis, ex qua fit homo, quæ non tranſmutatur, ſed tantum relinquitur vt terminus oppoſitus homini, qui fit ex non homine: Vnde non eſt neceſſe ad hoc vt ex nihilo fiat aliquid, quod Deus agat in nihilum, ſed ſolum requiritur, quod nihilo relicto aliquid faciat. Vnde argumentũ peccat in eo, quod fundatur in falſa exiſtimatione, videlicet, in eo quod, dum aliquid fit ex nihilo, imaginatur fieri ex nihilo tanquam ex aliqua materia, cum potius res è contra ſe habeat, nam fieri ex nihilo idem eſt, ac ex nulla materia fieri.

Sed inſtabis, ſi ly *ex nihilo* non deſignat materiam, ex qua res fiat, non poteſt verificari rem fieri ex nihilo: ergo ſolutio nulla. Prob. Antec. nam rem fieri ex nihilo, vel denotat cauſam materialem, vel denotat ordinem, qui ſit inter non ens, & ens; non denotat hoc ſecundum, quia inter non ens, & ens nullus eſt ordo, vt inquit Boetius: igitur ſi non denotat cauſam materialem, non poterit verificari, quod aliquid fiat ex nihilo. Ad hoc nego Antec. ad prob. nego Ant. nam, licet de facto prima creatio facta ſit ex nihilo, id eſt, poſtquam præceſsit nihilum; ſicut ex mane fit meridies; quod eſt fieri ſecundum ordinem inter non ens, & ens; tamen hoc non eſt neceſſe, quia ſi Deus produceret ab æterno aliquid per creationem, tunc produceret ex nihilo, nõ tamen poſt nihilum. Præter illos ergo duos modos fiendi ex nihilo reſtat alius, quo ſignificatur, quod aliquid fit, ſed ex nulla materia fit, quæ præ extiterit ad eius factionẽ: ſicut ſolemus dicere, quod aliquis triſtatur ex nihilo.

545 Tertio arguitur, quod ex nihilo factum eſt, habet eſſe poſt non eſſe; eſt ergo conſiderare aliquod inſtans, in quo vltimo non eſt, in quo non eſſe deſinit, & aliquod in quo primo eſt, ex quo eſſe incipit; aut ergo eſt vnum & idem inſtans aut ſunt diverſa: ſi idem, ſequitur non eſſe rei, & eſſe rei eſſe in eodem inſtanti, quod implicat; ſi diverſa, cum inter duo inſtantia mediet tempus, ſequitur, aliquid eſſe medium inter affirmationem, & negationẽ, quod eſt impoſsibile, nam impoſsibile eſt dari tempus, in quo de re neque verificetur, quod non ſit, neque quod ſit: non ergo eſt poſsibilis productio rei ex nihilo. Confirm.

fit. quod factum eſt, neceſſe eſt aliquando fieri, & quod creatur aliquando creari; aut ergo ſimul fit, & factum eſt, quod creatur, aut non ſimul; ſed non poteſt dici quod nõ ſimul, quia creatura non eſt; ante quam facta ſit: ergo debet dici, quod ſimul fit, & factum eſt; hoc autem eſt impoſsibile, quia quod factum eſt, in permanẽtibus eſt, quod autem fit, non eſt: ergo impoſsibile eſt aliquid creari ex nihilo.

Ad hoc argumentuum reſp. D. Th. de pot. quæſt. 3. ar. 1. ad 10. ſic: *Dicendum, quod cum fit aliquid ex nihilo, eſſe quidem eius, quod fit, eſt primo in aliquo inſtanti, non eſſe autem non eſt in illo inſtanti, nec in aliquo reali, ſed in aliquo imaginario tantum: ſicut enim extra univerſum non eſt aliqua dimenſio realis, ſed imaginaria tantum, ſecundum quam poſsimus dicere, quod Deus poteſt facere aliquid extra univerſum tantum, vel tantum diſtans ab univerſo, ita ante principium mundi non fuit aliquod tempus reale, ſed imaginarium, & in illo poſsibile eſt imaginari aliquod inſtans; in quo ultimo fuit non ens, nec oportet, quod inter iſta duo inſtantia ſit tempus medium, cum tempus verum, & imaginarium non continuentur.* Sic D. Tho. Ex quibus ad argumentum, ad mitto quod ſint diſtincta inſtantia, in quorum altero non eſſe rei deſinit, & in altero eſſe incipit; nego tamen, quod inter illa mediet tempus, quia inter inſtans, & inſtans, tunc mediat tempus, quando ſpectant inſtantia ad idem tempus, non vero quando ſpectant ad diſtincta tempora non continuata inter ſe, & quia inſtans, in quo deſinit non eſſe, ſpectat ad tempus imaginarium, & inſtans creationis ad tempus verum, quæ duo tempora non continuantur, non eſt neceſſe, quod mediet tempus inter inſtans, & inſtans.

Cæterum contra hanc doctrinam difficile militat argumentuum. Etenim iuxta hanc doctrinam videmur doceri, quod tẽpus inceperit per primum inſtans; conſequens nequit admitti, quia, cum tempus ſit diviſibile ſucceſsivum, non potuit incipere per inſtans, dicendo modo primo eſt tẽpus, & immediate ante hac non fuit, ſed debet incipere ſic, modo non eſt tempus, & immediate poſt hoc erit; ſi autem tempori aſsignatur primum inſtans, tempus in illo incepit per primum ſui eſſe: ergo doctrina data non poteſt ſuſtineri, prob. Sequela, etenim creationi aſsignatur primũ inſtans; ſed creatio facta eſt in tempore vero, & reali: igitur tempus incepit per primum inſtans. Dicebam ad hoc, quod Deus creavit cœlum, & terram in principio, id eſt in inſtanti, tempori; extrinſeco, & creationi intrinſeco; ſic, quod in primo inſtanti, dum erat verum dicere modo non eſt tempus, & immediate poſt hoc erit, erat verum dicere, modo eſt creatio cœli, & terræ, & immediate ante hac non fuit: & ſic tempus ſucceſivum incepit extrinſice modo ſuo, & creatio inſtantanea inceperit modo ſuo, nempe per primum ſui eſſe. Sed videtur nõ evacuari difficultatem propoſitam per iſta. Nam illud inſtans, in quo fuit verum dicere, modo eſt cœlum, & terra, fuit inſtans temporis noſtri, & fuit primum, ante quod ſolum præceſsit tempus imaginarium: ergo iam tempori noſtro aſsignamus primum inſtans initiativum temporis.

Ad hanc difficultatem diſt. Min. ſed creatio facta eſt in tempore vero, & reali, ſic, quod tempus fuerit menſura creationis, nego Min. ſic, quod dum incepit tempus, incepit ſimul creatio, conc. Min. & nego Conſ. Itaque, Deus ſimul creavit mundum, & fecit tempus, ſeu creatio mundi incepit per inſtans temporis diſcreti, quo menſurantur operationes ſpirituales; tempus autẽ incepit extrinſice, non intrinſice; dicendo, modo eſt tempus, & immediate ante hac non fuit: unde non ſequitur, quod ſit primum inſtans initiativum temporis. Hæc doctrina videtur eſſe D. Tho. infra quæſt. 46. art. 3. ad 1. ibi: *Dicendum, quod non dicuntur in principio temporis res eſſe creatæ, quaſi principium temporis creationis ſit menſura: ſed quia ſimul cum tempore cœlum, & terra creata ſunt.* Quibus negat tempus fuiſſe menſuram creationis. Secundo dico, quod ante tempus fuit inſtans, non intrinſecum temporis, ſed extrinſecum, nã neceſſe fuit, quod tempus inciperet ab aliquo vere inſtanti, non in quo eſſet primo tempus, ſed à quo eius inceptio regularetur, ſic, quod verificaretur in illo nunc, modo ultimo no eſt tempus, & immediate poſt hoc erit: & quando fuit verum dicere modo ultimo non eſt tempus, fuit verum dicere modo primo eſt creatio cœli, & terræ. Quæ doctrina videtur expreſſa D. Tho. loco citato ad 3. ibi: *Dicendum, quod nihil fit niſi ſecundum quod eſt, nihil autem eſt temporis niſi nunc: unde non poteſt fieri niſi ſecundum aliquod nunc, non quia in ipſo primo nunc ſit tempus, ſed quia ab eo incipit tempus.* Quibus clare docet tempus incepiſſe ab aliquo nunc, non in aliquo nunc: & ad id, quod dicitur

in contra, quod illud nunc erat inſtans tẽporis noſtri, dico, illud inſtans non fuiſſe tẽporis noſtri, quaſi quid intrinſecum, ex quo tempus noſtrum conſtaret, ſed vt extrinſecum, poſt quod inciperet. Iuxta quam ſolutionem intelligo illud vulgatum ex cap. Firmiter de ſumma Trinit. *Deus in initio temporis vtramque ex nihilo condidit creaturam*, id eſt, in illo inſtanti *à quo* tempus incæpit, non *in quo* incæpit, nam, dum fuit verũ dicere, modo eſt creatio cęli, & terræ, fuit verum dicere, modo non eſt tempus, ſed immediatè poſt hoc erit.

Ad confir. principalis argumenti, cõc. quod id, quod creatur in eodem indiviſibili inſtanti in quo fit, factum ſit, quod quidẽ commune eſt creationi, & alijs mutationibus inſtantaneis, ſimul enim aer illuminatur, & illuminatus eſt: ipſum enim factum eſſe in talibus, fieri dicitur, ſecundum quod eſt in primo inſtanti in quo factum eſt; vnde nego Min. videlicet, quod hoc ſit impoſsibile, nam in permanẽtibus non ſolum eſt id, quod factum eſt, ſed etiam id, quod fit. Etenim fieri rem ex nihilo non eſt fieri motus, qui eſt tranſitus ab vno termino in alterum, ſed eſt ſimplex effluxus rei ab agẽte in factum.

Sed inſtas, etiam in inſtantaneis ſimul ſtare non poſſunt fieri, & factum eſſe: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. fieri rei includit aliquod principium, quod repugnat facto eſſe, nam includit materiam, privationem, & formam; ad fieri enim rei hæc tria principia intrinſice requiruntur, ad factum autẽ eſſe ſolum forma, & materia requiruntur, ſiquidem privatio v. g. hominis repugnat facto eſſe hominis: igitur fieri, & factu eſſe etiam in inſtantaneis nequeunt eſſe ſimul. Ad hoc, nego Ant. ad prob. dico, quod fieri rei includit pro principio privationem, quę immediate præceſsit in inſtanti antecedenti, vel in tempore, non autem privationẽ, quæ ſimul ſit in inſtanti in quo res fit; ſiquidem res fit per hoc, quod forma informet materiam, non autem informat materiam vt compoſitam cum privatione, ſic enim privatio, & forma eſſent ſimul; informat ergo materiam, quæ immediate ante informationem erat privata forma generanda, vnde nunquam fieri rei includit privationem, quæ exiſtat ſimul cum eo in eodem inſtanti, & ſic fieri, & factum eſſe non repugnat eſſe ſimul. Neque ex hoc inferas, quod ſicut privatio eſt principium ad fieri, erit quoque principium ad factum eſſe; ſiquidem, dum vtrumque eſt ſimul, privatio immediate præceſsit ad vtrumque. Nõ (inquam) inferas, nam licet ſint ſimul, aliquam tamen habent diſtinctionem, nam res intelligitur fieri, cum primo forma intelligitur informare, ad quod immediate præcedit privatio, non vero ad factum eſſe, cuius conſideratio poſt modum ſequitur.

Vel ſecundo reſp. quod fieri rei eſt duplex; aliud eſt fieri rei, quod eſt vere motus inter duos terminos, quorum alter relinquitur pro vno inſtanti, & alter adquiritur pro alio, & ſic fieri claudit illa tria principia; vnde non eſt ſimul cum facto eſſe: alio modo ſumitur fieri rei pro ipſa ſola mutatione inſtantanea, qua forma adquiritur, & primo informat materiam, & iſto modo fieri rei non claudit intrinſice niſi materiã, & formam; id eſt, id, quod ſe tenet ex parte termini *ad quem* vt adquiſitum per mutationem inſtantaneam, & ſic fieri ſtat ſimul cum facto eſſe. Porrò in creatione fieri tantum invenitur hoc ſecundo modo, non primo: nec enim fit tranſitus poſsitivus ab vno termino ad alterum, ſed tantum fit ſimplex effluxus, & ſimplex adquiſitio rei factæ, vnde non eſt in creatione illa tria principia invenire.

§. VI.

Proponitur aliud argumentum.

546 QVARTO arguitur. Non poteſt idem eſſe principium perfectionis, & imperfectionis rerum; in rebus autem invenitur perfectio, & imperfectio, cum quædam potiores alijs ſint, quod ſtare non poteſt, niſi aliæ reſpective ad alias imperfectæ ſint; cũ ergo Deus cauſet in rebus id, quod perfectionis eſt, videtur non poſſe cauſare id, quod imperfectionis in illis eſt: requiruntur ergo duo principia, alterum ad cauſandam perfectionem, quod eſt Deus, & alterum ad cauſandam imperfectionem, quod eſt materia prima, & ſic neceſſe erit res fieri ex materia prima, & per conſequens non ex nihilo. Confir. primo omne quod eſt per accidens reducitur ad illud quod eſt per ſe; ſed ex oppoſito fit aliquid per accidens, ex ſubiecto autem per ſe, ſicut ſtatua ex infigurato per accidens fit, ex ære autem per ſe quia æri accidit eſſe in figuratum: ſi ergo aliquid fiat ex non ente, hoc erit per accidens: ergo oportebit quod fiat per ſe ex aliquo

quo ſubiecto, & ſic non fiet ex nihilo. Cõfir. ſecundo ei, quod fit, faciens dat eſſe; ſi ergo Deus facit aliquid ex nihilo: ergo nihilum conſtituitur in eſſe per illam actionem, & ſic non fiet aliquid, ſed nihil. Si autẽ eſt aliquid recipiens eſſe, hoc erit aliud ab eo, quod eſt Deus, quia non eſt idem recipiens, & receptum: ergo Deus facit ex aliquo præexiſtenti, & non ex nihilo.

Ad hoc argumentuum reſp. D.Tho. quod: *Non oportet, ſi duarum creaturarum alia dignior ſit, quod minus digna habeat aliquam imperfectionem, nam imperfectio deſignat carentiam alicuius, quod natum eſt haberi, vel debet haberi: unde & in gloria quamvis vnus Sanctorum alium excedat, nullus tamen imperfectus erit.* Sic D.Tho. Quibus videtur concludere quod in rebus creatis nulla ſit imperfectio, cum quælibet facta ſit cũ ſibi debitis prædicatis: admittit tamen res eſſe minus perfectas alijs, & minus dignas alijs dignioribus.

Hæc autem doctrina videtur habere oppoſitionem cum his, quæ docent Theologi ſupra quæſt. 3. vbi diſtinguunt duplex genus perfectionum, quarum aliæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ in ſuo conceptu formali imperfectionem non dicunt, vt ſapientia, vita, & alia huiuſmodi, & iſtas dicunt Deo convenire formaliter; aliæ ſunt quæ in ſuo conceptu formali dicunt perfectionem eſſentialiter ad mixtam imperfectioni, vti eſſe hominem, aſinum &c. Et iſtæ non ſunt formaliter in Deo, ſed tantum virtualiter, quatenus ſua virtute infinita poteſt efficere illa. Et nos ibi docuimus, quod etiam iſtæ, ex qua perfectiones ſunt, formaliter in Deo ſunt, ex quo autem imperfectiones ſunt, ſolum virtualiter in Deo ſunt: dantur ergo ſecundum hanc doctrinam in rebus creatis imperfectiones. Deinde non eſt res creata, quę limitata non ſit; limitatio autem poſitiva imperfectio eſt à Deo omnino releganda: ergo falſũ eſt in rebus creatis non reperiri imperfectiones.

Reſp. doctrinam D. Tho. veriſsimam eſſe. Pro cuius explicatione noto, quod imperfectum dupliciter dicitur, vno modo privative, alio modo negative, etenim perfectio alicuius rei teſte D. Tho. ſupra quæſt. 3. art. 3. eſt triplex, prima quidem ſecundum quod in ſuo eſſe conſtituitur, ſecunda prout ei aliqua accidentia ſuperadduntur ad ſuam operationẽ neceſſaria, tertia per hoc quod aliquid attingit ſicut finem; ſicut prima perfectio ignis conſiſtit in eſſe, quod habet per ſuam formam ſubſtantialem ſecunda conſiſtit in caliditate, activitate, levitate, ſiccitate, & huiuſmodi, tertia ſecundum quod in loco ſuo quieſcit, cui ergo aliqua ex his tribus perfectionibus deeſt, illud dicitur imperfectum privative. Quia ergo nulla res creata habet perfectionem alterius, ſed habere illam, ei debitum non eſt, dicitur imperfecta negative: omnis ergo res creata negative imperfecta eſt, quia nulla quantũvis perfecta omnium aliorum habet perfectionem, ſolus Deus etiam negative imperfectus non eſt, quia nullius rei caret perfectione. Ad caſum ergo noſtrum veniamus. Non negat D. Tho. in rebus creatis inveniri imperfectiones negativas, neque negat aliquas res de facto dari imperfectas privative; ſunt enim multa, quæ vel non attingunt finem, quem nata ſunt attingere, vel non quieſcunt in loco ſibi connaturali, ſunt etiã monſtra, quæ non habent figuram, vel perfectiones debitas illis rebus, reſpectu quorũ monſtra dicuntur, vt homo monoculus, vel cum duobus capitibus: ſed quod negat D. Th. eſt, quod ex hoc quod ex duabus rebus vna perfectior ſit altera, ſequatur quod hæc privative ſit imperfecta reſpective ad illam, & affirmat tantum ſequi eſſe minus perfectam illa negative, quia de perfectiſsimo, quod Deus eſt non tam bonum gradum participat, quam altera: vnde ſolvit argumentuum demonſtrando eſſe ineſficax medium aſſumptum ab illo ad probandum rei imperfectionem privativam: nam de imperfectionibus negativis quamvis concludat, non tamen contra concluſionem facit, quia cum [illegible] conſiſtat in hoc, quod eſt non in tantũ participare divinas perfectiones iſtas res, quam alias, & hoc poſsit Deus facere, quia ſic ſervat ordinem iuſtitię, dando vnicuique quod ad ipſum attinet, non quod alterius eſt: vnde & dicitur: *Omnia facere in pondere, & menſura, non probari poteſt, quod Deus prædictas imperfectiones non faciat.*

547 Sed quid? ſi in creaturis aliqua imperfectio privativa inveniatur, nũquid oportebit quod talis imperfectio à Deo non fiat? Reſpondet ibidem D. Tho. hoc non oportet, quod ſit ex Deo, nec ex materia, ſed in quantum creatura ex nihilo eſt. Quæ doctrina valde apparet difficilis. Nam cum dicit D. Tho. tales imperfectiones non ſunt ex Deo, videtur velle, quod Deus non ſit cauſa effectiva talium imperfe-

fe-

Digitized by Google

fectionum; quod falſiſsimum eſt; ſiquidem cum illæ privativę imperfectiones ſint mala naturalia (de his enim tantum loquimur) falſiſsimũ eſt, quod à Deo non fiant; *non enim* (inquit ſcriptura) *eſt malum in civitate, quod Dominus non fecerit*, quod de malo naturali, vel de malo pœnę intelligitur. Quod etiam dicit, quod hoc cõvenit creaturæ in quantum eſt ex nihilo, etiam videtur non habere veritatem, nam nihilum ex quo fit creatura nullam habet, neque habere poteſt cauſalitatem in illam: ergo prædictæ imperfectiones nequeunt creaturis cõvenire ex hoc, quod ex nihilo ſunt. Secundo nam ſupponamus quod omnia facta ſint ex aliquo, vt voluit Ariſtoteles, nempe ex materia increata, adhuc huiuſmodi imperfectiones haberentur in rebus, quæ modo ſunt: ergo radix, ex qua pullulant huiuſmodi imperfectiones non poteſt eſſe ex hoc, quod res ex nihilo ſunt. Imò melius videtur dici, quod cum materia ſit imperfectiſsimum ens, ad illam omnis imperfectio reperta in rebus debet reduci: ſicut ad perfectiſsimum, quod eſt Deus omnis perfectio creaturarum reducitur.

Veriſsimam tamen eſſe doctrinam D. Tho. his oſtendo. Etenim non ens non poteſt directe cauſari ab ente per eſſentiam, neque enim directe ab eo aliquid cauſari poteſt, quod in aliquo ei aſsimilari nequit; nõ ens ergo in nullo aſsimilari poteſt Deo, & ſic directe ab eo cauſari non valet; imperfectiones ergo prædictæ non entia ſunt, cum ſint defectus debitæ perfectionis, non ergo à Deo directe cauſari poſſunt. Poſſunt tamen à Deo cauſari indirecte, nam poteſt ipſe non dare alicui creaturæ aliquid, quod ei debetur, ad quod indirecte ſequitur illã creaturam eſſe imperfectam privative; ſed quia præter hanc cauſam indirectam, & ex conſequenti cauſantem, aliud veluti principium intrinſecum directe concurrens debemus aſsignare ſaltem per reductionem directam ad ipſum; & hoc non poſsit eſſe ens, neque non ens particulare, reducimus prædictas privationes in non ens ſimpliciter, quod eſt nihilum; & ſic dicimus creaturis convenire in quantũ ex nihilo factæ ſunt; ſicut enim omne ens particulare reducimus ad ens vniverſaliſsimum, & omnem verũ effectum ad primã cauſam; ita omnia non entia particularia in vniverſaliſsimam rationem non entis, quæ eſt, & dicitur nihilum: nec ad hanc reductionem requiritur aliquis concurſus poſitivus non entis vniverſaliſsimi ad non ens particulare, quia talis reductio non eſt in linea efficientiæ, ſed potius deficientiæ; ſed ſufficit virtualis, ad hunc ſenſum, quod ſi non entia in particulari cauſari poſſent, vere à non ente vniverſaliſsimo cauſarentur. Cum ergo D. Th. dicit prædictas imperfectiones non eſſe ex Deo, intelligitur directe, cum autem dicit convenire creaturis in quantum ſunt ex nihilo, dicit directam reductionem in nihilũ per prædictam virtualem cauſalitatem, qua omne particulare reducitur ad vniverſaliſſimum ſui ordinis, ex quo patet ad primam inſtantiam pro vtraque parte.

Ad ſecundam diſt. Conſ. ergo radix ex qua pullulant huiuſmodi imperfectiones non poteſt eſſe ex hoc, quod ex nihilo ſunt; in illa ſententia Ariſt. conc. Conſ. in vera ſententia, quæ docet omnem creaturam adæquate ſumptam eſſe ex nihilo, nego Conſ. Ad aliud, quod ibi dicitur, nego aſſumptum. Cum enim materia prima imperfectiſsima ſit in genere participantium rationem entis, imperfectiones illas, quæ non entia particularia ſunt, non bene ad illam tanquam ad primam radicem reducerentur; melius ergo reducuntur in nihilum, quod eſt in linea non entis vniverſaliſsimum quid, ſicut in linea entis Deus eſt vniverſaliſsimus.

Ad Confir. principalis argumenti, diſt. Min. ſed ex oppoſito fit aliquid per accidens, ex ſubiecto autem fit per ſe, quando fit ens ex ente, cõc. Mi. quando fit ex nullo præſuppoſito ſubiecto, nego Min. & nego, quod ſi ens fiat ex non ente fiat ex illo per accidens, quia tunc non fit ex ente ens, ſed potius ex nullo ente præhabito fit ens. Itaque quando ex albo fit nigrum, nigredo dicitur fieri per ſe ex ſubiecto, ſed non ex albedine ſibi contrarie oppoſita, quia albedo non manet ſimul cum nigredine; ſubiectũ autem manet ſimul cum illa: ens autẽ dicitur fieri ex nihilo, non tanquam ex materia, quæ maneat ſimul cum ente, ſed quia ex nullo ſubiecto fit, vel quia poſt nihilum fit, ſicut ex die fit nox, id eſt, poſt diem. Vel dicatur ſecundo falſum eſſe vniverſaliter loquendo, quod ex oppoſito aliquid fiat per accidens; homo enim fit ex non homine, ſicut ens ex non ente, & tamen certum eſt non hominem opponi homini. Diſtinguere ergo hic oportet, duplex fieri ex aliquo, etenim vel ly *ex* declarat materiã ex qua conſtet id, quod fit, vel declarat ordinẽ tantum; ſi ly *ex* dicit materiam, ſic nihil fit

ex

Digitized by Google

ex oppoſito per ſe, quia vnum oppoſitum non poteſt conſtare ex alio; ſi dicat ordinē, tunc contingit aliquid fieri per ſe ex oppoſito, ſicut dicitur hominem per ſe fieri ex non homine, quia non poſſumus pervenire ad hominem niſi ex non homine, neque ad album venire poſſumus niſi ex non albo; cum ergo ad ens in quantum ens non poſſimus venire niſi poſt nihilum, dici poterit, ens per ſe fieri ex ſui oppoſito non ente, quod eſt nihilum, non perſeitate partis cōponentis ens, ſed perſeitate ordinis; ex vno autem contrario non fit per ſe alterum cōtrarium, etiam perſeitate ordinis, quia bene ſtat, quod vnum contrarium fiat, ſine eo quod alterum præcedat: vt enim de novo fiat nigrum, per ſe requiritur, quod præcedat non nigrum, ſed per accidens eſt, quod præcedat album, nam etiam ſi non præcederet, nigrum fieri poſſet, non autē fieri poteſt ens in quantum ens niſi poſt nihilum, & ſic perſeitate ordinis ens fit ex nihilo. Solutio eſt D. Tho. de pot. quæſt. 3. art. 1. ad 16. ibi: *Dicendum, quod ſi ly ex nominet cauſam, non fit aliquid ex oppoſito, niſi per accidens; ſi vero nominet ordinem, tunc fit aliquid ex oppoſito etiam per ſe. vnde & privatio dicitur principium eſſe fiendi, non eſſendi, hoc autem modo dicitur aliquid fieri ex nihilo.* Sic D. Tho.

548 Sed inſtas: igitur ſicut privatio eſt principium ad fieri generationis rei, ſic & nihilum, vel carentia entis erit principium ad fieri creationis; hoc autem videtur falſiſsimum, nam ſic creatio non ſolum haberet principium in Deo; ſed etiam in ipſo nihilo, & cum omne principium dicat influxum, nihilum habebit influxum in id, quod creatur. Ad hoc, conc. Conſ. nego Mi. ad prob. dico, quod loquendo de principio cauſativo, creatio ſolum Deum recognoſcit pro principio, loquendo autem de principio, quod non eſt cauſa, ſic creatio habet principiū in nihilo; nec tamen omne principium eſt cauſa, vel agit in principiatum; terminus enim lineæ eſt principium lineæ, nec tamen cauſat lineam: privatio eſt principium geniti, & tamen non cauſat genitū, ſed dicitur principium ordine non cauſalitate, quia vt fiat homo, neceſſe eſt, quod fiat ex non homine præſuppoſito ad factionem hominis: in hac ergo acceptione dicimus nihilum eſſe principium creationis.

Sed inſtas, hoc ipſo quod creatio habeat nihilum pro principio, dicetur creationem procedere ex nihilo; hoc autem videtur falſum: ergo & doctrina data. Min. videtur certa; nam omnis proceſsio ex aliquo, eſt origo ex illo; ens autem non originatur ex nihilo: ergo falſum erit dicere, quod procedat ex illo. Mai. autem prob. ex doctrina D. Tho. ſupra quæſt. 36. art. 2. vbi contra Græcos, qui dicebant Spiritum Sanctum eſſe à Filio & eſſe Spiritum Filij, & dicere ordinem poſterioritatis ad Filium, negabant tamen procedere à Filio, ſic arguit. *Quod videtur, vel ex ignorantia, vel ex protervia eſſe, quia ſiquis rectè conſideret proceſsionis verbum inter omnia, quæ ad originem qualemcumque pertinent, inveniet communiſſimum eſſe, vtimur enim illo ad deſignandam qualemcumque originem: ſicut quod linea procedat à puncto, radius à ſole, rivus à fonte, & ſimiliter in quibuſcumque alijs: vnde ex quocumque alio ad originem pertinente poteſt concludi, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio.* Ex quibus ſic argumentor. Hoc ipſo quod nihilum ſit principium creationis, hoc ipſo creatio originabitur ex nihilo: ergo ſecundum doctrinam datam à nobis, & ſecundum ea, quæ à D. Tho. traduntur fatendum erit, creationem procedere ex nihilo.

Ad hoc, nego Min. ad prob. dico, quod omnis proceſsio eſt origo, ſed ſicut origo non ſemper deſignat egreſſum à principio activo ſecundum aliquod genus influentiæ, ſed aliquando deſignat tantum perſeitatem ordinis, ſic nec proceſsio ſemper deſignat egreſſum à principio ſecundum aliquē influxum; ſed aliquando tantum deſignat perſeitatem ordinis, quæ cum inveniatur inter creationem, & nihilum dici poteſt, quod creatio procedit ex nihilo.

Inſtas illa perſeitas ordinis vel eſt realis, vel rationis, ſi rationis, non ſufficit ad aſſerendum, quod creatio realiter originetur, vel procedat à nihilo; realis eſſe non poteſt. Tum quia ita tenet D. Tho. quæſt. 3. de pot. art. 1. ad 7. vbi explicans illud Boetij: *Entis ad non ens non eſt aliquis ordo* (inquit) *intelligendum eſt de ordine determinatæ proportionis, vel de ordine, qui ſit realis relatio, quæ inter ens, & non ens eſſe non poteſt.* Tum etiam, quia omnis relatio realis eſt inter extrema realia; non ens autem, & ens extrema realia non ſunt: ergo entis ad non ens nequit eſſe relatio realis. Ad hoc dico inter nihilum, & ens non ad eſſe relationē realem prædicamentalem, quia hæc requirit extrema realia, & non ens extremum reale non eſt, eſſe tamen relationem realem

lem

lem tranſcendentalem, quæ eſt illa intrinſeca dependentia, quam habet creatio in ſuo fieri ab ipſa præcedentia nihili, vel ab hoc, quod eſt ex nullo præſuppoſito ſubiecto fieri, quæ relatio tranſcendentalis non requirit inter extrema realia verſari: Logica enim ad ens rationis, relationem tranſcendentalem dicit, & tamen ens rationis extremum reale non eſt: cum ergo Boetius, & D. Tho. dicunt entis ad non ens non eſſe realem relationem, loquuti ſunt de prædicamentali non vero de tranſcendentali. Ex quo patet ad ſecundam prob. ſola enim relatio realis prædicamentalis requirit eſſe inter extrema realia.

Ad ſecundam Confir. principalis argumenti dico, quod Deus per creationem dat eſſe rei creatæ, nec tamen requiritur quod recipiens eſſe præexiſtat creationi, quia ipſa creatione Deus producit recipiens eſſe; & ipſum eſſe receptum: neque hoc videtur repugnare, ſiquidem generans dat eſſe genito per generationem, & tamen per illam fit ipſum genitũ recipiens eſſe, neque enim eſſe recipitur in materia prima, ſed in compoſito, quod fit per ipſam generationem.

§. VII.

Vtrùm creatio ſit vera, & realis mutatio?

549 DE Creatione dupliciter loqui poſſumus. Primo active ſũpta, prout ſe tenet ex parte creantis; & illo modo nulli poteſt eſſe dubium, quod mutatio non ſit, eſt enim ipſa divina actio, cum eſſe divino identificata; *& apud Deum non eſt mutatio nec viciſsitudinis obumbratio.* Secundo accipi poteſt paſsive, & prout ſe tenet ex parte rei creatæ, ſecundum quam rationem importat novitatem eſſendi rei, quæ creatur: Et in hoc ſenſu loquendo inquirimus, vtrum ſit vera, & realis mutatio? Pro cuius luce eſt etiam advertendum, quod ad veram, & realem mutationem requiritur, quod ſit aliquid commune vtrique termino mutationis, nam oportet, quod ſit tranſitus de vno termino ad alterum, non autem eſt tranſitus, vbi termini in nullo conveniunt nam tunc idẽ non ſe habet aliter nunc, ac prius; & ſic mutari, vel tranſire non dicitur: iſtud autem idem in quo prædicti termini conveniunt, magis, & minus ſuſcipit, nam quandoque vtrique termino eſt aliquod commune ſubiectum actu exiſtens, & tunc proprie eſt motus, ſi termini poſitivi ſint, vt quando ex albo fit nigrum; nam tunc idem ſubiectũ actu exiſtens mutatur de vno contrario ad alterum: quandoque vero eſt idem ſubiectũ commune vtrique termino, non quidẽ ens actu; ſed ens in potentia tantum, ſicut accidit in generatione, & corruptione ſimpliciter; formæ enim ſubſtantialis, & privationis ſubiectum eſt materia, quæ non eſt ens actu: vnde generatio, & corruptio proprie non dicuntur motus, ſed mutationes ſimplices; quandoque vero non eſt aliquod ſubiectum commune, neque actu, neque potentia exiſtens, ſed eſt idẽ tempus continuum, in cuius prima parte eſt vnũ oppoſitum, & in ſecunda alterum; vt cum dicimus hoc fieri ex hoc, ſicut ex mane fit meridies, & tunc non proprie dicimus mutationem, ſed tantum ſimilitudinarie, prout ipſum tempus imaginarium eſt quaſi ſubiectum eorum, quæ in tempore aguntur: aliquando commune vtrique termino ſunt accidentia alterius extremi; ſicut contingit in tranſitu panis in corpus Chriſti manentibus eiſdem accidentibus panis, ſub quibus antea erat panis, & modo eſt Chriſtus. His ergo ſuppoſitis.

550 Sit concluſio. Creatio non eſt vera, & realis mutatio. Sic D. Tho. hic quæſt. 45. art. 2. ad ſecundum & de pot. quæſt. 3. art. 2. Et prob. ex notabili adducto, nam ad rationem veræ, & propriæ mutationis realis requiritur, quod termini, inter quos eſt mutatio, conveniant vel in aliquo ſubiecto, quod prius ſtat ſub vno, & poſtea ſtat ſub altero, vel in aliqua materia, quæ prius ſtat ſub vna forma, vel ſub privatione, & deinde inveniatur ſub aliqua forma, ſub cuius privatione antea erat; vel quod vnũ extremum tranſeat in alterum manentibus eiſdem accidentibus extremi illius; quod tranſivit in alterum, & ſaltem idem ſubiectum ſecundum rationem communẽ, eſto non ſecundum eandem ſpeciem, & individuationem, vt contingit in tranſubſtantiatione totali, qua panis tranſit in corpus Chriſti; ſed in creatione nihil horum invenitur ergo non eſt vera, & realis mutatio. Conſ. eſt bona, & Min. patet ex eo, quod creatio ex nihilo eſt inter extrema contradictoria, ſcilicet, inter ens, & non ens ſimpliciter tale; contradictorijs autem terminis nihil eſt, nec poteſt eſſe commune, quia neque in ſubiecto, neque in materia, neque in prædicato aliquo reali ſecundum rationem communem; neque in accidentibus

rei,

termini *à quo* poſſunt convenire: igitur nihil ex prædictis requiſitis ad veram, & realem mutationem poteſt convenire creationi. Mai. autem prob. nam ad veram mutationem indiſpenſabiliter requiritur, quod idem aliter ſe habeat modo, ac antea: ergo requiritur, quod termini mutationis conveniant in eodem, modo dicto in Maiori.

Dices per creationem eandem rem, quæ erat in potentia, & ſub ſtatu poſsibilitatis fieri in actu, & ſic terminos creationis iam convenire in aliquo communi; nam ipſamet res poſsibilis, antequam crearetur, erat ſub nihilo, & per creationem fit aliquid, ſicque aſsignari id, quod ſufficit, vt realiter aliter ſe habeat, quod creatur: ac per conſequens aſsignari id, quod ſufficit, vt realiter mutetur. Sed contra eſt, nam ſtatus poſsibilitatis non eſt ſtatus alicuius realitatis phyſicæ, ſed eſt ſtatus puræ non repugnantiæ, quam res habent, vt ſiant: ergo per hoc quod per creationem res tranſeat de ſtatu puræ poſsibilitatis ad ſtatum realiter exiſtentis, non ſe habebit realiter aliter modo, quam prius, ſiquidem ſub nulla realitate fuit. Patet Ant. nam ſi prædictus ſtatus eſſet aliqua realitas phyſica, vel metaphiſica, res, quæ creantur, non fierent ex nihilo realitatis, ſiquidem fierent ex illa realitate poſsibilitatis: non ergo illa poſsibilitas realitas quædam eſt.

Dices non eſſe ens rationis: ergo erit aliquid reale. Sed contra, nam Conſ. non tenet niſi in his, quæ ſunt, ens enim eſt, quod dividitur in reale, & rationis: illa autē poſsibilitas non eſt, & ſic, neque ens rationis, neque ens reale eſt. Vnde Conſ. non valet, ens rationis non eſt: ergo ens reale eſt. Sed dices, ſi nihil de facto eſt, quomodo verificatur quod de facto detur ſtatus poſsibilitatis? Reſp. verificari ſtatum poſsibilitatis ex eo, quod enuntiabile, quod formatur de re, quæ adhuc non eſt, ex vi terminorū non repugnat, id eſt, non repugnat, quod ſubiectum talis enuntiationis ſub prædicato ſit.

Dices ſecundo ſufficere ad mutationem veram, & realem, quod res realiter aliter ſe habeat; hoc autem verificatur, ſi antea res non erat realiter, & modo realiter ſit, quod de re, quæ creatur verificatur. Sed contra, nam ad realem mutationem requiritur, quod idem realiter ſe habeat aliter nunc, ac prius; de re autem, quæ creatur, tantum verificatur, quod modo ſub realitate ſit non vero quod antea ſub realitate fuerit: & ſic non verificatur, quod aliter realiter ſit nunc, ac prius, & ſic non verificatur, quod mutetur realiter.

Dices, antea realiter rem non fuiſſe, & modo realiter eſſe: ergo fuit res ſub realitate non eſſendi, & modo eſt ſub realitate eſſendi: ergo verificari poteſt de illa, quod realiter aliter ſe habeat nunc, ac prius. Explico ſolutionem: antequam res creatur verificatur de illa, quod realiter non exiſtit, & modo verificatur de illa, quod realiter exiſtit: ergo termini creationis conveniunt in illo prædicato realitatis, ſiquidem de eadem re antequam fit, verificatur realiter non eſſe, & quando fit, verificatur, quod realiter ſit. Huius impugnatio patebit ex ſolutione. Reſpondeo ergo, negando Conſ. primam, nam, cum dicimus illius, *realiter res non fuit*, quæ eſt negativa de præterito, ſit hæc, *homo realiter non eſt*, non requirit ad ſui veritatem hominem coniunctum alicui realitati, ſed potius requirit nullam habere realitatem; eſt enim negativa & æquivalet huic, *homo nullam realitatem habet*: vnde res, quæ creatur ante creationem nullā realitatem habuit, & ſic non ſe habuit realiter aliter, ac prius, ac per conſequens non eſt mutata realiter. Ad explicationem, nego Conſ. nam illa, *homo realiter non exiſtit*, æquivalet huic, *homo nullam realem exiſtentiam habet*, quam cum affirmet iſta, *homo realiter exiſtit*; talium eſt dicere, quod termini creationis conveniant in aliquo prædicato realitatis: tunc enim aliqua conveniunt in aliquo prædicato, quando de illis vere affirmatur illud; cum ergo realitas exiſtentiæ affirmetur de homine in primo creationis inſtanti, & negetur de eo ante creationem, non habet convenire illi pro vtroque inſtanti realitas.

§. VIII.

Solvuntur argumenta contra concluſionem.

551 PRIMO Arguitur mutatio ſecundum nomē ſuum deſignat hoc eſſe poſt hoc, vt patet ex 5. Phyſic. ſed hoc habet creatio, nam in ea fit eſſe poſt non eſſe: igitur creatio eſt vera, & realis mutatio. Confir. quod non ſimiliter ſe habet nunc, ac prius, mutatur; ſed quod creatur non ſimiliter ſe habet nunc, ac prius: ergo mutatur. Prob. Min. nam quod creatur, prius erat ſimpliciter non ens,

Digitized by Google

ens, & modo eſt ens: igitur non ſe habet ſimiliter nunc, & prius. Confirm. ſecundo, id, quod exit de potentia in actũ, mutatur, ſed quod creatur exit de potentia in actum: ergo mutatur. Prob. Min. nam ante creationem erat in potentia facientis, poſtea autẽ eſt ens in actu: ergo exit de potẽtia in actũ. Ad hoc, diſt. Mai. mutatio ſecundum nomen ſuum deſignat hoc eſſe poſt hoc, circa aliquod idem, conc. Mai. circa nullum idẽ, nego Mai. & neg. Min. ad prob. in creatione fit eſſe poſt non eſſe, circa aliquod idem, nego Antec. circa nullũ idem, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque, vt iam diximus, ad veram mutationem requiritur, quod idem ſecundum aliquid ſui prius extiterit ſub aliquo termino, & deinde illudmet exiſtat ſub alio oppoſito: in creationẽ autem, cum fiat ex nihilo, non poteſt verificari, quod idem ſecundũ aliquid ſui prius extiterit ſub aliquo termino, nempe ſub nihilo, & deinde fuerit ſub ente, & ſic nequit verificari, quod ſit vera mutatio.

Sed inſtas in creatione fit hoc poſt hoc circa idem: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. idem numero prius ſtat ſub non eſſe, & deinde fit ens: ergo vere tranſit de vno termino ad alium: ergo fit hoc poſt hoc circa aliquod idem. Confirm. ad mutationẽ realem ſufficit quòd idem tranſeat de vno termino ad alterum; ſed in creatione hominis v. g. idem numero homo, qui erat ſub non ente, fit ens: ergo vere tranſit de vno termino ad alium: ergo vere mutatur.

Ad hoc dico, quod in creatione fit hoc poſt hoc circa idem, logicè idem, non circa idem phyſicè aliquo modo, vel realiter metaphyſice idem: vnde non verificatur, quod realiter mutetur, nam ad hoc requirebatur, quod idem realiter tranſiret de vno termino ad alterum, ad quod requirebatur, quod ante quam fieret actu ens, iam ſecundum aliquid ſui realiter ens eſſet, quod non contingit in creatione, in qua ex nulla realitate ſui aliquid fit realiter ens. Ex quo patet ad ſecundam Confirm. dicimus ergo, quod in creatione idem logicè tantum idem tranſit de vno termino ad alterum, non idem realiter; vnde non realiter tranſit de vno termino ad alterum, ſiquidem antea realiter non erat: & ſic realiter tranſire non valet.

Ad primam Confirm. principalis argumenti, diſt. Mai. quod non ſe habet ſimiliter nunc, ac prius, mutatur, ſuppoſita conſiſtentia eiuſdem ſubiecti, conc. Mai. non ſuppoſita, nego Mai. & diſt. Min. ſed quod creatur non ſe habet ſimiliter nunc, ac prius, ſuppoſita conſiſtentia eiuſdem ſubiecti, nego Min. non ſuppoſita, conc. Min. & nego Conſ. Itaque diſsimiliter ſe habere nunc, ac prius, non ſufficit ad mutationẽ realem, niſi de eodem realiter verificetur, quod non ſe habet ſimiliter nunc, ac prius; nam rem non ſe habere ſimiliter nunc, ac prius, tantũ dicit rem fieri de novo, non tamen dicit mutari realiter propter rationẽ ſæpius inculcatã. Ad ſecundã Confirm, diſt. Mai. id, quod exit de potentia in actũ mutatur, de potentia paſsiva, conc. Mai. de potentia purè activa, nego Mai. & diſt. Min. ſed quod creatur exit de potentia in actũ, de potentia paſsiva, neg. Min. de potentia activa Dei, conc. Min. & nego Conſ. Itaque potentia ſolũ paſsiva eſt ſubiectum mutationis, non vero potentia pure activa: vnde ad veram mutationem requiritur, quod aliquid exeat de potentia verè paſsiva in actum; quod cum non conveniat rei, quæ creatur, non poteſt verificari de ipſa, quod mutatur.

Inſtabis in tranſubſtantiatione Corporis Chriſti ex pane vera reperitur mutatio; & tamen in ea nihil exit de potentia paſsiva in actũ: ergo hoc non requiritur ad verã mutationem. Prob. Min. Corpus, quod fit ex pane, non exit in actum ex potentia paſsiva panis, quia hæc deſinit eſſe, ſiquidem panis deſinit ſecundum formam, & ſecundum materiam panis; nec exit in actum ex propria potentia paſsiva, ſiquidem ex illa non fit: ergo in tranſubſtantiatione nihil exit de potentia in actum. Ad hoc nego Min. ad prob. dico, quod licet panis deſinat eſſe in ſe, manet tamen in termino tranſubſtantiationis, ſiquidem panis tranſit in Corpus Chriſti, & ſic manet in termino, qui fit ex illo; non ſic autem contingit, quando aliquid ex nihilo creatur: nam nihilum non tranſit in ens; vnde neque in ſe eſt aliquid, neque in termino creationis. Inſuper ex pane manent accidentia, ſub quibus realiter erat panis, & ſub quibus modo realiter eſt Corpus Chriſti; iam ergo in tranſubſtantiatione manet idem realiter, circa quod mutatio fit, nam vere & realiter accidentia antea ſuſtentabantur à ſubſtantia panis, cui inhærebant, & modo realiter manent non

ſuſtentata ab illa, ſed à corpore Chriſti, eſto non inhærens illi: antea erant in alio, modo ſubſiſtunt realiter in ſe ipſis; rectè ergo intelligitur realis mutatio in ipſa tranſubſtantiatione, quorum nihil invenitur in creatione, & ſic non fit paritas ab vna ad aliam.

552 Secundo arguitur annihilatio eſt vera mutatio; & tamen in ea non datur aliquid commune vtrique termino: ergo eſto in creatione non detur aliquid commune vtrique termino, poterit tamen vere eſſe mutatio. Conſeq. eſt bona, Min. patet, ex eo quod id, quod annihilatur ſecundum nihil ſui remanet, neque in ſe, neque in termino, qui eſt ſimpliciter nõ eſſe: ergo Mai. autem prob. nam annihilatio non ſolũ fit ex potentia activa Dei, ſed etiam ex potentia paſsiva creaturæ, quæ annihilatur: ergo quod annihilatur vere exit de potentia paſſiva ad actum: ergo vere mutatur. Confirm. in generatione vermis ex corruptione ſpecierum Sacramentaliũ vere datur mutatio; & tamen vermis ſecundum nihil ſui realiter præextitit ad ſui generationem: ergo ad veram rationẽ mutationis non requiritur, quod id, quod fit, ſecundũ aliquid ſui realiter præextiterit. Prob. Min. vermis genitus fit ex materia, quæ non præextitit ſub alia forma, ſed quæ creatur in ipſo inſtanti generationis vermis: ergo ſecundum nihil ſui præextitit realiter ante ſui generationem.

Confirm. ſecundo, quantò eſt maior diſtantia inter terminos, tanto mutatio eſt maior: maior enim eſt mutatio de albo in nigrum, quam de albo in palidũ, quia maior diſtantia eſt inter primos terminos, quam ſit inter ſecundos; ſed plus diſtat non ens ſimpliciter ab ente, quam contrarium à contrario, vel non ens ſecundum quid ab ente: igitur, cum tranſitus de contrario in contrarium, vel de non ente ſecundũ quid ad ens ſit vera mutatio, ſimiliter tranſitus de non ente ſimpliciter ad ens erit vera mutatio.

Ad hoc nego Mai. ad prob. diſt. Ant. annihilatio non ſolùm fit ex potentia activa Dei, ſed etiam ex potentia paſsiva creaturæ, quæ annihilatur, manente ſub vtroque termino annihilationis, nego Ant. non manente, conc. Ant. & diſt. Conſeq. ergo quod annihilatur vere exit de potentia paſſiva in actum, manente ſub vtroque termino annihilationis, nego Conſ. non manente, conc. Conſ. & nego aliã, quæ ſubinfertur. Itaque res annihilabilis eſt ratione potentiæ obedientialis, qua ei non repugnat, quod eam Deus adæquate in nihilum redigat: hæc autem obedientia tantum manet in termino *à quo* annihilationis, non tamẽ in termino *ad quem*, vnde non ſufficit ad veram, & realem mutationem.

Ad prob. Confir. nego Min. ad prob. diſt. Ant. fit ex materia, quæ non præextitit ſub alia forma, neque in ſe, neque in ſui vices gerente, nego Anteç. quæ non præextitit in ſe benè verò in ſui vices gerente, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque, cum vermis ex corruptione ſpecierum fit, illæ ſpecies vices gerunt materiæ; nam vere diſponuntur realiter vt ex materia, in quam convertuntur, vermis fiat: vt vermis prçcontinetur in potentia illarum ſpecierum, tanquam invice gerentibus materiæ. Pro quo adverto, quòd virtute tranſubſtantiationis panis in corpus Chriſti, in inſtanti generationis vermis ſpecies illæ convertuntur in materiam, ex qua gignitur vermis, & ſic manent in illa, ſicut panis manet in corpore Chriſti, in quod convertitur: vnde vermis iam ſecundum aliquid ſui, aliquod eſſe reale habuit, quod manet in materia, ex qua vermis componitur, ſiquidem in illam prædictæ ſpecies converſæ ſunt, & ſic in illa manent tanquam in termino converſionis.

Vel ſecundo reſpondetur, diſt. Min. & tamen vermis ſecundum nihil ſui realiter præextitit ad ſui generationem, formaliter, vel æquivalenter, nego Min. formaliter tantum, conc. Min. & diſt. Conſeq. formaliter, vel æquivalenter, nego Conſeq. formaliter tantum, conc. Conſeq. Itaque vermis in dato caſu fit ex materia, in quam convertuntur accidentia, quæ deſinunt eſſe: vnde, cum vermis fiat per aliam actionem ab ea, per quam materia eius producitur, dicitur fieri ex aliquo, quod præextitit æquivalenter, quia, dum materia vermis fit per diſtinctam actionem, habetur quòd ſufficit ad veram mutationem, ſiquidem iam tunc generationis termini, nempe non vermis, & vermis circa eandem materiam ſunt, quæ prius prioritate naturæ fuit non vermis, & deinde invenitur ſub forma vermis: vnde iam manet idem ſubiectum ſub vtroque termino, & ſic datur locus veræ mutationi.

Sed

Sed contra hoc inſto, materia illa, ex qua vermis fieri dicitur, vt ſit ſubiectū mutationis, debuit eſſe ſubiectum privationis vermis, & ſubiectū formæ vermis; at hoc non contingit in hoc caſu: ergo. Prob. Mai. nam per nos debet eſſe ſubiectum idem ſub vtroque termino mutationis; termini autē mutationis ſunt non eſſe vermis, & eſſe vermis: ergo. Min. vero prob. nam illa materia tantum ponitur habere eſſe in inſtanti generationis vermis; ſed in illo tunc nequeunt eſſe ſimul vermis, & privatio vermis: igitur materia illa non eſt ſubiectum vtriuſque termini generationis. Ad hoc nego Mai. vniverſaliter loquendo; ſufficit enim quod id, quod fit, fiat ex aliquo, quod quantum eſt ex ſe non ſit id, quod de novo producitur, etiam ſi ſub privatione illius nunquā fuerit: materia autem, ex qua vermis fit, eſto ſub privatione vermis non fuerit, tamen eſt id, quod ex ſe vermis non eſt, & ſic vera datur mutatio: ad veram enim mutationē ſufficit, quòd aliquid fiat ex aliquo producto per aliam actionē, quod ex ſe non ſit id, quod de novo ex illo producitur per actionem diverſam, quam ſub privatione termini producendi non fuerit; per hoc enim damus, quòd ſubiectū, ex quo aliquid fit, non ſe teneat præciſe ex parte termini *ad quem*, & ſic poſsit aliquo modo eſſe ſub termino *à quo*, per quod verificatur, quòd ſit ſubiectum commune vtrique termino.

Dicta ſolutio traditur ab aliquibus; ſed eſt valde difficilis, nam, quamvis per aliam actionem materia fiat, illa tamen actio non poſuit materiam ſub termino *à quo* generationis, ſed tantum ſub termino *ad quem*: ergo falſum eſt dicere, quod illa meteria fuit communis vtrique termino. Prob. Antec. nam prædicta materia nullam aliam formam, neque privationem habuit præter formam vermis: igitur tantum producta eſt ſub termino *ad quem* generationis vermis; & ſic productio vermis rationem mutationis habere non potuit. Explico hoc, bene video, quod ex hoc quod illa materia producta eſt per diſtinctam actionem ab actione productiva vermis, convinci poteſt, quod vermis productio creatio non fuit, quia, cum per illam materia non producatur, non producitur ens in quantum ens, ſed producitur ex aliquo, quod per aliam actionem fit; cæterum, dum id, quod per aliam actionem fit, primo ex quo incipit eſſe tantùm habet eſſe ſub forma vermis, non video, quod vtrique termino productionis quid commune ſit, & ſic non invenio, quod talis vermis productio ſit vera mutatio.

Ad hanc difficultatem reſpondeo; neg. Antec. ad prob. nego Conſeq. ad hoc enim vt materia illa teneat ſe ex parte termini *à quo*, ſufficit, quod ex vi actionis, per quam fit ſub forma vermis, non ponatur; per hoc enim ſubijcitur generanti vermem, vt ex ipſa vermis formam educat, & ſic illa actio materiam, quam producit ex parte termini *à quo*, ponit. Ex quo patet ad explicationem, ſi enim illa materia tenet ſe ex parte termini *à quo*, & ex parte termini *ad quem*: ergo in generatione vermis iam eſt aliquid commune termino *à quo*, & *ad quem*; nempe materia, ex qua gignitur vermis.

Ad ſecundam Confirm. principalis argumenti dico, quod maior diſtantia terminorum circa idem ſubiectum vtrique termino commune facit maiorem mutationem, non vero ſi commune ſubiectum vtrique termino non ſit, & quia inter terminos creationis identitas ſubiecti non invenitur, ideo ratio veræ mutationis non invenitur.

§. IX.

Quid ſit creatio, prout tenet ſe ex parte Dei active creantis?

553 DICO, Creationem prout ſic ſumptā nihil aliud eſſe, quā ipſam vltimā actualitatem actionis divinæ ſecundū quod relatione rationis refertur ad effectum in tempore. Explico concluſionem, in creatione prout tenet ſe ex parte Dei tres habitudines conſiderari poſſunt. Prima eſt ad terminum *ad quem*, & prout ſic, eſt influxus cauſæ agentis, prout dicitur ad terminum; ſecunda eſt ad ipſum agens, & ſic, eſt influxus cauſæ agentis, prout dicitur ab agente. Tertia eſt ad terminum *à quo*, & ſic, non conſideratur vt influxus, ſed vt deſtructio, vel vt receſſus ab illo termino, quia in illum non influit, ſed quia illum relinquit, vel illum tollit. Secundo eſt advertendum diſcrimen inter actionem increatam Dei, & actionem agentis creati. Etenim in hoc, cum creatum & limitatum ſit, diſtinguimus duas formalitates realiter,

Digitized by Google

altera, ſecundum quam intelligitur agens in actu primo in potentia ad actum ſecundum, alteram ipſius actus ſecundi ſupervenientis ad actum primum ratione cujus dicitur actu agere, quæ formalitas eſto ab agente egrediatur, tamen quia cum motu realiter identificatur, & motus ſubiectatur in mobili, ideo, & ipſa actio non ſubjectatur in agente, ſed in mobili, & in paſſo. In actione autem productiva Dei non ſic, cum enim ſit actus purus, nunquam eſt in potentia reali ad ſuam actionem, ſed ſemper identificatur, & coniungitur cum illa, quamvis non ſemper in re ponatur effectus eius, ſed tantum pro eo tempore, in quo vult, quod ponatur. Dicimus ergo in concluſione, quod creatio, prout active ſumitur, nihil aliud ſit, quam ipſa vltima actualitas actionis divinæ, prout in tempore relatione rationis refertur ad effectum, quem producit. Vbi duo coniungimus, nempe vnum, quod ab æterno Deo convenit, quod eſt actualitas ſumma eius actionis, alterum, temporale, nempe habitudinem rationis ad effectum, qui in tempore fit ex nihilo, & vtrumque dicimus requiri ad creationem. His ſuppoſitis. Prob. Concleſio. Primo, quia eſt expreſſa D. Th. mens in hoc art. 3. ad 1. vbi habet: *Dicendum, quod creatio active ſignificata, ſignificat divinam actionem, quæ eſt eius eſſentia cum relatione ad creaturã.* Et de pot. q. 3. art. 3. ſic habet: *Dicendum eſt, quod creatio poteſt ſumi active, & paſſive, ſi ſumatur active, deſignat Dei actionẽ, quæ eſt eius eſſentia cũ relatione ad creaturã, quæ non eſt realis relatio, ſed ſecundum rationem tantum.*

554 Ratione etiam prob. Concluſio. Etenim Deus ab æterno non dicitur creans; ſed tantũ in tempore: ergo præter vltimam actualitatem actionis divinæ ei ab æterno convenientẽ, ad rationẽ creationis requiritur ſuperaddere aliquid aliud temporaliter Deo conveniens; hoc nõ eſt aliud niſi relationis, quæ ei cõvenit ex hoc, quod effectus in tempore ponitur: igitur creatio dicit vltimam actualitatem divinæ actionis cum reſpectu rationis inferentis effectum in tempore.

Hæc clara ſunt. Sed reſtat hic ſuperare vulgarem difficultatem, quæ ſemper apparuit inſuperabilis, conſiſtens in eo, quod agens tunc dicitur agere, quando cũ actione coniungitur, ſic apparet in omni agẽte creato: Deus autẽ ab æterno coniungitur cum ſua actione, neque enim vt dixi, eſt in potentia reali ad illam; denominabitur ergo ab æterno agens, ac per conſequens creans, & ſic ratio a nobis facta erit nulla, vtpote fundata in principio falſo, nẽpe quod Deus tantum in tempore denominetur creans.

Hanc difficultatẽ conatur ſolvere Ioannes à Sancto Thom. aſſignans diſcrimen inter operationẽ creatam, & divinã; in eo quòd actio creata non eſt ipſa virtus cauſæ, ſed ab ea procedit tanquam à principio efficiente, quod reducit de actu primo ad ſecundũ, ideoque tantum coniungitur cum agente, quando effectum operatur, & ſic non datur coniunctio agentis cũ operatione, quando agens in actu eſt, & non operatur; actio vero divina eſt ipſa divina virtus, nec ad illã comparatur, tanquã effectus ad principiũ, nã virtus divina non dicitur operativa ſuæ actionis, ſed tantũ operativa dicitur reſpectu effectuum ad extra, ſicut non dicitur Deus liber in actu ſecundo per egreſſum actus liberi ab ipſo tanquã à principio active libero, ſed per purã terminationẽ liberã ad creaturas, circa quas exercet ſuam libertatẽ: cum ergo Deus nõ ſit activus reſpectu actionis, ſed tantũ reſpectu effectus, poteſt actuari ipſa actione ſine eo quod effectus exeat de facto ab illo, & ſic contingere poteſt, quod ab æterno ſit coniunctus actioni, ſine eo quod effectus ex tali actione inferantur ab æterno, vbi enim actio non ſit effecta, poteſt coniungi cum Deo independenter ab hoc, quod effectus à Deo egrediantur. Sic diſcurrit hic Author.

Cæterũ per hæc difficultas præſens non evacuatur. Nam eſto actio divina non ſit realiter effecta, tamẽ ex quò actu coniungitur cũ operante, operans debet denominari agens ab ipſa actione, neq; enim poteſt intelligi, quòd forma actu afficiat ſubiectũ capax, & non tribuat ei effectũ formalem primariò convenientẽ ei (quidquid ſit de effectibus ſecundarijs) effectus autẽ primarius actionis eſt reddere actu agens, & operans; ſicut effectus primarius relationis eſt reddere relatũ; vnde ſicut non valet intelligi, quod relatio cũ aliquo coniungatur, quin actu referat illud, ita nec intelligi poterit, quod actio actu coniungatur cũ agente, quin actu illud denominet agens: & ſic, dum actio divina ab æterno coniungitur cum Deo, neceſſe erit, quod ab æterno Deũ agentem denominet.

Vnde relicto iſto modo dicendi in probabilitate, quam illi dat authoritas tanti Doctoris, placet alio modo ſolvere modũ

præ-

Digitized by Google

præſentis difficultatis. Pro quo adverto, quod vt ſupra vidimus in tractatu de potentia Dei, Deus non agit niſi per actū intellectus, & voluntatis, iſti autē actus formaliter immanentes ſunt, & tantū virtualiter ſunt tranſeuntes, id eſt, ſunt formaliter immanentes qū virtute tamē, & efficacia ad inferendū effectus extra Deū: hinc ergo eſt, quod prædicti actus ſub formalitatę immanentium poſsint coniungi cum Deo ab æterno, ſine eo, quod ſub formalitate inferentium effectus ad extra Deo ab æterno conveniant: formalitas enim actus immanentis eſt primaria formalitas taliū actuū, à qua, ex quo actus ſunt, & cū Deo coniunguntur, non ſeparantur; vnde Deus ab ęterno dicitur volens, & res ab æterno dicūtur volitæ, & ſic actio divina eo modo, quo ab æterno actio dicitur, eo modo ab æterno Deū denominat agentē: formalitas autem virtualiter tranſeuntis non eſt formalitas actionis divinæ, quæ in ratione actionis tātū habeat, quod ſit immanens, ſed eſt quædā denominatio ortā ex eo quod virtute actionis divinæ tanquā ex principio activo effectus ponuntur in re, & ſic vt denominet Deum ad extra operantē, expectat fieri effectus ad extra: vnde nō habet Deo ab ęterno convenire, ſed tantum pro eo tempore, quo effectus in re ponitur.

Dices illa virtus, ex qua effectus ponūtur in tēpore in re actu convenit actioni divinę ab æterno: ergo ſi dicitur virtualiter tranſiens divina actio, ex quo habet virtutē, & efficaciā ad inferendū effectū ad extra, ab æterno divina actio dicetur virtualiter trāſiens, ſicut dicitur formaliter immanens. Reſp. in forma illa virtus, ex qua effectus ponuntur in re in tēpore actu convenit actioni divinæ ab æterno, diſt. Ant. actu convenit, id eſt, actu poſsidetur, cōc. Ant. actu cōvenit, exercitio illationis, nego Antec. & Conſ. Itaque, verū eſt quod ab æterno actio divina poſsidet vim illativā effectus ad extra, nō tamē illa virtus ab æterno ſe explicat in productionē effectuum, quia in ordine ad inferendū effectus determinatur per ipſā divinā actionē, vti actio immanens eſt, nam volitione ſua determinat Deus, quod illa virtus non inferat effectum ab æterno, prout poteſt inferre, ſed inferat ſolum, quādo Deus vult, quod inferat.

Inſtas, quando effectus ponitur temporaliter in re, verè tunc fit à Deo: ergo fit à Deo mediante aliqua actione, quę Deo cōvenit ab æterno, vel quæ Deo convenit in tempore. Si primū: ergo iam actio, qua in tēpore Deus operatur coniungitur cū Deo ab ęterno, & ſic difficultas pręſens manet inſoluta: nam in ea inquiritur, quomodo hęc duo cōponantur videlicet, quod actio factiva effectus æterna ſit, & nihilominus effectū tantū in tēpore ponat? Si ſecundū, ergo vel ponēda erit in Deo actio formaliter trāſiens tēporaliter à Deo egrediens, quod nō admittimus, vel dicendū, quod Deo cōveniat tēporaliter aliqua actio de novo, quæ cum illo identificetur, quod eſt peius. Ad hoc dico, quod, cū effectus ſit à Deo tēporaliter, fit media actione, quæ ſub formalitate immanentis Deo convenit ab æterno, & ſub munere virtualiter tranſeuntis convenit in tēpore: vnde non eſt neceſſe, quod Deus in tēpore agat, vel media actione formaliter tranſeunte, vel media actione, quę cum Deo identificetur, & Deo conveniat in tempore.

Sed adhuc inquiris? illā actionē æternā eſſe in tēpore virtualiter tranſeuntē, vel dicit ex parte Dei aliquā formalitatē actionis, quæ Deo conveniat in tempore, & nō ab æterno, vel eſt ſola poſitio tēporalis effectus in re virtute actionis convenientis Deo ab æterno? Si hoc ſecundū dicatur; iam ergo ex actione ęterna ſequitur effectus tēporalis, & ſic difficultas non ſolvitur: ſi dicatur primū, debemus dicere, quod Deo in tempore adveniat aliqua formalitas actionis, quod nō videtur dicendū. Reſp. eſſe ipſam ęternā actionē nō abſolute ſumptā, ſed vt connotantē fieri tēporale effectus: ſicut enim actus liber Dei non eſt ipſe divinus actus, prout abſolute Deo conveniens, ſed prout terminatur ad hoc obiectū nō habēs neceſſariā connexionē cū divina bonitate; ita & actio divina ſub munere virtualiter tranſeuntis nō eſt ipſa actio divina vt abſolute Deo cōveniens ab æterno, ſic enim tantū eſt immanens, ſed eſt illamet prout connotat fieri effectus temporalis.

Inſtabis contra dicta, per hoc præciſſe quod Deus ab ęterno vult effectū fieri in tēpore, effectus, omni alio excluſo tenēte ſe ex parte Dei, fit in tēpore; hoc autē velle effectū poni in tēpore eſt pure æternū: ergo Deus in tempore operatur per actionē Deo convenientē ab æterno. Ad hoc nego Mai. non enim effectus fit in tempore per hoc præciſſe, quod Deus voluit illum in tempore fieri, ſed vltra requiritur, quod Deus in tempore efficiat id, quod ab æterno in tempore fieri voluit: ad hoc autē vt Deus

Digitized by Google

temporaliter faciet, eſt neceſſe, quod ei in tempore factio conveniat, hæc autem non eſt aliud niſi ipſa actio æterna, prout in tempore connotat egreſſum effectus, quæ à nobis dicitur actio æterna ſub munere virtualiter tranſeuntis in tempore, & ſic omnia conſonant.

§. X.

Quid ſit creatio prout tenet ſe ex parte creaturæ.

555 DICO, quod creatio prout tenet ſe ex parte creaturæ, non eſt niſi ipſamet creatura, nec datur aliquod medium inter Deũ, & creaturam ſuperadditum ipſi creaturæ quaſi actio influens, & ratio producendi, ſed tantum eſt novitas termini cum relatione dependentiæ à Deo ad ipſam conſequuta. Concluſio eſt D. Thom. hic artic. 3. vbi illam tenet, & probat ſic: *Dicendum, quod creatio non ponit aliquid in creato niſi ſecundùm relationem tantum, quia quod creatur non fit per motum, vel per mutationem, quod enim fit per motum, vel mutationem fit ex aliquo præexiſtenti, quod quidem contingit in productionibus particularibus aliquorũ entium; non autem poteſt hoc contingere in productione totius eſſe à cauſa vniverſali omniũ entium, quæ eſt Deus: vnde Deus creãdo producit res ſine motu, ſubſtracto autẽ motu ab actione, & paſſione nihil remanet niſi relatio: vnde relinquitur, quod creatio in creatura non ſit niſi relatio quædam ad creatorem, vt ad principium ſui eſſe: ſicut in paſſione, quæ eſt cum motu, importatur relatio ad principiũ motus.* Hæc D.Thom. quibus concluſionẽ noſtram tenet, & probat.

Et quidem concluſio habet duas partes, quarum prima dicit quid non eſt creatio, nempe nõ eſſe aliquod medium inter Deũ, & creaturam, ſic quod, neque ſit Deus, neque creatura, quod aliqui aſſerebant, de quo modo opinandi inquit D. Th. q. 3. de pot. art. 3. quod *talis opinio eſt iudicata à Magiſtris erronea*, cum omnis res quocumque modo exiſtens, ſi Deus non ſit, à Deo neceſſe eſt eſſe, atque adeò neceſſe eſt creaturam eſſe. Sed probatur à nobis ſic, illud mediũ, quo res dicitur creari, ſeu paſsive eſſe creatam, debet recipi in aliquo ſubiecto, vel inhærendo, ſi ſit accidens, vel modificando, ſi modus ſit, nam ſubſtantia eſſe non poteſt, quia ſi ſubſtantia redderet rem creatã, cum ipſa non eſſet Deus, deberet eſſe creatã alia creatione, & per cõſequens media alia ſubſtantia, & rurſus illa alia eſſet creata; ergo daretur proceſſus in infinitũ, vel deveniretur ad aliquam ſubſtantiã, quę ſine vllo modo paſsive in ſe recepto creata foret, quod etiã dici poſſet de illa ſubſtantia primo creata; eſſet ergo accidens, vel modus identificatus cũ re creata: ergo vt realiter rei inhæreret, velut modus cũ re identificaretur, deberet ſupponere, quod ipſa res eſſet creata, ſeu eſſet exiſtens; neque enim poſſet ſubiectari in nihilo: ergo non poteſt eſſe mediũ, quo talis res creetur, & ponatur in facto eſſe, nam medium, quo res fit antecedere debet ipſam in facto eſſe, cum accipiatur vt medium ad hoc vt fiat.

Dices exiſtentiam ſubiectari in re, quã facit exiſtentem, nec tamen eam exiſtentẽ ſupponit, ſic & illa res media redderet rem creatã paſsive, & nihilominus in re creata reciperetur. Sed contra eſt, nam iſta res media non redderet formaliter rem creatam, ſed tantũ per modum influxus, cui correſponderet per modum termini eſſe paſsive creatũ, influxus autem, & cauſalitas, qua aliquid fit pro eo tempore, quo verè influere habet, debet in aliquo ſubiectari diſtincto ab eo, quod fit; neque enim ſpectat ad rem per modũ formæ conſtituentis illã, ſicut exiſtentia, quæ per modũ formæ rem facit extra cauſas eſſe, & ſic poteſt in ea ſubiectari: nõ ergo poſſet in re creata ſubiectari, neque eſſet aliquod aliud ſubiectum, cui inhæreret, vel quod modificaret: ergo vel per ſe ſubſiſteret, & ſic eſſet ſubſtantia, quod probavi falſum, vel non eſſet accidens, cũ nullum haberet, cui inhæreret ſubiectum: chymera ergo eſt ponere inter Deum, & creaturam aliquod medium per modum influxus in creaturam.

Dices ſecundo, quod etiam ſi prædictũ mediũ influxus ſit in rem creatam, poterit ſubiectari in ea: vidimus enim, quod actio generativa cauſat cõpoſitũ, & nihilominus ſubiectatur in cõpoſito, & ex illo educitur: poterit ergo prędictũ mediũ influere in rẽ creatã per modũ cauſalitatis, & nihilominus ſubiectari in re creata. Sed contra eſt, nam in generatione, & eſt ratio mutationis ſubſtantialis, & eſt relatio, qua genitũ refertur ad generans: ſi vt mutatio conſideretur, ſic ſubiectatur in materia, vel in cõpoſito ratione materię, quæ preſupponitur ad generationem, & nõ ut per illã, ſicut relatio, ſic habet pro ſubiecto cõpoſitũ, ſed prout

ſic

Digitized by Google

ſic non comparatur ad illud vt influxus ad terminum habentem eſſe per illum, ſed vt referens terminum productum ad generantem, à quo habuit eſſe: in creatione autem, cum, vt vidimus, ex nullo ſubiecto præſuppoſito fiat, non poteſt intelligi, quod prædictus influxus ſubiectetur in aliqua parte communi vtrique termino creationis, vnde deberet ſubiectari in ipſa re creata, ac per conſequens deberet ſupponere illam exiſtentẽ, vnde non poſſet eſſe influxus, vt ipſa fieret.

556 Secundam partem Concluſionis, videlicet, quod tantum ſit relatio creaturæ ad creatorem fundata in novitate eſſendi creaturæ probo 1. ex D. Thom. de potentiâ, quæſt. 3. art. 3. ibi: *Creatio nihil eſt aliud, quam relatio quædam ad Deum cum novitate eſſendi.* Ratione prob. nam creatio, vt vidimus ſupra, neque eſt motus, neque mutatio: vnde fieri rei creatæ, & factum eſſe prorſus ſunt idem: ablata autem ab aliquo fieri ratione motus, & mutationis, tantum reſtat relatio, qua vt dependens refertur ad agens, à quo fit id, quod producitur: igitur creatio, prout ſe tenet ex parte rei creatæ, ſolum erit relatio. Explicatur hoc. Quando ab aliqua productione aufertur ratio mutationis, & motus, tunc res, quæ producitur, immediate procedit ab agente ſe ipſo, & nullo alio intermedio: ergo in ipſa re, quæ ſic fit, tantum reſtat dependentia ab agente, a quo fit; hæc autem explicatur per relationem: ergo tantum remanet in eo relatio dependentiæ ab agente; at in creatione, vt vidimus, non eſt aliquis motus, vel mutatio: ergo id, quod fit, immediate à Deo creante ſe ipſo fluit, ac per conſequens tantum reſtabit in eo relatio creati ad creatorem, & ſic creatio nihil aliud erit quam relatio cum novitati eſſendi.

§. II.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

557 CONTRA Primam partem ſic arguitur. Etenim in omni cauſa efficiente debet dari cauſalitas, & influxus eius in effectum, quia cauſa ſine cauſalitate non operatur; ſed hæc cauſalitas, & influxus non eſt ipſemet effectus, cum hic ex influxu naſcatur, & procedat, & nihil procedit à ſe ipſo: ergo iſte influxus, & tendentia debet eſſe quid diſtinctum ab ipſo effectu producto, & tendenti: ergo debet eſſe quid medium inter Deum creantem, & rem creatam per modum fieri rei creatæ. Mai. prob. exemplo deſumpto ex omnibus agentibus, & effectibus creatis, in quibus ipſe influxus in effectum diſtinguitur ab effectu vt medium, ad hoc vt procedat, & fiat talis effectus. Ad hoc, d. ſt. Mai. in omni cauſa efficienti debet dari cauſalitas, & influxus eius in effectum, receptus in ipſo effectu, vel in aliquo intermedio inter cauſam, & effectum, nego Mai. cauſalitas, & influxus tenens ſe ex parte cauſæ, & in illa identificatus, vel receptus, conc. Mai. & conceſſa Min. & prima Conſeq. nego ſecundam, quæ ſubinfertur. Itaque in omni agente, & cauſante debet dari cauſalitas, quæ ſit actio ipſius cauſantis, non autem eſt neceſſe, quod præter prædictam actionem ponatur aliquod intermedium, medio quo virtus cauſæ deſcendat ad effectum: hoc enim ſolum eſt verum de agentibus per motum, & mutationem, quæ agunt tranſmutando aliquod commune ſubiectum de vno termino ad alterum; in his enim omnibus neceſſe eſt, quod intermediet aliquid per modum mutationis, vel motus, vi cuius virtus effectiva influat in effectum; non autem vera eſt doctrina in Deo creante, quia non agit per motum alicuius mobilis, ſed immediate deriuando ex ſe ipſum effectum.

Inſtabis: Etiam in creatione eſt fieri, & factũ eſſe: ergo creans mediante fieri derivat virtutem ad effectum, & ſic fieri erit quid medium inter creantem, & rem creatam. Reſpondeo ſecundum rem in creatione non dari fieri, ſed ſolum facere, & factum eſſe; datur facere, quia ex parte agentis tantũ datur virtus activa, & actio cum ipſo identificata; datur factũ eſſe tantem, quia non datur mutatio, vel motus, quibus ſolis proprie convenit fieri: datur autẽ tantum ſimplex effluxus rei, quæ creatur, qui effluxus intranſitive eſt res, quæ de novo incipit eſſe virtute activa Dei creantis, quod explicatur per relationem ad creaturam. Itaque virtute divinæ actionis vt virtualiter tranſeuntis res, quæ creatur, in eſſe ponitur per ſolam dependentiam creaturæ ad creatorem.

558 Contra ſecundam Concluſionis partem arguitur ſic. Creatio non debet conſequi ad creaturam; ſed relatio, quæ ſubiectatur in creatura, creaturam conte-

quitur: Igitur in prædicta relatione nequit conſiſtere eſſentia creationis. Conſeq. eſt bona, Min. certa, & Mai.prob. creatura fit per creationem: ergo creatio nequit conſequi ad creaturam. Confirm. ſi creatio conſequeretur ad creaturam, & in illa tanquam in ſubiecto inhæreat, ſupponet creaturam iam exiſtentem. Et tunc inquiro, vel exiſtentem per creationem, vel per aliam actionem, quæ non ſit creatio, vel à ſe ipſa? Secundum, & tertium nequit dici, aliàs non eſſet res creata: ergo oportet dicere primum: ergo neceſſe eſt fateri, creationē non poſſe conſequi rem creatam. Confir. ſecundo, iſta relatio ponitur eſſe creationem, vt per illam res, quæ de novo fit, dependeat à Deo, quia, vt dixi, creatio nihil eſt aliud, quam dependentia rei in novitate eſſendi à Deo creante; at prædicta dependentia nequit eſſe relatio, quæ ſit accidens rei, quæ creatur: ergo in prædicta relatione nequit conſiſtere creatio. Prob. Min. res, quæ creatur in ſuo eſſe ſubſtantiali dependet, nam dependet in eo, quod noviter à Deo accipit ſuum ſubſtantiale eſſe: ergo ſubſtantialiter dependet; ſed relatio eſt accidens ſupponens eſſe ſubſtantiale rei, quæ creatur: ergo non eſt ipſa depēdentia creaturæ. Secundo creatura dependet à Deo vt à cauſa efficiente ſui eſſe: ergo, prout ſic dependet, nā debet reſpicere Deū formaliter vt cauſam; at relatio, quæ eſt accidens rei, quæ creatur, cum ſit relatio prædicamentalis, nequit eſſe reſpectus ad cauſam, vt cauſam, nam in Schola Thomiſtica relatio prædicamentalis tantū reſpicit extremum, ad quod refertur ſub ratione puri termini relativi, non vero abſoluti, qualis cauſa vt cauſa eſt: igitur creatio non poteſt conſiſtere in prædicta relatione.

Ad hoc argumentum diſt. Mai. creatio non debet conſequi ad creaturam, creatio vt tenet ſe ex parte Dei, conc. Mai. vt tenet ſe ex parte rei creatæ, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque creatio, vt actio, cum ſit cauſalitas Dei creantis, prius debet intelligi, vel ſaltim non poſterius ipſa creatura, quæ fit, & creatur; non ſic autē loquendum eſt de creatione prout ſe tenet ex parte rei creatæ, quæ, cum non ſit fluxus, mutatio, vel motus, eſt ſola dependentia rei, quæ creatur à creante; omnis autem dependentia ſupponit, vel ſaltim non antecedit rem, quæ dependet, & ſic non eſt mirum ſi illam reponamus in aliquo conſequuto ad creaturam.

Sed inſtabis. Diximus ſupra, quod creatio prout ſe tenet ex parte rei creatæ non diſtinguitur à re creata: ergo contra, ſi ita ponimus creationem in relatione conſequuta. Prob. Conſeq. nam relatio conſequuta ad creaturam, & in illa vt in ſubiecto inhærens realiter diſtinguitur à creatura, in qua ſubiectatur: ergo. Ad hoc, nego Conſeq. ad prob. diſtinguo Antec. relatio conſequuta ad creaturam, & in illa ſubiectata, realiter diſtinguitur à creatura, à creatura formaliter ſumpta, nego Antec. à creatura fundamentaliter ſumpta, conc. Antec. & diſt. Conſeq. eadem diſtinctione. Itaque de creatione, & creatura poſſumus loqui dupliciter. Primo, adæquate, & iſto modo, ſicut creatura importat rem, quæ de novo incipit cum relatione dependentiæ, ita & creatio adæquate ſumpta importat novitatem eſſendi rei cum relatione dependentiæ: vnde non eſt diſtinctio inter creationem, & rem creatā. Si autem creatura ſumatur inadæquate pro ipſa re, quæ de novo incipit, & creatio ſumatur inadæquate pro ipſa relatione dependentiæ; ſic, creatio diſtinguitur à creatura realiter, ſicut & ipſa creatura fundamentaliter ſumpta realiter diſtinguitur ab ipſa relatione creaturæ. Vnde omnia conſonant. Nam, cum dicimus creationem non diſtingui à creatura, ſumimus creationem, non pro ſola relatione, ſed pro conflato ex ſubiecto, & relatione: cum autem ponimus creationem diſtingui à creatura, vel conſequi ad illam, tunc nomine rei creatæ, tantū accipimus fundamentum relationis, & nomine creationis deſignamus ipſam relationem dependentiæ, & ſic in nullo nobis opponimus.

Ad primam Confirm. concedo quod creatio vt relatio ſupponat rem iam exiſtentem. Et ad quæſitum dico, quod effective exiſtit per creationem tenentem ſe ex parte Dei vt cauſalitas eius cum ipſo realiter identificata. Sed, dum ponimus creationem in relatione prædicta, non loquimur de creatione active, & prout actio Dei eſt, ſed tantum prout ſe tenet ex parte rei creatæ, & ſic nihil inconvenit dicere, quod ſequatur ipſam rem creatam. Ad ſecundam Confirm. nego Mai. non enim res dependent à Deo per ipſam relationem, ſed per ſe ipſas; in eo enim dependent in quo efficiuntur, in ſe ipſis efficiuntur, & ſic in ſe ipſis, & per ſe ipſas dependent: re-

la-

Digitized by Google

lationem ergo dicimus creationem, vtpote, fundatam in dependentia; quam res habent à Deo per creationem activam Dei: quotieſcumque enim ex duobus extremis alterum dependent ab altero, & non è contra, in illo extremo, quod dependet, conſequitur relatio prædicamentalis fundata in tali dependentia, ſic ergo res à Deo creantur, & ex quo active creantur, dependent à Deo, non vero Deus ab illis, & ſic ad illas conſequitur relatio; quæ potius dicenda eſt relatio creationis, quam ipſa creatio.

Ad ſecundam prob. dico, quod res ipſæ, quæ creantur cum ſeipſis Dei effectus ſint, Deum vt cauſam reſpiciunt relatione tranſcendentali, quæ non diſtinguitur ab illis, ſed ad hanc reſpicientiam Dei vt cauſam naturali ſequela ſequitur relatio prædicamentalis, per quam ipſa res creata reſpicit creatorem vt purum terminum: ſicut contingit in ſcientia, & ſcibili: ſcientia enim per ſe reſpicit ſcibile vt menſuram, & cauſam ſui relatione tranſcendentali; ſed ad hanc reſpicientiam conſequitur prædicamentalis relatio, per quam ſcientia reſpicit ſcibile vt purum terminum. Vnde docet D. Thom. ſupra quæſt. 13. art. 7. ad 1. quod *quædam nomina ſunt impoſita ad ſignificandas ipſas habitudines relativas, vt Dominus, ſervus, Pater, & Filius, & huiuſmodi, & hæc vocantur relativa ſecundum eſſe; quædam vero ſunt impoſita ad ſignificandum res, quas conſequuntur quædam habitudines; ſicut movens, & motum, caput & capitatum, quæ dicuntur relativa ſecundum dici*, & inter huiuſmodi relativa numeramus creaturam, & creatorem; non enim hæc nomina per ſe ſunt impoſita ad ſignificandas ipſas habitudines relativas creaturæ, & creatoris, ſed ſunt impoſita ad ſignificandum aliquod abſolutum, ad quod conſequuntur huiuſmodi habitudines: vnde dicenda ſunt relativa ſecundum dici; non ſecundũ eſſe, quia eſto creatura inſeparabiliter coniungatur cum relatione creationis, tamen non eſt nomen per ſe primo impoſitum ad ſignificandam relationem, ſed ad ſignificandũ abſolutum dependens, ad quod naturali ſequela conſequitur relatio. Hinc quia non habemus duo nomina, alterum ad ſignificandum abſolutum, alterum ad ſignificandum relativum, nomine *creatura* vtrumque ſignificamus, & ſimiliter nomine *creationis*: vnde ſi aliquando apud D. Thom. invenitur, quod relationem ſubſequutam ad creaturam appellet creationem, hoc debet intelligi, conſequutivè, non vero pro primario ſignificato, ad quod ſignificandum hoc nomen *creatio* impoſitum eſt. Quod cõvinco, ex eo quod creatio paſsive ſumpta idem prorſus eſt, ac creatura; ſed creatura tantũ ex conſequenti ſignificat relationem: ergo creatio paſsive ſumpta tantum ex conſequenti ſignificat relationem. Et etiam, quia creatura pro formali tantũ dicitur talis, creatione paſsive ſumpta, ſicut murus dicitur albus ab albedine; ſed creatura tantum ex conſequenti dicit relationem: ergo & creatio tantum ex conſequẽti dicet creationem.

559 Sed his oppones Div. Thom. hic in fine corporis aſſeverantem: *Vnde relinquitur quod creatio in creatura non ſit niſi relatio quædam ad creatorem, vt ad principium ſui eſſe*. Et ad 3. *Creatio ſignificata vt mutatio, habet creaturam pro termino; ſed ſecundum quod vera relatio eſt, habet creaturam pro ſubiecto*: ergo primarium ſignificatum huius nominis *creatio* eſt ipſa prædicamentalis habitudo. Et magis vrget primum teſtimonium, nam ſi creatio nihil aliud eſt in creatura, niſi quædam relatio ad creatorem; igitur nomine *creationis* non ſignificatur primo abſolutum, & ſecundario relativum; & ſic erit falſa noſtra doctrina. Respondeo in prima authoritate tantum velle D. Thom. excludere à ratione creationis illud medium per modum influxus, vel mutationis, quod ponebant eſſe creationem illi Authores, quos ibi impugnat; non autem per illam excluſivam, *niſi*, velle excludere ipſum abſolutum dependens, in quo relatio creationis fundatur. Ad ſecundam dico, quod cum dicit creationẽ eſſe veram relationem fundatam in creatura, accipit creationem inadæquate pro ſignificato conſequuto ad creaturam, & accipit creaturam etiam inadæquate pro ipſa re creata, non vero accipit creaturã adæquate prout hoc nomine ſignificatur ex conſequenti ipſa relatio creationis.

Sic philoſophatus ſum tenendo quod creatio nullo modo diſtinguitur à creatura: vnde ſicut creatura primario eſt quid abſolutum; & ſecundario relativum, ita dixi de creatione, quod primario dicat abſolutum & ex conſequenti relativum. Cæterum quia vt patet ex contextibus D. Th. creatio vt ſe tenet ex parte creaturæ non eſt ipſa creatura, ſed in ipſa ſubiectatur, ne videar à via D. Tho. aliqualiter recedere,

dico creationem, prout tenet ſe paſsive ex parte rei creatæ, eſto non diſtinguatur à creatura vt fluxus intermedius, vel vt fieri receptum in illa, vel vt mutatio, vel vt motus, diſtingui tamen ab illa vt relatio conſequuta ad illam, per quam creatura, quia à Deo dependet per eſſe receptum, ad Deum refertur, & illum vt purum terminum reſpicit. Itaque creatio non eſt ipſa dependentia rei creatæ à Deo, ſed eſt tantum ipſa relatio naturaliter conſequuta ad rem ſic dependentem, quæ ſupponit creaturam, & in ipſa fundatur, vt multoties docet D. Tho. nam quæſt. 3. de pot. art. 3. ad 7. dicit: *Id, ex quo adquiritur relatio creationis principaliter eſt res ſubſiſtens, à qua differt ipſa creationis relatio, qua & ipſa creatura eſt, & non principaliter, ſed quaſi ſecundario, ſicut quid concreatum.* Quibus, vt apparet, nomine *creationis* non ſignificatur ipſa creatura, ſed ſignificatur ipſa relatio prædicamentalis realiter ab illa diſtincta. Itaque ſtando in terminis abſolutis creationis, ſola actio, qua Deus active creat, vocatur creatio; illa autem, quæ ſe tenet ex parte rei creatæ, abſoluta nō eſt, ſed pure relativa: neque enim, ſic loquendo de creatione, volumus aliud ſignificare, quam ipſam relationem fundatam in novitate eſſendi creaturæ.

§. XII.

Solvuntur argumenta contra hunc modum dicendi.

560 CÆTERVM Contra hunc modum dicendi, quem exiſtimo eſſe magis de mente D. Tho. arguit Scotus, probando, quod creatio non ſit relatio diſtincta à creatura, ſed ſit identificata cum illa, nempe tranſcendentalis. Illud, quod proprie in eſt alicui, & ſine quo illud non poteſt eſſe ſine contradictione, eſt idem ſibi realiter; ſed relatio lapidis ad Deum creatorem eſt huiuſmodi: ergo talis relatio, in qua conſiſtit ratio creationis, eſt idē realiter ipſi lapidi, & ſic non erit accidens prædicamentale Mai. prob. Contradictio ſecundum eſſe, & non eſſe, dicta de aliquibus infert diſtinctionem realem illorū: ergo impoſsibilitas recipiendi talia contradictoria infert identitatem illorum. Quod declarat ſic: Impoſsibilitas, quod, *A*, ſit ſine *B*, aut eſt propter identitatem illorum, aut propter ſimultatem in natura eorundem, aut propter poſterioritatem ipſius *A*; ſed nihil horum duorum vltimorum convenit lapidi reſpectu relationis ad Deum creatorem, vt patet, & tamen convenit non poſſe eſſe ſine *B*: igitur conveniet tantū propter identitatem, quam habet *A*, cum. *B*. Confir. nam quod vniformiter dicitur de omni alio à Deo ad ipſum Deum, nulli accidit; ſed talis relatio vniformiter cōvenit omni creaturæ: ergo nulli creaturæ accidit, & ſic erit idem cum creatura. Confir. ſecundo. *Subſtātia*, vti habetur 7. Metaph. *eſt prior accidente, natura, definitione, & tempore*, quæ particula intelligitur ſic, quod nulla eſt cōtradictio ex parte ſubſtantiæ, quin poſsit eſſe prior duratione omni accidente: ergo ſi dependentia ad Deum eſt accidens, quod eſt relatio prædicamentalis, nulla erit contradictio in eo, quod lapis eſſet prior duratione omni dependentia ad Deum, & ſic eſſet abſque eo, quod dependeret à Deo.

Ad hoc argumentum, nego Mai. eſto enim bene valeat, hoc exiſtit realiter, & non exiſtit ſimul: ergo iſta duo realiter diſtinguūtur, non tamen bene valet: hoc non poteſt exiſtere ſine hoc: ergo realiter non diſtinguitur ab hoc; nam poteſt prædicta impoſsibilitas oriri non ex ſolo capite idētitatis, ſed etiam ex capite connexionis: duo enim correlativa non poſſunt non ſimul exiſtere, & tamen inter ſe realiter diſtinguuntur. Sed inquit Scotus illam propoſitionem ſolum habere exceptionem in his, in quibus non habetur eſſentialis dependentia, qualis habetur inter duo correlativa. Cæterum inter duo correlativa vt talia nulla habetur depēdentia, ſed tantum connexio, non enim vnum relativum formaliter ab alio dependet, alias illud reſpiceret vt cauſam ſui, & non vt purum terminum: ſimiliter poſito fundamento, & termino, non poteſt non poni relatio, non quia identificatur cum illis, ſed quia habet neceſſariam connexionem cum illis: cum ergo poſita creatura in eſſe, non poſsit non poni fundamentum, & terminus, ſit inde, quod ratione connexionis eſſentialis, quæ eſt inter relationem, & creaturam, non poſſit exiſtere creatura, quin exiſtat relatio creationis. Ex his patet ad declarationem: non enim in illo disiuncto numerantur omnes cauſæ inſeparabilitatis, quæ poteſt contingere inter duo, quod debet fateri ipſe Scotus. Etenim apud ipſum totum realiter diſtinguitur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis; & tamen partes, & totum non ſunt ſimul natura, neque ſunt poſteriores ter-

Digitized by Google

tertia entitate totius, neque dependent ab illa: ex alio ergo capite, in ipſius ſententia, hæc inſeparabilitas oritur, nempe ex connexione neceſſaria, quæ invenitur inter partes ſimul ſumptas, & vnitas cum ipſa tertia entitate totius: hoc ipſum nos dicimus in præſenti, quod propter neceſſariam connexionem, quæ reperitur inter fundamentum & terminum ex vna parte, & relationem ex alia, nequit relatio creaturæ ad Deum ab ipſa creatura ſeparari.

Sed inſtas illa connexio fundamenti, & termini cum relatione, ſi relatio non identificatur cum fundamento, non videtur eſſe tanta, quod non poſsit dari ſeparatio relationis ab illo: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. relatio eſt effectus ſecundarius poſitivus ipſius Dei creantis, nec maiorem connexionem habere poteſt cum fundamẽto, & termino, quam habeat riſibilitas cum homine; vel aliud proprium quarto modo cum ſuo ſubiecto; ſed poteſt Deus ponere hominem, quin riſibilitas ſit in illo: ergo & poterit ponere creaturã, quin relatio prædicamentalis ad Deum ſit in creatura.

Caietanus hic ar. 3. §. *ad evidentiam* nõ videtur ponere maiorem inſeparabilitatem inter relationem creaturæ ad Deum, & ipſam creaturam, quam ſit inter riſibilitatem, & hominem: ſic enim ait: *Dicendum quod huiuſmodi relatio dependentiæ ad Deum in qualibet creatura eſt accidens diſtinctum realiter à ſubſtantia, & quod tam creatura non poteſt eſſe ſine huiuſmodi dependentia, ſicut nec homo, quin ſit riſibilis.* Hæc Caietanus: vnde vel ſentit, quod de potentia abſoluta nequit ſeparari riſibilitas ab homine, ſicut nec ipſa relatio dependentiæ à creatura, vel ſentit quod vtrumque de lege ordinaria tãtum inſeparabilia ſint, quamvis non de potentia abſoluta.

XIII.

Expenditur mens propria circa huiuſmodi punctum.

561 DICAM Quid in hoc puncto ſentiam circa ſeparationem relationis dependentiæ creaturæ ad Deum ab ipſa creatura, & circa inſeparabilitatem relationis à fundamento vt ſic. Circa hoc ſecundum ſum in ea opinione, quod de potentia abſoluta poteſt Deus poſitis duobus extremis albis v. g. impedire relationem ab vtroque extremo. Quod mihi probat inſtantia facta, neque enim illæ duæ relationes maiori neceſsitate coniunguntur cum illis duobus extremis, quam riſibilitas coniungatur cum homine, at poteſt Deus riſibilitatem impedire, ne fluat ab homine: ergo & poterit impedire illas duas relationes, ne fluant à fundamentis ſuis. Conſ. eſt bona, Min. certa, & Mai. prob. aliqua non poſſunt connecti maiori connexione, quam ſit eſſentialis, qua connectuntur prædicata eſſentialia inter ſe, vel qua connectitur proprium quarto modo cum eſſentia; at connexio relationis cũ extremo, à quo oritur non eſt eſſentialis: ergo erit connexio, qua proprietas quarto modo, ſcilicet, riſibile connectitur cum homine: non ergo maiori neceſsitate connectuntur inter ſe duo extrema alba cum relationibus ex illis ortis, quam riſibilitas connectatur cum homine.

Circa primum punctum dico, nullum eſſe inconveniens ſeparare relationem prędicamentalem, qua creatura refertur ad Deum ab ipſa creatura. Hoc ſic ſuadeo, ſi aliquod eſſet maxime, quia ex hac ſeparatione ſequeretur creaturam eſſe ſine dependentia à Deo, ex quo ſequeretur non eſſe creaturam, & ſic darentur duæ contradictoriæ ſimul veræ; at hoc non ſequeretur: ergo. Prob. Mi. creatura non dependet à Deo per reſpectum prædicamentalem, quem dicit ex conſequenti ad Deum, ſed tantum per tranſcendentalem cum ipſa identificatum, hic autem reſpectus tranſcendentalis maneret in creatura, etiam ſi prædicamentalis ſepararetur ab illa; ergo prædictum inconveniens non ſequeretur. Prob. Mai. primò, inductione, ſcientia enim non dependet à ſcibili ipſa relatione prædicamentali, ſed tranſcendentali identificata cum ipſa ſcientia; ſignum non dependet à ſignato ipſa relatione prædicamentali, qua refertur ad illud: ergo neque creatura dependebit à Deo ipſa relatione prædicamentali, qua refertur ad illum. Prob. Conſ. nam omnia iſta tria ex conſequenti dicunt relationem prædicamentalem dependentiæ.

Secundo. Prob. nam ipſa dependentia formaliter non eſt ad aliud, ſed ab alio, ob quam rationem Caietanus probat, quod vna relatio formaliter non ſpecificatur ab altera relatione, ſic enim dependeret ab illa, ſed ſpecificatur ad aliud, id eſt, à ſeipſa intranſitive: igitur ipſa relatio prædicamentalis, quam dicit creatura ad Deũ non eſt ipſa dependentia creaturæ à Deo, ſed ex con-

conſequenti ſe habet ad illam: nullum ergo eſt inconveniens, quod creatura exiſtat à parte rei, & quod relatio prædicamentalis creaturæ non exiſtat. Tertio dato, & non conceſſo, quod ipſa relatio conſequuta ſit ipſa dependentia, adhuc creatura non amitteret eſſe creaturæ: ergo adhuc non erit inconveniens, quod relatio prædicta ſeparetur à creatura. Prob. Ant. adhuc creatura eſſet radix talis dependentiæ, & ei eſſet debita, eo modo, quo ſeparata riſibilitate ab homine, adhuc homini debetur riſibilitas: ergo adhuc eſſet creatura, nam tunc diſtingueretur à Deo, eo quod Deus neque habet dependentiam ab alio, nec exigit eam habere: creatura autem, eſto actu nõ haberet, exigeret tamen ab intrinſeco radicare eam. Quarto ablata riſibilitate ab homine, adhuc hæc eſt vera, *homo eſt riſibilis*: ergo ablata prædicta dependentia à creatura, adhuc hæc eſſet vera, *creatura eſt à Deo dependens*. Prob. Conſ. ideo primum eſt verũ, quia prædicta propoſitio facit hunc ſenſum, homini debetur riſibilitas: ergo & ſecundum erit verum, quia illa propoſitio facit hunc ſenſum, creaturæ debetur dependentia à Deo.

562 Sed circa hoc ipſum dico ſecundo. Si ponatur quod relatio etiam tertij ordinis (ſicut ponit Schola Thomiſtica) terminatur ad purum terminum, id eſt, ad correlativum, non eſt inconveniens, quod exiſtat creatura ſine eo quod actu exiſtat relatio prædicamentalis ad Deum. Prob. nam Deus non eſt correlativus creaturæ per relationem realem ad creaturam, ſed tantum per relationem rationis, quam ipſe Deus non facit, ſed tantum intellectus noſter fingit: ergo ſi nullus intellectus prædictam relationem fingat, ſicut contingere poteſt, ex parte creaturæ ad ipſum realis non conſurget relatio: dabitur ergo creatura ſine actuali exiſtentia relationis. Dices cum Caietano Deum non conſtitui terminum relationis creaturæ per relationem rationis, ſed tantum per ipſam relationem creaturæ, quæ referendo intrinſice creaturã ad Deum, extrinſice Deo communicata illum conſtituit in linea relativa ſecundum conceptum terminandi, eſto non ſecundum conceptum referendi; vnde verificatur relationem creaturæ terminari ad Deũ antequam intellectus noſter fingat in eo relationem rationis.

Cæterum hæc ſententia Caietani multis viſa eſt difficilis, & non ſequitur ab omnibus ex eo quod relatio creaturæ debet terminari ad ſibi realiter relative oppoſitũ; ac ad realiter diſtinctum in eo genere, quo ponitur realiter terminus eius; ſed ſi vna tantum relatione creatura refertur ad Deum, & Deus terminet eandem relationem, ratio terminandi in Deo non eſt diſtincta à ratione referendi, quæ ſe tenet ex parte creaturæ: ergo neque erit ei realiter oppoſita, ac per Conſ. per illam Deus non poterit conſtitui terminus relationis creaturæ. Secundo nam eſto actio viſiva, qua videtur murus v.g. manens in agente, conſtituat agens videns, & murum viſum, relatio tamen vna nequit intrinſice referre creaturam ad Deum, & Deum extrinſice denominare terminum relationis creaturæ: ergo. Ant. ſic probo, aſſignando diſcrimen inter viſionem, & relationem. Nam viſio, eſto maneat in agente, tamen intelligitur vt egrediens ab ipſo, & tendens in murum, & ſic poteſt denominationem viſũ dare muro, prout intelligitur extrinſice afficere illũ; cæterum relatio creaturæ tantum intelligitur vt forma creaturæ, nulloque modo intelligitur vt ab illa egrediens, & ſic nequit intelligi vt afficiens extremum, ad quod referri creaturam; ac per conſequens nequit intelligi vt apta ad denominandum ſe ipſa Deum terminum ipſius relationis creaturæ.

Sed quidquid ſit de iſto modo dicendi, ratio noſtra illo non infringitur quia & à paucis ſequitur, & communiter amplexatur illa, qui affirmat Deum per relationem rationis, per quam correfertur ad creaturam terminare relationem creaturæ: in hoc ergo modo dicendi, ſi ex parte Dei non ponitur relatio rationis ad creaturam non ponetur ex parte creaturæ relatio realis dependentiæ ad Deum; ſed poteſt contingere quod in Deo talis relatio non ponatur quia contingens eſt noſtrum intellectum eam fingere, vel non: ergo poterit de lege ordinaria exiſtere creatura abſque prædicamentali relatione ad Deum.

Nec valet dicere cum Ferrara, quod ſi in Deo non exiſtat relatio rationis ad creaturam, ex parte creaturæ erit relatio realiter terminata, ſed non formaliter ex defectu correlativi. Non (inquam) valet, nam in ſententia, quæ ponit relationem terminari ad relativum, & non ad abſolutum, non ſtat relationem exiſtere realiter ex parte vnius extremi, quin relatio rationis exiſtat ex parte alterius, cum ergo ex par-

Digitized by Google

parte Dei non ponatur relatio rationis ad creaturam, etiam ex parte creaturæ non erit relatio realis ad Deum. Tum etiam; nam relatio non exiſtit realiter in ſeipſa viſi formaliter conſtituens ſubiectum relatum ad aliud; at in Schola Thomiſtica per ly *ad aliud* intelligitur non abſolutum, ſed correlativum: ergo ſi Deus non referatur relatione rationis ad creaturam, creatura realiter non referretur ad Deum.

Nec valet etiam ſi cum alijs dicas, in Deo creatore etiam ſi intellectus noſter non fingat relationem rationis, ſemper tamen hanc exiſtere exiſtentia ſui fundamenti, & ſic ſemper in creatura exiſtere realem relationem ad Deum. Non (inquam) valet, nam ens rationis, cum tantum habeat eſſe obiective in intellectu, incapax eſt exiſtendi per exiſtentiam fundamenti, quæ eſt realis, & ante opus intellectus conveniens ei: per hoc enim ens rationis dicitur, quod non poteſt à parte rei exiſtere, at ſi exiſtat exiſtentia fundamenti, ante omnem conceptionem intellectus noſtri vere exiſtet à parte rei per exiſtentiam realem: ergo non erit ens rationis, cum ergo relatio, qua Deus refertur ad creaturam ſit rationis, non eſt dicendum illam ſemper exiſtere per exiſtentiam fundamenti.

Hanc ergo doctrinam ſequentes admittamus Scoto, quod connexio neceſſaria, quæ reperitur inter relationem realem creaturæ ad Deum, & ipſam creaturam, nõ ſit tanta, quod divinitus non poſſit exiſtere creatura ſine tali relatione, ſicut homo exiſtere poteſt ſine ſua riſibilitate, quo ad miſſo, nullum ſequitur inconveniens, nam creatura talis eſt ex hoc quod à Deo dependeat, non vero ex hoc quod ad Deum reali relatione referatur, cum illud primario ei conveniat, & hoc tantum ſecundario, & ex conſequenti vt multoties docet D. Th. Vnde ſi creatura exiſtat ſine tali relatione nulla habebitur contradictio, cum ſine illa per relationem tranſcendentalem ad Deũ poſſit dependere à Deo. Ad primam Confir. Cajet. negat Min. videlicet, quod relatio dependentiæ ad Deum vniformiter conveniat omni enti creato, ſiquidem creatura relatione diſtincta refertur ad Deum, & ipſa relatio, cum etiam ens creatum ſit, non per aliam relationem referatur ad Deum, ſed ſeipſa intranſitive.

Sed melius reſp. negando Mai. cum enim omne ens à Deo factum conveniat in prædicato ſubſtantiali creaturæ, & ad hoc vt propria paſſio ſequatur prædicta relatio, non eſt inconveniens, quod vniformiter omni enti conveniat, & ſimul accidens ſit. Ad ſecundam Confir. dicit Caietanus; quod ad verificandum illam propoſitionem, videlicet; quod nulla ſit contradictio in eo quod ſubſtantia duratione ſit prior accidente; ſufficit hoc verificari de aliqua ſubſtantia, qualis eſt prima ſcilicet, Deus, & quælibet intelligentia ſecundum Averroem. Cæterum non eſt neceſſe ad hoc venire, cum enim dixerimus, ipſam relationem creaturæ non eſſe ipſam dependẽtiam, ſed ſupponere illam ſeipſa relatione tranſcendentali à Deo dependentẽ, & probatum ſit etiam, non repugnare creaturam exiſtere ſine tali relatione, nulla via convincetur, quod repugnat ſubſtantiam non eſſe priorem tempore omni eius accidente. Vnde ad argumentum in forma, conc. Conſ. ſed nego, quod dependentia creaturæ à Deo ſit accidens creaturæ, cum dixerimus eſſe ipſam ſubſtantiam ſeipſa relatione tranſcendentali à Deo dependentem.

563 Verum contra hanc noſtram doctrinam. Inſtabis primo, illa relatio, qua creatura refertur ad Deum, per nos, eſt ipſa creatio creaturæ; at impoſſibile eſt ſine creatione intelligere exiſtentem creaturã: ergo & impoſſibile erit, quod creatura exiſtat non exiſtente tali relatione. Secundo inſtabis ſubſtantia ſeipſa intranſitive nequit dependere à Deo per illam relationem tranſcendentalem: ergo dependentia eius à Deo erit accidens relativum, quod eſt contra dicta. Prob. Ant. ſi ſubſtantia ſeipſa poſſet dependere ab aliquo extrinſeco, poſſet quoque ab extrinſeco ſpecificari; hoc autem eſt falſum: ergo. Prob. Mai. ad hoc vt aliquod vnum extrinſice poſſit ſpecificari ab altero, ſufficit, quod in eſſe dependeat ab illo: ergo ſi ſubſtantia ſeipſa poteſt dependere ab aliquo extrinſeco, poterit quoque ſpecificari ab illo. Min. vero prob. nam ſi ſubſtantia ſeipſa poſſet ſpecificari ab aliquo extrinſeco, poſſet dari ſubſtantia ſupernaturalis creata, ſicut dantur accidentia ſupernaturalia creata: hæc enim traditur à Thomiſtis differentia in eo, quod, quia ſubſtantia eſt ens per ſe, nequeat ab extrinſeco ſpecificari; accidens vero, cum ſit ens in alio, poteſt ab extrinſeco ſuam deſumere ſpeciem, ex quo inferunt, poſſe dari accidentia creata ſupernaturalia, non vero poſſe dari ſubſtantiam ſupernaturalem creatã, quia ſpecificaretur ab extrinſeco, videlicet,

à

Digitized by Google

à Deo prout in ſeipſo eſt, cuius eſſet formalis participatio; quod repugnat conceptui ſubſtantiæ, quæ dicitur ens per ſe, id eſt, in ſe habens, à quo ſuam ſpeciem deſumat: ergo.

Ad primam dico, repugnare dari creaturam ſine creatione actiua, quæ illã antecedit vt cauſa effectum; non vero repugnare dari creaturam ſine creatione, quæ ad illam conſequitur, & illam exiſtentem ſupponit: prius enim non ſic connectitur cum poſteriori, quod non poſſit exiſtere ſine illo; cum ergo creatio, de qua loquimur, conſequutive ſe habeat ad creaturam, & illam exiſtentem, & ſubſiſtentem ſupponat, non ſic connectitur neceſſario cum illa, quod creatura non poſſit exiſtere ſine illa. Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo negando Ant. ad prob. nego Mai. ad prob. ſimiliter, nego Ant. non enim ad hoc vt vnum ſpeciem capiat ab altero ſufficit realiter dependere ab illo, ſed requiritur, quod ab illo dependeat in genere cauſæ formalis, & ratione ſuorum prædicatorum eſſentialium, & propriæ differentiæ, quaſi ab illo in genere cauſæ formalis prædictam differentiam recipiens, quod repugnat ſubſtantiæ, quæ ex ſua ratione differentiali ens per ſe eſt, & dicitur; non ſic per ſe, quod à ſe habeat eſſe in genere cauſæ efficientis, ſed quod in ſe habeat eſſe in genere cauſæ formalis, & non quærat illud ab alio extra ſe: per hoc enim datur diſcrimen ab accidentibus, & per hoc probatur non poſſe dari ſubſtantiam ſupernaturalem. Quia cum hæc conſtitueretur per hoc, quod in ſui ratione differentiali eſſet participatio formalis Dei, prout in ſe eſt, à Deo prout in ſe eſt ſpeciem caperet, ſicut illam capit gratia habitualis, & alia auxilia ſupernaturalia, quod non currit in dependentia, qua ſubſtantia creata dependet à Deo vt à primo efficiente, quia in ſeipſa, licet ſit ens in ſe, per ſe, & abſolutum; non tamen eſt ens à ſe in linea cauſæ efficientis, & ſic poteſt ſeipſa dependere à Deo vt creatura, ſine eo quod inde ratio differentialis ſubſtantiæ deſtruatur, & ſine eo quod inde ſequatur poſſe dari ſubſtantiam creatam ſupernaturalem.

(.?.)

QVÆSTIO II.

De His, quæ proprie creantur.

§. I.

Vtrùm proprie creari ſolum conveniat ſubſiſtentibus, & compoſitis?

564 AD Hoc reſpondet D. Tho. hic quæſt. 45. art. 4. ſolum ſubſiſtentia ſive compoſita ſint, ſive ſimplicia proprie creari. Quod probat ex eo quod creari eſt quoddam fieri, fieri autem ordinatur ad eſſe rei, vnde illis convenit fieri, & creari, quibus convenit eſſe; hoc autem ſolum proprie convenit ſubſiſtentibus, ſive ſint ſimplicia vt ſubſtantiæ ſeparatæ, ſive ſint compoſita vt ſubſtantiæ materiales: igitur ſola ſubſiſtentia proprie creantur. Min. probat illi enim convenit eſſe, quod habet eſſe; ſola ſubſiſtentia habent eſſe, nam formæ, & accidentia, & alia huiuſmodi non dicuntur entia, quaſi ipſa ſint, ſed quia eis aliquid eſt, vt albedo ea ratione dicitur ens, quia ea ſubiectum eſt album: ergo ſolis ſubſiſtentibus convenit eſſe; ac per conſequens illis ſolis convenit proprie creari.

Circa quam literam primo occurrit difficultas, circa illam propoſitionem *creari eſt quoddam fieri, quod ordinatur ad eſſe.* Etenim ſupra vidimus quæſt. præcedenti, quod inter creationem actiuam, quæ ſe tenet ex parte Dei creantis, & ipſam creaturam, quę creatur, non eſt fieri inter medium; at fieri, quod ordinatur ad eſſe rei, eſt fieri inter medium per modum fluxus, & cauſalitatis ipſius rei in facto eſſe: igitur in hac propoſitione habetur contradictio doctrinæ D. Tho. & à nobis traditæ. Prob. Min. fieri quod ordinatur ad eſſe non eſt ipſum facere, quod ſe tenet ex parte Dei; non eſt ipſa res, quę fit: ergo eſt quoddam intermedium inter faciens, & factum. Ad hoc dico quod creatio rei paſſive ſumpta poteſt ſignificari vt mutatio, & ſic ordinatur, vel terminatur ad creaturam ſecundum noſtrum modum intelligendi; non vero realiter: ſecundum vero quod eſt relatio, creatura eſt eius ſubiectum. Ita in terminis docet D. Thò. hic quæſt. 45. ar. 3. ad 3. Cum ergo in hoc articulo 4. dicit, quod creari eſt quoddam fieri, quod ordinatur ad eſſe rei, non loquitur de

de creatione realiter, ſed tantum ſecundum modum noſtrum intelligendi, prout intelligitur à nobis per modum mutationis cuiuſdam, & fieri rei, quæ creatur. Vnde in forma ad rationem dubitandi in contra adductam, diſt. Mai. non eſt fieri intermedium, ſecundum rem, conc. Mai. non eſt fieri inter medium, ſecundum modũ noſtrum ſignificandi, in quantum ipſam relationem conſequutam, quam dicimus creationem, ſignificamus per modum mutationis, nego Mai. & diſt. Min. fieri, quod ordinatur ad eſſe rei eſt fieri intermediũ, ſi ſit vere, & realiter fieri, & vere, & realiter ordinetur, conc. Min. ſi tantum ex modo noſtro ſignificandi ordinetur ad eſſe rei, fieri intermedium ſecundum modum ſignificandi tantum, conc. Min. ſecundum rem, nego Min. & nego Conſeq.

565 Secundo occurrit difficultas in eo, quod dicit D. Thom. quod ſolũ ſubſiſtentia, ſive compoſita vt ſubſtantiæ materiales, ſive ſimplicia, vti ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, proprie creantur. Circa quod videtur diminute loqui, nam anima rationalis proprie per ſe creatur, & tamen neque eſt compoſitum materiale, neque eſt ſimplex ſubſtantia ſuperata: ergo D. Thom. diminute loquitur. Reſpondeo Div. Thom. comprehendere nomine ſubſtantiæ ſeparatæ etiam animam, quia licet pro hoc ſtatu ſit corporis forma, & ſolum ſit corpori coniuncta, tamen poteſt naturaliter ſubſiſtere ſeparata à corpore, & de facto ſubſiſtit ſeparata; vt patet in animabus Purgatorij, Beatorum, Lymbi, & Inferni, eadem enim videtur eſſe ratio de his, quæ ſeparata poſſunt ſubſiſtere, ac de his, quæ de facto ſeparata ſubſiſtunt; cum enim vtriſque conveniat proprie habere eſſe, proprie convenit creari, & fieri.

566 Tertio occurrit difficultas, quia D. Tho. ſua ratione non probat, quod prædicta, quæ enumerat proprie creentur. Etenim non valet homo per ſe ſubſiſtit in ſuo eſſe, & ei per ſe convenit fieri: ergo homo proprie creatur, & idem de pluribus alijs argumentum fit: ergo. Reſp. D. Thom. non probare quod de facto prædicta creentur, ſed probare quod ſola illa enumerata ſint capacia huius, quod eſt proprie creari, quod convincit ratio adducta. Nam, cum creatio per ſe terminatur ad ens ſub ratione entis, illi per ſe ſoli poterit convenire ratio creationis, quod per ſe erit ens: ſolum autem per ſe ſubſiſtentia, per ſe ſunt entia; nam non ſubſiſtentia ſunt entis entia, vt de accidentibus dicit Philoſophus, & de formis materialibus, quod non dicuntur eſſe, quia ſint, ſed quia illis compoſita ſunt: & ſic ſola per ſe ſubſiſtentia habent aptitudinem, vt proprie creentur, quod ſolum intendit probare D. Thom.

567 Quarto occurrit difficultas contra id, quod dicit D. Thom. videlicet, quod accidentia non ſunt entia, ſed entis entia, & ſic non ſunt apta ad terminandam creationem. Etenim ens duplici analogia dicitur de ſubſtantia, & accidentij alia proportionis, vel attributionis, & alia proportionalitatis: ſecundum primam analogiam, verum eſt, quod accidentia non ſunt, nec dicuntur entia, ſed tantum ſunt entis entia; ſic enim tantum dicuntur entia, quatenus dicunt habitudinem ad ens, quod eſt ſubſtantia, cui inſunt, & propter quã ſunt; ſecundum vero ſecundam analogiam proprie dicuntur entia: vnde iſtæ prædicationes: *accidens eſt ens, quantitas eſt ens*; ſunt veriſsimæ, ſicut & vera eſt iſta; *ſubſtantia eſt ens*, cuius ea aſsignatur ratio, quia in analogia proportionalitatis non explicatur dependentia vnius analogati ab alio, ſed tantum explicatur proportio; hoc eſt, ſic ſe habere accidens ad ſuum in eſſe ſicut ſubſtantia ad ſuum eſſe: verificatur ergo proprie de accidentibus, quod entia ſint. Tum entia, quia ens eſt concretum tranſcendens non ſolum compoſita, ſed etiam partes, non ſolum ſubſtantiam, ſed etiã accidentia, differentias, & modos, ſic, quod nihil ſit à parte rei, quod non ſit ens, quidquid illud ſit, & hoc proprie, & non ſimilitudine: ergo illa propoſitio; *accidens eſt ens*, eſt veriſsima propoſitio.

Ad hoc dico verum eſſe, quod accidens prout analogatur cũ ſubſtantia dicitur ens, quia licet non ſit, ſed tantum inſit, vt patet ex eius definitione, in qua dicitur; quod ſit ens in alio, illud tamen ineſſe, cum ſit aliquid à parte rei exiſtens, quædam realis entitas dicitur, & ſic explicatur per eſſe, cum re vera non ſit eſſe, ſed ſit ineſſe, & quia ſic ſe habet ad ſuum ineſſe reale, ſicut ſubſtantia ad ſuum eſſe, ideo ens dicitur. Itaque in accidente id, quod eſt ineſſe ſignificamus nomine entis ob eius tranſcendentiam, & dicimus accidens ſic ſe habere ad ſuum eſſe, quod non eſt eſſe, ſed ineſſe, ſicut ſubſtantia ſe habet ad ſuum, quod proprie eſt eſſe; hanc autem rationem entis con-

Digitized by Google

convenire accidenti non negat D. Thom. ſed negat eſſe per ſe ens, quia eſto ſit, non eſt ſicut cui conveniat eſſe, ſed ſicut quo aliud eſt, nempe ſubſtantia, & ſic accidens non eſt aptum natum vt creetur, quia creatio tantum eſt illius, quod per ſe eſt. Vel dicatur aliter, quod accidens, prout analogia proportionalitatis analogatur cum ſubſtantia in ratione entis non eſt etiam abſolute ens, ſed proportionaliter tantum cum ſubſtantia: ex hoc enim, quod accidens exiſtit, per hoc quod alteri inſit, ſicut ſubſtantia per hoc quod per ſe eſt, accidens ſic ſe habet ad ſuum eſſe, quod eſt ineſſe, ſicut ſubſtantia ad ſuum eſſe per ſe, & ſic dicitur ens non abſolute, ſed ex ſola proportione, quam habet cum ſubſtantia: ſic autem accidens eſſe, vel dici ens, non negat D. Thom. ſed tantum negat, abſolute dici ens, quia huic ſoli fieri, vel creari poteſt competere, quia tantum terminatur ad abſolute ens. Ad aliam prob. fateor, quod ratio entis, prout eſt analoga analogia proportionalitatis dicatur de accidenti, & de alijs memoratis; cæterum, dum non dicitur de illis vnivoce cum ſubſtantia, ſed tantum analogice, non ſequitur, illa eſſe entia abſolute, ſed tantum proportionabiliter, quod nõ ſufficit, vt prædicta poſſint terminare creationem.

§. II.

Vtrùm gratia habitualis creetur?

568 HABITA Notitia incommuni circa ea, quæ ſunt apta nata terminare creationẽ, oportet deſcendere in particulari ad aliqua entia, de quibus poteſt eſſe difficultas, an creentur, vel non. Et primo occurrit gratia habitualis cum alijs accidentibus ſupernaturalibus. Nam ex Scriptura Sacra videtur conſtare, quod creentur. Pſalm. enim 50. dicitur de iuſtificatione, quæ fit per gratiam, *cor mundum crea in me Deus*, & ad Galat. vltimo, iuſtificatus dicitur, *nova creatura*, & ad Ephes. 2. de iuſtis dicitur: *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*.

Circa hoc quæſitum Antiqui Scholaſtici affirmarunt, gratiam non alia productione produci niſi creatione. Sic tenent Alenſis 2.p.q 9. memb.8. Bonaventura in 2. diſt.26.q.4. Richardus ibidem, q.2. art. 1. Scotus in 4. diſt.1.q.5. §. *Contra iſtam opinionem*. Dominicus Soto lib.2. de natura, & gratia, cap.9. Vega lib.7. in Concil. Trident. c.13. Capreolus in 2. diſt.26. q.1. art. 3. in reſpon. ad argumenta Scoti. Petrus de Aliaco ibidem, Maior. ibidem, Conradus 1.2. quæſt. 112. art. 1. Ledeſma 1. p. q. 3. art.1. Ferrara 4. contrag. c. 67. & ex modernis Thomiſtis tenent hanc ſententiam Ioannes Martinez de Prado in ſua Metaphyſica. Communis tamen ſententia modernorum tenet, gratiã non creari phyſice, nec concreari, bene vero moraliter, quia nullis meritis præcedentibus creaturæ rationali infunditur iuxta illud Pſalm.55. *Pro nihilo ſalvos facies eos*. Quam moralẽ creationem, & non phyſicam commendant loca Scripturæ adducta.

569 Sit pro veritate Concluſio: Gratia non creatur, nec concreatur, etiam cum Angelis primo communicata fuit. Prob. primo Concluſio, quia ita ſentit D. Thom. Etenim 1.2. quæſt. 110. art. 2. ad 3. cum in argumento tangeretur, quod gratia ex nihilo creatur, iuxta illud ad Galat. *Nova creatura*, Sanctus Doctor reſp. ſic: *Dicendum, quod ſicut dicit Boetius, accidentis eſſe eſt in eſſe: vnde omne accidens non dicitur ens, quia ipſum eſſe habeat, ſed quia eo aliquid eſt: vnde magis dicitur eſſe entis, quam ens, vt dicitur 7. Metaph. & quia eius eſt fieri, & corrumpi, cuius eſt eſſe, ideo proprie loquendo, nullum accidens fit, neque corrumpitur ſed dicitur fieri, vel corrumpi ſecundum quod ſubiectum incipit, vel deſinit eſſe in actu ſecundũ illud accidens, & ſecundum hoc gratia etiam dicitur creari, ex eo quod homines ſecundũ eam creantur, id eſt, in novo eſſe conſtituuntur ex nihilo, id eſt, non ex meritis, ſecundum illud ad Epheſ.2. Creati in bonis operibus in Chriſto Ieſu.* In qua authoritate pondero, quod Div. Th. explicat loca Scripturæ, quibus poterat probari gratiã produci ex nihilo, & ſic creari, de creatione morali tantũ: nã dicit, ideo homines creari ſecundũ illã, quia ex nullis proprijs meritis illis infunditur, quod ſi ſentiret illã phyſice creari, nõ diceret. Ex quibus ſic argumentor, D. Th. dicit loca Scripturæ, in quibus creatio gratiæ inſinuatur, debere intelligi de creatione morali tantũ; ergo ſentit gratiam phyſice non creari.

Sed clarius probatur ex eadem quæſt. art.1. ad 3. vbi habet, quod *ſicut in ipſa perſona Chriſti humanitas cauſat ſalutẽ noſtram per gratiã, virtute divina principaliter operante, ita etiam in Sacramentis novæ legis, quæ derivantur à Chriſto cauſatur gratia inſtrumẽtaliter, per virtutem Spiritus Sancti in Sacra-*

operante. Quibus ſi addas ea, quæ docet hic q. 49. videlicet, quod *nulla creatura poteſt aſſumi à Deo vt inſtrumentum ad creandū*, concludes evidenter iuxta S. Doctorem, gratiā non creari, arguendo ſic, iuxta S. Th. nulla creatura poteſt aſſumi à Deo vt inſtrumentum ad creandum; iuxta eundem, Sacramenta novæ legis inſtrumentaliter phiſice cauſant gratiam: ergo gratia phiſice non creatur.

Reſpondet Dominicus Soto in primo diſt. 1. q. 3. artic. 1. gratiam à Deo cauſari vna actione creativa, in qua ipſe ſolus operatur, & deinde per Sacramenta illam vnire animæ; ſicque Sacramenta non cauſare gratiam in ſeipſa, ſed cauſare eam in anima, ſicut Deus ſolus animam rationalem creat, & tamen non ſolus eam materiæ vnit, ſed ad hoc concurrit generans ſua genaratione. Cæterum hoc effugium eſt nullum, nam cum gratia non habeat eſſe, ſed tantum habeat in eſſe ſubiecto, vtpote accidens, non poteſt per ſe terminare actionem: vnde vidimus ex D. Thom. quod gratia non fit, neque corrumpitur ſed ſubiectum fit, & corrumpitur ſecundum illam, vnde ipſamet actione, qua fit, vnitur ſubiecto, imo & eius fieri non eſt aliud quam eam ſubiecto vnire, & ſic nequit eſſe verum, quod dicit Soto, quod vna actione in ſe fiat a ſolo Deo, & alia virtute Sacramentorum vniatur animæ; nec exemplum eſt ad propoſitum, nam anima, cum ſit forma per ſe ſubſiſtens, poteſt in ſe terminare primo actionem creativam, & deinde per generationem poteſt vniri materiæ: non ſic de gratia; quæ, cum ſubſiſtens non ſit, ipſa actione, qua fit, animæ vnitur.

Reſpond. Conradus argumentum convincere, quod gratia non creetur, non vero quod non concreetur, quia non eſt contra D. Thom. quod ad id, quod concreatur, non poſſit creatura concurrere inſtrumentaliter. Verum hæc ſolutio etiam nullius momenti eſt, nam ſicut nihil comproducitur niſi ad productionem alicuius, quod producitur, ita nihil concreatur niſi ad creationem alicuius totius, in quo eſt vel vt accidens, vel vt pars; ſed, dum gratia à Deo infunditur animæ, nullum ſubiectum creatur: igitur ipſa non cōcreabitur. Præterea, quando gratia infunditur animæ, vel anima creari dicitur, vel ſola gratia, ſi ſola gratia: ergo tunc non concreatur, ſed creatur, cum ex his, quæ tunc fiunt, ſola gratia creetur: ſi anima creari dicitur; falsū dicetur; nā, cū quis impius iuſtificatur, non incipit habere eſſe ſecundū animam, ſed tātū incipit habere eſſe ſecūdū iuſtitiam: ergo gratia nec creatur, nec concreatur.

Dices, quod licet anima tunc de novo non fiat, quando iuſtificatur, tamen conſervatur in eſſe per continuationem ſuæ creationis, & ſic, dum gratia infunditur, poteſt dici, quod concreetur, quia fit in ſubiecto, quod per creationem in eſſe conſervatur. Sed contra, nam concreari eſt ſimul fieri cum alio, quod de novo fit, vel eſt fieri ex vi eiuſdem actionis, per quam aliud primo creatur; ſed dum impius iuſtificatur, gratia iuſtificans non fit de novo ſimul cum anima, neque ex vi actionis, per quam anima creatur ipſa producitur; nam alia diſtinctiſſima actione anima dicitur producta ab ea, per quam de novo iuſtificatur: nullo ergo titulo, quamvis anima conſervetur per continuatam creationem, poteſt dici, quod gratia concreetur. Explicatur hoc; quod ſic fit, quod ſupponit iam aliud per aliam actionem factum, non poteſt dici, quòd concreetur, dato quod illud, quod factum ſupponitur, creatione factum ſupponatur; ſed gratia iuſtificans non fit eadē actione, qua anima creatur, vel qua in eſſe conſervatur: ergo nequit verificari, quod concreetur.

Sed dices, alio modo ab iſtis enumeratis poſſe dici quod gratia concreetur, videlicet, quia ſubiectum creatur ſecundum illam formam, ita quod creatio per ſe non terminetur ad gratiam, ſed ad animam, non ſecundum eſſe naturale, ſed ſecundum eſſe gratum, ex quo ſequitur, ipſam gratiam concreari. Itaque, ſicut ex hoc quod ſubiectum per ſe fit album, dicitur confieri ipſam albedinem, ita ex hoc quod anima creatur ſecundum gratiam, id eſt, eſt id, quod primo terminat creationem, ex hoc ſequitur, ipſam gratiam concreari. Quam ſolutionem fundabis in D. Thom. hic q. 45. art. 4. in fine corporis vbi habet: *Sicut igitur accidentia, & forma, & huiuſmodi, quæ non ſubſiſtunt, magis ſunt coexiſtentia, quam entia, ita magis debent dici concreata, quam creata: propriè vero creata ſunt ſubſiſtentia.*

Sed contra eſt. Nam, dum anima iuſtificatur, non creatur ſecundum gratiam: ergo neque ipſa gratia concreatur. Prob. Ant. vt aliqua actio ſit creatio nihil entitatis debet ſupponere in ſubiecto, ad quod per ſe primo terminatur productū ex vi alterius actionis; ſed actio, qua anima fit grata per gratiā, ſupponit ſubſtantiam animæ factam ex vi alterius actionis: igitur actio qua anima fit grata non eſt creatio animæ

ſecundum eſſe gratum. Prob. Min. actio creatiua debet eſſe productio totius entis ex nihilo: ergo in termino, qui per ſe creatur, nihil debet præſupponere factum ex vi alterius actionis. Secundo hoc ipſum probo, diximus enim ſupra, quod creatio non eſt mutatio, quia non fit circa idem ſubiectū manens ſub vtroque termino factionis; ſed actio, qua fit per ſe anima grata ſupponit idem ſubiectum, nempe animā ſub vtroque termino factionis: ergo eſt vera mutatio animæ: ergo nō eſt vera creatio, & ſic gratia tunc nō dicetur cōcreari.

Sed vlterius probo, quod noſtra concluſio D. Th. ſit. Etenim 1.2. q.113. art. 9. vbi quærit: *An ſit maius opus Dei creatio Mundi, quam iuſtificatio impij?* & reſpondet ſub diſtinctione dicens: *Quod ex parte modi operandi eſt maius opus creationis, quam iuſtificatio, cum illa ſit ex nihilo, non iſta, ſed ex magnitudine rei, quæ ſit maius opus eſt impij iuſtificatio, quam cæli, & terræ creatio*: Si ergo iuſtificatio non eſt ex nihilo, igitur forma iuſtificans non creatur, nam ad hoc indeſpenſabiliter requiritur, quod fieret ex nihilo. Ratione prob. concluſio. Gratia, cum deſinit eſſe, non annihilatur: ergo, cum incipit eſſe; non creatur. Antec. eſt certum, tum, quia vt docet D. Thom. 1. p. q. 10. art. 4. annihilatio non intervenit de facto in operibus gratiæ. Tum etiam, quia gratia deſtruitur præciſe ex hoc quod à ſubiecto ſeparatur; ſeparatio autem eius à ſubiecto non eſt annihilatio, cū maneat ſubiectum. Conſ. vero Prob. iuxta bonam Philoſophiam, inceptio, & deſitio rei ſibi correſpondent, ita vt quod incipit per generationem, deſinit per corruptionem, & quod deſinit per corruptionem, incipiat per generationem, & ſimiliter, quod incipit per creationem, deſinit per annihilationem, & è contra: ergo ſi gratia non deſinit per annihilationem, non incipit per creationē. Dices Ant. eſſe falſum, ſiquidē D. Th. in 2. diſt. 26. q. vnica art. 2. ad 5. ſic habet: *Cum gratia corrumpitur, ſimul etiam in nihilum reddit*: ergo falſum eſt dicere, quod gratia non deſinit per annihilationem. Sed contra eſt, nam D. Th. per illa verba, *in nihilum reddit*, non prætendit gratiā annihilari, ſic, quod neque maneat in ſe, nec in potētia obedientiali animæ, ſed tantū vult, quod cum gratia corrūpitur, tota adæquate deſtruatur, ſic, quod non corrumpatur ſecundum vnum gradum, & maneat ſecūdū alterū, ſicut contingit in accidentibus inſenſibilibus, & remiſſibilibus ordinis naturæ, quæ ſolent ſecundū aliquos ſui gradus corrūpi, & ſecundum alios remanere: gratia autē non ſic, quia cū ſolū per peccatū mortale deſtruatur, & hoc gratiā adæquate tollat à ſubiecto, non contingit gratiā corrūpi ſecundū gradū, & adæquate nō tolli: tollitur ergo adæquate, & hoc vocat D. Th. in nihilū reddire, cum corrumpitur. Vnde ratio facta manet inconcuſſa.

561 Tertio prob. concluſio, nā quod dependet à ſubiecto in eſſe fieri, & conſervari non creatur, ſed educitur ex potentia ſubiecti; ſed gratia eſt huiuſmodi: igitur nō creatur. Prob. Min. id dependet in fieri, & conſervari à ſubiecto, quod naturaliter nequit operari niſi dependenter à ſubiecto, & quod per aliud à ſubiecto non valet ſubſiſtere: ideò enim probatur à Philoſophis, quod anima non educitur ex potentia materiæ, quia poteſt operari ſaltim intellectionem, & volitionem independenter à materia, & quia naturaliter conſervatur in eſſe ſeparata à materia: ergo cum gratia in omni ſua operatione dependeat ab anima, & materialiter deſtruatur per ſeparationē ab illa dicendum erit, quod gratia non creatur.

Dices hanc rationem inſtari in forma cœli, quæ quidem in omni ſua operatione dependet à materia, & naturaliter nequit ſubſiſtere ſine materia, & tamē in via Thomiſtica non educitur ex potentia materiæ, ſed creatur: ergo ex hoc quod gratia depēdeat in omni ſua actione ab anima, & nequeat conſervari ſeparata ab illa, nō ſequitur, gratiā educi ex anima, & nō creari. Sed contra eſt, nam forma cœli, ideò creata dicitur, quia ipſa indiviſibili actione, qua forma producitur, producitur materia eius; vnde eſt productio ex nihilo: quod ſi forma cœli per ſe ſuponeret materiam, à qua in operari dependet, & ſine qua naturaliter conſervari non valet, forma cœli neutiquam crearetur, ſed educeretur ex potentia materiæ; ſed gratia ſubiectum, à quo in operari dependet, & ſine quo conſervari non poteſt, per ſe ſupponit factum ex vi alterius actionis: igitur educetur ex eius potentia, & non creabitur.

572 Hinc prob. ſecunda pars concluſionis, nempe quod gratia conceſſa Angelis creata non ſit. Etenim eſto, vt inquit Auguſtinus, Deus, cum Angelos creavit, ſimul eſſet condiens naturam & largiens gratiam; non tamen ex vi vnius indiviſibilis,

actio-

actionis naturam Angelorum condidit, & eis gratiam dedit: ergo largitio illa gratiæ non fuit gratiæ concreatio. Patet Conſ. ex dictis, nam actio, quæ ſupponit in termino iam eſſe ſimpliciter ex vi alterius actionis productum non eſt creatio, neque concreatio: ergo, ſi actio, qua Deus Angelis dedit gratiam, ſuppoſuit eſſe Angeli iam productum ex vi alterius actionis, illa non fuit creatio, neque concreatio ipſius gratiæ. Antec. autem prob. non eſt eadem actio, quæ eſt à Deo Authore naturæ, cũ ea, quæ eſt à Deo Authore gratiæ, ſed actio, qua Deus condidit Angelos fuit à Deo Authore naturæ, & alia fuit à Deo vt Authore gratiæ: igitur non vna indiviſibili actione, Deus condidit Angelos, & largitus eſt eis gratiam.

Dices Deo non repugnare, quod vna actione producat vniverſaliſsimã rationẽ entis, quæ in creatura reperitur: ergo poterit vnamet actio producere naturam, & gratiã, quæ eſt quoddam ens repertũ in natura per modum ornatus naturæ. Probabis Ant. nam ſi Deo repugnaret producere rationem vniverſaliſsimã entis repertam in creatura conflatam ex natura, & gratia, inde ſequeretur, quod Deus gratiam etiã de potentia abſoluta concreare nõ poſſet, hoc autẽ videtur falſum: ergo. Prob. Sequela, nam ſi prædicta repugnarent, Deus non poſſet niſi primo vna actione producere naturã, & alia gratiam; ſed hoc ſic ſe habente iuxta noſtra principia talis productio gratiæ non poſſet eſſe, neque creatio, neque concreatio: ergo.

Sed ad hoc diſt. Conſeq. vnamet actione, quæ ſit primario à Deo Authore naturæ, nego Conſeq. quæ primario procedat à Deo vt vniverſaliſsima cauſa ſubſiſtente in ipſa plenitudine eſſendi, conc. Conſeq. Itaque non nego gratiam Angelis conceſſam de facto fuiſſe creatam, quia Deus de ſua potentia abſoluta, & vt ſubſiſtit in ipſa plenitudine eſſendi, non poſsit vna actione omnia illa producere, nempe gratiam, & naturam. Potuit quidem primo, & per ſe terminari actio divina ad ens Angelicum prout conſtat ex ſubſtantia, & accidentibus ſupernalibus, & tunc potuit fieri gratia ea actione, qua alia accidentia facta ſunt, & ſic potuit fieri per creationem, ſicut alia accidentia Angelica; ſed nego, quia de facto Deus vt Author naturæ primo & per ſe produxit Angelos, vt Author autem naturæ non habet intra obiectum ſuæ cauſalitatis gratiam, & ſic actione eadem, qua producta eſt natura Angelica de facto non fuit gratia facta, ac per conſequens concreata non fuit. Quod autem vt author naturæ primo efficeret Angelos; mihi ſuadeo, quia illos de facto produxit, vt partes vniverſi, quod per ſe præintendit producere: gratia autem Angelorum non eſt pars vniverſi, & ſic de facto actio productiva Angelorum fuit tantum à Deo Authore naturæ, à quo & ipſum vniverſum factũ eſt; ſicque gratia non fuit facta eadem actione, qua natura Angelica producta eſt.

§. III.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

573 CONTRA Primam partem Concluſionis arguitur primo ex D.Th. q.3. de potẽtia, art.8. ad 3. vbi habet: *Dicendũ, quod gratia nõ creatur, cũ non ſit forma ſubſiſtens, nec eſſe, nec fieri ei propriè per ſe cõpetat: vnde non proprie creatur per modum illum, quo ſubſtantia per ſe ſubſiſtentes creantur; infuſio tamen gratiæ accedit ad rationẽ creationis, in quantũ gratia nõ habet cauſam in ſubiecto, nec efficientem, neque talem materiam, in qua ſit hoc modo in potentia; quod per agens naturale educi poſſit in actu, ſicut eſt de alijs formis naturalibus*: igitur infuſio gratiæ obtinet rationem creationis. Deinde in primo diſt. 14. quæſt. 3. art. vnico, in corpor. ſic ait: *Et quia gratia gratum faciens elevat hominem ſupra totum eſſe naturæ, in quantum elicit actum, & ordinat in finem, in quem natura per ſua principia attingere non poteſt, non eſt perfectio educta de potentia materiæ; & ideò à ſolo Deo confertur*; igitur gratia ſi non eſt educta, erit creata, vel concreata.

Ad hæc reſpondetur, quod in nullo ex adductis locis D. Th. eſt contra nos. Non quidẽ in primo, nam aliud eſt gratiã accedere ad creationem ex illis capitibus, & aliud eſt pervenire ad eſſe creatã: etenim acceſſus ad aliquẽ terminum ſuſcipit magis, & minus, pervenire non, ſed dicit rem eſſe in termino; ſimia enim magis accedit ad hominis eſſe, quam formica; neutra tamen pervenit; ſic gratia ad eſſe creationis magis accedit, quam alia formæ naturales, non tamen ipſa; nec formæ naturales perveniunt, etto vt non perveniant maiora ſtent impedimenta in alijs formis

Digitized by Google

quod ex hoc ſequatur, quod gratia non ſit adæquate ſupernaturalis ſupernaturalitate accidentis, vt dictum eſt; licet ex hoc ſequatur gratiam non ſubſiſtere in ipſa ſupernaturalitate, quod non eſt contra nos.

Inſtas, gratia neque præcontinetur in potentia naturali, neque in potentia obedientiali animæ: ergo nulla eſt ſolutio. Ant. quoad primam partem conceditur, & quoad ſecundam probatur. Natura nequit obedire Deo, vt ex ea educat id, quod in ea non præcontinetur; ſed gratia non præcontinetur in natura animæ: igitur hæc nequit obedire Deo, vt ex ea educat gratiã. Prob. Min. magis diſtat gratia à natura, quã anima rationalis diſtet à materia; ſed anima rationalis ſic diſtat à materia, quod non præcontineatur in illa: ergo gratia ſic diſtabit à natura quod non pręcontineatur in natura. Ad hoc nego Ant. ad prob. nego Min. ad prob. diſt. Mai. magis diſtat gratia à natura, diſtantia ordinis, conc. à toto genere entis, nego Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque, ſi conſideretur diſtantia ordinis magis diſtat gratia à natura, quã anima à materia, quia hæc duo ſunt in ordine naturę; illa vero nõ: diſtant etiã magis, quia natura non exigit gratiã; materia vero exigit formã rationalem: in linea autẽ depẽdentiæ minus diſtat gratia à natura, quàm anima à materia, quia, cum avidentiæ minus diſtat gratia à natura, quã anima à materia, quia, cum anima ſit forma per ſe ſubſiſtens, non dependet à materia; gratia vero, cum ſit accidens, cuius eſſe eſt in eſſe ſubiectô, per ſe habet dependere à natura, quæ ſubiectum gratiæ eſt; vnde non ſequitur, quod ſi anima rationalis non pręcontinetur in materia, etiã gratia non præcontineatur à natura: vnde poteſt retorqueri argumentũ ſic. Forma ſpiritualis, quæ ſubſiſtens non eſt, cũ accidens ſit, præcontinetur in materia, & ex illa educitur, non obſtantę quod ſpiritualis ſit: ergo à fortiori, cũ gratia ſubſiſtens non ſit, ſed ſit accidens naturæ, poterit præcõtineri in natura, quãvis ſupernaturalis ſit. Antec. patet, in formis ſpiritualibus accidentalibus, cũ enim contactus manus Chriſti faciebat miracula, ex manu materiali educebatur qualitas ſpiritualis, qua manus elevata inſtrumentaliter miraculum patrabat, ſimiliter ex aqua baptiſmi educitur forma ſpiritualis, qua eleuatur ad mundandã animã, & alijs pluribus. Et Conſ. patet à paritate rationis.

575. Secundo ratione argui poteſt, nam gratia habitualis eſt quædam formalis participatio ſolius naturæ divinæ, ſic quod ſicut Deus tantum eſt principiũ videndi, & amandi ſe, ita & gratia ſit principiũ radicale videndi, & amandi Deũ: ergo nõ pręcontinetur in potentia animæ, & ſic non educetur ex illa. Ant. eſt certum, & Conſ. Probo, nam ſi gratia præcontineretur in anima, eſſet aliqualis participatio ipſius animæ, omnis enim forma ſapit, vel participat cauſam, in qua præcontinetur, & ex cuius influxu cauſatur: ergo ſi gratia eſſet in potentia animæ pręcontenta, eſſet illius aliqualis participatio, & ſic non eſſet participatio ſolius naturæ Dei.

Confir. omnis forma præcontenta in potentia materiæ, & ex illa educta eſt forma materialis: ergo ſi gratia præcontinetur in natura, & ex illa educitur, erit forma naturalis. Prob. Conſ. nam non eſt aſsignabile diſcrimen inter hoc, quod eſt omnẽ formam eductam ex materia eſſe materialem, & omnem formam eductam ex natura non eſſe naturalem. Confir. ſecundo, gratia non dependet in fieri, eſſe, & conſervari à natura: ergo in illa non præcontinetur, neque ex illa educitur. Prob. Ant. quod in fieri, eſſe, & operari adæquate dependet à materia eſt materiale: ergo quod in fieri, eſſe, & operari dependet adæquate à natura erit naturale; ſed gratia non eſt naturalis: igitur non dependet in fieri, eſſe, & operari adæquate à natura.

Ad hoc argumentum, nego Conſ. ad prob. diſt. Ant. eſſet participatio ipſius animæ in genere cauſæ materialis, conc. Ant. in genere cauſæ formalis, nego Ant. & diſtinguo Conſ. eſſet illius aliqualis participatio in genere cauſæ materialis, conc. Conſ. in genere cauſę formalis, nego Conſ. Itaque, cũ dicimus gratiã eſſe participationẽ ſolius naturæ divinæ, loquimur de participatione in genere cauſæ formalis, non in omni genere cauſæ, ſola enim natura divina efficienter, & formaliter reperitur participata in gratia, ſed quia hæc participatio habetur in accidenti animæ, quod in fieri, eſſe, & conſervari dependet ab anima; hinc non eſt inconveniens, quod in genere cauſæ materialis ſit participatio animæ, ſicut & accidens ſpirituale, quia eſt accidens materiæ, nõ eſt inconveniens, quod in genere cauſæ materialis ſit aliqualis participatio materiæ.

Dices, concurſus naturæ, etiã in genere cauſæ materialis, naturalis eſt: ergo ſi gratia ne-

dependet ex concurſu materiali naturæ, dicenda erit aliqualiter naturalis. Ad hoc diſt. Antec. etiam naturalis eſt, per puram obedientiam ad Deum pure ſupernaturaliter agentem, conc. Antec. per potentiam naturalem ad agens naturale, nego Antec. & Conſ. Itaque ſicut ex hoc quod forma artificialis fiat ex concurſu naturæ in genere cauſę materialis, non ſequitur, quod forma artificialis dicatur naturalis, quia natura ad illam concurrit per ſolam obedientiam ad artem, & non ad agens naturale; ita ex hoc quod natura ad gratiã concurrat in genere cauſæ materialis, non ſequitur, quod gratia ſit dicenda naturalis, quia natura ſolum concurrit ad illam ex pura obedientia ad agens ſupernaturale, quod Deus eſt.

Ad primã Confir. nego Ant. Iam enim dixi formas ſpirituales, quę accidẽtia corporis ſunt, præcontineri in corpore, & ex illo educi: vnde Ant. vniverſaliter acceptũ eſt falſum. Sed inſtas, communiter Philoſophi dicunt, illam formam eſſe materialẽ, quæ in fieri, eſſe, & operari dependet à materia: ergo falſo aſſerimus illud Ant. vniverſaliter acceptum eſſe falſum. Sed & hoc prob. ratione, nam forma, quæ in operari dependet à materia, non valet exercere operationes, quæ pure ſpirituales ſint, ſed debent eſſe neceſſario materiales; ſed forma, cuius actiones materiales ſunt, neceſſario eſt materialis: igitur vniverſaliter loquendo omnis forma, quæ in fieri, eſſe, & operari dependet à materia, debet eſſe forma materialis.

Ad hoc diſt. Antec. Philoſophi dicunt illam formam eſſe materialẽ, quæ in fieri, eſſe, & operari dependet à materia, ſi talis forma conveniat materiæ ex pura obedientia ad agens ſuperius, & extra ordinem materialem, nego Antec. ſi conveniat materiæ ex potẽtia eius connaturali, & in ordine ad agens proportionatum, conc. Ant. & nego Conſ. Itaq; illa doctrina eſt vera de formis, quæ conveniunt materiæ ſecundum eius innatam inclinationẽ, quales ſunt formę ſubſtantiales, quæ iuxta inclinationem materiæ, & eius exigentiã educuntur ex materia; nõ vero vera eſt de omni forma, ſaltim de illa, per quã materia, vel ſubiectũ elevatur, vt operetur in ordine ſupernaturali, qualis eſt ordo pure ſpiritualiũ: hæc enim, cum tantum educantur ex potentia obedientiali materiæ, non ſequitur, quod materiales ſint, ſicut patet à ſimili; forma enim artificialis educitur ex natura, & ab illa ſeparata nequit operari, ſed quia totum hoc habetur ex obedientia ad artem, & nõ in ordine ad agens naturale, non ſequitur, quod forma artificialis ſit forma naturalis; ita in præſenti.

Ad 2. prob. nego Mai. Etenim vt operatio ſit materialis, non ſufficit, quod ſubiectum, quod operatur illam, in ſe ſit materiale, ſed requiritur, quod aliquod principium *quo* proximum talis operationis materiale ſit: cum ergo corpus per qualitatem ſpiritualem educatur ad operandum, ſubiectum, ſine quo forma operari non valet, materiale eſt, ſed adæquate virtus proxima ſpiritualis eſt, & ſic actio adæquate ſpiritualis eſt; quamvis proximum eius principiũ non valeat niſi dependẽter à materia, cui ineſt, & quam elevat ad operandum.

Ad ſecundam Confirm. nego Ant. ad prob. diſt. Ant. quod in fieri, eſſe, & operari adæquate dependet à materia, eſt materiale, ſi ſit proportionatum materiæ, & iuxta eius inclinationem introductum, vel eductum à materia, conc. Ant. ſi ſolũ conveniat materiæ, vel ſubiecto per modũ accidentis elevantis illã, & ratione ſolius potentiæ obediẽtialis, nego Ant. & diſt. Conſeq. ſi conveniat naturæ ratione potentiæ obedientialis, nego Antec. & diſt. Conſ. ſi conveniat naturæ per modum accidentis elevantis illã ad ordinẽ ſuperiorẽ, & ratione ſolius potentię obediẽtialis, nego Conſ. & conc. Min. ſubſumpta, nego Conſ. nam gratia ſolum habet convenire naturæ ratione potentiæ obedientialis, & per modũ accidentis elevantis illã ad ordinẽ ſuperiorem ipſa natura: vnde non ſequitur, quod ſi à natura dependet in eſſe, fieri, & conſervari, ſit accidens naturale.

570 Tertio ratione arguitur. Actio, per quam producitur gratia ſanctificans debet eſſe præſtantiſsima omniũ, cum gratia omnia alia factibilia excedat; ſed creatio eſt nobilior actio, quam eductio: ergo debet produci per creationẽ, & non per eductionem. Confir. anima rationalis producitur per creationẽ: ergo & gratia, quæ illa perfectior eſt, debet per creationẽ produci. Prob. Conſ. quia quo res eſt perfectior, eo requirit ad ſuum fieri perfectiorem operationẽ: ergo cum creatio ſit perfectior actio eductione, & gratia ſit perfectior anima rationali, dum hæc ſit per ſcreationem, illa non debet fieri per eductionem.

Ad

Ad hoc diſt. debet eſſe actio omnium præſtantiſsima, ex parte rei factæ, tranſ. Mai. ex modo faciendi, nego Mai. & diſt. Min. eſt nobilior actione, ex modo agendi, conc. Min. ex parte rei factæ, nego Min. & Conſeq. Itaque in gratia ſunt duo conſideranda, alterum eſt, quod ſit formalis participatio naturæ divinæ, prout eſt in ſe, & & alterum eſt, quod ſit accidens elevans naturam ad ordinem ſupernaturalem: ex primo habet excedere omnia alia factibilia; ex ſecundo eſt inferior omni forma per ſe ſubſiſtenti, quia eius eſſe eſt ſolum in eſſe ſubiecto, & ſic requirit actionem præſtantiſsimam, potentem tamen naturaliter cõvenire accidenti: hæc autem ſolum eſt ſupernaturalis eductio, quia creatio tantum per ſe ſubſiſtentium eſt, & ſic tantum habet produci per eductionem, quæ ex parte rei factæ præſtantior actio ſit creatione, quamvis non ex parte modi agendi, quia in hoc creatio, cum ſit productio ex nihilo, omnẽ eductionem excedit. Ad Confirm. nego Conſ. ad prob. diſt. Ant. quo res perfectior eſt, eo requirit ad ſuum fieri præſtantiorẽ actionem, inter eas, quæ illi connaturaliter adaptari poſſunt, conc. Ant. præſtantiorem inter illas, quæ ei nequeunt naturaliter convenire, nego Ant. & Conſ. Itaque, eſto gratia animam rationalem excedat in ordine participationis, quia gratia eſt ordinis divini, anima vero ordinis naturalis, exceditur tamen gratia ab anima, quia eſt forma ſpiritualis per ſe ſubſiſtens, & ſic exigit produci per creationem, gratia vero eſt accidens naturæ, & ſic eſt impotens impotentia connaturalitatis productionis, quæ creatio ſit.

Sed inſtas, intellectus, & voluntas ſunt accidentia, quorũ eſſe eſt ineſſe animæ; & tamen fiunt per concreationem: ergo eſto gratia ſit accidens naturæ poterit fieri per concreationẽ. Ad hoc diſt. Mai. ſunt accidentia propria, quæ fiunt eadem actione, qua anima fit, conc. Maiorem, ſunt accidentia communia, quæ fiunt per diſtinctam actionem ab ea, quà anima producitur, nego Maiorem, & conc. Min. nego Conſ. Itaque non negamus quod gratia concreatur, eo præciſſe quod ſit accidens, ſed quia, cum ſit accidens ſupernaturale, nequit de lege ordinaria produci per eandem actionẽ, per quam anima producitur, quia hęc eſt actio naturalis, & adęquate ſiſtit in bonis naturalibus animæ: vnde productio gratiæ requiquirit aliam actionẽ à productione ſubiecti eius; non ſic ratio tenet in intellectu, & voluntate, quæ fiunt, & exigunt fieri eadem actione, qua ſit anima, cum ſint proprietates conſequutæ ad illam: vnde dum illa actio eſt creativa animæ, eſt concreativa intellectus, & voluntatis.

577 Quarto arguitur. Ex hoc quod gratia ſit accidens inhærens animæ, non ſequitur quod debeat educi ex illa: ergo ſine fundamento dicimus gratiam educi ex anima, & non creari. Prob. Ant. ad ſalvandum rationẽ accidentis ſufficit, quod gratia inhæreat animæ; at poteſt hoc ſalvari ſine eo quod educatur ex anima: ergo ex hoc quod ſit accidens inhærens animæ, non ſequitur, quod educatur ex potentia animæ. Prob. Min. ſalvatur quod anima informet materiã, ſine eo quod educatur ex illa: ergo & poterit ſalvari, quod accidens inhæreat animæ, ſine eo quod educatur ex potentia animæ. Confir. vt forma educatur ex ſubiecto, requiritur quod fiat ex tranſmutatione ſubiecti; ſed gratia Angelis conceſſa non fuit facta ex tranſmutatione formę Angelicę: igitur non fuit educta ex potentia ſpiritus Angelici. Prob. Min. nam gratia conceſſa eſt Angelis in primo inſtanti ſui eſſe: ergo non potuit fieri ex tranſmutationẽ formæ Angelicæ. Prob. Conſ. nam ad tranſmutationẽ, alicuius ſubiecti requiritur, quod in aliquo inſtanti ſubiectũ extiterit ſub eius privatione; ſed dum Angeli, & eorũ gratia in eodẽ inſtanti facta ſunt, hæc non potuerunt ſervari: igitur gratia Angelorũ non fuit facta ex tranſmutatione eorum.

Ad hoc, nego Ant. ad prob. nego Min. ad prob. nego Conſ. Itaque accidens inhærere ſubiecto non ſolum eſt actuare intrinſece ſubiectũ, ſed eſt habere eſſe per hoc ipſum, quod eſt inhærere ſubiecto, ſic quod naturaliter non poſsit contingere ſeparari à ſubiecto, & conſervari ſine inhærentia ad illud, non ſic eſt de informare materiã, quia ſtat bene quod aliquid informet materiam, & alias naturaliter ſubſiſtat, & exiſtat independenter ab illa: vnde ſtat aliquid informare materiam, & non educi ex materia, non autem ſtat aliquid eſſe accidens intrinſece inhærens naturæ, & quod non educatur ex natura. Ad Confirm. neg. Min. ad prob. diſt. Antec. fuit conceſſa in primo inſtanti ex vi actionis factivæ Angelorum, nego Antec. ex vi alterius actionis prioritate naturæ præſupponentis actionem factivam Angelorum, conc. Antec. & nego Conſeq. ad prob. nego Maior.

Digitized by Google

non enim requiritur vt ſubiectum mutetur per receptionem formæ, quod fuerit prius ſub privatione eius, ſed ſufficit, quod ex vi actionis, per quam ſubiectum habet eſſe, non habeat formã, ſed expectet illam habere ex vi alterius actionis: hoc enim ipſo quod ex vi primæ actionis formam non habeat, poteſt per veram ſui mutationem per aliam actionem faciendam illam habere. Quod evidenter demonſtro, certum eſt enim, quod prima actio vitalis intellectus & voluntatis, quæ convenit Angelis in primo inſtanti ſuæ conditionis non fuit cõcreata, ſed vere educta ex potentijs Angelicis; & tamen ad ipſam non præceſsit intellectus, nec voluntas compoſita cum privatione talis actionis: ſiquidem in eodem inſtanti, quo habuerunt eſſe per creationẽ potentiæ Angelicæ, in eodemmet coniunctæ ſunt cum prædictis operationibus: igitur ad veram eductionem, & mutationem non requiritur, quod id, quod mutatur, præceſſerit vt compoſitũ cum privatione formæ educendæ ex illo, ſed ſufficit non habere illam ex vi actionis, per quam producuntur in ſuo eſſe.

578 Vltimo arguitur, ſi gratia educeretur ex potentia obedientiali ſubiecti, educeretur etiam ex potentia naturali eius; hoc non eſt dicendum: ergo. Prob. Sequela, potentia obedientialis eſt ipſa entitas naturalis cum non repugnantia vt ex illa Deus Author ſupernaturalis gratiam producat: ergo gratia hoc ipſo quod educeretur ex potentia obedientiali, hoc ipſo educeretur ex ipſa naturalitate animæ, ex quâ produceretur: ergo educeretur de potentia naturali. Confirm. educi gratiam ex potentia obedientiali, non eſt educi ex non repugnantia, ſed ex non repugnantia præſuppoſita in anima, educi ex eſſe naturali animæ: ergo educi ex potentia obedientiali eſt educi ex ipſa potentia naturali. Confirm. ſecundo, quia gratia non continetur in potentia activa animæ, ideo repugnat ei potentia obedientialis activa ad productionẽ gratiæ: ergo dum non repugnat animam obedire Deo in eductionem gratiæ ex illa, debemus dicere, quod entitas gratiæ in ipſa animæ naturalitate præcontinetur, & ſic educi ex potentia obedientiali animæ, erit educi ex ipſa animæ naturalitate.

Ad hoc argumentum, nego Mai. ad prob. diſt. Conſeq. educeretur ex ipſa animæ naturalitate, prout hæc reſpicit agens naturale, neg. Conſeq. prout hæc ſubditur ſoli Deo Authori ſupernaturali, conc. Conſeq. & nego ſecundam Conſeq. Itaque potentia naturalis animæ nõ eſt ſola naturalitas eius, ſed eſt poſsitiva inclinatio ad agens naturale ſibi proportionatum: vnde quamvis gratia ex ipſa animæ naturalitate gratiam educat, non ſequitur, quod ex eius potentia naturali gratia educatur, quia ſolum educitur ex illa ſecundum quod ſubditur ſolum Deo Authori ſupernaturali. Ad Confirm. diſt. Antec. ſed eſt educi ex ipſa animæ naturalitate prout hæc reſpicit agens naturale, nego Antec. prout ſubditur Deo Authori ſupernaturali, conc. Antec. & nego Conſeq. ob rationem iam aſsignatam.

Ad ſecundam Confirm. diſt. Conſeq. debemus dicere, quod entitas gratiæ in ipſa naturalitate animæ præcontinetur, prout talis naturaliter reſpicit agens naturale, nego Conſeq. prout tantum ſubijcitur agenti ſupernaturali, conc. Conſeq. & diſt. Conſequens, eadem diſtinctione. Itaque fatemur, quod gratia præcontinetur paſsive in naturalitate animæ, alias repugnaret, quod Deus illam ex anima educeret: cæterum dicimus, quod in ipſa entitate naturali eſt duplex conſideratio; alia, qua continet in potentia naturali formas, quia habet illas vt ex ſe educibiles actione agentis naturalis, & alia, qua continet formas ſolum à Deo Authore ſupernaturali ex ipſa educibiles: ſecundum primam conſiderationem continet formas naturales: iuxta ſecundam, gratiam, & cætera accidentia ſupernaturalia.

Dices, illam præcontinentiam in natura lædere in aliquo ſupernaturalitatem gratiæ, & ſic non debere concedi. Reſpondeo non lædere ſupernaturalitatem gratiæ, quia hoc quod ſolus Deus vt agens ſupernaturale poſsit ex illa gratiam educere, hoc ipſo habetur diſtinctivum inter formas naturales, & gratiã, eo quod illæ poſſunt ab agẽte naturali ex illa produci, iſta vero non poteſt, ſed ſolum à Deo Authore ſupernaturali; bene tamen indicat ſupernaturalitatem gratiæ eſſe imperfectam, id eſt, non ſubſiſtentem, ſed tantum accidentalem.

(.?.)

Vtrùm

§. IV.

Vtrùm compoſita ſint apta creari, vel non?

579 DIV. Thom. hic, art. 3. expreſſe affirmat compoſita eſſe apta ad creationem, illis verbis: *Vnde illis proprie convenit fieri, & creari, quibus proprie convenit eſſe, quod quidem convenit proprie ſubſiſtentibus, ſive ſint ſimplicia ſicut ſubſtantiæ ſeparatæ, ſive ſint compoſita, ſicut ſubſtantiæ materiales.* Sic clare D. Thom. & hac claritate non obſtante, Pater Vazquez hic diſp. 174. cap. 4. §. hinc colligo. Oppoſitum tenet, dicens; hinc colligo compoſitum ſecundum rationem compoſiti, & vnionis nunquam creari, etiam ſi ſecundum ſe totum omnino incipiat. Ipſum ſequuti ſunt innumeri ex eius familia, dum docent cœlos non eſſe creatos quamvis ſecundum ſe totos omnino eſſe inceperint. Contra quos talem ſtatuo concluſionem. Compoſita ſunt apta vt creentur, & de facto aliqua creata ſunt. Primam partem ſic probo, illud poteſt creari, quod primo eſſe poteſt; ſed compoſitum primo, & per ſe eſſe poteſt: ergo poteſt creari. Conſeq. eſt bona, & prob. præmiſſas, Mai. quidem, nam creatio, cum ſit productio entis ex nihilo, illius poteſt eſſe, quod primo poteſt habere eſſe, nam quod iam ſupponit aliquid ſui eſſe, vel non fiet ex nihilo, ſed ex illo eſſe, quod præſupponit, vel ſi ex nihilo fiat, non tamen primò, & per ſe, ſed veluti ſecundario, & ſic poterit concreari, ſed creari non poterit: ergo quod primo eſſe poteſt, creari ex nihilo poteſt, & ſic erit aptum creationi, Min. ſic diſcurro, illi per ſe primo eſſe convenit, cui per ſe primo ſubſiſtere convenit; ſed compoſito per ſe primo ſubſiſtere convenit, nam omnia, quę ſunt in eo, ſicut in eo habent eſſe, ita in eo habent ſubſiſtere: ergo compoſito per ſe primo convenit habere eſſe.

Reſp. Vazquez, compoſito nunquam convenire primo eſſe, nam cum eſſentialiter conſtituatur ex partibus, neceſſe eſt, quod ipſæ partes prioritate naturæ præcedant in eſſe ipſum totum, & ſic totum non erit id, cui primo convenit eſſe. Sed contra inſto, nam licet totum conſtituatur ex partibus, partes tamen non habent eſſe niſi in toto: ergo prius intelligitur eſſe totum, quam intelligantur partes habere eſſe. Secundo, quamvis totum, quando fit per tranſmutationem materiæ, illam præſupponat in eſſe, tamen ſi ex tranſmutatione materiæ non fiat, non eſt neceſſe, quod illā in eſſe præſupponat; ſed non eſt repugnantia in eo, quod omni ſecluſo motu, & mutatione, à Deo fiat: ergo non eſt neceſſe, quod materiam præſupponat. Prob. Min. Deus, cùm ſit ens ſubſiſtens in ipſa plenitudine entis, adęquatam rationem entis creabilis continet: ergo non repugnat quod totum ens ſine mutatione materiæ fiat. Prob. Conſeq. ideo enim omne creatum agens ſolum movendo materiā agere poteſt, quia forma illius, per quam agit, non præcontinet totam rationem entitatis, quę in aliquo ente reperitur: ergo ſi Deus totam rationem entitatis, quæ in compoſito reperitur, virtualiter præcontinet, poterit illud ſine mutatione materiæ efficere. Tertio, de ratione totius non eſt quod ex partibus fiat, ſed tantum eſt quod ex partibus conſtet, vt autem ex partibus conſtet, ſufficit, quod ſine partibus non fiat, non vero requiritur, quod partes in eſſe præcedāt illud: ergo nulla eſt repugnantia in eo, quod creatione totum ex partibus conſtans ex ſe primo fiat. Prob. Antec. partes tantum habent intrinſece conſtituere totum; hoc autem ſalvatur ſine eo quod ex partibus præcedentibus in eſſe fiat; ſi ponatur ſine illis non fieri: igitur de ratione illius ſolum eſt ex partibus conſtare; non vero eſt ex partibus, illud in eſſe præcedentibus, fieri.

580 Secundam partem Concluſionis, nempe quod de facto aliqua compoſita materialia creata ſint, ſic probo. Primo, quia maxime conſonat Scripturæ Sacræ, quæ affirmat in principio creaſſe Deū cœlum, & terram: ergo. Nec valet dicere, ibi non eſſe loquutionem de ſtricta creatione, nam poſt modum ſubditur, *iſta ſunt generationes Cœlorum:* Non (inquam) valet, nam circa Cœlos duplici actione Deus operatus eſt, prima enim faciendo ſubſtantiam, & proprietates, deinde faciendo ornatus eorum, hoc ſecundum factum eſt generatione, primum creatione, & ideo Scriptura Sacra, dicit ante omnia Deum creaſſe Cœlos, & facto ornatu, dicit *Iſtæ ſunt generationes Cœlorum*; vnde hic ſecundus textus non facit, quod primus non poſsit intelligi de ſtricta, & vera creatione. Vnde retorqueo argumentum, de Cœlis dicitur eſſe creatos, dicitur etiam eſſe generatos; & illæ duæ factiones poſſunt

ſtri-

Digitized by Google

ſtricte intelligi, ſi vna loquatur de prima cœli factione, & ſecunda de ornatu cœli: ergo ſic debent intelligi. Secundo prob. Concluſio authoritate D.Thom. quæſt.3. de pot. art.4. ad 7. ibi: *Dicendum, quod quædam creantur nulla materia præſuppoſita, neque ex qua, neque in qua, ſicut Angeli, & corpora cœleſtia, & ad horum creationem natura nihil operari poteſt diſpoſitive.* Quibus vt patet, loquendo de ſtrictiſsima creatione, docet corpora cœleſtia creari.

581 Sed ratione prob. Concluſio. prima illa corpora cum primo producta ſunt, non ſunt facta ex tranſmutatione materiæ: ergo fuerunt producta vera creatione. Conſeq. patet, quia ſi habuiſſent eſſe per eductionem ex materia, erat neceſſe, quod fieret in actu id, quod præcedebat in potentia materiæ; hoc autem fieri non poſſet niſi mutando materiam de ſtatu præcontinendi in potentia formam, ad ſtatum habendi illam in actu: ergo ſi in prima productione non fuit mutatio materiæ, prima corpora non fuerunt educta de potentia eius, & ſic fuere creata. Antec. vero prob. nam mutatio illa materiæ non fuit facta ab aliquo agente naturali creato, neque ab ipſo Deo: ergo. Primum patet. Tum, quia illa erat prima rerum productio; vnde non ſupponebat agens creatum, quod poſſet materiam tranſmutare. Tum etiã, quia agens creatum non immutat materiam niſi mediis accidentibus alterando compoſitum, & faciendo quod de vna forma tranſeat ad aliam, quod in prima productione locum habere non potuit: ergo. Quod non à Deo, Prob. quia, vt Deus mutaret materiam, debebat vna actione producere illam, & alia actione educere formam ex illa; hoc autẽ Deus non fecit, ſed vnica indiviſibili actione materiam ſub prima ſua forma produxit: ergo non tranſmutavit illam. Prob. Min. nam ſi Deus vna actione produceret materiam, & formam: ergo vtrumque ex nihilo præcedente actionem eſſet productum: ergo vtrumque eſſet creatum; nam actio creativa eſt quando ex nullo præſuppoſito ſubiecto producere incipit, ſi autẽ vna eſſet actio, qua materiam, & formam produxiſſet Deus, illa creatio eſſet reſpectu vtriuſque, & ſic non eſſet vera, & realis mutatio materiæ: debuit ergo ad tranſmutandum materiam vti Deus duabus actionibus, quarum alia produceret primo materiam ex nihilo, & alia, qua ex materia ſic producta, produceret formam per eductionem. Min. ſic diſcurro, nam ſecundum Vazquez vbi ſupra, ſola illa, quæ ſunt capacia immediate ſubſiſtentiæ creationem valent terminare; vnde (inquit ipſe) quod anima rationalis eſto per ſe non ſubſiſtat in corpore, tamen quia per ſe immediate poteſt ſubſiſtere, creationem per ſe terminare valet, & ſimiliter dicit, quod humanitas Chriſti, quæ de facto genita eſt, potuit primo creari, quia capax fuit immediate ſubſiſtere: ergo ſi materia prima non eſt capax immediate ſubſiſtere, non erit immediate capax per ſe terminare creationem: non ergo vna actione Deus materiam creavit, & alia formam ex ea eduxit.

Deinde, cum creatio ſit eductio totius entis ex nihilo, ſi materia tantum creata eſſet, illa creatio impedita eſſet, ne produceret totam rei entitatem, cuius erat productiva, quod ſine fundamento dicitur, & ſine neceſsitate fingitur. Explico hoc, eſto aliqui dicant, quod dum vermis generatur ex ſpeciebus Sacramentalibus productis, tunc Deus ſolam creet materiam, & ſic impediat ne illa creatio ſit totius entitatis productio; hoc tamen dicunt Deum facere, & creationem à completa ſui ratione impedire, quia agens naturale tunc actione ſua generativa educit formam ex materia: vnde illius impedimenti rationem aſsignant, & neceſsitatem; at in prima rerum productione hæc neceſsitas impediendi creationem à ſui ratione completa productionis nullatenus inſtat, cum ſolus Deus tunc ſit totius entis factor: igitur abſque neceſsitate fingitur tale impedimentum actionis creativæ ab hoc, quod ſit productio totius entis.

§. V.

Solvuntur Argumenta.

582 PRIMO Arguitur contra Concluſionem, præcipue contra eius primam partem. Nam compoſitum quoad formale compoſitionis non poteſt fieri ex nihilo: ergo quoad formale ſuæ compoſitionis nequit creari. Prob. Antec. compoſitum vt tale fit ex partibus, ex quibus conſtituitur: ergo ſaltim præſupponit in eſſe partes, ex quibus fit prioritate naturæ, ergo non fit ex nihilo, ſed ex illis partibus, quas prioritate naturæ in eſſe præſupponit: non ergo creatur. Nam ad creationem requiritur, quod aliquid fiat nullo præſuppoſito, neque prioritate tempo-

poris, neque prioritate naturæ. Confirm: partes non fiunt ſimul cum toto, ſiquidem inter partes, & totum datur ordo, & partes non ſunt poſteriores toto, quia totum componitur ex illis, & reſultat ex illis, non autem partes reſultant ex toto: ergo ſunt illo priores, & ſic totum fiet ex aliquo poſitivo præſuppoſito, ſaltim prioritate naturæ præcedente: vnde non creabitur totum.

Ad hoc nego Antec. ad prob. diſt. Antec. compoſitum vt tale fit ex partibus tanquam ex conſtituentibus intrinſece totum, conc. Antec. tanquam ex ſubiecto, vel termino *à quo* per ipſam factionẽ de relicto, nego Antec. & Conſeq. Itaque, quod tollit creationem, ſolũ eſt fieri ex ſubiecto, quod præerat ſub negatione illius, quod fit, & deinde tranſit ad eſſe in actu id, quod antea erat in potentia, ſed hoc modo totum fieri ex partibus, non eſt neceſſe, niſi quando per mutationem, vel motũ fit, tunc enim neceſſe eſt, quod termini mutationis ſint circa idem ſubiectum, quod tranſit ad eſſe in actu, cum antea tãtum eſſet in potentia ad illud. Poteſt autem alio modo aliquid fieri ex partibus, ſolum vt conſtituentibus illum, puta, ſi actio terminetur ſimul ad totum, & ad partes, ſed ad totum ratione ſui, quia cùm ſit id, quod primo ſubſiſtit, eſt id quoque, quod primo fit, & ad partes ratione totius, quæ cum habeant ſubſiſtere non in ſe, ſed in toto, ratione illius actionem terminare poſſunt: vnde non prioritate naturæ partes fiunt, & deinde totum, ſed primo totũ, & in toto, & ratione totius partes. Hic eſt enim modus perfecte faciendi totum, non procedendo ab imperfecto ad perfectum, ſicut procedit natura in ſuis operationibus, ſed incipiendo à perfectiori, vti facit perfectiſſimum agens, quale eſt Deus, cum creat. Vnde dixi ſupra, quod in creatione non erat verum, & reale fieri diſtinctum à facto eſſe, ſed tantum erat purum facere, & purum factum, & ſic non eſt proceſſus imperfectus à partibus ad totum, ſed potius à toto ad partes, non quia fiat totum ſine partibus, ſed quia per ſe fit, & partes ratione illius fiunt.

Ad Confirm. dico, quod dum totum fit proceſſu imperfecto, & de potentia paſſiva ad actum, datur ordo inter partes, & totum, ſic quod totum eſt ordine naturæ poſterius partibus: cum autẽ totum fit proceſſu perfecto, primo fit totum, & ratione totius partes, quaſi eſſe ipſarum deriuetur ab eſſe totius. Itaque actio totius factiva, cum perfecta eſt, à tota entitate rei primario veluti ſpecificatur, & ratione illius ad omnia entia in particulari intelligitur terminari, & ſic primo terminatur ad id, quod primo eſt, & ratione totius ad id, quod eſt in illo vel ratione illius: vnde primo ad totum, & ratione illius ad partes; & hoc eſt creari totum, & concreari partes.

Inſtabis, totum nihil aliud eſt, quam partes ſimul ſumptæ, & vnitæ: ergo ſi creatio primo terminatur ad totum, primo terminabatur ad partes: ergo ſicut creatio dicitur de toto, dicetur de partibus, & ſic non dicentur partes concreari, & creari totum. Ad hoc dico, quod quia totum nihil aliud eſt, quam partes ſimul ſumptæ, & vnitæ, ſicut creatur totum, ſic creantur partes vt ſimul ſumptæ, & vnitæ: vnde prout ſic, non concreantur, quia prout ſic non ſunt in toto, ſed ſunt ipſum totum, & ſicut toti convenit primo eſſe, & ſubſiſtere, ita & partibus prout ſimul ſumptis, & vnitis primo convenit eſſe, & ſubſiſtere: ſed præter iſtam partium conſiderationem, habetur earundem alia conſideratio, nempe qua conſiderantur vt minus eſſe habentes, quam totum; qua ratione dicimus, eas eſſe in toto, & ſubſiſtere in illo, & iſto modo dicuntur concreari, quia licet actu ſimul fiant cum toto, tamen ſicut illis, prout ſic, non dicitur primo convenire eſſe, ſic nec creationẽ terminare, per ſe primo dicitur eis cõvenire; ſed ſicut habent, prout ſic, eſſe ratione totius, ſic & habent terminare creationem ratione totius: vnde dicuntur concreari.

583 Secundo arguitur, & erit replica præcedentis argumenti. Compoſitũ formaliter vt tale eſt illud, quod reſultat ex vnione partiũ, & totum eſt illud, quod ex partibus conſtat, & ex partibus reſultat; id autem, quod habet eſſentialiter reſultare ex vnione partium, nullo modo fieri poteſt, niſi reſultando ex partibus: ergo neque poterit fieri niſi præſupponẽdo partes, ex quibus reſultet; & ſic neceſſario fiet ex aliquo; vnde non poterit fieri per creationem.

Ad hoc diſt. Mai. compoſitum eſt illud, quod reſultat ex vnione partium, reſpectivè ad omne fieri compoſiti, nego Mai. reſpectivè ad fieri imperfectum per partiũ mutationem, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque compoſitum habet reſultare ex vnione partium, quando in proceſſu na-

na,

naturæ imperfecto fit permutationem materiæ, ex hoc enim, quod materia vnitur formæ, & forma materiæ reſultat totum, vel compoſitum. Cæterum ſic fieri per reſultantiam ex vnione partium, non eſt de eſſentia compoſiti, de cuius conceptu tantum eſt conſtare ex partibus: vnde poteſt dari actio per ſe primo terminata ad conſtans ex partibus, producendo totum illud eſſe ſimul, & tunc compoſitum non reſultabit ex vnione partium, & hæc actio erit creatio.

Inſtabis, totum non alio modo fit, cum primo fit, ac poſtquam factum eſt conſervatur; ſed poſt factum eſſe conſervatur per reſultantiam ex vnione partium: ergo, cum primo fit, fit etiam per reſultantiam ex vnione partium. Maior patet, quia compoſitum eodem modo ſe habet ad ſuas partes, quando primo fit ac poſtquam factum eſt, in eſſe conſervatur: ergo. Mai. vero prob. totum, poſtquam factum eſt, cauſatur ex vnione ſuarum partium: ergo eſt effectus illarum, & ſic habebit eſſe per reſultantiam ex vnione partium.

Ad hoc diſt. Min. ſed poſt factum eſſe conſervatur per reſultantiam ex vnione partium, conſervatione per ſe primo terminata ad partes, vt ex earum vnione reſultat totum, nego Min. conſervatione per ſe primo terminata ad totum, & ratione illius ad partes, vt cauſantes totũ, conc. Min. & diſt. Conſeq. ergo cum primo fit, fit etiam per reſultantiam ex vnione partium, factione per ſe primo terminata ad partes, vt ex earum vnione reſultet totũ, nego Conſeq. factione terminata primo ad totum, & ratione illius ad partes, quæ illud componunt, & ex quarum vnione reſultat, conc. Conſeq. Itaque conſervatio totius, cum ſit continuata productio, ſi prima productio primo, & per ſe ſit terminata ad totum, etiam conſervatio per ſe primo terminabitur ad totum, & ſicut ratione terminationis ad totum prima factio producit partes, vt cauſas intrinſecas ipſius totius, ita & ratione conſervationis terminatæ per ſe primo ad totum conſervantur partes, vt cauſantes intrinſece totum. Itaque in linea effectiva primo per creationem fit totum, & ratione illius fiunt partes in toto, & ſimiliter in linea effectiva, & per ordinem ad efficiens primo conſervatur totum, & ratione illius conſervantur partes, quarum vnione fit, & conſervatur totum: in linea autem cauſalitatis intrinſecæ, totum fit per vnionem partium, & ſicut fit, ita & conſervatur: vnde creatio totius non ex partibus procedit ad totum, ſed à toto incipit efficientia eius, & ratione illius cauſantur partes, quæ intrinſice cauſæ ſunt ipſius totius.

Sed inſtas, ergo totum primo cauſatur per creationem, & partes ratione totius, deinde iterato, ex vnione partium fit totum, & ſic totum bis cauſabitur, quod non videtur dicendum. Reſpondeo, totum non fieri bis in eodem genere cauſalitatis, benè tamen in diverſo; in linea enim effectiva tantum cauſatur à Deo creante ſemel; ſed quia id, quod creatur, conſtituitur ex partibus, poſtmodum intelligitur conſtitutive fieri ex vnione partium. Sic igitur in linea effectiva prius totum, & ratione illius efficiuntur partes, ex quibus conſtituitur, vel conſtitutive fit ipſum totũ: vnde illa actio, cum efficere incipit, nihil totius effectum præſupponit, ſed conſtitutum cauſat, & ſimul conſtituentes cauſant conſtitutive illud, & ſic eſt vera totius creatio. In quo aſſigno diſcrimen inter proceſſum totius per generationem, & per viam creationis; quod in primo proceſſu, cum præſupponatur materia prima, prima efficientia totius incipit à tranſmutatione materiæ, educendo formam ex illa, vel vniendo ei formam per modum informantis illam, & deinde ipſa linea effectiva, ex hoc venit ad productionem totius conſtantis ex materia, & forma: vnde totum habet à ſuis partibus duplicem dependentiam, alteram quia conſtituitur ex illis, & alteram quia in linea effectiva fit medijs illis præſuppoſitis in eſſe; in proceſſu vero creativo ſolum dependet à partibus conſtitutive, ſed non effective, imò partes dependent effective ab illo, quia in illo, & ratione illius efficiuntur à creante.

584 Tertio arguitur contra ſecundam. Si cœlũ, & terra eſſent de facto creata, maxime hoc eſſet, quia prima rerum productio, cum nihil productum ſupponeret, debuit producere cœlum ex nihilo, at hæc ratio non convincit: ergo non eſt aſſeverandũ, cœlũ de facto fuiſſe creatũ. Prob. Min. potuit illa prima productio prout tantum terminata ad materiam primam eſſe ex nihilo, non vero eſſe ex nihilo, prout terminata ad formam cœli, vel ad ipſum cœlum, at in tali caſu cœlum non eſſet creatum, ſed ſolum materia prima: ergo

illa ratio non convincit. Prob. Mai. ſi hoc daretur, tantum ſequeretur, quod vnam et actio reſpectu diverſorum eſſet creatio, & ſimul eductio, at hoc nō eſt inconveniens, neque enim ex hoc duæ ſequerentur contradictoriæ, cum prædictæ formalitates non ponantur convenire eidē actioni reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diverſorum: ergo abſque inconvenienti potuit ſic contingere.

Confirm. forma cœli de facto educta fuit ex materia cœli: ergo illa prima productio tantum fuit creatio reſpectu materiæ, & eductio cœli. Prob. Antec. forma illa cœli erat in potentia materiæ cœli: ergo vel adhuc eſt in potentia prædictæ materiæ, vel educta eſt ex eius potentia: non primum, quia implicat ſimul aliquam materiam eſſe in potentia formæ, & actu habere illam: ergo cum de facto actu habeat illam; non eſt in potentia ad illam: debemus ergo aſſeverare, quod forma cœli de facto educta eſt ex potentia materiæ. Confirm. ſecundo, forma cœli eſt materialis: ergo in eſſe, & fieri dependet à materia: ergo educta eſt ex materia: ideo enim probavimus gratiam educi ex potentia animæ, quia in eſſe, & fieri depēdet ab anima; ſi ergo forma materialis cœli in eſſe, & fieri dependet à materia; erit educta ex potentia materiæ. Confirm. tertio, cœlum factum eſt modo ſibi connaturali: ergo factum eſt per eductionem ex potentia materiæ probatur Conſeq. quia modus connaturalis fieri compoſiti materialis, eſt fieri per eductionem ex potentia materiæ quidquid ſit de factione eius de poſsibili: ergo.

Ad hoc argumentum, nego Min: ad prob. neg. Min. Itaque admitto potuiſſe illam actionem primo terminari ad materiam primam, & deinde ad formam; nego tamen quod tunc reſpectu formæ eſſet eductio, quia eſto formam faceret ex materia; non tamen faceret ex materia producta per aliam actionem, quod indiſpenſabiliter requiritur ad eductionem. Licet enim quælibet productio ex aliquo tollat creationē; non tamen ponit eductionem; niſi ex aliquo præſuppoſito ad actionem res fiat: eſſet ergo illa productio formæ concreatio; quia actio, quæ ex nihilo incipit, & deinde ex aliquo ex nihilo facto, vlterius ad faciendum procedit, procedit concreando, non vero educendo. Quod apparet evidens in intellectu, & voluntate, quæ ſequuntur ad animam, & ſubiectantur in anima, nec tamen ex hoc illa actio dicitur eductiva potentiarum animæ, ſed tantum concreativa illarum, quia licet creatio, prout ad illas terminata præſupponat animam, & ex illa illas producat, non tamen præſupponit animam factam ex vi alterius actionis.

Sed inſtas, ſi daretur actio intellectualis, quæ ſimplici intuitu cognoſceret principium, & ex principio educeret cognitionem concluſionis, illa actio duas formalitates haberet, nēpe ſimplicis cognitionis, & ſcientiæ: ergo ſi datur actio ſimplici influxu terminata ad materiam, deinde ex materia producens formam, illa actio erit creatio materiæ, & ductio formæ. Secundo illa actio non poterat eſſe concreatio formæ: ergo debebat eſſe eductio. Prob. Antec. illud ſolum concreari dicitur, quod fit ſimul cum eo, quod creatur, & ratione illius terminat creationem, forma autem facta ex materia; cum non ſit pars materiæ, non terminaret in materia creationem; vnde non fieret ratione materiæ; ſed vere ex materia: ergo non diceretur concreari ad creationem materiæ. Tertio illa forma, ſi fieret ex materia; vere fieret ex mutatione materiæ, vere enim tunc materia fieret in actu ſecundum formam, ad quam ſaltim pro priori naturæ eſſet in potentia: ergo mutaretur; nam mutatio tunc contingit, quando idem ſubiectum præexiſtit ſub vtroque termino mutationis, at vbi adeſt vera mutatio non poteſt adeſſe, neque creatio, neque concreatio: ergo. Quarto ſi prædicta forma fieret ex materia præſuppoſita prioritate naturæ; vere fieret ex aliquo, non tantum conſtitutive, ſed etiam præſuppoſitive, & correlative ex parte termini *a quo*: ergo non diceretur concreari, ſed vere educi.

Ad primam, nego Conſeq. & aſsigno diſcrimen: Etenim ad rationem ſcientiæ tantum requiritur, quod ſit cognitio rei per cauſam, quod autē cauſa diſtincta cognitione fiat cognita ab ea, qua fit concluſio, hoc non requiritur: vnde, ſi per poſsibile, vel impoſsibile daretur vna actio, quę primo ex immediata connexione prædicati cum ſubiecto principium cognoſceret, & ex principio cognito in cognitionem concluſionis veniret, verè illa haberet duas formalitates, alteram ſimplicis intuitus, & ſcientię alteram. Eſt autem de conceptu eductionis, ſeu generationis, quod pri-

Digitized by Google

primo, & per ſe ex aliquo præſuppoſito tranſmutato formam efficiat; cum ergo in dato caſu, hoc non conveniret præfatæ actioni, quia primo eſſet operativa materiæ ex nullo: quamvis deinde ex materia formam faceret, non tamen formalitatem eductionis haberet; ſed eſſet tantum creatio materiæ, & concreatio formæ. Itaque creatio, & generatio ſunt actiones non ſolum diverſæ, ſed etiã oppoſitæ, in eo quod creatio per ſe eſt productiva ex nullo; generatio per ſe eſt productiva ex aliquo: vnde ſolum poteſt eſſe generatio illa actio, quæ per ſe primo producit ex aliquo præſuppoſito, non quæ ex conſequenti ex aliquo producit.

Ad ſecundam, nego Antec. ad prob. dico, quòd, cum vna indiviſibilis actio per ſe primo produceret materiã, & ratione materiæ actuandæ produceret formam, vere dici poſſet creatio materiæ, & concreatio formæ. Ad tertiam, nego Ant. ſicut enim, dum anima creatur, intellectus, & voluntas realiter diſtincti ab anima extrahuntur ex illa tanquam ex ſubiecto, nulla interveniente mutatione ſtricte dicta, ita tunc extraheretur forma à materia ſine mutatione materiæ: & ratio eſt, quia vt aliquid vere mutetur requiritur indiſpenſabiliter, quod aliquid non ponatur ſub forma ex vi actionis, per quam producitur; tunc autem materia ex vi actionis, per quam produceretur poneretur ſub forma: & [illegible] interveniente mutatione [illegible] extraheretur.

Ad quartam, nego An[illegible] non enim tunc forma fieret ex aliqu[illegible] derelictive, quia materia haberet formam ex vi eiuſdem actionis, per quam produceretur; vnde neque pro priori naturæ fuiſſet in potentia ad formam, neque eſſet ſub negatione formæ: ad huiuſmodi enim requiruntur indiſpenſabiliter, quod ex vi actionis, per quam materia ſub forma non ponatur.

Sed adhuc inſtas, illa actio tantum eſſet productio materiæ ex nihilo; eſſet autem productio formæ ex aliquo: ergo non eſſet concreatio formæ, ſed vera eductio. Secundo inſtas, iſte proceſſus eſſet imperfectus & via generationis, nempe prius faciendo partes, & ex partibus totum: ergo non eſſet proceſſus creationis. Ad primam diſt. Antec. pro ſecunda parte, eſſet autem productio formæ ex aliquo, facto per eandem actionem, conc. per diſtinctam, nego, & nego Conſeq. Ad ſecundam, conc. quòd talis proceſſus eſſet imperfectus, ſed nego quod eſſet imperfectus in linea generationis, ſed in linea creationis: nam ad primã imperfectionem requirebatur, quod partes, & totum ex illis conſtitutum non fierent per eandem indiviſibilem actionem, ſiquidem generatio, vt dixi, eſt actio per ſe primo productiva ex aliquo præſuppoſito: illa autem creatio materiæ, eſto ex aliquo produceret formam, & totum, non tamen hoc illi conveniret per ſe primo, ſed ex conſequenti, & ſic proceſſus talis actionis, eſto imperfectus eſſet, non tamen eſſet proceſſus per viam generationis.

585 Hucuſque defenſavimus hanc ſolutionem, ſed ne alicui duriuſcula appareat hæc doctrina; placet alio modo ſolvere principale argumentum. Reſp. ergo negando Min. ad prob. nego Mai. ad prob. nego, quod non ſequeretur duæ contradictoriæ. Et ad id, quod dicitur, quod contradictoriæ tantum ſequuntur, quando ſunt reſpectu eiuſdem, ſecundum idem, illæ vero non verificarentur de eadem actione in ordine ad idem. Dico, illas formalitates creationis, & eductionis non tantum eſſe diverſas, ſed oppoſitas, & incompoſsibiles in eadem actione; & ſic, ex hoc quod eadẽ actio eſſet creatio materiæ, & eductio formæ, ſequeretur, quod eſſet creatio, & quod non eſſet creatio: nam creatio eſt productio totius entis, quod per illam fit ex nihilo, & illa actio formam, & compoſitum faceret ex aliquo, & ſic eſſet creatio, ex quo talis poneretur, & non eſſet creatio, ex quo partẽ entitatis ab illa productæ faceret. Itaque ſicut iudico poſsibile, quod de vna cognitione hominẽ cognoſcat, & in homine riſibilitatem videat; non vero iudico poſsibile, quod vnica cognitione hominẽ cognoſcat, & homine cognito riſibilitatem cognoſcat, ita iudico poſſibile, quod vna actione totum faciat, & in toto, & ratione illius partes coefficiat; non tamen intelligo poſsibile, quod vna indiviſibili actione terminative eadem materiam efficiat creando, & ex materia formam, & compoſitum educat. Neque exẽplum adductum de intellectu, & voluntate oppoſitum convincit. Nam, cum Deus creat animam, illa creatio non terminatur primario ad animam, & ſecundario ex anima extrahit intellectum & voluntatem; ſed primario terminatur ad totam entitatem, quæ reperitur in anima, & in anima, & ratione eius terminatur ad prædictas po-

potentias concreando illas, non educendo illas ex anima: alias productio animæ non eſſet productio totius entis ex nihilo.

Ad primam Confir. nego Ant. ad prob. nego Ant. nam materia cœli ex quo fuit, ſemper fuit in actu ſecundum formam cœli, & ſic forma cœli nunquam fuit in potentia materiæ. Ad ſecundam Confir. diſt. Conſ. ergo in eſſe, & fieri dependet à materia, ad hunc ſenſum, quod non poſsit fieri niſi in materia, conc. Conſ. ad hunc ſenſum, videlicet, quod ex illa fiat, nego Conſ. cuius oppoſitum non convincit exẽplum de gratia. Nam, eſto de facto gratia propter illam rationem non creetur, tamẽ poteſt concreari, ſi Deus vna indiviſibili actione totam entitatem Angeli, vel animæ producat: ſic enim totum conflatum ex natura, & gratia per ſe crearetur, & gratia concrearetur, quod non ita factum iudicavimus, quia Angelus creatus creditur à Deo authore naturę, vt pars Vniverſi; vnde prędicta creatio non fuit terminata ad totum ens abſolute, ſed tantum ad totum ens ſpectans ad ordinem naturæ: vnde gratia non fuit concreata, quæ alterius ordinis per ſe eſt: hoc autem non contingit in productione cœli, quæ cum eſſet prima de ordine naturæ; ad totum eſſe naturale cœli primo debuit terminari, & non illud paulatim producere, incipiendo à partibus eius. Ad vltimam Confir. dico, quod cœlum factum eſt modo ſibi connaturali, non abſolute, ſed reſpective ad primam productionem. Volo dicere, quod quamvis attenta natura cœli materialis, connaturale eſſet fieri per eductionem; ex ſuppoſitione tamẽ quod Deus primo, & ante omnia illud voluit producere, connaturale fuit ei, quod per creationem fieret: nam prima omnium rerũ productio debet eſſe rei creatio, & creatio connaturaliter eſt productio totius entis ex nihilo, eſto aliquando poſsit tantum eſſe partis entis productio ex nihilo; ſcilicet materiæ primæ, vt patet in generatione vermis ex ſpeciebus Sacramentalibus in ſententia eorum, qui dicunt tunc dari ſolius materiæ primæ creationem; quod D. Tho. adhuc non admittit, ſed dicit ... nc materiã fieri per converſionem quantitatis in ipſam.

Sed inſtas, ſi Deus, vt potuit, per vnam actionem produxiſſet materiam cœli, & per aliam ex illa produceret cœlum, tunc cœlum productum eſſet modo ſibi proprio, & connaturali, cum quo etiam ſalvaretur, quod cœlum eſſet primum productũ inter compoſita, & etiam quia ante inſtans productionis cœli nihil Deus produxiſſet: ergo ſic factum debemus aſſerere. Prob. Conſ. nam credi debet Deum produxiſſe cœlum modo magis ſibi connaturali, & proprio ſibi poſsibili in prima productione, at produci per eductionem eſt connaturalius cœlo, quâ creari: ergo ſic cum illo ſalvaretur quod eſſet primo productum inter compoſita, & primo productum abſolute, quia ante inſtans productionis eius nihil Deus produxiſſet: ergo ſic debet credi cœlum fuiſſe productum non vero creatum. Ad hoc dico quod ſcriptura non ſolum dicit cœlum primo factum inter compoſita tantum, ſed dicit in principio, id eſt, ante omnia creavit Deus cœlum, hæc autem loquutio proprie non ſalvaretur, ſi cœlum eſſet eductum ex materia per actionem diſtinctam creatam: nam tunc creatio materiæ præcederet, ſaltim prioritate naturæ, ipſius cœli formationem. Inſuper, ſi cœlum eſſet eductum ex materia creata per diſtinctam actionem, primum creatum nõ eſſet cœlum, ſed materia, vnde convenientius ad Sacram Scripturam, quamvis non connaturalius ad naturam cœli, ponitur primam creationem terminatam fuiſſe ad cœlum, quam ad materiam, ex qua fieret: in his enim, quæ fidei ſunt, non debet attẽdi ad maiorem rerum convenientiam, ſed ad maiorem cum dictis ſcripturæ conſonãtiam: & ſic debemus dicere primo creatum fuiſſe cœlum, & non eius ſolam materiam, quia ſic Scriptura Sacra loquitur.

§. VI.

Vtrùm materia prima proprie, & per ſe creetur?

586 PATER Vazquez nihil invenit in compoſito materiali aptum natum ad per ſe terminandum creationem, niſi materiam primam, & formam rationalem; hæc quidem, quia per ſe & independenter à materia poteſt per ſe ſubſiſtere: materia vero, quia illa ſola ex nullo præſuppoſito ſubiecto fit, cum omnis forma materialis in ſententia Vazquez educatur ex ea, & ipſa etiam ratio compoſiti educatur ex eius partibus. Vnde ſecundum Vazquez materia proprie creari dicitur, & nihil aliud ab ipſa, niſi anima rationalis. Sed oppoſitum iudico verum in ſen-

ten;

tentia D.Tho. Nam hic art.4. ſic dicit. *Sicut igitur & formæ, & huiuſmodi, quæ non ſubſiſtunt, magis ſunt coexiſtentia, quam entia; ita magis debent dici concreata, quam creata, proprie vero creata ſunt ſubſiſtentia*, ſed materia prima non eſt ſubſiſtens ergo iuxta doctrinam D.Tho. proprie non creatur. In ſolutione etiam eiuſdem art. ad 3. docet: *Creationem eſſe productionem totius eſſe, & non ſolius materiæ*: igitur materia ſola non habet proprie terminare creationem. De potentia quæſt.3. art.1. ad 12. ſic habet: *Dicendum, quod neque materia neque forma, neque accidens proprie dicuntur fieri, ſed id, quod fit, eſt res ſubſiſtens, cum enim fieri terminetur ad eſſe, proprie ei convenit fieri, cui proprie convenit eſſe, ſcilicet, rei ſubſiſtenti unde neque materia neque forma, neque accidens proprie dicuntur creari, ſed concreari, proprie autem creatur res ſubſiſtens*, Sic D.Tho.

587 Tribus dictis modum difficultatis diſolvam. Primum eſt, materia poteſt fieri ſine creatione. Secundum, materia prima naturali factione non fit niſi per creationem. Tertium dictum. Materia prima non proprie creatur. Primum dictum, probo ex illa communi doctrina Thomiſtarum in materia Euchariſtiæ, quæ aſſerit, quod cum ex corruptione ſpecierum Sacramentalium vermis producitur, vel ex combuſtione earundem fiunt cineres, tunc Deus non creat novam materiam, ſed quantitas panis, vi præcedentis miraculi, convertitur in materiam primam, ex qua forma vermis, vel cinerum educitur: igitur tunc materia prima fit, & creatione non fit.

Hoc tamen apparet difficile, nam inde ſequeretur dari extra Deum aliquas ſubſtãtias, quæ ex nihilo non fiunt; Conſ. non videtur admittendum: ergo. Prob. Sequela dato quod materia prædictorum vermium, vel cinerum non creetur, ſed fiat per converſionem quantitatis in illam, tales vermes, vel cineres, ex nullo principio, ex quo conſtant, ſunt ex nihilo, quia formæ ipſorum ſunt ex aliquo, nempe ex materia, & ipſa materia fit per converſionem quantitatis præexiſtentis in illam, quod etiam eſt fieri ex aliquo: ergo prædicti vermes, & cineres erunt ſubſtantiæ extra Deum non ex nihilo. Ex quo fit aliud argumentum ſimile, nempe quod dentur ſubſtantiæ extra Deum, quæ non ſint creaturæ Dei; quod videtur falſiſsimum: ergo. Prob. Sequela, omnes res, quæ modo in mundo ſunt, & fuerunt, præter eas, quæ primo productæ ſunt, creaturæ dicuntur, quia conſtant ex materia, quæ habet eſſe per creationem; ſed prædicti vermes, & cineres non habent materiam productam per creationem: igitur nõ erunt dicendi creaturæ Dei.

Ad hoc dico, materiam illorum vermium, vel cinerum eſſe ex aliquo, quod eſt ex nihilo, nempe ex quãtitate panis, ad hoc enim ut creatura dicatur, eſſe ex nihilo, nõ requiritur indiſpenſabiliter, quod conſtet ex aliquo, quod immediate ex nihilo ſit, ſed ſufficit, quod conſtet ex aliquo, quod ſit factum ex aliquo, quod ex nihilo factũ eſt; ſic enim fit reductio talis creaturæ ad nihilum: ſicut enim dicimus, quod demonſtratio eſt ex primis, & immediatis; & tamen non omnis demonſtratio eſt ex primis & immediatis, ſed ſufficit ut principia, ex quibus procedit, poſsint reduci ad prima ſimpliciter, quæ per alia probari non poſſunt; ſic ſufficit ad hoc quod omnis creatura dicatur ex nihilo facta, quod reducatur ad nihilum, ſive mediate, ſive immediate. Per quod reſpondeo ad ſecundum, quod ut dicatur creatura, ſufficit, quod reducatur tandem ad aliquid, quod ſolum creatione factum eſt; & ita Vermes, & cineres formati ex tali materia eſſent ex nihilo, quia eſſent ex quantitate panis, quæ ex nihilo facta fuit, ſcilicet, ex pane, cuius materia ex nihilo facta eſt: & hoc eodem titulo eſſent ex nihilo creaturæ, unde eſſent dicendæ Dei creaturæ. Vel dicatur ſecundo, prædictos vermes, & cineres ex nihilo eſſe in aliquo ſenſu, videlicet, quia poſſent immediate reduci ad nihilum, ſi Deus ſuſpenderet adæquatum concurſum, quo illos conſervaret, quod etiam ſufficeret, ut eſſent creaturæ: nam eſſe ſic à Deo dependentes adæquate, quod per ſolam ſuſpenſionem concurſus divini adæquati reduci poſſent in nihilum, ſufficeret ad aſſerendum, quod creaturæ eſſent.

588 Sed contra iſtas ſolutiones inſtabis. Contra primam quidem. Nam reſolutio compoſiti naturalis fit uſque ad materiam primam, eo modo, quo reſolutio cuiuslibet concluſionis fit uſque ad prima principia ſimpliciter prima: igitur ſi materia prima alicuius compoſiti non ſit ex nihilo, illud compoſitum non erit ex nihilo, & ſic neque creatura erit. Secundo univerſaliſsima ratio entis, quæ reperitur in compoſito naturali tantum comprehendit eam entitatem, quæ in compoſito intrinſice reperitur; illa autem entitas, quæ

extra compoſitum eſt, nihil compoſiti dicitur: ergo ſi materia prima vermis non ſit ex nihilo, vermis non dicetur factus ex nihilo, nec erit in ſe ipſo creatura. Tertio, ſi materia prima vermis non eſſet creata, vermis non conſtaret ex aliquo creato: ergo non referretur ad Deum immediate, vt creatura ad Creatorem, ſed tantũ mediate, & remote, ſicut Filius non refertur immediate ad avum, quia in ſe ipſo non eſt Filius avi, quamvis ſit Filius Patris, qui, vt Filius, avum reſpicit immediate vt Patrẽ: non autẽ eſt aliqua Dei creatura, quæ immediate, & ratione ſui non referatur ad Deum vt Creatorem: ergo neque aliqua erit, quæ non habeat in ſe principium factum per creationem: non ergo dandus eſt vermis, qui conſtet ex materia non facta per creationem.

Secunda ſolutio impugnatur ſic, nam ſi materia illa vermis tantum facta eſt per converſionem quantitatis panis in ipſam, non poſſet deſtrui talis materia, niſi per hoc quod iterato converteretur in prædictam panis quantitatem: ergo prædictus vermis non poſſet annihilari. Prob. Antecced. ſubſtantia panis, & vini, quæ converſa eſt in Corpus Chriſti, nequit de novo fieri, niſi ipſum Corpus Chriſti, iterato convertatur in ſubſtantiam panis, & vini, ſic atteſtante D.Thom. 3.part. q.77. art.5. ergo è contra, ſi materia vermis facta eſt per converſionem quantitatis panis in ipſam, non poterit deſtrui, niſi per hoc quod iterato convertatur in quantitatem panis, & vini. Patet Conſeq. quia eadem eſt ratio de nova productione converſi, ac de deſtructione illius, in quod aliud convertitur: ergo ſi id, quod convertitur in aliquod, non poteſt recuperari niſi per converſionem alterius in ipſum, ſic nec terminus *ad quem* converſionis poterit deſtrui, niſi per hoc quod convertatur iterato in aliud, quod fuit converſum in ipſum.

Secundo impugnatur, nam creatura non dicitur facta ex nihilo, quia poteſt verti in nihilum, ſed potius è contra res habet; ex eo enim verti poteſt in nihilum, quia facta eſt ex nihilo: ergo ſi vermis ille non eſt factus ex nihilo, non poterit verti in nihilum, & ſic nulla ratione dicetur creatura.

Propter hæc, quæ valde difficilia ſunt, aliter reſpondeo ad argumentum negando Mai. ad prob. nego ſimiliter Antec. nam prædicti vermes non conſtarent propriè ex materia, ſed ex quantitate panis converſa in materiam; quantitas autem panis ex nihilo eſt, & ſic vermes vel cineres ex nihilo ſunt. Pro quo adduco doctrinam D. Ambroſij, quæ habetur in Decretis de Conſecratione, diſtinct.2. cap. *panis*, quæ talis eſt. *Si tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperet eſſe, quod non erat, quanto magis operatorius eſt, vt ſint, quæ erant, & in aliud commutentur, & ſic quod erat panis, iam Corpus Chriſti eſt, quia ſermo Chriſti creaturam mutat*. Super quæ Caietanus 3.p.q.75. art.3. *nota primo*, ly vt ſint, quæ erant, & in aliud commutentur, *hic enim manifeſte habes Ambroſium dicere, quod ſint, quæ erant, & in aliud ſunt commutata, & hinc apparet figmentum eſſe dicere, quod quæ erant, & in aliud ſunt commutata nihil ſunt: nam ſi ſunt (vt inquit Ambroſius) ſequitur, quod non ſunt nihil*. Ex quibus ad caſum noſtrum, cum quantitas panis convertitur in materiam vermis, quantitas, quæ erat, eſt, ſed mutata in panem, & ſic vermis conſtat ex illa quantitate mutata in panem: vnde cum quantitas illa ex nihilo ſit, ſequitur, quod vermis ex illa vt mutata in materiam conſtans, ex nihilo ſit, & per conſequens vera creatura ſit. Per quod ſolvitur ſecunda difficultas.

589 Secundum dictum noſtrum, videlicet, quod naturaliter loquendo materia ſolum fiat per actionem, quæ creatio ſit, Patet. Nam illa ſolum poteſt fieri, vel per converſionem alterius in ipſam, vel per hoc, quod totum ex illa conſtans creetur, & ſic concreetur ipſa; per generationem, vel eductionem ex aliquo materia prima fieri nequit; quia ipſa eſt primum ſubiectum, ex quo omnia generãtur, quæcumque generantur; at naturaliter non poteſt fieri per converſionem alterius in ipſam, iſta enim converſio mirabilis eſt, & ſolum divinitus poſsibilis: reſtat ergo ſolũ quod fiat per hoc, quod totũ conſtans ex illa, ex nihilo fiat per creationem, & ſic ipſa concreetur: ergo materia prima naturaliter ſolum per creationem fieri poterit.

Tertiũ dictũ, nempe, quod propriè non creetur. Prob. primo ex locis D.Th. ſupra adductis, & ratione eius convincitur, nam illud propriè creatur, quod poteſt per ſe ſubſiſtere; ſed materia prima, cũ ſit pura potẽtia, nequit per ſe ſubſiſtere: igitur propriè nõ creatur. Conſ. eſt bona, & probo præmiſſas.

Mai. quidem, nam creatio per ſe terminatur ad id, quod eſt abſolute ens, ſiquidem eſt productiva totius entis ex nihilo; ſed ſolum id, quod per ſe ſubſiſtit, eſt abſolute ens, id eſt, poteſt habere entitatem indepēdenter ab alio; alia enim non per ſe ſubſiſtentia, non ſunt vt *quod* entia, ſed tantum vt *quo*: igitur illud tantum proprie creatur, quod poteſt per ſe ſubſiſtere. Min. autem prob. nam ſi materia prima eſſet per ſe ſubſiſtens poſſet naturaliter exiſtere ſeparata à forma, & à compoſito; at ſecundum omnium opinionē ex natura rei materia nequit exiſtere ſeparata à forma, & in via D. Thom. neque de potentia abſoluta poteſt exiſtere ſine illa: igitur materia prima nequit per ſe ſubſiſtere.

§. VII.

Solvuntur aliquæ inſtantiæ contra hanc doctrinam.

590 INSTABIS Primo. Anima Chriſti de facto creatur; & tamen in Chriſto non ſubſiſtit per ſe, ſed in alio, nempe in Verbo: ergo falsò aſſeritur, quod ſolum id, quod per ſe ſubſiſtit, poteſt creari. Et ſi reſpondeas, quod quamvis anima Chriſti non ſubſiſtat per ſe, ſed in alio, tamen ex natura ſua eſt per ſe ſubſiſtens, & ſic poteſt per ſe terminare creationem. In contra inſto, anima Chriſti de facto terminavit creationem, & tamen de facto non erat ens vt *quod*, ſed tantum vt *quo*, nam per creationem non fuit communicatum ei eſſe vt *quod*, ſed tantum vt *quo*; eſſe enim vt *quod* tantum fuit communicatum ei per actionem aſſumptivam, quæ vnita eſt Verbo Dei in perſona: igitur creatio proprie dicta bene poteſt terminari ad aliquid, quod non habet eſſe vt *quod*, ſed tantum vt *quo*. Itaque; vis huius Conſequentiæ ſtat in hoc, quod licet anima Chriſti ſibi relicta capax eſſet ſubſiſtendi per ſe, & vt *quod*, tamen de facto creata eſt creatione, per quam tantum accepit eſſe vt *quo*, & non vt *quod*: igitur poſſumus intelligere aliquid proprie creari, quod tamen non ſit ens vt *quod*, ſed tantum vt *quo*, per quod infringitur ratio noſtræ probationis concluſionis.

Ad hoc bene dictum eſt: vt enim aliquid per ſe poſſit terminare creationem, ſufficit, quod per ſe ei debeatur ſubſiſtere, quāvis ex accidenti habeat ſubſiſtere in alio; tunc enim creatio per ſe terminatur ad ſubſiſtens, quamvis ex accidenti terminetur ad ens ſubſiſtens in alio. Ad replicam, conceſsis præmiſsis; diſt. Conſeq. ergo ad terminandam veram creationem non requiritur quod id, quod creatur ſit per ſe ſubſiſtens de facto, conc. Conſeq. quoad per ſe debitum, nego Conſeq. Itaque, vt dixi, ad per ſe terminandam creationem, non requiritur, quod id, quod creatur, de facto per ſe ſubſiſtat, ſed ſufficit, quod ei attenta ſua natura debeatur per ſe ſubſiſtere, quod habet anima Chriſti: materia autem neque actu ſubſiſtit, neque ei debetur per ſe ſubſiſtere, & ſic anima Chriſti proprie creatur, non vero materia prima.

Inſtabis, animæ rationali non debetur per ſe ſubſiſtere, dum vnitur corpori, ſed tantum ei debetur per ſe ſubſiſtere, dum eſt extra corpus; licet enim non conſtet ex materia *ex qua*, habet tamen materiam *in qua*: vnde neceſſe eſt, quòd, dum eſt corpori vnita, tantum ſubſiſtat ſubsiſtentia compoſiti; & tamen, dum vnitur corpori, per ſe creatur: ergo id, quod adhuc ex meritis non eſt per ſe ſubſiſtens, poteſt proprie terminare creationem. Ad hoc dico, quod animæ rationali ſemper debetur ſubſiſtere per ſe, non ſubſiſtentia per ſe coniungenda cum ſtatu vnionis ad corpus, ſed coniungenda naturaliter cū ſtatu eſſendi extra corpus, & hoc ſufficere, vt poſsit per ſe terminare creationem; hoc enim ipſo, quod capax eſt ſubsiſtendi per ſe naturaliter aliquando, hoc ipſo habet per ſe per creationem; alias fieret duabus vicibus, altera dum eſt in corpore; altera dum eſt extra corpus, altera per creationem, altera concreatione; quod nullatenus valet admitti. Vnde in forma, nego Antec. dum enim vnitur corpori, ei per ſe debetur per ſe ſubſiſtere extra corpus: itaque ſic eſt in corpore ſubſiſtens ſubſiſtentia compoſiti, quod poteſt naturaliter per ſe ſubſiſtere, & ſic eſt potens per ſe eſſe, & terminare creationem.

Inſtabis, quod convenit alicui pro aliquo tempore determinato, abſolute per ſe non habet ei convenire, v.g. Angelus non dicitur per ſe impeccabilis, quāvis pro primo inſtanti ſuæ creationis peccare nō poſſit, quia pro ſecūdo inſtanti peccare potuit; ſed animæ rationali non convenit ſemper per ſe ſubſiſtere; ſed tantum quando eſt ex-

extrà corpus: ergo abſolutè, & per ſe non dicetur per ſe ſubſiſtens. Confir. quamvis animæ rationali convenit in ſtatu ſeparationis intelligere per ſpecies à Deo infuſas, & non à rebus acceptas, non tamen ex hoc dicitur per ſe convenire ei intelligere per ſpecies à rebus non acceptas, ſed potius quia forma corporis eſt, dicimus, per ſe cõvenire ei intelligere per ſpecies à rebus acceptas, & per accidens convenire ei intelligere per ſpecies à rebus non acceptas, ſed à ſolo Deo infuſas: ergo ſimiliter, quia in ſtatu coniunctionis, qui animæ connaturalis eſt, non convenit ei per ſe ſubſiſtere, ſed potius convenit ſubſiſtere in compoſito, quãvis extra compoſitum per ſe ſubſiſtat, non dicetur per ſe ſubſiſtens.

Ad hoc diſt. Conſeq. ergo abſolutè non dicetur per ſe ſubſiſtens, ad hunc ſenſum, quod per ſe ſubſiſtere conveniat animę pro ſemper, conc. Conſ. ad hunc ſenſum quod pro ſemper non habeat debitũ per ſe ſubſiſtẽdi in ſtatu extra corpus, nego Conſ. Itaque, non dico animã ex meritis ſuis eſſe per ſe ſubſiſtentẽ ſubſiſtentia conveniente ei pro omni tempore, ſed dico, per ſe ſubſiſtere quoad debitũ, id eſt, ſemper habere debitũ, vt ſi extra corpus ſit, per ſe ſubſiſtat.

Ad Confir. dico, animæ ſimiliter, dum eſt corpori coniuncta, convenire debitum intelligendi extra corpus per ſpecies à Deo infuſas, à quo debito nunquam abſolvitur, quamvis ab actu intelligendi per ſpecies infuſas, dum eſt corpori coniuncta, abſolvatur. Vnde in forma diſt. Ant. non tamen ex hoc dicitur ei per ſe convenire intelligere per ſpecies infuſas; perſeitate coniungenda pro ſemper cũ actu intelligendi per ſpecies infuſas, conc. Ant. perſeitate per ſe intelligendi per ſpecies infuſas in ſtatu ſeparationis, nego Ant. & diſt. Conſ. ergo in ſtatu cõiunctionis non dicetur per ſe ſubſiſtens, id eſt, non dicetur habere debitũ per ſe ſubſiſtendi pro ſemper, conc. Conſ. per ſe ſubſiſtendi in ſtatu extra corpus, nego Conſ. Itaque, cũ dixi, animã coniunctam corpori ex meritis ſuis per ſe ſubſiſtere, non volui dicere, quod anima, dum eſt coniuncta corpori, habeat meritum ad per ſe ſubſiſtendũ ſubſiſtentia coniungẽda ei in ſtatu coniunctionis cũ corpore, ſed tantũ ſubſiſtentia cõiungenda ei in ſtatu ſeparationis à corpore, quem ſtatum naturaliter habere poteſt.

591 Poſſe in aliter diſcurrere circa ſubſiſtentiam animæ in ſtatu coniunctionis ad corpus, dicendo, illam etiam coniunctam corpori, etiã per ſe ſubſiſtere ſubſiſtẽtia tamen partis, non compoſiti, vel totius. Voco ſubſiſtentiam partis hoc, quod eſt habere eſſe, & operari independenter à materia comparte, licet illud eſſe non conveniat ei vt *quod*, nec ſimiliter operari: habet enim anima, dum eſt coniuncta corpori, intelligere, ad quod neque per modũ principij activi materia concurrit; & quamvis in materia ſit, habet tamen ſic eſſe in illa, quod naturaliter poſſit eſſe ſine illa, quod eſt quoddam genus ſubſiſtendi per ſe per modum partis, id eſt, independentia in operari, & in eſſe à ſua comparte, ad differentiam aliarum formarum materialium, quæ in eſſe, & operari non tantum dependent à compoſito, ſed etiam à comparte materia: quæ independentia eſt quoddam genus per ſe ſubſiſtendi; ſed quia in illo operari anima dependet à ſuppoſito, id eſt, ab habente animam, ideo eſt ſubſiſtere per ſe incompletũ, vtpote ſolum potens competere parti, ſufficiens tamen ad per ſe terminandum creationẽ, quia forma, quæ talis naturæ eſt, quod habet eſſe, & operari independens à comparte, etiã dum ei coniungitur, talis quoque naturæ eſt, quod eſto de facto tantũ ſit vt *quo* reſpectu compoſiti, poſſit eſſentialiter vt *quod*, eſſe extra compoſitum.

Sed inſtabis, quia anima operatur independenter à materia, probatur poſſe eſſe extra materiã naturaliter: ergo quia operatur dependẽter à ſuppoſito, quod eſt homo, naturaliter non poterit eſſe extra hominẽ. Prob. Conſ. nam ſi eſſet in operari dependens à materia, non poſſet naturaliter eſſe extra materiã: ergo ſi eſt in operari, & in eſſe dependens à ſuppoſito, quod eſt homo, nõ poterit naturaliter operari extra hominem. Ad hoc nego Ant. ad prob. nego ſimiliter Conſ. nam cum homo ſit conſtans ex corpore, & anima, ſi detur aliquid potens eſſe & operari extra corpus, dabitur, quod ſit potens eſſe, & operari etiã extra cõpoſitũ. Itaque independentia animæ rationalis in operãdo à materia, eſto immediatè tãtũ probet, animã poſſe eſſe, & operari extra illã, ex cõſequẽti etiã probat, poſſe operari extra cõpoſitũ, quia, vt dixi, non eſt homo, vbi nõ eſt cõſtans ex corpore, & anima, & ſic ex illo principio, ex quo probatur animã poſſe eſſe extra materiã, probatur quoque poſſe eſſe, & operari extra compoſitũ. Sed adhuc inſtabis, eſto anima rationalis poſſit eſſe extra materiam, & ſimiliter operari ex-

Digitized by Google

extra illam, non tamen poteſt eſſe, & operari extra habentē animam; ſed habens animam eſt homo: ergo ex independentia in eſſe, & operari à materia nō probatur poſſe eſſe, & operari extra hominem. Ad hoc diſt. Min. ſed habens animā eſt homo, habēs tantū animam, nego Min. habens animam informantem materiam, conc. Min. & nego Conſ. Sed inquiris, ſi habens animā non eſt homo, quid erit? Reſp. eſſe animā per ſe ſubſiſtentem, vel eſſe ſubſiſtens in natura animæ, ſicut habens Angelicam formā eſt Angelus, vel ſubſtātia ſeparata, vel ſubſiſtēs in natura Angelica.

592 Inſtabis ſecundo principaliter, materia poteſt conſervari in eſſe per veram creationem: ergo & poteſt primo effici per veram creationem. Prob. Antec. nam poſt primam rerum productionem, materia, ex qua factæ ſunt ſequentes generationes, conſervatur in eſſe non per concreationē, quia compoſita, quæ ex illa fiunt non creantur, & ſic illa nequit concreari: ergo per veram creationem. Et ſi dicas, quod illa conſervatio materiæ per ſe eſt concreatio, ſed peraccidens eſt creatio, primum habet, quia eſt illamet actio, qua primo creatum fuit compoſitum ex materia, & forma, & materia concreata fuit; ſecundum habet, quia quod primum per illam fuit creatum, deſtructum eſt, & ſic amiſit rationē creationis reſpectu totius, & manſit in eſſe creationis reſpectu partis, vtpote, quæ in ratione creationis modo ad ſolam materiā terminatur, quod eſt peraccidens eſſe creationem. In contra eſt, nam illa actio, qua modo cōſervatur materia, nō eſt illa actio, quæ primo terminata eſt ad totū cōpoſitum: ergo ſic eſt modo creatio, quod nunquam reſpectu materiæ fuerit concreatio. Prob. Ant. non poteſt actio manere in ordine ad terminum ſecundarium, ſi deſtructa ſit quoad terminum primarium; nam cum ſpecies actionis ſumatur à termino primario, iſto deſtructo, actio perdit ſpeciem, & ſine ſpecie ipſa numerò conſervari non poteſt: ergo cum totū fuerit terminus primarius actionis creativæ, illo deſtructo, ſpeciem ſuam amiſit actio, & ſic eadē numero conſervari nequibit, manente tantū termino ſecundario: ergo actio creativa, qua modo conſervatur materia prima, nō eſt illa, quæ primo terminata fuit ad totum illud creandum: ergo eſt alia actio, quæ primo terminata fuit ad materiā primam, illam creando, & modo reſtat, illam conſervando.

Ad hanc inſtantiam bene dictum eſt. Ad replicā, nego Ant. eſt enim actio, qua modo conſervatur in eſſe materia prima, illa prima actio, qua primo concreata fuit; nam conſervatio eſt continuata productio. Ad prob. dico, partes compoſiti primo creati non habere rationem termini ſecundarij reſpectu actionis creativæ, quæ primo terminata eſt ad totū. cùm enim totum non poſſit terminare creationē, niſi partes in illo terminent, quia totum nihil eſt aliud, quam ſuæ partes ſimul ſumptæ, & vnitæ: fit inde, quod partes, eſto non ſint obiectum primariū, ſunt tamen partes obiecti primarij: vnde poteſt illa actio, deſtructo toto, manere conſervando in eſſe aliquā partem, & ſic modo conſervatur illa actio, & materia prima per illā. Exemplū eſt clarum. Etenim actio vnitiva per ſe humanitatis ad Verbum connivit Verbo materiam primam, & animam rationalē, & in triduo mortis Chriſti, deſtructa humanitate, & ſeparata à Verbo, perſeveravit in eſſe reſpective ad prędictas partes, quæ ſemper remānſerunt Verbo vnitæ, quamvis nō inter ſe, & hoc ideo, quia partes illæ non fuerunt terminus primarius actionis vnitivæ; fuerunt tamē partes termini primarij, & ſic in illo triduo potuit manere actio vnitiva reſpectu partiū, quamvis nō reſpectu ipſius humanitatis: ſic in præſenti.

Sed inſtas, ſi materia fuit pars obiecti primarij actionis creativæ, ſequitur, materiā primā partialiter terminaſſe creationē, & ſic erit vere creata, & nō cōcreata, quod opponitur datę doctrinæ: ergo. Prob. ſequela, partes obiecti primarij alicuius actionis partialiter primario terminant actionem; ergo ſi illa actio fuit creatio totalis reſpectu totius, fuit quoque partialis creatio reſpectu partis obiecti primarij: ergo partialiter terminavit creationē. Confir. vel ratio ſpecifica termini creationis ſic alligatur toti, quod non liceat deſcendere ad partes, ſic, quod dicatur, totum creatur, ergo & partes partialiter creantur, vel non alligatur formalitati totius, ſed deſcendit partialiter ad partes; ſi hoc ſecundum dicatur: ergo ſicut totum creatur, ita & partes creantur, & ſic materia prima erit creata, & nō concreata: ſi primū dicatur; ergo ratio ſpecifica termini creationis ſolum ſalvatur in formalitate totius, & ſic, deſtructo toto, deſtruitur adæquate ratio ſpecifica termini actionis creativæ, & ſic deſtruetur actio, ſic, quod non remaneat neque in ratio-

ne

Digitized by Google

ne creationis, neque concreationis. Ad hoc nego ſequelam, ad prob. nego Antec. ſicut enim ratio hominis totalis non deſcendit adhuc partialiter ad partes, ſic, quod materia dicatur homo partialis, & anima dicatur homo partialis, ita & ratio obiecti primarij creationis non deſcendit ad partes, ſed alligatur homini: vnde non verificatur, quod ſi homo creatur totaliter, partes creentur partialiter, & ſic non convincitur, quod materia prima terminaverit creationem, etiam ſi fuerit pars obiecti primarij terminantis illam. Ad Confir. dico, quod ratio termini creationis alligatur toti, ſed quia, dum ex illo toto manet materia, totum adæquate non deſtruitur, inde nec actio creatiua adæquate deſtruitur; ſicut enim quamvis materia prima non ſit homo, dum tamen homo corrumpitur, dicimus, hominem non adæquate deſtrui, ita & de actione creatiua, per quam adæquate factus eſt homo, dum manet materia, dicitur non fuiſſe adæquate deſtructam, ſed manere dum aliquid manet compoſiti, quod terminavit creationem: nec tamen ex hoc infertur, materiã primo fuiſſe creatã, quia non dicitur creari id, quod ratione alterius terminat creationem, & materia terminavit creationem, vt erat aliquid intrinſecam compoſiti, quod creabatur.

§. VIII.

Vtrum accidens ſeparatum à ſubiecto poſſit proprie creari?

593 EX His, quæ ſupra diximus circa accidentia ſupernaturalia, conſtare poteſt quid de alijs accidentibus vt ſubiecto coniunctis dicendum ſit. Conſtat enim ea nec proprie fieri, nec proprie corrumpi, ſed tantum ſubiecta fieri ſecundum illa, & corrumpi ſimiliter; ea autem, quæ proprie fieri non poſſunt, multo minus proprie creari poterunt, & ſic pro certo habetur accidentia vt ſubiecto coniuncta non proprie creari poſſe. Reſtat nunc videre, vtrum extra ſubiectum ſeparata poſſint fieri proprie per creationem?

Pro cuius quæſiti aliquali luce ſuppono, quod eſto Deus poſſit efficere accidens extra ſubiectum, nõ tamen extra ordinẽ ad ſubiectũ; eſt enim eſſentialiter ens in alio, & ſic in ſua eſſentia debet dicere habitudinẽ ad illud aliud, ſi non actualiter inhærẽtis illi, ſaltem cũ debito inhærendi ei. Adverto ſecundo, quod accidens ſeparari poteſt à ſubiecto, ſic, quod à ſolo Deo conſervetur ſupplente per cauſalitatem effectivã id, quod faceret ſubiectũ circa illud in genere cauſæ materialis, vel communicando ei modũ aliquẽ ſubſiſtendi per ſe, ſicut philoſophantur plures de quantitate panis poſt conſecrationẽ, quã dicunt, Deũ mirabiliter ditare aliquo modo ſubſiſtẽdi per ſe, vt poſſit agere, & pati, ac ſi in ſubiecto proprio inhæreret. His breviter prænotatis dico.

Accidens extra ſubiectum poteſt proprie creari. Hoc mihi ſuadeo ex eo, quod ſi accidens extra ſubiectũ fiat, vt fieri poteſt, tunc ſubiectũ non fiet tale ſecundum illud accidens, neque tale accidens educetur de potentia ſubiecti, ſed per ſe primo fiet: ergo terminabit proprie creationem. Patet Conſ. quia quod fit per ſe, & non per eductionẽ ex alio, proprie creatur; neque enim concreatur, quia non fit ad creationẽ alterius, non gignitur, quia ex nulla alia materia fit: ergo creatur. Secundo accidenti, vt dixi, poteſt Deus communicare modũ ſubſiſtendi per ſe; ſed ſubſiſtentia poſſunt proprie creari: ergo accidens ſeparatum à ſubiecto proprie creari poteſt.

Nec valet dicere, quod eſto talẽ modũ ſubſiſtendi Deus poſſit accidenti communicare, tamen non poteſt Deus facere, quod accidens ſic ſubſiſtens non individuetur à ſubiecto: vnde neceſſe eſt, quod in ſuo fieri, ſeu conſervari ſemper connotet ſubiectũ, fiatque, & conſervetur dependenter ab illo in genere cauſæ materialis. Non (inquam) valet, nam etiã Deus nequit animam rationalẽ producere, quæ ſubiectum non connotet, tanquã terminũ habitudinis ad illud, à quo individuetur; & nihilominus animã creat proprie, & ſtricta creatione, quia ſubſiſtens eſt, etiã ſi talẽ habitudinẽ ad materiam dicat: ergo etiã ſi accidens neceſſario, & indiſpẽſabiliter à ſubiecto individuetur, ſi tamen ei Deus modum perſeitatis communicet, proprie creari poterit.

594 Inſtabis contra Concluſionem: Falſum eſt quod Deus poſſit accidenti cõmunicare modum eſſendi per ſe: ergo falſum eſt, quod accidens proprie creari poſſit. Prob. Ant. non poteſt Deus communicare ſubſtantiæ modũ eſſendi in alio per inhærentiam: ergo neque poterit accidẽti communicare modũ eſſendi per ſe. Prob. Conſ. ideo non poteſt primum, quia id, per quod accidens differt eſſentialiter à ſubſtantia, nequit communicari ſubſtantiæ-

Digitized by Google

ergo ideo non poterit fieri ſecundum, quia id, per quod ſubſtantia differt ab acccidenti eſſentialiter, nequit communicari accidenti; ſed ſicut accidens differt à ſubſtantia per modum inhærentiæ in alio, ita ſubſtantia differt ab accidenti per modum eſſendi per ſe: ergo ſi primum nequit communicari ſubſtantiæ, etiam ſecundum nequibit communicari accidenti.

Ad hoc, nego Antec. ad prob. nego Conſeq. ad prob. nego ſuppoſitum Conſequentis. Supponit enim quod ille modus eſſendi per ſe, qui eſt proprius ſubſtantiæ, per quem eſſentialiter differt ab accidenti, poſsit communicari accidenti, quod falſum eſt, nec nos hoc dicimus, cum defendimus poſſe accidenti communicari aliquem modum eſſendi per ſe. Pro cujus intelligentia adverto, quod modus eſſendi per ſe, per quem ſubſtantia differt eſſentialiter ab accidenti, dicit negationem inhærentiæ actualis, & aptitudinalis: eſt enim ſubſtantia, cui debetur non eſſe in alio, tanquam in ſubiecto; vnde ſi detur accidens, quod non ſit in alio tanquam in ſubiecto, exigat tamen eſſe in alio tanquam in ſubiecto, tale accidens habebit modum eſſendi per ſe, non tamen habebit illum modum eſſendi per ſe, per quem ſubſtantia eſſentialiter differt ab accidenti, quia tale non eſſe in alio non conveniet accidenti ab intrinſeco exactive, ſed illi mirabiliter à Deo communicabitur.

Inſtas, etiam eſſentia accidentis non differt à ſubſtantia per actualem inhærentiam, ſed per habitualem, & exactam: ergo poterit ſubſtantia inhærere alteri tanquam ſubiecto, ſine eo quod ei communicetur id, per quod accidens eſſentialiter differt à ſubſtantia. Conſeq. patet à paritate rationis, & Antec. prob. nam accidens actu non inhærens alteri conſervat veram eſſentiam accidentis: ergo actualis inhærentia non eſt id, per quod eſſentialiter differt à ſubſtantia.

Ad hoc, nego Conſeq. etenim inferius poteſt participare aliqualiter modum ſuperioris, ſine eo quod fiat ſuperius. Videmus enim quod ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, vi cuius cogitativa in homine habet participare aliqualiter diſcurſum: ſuperius autem manens tale nequit participare modum inferioris; eſto autem actualis inhærentia non ſit de eſſentia accidentis, eſt tamen modus proprius eius, & ſic a ſubſtantia, quæ eſt accidenti ſuperior participari nequit: actualiter autē eſſe per ſe eſt modus ſubſtantiæ, eſto non ille, per quem ipſa eſſentialiter differt ab accidente, & ſic poteſt accidens elevari ad participium modi eſſendi per ſe, ſine eo quod fiat ſubſtantia, non tamen ſine eo quod elevetur ad participium modi ſubſtantiæ.

Sed inſtas, eſto naturaliter ita eveniat, quod ſuperius non poſsit affici modo alicuius ſibi inferioris; non tamen aſsignari poteſt ratio repugnantiæ, ob quam repugnet etiam divinitus ſubſtantiā eſſe in alio, quando divinitus eſſe per ſe communicatur accidenti: modo autem non ſtamus in modo procedendi naturæ ſibi connaturali, ſed inquirimus, quare dum divinitus accidenti communicatur eſſe per ſe, non poſsit divinitus communicari ſubſtantiæ eſſe in alio, tanquam in ſubiecto?

Reſpondeo, repugnantiam ſtare in eo, quod, cum inhærentia in alio tanquam in ſubiecto ſit ipſa exiſtentia rei inhærentis, & ſimul ſit accidentis; ſi ſubſtantia inhæreret alteri vt ſubiecto, vere exiſteret per exiſtentiam, quæ accidens eſt: hoc autem repugnat ſubſtantiæ, quia ſubſtantia ſpecificatur à ſuo eſſe, repugnat autem ſpecificatum eſſe ſubſtantiam, & intrinſecum ſpecificans eſſe accidens; ob quam rationem probant Thomiſtæ, quod, cum operatio creata ſit accidens, nequit ſubſtantia eſſe immediate operativa, ne ponatur, quod ſubſtantia ab accidenti ſpecificetur, non autem repugnat, quod accidens ſpecificetur à ſubſtantia. Tum, quia poteſt ſpecificari ab extrinſeco. Tum, quia non repugnat, quod ſpecificans ſit nobilius ſpecificato; vnde non repugnat, quod ſpecificans ſit ſubſtantia, & ſpecificatum ſit accidens, & ſic etiam ſi divinitus non repugnet accidenti communicari modum eſſendi ſubſtantialem, repugnat tamen ſubſtantiæ communicari inhærentiam ad alterum tanquam ad ſubiectum.

(?)

QVÆ-

QVÆSTIO III.

De virtute principaliter creativa.

§. I.

Vtrùm vis principaliter creativa poſſit communicari creaturæ?

595 QVORVNDAM Philoſophorũ fuit poſitio, quod Deus creavit creaturas inferiores mediantibus ſuperioribus, vt patet in libro de cauſis, & in Metaphyſica Avicennæ, & Algazellis. Movebanturque ad ſic opinandũ propter hoc, quod credebant, quod ab vno ſimplici non poſſet niſi vnũ provenire immediate, ſed illo mediãte, ex vno primo multitudo procedebat: hoc autem dicebant, ac ſi Deus ageret per neceſsitatem naturæ, per quem modum ex vno ſimplici non fit niſi vnum. Nos autem ponimus, quod à Deo procedunt res per modũ ſcientiæ, & intellectus, ſecundum quem modum nihil prohibet ab vno primo & ſimplici Deo multitudinem immediate provenire, ſecundum quod ſua ſapientia continet vniverſa, & ideo ſecundum fidem Catholicam ponimus, quod omnes ſubſtantias ſpirituales, & materiam corporalium Deus immediate creavit, hæreticum reputantes eum, qui dixerit per Angelum, vel per aliquam creaturam aliquid eſſe creatum. Vnde Damaſcenus dicit lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 2. in fine: *Quicumque dixerit Angelum aliquid creare, anathema ſit*. Quod, & ſuadet illud Iſaiæ 44. *Ego Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Vnde Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos dicit: *Condere, & creare ſolius Dei eſt, eiuſque Verbi, & ſapientiæ.* & Auguſtinus 3. de Trinitat. cap. 6. dicit: *Neque Angeli boni, neque mali poſſunt eſſe creatores alicuius rei.* Hac ergo veritate ſtabilita vt fidei dogmate, quæſitum noſtrum procedit de poſsibili. An videlicet poſsit Deus communicare alicui creaturæ poſsibili virtutem principaliter creativam alicuius rei? In quo quæſito partem affirmantem tenet Durandus in 2. diſt. 1. quæſt. 4. qui dicit hoc eſſe poſsibile, eo quod oppoſitum non oſtenditur implicare. Huius etiam ſententiæ fuit Enriquus Vulgò dictus à ſuis Doctor ſolemnis, ſiquidem à Patribus Servitis eius doctrinæ ſequacibus in publicis theſibus Romæ in Conventu Sancti Marcelli, hæc opinio defenſata eſt, ſed oppoſitum communiter tenent Scholaſtici Doctores.

596 Sit Concluſio, nulla creatura poteſt principaliter creare. Prob. ad creandum principaliter requiritur; indiſpenſabiliter virtus infinita; ſed hæc nequit communicari creaturæ; igitur nulla creatura poteſt principaliter creare. Conſeq. cum Min. patent, & Mai. prob. virtus, quæ poteſt in omnem rationem entis producibilis, infinita eſt; ſed virtus illa, qua creatura poteſt principaliter creare, poſſet in omnem rationem entis producibilis: igitur ad creandum principaliter indiſpenſabiliter requiritur virtus infinita. Prob. Min. nam terminus creationis, qui eſt nihil, æqualiter diſtat ab omni ente creabili, ſive perfecto, ſive perfectiori, ſive perfectiſsimo: ergo virtus, quæ poteſt aliquid ex nihilo producere, poterit pariter ex nihilo quodcunque ens immediate producere. Prob. Antecedens, nihil eſt carentia in facto eſſe omnis entitatis, quæ carentia non ſuſcipit magis, & minus, neque magis proportionatur cum minori entitate, quam cum maiori, ſed æqualiter eſt improportionata cum omni habente veram rationem entis: ergo cauſa, quæ poteſt ex nihilo aliquid producere, poterit ex nihilo quodcumque factibile efficere: nam vbi ex parte termini *à quo* eſt æqualis improportio, ad omnem terminum *ad quem*, virtus quæ ſemel poteſt vincere talem improportionẽ producẽdo ex termino æqualiter improportionato aliquod ens, poterit ex eodem quodcumque ens factibile producere.

Hanc rationem prorſus inefficacem iudicant Scotus, Durandus, & Vazquez, & rident, dum audiunt, quod granum milij, v. g. tantũ diſtet à nihilo, quantũ diſtat, quantũ diſtat Cœlum vel Angelus. Sed facile convincentur ſequenti diſcurſu. Nihil ex eo diſtat maxime à perfectiſsimo ente creabili, quia inter ipſum, & nihil nulla eſt convenientia in aliquo prædicato; ſed inter granum milij, & nihil nulla eſt convenientia in aliquo prædicato: ergo inter nihil, & granũ milij eadẽ eſt improportio diſtantia, & diſconvenientia quæ reperitur inter nihil, & perfectiſsimũ ens creabile. Secundo, nihil non magis determinat,

& approximat agens ad producendum granum milij, quam ad producendum Angelum, ſiquidem ſicut in nihilo nulla diſpoſitio, ſeu præparatio invenitur ad producendum Cœlum, ita nulla diſpoſitio, ſeu præparatio invenitur ad producendum granum milij: ergo pro ſuo libito agens ex nihilo producit granum milij, cum æque poſſet quodcumque aliud ens producere ex nihilo factibile.

Dices, quod licet ex parte termini *à quo* non ſit maior determinatio, [illegible] neque diſpoſitio vocans agens potius ad [illegible] productionē entis imperfectioris, qu[illegible] am ad productionem entis perfectioris [illegible] te virtutis activæ, quæ ſe [illegible] tamē ex parte agentis, poteſt eſſe ma[illegible] tenet ex parte [illegible] ctatio, ſic quod ag[illegible] or, & minor coarctatio ob ſui limitation[illegible] ens inferioris virtutis imperfectius p[illegible] m poteſt ex nihilo ens non perfect[illegible] oducere, & in productionem perfect[illegible] oris non poſſit exire. Rem duco ad pr[illegible] xim. Materia prima indifferenter ſe hab[illegible] et ad omnes formas; ponamus ergo caſ[illegible] m, quod Deus communicet alicui creaturæ vim activam ex materia ſic indifferenti, & nō magis appropinquanti ad hanc formam, quam ad aliam, quod Deus facere poteſt: tunc, illa creatura non poterit ex illa materia educere omnem formam, ad quam materia eſt indifferens, quia quãvis ex parte termini *à quo* non determinetur magis ad hanc, quam ad illam, ex limitatione tamen ſuæ activæ virtutis, non poterit niſi hanc, vel illam educere: ergo ſtat bene, quod ex parte termini *à quo* ſit omnimoda indifferentia ad factibilia, & non maior approximatio, vel determinatio ad vnum, quam ad alterum, & quod ex limitatione virtutis activæ coarctetur agens ad non poſſe ex illo termino æque indifferenti quemcumque effectum producere: ergo cum æquali improportione in determinatione, & approximatione nihili ad producibile, ſtabit bene, quod Deus cōmunicet virtutē creaturę vt poſſit ex illo effectum minus nobilem producere, & non nobiliorem.

Sed contra inſto, & hac inſtantia apparebit noſtræ rationis efficacia. Etenim à nihilo omnia producibilia æqualiter diſtant, cum in nullo conveniant cū illo: ergo non poteſt dari virtus limitata ad producendū ex nihilo effectum imperfectiorem, quin poſſit ex illo quodcumque voluerit producere. Prob. Conſeq. adeo ex materia omni diſpoſitione ſpoliata poteſt virtus aliqua ob ſui limitationem producere effectum minus nobilem, quin poſſit, et in nobiliorem, quia ab imperfectiſſimo ente, quale eſt materia prima, minus diſtat entia imperfectius, quã aliter perfectius, & nobilius, ſicut enim à puro actu, qui Deus eſt, magis diſtant imperfectiora, quam perfectiora, ita à pura potentia magis diſtant perfectiora, quam imperfectiora; ſed factibilia ex nihilo æqualiter diſtant à nihilo: cum in nullo prædicato conveniant cum illo: ergo non poterit dari virtus limitata ex ſe ad producendum ex nihilo effectum minus nobilē, cum impotentia ad producendum effectū nobiliorē. Explicatur hoc, vbi factibilia ex parte termini *à quo* æqualiter diſtant, æqualis eſt difficultas vincenda ex parte agentis; ergo qui hanc difficultatem ſemel vincere poteſt, ex tali termino producendo aliquid, poterit eam quoque vincere, quodcumque æqualiter diſtans producendo, ſed à nihilo omnia factibilia æqualiter diſtant, vt probatum eſt: igitur agens, quod ex nihilo poteſt aliquid producere, poterit quodcumque ex nihilo factibile facere.

Dices, in factione operis perfectioris ex nihilo eſſe aliquam difficultatem vincendam, quæ non eſt in factione operis imperfectioris; nam quamvis ſit eadē difficultas quantum ad hoc, quod eſt ex nullo præſuppoſito operari, tamen opus perfectius, ex quo præſtantius eſt, non poteſt nō requirere præſtantius agens, quod de ſe derivet maiorem perfectionem ad effectum. Quod explicatur ſic, etenim alia eſt difficultas in modo faciendi, alia eſt difficultas ex parte rei factę; aliud enim eſt quod agens ex nihilo faciat, & aliud quod opus perfectius faciat: nam diſtantia in faciendo tantum eſt infinita ex parte vnius termini, qui eſt nihil, & ſic ex illo non ſuſcipit magis, & minus; ex parte autem rei factæ non eſt infinita, quia factibilia ſecundum magis, & minus in perfectione differunt: ergo victa prima difficultate, adhuc reſtat vincenda ſecunda, & ſic poterit Deus communicare virtutem, quæ poſſit vincere primam difficultatem, faciendo aliquid ex nihilo, & non poſſit vincere ſecundam faciendo omne factibile ex nihilo.

Sed contra eſt, nam concedo ſolutioni, quod ſunt duæ difficultates vincendæ, ſed agens, quod poteſt vincere primam, dico, quod poterit vincere ſecundam faciendo ex nihilo, quodcumque factibile voluerit. Sic probo hoc meum dictum.

Illa

Digitized by Google

Illa diſtantia in factione ex nihilo eſt infinita ex parte illius termini, qui eſt nihil: ergo nequit illam ex eo capite vincere agens, quod infinitum non ſit, quia infinita diſtantia in operando, ex quo infinita eſt, vinci nequit niſi ab agente infinito: ergo agens, quod poteſt vincere primam difficultatem, poterit quoque vincere ſecundam.

Dices, quod quando diſtantia eſt infinita ex vtroque termino, tunc requiritur virtus infinita ſimpliciter ad vincendam illam, quando vero ex vno tantum termino eſt diſtantia infinita, tunc cum non ſit ſimpliciter infinita, poteſt ab agente ſecunre ſecundum quid infinito prædicta difficultas, quæ eſt in per tranſeundo prædictā diſtantiam, vinci: cùm ergo inter nihil, & ens ſit tantum infinita diſtantia ex parte nihili, non vero ex parte entis, quia ex nihilo venitur ad finitū ſit conſequens, quod ad vincendum hanc difficultatem operandi aliquod ex nihilo, non requiritur agens ſimpliciter infinitum.

Sed contrà eſt, nam eſto hæc diſtantia non ſit infinita ex parte vtriuſque termini, quia id, quod ex nihilo fit, non eſt infinitum, tamen in ſuperando hanc difficultatem, quæ invenitur in hoc, quod eſt ex nihilo venire ad aliquid finitum producendo illud, tanta virtus requiritur, quod niſi infinita ſit, illam ſuperare agens non valeat: ergo ſolutio nulla. Prob. Ant. in ſuperando hanc difficultatem requiritur maior virtus, quam requiratur ad faciendum quodcumque ens ex aliquo; ſed poteſt contingere, quod ad faciendum aliquod ens ex aliquo nulla virtus finita principaliter poſſit; etenim gratia habitualis ex aliquo fit, vt ſupra vidimus; & tamen ſola virtus in-infinita Dei eam facere vt cauſa principalis poteſt: mortui etiam ſuſcitatio ex aliquo fit, & tamen ſola virtus infinita Dei principaliter mortuum ſuſcitare valet: Myſterium Incarnationis ex aliquo fit, & tamen ſola virtus infinita Dei illud efficere valet: ergo ſi virtus ad operandum ex nihilo ſuperat omnem virtutem, quæ poteſt operari ex aliquo, ſi ad faciendum aliquod ens ex aliquo requiritur virtus infinita, ad operandum aliquid ex nihilo à fortiori virtus infinita requiretur.

597 Reſp. Vazquez, quod illa propoſitio à nobis aſſumpta, *maior vis requiritur ad faciendum aliquid ex nihilo, quàm ad operandum ens ex aliquo*, vt ſit vera, debent extrema eſſe paria, videlicet, quod ad operandum eundem effectum ex nihilo maior virtus requiratur, quam ad faciendū illum ex aliquo: ſi autem extrema paria non ſint, ſic quod fiat ſenſus, quod ad operandū aliquod ens ex aliquo, etiam ſi imperfectiſſimum ſit, maior virtus requiratur, quam ad faciendum ex aliquo ens perfectiſſimum, propoſitio illa falſa eſt, quia tunc operis præſtantia addit tantum difficultatē, quod æquet eam, imò & ſuperat, quæ reperitur in faciendo opus imperfectiſſimum ex nihilo. Sed contra inſto, maior virtus requiritur ad faciendum ens etiam imperfectiſſimum ex nihilo, quam ad faciendum ens quodcumque illud ſit ex aliquo: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. minus diſtat aliquid à quocumque ente ex aliquo factibili, quā diſtet à nihilo ens imperfectiſſimum: ergo maior virtus requiritur ad faciendum ens imperfectiſſimum ex nihilo, quam ad faciendum quodcumque ens factibile ex aliquo: Prob. Antec. illud minus diſtat ab alio, quod habet maiorem convenientiam in prædicatis ſuis cū illo, ſed quodcumque ens factibile ex aliquo, cum illo aliquo habet maiorem convenientiam, quia ſaltim in prædicatis entis ad eſt convenientia inter illa, quam habeat ens imperfectiſſimū cum nihilo, cum quo nullam convenientiam in aliquo prædicato habet: igitur minus diſtat ens perfectiſſimum factibile ex aliquo ab aliquo, quam diſtet ens imperfectiſſimum à nihilo.

§. II.

Alia ratione efficaciter prob. Concluſio.

598 SECVNDO Efficaciter prob. Concluſio ratione D. Thom. hic, artic. 5. vniverſaliſſimus effectus ſolum poteſt in cauſam vniverſaliſſimam reduci; ſed ipſum eſſe, quod eſt effectus creationis eſt vniverſaliſſimus effectus: igitur ſolum poteſt reduci in cauſam vniverſaliſſimam, quæ eſt Deus: igitur ſolus Deus creare poteſt, ſaltim vt cauſa principalis. Mai. probat D. Thom. quia effectus, quo vniverſaliores ſunt, eo in cauſas vniverſaliores reducuntur: ergo effectus vniverſaliſſimus ſolū debet reduci in cauſam vniverſaliſſimā. Min. vero prob. nam effectus, eo vniverſalior eſt, quo minus determinatur ad hoc, vel illud eſſe; ſed ipſum eſſe ex terminis non determinatur ad hoc,

vel

vel illud eſſe? Igitur eſt vniverſaliſsimus effectus. Reſtat ſolum probandum, quod creatio habeat pro termino ipſum eſſe. Et ſuadetur ſic, nam creatio eſt productio totius entis ex nihilo: ergo non prætendit per ſe primo facere hoc, vel illud eſſe, ſed prętendit primo facere ipſum eſſe: ergo creatio habet pro termino primario ipſum eſſe rei. Explicatur hoc, ſicut ex non homine per ſe fit homo, ita ex non ente per ſe fit ens; ſed actio creativa procedit ex non ente: ergo primo, [illegible] per ſe terminatur ad ipſam rationem [illegible]s: ipſum ergo eſſe rei, non hc [illegible], eſt per ſe effectus creationis.

Reſp. Scotus, negando quod ipſum eſſe ſic ſit proprius effectus vniverſaliſsimæ cauſæ, quæ eſt Deus, quod non poſsit etiam eſſe effectus alterius cauſæ participatæ, & particularis. Etenim (inquit) generatio, quæ eſt actio agentis particularis, primo prætendit dare eſſe ipſi compoſito: ergo ipſum eſſe rei non eſt proprius effectus Dei, ſic quod non ſit etiam effectus cauſæ particularis creatæ. Cæterum hæc evaſio ex nō intelligentia rationis D. Thom. manifeſte procedit. Etenim D. Thom. non prætendit, quod cauſæ particulares non producant eſſe ſuorum effectuum, hoc enim eſſet auferre ab ipſis cauſalitatem, ſed ſolum prætendit, quod nulla cauſa particularis poſsit per ſe primo producere ipſum eſſe rei, ſub quo comprehenduntur omnia prædicata rei, quæ producitur; ſed tantum primo, & per ſe prætendunt facere eſſe ſecundum rationem determinatam, v.g. ignis tantum facit ignem eſſe, quod eſt eſſe particulare, ſub quo eſſe ignis non comprehenduntur omnia, ex quibus conſtat ignis, de quibus tamen verificatur, quod ſint ens: nam ſtat facere ignem, & non facere materiam, & ſtat facere eſſe hominis, vt homo eſt, ſine eo quod faciens producat materiam, neque formā illius. Vnde ad inſtantiam Scoti dico, quod particulare generans non dat ipſum eſſe compoſiti vniverſaliter ſumptū, & prout comprehendit ſub ſe omnia particularia entia, quæ ſunt in genito, ſed tantum dat eſſe ſecundum rationem determinatam, id eſt, ſecundum quod tantum eſt eſſe geniti vt geniti, vti iam dixi generans enim ignem tantum prætendit facere ignem, quod eſt eſſe determinatum. Vnde non infringitur per hanc inſtantiam ratio D. Thom.

599 Conſentit nobiſcum Vazquez in eo quod Scotus ineptē rationem D. Th. impugnaverit, & prætēdit aptius eam reijcere, dicens; concedimus enim eſſe ſecundum communē, & vniverſalem rationem, quam habet reſpectu omniū ſoli, Deo attribui, vt propriæ cauſæ, nec vllam cauſam creatam circa illud verſari poſſe; ſed hoc dato, nihil concludit ratio D. Thom. non enim probat creationem ſoli Deo tribui poſſe. Nam, ſi ita dicant, ratio formalis termini creationis eſt ipſum eſſe ſecundū rationem communē eſſendi, hoc eſt, vt cōplectitur ſub ſe omnia entia, manifeſte falſum aſſerunt, neque enim, qui creat producit omne ens, cum creat, ſed tantū producit particulare ens: ſi vero ſic dicant, ratio formalis termini creationis eſt vniverſa, & tota entitas rei productæ, hoc eſt, ſecundum omnem ſui partem, veriſsimum eſt, inde tamen non ſit, vt terminus creationis ſit vniverſalis ratio entis, aut eſſe in quantum eſſe, neque ſit, vt ſi aliqua creatura produceret Angelum de nihilo, vel cōpoſitum aliquid ex materia, & forma ſecūdum ſe totum, poſſet etiam facere omnē creaturam. Dicere namque aliquis poſſet, virtutem illius amplecti totum eſſe huius rei, non vero totum eſſe alterius ſecundum omnem illius partem, ex quo ſequitur, poſſe creare hanc rem, non autem illam. Sic Vazquez de verbo ad Verbum.

Sed vt verum fateor acutus hic ſcrutator defecit in ſcrutinio rationis D. Thom. etenim neque D. Thom. vult, quod actio creans terminetur ad rationē entis vt ſic, vti in potentia continet omnia entia, ſic enim tantum eſt cognoſcibilis ratio entis; non vero, prout ſic, & producibilis: neque ſimiliter vult D. Thom. quod actio creans terminetur ad totā rei entitatē, producendo in re creata omnia, quæ ipſam componunt, vel quæ in ipſa ſunt: non enim de re producta *vt quod* loquitur D. Thom. ſed de ratione *ſub qua* producēdi, vult ergo, quod actio creans, cū ex nullo prǽſuppoſito operetur, terminatur ad totum, quod creatur ſub ratione entis, quæ ratio inter omnes gradus, qui reperiuntur in re creata vniverſaliſsima eſt, eo quod in omnibus imbibitur, & de omnibus prædicatur, & per illā nulla creatura ab alijs differt, ſed poſitive cum eis convenit: ſimili modo, quo diximus, quod ſol, vel alia cœleſtia corpora producunt hominē, leonem, vel alia ſublunaria ſub ratione vniverſali corporis, non producendo ipſam rationem corporis in

vni-

vniverſali, ſed producendo ea ſub illa ratione minus determinata, quam ſint alia genera infima, & ſpecies: vnde ſicut ex hoc quod ſol omnia prædicta producit ſub ratione illa vniverſali corporis corruptibilis, non tantum attingit hoc, vel illud corpus ſub ratione corporis, ſed actio productiva eius ſe extendit ad omnia prædicta corporalia, ita quia creans vt tale producit id, quod creat ſub ratione entis, quæ vniverſaliſſima eſt modo dicto, ad omnia creabilia ſe extendere poteſt, & non vni, vel alteri creabili alligari. Adduco exemplum de potentia viſsiva, quæ quia terminatur ad album ſub ratione lucidi colorati, per quam album non diſtinguitur à nigro, ſed habet convenire cum illo, potentia viſsiva, quæ poteſt attingere coloratum album, poteſt quoque attingere omne illud, quod veſtitur ratione lucidi colorati; ſic de intellectu, ex quo enim attingit aliquid ſub ratione veri, fit potens attingere omnia entia, quæ veri rationem participant: ſic de voluntate, ex quo enim vult aliquid ſub ratione boni, ex hoc omnia, quæ veſtiuntur ratione boni, poteſt attingere: ſic ergo de creante, ex quo habet ferri ad creaturam ſub ipſa ratione entis creabilis, per quam non differt, ſed potius convenit cum omni alia creatura, habebit quoque poſſe producere omne creabile, & ſic creare principaliter ſoli Deo habebit convenire, quia ſolus ille, cum ſit vniverſaliſsima cauſa, & ipſum ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, poteſt effectus ſuos ſub ratione illa vniverſali attingere, in qua non differunt, ſed potius omnia creabilia conveniunt. Vnde in forma ad rationem per quã Vazquez conatur reijcere rationem D. Thom. facile reſpondetur dicendo, quod inſufficienter enumerat, & ſic non invenit quod D. Thom. dicit, qui neque vult, quod actio creativa feratur ad ipſam rationem vniverſaliſsimam entis vt ſic, & prout ad omnia creabilia ſe extendit, neque vult ſolum, quod omnia, quæ inſunt producat; ſed vult, quod feratur ad creaturã habendo pro ratione formali ſuæ cauſalitatis ipſam rationẽ entis, in qua omnis creatura convenientiam habet, & per quam inter ſe non differt, quod dicimus producere ens in quãtum ens, quod ſoli Deo valet adaptari, cum ex hoc ſequatur non hoc, vel illud, ſed omne participans rationem entis creabilis poſſe attingere.

(.?.)

§. III.

Solvuntur inſtantia contra hanc rationem.

600 CÆTERUM Contra hoc inſtabis primo, quia ſi creans attingit creaturam ſub ipſa ratione entis, & in quantum eſt ens, ſequitur, quod etiam poſsit creare ſe ipſum, quia quod producit ens in quantum ens poteſt producere omne ens, ſicut producens hominem in quantum homo poteſt producere omnem hominem; ſequela autem eſt impoſsibilis: ergo & doctrina data.

Inſtabis ſecundo, ſi vniverſaliſsima cauſa, qualis eſt Deus habet producere effectus ſuos ſub ratione entis, ſequitur, quod Deus non poſsit producere niſi creando; hoc autem eſt falſum, ſiquidem Deus multoties producit generando, & ex aliquo præſuppoſito, vtpote cum ipſe ſolus produxit hominem de limo terræ, & cum efficit omnium eorum, quæ generantur generationes, & cum ipſe ſolus gratiam producit, quam ſupra vidimus non creare, ſed vere educere ex potentia obedientiali animæ: non ergo verum eſt quod vniverſaliſsima cauſa, quæ Deus eſt, effectus ſuos ſub ratione vniverſaliſsima entis producat. Sequelam ſic prob. vnicuique potentiæ aſsignatur ſua ratio peculiaris *ſub qua* effectus ſuos attingat, potentiæ viſsivæ lucidum coloratum, intellectivæ ratio entis, volitivæ ratio boni, & ſic de alijs: ergo vniverſaliſsimæ cauſæ in operando etiam aſsignabitur ex parte effectus aliqua ratio *ſub qua* producendi illos, quam exire non poſsit: ergo ſi nos aſsignamus Deo ipſam rationẽ entis pro ratione *ſub qua* attingendi effectus ſuos, quodcumque producet, ſub ratione entis efficiet, & ſic ſemper creabit.

Ad primam, nego ſequelam, ad prob. quod producit ens in quantum ens poteſt producere omne ens, omne ens creabile, conc. increabile, nego Mai. ad prob. qui producit hominem in quantum hominem poteſt producere omnem hominem, conc. & nego Conſeq. quia homo non dividitur in hominem producibilem, & improducibilem: ens autem dividitur in creatum, & increatum, & ſic non tenet paritas.

Ad ſecundam diſt. Mai. ſequitur non poſſe producere effectus ſuos niſi creando, quotieſcumque operatur vt cauſa vniverſaliſsima, conc. Mai. ſi non operatur vt cauſa vni-

vniverſaliſsima, nego Mai. & diſt. Min. Conſ. eſt falſum, intellectum de Deo operante vt vniverſaliſsima cauſa; nego Min. intellectum de Deo vtcumque operante, conc. Min. & nego Conſ. Itaque Deus ob ſui infinitam perfectionem poteſt operari vt cauſa vniverſaliſsima attingens effectus ſuos ſub ratione vniverſaliſsima, & ſic operans ſemper creat, poteſt etiam operari vt cauſa particularis, & ſic poteſt attingere ſuos effectus ſub ratione particulari; ſicut cum producit gratiam, non producit ſubiectum gratiæ ſecundum ratione͂ entis, quia non producit ſubiectum gratiæ ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed tantum ſecundu͂ eſſe [illegible]erminatum, & particulare iuſtitiæ, & [illegible] producit generando, non creando. Et ad prob. in contrarium, nego Conſ. nam pote͂tia, qua Deus ad extra operatur, eſto ſit formaliter vna, eſt tamen virtualiter multiplex, & ſic eſt creativa reſpectu aliquorum entium, & generativa reſpectu aliorum: vt creativa, producit effectu͂ ſub ratione vniverſaliſsima entis, vt generativa, ſecundum rationem peculiarem, & determinatam entis, & ſupponendo de effectu producendo aliquid ab ipſo Deo productum per alia͂ actionem; vnde non ſequitur, quod Deus ſemper creet, dum effectus ſuos producit.

601 Inſtabis tertio contra noſtra͂ rationem, in Leone v.g. actu præcontinentur omnes gradus, qui ſpectant ad conſtitutionem Leonis, etiam includendo vniverſaliſsimum entis: ergo poterit aliqua actio per ſe primo terminari ad Leonem, & ex conſequenti ad omnes gradus ſuperiores in eo contentos; illa autem actio erit creativa Leonis, quia producet totam entitatem Leonis: ergo ad creandum Leonem non requiritur, quod actio primario, & formaliter terminetur, vel ſpecificetur ab ente, ſic, quod per ſe primo ſub ratione formali entis Leonem producat. Confir. homo generans hunc hominem per ſe primo producit hunc hominem, & ratione illius producit hoc animal, hoc vivens, hoc corpus, hanc ſubſtantiam, hoc ens: ergo poterit actio creativa per ſe primo terminari ad hunc hominem, & ratione huius ex conſequenti producere omnia, quæ actu includuntur in homine. Confir. ſecundo, in linea cognoſcibilis datur actio comprehenſiva adæquate hominis, v.g. per ſe primo intellectiva hominis: ergo in linea productionis poterit dari actio comprehenſive, & adæquata factiva hominis per ſe primo terminata ad hominem, & ex conſequenti ad omnia, quæ ſunt in homine.

Ad hoc argumentum diſt. Ant. In Leone actu præcontinentur omnes gradus, qui ſpectant ad conſtitutionem Leonis, etiam includendo vniverſaliſsimum entis, ſic, quod mutuo poſsint prædicari de Leone, & de omnibus, quæ ſunt in illo, nego Ant. ſic, quod poſsint prædicari de Leone, non vero Leo de illis, conc. Ant. & diſt. Conſ. ergo poterit aliqua actio per ſe primo terminari ad Leonem, & ex conſequenti ad omnes gradus ſuperiores in eo contentos, ſecundum quod iſti gradus ſuperiores dicu͂tur de Leone, conc. Conſ. ſecundum quod poſſunt dici de partibus eius, nego Conſ. & nego Min. ſubſumptam, videlicet, quod illa actio ſit creativa. Itaque veru͂ eſt, quod omnia, ex quibus componitur Leo, actu ſunt in Leone, ſed no͂ ſunt ſic, quod de omnibus illis ratio Leonis prædicetur; nam de materia Leonis falſum eſt dicere, quod ſit Leo, & ſimiliter de forma eius: actio ergo per ſe primo terminata ad Leonem, tantu͂ poteſt eſſe factiva omniu͂ eorum, quæ prædicantur de Leone, ſed non omnium eoru͂, quæ licet in Leone ſint, tamen Leo non ſunt, & ſic actio terminata ad Leonem nequibit eſſe factiva totius entitatis, quæ in Leone reperitur: quærendus ergo eſt aliquis gradus ſic vniverſalis, quod prædicetur de Leone, & prædicetur de omni parte eius, & de accidentibus eius, ſi Leo crea͂dus eſt, qui gradus non eſt aliud niſi ens, quod & dicitur de toto, & partibus, de ſubſta͂tia, & accidenti, de re, & modo rei; & ſic actio, ad iſtum gradum ſic vniverſaliter omnibus, quæ ſunt in Leone convenientem, erit factiva omnium eorum, de quibus verificatur, non ſolum quod ſint Leo, ſed etiam quod ſint partes Leonis, ſint accidentia Leonis, ſintque modi eius, & iſta erit creatio. Vnde ad creationem requiritur, quod actio creativa per ſe primo terminetur ad ens, ſicut dicit noſtra ratio.

Ad primam Confir. dico, quod generatio per ſe primo terminata ad hunc hominem producit ex conſequenti omnes illos gradus, ſecundum quod prædicantur de hoc homine, non vero ſecundum quod prædicantur de partibus hominis, vel de accidentibus, vel de modis eius, & ſic non eſt creatio, neque actio ſimilis ei, quæ primo ad eſſe ſpecificum hominis terminaretur, creatio eſſet propter eandem rationem.

Sed

Sed inſtas, ſi ens, ad quod per ſe primo terminatur creatio, ſecundum veritatem debet prædicari de toto, & de partibus, ſequitur, quod creatio non ſit per ſe primò creativa compoſiti; Conſ. eſt contra dicta: diximus enim ſupra, creationem per ſe primo terminari ad compoſitum, & in illo, & ratione illius ad partes, vnde & diximus, totum creari, & partes cõcreari: ergo doctrina à nobis data eſt nulla. Prob. Sequela, dicimus nos, quod creatio per ſe primo debet terminari ad ens, prout dicitur de omnibus, quæ ſunt in re, quæ creatur; hoc autem ens non eſt illud, quod ſolum dicitur de toto, quale eſt ens completum; ſed eſt ens abſtrahens à completo, & incõpleto, hoc enim ſolùm de partibus compoſiti prædicari poteſt: ſi ergo hæc doctrina vera ſit, ſequitur, quod non ſit per ſe primò creatio totius vt diſtinguitur à partibus, ſed ſit per ſe primo totius, vt includit totum, & partes. Confir. ſi ens, ad quod per ſe primo terminatur creatio abſtrahit à completo, & incompleto, vel vt melius dicam, prædicatur de completo, & incompleto, ſequitur, quod materia prima, & ſimiliter forma materialis per ſe primo poſſint terminare creationem; Conſ. eſt contra dicta: ergo. Prob. Sequela, creatio non petit per ſe primo terminari ad ens completum, ſed tantũ petit terminari ad ens prout dicitur de toto, & parte: ergo poterit per ſe primo creari pars, de qua verificatur, quod ſit ens.

Ad hoc diſt. Mai. ſequitur, quod creatio non ſit per ſe primò creativa compoſiti, per ſe primo reſpectivè ad partes, negò Mai. per ſe primò reſpectivè ad rationem formalem terminandi, conc. Mai. & negò Min. ad prob. dico, nos aſſeruiſſe creationẽ primo terminari ad compoſitum reſpectivè ad partes, non vero reſpectivè ad rationem formalem terminandi, cui doctrinæ modo non contradicimus, cum dicimus rationem formalem creationis terminativã eſſe ens prout dicitur de toto, & partibus. Pro cuius luce adverto, quod cum creatio ſit ex nihilo, terminus formaliſsimus eius eſt ens oppoſitum directè nihilo: ens autem directè oppoſitum nihilo non eſt compoſitum, ſed ens, ſive compoſitum, ſive non; quia nihil dicit negationem omnis entitatis, ſive compoſitæ, ſive partis componentis; ſed quia in ipſo ente ex terminis cõpoſitum eſt analogatum magis principale, vtpote cui ratione ſui primo convenit ratio analoga entis, & partes ſunt analogata minus principalia, vtpote quibus ratio entis non convenit per ſe primo, ſed ſolum, quia ſunt aliquid compoſiti: fit inde, quod primò reſpectivè ad partes dicitur creari compoſitum, & ratione illius dicuntur concreari partes. Itaque formaliſsimum primario terminans creationem eſt ipſum eſſe, ſeu ipſa ratio entitatis, & in ipſa prius totum compoſitum, & ratione illius partes, & ſic omnia conſonant. Inſtas, formaliſsima ratio, ad quam primo terminatur creatio eſt ipſa ratio entitatis, & deinde in illa, & ratione illius creationem terminat compoſitum: ergo compoſitum non per ſe creatur, ſed tantum concreatur; Conſequens eſt contra dicta: ergo. Sequelam probo, id concreatur, quod ratione alterius, & non ratione ſui primo terminat creationem; at iuxta noſtram doctrinam compoſitum terminat creationem non ratione ſui, ſed ratione entis ſuperioris ad compoſitum: igitur cõpoſitum non creatur, ſed concreatur. Ad hoc dico, ipſam rationem formaliſsimam entitatis eſſe rationem formalem *ſub qua* creationis, non verò eſſe rationem formalem *quæ*; hæc enim eſt compoſitum, quia eſt primum participans illam: vnde quod primo creatur eſt compoſitum, & ſic non dicitur concreari, quia ad hoc requirebatur creationem vt *quo*, & vt *quod* primo terminari ad ipſam rationẽ entitatis, ſicut verificamus de partibus, quod vt *quod* non primo terminant creationem, ſed terminant illam in compoſito, & ratione cõpoſiti vt *quod* creari, & ſic illæ dicuntur concreari. Vnde in forma ad prob. Sequelæ, id concreatur, quod ratione alterius, & non ratione ſui primo terminat creationẽ, diſt. Mai. ratione alterius vt *quod* creatur, cõc. Mai. ratione alterius per modũ ſolius rationis formalis, nego Mai. & diſtincta Min. ſub eadem diſtinctione, nego Conſ.

Ad ſecundã Confir. principalis argumenti, nego Ant. Et diſparitas eſt; nam ad comprehendendũ hominẽ ſufficit cognoſcere omnia prædicata, quæ ſive primario, ſive ſecundariò affirmantur de homine, puta eſſentia, & proprietates hominis; omnia autem, quæ ſive primario, ſive ſecundario dicuntur de homine, Angelus v. g. poteſt cognoſcere in ipſo homine, & ratione illius: nã vel ſunt in homine actu formaliter, ſicut omnes eius gradus, vel ſunt in illo tanquã in radice, vt ſunt eius proprietates; quomodocumque autem illius ſint, ex vi cog-

cognitionis hominis cognoſci poſſunt: ad faciendum autem hominẽ ex nihilo, non ſufficit facere omnia, quæ ſunt in homine, prout præciſſe ſpectant ad hominẽ, ſed requiritur etiam facere ea ſecundũ ſe: vnde requiritur facere materiã, non præciſſe ſecundum quod ex vnione illius cum forma rationali fit homo, ſed requiritur etiã facere illam etiam entitative, ſecundũ quod eſt in potentia ad omnes formas; ſecundum quam rationẽ, cum non ſpectet ad hominem, nequit fieri actione per ſe primo terminata ad hominem ſub ratione hominis.

Sed inſtas, eſto Conſ. ſit ſoluta in compoſitis ex materia, & forma, non tamen in Angelis aſsignatum diſcrimen ſubſiſtit, in quibus non eſt diſtinguere de his, quæ ſunt in Angelo ſecundum ſe, & ſecundum quod ſpectant ad Angelum, cũ formæ ſimplices ſint: vnde in his iterato formatur argumentum. Actio cognoſcitiva poteſt primo terminari ad Angelũ, & ratione illius ad omnia, quæ quomodocumque ſunt in Angelo, ſic, vt ſit adæquate cõprehenſiva Angeli: ergo & actio adæquate factiva Angeli poteſt per ſe primo terminari ad Angelum ſub ratione determinata Angeli: ergo non requiritur ad creandum Angelum, quod actio creativa primo terminetur ad ipſam rationem entis. Reſpondeo, quod Angelus comprehenſive cognoſcitur ab altero Angelo, per hoc quod eius differentia ſpecifica adæquate penetratur ſecundũ omnia, quæ adæquate includuntur in illa: hæc autem penetratio ſi, per hoc, quod ſic Angelus intelligitur, quod in eo intus legantur omnia, ex quibus actualiter conſtat, & omnia, quæ eius eſſentia radicat: vnde neceſſe eſt, quod ab ipſa eſſentia Angeli cognitio cõprehenſiva incipiat, & illã perfectius, & perfectius cognoſcendo vſque ad vltima Angeli perveniat; & quamvis plura ex illis non ſint Angelus in recto, vt tamen ex vi cognitionis Angeli cognoſcantur, ſufficit, quod ad Angelum ſpectent, & ad illum habitudinẽ dicant: vnde poteſt cognitio cõprehenſiva Angeli incipere à gradu ſpecifico, & ratione illius ad alia pervenire: creatio autẽ Angeli, cũ ſit productio totius entis ex nihilo, non ſolum debet facere Angelum, qui dicitur compoſitum ex natura, & ſubſiſtentia, & ex alijs accidentibus, ſed etiã debet facere omnem entitatem incompletam, nẽpe ſubſiſtentiam, naturam, potentias, quæ ſunt accidentia, & alia accidentia communia: vnde per ſe primo debet terminari ad aliquod, quod de omnibus his prædicetur, hoc autem non eſt ipſa ratio Angeli: ergo debet eſſe prædicatũ communiſsimũ, & vniverſaliſsimum, quale eſt ipſum eſſe Angeli: vnde in forma, nego Conſ. propter diſcrimen iam aſsignatum.

602 Sed contra iſta adhuc inſtabis, ex habitudine, quam dicunt iſta omnia ad Angelum, ex vi cognitionis Angeli poſſunt cognoſci: ergo ex habitudine, quã dicunt omnia, quæ ſunt in Angelo ad ipſum, ex vi actionis per ſe primo terminatæ ad eſſe ſpecificũ Angeli, poterunt fieri. Confir. non eſt intelligibile, quod aliqua actio per ſe primo terminetur ad eſſe Angeli ſpecificum, & non comproducat omnia, quæ ſunt in Angelo, non ſolum ſecundum quod ſpectant ad Angelum, ſed etiam ſecundũ entitatem incompletam eorum; ergo ſi ponamus aliquam actionem per ſe primo terminari ad eſſe ſpecificum Angeli, dicendũ erit, illam eſſe Angeli creationem. Patet Conſ. nam productio compoſiti, & omniũ quæ ſunt in illo debet neceſſario eſſe creatio. Et Ant. prob. ſi actio poſſet terminari ad eſſe ſpecificum, & non producere partes, ex quibus Angelus componitur, ſequeretur, Angelum poſſe produci per generationem, nam cum eſſe Angeli tantũ eſſet reſultans ex vnione eorum, ex quibus conſtat, poſſent illa primo produci, & ex illis productis, educi vnionem eorum inter ſe, & ſic Angelus fieret per eductionem, & nõ per creationem, quod nullo modo aſſeverari poteſt: ergo non eſt intelligibile, quod actio productiva terminaretur ad Angelum ſecundum gradum ſpecificum, primo, & per ſe producendo illum, quin ex conſequenti terminaretur ad omnia ea, ex quibus conſtat Angelus. Confir. entia incompleta, ex quibus conſtat Angelus, non fiunt per ſe, ſed confiunt: ergo actio per ſe primo factiva eſſe ſpecifici Angeli, poterit eſſe cõfactiva eorum, ex quibus componitur Angelus.

Ad hoc, nego Conſ. nam ad cognoſcenda omnia, quæ ſunt in Angelo ea cognitione, quæ ſufficiat ad comprehendendum Angelum, ſufficit ea cognoſcere ſecundum illud particulare, ratione cuius ad Angelum ſub ratione Angeli ſpectant; ſpectant autem ratione illius habitudinis, quam ad eſſe ſpecificum Angeli dicunt, & ſic ex vi illius habitudinis cognoſcuntur ea cognitione, qua ipſe Angelus ſecundum rationẽ ſpe-

Digitized by Google

ſpecificam cognoſcitur cum autem omnia ea, quæ in Angelo ſunt ex nihilo fiant, non tantum dicunt habitudinem ad Angelũ ſub ratione ſpecifica Angeli, ſed etiã dicunt habitudinem ad Angelum, ſecundum quod eſt quoddã ens ex nihilo ſui factum; vnde, eſto ex vi factionis Angeli ſecundum rationem ſpecificã poſsint fieri, vt conducunt ad Angelum ratione eſſe ſpecifici, non tamen poſſunt fieri ſecundum illam habitudinẽ, quam vt entia incompleta ſunt, dicunt ad Angelum, ſecundum quod ens eſt completum ex illis, & ſic requiritur quod actio adæquate factiva eorum ſit productiva Angeli ſub ratione entis, non ſub ratione determinata Angeli. Itaque de his, quæ ſunt in Angelo poteſt haberi duplex conſideratio; alia, qua conſiderantur ſecundũ ſuas rationes particulares, ſecundum quas Angelo ſecundum peculiarem rationem Angeli inſerviunt; alia eſt conſideratio eorum ſecundum rationes vniverſaliſsimas entis, ſecundum quas non ſunt aliquid Angeli reduplicata ratione ſpecifica eius, ſed ſunt aliquid Angeli in quantum eſt ens ex nihilo factũ: ſi ergo daretur actio factiva Angeli per ſe primo terminata ad peculiarem rationem ſuæ ſpeciei, poſſent per illam fieri ea, quæ ſunt in Angelo ſecundũ illas rationes peculiares, ſecundum quas inſerviunt rationi ſpecificæ Angeli; non verò poſſent fieri ſecundum illum gradum vniverſaliſsimum entis, ſecundum quem inſerviunt Angelo, quia ens eſt, non quia Angelus: & ſic illa actio terminata ad Angelum per ſe primo ſub ratione ſpecifica eius non eſſet creatio Angeli.

Ad Confir. nego Ant. ad prob. diſt. Mai. ſequeretur Angelũ poſſe produci per generationẽ, ſi ponatur produci productione per ſe primo terminatã ad eſſe ſpecificũ Angeli, conc. Mai. ſi ponatur fieri, vt modo fit actione terminata ad illum, in quantum eſt ens, nego Mai. & diſt. Min. rebus vt nũc loquendo, & attento modo, quo Angelus de facto fit, conc. Min. in illa hypotheſi, nego Min. & Conſ. Itaque ſi ponatur actio per ſe primo factiva Angeli ſub ratione eius ſpecifica determinata, tunc eodẽ modo philoſopharemur de Angelo, ac de homine: vnde ſicut de homine propter hoc dicimus, quod generabilis ſit, ita hoc ipsũ diceremus tunc de Angelo. Ad ſecundam Confir. diſt. Conſ. poterit eſſe confactiva eorum, ex quibus cõponitur Angelus, eorum ſecundum peculiares rationes, quibus inſerviunt Angelo vt Angelo, conc. Conſ. eorum ſecundũ quod deſerviunt Angelo in quantum ens, nego Conſ. Pluribus aliis rationibus poteram probare concluſionẽ, quibus illam probat D. Tho. quæſt. 3. de pot. art. 4. ſed hæ pro nunc ſufficiant, quia efficaciores ſunt. Solum nobis reſtat examinare rationem, qua Vazquez noſtrã concluſionem ſuadere conatur.

§. IV.

Examinatur ratio Patris Vazquez.

603 PATER Vazquez ſpretis rationibus D. Tho. concluſionem noſtram probat ſic. Si aliquã creatura poſſet creare; ea deberet eſſe nobiliſsima omnium, eo quod creatio eſt perfectiſsima actio tranſiens, quæ alicui naturæ tribui poteſt; perfectior autẽ natura nequit eſſe, quam ſpiritualis: ergo ſi aliqua creare poſſet, ſpiritualis eſſet. Hæc autẽ non crearet proxime per naturam ſuam in quantũ eſt: ſic enim neceſſario crearet; perfectiſsima autem productio tranſiens, quæ perfectiſsimæ naturæ tribuitur, debet illi non neceſſario, ſed libere convenire, & ab ea exire non in quantum eſt, ſed in quantum vult, & intelligit; ſed media intellectione, & voluntate creata nihil poteſt creari: ergo nullo modo creatura creare valet. Prob. Min. intellectio illa, & volitio, qua creatura ſpiritualis aliam creaturam crearet, eſſet accidens: ergo non poſſet creare ſubſtantiã. Quod eſſet accidens probat ex eo, quia talis volitio verſaretur circa talẽ creaturam tanquam circa obiectum non naturaliter, ſed libere: ergo poſſet ab ea ceſſare: ergo eſſet accidens. Hæc Vazquez. Sed proxime ante iſta affirmat magis illi placere rationem Scoti, quæ eſt iſta modo producta.

Sed antequam Scotus eſſet in rerum natura iam D. Tho. probaverat nullã creaturam poſſe creare, quia nulla actio creaturæ ſubſtantia eſt, ſed accidens, ſic enim in loco citato de pot. arguit: *Tertia ratio eſt, quia cum accidens oporteat eſſe in ſubiecto, ſubiectum autem actionis ſit recipiens actionem, illud ſolum in faciendo materiam aliquam non requirit, cuius actio non eſt accidens, ſed ipſa ſubſtantia ſua, quod ſolius Dei eſt.* Probare ergo quod nulla creatura creare poſsit ex eo, quod eius actio deberet eſſe accidens, antiquitate magna præcedit Scotum. Et ſi quid novi portat, illud tanc rationẽ in eſſi-

ca;

cognitionis hominis cognoſci poſſunt : ad faciendum autem hominē ex nihilo , non ſufficit facere omnia, quæ ſunt in homine, prout præciſſe ſpectant ad hominē , ſed requiritur etiam facere ea ſecundū ſe : vnde requiritur facere materiā, non præciſſe ſecundum quod ex vnione illius cum forma rationali fit homo, ſed requiritur etiā facere illam etiam entitative, ſecundū quod eſt in potentia ad omnes formas; ſecundum quam rationē , cum non ſpectet ad hominem , nequit fieri actione per ſe primo terminata ad hominem ſub ratione hominis.

Sed inſtas, eſto Conſ. ſit ſoluta in compoſitis ex materia, & forma, non tamen in Angelis aſsignatum diſcrimen ſubſiſtit , in quibus non eſt diſtinguere de his , quæ ſunt in Angelo ſecundum ſe, & ſecundum quod ſpectant ad Angelum , cū formæ ſimplices ſint: vnde in his iterato formatur argumentum. Actio cognoſcitiva poteſt primo terminari ad Angelū, & ratione illius ad omnia, quæ quomodocumque ſunt in Angelo, ſic, vt ſit adæquate cōprehenſiva Angeli: ergo & actio adæquate factiva Angeli poteſt per ſe primo terminari ad Angelum ſub ratione determinata Angeli: ergo non requiritur ad creandum Angelum , quod actio creativa primo terminetur ad ipſam rationem entis. Reſpondeo, quod Angelus comprehenſive cognoſcitur ab altero Angelo, per hoc quod eius differentia ſpecifica adęquate penetratur ſecundū omnia, quæ adæquate includuntur in illa: hæc autem penetratio fit, per hoc, quod ſic Angelus intelligitur, quod in eo intus leguntur omnia, ex quibus actualiter conſtat , & omnia , quæ eius eſſentia radicat: vnde neceſſe eſt, quod ab ipſa eſſentia Angeli cognitio cōprehenſiva incipiat, & illā perfectius, & perfectius cognoſcendo vſque ad vltima Angeli perveniat ; & quamvis plura ex illis non ſint Angelus in recto, vt tamen ex vi cognitionis Angeli cognoſcantur , ſufficit, quod ad Angelum ſpectent, & ad illum habitudinē dicant: vnde poteſt cognitio cōprehenſiva Angeli incipere à gradu ſpecifico, & ratione illius ad alia pervenire: creatio autē Angeli, cū ſit productio totius entis ex nihilo, non ſolum debet facere Angelum, qui dicitur compoſitum ex natura , & ſubſiſtentia, & ex aliis accidentibus, ſed etiā debet facere omnem entitatem incompletam, nēpe ſubſiſtentiam, naturam, potentias, quæ ſunt accidentia, & alia accidentia cōmunia: vnde per ſe primo debet terminari ad aliquod, quod de omnibus his prædicetur, hoc autem non eſt ipſa ratio Angeli : ergo debet eſſe prædicatū communiſsimū, & vniverſaliſsimum, quale eſt ipſum eſſe Angeli: vnde in forma , nego Conſ. propter diſcrimen iam aſsignatum.

602 Sed contra iſta adhuc inſtabis, ex habitudine, quam dicunt iſta omnia ad Angelum, ex vi cognitionis Angeli poſſunt cognoſci: ergo ex habitudine , quā dicunt omnia, quæ ſunt in Angelo ad ipſum, ex vi actionis per ſe primo terminatæ ad eſſe ſpecificū Angeli, poterunt fieri. Confir. non eſt intelligibile , quod aliqua actio per ſe primo terminetur ad eſſe Angeli ſpecificum, & non comproducat omnia, quæ ſunt in Angelo, non ſolum ſecundum quod ſpectant ad Angelum, ſed etiam ſecundū entitatem incompletam eorum; ergo ſi ponamus aliquam actionem per ſe primo terminari ad eſſe ſpecificum Angeli, dicendū erit, illam eſſe Angeli creationem. Patet Conſ. nam productio compoſiti, & omniū quæ ſunt in illo debet neceſſario eſſe creatio. Et Ant. prob. ſi actio poſſet terminari ad eſſe ſpecificum , & non producere partes, ex quibus Angelus componitur, ſequeretur, Angelum poſſe produci per generationem, nam cum eſſe Angeli tantū eſſet reſultans ex vnione eorum, ex quibus conſtat , poſſent illa primo produci, & ex illis productis, educi vnionem eorum inter ſe, & ſic Angelus fieret per eductionem, & nō per creationem, quod nullo modo aſſeverari poteſt: ergo non eſt intelligibile , quod actio productiva terminaretur ad Angelum ſecundum gradum ſpecificum , primo , & per ſe producendo illum , quin ex conſequenti terminaretur ad omnia ea , ex quibus conſtat Angelus. Confir. entia incompleta, ex quibus conſtat Angelus , non fiunt per ſe, ſed confiunt: ergo actio per ſe primo factiva eſſe ſpecifici Angeli, poterit eſſe cōfactiva eorum, ex quibus componitur Angelus.

Ad hoc, nego Conſ. nam ad cognoſcenda omnia, quæ ſunt in Angelo ea cognitione, quæ ſufficiat ad comprehendendum Angelum, ſufficit ea cognoſcere ſecundum illud particulare , ratione cuius ad Angelum ſub ratione Angeli ſpectant; ſpectant autem ratione illius habitudinis, quam ad eſſe ſpecificum Angeli dicunt , & ſic ex vi illius habitudinis cognoſcuntur ea cognitione, qua ipſe Angelus ſecundum rationē ſpe-

ſpecificam cognoſcitur: cum autem omnia ea, quæ in Angelo ſunt ex nihilo fiant, non tantum dicunt habitudinem ad Angelũ ſub ratione ſpecifica Angeli, ſed etiã dicunt habitudinem ad Angelum, ſecundum quod eſt quoddã ens ex nihilo ſui factum; vnde, eſto ex vi factionis Angeli ſecundum rationem ſpecificã poſsint fieri, vt conducunt ad Angelum ratione eſſe ſpecifici, non tamen poſſunt fieri ſecundum illam habitudinẽ, quam vt entia incompleta ſunt, dicunt ad Angelum, ſecundum quod ens eſt completum ex illis, & ſic requiritur quod actio adæquate factiva eorum ſit productiva Angeli ſub ratione entis, non ſub ratione determinata Angeli. Itaque de his, quæ ſunt in Angelo poteſt haberi duplex conſideratio; alia, qua conſiderantur ſecundũ ſuas rationes particulares, ſecundum quas Angelo ſecundum peculiarem rationem Angeli inſerviunt; alia eſt conſideratio eorum ſecundum rationes vniverſaliſsimas entis, ſecundum quas non ſunt aliquid Angeli reduplicata ratione ſpecifica eius, ſed ſunt aliquid Angeli in quantum eſt ens ex nihilo factũ: ſi ergo daretur actio factiva Angeli per ſe primo terminata ad peculiarem rationem ſuæ ſpeciei, poſſent per illam fieri ea, quæ ſunt in Angelo ſecundũ illas rationes peculiares, ſecundum quas inſerviunt rationi ſpecificæ Angeli; non vero poſſent fieri ſecundum illum gradum vniverſaliſsimum entis, ſecundum quem inſerviunt Angelo, quia ens eſt, non quia Angelus: & ſic illa actio terminata ad Angelum per ſe primo ſub ratione ſpecifica eius non eſſet creatio Angeli.

Ad Confir. nego Ant. ad prob. diſt. Mai. ſequeretur Angelũ poſſe produci per generationẽ, ſi ponatur produci productione per ſe primo terminatã ad eſſe ſpecificũ Angeli, conc. Mai. ſi ponatur fieri, vt modo fit actione terminata ad illum, in quantum eſt ens, nego Mai. & diſt. Min. rebus vt nũc loquendo, & attento modo, quo Angelus de facto fit, conc. Min. in illa hypotheſi, nego Min. & Conſ. Itaque ſi ponatur actio per ſe primo factiva Angeli ſub ratione eius ſpecifica determinata, tunc eodẽ modo philoſopharemur de Angelo, ac de homine: vnde ſicut de homine propter hoc dicimus, quod generabilis ſit, ita hoc ipsũ diceremus tunc de Angelo. Ad ſecundam Confir. diſt. Conſ. poterit eſſe conſactiva eorum, ex quibus cõponitur Angelus, eorum ſecundum peculiares rationes, quibus inſerviunt Angelo vt Angelo, conc. Conſ. eorum ſecundũ quod deſerviunt Angelo in quantum ens, nego Conſ. Pluribus aliis rationibus poteram probare concluſionẽ, quibus illam probat D. Tho. quæſt. 3. de pot. art. 4. ſed hæ pro nunc ſufficiunt, quia efficaciores ſunt. Solum nobis reſtat examinare rationem, qua Vazquez noſtrã concluſionem ſuadere conatur.

§. IV.

Examinatur ratio Patris Vazquez.

603 PATER Vazquez ſpretis rationibus D. Tho. concluſionem noſtram probat ſic. Si aliqua creatura poſſet creare; ea deberet eſſe nobiliſsima omnium, eo quod creatio eſt perfectiſsima actio tranſiens, quæ alicui naturæ tribui poteſt; perfectior autẽ natura nequit eſſe, quam ſpiritualis: ergo ſi aliqua creare poſſet, ſpiritualis eſſet. Hæc autẽ non crearet proxime per naturam ſuam in quantũ eſt: ſic enim neceſſario crearet; perfectiſsima autem productio tranſiens, quæ perfectiſsimæ naturæ tribuitur, debet illi non neceſſario, ſed libere convenire, & ab ea exire non in quantum eſt, ſed in quantum vult, & intelligit; ſed media intellectione, & voluntate creata nihil poteſt creari: ergo nullo modo creatura creare valet. Prob. Min. intellectio illa, & volitio, qua creatura ſpiritualis aliam creaturam crearet, eſſet accidens: ergo non poſſet creare ſubſtantiã. Quod eſſet accidens probat ex eo, quia talis volitio verſaretur circa talẽ creaturam tanquam circa obiectum non naturaliter, ſed libere: ergo poſſet ab ea ceſſare: ergo eſſet accidens. Hæc Vazquez. Sed proxime ante iſta affirmat magis illi placere rationem Scoti, quæ eſt iſta modo producta.

Sed antequam Scotus eſſet in rerum natura iam D. Tho. probaverat nullã creaturam poſſe creare, quia nulla actio creaturæ ſubſtantia eſt, ſed accidens, ſic enim in loco citato de pot. arguit: *Tertia ratio eſt, quia cum accidens oporteat eſſe in ſubiecto; ſubiectum autem actionis ſit recipiens actionem, illud ſolum in faciendo materiam aliquam non requirit, cuius actio non eſt accidens, ſed ipſa ſubſtantia ſua, quod ſolius Dei eſt.* Probare ergo quod nulla creatura creare poſsit ex eo, quod eius actio deberet eſſe accidens; antiquitate magna præcedit Scotum. Et ſi quid novi portat, illud ſane rationẽ in eſſe-

ca;

Digitized by Google

cacem reddit. Novũm enim, quod addit eſt, quod actio, quæ accidens eſt non poſſet creare ſubſtantiam. Ex quo non infertur quod nulla creatura vt principalis cauſa nõ poſſet creare. Nam dato quod non poſſet creare ſubſtantiam, poſſet ſaltim creare accidens à ſubiecto ſeparatum, quod haberet proportionem cum prædicta actione. Secundo inefficax eſt, quia generatio active ſumpta accidens eſt; & tamen ſubſtantiã producit: ergo ex hoc quod illa actio eſſet accidens, non inferretur non poſſe creare ſubſtantiam.

Primæ noſtræ inſtantiæ reſponderi poſſet ex doctrina Vazquez, quod ad creãdum accidens extra ſubiectũ requireretur communicare ei modum perſeitatis, qui ei præternaturalis eſt, ſi autem non habetur, quod aliqua creatura naturaliter poſsit creare multo minus habebitur, quod poſsit creare præter naturaliter. Cæterum hoc de facili impugnatur, nam in hac quęſt. non inquiritur, vtrum creatura naturaliter creare poſsit? ſed inquiritur, vtrum de poſsibili, Deique quacumque potentia attenta, creatura vt cauſa principalis creare poſsit? vnde ad labefactandam noſtram concluſionem ſufficit, quod præter naturaliter poſsit creatura creare aliquid: cum ergo ex ratione Vazquez tantum inferatur non poſſe creare ſupernaturaliter ſubſtantiam, non vero inferatur non poſſe creare accidens; ex vi rationis eius non probabitur efficaciter concluſio noſtra. Nec illud, quod Vazquez dicit, videlicet, quod ſi naturaliter creare non poteſt, multò minus poterit pręter naturaliter, ſubſiſtere poteſt. Nam vnum corpus naturaliter non valet penetrare alterũ, & tamen præter naturaliter illud valet penetrare: ergo & poterit creatura creare prædictum accidens præter naturaliter, eſto naturaliter illud creare nõ poſſet. Pręterea, quod illa creatura non poſſet naturaliter producere accidens creando, non orire tur ex impotentia ipſius creaturæ, ſed ex eo quod accidens extra ſubiectum naturaliter ſubſiſtere non valet, & alió modo neque à Deo creari poteſt, eſto poſsit concreari: ergo ſi ſupponatur miraculum de ſubſiſtentia accidentis extra ſubiectum, non oſtenditur impotentia creaturæ ad creandum illud. Quod debebat aſsignari vt efficaciter probaretur noſtra concluſio: inhæreamus ergo rationibus ex D. Tho. adductis, & ad aliud quæſitum veniamus.

§. VI.

Vtrũm ſaltim inſtrumẽtaliter creatura aliqua poſsit creare?

604 DE Minori ad maiorem venimus difficultatem, in altum diſputationis rete ducimus in præſenti quæſito: multi enim ex Scholaſticis negantes creaturam adhuc divinitus poſſe vt cauſam principalem creare, dixerunt, poſſe creare miniſterialiter, & inſtrumentaliter, ita Magiſter in 4. diſt. 5. cap. vltimo, cuius ſententiam ibi ſequutus eſt D. Tho. ar. 3. quæſt. 3. & in 2. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. quos ſequuti ſunt Recentiores non pauci, vt refert Vazquez hic diſp. 176. cap. 1. Probabilior tamen & communior eſt ſententia oppoſita. Quam tenet D. Tho. hic quęſt. 45. art. 5. Et 2. Contrag. cap. 21. & quæſt. 3. de pot. art. 4. quem ſequuti ſunt Caiet. hic art. 5. Ferrara 2. contrag. cap. 21. & omnes Recentiores Thomiſtæ, tenent etiam Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 1. §. *ideo dici poteſt*, non longe à fine. Et Richardus in 4. diſt. 5. quæſt. 1. art. 2. in cuius confirmationem multas rationes adducunt. Et quia exiſtimo D. Tho. in ſententijs non ex propria ſententia loquutũ, ſed tantum in gratiam Magiſtri tenuiſſe oppoſitum, & propriam mentem nobis aperuiſſe hic art. 5. & de Potentia, quæſt. 3. artic. 5. & 2. Contrag. cap 21. ideo hanc ſententiam negantem ſtatuo pro concluſione.

Dico ergo, nulla creatura poteſt aſſumi vt inſtrumentum ad creandum. Probat Vazquez ex eo, quod nulla creatura ex ſe non habens vim nativam aliqualiter effectivam effectus, poteſt aſſumi vt phyſicum inſtrumentum ad illum effectum; ſed vt probatum eſt, nulla creatura habet vim nativam ad creandum: igitur nulla creatura poteſt aſſumi vt inſtrumentum phyſicum creationis. Conſ. cum minori patent, & Mai. prob. effectus non tantum refertur ad cauſam principalem vt dependens ab illa, ſed etiam debet referri ad inſtrumentum vt effectus illius, ſed ſi in inſtrumento non ſit vis activa nativa effectus, neque effectus poteſt referri ad inſtrumentum, neque inſtrumentum poteſt referri ad effectum vt producens illum: ergo. Min. probat nam ſi inſtrumentum conſtituitur in ratione producentis per virtutem ſuperadditam elevãtem illud ad efficiendum id, quod ex natura ſua facere non poteſt; vel ergo illa vir-

tus eſt propria ad producendum effectum, & ſic non erit iam inſtrumentum id, quod per illam elevatur, ſed erit cauſa principalis; vel virtus illa eſt inferioris naturæ, quam vt ex ſe effectum producere valeat: & ita, cum indigeat nova elevatione, ex ſe ipſa non poterit talem effectum producere; & ſic ratione illius non poterit inſtrumētum in ratione producentis referri ad effectū, nec effectus in ratione producti referri ad inſtrumentum; non ergo dabile eſt inſtrumentum in aliqua creatura ad creandū aliquem effectum. Sic Vazquez.

Cæterum hæc ratio nullius efficatiæ eſt, ſiquidem poteſt facile diſſolvi, dicendo, quod inſtrumentum, eſto non habeat virtutem nativam, poteſt ex derivatione, vel participatione cauſæ principalis aliquam virtutem imperfectiorem ipſa natura effectus accipere, & per illam elevari ad producendum effectum vt inſtrumentum. Et ad id, quod Vazquez dicit, quod talis virtus ſi imperfectioris naturæ eſt cū effectu, indigebit nova elevatione ad agendū, negandum eſt hoc vt falſum, nam quod eſt ratio formalis elevandi, eſt ipſa elevatio, & ſic non indiget alia elevatione, ſed ſe ipſa elevat, & id, quod elevatur agit vt elevatum: vnde cum agens principale elevet inſtrumentum per derivationem illius virtutis imperfectæ ex ſe, per illam inſtrumentum conſtituetur phyſice producens effectum, & ſic in ratione producentis referetur ad illum, & effectus in ratione producti ad ipſum inſtrumentum.

Peccat ſecundo hæc ratio in eo, quod concluſionem communem nititur probare per principia peculiaria ſolum admiſſa à paucis: quod enim Sacramenta non ſint phyſica inſtrumenta gratiæ, & humanitas Chriſti non ſit inſtrumentum phyſicum ad patranda miracula à paucis tenetur, & doctrina, quæ affirmat oppoſitum eſt communiter defenſata à D. Th. & ab eius Diſcipulis, qua non obſtante, defendunt adhuc nullam creaturam poſſe aſſumi vt inſtrumentum ad creandum: nullius ergo roboris eſt ratio Vazquez, quæ ad parvulum rivulum illius ſententiæ, torrentem communis veritatis coarctat.

605. Relicta ergo ratione Vazquez vt minus ſufficienti, probatur concluſio ratione D. Thom. efficatiori, quæ talis eſt. Creatio eſſentialiter eſt productio totius entis ex nihilo, id eſt, ex nullo ſubiecto præſuppoſito; ſed actio inſtrumentalis indiſpenſabiliter eſt ex aliquo, vel in aliquo: ergo nullum poteſt reperire in creatura inſtrumentum creationis. Conſeq. cum Maiori patet, & Min. prob. omne inſtrumentum debet habere aliquam actionem, vel quaſi actionem, per quam prævie operetur in paſſo, diſponens illud ad effectum principalis agentis: ergo requiritur indiſpenſabiliter, quod actio inſtrumentaria ſit ex aliquo, vel in aliquo. Mai. Probat D. Thom. dicens: *Cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitive operatur ad effectum principalis agentis; ſi enim ibi nihil ageret ſecundum illud quod eſt ſibi proprium, fruſtra adhiberentur inſtrumenta ad agendum, nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum, ſic enim videmus, quod ſecuris ſcindendo lignum, quod ſcindere habet ex proprietate ſua formæ, producit ſcamni formam, quæ eſt effectus principalis agentis.*

Verum hæc ratio, quanto efficax eſt, tantos ſibi multiplicavit emulos, qui varijs ſolutionibus, eam conantur infringere. Ex quibus primo occurrit Suarez dicens, hanc rationem convincere de inſtrumentis, quæ natura ſua habent virtutes ordinatas ad aliquem effectum, non autem cōvincere de ſupernaturalibus, in quibus tantum ſupponitur obedientialis potentia ad hoc, vt eleventur ad effectus improportionatos, & ſuperiores: inſtrumenta enim naturalia, ſeu quæ ex natura ſua ordinantur ad aliquem effectum, ſunt ſicut ſemen, aut virtus ab agente diffuſa, mediante qua ſuum operantur effectum; ſupernaturalia autem inſtrumenta ſunt, quæ ex natura ſua ordinem non habent ad effectum principalis agentis, ſed tantum obedientialem potentiam, vt ad illum eleventur: vnde in iſtis, non in illis verificari debet, quod inſtrumentum habeat aliquam actionem prævia, qua prævie diſponat paſſum ad effectum principalis agentis: de illis ergo debebat ratio D. Thom. concludere, non de iſtis; inter quæ annumerari deberet inſtrumentum ad creandum.

Cæterum hæc ſolutio non infringit rationem D. Th. Nam omne verum inſtrumentum, ſive ex natura ſua ordinetur ad effectum, ſive voluntariè, & ſine indigentia illius aſſumatur à principali agenti, qualia ſunt inſtrumenta ad cauſandam gra-

tiam, vel patranda miracula à Deo aſſumpta, neceſſe eſt, vt inſeruiant, & miniſtrent agenti deferendo eius virtutem ad effe- ctum, nam ſi tantùm efficiant, & cauſæ principali non ſic miniſterialiter inſeruiant, non erunt inſtrumēta, ſed cauſæ principales: ergo requiritur in omni inſtrumēto, quod habeat aliquam actionē, vel quaſi actionem ex proprijs, ratione cuius agenti principali inſeruiant: ergo ratio D. Th. non conuincit tantum de inſtrumentis, quæ ex rei natura ad effectum ordinantur, ſed etiam de his, quæ ad opera ſupernaturalia à Deo voluntariè aſſumuntur.

Explicatur hoc, ſi ponamus, quod aliquid participet à Deo virtutem ad agendū, & ad ſic agendum moueatur à Deo, ſecluſo quocumque alio miniſterio ex proprijs illius, tunc iſtud ſic motum non operabitur vt inſtrumentum ſtrictè loquēdo de inſtrumento: ergo de quocumque, vt agat vt verum inſtrumentū requiritur indiſpenſabiliter verificari, vt ex aliquo ſibi proprio habeat facere aliquid, quo miniſterialiter inſeruiat agenti pirncipali. Prob. Ant. omnis cauſa ſecunda principalis hoc habet, nempe accipere virtutem inferiorem virtute diuina ad agendum, id quod Deus operatur, & ad hoc etiā ſpecialiter mouetur à Deo; & tamen non concurrit ad ſuos effectus vt inſtrumentū Dei, quia non inſeruit Deo præuiè per aliquid ſibi proprium, ſed tantum accipit virtutem ad operandū effectum: ergo vltra iſta duo ad veram rationē inſtrumenti requiritur indiſpenſabiliter habere ex proprijs aliquam veram actionem præuiam, qua diſponat paſſum ad effectum principalis agentis.

Dices, cauſas ſecundas non dici inſtrumenta Dei, quia Deo non inſeruiant præuiè in ordine ad cauſandum ſuos effectus, ſed ex eo quod accipiunt virtutem complete perfectam, & proportionatam ad efficiendum ſimul cum Deo effectus ſuos: vnde & habent aſſimilare eos ſibi ipſis, non Deo: ergo ſi alicui Deus communicet virtutem incompletā, & imperfectā ad effectū, & ad illud efficiēdū illud moueat, etiā ſi in nullo præuiè Deo inſeruiat, verā, & propriam habebit rationē inſtrumenti reſpectu Dei. Sed contra eſt, nam ſi cauſa purè effectum producat, quamuis imperfectè, ſi tamen præuiè alteri in agendo non inſeruiat, talis cauſa, eſto imperfectè effectum producat, inſtrumentū nō erit, neque vt tale operabitur, quia de eſſentia inſtrumenti eſt miniſtrare in agendo principali agenti, non autem ſit miniſterium per hoc ſolum, quod eſt concurrere ſimul cum alio agente ad eundem effectum: hoc enim tantum eſt dare virtutem cauſæ, vt ſimul cooperetur cum illa ad effectum, non autem eſt, vt ei in operando inſeruiat: ergo in diſpenſabiliter requiritur ad operandum vt inſtrumentum, præuiè ex proprijs aliquid facere, quod ſit diſponere ad effectum principalis agentis, vel diſpoſitione naturaliter conducente ad hoc, vt agens agat, vel tantum conducente ex voluntate Dei agētis.

Dices, aquam verè aſſumi vt inſtrumentum Dei ad cauſandam gratiam; & tamen aqua nihil præuium facere poteſt, per quod aliqualiter diſponatur anima ad hoc, vt Deus ex illa gratiam educat: ergo non ſubſiſtit doctrina noſtra. Antec. probabis ex eo, quod omnis diſpoſitio animæ ad gratiam debet educi ex potentia obedientiali animæ, cum ſit indiſpenſabiliter ſupernaturalis; aqua autem ex proprijs aquæ non poteſt operari ex potentia obedientiali animæ, aliquid educendo: non ergo ad huiuſmodi inſtrumenta ſupernaturalia requiritur aliquid proprium ex virtute natiua inſtrumenti diſponens paſſum ad effectum principalis agentis. Secundo, aqua per proprium, quod habet, quod eſt abluere, tantum poteſt agere in corpus, non in animam, ex qua ſola educitur gratiā: non ergo per ſibi proprium habet diſponere ad effectum principalis agentis paſſum, ex quo talis effectus producendus eſt.

Cæterum obiectiones iſtæ non infringunt rationem noſtram, vt patebit ex earum ſolutione. Ad primam ergo; concedo quod aqua ex proprijs non habet actionem, vi cuius producatur aliqua diſpoſitio ad gratiam; habet tamen ex proprijs aliquid facere, nempe abluere corpus informatum anima, quod abluere corpus Deus eleuat, vt ſit effectio gratiæ, per quā ab anima abluantur peccata: eſto enim illud abluere, prout à natiua vi aquæ prouenit, non producat aliquam diſpoſitionem ad gratiam; ſufficit tamen ad verificandum, quod aqua miniſterialiter inſeruiat Deo, id eſt, exercendo illam actionem, quam habet ex proprijs, vi eleuationis producit gratiam in anima: vnde non requiritur, quod ex proprijs agat ex potentia obedientiali animæ, ſed ſufficit; ſi aliquam actionem exerceat, per quam Deus gratiā pro-

producat: ſic enim operatur effectum principalis agentis miniſtrando principali agenti per exercitium actionis propriæ. Ad ſecundam dico, quod aqua eſto non agat ex proprijs in animam ſecundum ſe; agit tamen ex proprijs in corpus animatū, & informatum anima, quod ſufficit, vt elevetur ad producendū gratiā in anima corpori coniuncta. Vel dicatur, quod, cū non requiratur, quod inſtrumentum ex proprijs producat aliquam diſpoſitionē in paſſo, ex quo forma educenda eſt à principali agente, ſufficit ad miniſtrandū cauſæ principali agere ex proprijs circa aliquod ſubiectū, ſive ſit illud, in quo effectus producendus eſt, ſive aliud, ex quo effectus non ſit producendus; agendo enim ex proprijs circa vnum, per elevationem poteſt agere circa aliud, in quo effectus eſt producendus.

Sed inſtas, ſi non requiritur, quod ex proprijs circa ſubiectū, in quo effectus producendus eſt, inſtrumentū agat: ergo poterit agendo ex proprijs circa vnum ſubiectū vi elevationis producere immediate effectum principalis agentis, etiā ſi ex nullo præſuppoſito ſubiecto talis effectus fiat. Patet Cōſ. nam illa actio ex proprijs non requiritur, quod attingat ſubiectū, ex quo effectus producitur: ergo etiā ſi effectus ex nullo ſubiecto producatur, poterit effici ab inſtrumēto. Ad hoc, nego Conſ. ad prob. neg. Conſ. nam hoc ipſo, quod illa actio inſtrumenti ex proprijs determinata eſt ad agendū ex aliquo, etiam ex vi elevationis non poteſt efficere niſi ex præſuppoſito ſubiecto: vnde ſi principale agens effectum ex nullo præſuppoſito ſubiecto producat, illa actio inſtrumenti etiam ex vi elevationis illud efficere non valebit.

Explico hoc, in inſtrumento nō damus duas actiones; vnam præviā ex proprijs ipſi convenientē, & aliā effectivam effectus principalis agentis, convenientem ei ex vi elevationis; ſed damus tantum vnā actionē ad duplicē vim comparatā, nempe ad vim nativā, & prout ſic, appellamus præviā, & ad vim elevantē, & prout ſic, appellamus eam effectricē effectus principalis agentis: illa ergo actio, ex quo ad vim nativā creaturæ reducitur, cū accidens ſit, & hoc nequeat nō recipi in ſubiecto, ex quo effectus educendus eſt, eſſentialiter determinata eſt ad agēdū ex aliquo ſubiecto: vnde cū ex vi elevationis illa actio nō amittat eſſe accidētis, ſed ſemper vt accidens operetur, ſemper reſtringitur indiſpenſabiliter ad operādum ex ſubiecto, in quo neceſſe eſt eā recipi; & ſic illa actio, etiam ſi prout prævia nō requiratur quod agat circa idem ſubiectū, circa quod agit vt elevata; tamē quia ſemper vt accidens operatur, indiſpenſabiliter reſtringitur ad nullo modo agendum niſi ex præſuppoſito ſubiecto.

§. VI.

Soluuntur inſtantiæ contra hanc doctrinam.

606 SED Inſtas primo; probando quod ſint duæ actiones in inſtrumento. Etenim ablutio aquæ Sacramentalis manet in corpore, & vt operatrix gratiæ manet in anima; ſed eadem actio nequit manere in vno ſubiecto, & ſimul componere cū hac manſione manſionē in altero à primo diſtincto: Igitur dantur ibi duæ actiones, quarū altera eſt abluere corpus, & altera eſt efficere gratiā in anima. Vrgetur hoc in Chriſto Domino, cum per actum cogitationis internæ ſanabat infirmū, illa cogitatio interna, vtpote actio immanens animæ, remanebat adæquate in anima Chriſti, & illa actio, qua ſanabat infirmum tranſibat ad infirmū, & in eo ſubiectabatur; at hoc eidem indiviſibili actioni nequibat convenire: ergo erant ibi duæ actiones. Ad hoc dico, quod ablutio manet in corpore, ſed virtualiter tranſit ad animā. Itaque virtute elevationis accipit efficaciam, illud abluere corpus, vt manēdo in corpore virtutē diffundat ad animā, qua gratia educatur ex potentia obedientiali animæ: vnde non requiritur, quod ſit duplex actio; quarum alia abluatur corpus, & alia abluatur anima. Quod ipſum dico de Chriſti cogitatione; illa enim, cū actio immanens eſſet, ſemper manebat in anima Chriſti, ſed ex vi elevationis accipiebat efficaciam, vt manendo in Chriſto; vi illius ſanarentur infirmi, & ſic vna indiviſibili actione Chriſtus patrabat miracula.

Sed inſtas, ſi illa actio in anima Chriſti manebat, & ſolum vi illius ſequebatur in infirmis poſitio ſanitatis: ergo poterat vi illius ſequi ſine mutatione alicuius ſubiecti effectus ſanitatis per ſolum ſimplicem effluxum illius, & ſic poſſet eſſe creatio. Prob. Conſ. nam vbi actio formaliter nō tranſit ad paſſum, inter effectum, & actionē nō intermediat aliquod fieri, quod

ſit mutatio vera, & realis, ſed tantum habetur effectus in facto eſſe, vi actionis, quæ manet in agẽte: ergo ſi cognitio, qua Chriſtus patrabat miracula formaliter non tranſibat ad paſſum, poterat vi illius, abſque fieri inter medio, ſequi effectus per ſolum ſimplicem effluxum rei, & ſic poterat talis actio ſaltim inſtrumentaliter creare. Secundo, ſi ab aliqua actione aufertur motus, tunc ex parte effectus nihil reſtat niſi relatio ad agens vt dependentis ab illo; ſed ſi prædictæ actiones manebant in agente non identificabantur cum motu: ergo ratio motus ſeparabatur ab illis, & ſic ex parte effectus ſola reſtabat relatio dependentis ab agente, atque adeò creatio.

Ad primam, nego Conſeq. ad prob. nego Ant. quod patet ex eo quod Deus, vt vidimus in tract. de potentia, nunquã agit actione formaliter tranſeunte, & ſimiliter Angelus, & tamen cũ Deus generavit hominem v. g. de limo terræ, vel gratiã ex potentia obedientiali animæ, veræ mutationes intermediant inter effectũ, & actionem Dei: verè enim in prima hominis generatione materia prima tranſmutata eſt, & dum homo iuſtificatur, verè homo realiter mutatur. ſimiliter dum Angelus extra ſe operatur, cũ creare non poſsit, verè effectus producit immutando materiã: ergo ex hoc, quod Chriſtus patraret miracula per actionẽ formaliter immanentẽ, & ſolum virtualiter tranſeuntem, non ſequebatur, quod operaretur per ſolum ſimplicẽ effluxum effectus producti.

Ad ſecundam dico, quod ab actione motũ auferri, ſtat dupliciter; primo, quod ſit talis qualitatis actio, quod non identificetur cũ motu; ſecũdo ſic, quod ſit talis cõditionis, quod non agat per motũ, ſive cum illa identificatũ, ſive non; ſi primo modo tantũ auferatur, falſum eſt, quod inter effectum, & actionẽ non mediat fieri, & cauſalitas: eſt tamen verũ ſi ſecundo modo auferatur. Porrò hoc eſt diſcrimẽ inter actiones agentis infiniti, & finiti, quod actiones illius poſſunt ſine motu inferre effectus ſuos, quia agens infinitæ virtutis poteſt ex nullo ſubiecto præſuppoſito, quod moveatur, effectus producere: actiones autẽ agentis finiti, & limitati, cum non poſſunt totum eſſe effectus producere, non habent efficaciam ad producendum effectum ſine fieri, & mutatione alicuius ſubiecti: vnde quamvis formaliter non tranſeant ad paſſum, tamen quia virtus eorũ finita eſt, non valet agere niſi per motũ. Itaque agens infinitæ virtutis poteſt ex ſe immediate emittere effectũ abſque virtute diffuſa extra ſe, & ſic abſque fieri, & mutatione alicuius poteſt operari: cæterum agens finitæ, & limitatæ virtutis, quamvis per actionẽ virtualiter tantũ tranſeuntẽ agat, non niſi diffundendo virtutẽ agere valet; illa autẽ virtus diffuſa neceſſario in ſubiecto recipitur, & ex illo effectum operatur: vnde indiſpenſabiliter media mutatione ſubiecti effectus ſequitur, & ſic non creatur.

607 Secundo inſtabis principaliter, probando, quod illa actio, eſto ſit accidens, poſsit ex nullo ſubiecto effectum principalis agentis operari. Etenim, ſi non poſſet, maxime, quia debet recipi in ſubiecto, cũ accidens ſit; hoc autẽ non obſtat: ergo. Prob. Mai. ſupra diximus, & veritas tenet, quod poteſt divinitus accidẽs ſine ſubiecto eſſe: ergo, eſto illa actio accidens ſit, ſine ſubiecto eſſe poterit: ergo ex hoc, quod accidens ſit, non bene probatur, quod effectũ ex non præſuppoſito ſubiecto operari non valeat. Ad hoc neg. Min. ad prob. dico, quod dato, quod talis actio extra ſubiectũ ſit per miraculũ, nõ tamen operari poterit niſi ſaltim per virtutẽ diffuſam ad ſubiectũ, in quo effectus producendus eſt: vnde non niſi ex ſubiecto effectum educere valebit, & ſic nunquam creare poterit.

Sed inſtas, per miraculum fit, quod illa actio ſit extra ſubiectũ, vt admiſsimus: ergo etiã per miraculum fieret, quod operaretur ſine diffuſione ſuæ virtutis ad paſſum, in quo effectus producendus eſt. Prob. Conſ. à paritate rationis. Ad hoc, nego Conſeq. primum enim non arguit infinitatem in actione, & ſic poteſt fieri ſine miraculo, ſecundum autem argueret infinitam efficaciam, ex qua ſola fieri poteſt, quod ſine mutatione intermedia paſsi effectus producatur: ſi autem virtutẽ actio non diffunderet ad paſſum, in quo producendus effectus eſt, ſine mutatione paſsi effectus fieret, & ſic actio, vi cuius hoc contigeret, infinitæ efficaciæ argueretur.

608 Tertio inſtabis, illa actio, quamvis ex proprijs effectũ principalis agentis efficere non valeat, tamen vi elevationis illum attingere poteſt: ergo quãvis ex proprijs ex non præſuppoſito ſubiecto operari nõ poſsit, tamen ex vi elevationis operari ex non præſuppoſito ſubiecto poterit. Ad hoc, nego Cõſ. nã vt actio ex vi elevationis poſsit efficere, quod nõ poteſt ex proprijs,

non requiritur, quod amittat modum operandi actionis creatæ, ſed ſufficit, quod virtuti inſufficienti inſtrumenti ad efficiendum effectum principalis agētis ſuperaddatur virtus productiva, quæ ſuperadditio poſsibilis eſt, vt patet; & vt ſine ſubiecto, vel ex de non præſuppoſito ſubiecto agat, requiritur, vt modum operandi actionis creatæ amittat, quod quidem eſt impoſsibile, dum actio creata eſt, & ſic poteſt primum, non vero ſecundum.

§. VII.

Alia ratione prob. Concluſio.

609 SECVNDO Probemus Concluſionem, non iam ex conceptu actionis præviæ, ſed ex conceptu actionis, vt ex vi elevationis, producit effectum principalis agentis. Etenim inſtrumentum debet efficere effectum principalis agentis actione ſibi propria diſtincta ab actione cauſæ principalis; ſed hæc actio nequit ex nihilo effectum operari: igitur nulla creatura poteſt aſſumi vt inſtrumentum ad creandum. Prob. Min. illa actio eſt finita, & limitata, vtpote proveniens à virtute finita, & limitata, qua inſtrumentum elevatur, neque enim per virtutem infinitam elevari poteſt inſtrumentum; ſed omnis actio finita, & limitata debet agere ex præſuppoſito ſubiecto, ſiquidem neceſſe eſt, quod actio finita, & limitata agat effectum ſub ratione limitata, & determinata, & non ſub ratione vniverſaliſsima entis: ergo prædicta actio nequit ex nihilo aliquid producere, & ſic non poterit creare.

Dices, ad creandum ſolum inſtrumētaliter non requiri, quod inſtrumentum effectum producat ſub ea ratione vniverſaliſsima, ſub qua illum creans principale producit; ſed ſufficere illum attingere ſub aliqua ratione inferiori; ſed non repugnat actioni creatæ effectum ſub ratione inferiori ad rationem entis producere: ergo ei non repugnabit inſtrumentaliter creare. Probabis Maiorem, actio inſtrumentalis inferior eſt actione principalis agentis, quoad ſubſtantiā, & modū operandi: ergo non requiritur, quod, ſi agens principale effectū producit ſub ratione vniverſaliſsima entis, ipſa quoque ſub eadē ratione effectū producat. Secundo, actio inſtrumentalis oritur à virtute elevante inſtrumentū, quæ non adæquate præcontinet effectū principalis agentis, ſed valde debiliter: vnde ad operandū inſtrumentaliter ſufficit qualitercumque effectū principalis agentis attingere: ergo non requiritur, ipſum ſub ratione entis, vel in quantū ens eſt, attingere, hæc enim eſſet adæquate producere, & ſic non eſſet inſtrumentaliter, ſed principaliter illū attingere.

Sed hæc non infringunt rationē factā. Ad primā, nego Mai. ad prob. diſt. Antec. actio inſtrumentalis inferior eſt quoad ſubſtantiā, & modū actione principalis agentis, in ea materia, quæ permittit ſuperioritatem, & inferioritatē in operando, conc. Antec. ſi materia illa non permittat, nego Antec. & diſt. Conſeq. ſi actio inſtrumentalis ponatur creativa, nego Conſeq. ſi non ponatur creativa, conc. Conſeq. Itaque creare ſive inſtrumentaliter, ſive principaliter eſt effectum ex nihilo producere; hoc autē intelligi nequit, niſi creatio, quæcumque illa ſit, effectū ſub ratione vniverſaliſsima entis attingat; nam ex non ente, ſimpliciter non poſſumus pervenire primo niſi ad ens; vnde in materia creationis non habet locū, modus operandi effectū ſub ratione imperfectiori reſpective ad modum operādi cauſæ principalis, cum vna, & alia, ſi creet, debet effectum ex nihilo producere; vnde in materia creationis non habet locum diviſio cauſæ in principalem, & inſtrumentalem.

Ad ſecundam diſt. Conſeq. ergo non requiritur effectū ſub ratione entis in quantū eſt ens attingere, ſi aſſumatur inſtrumentū ad creandū, nego Conſ. ſi aſſumatur inſtrumentū ad producendū alio genere productionis, conc. Conſ. Etenim, iam dixi, quod creare etiam inſtrumentaliter debet eſſe ex nihilo efficere; hoc autē implicat, niſi ponatur, quod inſtrumentū rem ſub ratione vniverſaliſsima entis, vel in quantū ens eſt efficiat: nam ſi ſub determinata ratione tangat, neceſſe erit, quod ex aliquo rem efficiat, & ſic agendo rationē creantis non habebit. Itaque, dum effectus producitur ex aliquo, datur diviſibilitas in attingentia effectus: vnde poteſt illum agens principale ſub ratione ſuperiori efficere, & inſtrumētum ſub alia ratione inferiori illū operari; ſed, dū venitur ad producendū ex nihilo, diviſibilitas iſta locū non habet, quia hoc ipſo, quod ſub ratione entis, & in quantum ens actio effectum non producat, non creabit ex nihilo.

Sed inſtas, ad creandum inſtrumenta-

liter ſufficit, quod ipſam rem, quam agens principale ex nihilo producit, inſtrumentum aliquo modo efficiat: ergo, dum agens principale effectum in quantum ens producit, ſi ſimul inſtrumentum effectum ſub aliqua ratione ſpeciali efficiat, vere dicetur inſtrumentaliter creare. Probabis Antec. hoc ipſo quod inſtrumentum aliquo modo prædictum effectum, quem ex nihilo agens principale producit, producat, hoc ipſo efficiet aliquo modo rem, quæ de novo creatur: ergo hoc ipſo inſtrumentaliter creabit. Ad hoc, diſt. Antecedens, ſi aliquo modo rem ipſam ex nihilo efficiat, conc. Antec. ſi ex aliquo, & non ex nihilo rem aliquo modo efficiat, nego Antec. & Conſeq. ad prob. diſt. Antec. hoc enim ipſo, quod inſtrumentum aliquo modo rem, quam agens principale de novo producit, producat, hoc ipſo efficiet aliquo modo rem, quæ de novo creatur, hoc ipſo efficiet ex nihilo, nego Antec. efficiet ex aliquo, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque, ſi detur, quod dum cauſa principalis rem ex nihilo producit, inſtrumentum ad illam ſub aliqua peculiari ratione, & non ſub ratione entis concurrat; hoc ipſo rem ſecundum aliquod ſui eſſe productam ſupponet, & ex illo ad eſſe determinatum rei producendum tranſibit, & ſic non ex nihilo, ſed ex aliquo faciet ens, non vero creabit. Dixi, ſi detur, nam impoſsibile iudico, quod dum agens principale Deus rem de nihilo creat, inſtrumentum ad illam active concurrat ad aliquod determinatum, & peculiare eſſe eius, nam creans ex nihilo, rem ſecundum omnem gradum perfectiſsime facit: vnde non relinquit poſsibilitatem, vt aliud agens eam, ſecundum aliquem gradum determinatum producat.

§. VIII.

Solvuntur argumenta contra Concluſionem.

611 PRIMO Arguitur, non requiritur, quod inſtrumentũ habeat actionem præviam, qua prævie diſpoſitive miniſtret agenti principali: igitur creatura poteſt aſſumi vt inſtrumentum ad creandum. Prob. Antec. nam actio prævia requireretur, vt inſtrumentum deferret imperium, vel vim activam agentis principalis ad paſſum, in quo producendus eſt effectus; ſed ad hoc non requiritur: ergo. Prob. Min. actio, quæ non ſubiectatur in paſſo, in quo producendus eſt effectus principalis agentis, nequit deferre imperium, vel vim eius effectivam ad prædictum paſſum; ſed multæ actiones præviæ inſtrumentorum non ſubiectantur in paſſo, in quo à cauſa principali producendus eſt effectus, vt patet in cogitatione interna, qua Chriſtus patrabat miracula, quæ remanebat in Chriſto, cum miracula fierent in alijs ſuppoſitis: ergo tales actiones nequeunt deferre imperium ad paſſum, in quo producendus eſt effectus principalis agentis. Secundo, mors Chriſti operata eſt noſtram ſalutem animæ tanquam inſtrumentũ; & tamen mors Chriſti nullam potuit habere actionẽ præviam convenientem ei ex proprijs, cum ex proprijs ſit realis carentia vitæ Chriſti, à qua nulla ex proprijs poteſt oriri actio: igitur ad operandum inſtrumentaliter non requiritur prævia actio. Confir. cum Chriſtus ſolo contactu ſuæ manus ſanabat infirmos; vel cum per ſolum contactum feretri, in quo mortuus portabatur ad ſepulchrum, ipſum miraculoſe ſuſcitavit vt inſtrumentum divinitatis, vel cum vmbra Petri aſſumebatur; vt inſtrumentum ad ſanandum infirmos, vere in nullo iſtorum caſuum aliqua vera actio prævia intercesſit, nam contingere manum, vel feretrum non eſt agere: ſimiliter in vmbra Petri obvmbrante infirmos non erat verum agere: ergo ad operandum inſtrumentaliter non requiritur in inſtrumento prævia actio.

Ad hoc argumentũ, neg. Ant. ad prob. nego Min. ad prob. diſt. Mai. actio, quæ non ſubiectatur in paſſo, in quo producendus eſt effectus principalis agentis, nequit deferre imperium, vel vim eius effectivam ad prædictum paſſum, delatione formali, conc. Mai. delatione virtuali, vel determinativa, nego Mai. & conc. Min. diſtinguo Conſ. delatione formali, conc. Conſ. delatione virtuali, vel determinativa, nego Conſeq. Itaque, cum dicimus, inſtrumentum debere deferre imperium, ſeu vim cauſæ principalis ad paſſum, in quo operandus eſt effectus principalis agentis, nomine delationis, non intelligimus eam, quæ fiat per motum localẽ; agens enim infinitæ virtutis non indiget ſimili delatione ſuæ virtutis, cum à nullo paſſo diſtet, ſed intelligimus quandam determinationẽ præ-

prædictę virtutis; hoc enim ipſo, quod Deus per inſtrumentum phyſicum vult operari miraculum, hoc ipſo, vult ſuam virtutem modificari ab ipſo inſtrumento, vnde oportet in inſtrumento aliquid reale adeſſe, realiter virtutem principalis agentis determinans, & hoc ipſo, quod virtus ſic determinata effectum phyſice cauſat, intelligitur inſtrumentum ipſum inſtrumentaliter cauſare effectum principalis agentis; hanc autem modificationem facere poteſt actio inſtrumenti, etiam ſi non perveniat formaliter ad paſſum, in quo producendus eſt effectus principalis agentis: & ſic poteſt intelligi, quod deferat imperiū, vel vim agentis principalis ad paſſum, &c, quia hoc non eſt aliud, vt dixi, quam quod illa virtus, non niſi determinata, aut modificata per inſtrumentum, operetur ſuum effectum.

Ad ſecundam de morte Chriſti, dico, quod, cum dicimus mortem Chriſti operatam eſſe miracula, non intelligimus de ipſa morte in ſe ipſa, ſed de humanitate Chriſti, cui, quia paſſa eſt mortem, credimus Deum dediſſe virtutem patrativam miraculorum; humanitas autem aliquid reale eſt, & vere poteſt actiones reales operari. Ad Confirm. dico, quod ille contactus Chriſti proprie non erat actio, ſed, cum quid reale phyſicum eſſet, poterat realiter modificare virtutem divinam miraculorum patrativam, & ex quo ſic determinata patrabat miraculum, dicitur, Chriſtum per prædictum contactum phyſice patraſſe miracula. Filium autē viduæ Naym non ſuſcitavit Chriſtus per hoc quod feretrum tetigit, ſed ſua loquutione, qua dixit, *adoleſcens tibi dico ſurge*, quæ loquutio vera actio fuit. Ad illud de vmbra Petri dico, quod vmbra Petri dicitur facere miracula, quia ad obumbrationem infirmorum Deus Petro, non vmbrę, dabat vim miraculorum patrativam, ſicut diximus de morte Chriſti: & quidem hæc non magis probant de actione prævia, quam de actione phyſice miraculorum patrativa, ſi enim mors, vel vmbra, quia privationes ſunt, non potuerunt habere veram actionem præviam, pariter neque potuerunt habere veram actionem patrativam miraculi.

612 Secundo arguitur, dato quod inſtrumentum requirat actionem præviam, qua prævie miniſtret agenti principali, adhuc non ſequitur, creaturam non poſſe eſſe inſtrumentum creationis: ergo falſa eſt Concluſio. Prob. Antec. admiſſa actione prævia non requiritur, quod illa ſubiectetur in paſſo, ex quo educendus eſt effectus: ergo poterit prævie miniſtrando circa vnum paſſum, ex quo effectus non debet educi, efficere aliquem effectum ſine prævio paſſo, id eſt, ex nullo paſſo, & ſic, poterit inſtrumentaliter creare. Explico hoc, actio, quæ manet in paſſo, in quo non producitur effectus principalis agentis, nihil efficit circa paſſum, ex quo agens principale effectum producit; & tamen effectum principalis agentis producit: ergo etiam ſi principale agens ex nullo paſſo effectum producat, poterit ipſum effectum principalis agentis producere. Prob. Mai. actio nihil agere poteſt circa paſſum, ex quo nō educitur, & in quo non ſubiectatur; ſed multoties non ſubiectatur, neque educitur ex paſſo, in quo, & ex quo cauſa principalis effectum producit: ergo multoties nihil producit circa idem paſſum. Confir. diximus, quod per actionē, quæ ſubiectatur in vno paſſo, dicitur Deus agere effectum in alio, quia prædicta actio modificat, & determinat virtutem divinā ad producendum effectū in alio paſſo: ergo ſi virtus divina, ſic modificata, effectum producat ex nihilo, inſtrumentum ſua actione, illam determinans, & modificans, etiam dicetur operari effectum ex nihilo. Patet Conſeq. à paritate rationis.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad prob. nego Antec. nam eſto actio inſtrumenti maneat formaliter in vno paſſo, tamen illa met actio eſt, quæ efficit effectum in alio paſſo, & cum limitata ſit, & finita, nequit ex nihilo effectum producere. Inſtas, multoties illud prævium, quod inſtrumentum exhibet ex proprijs, non eſt vera actio, vt dixi de contactu: ergo tunc inſtrumentum non agit per illud prævium effectum principalis agentis, ſed vel datur alia actio, vel ſolus Deus per illud præviū determinatus effectum producit, & ſic ex nihilo producere poterit. Ad hoc dico, quod in caſu, quo illud prævium non ſit vera actio, tunc ex illo, virtute elevationis actio creata conſurgit, & ſic cum creata ſit, effectum ſine ſubiecto præſuppoſito facere non poteſt: vnde creare nequit. Vel dico, quod eſto non ſit actio, tamen conſtringit, & limitat virtutem divinam vt ſic modificata nequeat ex nihilo effectum producere: vult enim Deus tunc non niſi per aliquid crea-

Digitized by Google

creatum effectum producere, & ſic nō vult creare, ſed reſtringit cauſalitatem ſuam ad modum operandi creaturæ propriū, quī eſt operari ex aliquo. Ad explicationem nego Antec. ad prob. nego Mai. dixi enim ſupra, quod manendo in vno ſubiecto formaliter poteſt virtualiter immutare aliud ſubiectum, educendo effectum ex illo; ad eum modum, quo illi, qui dicunt actionem ſubiectari in agente, & tamen inferre motum, & paſſionem in paſſum, ſic enim iſti naturaliter dicunt, hoc fieri poſſe, & nos dicimus poſſe fieri divinitus, qui ponimus actionem tranſeuntem formaliter ſubiectari in paſſo. Ad Confirm. conc. Conſ. quæ conditionalis eſt, ſed nego, quod virtus divina ſic per inſtrumentum limitata, poſſit effectum ex nihilo producere; cum enim ſit limitata ad operandum effectum per creaturam, limitatur quoque ad producendum effectum ex aliquo.

613 Tertio arguitur, non repugnat actionem creatam effectum producere ex nihilo: ergo etiam ſi inſtrumentū agat per actionem creatam, poterit ex nihilo aliquid producere. Prob. Ant. ex eo repugnaret actionem creatam producere ex nihilo, quia omnis actio creata eſt accidens, & ſic debet recipi in aliquo ſubiecto, vnde non poteſt niſi ex aliquo producere; at hæc ratio eſt nulla: ergo. Prob. Min. ad ſalvandum quod actio ſit accidens, ſufficit, quod ſit recepta in ſubiecto, quod denominat agens, non vero requiritur, quod ſubiectetur in paſſo, ex quo effectum producit: ergo ex hoc quod actio creata ſit accidens, non impeditur ad operandum aliquid ex nihilo. Confir. ſtat bene, quod actio creata formaliter ſit accidens, & virtualiter ſit ſubſtantia: ergo etiam ſi ſit accidens, poterit ex nihilo producere. Prob. Conſeq. ſi formaliter ſubſtantia eſſet, poſſet ex nihilo producere: ergo ſi poteſt virtualiter eſſe ſubſtantia, poterit ex nihilo producere. Antec. autem prob. calor producens carnes in animali formaliter eſt accidens, & virtualiter eſt ſubſtantia, ſiquidem producit ſubſtantiam: ergo actio creata poterit eſſe formaliter accidens, & virtualiter ſubſtantia.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad prob. nego Min. ad prob. diſt. Antec. ad ſalvandum quod ſit accidens ſufficit, quod ſit recepta in ſubiecto, quod denominat agens, non vero requiritur, quod ſubiectetur in paſſo, ex quo effectum producit, loquendo de ſubiectione formali tantum, conc. Ant. loquendo de ſubiectione ſive formali, ſive virtuali, nego Ant. & Conſ. Itaque, ex quo aliqua actio vere recepta eſt vt accidens in ſubiecto agente, limitatur, & finita eſt, & ſic nequit effectum producere in quantum ens, ſed debet neceſſario illum producere ſub determinata ratione entis, vnde neceſſe eſt, quod illud producat per mutationem receptam in aliquo ſubiecto, quod mutatur, & ſic nequit ex nihilo aliquid producere.

Ad Confir. diſt. Ant. ſtat bene, quod actio creata ſit formaliter accidens, & virtualiter ſit ſubſtantia, quantū ad hoc, quod eſt eſſe productionē ſubſtantiæ, conc. Ant. quantū ad hoc, quod eſt eſſe irreceptā in ſubiecto, nego Ant. & Conſ. ad Prob. ſi formaliter ſubſtātia eſſet, poſſet ex nihilo producere, ex ſolo conceptu ſubſtantiæ, nego Antec. ex hoc quod eſſet tunc actio irrecepta, at illimitata, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque actio, ſi ſubſtantia eſſet, poſſet ex nihilo producere, non ex conceptu ſubſtantię, ſed quia ſi ſubſtantia eſſet, eſſet actio divina illimitata, & infinita, & ſic poſſet per ſe primo terminari ad effectū ſub ratione vniverſaliſſima entis. Porrò actio creata, quæ accidens eſt, eſto quia eſt productio activa ſubſtantiæ poſſit virtualiter eſſe ſubſtantia, quantum ad hoc, quod eſt eſſe productionem alterius ſubſtantiæ, nunquam tamen ſic virtualiter ſubſtantia eſſe poteſt, quod ſicut de actione, quæ ſubſtantia eſſet verificaretur eſſe irreceptam, & illimitatam, ita & de actione creata hoc verificari adhuc virtualiter poſſet; neque enim creatura poteſt adhuc virtualiter eſſe irrecepta, hoc eſt dare effectum, quem daret actio irrecepta, & illimitata: vnde non ſequitur, quod creare poſſit.

Seu inſtas, actio inhærens ſubiecto poteſt producere per ſe primo ſubſtantiā non inhærentem ſubiecto: ergo actio recepta in ſubiecto poteſt producere effectum ex non ſubiecto. Prob. Conſeq. à paritate rationis. Ad hoc, nego Conſ. & paritatem. Etenim actio inhærens ſubiecto, quia eſt cauſalitas activa ſubſtantiæ, poteſt virtute illius ſubſtantiam producere, actio autem recepta in ſubiecto non eſt cauſalitas activa entis irrecepti, & illimitati, & ſic nulla via poteſt ex non ſubiecto aliquid producere.

614 Quarto arguitur, actio creata poteſt inſtrumentaliter concurrere ad hoc,

Digitized by Google

hoc, vt res aliqua ſine mutatione fiat: ergo & poteſt aſſumi vt inſtrumentum ad creandum. Conſ. eſt bona, & Ant: Prob. actio creaturæ concurrit effectiue inſtrumentaliter ad tranſubſtantiationem panis in Corpus Chriſti; at in hac tranſubſtantiatione nulla eſt mutatio: ergo. Prob. Min. ad hoc vt aliquid fiat cum vera, & reali mutatione, requiritur, quod idem ſubiectum ſit ſub vtroque termino; ſed hoc non habet verũ in tranſubſtantiatione: ergo in ea non datur vera, & realis mutatio. Prob. Min. ex D. Tho. 3. p. quæſt. 75. ar. 8. ibi: *Conuenit autem conuerſio, de qua nunc loquimur cum creatione, quia in neutra earum eſt aliquod commune ſubiectum vtrique extremorum, cuius contrarium apparet in omni tranſmutatione naturali*: ergo. Ad hoc, nego Ant: ad prob. nego Min. ad prob. diſt. Mai. ſi intelligatur de omni mutatione, nego Mai. de aliqua mutatione, conc. Mai. & conc. Min. neg. Conſ. Itaque vera, & realis mutatio dupliciter contingit; primo ſic, quod idem ſubiectum maneat ſub vtroque termino, vt quando ex albo fit nigrum, vel ex aere fit ignis, ibi manet idem ſubiectum, & hic eadem materia; poteſt etiam vera & realis mutatio contingere per hoc, quod vnum adæquatè tranſmutetur in alterum remanentibus ſolis eius accidentibus in vtroque termino, & iſta mutatio realis, & vera reperitur in tranſubſtantiatione, in qua materia, & forma panis tranſmutantur in Corpus Chriſti, ſolis accidentibus panis remanentibus in vtroque termino: vnde ſtat bene, quod docet D. Th. quod in tranſubſtantiatione non manet ſubiectum idem ſub vtroque termino, non tamen ex hoc licet inferre, quod ibi non ſit mutatio.

Inſtas, quod vbi non manet idem ſub vtroque termino; tantum haberi poteſt deſitio adæquatè vnius, & nouitas eſſendi alterius; at in hoc nulla eſt vera mutatio: ergo. Dico quod vbi non manet idem ſub vtroque termino neque in ſe; neque mutatum in aliud, ibi tantum eſt deſitio ex parte vnius, & nouitas eſſendi ex parte alterius, vbi autem idem manet non in ſe, ſed in aliud mutatum, ibi præter dicta ad eſt vera mutatio. Inſtas, Corpus Chriſti nullo modo eſt panis: ergo panis nullo modo manet ſub vtroque termino. Reſpondeo, diſt. Ant. Corpus Chriſti nullo modo eſt panis, neque eſt id, in quod adæquatè panis eſt conuerſus, nego Ant. Corpus Chriſti nullo modo eſt panis, neque eſt id, in quod panis conuerſus eſt, nego Ant. & diſt. Conſ. ergo panis nullo modo manet ſub vtroque termino, in ſe, conc. Conſ. mutatus in aliud, nego Conſ.

Adhuc inſtas, hæc mutatio, qua panis mutatur in aliud, non verificat, quod actio creata ex vno tanquam ex ſubiecto, vel tanquam ex materia operetur aliud; & tamen actio creata vere hæc facit inſtrumentaliter: ergo poteſt actio creata ex nullo præſuppoſito inſtrumentaliter operari. Mai. patet ex D. Tho. loco citato vbi habet, quod hęc propoſitio *ex pane fit Corpus Chriſti*, non verificatur ſic, quod detur intelligi, quod ex pane tanquam ex ſubiecto, vel tanquam ex materia Corpus Chriſti fiat, ſed verificatur tantum ratione ordinis, quia poſt panem fit Corpus Chriſti, in eo ſenſu, quo verificatur, quod ex non ente fit ens, & ex mane fit meridies: ergo talis mutatio non ſufficit ad verificandum, quod actio creata operetur ex aliquo ſubiecto præſuppoſito. Ad hoc concedo totum; ex quo non licet inferre, quod actio creata poſsit inſtrumentaliter creare, quia ad creandum non ſufficit, quod actio ex nullo præexiſtenti agat tanquã ex materia, vel ſubiecto, ſed requiritur etiam, quod nihil præſupponat circa quod agat tranſmutando illud in aliud: in tranſubſtantiatione autem, eſto actio creata ex alio tanquã ex materia ex qua non agat Corpus Chriſti, tamen præſupponit panem circa quod agit tranſmutando illũ in Corpus Chriſti. Vnde D. Tho. in 4. diſt. 8. quęſt. 2. ar. 3. ad 3. dicit: *Quod creatura accipit virtutem inſtrumentalem operandi in id, quod in Corpus Chriſti tranſubſtantiatur.* Pondera illud, *operandi in id*, non operandi ex eo, & inuenies doctrinam à nobis datam.

QVÆSTIO IV.

De alijs, quæ ſpectant ad creationem.

§. I

Vtrũm creare ſit proprium alicuius perſonæ?

615 IVXTA Triplicem ſenſum intelligi poteſt quæſitum. Primo ſic, quod aliqua determinata perſona Trinitatis vniuerſitatem rerum creauerit

rit

rit, ſic, quod non concurrerint ad creandum aliæ perſonæ. Secundo ſic, quod quamvis omnes tres concurrerint ad creandũ Vniverſum, tamen in vnaquaque re aliquid ſit productum ab vna, quod non ab alia, ſive iſta producta ſint res diſtinctæ inter ſe, ſive ſola ratione diſtinguantur. Tertio ſic, quod licet aſſeratur omnes effectus quotquot ſunt à tribus perſonis effici ſimul concurrentibus, tamen dicatur aliter, & aliter divinas perſonas concurrere ad eorum productionem, ita quod Pater alio modo concurrat, quã Filius, & Filius alio modo concurrat, quam Spiritus Sanctus, ſic, quod tres perſonæ quaſi mutuo ſe adiuvent in huiuſmodi rerum productione.

Stando in primo ſenſu, certum eſt de fide, creare non eſſe proprium alicuius perſonæ, ſed eſſe toti Trinitati commune. Nã in Concilio Lateranenſi primo diffinitur, *Sanctam Trinitatem eſſe creatricem rerum omnium.* In cap. Firmiter de ſum. Trinit. diffinitur *indiviſam habere virtutem, & eſſe vnũ vniverſorum principium.* In Concilio Toletano 5. cap. 1. Et in Concilio Toletano 11. in confeſsione fidei diffinitur: *Quod vniverſa opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.* Quam veritatem docuit etiam Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 4. tanquam fidei dogma. Et prob. nam in divinis omnia ſunt vnum, vbi non obviat relationis oppoſitio; ſed creare non importat relationem oppoſitam alicui perſonæ: ergo creare eſt operatio communis toti Trinitati. Conſ. eſt bona, Mai. eſt axioma commune Theologorum, & Min. prob. nam creare tantũ eſt aliquid extra cauſas ex nihilo ponere: ergo non habet ad intra oppoſitionem cum aliqua perſona. Prob. deinde ratione S. Doctoris hic ar. 6. ratio, ob quam Deo convenit creare eſt communis toti Trinitati: ergo. Prob. Ant. ratio illa eſt ipſum divinum eſſe, nam cum creare ſit rerum eſſe producere, creare eſt res in ipſo divino eſſe aſsimilare; at divinum eſſe eſt commune toti Trinitati: ergo non erit proprium alicuius perſonæ.

616 Circa ſenſum ſecundum quæſiti, Origenes lib. 1. Periarchõ docuit, quod Pater dat eſſe rebus, Filius dat eſſe rationale, & Spiritus Sanctus dat eſſe iuſtum. Quæ ſi intelligantur ad hunc ſenſum dicta, quod aliquid efficiat Pater, quod non Filius, & aliquid Filius, quod non efficiat Spiritus Sanctus, falſa ſunt, & hæretica. Poſſunt tamen hæc bonũ ſenſum habere, vt ſi intelligantur dicta per appropriationem; vt quia Patri appropriamus potentiam, & dicimus creatorem, intelligamus ipſum dare rebus eſſe, & quia Filio appropriamus ſapientiã, intelligamus ipſum appropriative dare eſſe rationale, & quia Spiritui Sancto attribuimus bonitatem, dicamus per appropriationem de illo, quod ipſe dat eſſe iuſtum. Quidam tamen diſcipuli Raymundi Lulij, vt ſui Magiſtri ſententiam defenderent in eo, quod dictabat ratione naturali poſſe demonſtrari myſteriũ Trinitatis, dixere, quod in quolibet effectu creato reperitur aliquid reale à ſolo Patre productum, & aliquid productum à ſolo Spiritu Sancto: vnde inferebant, quod ex illis effectibus productis poterat evidenter cognoſci dari in Deo tres perſonas diſtinctas. & ſic poterat demonſtrari myſterium Trinitatis.

Hæc tamen ſententia eſt hæretica, nã ſi aliquis effectus eſt in rebus creatis, quem Pater non producit, ſed Filius; evidenter ſequitur, quod Pater non ſit creator omnium viſibilium, & inviſibilium, quod directe pugnat cum ſymbolo fidei: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem Cæli, & terræ, viſibilium, & inviſibilium omnium.* Ratione etiam convincitur falſitatis hæc poſitio, nam creare convenit perſonis divinis ratione intellectus, & voluntatis, quæ omnino indiviſa reperiuntur in illis: ergo nequit aliquis effectus produci ab vna perſona, qui non producatur à tribus. Prob. Conſ. nam quorũ vna eſt Virtus activa omnino indiviſa, eorum eſt vna actio omnino indiviſa: ergo & vna productio: non ergo eſſe poteſt, quod aliquem effectum producat Pater, quem etiam non producant Filius, & Spiritus Sanctus.

Sed obijcies contra hanc rationem, terminare formaliter naturam humanam convenit tribus divinis perſonis ratione alicuius prædicati cõmunis illis; & tamen Filius habet terminare naturam humanam formaliter; & non Pater, neque Spiritus Sanctus: ergo ſtat bene, quod creare ſit cõmune Trinitati, & tamen aliquem effectũ producat Pater, quem non producit neceſſario Filius. Conſ. videtur bona, Minor eſt de fide, & Mai. prob. in ſententia S. Thom. q omnes tres perſonæ poſſunt terminare ſimul eandem numero naturam; hoc autem non eſſet poſsibile, niſi terminare naturam conveniret eis medio aliquo prædicato communi omnibus illis: ergo. Prob. Min. nam quæ conveniunt perſonis divinis ra-

tione alicuius prædicati peculiaris, & relativi, ſic habet convenire eis, ſicut & ipſum prædicatum relativum; a hoc ſic convenit vni, quod non alijs: ergo ſi terminare eandẽ numero naturam, poteſt convenire tribus, hoc conveniet eis ratione alicuius prædicati abſoluti. Sed vrgetur hoc ipſum amplius; Paternitas, Filiatio, & Spiratio cõveniunt in hoc, quod eſt terminare naturam divinã ſimul, quod prædicatum ſic eſt omnibus illis neceſſario indiviſum, quod non poſsit vna perſonalitas naturam divinam terminare, quin omnes tres ſimul eam terminẽt; & tamen alium effectum terminationis dat naturæ Paternitas, quẽ non dat Filiatio, neque Spiratio: ergo bene poterit intelligi, quod creare ſit commune tribus, ſic quod neceſſarium ſit, quod ſi vna perſona creat, omnes tres creẽt, & tamen aliquem effectum ſibi peculiarem producat Pater, quem nec Filius, nec Spiritus Sanctus producant.

Ad hoc argumentum. Diſt. Mai. terminare formaliter naturam humanã convenit tribus perſonis ratione alicuius prædicati illis communis, communitate multiplicationis in illis, conc. Mai. communitate indiviſa in illis, nego Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque prædicata communia tribus perſonis ſtant in duplici differentia, alia ſunt communia ſic, quod in illis ſunt indiviſa, ſicut ſunt abſoluta prædicata, quæ omni ſui multiplicatione excluſa habent tribus perſonis convenire: alia ſunt prædicata communia, communitate multiplicationis, & hæc ſunt prædicata relativa, in quibus relationes conveniunt, & quæ iuxta pluralitatem relationũ multiplicantur in perſonis divinis. V.g. reddere naturã divinam incommunicabilem eſt prædicatum commune tribus perſonis, ſed eſt talis qualitatis, & conditionis, quod multiplicatur iuxta pluralitatẽ relationum; inter hęc duo genera prædicatorum hoc adeſt diſcrimen, quod prædicata primi generis, cum omnino ſint indiviſa in tribus, non poſſunt aliquem effectum habere in vna perſona, quem non habeant in tribus, quia ſicut in eſſe ſunt indiviſa in perſonis, ſic & in operari pariter ſunt indiviſa: Virtus ergo creativa, cum ſit communis tribus perſonis ſola communitate indiviſionis, quia abſolutum prædicatũ eſt, fit inde, quod & creare, quod proprius actus eius eſt, ſic ſit indiviſum, quod non poſsit convenire vni, quin conveniat omnibus; terminare autem naturam humanam ad extra cõmune eſt tribus perſonis, non communitate indiviſionis, ſed multiplicationis in illis: vnde poteſt de facto convenire vni perſonæ, & non alijs perſonis; quia cum tale prædicatũ in vnaquaque perſona ſit diverſum, poteſt in genere cauſæ formalis ad extra exerceri ab vna perſona, & non ab alijs perſonis.

Ad ſecundam inſtantiam dico, quod terminare naturam divinã non eſt prædicatum indiviſum, nam eſt prædicatum relativum multiplicatum iuxta pluralitatem divinarum perſonarum, neceſſario tamen convenit tribus terminare naturam divinã ſic, quod ſi vna terminat, neceſſe eſt omnes terminare; non quia ratio terminandi vna indiviſa ſit in tribus, ſed ob ſummam identitatem, quam omnes tres perſonæ habent cum natura divina: cũ ergo ratio terminandi ſit diverſa in Filio, Patre, & Spiritu Sancto, neceſſe eſt, quod, & ſi omnes neceſſario terminant eandem divinam naturam, alium tamen effectum formalem det illi Paternitas ab eo, quem illi dat Filiatio, & paſsiva Spiratio. Cuius oppoſitum invenimus in virtute creativa, quæ quidẽ, cum omnino indiviſa ſit in tribus perſonis, neceſſe eſt, quod tres ratione vnius omnino indiviſæ virtutis agant, ac per Conſ. eſt neceſſe, quod eundem effectum, quem ad extra vna producit, omnes tres producant.

Sed inſtas, eſto illa virtus creativa abſoluta ſit, & omnino indiviſa, tamen illa vt participata à Patre poteſt producere aliquem effectum, quem non producit vt participata à Filio: ergo ſolutio nulla. Prob. Ant. etenim exiſtentia Dei abſoluta eſt, & omnino indiviſa in tribus perſonis; & tamen vt participata à Filio facit exiſtere humanitatẽ Chriſti, quam non facit exiſtere vt participata à Patre: ergo eſto virtus creativa ſit abſoluta, & omnino indiviſa, vt tamen participata à Patre, poterit habere aliquem effectum, quem non habet in Filio. Prob. Min. nam in ſententia D. Tho. humanitas non exiſtit exiſtentia creata, ſed increata, quæ abſoluta eſt, nec tamen omnes tres perſonæ reddunt humanitatem exiſtentem, ſed tantum perſona Filij divini illam facit exiſtere. Ad hoc, nego Ant. ad prob. Conceſsis præmiſsis, nego Conſ. etenim exiſtentia, quamvis abſoluta & indiviſa ſit, tamen non cõmunicatur humanitati niſi media ſubſiſtentia Filij, cum ne

ſi-

Digitized by Google

fide ſit vnionem hypoſtaticam ſolum eſſe eſſe factã in Filio, vnde ſicut ſolus Filius humanitatẽ facit ſubſiſtere, ita ſolus Filius eam facit exiſtere: virtus autẽ creativa, & actio creativa communicatur tribus media natura divina, quæ ſimiliter eſt communis tribus, vnde nequit habere aliquem effectum in vna perſona divina, quam non habeat in omni alia.

§. II.

Enodatur difficultas iuxta tertium ſenſum quæſiti.

617 AD Tertium ſenſum quæſiti accedentes, Henriquus de Gandavo quodlib. 6. q. 2. docuit, quod cognitio eſſentialis in Deo non eſt illi ratio operandi ad extra, ſed cognitio notionalis, ſeu Verbum expreſſum notionali cognitione. De amore etiam docet, quod ratio operandi non eſt vna eſſentialis, ſed notionalis, ſeu Impulſus notionalis. Ex quo infert, quod ſicut Artifex operatur per ideam præconceptam proportionatam ſuæ arti, & per inclinationẽ voluntatis, qua ſe determinat ad operandum, ita Pater divinus operatur omnia ad extra per ſuum Filiũ tanquã per ideam expreſſam, & artificioſam, & per Spiritũ Sanctũ tanquam per inclinationem expreſſam ſuæ voluntatis, neque aliter potuit producere res ad extra. Itaque in ſententia huius Auctoris, Verbum productum à Patre ſe habet ad factibilia ſicut idea, qua Pater producit; & Spiritus Sanctus ſicut inclinatio producta inclinans ſcientiam ad effectus productionem: vnde in creaturarum productione alia ratione formali proxima cõcurrit Filius, alia Spiritus Sanctus: vnde eſto tres perſonæ conveniant in principio remoto creaturarum productivo, non tamen in proximo, & ſic ad creationem aliter concurrit Pater, aliter Filius, & aliter Spiritus Sanctus.

Hanc opinionem ſic explicatã reprobat Scotus in 2. diſt. 2. q. 1. Vazquez hic in Commentario art. 6. dicens; eſſe manifeſtum errorem, & Bañez dicit de ea, quod non ſatis conſentit Fidei. Quidquid autem de eius cenſura ſit, illa tamen manifeſte falſa eſt, & vt talis à nobis impugnatur. Primo, quia hæc ſententia videtur facere ſolum Patrem creatorem, quod pluſquam falſum eſt. Prob. aſſumptum, in hac ſententia Filius ſolum concurrit ad creandũ, quia eſt idea practica creaturarũ producta à Patre ſupremo Artifice, & Spiritus Sanctus ſolum concurrit ad creandum, quia eſt inclinatio producta, qua ſcientia practica Patris inclinatur ad effectum: ergo in hac ſententia ſolus Artifex creaturarum eſt Pater, & Filius ſolum eſt idea, qua operatur, & Spiritus Sanctus tantũ eſt impulſus, ſeu inclinatio, qua ad operandum Pater inclinatur. Quod autem hoc ſit falſiſsimũ patet, quia, cum creare attribuatur Omnipotenti, ſi ſolus Pater creare ponitur, ſolus ille poneretur Omnipotens, contra illud Simboli Athanaſij, *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus.*

Confirm. hæc ſententia explicat rationem Creatoris exemplo Artificis creati dicens; quod ſicut Artifex operatur per ideã præconceptam ſuæ arti proportionatã, & per inclinationem voluntatis, qua ſe determinat ad operandũ: Ita Pater divinus operetur hæc omnia ad extra per ſuum Filium tanquam per ideam expreſſam, & artificioſam, & per Spiritum Sanctũ tanquam per inclinationẽ expreſſam ſuæ voluntatis; igitur hic Author in materia creationis ſolum Patrem facit Artificem, & Filiũ ideã, & Spiritum Sanctũ inclinationẽ ad opus; ergo ſolum Patrem cognoſcit Creatorem, per Filium, & per Spiritum Sanctum. Confirm. hoc ipſum, operatio *vt quod* tantum tribuitur producenti ideam, & producenti inclinationem, qua ſua idea ad opus inclinatur; at ſi Filius eſt idea producta, qua ſolum Pater ad extra operatur, & Spiritus Sãctus eſt ſolum inclinatio expreſſa ideæ ad opus, ſolus Pater erit producens ideam, & inclinationem ad opus: igitur ſoli Patri tribuit operario ad extra, & ſic ipſe ſolus erit Creator.

Dices huic rationi cum ſuis Confirmationibus. Patrem, Filium, & Spiritũ Sanctum eſſe Omnipotentes, non tamen eodem titulo, nam Pater eſt Omnipotens, quia per Filium ideam, & Spiritũ Sanctũ inclinationem omnia ad extra operatur, Filium eſſe Omnipotentem, quia omniũ, quæ fiunt, & fieri poſſunt, ipſe idea eſt, & exemplar, & quia etiam ſibi producit inclinationẽ ad opus, nempe Spiritũ Sanctũ, qui à Patre, & Filio producitur, & Spiritũ Sanctum dici Omnipotentẽ, quia omniũ, quæ fiunt, ipſe inclinat Patrẽ, & eius ideam ad opus.

Sed contra eſt, nam ſi ponere Filium

eſſe

Digitized by Google

eſſe Omnipotentem, & Spiritum Sanctum eſſe Omnipotentem, non eſt ponere eos ſimpliciter eſſe omnipotentes, ſed tantum ſecundum quid, quod non conſentit Catholica fides: ergo. Probatur aſſumptum; nam illa ſola perſona ſimpliciter eſt Omnipotens, quæ habet Omnipotentiã ſimpliciter; iſtã non haberent, nec Filius, nec Spiritus Sanctus: ergo non eſſent Omnipotentes ſimpliciter. Prob. Min. Omnipotẽtia ſimpliciter integratur ex tribus, nempe ex vi productiva ideæ rei producendæ, ex ipſa idea producta, & ex inclinatione, qua præfata duo inclinantur ad opus; at Filius ex his tribus ſolum poſſet dici habere ideã, quia ipſe eſſet idea producta à Patre, & haberet inclinationem, quia produceret Spiritum Sanctum ſimul cum Patre; non autẽ poſſet dici habere vim ad producendũ ideã, quia hæc tantum eſſet Patris, & minus eo haberet Spiritus Sanctus, & plus illis haberet Pater, quia & haberet vim productivã ideæ, & haberet ideam, quia illam produceret, & haberet inclinationem ad opus ſimiliter, quia eam produceret ſimul cum Filio: ergo ſolus Pater ſimpliciter diceretur Omnipotens & aliæ perſonæ tantum eſſent Omnipotentes ſecundum quid.

Secundo hoc ipſum impugno, nam ſi vnaquæque perſona ratione ſuæ proprietatis notionalis eſſet Omnipotens, eſſent tres Omnipotẽtes ſubſtantive, contra illud Athanaſij, *non tres Omnipotentes, ſed vnus Omnipotens*: ergo. Prob. Sequela, tunc ratio Omnipotentiæ eſſet notionalis, vtpote conveniens perſonis ratione proprietatis notionalis: ergo multiplicaretur ad multiplicationẽ proprietatum notionalium: ergo eſſent tres Omnipotentes, ex quo habent tres proprietates relativas. Abſtineo ab alijs rationibus minus efficacibus meo videri. Videantur in Scoto loco citato, & Bañez hic in Commentario huius articuli.

§. III.

Solvuntur ea, quæ favere videntur in favorem huius ſententiæ.

618 PRIMO Arguitur, quia ſi creatio eſt actio pure eſſentialis, ſequitur, quod prius noſtro modo intelligendi fundato in re ipſa conveniat Deo actio creandi, quam generatio Verbi Divini; Conſeq. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela; eſſentialia priora ſunt notionalibus ſecundum rationem noſtram, vt fatentur Theologi; ſed generatio eſt quid notionale in Deo, & creatio eſſet quid pure eſſentiale: ergo prior eſſet noſtro modo intelligendi creatio, quam generatio.

Ad hoc communiter reſpondetur, neg. Mai. ad prob. diſt. Mai. eſſentialia priora ſunt notionalibus, eſſentialia vt connexa cum rebus ad extra, nego Mai. eſſentialia vt abſoluta ab hac connexione, tranſ. Mai. & diſt. Min. & creatio eſt quid pure eſſentiale, per ſe connexum cum rebus ad extra, conc. Min. vt abſolutum ab hac connexione, nego Min. & Conſeq. Dixi tranſeat Maior, quia etiam loquendo de eſſentialibus abſolutis à connexione cũ rebus creatis, ſunt aliqua eſſentialia, quæ non ſunt priora notionalibus. Etenim beatitudo, qua Deus abſolute ſumptus eſt beatus, eſſentiale prædicatum eſt, & abſolutum quid à connexione cum rebus creatis; & tamen non eſt prior notionalibus; cum ex parte obiecti viſi claudat tres divinas perſonas, nã cognitio beatifica, quã Deus eſt beatus, eſt cognitio Dei ſicuti eſt; & ſic eſt cognitio Trinitatis. Et vt verũ fatear, ego inter eſſentialia, & notionalia nullam invenio prioritatem, & poſterioritatẽm; neque enim eſt prioritas naturæ, neque originis; ſed ſolum invenio diſtinctionem inter illa cum fundamento in re, non autem prioritatem adhuc ſigni *à quo* rationis. Solum ergo diſcurro in hac materia, quod noſter intellectus prius habet intelligere prædicata cõmunia quam magis determinata, & iuxta hunc morem intelligendi aſſuetus; aſcendens ad divina, prius intelligit abſoluta divina, quam relativa. Et iuxta hanc doctrinam intelligo veram eſſe doctrinam Theologorum dicentium; eſſentialia eſſe priora notionalibus, quod nihil eſt aliud dicere, quam quod noſter intellectus prius intelligit abſoluta, quam relativa; non vero quod prioritate ſigni *à quo* rationis eſſentialia in ſe ſint priora notionalibus.

619 Secundo arguitur, ſi divinæ perſonæ non ſunt principium creaturarum ſecundum ſua propria relativa, ideo erit, quia vt communiter dicunt Theologi, relatio, vt relatio nullius eſt activitatis, atque adeò neque eſt principiũ alicuius actionis, aut effectus, & ex conſequẽti omnis actio, & omnis cauſalitas divina reſpectu creaturarum tribuenda eſt perſonis, quæ ſeius conveniunt in vnica perfectione abſoluta

acti-

activa, & non quatenus per relationes diſtinguuntur; hæc autem ratio non eſt forma: ergo. Prob. Min. actiones ad intra tribuuntur perſonis ſecundū quod diſtinguuntur, & conſtituuntur proprietatibus relativis: ergo falſum eſt quod relationes non ſint activæ. Nec hoc ſolvitur dicendo; proprietates relativas ad intra non eſſe virtutes activas, ſed tantum conditiones ad operandum, neque enim Paternitas in Patre generat, vt vis activa, ſed tantum eſt conditio in Patre, vt generet. Non (inquam) ſolvitur, quia etiam ego dicam, quod Paternitas ad operandum ad extra non ſit virtus activa, ſed tantum conditio neceſſaria ad operandum ad extra; vnde dicā, quod Pater creat ſecundum propria Patris, & non ſolū quia Deus eſt, non quia propria Patris ſint Patri virtus activa ad creandum, ſed quia ſunt ei conditiones neceſſariæ, vt creet, quod ſi hoc concedatur, habebitur intentum: nam tunc ſicut perſonæ operantur ad intra ſecūdum propria vniuſcuiuſque, ſic ſecundum propria vniuſcuiuſque operabuntur ad extra, proprijs ſolum concurrentibus vt conditionibus, non vero vt virtutibus operativis.

Ad hoc argumentum aliqui reſpondent data ſolutione. Et ad replicam dicunt, in ordine ad operandum ad extra non eſſe neceſſe, quod perſonę operentur ſecundum propria notionalia, ſicut requiritur in operationibus ad intra. Nam in illis hoc fit, ad ponendam diſtinctionem inter producentem, & productum, nam ſi Pater ſecundum propria notionalia Patris non concurreret ad generandum Filium; non adeſſet diſtinctio realis inter Patrem, & Filiū: reſpective autem ad effectus ad extra, hoc non requiritur; nam eſto adæquatum operans ad extra ſit hic Deus abſolutus, ſic, quod perſonæ non operentur ſecundū propria, adhuc ſalvatur diſtinctio realis inter Deum producentem, & creaturas productas.

Sed clarius reſp. argumento, negando Mai. Etenim ratio, propter quam negamus perſonas ſecundum notionalia concurrere ad creandum, non eſt, quia relatio non ſit activa, nam eſto verū ſit, quod non ſit activa per modum virtutis, & *vt quo*, eſt tamen operativa *vt quod*, & de facto ad intra perſona, quæ ſignificat relationē vt ſubſiſtentem, operatur *vt quod*. Sed ratio eſt, quia in operando ad extra nulla adeſt oppoſitio inter divinas perſonas, ſed potius omnimoda æqualitas, & identitatis convenientia; & ſic non requiritur, quod perſonæ ſecundum propria notionalia aliter, & aliter concurrant ad creandum; ſiquidem creare non convenit eis, quia perſonæ, ſed quia vnus Deus ſunt, quod è contra contingit ad intra, vbi inter perſonam producentem, & productam datur relativa oppoſitio: vnde eſt neceſſe, quod producens per illud prædicatum, per quod in eſſe talis perſonæ conſtituitur, per illud *vt quod* per ſe concurrat ad productionem.

§. IV.

Explicatur mens Div. Thomæ circa præſens quæſitum.

620 VIDETVR Enim quod D.Tho. in hoc art. 6. quæſt. 45. ſentierit cum Henriquo. Etenim poſtquam in corpore docet, quod creare convenit Deo ſecundū ſuum eſſe, quod eſt eius eſſentia, quæ communis eſt tribus perſonis, & ſic creare non eſt proprium alicuï perſonæ, ſed commune Trinitati, ſic proſequitur. *Sed tamen divinæ perſonæ ſecundum rationem ſuæ proceſſionis habent cauſalitatem reſpectu creaturarum*, quod probat, *ſicut enim, vt ſupra oſtenſum eſt, cum de Dei ſciētia, & voluntate ageretur, Deus eſt cauſa rerum per ſuum intellectum, & voluntatem; ſicut Artifex rerum artificiatarum. Artifex autem per Verbum in intellectu conceptum, & per amorem ſuæ voluntatis ad aliquid relatum operatur, vnde & Deus Pater operatus eſt creaturam per ſuum Verbum, quod eſt Filius, & per ſuum Amorem, qui eſt Spiritus Sanctus, & ſecundum hoc proceſſiones perſonarum ſunt rationes productionis creaturarum.* Quibus videtur doctrinā Henrici tradere, & in nullo ab illo differre.

Inſuper ſupra quæſt. 34. art. 3. dicit: *Et ſicut Dei ſcientia, Dei quidem eſt cognoſcitiva tantum, creaturarum autem cognoſcitiva, & factiva, ita & Verbum Dei, eius quod in Patre eſt, eſt expreſſivum tantum, creaturarum vero eſt expreſſivum, & operativum, & propter hoc dicitur in Pſalm. dixit, & facta ſunt, quia importatur in Verbo ratio factiva eorum, quæ Deus facit.* Inſuper 3. p. quæſt. 3. ar. 8. vbi probat Incarnationem convenientius fuiſſe factam in perſona Filij, quā in aliqua alia perſona divina, primo ſic: *Convenienter enim ea, quæ ſunt ſimilia vniuntur, ipſius autem perſona Filij, qui eſt Verbum Dei attenditur, vno quidem modo communis*

convenientis ad totam creaturam, quia Verbũ artificis, id eſt, conceptus eius eſt ſimilitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt, unde Verbum Dei, quod eſt æternus conceptus eius, eſt ſimilitudo exemplaris totius creaturæ, & ideo ſicut per participationem huius ſimilitudinis creaturæ ſunt in proprijs ſpeciebus inſtitutæ, ſed mobiliter, ita per vnionem Verbi ad creaturam non participatam, conveniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam, & immobilem perfectionem, nam & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum cõdidit, ipſum ſi colapſum fuerit, reſtaurat. Et ſolut. ad 2. *Dicendum, quod prima rerum creatio facta eſt à potentia Dei Patris, per Verbũ: vnde & recreatio per Verbũ fieri debuit à potentia Dei Patris, vt recreatio creationi reſponderet.* In quibus omnibus, vt apparet, Deus Pater iuxta Div. Thom. non niſi Filio ſuo tanquam exemplari factivo creaturas produxit: Igitur perſona Filij aliter concurrit ad creandum, ac Pater, & Spiritus Sanctus: nam Pater non concurrit vt exemplar, neque Spiritus Sanctus.

621 Sed quamvis iſta difficilia ſint nihilominus aſſerendum eſt iuxta D. Tho. perſonas divinas non aliter, & aliter ſicut dicebat Henriquus ad creationẽ concurrere, ſed concurrere tantum ratione huius Dei, qui convenit Patri à ſe independẽter ab omni proceſſione, Filio dependenter à Patre; & Spiritui Sancto dependenter à Patre, & Filio. Quam doctrinam de verbo ad verbum tradit D. Tho. hic art. 2 ad 2. ibi: *Dicendum, quod ſicut natura divina, licet ſit communis tribus perſonis, ordine tamen quodam eis convenit, inquantum Filius accipit naturam divinam à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, ita etiam, & virtus creandi, licet ſit communis tribus perſonis, ordine tamẽ quodam eis convenit; nam Filius habet eam à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque. Vnde creatorem eſſe attribuitur Patri vt ei, qui non habet virtutem creandi ab alio: de Filio autem dicitur, per quem omnia facta ſunt, inquantum habet eandem virtutem, ſed ab alio, nam hæc præpoſitio; per, ſolet denotare cauſam mediã, ſive principium de principio; ſed Spiritui Sancto, qui habet eandem virtutem ab vtroque attribuitur, quod dominando gubernet, & vivificet, quæ ſunt creata à Patre per Filium.* Sic D. Th. Quibus apparet aſſerere, omnes tres perſonas eodẽ modo ad creationẽ concurrere, hoc ſolum diſcrimine, quod Pater creat per virtutẽ, quã habet à ſe, Filius per virtutẽ, quã habet à Patre, & Spiritus Sanctus per virtutẽ, quã habet ab vtroque.

Inſuper explicat id, quod in corpore art. dixerat, videlicet. *Artifex autẽ per Verbum in intellectu conceptum, & per amorem ſuæ voluntatis ad aliquid relatum operatur: Vnde & Deus Pater operatus eſt creaturã per ſuum Verbum, quod eſt Filius; & per ſuum Amorem, qui eſt Spiritus Sanctus.* Quod dicit intelligi ex eo, quod Filius accipit à Patrẽ virtutem creandi, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ex quo (inquit) infertur, quod dicatur de Filio, *per quem omnia facta ſunt, & de Spiritu Sancto dicatur, quod dominando gubernat, & vivificat quæ ſunt creata à Patre per Filium.* Inſuper explicat in eadem ſolutione quomodo circa creationem diverſimode Sancti loquantur, diverſa attribuẽtes Patri, Filio, & Spiritui Sancto; Patri enim datur potentia, Filio ſapientia, & Spiritui Sancto bonitas: vnde de Patre dicitur, quod creat, de Filio, quod ſit ſapientia, per quam Pater Artifex operatur, & de Spiritu Sancto, quod ſit bonitas, qua cuncta gubernat. Hæc enim ſolum ſunt dicta per appropriationem, non autem quia in ordine ad creandum hæc conveniant illis ſecundum ſuas proprietates notionales, quaſi in opere creationis Pater ex proprijs tantum det potentiam, Filius ſapientiam, & Spiritus Sanctus bonitatem; nam ſicut Pater & habet in ſe potentiam, ſapientiam, & bonitatem, ita Filius, & Spiritus Sanctus illa tria habent: vnde circa creationem in vna perſona idem reperitur, quod in tribus, & nihil aliud reperitur in tribus, quam in vna. Vnde D. Th. ſententia longe diſtat à ſenſu Henrici; nam hic dividebat iuxta diviſionem notionalium ea, quæ ad creationem requiruntur. Vnde Patrem faciebat artificem, Filium faciebat ideam, & Spiritum Sanctum inclinationem ad opus; iuxta quorum perſonalium diviſionem diverſimode tres perſonas concurrere ad creationem dictabat. D. Th. autem illa tria eſſentialia dicit, nec perſonarũ eſſe propria, ſed tantũ appropiata. Per quod patet ad primam authoritatẽ in oppoſitũ.

Ad ſecundam authoritatẽ dico, illa dici de Filio, quatenus Pater ei communicat eſſentiam factivam, & expreſſivam creaturarum, ſicut enim, quia iſta Filio communicat, dicitur Pater operari per Filium, ita Filius, quia à Patre ſcientiam expreſſivam, & factivam creaturarum accipit, dicitur Verbum expreſſivum, & factivum creaturarum, non vero ſic dicitur, quia ratio expreſſivi, & factivi creaturarum ſit quid perſonale in Filio. Hinc

Digitized by Google

Hinc patet ad tertiã; dicitur enim Filius exemplar, & idea, ad cuius ſimilitudinem formãtur, quę creantur, quia accipit à Patre rationẽ ideę, & exẽplaris abſoluti, ad cuius ſimilitudinem Deus res format ad extra, non autem quia ex proprietate perſonali hoc Filio conveniat; ſunt enim illa eſſentialia, & abſoluta: ſed quia formando verbum, & omnia illi cõmunicat, ideo Filius, qui ea accipit à Patre, idea creaturarum dicitur, & virtute huius ad Patrem tanquam ad Artificem comparatur. Hinc etiam dicitur, mundum creaſſe per Filium, & convenienter etiam mundum recreaſſe per illum, quatenus Filius mundum creat per potentiam acceptam à Patre, ideam, & inclinationem. Vel hæc dicuntur de Filio per appropriationem, vt iam dictum eſt, non per proprietatem; dum enim Filio appropriatur ratio ſapientiæ expreſsivæ, & factivæ creaturarum, & Pater per ſuam ſapientiam practicam creat, dicitur appropriative per Filium, vel per Verbum ſuum mundum creaſſe; & ſic ratione talis appropriationis convenienter, vt mundum repararet, Filium incarnari voluit, quam congruentiam in appropriatione hac fundatã, cum nulla perſona divina habeat niſi Filius, ille ſolus præ omnibus convenientius carni vnitus eſt ad reparandum genus humanum.

§. V.

Vtrum in creaturis neceſſe ſit invenire aliquod veſtigium Trinitatis?

622. VESTIGIVM Proprie ſumptum eſt quædam impreſsio confuſe ducens in cognitionem alicuius, cum non repræſentet ipſum niſi ſecundum partem, ſcilicet pedem, & ſecundum inferiorem ſuperficiem tantum, Hic autem non ſumitur proprie, ſed metaphorice pro repræſentativo ad modũ, quo veſtigium repræſentat impreſſorem eius. In veſtigio tria conſiderantur, ſcilicet ſimilitudo, imperfectio ſimilitudinis, & quod per veſtigium in rem, cuius eſt ſimilitudo, devenitur. Quæritur ergo, vtrum in creaturis, quæ ſunt quædã participationes Dei, aliquid inveniatur, per quod confuſe, & imperfecte veniamus in cognitionem Trinitatis perſonarum? Huic quæſito reſp. D. Thom. hic art. 7. quod in omni creatura eſt repræſentatio Trinitatis per modum veſtigij, ſed in creaturã rationali eſt repræſentatio Trinitatis per modum imaginis, Primam partem probat, quia in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quæ neceſſe eſt reduci in divinas perſonas tanquam in cauſam; quælibet enim creatura ſubſiſtit in ſuo eſſe, & habet formam, per quam determinatur ad ſpeciẽ, & habet ordinẽ ad aliquid aliud: ſecundum igitur quod eſt quædam ſubſtantia creata repræſentat cauſam, & principium, & ſic demonſtrat perſonam Patris; ſecundũ autem quod habet quandã formam, & ſpeciem repræſentat Verbum, ſecundum quod forma artificiati eſt ex cõceptione artificis procedens; ſecundum autem quod habet ordinem repræſentat Spiritum Sanctum, in quantum eſt Amor, quia ordo effectus ad aliquid alterum eſt ex voluntate creantis.

Quod Confirmat authoritate Auguſtini in 6. de Trinit. ibi: *Veſtigium Trinitatis invenitur in vnaquaque creatura ſecundũ quod vnum aliquid eſt, & ſecundũ quod aliqua ſpecie formatur, & ſecundum quod quędam ordinem habet.* Ad quæ tria reducuntur illa alia tria, quæ ponuntur, Sapientiæ 11. *Numerus, pondus, menſura*: nam menſura refertur ad ſubſtantiã rei limitatã ſuis principijs, numerus ad ſpeciem, pondus ad ordinem, ad quæ reducuntur alia tria, quæ ponit Auguſtinus, nempe modus, ſpecies, & ordo, & illa tria, quę ponit in lib. 83. quęſt. videlicet, quod conſtat, quod diſcernitur, quod congruit, conſtat enim aliquid per ſuam ſubſtantiã, diſcernitur per formam, & congruit per ordinem, eſt ergo invenire in omni creatura aliquod Trinitatis veſtigium.

Secundam autem partẽ probat ſic, nam quando effectus repræſentat cauſam quantum ad ſimilitudinẽ formæ eius, ſicut ignis generatus ignem generantem, & ſtatua Mercurij Mercurium, tunc in tali effectu invenitur repræſentatio ſuæ cauſæ per modum imaginis; ſed hæc invenitur in anima reſpective ad Trinitatatem: ergo invenitur in ea repræſentatio per modum imaginis Trinitatis. Prob. Min. nam proceſsiones divinarum perſonarum attenduntur ſecundum proceſsionẽ intellectus, per quam formatur Verbum, & ſecundum proceſsionem voluntatis, ſecundum quam formatur impulſus, qui eſt Spiritus Sanctus; at iſta propria inveniuntur in anima rationali, in qua habetur proceſsio Verbi per intellectum, & proceſsio impulſus per

vo-

voluntatem: ergo in anima rationali invenitur repræſentatio Trinitatis per modum imaginis. Hæc, eſto veriſsima ſint, ſuas tamen patiuntur difficultates.

§. VI.

Solvuntur quædam, quæ videntur militare contra hanc doctrinam.

623 ARGVITVR Primo ad probandum quod nō inveniatur in omni creatura præfata ratio veſtigij. Similitudo enim veſtigij diuiditur contra ſimilitudinem imaginis; ſed quædam creaturæ ſunt, in quibus invenitur ſimilitudo imaginis Trinitatis; ergo in illis non reperitur veſtigium. Prob. Min. in homine, in quo, vt diximus, invenitur imago Trinitatis. Confirm. veſtigium eſt ſimilitudo imperfecte repræſentans; ſed aliqua creatura eſt perfecta ſimilitudo divinæ bonitatis: ergo in illa non reperitur veſtigium. Prob. Min. in gratia gratum faciente, cum qua Deus dicitur hominem inhabitare, & eſſe in illo ſicut in templo ſuo, quod non diceretur, niſi eſſet perfecta ſimilitudo divinæ bonitatis: ergo. Confir. ſecundo, Ambroſius dicit lib. 1. Exameron cap. 9. text. 4. *Cuius natura eſt, vt non ſit in numero, pondere, & menſura ſicut alia creaturæ*; in his autem tribus attenditur veſtigium ſecundum D. Thom. & Auguſtinum: igitur datur jam creatura, in qua non invenitur veſtigium Trinitatis. Tandem Bernardus habet in libro de diligendo Deo, cap. 2. *Modus charitatis eſt, non habere modū*: ergo cum charitas ſit creatura, jam dabitur creatura, in qua non inveniantur illa tria requiſita ad Trinitatis veſtigium.

Ad primam diſt. Mai. ſimilitudo veſtigij diſtinguitur contra rationem imaginis, diviſione prædicati minus perfecti à prædicato perfectiori, conc. Mai. diviſione rei a re, nego Mai. & conc. Min. nego Cōſ. Itaque ratio veſtigij cōvenit omni creaturæ ex hoc, quod quædā natura creata eſt; ex hoc enim omnis creatura eſt in numero, pondere, & menſura, ſpecie, modo, & ordine: ratio autē imaginis convenit creaturæ ex hoc, quod intellectualis eſt; ex hoc enim habet producere Verbū per intellectū, & impulſum per voluntatē. Cum ergo in homine, & inveniatur prædicatū naturæ ſubſtantialis creatæ, & prędicatū naturæ intellectualis, invenitur quoque in illo, & quod ſit veſtigiū Trinitatis, ex quo quædā natura ſubſtātialis creata eſt, & quod ſit imago Trinitatis, ex quo natura intellectualis eſt. Hinc poſſumus reſpondere ad ſecundā, dicendo, quod etiā in gratia gratū faciēte, invenitur ratio naturæ, ſecundū quam convenit cum alijs creaturis, & invenitur ratio differentialis, penes quam habet eſſe radicem vidēdi, & amandi Deum, prout in ſe eſt, & ſic ratione primi prædicati obtinet rationem veſtigij, & ratione ſecundi obtinet rationem imaginis Trinitatis.

Ad tertiam prob. de luce dico, quod lux in ſe conſiderata creata eſt in numero, pondere, & menſura, cum habeat finitū eſſe, & poſſe, ſicut & aliæ creaturæ; ſed reſpectu aliarū creaturarū habet indeterminatam virtutē, eo quod per lucē omnia corpora aliquo modo informantur, & per ipſam omnia corpora inferiora perficiūtur in ſuis naturis, quod accidit luci, in quantū eſt forma vniverſalis, & primi alterantis, ſcilicet cœli, ad quod attendens Ambroſius dixit, *lucis natura eſt, vt non ſit in numero, pondere, & menſura ſicut aliæ creaturæ*: vnde nō negavit eſſe in numero, pondere, & menſura; ſed dixit, *ſicut aliæ creaturæ* propter diſcrimen à nobis aſsignatū. Ad vltimā de charitate, dico, quod de ea dicitur, quod modus eius ſit non habere modū, quia Deū ſuper omnia creabilia habet diligere, & quia quantum ad hoc, quod eſt Deū diligere, nō poteſt excedere, ſicut excedunt aliæ virtutes morales, quæ in medio conſiſtunt, vnde ſi vltra mediū tranſeant, à virtutis ratione deficiunt: charitas autem per hoc quod Deum magis, & magis diligit, magis, & magis perficitur; cum quo tamen ſtat, quod ex quo quædam forma creata eſt, modum ſemper habeat, tam in perfectione ſpecifica, quā individuali, quia de facto vnicuique datur in numero, pondere, & menſura.

624 Arguitur ſecundo ad idem; per veſtigium enim res inveſtigatur; ſed maieſtas Trinitatis eſt inveſtigabilis iuxta illud Pauli, *inveſtigabiles viæ eius*, & illud Pſalm. 76. *Et veſtigia tua non cognoſcentur*: ergo videtur, quod in creatura non ſit Trinitatis veſtigium. Confirm. veſtigium eſt impreſsio quędā conſequens motum eius, cuius eſt veſtigium; ſed Deus res producit ſine aliquo ſui motu, Iacobi 1. *Apud quē nō eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio*: ergo in creatura non invenitur Dei veſtigiū. Confir. ſecundo, per creaturas nequimus venire in cognitionem Tri-

nitatis: ergo in illis non invenitur Trinitatis veſtigium. Prob. Ant. creatura tantū poteſt repræſentare creatorem; at perſonæ non creant ſecundum rationes notionales, ſed tantū ſecundum quod ſunt hic numero Deus abſolutus: ergo per creaturas nequimus venire in cognitionē Trinitatis. Confirm. tertio, Trinitas eſt trium vnitas: ergo ad veſtigiū Trinitatis non ſufficit, quod in creatura reperiātur illa tria. Prob. Conſ. nam triū vnitas explicatur per quatuor, videlicet vnū, in quo tres conveniunt, & inter ſe diſtinguuntur: ergo ex hoc quod in creatura illa tria reperiantur, non ſequitur, quod in ea inveniatur Trinitatis veſtigiū.

Ad hoc nego Min. ad prob. dico, quod in adductis locis maieſtas Trinitatis inveſtigabilis dicitur, non quia nullo modo per creaturas poſsit cognoſci, ſed quia plene per creaturas cognoſci non valet ipſa, nec eius opera. Ad primam Confir. dico, quod vt in principio §. notavi, hic non accipitur veſtigiū proprie, ſed tantū metaphorice; in metaphora autē, vt teneat, nō requiritur, quod in omnibus imitetur proprietatē, ſed ſufficit, ſi ei proportionetur in aliquo: quamvis ergo creatura reſpective ad Trinitatē non imitetur in omnibus proprietatē veſtigij, vt bene convincit confirmatio, imitatur tamē in eo quod in creatura invenitur imperfecte repræſentatio Trinitatis, ſicut in veſtigio proprie dicto invenitur imperfecta repræſentatio rei, cuius veſtigium dicitur, & quia hoc invenitur in creatura, ideo metaphorice dicimus, eam eſſe Trinitatis veſtigium.

Ad ſecundam Confirm. diſt. Ant. per creaturas nequimus venire in cognitionē Trinitatis, clare, & diſtincte, conc. Antec. valde confuſe, nego Ant. & Conſ. Itaque per creaturas venimus in cognitionē appropriatorum perſonis Trinitatis, nempe potentiæ, ſapiētiæ, & bonitatis, ſed quia hęc, quæ perſonis appropriantur, ſimilitudinē habent cum proprijs conſtitutivis perſonarum, ideo indirecte, & valde confuſe per creaturas venimus in cognitionem perſonarum, & hac ratione dicimus, in eis inveniri veſtigium Trinitatis. Ad tertiam Confirm. dico, quod ſicut ad Trinitatem declarandam, quamvis trium vnitas ſit, non aſsignamus quatuor res, quia nō datur quaternitas in divinis, ſed tantum in vno Deo tria diſtinguimus: ſic ad Trinitatis veſtigium non aſsignamus quatuor, ſed in vna creatura diſtinguimus tria: cum enim iſta tria vnius creaturæ ſunt, eo ipſo aliquo modo deſignamus vnitatem.

625 Contra ſecundam partem ſic arguo. Homo, vt ſit imago Trinitatis, debet perfecte repræſentare Trinitatem; ſed nequit homo repræſentare perfecte Trinitatem: igitur nequit eſſe imago Trinitatis. Prob. Min. homo tantum poteſt repræſentare de Deo id, per quod Deo aſsimilatur; ſed non aſsimilatur Deo in perſonalibus relativis, ſed tantum in abſolutis: igitur nequit repræſentare perſonalia relativa, ſed tantum abſoluta. Prob. Min. in eo tantum aſsimilatur, quod fuit Deo ratio, & virtus cauſandi hominem; ſed hoc fuit abſolutum, & non relativum, vt ſupra vidimus: igitur nequit homo Deo aſsimilari niſi in prædicatis abſolutis.

Ad hoc, diſt. Mai. debet perfecte repræſentare Trinitatem, quoad propria perſonarum, nego Mai. quoad appropriata perſonis, conc. Mai. & diſt. Min. ſed nequit homo perfecte repræſentare Trinitatem, quoad propria perſonarum, conc. Min. quoad appropriata, nego Min. & Conſeq. Itaque hominem dicimus imaginem Trinitatis, non quia exprimat propria conſtitutiva perſonarum, ſed quia in parte intellectiva habet memoriā, quæ attribuitur Patri; ſiquidem retinet eſſentiam divinam per modum ſpeciei impreſſæ; habet intellectum, per quem producit Verbum, & habet voluntatem, per quam producit impulſum; hæc autem appropriantur tribus divinis perſonis; & ſic habet homo repręſentare, quamvis nō propria perſonarū exprimendo, appropriata tamen perſonis explicādo; & hac de cauſa dicitur imago Trinitatis, ad differentiā veſtigij, quod ipſa appropriata Trinitati ſolum imperfecte repræſentat, id eſt, ſecundum rationes communes, non ſecundum proprias vniuſ, cuiuſque appropriati.

Sed inſtas, Filius Dei perfectius habet repræſentare ea, quæ divinis perſonis appropriantur, quam homo; & tamen non eſt, neque dicitur imago Trinitatis: igitur ex hoc quod homo habeat perfecte repræſentare appropriata tribus divinis perſonis, nō erit, neq; dicetur imago Trinitatis. Prob. Min. nā Filius tantū eſt imago Patris: ergo nō Trinitatis. Ad hoc, diſt. Cōſ. ex hoc pręciſe, conc. Cōnſ. ex hoc, & quia à tota Trinitate cauſatur, nego Conſ. Itaq; ad rationē imaginis Trinitatis requiritur procedere à tota Trinitate; Filius ergo procedit à ſolo

Pa,

à Patre, homo procedit per cauſalitatem totius Trinitatis: & ſic Filius tantum eſt imago Patris, homo vero Trinitatis.

626 Contra hoc ipſum arguitur ſecundo. Homo neque adæquate ſumptus, neque inadæquate ſumptus pro parte ſola intellectiva poteſt eſſe imago Trinitatis: ergo. Prob. Antec. quoad primam partem, nam homo adæquate ſumptus in vna eſſentia coniungit plures potentias, quam tres, nempe quinque ſenſus externos, ſenſum communẽ, cogitativam, memoriã ſenſitivam, intellectũ, & voluntatẽ: ergo adæquate ſumptus nequit eſſe Trinitatis imago. Prob. Conſ. quia perſonæ ſunt tantum tres: ergo ſolũ poſſunt habere ſui imaginẽ in eo, qui tantum in vna eſſentia tres potẽtias coniungat: cum ergo homo adæquate ſumptus plures potentias, quam tres in vna eſſentia coniungat, nõ videtur, quod prout ſic poſſit eſſe imago Trinitatis. Quoad ſecundam partem prob. ſic, In primis pars intellectiva hominis non dividitur in tres potentias, nam eſto intellectus dividatur à voluntate, nullo tamen pacto dividitur à memoria, ſiquidẽ ipſamet potentia intellectiva ſecundum quod retinet ſpecies memoria dicitur abſque ſui diſtinctione: igitur homo etiam inadæquate ſumptus pro parte intellectiva non habet rationem imaginis Trinitatis.

Secundo prob. hæc eadem pars, nam pars intellectiva hominis non dividitur in tres potentias, ſed in quatuor: ergo coniungit pars intellectiva quatuor potentias in vna eſſentia: igitur non eſt imago Trinitatis. Prob. Ant. in homine datur intellectus poſſibilis, intellectus agens, memoria, & voluntas: ergo pars intellectiva dividitur in quatuor potentias. Confirm. pars intellectiva dividitur in intelligentiam, & diſcurſum, nam per primã convenit cum Angelis, & per ſecundam diſtinguitur ab illis, his duabus partibus correſpõdent duæ proceſſiones, altera ſimplex intuitus principiorum; altera diſcurſus circa concluſionem: præter iſtas habetur voluntas, cui correſpondet ſuus peculiaris actus: ergo homo in parte intellectiva coniungit tres proceſſiones: non ergo poteſt eſſe imago Trinitatis, in qua tantum habetur ſimplex intuitus intellectus, & vnicus actus affectus.

Ad hoc argumentum dico, quod memoria ſola ratione ratiocinata ab intellectu diſtinguitur, quia illa potentia, quæ ex vi ſuæ immaterialitatis habet formaliter retinere ea, quæ apprehendit, habet quoque intelligere retenta, nec tamen ex hoc perdit rationem imaginis anima, eſto perdat rationem imaginis perfectæ, & indeficientis: deficit enim in hoc, & in aliis pluribus, vnde in forma, nego Conſ. nam eſto illa tria non diſtinguantur realiter inter ſe, vt tamẽ imaginem Trinitatis faciant, ſufficit, quod in vna anima tres potentiæ iungantur, ſic enim fit repræſentatio, eſto non perfecta, & adæquata, ſaltem imperfecta, & deficiẽs.

Ad ſecundam prob. diſt. Ant. pars intellectiva hominis non dividitur in tres potẽtias, ſed in quatuor, ſumendo intellectum pro intellectivo formaliter, & diſpoſitive, conc. Antec. ſumendo tantum pro intellectivo formaliter, nego Ant. & diſt. Conſeq. ergo coniungit quatuor potentias in vna anima, pars intellectiva formaliter, & diſpoſitive, conc. Conſeq. formaliter tantum intellectiva, nego Conſ. & diſt. ſecundam Conſ. loquendo de parte intellectiva formaliter, & diſpoſitive, conc. Conſ. formaliter tantũ, nego Cõſ. Itaque intellectus agens potentia eſt partis intellectivæ, ſed eſt præparatoria, & diſpoſitiva ad intelligendum; ſiquidem proprius eius actus eſt abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus; qui actus ad intelligendum per ſe ordinatur, ſicut diſpoſitoria præparatio ad aliquam formam: vnde non ingreditur ad faciendam imaginem Trinitatis, quæ tantum attenditur penes rationem formaliter intellectivi, vtpote magis à materia depurati; nam intellectus agens, quamvis ſubiective omnino immaterialis ſit; terminative tamen materialis eſt, ſiquidem lumen ſuum intelligibile ſuper materiam phantaſmatũ immediate diffundit.

Et ſi inſtes, quod etiam intellectus noſter poſſibilis terminative materialis eſt, quia pro hoc ſtatu non intelligit niſi ad phantaſmata convertatur. Reſpondeo, quod intellectus poſſibilis convertitur ad phantaſmata iam illuminata luce pure immateriali intellectus agentis, & ſic formaliter terminative immaterialis eſt: vnde non eſt paritas inter intellectum poſſibilem, & agentẽ. Ad Confir. conceſſo toto primo diſcurſu, diſt. Conſ. ſubſilliatũ, non ergo eſſe poteſt imago Trinitatis, ſecundũ omnia, quæ habet, conc. Conſ. ſecundũ id, quod in eo perfectius invenitur, nego Cõſ. Itaq. anima aſſignatur imago Trinitatis, nõ ſecundũ omne, quod habet, ſed tantũ ſecundũ

optimum animæ; nam intelligere ſimpliciter intuitu eſt optimum quid, vtpote conveniens ei, ex eo quod ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, quod eſt Angelus: vnde imago in homine non attenditur ſecundũ diſcurſum, ſed tantũ ſecundum intelligentiã, eſt enim ratio in homine natura intellectualis obvmbrata: vnde inquirendo cognoſcit, & ſub tempore continuo, quod intellectui ſtatim, & ſub plena luce confertur.

§. VII.

An Angelus ſit perfectior imago Trinitatis, quam homo?

627 SVPPONIT Quæſitum Angelum eſſe imaginem Trinitatis, nam imago in hoc diſtinguitur à veſtigio, quod veſtigium eſt confuſa ſimilitudo alicuius rei, & imperfecta; imago autẽ repræſentat rem magis determinate ſecundũ omnes ſuas partes, & diſpoſitiones partium, ex quibus etiã aliquid de interioribus rei percipi poteſt, & ideo in illis creaturis reperitur imago Trinitatis, quæ propter ſui nobilitatem Deum perfectius imitantur, & repræſentant: iſtæ autem ſunt Angelus, & homo, & ſic vterq; rationem habet imaginis. Reſtat ergo videndũ, cui perfectius conveniat ratio imaginis? Cui quæſito ſub diſtinctione eſt reſpondendũ. Etenim imago Trinitatis attendi poteſt tripliciter, vel quantũ ad expreſſam repræſentationẽ attributorũ, & ſic, cũ attributales Dei bonitates perfectius effulgeant in Angelo, quam in homine, Angelus eſt expreſſior imago, quam homo: vnde de ipſo dicitur Ezechiel. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*: attendi poteſt etiã imago quantum ad diſtinctionẽ perſonarũ, & ſic, expreſſior eſt ſimilitudo in homine, quam in Angelo, quia in Angelo ſuæ potentiæ ſunt minus diſtinctæ. Vel attenditur imago, in quantum ipſe Deus eſt principium rerũ, & ſic imago invenitur in homine, & non in Angelo, in quantũ vnus homo eſt principium omniũ hominum, ſicut Deus omniũ rerum, & in quantũ anima eſt in toto corpore tota, & tota in qualibet parte, ſicut Deus eſt totus in toto mundo, & totus in qualibet parte mundi. Abſolute tamen crediderim Angelũ eſſe perfectiorẽ imaginẽ, quia Dei interiora perfectius exprimit Angelus, quam homo.

Sed inquiris, quomodò verũ ſit id, quod diximus, quod in Angelo potentiæ minus diſtinguantur, quã in homine? Nam ſi loquamur per comparationẽ ad eſſentiã Angeli, & ad eſſentiã hominis, ſic, cum potentiæ Angeli realiter diſtinguantur ab eius eſſentia, ſicut & potẽtiæ hominis realiter diſtinguuntur ab eſſentia hominis, ſic falſum erit dicere, quod potentiæ in Angelo minus diſtinguũtur, quã in homine: ſi autẽ loquutio fiat de potẽtijs Angeli inter ſe, ſic intellectus Angelicus realiter diſtinguitur à voluntate: ſicut & intellectus hominis realiter diſtinguitur à voluntate eius: non ergo videtur, quod præfata doctrina in aliquo ſenſu vera ſit.

Propoſitio, de qua procedit quæſitũ eſt D. Th. in 1. diſt. 3. q. 3. art. 1. ad 4. ibi: *Vel quantum ad diſtinctionẽ perſonarũ, & ſic expreſſior eſt ſimilitudo in homine, quã in Angelo, quia in Angelo ſuæ potentiæ ſunt minus diſtinctæ*. Et ſane eſt intellectu difficile, quia apud D. Th. intellectus, & voluntas realiter diſtinguuntur ab eſſentia Angeli, vt conſtabit infra q. 54. art. 3. & etiã realiter diſtinguuntur inter ſe, ſicut in homine: non ergo videntur eſſe minus diſtinctæ in Angelo, quam ſint in homine.

628 Sed pro aliquali intelligentia notate doctrinã, quam D. Th. tradidit infrà loco citato ſolutione ad 1. quæſiverat enim D. Th. vtrum intellectus Angeli ſit eius eſſentia? Et ad probandũ quod ſic, hoc primo vtitur argumento: *Mens enim, & intellectus nominantur potentia intellectiva; ſed Dionyſius in pluribus locis ſuorũ librorũ nominat ipſos Angelos intellectus, & mentes: ergò Angelus eſt ſua potẽtia intellectiva*. Cui argum. ſic reſpondet: *Dicendũ, quod Angelus dicitur intellectus, & mens, quia tota eius cognitio eſt intellectualis, cognitio autẽ animæ partim eſt intellectualis, & partim ſenſitiva*. Quibus, vt vides, in aliquo ſenſu Angeli eſſentia eſt ſuus intellectus, in quo ſenſu anima ſuus intellectus nõ eſt. Et hoc ipſum, quod dicit de intellectu, diceret D. Thom. de voluntate: nam etiã ſicut vis eius cognoſcitiva adæquate intellectiva eſt, ita & vis eius appetitiva adæquate intellectus appetitivus eſt, nam ſicut non datur in Angelo ex viribus cognoſcitivis niſi intellectus, ita ex viribus appetitivis non datur, niſi voluntas: licet ergo in Angelo intellectus, & volũtas realiter diſtinguũtur ab eſſentia, & inter ſe, quia tamen vis cognoſcitiva eius ſolus intellectus eſt, & in plures potentias cognoſcitivas non

non dividitur, & vis appetitiva adæquate voluntas eſt, & in varias potentias appetitivas non dividitur; bene autem in anima, in qua eius vis cognoſcitiva dividitur in varias potentias cognoſcitivas, nempe in intellectum, & ſenſum, & vis appetitiva in voluntatem, & appetitum ſenſitivum, ideo veriſsime protulit D. Thom. quod in Angelo potentiæ minus diſtinguuntur, quam in homine, & ſic homo expreſsius repræſentat diſtinctionem perſonarum, quam Angelus.

Sed ex hac doctrina videtur oppoſitũ ſequi eius, quod prætenditur. Etenim, cum Deus ſit pura mens, id eſt, in linea cognoſcitiva non habens niſi intellectũ, & in linea volitiva non habens niſi voluntatem; ſi Angelus ſimiliter eſt pura mens, id eſt, nõ habens ex potentijs cognoſcitivis niſi intellectum, & ex appetitivis non habens niſi voluntatem, expreſsius repræſentabit Deũ, quam homo, cuius pars cognoſcitiva, & appetitiva in varias potentias dividitur penes intellectivũ, & ſenſitivum. Patet Conſ: quia quando repræſentans magis convenit cũ repræſentato, perfectius illud habet repræſentare. Confirm. dicemus infra quæſt. 50. ſubſtantias intellectuales completas, quales ſunt Angeli, perfectius aſsimilari Deo, quã anima rationalis, quia licet hæc aſsimiletur Deo in participatione intellectus, & voluntatis, tamẽ nõ participat hoc, quod eſt, ex potentijs ſolũ habere intellectũ, & volũtatẽ, ſicut Deus, bene vero Angelus ad hoc pervenit, quia non ſolũ habet intellectum, & voluntatẽ, ſed etiã non habet alias potentias niſi intellectũ, & volũtatẽ; ſed vbi eſt perfectior aſsimilatio cum Deo, ibi eſt perfectior repræſentatio Dei: igitur ex doctrina data ſequitur Angelũ expreſsiorẽ ſimilitudinẽ Dei eſſe, quã ſit homo, & ſic habebitur, quod ſit perfectior imago Trinitatis, quam homo.

Ad hæc reſpondeo, convincere Angelũ perfectiorem imaginem Dei eſſe quantum ad ea, quæ appropriantur perſonis, non vero quantum ad diſtinctionem perſonarum. Ratio huius ſecundæ partis eſt, quia ipſa mens, qualis eſt Deus, cum ſit vna in abſolutis, habet in ſe realem diſtinctionem trium perſonarum: ergo cum homo ſit vnus, & habeat in ſe realem diſtinctionẽ, non ſolum quoad partem intellectivam, per quam diſtinguitur realiter à volitiva, ſed etiam intra ipſam rationem cognoſcitivi, dum dividitur in cognoſcitivum, intellectivum, & ſenſitivum, maiorem in ſe adunat realem diſtinctionem, quam adunet Angelus, qui in parte cognoſcitiva nullam patitur diviſionem, & ſic quoad repræſentationem ſolam trium perſonarum diſtinctarum inter ſe realiter magis exprimit Deitatem homo, quam Angelus: vnde quoad hoc tantùm perfectior erit imago Trinitatis.

§. VIII.

Vtrùm gratia gratum faciens ſit imago Trinitatis?

626 GRATIA Gratum faciens divinæ naturæ formale nobis exhibet participium iuxta illud 2. Petri 1. *Vt per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Vnde Paulus dictabat 1. ad Corinth. 15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum*, quaſi referens ſe ad illud Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum*, Paulus diceret, ſicut Deus per ſuam naturam, & eſſentiam eſt ille, qui eſt; ſic ergo per gratiam ſum ille, qui ſum, id eſt, habeo in me divini eſſe formale participium. Vnde S. Maximus Centuria 1. cap. 37. dictabat: *Solius divinæ gratiæ proprium hoc eſſe ſolet ex proportionem divinitatem creaturis elargiri.* Et D. Th. 1.2. q. 110. art. 2. ad 2. dicit de gratia gratum faciente, *id enim, quod ſubſtantialiter eſt in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem* (intellige per gratiam,) & paulo infrà, *eſt tamen nobilior, quam natura animæ, in quantum eſt expreſsio, vel participatio divinæ bonitatis.* Et 3. p. q. 3. art. 4. ad 3. *Aſſumptio, quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quandã participationẽ divinæ naturæ ſecundum aſsimilationem bonitatis.*

Eſt inſuper gratia gratum faciens radix videndi, & amandi Deum ſicuti eſt, id eſt, ſecundum omnia, quæ formaliter conveniunt Deo, ſive abſoluta, ſive relativa ſint, & quia ipſa, cum quædam natura ſit in eſſentia animæ immediate ſubiectata, principium immediatũ dictarum actionũ eſſe non poſsit; hinc ſicut ab eſſentia animæ effluunt eius potentiæ, quæ ſunt operũ animæ principia proxima, ita etiam ab ipſa gratia effluunt eius virtutes in potentijs animæ, per quas ipſæ potentiæ moventur ad actus credendi, & amandi in via, videndi, & amandi Deum in patria: exprimit ergo perfecte gratia gratum faciens divina attributa tribus perſonis appro-

Digitized by Google

appropriata maiori cũm perfectione, quã Angelus, vel homo; nam iſti tantum exprimunt intelligere, & velle divinum ſecundum rationem communem intelligendi, & volendi, gratia autem exprimit ea ſecundum rationes differentiales, nempe ſecundum quod Deus videt ſeipſum, & ſeipſum amat: nam, vt dixi, radix eſt videndi, & amandi Deum in ſe ipſo. Ex parte ergo expreſsionis divinorum non deficit gratia à ratione imaginis Trinitatis, imò excedit longe omnem aliam imaginem creatam.

Cæterum quia ad rationem imaginis Trinitatis videtur requiri, quod imago ſit quoddam ſubſiſtens, aliter vero non videtur poſſe ipſum Dei eſſe per ſe ſubſiſtens exprimere, & gratia ſubſiſtens non ſit, cum ſit accidens animæ, nec ens ſit, nec per ſe fiat; ſed tantum in anima illa ſit, & ſecundum illam grata fiat, videtur, quod gratia à ratione perfectæ imaginis deficiat. Quod autem requiratur ad rationem imaginis per ſe ſubſiſtere, facile comprobari poterit ex eo quod Div. Thomas in primo diſt. 3. quæſt. 2. articul. 3. accidens excludit à propria ratione veſtigij ex hoc, quod ſubſiſtens per ſe non eſt: ſic enim habet: *Dicendum, quod veſtigium invenitur in creatura, ſecundum quod conſequitur eſſe perfectum à Deo: vnde in his tantum ſimpliciter eſt invenire veſtigium, quæ perfecta ſunt in ſe, & huiuſmodi ſunt tantum individua de genere ſubſtantiæ; accidentia autem non habent eſſe, niſi dependenter à ſubſtantia: vnde etiam in accidentibus non eſt veſtigium, niſi ſecundum ordinem ad ſubſtantiam, ita quod accidentia magis ſint modi, ſpecies, & ordines ſubſtantiarum, quam ipſa habeant ſpeciem, modum, & ordinem*: ſi ergo ad rationem propriam veſtigij Trinitatis requirit D. Thom. eſſe ſubſiſtens in veſtigio, à fortiori multo magis eſſe ſubſiſtens requiret in imagine.

Vnde iuxta hanc doctrinam crediderim, gratiam gratum facientem proprie loquendo non eſſe imaginem Trinitatis, nam hæc tantum convenit ei, quod participat eſſe divinum *vt quod*, nam imago eſt, quæ *vt quod* imitatur ſuum prothotypum; gratia autem *vt quod* non imitatur divina, nam neque eſt *vt quod*, neque fit *vt quod*, ſed tantum eſt id, quo anima fit grata, & ſit Deus participative: vnde propriam rationẽ imaginis participare non poterit.

Præterea, imago Trinitatis debet eſſe id, quod eſt ſimile Trinitati, gratia autem non eſt ſimilis Deo, ſed tantum anima per gratiam Deo aſsimilatur, ipſa gratia non eſt Deus participative, ſed tantum anima eſt participative Deus per ipſam. Vnde Scriptura dicit: *Nunc Filij Dei ſumus, ſed nondũ apparuit, quod erimus, cum autem apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*: non ergo gratia eſt imago Trinitatis.

630 Sed inſtas, ad rationem imaginis alicuius per ſe ſubſiſtentis non requiritur, quod id, quod imago dicitur per ſe ſubſiſtat: ergo ex defectu huius, quod eſt per ſe ſubſiſtere, falſo aſſeritur gratiã imaginẽ non eſſe. Prob. Ant. etenim ſpecies viſibilis Petri ſubſiſtentis proprie imago Petri eſt, & dicitur; & tamen nõ eſt per ſe ſubſiſtens, cũ ſit accidens inhærens viſui, & idem dico de conceptu hominis, exempli gratia, qui proprie imago hominis ſubſiſtẽtis eſt; & tamen ſubſiſtens non eſt, cũ accidens ſit: ergo ad propriã rationẽ imaginis nõ requiritur eſſe ſubſiſtens. Reſp. neg. Ant. ad prob. diſt. Min. & tamen per ſe ſubſiſtens non eſt, in linea entis, conc. Min. in linea cognoſcibilis, neg. Min. & Conſ. Itaque, vt dicunt Thomiſtæ, ſpecies viſibilis Petri ſubſiſtentis in eſſe intentionali, & repræſentativo eſt ipſe Petrus, & idem dico de conceptu hominis; eſt enim repræſentative ipſe homo ſubſiſtens.

Inſtas, ergo ſimiliter gratia in eſſe repræſentativo erit Deus, & erit id, quod quãvis in eſſe phyſico ſit accidens, & ſic id *quo*, & ſic proprie erit imago. Ad hoc, nego Conſ. nam ſpecies impreſſæ, & conceptus, cum non ſint in rerũ natura vt ſint, ſed vt repræſentent, ſunt ipſummet, quod immediate repræſentant ſecundũ eſſe intentionale: vnde vulgò dicitur, quod ſpecies impreſſa hominis eſt ipſe homo, & ſpecies ſubſtantiæ eſt ipſa ſubſtantia; gratia autẽ non eſt, vt repræſentet, ſed eſt vt ipſa anima Deus participative ſit: ergo in nullo eſſe eſt Deus ipſe, cuius eſt ſimilitudo. Explicatur hoc, gratia eſt quidam effectus Dei; effectus autem Dei non habet Deum immediate repræſentare, ſed ſe ipſum, & mediante ſe ipſo immediate repræſentato Deũ vt ſui cauſam: ergo dum eſt effectus non ſubſiſtens, non repræſentat ſe ipſum vt ſubſiſtentem: ergo neque mediante ſe ipſo Deũ repræſentare poterit vt ſubſiſtentẽ: nõ ergo poterit eſſe imago Dei, in quo eſt diſcrimẽ à ſpecie impreſſa, & à cõceptu: hæ enim nõ repræſentant ſe ipſa, & ipſis mediis ſua protho-

ty-

Digitized by Google

typa, quia ad hæc nõ comparantur vt effectus ad ſuã causã, ſed immediate repræſentãt prothotypum, quia in eſſe intentionali ipſum prothotypum ſunt, vnde ſi prothotypum ſit ſubſiſtens in genere intentionali, ſpecies ſubſiſtens eſt, quamvis in genere phyſico ſit accidens.

Secundo inſtas, peccatum, dum deſtruit gratiam ab anima, vere aufert ab anima rationem perfectæ imaginis Trinitatis ordinis ſupernaturalis, cum tantum in ea relinquat naturam: ergo gratia, quæ erat in anima veram rationem habebat imaginis Trinitatis. Prob. Antec. nam Sancti dicunt, quod primus homo per peccatum amiſit imaginem, & ſimilitudinem Dei: ergo. Confirm. peccatum eſto non ſubſiſtat, eſt tamen *vt quod* peccatum: ergo gratia, eſto, non ſubſiſtat, erit tamen *vt quod* gratia: ergo & poterit eſſe imago Dei *vt quod*.

Ad hoc, nego Conſeq. nam peccatum deſtruendo gratiam ab anima, dicitur deſtruere imaginem ſupernaturalem Trinitatis, quia deſtruit concreatum ex gratia, & anima, ſicut, qui deſtruit albedinem muri, dicitur deſtruere album; album autẽ non dicitur de albedine, ſed de muro habẽte albedinẽ: ſic & gratia nõ dicitur imago, quia non eſt habens naturã divinã participative, ſed anima ditata gratia imago dicitur, quia eſt habens in ſe divina prædicata per gratiam; cum ergo peccatum animam privat gratia, animam deſtruit, & corrumpit ſecundum gratiam: vnde non infertur, quod Dei imago ſit gratia. Sed huius ſatis accommodatum exemplum adduco. Depingit pictor in lino, vel in ligno, vel in ærea lamina Mercurium, v.g. linum medijs illis coloribus ſic ordinatis Mercurium repræſentat. Inquiro tunc, quid dicitur imago Mercurij? Linum, vel colores in lino? Certe iuxta bonam metaphyſicam, linum, in quo depicti ſunt colores, imago Mercurij dicitur, non vero ipſi colores; ſic Deus infundens gratiam in animã, habet ſe ſicut pictor, qui in tabula animæ depingit naturam, & attributa ſua: anima ergo, & non gratia dicetur imago Dei. Vlterius explico in Deo, ſolus Deus per eſſentiam dicitur, qui habet naturam divinam: ergo pariter ſolus Deus per participationem dicetur, qui habet in ſe divinam naturam participatam; hoc autem ſolum verificetur de anima, & non de gratia: ergo & imago ſolum de anima dicetur, & non de gratia.

Ad Confirm. conc. prima Conſ. nego ſecundam, nam dum dico, quod gratia non eſt imago, pariter dico, quod id, quod *vt quod* eſt gratia, nõ eſt imago. Nam ad imaginem Trinitatis requiritur, quod ſit quid ſubſiſtens, nempe participans eſſe divinũ *vt quod*, & per modũ habentis; gratia autem quamvis ſit *vt quod* gratia, non tamen eſt *vt quod* ens, ſed id, quo anima grata eſt, & ſic imago non eſt. Et ſi inſtes gratia eſt ens: ergo id, quod eſt gratia *vt quod*, erit ens *vt quod*, ſed ipſa gratia eſt gratia *vt quod*: ergo erit ens *vt quod*. Reſpond. negando Antec. nam gratia non eſt id, quod habet eſſe ſupernaturale; ens autem abſolute prolatum eſt id, quod habet entitatem, quod de ſolis ſubſiſtentibus verificatur, & ſic gratiæ non convenit. Vel dicatur, gratia eſt ens proportionabiliter tantum, conc. Antec. abſolute, nego Ant. & Conſ. quia id, quod tantum proportionabiliter eſt ens, non eſt ens, *vt quod*, ſed *vt quo*. Dico gratiã eſſe ens proportionabiliter, quia gratia non eſt, ſed ineſt; ſed quia ad ſuum ineſſe ſic ſe habet, ſicut ſubſtantia ad ſuũ eſſe, ideo dicimus, eam proportionabiliter eſſe.

§. IX.

Vtrùm gratia ſit expreſsio Trinitatis?

631 VLTERIVS Inquiritur de gratia, an videlicet exprimat nõ ſolum appropriata divinis perſonis, verum & exprimat propria divinarũ perſonarũ, ſic, quod non ſolũ participet abſoluta Dei, ſed etiam relativa? Et ratio dubitandi pro parte affirmativa eſt, quia gratia eſt participatio formalis naturæ divinæ, prout in ſe ipſa eſt, & nõ prout tantum connectitur cum creaturis; at Deus prout in ſe ipſo eſt, eſt Trinus, & vnus: ergo gratia non ſolum participat id, per quod Deus eſt vnus, ſed etiam id, per quod Deus eſt Trinus. Prob. Conſeq. nam Deus, prout tantum eſt vnus, cũ alijs creaturis connectitur: ergo ſi gratia eſt participatio Dei, prout in ſe ipſo eſt, & nõ prout cũ alijs creaturis connectitur, erit dicẽdũ, quod eſt formalis participatio Trinitatis. Confir. gratia in via radicat fidẽ Trinitatis, & in patria clarã eius viſionẽ, radicat etiã amorẽ non ſolũ Dei, vt vnus eſt, ſed etiã vt eſt Trinus: ergo ipſa in ſe habet aliquod particiũ Trinitatis. Patet Cõſ. nã id ſolũ, quod Deus eſt, inclinat ad viſionẽ, & amorẽ Dei:

Digitized by Google

ergo id, quod inclinat ad videndum, & amandum Deum vt Trinum, erit formale participiũ Trinitatis in ſe ipſo exprimens Trinitatem.

Exacta reſolutio huius quæſiti petit reſolutionem illius celebris difficultatis, de qua agitur 1.2.q.110. an videlicet gratia ſit formalis participatio divinæ naturæ. Circa quam Thomiſtæ inter ſe diviſi ſunt, quidam enim tenent eſſe participationem formalem divinæ naturæ ſolum obiective, non tamen ſubiective, ſic inter alios tenet Ioannes à Sancto Thom. loco citato diſp.22.art.1. vbi de hac re ſic loquitur; gratia eſt formalis participatio divinæ naturæ, & infinitatis eius, vt in ſe eſt obiective, non tamen id habet modo infinito in ſe, & ex parte ſubiecti, & ita ſufficit convenientia cum Deo quaſi obiectiva: ſicut convenit potentia, & virtus activa alicuius obiecti cum ſuo obiecto. Itaque gratia (inquit hic Auctor) eſt quædam ſimilitudo, & fulgor divinæ intellectualitatis elevans creaturam rationalem, vt reſpiciat pro obiecto ſpecificativo talis intellectualitatis ſupernaturalis, & gratuitæ Deũ ipſum: ſicut enim noſtra intellectualitas reſpicit pro obiecto quidditatem ſenſibilem; & intellectualitas Angeli reſpicit quidditatem ſpiritualem; ita intellectualitas gratiæ, quæ eſt participatio Dei reſpicit quidditatem divinam, & conſequenter ipſum actum purum, & ſic divinum vt intelligendum in ſe; dicitur autem expreſſio divinæ naturæ, non ſicut repræſentatio intelligibilis, ſed ſicut virtus intellectualis, & ſicut principium intelligendi Deum in ſe, & ſic formaliter convenit cum Deo convenientia obiectiva, qualis eſt inter virtutem intelligendi, & obiectum ſpecificativum eius, non tamen convenientia entitativa, quaſi ipſa forma participans ſit eiuſdem entitatis cum Deo; ſolum ergo eſt participatio formalis ſecundum convenientiam obiectivam, non entitativam.

Alij autem dicunt, gratiam eſſe formalem participationem naturæ divinæ, prout in ſe eſt, inadæquatam, non adæquatam. Qui Auctores diviſi ſunt. Alij enim dicunt, gratiam eſſe participationem formalem infinitatis, & Trinitatis, non quia infinita ſit, vel trina: hoc enim eſſet adæquate participare Deum trinum, & vnum, quia Trinitas, & infinitas, prout ſic, ſoli Deo valet formaliter convenire, ſed quia de infinitate participat magnitudinẽ, iuxta illud, *magna nobis promiſſa donavit, vt per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*; & de Trinitati participat exigentiam divinæ viſionis, & amoris Dei, vt trini. Alij vero dicunt, participare naturam divinam, prout radicantem intellectum, & volũtatem divinam: vnde lumen gloriæ, quod gratia radicat, dicunt, eſſe participationem formalem intellectus divini prout divini, & charitatẽ eſſe participationem formalem voluntatis divinæ, prout divinæ.

Sum in ea ſententia, quæ affirmat gratiam participare naturam Dei ſub conceptu explicito naturæ divinæ, & participat perſonas exactive, nõ ad hunc ſenſum tantum, quod radicet viſionem, & amorem Dei, vt eſt in ſe vnius, & trini, ſed etiam exactive aſſociative, quia exigit, quod tres perſonæ divinæ inhabitent animam gratia affectam modo quodam ſpeciali.

632 Pro cuius explicatione adverto, quod prædicata Deo formaliter cõvenientia ſunt in duplici genere: alia enim explicant indiviſibilitatem, ſicut actus purus, infinitas, eſſe à ſe, immenſitas, omnipotentia; alia ſunt, quæ in ſuo conceptu formali indiviſibilitatem non exprimunt, ſicut veritas, bonitas, vita, intellectualitas, viſio Dei, Dei amor, & alia his ſimilia. Ex his ergo, primi generis prædicata formaliter à creatura participari nequeunt, quia participare formaliter eſt partem capere, quod autẽ indiviſibilitatem explicat, explicat impartibilitatem: ergo explicat ſui adhuc inadæquatam imparticipationem, & ſic prædicata divina, quæ in ſuo conceptu formali dicunt, & explicant indiviſibilitatem formaliter, participari nequeunt. Hinc dico, gratiam formaliter non eſſe infinitam, non eſſe ens à ſe, non eſſe actum purum, non eſſe immenſam, non eſſe omnipotentem, quia hæc omnia explicant indiviſibilitatem: alia autem ſecundi generis prædicata participari poſſunt formaliter, quia, cum indiviſibilitatem non explicent, nulla eſt repugnantia in eo, quod inadæquate à creatura participentur: cum ergo intellectualitas divina in ſuo conceptu formali indiviſibilitatem non explicet, quia ſolum dicit radicem divinæ intellectionis, & volitionis, fit inde, quod non repugnet à creatura formaliter participari, in conceptu autem intellectualitatis divinæ conſiſtit natura divina, & ſic non repugnat gratiam eſſe formalem participationem naturæ divinæ.

Di-

Digitized by Google

Dices, conceptum naturæ divinæ differentialiter ſumptum non tantum dicere conceptum radicis videndi, & amandi Deũ ſicuti eſt, ſed dicere ſummã intellectualitatem, hoc eſt, radicem videndi, & amandi Deum quantum viſibilis, & amabilis eſt: hic autem conceptus etiam explicat indiviſibilitatem: ergo ſi divina, quæ indiviſibilitatem explicant, formaliter participari nequeunt, conceptus differentialis naturæ divinæ nequibit formaliter participari. Reſpondeo, de conceptu differentiali naturæ divinæ dupliciter loqui poſſe: primo, vt facit diſtinguere naturam divinam à natura Angelica; & à natura humana, vel vt facit differre naturam divinam à ſui formali participatione; ſi primo modo de ea loquamur, ſic tantum dicit radicem videndi, & amandi Deum, prout eſt in ſe: per hoc enim ſolum diſtinguitur ſufficientiſſime natura divina à natura Angelica, & humana; quia nec homo, nec Angelus per ſuas naturas Deum in ſe ipſo videre, & amare poſſunt: ſi autem loquamur de cõceptu naturæ divinæ, prout etiam Deum facit diſtinguere à ſui formali participatione; ſic fateor, quod conceptus naturæ divinæ explicat præfatum modũ indiviſibilitatis, & per conſequens imparticipabilitatis, nam gratia, prout ſigillũ non participat, hoc enim id, per quod vnũ formaliter ab alio diſtinguitur, ab eo participari valet: Vnde hæc propoſitio, *gratia eſt formalis participatio naturæ divinæ*, ſolũ intelligitur verá de natura divina, prout diſtinguitur à qualibet natura Intellectuali creata, vel creabili, non vero de illa, prout etiam à ſui formali participatione diſtinguitur.

Inſtas, hæc participatio formalis, quam ponimus in gratia, etiam eſt natura quædã intellectualis: ergo ex eo met principio, ex quo Deus, vel natura divina diſtat à natura Angelica, & humana, debebit quoque diſtare ab illa; at prout ſic, per nos explicat indiviſibilitatem: ergo idem, quod prius. Reſpondeo, diſt. Ant. etiam eſt natura quædam intellectualis, ſubſtantialis, nego Antec. accidentalis, & ſolum per modum elevationis naturæ, conc. Ant: & nego Conſ. Itaque, in gratia ſolum: ponimus intellectualitatem per modum elevationis naturę humanæ, vel Angelicæ, non quæ vere natura ſit: hæc enim ſolum in ſubſtantijs reperitur; vnde nõn requiritur, quod Deitas, ex vi ejuſdem conceptus differentialis, qui ſufficit ad diſtinguendam illam ab omni natura, quæ vere natura eſt, etiam debeat diſtingui à gratia. Pono exemplum in calore ignis, hic calor, ex quo calor eſt, diſtinguitur ab omni alio non calore, nempe à frigiditate, & alijs hujuſmodi, à ſui autem formali participatione, nempe, à calore, qui reperitur in alijs modo deficienti, non diſtinguitur per rationem caloris, ſed per hoc, quod calor ignis calor in ſummo eſt, ſecundum quam rationem indiviſibilitatẽ, & imparticipationem explicat: ſic in noſtro caſu natura divina ab omni alia natura intellectuali ſufficienter diſtinguitur per radicem videndi, & amandi Deum ſicuti eſt, quia nulla natura creata Deum videre; & amare poteſt, ſed à ſui participatione, quæ in gratia eſt, ſolum diſtingui poteſt per hoc, quod divina eſt radix ſummæ videndi, & amandi Deum, gratia autem eſt radix ſolum limitate videndi, & amandi Deum, prout in ſe ipſo eſt.

633 Inſtas ſecundo, hoc ipſo, quod natura divina intellectualitas divina eſt, debet eſſe actus purus infinitus; at prout ſic, nequit participari: ergo. Prob. Mai. ens divinum, ex quo à creato diſtinguitur non divino, neceſſario debet explicare rationẽ actus puri, cum omne non divinum, ex quo non divinum eſt, explicet potentialitatẽ, & aliquam limitationem: ergo natura divina, ex quo intellectualitas divina eſt, debet explicare actum purum infinitum, &c.

Ad hoc nego Mai. ad prob. ens divinum, ex quo à creato nõ divino diſtinguitur, debet explicare rationem actus puri, diſt. Antec. ex quo diſtinguitur à creato explicando diſtinctionem à creato, conc. Antec. non explicando illud, nego Antec. & Conſeq. Dicó, ergo, quod divinum ens à creato non divino dupliciter poteſt explicare diſtinctionem: primo, explicando diſcrimen increati à creato, & cum hoc conſiſtat in eo, quod increatum ſit à ſe, & ſit actus purus; creatum vero ſit ab alio, & ſit limitatum, & potentiale, fit inde, quod prout ſic, ens divinum explicat actum purum infinitum, ſicut & creatum prout ſic explicat eſſe ab alio, potentiale; finitum, & limitatum: poteſt autem prædicatum divinum explicare diſtinctionem ab ente creato non divino, non eam, quæ ſit penes increatum; & creatum, ſed quæ ſit penes alias rationes differentiales, inter illa repertas: puta, ſi prædicatum divinum ex-

pli-

plicet diſtinctionem à prædicato Angelico, & humano, ex quo illud divinum eſt, iſtud Angelicum, & iſtud humanum, & prout ſic, non reperitur, quod in prædicato divino explicetur ratio actus puri, vel eſſe à ſe, ratio infiniti, &c. ſed ſufficit explicare illud, per quod habetur diſtinctio. Rem dico ad praxim. Angelus, & eſt Angelus differentialiter, & eſt creatura, ſecūdum quod Angelus, dicit radicare operationes, quæ pro obiecto connaturali habēt eſſe Angelicum proprium: & pro obiecto nō connaturali, ſed extenſionis habent rationem entis ſpiritualis; in quantum vero creatura eſt, dicit explicite eſſe à Deo ente à ſe, & increato: ſic pariter natura divina, & poteſt explicari præciſſe ſub conceptu naturæ divinæ, & ſic tantum habet explicare radicem operationum, quę habent pro obiecto divino ſpecificativo Deum, prout in ſe ipſo eſt; poteſt etiam explicari ſecundum quod ens à ſe, & increatum eſt, & prout ſic, explicat actum purum, infinitum, &c. Primo modo, non explicat indiviſibilitatem entis à ſe, actus puri, infiniti, &c. & ſic ſecundum iſtum conceptum poteſt explicari vt ens divinum, ſine eo quod explicet actum purum, & eſſe à ſe; atque adeò prout ſic, participari poteſt formaliter à gratia.

634 Tertio inſtas, radix videndi, & amandi Deum, prout eſt in ſe, non poteſt diſtinguere naturam divinam à natura Angelica, & à natura humana: igitur addēdum eſt aliquod aliud prædicatū, per quod differat ab illis; hoc autem prædicatum debet explicare indiviſibilitatem actus puri, à ſe, infiniti: ergo. Prob. Antec. natura Dei habet differentialiter diſtingui per id, per quod analogatur cum Angelo in ratione analoga intellectualis naturæ; at non analogatur cum Angelo per conceptū radicis videndi, & amandi Deum, ſiquidem hæc eſt ratio analoga ad Deum, & ad gratiam, nec Deum conſtituit ſupremum analogatum: ergo radix videndi, & amandi Deum, ſicuti eſt, non poteſt diſtinguere naturam divinam a natura Angelica, & humana.

Explicatur hoc, Dei natura analogatur cum Angelica in ratione ſubſtantialis, & propriæ naturæ intellectualis: ergo differt vt ſupremum analogatū à natura Angelica, & humana per hoc, quod ſit natura ſubſtantialis radicans intellectuales operationes, nempe viſionem, & amorem Dei, at conceptus ſolus radicis videndi, & amādi Deum non dicit naturam ſubſtantialem radicantem præfatos actus, cum ſit ratio communis ad Deum, & ad gratiam, quæ eſt accidens: ergo per illum conceptum radicis videndi, & amandi Deum natura divina non conſtituitur differentialiter in ordine ad naturam Angelicam.

Ad hoc argumentum, conc. prima Conſeq. nego Min, ſubſumptam, ſcilicet, quod ad explicandum diſtinctivum naturæ divinæ à natura humana, & Angelica requiratur explicare aliquod prædicatum explicans indiviſibilitatem; ſufficit enim explicare intellectualitatem divinam ſubſtantialem radicem operum divinorum, ſcilicet videndi, & amandi Deum, prout eſt in ſe; & huius, gratia eſt formalis participatio inadæquata, quia ex adæquata illa ratione participat radicem videndi, & amādi Deum, prout eſt in ſe licet non participet eſſe ſubſtantiam, nam vt dicit D. Th. 1. 2. q. 110. art. 2. ad 2. *Id enim, quod ſubſtantialiter eſt in Deo accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem*, (intellige per gratiam, nam de hac loquitur.) Vnde ad explicationem, conc. totum diſcurſum. Nam probat doctrinam à nobis immediate aſſignatam.

635 Viſo iam quod gratia ſit formalis participatio divinæ naturæ, reſtat videre ſecundum, nempe quod participet Trinitatem exactive, ad hunc ſenſum, quod exigat tres perſonas divinas inhabitare animam affectam gratia. Pro cuius aliquali intelligentia primo adverto, quod gratia non ſolum cauſatur à tribus perſonis divinis, ſicut alij effectus ordinis naturæ, ſed etiam exigit ab intrinſeco ab illis cauſari, per quod ab alijs effectibus ordinis naturæ diſtinguitur, qui eſto à tribus perſonis cauſentur, quia ad extra vna perſona cauſare nequit, quin omnes tres cauſent: tamen effectus iſti ex ſe non exigunt à tribus cauſari, ſed ſufficeret eis pro cauſa Deus vt vnus. Ideoque ſolum ducunt in cognitionem vnitatis Dei, & non Trinitatis; gratia autem non ſic, ſed exigit cauſari à tribus, cuius eam aſſigno rationem, nempe quia gratia eſt inadęquata participatio formalis divinæ naturæ, prout in ſe ipſa eſt, prout autem in ſe ipſa eſt, eſt natura trinuna, & ſic exigit cauſari à tribus: nam forma, participanda eſt neceſſario ab his, qui eam eſſentialiter habent; cumque natura divina, prout in ſe eſt, eſſentialiter habeatur à tri-

tribus: hinc participatio formalis eius debet eſſe à tribus, & hinc habet radicare cognitionem claram, & amorem perfectum Dei trini, & vnius.

Hinc quia in Deo, eſſentialiter eſt in tribus divina natura, etiam participata formaliter in gratiâ, exigit eſſe in tribus ſuo modo: vnde inſeparabiliter comitantur eam tres perſonæ, iuxta illud, *ad eum*, id eſt, ad iuſtum per gratiam, *veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Quibus explicatur trium perſonarum divinarum inhabitatio ad animam iuſtificatã per connexionem cum gratia iuſtificante. Hinc crediderim, tres perſonas divinas ſpeciali quodam modo inhabitare animam in gratia exiſtẽtem, addereque novam gratiam, & favorẽ ſupra hoc, quod eſt iuſtificare eam, novitate tantum diſtinctionis, non vero connexionis, quia talis inhabitatio per ſe connectitur cum gratiâ iuſtificante: vnde Deus volens primo animam iuſtificare, ex conſequenti vult ſecum tribus perſonis animã gratâ ſpeciali quodam modo inhabitare. Itaque ſum in ea opinione, quod ſicut natura divina, prout in ſe ipſa eſt, radicat attributa abſoluta, & perſonalia, ita participata in gratia habeat radicare de abſolutis in ſtatu viæ fidem, ſpem, & charitatem, in patria lumen gloriæ, inſuper omnes virtutes per ſe infuſas, & de relativis, inhabitationem totius Trinitatis modo quodam ſpeciali. Vnde & dico, gratiam exprimere Trinitatem dupliciter, & quia inclinat ad viſionem, & amorem Trinitatis, & quia adducit ſecum tres perſonas divinas ad animam.

§. X.

Vtrum creatio admiſceatur in operibus naturæ, & artis?

636 PRIMO Certum eſt ſecundũ fidem Catholicam, quod generationi hominum ſemper adiungitur, vel admiſcetur creatio, cum de fide ſit, quod quoties homo generatur, anima creetur. Similiter eſt certum, quod in omni alia generatione entis naturalis præſupponitur creatio ad vnumquodque opus naturæ, nam opus naturæ fit ex præſuppoſito ſubiecto, quod eſt materia, hæc autem præſupponitur facta ex vi actionis creativæ, qua primum compoſitum creatum eſt. Vocamus autem in dubium, an dum illa compoſita ab homine diſtincta fiunt, creatio actualis terminata ad formam materialem eius prædictæ factioni compoſitorum adiungatur? In quo puncto, quidam antiqui Philoſophi, quorum meminit D. Thom. hic, art. 8. poſuerunt formas dari, vel cauſari ab agente ſeparato per modum creationis, vnde omni factioni entis naturalis adiungebant creationem formarum, ſimili modo, quo factioni hominis de facto adiungitur creatio animæ. Alij Philoſophi, de quibus meminit D. Thom. infra q. 118. art. 1. dictabant, ſolum generationi viventium ſenſitivorum adiungi creationem animæ ſenſitivæ.

Vtraque autem ſententiâ reprobatur à D. Thom. ex vi vnius principij, nempe quod omnis forma materialis dependet in eſſe, & fieri à materia, ſic, quod ſeparata ab illa naturaliter nequeat conſervari: ergo nulla forma materialis per ſe poteſt terminare actionẽ creativam. Prob. Conſ. Tum, quia ex quo in eſſe, fieri, & operari dependet à materia educitur ex illa: ergo fit ex illa: ergo nõ creatur. Tum, quia quod dependet in eſſe, fieri, & operari à materia non habet eſſe *vt quod*, ſed tantum *vt quo*, alias eſſet ſubſiſtens: ergo non creatur, nam creatio cum ſit productio entis ex nihilo, ſolum terminatur ad id, quod habet eſſe; non vero ad id, quod ſolum dicitur eſſe, quia eo aliquid eſt: forma autem materialis non eſt *vt quod*, ſed tantum dicitur eſſe, quia ipſa compoſitum eſt: non ergo valet creationem terminare.

Hæc doctrina, eſto vera ſit, aliquas tamen patitur difficultates, quas oportet diſſolvere. Primo ergo obijcitur, in qualibet operatione naturæ, & artis producitur aliqua forma, hæc autem forma non producitur ex aliquo, cum non habeat materiã partem ſui: ergo fit ex nihilo ſui: ergo creatur, & ſic in omni operæ naturæ admiſcetur creatio. Confirm. in compoſitis naturalibus ſola forma accidentalis eſt activa, & paſſiva: ergo nullum agens naturale poteſt ſibi aſſimilare effectum in forma ſubſtantiali: ergo forma ſubſtantialis tantum habet eſſe ab agente increato: ergo creabitur. Secunda Conſeq. eſt bona, & prima prob. nam agens tantum aſſimilare poteſt ſibi effectum in forma, per quam agit: ergo ſi nulla forma ſubſtantialis eſt activa, ſed omnis activitas reducitur ad formã accidẽtale, nullũ agens naturale poterit ſibi aſſimilare effectum in forma ſubſtantiali.

Con-

Digitized by Google

Confirm. ſecundo, natura non facit niſi ſibi ſimile; ſed quædam inveniuntur producta non à ſibi ſimili, vt patet in animalibus generatis per putrefactionem: ergo formæ iſtorum non ſunt à natura, ſed à creatore per creationem. Confirm. tertio, quod non creatur non eſt creatura: ergo ſi in his, quæ à natura fiunt, creatio non adiungitur, illa non erunt creaturæ, quod dici non poteſt.

Ad hoc argumentum, diſt. Mai. In qualibet operatione naturæ producitur aliqua forma, per ſe primo, nego Mai. per aliud, nempe ratione compoſiti, conc. Mai. & & diſt. Min. hæc autem forma non producitur ex aliquo, per ſe primo, conc. Min. per aliud, nempe ratione compoſiti, nego Min. & Conſeq. Itaque, actio generativa per ſe primo producit compoſitum ex aliqua parte ſui, nempe ex materia, ex qua conſtat, & ratione compoſiti, ex illamet materia forma comproducitur, & ſic fit ex aliquo ſui per aliud, non ſui, ratione ſui. Itaque materia non eſt aliquid formæ per ſe primo, ſed quia materia eſt aliquid cõpoſiti eſt aliquid ipſius formæ: vnde licet forma non fiat per ſe ex aliquo ſui, ratione tamen compoſiti ex aliquo ſui fit. Vel aliter dicatur, neg. Min. ad prob. forma ſimplex cum ſit, non habet materiam partem ſui, ex qua ipſa conſtet, conc. Min. partem ſui, id eſt, in cuius potentia præcontineatur, nego Min. & diſt. Conſeq. ergo fit ex nihilo ſui, ex quo conſtet, conc. Cõſequentiam, ſui in quo contineatur, nego Conſeq. & aliam, quæ ſub infertur. Itaque materia prima non eſt aliquid componens intrinſice formam, cum hæc ſit ſimplex; eſt tamen materia ipſa forma materialis in potentia: creationi autem non ſolũ opponitur fieri ex aliquo ſui, ex quo id, quod fit, conſtet, ſed etiam opponitur fieri ex aliquo, in cuius potentia præcontineatur.

Ad primam Confir. diſt. Ant. ſola forma accidẽtalis eſt activa, tantũ proxime, conc. Ant. proxime, & radicaliter, nego Ant. & Cõſ. Etenim formæ ſubſtantiales, eſto immediate non ſint activæ, ſunt tamen radicaliter activæ, nam agunt per formas accidentales, quaſi per virtutes inſtrumentarias formarum ſubſtantialium: vnde agentia naturalia aptiſsime poſſunt ſibi aſsimilare effectus in formis ſubſtantialibus.

Ad ſecundam Confir. diſt. Mai. natura non facit, niſi ſibi ſimile ſimilitudine vnivoca, vel analoga, conc. Mai. ſemper ſimilitudine vnivoca, nego Mai. & diſt. Min. ſed quædam inveniuntur producta non à ſibi ſimili vnivoco, vel analogo, nego Min. non à ſibi ſimili, vnivoco, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque, animalia illa imperfecta per putrefactionem producta, producuntur à virtute cœleſti, quæ cum ſit cauſa vniverſalis, non vnivocatur cũ illis, ſed tantum analogizatur.

637 Sed inquiris, an illa virtus cœleſtis ſic ſufficiat ad productionem horũ animalium imperfectorum, quod ſine aliqua intermedia virtute, à ſola virtute cœleſti generantur? Ad hoc reſpondet D. Th. ſub his verbis: *Dicendum, quod ad generationem animalium imperfectorum, ſufficit agens vniverſale, quod eſt virtus cœleſtis, cui aſsimilantur, non ſecundum ſpeciem, ſed ſecundũ quandam analogiam.* Sed Caietanus ibi explicat illud Verbum, *Sufficit*, dicens, *adverte, quod per illud Verbum non excluditur virtus proportionalis ſeminis, quæ eſt proxima cauſa generationis; ſed excluditur proximum vnivocum formaliter, à quo derivata ſit virtus illa: ſicut à bobe generante deciditur ſemen generativum bobis.* Itaque iuxta hanc doctrinam, inter virtutem cœleſtem, & animalia generata intermediat agens particulare, nempe ſemen non deciſſum ab aliquo vnivocato cum prædictis animalibus, ſed proportionabiliter tantum conveniente cum illis.

Sed adhuc reſtat inquirere, vtrũ illud ſemen, quod ponitur cauſa particularis horum animalium, ſit vnivocum cum illis ea vnivocatione, qua ſemen à bobe deciſſum vnivocatur cũ bobe generato? Reſp. quod ſic, nam ſemen, ex quo animal gignitur nihil aliud eſt, quam ipſum animal in virtute: ergo requiritur neceſſario, quod vnivocetur cum genito eo modo, quo ſemen bobis vnivocatur cum bobe generato. Itaque, ſicut ſemen deciſſum à bobe non poteſt aliud producere niſi bobẽ, ita ſemen illud, ex quo præfata enim alia generantur, ſic in particulari determinatur ad illa, quod ad alia extendi non poſsit.

638 Sed rurſus inquiris, quid intelligit D. Th. per illa verba, *ſufficit agens vniverſale, quod eſt virtus cœleſtis*? An intelligat virtutem ipſius cœli? An vero virtutem ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ movet cœlum, quæ etiam virtus cœleſtis dici poteſt, eo quod illius virtute cœlum operatur? Reſp. nomine virtutis cœleſtis intelligi poſſe cœleſtem virtutem, quæ ineſt ipſi

cœ-

Digitized by Google

cœlo ei communicatam à ſubſtantia ſeparata, à qua movetur, & poſſe etiam intelligi ipſam virtutem ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ vnitur cœlo, ſicut movens moto, vel ſicut cauſę principalis inſtrumēto, per quod agit. Moveor ad hoc, quia cœlum non cauſat vitam horum animalium imperfectorum, vt cauſa principalis, ſed tantum vt inſtrumentum, vt docet D. Thom. de pot. q. 6. art. 6. ad 10. ibi: *Dicendum, quod corpora cœleſtia, etiamſi non ſint animata, tamen moventur à ſubſtantia vivente ſeparata, cuius virtute agunt, ſicut inſtrumentum virtute principalis agētis, & ex hoc cauſant in inferioribus vitam.* Quam doctrinam clarius tradidit hic, quæſt. 7. art. 3. ad 3. ibi: *Dicendum, quod corpus cœleſte, cum ſit movens motum, habet rationem inſtrumenti, quod agit in virtute principalis agentis, & ideo ex virtute ſui motoris, qui eſt ſubſtantia vivens, poteſt cauſare vitam.* Cum ergo nomine virtutis cœleſtis, quæ eſt vniverſale agens ibi intelligat D. Thom. non ſolum inſtrumentum vniverſale, ſed etiam cauſam principalem talium generationum, nomine virtutis cęleſtis ibi intelligitur; omnis virtus vniverſalis horum effectuum: hæc autē eſt duplex; alia ipſius ſubſtantiæ ſeparatæ, virtute cuius cœlum movetur, & alia ipſius cœli ipſi communicata à cauſa principali, & ſic nomine virtutis cœleſtis vtramque virtutem deſignavit, nempe ſubſtantię ſeparatæ, & ipſius cœli.

639 Vlterius inquiris, an virtus illa, qua cœlum cauſat hæc viventia imperfecta, ſit ipſe motus circularis, quo movetur? An ſit præter illum alia vis activa ei communicata à ſubſtantia ſeparata? Cum cœlum vt merum inſtrumentum ſubſtantiæ ſeparatę viventia prçfata cauſet, & circa id, per quod elevatur inſtrumentum à principali agente ſit duplex ſententia inter Thomiſtas, alijs dicentibus elevari per motum ipſum, quo à principali agente movētur omni alia virtute ſecluſa; alijs præter præfatum motum, qualitatem activam per modum tranſeuntis deſiderantibus, iuxta iſta duo placita Theologorum placet reſpondere quæſito. Si ergo teneatur prima ſententia, non eſt ponendum aliud in cœlo, vt efficiat præfata animalia; niſi ipſe motus, quo de facto movetur; per illum enim inſtrumentaliter agit omni alio ſecluſo. Si autem teneatur ſecunda, dicendū eſt, præter illum motum, quem corpora cœleſtia accipiunt à ſubſtantia ea movente, dari aliam virtutem; qua ipſa elevata vitam in hæc inferiora cauſant. Neque veritas harum ſententiarum modo à nobis examinanda eſt, ſed relinquitur eius examē ad 3. p. quæſt. 13.

Ad 3. Confirm. nego Conſeq. nam vt ea, quæ per naturam fiunt, creaturæ Dei dicantur, non opus eſt, quod dum opus naturæ fit, aliquid de novo creetur, ſed ſufficit ſi in eo, quod fit, aliquid inſit, quod per ſolam actionem creativam eſſe habuerit; & quia omnis creatura materialis, dum per generationem fit, præſupponit materiam, quæ à ſolo Deo facta eſt per actionem creativam, ideo omnis talis vere eſt, & dicitur creatura.

(?)

TRACTATVS DECIMVS SEXTVS DE ANGELIS.

NOBILITATEM Huius Tractatus ſatis commẽdat nobilſsimum Angelorum eſſe, quod eſt obiectum, & materia, circa quam verſatur. Arduitatem eius ſatis probat, quod, cum omnis noſtra cognitio ortum habeat à ſenſibus, cum Angeli ſubſtantiæ ſeparatæ ſint, ſenſus noſtros effugiunt: vnde eorum diffinire naturas, proprietates explorare, & eorum explicare officia, excedit hominum in hac vita degentium cogitatum. Bene ſcripſit D.Thom. de Angelis, quia non purus homo, ſed homo, & Angelus dictus eſt. Bene ſcripſit, qui Tractatum de Angelis non tam labore, ac proprio ſtudio compoſitum, quam diuinitus tradditum accepit. Bene ſcripſit de Angelis, cui viſum eſt ab Angelo velut alteri Ioanni, hæc ſcribe Eccleſiæ. Bene ſcripſit, cui de Angelorum Domino datum eſt deſuper. Bene ſcribere bene ſcripſit, vt tanto præeunte Magiſtro, diſcamus & diſcipuli bene ſcribere. Iuxta miram ergo Angelici Doctoris doctrinam de Angelis Tractatum aggredimur, vt quæ de plenitudine ſcientiæ eius accepimus, alijs tradamus.

QVÆSTIO PRIMA.

De ſubſtantia Angelorum.

§ I.

An dentur Angeli in rerum natura?

640 ANTE omnia ſcire oportet, an Angeli exiſtant? Nam ſicut omnia fundantur ſuper eſſe rei, ſic & cognitio omnium, quæ ſpectant ad Angelos fundatur ſuper ſcientiam de eorum vero eſſe, & exiſtere. Circa ergo huiuſmodi quæſitum fuerunt Antiqui Philoſophi, quorum meminit Ariſt. 4. phyſic. text. 52. & 57. aſſerentes nihil eſſe in mundo præter res corporeas, & ſenſibiles. Horum errorem ſequuti ſunt poſtea Saducæi dicentes, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque vllum ſpiritum, vt refert S. Lucas Actuum 23. Indubitanter tamen tenendum eſt cum communi ſenſu Theologorum, dari de facto Angelos. Quod comprobant Commentatores D. Thom. hic ex varijs locis Sacræ Scripturæ, qui poſſunt videri apud ipſos. Nobis ſufficiat Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III cap. Firmiter de ſumma Trinit. & fide Catholica, ibi: *Creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque ex nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Quibus verbis Concilium triplex genus creaturarum aſſignat dari de facto, aliud ſpiritualium, de quo aſſerit eſſe Angelos, aliud corporalium, quod dicit eſſe creaturam mundanã, quia cum corporea ſit, & puro ſpiritu non conſtet, hunc mundum tantum agnoſcit pro ſibi patria adæquata, ſic, quod poſt ipſum alterum habitare non ſpectat: vnde merito creatura mundana dicitur; & aliud partim ſpiritualium, & partim corporalium, nempe hominem: ergo indubitata fide tenendum eſt, dari de facto Angelos à Deo creatos.

Dices, in verbis iſtis non procedere Concilium diffinitive, quia non habetur Scripturæ locus, ex quo conſtet Angelos ab initio fuiſſe creatos, imò habetur oppoſitum, nam cum Moyſes refert ea, quæ à Deo creata ſunt, nullam facit mentionem Angelorum, ſed tantum refert creationem corporalis creaturæ, dicens: *In principio creavit Deus cælum, & terram:* non ergo in adductis Verbis Concilium poteſt procedere diffiniendo.

Sed contra eſt. Nam cum conſtat ex innumeris locis Scripturæ Sacræ dari Angelos, bene potuit Concilium diffinire eos fuiſſe creatos, & comprehendi eorũ creationem in illo Verbo, *cælum*, neque enim ad diffiniendum de fide requiritur, quod diffinitio fundetur ſuper expreſſam revelationem rei diffiniendæ, eſt enim diffinitio explicatio eorum, quæ non habentur expreſſe revelata: vnde quamvis creationis Angelorum non habeatur expreſſa revelatio, cum tamen conſtet eos de facto dari, potuit Concilium interpretari ſub illo verbo *cælum* Angelorum comprehendi creationem. Nec huic ſe opponit, quod expreſſam mentionem non fecerit Moyſes Angelorum, cum ea, quæ creata ſunt ab initio, retulerit, quia forſan eorum non meminit; quia (vt inquit Hieronymus) ſolum voluit ordinem creationis rerum corporalium deſcribere, quia ſolum in rebus corporeis creandis fuit illa ſeries, & varietas dierum, quam præcipue Moyſes explicare in Geneſi intendebat, vel quia noluit fidem explicitam creationis angelorum tradere, cum ad hunc mundum viſibilem non pertineant; contentus eorum creationem includere illis verbis, *in principio creavit Deus cælum*, relinquens ab Eccleſia deinde explicandum, quod nomine *cæli* intelligantur etiam eorum habitatores, qui ſunt in ipſis, vel tanquam motores in motu, vel tanquam curiales in cæleſti curia.

Probat D. Thom. hanc eandem veritatem hic, q. 50. art. 1. hac ratione: *Id enim quod præcipue in rebus creatis Deus intendit, eſt bonum, quod conſiſtit in aſſimilatione ad Deum: perfecta autem aſſimilatio effectus ad cauſam, attenditur, quando effectus imitatur cauſam ſecundum illud, per quod cauſa producit effectum, ſicut calidum facit calidum: Deus autem creaturam producit per intellectum, & voluntatem: unde ad perfectionem univerſi requiritur, quod ſint aliqua creaturæ intellectuales: intelligere autem non poteſt eſſe actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ, quia omne corpus determinatur ad hic, & nunc; unde neceſſe eſt, ponere ad hoc, quod uni-*

Digitized by Google

univerſum perfectum ſit, quod ſit aliqua incorporea creatura. Sic D. Thom.

§. II.

Solvuntur inſtantiæ contra hanc rationem.

641 HÆC Ratio, eſto efficax ſit, pluribus diſciplicet, & alijs minus efficax apparet: Primo, quia per illam non videtur concludi intentum, nempe, quod dentur Angeli, qui creaturæ complete intellectuales ſint. Etenim omnia ea, quæ in ratione D. Thom. adducuntur, tantum probant dari in vniverſo creaturam aſsimilatam Deo in eo, quod eſt illi ratio agendi, nempe in intellectu, & voluntate; ad hoc autem verificandum, ſufficit, quod dentur in vniverſo animæ rationales, quæ ſunt intellectuales formæ agentes per intellectum, & voluntate; animæ autem non ſunt creaturæ complete, & purè intellectuales, vt per ſe notum eſt; igitur ratio D. Thom. non concludit dari Angelos, qui ſint ſubſtantiæ complete pure intellectuales.

Cæterum hæc inſtantia non infringit efficaciam rationis D. Thom. hæc enim non procedit ex quacumque aſsimilatione effectus ad cauſam ſed de perfecta inter naturaliter poſsibiles, quæ poteſt convenire effectui: hæc autem non habetur inter creaturam, & Deum per hoc, quod creatura participet hoc, quod eſt operari per intellectum, & voluntatem; ſed ſupra hoc requirit, quod ſicut Deus non habet alias operationes niſi intellectionem, & volitionem, nec alia principia operativa, niſi intellectum, & voluntatem: ita creatura perfecte aſsimilata illi, non habeat alias operationes niſi intellectionem, & volitionem, neque alia principia proxime operativa niſi intellectum, & voluntatem. Et ſicut ex hoc capite concluditur, quod Deus ſit ſubſtantia complete intellectualis, ita & concludi debet dari creaturam in hoc Deo aſsimilatam, quæ complete intellectualis ſit, & diſtinguatur ab anima rationali, quæ vegetat, ſentit, & ratiocinatur.

Dices, in ratione facta non aſſumi mediū ad probandum de facto dari creaturam, ſic Deo aſsimilatam, quod ſicut Deus nō habet alias operationes niſi intellectus, & voluntatis, ita & ipſa non habeat alias operationes niſi intellectus, & voluntatis. Sed contra hoc eſt, nam ratio D. Th. procedit ex eo, quod hoc vniverſum perfectum à Deo creatū eſt, iuxta illud Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, & cum perfectio effectus conſiſtat in perfecta aſsimilatione ad cauſam, debet in hoc vniverſo dari effectus perfecte aſsimilatus Deo perfectione ſibi naturaliter poſsibili, hæc autem ſtat in eo, quod ſicut Deus ſolum per intellectum, & voluntatem operatur, ita & effectus perfecte ei aſsimilatus ſolum per intellectum, & voluntatem operetur: ergo ratio D. Th. medium habet, per quod convincat dari de facto Angelos in vniverſo, qui ſolum per intellectum, & voluntatem operentur.

Sed inſtas. Non eſt de perfectione vniverſi habere de facto creaturam perfectam omni perfectione naturaliter poſsibili ei convenire ſecundum ſpeciem: ergo neque erit de perfectione eius habere creaturam perfectam omni gradu poſsibili convenire creaturæ naturaliter, & ſic non probabitur dari in vniverſo creaturas complete intellectuales. Sed ad hoc, nego Conſeq. Tum, quia vniverſum formaliter conſtat ex gradibus; ex ſpeciebus autem conſtat tantum materialiter: oportet ergo, quod ſi vniverſum, vti revelatum eſt, perfectum creatum eſt, actu conſtet omni perfectione ſibi formaliter conveniente, quidquid ſit de materiali: vnde oportet, quod conſtet ex omni gradu naturaliter poſsibili ei convenire; non autem requiritur, quod conſtet ex omni ſpecie ſibi naturaliter poſsibili. Præter quam quod, gradus, cum ſint finiti cathegorematice, & ſyncathegorematice, non eſt inconveniens, quod omnes de facto creati ſint: perfectiſsima autē ſpecies gradus intellectualis poſsibilis non eſt, quia in ordine perfectionis ſpecificæ datur proceſſus in infinitum: vnde qualibet perfectiſsima producta, Deus poteſt alias, & alias in infinitum producere, & ſic vniverſum nequit de facto conſtare perfectiſsima ſpecie: vnde non eſt paritas.

Sed adhuc inſtas, ex his præmiſsis, *vniverſum de facto eſt à Deo productum ſecundum fidem; ſed vniverſum ad ſui integritatē requirit creationem creaturæ complete ſpiritualis:* non ſequitur; *ergo de facto vniverſum conſtat ex creaturis complete intellectualibus:* Ergo adhuc ratio D. Thom. non eſt efficax. Prob. Ant. ex his præmiſsis, *neſi-*

eſt hominem eſſe productum, ſed de integritate hominis eſt, quod habeat pedes, & manus: non ſequitur; *ergo homo productus habet pedes, & manus*, cum ſint homines producti ſine pedibus, & ſine manibus, vt licet videre in monſtris: ergo ſimiliter ex his præmiſsis, *de fide eſt Deum creaſſe vniverſum, ſed de integritate vniverſi eſt, quod conſtet ex creaturis complete intellectualibus*, non ſequetur, *ergo de facto vniverſum conſtat ex illis.*

1 Ad hoc, concedo totum diſcurſum, & nihil contra nos. Quia ratio non procedit ex illa præmiſſa Maiori, videlicet, *de fide eſt vniverſum eſſe factum à Deo*, ſed ex iſta, *de fide eſt vniverſum perfectum eſſe creatum à Deo*, vt conſtat ex illo, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat*, id eſt, vniverſum, *& erant valde bona*, id eſt, valde perfectū: vnde nihil concluditur. Secundo dico, revelatū eſſe, non ſolū vniverſum eſſe factū, ſed eſſe factum immediate à Deo; à Deo autē immediate operante monſtra non exeunt, & ſic, cū dicta revelatione non ſtat, quod vniverſum monſtruoſum ſit. Tertio dico, quod licet ex revelatione, quod detur vniverſum, non inferatur, quod detur omni integritate perfectū, & omnibus partibus, quibus conſtare debet integratū; tamen debet inferri, quod detur vniverſum conſtans illis partibus ſic integrantibus, quod illis non datis, vniverſum non daretur, quod de præcipuis partibus debet intelligi; ſed creaturæ intellectuales ſunt partes præcipuæ vniverſi, vtpote omnibus aliis perfectiores, & à quibus velut à capite omnis influxus derivatur ad alias vniverſi partes: igitur ex hoc quod revelatum ſit dari vniverſum, bene convincitur, quod debent eſſe in eo creaturæ intellectuales completæ, & perfectæ. Explicatur hoc. Etenim ſi revelatur de facto dari hominem, eſto, cum hac revelatione ſtet, quod ille homo non habeat pedes, nec manus, vel alias partes corporis minus præcipuas, non tamen ſtat cū data revelatione, quod detur homo ſine capite, & ſine corde, quia eſto iſtæ partes integrantes hominis ſint, tamen ſunt præcipuæ partes hominis, à quibus totus homo influxum recipit, quo vivit, & durat, cum ergo vniverſi partes magis principales ſint ſubſtantiæ complete intellectuales, fit conſequens, quod ex revelatione quod detur vniverſum, bene convincatur, dari creaturas cōplete intellectuales.

Quarto dico, quod licet contingat dari aliquod monſtrum in aliqua creatura in particulari, puta homine, leone, cane, & aliis huiuſmodi propter bonum naturæ vniverſalis; tamen ipſa natura vniverſalis monſtrum eſſe non poteſt: cuius ea eſt ratio, quia monſtra, quæ contingunt, eſto ſint præter naturam entis particularis, ſunt tamen iuxta naturam ipſius vniverſalis: ipſum autem vniverſum nequit eſſe propter aliud bonum vniverſalius, & ſic nequit eſſe monſtruoſum: vnde, eſto cum revelatione de eo, quod detur homo, ſtet homo ſine pedibus, & manibus; tamen cum revelatione huius, quod eſt dari vniverſum, non ſtat, quod detur ſine gradu completæ intellectualitatis: eſſet enim dari monſtrum in ipſa natura vniverſali.

642 Secundo principaliter inſtabis contra rationem Div. Thom. Nullum agens per intellectum, & voluntatem ex his, quos experimur aſsimilat ſibi effectum in natura ſua, quæ eſt illi principium operationis, ſed tantum aſsimilat ſibi effectum in idea, quam intra intellectum ſuum efformat rei fiendæ: ergo cum Deus producat vniverſum per intellectum, & voluntatem, non aſsimilabit illud ſibi in natura intellectuali, quæ eſt Deo principium operandi creaturas ad extra. Confirm. Deus producens Angelos tantum illos aſsimilat ideis Angelicis; ſed ideæ non ſunt formæ intellectuales, ſed tantum ſunt formæ intelligibiles: ergo ex hac aſsimilatione creaturæ ad Deum non infertur, dari creaturam aſsimilatam Deo in ipſa ratione naturæ complete intellectualis. Ad hoc, nego Conſequent. nam effectus procedentes ab agentibus creatis ſunt effectus ſecundum artem tantum, & non perveniunt ad eſſe effectuum naturalium, & ſic tantum aſsimilantur arti, vt principio effectivo, & ideæ rei fiendæ, vt cauſæ exemplari; non vero aſsimilantur naturæ artificis: ad hoc enim requirebatur eſſe effectus naturales, ſicut ſunt illi, qui per generationē producuntur. Effectus autem, qui producuntur à Deo per intellectum, & voluntatem ſunt vere, & proprie effectus naturales, & ſic poſſunt aſsimilari naturæ artificis Dei.

2 Secundo, nego Conſ. quia idea artificis creati non eſt ipſa natura artificis, ſed eſt quædam forma intentionalis, quā artifex intra ſuum intellectum efformat, & ſic cū effectus prædicti aſsimilentur per ſe ideis,

non aſsimilantur naturæ artificis ; cæterum ideæ, quibus Deus ſummus artifex creaturas operatur, ſunt ipſamet natura Dei cognita, vt diverſimode imitabilis à creaturis, & ſic ſtat bene, quod effectus evadant ſimiles divinis ideis cum hoc, quod eſt evadere ſimiles in natura Dei. Hinc ad Confirm. nego Min. etenim ideæ, quibus Angeli aſsimilantur, ſunt ipſamet natura divina, ſecundum quod cognoſcitur vt imitabilis à natura Angelica; natura autem divina non ſolum eſt intelligibilis, ſed etiam eſt intellectualis, & ſic Angeli imitantur illam, in quantum natura complete intellectualis eſt.

Sed inſtas, natura divina, vt exercet munus ideæ, tantum eſt forma intelligibilis, & nullatenus intellectualis; ſed Angeli imitantur naturam divinam ſolum vt ideam: ergo tantum imitantur illam vt formam intelligibilem, non vero vt formam intellectualem. Ad hoc, diſt. Min. imitantur naturam divinam ſolum vt ideam, ly *ſolum* cadente ſupra munus ideæ, nego Min. cadente ſupra naturam divinam, quæ ſubeſt tali muneri, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque idea divina dicit naturam divinam, & munus ideandi ; ratione huius ſecundi, tantum intelligitur vt forma intelligibilis, quia prout ſic, ſolum concurrit vt cognita, ſicut exemplar : ratione autem naturæ divinæ, quæ ſubeſt tali muneri, dicit formam intellectualem, quia dicit id, in quo conſiſtit natura Dei : Angeli ergo non imitantur ideas quoad munus ideandi, neque enim Angeli ideæ ſunt, ſed imitantur gradus, quos præcontinet natura divina, & ſic quamvis evadant ſimiles ideis, poſſunt aſsimilari Deo in natura intellectuali.

643. Tertio inſtabis principaliter, illa propoſitio, nempe quod *univerſum, vt perfectum ſit, debet conſtare ex omni gradu poſsibili naturaliter convenire creaturæ*, non eſt per ſe nota, neque à D. Thom. efficaciter probata ; ergo ratio D. Thomi quæ illi innititur, efficax non eſt. Prob. Antec. quoad primam partem ; nam gradus entis, vitæ, & intellectualitatis non habent inter ſe connexionē eſſentialem : ergo non eſt per ſe notum, quod vniverſum perfectū debet conſtare ex omnibus illis. Quoad ſecundam partem etiam prob. nam Deum aſsimilare ſibi effectum ſuum in forma intellectuali, quæ eſt principium agendi per intellectum, & voluntatem, fuit mere liberum Deo : ergo illa aſsimilatio de facto, ſolum poteſt nobis innoteſcere per finem, non vero probari efficaciter poteſt aliqua ratione naturali.

Ad hoc argumentum, nego Antec. exiſtimo enim, quod vniverſum perfectum perfectione ſibi eſſentiali debere conſtare illis gradibus, qui ſolum ſunt poſsibiles naturaliter communicari creaturis : vnde dicta propoſitio erit per ſe nota ſecundum ſe, eſto non quoad nos. Moveor primo ad hoc auctoritate D. Thom. ſupra quæſt. 22. articul. 4. vbi habet : *Poſt bonitatem divinam, quæ eſt finis à rebus ſeparatus, principale bonum in rebus conſiſtens eſt perfectio univerſi, quæ quidem non eſſet, ſi non omnes gradus eſſendi invenirentur in eo : unde ad providentiam divinam pertinet, omnes gradus entium producere.* Ex quibus, id eſt eſſentiale vniverſo eſſentialiter perfecto, quo non dato, non daretur vniverſum perfectum ; ſed ſecundum D. Thom. ſi non darentur de facto omnes gradus eſſendi, non daretur vniverſum perfectum : ergo vniverſum perfectum eſſentialiter conſtat ex omni gradu eſſendi.

Moveor deinde ratione, nam vniverſum idem eſt, ac natura vniverſalis, non vniverſalitate ſpecierum, ſed vniverſalitate graduum : ergo vt perfectum ſit, debet in ſe continere omnes gradus ; neque enim dicitur vniverſalis reſpectu graduum, quia illos præcontineat in potentia, ſicut genus dicitur vniverſale reſpectu ſuarum ſpecierum, quia in potentia præcontinet ſuas ſpecies, hoc eſt, vt determinabilis, ſed dicitur vniverſalis reſpectu graduum entis vniverſalitate totius actualis ; quod requirit neceſſario conſtare actualiter ex illis ; ſicut animal v. g. vt totum actuale requirit actu conſtare ex viventi ſenſibili : vnde ſicut ſi non daretur vivens ſenſibile, non daretur animal, ita ſi non darentur actu omnes gradus eſſendi naturaliter potentes convenire creaturis, non daretur actu vniverſum perfectum.

Hinc colligo rationem D. Thom. eſſe demonſtrationem Theologicā, ſi ad hanc formam reducatur. Datur vniverſum perfectum ; ſed de ratione vniverſi perfecti eſt, quod conſtet ex omni gradu eſſendi poſsibili naturaliter convenire creaturis : ergo datur de facto gradus naturæ complete ſpiritualis. Maior. eſt de fide : Minor. eſt

eſt per ſe nota, & Conſeq. patet; quia res conſtans eſt, quod gradus naturæ complete intellectualis, ſit vnus ex his, quæ poſſunt naturaliter convenire creaturis. Et ſic ratio facta eſt demonſtratio Theologica.

§. III.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

644 PRIMO Arguitur, ſi dantur Angeli omnino incorporei, ſequitur, quod aliquod prædicatum de linea entis vnivoce dicatur de Deo, & creaturis; Conſ. non eſt admittendum: ergo nec concluſio. Min. patet, alias daretur aliquod genus ad Deum, & creaturas, vnde Deus poneretur ſub genere; eſſet enim illa ratio vnivoca genus. Mai. autem prob. tunc Deus, & Angeli eſſet omnino incorporei incorporeitate omnino eiuſdem rationis in Deo, & in Angelis: ergo Deus, & Angeli vnivocarentur in illa ratione. Prob. Ant. omnimoda incorporeitas, cum conſiſtat in adæquata carentia materiæ, nõ ſuſciperet magis, & minus: ergo vnivocarentur in illa Deus, & Angeli, ſi verum eſt, quod dentur Angeli, qui omnino incorporei ſint.

Ad hoc, nego Mai. ad prob. nego Ant. ad prob. nego ſuppoſitum, videlicet, quod omnimoda incorporeitas, qualis eſt illa, quæ Deo convenit, conſiſtat in ſola carentia materiæ. Etenim incorporeitas, prout de Deo dicitur, non dicit ſolam carentiam materiæ phyſicæ, ſed dicit carentiam omnis potentialitatis tam phyſicæ, quam metaphyſicæ, quæ quidem Angelis non convenit, dum ſolum ſint formæ ſeparatæ à materia phyſica, & concernant potentialitatem metaphyſicam: vnde non vna indiviſibili ratione incorporeitatis Angeli dicuntur incorporei, & Deus; nam incorporeitas dicta de Angelis eſt limitata, vtpote ſolum excludens materiam phyſicã, & in hoc conſiſtens: incorporeitas Dei eſt illimitatã, vtpote per depuratione ab omni fœce potentialitatis, & ſic, non datur prædicatum vnivocum Deo, & Angelis, etiam ſi illi incorporei ſint.

Sed inſtas, in Deo aliud eſt eſſe incorporeum, & aliud eſſe actum purum; hoc ſecundum dicitur per excluſionem omnis potentialitatis: ergo primum ſolum dicet carentiam corporeitatis phyſicæ; hæc autẽ omnino eiuſdẽ rationis eſt in Deo, & Angelis: ergo ſi Angeli ſunt omnino incorporei, incorporeitas dicetur vnivoce de Deo, & Angelis. Ad hoc, diſt. Mai. In Deo aliud eſt eſſe incorporeum, & aliud eſſe actum purum, aliud eſt ſecundum puram explicationem, tranſ. Mai. ſecundum implicitum, & explicitum, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. ergo primum ſolum dicit carentiam phyſicæ corporeitatis, ſecundũ explicitũ, tranſ. Conſ ſecundum implicitũ, & explicitũ, nego Conſeq. Itaque, incorporeitas, prout dicitur de Angelis, eſt differentia ſubſtantiæ limitatæ poſibilis in prædicamẽto: vnde non ſolũ dicit carere phyſica materia, ſed vlterius addit carere tantũ materia phyſica; quod autẽ tantum habet carere materia phyſica, nequit identificare ſecum ens carens omni potentialitate: & ſic nequit convenire Deo, qui actus purus eſt; at incorporeum, prout de Deo dicitur, eſto ſolũ explicet carere materia phyſica, non tamen dicit tantum carere materia phyſica: & ſic poteſt identificari cum Deo, qui actus purus eſt: vnde licet explicite ſolum importet carentiã corporis phyſici, implicite tamen dicit ipſum actum purum: vnde non eſt eiuſdem rationis cum ea incorporeitate, quæ convenit Angelis, quia hæc excludit materiam, ſed poſitive concernit potentialitatem.

645 Secundo arguitur; gradus intellectivus ſalvatur, etiã ſi Angeli non ſint: ergo non eſt ratio convincens dari Angelos. Prob. Antec. homo habet convenire cum Angelis in gradu intellectivo, ſiquidem intelligit vnivoce cum illis, & vult ſimiliter vnivoce cum illis; ſed etiam ſi non darentur Angeli, daretur homo: igitur ſalvatur gradus intellectivus, etiam ſi Angeli non ſint. Confirm. per hoc quod Deus aſſumpſit naturam humanam, omnes gradus vniverſi exaltati ſunt; hoc autem non eſſet verum, ſi homo non eſſet eiuſdem gradus cum Angelo; quomodo enim homine exaltato, in ipſo natura Angelica exaltaretur, ſi homo, & Angelus non eſſent eiuſdem gradus? ergo dicendum erit Angelum, & hominem eſſe eiuſdem gradus. Confirm. ſecundo, vniverſum valde perficitur per vnionem hypoſtaticam; & tamen ex perfectione vniverſi non poteſt probari de facto Deum eſſe incarnatũ: ergo licet Angeli ſint ex perfectione vniverſi, non probabitur dari Angelos ex hoc quod datur vniverſum perfectum.

Ad hoc, diſt. Antec. gradus intellectivus ſalvatur, etiã ſi Angeli nõ ſint, ſalvatur vt participatur à ſupremo infimi; conc. Ant. ſalvatur eſſentialiter, & adæquate, nego Ant. & Conſ. Ad prob. homo habet convenire cum Angelis in gradu intellectivo, diſt. Mai. participative tantum, conc. Mai. adæquate eſſentialiter, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. ſalvatur participative, conc. Cõſ. adæquate eſſentialiter, nego Conſ. Itaque, ſicut potentia cogitativa, ex hoc quod ſupremũ infimi eſt, in homine habet participare diſcurſum, non adæquate, ſed ſolum inadæquate; ſic homo, ex hoc quod ſuprema ſpecies eſt ordinis immediate inferioris ad Angelos, habet partem capere gradus intellectivi, cuius propriæ ſpecies ſunt Angeli. Itaque gradus intellectivus, qui cõvenit Angelis, non ſolum dicit intelligere, & velle; ſed vlterius dicit, non habere alias operationes præter intelligere, & velle: per hoc enim ſupra diximus tantum haberi perfectam aſsimilationẽ cum Deo: ex hoc autem homo partem capit, nempe intelligere, & velle; non autem totũ, quia cum conſtet ex materia, & forma, præter operationes pure immateriales habet alias, quæ materiales ſunt. Vnde, vt vniverſum perfectum ſit, non ſufficit, quod dentur homines, in quibus inadæquate gradus intellectivus ſalvetur; ſed vltra requiritur, quod dentur Angeli, qui ſint completè naturæ intellectuales.

Sed contra inſtas, ſi intelligere ſolum participative, & inadæquate invenitur in homine, nõ poſſet vnivoce convenire homo etiã cũ Angelo in intelligere; at convenit vnivoce cum illo in intelligere: ergo intelligere non ſolũ participative invenitur in homine. Prob. Mai. dum natura divina ſolum participative habetur in gratia, nequit hæc vnivocari cum Deo in prædicato naturæ divinæ; prædicatum enim dictum formaliter de cauſa, & effectu non adæquante cauſam, non dicitur vnivoce de cauſa, & effectu: ergo ſi intelligere ſolum participative invenitur in homine, ſequitur, quod homo non intelligat vnivoce cũ Angelis.

Ad hoc, diſt. Min. & convenit vnivoce in intelligere, in intelligere vt dicit gradum naturæ completæ intellectualis, nego Min. vt tantum dicit prædicatum, conc. Min. & diſt. Conſeq. ergo intelligere non ſolũ participative dicitur de homine, prout dicit gradum, nego Conſ. prout dicit prædicatum, concedo Conſeq. Itaque intelligere ſtat dupliciter. Primo, pro intelligere completo, & omnino independenti à materia, quo modo dicit gradũ; & iſto modo non participatur vnivoce ab homine cum Angelo; alio modo, intelligere accipitur ſolum prout eſt quoddam prædicatum dicens actionem cognoſcitivam; purè entitativè ſpiritualem: & hoc intelligere vnivoce convenit homini cum Angelo; ſed hoc non facit gradum eſſentialiter, ſeu participationem gradus: quia poteſt inveniri cum dependentia à materia obiective, & poteſt oriri à forma informante materiã, quod repugnat intelligere, prout dicit gradum eſſentialiter communem ſpeciebus Angelicis: in hoc ergo intelligere dicitur homo vnivocari cum Angelo, ſed quia hoc intelligere convenit homini ex participatione inadæquata gradus Angelici; ideo intelligere, prout dicit gradum, non dicitur vnivoce de homine, & de Angelo.

Ad confir. dico, quod ex hoc quod gradus intellectivus inadæquate participatur ab homine, ideo aſſumpta humanitate, dicitur etiam exaltatam fuiſſe naturam Angelicam; ſicut enim natura humana participat gradum naturæ Angelicæ inadæquate, ita ex exaltatione perfecta naturæ humanæ per aſſumptionem à Verbo, participarunt Angeli ſui exaltationem, non ita perfectam ſicut natura humana aſſumpta, quæ per ſe primo exaltata eſt. Ad ſecundam Confir. diſt. Mai. valde perficitur vniverſum per vnionem hypoſtaticã exactive, nego Mai. pure obedientialiter, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque vnio hypoſtatica fuit perfectio vniverſi pure per nõ repugnantiã conveniens vniverſo, & ſic ex perfectione vniverſi non infertur dari de facto vnionem hypoſtaticam; at gradus naturæ complete intellectualis eſt perfectio exacta eſſentialiter ab vniverſo, ſic, quod vt vidimus ex D. Thom. non daretur vniverſum eſſentialiter perfectum ſine illa: & ſic, ex perfectione vniverſi perfecti infertur, quod ſint naturę complete intellectuales, quæ Angeli ſunt.

646 Vlterius arguitur, non eſt dabilis perfectiſsima creatura: ergo non erit dabilis perfectiſsimus gradus. Prob. Conſeq. quia quælibet creatura infinite diſtat à Deo, non eſt poſsibilis perfectiſsima creatura, ſeu quilibet gradus infinite diſtat a Deo: ergo non erit poſsibilis perfectiſsimus gradus.

Con-

Confirm. non eſt bona conſequentia, perfectiſsimus gradus eſt poſsibilis: ergo de facto eſt creatus à Deo. Prob. Antec. in ordine ſupernaturali vnio hypoſtatica eſt poſsibilis: ergo de facto datur; non valet, alias ex ſola poſsibilitate incarnationis colligeremus exiſtentiam eius: ergo ſimiliter non erit bona conſequentia, perfectiſsimus gradus eſt poſsibilis: ergo de facto exiſtit in Angelis. Ad hoc, nego Conſeq. ad prob. diſt. Min. infinite diſtat formaliter, nego Min. materialiter, tranſ. Min. & nego Conſeq. Itaque gradus pure intellectivi, de quo loquimur, pro formali gradus non diſtat à Deo, quia formaliter invenitur in illo, pro materiali autem diſtat in infinitum, & ſic argumentum ſolũ probat, quod pro materiali non ſit poſsibilis perfectiſsimus gradus; non vero quod pro formali poſsibilis non ſit. Ad Confirm. diſt. Ant. loquendo de poſsibili naturaliter, nego Ant. loquendo de poſsibili miraculoſe, conc. Ant. & nego Conſeq. ad prob. dico, quod in ordine ſupernaturali vnio hypoſtatica non eſt poſsibilis ex natura ordinis, ſed ſolum ex miraculo intra eundem ordinẽ, & ſic Conſeq. illa non eſt bona: hic autem, cum ſupponamus gradum pure intellectivi eſſe ex natura rei poſsibilem, bona eſt prædicta Conſeq.

§ V.

Vtrùm Angeli ſint compoſiti ex materia eiuſdem rationis cum noſtra?

647 POSTQVAM D. Thom. in articulo primo huius quæſtionis 50. inquirit, vtrum Angelus ſit omnino incorporeus? Statim in articulo ſequenti inquirit, vtrum compoſitus ſit ex materia, & forma? Ex quo mihi ſuadeo, quod difficultas, quæ modo inquiritur, non fuit ſeparata per reſolutionem primi articuli, & veritas ſic habet, nã in primo articulo ſolũ reſolvit dari Angelos non diviſos per quantitatẽ, id eſt, ſubſtantias, quæ non eſſent radices quantitatis, ſic, quod per illã eſſent extenſæ, & diviſæ: vnde reſtabat ſciendum, vtrum illæ ſubſtãtiæ eſſentialem haberent diviſionem partium, & compoſitionem ex illis? Et ſic hoc reſtat videndũ tanquam addens difficultatem ad primam. Vnde ſicut ſupra quæſt. 3. primo quæſivit de Deo, vtrum eſſet corpus? Et deinde in ſecundo articulo quæſivit, vtrum in Deo eſſet compoſitio formæ, & materiæ? Ita modo eundem ordinem ſervat in Angelis, primo inquirens, vtrum ſint incorporei? Et deinde, vtrum componantur ex materia, & forma? Circa huiuſmodi ergo quæſitum fuit opinio Avicembron in libro Fontis Vitæ dicens; Angelos eſſe inextenſos quantitative; conſtare tamen forma ſubſtantiali, & materia prima eiuſdem rationis cum noſtra, quam quidem materiam credebat hic Auctor eſſe genus ad materiam Angelorum, & noſtram. Contra quem talem ſtatuo concluſionem.

Angelus non conſtat ex materia eiuſdem rationis cum noſtra. Probat hoc D. Tho. primo, quia in Pſal. 102. & Lucæ 21. Angeli appellantur virtutes, ex quo ſic deducit D. Th. opuſc. 15. c. 18. *Si quis autem diligenter vellit verba Sacræ Scripturæ inſpicere, ex eiſdẽ inſpicere poterit, Angelos eſſe immateriales: nominat enim eos Sacra Scriptura quaſdã virtutes, dicitur enim in Pſal. 102. benedicite Domino omnes Angeli eius, & poſtea de eiſdem ſubdit, benedicite Domino omnes virtutes eius, & Lucæ 21. dicitur, virtutes cœlorũ movebuntur, quod de Sanctis Angelis omnes Doctores exponant, quod autẽ materiale eſt, non eſt virtus, ſed habet virtutẽ, ſicut non eſt eſſentia, ſed habet eſſentiã, ſequitur enim eſſentiam virtus: non eſt autem homo ſua humanitas, neque ſua eſſentia, neque ſua virtus: ſimiliter autem neque aliquid aliud ex materia, & forma compoſitum: relinquitur igitur ſecundum intentionem Scripturæ, Angelos immateriales eſſe.*

Cæterum hæc doctrina, qua vtitur D. Thom. in hac authoritate, ne dicam falſa, valde difficilis eſt. Etenim in Angelis, ſicut & in hominibus ſuppoſitũ, quod ſignificat hoc nomen *Angelus* realiter diſtinguitur à natura Angelica, & à ſua virtute: vnde iſtæ ſunt falſæ, *Angelus eſt natura Angelica, Angelus eſt virtus Angelica*, quas tamen hic aſſerit D. Th. eſſe veras. Cæterũ doctrina D. Tho. ſane intellecta veriſsima eſt. Pro quo adverto diſcrimen, quod habetur inter ſuppoſitum materiale, & ſuppoſitum Angelicum. Etenim, cum in compoſito materiali ratio phyſica individuationis realiter diſtinguatur à natura, fit inde, quod cum ſubſiſtentia oriatur à natura individua, & ad illam comparetur veluti ſuppoſitum radicale, non poteſt verificari, neque de ſuppoſito formali, neque de ſuppoſito radicali, quod ſit ſua eſſentia, vel ſua virtus; quia ſive ſumatur ſuppoſitum pro

individuo, ſive pro perſona, ſemper dicit aliquid realiter diſtinctum à natura: in Angelo autem, cum forma Angelica phyſice ſumpta ſe ipſa ſit individua, & ex illa ſic individuata, tanquam ex principio adæquato oriatur ſubſiſtentia, ex qua fit ſuppoſitum, fit inde, quod ſuppoſitum radicale ſit ſua eſſentia, & ſit ſua virtus, ſicut ſe ipſa individua eſt: hoc ergo eſt, quod vult D. Thom. in adducta authoritate, nempe quod Angelus ſumptus pro radice ſubſiſtentiæ ſua virtus ſit, & ſua eſſentia, ex quo probatur, quod Angeli non habeant materiam partem ſui, quia ſi illam haberent, in nullo ſenſu dici poſſent virtutes, ſicut illos appellat Scriptura.

Poſſet etiam dici, quod dicantur virtutes, quia vnuſquiſque Angelus poſsidet virtutem cum omni plenitudine, ſicut enim, quia Angelus eſt pura forma, poſsidet illam cum omni plenitudine ſpecifica, ſic, quod tota illa reperiatur in vno individuo Angelico, ita virtutem cum omni plenitudine poſsidet, quod non eſſet verum, ſi Angeli componerentur ex materia: tunc enim forma limitaretur, per mariam, & divideretur ad diviſionem materiæ, & ſic intra eandem ſpeciem, ſicut darentur plures formæ Angelicæ, darentur quoque plures Angelicæ virtutes intra eandem ſpeciem: recte ergo ex hoc quod Angeli dicantur virtutes, id eſt, poſsideant illas cum omni plenitudine ſpecifica, colligitur Angelos non conſtare ex materia.

648 Sed ſecundo prob. Concluſio ex §. præcedenti. Ibi enim vidimus, Angelos eſſe naturas complete intellectuales; ſed completa intellectualitas neceſſario oritur ex completa immaterialitate: ergo Angeli ſunt ſic immateriales, quod non conſtent ex materia. Conſeq. patet, & prob. Min. nam cũ intellectualitas ſit principium radicale intellectionis, quod eſt cõplete intellectuale, erit id, quod ex omni principio, quod habet, habet radicare intellectionem: cum ergo intellectio ſit actio pure immaterialis, dum omne, quod eſt in Angelo, eſt radix intellectionis, omne, quod eſt in Angelo, erit immateriale: vnde dum Angelus eſt complete intellectualis, erit complete immaterialis, & ſic nõ conſtabit ex materia.

Dices ad hoc, intellectionem hominis eſſe actionem pure immaterialẽ, & tamen compoſitum, quod eſt radix intellectionis, non eſt pure immateriale, ſed conſtat ex materia, & forma ſpirituali: ergo ex hoc, quod intellectio Angelica ſit pure ſpiritualis, non benè infertur, quod radix adæquata intellectionis debeat eſſe adæquate immaterialis. Sed contra hoc eſt, nam compoſitum non radicat intellectionẽ ex omni principio, ex quo conſtat: vnde non dicitur complete intellectualis, quia ſolum ratione formæ intelligit, non ratione materiæ: Angelus autem cum ſit complete intellectualis, ex omni eo, ex quo conſtat, radicat intellectionem: ergo cum intellectio radicata ſit pure immaterialis, adæquate eius radix erit ſimiliter immaterialis. Itaque nõ aſſerimus, quod non poſsit dari actio pure immaterialis in compoſito ex forma, & materia; quia, vt actio evadat omnino immaterialis, ſufficit, quod forma, per quam agens agit, ſit pure immaterialis, ſed aſſerimus, quod dum intellectio eſt pure immaterialis, adæquata ratio agendi debet eſſe immaterialis: cũ ergo in Angelo probatum ſit, quod ſecundum omnia, quæ habet, habet radicare intellectionem, quia in hoc ſtat eſſe adæquate immaterialem, optime convincitur, quod ſi intellectio Angelica eſt adæquate immaterialis, etiam Angelus adæquate immaterialis ſit.

Sed dicis, quod vt actio pure immaterialis ſit, non requiritur, quod adæquata radix eius ſit immaterialis. Et probabis à ſimili nam ad viſionem beatam concurrit non ſolum gratia, ſed etiam natura animæ; & tamen viſio beata eſt adæquate ſupernaturalis: ergo etiam ſi materia, & ſpiritus radicaliter influant in intellectionem, ſalvari poterit, quod hæc ſit adæquate immaterialis. Reſp. negando Antec. & ad probationem, nego Conſeq. Et aſsigno diſcrimen, nam cum anima ſit radicaliter activa circa adæquatam rationẽ ſui obiecti, quod eſt ens vt abſtrahit à naturali, & ſupernaturali; eſt quoque radicaliter activa circa ens ſupernaturale, quod ſub ente vt ſic continetur; & ſic eſt radicaliter activa circa viſionem Dei ſupernaturalem, quæ ab ipſo ente ſupernaturali ſpecificatur: vnde elevata per gratiam poteſt anima radicaliter influere in actum adæquate ſupernaturalem; at ſpiritus, circa quod verſatur intellectio, eſt extra rationem adęquatam agentis materialis, vt agens materiale eſt, quia obiectum eius adæquatum eſt ens corporeum, & materiale; & ſic, materia nequit elevari per formã, vt tãquã cauſa principalis actionem

nem purè ſpiritualem radicat, vel eliciat: vnde nequit eſſe actio pure ſpiritualis, cuius principium principale, etiam elevatum, ſit materia; cum ergo intellectio ſit pure ſpiritualis, non poterit pro principio principali materiam habere.

649 Tertio prob. Concluſio. Nam ſi Angeli conſtarent ex materia corporali, vt dicebat Avicembron, vel forma ſpiritualis Angelica eſſet in eadem parte materiæ, in qua eſſet forma corporalis, & hoc dicit nequit, quia eadem pars indiviſibilis materiæ nequit ſimul informari duplici forma ſubſtantiali, vel eſſet in materia corporali diſtincta, & diviſa à prima; & hoc nequit intelligi, niſi in Angelis ſit quantitas molis, ratione cuius ſolius poteſt materia dividi in varias portiones; cumque Avicembron neget Angelos habere quantitatem, dicere tenebitur, Angelos non conſtare ex materia corporali.

Dices, materiam Angelorum poſſe ſeparari à materia corporalium, non per hoc, quod media quantitate fiat ſeparatio, ſed per hoc, quod materia corporalium eſſet radix quantitatis; materia vero Angelorum radix quantitatis non eſſet: ſicut Individuum humanum de facto dividitur ab Angelico per hoc, quod primum habet materiam, in qua forma humana recipitur; ſecundum vero omni materia caret, in qua eius forma recipiatur. Sed contra eſt, nam illa materia Angelorum, ſi corporalis eſſet, eſſet eiuſdem rationis cum alijs materijs aliorum corporalium; ergo ſi vna portio eſſet radix quantitatis, etiam portio materiæ, in qua ſubiectaretur forma Angelica, eſſet radix quantitatis: ergo fieret neceſſario diviſio portionis à portione per aliam, & aliam portionem quantitatis. Nec exemplum adductum iuvat, nam individuatio Angelica non eſt eiuſdem rationis cum individuatione humana, cum differant penes materialem, & pure ſpiritualem; vnde prima poteſt haberi per hoc, quod forma humana recipiatur in materia, ſecunda vero irreceptibilis in materia ſit: in caſu autem noſtro ſupponitur vtramque portionem materiæ eſſe corporalem, & eiuſdem rationis, & ſic, diviſio phyſica eorum deberet fieri per diſtinctas quantitates: cum ergo ſupponatur, Angelum non habere quantitatem, non poſſet dici conſtare ex materia corporali.

Deinde inſto, ſi Angeli conſtarent materia, poſſent dari duo Angeli intra eandem ſpeciem: ergo poſſent diſtingui pure materialiter, ſine diſtinctione ex principijs formalibus. Modo inquiro, per quid divideretur materia vnius Angeli ab alia? Etenim non hoc eveniret per hoc, quod vna haberet quantitatem, & altera non; cum eſſent Angeli eiuſdem ſpeciei: neque hoc poſſet evenire per hoc, quod vna materia eſſet ſub hac numero forma, & non alia, quia vnam materiam dividi materialiter tantum ab alia non poteſt oriri ex vnitate numerica formæ, cum hæc deſumatur à materia materialiter tantum diviſa ab alia: ergo deberet ſuperaddi quantitas illis materijs, vt ad diviſionem quantitatis à quantitate materialiter vna materia ab alia differret.

Dices ſecundò rationi noſtræ, quod materia Angeli eſſet diverſæ ſpeciei à materia corporalium: vnde non eſſet neceſſe, vt divideretur à materia corporalium, quod haberet quantitatem, cum diſtinctio ſpecifica non requirit pro diſtinctivo quantitatem. In ſumma, illæ duæ materiæ diſtinguerentur ſpecie, quia vna eſſet radix quantitatis, & illa diceretur corporea; alia non radicaret quantitatem; & ſic eſſet materia incorporea ſe ipſa diviſa, & diſtincta ab alia materia.

Sed contra eſt, nam ſi vna materia eſſet corporea, & alia non eſſet corporea, iam illæ materiæ non eſſent id, in quo convenirent incorporea cum corporibus, ſed eſſet id, per quod differrent, quod deſtruit fundamentum Avicembron vocans materiam id, per quod Angeli conveniunt in genere cum corporibus: ergo non poteſt dici, quod illæ materiæ differrent per hoc, quod vna eſſet radix quantitatis, & altera non. Sequela Mai. prob. nam Angelorum materia eſſet incorporea, quia ei repugnaret radicare quantitatem, aliorum corporum materia eſſe corporea, quia poſitive ei conveniret quantitatem radicare: ergo Angeli differrent à corporibus per materiam, & ſic, non vnivocarentur genere in materia. Præterea, reſtat videre quomodo duo Angeli poſſent intra eandem ſpeciem tantum materialiter differre? Etenim materia in illis eſſet eiuſdem rationis, & cum in illis non radicaret quantitatem, non poſſet ſolam differentiam materialem cauſare in illis: ergo.

Dices, quod illa diverſitas radicandi, & non radicandi quantitatem non conveniret materiæ ex ſe, quia ex ſe indifferenter ſe haberet ad radicandum, & non radicandum; & radicare conveniret ei, quia eſſet ſubiectum formæ corporalis, & non radicare convenire ei, ex quo eſſet ſubiectū formæ Angeli: vnde poſſet eſſe genus ad entia corporea, & incorporea. Sed contra hoc eſt, nam cum quātitas ſit accidens materiale, radicare illam non convenit materiæ ratione formæ, ſed convenit formæ ratione materiæ: vnde dicunt Philoſophi, dum aſſignant ſufficientiā diviſionis prædicamentorum, quod aliud eſt accidens, quod ſequitur ad formam ratione materiæ, & hoc eſt quantitas, aliud eſt accidens, quod convenit toti ratione formæ, & hoc eſt qualitas: ergo falſa eſt adducta doctrina de eo, quod materia ex ſe ſit indifferens ad radicandam quantitatem, & ex hoc quod eſt ſub forma corporea conveniat ei poſitive radicare illam, & ex hoc quod eſt ſub forma Angelica, repugnet ei præfata radicatio. Præterea, maximum inconveniens eſt affirmare, quod Angeli conſtent ex materia, cui ex ſe non repugnat radicare quātitatem; hoc autem ſequitur ex poſitione huiuſmodi doctrinæ: ergo non eſt admittenda.

650 Tandem prob. Concluſio evertendo fundamentū Avicembron, fundabatur hic Author, vt inquit D. Thom. h. c. art. 2. in eo, quod quæcumque diſtinguuntur ſecundum intellectum ſint etiam in rebus ipſis diſtincta; in ſubſtantia autem incorporea intellectus apprehēdit aliquid, per quod diſtinguitur à ſubſtātia corporea, & aliquid, per quod cum ea convenit: ergo illud, per quod ſubſtantia incorporea convenit cum corporea, erit realiter diſtinctū in eſſe incorporeo ab eo, per quod differt; & ſic ſubſtantia incorporea erit compoſita ex pluribus phyſice diſtinctis, atque adeò ex materia, & forma. Hoc eſt fundamentum Avicembron. Sed certe nullius roboris eſt. Nam falsò nititur fundamento; non enim eſt neceſſe, quod ea, quæ in aliqua re intellectus noſter apprehendit vt diſtincta, in ipſa re realiter, & phyſice debeant diſtingui; apprehendimus enim hominem, & equum convenire in ratione animalis, & diſtingui per ſuas differentias; nec tamen ex hoc licet inferre, quod in homine ratio animalis, per quam convenit cum equo, realiter diſtinguatur à rationalitate, per quā differt ab illo: imò in Deo apprehendimus id, per quod convenit cum creaturis, & id, per quod diſtinguitur ab illis; & tamen in re in Deo illa duo non diſtinguuntur. Et ratio huius eſt, quia intellectus non apprehendit res ſecundum modū rerum, ſed ſecundum modum ſuum: vnde res materiales, quæ ſunt infra intellectum noſtrum, ſimpliciori modo ſunt in intellectu noſtro, quam ſint in ſe ipſis; ſubſtantiæ autem Angelicæ ſupra noſtrum intellectū ſunt: vnde iſte nequit eas apprehendere ſicut in ſe ipſis ſunt, ſed per modum ſuum, ſecundum quod apprehendit res compoſitas: vnde non ſequitur, quod ſi Angelos apprehendit vt compoſitos, quod ipſi reali compoſitione ex materia, & forma gaudeant, ſicque doctrina huius Authoris falſiſſima eſt, & ratio, qua illa nititur inſufficiens.

§ V.

Solvuntur Argumenta.

651 PRIMO Argui poteſt ex Auguſtino lib. 12. Confeſ. cap. 21. vbi aſſerit: *Deus fecit materiam communem viſibilium, & inviſibilium*; inviſibilia ſunt Angeli: ergo habent materiam communem cum corporibus. Item Damaſc. lib. 2. de fide Orthodoxa, cap. 3. inquit: *Solus Deus immaterialis eſt.* Item Boetius in primo de Trinit. ait: *Forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt*: cum ergo Angelus ſit ſubiectum plurium accidentium, neceſſe erit, quod forma ſimplex non ſit, ſed componatur ex forma, & materia.

Ad Auguſtinum dico, illa verba, prout citantur, non inveniri in Auguſtino, ſed in cap. 20. haberi: *In principio fecit Deus cælum, & terram, id eſt, in Verbo ſuo ſibi coæterno fecit Deus informem materiam creaturæ ſpiritualis, & corporalis.* Et in 21. ſequenti habetur: *Sed iam erat* (inquit) *ipſa informitas, quam terram inviſibilem, & incompoſitam tenebroſamque abyſſum nominavit, de qua cælum, & terram Deum feciſſe prædixerat, ſpiritalem ſcilicet, corporalemque creaturā.* Hæc, & non alia habentur in Auguſtino. Quibus non vult Auguſtinus, quod corporalis, & ſpiritualis creaturā factæ ſint ex aliqua materia primo creata ſine aliqua forma ſubſtantiali, ſed informem materiam vocat illam carentiam ornatus corporalis in creatura corporali, & ſpiritualis in creatura ſpi-

ſpirituali, ſcilicet, illa ad Deum perfecta converſio, dicitur autem de illa informitate creatura ſpirituali facta, quia ornatus eius non habuit eſſe per creationem, ſed per eductionem. Itaque Deus primo Angelos creavit cum ſuis naturalibus informibus reſpective ad ordinem gratiæ, & deinde eduxit ex illis gratiam & converſionem ad ſe ipſum: hoc & non aliud vult Auguſtinus.

Ad Damaſcenum dico, quod ſicut dicitur, *nemo bonus niſi ſolus Deus*, quia eſto multa ſint bona creata, tamen reſpective ad ſummam bonitatem non videntur digna nomine bonitatis, ſic Damaſcenus dicit, *ſolus Deus eſt immaterialis*; quia licet multa ſint immaterialia, & incorporea, tamen reſpective ad ſummam Dei immaterialitatem apparent cuncta materialia, quia potentialia ſunt, & ſolus Deus actus purus eſt. Vel ſolus dicitur Deus immaterialis, quia ipſe ſolus caret materia phyſica, & metaphyſica, id eſt, omni potentialitate.

Ad Boetium dico, loqui de forma ſimplici excludente omnem realem compoſitionem, tam ex materia, & forma, quã ex eſſe, & eſſentia; hæc enim ſola non valet eſſe ſubiectum accidentium, quia omni caret potentialitate, & ſubiectum eſſe non poteſt, niſi ſit in potentia ad formam, quam ſubiectat: omnis autem alia forma, cum ſit potentialis, poteſt eſſe ſubiectum accidentium.

652 Secundo arguitur, nam ens ſubſtantiale dividitur in duo extrema, ſcilicet in purum actum, & in puram potentiã: ergo omnia entia intermedia debent participare de vtroque extremo, & de actu puro, quod ſint actus, & de materia pura potentia, quod ſint potentialia: debent ergo cuncta intermedia conſtare materia. Sed Angeli ſunt medij inter illa duo extrema: ergo debent conſtare ex materia. Confir. Angeli reſpectu ſuarum operationum ſunt in potentia, & in actu: ergo habent diverſas partes, ſecundum quarum vnam ſint in actu, & ſecundum alteram ſint in potentia: ergo debent conſtare ex materia, quia diverſitas realis partium nequit diſcurri, quod ſit alia, quam diverſitas formæ, & materiæ.

Reſp. ad hoc, conceſſa prima Conſeq. negando ſecundam, quæ infertur ex Minori ſubſumpta. Etenim ſicut Angeli participant de actu puro, ſine eo quod actus puri ſint, vel ex ipſo conſtent; ita participant potentialitatem ex materia, ſine eo quod conſtent materia. Sunt enim in materia duo, & ratio puræ potentialitatis phyſicæ; & ratio puræ potentialitatis metaphyſicæ: participant ergo Angeli ex potentialitate pura metaphyſica aliquid potentialitatis metaphyſicæ, eſto non ipſum habere materiam.

Sed contra eſt, nam hæc participatio potentialitatis à materia nequit convenire Angelis niſi ex influxu materiæ; at materia nequit influere niſi vt cauſa intrinſeca: ergo vt Angeli ſint potentiales, requiritur, quod intrinſice conſtent ex materia. Ad hoc nego Mai. illa enim potentialitas convenit Angelis à Deo; qui & eſt cauſa Angelorum, & eſt cauſa ipſius materiæ primæ: ipſe enim, qui potens eſt efficere puram potentiam materiæ primæ, poteſt in Angelis de materia dare rationem potentialitatis, ſine eo quod det illis materiam. Ad Confir. diſtinguo Conſeq: habent diverſas partes ſubſtantialiter diverſas, nego Conſeq. diverſas partes ſecundum accidens aliud, & aliud diverſas, conc. Conſeq. Vel aliter: ergo habent diverſas partes penes materiam, & formam, nego Conſeq. penes eſſe, & eſſentiam, conc. Conſ. & nego aliam, quæ ſubinfertur.

653 Tertio Arguitur, omnis ſubſtantia creata diſtinguitur à ſuo Creatore: igitur ſicut hic eſt vnus, & ſimplex, ita omnis ſubſtantia erit compoſita, & ex pluribus conſtans: ergo habebit materiam; & formam. Ad hoc conc. prima Conſeq. nego ſecundam; nam, vt Angelus diſtinguatur à Deo, qui tantum omnino eſt ens ſimpliciſſimum, non requiritur, quod componatur ex materia, & forma, ſed ſufficit, quod quod componatur ex eſſe, & eſſentia: & ſic cum Angelus ex eſſe, & eſſentia componatur, non requiritur, quod conſtet ex materia, & forma.

Sed Inſtas, iſta compoſitio ex eſſentia, & eſſe non reddit ipſam eſſentiam compoſitam: ergo nõ ſufficit ad diſtinguendum naturam Angeli à natura Dei, quæ in ſe ipſa ſimpliciſſima eſt: debemus ergo ponere compoſitionẽ in ipſa eſſentia Angeli, quæ cum non poſſit eſſe alia, quam compoſitio ex materia, & forma, debebimus dicere, Angelos componi ex materia, & forma. Ad hoc, diſt. Antec. non reddit ipſam eſſentiam Angeli compoſitã, nec facit illã eſſe eſſentiam entis compoſiti, nego Antec. non reddit illam compoſitam, facit tamen

illam

Digitized by Google

illam eſſe eſſentiam entis compoſiti, conc. Antec. & nego. Conſ. Itaque eſſentia ſic eſt ſimplex, quod neque in ſe habet compoſitionem, nec eſt eſſentia entis compoſiti; natura autem Angeli, licet in ſe non ſit compoſita, eſt tamen eſſentia entis compoſiti, quod convenit illi ex hoc, quod Angelus componitur realiter ex eſſe, & eſſentia: vnde quamvis non componitur eſſentia Angeli, habet tamen id, per quod ſufficienter diſtinguatur à natura Dei.

Sed inſtas, natura Dei in Chriſto eſt natura compoſiti: ergo per hoc quod natura Angeli ſit natura compoſiti, non ſequitur, quod ſufficienter diſtinguatur à natura Dei. Ad hoc, diſt. Ant. natura Dei in Chriſto eſt natura compoſiti per ſe ordinata ad hoc, vt tale compoſitum fiat ex illa, nego Antec. per puram non repugnantiam tali compoſito variam, concedo, Ant. & diſt. Conſeq. per hoc, vtcumque ei conveniente, trans. Conſeq. per hoc conveniente illi per ſe inclinative, & exactive, nego Conſeq. Itaque natura Dei venit in compoſitionem Chriſti, non vt quid incompletum quærens complementũ ſuum ab hoc, quod eſt eſſe in Chriſto, ſed vt extremũ habens ſuum eſſe perfectum, & completum independenter à Chriſto; at natura Angeli ex ſe eſt incompleta, per ſeque ordinatur ad Angelum, vt in illo ſuum complementũ habeat; & per hoc habet diſtingui à natura Dei.

§. VI.

An Angelus ſit compoſitus phyſice ex materia pure ſpirituali?

654 NOMINE Materiæ pure ſpiritualis nihil aliud poſſumus intelligere, quam quoddam primum receptivum formæ ſubſtantialis omnino indiviſibile, incapaxque quantitatis. Circa hoc quæſitum partem affirmantem tenent Alenſis 2. part. quæſt. 20. membro 1. in fine, & quæſt. 44. membro 2. Bonaventura in 2. diſt. 3. art. 1. q. 1. & 2. Richardus ibidem q. 2. art. 1. & art. 2. q. 1. Aureolus apud Capreolum in 2. diſt. 3. q. 1. Circa 1. Concluſionem. Et alij antiqui. Partem tamen negantem tenet D. Thom. hic, art. 2. Ipſum quæ ſequuntur omnes Thomiſtæ, & quia hæc ſententia eſt veriſſima, ideo à nobis ſtatuitur pro Concluſione.

Dico ergo, Angeli non conſtant ex materia pure ſpirituali. Ita tenet D. Thom. hic artic. 2. vbi poſtquam probavit contra Avicembrou, Angelos nõ conſtare ex materia eiuſdem generis cum noſtra, vertens conſiderationem ad materiam ſpiritualem dicit: *Sed adhuc vlterius impoſſibile eſt, quod ſubſtantia intellectualis habeat qualemcumque materiam.* Et quæſt. de potentia, art. 6. ad 4. ait: *Poſſet autem dici, quod eſſet alia materia à materia corporum diviſa, non quidem dimenſionis diviſione, ſed per ordinem ad alterius generis formam, nam potentia actui proportionatur, magis tamen credimus, quod non ſint Angeli ex materia, & forma compoſiti, ſed ſint forma tantum per ſe ſtantes; ſi autem eſſent in materia adhuc ſpirituali, non eſſent tantum formæ per ſe ſtantes.* Et Opuſc. 15. c. 18. inquit: *Ex quibus patet omnibus hanc fuiſſe mentem Dionyſij cap. 4. de divinis nominibus, quod Angeli ſunt immateriales, & ſimplices ſubſtantiæ.* De ſpiritualibus creaturis, art. 1. ſic habet, *inter omnes autem creaturas, Deo maxime appropinquant ſpirituales ſubſtantiæ: vnde maxime accedunt ad perfectionem primi actus, cum comparentur ad inferiores creaturas ſicut perfectum ad imperfectum, & ſicut actus ad potentiam; nullo ergo modo hac ratio ordinis habet quod ſubſtantiæ ſpirituales ad eſſe ſuum requirant materiã primam, quæ eſt incompletiſſimum inter omnia entia, ſed ſunt longe ſupra totam materiam, & omnia materialia elevatæ:* ergo.

655 Ratione prob. Concl. Etenim materia prima pure ſpiritualis implicat: ergo & implicat Angelos ex illa eſſe compoſitos. Prob. Antec. ſi daretur materia prima pure ſpiritualis deberet excedere omnem materiam corpoream, & omnem formam corpoream, quia ſubſtantia pure ſpiritualis eſt altioris ordinis ſuper omnia corporalia, ſive materia ſint, ſive forma; cum ergo formæ corporeæ ſint actus, ipſa deberet eſſe phyſicus actus; hoc autem repugnat puræ potentiæ: igitur materia prima pure ſpiritualis etiam repugnat.

Dices, non eſſe contra rationem materiæ primæ habere aliquem actum, nam Patres Ieſuitæ identificantes materiã primam cum ſua exiſtentia, ipſi tribuunt aliquam rationem actus: vnde ex hoc quod illa materia ſpiritualis haberet in ſe intranſitive aliquam rationem actus, non redderetur impoſſibilis. Sed contra, nam adhuc admiſſa hac ſententia, quam ſemper iudicavi à bona metaphyſica extraneam, adhuc non

non enervatur ratio noſtra: ergo. Prob. Antec. eſto non ſit contra materiam primam ſe ipſa eſſe actum exiſtentiæ, tamen ſecundū omnes Theologos repugnat materiam primam eſſe actum formalem; ſed materia ſpiritualis eſſet intranſitive actus formalis: ergo adhuc implicat. Prob. Min. materia ſpiritualis eſſet ſubſtantia excedēs non ſolum materiam primam corporalem cum ſuo actu exiſtentiæ, ſed etiam excederet omnem formam corpoream in perfectione: ergo non tantùm ſibi identificaret exiſtentiam, ſed etiam actum formalem.

Dices, talem materiam excedere debere omnem formam corpoream, quoad ordinē ſpiritualitatis, non vero quoad actualitatem: diceretur enim ſpiritualis, non quia forma ſpiritualis eſſet, ſed quia tantū eſſet receptiva formæ ſpiritualis, ad eum modum, quo materia noſtra dicitur corporalis, non quia hoc habeat, ex eo quod intranſitive forma corporeitatis ſit, ſed quia per ſe continet in potētia formas corporales, quæ ex illa educuntur: ſimiliter illa materia diceretur pure ſpiritualis; non quia eſſet actus ſpiritualis, ſed quia ab intrinſeco tantum eſſet receptiva formarū pure ſpiritualium. Vnde exceſſus, quē haberet ad formam corporeā, non eſſet formæ ſuperioris ad formas inferiores, ſed alicuius exiſtētis in ordine ſuperiori ad exiſtētia in ordine inferiori. Eſt exemplum huic doctrinæ ſatis congruum. Lumen gloriæ excedit non ſolum accidentia naturalia, ſed etiam ſubſtantias naturales, quia eſt in ordine ſuperiori ad illas, nempe in ordine ſupernaturali, ex quo non ſequitur, quod ſit ſubſtantia; quia talis exceſſus ſolum eſt ordinis ad ordinem, non vero entis ad ens, quia lumen gloriæ non eſt, ſed ineſt; & ſubſtantiæ naturales ſunt entia per ſe: ſic ergo ſimiliter materia ſpiritualis excederet formas corporeas, non exceſſu formæ ad formam, ſed ſolius ſpiritualitatis ad corporeitatem: non ergo ex tali exceſſu ſequeretur materiam ſpiritualem eſſe formam.

Sed contra eſt, nam materia ſpiritualis eſſet ſubſtantia depurata ab omni fœce materialitatis corporalis: ergo reſpective ad omnem naturam corpoream compararetur vt actus ad potentiam: ergo ipſa in ſe non eſſet pura potentia, ſed deberet eſſe actus. Itaque vis huius Conſequentiæ in eo ſtat, quod id, quod depuratur ab omni imperfectione, quam alterum habet, comparatur ad illum vt actus ad potentiam; ſed quælibet ſubſtantia ſpiritualis depuratur ab omni imperfectione naturæ corporeæ: ergo ad ipſam naturam corpoream compararetur vt actus ad potentiā: non ergo materia prima pure ſpiritualis poſſet eſſe pura potentia, ſed deberet eſſe actus formalis. Neque exemplum de lumine gloriæ adductum convincit oppoſitum. Nam lumen gloriæ non excedit ſubſtantiam naturalem in eo, ex quo illa ſubſtantia eſt, imò in hoc exceditur ab illa, cū lumen ſit ens in alio; & ſubſtantia ſit ens per ſe; ſed tantùm excedit in eo, quod lumen eſt participatio formalis prædicati ſuperioris ordinis; cuius participatio non eſt ſubſtantia: materia autem prima ſpiritualis ſubſtantia eſſet, & in ordine ſubſtantiæ omnem naturam corpoream excederet: ergo in ordine ſubſtantiæ deberet habere actualitatem, vt cuius elevata eſſet ad excellentius eſſe, quam ſubſtantia naturalis; & ſic exemplum adductū de lumine non infringit noſtram rationē. Itaque, materia prima ſpiritualis intra lineam ſubſtantiæ eſſet perfectior ſubſtantia, quam natura corporea: ergo deberet eſſe in ſe perfectio quædam ſubſtantialis: ergo actus, nam pura potentia actu perfectio non eſt, ſed tantum eſt in tendentia ad perfectionem.

Explicatur hoc, quando aliqua duo ſe excedunt in participatione alicuius prædicati, illud prædicatum debet ab vtroque participari: vnde quia lumen gloriæ excedit ſubſtantiam naturalem in perfectione naturali, lumen gloriæ neceſſario eſt perfectio ſupernaturalis, & ſi excederet in ratione ſubſtantiæ, lumen gloriæ deberet eſſe ſubſtantia; ſed materia prima excederet ſubſtantias corporeas, quæ actu perfectiones ſunt naturæ corporeæ: ergo ſpiritualitas ſubſtantialis, per quam excederet illas, deberet eſſe actu perfectio ſubſtantialis ſpiritualis: hoc autem repugnat materię primę, quæcumque illa ſit: igitur & materia prima pure ſpiritualis repugnat.

656 Sed ſecundo ratione prob. Concluſio. Si forma Angelica vniretur materiæ pure ſpirituali, illi vniretur ob aliquam dependentiam, quam haberet à dicta materia in aliqua ſua operatione; ſed forma Angelica nullam dependentiam habere poteſt à materia, etiam pure ſpirituali: ergo chymera eſt componere Angelum ex materia etiam ſpirituali. Mai. videtur certa, ex eo enim anima rationalis iuxta D. Th.

&

& alios Theologos vnitur materiæ; quia ab illa dependet in elicientia plurium ſuarum operationum, quarum anima rationalis eſt principium: ergo forma Angelica non vniretur materiæ, quia haberet ab ea dependentiam in ſuis operationibus. Min. verò prob. nam in Angelis tantum dantur duæ operationes, ſcilicet intelligere, & velle; ſed in elicientia harum operationum forma Angelica non dependet à materia etiã ſpirituali, cum conſtet animam rationalẽ, quæ inferior Angelica forma eſt, ſeparatam ab omni materia perfectè intelligere, & velle: ergo forma Angelica non dependeret à materia ſpirituali in elicientia ſuarũ operationum.

Huic rationi reſp. quidam, formam Angelicam vniri materiæ ſpirituali, vt tanquam compars conſtituat compoſitum cõpletum ſubſiſtens, & vt ſit principiũ completum, & connaturale ſuarum operationum, ſicut in reſurrectione vniverſali anima vnietur corpori, nõ vt adiuvetur à corpore ad operationes ſuas, ſcilicet miniſtrãdo phantaſmata, ſed ſolum vt in eo ſtatu anima modo connaturali operetur.

Sed contra eſt, nam quando forma nõ dependet à materia, neque in eſſe, neque in operari, non oportet, quod ex illa, & materia fiat compoſitum ſubſiſtens, & completum, ſed ipſa forma ſe ipſa erit ſubſiſtens; ſed forma Angelica non dependet à materia ſpirituali, neque in eſſe, neque in operari: ergo non requiritur quod vniatur materiæ, eo ſolum, vt ex illa, & materia fiat tertium completum. Similiter quando forma non dependet à materia, neque in eſſe, neque in operari, in nullo ſtatu poteſt dici, quod non ſit principium connaturale ſuarũ operationũ; ſed forma Angelica in nullo ſtatu dependet à materia in fieri, vel in operari: ergo nequit dici, quod non ſit independenter à materia principium connaturale ſuarum operationum. Exemplum adductũ de anima nihil vrget in contra. Nam in primis animæ glorioſæ habebunt in reſurrectione non ſolum actus intellectus, & voluntatis; ſed etiam operationes ſenſuum; videbunt enim beati viſu externo, & audient auditu auris externæ, & in ſingulis ſenſibus habebunt ſuas ſpeciales delectationes vnicuique ſenſui proportionatas; has autẽ operationes anima ſe ſola ſine corpore exercere non valet, & ſic reunietur corpori vt ab ipſo in elicientia earum adiuvetur: falſum ergo eſt animam reuniendam corpori ſolum vt ſit principium connaturale ſuarum operationum.

Deinde, hoc dato, adhuc non probatur, quod forma Angelica deberet vniri materiæ, eo ſolum, vt connaturaliter intelligeret, & amaret: nam anima à corpore ſeparata eo connaturaliter non intelligit, quia ſaltim in ſtatu informationis in intelligendo à corpore dependet; forma autem Angeli in nullo ſtatu indigeret materia ad aliquam ſui operationem: ergo intelligeretur connaturaliter operari, etiam ſi materiæ non vniretur.

§. VII.

Soluuntur Argumenta.

657 PRIMO Arguitur ex D. Tho. Opuſculo 15. cap. 7. vbi ſic concludit: *Relinquitur ergo, quod materia ſubſtantiarũ ſpiritualium nõ ſit pura potentia*: ergo ſentit ſubſtantias ſpirituales conſtare ex materia, quæ pura potentia non ſit. Ad hoc reſp. quod D. Thom. ibi nomine materiæ, quæ non ſit pura potentia, ſed ens in actu, non intelligit materiam primam, quæcumque illa ſit, ſed intelligit ipſam rei ſubſtantiam. Patet ex cõtextu ibi: *Vbicumque autem ponitur materia ens actu, nihil differt dicere materiam, & ſubſtantiam rei; ſic enim antiqui naturales, qui ponebant primam materiam corporalium rerũ eſſe aliquod ens actu, dicebant materiam eſſe omnium rerum ſubſtantiam, per modum, quo artificialium ſubſtantia nihil eſt aliud, quam eorum materia; ſic igitur, ſi materia ſpiritualium ſubſtantiarum non poteſt eſſe aliquod ens in potentia tantum, ſed eſt aliquod ens actu, ipſa ſpiritualium materia eſt eorum ſubſtantia, & ſecundum hoc, nihil differt ponere materiam in ſubſtantijs ſpiritualibus, & ponere ſpirituales ſubſtantias ſimplices, non compoſitas ex materia, & forma.* Sic D. Th.

658 Secundo arguitur, nam Philoſophus dicit in 8. metaphyſ. quod *ſiqua ſubſtantia eſt ſine materia, ſtatim eſt ens, & vnum, & non eſt ei alia cauſa, vt ſit ens, & vnum*; ſed omne creatum habet cauſam ſui eſſe, & vnitatis; ergo nullum creatum eſt ſubſtantia ſine materia: ergo omnis ſubſtantia ſpiritualis creata eſt compoſita ex materia, & forma. Confirm. omne, quod eſt in genere, participat principia generis; ſubſtantia Angelica eſt in prædicamento ſubſtantiæ: ergo cum principia huius prædis

dicamenti ſint materia, & forma, omnis ſubſtantia Angelica conſtabit ex materia, & forma. Quod principia prædicamenti ſubſtantiæ ſint materia, & forma. Prob. ex Boetio in commento prædicamentorum, qui dicit, quod *Ariſtoteles, relictis extremis, ſcilicet materia, & forma, agit de medio, ſcilicet de compoſito*, dans intelligere, quod ſubſtantia, quæ eſt prædicamentum, de qua ibi agit, ſit compoſita ex materia, & forma: ergo principia prædicamenti ſubſtantiæ ſunt materia, & forma.

Ad hoc argumentum, diſt. Mai. ſtatim habet cauſam ſui eſſe, cauſam formalem, conc. Mai. efficientem, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque, dum aliquid componitur ex materia, non ex hoc in genere cauſæ formalis habet eſſe, & vnitatē; ſed hoc expectat habere à forma realiter diſtincta à materia: vnde ex talium compoſitione reſultat ens compoſitum, & vnū; ſi autem ſit ſola forma; ſtatim fit ſubſiſtens, ens, & vnum: cæterum hæc non habet à ſe in omni genere cauſæ, ſed habet ex influxu Dei; ſic ergo ponimus Angelicas formas immediate ſubſiſtentes, vnum, & ens: ſed hoc non habent à ſe, ſed ex influxu Dei, vnde non requiritur, quod componantur ex materia.

Ad Confirm. nego ſuppoſitum Conſequentis; videlicet, quod principia prædicamenti ſubſtantiæ vniverſaliter loquendo ſint materia, & forma. Ad prob. ex Boetio dico, ſolum velle, quod loquendo de ſubſtantia compoſita ex materia, & forma, in prædicamento directe ſolum ponitur ipſum compoſitum; non vero principia eius, quia hæc incōpleta, & partes ſunt; & in prædicamento directe ſolum ponuntur ſubſtantiæ completę.

659 Tertio arguitur, nam formę quędam ſunt materiales, & quædam pure ſpirituales: ergo & materiæ quædam erunt materiales, & quædam ſpirituales; hæc autem non ſunt aliæ, niſi materiæ Angelorū: ergo Angeli conſtant materia. Prima Conſeq. prob. nam actus, & potentia ſunt in eodem genere; id eſt, vbicumque reperitur aliqua forma, debet reperiri materia illi proportionata; ſed cum forma pure ſpiritualis ſolum habet proportionem materiā pure ſpiritualis: igitur ſi dantur formæ pure ſpirituales, dabuntur quoque materiæ pure ſpirituales. Confir. Angeli ſunt compoſiti ex genere, & differentia; ſed genus ſumitur à materia, & differentia à forma; ergo Angeli componuntur ex materia, & forma.

Confirm. ſecundo, ſi non conſtarent ex materia pure ſpirituali, maxime, quia hæc impediret ne ſe totis eſſent intellectivi; ſed hoc eſt falſum: ergo conſtabunt ex materia pure ſpirituali. Prob. Min. nam materia in tantum impedit intellectionē, in quantum id, quod intelligit, nequit eſſe corpus, alias non poſſet intelligere niſi corpora; ſed ſi materia eſſet pure ſpiritualis, non eſſet corpus: ergo non impediret, quod Angelus eſſet adæquate intellectivus.

Ad hoc argumentum, nego primam Conſeq. ad prob. diſt. Mai. ſi forma ſit incompleta, & receptibilis in materia, conc. Mai. ſi ſit completa, & irreceptibilis, nego Mai. & diſt. Min. cum forma pure ſpirituali ſolum habet proportionem materia pure ſpiritualis; cum forma incompleta, & receptibili, conc. Min. cum forma completa, & irreceptibili in materia, nego Min. & nego Conſequentiam, itaque non ſit paritas à formis ad materiam, ſic, quod bene valeat; dantur duæ formæ, alia corporalis, alia ſpiritualis: ergo dabuntur duæ materiæ primæ, alia corporalis, alia pure ſpiritualis: & ratio eſt, quia hoc ipſo, quod forma ſit pure ſpiritualis, id eſt, ſolum activa actionis pure ſpiritualis; non eſt forma dependens à materia in aliquo ſui fieri, eſſe, vel operari, & ſic, non eſt forma vnibilis materiæ etiam ſpirituali: vnde ex poſitione talis formæ, non ſequitur poſsibilitas materiæ, & ſic; non ſequitur, dantur duæ formæ, alia pure ſpiritualis, & alia materialis: ergo dantur duæ materiæ, alia corporalis, alia ſpiritualis.

Ad Confirm. diſt. Min. genus ſumitur à materia phyſica, quam vocamus materiā primā, negamus Min: à materia metaphyſica, id eſt, ab actu rei potentiali, conc. Min: & negamus Conſeq. Itaque, cum rei ſubſtantia non ſit purus actus, eſt actus potentialitati admixtus; & ſic rei gradus nō ſunt æqualiter actuales; ſed vnus eſt actualior alio; ex quo ergo rei ſubſtantia explicat actum reſpective potentialem, ex hoc habetur ratio generis, ex quo explicat gradū magis actualem; dicitur differentia. Et ratio eſt, quia ex quo potentialis eſt, concipitur à nobis vt determinabilis eſſentialiter, & ex quo actus eſt, concipitur à nobis vt eſſentialiter determinans, & ſic, ex primo habemus genus, & ex ſecundo differentiā;

&

Digitized by Google

& ſic dicimus, genus ſumi à materia, & differentiam à forma : accipientes nomine materiæ, non primam materiam, quæ pura potentia eſt, ſed gradum magis potentialem.

Sed inſtas, vbi tantum rei ſubſtantia tota ſimplex forma eſt, omnes gradus eius æque actuales ſunt : ergo ſi res non conſtet ex materia, non poterit vnus gradus reſpectivè ad alterum ab eadem forma tributū eſſe magis potentialis; & ſic vbi nō eſt materia, non poterit dari genus. Prob. Antec. hoc ipſo, quod forma ſimplex eſt ſeparata à materia, & ab ordine ad materiam, omnes eius gradus æqualiter diſtant à pura potentia, quæ materia prima eſt, & etiam æqualiter accedunt ad exiſtentiam, quæ rei vltima actualitas eſt : ergo hoc ipſo, quod forma ſimplex eſt, omnes gradus eius æqualiter actuales ſunt.

Ad hoc, diſt. Ant. æque actuales ſunt; phyſicè & logicè, nego Ant. phyſicè, ſed nō logicè, conc. Ant. & diſt. Conſ. phyſicè loquendo, conc. Conſeq. logicè loquendo, nego Conſ. Ad prob. quatenus poterat militare contra negationē Antecedentis, diſt. Ant. pro ſecunda parte, & etiam æqualiter accedunt ad exiſtentiam, phyſicè loquendo, tranſ. Conſeq. logicè loquendo, nego Conſ. Itaque, cū forma Angelica, eſto ſimplex ſit, realiter tamen recipiatur in ſuppoſito, intelligimus cum fundamento in re, prius dare ſuppoſito rationes magis communes, ſecundum quas habet vnus Angelus convenire cum corporibus, nempe rationem ſubſtantiæ; deinde concipimus dare illi rationes, per quas diſtinguitur à corporibus, & habet convenire cum alijs Angelis, & tandem venimus ad differentiam, per quam ſpecificè diſtinguitur ab illis : dum autem intelligimus totam eſſentiam athomè completam, tunc intelligimus ei communicari exiſtentiā, & ſic gradus ſuperiores logicè magis diſtant ab exiſtentia, quæ vltima rei actualitas eſt: & ſic gradus ſuperiores, & communiores magis potentiales ſunt logicè, quam gradus inferiores; vnde omnium actualiſſimus eſt gradus differentiæ athomæ, quia ſe ipſo immediatè coniungitur cum exiſtentia, & ratione eius, omnes gradus ſuperiores extra cauſas ſunt.

Ad ſecundam Confirm. nego Min. Ad prob. nego cauſalem Mai. quia non eſt adæquata: non enim tantū ratio corporis tollit rationem intellectivi, ſed etiam eam tollit ratio puræ potentiæ; quia ſicut vnumquodque intelligitur ſecundum quod eſt in actu, ita vnumquodque intelligit ratione actus, vi cuius ſolius poteſt præcontinere in genere cauſæ effectivę actionem: porrò pura potentia quęcumque illa ſit ſolum, nullū actum præcontinet activè, & ſic nequit eſſe principium activum intellectionis: cum ergo Angeli ſint, ſecundum omnia, quæ habent, principium activum intellectionis, nō poſſunt conſtare ex materia prima, quæ pura potentia eſt.

660 Quarto arguitur ad probandum non implicare materiā primam, quæ purè ſpiritualis ſit. Si daretur materia prima purè ſpiritualis, non eſſet neceſſe, quòd eſſet actus formalis: ergo non repugnat. Conſeq. eſt bona iuxta noſtra principia, & prob. Antec. bene ſtaret; quod illa materia excederet omnes formas corporales, ſine eo quod eſſet actus formalis : ergo. Prob. Antec. bene ſtat, quod materia cœli excedat materiam ſublunarem exceſſu ſpecifico, & quod non ſit actus formalis : ergo bene ſtaret, quod materia illa excederet omnia corporalia, & quod non eſſet actus formalis.

Ad hoc, nego Antec. ad prob. nego, Antec. ad prob. nego Conſeq. & aſsigno diſcrimen. Etenim primus exceſſus tantum eſt exceſſus materiæ ad materiam, & ſic non arguit, quod materia excedens ſit actus formalis, ſed ſolum arguit, quod materia excedens ſit primum ſubiectum formæ ſpecificæ diſtinctæ; ſecundus exceſſus eſt materiæ ad omnem actum corporeum, & ſic arguitur, quod excedens ſit actus: nihil enim poteſt excedere actum, qui ex proprijs perfectio eſt, niſi ſit perfectio maior; omnis autem perfectio de linea actus eſt, & ſic eſt neceſſe, quod ſimpliciter excedens aliam perfectionem perfectio ſit, & conſequenter actus.

Sed inſtas, exceſſus materiæ purè ſpiritualis ad actus corporeos non conveniret materiæ primæ ratione ſui, ſed ratione actus purè ſpiritualis; ex hoc enim ſolum diſtingueretur, quia ſolum poſſet eſſe receptivum formæ purè intellectualis, id eſt, non potentis habere alias operationes niſi intellectionem, & volitionem: ergo non argueret materiam primam eſſe actū formalem. Confirm. materia corporalis ſolum dicit puram potentiam ſuſceptivam formarum corporalium: ergo materia purè ſpiritualis ſolum diceret puram poten-

tiam

tiam ſuſceptivam formæ pure intellectua-lis.

Ad hoc, nego Ant. cum enim Angelus adæquate eſſet ſpiritualis entitative, oporteret, quod non ſolum forma, ſed etiam entitas materiæ eius ſpiritualis eſſet, & ſic ratione ſui omne corporale excederet. Ad Confirm. dico, quod hoc ipſum, quod eſt materiam primam eſſe primum ſuſceptivũ corporalium formarum, hoc ipſum intranſitive facit illam corpoream, quia corporeum non tantum dicitur à forma corporeitatis, ſed etiam dicitur de primo ſuceptivũ formæ corporeæ; datur enim corporeum pure potentiale, & corporeum formale; primum convenit noſtræ materię ex ſe, ſecundum habet à forma: vnde etiam materia pure ſpiritualis deberet ex ſe habere ſpiritualitatem ſubſtantialem. Eſt tamen diſcrimen, quod cum eſſe corpereum per rationem primi ſuſceptivi formæ corporeæ ſit quid imperfectiſsimum in entibus, non arguitur ex hoc, quod debeat eſſe actus, in quo actualis perfectio eſt; at eſſe ſuſceptivum formæ pure intellectualis eſt quid in perfectione ſubſtantiali excedens corporeas perfectiones: & ſic eſt neceſſe, quod actus; & perfectio ſit. Vnde in forma, conc. Antec. & nego Conſeq.

QVÆSTIO II.

De multiplicatione Angelorum.

§ I.

Vtrum Angelorum multitudo ſit maior multitudine ſpecierum materialium?

661 PLENAM Scientiam huius quæſiti deciſivam habere non poſſumus, dum nec ſcimus quantus ſit numerus Angelorũ, nec ſcimus quanta ſit multitudo ſpecierũ materialium; vndę ſtando in vi rationis, ſolum probabiliter in hoc puncto procedemus. Circa multitudinem ergo Angelorũ diverſi diverſis vijs proceſſerunt. Plato enim poſuit ſubſtantias ſeparatas eſſe ſpecies rerum ſenſibilium, vtpotè, ſi poneremus ipſam naturam humanam eſſe ſeparatam, ſecundum quam ſententiam tot erunt Angeli, quot ſunt ſpecies rerum ſenſibiliũ. Sed iſtam chymeràm Platonis impugnavit Ariſtoteles, ex eo quod materia eſt de ratione ſpecierum ſenſibilium, & ſic, ſubſtantiæ ſeparatæ à materia, quales ponebat Plato, nequibant eſſe ipſa ſpecies rerum ſenſibilium, ſed eſt neceſſe, quod ſubſtantiæ ſeparatæ à materia, quales ſunt Angeli, ſint altioris naturæ, quam ſpecies rerum ſenſibilium ſunt. Hinc Ariſt. loquens de iſtis naturis altioris ordinis poſuit, quod eſto ſpecies ſenſibilium non eſſent, ordinem tamẽ ad ſenſibilia dicerent ſecundum rationem moventis, & finis; & ideo ſecundum numerum primorũ motuum conatus eſt adinvenire numerũ certum ſubſtantiarum ſeparatarum.

Sed quia hoc videtur repugnare documentis Sacræ Scripturæ, Rabi Moyſes Iudæus volens vtrumque concordare poſuit, quod Angeli ſecundum quod dicuntur ſubſtantię Immateriales multiplicantur ſecundum numerum motuum; vel corporũ cœleſtium, & quantum ad hoc tenuit ſententiam Ariſtotelis. Poſuit inſuper, quod Angeli in Scriptura dicuntur etiam homines divina annuntiantes, & inſuper Angeli dicuntur virtutes rerum naturalium, quæ Dei omnipotentiam manifeſtant.

Cæterum, eſto aliquando Scriptura Sacra homines Angelos dicat, tamen multitudinem magnam Angelorum aſsignat, vt videbimus, quæ quidẽ homines non ſunt: & licet aliquando etiam virtutes rerum naturalium, quatenus nobis manifeſtant aliquid occultum, Angeli dicantur, tamen hoc non fert frequens Scripturæ vſus: cum ergo frequenter Scriptura multitudinem Angelorum maximam eſſe dicat, non debet hoc intelligi dictum de virtutibus, quæ inſunt rebus irrationalibus. Dixi aliquando virtutes rerum naturalium Angelos dici; nam doctiſsimi viri illum locum Pauli 2. ad Corinth. 12. *Datus eſt mihi Angelus Satanæ, &c.* interpretantur de morbo illiaco, qui idcirco Angelus interpretatur; quia Paulum inſtruebat de ſuæ naturæ infirmitate, ne illum magnitudo revelationum extolleret. Item illud Pſalm. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, quidam, inter quos fuit Arnobius antiquus Auctor, interpretantur de fulguribus, tonitruis, & ventorum flatibus, qui nobis annuntiãt Dei omnipotentiam, quam timere debemus. Et licet Paulus Hebræorum 1. hunc locũ interpretetur de veris Angelis, accipiendo nomen *Angelus* in proprietate, & rigo-

re;

re, tamen expoſitio Arnobij condemnanda non eſt, quia idem contextus Scripturæ Sacræ, etiam ſecundum literam, duos ſenſus admittit, vt docent Theologi cum Auguſtino ſecundo de Doctrina Chriſtiana, & cum D. Thom. ſupra quæſt. 1. art. 8. ſicque aliquando in Scriptura Sacra vſus habetur huius nominis *Angelus* ad ſignificandum virtutem aliquam rerum naturalium, quatenus inſtitutæ ſunt ad nobis manifeſtandū aliquid conducens ad ſalutem; non tamen conſuetus, & frequens hic vſus eſt. Vnde falſo dicit Rabi Moyſes, quod quotieſcumque Scriptura multitudinem Angelorum aſsignat, ibi non loquitur de ſubſtantijs immaterialibus, ſed de virtutibus rerum naturalium ſenſibilium.

662 Eſt ergo in hoc puncto vnum certum ſecundum fidem, quod Angeli ſint in magno numero. Nam in Scriptura dicuntur eſſe exercitus Angelorum. Lucæ 2. & Math. 26. dicuntur legiones, *An putas, quod non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Pſalm. 67. *Currus Dei multiplex millia lætantium.* Quem locum interpretantur Sancti de ſpiritibus Angelicis, qui in die Aſcenſionis Chriſti miniſtrabant, & aſsiſtebant ei. Apocalypſis 5. *Audivi vocem multorum Angelorum, & erat numerus eorum millia millium.* Daniel. 7. hoc ipſum expreſſe habetur, *millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſsiſtebant ei*, de quo loco dicit Hieronymus, quod in eo habetur numerus determinatus pro numero indeterminato. Vnde Dionyſius cap. 14. de cœleſti Hierarchia dicit: *Multi ſunt beati exercitus ſupernarum mentium, infirmam, & conſtrictam excedentes noſtrorum numerorum materialium commenſurationem.* Quæ loca, vt patet, cum nequeant intelligi de hominibus, nec de virtutibus rerum ſenſibilium, debent intelligi de Angelis creaturis immaterialibus. Et ſic eſt neceſſe concludere, quod ſecundum fidem Catholicam, Angeli ſunt in magno numero.

Vtrum autem hic numerus excedat numerum ſpecierū rerum ſenſibilium? De hoc nihil habetur ſecundum fidem. Vnde D. Thom. multitudinem magnam probat hic art. 3. ex locis Sacræ Scripturæ, quòd autem excedat numerū rerum corporearum, probat quadam rationis nobili congruentia, cuius veſtigia ſequuti, dicimus: multitudinē Angelorum excedere numerum quidditatum ſenſibiliū. Probamuſque ratione, qua loco citato vtitur D. Thom. nempe, quantò aliqua ſunt in entibus perfectiora, tantò in maiori exceſſu creata ſunt; Angeli ſunt perfectiſsimi: ergo in maiori exceſſu creati ſunt; non exceſſu magnitudinis molis: ergo exceſſu in multitudine. Conſeq. cum Minori patent, & prob. Mai. nam, cum Deus in creatione vniverſi per ſe intendat perfectionem vniverſi, eſt neceſſe, quod illud, quod eſt maxima vniverſi perfectio, in maiori exceſſu ad alia producat: etenim quia corpora cœleſtia ſunt præcipuæ vniverſi partes, ideo in tanto exceſſu magnitudinis molis creata ſunt, quod, omnia ſibi inferiora magnitudine molis excedant: ergo quantò aliqua ſunt in entibus perfectiora, tantò in maiori exceſſu creata ſunt. Min. vero ſubſumpta prob. quia Angeli non habent magnitudinē molis, ſicut corpora cœleſtia, habent tamen numerum tranſcendentalē, in quo poſſunt excedere naturas corporeas: igitur in maiori multitudine, quam naturæ corporeæ creati ſunt.

Itaque ratio prædicta meo videri videtur fundari in eo, quod vniverſum naturaliter exigit habere plures ſpecies in illo gradu, ſecundum quem maiorē perfectionem gradualem habet, quàm exigat habere plures in eo gradu, ſecundum quem non in tantum nobilitatur: cum ergo ſecundū gradum ſubſtantiarum ſeparatarum à materia magis gradualiter nobilitetur, quam ſecundum gradū rerum conſtantiū ex materia; fit Conſeq. quod exigat habere plures Angelos, quam plures ſpecies rerū ſenſibilium, ſeu conſtantium ex materia. Cuius doctrinæ hanc poſſumus aſsignare rationem. Quia perfectio vniverſi, ex quo exigit habere nobiliorē gradum gradu ſenſibilium, ex hoc etiam exigit habere illum nobiliori modo, quam habeat gradum inferiorem ſenſibilium; nobiliori autē modo illum habebit, ſi à pluribus ſpeciebus illius gradum illum participatum habeat, quam habet inferiorem; & ſic exiget participare illum gradum ſuperiorem ſub pluribus ſpeciebus, quam inferiorem, vnde ex multitudine ſpecierū rerum materialium colligitur, quod ſint plures ſpecies rerum immaterialium.

663 Hinc nulla apparet obiectio de auro, & alijs pretioſiſsimis gemmis, quæ longe nobiliora ſunt in entibus; & tamen non ſic multiplicantur ſicut aliæ ſpecies ſen-

ferioꝛum ſenſibilium multiplicatæ ſunt. Nulla eſt quidē obiectio, quia iſta non nobilitant vniverſum dando illi ſpecialem gradum inter ſenſibilia, ſed tantum ſunt ſpecies valde nobiles non inter ſpecies ſenſibilium; non autem eſt neceſſe, quod quò ſpecies nobiliores ſunt intra vnum gradum, eò in maiori numero ſint: vnde non ſequitur, quod ſi prædicta nobiliora ſunt intra gradum ſenſibilium, plus debeant multiplicari, quam aliæ ſpecies intra eundem gradum ignobiliores, cum ratio D. Thom. ſolum procedat de perfectione gradus, videlicet, quod vniverſum debeat participare gradum nobiliorem nobiliori modo, quam participat inferiorem; ad quod requiritur, quod participet illum ſub pluribus ſpeciebus, quam participet inferiorem. Hinc etiam non ſequitur, quod ſi cœleſtia corpora ſunt perfectiſſima intra gradum corporeitatis, quod debeant eſſe quoad ſpeciem, vel quoad numerum plura, quam corpora inferiora, quia ſcilicet cœleſtia corpora non dant vniverſo ſpecialem gradum ab eo, quem ei dant inferiora ſenſibilia, ſed tantum ſunt ſpecies inferioris gradus conſtantis ex materia, & forma: quia autem inter corpora ſupremam poſſident nobilitatem, oportet, quod in magnitudine molis alia excedant, ſicut & ſuprema ſpecies ſubſtantiæ completæ intellectualis longe ſuperat in magnitudine perfectionis, ſeu virtutis alias ſubſtantias ſibi intra eundem gradum inferiores; non tamen eas in numero ſuperat. Alijs rationibus probant alij noſtrā Concluſionem, Sed nobis hæc adducta, vtpote nobilior, ſufficiat.

§. II.

Vtrùm Angeli ſint plures numero, quam individua rerum ſenſibilium?

664 **O**CCASIONEM præbet huic quæſito D. Thom. hic art. 3. dum ſine diſtinctione naturarum corporearum, vel individuorum earundē concludit corpus articuli ſic: *Vnde rationabile eſt, quod ſubſtantiæ immateriales excedant ſecundum multitudinem ſubſtantias materiales quaſi incomparabiliter*: cū ergo vnumquodque individuum ſubſtantiæ materialis proprie ſit, & dicatur ſubſtantia materialis, videtur ſentire, quod individua Angelica ſint plura, quam individua ſubſtantiarum materialium. Communiter reſpondetur à Theologis, quod numerus Angelorum ſit maior numero ſpecierum rerum ſenſibilium, non vero quod ſit maior multitudine individuorum materialium. Moventur primo, quia D. Th. infra quæſt. 112. artic. 6. ad 2. de hoc loquens vtitur naturæ nomine dicens: *Quod excedunt omnes naturas corporeas*. Et de potentia, quæſt. 6. artic. 4. vtitur nomine ſpeciei dicens: *Quod excedunt omnes ſpecies materialium*: non ergo ſentit, quod multitudo Angelorum excedat multitudinem individuorum. Tum etiam, inquit Caiet. *Quia quod Angeli ſint plures, quam grana milij, frumenti, &c. videtur abſurditas non parva, nam numerus horum materialium non ſapienter comparari videtur rebus intellectualibus*.

Sed vt verum fatear, non invenio rationem, quæ convincat, quod individua Angelorum non ſint plura, quam individua ſpecierū materialium. In primis hoc non repugnat Scripturę, imò valde ei conſonat; ſiquidē Iob. 25. dicitur: *Numquid eſt numerus militum eius?* vbi loquutiō eſt de Angelorū multitudine, dicente Greg. 17. Moral. c. 9. *In cognitione humana rationis ſupernorū ſpirituum numerus non eſt, quia quanta ſit illa frequentia inviſibilis exercitus neſcit, ſupernorum civium numerus infinitus, & definitus exprimitur, vt qui Deo eſt numerabilis, hominibus eſſe innumerabilis demonſtretur*. Idē docet Ambroſius 7. in Lucam ad c. 15 *Innumerabiles eſſe greges Angelorū, Archangelorum, Dominationum, &c.* Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi 15. ait: *Ex loci magnitudine incolarum multitudo æſtimari ſolet, eſt autem univerſa terra puncti inſtar in cœli medio, Angeli vero ſunt incolæ cœli Empyrei*. Dionyſius Areopagita de cœleſti Hierarchia, c. 14. ait: *Multi ſunt beati exercitus ſupernarum mentium infirmam, & conſtrictam excedentes noſtrorum materialium numerorum commenſurationem*.

Ex quibus ſic argumentor, ſiquis vellet celebrare numerum individuorum omnium ſpecierum materialium, poſſet ne alio modo celebrare, & magnificare illum, quam numerus Angelorum à Sanctis adductis celebretur? Sane non poſſet. Et ſi locus conſignatus individuis Angelicis eſt incomparabiliter maior omni eo loco, ſub quo clauduntur omnia individua ſpecierū materialiū, quare ſicut locus ita excedit locum

cum

Digitized by Google

cum inferiorum individuorum, multitudo locatorum non excedet etiam numerum locatorum inferiorum? numquid vnus Angelus debebit occupare maiorem locum, quam occupet granũ millij, ſeu lapilli, ſeu frumenti, ſeu grani arenæ? quis hoc dicat? cum vni Angelo punctum ſufficiat vnum, vt locetur? Præterea, mihi magnum eſt argumentum, quod D. Th. ſenſerit numerum Angelorum excedere numerũ ſubſtantiarũ materialium individuorũ, videri que quod hic emendaverit dictum ab ipſo in quæſt. de potentia adducta, vbi dixit, *excedere omnes ſpecies materiales*, & hic dicit; *omnes ſubſtantias corporeas*. Nec huic ſe opponit, quod infra dicit, *naturas corporeas*. Nam cũ vnumquodque individuum materiale ſua gaudeat natura realiter diſtincta numeraliter, etiam ſi ſenſerit Angelorũ multitudinẽ excedere omnia individua materialia, bene potuit ſine ſui contradictione dicere, quod excedit omnes naturas corporeas.

665 Nec his ſe opponit, quod Caietanus dicit: *Quod videtur abſurditas comparare numerum Angelorum cum numero individuorum materialium*. Non (inquam) ſe opponit, nam hoc abſque fundamento dicitur à Caietano, & à nobis maximo cum fundamento negatur ob Sanctorũ adducta dicta. Et quidem B. Vincentius Ferrerius abſque abſurditate loquens de Angelorum multitudine dixit, *quod ſunt plures, quam folia arborum in toto mundo*, & Lyra etiam ſine abſurditate illum locum Pſal. 138. *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur*, de Angelis expoſuit. Sed ne alicui hoc videatur incredibile, ponderet, quod ſubſtantiæ Angelicæ ſunt ex terminis entia intelligibilia, facilius, & magis multiplicabilia, quam entia materialia: eſt ergo magis multiplicari connaturalius gradui immaterialitatis ſubſtantialis, quam ſit connaturale gradui rerũ materialium: connaturalis ergo ordo vniverſi exigit, quod cum maiori ſui multiplicatione gradum iſtum poſsideat, quam gradum ſubſtantiarũ materialium.

Contra iſtam ſententiam nullum invenio argumentum alicuius ponderis. Solũ placet obijcere, quod ſi Angeli excedant in multitudine omnia individua ſubſtantiarũ materialium, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, videtur, quod Angeli infinitum in actu faciant ſecundum multitudinem; hoc autem in bona phyſica non poteſt admitti: ergo. Prob. Sequela, ſi omnia individua materialia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt de facto exiſterent, infinitum in actu facerent: ergo ſi multitudo Angelorũ excedit multitudinẽ materialem omniũ individuorũ, videtur, quod cum Angelica multitudo ſit tota in actu, detur infinitum in actu.

Ad hoc, nego Mai. ad prob. nego Antec. cum enim mundus non fuerit ab æterno, ſed in tempore inceperit, finiendus in tempore; in toto diſcurſu temporis non erunt infinitæ generationes ſubſtantiales: vnde quantumvis omnia individua ſpecierum materialium de facto exiſterent, non ſequeretur dari infinitum in actu; ac per Conſeq. ex hoc quod multitudo Angelorum ſit maior multitudine individuorum ſubſtantiarum materialium, & ſimul tota eorum collectio exiſtat, non ſequitur, quod detur infinitum in actu. Sed dum nolo recedere à ſententia communi Theologorum negantium multitudinem Angelorũ excedere individua omnia ſpecierum materialium, dico, me iſta ſcripſiſſe ſolum diſputationis gratia.

§. III.

Vtrùm multitudo Angelorum ſit maior multitudine omnium hominum?

666 RESPONDEO Affirmative. Et prob. primo ex D. Maximo in Scholijs c. 14. lib. de cœleſti Hierarchia, vbi explicãs verba Dionyſij ſupra à nobis adducta ait: *Infirmum modum vocavit numerum hominum reſpectu numeri Angelorum, dictum ſiquidem eſt à quodã alio, ſcilicet Didymo cæco, nonaginta novem oves eſſe Angelos, vnam autem, quæ perierat, nos homines*. Quod ipſum aſſerit Athanaſius q. 6. ad Antiochum. Similiter B. Birgitta ſcribit lib. 4. Revelat. cap. 11. Beatam Virginem ei dixiſſe: *Si computentur omnes homines, qui nati ſunt ab Adamo uſque ad noviſſimum, qui naſcituru eſt in fine mundi, pluſquam decem Angeli invenientur pro vnoquoque homine*.

Hoc ipſum patet ex doctrina Div. Thom. infra quæſt. 113. articul. 2. vbi habet: *Singulis hominibus ſinguli Angeli ad cuſtodiam deputantur*. Quod ſic debet intelligi, quod Angelus Petri v. g. qui nunc eſt, non fuerit cuſtos alterius hominis; qui antea Petrum fuerit, nec alterius, qui poſt ipſum erit; ſed ſo-

Digitized by Google

ſolum Petri cuſtos extiturus ſit, & ſic de alijs, ita vt in die iudicij iuxta numerum hominum, qui reſurrecturi ſunt, numerentur cuſtodes eorum, qui ſuorum alumnorum colligant cineres; & cum iuxta D. Thom. Angeli cuſtodes ſint tantum de ordine infimo, & quò Angelorum ordines ſuperiores ſunt, eò incomparabiliter excedant in multitudine ordines inferiores, invenietur plane, quod Angeli incomparabiliter excedant omnes homines natos, & naſcituros. Quod ſi his innumerabilem multitudinem Dæmonum addas, invenies in numero exceſsivo, Angelorum multitudinem hominum multitudinem evincere.

667 Sed his non obſtantibus, ſunt aliqui Authores, qui negant Angelos eſſe plures, quam homines; hoc videlicet fundamento nixi. Etenim ex hominibus ad minus ſalvabuntur tot; quot ſufficiant ad replendum ruinas Angelorum, qui ceciderunt, vt docet Auguſtinus lib. 22. de Civitate Dei, cap. 1. illis verbis: *Vt ſic ſuperna civitas non fraudetur ſuorum numero civium, quin etiam fortaſſis, & vberiore lætetur*; ſed ex Angelis tertia pars cecidit, & duæ remanſerunt, vt conſtat ex illo Apocalypſ. 12. *Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli*: ex hominibus autem vix decima pars ſalvabitur: ergo plures incomparabiliter ſunt homines, quam Angeli.

Sed ad hoc, nego Min. quam non probat textus ex Apocalypſi, quia nomine tertiæ partis ſtellarum non ſignificatur, quod computatis omnibus Angelis, & facta diviſione in tres partes, vna adæquate ceciderit, & duæ ſolum remanſerint, ſed tantum ſit ſenſus, quod ex tribus ordinibus aliqui ceciderint, ſic quod ceciderint ex ſupremis, ex mediocribus, & ex infimis: hoc enim ſonat *tertia pars*. Vel nomine tertiæ partis intelligitur quædam magna pars, ad quem ſenſum in cap. 8. antecedenti dicitur: *Tertia pars terræ, arborum, maris, creaturæ, navium, fluminum, Solis, Lunæ, & ſtellarum*, in quibus ly *tertia* idem ſignificat, quod magna.

(?)

QVÆSTIO III.

De multiplicatione Angelorum intra eandem ſpeciem.

EGIMVS in præcedenti quæſtione de multitudine Angelorum comparative ad res materiales, modo reſtat nobis agendum de multitudine Angelorum poſsibili intra eandem ſpeciem Angelicã. Et quia poſsibile dupliciter dicitur, nempe naturaliter, vel attenta Dei abſoluta potentia; ideo iuxta vtrumque ſenſum examinabimus, vtrum plures Angeli intra eandem ſpeciem poſsibiles ſint?

§. I.

Vtrùm intra eandem ſpeciem ſint poſſibiles plures Angeli naturaliter, ex hoc quod ex natura ſua ſint ordinati ad corpora, vel per modum cuſtodium, vel motorum?

668 NOVISSIME Pater Eſparza hic q. 5. art. 6. mordicus defendit poſſe naturaliter intra eandem ſpeciem infimã Angelos multiplicari, ex hoc videlicet principio, quod Angeli infimæ Hierarchiæ ordinantur ex natura ſua ad corpora, vel vt motores eorum, vel vt cuſtodes hominum, vel ſpecierum materialiũ. Etenim (inquit ipſe) optime ſtare poteſt, quod vnus Angelus ex natura ſua ordinatus ad hoc numero corpus, conveniat in omni prædicato ſpecifico cũ altero Angelo ex natura ſua etiã ordinato ad aliud determinatum corpus, ſicut ex diſtincto ordine conveniente animabus rationalibus ad diſtincta corpora ſtat duas animas eiſdem prædicatis ſpecificis gaudere, & ſolum numeraliter diſtingui. Plura alia dicit, quæ per modum argumenti proponemus, & ſolvemus in §. ſequenti.

Sic Concluſio. Fundamentum multiplicationis naturalis tantũ numericæ, cui nititur Pater Eſparza eſt inſufficiens, & eius doctrina falſa. Prob. nã ſi Angeli ex natura ſua ordinãtur ad movẽda corpora determinata, vel cuſtodiẽdos determinatos homines, ſequitur, quod Angeli ſint ex natura ſua propter ipſa corpora; Conſequens eſt contra D. Th. & contra veritatẽ: ergo. Conſ. eſt bona, Mai. patet, nam omne id, quod ex natura ſua ordinatur ad aliud, natura-

 li-

liter eſt propter illud: etenim, dum animæ naturaliter ordinantur ad informandum corpora, naturaliter ſunt inſtitutę, vt informent corpora: ergo ſi Angeli ex natura ſua ordinantur ad movendum, vel cuſtodiendum corpora, erunt ex ipſa rei natura inſtituti propter cuſtodiam, vel propter motũ corporum. Min. Prob. quoad primam partem, nam D. Thom. articul. 3. ad tertium ait: *dicendum, quod ratio Ariſtotelis ex neceſſitate concluderet, ſi ſubſtantiæ ſeparatæ eſſent propter ſubſtantias corporales, ſic enim fruſtra eſſent immateriales ſubſtantiæ, niſi ex eis aliquis motus in rebus corporalibus appareret, nõ eſt autem hoc verum, quod ſubſtantiæ immateriales ſint propter corporales, quia finis nobilior eſt his, quæ ſunt ad finem.* Tantum Div. Thom. quibus directè ſe opponit doctrina huius Authoris.

Quoad ſecundam partem prob. eadem Minor, quia ſubſtantia complete intellectualis, & pure immaterialis ad ea ex natura ſua ordinaretur, quorum ex natura ſua haberet indigentiam, vel ad ſuum eſſe, vel ad propriarũ operationum exercitium; at Angeli non indigent corporibus, vel ad ſuũ eſſe, vel ad ſuarũ operationũ exercitiũ: igitur ex natura ſua non ordinantur ad corpora. Conſ. eſt bona, Maior patet inductive, omne enim, quod experimur ad aliud ex natura ſua ordinari, vel dependet ab illo in ſuo eſſe, vel in exercitio ſuarum operationum: ergo. Min. vero prob. in primis non dependet à corpore quoad eſſe Angelicũ. Nam tale eſſe eſt complete immateriale, & incorporeũ: ergo eſt ſic independens à corpore, quod illo non indigeat, neque vt habeat eſſe, neque vt conſervetur in eſſe. Patet Conſ. nam ratio ſubſtantiæ completè intellectualis hoc ſonat, videlicet, quod vt complete ſit, non indigeat materia, vel corpore, vel habitudine ad illã.

Secundo, Angelus eſt ſubſtantia per ſe completè ſubſiſtens intra gradũ completæ immaterialitatis: ergo independenter à corpore debet habere ſuũ eſſe. Prob. Conſ. nam ſubſtantia, quæ ſeparatur à corpore, ſed non ſeparatur naturaliter ab habitudine ad corpus, non poteſt eſſe complete ſubſiſtens in ſui immaterialitate. Patet Conſ. nam perfectè ſubſtantiã in ſe ſubſiſtere cõplete eſt in ſe ipſa habere eſſe independenter à quolibet extrinſeco. Tertio prob. nã Thomiſtæ probant non poſſe dari ſubſtantiam completam ſupernaturalẽ, quia implicat ſubſtantiam completã ab aliquo extrinſeco in ſuo eſſe dependere, vel ex natura ſua ad aliquid extrinſecum ordinari, quæ ratio non diſplicet Ieſuitis: ergo nõ erit dicendũ, quod ſubſtantia Angelica ex natura ſua ordinetur ad aliquod extrinſecum, tantùm dependens ab illo in ſuo eſſe. Quoad ſecundam partem etiã prob. nam operationes Angeli ſunt complete velle, & intelligere; ſed in his nullam habet, neque habere poteſt dependentiã à corpore: ergo illo non indiget ad exercitium ſuarum operationum.

669 Dices huic argumento quoad primam partem, quod Angelus non ordinatur ex natura ſua ad corpus, quia in ſuo eſſe ſpecifico dependeat ab illo, ſed ordinari ex natura ſuà ad corpus, quia individuatio Angeli nequit non oriri ex corpore, nõ tanquam ex materia, *in quâ, vel ex qua*, ſed tanquam ex materia *ad quam*, vel *propter quam*. Ad ſecundam partẽ dicet de operationibus Angelicis dupliciter loqui nos poſſe. Primo, vt ſunt actiones pure immanentes, id eſt, vt tantũ ponunt aliquid in agẽte, & iſto modo eſſe omnino independentes à corpore; alio modo, ſecundũ quod operatur Angeli ad extra, id eſt, ſecundum quod ponunt aliquẽ effectũ extra ipſos in rebus, & iſto modo, Angelos in operari dependere à corporibus, quia nequeunt operari niſi tranſmutando corpora, & educendo ex illis effectus ſuos.

Sed contra ſolutionem quoad primam partem ſic inſto. Nam falſiſſimũ eſt, quod Angeli non poſſint individuari niſi per habitudinẽ ad determinatũ corpus: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. nam in primis res eſt conſtans apud D. Th. quod Angeli individuantur per ipſam phyſicã irreceptionẽ in materia: ergo non indigent ex natura ſua ordinari ad materiã, vt inde accipiant ſuã individuationẽ. Secundo, ſubſtantiæ Angelicæ primæ Hierarchiæ, quæ neque conſignantur in motores corporum, neque in cuſtodes hominum, vel aliorum materialiũ, vere ſunt individua Angelica; & tamen nõ ordinantur ex natura ſua ad determinatum corpus, imò neque ad aliquod corpus: Igitur individuatio Angelica vere reperiri poteſt in Angelis ſecluſa ordinatione ad determinata corpora.

Tertio, nam ſi ſubſtantiæ Angelicæ individuarentur ex habitudine ad determinatũ corpus, inde ſequeretur, quod vnus Angelus nõ poſſet movere omnia corpora, ſed præciſe illud, ad quod movendũ ex natura

ſci

Digitized by Google

rei determinati ſunt, & ex qua ordinatione individuantur, Conſeq. eſt falſum, alias nõ poſſent eſſe niſi in vno loco determinato, nempe in illo corpore, ad quod movendũ ex natura rei determinati ſunt. Prob. Sequela, etenim anima rationalis, quia ex ipſa rei natura ordinatur ad determinatum corpus, quod informat, etiã ſeparata à corpore nequit naturaliter movere aliud corpus, præter illud, à quo ſuã individuationẽ ſumit: igitur ſi ſubſtantia Angelica individuatur ex habitudine ad corpus, ad quod movendũ inſtituta eſt, & à quo individuatur, naturaliter non poterit movere localiter, nec alio quocumque motu alia corpora. Quarto, non poſſumus negare, quod Deus veram individuationẽ habeat: canit enim Eccleſia Sancta, & *individua Trinitas*; nec tamen poſſumus affirmare, quod hanc individuationẽ Deus habeat ex hoc, quod ad corpus ex natura ſua ordinetur: ergo falſiſſimũ eſt dicere, quod non poteſt dari individuatio niſi per habitudinem ad corpus.

670 His poterit reſponderi ex doctrina Patris Eſparzæ. Notat enim hic Author, quod aliud eſt vnum ens eſſe ab alio diſtinctum etiam tantùm numeraliter, & aliud eſt eſſe individuum: nam ad primum, ſufficit negabilitas vnius entis de alio cum convenientia in omni prædicato ſpecifico; ad ſecundum requiritur materia ſignata quantitate, quod probat ex Philoſopho, & D. Thom. nam cum hic, q. 50. art. 4. dicat, *principium individuationis eſſe materiam ſignatam quantitate*, ſupra q. 47. art. 1. docet ex profeſſo, principium, & cauſam diſtinctionis rerũ non eſſe materiã, ſed negabilitatẽ vnius entis de alio. Vnde iuxta hanc doctrinã poterit fieri reſponſio noſtræ impugnationi dicendo, quod Deus eſt ens numero diſtinctum ab alijs entibus, non vero eſt individuum Deitatis, & ſic Angeli ſunt entia realiter inter ſe diſtincta, non tamen ſunt individua, quia ad primũ ſufficit, quod entia limitata ſint; & ad ſecundũ requirebatur, quod conſtarent ex materia.

Sed contra eſt. Nam in omni hac ſua doctrina falſum dicit hic Author. Etenim, licet verum ſit, quod vt aliqua numero diſtinguantur, non requiratur materia, quia poſſunt in ſeparatis à materia reperiri plura numero diſtincta; falſum tamen eſt, quod illa, quæ numero differunt individua non ſint: ſunt quidem individua per id, quod addunt ad rationem athomã, & ſpecificã; ſicut enim per ipſa prædicata ſpecifica habent eſſe ſpecificum, ita & per id, quod addunt habent eſſe individuale. Et certè hic Author debet ponere Angelum in ſubſtantiæ prædicamento, non tanquã puram ſpeciem: ergo tanquam individuum contentum ſub genere, & ſub ſpecie.

Nec D. Thom. ad rem probandã apte adducitur, nam hic, q. 50. art. 4. illã doctrinam non adducit, ſed potius eam, quæ iugulat eius ſententiam: Nam probat in corpore, quod intra eandem ſpeciem nequeunt duo, ſi ex materia nõ conſtent, multiplicari, nec dixit de individuis, nec de non individuis. Adduco verba eius: *Ea enim quæ conveniunt ſpecie, & differunt numero, conveniunt in forma, ſed differunt materialiter: ſi ergo Angeli non ſunt compoſiti ex materia, & forma, vt ſupradictum eſt, ſequitur, quod impoſſibile ſit eſſe duos Angelos vnius ſpeciei.* Hæc, & non illa, quæ citat hic Author inveniuntur in Div. Thom. Et quando in de ente, & eſſentia dicit, *quod principium individuationis ſumitur à materia*, ibi clare loquitur de illa individuatione, quæ poteſt convenire naturæ ſpecificæ multiplicabili in varia individua, non vero de omni individuatione cuiuſcumque individui. Itaque apud D. Th. hoc eſt certum, nempe quod individua, quæ poſſunt ſolum numero multiplicari, debeant conſtare ex materia, non autem habetur apud D. Tho. quod non poſſit dari individuum non conſtans materia. Quam doctrinam, & non aliam habet ſupra quæſt. 47. artic. 1. ibi enim habet, quod vt aliqua diſtinguantur etiam numero non requiritur materia: non vero habet, quod ad diſtinctionem tantum numericam non requiratur materia.

Quoad ſecundam partẽ ſolutionis ſic inſurgo. Nam licet Angeli non poſſint operari ad extra niſi educendo effectum ſuum ex corpore, tamen cum Angeli non ſint, vt ad extra operentur, cũ operari ad extra nõ ſit Angelis neceſſariũ, ſed liberũ, non ſubordinat naturã Angelorũ corporibus: vnde nec facit quod ex natura ſua ad illa ordinẽtur: ad hoc enim requirebatur, quod propter talẽ operationẽ ad extra Angeli eſſet inſtituti: ergo ex hoc quod Angeli nõ poſſint operari ad extra niſi educendo effectus ſuos ex corporibus, non ſequitur, quod ex operibus ſuis ſic depẽdeant à corporibus, quod naturaliter debeant ordinari ad corpora.

671 Secundo principaliter prob. Concluſio, nam falſiſſimum eſt dicere,

quod Angelus cuſtos Petri ex natura ſua ordinetur ad cuſtodiendum Petrum v. g. illa enim cuſtodia non eſt à natura Angelica, ſed eſt per deputationem, ſeu miſsionē divinam, vt cuius Deus eum Angelū, quē pro libito ſuo vult, eligit in cuſtodem huius, vel illius individui: vnde à Hieronymo Angeli cuſtodes dicuntur *deputati ad cuſtodiam*, quod ſonat quandam extrinſecā cōgnationē, quæ in Angelis ſupponit omnia intrinſeca, tam quo ad ſpeciē, quam quoad eſſe individuale: ergo ex diverſa cuſtodia hominū nō probatur diverſitas plurium Angelorū intra eandem ſpeciē. Prob. Conſ. nam individuatio ſubſtantiæ debet fieri per aliquid intrinſecum ſubſtantiale, quod dividat realiter naturam Angelicam: ergo cum illa deputatio ad cuſtodiā hominum ſit quid extrinſecum, nequit in Angelis ponere diſtinctionem tantum numericam.

Tandem impugnatur hic modus dicendi, nam nequeunt duo ſpiritus, tres, vel quatuor ex habitudine ad eandem materiam individuari, ſed videmus, quod duo, tres, & etiam quatuor Angeli deputantur in cuſtodiam alicuius hominis in particulari; etenim ſi ſimplices Prælati habent duos Angelos cuſtodes, Pontifex, quos habebit? ſane plures: igitur ex cuſtodia hominum nequeunt Angeli intra eandem ſpeciē multiplicari. Non invenio aliquod argumentum in hoc Auctore, quia ſolum fundat ſententiam ſuam in falſitate illa, quod videlicet Angeli ex natura ſua ordinentur ad corpora, & ſic ab illo diverſo ordine de facto ſolo numero plures ſint.

§. II.

Vtrùm Angeli intra eandem ſpeciem plures ſint, ex hoc quod per ſpeciem æquè univerſalem in repræſentando alter altero perfectius cognoſcat?

672 QVIDAM Tarentinus Regens Collegij Neapolitani montis de Dio hac tempeſtate, vt defendat poſſe dari intra eandem ſpeciem plures Angelos ſolo numero diſtinctos, excogitavit poſſe dari duos Angelos in principijs ſpecificis omnino æquales, ſolū diverſos in eo, quod per eandē ſpeciem vniverſalē in repræſentādo, ſpeciei Angelicæ ſub tanta vniverſalitate debitā, poſsit vnus magis perfectè intelligere quā alter, ſimili modo, quo duo homines, propoſito illis aliquo principio, poſſunt eſſe inæquales in intelligendo per tale principium, puta ſi alter penetrat illud vſque ad illationē trium, vel quatuor cōcluſionum, & alter penetrat illud vſque ad illationem ſex, vel octo concluſionū. Vnde argumētatur ſic. Poſſunt duo intellectus eiuſdem athomæ ſpeciei diverſimode intelligere per idem principium: ergo & poterunt duo intellectus Angelici eiuſdem ſpeciei per vnam ſpeciem æque vniverſalem, vtpote debitā tali, vel tali ſpeciei Angelicæ ſubſtantiæ diverſo modo intelligere: non ergo repugnat intra eandem ſpeciē Deum producere plures Angelos.

Quam ſententiam fundare, & roborare poterat ex eo, quod duo beati per lumina gloriæ eiuſdem athomæ ſpeciei cum ſola diverſitate numerali poſſunt eſſe inæquales in vſu ſpeciei impreſſæ, nempe eſſentiæ divinæ, ſic, quod alter magis penetret Deum quam alter: ergo & poterit Deus facere duos Angelos, qui per eandem ſpeciem eis ex ſua ratione ſpecifica debitā, inæqualiter intelligant; at iſti Angeli erunt eiuſdem ſpeciei, quia per eandem ſpeciem intelligent, & erunt ſolo numero diverſi, quia alter perfectius altero intelliget: ergo non repugnat dari duos Angelos intra eandem ſpeciem. Confirm. hoc, duæ animæ ſeparatæ à materia more Angelicō per ſpecies infuſas intelligentes, per ſpecies æquales in repræſentando intelligunt; & tamen vna perfectius intelligit altera: ergo & poterunt duo intellectus Angelici ſolo numero differre per hoc, quod per eandem ſpeciem alter perfectius altero intelligat.

673 Hic modus dicendi, eſto ſubtilis aliquibus viſus ſit, mihi tamen placere non poteſt. Tum, quia contra D. Thom. eſt, quod poſsint dari duo Angeli intra eandem ſpeciem. Tum etiam, quia iuxta eundem D. Thom. diverſitas tantum numeralis ſolum poteſt competere vel conſtantibus ex materia, vel dicentibus habitudines ad diſtinctas materias, in quibus receptibiles ſunt, cum quibus aperto marte pugnat hic modus dicendi. Nam deſtruit illam excluſivam D. Thom. ſiquidem ponit Angelos non conſtare ex materia, neque ad illam ordinari; & tamen ponit illos intra eandem ſpeciem multiplicari poſſe; & quidē valde humiliter ſentit de D. Thom.

qui

qui propter has cogitatiunculas eius doctrinam deſerit. Tum etiam diſplicet hic modus dicendi, quia verus non eſt, quod ſic diſcurro. Forma intellectualis, niſi in ſe ipſa diverſa ſit, nequit in intelligendo habere diverſitatem: ſed forma ſpecifica Gabrielis v.g. nequit in ſe ipſa habere diverſitatē: ergo nequit habere diverſitatē in intelligēdo. Prob. Min. forma ſpecifica Gabrielis non habet in ſe ipſa diverſitatem formalem, ſiquidem eſt vna in ſpecie; non habet diverſitatem materialem, ſiquidem neque conſtat materia, nec dicit habitudinem ad materiam: ergo in ſe ipſa nullam habet diverſitatem. Prob. Conſeq. nam forma tantum poteſt variari formaliter, vel materialiter: ergo ſi nec habet in ſe ipſa diverſitatem formalem, neque materialem, nullam in ſe ipſa poterit habere diverſitatem.

Dices, diverſitatem formalem eſſe duplicem, aliam gradualem, ſeu eſſentialem; aliam extra eſſentialem, quæ poteſt dici materialis, eo quod non habet diverſificare eſſentialiter formam, non autem, quia ex diverſitate materiæ deſumitur: videmus hoc in accidentibus Angeli, in quibus tam principia ſpecifica, quàm principia individualia formalia ſunt, quia in Angelis nulla eſt materia; & tamen cum convenientia ſpecifica habent diverſitatem ſolum numeralem: vnde duo accidentia Angelica dicuntur ſolum materialiter differre, quia extra eſſentialiter differunt; non vero quia à materia ſuam diſtinctionem individualem habeant: ergo hoc ipſum poterit dici de ſpecie Gabrielis, videlicet, quod per principia formalia eſſentialia habeat identitatem ſpecificam, & per principia formalia extra eſſentialia habeat diverſitatem tantum numeralem.

Sed contra eſt, nam licet in accidentibus Angelicis poſsimus intra lineam puri ſpiritus diſtinguere principia eſſentialia, & principia numeraliter tantum diverſa; hoc non poſſumus diſtinguere in ſubſtantia complete ſpirituali: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. nam in accidentibus illa poſſumus diſtinguere, quia cum ſint veræ tendentiæ in ordine ad obiectum, realiter tamen recipiuntur in forma Angelica, ſive in Angelo: vnde ex obiecto habent ſpeciem, & ex diverſo receptivo, quamvis ſpirituali, habent diverſitatem numeralem; formæ autem complete ſpirituales nullum habent receptivum, à quo poſsint habere diverſitatem extra eſſentialem: ergo non ſunt capaces diſtinctionis formalis extra eſſentialis. Explico hoc. bene verum eſt, quod forma Angelica recipitur in ſuppoſito pure ſpirituali; cæterum cum ſubſiſtentia Angeli adæquate oriatur à forma Angelica, non poteſt habere diſtinctionem, niſi in forma Angelica habeatur diſtinctio: nō ergo ex receptivo habere poteſt forma Angelica aliquam diverſitatem.

Præterea, forma accidentalis, vt prævenit ſubiectum, non habet individuationem, vnde illam accipit ab illo, vel ex habitudine ad illud, & ſic quamvis ſubiectum ſit pure ſpirituale, ex diverſitate tamē illius poteſt habere diverſitatē extra eſſentialem, & individualem; forma autem completa iam eſt à ſe individua, quando in ſuppoſito recipitur, & ſic ex receptione in ſuppoſito nequit habere diverſitatem extra eſſentialem: non ergo eſt poſsibile ſtando in principijs pure ſpiritualibus, diſtinguere in ſubſtantia Angelica duo genera principiorum, aliorum, per quæ differat eſſentialiter; & aliorum, per quæ differat ſpiritualiter extra eſſentialiter. Si ergo forma Gabrielis v. g. in ſe ipſa nequit habere principia, per quæ fiat diverſa in ſuo eſſe, nequibit in intelligendo habere diverſitatem, quia vbi in eſſe non habetur diverſitas, nequit in operando diverſitas reperiri.

674 Confirmamus exemplis hanc doctrinam. Verum quidem eſt, quod vna anima ſeparata in ordine naturali perfectius intelliget quam altera; cæterum hæc diverſitas præſupponit alteram, nempe illam qua animæ per ordinem ad materiam, quam natæ ſunt informare, diſtinctionem ſubſtantialem individualem accipiunt. Bene etiam verum eſt, quod duo lumina gloriæ per eandem eſſentiam divinā mentibus beatorū vnitam diverſimode Deum, quem vident, penetrant; ſed hæc diverſitas in penetrando non eſt illa, quæ facit ea differre numero, ſed præſupponit diverſitatē numeralē deſumptā, ex eo quod vnus beatus ſpeciē luminis gloriæ magis participat quam alter: ex hoc enim oritur, quod perfectius per idem mediū Deū videre poſsit quā alter: ergo ex hoc quod ex duobus Angelis per eandē ſpeciē alter perfectius cognoſcat quam alter, prima diverſitas individualis haberi nō poterit, ſed neceſſario hæc diſtinctio in intelligendo præſupponet alteram in eſſendo, quā cum probaverimus

eſſe impoſsibilem intra eandem ſpeciem, etiam judicamus eſſe impoſsibile, quod dentur duo Angeli per eandem ſpeciem intelligentes, ſic,quod alius alio perfectius videat.

Dices ad hoc, Authorem, quem impugnamus non dicere, quod duo Angeli differant individualiter intra eandem ſpeciem per hoc, quod proxime diverſimode intelligant per eandē ſpeciem impreſſam, ſed per hoc, quod radicaliter ſint diverſimode intellectivi per eandem ſpeciem impreſſam; diverſitas autem radicalis eſt prima diverſitas, & eſt diverſitas in eſſe Angelico: vnde non ponit hic Author diverſitatem in operando, quæ non præſupponat diverſitatē in eſſendo. Sed contra eſt, nam hæc diverſitas radicalis etiam nequit eſſe prima diverſitas, per quam duo Angeli intra eandem ſpeciem individualiter differant: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. diverſitas activæ intellectualitatis debet oriri ex diverſa immaterialitate indiſpenſabiliter: nam intellectualitas activa ex immaterialitate oritur; ſed intra eandem ſpeciē nequeunt dari duo Angeli in immaterialitate diverſi: ergo & nequeunt dari diverſi in intellectualitate activa. Prob. Min. nam omnis individuatio formæ Angelicæ æqualiter diſtat à ſpecie, & æqualiter diſtat ab exiſtētia, quæ eſt vltima rei actualitas: nam ſpecies Angelica immediate individuatur, & individuata immediate exiſtit: ergo nequit dari intra eandem ſpeciem individuatio, quæ ſit magis immaterialis alia individuatione: ergo nequeunt intra eandem ſpeciē dari duo Angeli inæquales in immaterialitate individuationis.

Inſuper, cum individuatio formæ Angelicæ non deſumatur à materia, neque ex habitudine ad materiam, debet adæquate deſumi à gradu ſpecifico, ad modum, quo proprietas oritur ab eſſentia; ſed ab vna eſſentia athomà vna nequeunt immediate oriri proprietates in immaterialitate diverſæ; ergo cum omnis individuatio Angelica à gradu ſpecifico immediate, & adæquate oriatur, nequibunt ex vna ſpecie athoma oriri individuationes ſecundum immaterialitatem diverſæ.

Explico hoc, bene poſſunt ab vna differentia ſpecifica oriri ordine quodā proprietates in immaterialitate diverſæ, quia, dum vna magis ſe elongat à radice, poteſt minus habere de immaterialitate, quam altera. Exemplum eſt in intellectu, & voluntate, quæ ſunt proprietates Angeli, quarum magis immaterialis eſt intellectus, quia immediatius oritur ex radice, & magis illi coniungitur quam voluntas; cæterū immediate nequeunt ab aliqua eſſentia oriri duæ proprietates inæquales in immaterialitate; ſed omnis individuatio formæ Angelicæ eſt proprietas immediate ab ipſa tanquam à radice adæquata ortum habens: ergo implicat, quod ex eodē athomo gradu ſpecifico Angelico oriantur duæ individuationes inæquales in immaterialitate.

Explicatur vlterius, ſicut in Angelis individuatio immediate oritur à forma tantum, ſic in materialibus ſubſtantijs individuatio oritur à forma prout tantam, vel tantam materiā informante, ſed à forma prout informante hanc determinatam materiam, nequeunt oriri duæ individuationes in materialitate diverſæ: igitur à pura forma athoma nequibunt immediate oriri duæ individuationes penes immaterialitatem diverſæ.

675 Ex his reſp. ad rationes in favorem huius Auctoris adductas. Ad primā dico, quod duo intellectus, ſi ſupponantur eſſe individualiter tantū diverſi, bene poſſunt per idem principiū diverſimode intelligere, & ſimiliter ſi ſupponerentur duo intellectus Angelici individualiter diverſi, poſſent per eandem ſpeciem diverſimode intelligere; non tamen poſſunt duo intellectus primo fieri diverſi tantum numero per hoc ſolum, quod per eandē ſpeciem diverſimode intelligant, quia, vt dixi, diverſitas in intelligendo debet oriri ex diverſitate in eſſendo: dum ergo non eſt poſsibilis in puris ſpiritibus diverſitas tantum numeralis, vt probatū eſt, nulla via eſt aſſeverandum, quod duo Angeli eiuſdē athomæ ſpeciei dari poſſunt per hoc, quod per eandē ſpeciē diverſimode intelligant. Itaque fatemur, quod ſi darentur duo Angeli, qui per eandem ſpeciē intelligerent diverſimode, à poſteriori ex hoc poſſet inferri, quod illi duo Angeli tantum numero differrent, quia hæc diverſitas in intelligendo argueret diverſitatem tantum numericā in eſſendo, ſed ſicut hæc diverſitas in Angelis eſt impoſsibilis, ita & illa eſt impoſsibilis. Vnde chymerā æſtimamus poſſe dari duos Angelos, qui per eandem ſpeciem æque in repræſentando vniverſalem, diverſimode valeant intelligere.

Ad Confir. nego Conſ. Etenim duo lumina gloriæ primo intelliguntur tantū nu-

Digitized by Google

numeraliter differre per hoc, quod in diverſis ſubiectis reperiuntur, & per hoc quod ſubiectum per vnũ lumen magis intenſum perfectius habet participare eſſentiã luminis gloriæ, & deinde hac diverſitate in eſſendo præſuppoſita, vnus beatus poteſt diverſimode intelligere per eandem eſſentiã divinam ſibi vnitam in ratione ſpeciei intelligibilis, ac intelligit alius, qui lumine minus intenſo illuſtratur: in Angelis autẽ ſecundũ eſſe non eſt perceptibilis diverſitas tantum numerica, & ſic etiã non eſt perceptibile, quod duo Angeli per eandẽ ſpeciem poſsint naturaliter diverſimode intelligere.

Ad ſecundam Confir. conceſsis præmiſsis, nego Conſeq. Nam animæ ſeparatæ, cum ſint numero tantum diverſæ, per habitudinem ad materiã poſſunt in intelligendo per eandem ſpeciem habere diverſitatem: duo autẽ Angeli non poſſunt in eſſendo habere diverſitatem tantũ numeralem, & ſic non poſſunt naturaliter per eandem ſpeciem diverſimode intelligere.

§. III.

Vtrùm iuxta mentem D. Thom. poſsint Angeli multiplicari intra eandem ſpeciem?

676 QVIDAM Mordicus tenent, poſſe defenſari iuxta doctrinam Div. Thom. poſſe multiplicari Angelos intra eandem ſpeciẽ athomam. Sed neſcio qua fronte hoc aſſeverent huiuſmodi Auctores, cùm nihil clarius appareat in D. Thom. quam quod duo Angeli non poſsint intra eandem ſpeciem diſtingui. Vnde ſit Concluſio. Iuxta mentem D. Thom. non poteſt defenſari, quod Angeli poſſunt multiplicari intra eandem ſpeciem athomam. Prob. nam hic quæſt. 50. art. 4. vbi ex profeſſo hanc materiam tractat. ſic habet: *Ea enim, quæ conveniunt ſpecie, & differunt numero, conveniunt in forma, ſed diſtinguuntur materialiter; ſi ergo Angeli non ſunt compoſiti ex materia, & forma, vt dictum eſt ſupra, ſequitur, quod impoſsibile ſit eſſe duos Angelos vnius ſpeciei.* Quid Clarius? Item infra quæſt. 75. art. 7. ſic habet, refutando ſententiam Origenis ponentis animas, & Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei: *Quod non poteſt eſſe, quia in ſubſtantijs incorporeis non poteſt eſſe diverſitas ſecundum numerum abſque diverſitate ſecundum ſpeciẽ, & abſque naturali inæqualitate, quia cum non ſint compoſita ex materia, & forma, ſed ſint formæ ſubſiſtentes, manifeſtum eſt, quod neceſſe erit in eis eſſe diverſitatem in ſpecie: non enim poteſt intelligi, quod aliqua forma ſeparata ſit niſi vna vnius ſpeciei; ſicut ſi eſſet albedo ſeparata, non poſſet eſſe niſi vna tantum, hæc enim albedo non differt ab illa niſi per hoc, quod eſt huius, vel illius.*

Item quæſt. 76. art. 2. ad 1. inquit: *Et ideo ſecundum diviſionem materiæ ſunt multæ animæ eiuſdem ſpeciei; multi autẽ Angeli vnius ſpeciei omnino eſſe non poſſunt.* Item de Spiritualibus creaturis, quæſt. vnica, cap. 8. ſic habet: *Si autem Angelus eſt forma ſimplex abſtracta à materia, impoſsibile eſt etiam fingere, quod ſint plures Angeli eiuſdem ſpeciei, quia quæcumque forma quantumcumque materialis, & infima, ſi ponatur abſtracta, vel ſecundum eſſe, vel ſecundum intellectum, non remanet niſi vna in ſpecie vna, ſi enim intelligatur albedo abſque omni ſubiecto ſubſiſtens, non erit poſsibile ponere plures albedines, cum videamus, quod hæc albedo non differt ab alia niſi per hoc, quod eſt in hoc, vel illo ſubiecto, & ſimiliter, ſi eſſet humanitas abſtracta non eſſet niſi vna tantum.*

Idem in 2. diſt. 3. quæſt. 1. art. 4. dicit: *Alij dicunt, quod nullus Angelus eſt eiuſdem ſpecie cum alio, & hæc opinio concordat cum dictis Philoſophorum, & etiam Dionyſij, qui ponit 10. capite cæleſtis Hierarchiæ in eodem ordine eſſe primos, medios, & vltimos, & huic neceſſarium eſt conſiſtere; ſi enim immateriales ponuntur, cum nulla forma, vel natura multiplicet numerũ niſi in diverſitate materiæ, oportet, quod forma ſimplex, & immaterialis non recepta in aliqua materia ſit vna tantum; vnde quod eſt extra eam eſt alterius naturæ, eo quod diſtet ab ea ſecundum formam, non ſecundum materiale principium, quod ibi nullum eſt: talis autem diverſitas cauſat differentiam in ſpecie: vnde oportet quoslibet duos Angelos acceptos differre ſecundum ſpeciem.* Item ibidem, diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. in corpore ait: *Impoſsibile eſt enim diverſitatem in numero ſub eadem ſpecie cauſari niſi ex diverſitate materiæ, quia ad diverſitatem formalium principiorum ſequitur diverſitas ſpecierum.*

Deinde ſecundo Contrag. cap. 93. ait: *Plures ergo ſubſtantiæ ſeparatæ eſſe nõ poſſunt, niſi ſint plures ſpecies.* Et deinde: *Subſtantiæ autem ſeparatæ non habent omnino materiam, neque quæ ſit pars earum, neque cui vniantur vt formæ: impoſsibile eſt igitur, quod ſint plures vnius ſpeciei.* Quam doctrinam repetit in

Digitized by Google

in cap.4. ſequenti. Item Opuſculo 2. cap. 56. ſic habet: *Ea, quæ ſunt vnum ſecundum formam non multiplicantur numero niſi per materiam, ſicut multiplicatur albedo per hoc, quod eſt in pluribus ſubiectis: in diuinis autem non eſt materia: quidquid igitur eſt vnum ſpecie, & forma in diuinis impoſſibile eſt multiplicari ſecundum numerum.* Et cap. 57. ſic habet loquens de Angelis, *non enim ab inuicem differre poſſunt materiali differentia, cum materia careant: vnde ſi in eis eſt pluralitas, neceſſe eſt, eam per diſtinctionem formalem cauſari, quæ diuerſitatē ſpeciei conſtituit.* Sic D. Thom. in omnibus iſtis locis, in quibus ſemper probat impoſſibile eſſe dari plures Angelos intra eandem athomam ſpeciem.

§. IV.

Soluuntur Argumenta.

677 AD Probandum quod iuxta D.Thom. poſsint dari plures Angeli intra eandem ſpeciem ſolet adduci textus ex Opuſculo 16. §. vltimo, vbi D. Thom. contra Auerroiſtas, qui aſſerebant vnum tantum numero eſſe intellectum omnium hominum, & probabant non poſſe multiplicari, quia in ſe non habebat principium multiplicationis, quod erat materia. Contra quam poſitionem ſic arguit D.Thom. *Valde* (inquit) *turpiter argumentantur ad oſtendendum, quod Deus non poſſit facere, quod ſint multi intellectus eiuſdem ſpeciei, credentes hoc includere contradictionem, dato enim, quod non eſſet de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propterea oporteret, quod intellectum multiplicari includeret contradictionem: nihil enim prohibet aliquid non habere in ſua natura cauſam alicuius, quod tamen habet illud ex alia cauſa, ſicut graue habet ex ſua natura, quod non ſit ſurſum, tamen graue eſſe ſurſum non includit contradictionem, ſed graue eſſe ſurſum ſecundum ſuam naturam implicat contradictionem: ſi ergo intellectus, ſi naturaliter eſſet vnus omnium, quia non haberet cauſam multiplicationis, poſſet tamen ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa: nec eſſet implicatio contradictionis.*

Ex quibus ſic argumentum. Stat bene intellectum non habere in ſui natura cauſam multiplicationis, & tamen abſque contradictione poſſe ſupernaturaliter multiplicari: ergo eſto Angeli non habeant ex ſua natura cauſam multiplicationis ſuæ, poterunt tamen abſque contradictione ex cauſa ſupernaturali illam habere. Explicatur hoc, Auerroiſtæ ponebant intellectum ſeparatum à materia, & ab habitudine ad materiam, ſicut nos ponimus Angelos ſeparatos à materia, & ab habitudine ad materiam: vnde ſicut nos inferimus ex hoc principio implicare contradictionē, quod multiplicetur ſpecie, ita illi inferebant implicare contradictionem, quod intellectus humanus multiplicaretur numero; & tamē D. Thom. dicit, quod hic modus argumentandi eſt rudis: ergo & noſtra argumentatio, qua probamus, quod quia ſunt ſeparati à materia, & ab habitudine ad materiam, non poterunt multiplicari, etiā eſt rudis argumentandi modus.

Quod ſi dicatur, D.Thom. condemnare illum modum argumentandi gratia formæ, non vero gratia materiæ. Contra hoc eſt, quia D. Thom. condemnat illam argumentationem etiam gratia materiæ: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Antec, nam ſubdit D. Thom. *Quod non tantum dicimus propter propoſitum, ſed magis ne hac argumentandi forma ad alia extendatur:* ergo ſentit D. Thom. quod illa Conſeq. nec eſt bona in hac propoſita materia, neque in alia diſtincta; illud enim ſonat illa dictio excluſiua *non tantum*. Etenim iſta excluſiua, *non tantum homo eſt animal*, exponitur ſic, *homo eſt animal, & aliquid aliud ab homine eſt animal*, & ita illa, *quod non tantum dicitur propter propoſitum*, exponitur ſic, *hoc dicitur propter propoſitū, & etiam propter alia*. Confirm. hoc ipſum, nam D. Thom. dicit: *Dato enim quod non eſſet de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propterea intellectum multiplicari includeret contradictionē*; ergo ſentit etiam in hac materia determinata non eſſe bonam Conſeq. non eſt de natura intellectus, quod multiplicetur: igitur implicat contradictionem intellectum multiplicari.

678 Difficultas huius authoritatis valde premit Thomiſtas: vnde propter illam aliqui dicunt, quod ſecundum mentem D. Thom. in hac auctoritate, Angeli, eſto naturaliter non poſsint multiplicari, ſupernaturaliter tamen poſſunt. De illis in ſequentibus §§. habebitur ſermō. Alij, vt ſunt Salmanticenſes, dicunt, quod in illa loquutione D. Thom. *Sic ergo intellectus ſi naturaliter eſſet vnus omnium, quia non haberet cauſam naturalem multiplicationis, poſſet ſo-*

tamen ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa, non habetur ſermo de cauſa naturali intrinſeca, ſed ſolum de extrinſeca, quaſi ſolum vellit dicere D. Thom. quod dato, quod per cauſam efficientem naturalis ordinis talis intellectus nequiret multiplicari, non tamen inde ſequeretur, quod per cauſam effectivam ordinis ſupernaturalis multiplicari non poſſent.

Cæterum, pace tantorum virorum, hæc explicatio non placet. Nam illa propoſitio, *dato quod non eſſet de natura intellectus, quod multiplicaretur*; expreſſe ſonat cauſam intrinſecam: hæc enim ſolum poteſt eſſe de natura intellectus; nam cauſæ efficientes ſunt extra rei naturã; dum nulla res conſtituitur in ſuo eſſe naturali per cauſam ſui effectivam: vult ergo dicere illa propoſitio, quod dato quod intellectus ex ſuis intrinſecis multiplicabilis naturaliter non eſſet, adhuc non implicaret contradictionem illum multiplicari, quod etiam exempla de gravi, & levi, quæ ibi adducit D. Thom. demonſtrant: dum enim dicimus, quod gravi non convenit ſecundum ſuam naturam aſcendere ſurſum, certe volumus ſignificare, quod grave in ſui ratione differentiali, per quam naturaliter conſtituitur; non habet cauſam intrinſecam ſui aſcenſus ſurſum: vnde quando à projiciente ſurſum tendere cogitur, ab ipſo accipit impulſum intrinſece grave informantem, ratione cujus intrinſece moveri poſſit motu ſurſum: non ergo debemus ſtare huic explicationi.

Aliter reſpondet Magiſter Gonet his verbis: *Quando vero S. Doctor ait, ſi intellectus naturaliter eſſet vnus omnium, quia non haberet naturalem cauſam multiplicationis, poſſet tamen ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa, nec eſſet implicatio contradictionis, &c. ſolum intendit reprobare illam conſequentiam, & formam argumentandi: aliquid ex natura ſua repugnat alicui: ergo etiã ſupernaturaliter ei repugnat. Quam Conſeq: meritò rudem argumentationem appellat, eo quod plura ſunt, quæ naturaliter repugnant, & tamen ex ſupernaturali, & divina virtute illis convenire poſſunt, vt lapidi ſurſum ferri, cæco videre, mortuis reſurgere, &c. vt ipſe ibidem aperte declarat*: Sic Gonet, ſed meo videri infeliciter, vt probavimus in argumento. non enim D. Thom. ſolum reprobat illam Conſequentiam gratia formæ, ſed etiam gratia materiæ.

Vnde his explicationibus omiſsis, dico; quod eſto admittantur vt vera omnia ea, quæ D. Thom. in adducta authoritate dicit, nõ poteſt concludi, quod ipſe ſenſerit ſubſtantias ſeparatas, quales ſunt Angeli, poſſe per Dei potentiam abſolutam multiplicari intra eandem ſpeciẽ. Nam cum intellectus ſit accidens, eſto naturaliter ponatur vnus ſeparatus a ſubiecto; & eſto in ſui natura non habeat cauſam ſuæ multiplicationis, non tamen habet repugnantiam ad illam per ordinem ad Deũ Authorem ſupernaturalem; quia ex quo talis intellectus accidens eſſet, eſto de facto in ſubiecto non eſſet; & modum perſeitatis haberet, poſſet tamen divinitus præfato modo perſeitatis privari; & in ſubiecto poni; atque adeò juxta pluralitatem ſubiectorum multiplicari, ſicut alia accidentia multiplicantur: in quo caſu verificaretur, quod de ſua natura non haberet cauſam intrinſecam ſuæ pluralitatis, haberet tamen illam divinitus ex alia cauſa; nempe ex ſubiecto, cui inhærere non repugnaret illi; at Angelus cum ſit ſubſtantia completa ſpiritualis habet repugnantiam intrinſecam accipiendi pluralitatem ab aliquo extra ſe, quia & repugnat eſſe formam materiæ; & repugnat inhærere alteri tanquam ſubiecto; vnde ex eo quod in ſui natura non habet cauſam ſuæ multiplicitatis, cum ex aliquo extrinſeco illam habere non poſsit, bene concluditur; quod nec divinitus intra eandem ſpeciem multiplicari poſsit.

Sed contra hanc ſolutionem inſtabis. Primo, quia D. Thom. in aliquibus locis à nobis adductis in probationem noſtræ concluſionis, vt probet Angelos non poſſe multiplicari, quia ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, vtitur exemplo albedinis, dicens: *Sicut ſi daretur albedo ſeparata, hæc non poſſet eſſe niſi vna*: igitur eſto intellectus accidens ſit, ſi tamen admittitur, quod divinitus poſſit multiplicari, optimum argumentũ fiet ad probandum, quod etiam ſubſtantiæ ſeparatæ poterunt divinitus multiplicari. Patet Conſeq. quia non minus albedo eſt accidens quam intellectus.

Secundo inſtabis; nam D. Thom. in adducto Opuſculo impugnat Averroẽ, qui ponebat intellectum non eſſe accidens animæ, ſed eſſe quandam ſubſtantiam ſeparatam, vt ipſemet D. Thom. refert in eodem Opuſculo §. *Oſtenſo igitur*, circa principiũ vbi ſic habet: *Quorum vnus*, ſcilicet Averrois, *ponens hujuſmodi principiũ intelligendi*,

quod intellectus poſſibilis dicitur non eſſe animam, nec partem animæ niſi æquivoce, ſed potius quod ſit ſubſtantia quædam ſeparata, dixit, quod illius intelligere ſubſtantiæ eſt intelligere mei, vel illius, in quantum intellectus ille copulatur mihi, vel tibi per phantaſmata, quæ ſunt in te, vel in me. Sic D.Th. ergo ſi de hoc intellectu dicit, quod non eſſet contradictio, quod multiplicaretur intra eandem ſpeciem, hoc ipſum tenetur ſentire de alijs ſubſtantijs ſeparatis, videlicet, quod poſſint divinitus intra eandem ſpeciem multiplicari.

Ad primam inſtantiam dico, quod albedo ſeparata à ſubiecto, quandiu retineneret modum perſeitatis, non poſſet multiplicari, & ſic bene infertur, quod dum ſubſtantiæ ſeparatæ non poſſunt non retinere modum perſeitatis, non poſſunt etiam divinitus multiplicari, quia tali modo perſeitatis ſpoliari etiam divinitus non poſſunt. Vnde D. Thom. vtitur exemplo albedinis ſeparatæ ad hunc ſenſum, quod ſi daretur albedo ſeparata in ſenſu compoſito illius ſtatus, non poſſet etiam divinitus multiplicari; ita ſubſtantia Angelica, cum ſit forma ſeparata, & ab hoc ſtatu ſeparationis ſeparari non valeat, adhuc divinitus intra eandem ſpeciem multiplicari non poteſt: vnde quod albedo poſſet privari divinitus modo ſeparationis, & multiplicari, non infert Angelos poſſe divinitus multiplicari, quia etiam divinitus nequeunt ſpoliari modo ſeparationis.

Ad ſecundam dico, quod inter Averroiſtas erat diſcrimen, nam Averroes, licet diceret intellectum eſſe ſubſtantiam ſeparatam, tamen alij dicebant eſſe accidens, eſſe tamen vnum, quia cum eſſet ſeparatus à ſubiecto, & non conſtaret materia, non poterat multiplicari ex natura ſua, & ſic implicabat contradictionem illum multiplicari. Et contra illos inquit D. Thom. *Quod ruditer argumentatur, &c.* Quia cum poneretur ab illis eſſe accidens, quamvis non conſtaret materia, poſſet tamen divinitus ex ſubiecto habere multiplicationem.

(:)

§. V.

Vtrùm poſſint naturaliter Angeli multiplicari intra eandem ſpeciem?

680 VIDIMUS In §. 1. & §. 2. quod Angeli ex capitibus particularibus ibi impugnatis nequeunt naturaliter intra eandem ſpeciem multiplicari, modo reſtat videndũ, vtrum abſolute naturaliter loquendo poſſint intra eandem ſpeciem multiplicari? Et quidẽ plures ſentiunt tam ex Scotiſtis, quã ex Ieſuitis, quod ſicut naturaliter poſſunt dari plures Soles, & plures Lunæ eiuſdem ſpeciei, ita & naturaliter poſſint dari plures Angeli eiuſdem ſpeciei. Ita tenent Henricus Quodlibeto 2. quæſt. 8. Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 7. Durandus ibidem quæſt. 3. Vazquez hic, diſp. 184. cap. 3. Suarez diſp. 5. Metaph. ſect. 2. à num. 21. & num. 28. & alij.

Contra hos omnes ſtatuitur Concluſio. Angeli nequeunt naturaliter intra eandem ſpeciem athomam eſſe plures. Prob. ex locis D.Thom. adductis §. præcedenti, qui ſaltim hanc Concluſionem evidenter convincunt. Nec valet dicere D.Thom. in adductis locis loquutum fuiſſe in ſententia Philoſophi aſſerentis principium multiplicationis tantum numericæ eſſe ſolam materiam ſignatam quantitate, non vero ex proprio marte, vel ex proprio ſenſu. Non (inquam) valet, nam D. Thom. illa non docuit vt commentator Ariſtotelis, ſed docuit vt Theologus. Nam omnia illa loca adducta ſunt ex eius Theologia, in qua non fuit commentator Ariſtotelis, ſed Author, & ſi ſenſiſſet illam doctrinam Ariſtotelis non eſſe veram, Ariſtotelem correxiſſet, ſicut & de facto correxit circa multitudinem Angelorum, docens, hanc non debere deſumi ex numero motuum cœleſtium, ſicut poſuit Ariſtoteles: quia Angeli non ſunt creati à Deo propter corpora cœleſtia, vt Ariſtoteles voluit: ſenſit ergo cum Ariſtotele; quod multiplicatio tantum numeralis Angelorum ſolum poteſt provenire à materia.

681 Sed ratione prob. Concluſio. Illæ ſolum ſubſtantiæ poſſunt intra eandẽ ſpeciem multiplicari, quæ poſſunt convenire in principijs formalibus athomis, & poſſunt materialiter, id eſt, tantum ex diverſitate materiæ diſtingui; ſed Angeli, cum non conſtent materia, nequeunt ma-

te-

terialiter differre: Igitur nequeunt intra eandem materiam multiplicari. Conſeq. eſt bona, Min. certa, & Mai. Prob. nam vbi eſt adæquata convenientia in principijs athomis formalibus, eſt adæquata convenientia in forma: Igitur ſi eſt diſtinctio, hęc debet neceſſario deſumi ex materiæ diſtinctione: ergo illæ ſolum ſubſtantiæ poſſunt intra eandem ſpeciem athomam multiplicari, quæ poſſunt convenire in principijs formalibus athomis, & poſſunt materialiter, id eſt, ex ſola diverſitate materiæ diſtingui.

Huic rationi dices, Mai. eſſe falſam: Nã inter principia formalia, alia ſunt eſſentialia; alia extra eſſentialia: per ſola prima habetur ſpecies, & per ſecunda poteſt haberi diſtinctio tantum individualis, ad quã ſufficit, quod per aliquid extra eſſentiã hat. Sed contra eſt; nam in pura forma ſolum poſſumus invenire principia generica, & ſpecifica, & eorum proprietates; ſubſiſtentiam, & exiſtentiam; prima, eſſentialia ſunt; ſecunda, extra eſſentialia; ſed multiplicatio numerica tantum; nequit haberi per illa: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Min: in primis per proprietates formę, hęc multiplicatio nequit haberi. Nam proprietas formæ convertibiliter ſe habet cum forma: ergo vbi non habetur diſtinctio penes principia ſpecifica, nequit haberi multiplicatio tantum numeralis per proprietates formæ; neque enim riſibilitates multiplicari poſſunt; niſi eſſentia hominis multiplicetur. De alijs duobus ſic probo; nam vbi exiſtentia, & ſubſiſtentia adæquate derivantur ex principijs ſpecificis formę, nequeunt ſimiliter habere diverſitatem, niſi in principijs, ex quibus oriuntur, diverſitas habeatur: ergo ex illis forma, alias ex ſe indiviſa, multiplicitatem numeralem tantum habere non poteſt.

Inſuper, ſubſiſtentia, & exiſtentia ſupponunt naturam ſubſtantialem iam individuam: ergo ex iſtis multiplicatio individualis haberi nequit, ſicut neque habetur ipſa individuatio: non ergo ex aliquo extraeſſentiali poteſt haberi diſtinctio tantum numeralis, vbi ratio materiæ nequit inveniri. Confirm. hæc omnia, in accidentibus Angelicis eiuſdem ſpeciei, ideò intra lineam purè ſpiritualitatis dantur principia extra eſſentialia, à quibus accipi poſsit multiplicatio tantum numeralis, quia datur ſpiritualitas deſumpta ex obiecto, & datur ſpiritualitas deſumpta tantum ex ſubiecto ſpirituali, cui inhærent: prima eſt eſſentialis, & ſecunda eſt tantum numeralis; ſed in ſubſtantijs completis purè ſpiritualibus nequit dari ſpiritualitas deſumpta à principio adhuc ſpirituali, cui inhæreant, vel cui poſſint inhærere, ſed neceſſario omnis eorum ſpiritualitas à forma debet deſumi: igitur non erit poſsibile ſaltim naturaliter principium ſpirituale extraeſſentiale, à quo multiplicatio tantum numeralis in eis habeatur.

Dices, in forma Angelica, præter enumerata extraeſſentialia, dari individuationem, quæ quidem formaliter, vt talis, quid ſpirituale extra eſſentiale eſt: ergo per multiplicationem illius extra eſſentialis prædicati poterit haberi multiplicatio tantum numeralis. Sed contra eſt, nam eſto detur in Angelo proprietas individualis extraeſſentialis, tamen dum hæc proprietas tantum oritur ex forma Angelica, nequit multiplicari ipſa forma, ex qua oritur immultiplicata manente: ergo eſto in Angelis detur individuatio extraeſſentialis; non tamen ſequitur, poſſe in ipſo dari multiplicationem ſolum numeralem. Prob. Antec: ſic oritur individuatio in Angelis ex pura forma, ſicut in compoſitis ex materia, & forma oritur proprietas individualis ex forma vt informante hanc materiam determinatam; ſed individuatio orta ex forma vt informante hanc materiam, nequit naturaliter multiplicari: ergo individuatio formæ ſumpta ex ſola forma nequibit naturaliter multiplicari.

§. VI.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

682 CONTRA Concluſionem Arguitur. Omnes Angeli de facto ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo ſpecies Angelica poteſt naturaliter multiplicari. Prob. Antec. quilibet Angelus in ſententia Div. Thom. habet eſſe comprehenſivus totius entis naturalis, ſic, quod Angelus inferior habeat comprehendere etiam ſuperiorem, imò & ſupremum: ergo habet eſſe eiuſdem athomæ naturæ intellectualis. Prob. Conſ. nam omnis cognitio Angelica comprehenſiva omnis entis naturalis eſt eiuſdem athomæ ſpeciei: ergo ſi omnis ſubſtantia Angelica radicat cognitionẽ comprehenſivam omnis entis na-

naturalis, omnis illa erit eiuſdem athomæ ſpeciei. Nam vbi intellectio in varias ſpecies diuidi non valet, principium radicale, & proximum eiuſdem ſub vna tantum ſpecie athoma erit. Confirm. ſi darentur plures comprehenſores entis diuini, oporteret omnes eſſe eiuſdem athomæ ſpeciei: ergo ſi dantur plures comprehenſores omnis entis naturalis, erit neceſſe, quod omnes eiuſdem athomæ ſpeciei ſint. Prob. Conſeq. nam ſicut cognitio diuina ſumit ſpeciem ab ente diuino, ita Angelica naturalis ſumit ſuam ſpeciem ab ente naturali: ergo ſi plures comprehenſores entis diuini nequeunt non eſſe eiuſdem ſpeciei, plures comprehenſores omnis entis naturalis debebunt eſſe eiuſdem ſpeciei intellectualis naturalis.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad prob. nego Conſeq. ad prob. nego Antec. Nam cum cognitio, qua Angelus ſupremus comprehendit omne ens naturale ſit de facto vna, & per vnam ſpeciem, nequit eſſe eiuſdem ſpeciei cum comprehenſionibus aliorum Angelorum, quæ neceſſario ſunt plures, & per plures ſpecies neceſſario fiunt: quod enim neceſſario eſt plures, nequit eſſe eiuſdem athomæ ſpeciei cum eo, quod tantum eſt vnum. Porrò Angeli inferiores comprehendunt omne ens naturale, ſed non vnica cognitione, neque per vnam tantum ſpeciem, ſed per plures, & per pauciores ſpecies, quò ſuperiores in gradibus ſuis ſpecificis ſunt: Angelus autem ſupremus tantum habet vnam ſpeciem, qua cognoſcere poteſt omnia entia naturalia extra ſe poſita, & ſe ipſum cognoſcit per ſuam ſubſtantiam: non ergo comprehenſio omnis entis naturalis Angeli ſuperioris poteſt eſſe eiuſdem athomæ ſpeciei cum comprehenhenſionibus aliorum Angelorum.

Iuſtas, quod aliqua virtus ſine gratia poſſit cognoſcere omnes veritates naturales collectiue, & alia ſine gratia tantū poſſit eas cognoſcere diuiſiue, non arguit ſpecificam diſtinctionem in virtute: ergo quòd aliqua ſubſtantia intellectualis vna cognitione poſſit comprehendere totum ens naturale, & alia non vna, ſed pluribus hoc facere poſſit, non arguet diſtinctionem ſpecificam ſubſtantiarum intellectualiū. Prob. Antec. nam intellectus ſtatus innocentiæ eiuſdem athomæ ſpeciei eſt in hominibus cum intellectu hominis in ſtatu naturæ lapſæ; & tamen in ſtatu innocentiæ poterat attingere omne verum naturale collectiue; quod tamen ſolum poteſt diuiſiue attingere in ſtatu naturæ lapſæ: ergo.

Ad hoc, diſtinguo Antec. ſi attingere tantum diuiſiue per ſe conueniat virtuti, nego Antec. ſi ei conueniat per accidens ex impedimentis, quæ pro ſtatu lapſus patitur, quæ non patiebatur in ſtatu innocentiæ, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque, quod intellectus in ſtatu lapſus non poſſit niſi diuiſiue in quamlibet veritatem naturalem, in quam omnem poterat in ſtatu naturæ integræ collectiue, hoc non oritur per ſe ex virtute intellectus, ſed oritur ex impedimentis, quibus ſuperabundat homo in ſtatu lapſus; & ſic non variatur ſpecie intellectus per iſta; at Angeli inferiores, ex quo inferiores ſunt, & potentiales, & magis habent de potentialitate, non poſſunt vna cognitione, & per vnam ſpeciem totā collectionem entis naturalis comprehendere: quod tamen poteſt ſupremus, quia minus de potentialitate, & magis de actualitate habet, & ſic infertur ex hoc diſtinctio ſpecifica inter ſupremum Angelum, & inferiorem.

Ad Confirm. nego Conſeq. Ad prob. nego Conſeq. & diſparitas eſt, quia cognitio diuina comprehenſiua, cum ſit adæquata attingentia Dei, non admittit latitudinem, neque ex parte attingentis, neque ex parte rei attactæ, neque ex parte rationis formalis *ſub qua*: non admittit latitudinē ex parte attingentis, quia requirit in illo virtutē ſimpliciter infinitam; non ex parte rei attactæ, quia ſi Deus comprehenderetur, cognoſceretur ſecundū omnia, quæ habet formaliter, & virtualiter: non ex parte rationis formalis *ſub qua*, quia hæc eſt ratio ſummæ immaterialitatis, & puriſsimi actus, & ſic illæ comprehenſiones Dei, ſi fingantur plures, deberent fingi intra eandem ſpeciem. At non ſic ratio currit in cōprehenſione entis naturalis, quia dato quod ex parte rei attactæ non ſuſcipiat magis, & minus; ex parte tamen rationis formalis *ſub qua*, & ex parte virtutis comprehenſiuæ habet latitudinem gradualem: ex parte rationis *ſub qua*, quia ratio formalis *ſub qua* Angelus ſupremus cognoſcit comprehenſiue ens naturale, magis depurata eſt à potentialitate metaphyſica, quam ratio *ſub qua* comprehenſionis Angeli inferioris: ex parte etiam virtutis actualitas maior habetur in vi comprehenſiua ſupremi, ratione cuius per vnum actum, & per vnam ſpeciem poteſt comprehendere totum

Digitized by Google

tum ens naturale,quam reperiatur in inferiori, qui non niſi per plures actus, & per plures ſpecies ad huiuſmodi comprehēſionem valet pervenire: & ſic ex convenientia in vi comprehenſiva inter Angelos reperta,non ſequitur,quod ſi omnes comprehenſores ſunt totius entis naturalis, eiuſdē athomæ ſpeciei ſunt,

683 Secundò arguitur,eſto in Angelis ratio ſpecifica ſumatur ab eadem forma, à qua ſumitur ratio generica; nihilominus intra idem genus ſtat plures Angelos differre differentia tantum ſpecifica:ergo eſto ratio individualis in Angelis habeatur ab eadem forma, à qua habetur ratio ſpecifica, poterunt intra eandem rationem ſpecificam multiplicari Angeli tantū numerice. Ad hoc argumentum, quod producit Vazquez, nego Conſeq. Et ratio diſcriminis eſt, quia cum gradus genericus,& differentialis coordinentur inter ſe; ſicut gradus formales; & eſſentiales cum ordine inter ſe ſuperioris,& inferioris; poſſunt dari plures formæ, quæ dent eundem gradum genericum; contractum tamen per differentiam formaliter diſtinctam: & ſic intra idem genus poſſunt multiplicari differentiæ; vnde & poſſunt intra idem genus dari plures ſpecies: ratio autē individualis phyſice ſumpta eſt tantum proprietas formæ ſpecificæ; vnde nequit habere pluralitatē, niſi in forma,à qua oritur pluralitas, præſupponatur:in Angelis ergo,cum ratio ſpecifica non præſupponatur plurificata, neque formaliter,neque materialiter;individuatio,quæ eius proprietas eſt, nequit plurificari; & ſic nequeunt dari plura individua intra eandem ſpeciem athomam.

Explicatur hoc amplius. Eſto gradus genericus,& differentialis oriantur in Angelo ab eadem forma, tamen dum gradus differentialis non eſt proprietas gradus generici, ſtat bene, quod invariata ratione generica, varientur gradus differentiales per hoc, quod detur alia forma tribuens ſimilem gradum genericum determinatum per aliam differentiam, & ſic poſſunt intra eandem rationem genericam multiplicari ſpecies:at ratio individualis in Angelo nō ſolum eſt ab ea forma,à qua gradus eſt ſpecificus, ſed eſt ab ipſo gradu ſpecifico vt proprietas phyſica eius: & ſic ſuam pluralitatem debet habere ab ipſo gradu ſpecifico, vnde ſi in gradu ſpecifico datur diverſitas ſpecifica, plurificantur etiam individuationes; ſed tunc non dantur duo individua eiuſdem athomæ ſpeciei: ſi in gradu ſpecifico nulla prævenitur pluralitas,etiam in proprietate individuali nulla haberi poteſt pluralitas, & ſic datur vna ſpecies, & vnum individuum; & quia in forma, quæ non eſt actus materiæ, nulla prævenitur, neque præveniri poteſt diverſitas,quæ ſpecifica non ſit, ideo nequeunt dari plura individua ſolo numero diſtincta; ſed neceſſe eſt, ad pluralitatem individuorū dari quoque diverſitatem ſpecierum.

Inſuper, differentia ſpecifica habet duos actus ſibi eſſentiales, nempe dividere genus,& conſtituere ſpeciem: vnde eſt impoſsibile,quod detur ratio generica,ſi ſint impoſsibiles plures eius differentiales rationes; individuatio autem non habet ex ſe duos actus, nempe dividere ſpeciem, & conſtituere individuum;ſed tantum ex proprijs terminis habet conſtituere individuū: vnde ſi ex parte rationis ſpecificæ nulla ſit diviſio,ex vi ſolius individuationis ſpecies nullo modo dividitur. Ex quo deducitur, quod cum impoſsibilitate plurium individuorum poteſt ſalvari ſpecies in vnico individuo. Ex quo infero,quod eſto genus,& differentia deſumantur ab eadem forma; dum tamen differentia eſſentialiter habet dividere genus; neceſſe eſt, quod intra idē genus,ex principijs genericis non diviſum, dentur genera diviſa per differentias ſpecificas; non tamen eſt neceſſe, quod ſi ratio individuationis ab eadem forma ſumitur, à qua ſumitur ratio ſpecifica, debeat hæc manens indiviſa ex principijs ſpecificis, haberi diviſa ex principijs individualibus. Et ſic non convincitur, quod Angeli poſsint intra eandem, ſpeciem naturaliter multiplicari, ſicut naturaliter intra idem genus multiplicantur.

Sed inſtas contra hoc, individuum ex terminis eſt primò diverſum ab omni alio: ergo individuatio,& differentia individualis non ponunt in numero:ergo ſicut de cōceptu differentiæ ſpecificæ eſt primò dividere genus,ita de conceptu individuationis erit primò dividere ſpeciem. Ad hoc, diſt. primam Conſeq. ergo individuatio,& differentia individualis non ponunt in numero, & differentia individualis, per quam primò dividatur ſpecies, nego Conſeq. differentia individualis, per quam ſpecies differat individualiter ab omni alio individuo, ſive eiuſdem ſpeciei, ſive diverſæ, tranſeat Conſ. & nego Conſeq.quæ deinde infertur. Itaque, quando forma partitur in-

indiuidualiter per materiam, quam informat, indiuiduatio, quæ inde ſequitur, facit indiuidualiter differre vnum indiuiduum ab altero eiuſdem ſpeciei, & ab alijs diuerſæ ſpeciei: quando autem indiuiduatio formæ materialiter non partitæ, ſed eſſentialiter, facit differre tantum ab indiuiduis alterius ſpeciei; nunquam tamen indiuiduatio primò diuidit naturam, alias, cum in Deo detur indiuiduatio, vere diuinam naturam diuideret, quod dici non valet.

684 Tertio arguitur, animæ rationales non habent materiam, cum ſint ſubſtantiæ ſpirituales per ſe ſubſiſtentes; & tamen de lege ordinaria multiplicantur intra eandem ſpeciem: ergo quod Angeli nō habeant materiam, non aufert, quin naturaliter ſint multiplicabiles intra eandem ſpeciem. Si huic argumento, conceſsis præmiſsis, negetur Conſeq. quia animæ rationales, eſto ſubſtantiæ ſpirituales ſint, tamē ſunt formæ incompletæ realiter in materia receptæ, & ſic ad multiplicationē materiæ per quantitatis diuiſionem poſſunt & ipſæ materialiter multiplicari; quia cum vnumquodque recipiatur admodum recipientis, limitatur, & finitur per limitationem ipſius recipientis; vnde iuxta numerū recipientiū poſſunt formæ receptæ numerum recipere, & multiplicari: non ſic autem hoc tenet in formis Angelicis, quæ cū ſint ſubſtantiæ completæ ſpirituales, in nullo recipiuntur; vnde ex nullo capite poſſunt habere multiplicationem.

Si hoc dicatur, ſic inſto in contra. Nam ſi animæ rationales acciperent multiplicationem intra eandem ſpeciem à materia, acciperent quoque indiuiduationem à materia; hoc autem eſt falſum: ergo. Conſeq. eſt bona, & Maior videtur certa, nā ab eo, à quo accipitur multiplicatio tantū indiuidualis, oportet pariter, quod accipiatur indiuiduatio, ſiquidē multiplicatio indiuidualis non eſt aliud, quā multitudo indiuiduorum. Min. autē prob. nam anima creatur, non ſolum ſecundum ſuum eſſe ſpecificum, ſed etiam ſecundum ſuum eſſe indiuiduale; ſed ſi eſſe indiuiduale acciperet à materia, ſecundum eſſe indiuiduale creari non poſſet: ergo. Prob. Min. eſſe, quod habetur à materia educitur ex potentia materiæ: ergo ſi eſſe indiuiduale anima rationalis habet à materia, eſſe indiuiduale eius educeretur ex potentia materiæ, & ſic non crearetur. Confirm. Sicut anima rationalis recipitur in materia, ita & forma Angelica realiter recipitur in ſuppoſito Angelico: ergo etiam forma Angelica ad multitudinem ſuppoſitorum poterunt multiplicari intra eandem ſpeciem. Prob. Conſ. nā ſicut materia poteſt tribuere animæ aliquid, quod eſt extra prædicata eſſentialia eius, ita & ſuppoſitum poteſt tribuere formæ Angelicæ aliquod prædicatum, quod ſit extra eſſentiam eius: ergo & poterit tribuere diſtinctionem ſubſtantialē extra eſſentialem: ergo & poterit tribuere multiplicationem tantum numeralem.

Ad hoc argumentum, bene dictum eſt. Ad replicā, nego Min. ad prob. nego Min. ad prob. diſt. Ant. eſſe, quod habetur à materia educitur ex potentia materiæ, ſi habeatur à materia ſubiectiue, & terminatiue, conc. Ant. ſi habeatur à materia ſolum terminatiue, nego Ant. & neg. Conſ. Itaque anima rationalis non habet eſſe indiuiduale materiale ſubiectiue, & terminatiue, ſed tantum terminatiue; quia enim creatur à Deo, vt ſit forma huius determinatæ materiæ, ex hoc habet eſſe indiuiduale animæ: ad hoc autē materia tantum habet concurrere per modum termini, & ſic non habet indiuiduatio animæ, quæ ſubiectiue ſubſtantiale ſpirituale eſſe eſt, educi ex materia: vnde ſtat bene, quod anima indiuiduetur per materiam ſine eo, quod eius indiuiduatio educatur ex potentia materiæ.

Sed contra ſic inſurgo. Anima habet eſſe indiuiduale ex hoc, quod per modū formæ vnitur huic materiæ; ſed anima non vnitur materiæ per creationem, ſed per generationem, nam Deus creat animā in ſe, & homo vnit eam materiæ per actionem generatiuam, per quam, eſto non attingat omnia in ſe, & quoad ſuam entitatē, tamē attingit animam vt in corpore, id eſt, vnit eam corpori, alias non generaret: ergo ſi ex hoc quod anima recipitur in hac materia, habet eſſe indiuiduum; cum hoc fiat per generationem, vere indiuiduatio animæ fiet per generationem, & ſic educetur ex materia, & non creabitur.

Ad hoc, nego Mai. anima enim, quæ per actionem generatiuam vnitur corpori, iam præſupponitur hæc, & indiuidua ex vi creationis, cum creatio nequeat terminari ad ſolam rationem ſpecificam animæ, quæ incapax eſt terminandi actionem factiuā; vt ergo eſt terminus creationis ſit indiuidua per hoc, quod ſit vt determinate vnibilis huic materiæ ſignatæ tali quantitate,

&

& ipſam iam ex vi creationis individuam homo vnit corpori per generationem: vnde accipit individuationem ex vnibilitate, non ex actuali vnione; & ſic eius eſſe individuale non educitur de potentia materiæ. Ad Confirm. nego ſuppoſitum Conſequentis, videlicet, quod ſuppoſita Angelica poſſint intra eandem ſpeciem multiplicari; cũ enim ſubſiſtentia ſuppoſiti Angelici conſtitutiva adæquate deſumatur ab hac forma Angelica, non poteſt habere diviſionẽ, niſi iuxta diviſionem formæ Angelicæ: vnde ſi hæc nequit intra eandem ſpeciem multiplicari, etiam eius ſuppoſitum nequit intra eandem ſpeciem multiplicari; quod non eſt idem de materia, in qua recipitur anima rationalis: hæc enim independenter à forma poteſt accipere materialem diſtinctionem ex ſigillatione, & determinatione ad tantam, vel tantam quantitatem, & ſic poteſt anima ex diſtinctis materijs accipere diſtinctionem, & multiplicationẽ.

685 Quarto arguitur, ſi Angeli non poſſent multiplicari intra eandem ſpeciẽ, maxime, quia individuatio ſumitur à materia, vel ab ordine ad illam tanquam à prima radice; ſed hoc fundamentũ nimis probat: ergo. Prob. Min. nam ex hoc principio ſequitur non dari individuationem in natura Angelica, & Angelos habere vnitatem ſpecificam tantum ſine numerica, hoc autem videtur ridiculum: ergo. Ad hoc argumentum reſpondet Gonet, conc. Mai. & negando Min. Ad prob. negat Sequelam, quia vt inquit D. Th. de ſpiritibus creaturis, articul. 8. ad 4. ſicut forma, quæ eſt in ſubiecto, vel materia individuatur per hoc, quod eſt eſſe in hoc, ita forma ſeparata individuatur per hoc, quod non eſt nata in aliquo eſſe: ſicut enim eſſe in hoc excludit communitatem vniverſalis, quod prædicatur de multis, ita non poſſe eſſe in aliquo, hoc ipſum excludit.

Sed bone Deus, ſi datur duplex genus Individuationis, aliud deſumptum à materia, & aliud deſumptum ex innata irreceptibilitate materię; illa Maior argumenti non debebat concedi, ſed debebat abſolute negari. Quis enim aſsignavit pro cauſa immultiplicationis Angelorum intra eandem ſpeciem, hoc quod eſt individuationem ſumi à materia: cauſa enim immultiplicationis Angelorum intra eandem ſpeciem non eſt quia individuatio, ſed quia multiplicatio tantum numeralis indiſpenſabiliter debet deſumi à materia. Ex quo non probatur, quod individuatio in Angelis non ſit, ſed tantum convincitur, quod multiplicatio tantum numeralis in eis non ſit. Vnde ad argumentum, nego Mai. quia quod Angeli ſint intra eandem ſpeciem immultiplicabiles non oritur ex eo, quod omnis individuatio debeat oriri à materia, ſed ex eo quod multiplicatio tantũ numeralis nõ poteſt fieri niſi in his, in quibus individuatio fit ex materia, vel ex ordine ad materiã.

Sed inſtas, hoc ipſo quod in Angelis ponatur individuatio diſtincta à gradu ſpecifico, & nõ deſumpta à materia, hoc ipſo poterunt multiplicari non multiplicato gradu ſpecifico, ſpecie: ergo poterunt multiplicari Angeli intra eandẽ ſpeciẽ. Prob. Ant. hoc ipſo, quod detur prædicta individuatio, poterit diſcriminari ab alia individuatione penes maiorẽ, & minorẽ potentialitatẽ, & actualitatem; nam poterit dari individuatio, quæ magis recedat à potentialitate materiæ, & magis accedat ad Deũ participando magis de eius actualitate, & poterit dari individuatio, quæ minus recedat à potentialitate materiæ, & magis recedat à potentialitate materiæ, & magis recedat à Deo participando minus de eius actualitate: ergo ſi admittitur individuatio in Angelis non deſumpta à materia, poterit quoque admitti multiplicatio tantũ numeralis nõ deſumpta à materia, neque ab ordine ad materiam.

Huic obiectioni vt reſpondeat Gonet, notat, ſeu traducit ex Complutẽſibus, quod individuatio in Angelis datur, ſed non diſtincta etiã virtualiter à gradu ſpecifico, & ſic nõ ſequitur, quod poſsit multiplicari non multiplicato gradu ſpecifico, nam ſi eſt idem gradus etiã virtualiter ſpecificus, & individualis, nõ eſt poſsibile, quod hic multiplicetur, illo non multiplicato. Sed hæc doctrina defenſari nõ poteſt, tenẽdo quod natura Angelica ſit ſpecies prædicabilis, vti ponunt Thomiſtæ; nam ad hoc requiritur indiſpenſabiliter, quod ſingularitas ſit ex conceptu rationis communis, nam requiritur, quod conceptus naturæ ſit vnivocus ad ſibi inferiora; ſi autem conceptus naturæ actu claudat conceptum ſingularitatis, vnivocus eſſe non poterit ad ſuam ſingulares, ſed tantum erit analogus; at hoc ipſo, quod gradus ſpecificus etiã virtualiter non diſtinguatur à ſingularitate, non poteſt gradus ſpecificus actu non claudere in ſuo conceptu ſingularitatẽ: ergo hæc doctrina nequit defenſari in via Thomiſtica aſſerente

Digitized by Google

naturam Angelicam eſſe ſpeciem prædicabilem.

Aliter ergo reſpondetur ad inſtantiam, neg. Ant. ad prob. nego Ant. nam cum individuatio Angeli, eſto diſtincta à gradu ſpecifico, ſit proprietas gradus ſpecifici, & proprietates nequeant habere pluralitatem niſi ex pluralitate eſſentiæ, in qua radicantur; ſit inde, quod cum gradus ſpecificus nõ poſsit plurificari niſi ſpecifice, cum non ſit actus materiæ, etiã individuatio non poſſit plurificari, niſi ſpecifice plurificetur ſpecies, & ſic quãvis individuatio ponatur diſtincta à gradu ſpecifico, non ſequitur, quod intra eandem ſpeciem plurificari poſsit.

Et ſi contra hanc noſtram doctrinam inſtes, quod iuxta D. Th. individuatio naturæ Angelicæ ſolum conſiſtit in irreceptibilitate in materia, quam habet forma Angelica; hæc autẽ irreceptibilitas nequit diſtingui ab ipſo gradu ſpecifico, quoniã hic per ſe ipſum, ſicut ſpiritualis complete eſt, ita ſe ipſo irreceptibilis eſt: ergo individuatio naturæ Angelicę nequit diſtingui à gradu ſpecifico, etiam virtualiter. Reſpondeo, negando Min. nam licet realiter, & phyſicè irreceptibilitas in materia ſit idem cum intellectualitate completa Angelicæ naturæ, tamen ſecundum intellectũ cum fundamento in re ab ipſa diſtinguitur per hoc, quod ex gradu ſpecifico logicè ſumpto non habet natura Angelica incõmunicabilitatẽ pluribus, bene autem illam habet ſecundũ rationem individualẽ, quæ pręſtatur ex illa ratione phyſicæ irreceptibilitatis. Itaque in natura complete intellectuali, & habetur ſpecies per hoc, quod ſub tanta, vel tanta actualitate radicet intellectionẽ, & volitionem, & habetur individuatio per hoc, quod præfata radix phyſicè, & metaphyſicè in materia irreceptibilis eſt, irreceptibilitate phyſicè cũ ipſa natura adæquata; non vero logicè, & ex modo eſſendi in intellectu noſtro.

686 Sed inquiris, vtrũ hæc individuatio, quam ponimus virtualiter diſtingui à gradu ſpecifico, ſit potentialior ipſo gradu ſpecifico, vel ſit æqualis illi in potentialitate, & actualitate? Si primũ aſſerimus, non poterimus dicere, quod poterit determinare gradũ ſpecificũ ſecundũ ſimpliciũ, & explicitum: nam omne determinans habet ſe vt forma reſpectu determinabilis, & ſic debet eſſe actualius determinabili; ſi dicatur ſecundũ, non poterit diſtingui virtualiter à gradu ſpecifico, nam duo prædicata æqualia in potẽtialitate, & actualitate nequeunt virtualiter adæquate diſtingui: vnde in Deo non poſſumus aſsignare rationẽ ſimpliciter determinantis, & determinabilis; quia omnia divina eiuſdẽ omnino actualitatis ſunt.

Reſpondeo, quod phyſicè loquendo, eiuſdem omnino actualitatis ſunt, cum hoc tamen diſcrimine, quod eadem actualitas primario participatur à gradu ſpecifico, & ſecundario à proprietate eius individuali: logicè autẽ, cum gradus ſpecificus ſit conceptus vt determinabilis, & individuatio vt determinans, ſecundũ has functiones magis actualis apparet ratio individualis, quã ſpecifica, eſto ſimpliciter actualior appareat gradus ſpecificus, quia non intelligitur determinabilis per individuationẽ quaſi per gradũ eſſentialem addentẽ perfectionẽ determinabili, ſed quaſi per aliquid extra eſſentiam determinans, & claudens ſpeciem, ſic, quod aliis incommunicabilis reddatur. Fundo hanc totam noſtram doctrinam in verbis D. Th. de Spirit. creat. art. 8. ad 4. ibi: *Natura huius Angeli non prohibetur eſſe in pluribus ex hoc, quod pertinet ad rationem ſpeciei; ſed ex eo, quod pertinet ad rationem individui:* ergo iuxta D. Thom. neceſſe eſt ponere, quod ratio ſpecifica ſaltim virtualiter diſtinguatur ab eius individuatione, alias non ſolum prohiberetur eſſe in pluribus ex ratione individuali, ſed etiam ex ratione ſpecifica: ſiquidem hæc etiam logicè concepta actu clauderet ſingularitatem. Etenim natura huius Dei nõ ſolum prohibetur eſſe in pluribus ex conceptu ſingularitatis, ſed etiam ex conceptu naturæ, quia hæc in cõceptu adhuc logico actu claudit ſingularitatem.

Sed inſtas, quia ſi individuatio ponitur proprietas gradus ſpecifici, etiam ſequitur, quod natura huius Angeli prohibeatur eſſe in pluribus, nõ ſolũ quia hęc, ſed etiã ex cõceptu naturæ: ergo ex doctrina D. Th. nõ poteſt habere robur ea, quæ aſſerit, individuationẽ virtualiter diſtingui à ratione ſpecifica. Prob. Ant. tunc gradus ſpecificus, quamvis non formaliter, tamen radicaliter erit hic, ex hoc quod radicabit hanc hæcceitatem: igitur prohibebitur eſſe in pluribus, non ſolũ ex conceptu individuationis, ſed etiam ex conceptu ſpecifico. Ad hoc, diſt. Antec. ſed etiam ex conceptu naturæ, logico, nego ſequelã, phyſico, ſeu metaphyſico, conc. ſequelam, & nego Conſ. Itaque logicus tribuens intentionẽ vniverſalitatis, tantum attendit ad hoc, quod illud ſin-

gu-

gulare actu non clauditur in conceptu naturæ communi, nō vero attendit ad rationem radicis, quam ille conceptus obiectivus habet rationeſuarum proprietatū; ad hoc enim ſolum attendit metaphyſicus, ad quem attinet contemplari eſſentias rerum ſecundum quod habent radicare propria ſua: cum ergo noſtra doctrina ponat individuationem eſſe proprietatem gradus ſpecifici, & neget eſſe ipſum gradum metaphyſicum, bene poteſt defendere, quod natura Angelica non prohibeatur eſſe in pluribus ex conceptu ſpeciei logicè ſumpto, ſed ex ſolo conceptu hæcceitatis.

687 Quinto arguitur nulli ſpeciei infimæ repugnat communicari pluribus: ergo nec ei repugnat habere ſub ſe plura inferiora ſolo numero diſtincta. Prob. Ant. ſi alicui ſpeciei infimæ hoc repugnaret, vel hæc repugnantia proveniret ex perfectione, vel ex imperfectione talis ſpeciei; ex neutro capite: ergo. Prob. Min. In primis nō ex perfectione, quia communicabilitas pluribus convenit naturæ divinæ, quæ perfectior eſt natura Angelica; non ex imperfectione, quia communicari pluribus convenit naturæ imperfectiori natura Angelica, qualis eſt natura corporea: igitur præfata repugnātia, nec conveniat naturæ Angelicæ ex perfectione, neque ex imperfectione.

Ad hoc argumentum, diſt. Ant. nulli ſpeciei infimæ repugnat communicari pluribus, dividentibus ipſam ſubſtātialiter, nego Ant. non dividentibus, conc. Ant. & nego Conſ. Ad prob. dico, quòd repugnantia cōmunicationis pluribus dividentibus id, quod deberet communicari, oritur ex perfectione naturę infimæ: vnde natura divina ex ſui perfectione habet repugnare diviſioni ſui, nam quamvis communicetur pluribus perſonis ob ſui fœcunditatem, non tamē dividitur in ſe per illas, ſed manet vnus numero Deus in omnibus illis. Et ſimiliter natura complete intellectualis, quia ex ſui perfectione habet eſſe omnino irreceptibilis in materia, habet, quod non communicetur pluribus dividentibus illam ſubſtantialiter: communicari autem pluribus perſonis abſque ſui diviſione non repugnat ei, ſi perſonæ divinæ ſint, nam quælibet natura intellectualis eſt aſſumptibilis à tribus perſonis divinis: communicari autem pluribus per ſui diviſionem convenit naturæ materiali ex ſui imperfectione, qua poteſt materialiter dividi; cumque nos ſolum negemus naturam Angelicā eſſe communicabilem pluribus dividentibus illam, argumentū factum nihil convincit contra nos.

§. VII.

Vtrùm natura Angelica poſſit de potentia Dei abſoluta multiplicari in varia individua?

688 EX Authoribus, qui nobiſcū, ſentiunt non poſſe naturaliter naturam Angelicā multiplicari intra eandem ſpeciem, ſentiunt, quod divinitus, & Dei abſoluta potentiā, attenta poſſit natura Angelica multiplicari, ſic, quod reperiatur ſubſtantialiter partita in plura individua. Sic tenent Ferrarienſis in 2. cap. 93. Bañez quæ. dubio ad iſtum articulum. Bubalus in præſenti 1. quæſtio. difficultate 3. §. 1. & probabilē cenſet Capreolus in 2. diſt. 3. q. 1. Negativam autē partem tenent Caiet. de ente, & eſſentia, c. 5. Petrus Bergomenſis in Concordant. iis. dub. 115. Herbæus in 2. diſt. 3. q. 1. art. 2. Ægidius quodlib. 2. q. 4. Granado Controv. 7. Tract. 1. diſp. 4. n. 9. Nazarius hic art. 4. Controv. 2. Salmantic. hic art. 4. dub. 7. Serra hic dub. vnico, art. 4. Ioann. à Sanct. Thom. hic art. ſuo 3. Gonet hic diſp. 2. art. 3. dicto, & iam eſt hæc ſententia his temporibus communis inter Thomiſtas; ſic, quod non mereantur hoc nomen, qui oppoſitum tenent.

Vnde ſtatuitur à nobis pro concluſione. Angeli nequeunt etiā de potentia Dei abſoluta intra eandem ſpeciem multiplicari. Prob. Concluſio ex duobus locis D. Th. 1. habetur intra q. 75. art. 7. vbi loquens de Angelis habet: *Manifeſtum eſt, quod neceſſe erit in eis eſſe diverſitatem ſpeciei; nō enim poteſt intelligi quod aliqua forma ſeparata ſit niſi vna vnius ſpeciei, ſicut ſi eſſet albedo ſeparāta, non poſſet eſſe niſi vna tantum*: eſt autem notū apud Thomiſtas, quod quando D. Th. vtitur illa phraſi, *nō poteſt intelligi*, loquatur in ordine ad omnē potentiā Dei: nam ſolū id extrahitur à potentia Dei, quod in ſe implicat, vt fiat; id autē ſolū implicat, quod fieri ſine contradictione nō valet intelligi; & ſic hic, dū hac phraſi vtitur, debet intelligi etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam.

Et ſi dicas, quod exemplum de albedine ſeparata tantum probat legem ordinariā, nam divinitus, vt ſupra vidimus, bene poteſt albedo ſeparata multiplicari. Reſpon-

Digitized by Google

pondeo, quod albedo ſeparata, ſi dividatur à ſuo modo ſeparationis, & perſeitatis, poteſt divinitus multiplicari: conſervando autem modum ſeperationis à ſubiecto, & ordine ad ſubiectum, non poteſt: à ſubſtantia autem Angelica modus iſte perſeitatis independentis à materia nec divinitus ſeparari poteſt; vult ergo dicere D. Thom. quod ſicut albedo ſeparata, conſervando modum ſeparationis, non poteſt etiam divinitus multiplicari, ita Angelus, qui ſubſtantia ſeparata eſt, à quo modo ſeparationis nec divinitus valet dividi, nequit etiam divinitus multiplicari intra eandē ſpeciē.

Secundus locus, iſque clarior habetur de Spiritual. creat. art. 8. ibi; *Si autem Angelus eſt forma ſimplex abſtracta à materia, impoſsibile eſt etiam fingere, quod ſint plures Angeli eiuſdem ſpeciei*, conſtat autem ex eodem D. Thom. hic art. 2. quod Angeli, nec conſtant, nec poſſunt conſtare ex materia: ergo impoſsibile eſt abſolute ſecundum D. Th. poſſe dari plures Angelos eiuſdē ſpeciei.

Etſi inſtes, quod doctrina hæc D. Th. non eſt ſequenda, ſiquidem eſt falſiſsima. Nā eſto Deus non poſsit facere plures Angelos intra eandem ſpeciem, quia hoc implicat, bene tamē ſtat, quod intellectus noſter id fingat, nam chymeram realiter fieri implicat; & tamen poſſumus bene fingere chymeram: ergo doctrina hæc D. Th. dum aperit impoſsibile eſſe etiam fingere, quod duo Angeli ſint intra eandem ſpeciem, falſa eſt, & conſequenter non ſequenda. Reſpondeo, negando Ant. ad prob. diſt. Ant. bene tamen ſtat, quod intellectus hæc fingat, ſi etiam fingat conſtare ex materia, Conc. Ant. ſi non fingat conſtare ex materia, nego Ant. & nego Conſ. Ad prob. Ant. chymerā realiter fieri implicat, & tamen poſſumus bene fingere chymeram, diſt. Min. fingendo ea, quæ deſiderantur ad chymeram, conc. Min. non fingendo illa, nego Min. & Conſ. Itaque, D. Thom. non dicit, quod non poſſumus fingere duos Angelos eiuſdem ſpeciei, hoc enim eſſet falſum; ſed quia de intellectu vnico multiplicationis Angelorū eſt, quod conſtent ex materia: ſi non fingimus eos conſtare ex materia, non poſſumus fingere eos multiplicari intra eandem materiam. Pono exemplum, quia de intellectu compoſiti ex cornibus hirci, corpore Pantheræ, & cauda leonis eſt conſtare ex his tribus; eſto poſsimus abſolute fingere hanc chymeram, non tamen poſſumus illam etiā fingere, niſi fingamus cornua hirci, corpus Pantheræ, & caudam leonis: ſic ergo cum de vnico intellectu pluralitatis Angelorū ſit conſtare ex materia, eſto poſsimus fingere plures Angelos eſſe vnius ſpeciei, tamen hoc nō poſſumus, niſi fingamus etiam illos conſtare ex materia; & ſic veriſsima eſt doctrina D. Th. quæ vult nobis oſtendere, quod ſic eſt de intellectu multiplicationis tantū numericę materia, quod ſi non fingimus Angelos conſtare ex materia, non poſſumus fingere dari plures Angelos eiuſdem athomæ ſpeciei.

689 Ratione prob. Concluſio. Angelis repugnat principium multiplicationis tantum numericæ: ergo & repugnat tantū numero multiplicari. Prob. Ant. principiū multiplicationis tantum numericæ eſt ſola materia; hęc repugnat Angelis: ergo & repugnat eis principium multiplicationis tantum numericæ. Conſ. eſt bona, Min. certa, & Maior prob. quęcumque tantum differunt numero, adæquate conveniunt in principijs ſuis formalibus: ergo ſolum poſſunt differre materialiter: ergo ſola materia poteſt eſſe principium individuationis tantum numericæ.

Huic rationi primo reſpondebis cum Scoto, & eius aſſeclis, differre tantū materialiter ſtare dupliciter. Primo pro hoc, quod eſt differre penes diſtinctas materias; alio modo ſtat differre tantū materialiter pro eo, quod eſt differre per principia extra eſſentialia: quamvis autem in Angelis prima diſtinctio materialis non detur, quia non conſtant materia; datur tamen ſecūda diſtinctio materialis, id eſt, extra eſſentialis: vnde in forma Angelica dātur principia formalia eſſentialia, & dantur formalia extra eſſentialia, vt ergo duo tantū numeraliter diſtinguantur ſufficit convenientia adæquata in eſſentialibus, nō autē in omni prędicato, quod poteſt à forma provenire: & ſic quamvis in Angelis non ſit materia, poteſt tamen in eis eſſe diſtinctio tantū numeralis penes prædicata extra eſſentialia orta à diſtinctis formis.

Contra eſt. Nam prædicata extra eſſentialia nequeunt eſſe diſtincta, ſi tradantur adæquate à forma non partita per materiam: ergo ſi non adſit materia non poteſtunt duo Angeli differre differentia tantum extraeſſentiali. Prob. Antec. nam vel hæc extra eſſentialia ſunt gradus ſubſtantiales, vel ſunt proprietates gradus ſpecifici, vel ſunt accidentia communia; ſi dicatur primum, facient differre formas eſſen-

eſſentialiter; ſi dicatur ſecundum, tunc nequibunt eſſe diverſa, niſi gradus ſpecificus diverſus ſit: ſi dicatur tertium, non poterunt ſubſtantialiter dividere formam, nam per pura accidentia ſubſtantia nō dividitur ſubſtantialiter; cum in ſententia plurium, diſtincta accidentia poſsint eſſe ſimul in eodem ſubiecto, & ſi numero tantum diſtincta ſint: & in ſententia omnium, diviſive ſucceſsive poſsint eſſe in eodem ſubiecto: igitur ſi non ponatur partita per materiam, non poterunt duę ſubſtantiales formæ per principia extraeſſentialia ſic diſtingui, quod differant tantū numeraliter.

Dices ad hoc, huiuſmodi prædicata extra eſſentialia eſſe diverſos gradus hæcceitatis, & ſic non facere differre puras formas eſſentialiter; ſed tantum extra eſſentialiter, cum hæcceitas non ſpectet ad eſſentiam. Sed contra eſt. Nam hæc ſolutio manifeſte petit principium. Etenim, iſtæ diverſæ hæcceitates nihil aliud ſunt, quam diverſæ individuationes; probavimus ergo iſtas individuationes non poſſe eſſe diverſas, niſi in forma præſupponatur diverſitas, vel ſpecifica, vel materialis: & ſolutio reſpondet dari diſtinctas hæcceitates, ſine eo quod aſsignet diverſitatem in forma, nec ſpecificam, nec materialem: ergo hæc ſolutio petit principium. Secundo, nam hæcceitas, eſto logicè ſit gradus; id eſt, ſit totū, ſecundū quod eſt hoc, vel illud; tamē phyſice ſumpta nequit eſſe gradus, quia hi finiuntur in gradu infimo, qui non individualis, ſed ſpecificus athomus eſt: ergo falſo dicitur, quod pręfatæ hæcceitates ſint diverſi gradus à diſtinctis formis diſtincti.

Tertio. Nam in ſola forma tantum inveniri poſſunt prædicta eſſentialia omnia, & irreceptibilitas in materia prędictorum graduū; hæc autem irreceptibilitas in materia nequit eſſe individualiter diverſa, niſi id, quod dicitur irreceptibile pręſupponatur diverſum, cū negationes ſequutæ ad ad aliquid poſitivū nequeant plurificari, ipſo poſitivo, ad quod ſequuntur non plurificato: ergo cū in Angelis ex parte irreceptibilitatis nulla habeatur diverſitas, cum ſint ipſamet prędicata ſpecifica athoma, irreceptibilitates, quæ ſunt negationes, ſeu carētię materiæ, & ſubiecti, nequibunt eſſe diſtinctæ. Quarto, reſtat ſemper huic ſolutioni aſsignandū, ob quam rationē, ſi hic gradus hæcceitatis tribuitur à forma, ſicut alij gradus, & forma eſſentialis eſt, talis gradus eſſentialis nō erit. Etenim à forma eſſentiali non niſi eſſentialia, & proprietates poſſunt provenire: dum ergo hæcceitas aſsignetur nō proprietas, ſed gradus, ſemper videtur, quod non poſsit eſſe niſi eſſentialis.

690 Reſpondebis ſecundo rationi noſtræ, quod in Angelis, eſto non detur materia, datur tamen reale receptivū formæ Angelicæ: vnde ex illo poterūt formæ Angelicę limitari, & ſic multiplicari extraeſſentialiter. Nam à receptivo formæ Angelicæ non poſſunt recipere limitationē quoad gradus eſſentiales, ſiquidem ſupponit in forma, quā recipit, omnia eſſentialia eius: accipiet ergo limitationem extraeſſentialem ſubſtantialē, qualis eſt numerica, & ſic poterunt Angeli multiplicari intra eandem ſpeciem.

Sed contra eſt. Nam receptivum formæ Angelicæ eſt ſuppoſitum; hoc autem nequit formam Angelicam dividere extraeſſentialiter: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Min. forma, quæ recipitur in ſuppoſito, iam præſupponitur individua: ergo à ſuppoſito nequit accipere individuationem, ac per conſequens ex pluralitate ſuppoſitorum nequit ipſa plurificari. Prob. Antec. nam ſi Verbum Divinum ſuppoſitaret naturam Angelicam, antequam ipſa eſſet in proprio ſuppoſito, ſuppoſitaret naturā iam individuam: & ſi omnes tres perſonæ divinæ eam ſuppoſitarent, eam nullo modo individualiter dividerent; ſicut nec de facto naturam divinam dividunt, quamvis tres perſonæ eam terminent: igitur ex ſola pluralitate ſuppoſitorum nequit forma Angelica partiri; & dividi in varia individua. Secundo; nam receptivum, tunc variat formam, quando non oritur adæquate ab ipſa forma; at in Angelis ſuppoſitum receptivum formæ Angelicæ adæquate oritur ex hac numero forma: ergo nequit variare illam.

691 Reſpondebis tertio, non implicare, quod Deus naturam, quæ eſt in Gabriele v.g. in alio Angelo producat cum aliqua perfectione ſubſtantiali ſaltim modali, quam de facto non habet in Gabriele: poteſt enim Deus producere aliquem modum ſubſtantialem in accidenti ſeparato, ſine eo quod accidens eſſentialiter varietur: ergo & poterit aliquem modū ſubſtantialē producere in natura Gabrielis, ſine eo quod illā eſſentialiter variaret, & ſic poterit illā ſolū individualiter multiplicare.

Sed contra eſt. Nam hic modus ſubſtantialis, quicumque ille eſſet, pręſupponeret

naturam Gabrielis ex ſe irreceptibilem in materia: ergo ſupponeret illã individuam: ergo non poſſet ſubſtantialiter illã dividere, & ſic aliud individuũ facere non poſſet. Prob. Ant. nam irreceptibilitas in materia cõvenit formę Angelicæ ex ſe, ſicut prima proprietas de linea eſſendi: ergo modus ſubſtantialis ab extrinſeco ſuperadditus, cũ ſupponeret naturã Gabrielis cum ſuis intrinſecis, ſupponeret illam ex ſe phyſicè in materia irreceptibilẽ. Cõ. vero prob. quia ex phyſica irreceptibilitate in materia forma completè ſpiritualis habet ſuam individuationẽ. Secũda vero Conſ. Prob. nã quia accidens ſeparatũ à ſubiecto ex habitudine ad ſubiectũ habet ſuam individuationẽ, per modũ perſeitatis ſupervenientẽ, non variatur nec eſſentialiter, nec individualiter: ergo cum modus ſubſtantialis ab intrinſeco proveniens ſupponeret naturã Gabrielis ex ſua phyſica irreceptibilitate in materia individuam, non poſſet aliud individuũ Gabrielis ab illo, quod modo eſt, facere.

Sed inquis, ſi Deus modo produceret Gabrielẽ cũ aliquo modo ſubſtantiali, quẽ de facto hic Gabriel, qui modo eſt, non habet, tunc ille Gabriel de novo productus ſubſtãtialiter differret à Gabriele, qui modo eſt: ergo eſſet aliud individuum ab iſto. Prob. Conſ. quia, vt aliqua intra eandem ſpecie differant vt duo individua ſubſtantialia, ſufficit, quod alterũ habeat naturã ſub aliquo modo ſubſtãtiali, ſub quo illam non habet aliud; ſed Angelus de novo productus ſub modo ſubſtantiali haberet naturam Angelicam athomam, ſub quo non habet illam Gabriel, qui modo eſt: ergo eſſet diſtinctũ individuum à primo. Reſp. quod exiſtente Gabriele, qui modo exiſtit, Deus poteſt in illo producere aliquem modum ſubſtantialem, quem antea non habebat, ſed nequit aliud individuum Gabrielis producere cũ modo, vel ſine modo à primo diſtinctũ. Et ratio eſt, quia cum ille modus ſupponat in Gabriele irreceptibilitatẽ phyſicam, à qua Gabriel accipit individuationem, per modum illũ extrinſice ſuperadditum non poſſet variare individuum à primo exiſtente, & ſic aliud individuum producere non poſſet. Simile eſt iam adductum. Poteſt Deus accidenti ſeparato à ſuo ſubiecto modum perſeitatis communicare, aliud tamen individuum accidentis nequit producere, niſi alterius ſubiecti ſit accidens, quia modus perſeitatis non dat, ſed ſupponit individuationẽ accidentiſ ex ordine ad ſubiectũ deſumptam, ſic ſimiliter in præſenti.

Sed inquis, ponamus, quod Deus Gabrielẽ annihilet, & alium Gabrielẽ cũ modo ſubſtantiali novo producat, tunc iſte re, productus ſubſtantialiter differret à primo, quia hic haberet modum ſubſtantialem, quem primus nunquam habuit: ergo iam dabuntur duo Angeli intra eandem ſpeciem.

Reſpondeo, quod ſi Deus Gabrielem annihilaret, & deinde Gabrielem cũ modo novo produceret, tunc Gabrielẽ individualẽ, qui antea erat, reproduceret cũ modo ſubſtantiali non poſſeſſo ab individuo Gabrielis, vt producto, ſed tantũ poſſeſſo ab ipſo, vt reproducto: & licet iſte ſubſtantialiter modaliter differret à primo, non tamen individualiter differret ab illo, ſed eſſet idem Gabriel cum novo modo, quem modo haberet, & antea non habuit

§. VIII.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

692 PRIMO Arguitur Auguſtini Parentis authoritate. Ex libro 3. de libero arbitrio. c. 12. ibi: *Et ſi omnes peccaſſent Angeli, nullã inopiam facerent ad regendum imperiũ ſuum creatori Angelorũ; non enim vel bonitas eius, quaſi aliquo tædio, vel omnipotentia difficultate deficeret, quos in eis ſedibus collocaret, quas peccando alij deſeruiſſent*: ergo cũ teſte D.Th. infra q.62. art.6. Angeli conſequãtur gratiã, & gloriã ſecundũ quantitatem ſuorum naturaliũ, illi, quos Deus in eis ſedibus collocaret, eiuſdẽ eſſent naturæ cum illis, qui tales ſedes peccando deſeruiſſent; alias cũ ſpecies ſint ſicut numeri, non eundem gradum gratiæ, & gloriæ, ſicque, nec eandem ſedem, obtinerent. Ad hoc dico, quod vt Angeli creabiles eaſdem ſedes graduũ gloriæ, & gratię occuparent, quas Angeli lapſi deſeruiſſent, non eſſe opus creandi eos cum eiſdẽ gradibus ſpecificis naturę: nam modo homines beati implent ruinas Angelorũ lapſorũ, & tamen non ſunt eiuſdẽ gradus ſpecifici, quẽ habent Angeli lapſi. Et ad D.Th. dico, quod eius doctrina intelligitur reſpective ad hanc providentiam, non in ordine ad alium rerum ordinem, ſub quo Deus aliter poſſet diſponere: vnde ex authoritate Auguſtini nõ convincitur oppoſitum noſtræ concluſioni.

Ra-

693 Ratione arguitur ſecundo. Natura Angelica eſt ſpecies prædicabilis: ergo ei non repugnat habere plura individua ſaltim divinitus. Prob. Conſeq. nam vniverſale eſt vnum in multis vel de facto, vel naturaliter poſsibiliter, vel ad minus non repugnantes Dei potentia abſoluta attenta: ergo ſi natura Angelica eſt ſpecies prædicabilis, ſaltim divinitus non debent ei repugnare plura.

Ad hoc argum. aliqui Thomiſtæ pauciſsimi tamen negant Ant. aſſerentes naturam Angelicam ſolum eſſe ſpeciē ſubjicibilem, non vero prædicabilem de multis. Cæterum illi audiendi non ſunt, quia expreſſe D. Th. doctrinam deſerunt. Etenim de Spirit. creat. art. 8. ad 4. ſic habet: *Sicut forma, quæ eſt in ſubiecto, vel in materia individuatur per hoc, quod eſt in hoc, ita forma ſeparata individuatur per hoc, quod nō eſt nata in aliquo eſſe, ſicut enim eſſe in hoc excludit communitatem univerſalis, quod prædicatur de multis, ita non poſſe eſſe in aliquo. Sicut ergo hæc albedo non prohibetur habere ſub ſe multa individua ex hoc, quod eſt albedo, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc, quod eſt hæc, quod pertinet ad rationem individui, ita natura huius Angeli non prohibetur eſſe in multis ex hoc, quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationē ſpeciei, ſed ex hoc quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto, quod pertinet ad rationem individui.* Cum ergo intellectus noſter poſsit concipere naturam Gabrielis nō concepta eius individuatione, natura Angelica ex modo eſſendi in intellectu non habebit repugnantiā ad eſſendū in multis, & ſic erit capax intentionis vniverſalis. Vnde, vt defendamus in præſenti naturā Angelicā phyſicè, & metaphyſicè conſideratā non poſſe multiplicari in varia individua etiā divinitus, non eſt neceſſe negare, quod ipſa ſit logice vniverſalis, ſaltim ſecundū rationem tantum, quatenus ex modo eſſendi in intellectu non repugnat ei eſſe in pluribus.

Vnde hac ſolutione omiſſa, Alij reſpondent ad argum. conc. Ant. & neg. Conſ. Ad prob. dicūt, vniverſale eſſe vnū in multis non abſolute exiſtentibus, vel abſolute adhuc divinitus poſsibilibus, ſed conditionate, id eſt, ſufficere vt aliqua natura ſit vniverſalis, quod talem habeant modū eſſendi in intellectu, quod ſi per poſsibile, vel impoſsibile multa illa darentur, talis natura eſſet in illis, vel prædicaretur de illis. Sed hic modus dicendi etiā non placet. Nā vbi poſsibilitas termini relationis tantū eſt cōditionata, relationis exiſtentia, quæ ad talē terminū refertur, nequit eſſe abſoluta; ſed intellectus noſter abſolute dat exiſtētiā relationis vniverſalitatis naturæ Gabrielis: ergo multa in aliquo ſenſu debent abſolute ei nō repugnare; at in hoc modo dicēdi omni modo abſolute repugnant plura naturæ Gabrielis: igitur in eo nequit defenſari, quod natura Gabrielis ſit de facto vniverſalis.

Alij reſp. diſt. Conſ. ergo ei non repugnat habere plura individua, ex cōceptu explicito, & implicito, nego Conſ. ei ex cōceptu ſolū explicito, conc. Conſ. Sic reſpondent Salmanticenſes, qui tenent, quod conceptus naturæ Angelicæ nō præſcindit ſimpliciter ab individuatione. Sed illi peius errant. Nam conceptus ſpeciei prædicabilis debet eſſe vnivocus ad plura individua; ſed conceptus naturæ actu claudens individuationē, nequit eſſe vnivocus ad illa: ergo. Prob. Min. conceptus ſimpliciter vnivocus eſt ille, qui dicit vnā rationē omnino vnā; ſed conceptus actu includens differentias inferiorū non dicit rationem omnino vnā, ſed tantū ſecundū quid, ſcilicet ſecundum tantū explicitū: igitur non erit ſimpliciter vnivocus. Et ſic iſti Patres, qui individuationem Gabrielis actu claudunt in conceptu logico naturæ Gabrielis, non faciunt naturam Gabrielis logicè vniverſalem, & ſpeciem prædicabilem, ſed ad magis dialecticè.

Melius ergo reſpondetur ad argum. diſt. Conſ. ergo ei nō repugnat habere multa, el phyſicè, & metaphyſicè ſumpta, nego Cōſ. ei ex ſolo modo eſſēdi in intellectu noſtro inadæquate cognoſcente ſpiritualia admodum rerū materialiū, conc. Conſ. quæ eſt ſolutio ex D. Th. deſumpta loco citato de Spirit. creat.

694 Sed contra iſtum modū dicendi inſtas, natura, prout eſt obiectū conceptus logici, adhuc eſt ſingularis: ergo adhuc, prout ſic, ei repugnant multa. Prob. Ant. adhuc prout ſic eſt natura cōplete ſpiritualis: ergo irreceptibilis in materia: ergo ſingularis. Iſta vltima Conſ. patet ex prima, quia apud D. Th. natura per ipſam irreceptibilitatem in materia fit ſingularis. Et prima prob. Nam ſpiritualitas completa per hoc diſtinguitur ab incōpleta, quod hæc eſt receptibilis in materia, illa vero irreceptibilis eſt: ergo ſi in illo conceptu logico relucet natura vt complete ſpiritualis, relucet

Digitized by Google

conceptus naturæ vt irreceptibilis in materia.

Ad hoc, nego Ant. Ad prob. diſt. primum Conſ. ergo eſt irreceptibilis, ex vi cõceptus logici naturæ, nego Conſ. ex vi alterius prædicati convenientis naturæ prout in re eſt, conc. Conſeq. & nego ſecundam Conſeq. quæ ſubinfertur. Itaque diſtinctivum primarium naturæ completę ſpiritualis ſubſtantialis non eſt irreceptibilitas in materia, ſed eſt eſſe principium tantũ operationum intellectualium, quæ ſunt intelligere, & velle; per hoc enim ſufficienter primario habet diſtingui à ſubſtantia ſpirituali incompleta, quæ habet eſſe principiũ radicale, non ſolum operationum intellectualium, ſed etiam ſenſibilium. Et licet in re ratio irreceptibilitatis in materia identificetur realiter cum conceptu obiectivo naturæ completè intellectualis, tamen per noſtros conceptus ab hoc præſcinditur, & ſic ex modo eſſendi in intellectu non habet aliquod prædicatũ, vi cuius prohibeatur eſſe in multis: vnde benè diximus, quod ei non repugnant multa ex modo eſſendi in intellectu noſtro.

Sed inſtas, natura Angelica inadæquatè concepta, eſto ſine ſingularitate intelligatur, tamen indiſpenſabiliter intelligitur cum radice vnius tantum ſingularitatis: ergo adhuc ex modo eſſendi in intellectu ei repugnant multa individua. Prob. Antec. de conceptu naturæ; prout dicit gradum athomum, eſt ratio radicis proprietatum, ſic quòd nequeat concipi eſſentia ſpecifica, ſine eo quod concipiatur ratio radicis proprietatum ſuarum; ſed natura Angeli eſt radix irreceptibilitatis in materia, in qua eius vna ſingularitas conſiſtit: ergo in illo conceptu logico naturæ Angelicæ actu includitur formalitas radicis vnius tantum ſingularitatis, eſto ipſa ſingularitas actu non includatur.

Ad hoc, diſt. Antec. Intelligitur cum radice vnius tantum ſingularitatis, radicante ex modo eſſendi, quē habet natura Angelica in intellectu, nego Antec. radicante in re, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque, radix vnius ſigularitatis tantùm eſt id, quod concipitur, dum concipitur natura Gabrielis; ſed exercitium radicandi non convenit ei ex modo eſſendi in intellectu, ſed tantũ in re: & ſic ex modo eſſendi in intellectu non prohibetur natura Angelica eſſe in pluribus, quod, licet non ſufficiat ad vniverſitatem ſecundum rem, & rationem; tamen ſufficit ad vniverſalitatem ſecundum rationem tantum.

Vel ſecundo dicatur, quod licet cognitio prout logica, & metaphyſica nõ poſſit præſcindere à conceptu radicis vnius tantum ſingularitatis, tamen prout logica præciſſe, bene poteſt ſiſtere in conceptu eſſentiæ ſine eo, quod tranſeat ad conceptum radicis. Et ratio eſt, quia conſiderare eſſentias rerum vt radices ſuarum proprietatum non ſpectat ad logicum, ſed tantum ad metaphyſicum, & ſic cognitio eſſentiæ prout metaphyſica eſt, non præſcindit à conceptu radicis: logicus autem tantum conſiderat rerum eſſentias, quatenus poteſt eis tribuere intentionem generis, ſpeciei, vel differentiæ: vnde de animali tantum conſiderat, quod ſit vivens ſenſibile, de homine, quod ſit animal rationale, & ſic, de natura Angelica tantũ conſiderat, quod ſit quædam natura intellectualis à homa, quia hoc tantum deſervit vt ſit ſubiectum intentionis ſpeciei: quod autem ſit radix huius, vel illius proprietatis, hoc ad logicũ conſiderare non attinet, & ſic cognitio naturæ Angelicę, prout ſpectat ad logicum, præſcindit à formalitate radicis, quãvis eam attingat vt cognitio metaphyſicalis eſt.

695 Arguitur tertio, non implicat intra ſpeciem Angelicam dari duas perſonalitates: ergo neque implicabit dari duas individuationes. Patet Conſeq. à paritate rationis. Et Antec. prob. ponamus q. d. Verbum divinũ deſtructa perſona Gabrielis naturam eius perſonet. Tunc iſta perſona, & illa, quæ antea erat, non erunt vna, ſed plures perſonæ; nam prima erat creata, & ſecunda erit divina. Et ſi rurſum relinquat naturam Gabrielis, tunc reſultabit in Gabriele altera perſona creata diſtincta à prima; nam prima fuit ſimpliciter deſtructa, & ſecunda naturaliter de novo producta eſt: ergo dabuntur duæ perſonæ creatæ eiuſdem naturæ Angelicæ.

Ad hoc argumentum aliqui concedunt Antec. & negant Conſeq. quia perſonalitates non habent dividere naturam ſubſtantialiter, cum ſupponant naturam iam individuã: vnde in caſu dato eſſent duæ perſonæ eiuſdem numero naturæ, ſicut modo tres perſonæ divinæ ſunt vnus numero Deus; at individuationes dividunt naturã ſubſtantialiter, vel ipſam diviſam ſupponunt, quam diviſionẽ probavimus impoſſibilem, niſi adſit materia, in qua forma re-

recipiatur. Cæterum, quidquid ſit de duabus ſubſiſtentijs, quarum altera ſit creata, & increata altera, quas Angelicæ naturæ pro diſtinctis temporibus poſſe convenire negare non poſſumus: tamen loquendo de duabus ſubſiſtentijs creatis, nô video, quomodo poſsint eidem Angelicæ naturæ duæ ſubſiſtentiæ creatæ etiâ pro diſtinctis temporibus convenire. Nam neque illæ eſſent ſpecie diſtinctæ, neque numero diſtinctæ: non primum; quia eſſent ortæ ex eadem forma eadem in ſpecie athoma; nec ſecundum, quia eſſent ortæ ex eadẽ natura omnino numero eadem: ergo.

Nam, ſi ſemel admittimus, quod ex eadem numero natura omnino eadem pro diverſitate temporum poſſunt oriri duæ ſubſiſtentiæ numero diſtinctæ, non apparet fundamentum ad negandum, quod etiâ ab eadem natura ſpecifica pro diſtincto têpore non poſsint oriri diſtinctæ individuationes; ſic, vt ſi modo Deus deſtruat individuationem, quam habet natura Gabrielis, non poſsit manè oriri ab illa diſtincta individuatio: ſi enim ſola differentia temporis ſufficit ad variandas duas numero ſubſiſtentias ſubſtantiales; neſcio, quare non ſufficiet etiam ad variandum duas individuationes ſubſtantiales ſolo numero duas.

Poſſet reſponderi, quod cum perſonalitates realiter diſtinguantur à natura per hoc, quod modo perſonalitas à natura oriatur, quæ antea realiter non oriebatur, quia deſtructa fuit; poteſt vna perſonalitas numero tantum diſtingui ab altera, etiam ſi vtraque ab eadem numero natura oriatur; non ſic autem poſſumus philoſophari de individuationibus, quæ cum realiter ſint ipſa natura ſpecifica, ſicut ipſa natura, ſola temporis diverſitate nequit fieri diverſa, ita nec eius individuatio ſola temporis diverſitate realiter variari poteſt. Inſuper poteſt dici, quod ex quo perſonalitates realiter diſtinguuntur à natura individua, poteſt perſonalitas deſtrui ſine eo, quod hæc natura individua deſtruatur, & ablato impedimento poteſt deinde temporis decurſu perſonalitas iterato recuperari; quæ non erit eadem cum prima, quia prima penitus deſtructa fuit: natura autem nequit ſub eſſe conſervari, ſi individuatio tollatur ab ea, & ſic manente eadem natura ſpecifice eadem, nequeunt etiam ſucceſsive multiplicari eius individuationes.

Sed contra hoc eſt, nam eſto ad diſtinguenda duo accidentia numero tantû ſufficiat identitas ſubiecti cum diverſitate ſolâ temporis formalis, tamen ad diſtinguendas numero tantum duas ſubſtantias incompletas non videtur ſufficere identitas naturæ individuæ cum ſola diverſitate temporis formalis: ergo ſolutiones aſsignatæ nullæ ſunt; Prob. Antec. nam ſi Deus modo annihilaret animam Petri manente eadem numero materia, quam informabat, non poſſet Deus aliam animam numero tantum diſtinctam à prima producere, quæ ab illa materia diſtinctam individuationẽ acciperet, etiam ſi pro diſtincto tempore illam informaret: ergo ad diſtinguendas ſubſtantias incompletas non ſufficit idem receptivum ſola temporis diverſitate diverſum.

Vnde hâc ſolutione in ſui probabilitate relicta, aliter placet reſpondere argumento principali, negando Antec. loquendo de perſonalitatibus; quæ ab ipſa natura Angelica oriuntur, quidquid ſit de increata, quæ ſuam individuationem à ſe habet; & non à natura individua, quam terminat: vnde poteſt eadem natura Angelica ſucceſſive duas perſonalitates ſucceſsive habere; alteram creatam, increatam alteram. Et ad prob. Antec. dico, quod in caſu; quo Verbum Divinum relinqueret naturam Angelicam, quam aſſumpſiſſet, tunc natura Angelica miraculoſe recuperaret primâ ſubſiſtentiam, quam primo habuiſſet, ſic, quod non aliam numero diſtinctam, ſed eandem numero poſsideret; hoc enim ipſo, quod Verbum Dei miraculoſe relinqueret naturam, quam ſemel aſſumpſiſſet, hoc ipſo, ex vi primi miraculi, Angelica natura derelicta à Verbo, priſtinam naturam recuperaſſet; ſicut enim dicimus, quod dum generatur vermis in Euchariſtia ex ſpeciebus Sacramentalibus, virtute primi miraculi cõſecrationis quantitas panis convertitur in materiam, ex qua forma vermis educitur: idem prorſus dico; ſi Deus deſtrueret ſubſiſtentiam, quam modo habet Gabriel; & ſine illa naturam Gabrielis conſervaret, & poſt tempus naturam ſibi relinqueret; tunc dico, quod etiam ratione primi miraculi recuperaretur prima ſubſiſtentia.

696 Quarto arguitur, natura Angelica, eſto materiam non habeat, eſt tamen ſuſceptiva diverſorum accidentium numero tantum diſtinctorũ: ergo per ordinem ad diſtincta accidentia numero poterit materialiter, ſeu extraeſſentialiter variari in varia individua. Prob. Conſeq. nam

ma-

materia prima materialiter variatur per hoc, quod radix eſt diſtinctæ quantitatis: ergo ſimiliter ſubſtãtia Angelica poterit materialiter variari per hoc, quod ſit ſuſceptiva diſtinctorum numero accidentium.

Ad hoc, nego Conſeq. Ad prob. conceſſo Ant. nego Conſeq. nam cum accidens quantitatis ſit diviſivum ſubſtantiæ corporeæ, hoc ipſo, quod materia intelligitur radix diſtinctæ quantitatis, ſe ipſa ſubſtantialiter diſtinguitur ab alia portione, quæ diſtinctæ quantitatis eſt radix; at ſubſtantia completa ſpiritualis non eſt radix accidentium, quæ habeant pro effectu formali illã dividere, & ſic quamvis ſit ſuſceptiva prędictorum accidentium numero diſtinctorum, non ſequitur, quod materialiter per illa poſſit diſtingui. Quod à poſteriori colligitur. Videmus enim, quod idem Angelus pro diſtinctis temporibus diſtincta accidentia numero recipit, & in ſententia plurium Ieſuitarum non repugnat duo accidẽtia numero tantum diſtincta ſimul retinere, quod non poſſet eſſe verum, ſi per hoc, quod diſtincta numero accidentia reciperet divideretur ipſa materialiter: è contra vero videmus, quod vna numero ſubſtantia materialis, neque ſimul, neque ſucceſſive duas quantitates diverſas valet ſuſcipere, quod eſt evidens ſignum huius, quod eſt ſubſtantiam dividi per quantitatem, non vero ſubſtantiam incorpoream completam poſſe dividi per diſtincta numero accidentia.

Sed ex hoc ipſo ſic inſtas, duo accidentia Angelica numero tantum diſtincta nequeunt eſſe ſimul in eodem numero Angelo: ergo poterit Deus ſua abſoluta potentia dividere duos Angelos ſolo numero per hoc, quod faciat illos ſuſceptivos ſimul duorũ accidentium numero tantũ diſtinctorum. Reſpondeo, quod licet duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſint eſſe in eodem Angelo numero pro eodem tempore, tamen vt ſint actu numero tantũ diſtincta non requirunt duo ſubiecta numero tantũ diſtincta, ſed poſſunt eſſe in duobus numero, & ſpecie diſtinctis: albedo enim hominis, & lapidis numero tantũ diſtinguuntur, & tamen in individuis ſpecie diſtinctis reperiuntur, & ſic ex incompoſſibilitate duorũ accidentiũ numero diſtinctorũ pro eodem tempore non ſequitur, quod Deus poſſit duos Angelos eiuſdẽ ſpeciei producere. Vnde ad inſtantiam, conc. Ant. nego Conſeq.

697 Quinto arguitur, nam licet in Angelis non ſit materia, eſt tamen aliquid loco materiæ, à quo individuantur, realiter diſtinctum ab ipſa natura Angelica: ergo poterunt Angeli ſaltim divinitus intra eandem ſpeciem multiplicari. Conſeq. videtur bona, & Antec. Probatur ex Div. Thom. in primo ſent. diſt. 34. q. 1. art. 1. ibi: *Dicendum, quod perſona, & eſſentia omnino re in divinis non diſtinguuntur: in illis enim, in quibus aliud eſt eſſentia quam hypoſtaſis, vel ſuppoſitum oportet, quod ſit aliquid materiale, per quod natura communis individuatur, & determinetur ad hoc ſingulare: unde illam determinationem materia, vel alicuius, quod loco materiæ ſe habet, addit in creaturis hypoſtaſis ſupra eſſentiam, & naturam: unde non omnino iſta in creaturis idem ſunt; in Deo autem non eſt natura eius ſubſiſtens per aliquod, ad quod determinatur ſicut per materiam, ſed per ſe ipſam eſt ſubſiſtens, & ipſum ſuum eſſe ſubſiſtens eſt: unde natura eſt ipſum, quod ſubſiſtit, & eſſe, in quo ſubſiſtit: & propter hoc in Deo omnino eſt quo eſt, & quod eſt.* Sic D. Thom. ſentit ergo quod Angeli individuantur per ipſam rationem ſubſiſtentiæ, quæ eſt aliquid loco materiæ: nam ſicut in compoſitis materialibus forma recipitur in materia, ſic in ſpiritibus forma recipitur in ſuppoſito: vnde hæc ſe habet in eis loco materiæ.

Ad hoc argumentum reſpondent Salmanticenſes, individuationem in Angelis ſumi ex habitudine ad ſubſiſtentiam, quæ ſe habet loco materiæ, cæterum cum ipſa ſubſiſtentia ſit actus adæquate ortus ab ipſa forma Angelica, non poteſt multiplicari, ipſa forma in ſe non multiplicata, ac per Conſeq. non convincitur ex hoc, quod poſſint plura individua dari intra eandem ſpeciem, quia in materialibus hoc valet contingere, quia materia, in qua recipitur forma, poteſt aliàs materialiter differre: vnde & forma poteſt introduci in materia aliàs diviſa, & ſic poteſt materialiter tantũ multiplicari.

Cæterum hæc ſolutio non conſonat doctrinæ horum Patrum. Etenim ipſi dicunt, quod individuatio formæ Angelicæ ſic idem eſt cum forma Angelica, quod etiã virtualiter ſecundum rationem non diſtinguatur ab illa: cum hoc autem non componitur, quod individuatio deſumatur ex ordine ad ſubſiſtentiam realiter diſtinctam ab ipſa forma Angelica. Nam cum conceptus individuationis ſumatur per ordinem

Digitized by Google

ad aliquid realiter diſtinctum, in ordine ad quod non ſumitur conceptus naturæ Angelicæ, non erit poſsibile, quod individuatio, & gradus ſpecificus eadem indiviſibilis virtualitas ſint; nam virtualitas naturæ, vt talis, eſt abſoluta ab ordine ad aliquid realiter diſtinctum, individuatio autem claudit in ſe talem ordinem: ergo non erunt eadem indiviſibilis virtualitas conceptus naturæ, & conceptus individuationis.

Præterea, ſupra vidimus ex D. Thom. quod forma Angelica ſit ſingularis ex ſola irreceptibilitate in materia, & quod ſicut formæ incópletæ fiunt ſingulares ex hoc, quod recipiuntur in materia, ita forma Angelica fit hæc ex hoc, quod nata eſt non recipi in materia: ergo non debemus modo aſſerere, quod fiat hæc per receptionem eius in ſuppoſito, quod habeat locum materiæ quantum ad hoc, quod eſt individuare formam Angelicam, ſicut materia habet individuare formam, quæ in ea recipitur.

Præterea ſequitur, quod ſi perſona Verbi aſſumat naturam Gabrielis, Gabriel aſſumptus erit diſtinctus numero à primo. Nam forma eius erit in alio ſuppoſito realiter diſtincto à primo; hoc autem dicere non poſſumus tenentes duos Angelos intra eandem ſpeciem nulla via dari poſſe: non ergo eſt dicendum, quod ſicut forma incompleta accipit individuationem ex hoc, quod recipitur in materia, ita forma Angelica individuetur ex hoc, quod recipitur in ſuppoſito.

Vnde, hac ſolutione omiſſa, aliter placet reſpondere ad argumentum, negando Antec. ad probationem ex D. Thom. dico, quod D. Thom. per illa verba: *Vel alicuius quod loco materiæ ſe habet*, non intelligit ſuppoſitum, ſed intelligit ipſam phyſicam irreceptibilitatem formæ Angelicæ in materia: hæc enim gerit locum materiæ; nam ſicut hæc habet individuare formas, quas recipit, ita phyſica irreceptio formæ Angelicæ habet individuare formam Angelicam, & ſic quantum ad munus individuandi poſſumus dicere, quod habet locum materiæ.

Et ſi inſtes, ſequi ex hac ſolutione, quod ſuppoſitum non diſtinguatur realiter à forma Angelica; hoc autem non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, nam D. Thom. dicit: *Quod in his, in quibus aliud eſt ſuppoſitum à natura, ſuppoſitum addit ad naturam, vel determinationem materiæ, vel alicuius loco materiæ*; ſed iuxta noſtram doctrinam nomine *alicuius loco materiæ* intelligitur ipſa irreceptibilitas, quæ realiter non diſtinguitur à natura Angelica: igitur ſuppoſitum non diſtinguetur realiter ab illa.

Ad hoc, nego ſequelam. Ad hoc prob. dico, quod illa loquutio non debet ſumi intranſitive, quaſi diſtinctio ſuppoſiti à natura ſolum ſitat in ipſa determinatione materiæ, vel alicuius loco materiæ, ſed debet intelligi tranſitive: nam neque in compoſitis materialibus eſt verum, quod ſola determinatio materiæ, per quam forma fit ſingularis, ſit ipſum ſuppoſitum, vel ipſa ſubſtantia, neque in compoſitis ex ſolo eſſe, & eſſentia, quales ſunt Angeli eſt verum, quod ſuppoſitum conſiſtat in ſola ea determinatione, per quam natura fit ſingularis, ſed ponitur aliquid diſtinctum, népe modus eſſendi per ſe, qui ſubſiſtentia dicitur, & realiter à natura individua diſtinguitur: vult ergo dicere D. Thom. quod in creaturis ſemper inter ſuppoſitum, & naturam mediat individuatio naturæ; in aliquibus deſumpta à materia, & in aliis deſumpta ab aliquo locum habente materiæ, quantum ad individuandam naturam: in quo habetur diſcrimen inter Deũ, & creaturas, quòd, quia in Deo idem prorſus eſt id, quo, & id, quod; inter quod, & quo non mediat aliquod reddens naturam individuam, ſed individuatio immediate cadit ſupra Deum, id eſt, ſupra habentem Deitatem: id enim, quod primo individuatur eſt Deus; in creaturis autem id, quod primo individuatur eſt natura, & ab ipſa individuatione naturæ, ſuppoſitum accipit individuationem: primo enim humanitas ſit hæc, per hoc quod conſtat ex forma in hac materia recepta, & deinde ſuppoſitum fit hoc, quia habet hanc humanitatem; & in Angelis natura primo eſt hæc, quia non eſt nata recipi in materia, & deinde Angelus fit hic, quia eſt habens hanc naturam. Vnde ex doctrina D. Thom. nihil habetur cõtra noſtram ſententiam.

Sed contra noſtram doctrinã inſtabis, forma Angelica, quamvis non ſit in hac materia, eſt tamen in hoc ſuppoſito habẽte illam: ergo erit hæc ex hoc, quod eſt in hoc. Prob. Conſeq. nam iuxta D. Thom. vnaquæque forma individuatur per hoc, quod eſt in hac materia, vel in hoc ſubiecto: ergo & individuari poterit per hoc, quod ſi non ſit in materia, vel in ſubiecto,

ſit

Digitized by Google

ſit tamen in hoc ſuppoſito. Ad hoc, nego Conſeq. ad prob. nego Conſeq. Et ratio diſparitatis eſt, quia materia, & ſubiectum præſupponitur, & ſic, poteſt forma ex hoc primo, quod in materia hac præſuppoſitive recipitur, fieri formaliter hæc; ſubiectũ etiam accidentium præſupponitur hoc ad receptionem eorum, & ſic poſſunt accidẽtia primo fieri hæc ex hoc, quod recipiũtur in ſubiecto hoc: forma autem Angelica eſt hæc, antequam recipiatur in ſuppoſito, & ſuppoſitum ſit hoc, ex eo quod hanc formã numero recipiat: vnde forma Angelica nequit primo fieri hæc, quia recipitur in ſuppoſito hoc.

698 Sexto arguitur, non obſtante, quod corpori ſecundum quod corpus conveniat dividere numericè tantum, tamen intra corpora datur diviſio ſpecifica, vt per ſe conſtat attenta diverſitate ſpecifica ſpecierum materialium: ergo non obſtante quod ſpiritui conveniat dividere ſpecifice, vt etiam per ſe patet in tam magna diverſitate ſpecifica Angelorum, inter ſpiritus Angelicos dabilis erit diviſio numerica tantum.

Explicatur hoc aliter. Si ſoli corpori conveniat dividere numerice: ergo ſoli ſpiritui conveniet dividere ſpecifice; ſed hoc eſt falſum, quia intra corpora datur diviſio ſpecifica: ergo etiam intra ſpiritus dabitur diviſio numerica tantum. Explicatur viterius. Dabiles ſunt duo ſpiritus convenientes in eodem ſpecifico modo cognoſcendi: ergo & diſtincti ſolo numero. Conſeq. patet, quia ex diverſo modo magis, & minus vniverſali cognoſcendi colligimus diverſitatem ſpecificam Angelorum: ergo ſtante eodem ſpecifico modo cognoſcendi in Angelis diſtinguentur ſolo numero. Antec. autem prob. dabiles ſunt duæ potentiæ corporeæ, ſive cognoſcitivæ, ſive non cognoſcitivæ diviſæ ſpecifice: ergo dabiles ſunt duo ſpiritus ſpecifice convenientes in modo cognoſcendi. Prob. Conſeq. non magis eſt de ratione corporis dividere numerice, quam de ratione ſpiritus dividere ſpecifice, quia ſunt oppoſita: ergo ſi dantur duæ potentiæ corporeæ inæquales ſpecificè, non obſtante quod corpori conveniat dividere numerice tantum, etiam debent admitti duo ſpiritus diviſi ſolo numero, etiam ſi ſpiritui conveniat dividere ſpecifice.

Ad hoc argumentum, nego Conſeq. nam corpus componitur intrinſice ex materia, & forma, & cum proprium ſit materiæ per quantitatem materialiter dividere, poteſt formam corpoream ſolum materialiter dividere, & ſic poſſunt dari duo corpora ſolum materialiter diſtincta, atque adeò ſolo numero: habet inſuper formam, quæ ex ſuis principijs formalibus poteſt diſtingui ab alia forma corporea, & cum diſtinctio ſpecifica ſit penes diſtincta principia formalia, poteſt intra corpus dari diſtinctio ſpecifica: at in Angelo cum ſit ſola forma ſine materia, & ſine habitudine ad materiam, & à pura forma ſolũ poſſit haberi diſtinctio formalis, ſolum poteſt in ipſo dari diſtinctio ſpecifica, & non tantum numeralis.

Secundo reſp. diſt. Antec. pro prima parte, ſi ly *tantum* appellet ſuper diviſionẽ, conc. Antec. ſi appellet ſuper convenientiam ad corpus, nego Ant. & Conſeq. Etenim aliud eſt, quod corpori ex quo corpus eſt, conveniat dividere tantum numero, & aliud eſt, quod corpori ſolum conveniat ſolo numero dividere: convenire enim vtrumque poteſt, quia vt dixi, conſtat ex materia, & forma; ſpiritui autem completo, cum ſit pura forma, tantum convenire poteſt ſpecifice dividere. Ad primam explicationem, ſi ſoli corpori cõvenit dividere tantum numerice, ſoli ſpiritui cõveniet dividere ſpecifice, diſt. Mai. ſi ſoli corpori ex vtroque principio, ex quo conſtat conveniat ſolũ dividere numero, ſoli, &c. conc. Mai. ſi hoc cõveniat ex vno tantum principio, nempe ex materia, nego Mai. & diſt. Min. intellectum de vtroque principio, ex quo conſtat corpus; cõc. Min. intellectũ de ſolo principio materiali, nego Min. & Conſ. Itaque, cum dicimus ſoli corpori convenire hoc, quod eſt dividere ſolum numerice, non intelligimus de convenientia ratione vtriuſque principij, ex quo conſtat, ſed ſolum de eo, quod convenit ſoli corpori ratione materiæ: vnde dicimus ſola corpora poſſe diſtingui ſolũ materialiter quia in ſolis corporibus reperitur materia ſignata quantitate, penes quam penſatur diſtinctio tantum corporalis: cum ergo præter materiã reſtet in corpore forma, poteſt per illam dividi ſpecifice, & ſic non infertur, quod ſoli ſpiritui conveniat ſpecifice diſtinguere.

Ad ſecundam, nego Antec. ad prob. conc. Antec. & nego Conſeq. Ad prob. non magis eſt de ratione corporis dividere numerice, quam de ratione ſpiritus dividere ſpe-

ſpecifice, diſt. Antecedens, poſitive, & excluſive, nego Antecedens, poſitive, ſed non excluſive, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque ſicut corpori convenit dividere numerice, convenit ſpiritui dividere ſpecifice, ſed eſt diſtinctio, quia primum ſic convenit corpori ratione materiæ dividere tantum numerice, quod poteſt ratione formæ dividere ſpecifice; at ſpiritui, cum ſit pura forma cum excluſione materiæ, convenit dividere ſpecifice cum excluſio huius, quod eſt dividere tantum numerice.

§. IX.

Vtrùm ex vi ſecunda rationis D. Thom. probari poſsit Angelos eſſe immultiplicabiles adhuc divinitus?

699 POSQVAM Angelicus Doctor probavit Angelos non poſſe multiplicari intra eãdem ſpeciem ex carentia materiæ. Secundo hoc probat, admittendo ſententiam, quam omnino reputat falſam, nempe, quod Angeli componantur ex materia ſpirituali: Et probatio procedit ſic. Etiam ſi Angeli componantur ex materia, & forma, diviſio ex materia orta non poſſet eſſe ſolum numerica: ergo adhuc illa ſententia admiſſa, non dividerentur Angeli ſolum numero. Patet Conſeq. & Antec. probat, diviſio ex illa materia orta non eſſet ratione quantitatis per modum termini dividentis materiam, ſed ratione potentiæ materiæ ſecundum ſe; ſed diverſitas potentiæ materiæ cauſat non ſolum diverſitatẽ in ſpecie, ſed etiam in genere: ergo illa diviſio non eſſet numerica tantũ. Mai. Prob. quia materia componens Angelũ non eſſet ſubjecta quantitati, nam ſupponimus Angelos eſſe incorporeos: ergo ſolum principium diviſionis eſſet in ratione potentiæ, & ſecundum ſe conſiderata materia. Minorem huius diſcurſus D. Thom. non probat: poteſt tamen probari, quia in compoſitis materialibus, vt materia ſolum numero, & materialiter dividatur, requiritur, quod ſigilletur per diſtinctam quantitatem terminantem; at materia illa Angelica non haberet quantitatem: non ergo poſſet ſolum materialiter dividi, ac per conſequens forma Angelicæ non poſſet ratione talis materiæ ſolum dividi materialiter. Vnde non poſſent eſſe duo Angeli intra eandem ſpeciem. Circa hanc rationem dubito, an ex vi illius poſsit probari duos Angelos eſſe impoſsibiles intra eandem ſpeciem? Quidam doctiſsimus in manuſcriptis ſentit quod ſic.

700 Sed crediderim, quod non. Et probo primo ex ipſo Div. Thom. ex eo probant Thomiſtæ Angelos intra eandem ſpeciem non poſſe multiplicari; quia Div. Thom. dicit; quod ſi Angeli non habent materiam, non poteſt intelligi, quod ſolo numero differant. Et de ſpirit. creat. quod ſi Angeli non habent materiam, etiam fingendo, non poterunt duo Angeli intra eãdem ſpeciem multiplicari, dum autem admittit materiam his vocibus non vtitur, ſed ſolum dicit non poſſe multiplicari intra eandem ſpeciem, ſicut dicit de Sole, & Luna: ergo ſtando in mente D. Thom: non debemus ſic magnificare hanc ſecundam rationem, vt vellimus ex ea probare etiam divinitus ex vi illius non poſſe dari duos Angelos intra eandem ſpeciem.

Ratione id prob. à paritate. Nam materiæ cœlorũ de facto non diſtinguuntur, neque à ſublunaribus, neque inter ſe niſi diverſitate generica, & ſpecifica; & tamen ex hoc non probatur, quod divinitus non poſsint dari duos Soles, vel duas Lunas tãtum numero differentes: ergo ex eo, quod illa materia Angelorum de facto redderet Angelos, etiam ex parte materiæ, formaliter diverſos, & non ſolum materialiter, non inferretur, divinitus non poſſe intra eandem ſpeciem non poſſe multiplicari. Dices eſſe manifeſtum diſcrimen in eo, quod cœli, Sol, & Luna conſtant ex materia radicante quantitatem, & ſic, licet de facto non dividantur ſolum per quantitatem, non tamen implicat, quod divinitus non poſsint ſola diſtinctione quantitativa inter ſe differre; at materia Angelorũ non eſſet quanta, nec quantitatem habere poſſent, & ſic, nec divinitus poſſent ſola quantitatis differentia diſtingui. Sed contra eſt, nam licet Sol, & Luna habeant quantitatẽ; non tamen habent quantitatem, quæ phyſice ſit eiuſdem rationis cum noſtra: vnde non ſunt diviſibiles phyſice, ſed tantũ per deſignationem mathematicam: ergo phyſica partitio ſic eſt impoſsibilis apud ipſos, ac ſi quantitatem non haberent; & tamen per potentiam abſolutam poſſunt phyſicè partiri, ſic quod ſint duo Soles, & duæ Lunæ intra eandem ſpeciem: ergo eſto Angeli non haberent quantitatem, poſſent ta-

men divinitus ſi materiam haberent, intra eandem ſpeciem multiplicari.

701 Sed age, iam probemus quod ſi Angeli haberent materiam, etiam haberent quantitatem. Etenim materia ex terminis eſt radix quantitatis: ergo ſi materiã ſpiritualem, ſecundum verum conceptum materiæ, ponamus in Angelis, debebimus quoque ponere in Angelis ſpiritualẽ quantitatem. Prob. Conſ. primo. Etenim verus homo debet eſſe radix riſibilitatis: vnde ſi fingamus verum hominem in ordine pure ſpiritualı, debebimus quoque fingere eum eſſe radicem riſibilitatis pure ſpiritualis: ergo à pari, ſi fingamus veram materiam intra ordinem pure ſpiritualem, debebimus quoque fingere habere quantitatem pure ſpiritualem. Secundo nõ repugnat proprietas, niſi ex repugnantia radicis: ergo vbi nõ repugnat radix quantitatis, ſaltem à priori non repugnabit quantitas; ſed ſi admittatur vera materia ſpiritualis, non repugnabit radix quantitatis: ergo neque à priori repugnabit quantitas pure ſpiritualis.

Tertio, magis repugnat materia puro ſpiritui, quam repugnet quantitati, nam materia eſt per eſſentiam, & ratione ſui ſpiritualitati oppoſita; quantitas vero ſolum participative: ergo ſi hoc non obſtante verus conceptus materiæ fingitur cõvenire Angelis pure ſpiritualibus, à fortiori debemus fingere quantitatem ſpiritualem Angelis convenire. Quarto, quia ad multiplicationem Angelorum requiritur indiſpenſabiliter materia ſignata quantitate, nõ poſſemus ſecundum D. Thom. fingere duos Angelos ſolum numero differentes, quin fingeremus conſtare ex materia ſignata quantitate: ergo quia abſolute, & ex vi terminorum repugnat vera materia, quæ non ſit radix quantitatis, hoc ipſo, quod in Angelis fingamus veram materiam, debemus quoque fingere veram quantitatem. Quinto, quia poſsibilitas creaturarum neceſſario ſequitur ex divina præcontinentia eorum in eſſentia divina, cuius in divina eſſentia habetur præcontinentia, eius quoque habetur neceſſario poſsibilitas; & cuius non habetur præcontinentia, eius non habetur poſsibilitas: ergo cum quantitas neceſſario oriatur ex materia tanquam ex ſui radice, vbi aderit vera materia, habebitur quoque quantitas, & vbi impoſsibilis erit materia, erit quoque quantitas impoſsibilis: ergo ſi vera materia convenit Angelis, neceſſe quoque erit, quod in illis ſit quantitas.

His omnibus dices, quantitatem non oriri ex materia, ſed oriri ex ſubſtantia corporea: ergo ſi fingamus Angelos conſtare ex materia; non tamen eſſe corporeos: non tenebimur dicere Angelos habere quãtitatẽ. Sed contra eſt, nam licet ita ſit, quod quantitas immediate oriatur ex ſubſtantia corporea; tamen ex illa non oritur ratione formæ, ſed ratione materiæ: vnde prima radix quantitatis non eſt forma corporea, ſed eſt materia prima, eſt enim quantitas accidens potentiale, & pure receptivũ, & ſic primam radicem habet in pura potẽtia, quæ eſt ſola materia: vnde ſi fingamus Angelos non eſſe corporea, dum tamen dicamus veram materiã habere, debebimus dicere in illis adeſſe primam radicem quãtitatis, ac per conſequens quod habeant quantitatem.

Confirmantur hæc omnia, illa materia Angelica, ſi vera materia prima eſſet, eſſet primum receptivum formæ ſubſtantialis: ergo deberet illi toti ſubſtantiali correſpondere aliquod accidens pure receptivum aliorum accidentium; neque enim illa poſſent recipi immediate in materia prima: illud ergo accidens primo receptivum vocetur quantitas, vel non poſſet materiam illam ſubſtantialiter dividere, ſicut noſtra quantitas habet noſtrã materiã primo ſubſtantialiter dividere; poſſet ergo illa materia ſubſtantialiter dividi, ſine eo quod divideretur ſpecifice, & ſic poſſent Angeli multiplicari intra eandem ſpeciem. Explicatur hoc, totum conſtans ex materia, & forma deberet habere accidentia ſequuta ad totum ratione materiæ, & accidentia ſequuta ad totum ratione formę: Modo inquiro de illo accidenti ſequuto ad totum ratione materiæ condiſtincto ab eo, quod ſequeretur ratione formæ. Nonne eſſet accidens pure materiale? Ita credo, nam ſequutum ad totum ratione formæ eſſet accidens formale: ergo poſſet materialiter ſpiritualiter dividere materiam, & tunc eſſet diviſio materiæ ſubſtantialis non formalis, ac per conſequens eſſet poſsibilis diviſio formæ ſpiritualis pure materialis, nẽpe ex primo ſubiecto materialiter tantum diviſo.

702 Tandem prob. meam cogitationem. Nulla forma ſpecifice recepta in vera materia habet totam perfectionem ſibi poſsibilem intra rationem ſuam ſpecificam: ergo nulla forma ſpecifica phyſicè recepta in materia eſt divinitus in multi-

pli-

plicabilis. Patet Conſeq. nam dum ſpecies ſic participatur ab individuo, quod tota, & totaliter non participatur, ſemper reſtat alio, & alio modo participabilis ab eo quo participata eſt: ergò & reſtat multiplicabilis per alia individua. Antec. vero prob. primò, nam loquendo de formis receptis in materia, ſive materialibus, nulla eſt quæ tota, & totaliter à ſuo individuo participetur: ergo idem dicendũ erit de forma Angelica in materia ſpirituali. Nec dicas, quod receptivum ſpirituale non recipit formas limitando eas, bene autem receptivum corporale, & ſic cum forma Angelica reciperetur in materia pure ſpirituali, ex hac receptione non limitaretur. Non hoc dicas, nam licet doctrina iſta vera ſit de intellectu recipiente formas aliorũ intentionaliter, non tamen eſt verum de pura potentia phyſicè recipiente per phyſicã informationẽ. Quod patet in ſubiecto purè ſpirituali recipiente per veram informationem accidentia ſpiritualia, quæ hoc ipſo, quod phyſicè recipiuntur, limitantur, ſic, quod multiplicari poſsint: ergo idem dicendum de formis ſubſtantialibus phyſicè per veram informationem receptis in materia ſpirituali.

Secundo prob. à priori, nam quod non ſubſiſtit per ſe intra aliquam ſpeciem, poteſt participare ipſam ſpeciẽ, ſed nequit eſſe ipſa ſpecies; deberet enim ad hoc ſubſiſtere per ſe in ipſa plenitudine eſſendi ſpecifice; ſed forma Angelica phyſicè recepta in materia non per ſe ſubſiſteret in ſua ſpecie: ergo non haberet totam plenitudinem ſuæ ſpeciei: eſſet ergo divinitus multiplicabilis: Dices, bene poſſe formam Angelicam informare materiam, & per ſe ſubſiſtere, quod videmus in anima rationali, quæ informat materiam, & tamen per ſe ſubſiſtit. Sed contra eſt, nam aliud eſt, quod anima rationalis ſubſiſtat independenter à materia tanquam à ſuſtentante, & aliud eſt, quod per ſe ſubſiſtat in ipſa plenitudine ſuæ perfectionis ſpecificæ: primum eſt verum, ſecundum falſum eſt. Nam ad primum ſufficit, quod anima rationalis poſſit exiſtere per ſe naturaliter ſeparata à materia: ad ſecundum, vltra hoc requireretur, quod non media individuatione à materia, ſed ſe ipſa immediate ſubſiſteret, quod ſoli formæ Angelicæ completæ valet convenire: licet ergo quod damus animæ rationali modo, tunc daremus formæ Angeli in materia phyſicè receptæ; non tamen daremus, quòd per ſe ſubſiſteret in ipſa plenitudine ſuæ ſpeciei, quia ſicut inter animã rationalem, & ſuam ſubſiſtentiam mediat individuatio deſumpta à materia, ita inter formam Angeli, & ſuam ſubſiſtentiam, mediaret individuatio ſumpta à materia.

§. X.

Soluuntur Argumenta.

703 CONTRA Concluſionem noſtram vnicum tantum eſt argumentum. Materia, quæ poneretur in Angelis non haberet per quid tantũ numero differret: ergo forma Angelica in ipſa recepta non haberet per quid ſolũ numero differret ab alia forma Angelica. Patet Conſeq. nam in tantũ formæ receptæ in materia poſſunt ſolo numero diſtingui, in quantum materia, in qua recipiuntur, poteſt ab alia materia ſolo numero multiplicari: ergo ſi materia Angeli non poſſet ſolo numero dividi, forma in ea recepta non poſſet ſolo numero dividi. Antec. vero prob. illa materia non haberet quantitatẽ; ſed diviſio ſolum numerica tantum habetur per quantitatem: ergo materia illa non poſſet ſolo numero differre ab alia materia. Min. patet, nam quãtitas ſolum convenit corpori: ergo cũ tunc Angelus non eſſet corpus, non haberet quantitatem.

Confirm. corpus de prædicamento quantitatis radicatur in corpore de prædicamento ſubſtantiæ; at tunc Angelus non eſſet corpus de prædicamento ſubſtantiæ: ergo neque eſſet corpus de prædicamento quantitatis. Confirm. ſecundò, materia ſe ſola ſine quantitate, & ſine radice quantitatis, ſolum poteſt differre in ratione puræ potentiæ ad formam; at hæc diſtinctio nequit eſſe tantum numeralis: ergo cum tunc materia non haberet quantitatẽ, non poſſet ab alia materia ſolo numero differre. Prob. Min. id, quod convenit materiæ ex ſuo eſſentiali conceptu, non poteſt non eſſe illi eſſentiale; ſed diſtinctio conveniens materiæ ex ſe, conveniret illi ex ratione ſibi eſſentiali: ergo eſſet eſſentialis, ac proinde ſpecifica.

Ad hoc argumentum iuxta dicta primò, nego Antec. Ad prob. nego etiã Maiorem. Nam, vt dixi, implicaret quod Angelus veram materiam primam haberet, quæ eſt prima, & pura potentia phyſica, & quæ-

quantitatem non haberet: nam primũ accidens tunc primo conveniens Angelo deberet neceſſario eſſe materiale, & pure receptivum, ſicut & accidens ſequutum tunc ratione formæ, eſſet formale: illud autem accidens materiale, vel eſſet quantitas, vel aliquid æquivalens quantitati, ratione cujus poſſet illa materia pure materialiter dividi. Et ad prob. quod talis Angelus non eſſet corpus, dico, quod eſſet corpus non ejuſdem rationis cum noſtro, ſicut nec materia prima eſſet ejuſdem rationis cum noſtra; eſſet tamen corpus ſpirituale, quod non magis repugnat Angelo, quã materia. Nam non magis eſt incorporeus, quam ſit immaterialis; & hoc non obſtante fingeremus eſſe materiale: ergo & poſſemus fingere eſſe corpus. Ad primam Confir. nego Min. Ad ſecundam Confir. nego ſuppoſitũ Conſequentis. Sicut enim tunc veram materiã haberet, veram quoque haberet quantitatẽ, ratione cujus poſſet phyſicè ſolum numeraliter dividi.

Secundo reſp. ad argum. diſt. Ant. non haberet per quid tantum numero differret, entitative tran. Ant. formaliter, vel æquivalenter, nego Ant. & Conſeq. Ad prob. diſt. Ant. In quantum materia, in qua recipiuntur poſſunt ſolo numero multiplicari, entitative, præciſe, nego Ant. entitative, vel formaliter, ſeu æquivalenter, conc. Ant. & diſt. Conſeq. eadem diſtinctione. Et in primis inſto argumentũ. Materia Solis nequit per quantitatem, quam habet, entitative dividi pure materialiter, quia quantitas Solis non eſt phyſicè diviſibilis; & tamen apud omnes eſt certum, quod non repugnat alius Sol ejuſdem ſpeciei cum illo, qui de facto lucet: ergo ſine phyſica partitione materiæ poteſt dari multiplicatio individuorum intra eandem ſpeciem: eo ergo modo, quo philoſophamur de Sole, eo modo poſſemus in noſtro caſu philoſophari de Angelo. Jam do modum multiplicationis Solis. Etenim materia Solis habet capacitatem ad totam plenitudinem ſpeciei Solis, cumque hanc plenitudinem non habeat ab hac forma Solis, fit inde, quod ſi divinitus hanc formam Solis amittat, aliam Solis formam ejuſdem ſpeciei individuare valeat, & ſic ſaltem ſucceſſive ſint poſſibiles duo Soles ejuſdem ſpeciei. Aliud exemplum do. In eodem ſubjecto entitative indiviſo recipiuntur ſucceſſive duo accidentia ſolo numero diſtincta. Quare? ideo crediderim, quia ſubjectũ habet capacitatem ad totam ſpeciem unius accidentis: cumque ab uno numero accidenti totam perfectionem ſpecificam ejus participare nequeat, fit inde, quod licet ſimul duo accidẽtia ſolo numero diſtincta individuare nõ valeat, tamẽ ſucceſſive poſſit individuare illam: unde dicimus, quod ſecundum accidens non recipitur in eodem ſubjecto formaliter, & æquivalenter eodẽ; bene tamen recipitur in eodem ſolũ materialiter numero eodem. Si ergo ſi Angelus conſtaret ex vera materia prima, hæc eſſet apta ad recipiendam totam ſpecificam perfectionẽ formæ Angelicæ; cumque illã non poſſet recipere ab una numero forma, ut probavi ſupra, reſtaret potentia ad recipiendum illam per aliam formam, & ſic ſucceſſive duæ formæ Angelicæ ejuſdem ſpeciei poſſent individuari ab eadem materia entitative eadem, ſeu formaliter, & æquivalenter numero tantum diverſa.

704 Sed inſtabis, ſequitur ex hac doctrina, quod ſi Deus anihilaret animam Petri, poſſet in eadem materia Petri, aliam animam creando, in materia Petri introducere, ſic, quod eſſent duo individua hominis conſtantia ex eadem materia entitative eadẽ numero, & formaliter, ſeu æquivalenter diſtincta numero; Conſeq. non admittit bona philoſophia: ergo. Prob. Sequela, materia Petri non participat totam perfectionẽ rationalis ſpeciei per hanc animam, quam de facto habet, & poteſt eam adquirere: ergo anihilata hac anima, poterit aliam animã numero diſtinctam individuare. Reſpondeo, neg. Antec. ad prob. dico, quod cum materia, in qua recipitur hæc anima, quæ modo eſt, ſit phyſicè partita; illa non ſpecificatur à tota perfectione ſpecifice rationalis ſpeciei; ſed tantum ſpecificatur adæquate ab hac numero perfectione ſpecifice, quam illi dat hæc anima: unde ſi Deus anihilaret hanc animam, non poſſet illa numero materia aliam numero animam individuare, nec anima hac anihilata maneret hæc numero materia poſitive, ſed tantum negative. Materia vero Angeli per ſe primo ſpecificaretur à tota ratione ſpecifica Angeli, & ſic ablata una forma Angelica, poſſet aliam ejuſdem ſpeciei recipere.

Sed difficilius inſtas. Nam, ſi hæc portio materiæ, in qua introducitur hæc anima rationalis, tantum reſpicit perfectionẽ ſpecificam, quam illi dat hæc anima, ſequitur, quod ab hac anima adæquatur, ſicut

&

& ipſa anima cum hac materia adæquatur: ergo recipiet illam inamiſsibiliter, ac per Conſequens compoſitū ex hac materia, & ex hac anima erit incorruptibile, ſicut cœlum, & aſtra incorruptibilia ſunt; Conſeq. nequit admitti: ergo nec debet doctrina data admitti. Ad hoc, conc. prima Conſ. nego ſecundā, nam vt hæc portio materiæ hanc animam inamiſsibiliter reciperet, non ſufficeret, quod hæc materia, vt poſitive hęc, cum hac anima adæquetur; ſed inſuper requireretur, quod compoſitum non eſſet mixtum ex qualitatibus corruptivis; ſicut contingit in Sole, & cœlis: qualitates enim corruptivæ, dum prævalent ſupra debitum ad conſervationem individui, corrumpunt illud, & ſic mixtum ex illis non recipit formam inamiſsibiliter.

Hinc ergo infero, quod cum Angelus conſtans ex materia, & forma non eſſet mixtū ex qualitatibus corruptivis, ſicut Sol de facto eſt vnus, ita de facto eſſet in qualibet ſpecie vnus, quod ſolum convincit ratio ſecunda D.Th. poſſet tamen eſſe plures divinitus, ſicut & Sol poteſt eſſe plures. Iuxta quam doctrinā concedimus Confirmationibus factis, quod ille Angelus non haberet quantitatem, neque corporeitatem, tamē quia illa forma Angelica eſſet recepta, & non per ſe ſubſiſtens, poſſet multiplicari divinitus iuxta doctrinam traditam à nobis.

§. XI.

Vtrùm ergo hæc noſtra doctrina de immultiplicabilitate Angelorum componi poſſit cum hoc, quod natura Angelica ſit ſpecies prædicabilis?

705 LOQVIMVR De ſpecie prædicabili ſecundum rationē tantum; & non ſecundum rem, non quia vellimus facere aliquod vniverſale chymericum, non habens fundamentum in re, ſed dicimus ſecundum rationem tantum, ad differentiam aliorum vniverſalium, quibus pro fundamento aſſignatur pluralitas individuorum, vel poſſibilis, vel actualis ſecundum rem. Et quidem aliqui recentiores Thomiſtæ, qui nobiſcum conveniunt in impoſsibilitate plurium Angelorum intra eandem ſpeciem etiam divinitus, partem tenent negantem prætenſi quæſiti; negant enim naturam ſpecificam Angeli Gabrielis v.g. eſſe poſitive ſpeciem prædicabilem, etiam ſecundum rationem tantum, & affirmant ſolum poſſe habere communitatem negativam & dialecticam, quam habet natura divina; non vero logicam. Sic ex Thomiſtis Ioannes Martinez de Prado lib. 1. Logicæ, q.21. Dominicus Lince lib.2.q.2.quā etiam probabilē iudicat Ortiz tract.3. Cōferētia 4. & noviſsime Benedictinus Aguirre in ſua logica tract.4. diſp.2. ſect.2. & alij in manuſcriptis. Secūda ſententiā negat naturæ Angelicæ omnē vniverſalitatē nō modo poſitivā, verū etiam negativā, ſuppoſita repugnātia abſoluta pluriū individuorū. Iſta exteri ab Schola D.Th. Suarez diſp.5. Metaph. ſect.2. Rubius cap. de ſpecie, q.4. Cavero diſp.3. Spinula diſp.7. ſect.4. n.60. Molina 1.p.q.50.art.4. Hurtad. in Metaph. diſp.3. ſect.3. Averſa q.8. ſect.4. & Antonius Perez in Laurea Salmant. Certam.3. Scholaſtico. Tertia ſententia affirmat cōpetere naturæ Angelicæ vniverſalitatē poſitivam ſecundū rationē tantū; quamvis ei plura individua realiter impoſsibilia ſint; ita cōmuniter Thomiſtæ, Araujo 3. Metaph. q.4. art.4. Compl. in logica diſp.6. ſect.4. Ioan. à S.Th. q.8. art.8. Parra tract.2 dub.3. Illuſtriſ. Seguntinus D.D. Fr. Petrus de Godoy, in manuſcripto ſuper hoc erudiſsimo, & ingenioſiſsimo. Amù in ſuo Clypeo logicali, q.7. Gaudin in logica, q.2. art.6. ex Lovaniēſibus Canterus c. de ſpecie & Bona ſpes, tract.2. diſp.4. reſol.6. quibus adde Lermā in logicā, quamvis in ſolutione cuiuſdā argumenti videatur ſe accomodare ſententiæ negativæ. Et hæc fuit ſemper opinio Scholæ Thomiſticæ, ob quam rationem in Comitijs generalibus, vbi electus fuit in Mag. Ordinis Reverendiſ. P. Fr. Ioannes de Rochavetti cuidā Lectori ex Neapolitana Provincia dicto Tartaliō negata eſt laurea Magiſterij, eo quod eandem communitatē, & non aliam defenſaverit convenire Angelo, ac convenit naturæ divinæ. Quod refero, vt ſciant Thomiſtæ, qui ab hac opinione recedunt, quod nō incedunt per ſemitas, quas ambularunt Patres noſtri, nec aliquæ opiniones noſtræ; quia difficiles, deferendæ ſunt, ſed pro viribus tutandæ, nec enim in defenſionem noſtrarum opinionum, debemus adducere exteros, qui in alia navicula in remigando laborant.

706 Sit ergo Concluſio. Natura ſpecifica Gabrielis eſt ſpecies prædicabilis ſecundum rationem tantum, non ſolum negative, ſed etiam poſitive. Sed in hoc, quod dico *poſitive* latet æquivocatio.

Digitized by Google

Dupliciter enim alicui naturæ ſpecificæ convenire poteſt vniverſalitas poſitiva. Primo, quia intellectus tribuit vniverſalitatem poſitivam naturæ exiſtenti in intellectu ex hoc, quod poſitive tali naturæ convenit eſſe in pluribus à parte rei, quia plura exiſtunt; vel quia plura non repugnant de poſsibili: vbi duplex eſt poſitivū, aliud ex parte naturæ, quia à pluribus abſtracta eſt, & de facto contrahibilis per plura, & aliud poſitivum eſt ipſa poſitiva relatio vniverſalis logici, quam illi intellectus tribuit, vel quia ex parte naturæ exiſtentis in intellectu, ex modo eſſendi nō repugnet, quod intellectus poſitivam tribuat vniverſalitatem, vbi tantum invenitur vnum poſitivum, nempe intentio poſitiva vniverſalitatis; nam aliud ſola eſt nō repugnantia ad talem vniverſalitatem poſitivam, quæ habetur per talem ſecundam intentionem. Hoc ergo ſecundo modo, non primo, dico, naturam Gabrielis eſſe poſitive vniverſalem. Et quia ad hanc non repugnantiam requiritur, quod natura Gabrielis concepta admodū rei materialis, nec adhuc implicite ſit ſingularis, nec includat ex vi conceptus naturæ prout ſic conceptæ adæquationē cum vno tantū individuo, ſed explicite, & implicite ſit indifferens, oportet probare, quod hæc duo conveniant naturæ ex modo eſſendi in intellectu, quibus probatis in tuto erit noſtra concluſio, nam hæc ſola duo ſufficiunt ad vniverſale ſecundum rationem tantum, vt fatentur Thomiſtæ, qui nobis adverſantur.

Probatur ergo vtrumque convenire naturæ Gabrielis ex modo eſſendi in intellectu vulgari illa authoritate D.Thom. ex quæſt. de Spirit. creaturis articul. 8. ad 4. vbi Angelicus Doctor in particulari loquens de natura Angelica habet ſic: *Sicut hæc albedo non prohibetur habere ſub ſe multa individua ex hoc, quod eſt albedo, ſed ex hoc, quod eſt in hoc*, id eſt, alligata huic ſubiecto, *ita natura huius Angeli, non prohibetur eſſe in multis ex hoc, quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc, quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto, quod pertinet ad rationem individui.* Sic D.Thom. ex quibus argumentor ſic. Species Gabrielis v. g. ex ſuo conceptu ſpecifico non prohibetur eſſe in pluribus: ergo ex vi ſolius conceptus ſpecifici, nec habet ſingularitatē, nec habet adæquationem cum vna ſola ſingularitate. Prob. Conſ. nam ſi ex conceptu ſpecifico aliquod iſtorum haberet, vere ex conceptu ſpecifico prohiberetur eſſe in multis: ergo ex conceptu ſpecifico nec habet ſingularitatē, nec habet adæquationem cum ſuo vno tantum ſingulari: cū ergo natura huius Angeli pro hoc ſtatu concipiatur à nobis ad modū rerum naturaliū, id eſt, abſtrahendo rationē ſpeciei à ſuo individuo, fit inde, quod ſi ex vi conceptus ſpeciei non habet ſingularitatē, nec adæquationē cum ſuo vno ſingulari, natura huius Angeli ſic concepta nō habeat incapacitatem ad hoc, vt per actionem intellectus fiat poſitive vniverſalis.

Conatur quidam Doctiſsimus ex hac authoritate probare nobis oppoſitū; illis verbis: *Sed ex hoc quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto*, quæ quidem verba nequeunt verificari, niſi de ipſa ſpecie, neque enim hoc, quod eſt non eſſe natam eſſe in aliquo ſubiecto, convenit naturæ huius Angeli ex aliquo accidenti: ergo convenit illi ex conceptu ſpecifico, id eſt, ex conceptu ſuorum prædicatorum eſſentialium: ergo ex ipſis ſuis prædicatis ſpecificis eſt inepta ad eſſendū in multis. Sed certe hic Author prætendit, quod D.Th. in tā paucis ſibi contradicat. Nam ſi ex ipſis ſpecificis prædicatis natura huius Angeli eſt poſitive inepta ad eſſendū in multis: ergo ex his, quæ pertinent ad rationem naturæ ſpeciei prohibebitur eſſe in multis; & cum D.Thom. aſſerat ex his, quæ pertinent ad naturam ſpeciei non prohiberi eſſe in multis: ſi primum ſit de mente D.Th. duo cōtradictoria in paucis dicet D.Thom.

707 Secundo impugnatur hic Author, nam aliud eſt, quod natura huius Angeli habeat ineptitudinem ad eſſendum in multis, quod omnes fatemur; & aliud eſt, quod hoc habeat poſitive ex ſuis prædicatis ſpecificis, & prout conſtant ſpeciē huius Angeli: primū fatetur D.Th. ſecundum expreſſe negat, dum dicit, *hoc ſolum illi convenire ex hoc, quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto, quod pertinet ad rationem individui*: ergo contra mentem D. Thom. prætendit probare hic Author, quod illa ineptitudo ad eſſendū in pluribus conveniat naturæ huius Angeli ex ſpecificis prędicatis ſuis. Et ad id, quod dicit, quod hoc nequit ei cōvenire ratione alicuius accidentis: ergo debet ei convenire ratione alicuius prædicati ſpecifici, dico, quod, vt dicit D. Th. hoc cōvenit illi quia in re adæquate participatur ab vnico individuo: ſicut vere dicimus quod naturę humanę Petri repugnet eſſe plu-

pluribus, & tamẽ nõ dicimus hoc cõvenire ei ex prædicatis naturæ humanæ, ſed convenire in re; quia in vno tantũ individuo reperitur: vnde ſicut poteſt intellectus ab hac natura humana identificata, & adæquata cum ſua ſingularitate præſcindere conceptum naturæ, in quo nec luceat ſingularitas, nec adæquatio cum hac ſua ſingularitate, poterit pariter intellectus noſter à natura Gabrielis in ſe identificata, & adæquata cum ſua ſingularitate, præſcindere ea, quæ conveniunt ei ex conceptu tantũ ſpecifico, ſic, quod in illo conceptu, nec eluceat ſingularitas, nec adæquatio cum illa, ſed omnimoda indifferentia.

Vt ratione efficaci hoc probetur adverto, quod cum quælibet forma Angelica ſit vna, & indiviſibilis etiam adæquatè ſumpta, vna ſimplici gaudet immaterialitate completa, quapropter vnica tantũ gaudet, & phyſica irreceptibilitate in materia; ab hac autem ordine quodam in eſſe phyſico oritur immaterialitas generica, quæ eſt irreceptibilitas in materia, & deinde oritur immaterialitas ſpecifica, quæ etiam eſt irreceptibilitas in materia, tandem oritur vltima immaterialitas, quæ facit individuũ, & hæc etiam eſt vltima irreceptibilitas in materia; ſicut ergo prima immaterialitas præſcindit à ſecunda, ſic prima irreceptibilitas præſcindit à ſecunda. Modo inquiro, quare hæc ſecunda nõ præſcindet ab vltima? Et quare non poterit intellectus concipere inadæquatè quæ ſunt de conceptu ſecundæ irreceptibilitatis, ſine eo quod ſecum trahat tertiam, ſicut inadæquatè concipit ea, quæ ſpectant ad primã, ſine eo quod ſecum adducat ea, quæ ſunt de conceptu ſecundæ?

Dices ad hoc, rationem diſcriminis eſſe, quod prima præſcindit à ſecunda; quia prima conſtituit gradum genericum, qui debet omnino præſcindere à gradu ſpecifico differentiali: poſt irreceptibilitatem autem gradus differentialis non datur alia irreceptibilitas, quæ ſit gradus individualis; & ſic per ipſiſsimam irreceptibilitatem ſpeciei intranſitive ad aliam irreceptibilitatem habetur individuatio: vnde conceptus ſpeciei nequit præſcindere à cõceptu individui. Et rationem huius aſsignabis ex eo, quod à pura forma non poſſunt oriri niſi gradus eſſentiales: vnde ſi poſt gradum ſpecificum daretur alius gradus, anterior non eſſet athomus, & infimus, ſiquidẽ poſt illum ſuperveniret alius eſſentialis. Sed contra eſt, nam licet à pura forma non poſsint oriri gradus, qui eſſentiales non ſunt, tamen neceſſario debet oriri prima clauſula, & prima terminatio ſubſtantialis graduum eſſentialium, ſicut oritur ſecunda, quæ eſt ſubſiſtentia, & vltimus actus, qui exiſtentia dicitur; prima autem terminatio individuatio eſt: ergo poſt gradum ſpecificum poterit forma tribuere immaterialitatem, qua natura fiat hæc, & individua, & à qua poſsit per intellectum ſimpliciter præſcindere natura ſpecifica.

Dices, à forma Angelica oriri individuationem, ſed indiſtinctam à prædicatis ſpecificis, ita, quod hæc ſe ipſis intranſitive ad aliam immaterialitatẽ primo conſtituant ſpeciem, & deinde ſe individuent. Sed contra eſt, nam natura Angelica fit individualiter hæc per irreceptionem in materia gradus ſpecifici ſequutam ad rationem ſpeciei: fit autem ſpecies per irreceptibilitatem in materia, qua à priori probatur intellectualitas ſpecifica: ergo non fit hæc, & individua per ipſam immaterialitatem, per quam fit ſpecies. Conſeq. patet, nam idem iudicium haberi debet de irreceptibilitate, ac de immaterialitate. Et Antec. prob. nam ſicut ratio completæ intellectualitatis genericæ probatur à priori ex immaterialitate genericè ſumpta, ita & ratio ſpecifica probatur à priori ex immaterialitate ſpecifica: ergo immaterialitas ſpecifica præcedit per rationem ipſam ſpecificam intellectualitatem; at immaterialitas, ſeu irreceptibilitas in materia, per quam natura ſpecifica redditur hæc, & individua, ſubſequitur ad illam tanquã clauſula, & terminatio graduum eſſentialium: ergo eſt diſtincta immaterialitas ab ſpecifica.

708 Hinc infero nobilem doctrinam, quæ erit iugulum eorum, qui dicunt, quod dato quod præſcindat ratio ſpecifica ab individuatione, adhuc nequibit natura Angeli habere aptitudinem, vt ex modo eſſendi in intellectu ſit vniverſalis. Quia licet non maneat proxime ſingularis; manet tamen radicaliter ſingularis, & cum exigentia huius adæquatæ individuationis. Doctrina autem hæc eſt, quod cum immaterialitas, qua natura Angeli fit hæc, non ſit eadem cum ea, ex qua formaliter ſecundum rationem habentur gradus ſpecifici, ſolum habet connexionem cum illis prout in re ab vna forma indi-

viſibili tam gradus genericus, quam ſpecificus, quam individualis oriantur; non vero connectitur cum illis; ſicut proprietas cum radice: vnde intellecta forma Angelica inadæquate ſecundum quod præciſe tribuit gradum ſpecificum, & ſine ſingularitate, non intelligitur formaliter, vt radix ſingularitatis, ac per conſequens intelligitur indifferens ſecundum implicitum, & explicitum, & cum capacitate formalis vniverſalitatis. Itaque verum eſt, quod forma nequit tribuere gradum ſpecificum, quin præſupponatur tribuiſſe genericũ, neque poteſt tribuere individualem, niſi præſupponendo gradum ſpecificum, ſed ſicut gradum ſpecificum non radicat ratione generici, ita nec individuationem radicat medio gradu ſpecifico vt radice individuationis: vnde in conceptu inadæquato naturæ vt naturæ, nec habetur ſingularitas, nec radix illius, nec adæquatio cum hac determinata ſingularitate, ſed tantum eſt connexio in re inter iſtá tria, quatenus ab vna indiviſibili formá iſta tria præſtantur.

Et ſi dicas, quod ſi individuatio non oritur à forma tanquam proprietas iſtorũ prædicatorum eſſentialium ſpecificorum; facile poterit dari alia forma phyſica quæ tribuat ipſa prædicatá ſpecifica cum diverſa individuatione, ac per conſequens poterunt plurificari Angeli intra eandem ſpeciẽ: ſicut quia ratio ſpecifica nõ oritur ex ratione generica, poteſt dari alia forma Angelica, quæ det eundem gradũ genericũ cum diverſitate ſpecifica, vt cuius dantur plures Angelorum ſpecies. Reſpondebo, hoc non poſſe ita contingere: quia alietas alterius individuationis purè individualiter diſtinctæ ſolũ poteſt intelligi ex eo, quod forma Angelica phyſicè in alio reciperetur: cùmque forma Angelica phyſice ſit irrecepta, individualiter tantũ plurificari nequit; poteſt autẽ multiplicari ſpecificè, quia varietas ſpecifica non convenit formæ ex hoc quod ſit in diverſis ſubiectis, quia non eſt varietas pure materialis, ſed formalis.

Et ſi adhuc dicas, quod à nobis ponitur individuatio in Angelis pure formalis, nempe tributa à ſola forma Angelica: ergo poterunt duo Angeli formaliter diſtingui, etiã ſi ſolum individualiter diſtinguantur. Reſpondeo, negando Conſeq. Nam aliud eſt individuationem formæ Angelicæ eſſe formalem, vtpote à forma Angelica deſumptam, & aliud eſt, quod a forma purè ſpecifica eadem alia numero individuatio poſsit dari. Primùm eſt verum, quia negare non poſſumus Gabrielem eſſe individuum, & cum ſit pura forma, tenemur fateri eſſe individuum individuatione deſumpta à ſola forma; ſecundum autem eſt falſum, quia alietas pure individualis ſolum poteſt convenire formæ ex hoc quod in diverſis ſubiectis recipitur: forma enim irrecepta, & ſeparata à materia, & ab ordine ad materiã nequit eſſe niſi vna numero forma: ſicut albedo ſeparata à materia, & ab ordine ad materiã tantũ eſſet vna numero, quãviſ à ſe ipſa haberet individuationẽ. Et ratio eſt, quia forma ſic ſeparata nõ eſſet ſub ſpecie, quaſi participans illam, ſed eſſet ipſa ſpecies: atque à Deo immultiplicabilis intra ſpeciem, ſicut & impartibilis.

§. XII.

Defenditur Concluſio contra Authores alijs vijs impugnantibus tam.

709 SVNT Authores, qui admittunt naturam Gabrielis poſſe ſic inadæquate concipi, quod in ea nec implicite claudatur ſingularitas, nec radicatio vnius tantum ſingularitatis, & tamen negant eam eſſe ſpeciem prædicabilem poſitiva prædicabilitate. Nã cum ad poſitivam vniverſalitatem requiratur poſitivus ordo ad plura, dum plura adhuc divinitus ſunt impoſsibilia, terminus relationis vniverſalitatis poſitivæ eſt impoſsibilis, & ſic ipſa relatio vniverſalitatis eſt quoque impoſsibilis. Contra hunc ergo modum dicendi oportet probare noſtram Concluſionẽ. Prob. ergo ſic. Etenim vniverſale non eſt vnum in multis, ſed eſt vnum aptum eſſe in multis, quod quidem adhuc eſt duplex; aliud ſecundum rem, & rationem, & aliud ſecundum rationem tantum: prima aptitudo requirit duo; alterum ex parte naturæ, quod videlicet ſit in eo ſtatu ex vi cuius non prohibeatur eſſe in pluribus, aliud ex parte plurium, nempe quod ſecundum rem poſsint eſſe plura: vnde aliquo ex iſtis deficiente chymerica erit vniverſalitas ſecundum rem, & rationem; ſecunda aptitudo ad eſſendum in pluribus, quæ eſt ſecundum rationem tantum, non debet requirere illa duo, ſed ſufficit habere vnum, nempe, quod ex modo eſſendi in intellectu, quamũ eſt

eſt ex parte naturæ, ſit aptitudo ad eſſendum in pluribus, quamvis aliàs illa plura repugnent; ſed natura Angeli inadæquatè concepta, hoc habet ſecundum Authores, quos impugno: ergo erit vniverſalis poſitivè ſecundũ rationẽ tantum. Prob. Mai. nam hoc ipſo, quod illa natura ex modo eſſendi in intellectu non habeat neque ſuum individuum, neque adæquationẽ cum ſuo individuo, poterit reſpicere reſpectu rationis ſuum individuum indifferenter, & non vt adæquata cum illo: ergo poterit reſpicere illud vt ſuperius reſpicit inferius: ergo & po poterit ex modo tantum eſſendi in intellectu (quamvis plura alias ſint impoſsibilia) habere poſsitivam vniverſalitatem.

Confirm. dato quod natura Gabrielis ex modo eſſendi in intellectu non ſit adæquata cũ hoc individuo, poteſt quantũ eſt ex parte naturæ, ad plura ſe extendere; at naturã ex modo eſſendi in intellectu poſſe ad plura ſe extendere non poteſt explicari per relationẽ æqualis de æquali: ergo debebit explicari per relationẽ ſuperioris de inferiori, nõ ſuperioris analogi, ſed vnivoci: ergo relatione poſitivè vniverſalis: poterit ergo intellectus naturę ſic abſtractę tribuere intentionem poſitivè vniverſalis.

Dices, quod ſi hæc doctrina vera ſit, illa natura, cui poſsibilia ſunt in re plura, etiam ſi tantum vnum eius individuum exiſtat, erit vniverſalis ſecundum rem, & rationẽ; Conſeq. eſt falſum; nam D. Thom. 1. p. q. 13. art. 9. dicit de natura Solis, quod eſt vniverſalis ſecundum rationem tantum; cui tamen plura poſsibilia in re nõ repugnant: ergo doctrina adducta falſa eſt. Prob. ſequelam, doctrina noſtra eſt, quod ad vniverſale ſecundũ rem, & rationẽ requiritur poſſibilitas plurium ſecundũ rem, & non tantum ex modo eſſendi in intellectu, quam habet natura abſtracta à ſua ſingularitate: ex quo intulimus, quod ſi plura repugnent ſecundum rem, & non ex modo eſſendi naturæ in intellectu, tunc dabitur vniverſale ſecundum rationem tantum; ſecundum quam doctrinam Sol erit vniverſalis ſecundum rem, & rationem contra Div. Thom. qui dicit illum vniverſale ſecundum rationem tantum. Sed adduco verba D. Thom. loco citato: *Ad ſciendum autem quæ nomina propriè ſint communicabilia conſiderandum eſt, quod omnis forma in ſuppoſito ſingulari exiſtens, per quod individuatur, communis eſt multis, vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem ſaltem, ſicut natura humana communis eſt multis ſecundũ rem, & rationem: natura autem Solis non eſt communis multis ſecundum rem, ſed ſecundum rationem tantùm:* Sic D. Thom. contra noſtram doctrinam.

Sed reſpondeo, ibi vocaſſe Solem vniverſalem ſecundũ rationem tantũ, quia ad hanc vniverſalitatẽ non recurrit D. Th. ad pluralitatem, quæ poſsibilis eſt Soli ſecundum rem, ſed tantùm ad modum eſſendi, quem habet natura Solis in intellectu. Quod comprobo ex ratione, ob quam D. Thom. illum vniverſalem ſecundum rationem tantùm vocabit; ſequitur enim in textu, *poteſt enim natura Solis intelligi vt in pluribus ſuppoſitis exiſtens, & hoc ideo quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet ſpeciei per abſtractionem à ſingulari: vnde eſſe in vno ſuppoſito, vel in pluribus eſt præter intellectum naturæ ſpeciei, vnde ſervato intellectu naturæ ſpeciei, poteſt intelligi vt in pluribus exiſtens.* Sic D. Thom. In quibus non recurrit ad appellandum Solem vniverſalem ſecundum rationem tantum ad poſſibilitatem plurium illi poſsibilium ſecundum rem, ſed ſolum ad hoc, quod intellectus intelligit naturam Solis per abſtractionem à ſuo ſingulari; quod non parum favet noſtræ ſententiæ: nam ſi Sol à Div. Thom. dicitur vniverſalis ſecundum rationem tantum, ex eo ſolum quod natura Solis præſcindit per intellectum à ſua ſingularitate: ergo cum pariter natura Angelica præſcindat ex modo eſſendi in intellectu noſtro à ſua ſingularitate (vt Authores, contra quos modo diſputo, dicunt,) fatendum erit, illam eſſe vniverſalẽ ſecundum rationem tantum.

710 Deinde probo noſtrum aſſertum, quamvis plures Angeli repugnent, tamen non eſt contra naturam Gabrielis v. g. conceptam ad modum rei materialis ſine ſingularitate, & ſine adæquatione cum vno tantum individuo intelligi vt in pluribus exiſtens: ergo quod plura repugnent, non tollit quin intellectus tribuat ei vniverſalitatem ſecundum rationem tantum. Conſeq. eſt bona, & Antec. Prob. repugnantia plurium individuorum non oritur ex prædicatis ſpecificis ſine ſingularitate, & ſine adæquatione cum vno ſingulari conceptis: ergo, quod illa natura ſpecifica, prout ſic concepta, intelligatur vt in pluribus exiſtens, non eſt contra Gabrielis naturam modo materiali à nobis intellectam.

Deinde, quamvis natura Solis de facto ſolum exiſtat in vno, ita vt hæc ſit falſa, *natura Solis exiſtit in pluribus*; non tamen repugnat naturæ Solis, vt concepta ſine ſua ſingularitate, intelligi vt in pluribus exiſtens, vt vidimus ex D. Th. *Quia eſſe in vno, vel in pluribus eſt præter intellectum naturæ ſpeciei*; ſed etiam præter intellectum naturæ ſpeciei Gabrielis abſtractæ à ſuo ſingulari, & ab adæquatione cũ illo eſt intelligi in vno, vel in pluribus: ergo etiam non erit contra naturam Gabrielis ſic inadæquate conceptam intelligi vt in pluribus exiſtens.

Dices, quod vt intellectus tribuat veram vniverſalitatem logicam naturæ Gabrielis non debet tantum attendere, quod naturæ non repugnet ex parte naturæ, ſed debet etiam attendere, quod non repugnet ipſi vniverſalitati logicæ; licet ergo ex parte naturæ non repugnet, repugnat tamen ex parte vniverſalitatis logicæ, quæ eſſentialiter pro termino exigit multa: ergo adhuc non probatur naturam Gabrielis inadæquate conceptam eſſe poſſe poſitive vniverſalem. Sed contra eſt, nam quidquid ſit de vniverſalitate logica ſecundum rem, & rationem, tamen loquendo de vniverſalitate logica ſecundum rationem tantum, non requiritur, quod pro termino habeat multa: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. nam hæc vniverſalitas eſt, quam intellectus poteſt tribuere naturæ, hoc ſolo titulo, quod ſine ſingularitate, & ſine adæquatione cum illa intelligitur: ergo hæc vniverſalitas nequit determinate pro termino exigere multa, ſed ſufficiet pro termino vnum ſic reſpectum, ac reſpiceretur, ſi eſſent multa. Nec eſt novum, quod vna indiviſibilis relatio de facto ſic reſpiciat vnum, quod habeat ſufficientiam ipſa ſine aliqua ſui mutatione ad reſpiciendum multa, ſi dentur: relatio enim, qua Pater refertur ad primum filium, ſic reſpicit illum, quod, ſi dentur multi, abſque ſui aliqua mutatione reſpiciet illos.

§. X.

Solvuntur Argumenta, quæ prætendunt probare naturam non præſcindere à ſua ſingularitate.

711 PRIMO Arguitur, ſpecies Angelica ſecundum D. Thom. fit ſingularis per irreceptionem in materia, vt docetur communiter in Schola Div. Thom. at à irreceptione in materia præſcindere non valet, quia ex ſuo conceptu ſpecifico eſt irreceptibilis in materia: igitur ſpecies Angelica nequit præſcindere à ſua ſingularitate. Confirm. D. Thom. dict. de Spirit. creaturis, artic. 8. ad 4. quod *natura huius Angeli non prohibetur eſſe in pluribus ex hoc, quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc, quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto, quod pertinet ad rationem individui*: ergo ineptitudo ad receptionem in ſubiecto convenit naturæ Angelicæ ex conceptu naturæ; at in tali irreceptione conſiſtit individuatio eius: ergo nequit præſcindere ſimpliciter à ſua individuatione.

Hoc argumento convicti Seraphicæ Tereſiæ Alumni Complutenſes affirmant conceptum naturæ Angelicæ non præſcindere à ſua ſingularitate, & nihilominus ipſam eſſe vere ſpeciem prædicabilem ſecũdum rationem tantum, quia ad hoc ſufficit, quod ex modo eſſendi in intellectu non explicet ſingularitatem. Sed modus dicendi non placet, nec vnquam placere potuit. Tum, quia conceptus ſpeciei prædicabilis debet eſſe conceptus ſuperioris vnivoci; at conceptus naturæ implicite actu claudens ſingularitatẽ implicat, quod ſit vnivocus, nam debet neceſſario deſcendere cum diverſitate, quam includit: ergo talis conceptus non poterit eſſe ſpecies prædicabilis. Tum etiam, nam ex hoc ſequitur manifeſte, quod natura divina concepta ad modũ rei materialis ſit ſpecies prædicabilis; conſequens non admittitur à veris Thomiſtis: ergo. Prob. Sequela, talis natura divina ſic concepta non explicat ſingularitatem, ſed illam actu implicat: ergo ſi hoc non tollit veram rationẽ ſpeciei prædicabilis, natura divina erit vere ſpecies prædicabilis.

Nec valet aſsignare diſcrimen in eo, quod natura divina eſt actus purus, & natura Angelica eſt natura potentialis. Non (inquam) valet, nam naturam divinam eſſe actum purum, non facit, quod concepta ad modum rei materialis explicet ſingularitatem, ſed ſolum facit, quod illam implicite includat in actu: ſimiliter naturam Angelicam eſſe potentialẽ non tollit, quin actu implicite includat ſingularitatem: ergo ſicut hæc incluſio à natura Angelica non tollit rationem ſpeciei prædicabi-

lis,

lis, ita nec tollet à natura divina veram rationem ſpeciei prædicabilis.

712 Vnde aliter reſp. ad argumentum, negando Minorem, & ad prob. quod ex ipſa ratione ſpecifica eſt irreceptibilis: ergo non præſcindit ab irreceptibilitate, diſt. Conſeq. non præſcindit ab irreceptibilitate ſpecifica, conc. Conſeq. ab irreceptibilitate vltima, & individuali, nego Conſeq. & in primis inſto argumentũ; natura ſpecifica Angeli eſt irreceptibilis in materia; ſed ratio generica etiã eſt irreceptibilis in materia: ergo ratio generica non præſcindit à ratione ſpecifica, nego Conſequent. quia ratio generica eſt irreceptibilis irreceptibilitate generica, ſuper quam fundetur gradus genericus; ſpecifica eſt irreceptibilis irreceptibilitate ſpecifica ſuper quã fundatur gradus ſpecificus, & ſic, licet genus non præſcindat à prima, præſcindit tamen à ſecunda. Sic in noſtro caſu, natura Angelica eſt irreceptibilis irreceptibilitate ſpecifica; individuatio eſt irreceptibilitas vltima, ex qua oritur ratio poſitiva individuationis: ergo natura Angelica, eſto præſcindere non poſſit à ſua ſpecifica irreceptibilitate, poterit tamen præſcindere ab irreceptibilitate, per quam conſtituitur individuum.

Sed contra ſolutionem arguit Aguirre. Nam quidquid ſit de illa duplici irreceptibilitate in materia generica, & ſpecifica, certum tamen eſt irreceptibilitatẽ ſingularem, ſeu individualem metaphyſicè; & radicaliter oriri ex irreceptibilitate ſpecifica; ideo enim natura Angelica in individuo eſt irreceptibilis in materia, quia ex conceptu ſpecifico, & ſibi eſſentiali eſt immaterialis: ergo natura Angelica in ſuo conceptu ſpecifico includit irreceptibilitatẽ illam, quæ eſt radix immultiplicationis individualis, & ſic, ſicut nequit præſcindere ab illa irreceptibilitate, pariter nequibit præſcindere à ſua individuatione. Ad hoc nego Antec. nam ſicut irreceptibilitas ſpecifica, licet ſupponat genericam irreceptibilitatem, non tamen ex illa oritur; ita quamvis individualis præſupponat ſpecificam, non tamen oritur ex illa. Et ad prob. ideo natura Angelica in individuo eſt irreceptibilis in materia, quia ex conceptu ſpecifico, & ſibi eſſentiali eſt immaterialis, nego Antec. non enim individuatio eſt immaterialis, quia ratio ſpecifica eſt immaterialis, ſed ideo quia provenit à forma phyſica completè immateriali, gradus genericus, ſpecificus, & individualis immateriales ſunt. Vnde non ſequitur, quod ratio ſpecifica, vt concepta, à modo rerum materialium non præſcindat.

Arguit iterum Aguirre. Nam natura ſpecifica Angeli, ex quo eſt irreceptibilis in materia, eſt eſſentialiter immultiplicabilis; at adhuc concepta admodum rei materialis concipitur vt irreceptibilis in materia: ergo concipitur neceſſario, cum prædicato immultiplicabilitatis; ac per conſequens nequibit concipi cum prædicato oppoſito multiplicabilitati. Confirm. hoc, licet natura humana poſſit concipi ſine proprietate admirativi, nunquam tamen poteſt concipi ſine radice admirativi; ſed conceptus ſpecificus, ex quo irreceptibilis in materia eſt, eſt radix irreceptibilitatis individualis: ergo dato quod poſſit concipi ſine individuatione, nequibit concipi ſine prædicato radicis individuationis. Ad hoc nego Mal. cum D. Thom. de ſpiritualibus creaturis, artic. 8. ad 4. vbi dicit, quod natura Angelica ex his, quæ ſpectant ad ſolam ſpeciem non prohibetur eſſe in pluribus, ſed tantum ex his, quæ ſpectant ad rationem individui. Et ratio huius evidens eſt, nam ſi differentia ſpecifica Angeli, quia irreceptibilis eſt in materia, eſt immultiplicabilis tantum numero, etiam ratio generica, ex quo eſſentialiter irreceptibilis eſt in materia, erit eſſentialiter immultiplicabilis tantum numero; & ſic ratio generica formaliter prædicabitur non ſolum de ſpecie Angelica, ſed etiam de differentia ſpecifica: vnde nequibit eſſe genus in Angelis; quia tranſcendentia rationis communis ad differentias ſpecificas tollit veram rationem generis: ne ergo deducamur ad hoc inconveniens, debemus dicere, quod ſicut irreceptibilitas in materia generica non eſt prædicatum immultiplicabilitatis tantum numericæ, ita irreceptibilitas in materia ſolum ſpecifica non eſt prædicatũ immultiplicabilitatis tantũ numericæ.

Sed explicamus radicitus hoc. Quamvis Angeli ſint irreceptibiles in materia ex ratione generica, ſpecifica, & individuali; tamen ex prima irreceptibilitate Div. Thom. ſolum probavit genus naturæ completè intellectualis, & ex ſecunda ſolum probat ſpeciem talis naturæ intellectualis per hoc, quod ſit intellectiva per ſpecies ſic, vel ſic vniverſales; ergo cum irreceptibilitate in materia probat Angelos non poſſe intra eandẽ ſpeciẽ multiplicari, illa,

 ex

ex qua hoc probat nec eſt generica, nec eſt ſpecifica; ſed eſt alia extra iſtas: ſicut receptio in materia, ex qua in materialibus probatur differentia individualis, non eſt illa generica, neque ſpecifica receptio in materia, ſed alia, quæ conſtituit individuū materiale. Vnde ad Confirm. nego Min. iam enim millies dixi formam Angelicam non radicare individuationem ſui per ipſa principia ſolum ſpecifice ſumpta, licet ſupponat ea, ſed eam oriri ex phyſica irreceptione formæ Angeli, quæ primo noſtro modo intelligendi habet ſe explicare in gradus eſſentiales genericos, & ſpecificos, & deinde per hoc, quod in nullo recepta eſt, habet individuare ſe ipſam.

711 Hinc colligo rectam intelligentiam illius doctrinæ D. Thom. adductæ in confirmatione primi Argumenti, cuius ſolutio ex induſtria vſque modo reſervata eſt, *quod natura huius Angeli non prohibetur eſſe in pluribus ex hoc, quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc quod non eſt nata recipi in aliquo ſubiecto, quod pertinet ad rationem individui;* accipit enim ibi D. Angelicus naturam pro forma Angelica, & de hac dicit, quod ſecundum quod præciſe dat prædicata ſpecifica non prohibetur eſſe in pluribus; prohibetur tamen in pluribus illa forma reperiri ſumpta adæquate, prout ad prædicata quidditativa ad phyſicā irreceptionē ſui in materia, per quam fit formaliter individua. Vnde ad dictam Confir. diſt. primum Conſeq. ergo ineptitudo ad receptionem in ſubiecto convenit naturæ Angelicę ex conceptu naturæ, prout hæc dicit formam inadæquate conceptam pro ſolis prædicatis ſpecificis, nego Conſeq. prout concipitur adæquate, & prout à parte rei invenitur, vbi tantum invenitur individua, conc. Conſeq.

Sed inſtas. Nam ſi forma illa, ex quo intelligitur dare principia ſpecifice, non prohibetur eſſe in pluribus, non habetur ratio à priori, ex quo probetur talem formam Angelicam non poſſe intra eandem ſpeciem multiplicari; Conſeq. non poſſumus admittere: ergo. Prob. ſequela, nam ratio à priori, ſi quæ eſt, eſt quia eſt irreceptibilis in materia; hæc autem ratio inſtatur, nam ex principijs ſpecificis eſt irreceptibilis in materia; & tamen nos dicimus ex principijs ſpecificis non probari immultiplicabilitatem formæ Angelicæ: ergo non reſtat aliqua ratio ad probandum quod forma Angelica intra eandem ſpeciē non poſſit multiplicari. Confirm. nam ſi forma Angelica ſolum probetur immultiplicabilis ratione ſuæ individuationis, non magis probabitur immultiplicabilis, quam forma humana, quæ eſt in Petro; Conſeq. non poteſt admitti: ergo. Probatur Maior. Etenim de forma humana Petri probatur, quod ſit immultiplicabilis, quia eſt hæc; non vero ex conceptu ſpecifico ſuo: ergo cum de Angelica forma probetur, quod ſit immultiplicabilis ſolum quia eſt hæc, non vero ex prædicatis ſpecificis, nō aliter probabitur immultiplicabilitas Angelicæ formæ, quam probetur immultiplicabilitas naturæ exiſtentis in Petro.

Ad primam, nego Maiorem, ad probationem ſi quæ ratio huius à priori ſit, eſt quia eſt irreceptibilis in materia, diſt. Min. irreceptibilitate prout tantum dat gradū ſpecificum, nego Mai. irreceptibilitate prout conſtituit individuum, conc. Mai. & nego Min. probamus enim à priori ſatis efficaci ratione formam Angelicā non poſſe multiplicari intra eandem ſpeciem ex eo, quod non individuatur præfata forma per hoc, quod ſit in materia, ſed per ipſum inveniri à parte rei ſine materia, & ſine ordine ad materiam. Quæ ratio non inſtatur. Nam irreceptibilitas, in qua fundatur ratio ſpecifica non eſt vltima, & ſic non eſt potens formam Angelicam individuare, ſicut neque irreceptibilitas generica individuare valet formam, quia eſt primus gradus, qui præſtatur à forma: vnde nihil mirum quod ex ipſa non probetur formæ Angelicæ immultiplicabilitas. Nec hoc voluntarie dicitur, nam irreceptibilitas, quæ habet individuare ſpeciem non debet eſſe illa, quæ præcedit prædicata ſpecifica, ſed quæ ſequitur ad illa: vnde neceſſario debet eſſe vltima, & ſic donec hæc non intelligitur convenire formæ Angelicæ, non poſſumus probare immultiplicabilitatem eius.

Ad ſecundam Confirm. nego Maiorem. Ad prob. dico, quod de natura, quæ eſt in Petro ſolum probatur, quod quia eſt hæc, illa numero nequeat multiplicari, nō autem probatur, quod præter illam nequeat dari alia natura humana in Paulo; at de natura Angelica Gabrielis probatur per hoc, quod ſit individua, & hæc, non ſolū quia vt vna numero non poſſit multiplicari, ſed etiam probatur, quod non poſſit dari præter eam alia numero tantum diſtincta, cuius ea eſt ratio, quia individuatio na-

Digitized by Google

naturæ humanæ Petri conſiſtit in eo, quod eſt recepta in hac materia, quod cum non auferat poſſe dari aliam materiam diverſam ſolum materialiter, nō probatur, quod in Paulo v.g. non poſsit dari alia natura humana ſolo numero diſtincta: at cum individuatio formæ Angelicæ probetur per hoc, quod ſit forma ſeparata à materia, & ab ordine ad materiam; convincitur non poſſe dari duos Angelos intra eandem ſpeciem.

§. XIV.

Solvuntur Argumenta ex alijs capitibus impugnantia aſſertum noſtrum.

714. TERTIO Arguitur, vniverſalitas logica non conſiſtit in vnitate negativa, ſeu ſolius præciſionis naturæ à ſingularibus, ſed dumtaxat in poſitiva relatione rationis, qua natura iam abſtracta intelligitur comparata ad eadem ſingularia, ſive inferiora, à quibus abſtracta eſt: ergo vt natura Angelica ſit formaliter logice vniverſalis non ſufficit, quod habeat vnitatem aliquam negativam, ſeu ſolius præciſionis à ſua ſingularitate, ſed exigitur vt habeat relationem poſitivam rationis, qua poſitive comparetur ad plura ſingularia; atqui ſuppoſita omnimoda repugnantia plurium in natura Angelica, hæc habere nequit poſitivam relationem rationis, qua comparetur ad plura ſingularia: ergo ſuppoſita huiuſmodi repugnantia, natura Angelica nequit eſſe poſitive vniverſalis. Prob. Min. vbi terminus relationis eſt impoſsibilis, relatio, quæ talem terminum exigit, pariter eſt impoſsibilis: ergo cū relatio poſitivæ vniverſalitatis exigat pro termino multa, vbi hæc erunt impoſsibilia, relatio quoque erit impoſsibilis: cum ergo in natura Angelica plura repugnent, etiam repugnabit in ea exiſtere relationem vniverſalitatis poſitive.

Confirm. nam, eſto de ratione vniverſalis logici non ſit actu eſſe vnum in multis, tamen de ratione eius eſt habere poſitivam aptitudinem ad eſſendum in multis; at naturæ Angelicæ etiam inadæquate conceptæ repugnat aptitudo poſitiva ad eſſendum in multis: ergo repugnat illi ratio vniverſalis logici. Prob. Minor, poſitiva aptitudo ad eſſendum in multis involuit non repugnantiā plurium; at plura repugnant ex ſe, & modus eſſendi in intellectu naturæ non tollit, quod illa repugnent: ergo naturæ adhuc conceptæ ad modum rei materialis repugnat aptitudo ad eſſendum in multis.

Quod ſi dicatur, ad hanc aptitudinem tribuendā naturæ Angelicæ ad modum rei materialis conceptæ ſufficere, quod plura non repugnent ex parte naturæ ſic conceptæ; licet ex alio capite repugnantiam habeant. In contra eſt, nam quod ex conceptu naturæ ad modum rei materialis non repugnent, dummodo ex alio capite repugnent, ſimpliciter multa impoſsibilia ſunt: ergo quod non repugnent ex parte naturæ non ſufficit ad hoc, vt intellectus tribuat illi naturæ poſitivam aptitudinem ad multa.

Secundo, nam falſum eſt, quod multa non repugnent ex conceptu naturæ. Nam illa ſolum poſſunt intelligi multa per multiplicationem materiæ; at ex conceptu ſpecifico naturæ habetur in Angelis impoſsibilitas materiæ: ergo etiam illa multa repugnant ex conceptu naturæ. Si autem dicatur, illam aptitudinem ad eſſendum in pluribus non eſſe abſolutam, ſed conditionatam; ſic, vt velimus dicere naturā Angelicam conceptam ad modum rei materialis habere aptitudinem ad eſſendum in pluribus, ſi eſſent plura, vel ſi non repugnarent plura. In contra eſt, quia illa aptitudo, cum ſit relatio, non poteſt abſolute exiſtere, ſi terminus, nempe multa, non habeat exiſtentiam abſolutam, ſeu non repugnantiam ad exiſtendum abſolute: ergo cum de facto multa omnino repugnent, non poterit illa natura poſitiva abſolute eſſe apta ad eſſendum in multis.

Ad hoc argumentum dico, quod ad vniverſale ſecundum rationem tantum, non requiritur poſitiva relatio ad multa, hoc enim ſolum requiritur ad vniverſale logicum ſecundum rem, & rationem, ſed ſufficit naturam referri ad vnum quantū eſt ex ſe, & ex modo eſſendi in intellectu, nō ſe adæquando cum illo vno: hanc autem relationem bene poteſt intellectus dare naturæ Angeli conceptæ ſine ſingularitate, & ſine adæquatione cum vno ſingulari, & ſic bene poteſt illam conſtituere poſitive vniverſalem. Intentum prob. nam hoc ipſo, quod natura ex modo eſſendi in intellectu reſpiciat vnum non ſe adæquando cum illo vno, iam eſt reſpectus ſuperioris ad inferius formaliter, nam non eſt reſpectus æqualis

de

de æquali: ergo ſuperioris de inferiori. Ex his ad argumentum reſpondeo, non ſufficere ad vnitatem vniverſalis logici ſolã vnitatem præciſsionis à ſingularitate, cũ hæc tantum ſit fundamentum logici vniverſalis; cæterum hac præſuppoſita poſſe intellectum dare naturæ ſic abſtractæ poſitivum ordinem ad reſpiciendum illud vnum ſingulare, à quo abſtraxit naturã, non ſe adæquando cum illo: in quo ordine, vt dixi, ſalvatur poſitiva vniverſalitas ſecundum rationem tantum.

Ex quo reſp. ad Confirm. dico enim, quod aptitudo ad eſſendũ in multis, prout conſtituit vniverſale ſecundum rem, & rationem, requiritur ad vniverſale logicum, non vero ad conſtituendum vniverſale logicum ſecundum rationẽ tantum, ſed ſufficere aptitudinem ad eſſendum in vno non ſe adæquando cum illo ex modo reſpiciendi illud; hæc autem non repugnat naturæ Angeli conceptæ ſine ſingularitate, & ſine adæquatione cum vno ſingulari, & ſic non repugnat talem naturam eſſe vniverſalem ſecundum rationem tantum.

Sed inſtas, vniverſale logicum ſecundum rationem tantum debet eſſe vniverſale logicum vnivoce tale cum vniverſali logico ſecundũ rem, & rationem; ſed hoc per nos requirit poſitivum ordinem ad plura: ergo & illud hoc ipſum debet requirere. Ad hoc dico, vniverſale logicum ſecundũ rationem tantum vnivocari cum vniverſali logico ſecundum rem, & rationem quantum ad hoc, quod eſt eſſe ſuperius vnivoce, non vero quantum ad hoc, quod eſt dicere poſitivam habitudinem ad multa exiſtentia, vel poſsibilia: hoc enim tantum poteſt convenire tali vniverſali, nempe ſecundum rem, & rationem. Vel dicatur, vniverſale eſſe vnum in multis poſitive, ſed per non repugnantiam poſſe eſſe vnum in vno non adæquate reſpecto: vnde vna diffinitione diffinitur vtrumque vniverſale, ſicut vnica diffinitione diffinitur differentia athoma, & ſubalterna, conveniens poſitive athomæ, & per non repugnantiam ſubalternæ.

Sed inſtabis, ſi natura Angeli adhuc ad modum rei materialis concepta non habet niſi vnum individuum, nec poteſt habere niſi illud vnum, quomodo poterit reſpicere illud non adæquando ſe cum ipſo? Præterea, illud vnum adæquat totam illam molem ſpecificam, ſic, quod totam, & totaliter illã poſsideat: non ergo poterit illa natura reſpicere illud vnum non ſe adæquando cũ illo. Reſpondeo, reſpicere illud vnum non adæquando ſe cum illo ex modo eſſendi in intellectu, quia ſi multa eſſent, ſicut tantum eſt vnum, illo numero reſpectu reſpicerentur, quo reſpicitur illud vnum; & hoc ideo quia ille reſpectus fundatur in natura, quæ ex quo inadæquate concepta eſt ad modum rei materialis, ex vi tantum ſuorum prædicatorum eſſentialium non prohibetur eſſe in pluribus.

Ad ſecundum dico, quod illud vnum adæquat naturam totam, & totaliter prout in re; non vero adæquat illam prout inadæquate conceptam ad modum rei materialis, quia prout ſic, illa natura non eſt hæc, ſed abſtracta ab hoc. Quæ doctrina eſt D. Thom. 1. part. quæſt. 48. art. 9 ibi: *Formæ ſpirituales per ſe ſubſiſtentes, ſi intelligantur ad modum rerum compoſitarũ habentium formas in materia, ſunt communes non re, ſed ratione*: aliquam ergo ſuperioritatẽ habet forma ſpiritualis per ſe ſubſiſtens ex hoc, quod ad modum rei compoſitæ, abſtrahendo naturam ab individuo, concipitur: & cum alias illud commune ſit vnivocũ, vtpote ſecundum implicitum, & explicitum abſtractum à ſua ſingularitate, erit neceſſario commune, & ſuperius communitate logica, & non ſolum dialectica, vt adverſarij prætendunt.

716 Ex qua doctrina ſolvitur argumentum de natura divina, quæ ad modũ rei materialis inadæquate concipitur; & tamen non eſt communis logica communitate, ſed ſolum dialectica: ergo idem dicendum de natura Angelica. Reſp. naturam divinam, cum ſit puriſsimus actus, concipi tantum inadæquate ſecundum explicitum, non vero ſecundum implicitum, quia conceptus ille trahit ad ſe totam divinitatem implicite, & ſic nequit vnivoce prædicari de hoc Deo; at natura ſpecifica Angeli concipitur ad modum rei materialis inadæquate, id eſt, cum præciſione ſecundum implicitum, & explicitum. Sed confirmamus hæc omnia, hic Angelus ponitur in prædicamento vt prima ſubſtantia individua, non generi immediate ſubiecta, ſed athomæ ſpeciei: ergo ſpeciei prædicabilis, nam prædicamentum eſt ſola coordinatio prædicabilium: ergo natura huius Angeli vere obtinebit rationem ſuperioris logicè reſpectu ſui individui.

Admittit Aguirre hunc Angelum poni in prædicamento vt ſubiectum ſpeciei infimæ

ſimæ

ſimæ prædicamentali, non prædicabili, vnde hanc prædicationem, *hic Angelus eſt Angelus*, dicit eſſe prædicationem ſpeciei prædicamentalis, non vero ſpeciei prædicabilis, quia ad hoc requirebatur naturam huius Angeli eſſe vnum in multis, vel ſaltem aptum eſſe in multis. Sed vellem ſcire, quid eſt eſſe ſpeciem prædicamentalẽ, ſi non ſit ſpecies prædicabilis. Etenim logici non alio modo definiunt prædicamẽtum niſi per hoc, quod ſit prædicabilium coordinatio: ergo ſi ſpecies huius Angeli eſt prædicamẽtalis, erit prædicabilis. Deinde: hæc prædicatio, *hic Angelus eſt Angelus*, non eſt individui de individuo, nec eſt æqualis de æquali: ergo erit ſuperioris de inferiori, & ſuperioris vnivoci: ergo logicè ſuperioris.

Reſpõdet iſtam prædicationẽ reduci ad prædicationem logicam ſpeciei de individuo, & reduci ad prędicationem individui: quatenus enim prædicatum dicit totam eſſentiam ſubiecti, reducitur ad primam, & quatenus prædicatur de vno tantum, reducitur ad ſecundam. Sed contra eſt. Nam in recta linea prædicamentali non ponuntur niſi genera, ſpecies, & individua, iſta vt ſubiecta ſpeciebus, & ſpecies vt ſubiecta generibus, qua de cauſa quia rationale de homine non prædicatur vt ſuperius de inferiori, iſta prędicatio, *homo eſt rationalis*, nõ eſt de recta linea prædicamentali: ergo ſi hæc, *hic Angelus eſt Angelus*, non eſt ſuperioris de inferiori, ſeu æqualis de æquali, non erit de recta linea prædicamentali, & ſic Angelus, & hic Angelus non ponentur in recta linea prædicamentali. Deinde hic Angelus exprimit determinationem ſingularitatis, Angelus nec exprimit, nec includit illam: igitur hęc prędicatio nequit eſſe æqualis de æquali, & ſic non reducetur ad prædicationem individui de individuo. Patet Conſeq. nam prædicatio individui de individuo eſt quando tam ex parte ſubiecti, quam ex parte prædicati exprimitur determinatio ſingularitatis. Concludamus ergo, naturam Angelicam eſſe vere ſpeciem prædicabilem ſecundum rationem tantum.

(?)

§. XV.

Vtrùm Angeli ſint incorruptibiles ex ſua natura?

717 CERTA Fide tenendum eſt, Angelos eſſe in perpetuum duraturos, ſive ſemper durare illis conveniat ex natura ſua, ſive non. Nam in Concilio ſexto Conſtantinopolitano actione 11. ita definitur. De fide etiã eſt beatitudinem Angelorum beatorũ eſſe in perpetuum duraturam, ſicut & ſupplicium damnatorum. Secundò etiam eſt certum Angelos non poſſe corrumpi ab aliquo agente creato. Et merito, nam omne creatum corrumpens agit ſeparando formam à materia; cum ergo Angeli careant materia, fit inde, quod a nullo agente creato poſſint corrumpi: vnde bene poſſumus dicere, quod reſpective ad agens creatũ ex natura ſua incorruptibiles ſunt. Similiter etiam eſt certum, Angelos reſpectu Dei eſſe annihilabiles, id eſt, habere in natura ſua non repugnantiam vt à Deo annihilentur. Etenim Dei beneficio à Deo creati ſunt, & Dei beneficio libere in eſſe cõſervantur, & ſic libere poſſunt à Deo tali beneficio privari, & ad nihilum reduci. Poterat hic eſſe dubium, vtrum loquendo de corruptione ſtricte dicta Angeli poſſint corrumpi? Et quantum ad hoc videtur dicendum, quod ſimpliciter non poſſunt corrumpi, bene autem ſecundum quid. Ratio primi in eo ſtat, quod ſtricta corruptio ſimpliciter dicta ſtat in ſeparatione formæ à materia; hæc non eſt poſſibilis in Angelis, cum non ſit poſſibile eos habere materiam: ergo corruptio ſimpliciter talis nequit de Angelis verificari. Ratio ſecundi deſumitur ex eo, quod non repugnat Angelo Gabrieli v. g. quod eius natura aſſumatur ab aliqua perſona Sanctiſsimæ Trinitatis; at in hoc caſu eius ſubſiſtentia, & exiſtentia deſinerent eſſe; non per annihilationem: ergo per propriã corruptionem. Prob. Min. nam cum ſubſiſtentia, & exiſtentia Angeli oriantur, & intrinsicè ſubiectentur in natura individua Angeli, cum hæc non deſtruitur, ipſa non annihilantur, ſiquidem manent in potentia naturæ ſubiectiva, & radicativa intrinsicè eorum.

Dices, quod ſi talis ſubſiſtentia, & exiſtentia iterato reficerent relinquente perſona divina naturam, quam aſſumpſiſſet, illa tunc non fierent per eductionem ex potentia

tia

Digitized by Google

tia naturæ Angelicæ; ergo dum deſtruuntur non corrumpuntur, ſed vere annihilantur. Ad hoc, nego Conſeq. quia ſi reficerent, reficerent per eandem actionem, per quam facta eſt natura Angeli, cui primo conveniebant, & ſic concrearentur, & non educerentur; at dum actio deſtructiva non eſt deſtructiva totius, ſed manente tota natura, ipſa ſola deſtruuntur, cum non poſsint coannihilari, nec annihilari, ſolum corrũpuntur.

His prælibatis, difficultas præſens in eo ſtat, vtrum illa non repugnantia, quam Angeli habent, vt Deus illos deſtruat, ſeu annihilet, ſit ſufficiens ad verificandũ, quod Angeli ex natura ſua corruptibiles ſint, ſic, quod non poſsit verificari de ipſis, quod ex natura ſua ſint incorruptibiles. In quo puncto elucidando Pater Vazquez hic, diſput. 182. cap. 2. ſentit cum Scoto, Alenſi, Gabriele, & Aureolo, Angelos non poſſe dici ex natura ſua incorruptibiles, ſed ſola Dei gratia. Oppoſitam tamen ſententiam tenent communiter Theologi, quos inter alios ſequitur Eſparza, qui ſatis erudite hanc difficultatem pertractat. Et quia hæc ſententia veriſsima eſt, & à D. Thom. edocetur.

Sit noſtra Concluſio. Angelus ex natura ſua eſt immortalis, & incorruptibilis. Et quidẽ ſi de Angelis eodem prorſus modo philoſophandum eſt, ac de anima rationali abſque omni dubietate noſtra concluſio certiſsima erit. Etenim in Concilio Lateranenſi 3. ſect. 8. approbatur definitio Leonis X. in qua definitur animam rationalem ſua natura immortalem eſſe. Nec valet ſolutio Patris Vazquez dicentis, animam natura ſua dici immortalem, quia à nullo agente creato deſtructibilis eſt. Non (inquam) valet, ſi ſemel damus, quod à Deo Authore naturæ poſtquam producta eſt naturaliter, & de lege ordinaria deſtrui poteſt, etiam ſi ab alijs agentibus creatis non valeat deſtrui, non poterit dici natura ſua immortalis. Etenim quod anima non poſsit creari, nec produci ab aliquo agente creato, dum tamen poteſt produci a Deo Authore naturæ non ſufficit ad verificandũ dum animam natura ſua eſſe improducibilem, & increabilem: ergo dum ponitur à Vazquez quod naturaliter, & de lege ordinaria à Deo poteſt deſtrui, etiã ſi ab alijs agentibus creatis deſtrui non poſsit, non ſufficiet ad verificandum animam natura ſua eſſe immortalem: cum ergo Concilium definiat animam natura ſua eſſe immortalem, fatendum erit, ipſam attenta natura ſua non eſſe deſtructibilem, neque ab agente creato, neque ab agente increato.

718 Ratione prob. Concluſio. Angeli, poſtquam liberè creati ſunt, exigunt ex natura ſua ſemper eſſe, ſemper vivere, & ſemper durare: ergo conſervari pro ſemper à parte pòſt eſt illis debitum ex natura ſua ſuppoſita eorum creatione: ergo Deus vt Author naturæ, poſtquam ſemel creavit Angelos, nequit ceſſare ab influxu conſervationis eorum: ergo natura ſua incorruptibiles ſunt. Omnes illæ Conſequentiæ ſunt bonæ, & Ant. primum Prob. nam vnumquodque ens per ſe exigit naturaliter eam perfectionem, cum qua per ſe connectitur; ſed natura Angeli, poſtquam creata eſt, per ſe connectitur cum ſuo eſſe: ergo ſemper appetit eſſe. Prob. Min. natura Angeli ſemel creata non habet potentiam intrinſecam ad nõ eſſe id, quod ſemel fuit, nam ad hoc requirebatur intrinſecè inclinari ad aliquod eſſe incompoſsibile cum eſſe, quod per creationem accepit, quam intrinſecam inclinationem Angelus non habet: ergo ſic naturaliter inclinatur ad eſſe, quod ſemel per creationẽ accepit, quod per ſe cum tali eſſe connectatur.

Secundo prob. illa Min. eſſe convenit formæ Angelicæ ratione ſui immediate: ergo per ſe ſaltim perſeitate phyſica connectitur cum forma Angelica. Prob. Conſ. nam id, quod convenit formæ ratione ſui, & non ratione alterius nequit à forma ſeparari. ergo per ſe ſaltem perſeitate phyſica connectitur cum illa. Vis huius Conſequẽtiæ in eo ſtat, quod quoties aliquid phyſicè convenit alicui ratione alterius à ſe diſtincti, ſi illud, ratione cuius ei convenit, ſit ſeparabile ab eo, etiam illud, quod convenit illi ratione rei ſeparabilis, eſt ab eo ſeparabile; ideo enim eſſe convenit ſeparabiliter homini, quia convenit illi ratione formæ rationalis, quæ naturaliter eſt ſeparabilis à materia hominis; & ſi conveniat ratione alicuius inſeparabilis ab eo, etiam erit ab eo inſeparabilis, vt patet in Sole: eſſe enim Solis inſeparabiliter convenit Soli, quia convenit ei ratione formæ, quæ inſeparabilis eſt à materia Solis: cum ergo eſſe Angelicũ cõveniat Angelo ratione formæ Angelicæ, quæ, cũ non ſit recepta in aliquo, Angelo inſeparabiliter convenit, fit inde, quod illi eſſe inſeparabiliter conveniat.

Di.

Dices huic ſecundæ probationi, quod eſſe quamvis non convenit Angelo ratione alicuius formæ ſeparabilis à materia, quia Angeli carent materia, convenit tamen Angelo medio aliquo accidenti, quod poteſt ſeparari ab Angelo, nempe ratione conſervationis, quia libere à Deo Angelus in ſuo eſſe conſervatur, ac per conſeq. convenit Angelo ſeparabiliter. Sed contra hoc eſt. Nam conſervatio Angeli, eſto abſolute Deo libere conveniat, ex ſuppoſitione tamen quod Deus Angelũ in eſſe produxit, non poteſt de lege ordinaria non conſervare Angelum in exiſtentia: ergo eſſe non convenit Angelo medio aliquo accidenti ſeparabili ab Angelo attenta lege ordinaria, & rerum naturalitate. Prob. Ant. nam hæc eſt Angeli natura, quod poſtquã ſemel facta eſt à Deo, naturaliter exigit eſſe ſine aliqua intrinſeca inclinatione ad non eſſe: ergo Deus conſervans Angelum iuxta inclinationem ſuam, non poteſt non conſervare illum.

719 Secundo principaliter prob. Concluſio. Angelo tantum convenit non repugnantia ad ſui deſtructionem: ergo nequit dici ex natura ſua deſtruibilis. Prob. Conſeq. non repugnantia ad ſui deſtructionem non eſt aliqua potentia phyſica Angeli exigens aliquo modo ſui deſtruitionem: ergo nequit illum conſtituere ex natura ſua deſtruibilem. Prob. Conſeq. eſto ignis adhuc applicatus combuſtibili habeat non repugnantiam ad non calefaciendum, quia tamen hæc non repugnantia non eſt potentia phyſica exigens non calefacere, non dicitur, quod ignis ex natura ſua ſit non calefactivus: ergo eſto Angelus exiſtens habeat non repugnantiam ad ſui deſtructionem, quia hæc tamen non eſt potentia phyſica poſitive inclinans in deſtructionem, non dicetur ex natura deſtruibilis; quod ſi ex natura ſua non dicatur deſtruibilis, nec dicetur corruptibilis ex natura ſua; ac per Conſ. dicetur natura incorruptibilis, quia ens creatum adæquate dividitur in ens ex natura ſua corruptibile, & in ens ex natura ſua incorruptibile.

Dices huic rationi, creaturas poſsibiles dici ex natura ſua producibiles, cum tamen illis ſolum conveniat non repugnãtia ad productionem: ergo non repugnantia ad corruptionem conſtituere poterit Angelos ex natura ſua corruptibiles. Sed contra eſt, nam ſolutio aſſumit falſum: creaturæ enim poſsibiles non dicuntur ex natura ſua producibiles, alias dicerentur etiam ex natura ſua improducibiles; nam ſicut habent in ſe non repugnantiã, vt producantur, etiam habent in ſe non repugnãtiam, vt non producantur: ſi ergo prima non repugnantia redderet illas ex natura ſua producibiles, ita ſecunda non repugnantia redderet illas ex natura ſua improducibiles.

Dices, illam non repugnantiam ad ſui productionem ſufficere, vt creaturæ poſsibiles de lege ordinaria producibiles dicantur: ergo nõ repugnantia ad ſui deſtructionem ſufficiet etiam vt Angeli de lege ordinaria dicantur deſtruibiles. Sed contra eſt, nam dicta non repugnantia, ideo ſufficit ad aſſerendum creaturas eſſe producibiles de lege ordinaria, quia in illis non præhabetur aliquod principium poſitive exigens non productionem earum; in Angelis autem, vt probatum eſt, adeſt poſitiva exigentia eſſendi pro ſemper à parte poſt: ergo in eis non ſufficiet non repugnantia ad deſtructionem ad verificandum, quod de lege ordinaria deſtruibiles ſint. Explicatur hoc, quando alicui enti convenit naturaliter exigentia alicuius prædicati, neceſſario convenit illi repugnantia ad habendũ naturaliter, & de lege ordinaria oppoſitum prædicatum, & ſic tantum relinqui poteſt in eo non repugnantia ad habendũ oppoſitum prædicatum ſupernaturaliter, & per miraculum: ergo ſuppoſita exigentia naturali alicuius prædicati, ſola non repugnantia ad habendum oppoſitum non poteſt rẽ conſtituere potentem de lege ordinaria coniungi cum illo oppoſito: cum ergo in Angelis adſit exigentia innata eſſendi pro ſemper à parte poſt, aderit quoque in eis repugnantia ad coniungendum ſe cum non eſſe ſecundum legem ordinariam, & tantũ reſtabit in eis nõ repugnantia ad coniungẽdum ſe cum non eſſe de potentia abſoluta: ergo ratione non repugnantiæ, quam habent ad deſtructionem, non poterunt adhuc dici de lege ordinaria deſtruibiles, ſicut creaturæ poſsibiles de lege ordinaria producibiles dicuntur.

Sed dices, hanc doctrinam eſſe falſam. Nam grave ab intrinſeco, & ex natura ſua exigit eſſe deorſum; & tamen de lege ordinaria poteſt aſcendere ſurſum, vel ad replendum vacuum naturaliter, vel ab alio extrinſeco movente: ergo cum inclinatione, & exigentia naturali alicuius prædicati ſtat aliquod ens de lege ordinaria con-

Digitized by Google

coniungi cum oppoſito prædicato. Sed cõtra eſt, nam noſtra doctrina non inſtatur exemplo gravis adducti: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Ant. noſtra doctrina procedit de illa naturali exigentia alicuius prædicati, quæ naturaliter rem coniungit cum prędicato exacto: grave autem non ſic inclinatur ad centrum naturaliter, quod neceſſario coniungatur cum centro, cum videamus multa gravia degere extra centrum: ergo doctrina noſtra non inſtatur exemplo gravis. Prob. Antec. nam noſtra doctrina procedit de Angelo exiſtent, i neceſſario cõiuncto cum ſuo eſſe: ergo. Præterquamquod eſt aliud diſcrimen valde notandum; nã grave non inclinatur naturaliter in centrum ratione omnium principiorum, quæ inſunt gravi, ſed tantum ratione ſolius gravitatis, vi cuius ſurſum nequit aſcendere: ſunt enim in gravi duo conſideranda, nempe forma gravitatis, & ratio entis mixti corruptibilis; ratione primi inclinatur naturaliter in centrum, ratione ſecundi poteſt recipere naturaliter qualitates ſui corruptivas, & violentas, atque adeò formæ gravitatis contrarias: vnde nihil mirum, quod cum inclinatione, & exigentia naturali centri poſſit aſcendere de lege ordinaria ſurſum, quia ad iſtum aſcenſum ratione ſuæ corruptibilitatis naturalis habet potentiam paſſivam naturalem; doctrina autem noſtra procedit de ente, cui ſecundum omnia principia ſibi adæquata convenit exigentia alicuius prædicati, quod de facto poſſidet, quod poſtquã ſemel coniungitur cum eſſe, ratione omnium ſuorum principiorum naturaliter exigit ſemper eſſe: vnde abeſt ab illo potentia naturalis ad non eſſe, & ſic de lege ordinaria indeſtruibilis eſt.

Sed dicis, etiam in Angelo poſſe diſtingui duo principia intrinſeca, aliud eſt eſſe Angelum, id eſt, eſſe puram formam ſe ipſa ſubſiſtentem, aliud eſt eſſe creaturã à Deo libere factam, & libere conſervatã; ratione ergo primi poterit Angelus neceſſario coniungi cum ſuo eſſe, poſtquam ſemel exiſtit: & ratione ſecundi, cum non habeat neceſſariam connexionẽ cum eſſe, poterit illi convenire naturalis non repugnantia ad non eſſe. Sed contra eſt, nam eſſe creaturam non ponit in Angelo, poſtquam exiſtit, naturalem non repugnantiã ad non eſſe: ergo adhuc ex illo principio non ſequitur Angelum de lege ordinaria eſſe deſtruibilem. Prob. Antec. nam creatura, poſtquã exiſtit, non habet naturalem non repugnãtiam ad non eſſe ex hoc quod creaturã eſt, ſed ex hoc quod eſt creatura contingenter exiſtens, id eſt, coniuncta cum eſſe ratione alicuius formæ naturaliter ab ipſa ſeparabilis: at vt vidimus Angelus, poſtquam exiſtit, eſt ens neceſſarium: ergo eſto creatura ſit, non ſequitur, quod naturaliter inſit ei non repugnantia ad non eſſe.

§. XVI.

Solvuntur argumenta contra Concluſionem.

720 ARGVITVR Primo ex Cõcilio 6. Conſtantinopolitano, ſeſſ. 11. poſt medium, vbi de intellectualibus, & immaterialibus ſubſtantijs dicitur: *Nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur iuxta quod ſenſibilia defluunt, atque pertranſeunt; non tamen ſunt immortalia per naturam, neque in eſſentiam incorruptibilem tranſeunt, ſed gratiã eis largitus eſt à corruptione, & morte coercentem: ſic hominum animæ permanent incorrupta, ſic Angeli immortales perſeverant, non natura revera* (ſicut aſſervi) *corruptam proprie, vel immortalem habentes eſſentiam, ſed gratiam à Deo ſortiti ſunt, qui immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet.*

Reſpondeo, quod cum hic expreſſa mentio fiat de animabus rationalibus, & de iſtis, vt ſupra vidimus, definitum ſit eſſe natura ſua immortales, ne duas contradictorias dicamus definitas, debemus dicere, quod hic Sophronius negat animas, & Angelos eſſe immortales per naturã, eo modo, quo Deus dicitur immortalis, & affirmat eſſe immortales per gratiam, id eſt, ex dono generali Dei, quod gratia creationis dicitur. Sic ad literam explicat Carrãça in ſumma Conciliorum fol. mihi 383. vbi eius verba, loquitur de hac epiſtola Sophronij, in qua habentur adducta. *Ibidẽ* (inquit) *docet Angelos, & animas, & cæteras inviſibiles ſubſtantias non corrumpi, ſed omnia eſſe à Deo immortalia creata, quod vero ait, illa eſſe immortalia, non per naturam, ſicut Deus, ſed per gratiam eas à morte coercentem, puto intelligit, quod naturaliter à ſe non habeant hanc immortalitatem, ſed ex generali dono Dei*; Sic Carranza. Itaque ſicut Deus dicitur ens per eſſentiam, non ſolum quia ratione ſuæ eſſentiæ ſit ens, ſed quia a ſe ipſo habet entitatem in cauſatam, ita & di-

dicitur immortalis per naturam, non ſolum quia ſua natura eſt immortalis, ſed etiã quia à ſe ipſo habet immortalitatẽ in cauſa: Angeli vero natura ſua ſunt immortales, non à ſe, ſed à Deo Authore naturæ efficiente, & quia efficere hanc immortalitatem, ſicut & efficere Angelorum naturam fuit gratia, quia ſine debito gratioſe Deus illos effecit, ideo largitus eſt eis gratiam, dum hanc immortalitatem convenientem eis naturaliter produxit. Itaque ipſam immortalitatem Angelorum quatenus gratioſe productam poſſumus appellare gratiam, creationis quidem, non ſupernaturalitatis.

Sed ſpecialem difficultatem faciunt contra hoc illa verba *ſic Angeli immortales perſeverant, non natura*. Etenim nos dicimus, quod licet creare Angelos fuerit gratioſum, tamen quod creati naturaliter perſeverent in eſſe eſt de eorum natura: ergo iſta verba videntur pugnare cũ noſtra ſententia. Sed reſpondetur, quod licet perſeverare ſemper in eſſe, poſtquam Angeli facti ſunt, ſit debitum naturæ Angelorum, tamen ſemper eſt gratia in cauſa, quia ſi gratioſe creati non fuiſſent, non haberent hanc neceſſitatem naturalem eſſendi ſemper.

Iuxta quam etiam interpretationẽ debent intelligi aliqui Sancti Patres, qui modum loquendi Sophronij imitati ſunt. Damaſcenus, qui libro 2. fidei cap. 3. *Angelus eſt ſubſtantia intellectualis per gratiam, non natura immortalitatem conſequuta*. Et infra: *Immortalis eſt Angelus non natura, ſed gratia.* Ambroſius ſimiliter. lib. 3. de fide, cap. 2. inquit: *Nec Angelus eſt naturaliter immortalis, cuius immortalitas eſt in voluntate creatoris*. Omnes enim iſti, & ſi qui alij hoc ipſum dixere, debent intelligi de gratia creationis, quia ſcilicet immortalitatem de facto nõ haberent, ſi Deus ſolo ſuo beneplacito, nulloque præcedente debito, & exigentia eorum eos non creaſſet.

721 Secundo arguitur. Si Angeli, poſtquã creati ſunt, entia neceſſaria eſſent à parte poſt, Deus iniuriam faceret illis, ſi eos annihilaret; faceret enim contra eorũ naturam, poſitivam exigentiam, & inclinationem; at hoc non videtur dicendum: ergo non poſſumus affirmare quod natura ſua entia neceſſaria, & incorruptibilia ſint. Conſeq. eſt bona, Mai. iam eſt probata, & Min. ex eo deducitur, quod Deus eſt ſupremus Dominus creaturæ, & ſic abſque iniuria creaturæ poteſt facere in ea, & de ea quod ipſe vellit. Ad hoc, nego Antec. adeſt enim in qualibet creatura non repugnantia ad Deum vt ſupremum Dominum, vt faciat de ea, & in ea quidquid ipſe vellit, & ſic quamvis faceret contra eius naturam, & poſitivam exigentiam annihilando Angelum, non tamen faceret iniuriam Angelo, ſed vteretur iure ſuo, nempe ſupremo dominio, vi cuius ſibi ſubdit omnia creata.

Sed inſtas: ergo in Angelo ſunt duæ inclinationes innatæ, alia, qua inclinat ad eſſe, & alia, qua inclinat ad obediendum Deo, vt in eo faciat quidquid ipſe voluerit: igitur de lege ordinaria eſt deſtruibilis ratione illius innatæ non repugnantiæ. Ad hoc, nego Conſeq. quia illa innata obedientia non eſt ad Deum vt operantem ſecundum curſum ordinarium rerum, ſed eſt ad ipſum vt ſupremum Dominum nullis legibus alligatum; prout ſic autem Deus non operatur de lege ordinaria; ſed de potentia abſoluta, & ſic quamvis Angelo ſit innata obedientia, & non repugnantia ad Deum, non facit Angelum de lege ordinaria deſtruibilem, ſeu annihilabilem, quia non reſpicit annihilationem vt de lege ordinaria poſsibilem, ſed tantum de potentia abſoluta. Probat enim D. Thomas infra q. 104. art. 4. quod annihilatio eſt opus miraculoſum, ex eo quod vel res, quæ annihilantur, ſunt omnino immateriales, & ſic omnino carent potentia ad non eſſe; vnde eſſet miraculum illas annihilare; vel ſunt materiales, & ſic de illis ſecundum curſum ordinarium, cum deſinant per ſeparationẽ formæ à materia, ſemper perſeverat naturaliter materia, quæ eſt primum ſubiectum corruptionis, & annihilationis: vnde ſecundum legem ordinariam annihilabiles non ſunt: vnde obedientia, quam habet Angelus circa annihilationem ſui, non eſt circa annihilationem faciendam de lege ordinaria, ſed ſolum faciendam de potentia abſoluta.

Sed inſtas, aqua, non obſtante quod naturaliter tendat deorſum, tamen ex obedientia ad Deum Authorem naturæ habet naturaliter aſcendere ſurſum ad replendum vacuum: ergo non obſtante, quod annihilatio ſit contra peculiarem inclinationem Angeli, tamen ex innata obedientia ad Deũ, vt in eo faciat quidquid voluerit, naturaliter erit deſtruibilis per annihilationem. Ad hoc, conc. Antec. & nego Conſ.

nam

Digitized by Google

nam in aqua eſt duplex inclinatio, alia peculiaris ad proprium bonum, & hoc eſt gravitando deorſum tendere ad centrum; alia ad bonum vniverſi, cuius ipſa eſt pars, hæc ſecunda ſibi ſubordinat primam, quia pars naturaliter magis inclinatur ad bonum totius, quam ad bonum ſibi peculiare: vnde videmus quod manus naturaliter ſe exponit vulneri, vt caput liberet: aſcendit ergo aqua ſurſum propter bonum vniverſi, ad quod conſervandum magis inclinat, quam ad centrum, & ſic naturaliter aſcendit quāvis contra peculiarem inclinationem: annihilatio autem eſt contra adæquatam inclinationem Angeli, quia ex hoc quod Angelus anihiletur, nec ſequitur aliquod bonum Angelo, nec vniverſo, & ſic ad annihilationem naturaliter nullo modo inclinat.

722 Tertio arguitur. Si Angelus ex natura ſua eſſet incorruptibilis, exigeret ex natura ſua durationem infinitam à parte poſt; ſed hoc nequit admitti: ergo. Conſ. eſt bona, Mai. patet ex eo, quod Angelum natura ſua eſſe incorruptibilem eſt exigere ſemper eſſe, & ſemper durare, poſtquam factus eſt; hoc autem eſt exigere duratione infinitā à parte poſt: ergo. Min. vero Prob. forma Angelica eſt finita, & determinata intrinſece: ergo nequit exigere duratione infinitam, & indeterminatam. Prob. Conſ. ex vulgato axiomate: ad formam intrinſice determinatam ſequuntur accidentia intrinſice determinata; at duratio eſt vnum ex accidentibus Angeli: ergo cum ipſi ſint formæ intrinſice determinatæ, nequeunt exigere durationem infinitam etiam à parte poſt.

Ad hoc argumentum, nego Min. ad Prob. diſt. Antec. forma Angelica eſt finita, & determinata, reſpectiue ad alias ſpecies rerum, conc. Antec. reſpectiue ad perfectiones potentes convenire vni ſpeciei Angelicæ, nego Antec. & Conſeq. Itaque vnus Angelus numero præcontinet in ſe totam perfectionem, quam natura Angelica poſſet habere, ſi innumera ſingularia poſsideret; altera autem perfectio ſpeciei eſt ſemper durare, & ſic, cum in vno tantū individuo ſalvari debeat, ſic, quod plura habere ſit impoſsibile, in illo individuo habet quoddam genus infinitatis: ex quo oritur exigentia perpetuæ durationis, qui dum intra limites ſuæ ſpeciei nulla via limitatur, illam poſsidet illimitato, & infinito modo, ex quo ſufficienter radicare poteſt ſuum ſemper durare à parte poſt.

Cæterum, quia ſemper durare, etiam convenit animæ rationali, quæ in vno individuo totam perfectionem ſuæ ſpeciei non poſsidet, ideo, vt aſsignetur doctrina communis omni ſubſtantiæ creatæ intellectuali, aliter placet reſpondere argumento propoſito: negando Min. ad Prob. diſtinguo Conſeq. ergo nequit exigere durationem, indeterminatam, & infinitam, vt à ſe actiue radicandam, conc. Conſeq. vt actiue à Deo cauſandam, nego Conſequent. ad Prob. ad formam determinatam ſequuntur accidentia determinata, loquendo de accidentibus actiue radicatis, conc. Min. loquendo de accidentibus tantum exactis cauſari ab alio, nego Mai. & diſt. Min. duratio eſt vnum ex accidentibus Angeli, cauſatum actiue ab Angelo, nego Min. cauſatum à Deo, & ſolum exactum ab Angelo, conc. Min. & nego Conſequentiam. Itaque, duratio Angeli, vel animæ rationalis nō oritur actiue ab ipſis eorum formis, ſed tantum exigitur eo modo, quo cœlum exigit moveri ſemper, non à ſe, ſed ab intelligentia: & Angeli exigunt ſpecies totius vniverſi, non ratione principij actiui, ſed paſsivi, vt infra dicemus: non eſt autem inconveniēs quod aliqua forma exigat habere accidens indeterminatum, etiam ſi ipſa ſit determinata, ſi tamen tale accidens actiue nō oriatur ex forma, & ſic, quamvis duratio Angelica ſit indeterminata, poteſt Angelo naturaliter cōvenire; quia licet forma Angelica determinata ſit, ipſa tamen duratio non cauſatur actiue ab Angelo, ſed à Deo. Hæc doctrina eſt Div. Thom. infra q. 104. art. 4. ad 2. vbi habetur, quod rei duratio, & permanentia in eſſe non oritur ex rei principijs, ſed tantum ex Deo actiue illam conſervante: vnde ſtat bene, quod res ſit virtutis finitæ, & tamen quod in ſempiternum duret. Sic D. Thom. & ſic nos cum ipſo.

723 Quarto arguitur natura Angeli, antequam exiſtat, non exigit determinate exiſtere, ſed eſt indifferens ad exiſtendum, & non exiſtendum: ergo neque poſtquam ſemel exiſtit, ab intrinſeco exiget ſemper exiſtere: ergo non eſt incorruptibilis. Hæc ſecunda Conſeq. patet ex prima, & prima Prob. Nam Angelica natura in his, quæ illi cōveniunt per ſe, & ex principijs eſſentialibus, omnino eadem eſt, ſive ſit in ſtatu poſsibilitatis, ſive ſit in ſtatu exiſtentiæ: ergo ſi in ſtatu poſsibilitatis non exi-

exigit ab intrinſeco exiſtere, poſtquam ſemel exiſtit, non exiget ab intrinſeco ſemper exiſtere.

Ad hoc, nego primã Conſeq. ad Prob. diſt. Antec. omnino eadem eſt in his, quæ illi conveniunt abſolute, & ex vi terminorum, conc. Antec. in his, quæ illi conveniũt ſolum facta aliqua ſuppoſitione, nego Antec. & Conſeq. Itaque ſunt aliqua prædicata, quæ in principijs naturæ cauſam adæquatam intrinſecam habent, & hæc ex vi terminorum connectuntur cum natura: vnde in quocumque ſtatu natura inveniatur, invenitur coniuncta cũ talibus prædicatis. Sunt autem alia prædicata, quæ in ſola natura ſui cauſam adæquatam non habent; vnde naturæ abſolute, & ex vi terminorum convenire nequeunt; & ſic, vt neceſſario cum natura coniungantur, requirunt naturam in aliquo ſtatu exiſtentem: vnum autem ex his prædicatis eſt ſemper exiſtere à parte poſt, reſpectu cuius natura Angeli non habet cauſam intrinſecam adæquatam: cum enim creatura non ſit à ſe ipſa, coniungi cum exiſtentia nequit; vnde oportet, quod à Deo cum exiſtentia iungatur, & ſic cum exiſtentia vt primò conferenda Angelus connexionem neceſſariam non habet, ſed indifferenter ſe habet ad exiſtere, & ad non exiſtere: poſtquam autem exiſtit, potentia ad non eſſe caret, & ſic, cum eſſe, quod ſemel habuit, neceſſario connectitur. Exemplum huius doctrinæ nobis offert inflexibilitas Angeli. Etenim Angelus antequam plene deliberate ad aliquod obiectum ſe convertat, nullam connexionem neceſſariam habet cum electione huius obiecti in particulari, ſed mere accidentaliter coniungitur cum illo; ſed poſtquam ſemel cum tali electione coniungitur, ſic neceſſario tali electioni adhæret, quod ab illa inſeparabilis ſit, hoc exigente natura Angeli ex ſuis principijs intrinſecis: ſic ſimiliter antequã Angelus exiſtat, indifferenter ſe habet ad exiſtendũ, & ad nõ exiſtendũ, & ſic, exiſtere omnino illi accidens eſt; ſed poſtquam exiſtit, iam caret potentia ad nõ exiſtere, & ſic cũ exiſtentia neceſſario coniungitur.

724 Quinto arguitur, exiſtentia non connectitur per ſe cum forma Angelica: ergo Angelus ex natura ſua nõ eſt incorruptibilis. Prob. Ant. ſi conveniret exiſtẽtia Angelo per ſe, hæc eſſet per ſe, *Angelus exiſtit*, ſed non eſt per ſe, ſed eſt pure accidẽtalis, & contingens; ergo eſſe nõ connectitur cum Angelo per ſe. Secundo Prob. idẽ Ant. quando aliquod prædicatũ convenit cũ re medio alio accidenti, coniungitur per accidens cũ tali re; ſed ſemper exiſtere convenit Angelo media creatione ſui, quæ merũ accidens rei eſt: ergo ſemper exiſtere convenit per accidens Angelo. Tertio Prob. idẽ Ant. ſi poſtquam Angeli natura exiſtit, deſtruatur, eadẽ prorſus manet natura quoad ſua prædicata per ſe: ergo adhuc cũ natura Angeli, poſtquã exiſtit, ipſum exiſtere non habet cõvenire per ſe. Deinde, difficile apparet, quòd exiſtentia, dum primo cõmunicatur formæ Angelicæ, ſit accidens cõmune, & deinde tẽporis decurſu fiat per ſe prædicatũ Angeli; ſed poni debet, quod exiſtere, dum primo cõmunicatur Angelo, cõmunicatur vt accidens prædicabile eius, nã ſic primo convenit exiſtere Angelo, quod potuit nõ cõvenire: ergo nequit dici, quod deinde fiat eius prædicatum per ſe.

Ad hoc argumentum, diſt. Ant. exiſtẽtia non connectitur per ſe cũ forma Angelica, perſeitate phyſica, neg. Ant. logica, & ex vi terminorũ, conc. Ant. & diſt. Cõſ. ergo Angelus ex natura ſua nõ eſt incorruptibilis, incorruptibilitate, quæ conveniat naturæ ex vi terminorũ, conc. Conſ. quæ cõveniat naturæ phyſice ſumptæ, nego Cõſ. ad Prob. dico, quod iſta *Angelus exiſtit* eſt per ſe perſeitate phyſica, quia poſtquam ſemel exiſtit, neceſſario exiſtit, cum careat intrinſeca potentia ad non exiſtere. Ad ſecundã Prob. diſt. Mai. coniungitur per accidens cũ tali re, iuxta naturã accidentis medio quo convenit, conc. Mai. non iuxta naturã eius, nego Mai. & diſt. Min. ſed ſemper exiſtere cõvenit Angelo media creatione, quæ eſt verum accidens per modum formæ intermediantis inter Angelum, & ſemper exiſtere, nego Min. per modũ actionis extrinſecæ, conc. Min. & diſt. Conſ. ergo ſemper exiſtere convenit per accidens Angelo, id eſt, media actione, quæ ſic produxit Angelum, quod potuit non producere illum, conc. Conſ. per accidens, id eſt, per aliquam formam intrinſecam accidentalem mediã inter Angelum, & eius perpetuum exiſtere, nego Conſ. Itaque, exiſtentia immediate cõiungitur cũ forma Angelica, ſed ad hanc immediatam coniunctionem requiritur prius, quod Angelus producatur: cum enim Angelus ſit ens neceſſarium, cauſatum tamẽ libere à Deo, neceſsitas ad ſemper eſſendum non poteſt ei convenire, niſi interveniat actio productiva eius, quod

Digitized by Google

tantum tollit eius neceſſitatem ex vi terminorũ, non tamen phyſicam neceſſitatẽ.

Ad tertiam diſt. Antec. eadem prorſus maneret natura, quoad prædicata convenientia ei per ſe perſeitate logica, conc. Ant. quoad prædicata convenientia ei perſeitate tantum phyſica, nego Antec. & diſt. Conſeq. ipſum exiſtere non habet convenire ei per ſe, perſeitate logica, conc. Conſ. phyſica tantũ perſeitate, nego Conſeq. Itaque, prædicata, quæ ex vi terminorum habent convenire naturæ, ſemper ei conveniunt, & de iſtis dicimus, convenire ei per ſe perſeitate logica, prædicata vero, quæ conveniunt ei per ſe ſupponendo creationem eius, quæ dicimus per ſe perſeitate phyſica, non oportet, quod pro omni ſtatu naturæ conveniant, & ſic, ſi natura Angelica, poſtquam creata eſt, deſtrueretur, retineret per ſe logica prædicata, non per ſe phyſica: vnde non retineret debitum exiſtendi pro ſemper, quia per ſe phyſicum tantum eſt.

Sed contra inſtabis, nam ſi ſemel admittitur, quod alicui naturæ poteſt convenire per ſe aliquod prædicatum perſeitate phyſica, & non logica, etiam poterit admitti, quod eſſentia poſsit identificari cũ ſua exiſtentia identitate phyſica, & non logica, id eſt, identitate, quæ, vt talis ſit, expectet rei phyſicam productionem; Conſ. autem in Schola D. Thom. admitti non valet: ergo nec primum debet admitti. Conſ. eſt bona, Min. certa, nam Ieſuitæ hoc ſolũ ponunt, videlicet, quod eſſentia identificetur cum exiſtentia non ex vi terminorum, ſed poſtquã producta extra cauſas eſt, quod eſt identificari eſſentiam, & exiſtentiam non identitate logica, & ex vi terminorum, ſed ſolum phyſica, vtpote ſupponens actionem extrinſecam agentis rei productivam; & tamen ſic philoſophantes impugnantur à Thomiſtis dicentibus, quod ſi eſſentia, & exiſtentia eſſent idem ſemper eſſent idem, & eſſentia ſemper exiſteret: ergo in via Thomiſtica, hæc doctrina nequit admitti. Sequela autem Maioris prob. a paritate, nam inter eſſentiam, & exiſtentiam poteſt dari perſeitas phyſica, ſed non logica: ergo ſimiliter inter eſſentiam, & exiſtentiam poterit dari identitas phyſica, eſto non identitas logica.

Ad hoc, nego Mai. ad prob. nego Conſ. & aſsigno diſcrimen, nam perſeitas phyſica Angeli cum ſuo exiſtere non eſt prædicatũ repugnans creaturæ: ſiquidem tantũ eſt carere potentia naturali ad non eſſe, cum nõ repugnantia tamen ad amiſsionẽ ſui eſſe, ſi Deus vt ſupremus Dominus voluerit deſtruere illud, & ſic dicimus, hoc competere Angelo; at Angelum eſſe ſuam exiſtentiã eſt Angelum eſſe Deum, quia ſolus Deus ſua vltima actualitas in linea entis eſt, & ſic eſt prædicatũ, quod creaturę nulla ſuppoſitione facta valet convenire. Itaque, ſicut non damus, nec dare poſſumus duas Deitates veras, aliam ex vi terminorum, & aliam aliqua ſuppoſitione facta, ſic nequimus dare, quod aliquid ſit ſua exiſtentia ex vi terminorũ, & aliquid, quod ſit ſua exiſtentia ſolũ ex ſuppoſitione, ſic, quod primũ dicamus Deum, & ſecundum creaturam; nam hoc ipſo, quod aliquid ſua vltima actualitas in linea eſſendi eſt, hoc ipſo, debet omni potentialitate carere, & actum purũ eſſe, & Deum eſſe.

Ad vltimam prob. argumenti principalis dico, quod de primo exiſtere formæ Angelicæ poſſumus loqui dupliciter. Primo, per comparationem cum cauſa activa liberè producente illud, & iſto modo, videtur eſſe ens liberum, id eſt, libere à Deo effectum; alio modo in ſe ratione connexionis ſuorum prædicatorum: & quia, prout ſic, cum primò connectitur cũ Angelo, neceſſario connectitur cum illo; non habet locum illa diſtinctio, videlicet, quod primo ſit accidens cõmune, & deinde ſucceſſu temporis fiat prædicatum per ſe; non enim hoc verum habet, nam primum eſſe Angeli eſt primum eſſe entis neceſſarij neceſsitate phyſica, non logica, & ex vi terminorum, aut cum repugnantia ad non eſſe; ſed phyſica, id eſt, cum carentia potentiæ phyſicæ ad non eſſe naturaliter, & non repugnantia ad ſui deſtructionem à Deo ſupremo Domino ſupra curſum rerum operante poſsibilem.

725 Sexto arguitur, ex hoc quod natura Angelica, poſtquã creata eſt, exigat pro ſemper exiſtere, non ſequitur, quod de lege ordinaria inſeparabilis ſit à ſua exiſtẽtia: ergo nec ſequitur, quod de lege ordinaria non poſsit deſtrui. Prob. Ant. habitus ex natura, & eſſentia ſua ſemper exigit difficile moveri à ſubiecto; & tamen ex hoc non ſequitur, quod inſeparabiliter coniungatur cum ſua difficili mobilitate, cum videamus plures habitus facile mobiles a ſuis ſubiectis: ergo. Theologia etiã noſtra ex natura ſua exigit habere evidentiam, & claritatem ſuarum concluſionum; & tamen in no-

nobis viatoribus cum illa non coniungitur: ergo ex hoc quod Angelus, ſuppoſita eius creatione, exigat ſemper exiſtere, non ſequitur, quod inſeparabiliter coniungatur cum ſua exiſtentia, ſic, quod de lege ordinaria non poſsit deſtrui.

Ad hoc, nego Ant. ad prob. conceſsis præmiſsis, nego Conſeq. & aſsigno diſparitatē, nam habitus habet contrariū, quod multoties obſtat habitui, ne cū ſua difficili mobilitate coniungatur, & ſic, quamtumvis exigat difficile moveri à ſubiecto, non tamen ſemper aſſequitur ſuam difficilē mobilitatē. Si autē inquiras de hoc contrario, quale ſit? aſſero eſſe indiſpoſitionē ſubiecti, quam multoties cauſæ habitus vincere nō poſſunt, & ſic habitus non firmatur in ſuo ſubiecto: vnde facile poteſt amoveri ab illo. Theologia noſtra etiā pro hoc ſtatu viæ habet contrariū, quod ſemper obſtat, ne cum claritate, & evidentia ſuarū concluſionū coniungatur. Contrariū, ſi inquiris, quale ſit? Reſpondeo, eſſe obſcuritatē præmiſſarū, ex quibus, dum eſt in via, ſuas concluſiones infert, cum hic non poſsimus concluſionem Theologicā inferre, niſi ſaltim vna præmiſſa de fide ſit. Angelus autem non habet contrariū à quo poſsit impediri, ne cum ſua exiſtentia coniungatur, & ſic inſeparabiliter cum illa coniungitur. Quod ex eo demonſtratur, quia vel illud eſſet extrinſecum, vel intrinſecum; neutrum horum: ergo: non intrinſecū, quia caret materia, quæ cum appetit habere aliam formā, quia prima non ſatiatur, cum ſimul duas habere non poſsit, inclinat ad nō eſſe primæ, & ſic naturaliter obſtat, ne forma primo habita cum ſua exiſtentia pro ſemper coniungatur: non habet etiā contrariū extrinſecū, quia nullū agens creatum Angelum deſtruere valet, vel impedire, ne cum ſuo eſſe coniungatur: vnde diximus in principio præcedentis §. quod apud omnes eſſe certū, Angelos eſſe ex natura ſua indeſtruibiles reſpective ad agentia creata.

Et ſi dicas, Deum poſſe obſtare, ne Angelus cum ſua exiſtentia coniungatur. Reſpond. quod quando res aliqua non habet aliquod contrariū creatum obſtans, Deus de lege ordinaria nunquā ponit obſtaculū, ne acquirat id, quod naturaliter habere exigit. Doctrina eſt D. Thom. infra quæſt. 104. art. 4. ad 2. propoſuerat ibi D. Thom. ſecundum argumentum ad probandū, quod aliquid ad nihilum redigatur, ſub hac forma, *omnis creatura habet potentiam finitam; ſed nulla potentia finita, ſe extendit ad infinitam: ergo nulla creatura poteſt durare in infinitum, & ita quandoque in nihilum redigetur.* Ad quod argumentum ſic reſpondet: *Dicendum, quod potentia creaturæ ad eſſendum eſt receptiva tantum, ſed potentia activa eſt ipſius Dei, à quo eſt influxus eſſendi, determinatur tamen quibuſdam rebus virtus ad manendum tempore determinato in quantum impediri poſſunt, ne percipiant influxum eſſendi, qui eſt ab eo ex aliquo contrariè agente, cui finita virtus non poteſt tempore infinito, ſed ſolum tempore determinato: & ideo ea, quæ non habent contrarium, quamvis habeant virtutem finitam, perſeverant in æternum.* Quibus D. Thom. legem Dei ordinariam, ſecundum quam rebus creatis ponitur durationis taxa, nobis declarat, dicens: *Quod rebus habentibus contrarium impediens eas à receptione divini influxus, Deus determinat tempus durationis limitatum, & finitum: rebus autem carentibus contrario, quamvis virtutem finitam habeant, dat durare in ſempiternum.* Sic Div. Thom. cum ergo Angelus nullum contrarium creatum habeat obſtans ſuæ permanentiæ in eſſe, Deus de lege ordinaria nequit Angelum deſtruere.

QVÆSTIO IV.

De comparatione Angelorum ad corpora.

726 POSSVMVS Imaginari Angelos comparari ad corpora ſibi naturaliter vnita, ſicut forma vnitur materiæ, de quo iam ſupra diximus, Angelos non eſſe formas informantes corpora, ſicut ſunt animæ rationales. Tum, quia ſunt ſubſtantiæ ſpirituales completæ, quibus repugnat in linea entis eſſe aliorū formas. Tum, quia forma vnitur naturaliter corpori, quia ab ipſo depēdet in aliqua ſui operatione; operationes autem Angelorū, cum tantum ſint intelligere, & velle, nullo modo depēdent à materia, vel illa indigent vt exerceātur; & ſic, Angeli ex dependentia, quā habent in operādo à corpore, nequit dici, quod ſit forma naturaliter vnita corpori, quia ab illo in operando nullo modo depēdet. Poteſt etiā Angelus vniri corpori, vt motor moto,

Digitized by Google

quod accidit, quia in illo vult eſſe tanquã locatum in loco, vel quia vult per proprietates corporis moti ipſe Angelus repræſentari; quod quidem fit dupliciter: vel formãdo tale corpus ad hunc effectũ, vel movẽdo aliquod verũ corpus exercendo in illo aliquid, vt cuius Angelus repręſentetur, circa quæ aliqua nobis examinanda ſunt: alia iam vt diſcuſſa reticenda.

§. I.

Vtrùm Angeli poſsint aſſumere ſibi in vnitatem perſonæ aliquam naturam corpoream?

727 QVI Tenent cum Patre Suarez poſſe naturam creatã ſubſiſtere per alienam ſubſiſtentiam, etiam creatam, affirmative reſpondebunt ad hoc quæſitum, niſi forte dicant ſubſiſtentiam alienam creatam non poſſe ſimul reddere ſubſiſtentes duas naturas; alteram propriam, & alteram extraneam: poſſe tamen diviſive, id eſt, modo vnam, modo prima relicta, aliam. Sed nos, qui cum Thomiſtis tenemus, non poſſe aliquam naturam creatam ſubſiſtere per extraneam creatam ſubſiſtentiam, ad quæſitum negative tenebimur reſpondere. Dicimus ergò, non poſſe Angelos ſibi aſſumere corpus in vnitatem perſonæ.

Concluſio ſtatuitur contra Tertullianũ in libro de carne Chriſti, qui credebat Angelos aſſumere naturã corpoream, ſicut Filius Dei aſſumpſit humanitatẽ vnione hypoſtatica. De qua opinione merito dicit Bañez, quod eſt irrationalis, quia quod vnicũ ſuppoſitũ duas naturas terminet, eſto non repugnare dicatur, magnũ tamen miraculũ erit, & ſic non eſt credendum paſsim fieri, ſicut legimus factũ in veteri teſtamento. Tum etiã, quia corpora, in quibus apparebant Angeli, erant ſolæ figuræ naturæ humanæ, & ſic, ſi illa vnio erat vere hypoſtatica, ſequitur, quod Angeli vel fiebant homines, vel erant monſtra aliam naturã aſſumentes in figura humana. Nec ita mirabilis apparuiſſet incarnatio Verbi Angelis, ſi experti fuiſſent in ſe ipſis hypoſtaticam vnionem humanæ naturæ.

Sed contra Suarez & alios noſtra Concluſio Prob. nam ad hoc requirebatur, quod vna Angeli ſubſiſtentia ſimul terminaret duas naturas, nempe Angelicam, & corpoream; at hoc fieri nequit: ergo. Conſ. eſt bona, Mai. certa, & Min. Prob. nihil valet terminare extraneam naturã, niſi in quantum præcontinet eminenter ſubſiſtentiã extraneæ naturæ; ſed Angelus non præcontinet eminenter ſubſiſtentiam naturæ corporeæ: igitur nequit illam terminare. Mai. patet, ex eo enim ſubſiſtentia Verbi Divini potuit hypoſtatice vniri naturæ humanæ, quia eminenter præcontinebat ſubſiſtentiã eius: etenim cũ ſubſiſtentia oriatur ex principiis naturæ, cuius eſt ſubſiſtentia, adæquatur cũ ſubſiſtentia propria, ſicut eſſentia cum ſui proprietate: ergo nihil, quod eminenter nõ præcontinebit propriam ſubſiſtentiã alicuius naturæ, poterit eſſe ſubſiſtentia eius. Et Min. Prob. nam natura Angelica non continet naturam corpoream, quamvis ſit illa ſuperior: ergo neque præcontinebit eminenter eius ſubſiſtentiam. Secundo Prob. illa Min. nulla creatura in linea entis poteſt præcontinere aliam ſecundum rationẽ ſibi peculiarẽ; etenim vnumquodque ens creatum eſt finitũ, & limitatum ad terminos propriæ entitatis, ſic, quod non poſsit vlla via exire illos: ergo cũ ſubſiſtẽtia Angelica ſit finita, & limitata in linea entis, nõ poterit eſſe, nec formaliter, nec eminenter ſubſiſtentia rei corporeæ, & ſic non poterit naturam corpoream terminare.

728 Secundo prob. Concluſio. Nam ſi Angelus poſſet ſibi vniri in perſona naturam corpoream, poſſet plures, imò & infinitas, ſi eſſent, ſibi vnire; at hoc non eſt dicendũ: ergo. Prob. Mai. illo cõmuni axiomate, vbi non obſtat pluralitas, non obſtat infinitas; ſed non eſſet obſtans ad aſſumendum plures naturas ipſa pluralitas naturarũ: ergo neque eſſet obſtans ad aſſumendũ infinitas ipſa infinitas earum. Explicatur hoc, vt ſubſiſtentia Angeli terminaret naturam corpoream non oporteret, quod eminenter præcontineret naturam corpoream, neque quod eminenter eſſet ſubſiſtentia naturæ corporeæ: ergo vt terminaret infinitas, non eſſet neceſſe, quod præcontineret illas, neque earum ſubſiſtentias: ergo ea ratione, qua poſſet terminare duas naturas, poſſet terminare infinitas, ſi eſſent infinitæ.

Sed inſtabis contra dicta. Etenim pręcontinentia eminentialis ſubſiſtẽtia naturę corporeæ ſolum requiritur ad hoc, vt Angelus terminans illam, det illi ſubſiſtentiã propriam, non autem requiritur, vt det illi ſubſiſtentiam alienam: ergo ex non præcontinentia ſubſiſtentiæ naturæ corporeæ in

Digitized by Google

in ſubſiſtentia Angelica, ſolum ſequeretur, naturam corpoream non ſubſiſtere per ſubſiſtentiam propriam, ſive formaliter, ſive eminenter; non vero ſequeretur non ſubſiſtere per ſubſiſtentiam alienam. Ad hoc dico, quod nihil poteſt ſubſiſtere per alienam ſubſiſtentiam, niſi in quantum hæc præcontinet propriam: cuius iam dedimus rationem, quia videlicet ſubſiſtentia alicuius naturæ oritur adęquate ex principijs eius: habet enim quælibet natura ſubſtantialis ſe ipſam radicaliter terminare, & ſic, quod debet eſſe terminus per modum ſubſiſtentiæ alicuius naturæ, requirit indiſpenſabiliter eſſe aliquid illius naturæ, ſive formaliter, ſive eminenter: vnde ſubſiſtentia aliena formaliter, ſi tamen non ſit propria eminenter, non poterit eſſe ſubſiſtentia alienæ naturæ.

729 Inſtabis ſecundo, non repugnat quod aliquid creatū ordinis ſuperioris præcontineat eminenter differentiam peculiarem alicuius entis ordinis inferioris: ergo cum Angelus ſit ordinis ſuperioris ad corpora, non repugnabit, quod eminenter præcontineat peculiarem differentiā ſubſiſtentiæ naturæ corporeæ. Prob. Antec. opinio eſt plurium Thomiſtarū, quod poteſt dari aliqua æternitas participata, quæ præcontineat differentias omnis temporis à parte poſt, ſic, quod ſit aliquod nunc actu, & ſimul præcontinens plura tempora futura, qua æternitate participata, dicit præfata opinio, quod viſiones beatæ menſurantur: igitur non repugnat in linea entis, quod aliquid creatum præcontineat differentiam alterius creati; ſi ſuperioris ordinis illo ſit.

Ad hoc diſt. Antec. ſuperioris intra ordinem naturæ, nego Ant. ſuperioris ſuperioritate ordinis ſupernaturalis ad naturalem, tranſ. Ant. & nego Conſeq. quia Angeli ſunt ordinis naturæ, ſicut & corpora; vnde admiſſo quod aliquid ordinis ſupernaturalis poſſit eminenter præcontinere differentiam alicuius entis naturalis, non ſequitur, quod ſubſiſtentia Angelica poſſit præcontinere eminenter ſubſiſtentiā naturæ corporeæ. Itaque poteſt cōtingere, quod aliquæ ſint differentiæ ordinis naturalis ob ſui limitationem, quę tamen non ſunt differentiæ entis ſupernaturalis ob ſui excellētiam; & ſic, qui tenent illam opinionē de æternitate participata philoſophātur dicētes; quod durationes ordinis naturalis non poſſunt præcontinere differentias tēporis, quod videmus etiā in ęvis Angelorū, quæ non coexiſtunt rebus antequā in tempore exiſtant: cæterum æternitas participata eſt participatio formalis æternitatis divinæ, inadæquata tamen: vnde ſicut æternitas divina eſt tota ſimul, & perfecta duratio, omnia tempora ſimul præcontinens, & ſimul omnibus coexiſtens; ita æternitas creata, quæ huius participatio ſupernaturalis, & formalis eſt, habet aliquibus partibus tēporis futuris ſimul coexiſtere, quia differentię temporis, quod ſucceſsivū eſt, non ſunt differentiæ æternitatis, quæ menſura ordinis ſupernaturalis eſt: Angelus autē eſt quædā natura ordinis naturalis, & ſic nequit non dividi per differentias entiū naturaliū; vnde nullus Angelus etiā ſupremus adhuc eminenter habet præcontinere infimū ens naturale, quale eſt formica.

§. II.

Vtrùm Angeli aſſumant corpora, ſit, quod per ipſa repræſententur?

730 QVIDAM Ex antiquis dixerunt, Angelos nunquā corpora aſſumere, ſed omnia, quæ in Scripturis divinis dicuntur de apparitionibus Angelorū contigiſſe in viſione prophetiæ, hoc eſt, ſecundū puram Imagitionē. Hanc opinionem tenuit Rabi Moyſes, vt refert D. Th. de potētia q. 6. art. 7. quam opinionem idem D. Th. errorem dicit, in 2. diſt. 8. q. 1. art. 2. & hic. q. 51. art. 2. de illa dicit: *Quod repugnat intētioni S. Scripturæ, nam quod imaginaria viſione videtur, eſt in ſola imaginatione videntis: vnde non videtur indifferenter ab omnibus: Scriptura autem divina ſic introducit aliquando Angelos apparētes, vt communiter ab omnibus viderentur, ſicut Angeli apparentes Abrahæ, viſi ſunt ab eo, & tota familia eius; & à Loth, & à civibus Sodomorum: ſimiliter Angelus, qui apparuit Tobiæ ab omnibus videbatur; ex quo manifeſtū fit, huiuſmodi contigiſſe ſecundum corpoream viſionem, qua videtur id, quod poſitum eſt extra videntem, & ſic ab omnibus videri poteſt: tali autē viſione non videtur niſi corpus, cum igitur Angeli neque ſint corpora, neque habeāt corpora ſibi naturaliter vnita, relinquitur, quod interdum corpora aſſumant.*

Hanc ſuam doctrinam hæreditavit Angelicus Doctor ex Patribus antiquioribus Eccleſiæ. Nā Auguſt. lib. 15. de civit. c. 23. habet: *Angelos apparuiſſe hominibus in talibus corporibus, vt non ſolum videri, verum etiam*

tangi poſſent eadem veriſsima teſtatur ſcriptura. Idem tenet Greg. hom. 34. in Evang. & lib. 28. Moral. c. 2. ibi: *Abraham non ſolum tres viros videre potuit, ſed etiã hoſpitio ſuſcipere, niſi enim Angeli ad tẽpus ex aere corpora aſſumerent, & exterioribus noſtris profectò obtutibus nõ apparerent, nec cibus cũ Abrahamo caperent, niſi propter nos ſolidũ aliquod ex cœleſti elemẽto geſtarent*. Ita etiã tenet de Angelis Athanaſius ſerm. 4. contra Arrianos, explicans illud ad Hebræos 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus*, ait, *quin & ipſe Angelus viſus, conſpectuſque ſe mitti à Dño confitetur, quemadmodum & apud Zachariam, & apud B. Virginẽ confeſſus eſt Gabriel, & qui Angelũ viderat, noverat, qui viderat, eum Angelũ eſſe, intellexit, & non Deũ, nam & Zacharias Angelũ vidit*. Ita tenet Ber. in Cant. ſerm. 5. vbi de Angelis ait: *Hinc eſt quod viſi ſunt Patribus, & ad eos intraverunt, & manducaverunt, & pedes laverunt*. Idem tenet Iſidorus lib. 2. de ſummo bono, cap. 10. ibi: *Angeli, corpora, in quibus hominibus apparent, de ſupremo aere ſumunt, ſolidamque ſpeciem de cœleſti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifeſtius deteguntur*.

Sed dices, nullam adeſſe repugnantiam in eo, quod illę appariṫiones fuerint ſolum in imaginatione videntiũ, nam quod à pluribus ſint viſi, tantum inferre poteſt, quod immutaverint imaginationem ſolam multorum, in quo non eſt maior repugnantia, quam in eo quod imaginatio vnius immutetur; ſic enim Angelus poteſt immutare imaginationẽ pluriũ, ſicut & vnius ſolius. Sed contra eſt, nam licet in hoc non ſit repugnantia, tamen quod ſic factum ſit, nulla eſt congruentia; cum enim Angeli poſsint formare corpora ſolida, & illa poſsint movere vniendo ſe illis, vt motores motis, & ſic de facili videri ab omnibus, vt quid debemus dicere, quod quoties Angeli apparuerunt, illæ apparitiones fuerint in ſola imaginatione? Pręterquamquod non ſolum legitur, quod ſint viſi, ſed etiam quod vere manibus hominum ſint attacti, vt ipſamet ſcriptura teſtatur. Sunt inſuper congruentię optimæ ad hoc, vt aſſumant corpora. Prima, quia licet nõ indigeant Angeli corpore aſſumpto propter ſe ipſos, indigent tamẽ propter nos, vt familiariter cum hominibus converſando demonſtrent intelligibilẽ ſocietatem quam homines expectant cum eis habendam in futura vita. Secunda, quia hoc etiam quod Angeli aſſumpſerunt corpora, in veteri teſtamento fuit quoddã figurale indiciũ, quod Verbum Dei aſſumpturum eſſet corpus humanum; omnes enim apparitiones veteris teſtamenti ad illam apparitionem ordinatæ fuerunt, qua Filius Dei apparuit in carne: cum ergo pro hac veritate adſint manifeſtæ Scripturæ, adſint inſuper S. Patres, & adſint congruentię ſine repugnantia ad oppoſitũ, fatendum abſque dubio erit, Angelos aſſumere vere corpora.

§. III.

Quid requiratur ad hoc vt Angelus corpus aſſumat?

731 AD Hoc quęſitum reſpondeo. Primo requiri, vt corpus aſſumptum vniatur Angelo, ita D. Thom. hic ad 2. & ratio huius eſt, quia aſſumere dicitur quaſi ad ſe ſumere. Requiritur ſecũdo, quod ei vniatur tanquã motori: neque enim ei vniri tanquã formę poteſt, nam cũ Angelus ſit natura completa intellectualis, nequit corpori vniri tanquã forma, vnde inquit D. Th. q. 6. de potentia, art. 7. ad 4. *Non eſt in poteſtate Angeli, quod ſe vniat corpori ſecundum eſſe vt forma*. Tertio requiritur quod vniatur vt motor moto repræſentatus per ipſum, quod docet D. Th. in 2. diſt. 8. q. 1. art. 2. ibi: *tunc Angelus corpus aſſumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format, vt appareant in eo aliquæ proprietates viſibiles inviſibilibus proprietatibus eius congruentes*, & de pot. q. citata, art. 7. ad 1. *Tunc Angelus corpus aſſumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format, quod ad repræſentationem ſuam eſt aptũ*. Vnde ad 4. reſpondens, colligit Angelum non aſſumere quodcumque corpus, circa quod operatur, nam inquit: *Ad aſſumptionem corporis non ſufficit motus, ſed oportet, quod ſit formatio, vt dictum eſt*. Et art. 3. ait: *Corpus aſſumptum ab Angelo non habet unitatẽ illius naturæ, quam oſtendit: unde & ſi aliquando Angelus bonus, vel malus moveat corpus alicuius veri animalis, non dicitur propriè illud aſſumere: ſicut non dicitur Angelus aſſumpſiſſe linguam aſinæ, per quam loquutus eſt ad Balaam, nec Dæmon corpus hominis, quẽ vexat: cuius ratio eſt, quia proprietates, quæ ſecundum veritatẽ ſunt in aliquo corpore ducunt in cognitionem principiorum ſubiecti, & non actu in cognitionem ſubſtantiæ ſpiritualis, quæ ductio eſt finis viſibilium formationum ſecundum Dionyſium: Vnde quantum ad finem apparitionis oportet, vt ſint illæ proprietates ſecundum ſimilitudinem tantum, vt non in-*

Digitized by Google

intelligatur illis ſub eſſe aliqua res niſi Angelus, vt quaſi corpus Angeli eſſe videatur, & proprietates eius ſint proprietates Angeli.

Vltra iſtas tres conditiones requiruntur aliæ tres. Prima, quod ſint diffinitive in corpore aſſumpto, hoc eſt, quod ita ſint ibi, quod non alibi, quamvis ibi, & alibi tanquã in locis inadæquatis eſſe poſsint, vt dicit D. Thom. hic artic. ſeq. ad 3. vbi de Angelis aſſumentibus corpora dicit: *Moventur tamen Angeli per accidens motis huiuſmodi corporibus, cum ſint in eis ſicut motores in mobilibus, & ita ſunt hic, quod non alibi.* Deinde, corpus quod aſſumunt, licet verum corpus ſit, non tamen habet veritatem illius naturæ, quam oſtendit. Deinde, corpus, quod aſſumunt, ipſimet Angeli formant, cum tamen poſsint corpus iam formatum aſſumere, vt nubem, ignem, & alia huiuſmodi.

732 Eſt tamen hic difficultas, vtrum ſi detur verum animal, cuius proprietates ſint aptæ ad repræſentandum Angelum, poſsit Angelus illud aſſumere? & pro parte negativa adeſt ratio dubitandi, nam dictum eſt, quod licet corpus aſſumptum ſit verum corpus, non tamen debet habere veritatem illius naturæ, quam repræſentat, vt ſi appareat leo non debet eſſe verus leo, & ſi appareat homo, non debet eſſe verus homo, quia ſi eſſet verus leo, tunc proprietates viſibiles eius manuducerent in cognitionem ſubſtantiæ veri leonis, & ſic eſt neceſſe, quod ſit ſola figura leonis, & non verus leo, ſed Angelus repræſentatur per corpus aſſumptum; ſed nullum verum animal, quamvis eius proprietates poſsint repræſentare Angelum ob convenientiam Angeli cum ipſis; poteſt eſſe aptum ad repræſentandum ſolum Angelum: ergo videtur, quod non poſsint aſſumere verum animal. Prob. Min. vbi adeſt vera ſubſtantia animalis, proprietates eius viſibiles non poſſunt non repræſentare naturam veri animalis, quæ ſubeſt illis: igitur nullum verum animal poteſt eſſe aptum ad repræſentandum ſolum Angelum. Pro parte affirmativa adeſt doctrina D. Tho. 3. p. q. 39. art. 7. ad 3. vbi docet, per proprietates columbæ veri animalis ſignificari perſonam Spiritus Sancti: igitur poteſt columba verum animal ſignificare Angelum perſonam Spiritus Sancti agentẽ, & ſic, poterit Angelus verũ animal aſſumere.

Ad hoc dico, quod ſicut in Sacra Scriptura non ſolum voces habent ſignificare, ſed etiam ipſemet res ſignificatæ per voces; ita in corporibus ab Angelis aſſumptis non ſolum ipſæ viſibiles proprietates habent ſignificare ſubſtantias inviſibiles, quæ ſunt earum ſubiecta, ſub etiam ipſæmet res factæ viſibiles per ſuas inviſibiles proprietates habent repræſentare immediate ſpiritus inviſibiles Angelorum aſſumentium illas veras res; & ſic contingit in columba vero animali, cuius primus externus aſpectus ducebat in veram columbam, & deinde per veram columbam ducebantur homines in perſonam Spiritus Sancti, vel in Angelum gerentem perſonam eius aſſumentem illam. Vnde ad rationem dubitandi pro parte negativa dico, quod ratio ibi facta concludit, quod regulariter, & vt in plurimum ita contingit, quod corpus aſſumptum ſit verum corpus, non tamen ſit verum animal, ſicut figura indicat; ſed in aliquo caſu etiam poſſe contingere, quod etiam ſit verum animal, quando per proprietates veri animalis poteſt repræſentari Angelus.

§. IV.

Ex qua materia formentur ab Angelo corpora ab eo aſſumpta?

733 TERTVLIANVS In libro de carne Chriſti dixit, quod Angeli ex nihilo aſſumunt ſibi corpora, vel ex corpore cœleſti. Quæ ſentẽtia falſiſsima eſt quoad vtramque partem diſiunctivæ. Quoad primam quidem, nam ſi ex nihilo corpus formarent, crearent vtique corpus, quod aſſumerent; at creare nequeunt Angeli, neque principaliter, neque inſtrumentaliter, vt fuſe oſtendimus in tractatu de creatione: igitur Angeli nequeunt ex nihilo ſibi formare corpus, quod aſſumunt. Quoad ſecundam partem etiam Prob. nam corpus cœleſte eſt ingenerabile, & incorruptibile: igitur ex illo nequeũt ſibi formare Angeli corpora aſſumpta. Verius tamen dicit D. Th. queſt. 6. de potent. art. 7. ad 7. *Magis* (inquit) *competit, quod ex aere corpus aſſumant, qui poteſt inſpiſſari faciliter, & ſic figuram recipere, & retinere, & per alicuius lucidi corporis oppoſitionẽ diverſimodè colorari, ſicut in nubibus patet, vt quantum ad præſens non ſit differentia inter purum aerem, & vaporem ſeu fumum, qui in aeris naturam tendunt.* His videtur ſe opponere Scotus in 2. diſtinct. 8. quæſt. 1. vbi habet,

Digitized by Google

bet, quod corpora aſſumpta fiunt ab aere imperfecte mixto, eo quod ſi ex aere puro fierent, non poſſent habere figuram, neque colorem. Cæterum dum aer (vt inquit D. Thom.) accedit ad humorem terreſtrem abſque ſui corruptione poteſt verus aer cōdenſari, & ſic varios colores, & figuras poteſt accipere.

734 Sed inquiris, qua virtute hoc faciat Angelus? Cui quæſito reſpondet Div. Thom. hic art. 2. ad 3. dicens: *Angeli aſſumunt corpora ex aere condenſando ipſum virtute divina, quantum neceſſe eſt ad corporis aſſumendi formationem.* Quid autem intelligatur per virtutem divinam, quidam intelligunt eam, quam Angeli à Deo acceperunt ſimul cum natura. Et quidem apud D. Thom. videtur certum, Angelum virtute ſibi naturali poſſe formare huiuſmodi corpora. Etenim de potentia, q. 6. art. 7. ad 10. hoc clare videtur docere. Procedebat enim argumentum ſic. *Angeli, & Dæmones virtute ſua natura non poſſunt facere in iſtis corporibus effectus aliquos, niſi mediantibus virtutibus naturalibus; ſed virtutes naturales non inſunt rebus corporalibus ad formandum ſpeciem humani corporis, niſi per determinatum modum generationis, & niſi ex determinato ſemine, qualiter conſtat, quod Angeli corpus non aſſumunt: ergo non poteſt eſſe hoc, per hoc quod Angeli aſſumant corpora.* Ad quod argumentum concedit Mai. quæ de virtute naturali Angeli procedebat, & ad Min. ſic dicit: *Quod licet virtutes naturales corporum non ſufficiant ad inducendum veram ſpeciem humani corporis, niſi per debitum modū generationis, ſufficiunt tamen ad inducendum ſimilitudinem humanorum corporum, quantū ad colorem, & figuram, & ad huiuſmodi accidentia exteriora, & præcipue cum ad plura horum ſufficere videatur motus localis aliquorum corporum, per quem & vapores condenſantur, & rareſiunt, & nubes diverſimode figurantur.* Sic D. Th. ſentit ergo, quod per virtutem naturalem Angeli poſſint formare corpora, quæ aſſumunt.

Et ratio ſuadet, nam multoties Dæmones aſſumunt corpora ad peccandum, & ad tentandum homines; non eſt autem credibile, quod Deus virtutem ſupernaturalem illis concedat ad huiuſmodi corporū formationem: ergo hoc faciunt virtute ſibi naturali. Præterea illa formatio vt in pluſimum fit per motum localem applicando activa paſſivis; ſed quoad motum localem corpora plene ſubduntur virtuti naturali Angeli: ergo hæc ſufficit illis ad horū corporum formationem. Et Confirm. nam vt conſtat ex D. Thom. q. 114. Angeli virtute naturali poſſunt formare vera animalia, ea ſcilicet, quæ ſine ſemine generari poſſunt, vnde (inquit) quod *Magi Pharaonis per virtutem Dæmonum veros ſerpentes, & ranas fecerant*; ſed huiuſmodi corpora aſſumpta non fiunt ex ſemine, neque per generationem: igitur virtute naturali Angelorum poſſunt efformari. Vnde cum hic articul. 3. dicit: *Quod condenſant aerem virtute divina, quantum neceſſe eſt ad corporis aſſumendi formationem*, per ly *virtute divina*, non intelligitur virtus à Deo Authore ſupernaturali eis communicata, ſed dicitur *virtus divina* generaliter, prout dicit donum creationis.

735 Inquiritis etiam de figura corporum aſſumptorum, an ſit in illis vere, & realiter, ita vt non ſolum eis proveniat ab extrinſeco, ſicut à vaſe triangulari provenit, vt aqua, quandiu in eo continetur, habeat triangularem figuram? Reſpondeo quod ſic, nam poſtquam præfata corpora formata ſunt virtute Angeli, poſſunt habere tantam denſitatem, & ſoliditatem, quod poſſint conſervari independenter à motu actuali Angeli, quandiu non fuerint diſſoluta. Inſuper, & colores poſſunt habere, non ſolum apparentes, qui ex varia reflexione luminis proveniant, ſed etiam veros, qui ex quatuor primarū qualitatum commixtione generantur, ſuntque tanquam in ſubiecto in corpore mixto: ſi vero corpora aſſumpta non habeant veritatem illius naturæ, quam oſtendunt, vt communiter contingit, neque etiā habent propriam temperiē illius carnis, ſcilicet oſsis, nervi, & arteriæ. Vnde Chriſtus dicebat Lucæ vltimo; *palpate, & videte, quia ſpiritus* (ſcilicet corpus phantaſticum aſſumptum à ſpiritu Angelico) *carnem, & oſſa non habet.*

736 Ex his infero, quod cum Dæmon poſsidet corpus humanū, non aſſumit illud, quia non vtitur illi, vt per illud repræſentetur, ſed tantum vt illud cruciet, alligando illud, aut quibuſdam paſsionibus illud afficiendo. Infero ſecundò, quod cum Dæmon movet localiter corpus lamiarū, videlicet cū præfatæ mulieres vere aſportantur à Dæmone in diverſa loca, & ſolent illas operire alio corpore, vt ab alijs videantur transformatæ in varias formas, vt ex hiſtorijs fidedignis accidiſſe conſtat. Et

de

Digitized by Google

de Symone Mago legitur in Eccleſiaſticis hiſtorijs aſportatum fuiſſe à Dæmonibus volãdo per aera, & multi circa illud Math. 4. *Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum*, dicunt, Chriſtum permiſiſſe ſe aſportari corporaliter à Dæmone; in his caſibus Dæmon vere aſſumit huiuſmodi corpora, quia tunc illis non vtitur vt motor mobili, vt per illud repræſentetur, ſed vtitur ad alios effectus.

Infero tertio, quod in apparitionibus veteris teſtamẽti, in quibus legitur, Deum apparuiſſe, vel loquutum fuiſſe hominibus; Angelos vere aſſumpſiſſe illa corpora; & non Deum contra Mag. Bañez, qui dicit hic, quod tunc neque Deus, neque Angeli aſſumpſerunt ſibi illa corpora, non Deus quia illa corpora Deus non faciebat ſe ſolo, ſed miniſterio Angelorum; non Angeli, qui non vniebãtur prędictis corporibus, vt repræſentarentur per illos; ſed potius vt Deum repræſentárent; & ſic illa corpora, nec fuere proprie aſſumpta à Deo, neque ab Angelis. Hæc autem ſententia eſt contra D. Thom. nam de potentia quæſt. 6. art. 7. ad 3. loquens de his apparitionibus ait: *Corpora ergo apparẽtia in apparitionibus prædictis Angeli aſſumpſerunt, ſed & Deus eis apparuiſſe dicitur, quia ipſe Deus erat finis, in quem per repræſentationem huiuſmodi corporum, Angeli mentem hominis elevare intendebant, & ideo in illis apparitionibus ſcriptura quandoque commemorat Deum apparuiſſe, quandoque Angelum.* Itaque immediatum repræſentatum per illas apparitiones erant Angeli, ſed non apparebant abſolute, ſed vt perſonam gerentes Dei; vnde aſſumebant corpora apta ad repræſentandum illos vt Dei nuntios, vel vt loquentes in perſona Dei, & ſic, proprie dici poteſt, illos aſſumpſiſſe præfata corpora: vnde falſum eſt quod Bañez dicit; quod Angeli non repræſentabantur per illa corpora; repræſentabantur quidem, ſed non in propria perſona, ſed in perſona Dei. Eſt tamen valde probabile, quod ſpecies illa columbæ, quæ apparuit ſuper Chriſtum, facta eſt immediate à ſolo Deo ad repræſentandum Spiritum Sanctum propter Chriſti dignitatem, ita tenent Bañez. & Soto, & alij eorum aſſeclæ.

§. V.

An Angeli in corporibus aſſumptis poſſint exercere opera vitæ?

737 AD Hoc quæſitũ reſpondet D. Thom. hic, art. 3. ſub hac forma: *Dicendum quod quædam opera viventium habent aliquid commune cum alijs operibus, vt loquutio, quæ eſt opus viventis, convenit cum alijs ſonis inanimatorum, in quantum eſt ſonus, & progreſſio cum alijs motibus, in quantum eſt motus.* Qua diſtinctione præſuppoſita, ſic reſolvit quæſitum: *Quantum enim ad id, quod eſt commune vtriſque operibus poſſunt opera vitæ fieri ab Angelis per corpora aſſumpta; non autem quãtum ad id, quod eſt proprium viventiũ, quia ſecundum philoſophum in libro de ſomno, & vigilia, cuius eſt potentia eius eſt actio. Vnde nihil poteſt habere opus vitæ, quod non habet vitam, quæ eſt potentiale principiũ talis actionis.* Sic D. Thom.

Ex quo diſcurſu plane colligitur, quod Angeli nullum opus vitæ abſolute loquendo in corporibus aſſumptis exercent, eò quod nullam potentiam vitalem in corpore aſſumpto habent, & ſic neque loquutio, neque motus progreſsivus vere, & proprie competit Angelis, ſed quia quarundã actionũ vitaliũ terminus poteſt fieri ſine actione animæ, ac per hoc ſine potentijs animæ; vt verberare aerem, & moveri localiter; ideo talia opera vitæ Angelis attribuuntur per corpora aſſumpta, non ſecundum quod opera vitæ, nec ſecundum quod talia opera vitæ, ſed ſecundum ſimilitudinem effectus; id eſt, attribuuntur eis opera ſimilia illis vitalibus, quoad effectum. Hinc quia loquutio proprie dicta habet pro effectu externo ſonum; qui conſiſtit in ipſa aeris percuſſione, quæ poteſt provenire etiam ab actione non vitali, ponimus loquutionem in Angelis, quoad effectum tantũ; qui intrinſicè non eſt vitalis: & quia motus progreſsivus eſt verus motus localis, qui non eſt intrinſicè vitalis, ponimus in Angelis in corpore aſſumpto motum progreſsivũ, quantum ad rationẽ motus localis de vno loco ad alium: & quia comeſtio habet pro effectu diviſionem cibi, & traiectionẽ eius in ſtomacum, ponimus comeſtionem in Angelis quantum ad iſta duo, quæ non intrinſicè vitalia ſunt, ſed ſolum extrinſeca denominatione ab actione vitali, quæ aliquando fiunt: & quia in generatione habe-

tur

Digitized by Google

tur effectus externus traductionis ſeminis de vno loco in alterum, ponimus generationem quoad iſtum effectum, qui ſolū in motu locali conſiſtit: quia autem intelligere, velle, ſentire, imaginari non habent effectum, qui intrinſicè vitalis non ſit, ideo ſimiles actiones Angelis in aſſumptis corporibus non concedimus. Idemque de nutritione dicimus, quæ habet pro termino ponere alimentū ſuo forma viventis, quod non niſi per vitalem actionem valet fieri. Quæ omnia eleganti diſcurſu tradit D.Th. de potent. q.6. art 8. ibi: *Conſiderandum eſt ergo, quod in operationibus animæ, quædam ſunt, quæ non ſunt ſolum ab anima ſicut à principio ſed etiam terminantur ad animam, & ad corpus animatum, & huiuſmodi actiones Angelis in corporibus aſſumptis attribui non poſſunt, neque ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, neque ſecundum naturalitatem actionis, ſicut ſentire, augere, nutrire, & ſimilia: ſenſus enim eſt ſecundum motum à rebus ad animam; ſimiliter nutrimentum, & augmentum eſt per hoc, quod aliquid generatur, & additur corpori viventi: quædam vero actiones ſunt animæ, quæ quidem ſunt ab anima ſicut à principio, terminantur tamen ad aliquem exteriorē effectum, & ſiquidem talis effectus per ſolam corporis diviſionem, vel motum localem produci poſſit, talis actio attribuitur Angelo per corpus aſſumptum, quantum ad ſimilitudinē ſpeciei in effectu, non tamen erit vere naturalis actio, ſed ſimilitudo actionis, ſicut patet in loquutione, quæ formatur per motum organorū, & aeris, & comeſtione, quæ perficitur per diviſionem cibi, & traiectionem in partes inferiores. Vnde loquutio, quæ attribuitur Angelis, non eſt vere naturalis loquutio, ſed quædam ſimilitudinaria per ſimilitudinem effectus; & ſimiliter dicendum eſt de comeſtione. Vnde Tobiæ 12 dixit Angelus, cum eſſem vobiſcum, videbar vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu vtor.* Sic Div. Thom.

738 Reſtat autem nobis explicare ex quibus capitibus actiones huius ſecūdi generis indiſpenſabiliter vitales ſint, & proprie Angelis in aſſumpto corpore convenire non poſſint. Dico ergo, quod motus progreſſivus proprie fit media virtute, quæ reſidet in tendonibus, media etiam imaginatione, & appetitu, ratione cuius motivum ſecundum locum dicitur ab Ariſtot. lib. 2. de anima, cap. 3. differentia, & gradus quidam peculiaris animæ; cum ergo in corpore aſſumpto vis illa non ſit, nec imaginatio, nec appetitus, motus progreſſivus eſt proprie adaptari non valet. Vnde deambulatio, quæ Angelis attribuitur, non eſt magis motus progreſſivus, quam motus cadaveris, quem homo movet, & ſic, quod deambulare videretur. Spiratio, reſpiratio, & tuſsis, licet non fiant media imaginatione neceſſario, fiunt tamen vi naturæ animalis, quæ reſidet in pulmone, & prout ab illa proveniunt his nominibus nuncupantur: vnde in Angelis eſſe non poſſunt. Riſus fit media imaginatione, & delectatione appetitus à re ludrica, & nova, ex qua provenit motus ſepti tranſverſi, & inde genæ dilatātur, & moventur, quæ omnia nomine riſus deſignantur: quare ſi ſtatua aliqua ita eſſet compoſita, vt haberet talem motum genatum, non diceretur vere ridere, quia illa non haberet ex præfatis cauſis. Quod ipſum dico de fletu: vnde in Angelis eſſe non poteſt. De loquutione, & voce dico, ſubſtantiam illius, & ſoni nō differre eſſentialiter; loquutio tamen, ſeu vox dicitur ſonus à tali cauſa, dicit enim Ariſtot. 2. de anima, cap. 8. vocem eſſe ſonum editū cum imaginatione ab animali, ſic etiam loquutio dicitur ſonus, qui re vera in aere editus eſt ab homine cum imaginatione ad ſignificādum, vnde bruta animalia dicuntur edere voces, ſed nō dicuntur loqui: vnde nec Angelus edere voces, nec proprie loqui poteſt in aſſumpto corpore. De comeſtione dico, eſſe motum conterentem cibum, & traiicientem in ſtomachum factum ab animali, quare dum Angeli in aſſumptis corporibus, eſto cibum conterant, non tamen propriè dicuntur comedere, quia talis contritio non eſt ab animali, nec eſt ſumptio cibi cōvertibilis in ſubſtantiam comedentis. Et quamvis in corpus Chriſti poſt reſurrectionem cibus non converteretur, ſed reſolveretur in præiacentem materiam; tamen Chriſtus habebat corpus talis naturæ, in quod poſſet cibus converti, & ſic comeſtio Chriſti fuit vera comeſtio: in Angelis neque convertebatur in corpus aſſumptum, neque illud talis erat naturæ, in quod poſſet alimentum converti: vnde non fuit in eis vera comeſtio, ſed ſolum figurativa ſpiritualis comeſtionis.

Oppoſitum tamen huius tenet Scotus in 2. diſt. 8. q. vnica, §. *in iſta quæſtione*, vbi affirmat, Angelū in corpore aſſumpto vere poſſe comedere. Putat enim de ratione veræ comeſtionis ſolum eſſe, vt aliquis motu locali dividat cibum in vna parte, & in

aliam

Digitized by Google

aliam traijciat, in quo cum Scoto ſentiunt Alexāder p.2.q.25.membro 2.& Gabriel. diſt.8.citata,q.1.art.3.dubit.2. Cæterum audiendi non ſunt, quia Raphael Tobiæ Pędagogus,& cuſtos,cibos ſumebat, dividebat, & in partes traijciebat, nec tamen vere, & proprie comedebat,hoc enim ſonant illa verba, *cum eſſem vobiſcum videbar quidem manducare, & bibere, ſed ego quidem potu inviſibili, & cibo utor.* Quid enim ſibi volunt illa verba, *videbar*, niſi ita apparebam exterius,ac ſi comederem, quia alio cibo ego ſuſtentor? Quomodo enim hæc vere dixiſſet, ſi vere comediſſet? non ergo aſſeverandū eſt Angelos in corporibus aſſumptis vere comedere, & vere bibere.

QVÆSTIO V.

De comparatione Angelorum ad loca.

POST Comparationem Angelorū ad corpora, reſtat agere de Angelis reſpective ad loca, quibus præſentes fiunt præſentia locabilitatis.

§. I.

Vtrùm eſſe in loco proprie conveniat Angelo?

729 SVPPONIT Quæſitum Angelos eſſe in loco contra quoſdā philoſophos antiquos, qui dicebant Angelos,ſeu Intelligentias non eſſe in loco,quia non operantur immediate circa aliquod corpus. De qua opinione dicit D.Thom. in primo diſt.37. quæſt.3.art.1. *Hæc opinio hæretica eſt, quia ſecundum fidem noſtram ponimus Angelos circa nos immediate operari,vt patet ex illo Act.12.v.7. Math.28.v.2.Daniel.3.v.49. & 2. Paralipomenon,c.32.v.31, In quibus habetur expreſſe multa Angelos operatos fuiſſe circa nos: Vnde quatenus prædicta opinio hoc negat, videtur manifeſta hæreſis.* In quantum autem negat Angelis præſentiam localem, aliqui opinātur illam eſſe parū tutam in fide; alij errori proximā, à quibus abſtineo, dum alia maioris ponderis vocant nos.

Hoc ſuppoſito circa huiuſmodi quæſitum, noſter Serra hic,art.2.dub.2. docet Angelum non eſſe proprie in loco,ſed tantum ſecundum quid, quia ad eſſendum in loco proprie non ſufficit ſubſtantiā Angeli habere realem præſentiam ad locum; nam hanc Deus habet in omnibus locis; & tamen (inquit) Deus non dicitur proprie eſſe loco. Hanc ſententiam ſequitur Pater Esparça hic,q.ſua 9.art.2. tenent etiam illam Salmanticenſes hic, tom. 3. diſp.2. dub.1. §.2. & Gonet hic,diſp.4.§.VII. Secunda ſententia tenet, Angelū ſimpliciter & proprie eſſe in loco. Ita tenent Bañez hic, q.52.art.1.dub.2.concluſione 3.Nazarius hic, Suarez lib.4.de Angelis,& alij plures, & eam probabiliter defendit noſter illuſtriſsimus Dominicus à Marinis hic, art.1, cap.1. Et quia hæc ſententia bene intellecta videtur magis conſona locis Scripturæ,& dictis D.Thom. ideo ſit noſtra Concluſio.

730 Dico ergo. Angeli ſimpliciter, & proprie ſunt in loco.Prob. primo ex D.Thom.hic,art.1.vbi ponit hanc concluſionem: *Dicendum, quod Angelo convenit eſſe in loco, æquivoce tamen dicitur Angelus eſſe in loco, & corpus.* Quod ſi Angelus ſolum ſecundum quid eſſet in loco, & non ſimpliciter proprie, diceret D.Thom.analogice tamen Angelus dicitur eſſe in loco, ac corpus: quando enim aliqua ratio ſignificata per nomen ſimpliciter convenit vni, & alteri convenit ſecundum quid tantum, non dicitur æquivoce convenire illis, vel dici de illis.Etenim quia nomē *canis* æquivoce dicitur de piſce, de ſydere, & de animali terreſtri, non poſſumus dicere, ſydus eſſe canem ſecundum quid,vel piſcem, & animal terreſtre eſſe ſimpliciter canem,ſed vnumquodque eſſe canem ſimpliciter ſecundum diverſas tamen rationes, & non cōvenire in vna ratione ſignificata per vocem: ſic ergo,dum dicit D.Thom. eſſe in loco æquivoce dici de Angelo,& corpore, non poſſumus affirmare, quod Angelus ſolum ſecundum quid ſit in loco, & corpus ſimpliciter,ſed aſſeverandū erit,quod proprie corpus,& Angelus ſint in loco,non tamen ſecundum vnam rationē. Pono exēplum, hæc vox *inſenſibile* dicitur æquivoce de lapide,& de Angelo; & tamen Angelus eſt proprie inſenſibilis, & lapis eſt proprie inſenſibilis, ſed alia,& alia inſenſibilitate; lapis enim dicitur inſenſibilis, quia caret vita ſenſitiva, Angelus autem dicitur inſenſibilis,quia nullo ſenſu valet ſentiri; ita pariter, eſſe in loco æquivoce dicitur de Angelo,& corpore, quia hoc eſt in loco tanquam contentū,menſuratū,& circumſcriptum

tum

Digitized by Google

tum à loco: Angelus autem eſt in loco tanquam continens locum, & vt definitum à loco.

Sed vt hæc veritas appareat adduco D.Thom. in primo diſt.37.q.2.art.1. ibi: *Dicendum eſt ergo, quod ſi eſſe in loco ſumatur ſecundum quod corpus in loco eſſe dicitur, ſic non convenit Deo eſſe ubique, niſi metaphoricè, quia implet locum ſicut corpus locatum; non quidem diſtantia dimenſionum, ſed cauſalitate effectuum. Si autem accipiatur eſſe in loco per modum, quo ſubſtantia ſpiritualis in aliquo eſſe dicitur, ſic propriiſſimè Deo eſſe in loco convenit, & ubique, & non quidem vt menſuratus loco, ſed vt dans loco naturam locandi, & continendi.* Quibus verbis pondero, quod ſubſtantia ſpiritualis dupliciter dicitur eſſe in loco. Vno modo ſecundũ eam rationem, ſecundum quam corpus dicitur eſſe in loco, ſcilicet, replendo locũ; & iſto modo ſolum metaphoricè, & valde ſecundum quid dicitur eſſe in loco, quia corpus replet locum ſe ipſo, & ſubſtantia ſpiritualis replet locum effectibus ſuis: alio modo convenit ſubſtantiæ ſpirituali eſſe in loco, non ad modum, quo corpus eſt in loco, ſed ad modum ſibi proprium æquivoce dictum de Angelo, & de corpore; & iſto modo proprie, & propriiſsime convenit ei eſſe in loco.

731 Secundo prob. Concluſio. Nam Scripturæ Sacræ abſolute affirmant Angelos mutare loca, & eſſe in locis: dicitur enim Apocalypſis 20. *Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem ſerpentem antiquũ, qui eſt Diabolus, & ligavit eum per annos mille, & miſsit eum in abyſſum, & clauſit.* Thobiæ 8. *Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Apocalyſ. 12. *Neque locus inventus eſt eorũ amplius in cælo.* Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer?* Lucæ 10. *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Et alibi paſsim ſimiles loqutiones habentur; at loca Sacræ Scripturæ debent accipi ſecundum proprietatem ſermonis, & non metaphorice, quando ſic intelligi non opponitur alijs locis Scripturæ, Patribus, evidenti rationi, vel eſt manifeſtũ inconveniens: ergo cũ affirmare Angelos proprie eſſe in loco, cum nullo iſtorum prædictorum habeat oppoſitionem, aſſeverandum erit, præfata loca ſecundum proprietatem debere intelligi, & ſic Angelos proprie eſſe in loco.

732 Tertio prob. nam, vt ſentiunt Authores oppoſiti, Angeli vere habent præſentiam ad locum, vereque definiuntur à loco, ſicut & corpus vere circumſcribitur à loco: ergo ſicut hoc eſt circumſcriptive in loco, Angeli proprie definitive erunt in loco. Confirm. Angeli vere tangunt locum contactu virtutis, ſicut corpus illud tangit quantitate molis: ergo ſicut corpus vere, & proprie eſt loco circumſcriptive, Angelus proprie erit in loco definitive.

Dicitur ad hoc, ad eſſendum in loco non ſufficere habere præſentiam ad illum, neque contingere illum, ſed vlterius requiri, contineri à loco, & menſurari ab illo. Nam duæ quantitates, dum ſunt in eodem ſitu, vere ſibi mutuo ſunt præſentes, vereque ſe contingunt contactu molis; & tamẽ quia vna non eſt vt contenta ab alia, ſed vtraque ſtat vt contenta a loco, non dicitur, vnam eſſe in alia tanquam in loco: & ſic Angelum contingere corpus, & habere præſentiam ad illud, & definiri ab illo, nõ ſufficiet ad hoc, vt ſit in corpore tanquam in loco.

Sed contra hoc eſt, nam locatum præcontineri à loco non eſt de conceptu locabilitatis vt ſic, ſed eſt ſolum de conceptu locati circumſcriptive, ob quam rationem, dum corpora non ſunt capacia alio genere locabilitatis, etiã ſi mutuo ſe tangant, dum tamen vnum alterũ non circumſcribit præcontinendo illud, non dicitur locare illud: ergo dum nos non ponimus Angelos eſſe in loco circumſcriptive, ſed tantum definitive, & ad hoc non requiritur, quod locus præcontineat locatum; etiam ſi corpus Angelum non præcontineat, dum tamen ab ipſo cõtactu virtutis tangatur, locabit illũ. Prob. Conſeq. quia definiri à loco non requirit locatũ præcontineri à loco: ergo ad eſſendum proprie definitive in loco non requiritur Angelum præcontineri à loco. Mai. autem Prob. ſic, nam ſi de conceptu eſſendi in loco vt ſic eſſet quod locatũ cõtineretur à loco, eſſe in loco non diceretur analogice de corporibus, & Angelis; hoc non eſt admittendum ſaltim ob venerationem Scripturæ: ergo. Prob. Sequela, Angelus nullo modo præcontinetur à loco, ſed potius illum dicitur continere: ergo ſi de conceptu eſſendi in loco vt ſic eſſet præcontineri locatum à loco, ratio eſſendi in loco non diceretur analogice de Angelo, & corpore.

Di-

Dices, ita eſſe, quod ratio eſſendi in loco non dicitur analogice de Angelo, & corpore analogia vnius conceptus, ſed duorum conceptuũ, quæ metaphora tantũ eſt, & conſiſtit in eo, quod ſic ſe habeat Angelus ad ſuum contingere locũ contactu virtutis, ſicut ſe habet corpus ad ſuum contingere loci contactu molis, & ſicut hoc contactu proprio replet locum, à quo continetur, ita Angelus repleat ſuo effectu locũ, quẽ Angelus continet. Sed contra hoc eſt, nam ſi hæc doctrina admittatur, ſequitur inde, quod Angelus non alia proprietate dicatur eſſe in loco, niſi qua pratum floridũ ridere dicitur; Conſeq. non videtur componi cum locis Scripturæ Sacræ adductis, in quibus habetur abſolute, quod Angeli ſint in loco, & moveantur localiter de vno ad alterum locum: ergo. Sequela Maioris patet, nam riſus de homine, & prato florente etiam dicitur analogice analogia duorũ conceptuum, quæ metaphora dicitur: ergo ſi eſſe in loco ſolum dicitur analogice analogia duorum conceptuum, quæ metaphora dicitur, ſequitur, quod non maiori proprietate dicatur Angelum eſſe in loco ea, qua pratum florens ridere dicitur.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

733 PRIMO Arguit Serra authoritate D.Thom. in primo diſt. 37.q.3.art.1.ad 1. vbi ſic habet: *Locus eſt nomen menſuræ, vnde eſſe in loco propriè ſignificatur, vt eſſe in menſura, & ſic nulli rei incorporeæ convenit in loco eſſe vt in loco, ſed tamen alicui rei incorporeæ convenit eſſe in loco, non vt in loco, ſed ſicut operans in operato, vel ſicut forma in materia. Vnde etiam Angelus localis dicitur non niſi ſecundum quid, in quantum, ſcilicet, habet aliquid ſimile rei locali, vt ſcilicet determinetur ad hunc locum potius quam ad illum.* Similiter in 4.diſt.10.q.1.art.3.q.1.ait: *Nihil per ſe, & propriè loquendo eſt in loco vt in loco, niſi quod circumſcribitur.*

Ad hoc dico, D.Thom. loqui de eſſe in loco, prout ly *locus* primo impoſitus eſt ad ſignificandum; ſic enim primo impoſitum eſt nomen *locus* ad ſignificandum menſuram quandam de linea quantitatis: vnde quia illud, quod eſt Angelum definiri à loco, non habet proprietatem menſurati à loco, ſed tantum quandam ſimilitudinem, & metaphoram, ideo Angelus, ſecundũ hanc rationem, tantum ſecundum quid, & ſimilitudinariè dicitur à D.Thom. eſſe in loco. Cæterum, quia Angelo convenit eſſe in loco independenter ab hac ſimilitudine metaphorica, vt iam probavimus ex eodem D.Th. ideo ſine offenſione literæ D. Th. aſſeveramus, Angelum propriè eſſe in loco, non ſecundum quod eſſe in loco analogice dicitur de corpore, & Angelo, ſed ſecundum quod dicitur æquivoce de illis, ſicut D.Thom. dicit hic in art.2.

Ad authoritatem ex 4. dico, quod ſtando in primæva impoſitione nominum, ſolum id dicitur propriè eſſe in loco, quod circumſcribitur; nos autem non ſic dicimus Angelos propriè eſſe in loco, ſed ſecundum quod eſſe in loco iam ex vſu Theologorũ accipitur pro eſſe in loco definitive per contactum virtutis. Et quod doctrina, quã hic tradidimus, ſit ipſa mens D. Th. patet ex ipſo in primo diſt.37.q.4. art.1. ad 4. ibi: *Motus localis ſecundum quod eſt corporum, non convenit Angelo, niſi metaphorice, ſed æquivoce loquendo de motu, convenit ei propriè:* Eodem autem modo debemus philoſophari de eſſe in loco, ac de motu locali: ergo dum iuxta D.Th. motus localis ſub vna ratione dicitur metaphorice motus localis, & ſub alia propriè; ita & dicemus de eſſe in loco, quod ſub vna ratione dicatur metaphorice, & ſub alia propriè, id eſt, attendendo ad primævam impoſitionẽ metaphorice; attendendo ad vſum Theologorũ propriè. Quod & Confirm. alia authoritate eiuſdẽ 3.p.q.76.artic.5. vbi ait: *Quod eſſe in loco definitive, vel circumſcriptive eſt pars eius, quod eſt eſſe in loco;* non autem eſſet pars, ſi eſſe in loco definitive non eſſet propriè eſſe in loco: quis enim diceret, quod floriditas prati, vel ridere hominis eſt pars riſus?

Nec valet explicatio Salmanticenſiũ; quod, videlicet, dum D.Thom. dicit, quod æquivoce loquendo de motu locali, convenit ei propriè, ibi loquatur de motu locali reduplicative, vt eſt Angeli, quaſi diceret, quod motus localis, qui ſolum metaphorice eſt motus, propriè convenit Angelo, ſicut ſi quis diceret, quod eſſe hominẽ æquivoce diceretur de homine vero, & de picto; & deinde diceret; quod ſic eſſe hominem propriè conveniret picturæ hominis. Non (inquam) valet, nam D. Thom. loquitur de motu locali ſecundum quod analogicè dicitur de corpore, & de Angelo; & ſequi-

tur

Digitized by Google

tur de motu locali ſecundum quod æquivoce tantum dicitur de illis; & primo modo dicit, motum localem ſolum metaphorice convenire Angelo: ſecūdo modo proprie ei convenire; non autem eſt eadem ratio, quæ dicitur analogice de duobus, & quæ dicitur æquivoce ſolum de illis: ergo ſolutio data nulla eſt. Nec exemplū adductum iuvat, nam eſſe hominem non dicitur æquivoce de vero homine, & de picto; ſed tantum dicitur analogice de illis analogia duorum conceptuum: vnde nunquam dicimus, quod eſſe hominem proprie conveniat homini picto, vnde ſummuliſtæ dicunt, hanc eſſe falſum, *homo pictus eſt homo*; ſecundum autem D. Thom. eſſe in loco, & moveri localiter dicitur ſecundum vnam rationem analogice, & ſecundum aliam æquivoce: ergo ſtat ſit aliquam rationem proprie eſſendi in loco, proprie convenire Angelo, quamvis non poſsit dici, aliquam rationem proprie eſſendi hominē convenire homini picto. Argumentum à ratione petitum nullum adducunt adverſarij, ſed tantum vtuntur Patrum authoritatibus, quæ ſi quid probant, amplius convincunt, quam ipſi docent: nam docere videntur, incorporalia non eſſe in loco, quod negant Salmanticenſes, quia numero 16. dicunt; abſolute deberi concedi, & ſimpliciter, quod Angeli ſint in loco corporeo, ſicut abſolute concedimus, Deū itaſci, quāvis ita proprie Deo non conveniat.

734 Poſſumus tamen ratione argumentari ex eo, quod ſi Angeli vere, & proprie ſunt in loco, ſicut & corpora: ergo dabitur vna ratio communis vnivoca, vel ſaltim analoga eſſendi in loco communis corporibus, & Angelis; hoc autem eſt contra D. Thom. ergo. Prob. Sequela, quæcūque proprie participant vnam rationem communem, dicuntur vnivocari, vel analogari proprie in illa ratione communi; ſeu per nos corpora, & Angeli conveniunt in hoc, quod eſt propriè eſſe in loco: igitur dabitur illis, quod vnivocentur in illa ratione cōmuni eſſendi proprie in loco, vel ſaltim analogentur in illa analogia vnius conceptus.

Ad hoc, nego Conſeq. & inſto, ſyderi convenit proprie eſſe canem, piſci convenit proprie eſſe canem, & animali terreſtri convenit proprie eſſe canem: ergo dabitur illis vna ratio communis vnivoca, vel ſaltim analoga eſſe canini. nego Conſ. quia licet proprie ſint canes, non ſunt canes caninitate eiuſdem rationis, vel eiuſdē diffinitionis; ſed longe diverſæ, & ſolo nomine eadem: ita ſimiliter non valet, Conſeq. facta, quia licet Angelus proprie ſit in loco, & corpus ſimiliter, non tamē ſunt in loco vna ratione, & vna diffinitione, ſed ſic diverſa, quod ſolius vocis gaudeat idētitate. Ad Prob. Conſ. nego Min. nam eſſe in loco Angeli, & corporis non eſt vna ratio communis illis, ſed diverſæ vna voce ſignificatæ.

Sed inſtabis, ſi ſemel admittimus, Angelos, & corpora proprie eſſe in loco, nec tamen convenire vnivoce, nec analogice analogia vnius conceptus in hoc; quod eſt eſſe in loco, ſequitur, quod ſimiliter poſsimus dicere, Angelos proprie eſſe quantos, & corpora proprie eſſe quanta, non tamen vnivocari in ratione quanti, ſed ſolū æquivocari; hoc autē non videtur poſſe admitti: ergo nec primum. Prob. Sequela, Angeli, ſicut per nos proprie ſunt in loco, ita proprie contingunt locum per quantitatē virtutis proprie illis convenientem, ſicut corpora per quantitatē molis proprie illis convenientem, contingunt locum; ratio autē quantitatis æquivoce dicitur de quantitate molis, & de quantitate virtutis: Igitur debebimus conſequenter dicere, Angelos eſſe proprie quantos quantitate æquivoce conveniente illis, & corporibus. Ad hoc, conc. Mai. & nego Min. quia quando negamus Angelos eſſe quantos, negamus tantum eſſe quantos vnivoce cum corporibus; habere tamen quantitatem proprie, æquivoce tamen cum corporibus, negare non poſſumus, dum illis proprium contactum concedimus, æquivoce tamen ſe habente m ad contactum corporum.

§. III.

Vtrùm ſubſtantia Angeli ſit ei ratio proxima, & immediata eſſendi in loco?

735 SVPPONIT Quæſitum, Angelum, & eius ſubſtantiam eſſe in loco; ſed quia ad eſſendum in loco requiritur contactus loci, quæritur in præſenti; an ipſa Angeli ſubſtantia intranſitive ad aliam formalitatem ſit id, per quod, vel quo Angelus contingit locum? In quo puncto elucidando Scotus in 2. diſt. 2. q. 6. §. *ad quæſtionem*, & §. *ad propoſitum* tenet Angelū ratione ſuæ ſubſtantiæ locū contingere immediate. Idem

ſe-

tenent Bonaventura quæſt. 1. art. 1. Gregorius eadem diſtinctione quæſt. 2. art. 2. concluſione 4. Hugo de S. Victore lib. de Sacram. part. 3. cap. 13. Molina art. 1. huius quæſt. diſp. 1. M. 9. Suarez diſput. 51. Metaphyſicæ, ſect. 3. Peſantius hic, diſput. 21 Valentia quæſt. 3. p. 2. & alij. Secunda ſententia negat, Angelum ratione ſuæ ſubſtantiæ immediate, & proxime locum contingere. Hanc tenent D. Thom. hic, art. 1. & in diſt. 37. q. 3. art. 1. de potent. quæſt. 3. art. 19. & quodlib. 1. art. 4. D. Th. ſequuntur omnes Thomiſtæ, ita vt in hoc puncto ſuperfluum ſit eos in particulari numerare. Ex alijs ſequuntur plures, qui videri poſſunt apud Commentatores D. Thom.

Sit Concluſio. Angelus non eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, ad hunc ſenſum, quod ſubſtantia ſit illi ratio proxima contingendi locum. Prob. nam Angeli ſubſtantia nequit ſe ipſa immediate corpus contingere: ergo Angelus ratione ſuæ ſubſtantiæ nequit eſſe in loco. Conſeq. patet, nam illa eſt ratio eſſendi in loco, per quam id, quod locatur, contingit locum. Antec. autem Prob. nam ſubſtantia tribus modis poteſt vniri corpori, & ſic illum contingere. Primo eo modo, quo ſubſtantia incompleta vnitur incompletæ ſubſtantiæ informando illam, vel eo modo, quo ſubiectum vnitur accidenti, vel per modum motoris, & efficientis; neutro iſtorum modorum poteſt ſubſtantia Angeli immediate contingere corpus: ergo. Prob. Min. non quidem primo modo: quia ipſa forma incompleta non eſt. Non ſecundo modo, quia Angeli ſubſtantia non eſt ſubiectum reſpectu corporis. Non tertio modo, quia Angeli ſubſtantia non movet corpus immediate ſe ipſa, ſed media ſua virtute exequutiva: ergo ſubſtantia Angeli nequit immediate, & ſe ipſa contingere locum. Secundo Prob. eadem Min. nam per id Angelus immediate contingit locum, per quod poteſt variabiliter modo contingere locum maiorem, modo locum minorem; ſed ſua ſubſtantia nequit Angelus ſic determinari ad locum, quod modo illa contingat maiorem locum, modo minorē pro beneplacito Angeli: ergo propria ſubſtantia nequit eſſe Angelo ratio immediata tangendi locū. Prob. Min. Angeli ſubſtantia, prout ſpectat ad lineam eſſendi, omnino invariabilis eſt: igitur nequit Angelus ratione illius modo maiorem, modo minorem occupare locum.

Huic ſecundæ probationi dicunt adverſarij, ſubſtantiā Angeli, cum ſupra omnem locum ſit, quia complete ſpiritualis eſt, & locus materialis, ex ſe eſſe aptam ad occupandum illum locum, cui pro libertate Angelus voluerit eam applicare: vnde ſi voluerit Angelus per eam contingere magnum locum, maiorem, vel minorem; per hoc ſolum ipſa continget magnum, maiorem, vel minorem locum. Sed contra eſt, nam vel illa applicatio ſubſtantiæ ad occupandum tantum locum eſt ratio formalis occupandi talem locum, vel eſt pura conditio; ſi primum dicatur: igitur iam non ſubſtantia Angeli, ſed eius libera applicatio erit ratio formalis eſſendi in tanto loco: ſi dicatur ſecundum, non habebitur effectus formalis determinatæ occupationis loci: ergo. Prob. Min. pro hac ſecunda parte Nequit dari determinata contingentia tanti determinati loci, niſi ad hoc aſſumatur cauſa ad hoc determinata; at ſubſtantia Angeli ex ſe non eſt determinata ad tantum locū occupandum: igitur ſi libera voluntas Angeli nullam intrinſecam determinationem in ea ponat, etiam ſi libere applicetur ad tantum locum, non ſequetur effectus formalis occupationis tanti loci. Explicatur hoc, illa voluntas libera nihil determinatum intrinſice ponit in propria ſubſtantia, ſed meram extrinſecam denominationē: ergo cum ſubſtantia ex ſe ſit indifferens ad tantum, vel tantum locum, poſita tali voluntate de occupando tanto loco, ſubſtantia adhuc retinet ſuam intrinſecam indifferentiam: ergo adhuc poſita tali determinata voluntate, non habebitur effectus determinatus occupationis tanti loci. Prob. Conſeq. Nam cauſa ex ſe indifferens ad plures effectus, ſi per ipſam applicationē non determinetur intrinſice ad aliquem in particulari, nullum effectum dabit in particulari: ergo cum ſubſtantia Angeli ex ſe ſit indifferens ad maiorem, & minorem contingentiam loci, & per voluntatem extrinſecam applicantem, intrinſice non determinetur, non dabit determinatum effectum.

736 Sed dicunt adverſarij, cauſam eſſe indifferentem ad præſtandum diſtinctos effectus, oriri poſſe vel ex impotentia, & inſufficientia cauſæ, vel ex ſola non poſitione determinati connotati: quando primo modo contingit; tunc requiri cauſam per aliquid ſuperadditū intrinſice determinari: quando vero contingit indifferen-

rentia ex nonpoſitione determinati connotati, tunc per ſolam poſitionem extrinſecam determinati connotati cauſa dat determinatum effectum; & quia in præſenti indifferentia ſubſtantiæ Angeli ad occupandum maiorem, vel minorem locum non oritur ex intrinſeca impotentia, ſed tantū oritur ex hoc quod non applicatur determinato loco, fit inde, quod per ſolam extrinſecam applicationem, quæ fit per actū voluntatis, quo libere vult occupare tantum locum, ipſa ſic applicata, determinate occupabit tantum locum.

Sed contra hoc eſt. Nam ad hoc vt forma indifferens ad præſtandum hunc, vel illum effectum formalem indifferentia orta tantum ex parte connotati præſtet determinatum effectum formalem requiritur, quod ex ipſa determinatione connotati accipiat determinationem; ſed ſubſtantia Angeli ex tanto, vel tanto loco, determinationem accipere nequit: ergo pro libito ſuo nequit ſe in tanto, vel tanto loco collocare. Conſeq. eſt bona, & Prob. præmiſſas. Mai. quidem, nam non poſita determinatione in cauſa formali, neque ex ſe illi conveniente, neque ex determinatione connotati, forma ſemper reſtat indifferens: ergo vt determinatum effectum formalem præſtat, eſt neceſſe, quod ſi ex ſe talem determinationē non habet, illam accipiat à determinatione connotati. Explicatur hoc, ſi anima rationalis, quæ ex ſe eſt indifferens ad informandum hanc, vel illam materiā, non determinaretur à materia ſub tantis dimenſionibus ſigillata, nequiret pro libito ſuo tantam determinate materiam informare. Et ſi corpus Chriſti indifferens ex ſe ad eſſendum ſub tantis, vel tantis panis accidentibus non determinaretur à tanto pane, ex quo determinate fit, non poſſet pro ſuo libito eſſe ſub tantis determinatè ſpeciebus panis: ergo forma indifferens ex ſe ad præſtandū hunc, vel illud effectum formalem, vt præſtet determinatum effectum, erit neceſſe, quod ſaltim ex ipſa determinatione connotati accipiat determinationem. Min. vero ſic Prob. Nam propoſito tanto, vel tanto loco v. g. vnius vlnæ, adhuc Angelus non determinatur ad occupandū illum; nam adhuc poteſt ſe locare in medietate, & in medietate medietatis, & ſolum in puncto: ergo eius ſubſtantia ex poſitione determinati loci connotati non accipit determinationem.

Dices, loci determinationem formalem non debere deſumi ab ipſa quantitate loci ſecundum ſe, ſed ſolum prout à voluntate Angeli determinatur, ita vt ſi propoſita vlna, Angelus eligit tantum locari in medietate vlnæ, ab ipſa medietate, prout ſubeſt voluntati Angeli, ſubſtantia Angelica accipit determinationem, quia ſuppoſita tali voluntate ſolum exiſtet in medietate vlnæ. Sed contra hoc eſt. Nam hoc eſt, quod iudicamus impoſsibile, quod videlicet, illa voluntas Angeli non ponat determinationem in ſua ſubſtantia, neque ſubſtantia illam habeat ex ſe, neque illā accipiat à loco, & tamen ſola voluntate extrinſeca Angeli eius ſubſtantia determinetur ad occupandum determinatum locum.

737 Deinde impugnatur hic modus dicendi ad hominem. Etenim adverſarij dicunt, ſubſtantiā Angeli non poſſe abſolvi ab omni loco, ſed eſſe neceſſe, quod ſemper ſit in loco. Sic argumentor. Etenim ſubſtantia Angelica ſi à ſola libera voluntate Angeli determinaretur ad occupandum tantum, vel tantum locum, etiam ad eſſendum in loco determinari deberet à libera voluntate Angeli: ergo ſi Angelus nollet applicare ſuam ſubſtantiam ad locum, eius ſubſtantia abſolveretur ab omni loco; hoc eſt contra adverſarios: ergo. Prob. Antec. nam ſubſtantia Angelica ex ſe, ſicut eſt indifferens ad occupandum iſtum, vel illum locum, ita ex ſe eſt indifferens; ſeu negative ſe habet ad omnem locum, nam ex ſe tantum habet finitudinem, & determinationem de linea entis, non autem de linea locabilitatis; vel ſaltim ex ſe tantum habere poteſt meram capacitatem, ſeu puram non repugnantiam ad locationem: ergo ſi quia ex ſe non eſt determinata ad hunc, vel illum locum, poteſt pro ſola voluntate abſolvere ſe ab hoc loco, occupando alterum, ita pro libertate Angeli poterit abſolvi ab omni loco.

Confirm. ſubſtantia Angelica iuxta adverſarios independenter ab Angeli libertate habet eſſe in loco, ad hunc ſenſum, quod eſto Angelus vellit ſe abſolvere ab omni loco, non poſsit, ſed tantum ſit liber locandū ſe in hoc, vel illo loco: ergo ſubſtantia Angelica ex ſe habet determinationem ad locum, licet non ad iſtum, vel ad illum determinatè. Tunc vltra, ſupponamus quod Angelus nolit eſſe in aliquo loco, quem ergo locum eius ſubſtantia tunc occupabit? non iſtum, vel illum; quia ad hoc indiget determinatione libera volun-

ta-

tatis Angeli: non locum vt ſic, quia hic eſt inoccupabilis; nullũ ergo occupabit locum: ergo fatendũ neceſſario eſt, quod ex ſola libera voluntate poſsit ſe abſolvere ab omni loco, quod eſt contra adverſarios.

738 Tandem impugnatur hæc ſententia, ſubſtantia Angelica ſe ipſa immediate non poteſt eſſe in tempore, ſeu in alia menſura extrinſeca durationis, ſed neceſſario requiritur, quod inter durationem extrinſecam, & ſubſtantiam Angelicam mediet intrinſeca duratio diſtincta ex natura rei ab ipſa ſubſtantia velut modus, vel vt eius accidens: ergo ſimiliter non exiſtet in loco ſe ipſa immediate, ſed ſuperaddendum erit ei aliquid intrinſecum, ratione cuius contingat locum. Prob. Conſeq. nam ſicut menſurari extrinſeca duratione eſt accidens ſubſtantiæ, ita & locari eſt accidens eius: ergo ſi illud nequit immediate convenire ſubſtantiæ Angelicæ, ſic & locari, ſeu locum contingere. Confirm. de Angeli locabilitate debemus proportionabiliter loqui, ac de locabilitate ſubſtantiæ materialis; ſed locabilitas eſt accidens ſubſtantiæ materialis conveniens illi media quantitate molis: ergo locabilitas erit accidens Angeli conveniens ei media quantitate virtutis; at hæc eſt accidens Angeli: igitur ſubſtantia non erit Angelo ratio formalis eſſendi in loco.

Dices ad hoc, eſſe diſparem rationem inter ſubſtantiam materialẽ, & Angelicam: illa enim nequit eſſe in loco, niſi per coextenſionem cum illo; cumque ſubſtantia ex ſe nullam habeat extenſionem, fiet inde, quod requirat accidens extenſum, quale eſt quantitas, & ſic locatur per aliquod accidens: at ſubſtantia Angeli non eſt in loco modo extenſo, ſed eſt tota in toto loco, & in minima parte loci ratione ſuæ indiviſibilitatis: cum ergo ex ratione ſuæ ſubſtantiæ Angelus hanc indiviſibilitatem habeat, non indigebit accidenti ſuperaddito ad ſui locationem. Sed contra hoc eſt, nam eſto ſubſtantia Angelicã ſit indiviſibilis, tamen hanc indiviſibilitatẽ non habet immediate reſpectivè ad corpora externa, in quibus locatur, ſed illam habet immediate reſpectu ſuorum accidentium, & proprietatum, quibus ſubſiſtat: ergo vi illius non habebit proximã, & immediatã locabilitatẽ, ſed medijs accidẽtibus eius. Explicatur hoc, ſicut inter ſubſtantiam materialem, & loca mediat quantitas molis, per quã ſubſtãtia materialis locatur modo extenſo, & diviſibili, ita inter ſubſtantiam Angelicam, & loca externa mediant intrinſeca accidentia, quibus ipſa immediate ſubſtat: ergo non ratione ſui immediate, ſed ratione accidentium, quibus ſubſtat, habebit locari modo indiviſibili, ſic, quod ſit tota in toto, & tota in qualibet parte loci. Itaque fateor, quod ipſa ſubſtantia ratione ſui ſit indiviſibilis, cæterum dico, quod iſta indiviſibilitas non habet proportionem immediatam cum loco externo, ſed cum accidentibus, quibus ſubſtat; & ſic Angelus ratione illius non habebit immediate contingere corpora externa, ſed tantum accidentia ſibi intrinſeca: vnde non erit ratio proxima eſſendi in loco Angelo, ſed ſolum radicalis, & remota.

§. VI.

Solvuntur Argumenta.

739 CONTRA Concluſionem arguitur primo, id eſt Angelo ratio formalis proxima eſſendi in loco, quod eſt illi quantitas virtutis; ſed ſubſtantia propria eſt Angelo quantitas virtutis: igitur erit illi ratio formalis eſſendi in loco. Conſ. eſt bona, Mai. eſt D. Th. hic q. 52. art. 1. ibi: *Corpus enim eſt in loco per hoc, quod applicatur loco ſecundũ contactum dimenſivæ quantitatis, quæ quidẽ in Angelis non eſt, ſed eſt in eis quantitas virtualis: per applicationẽ igitur virtutis Angelicæ ad aliquẽ locum qualitercumque dicitur Angelus eſſe in loco corporeo*: ergo ſecundum D. Th. quod eſt Angelo quantitas virtutis, eſt illi ratio formalis eſſendi in loco. Min. etiã Prob. authoritate eiuſdẽ D. Th. hic q. 42. art. 1. ad 1. ibi: *Dicendum, quod duplex eſt quantitas, vna ſcilicet, quæ dicitur quãtitas molis, vel dimenſiva, quæ in ſolis rebus materialibus eſt; vnde in divinis perſonis locũ non habet, ſed alia eſt quãtitas virtutis, quæ attẽditur ſecundũ perfectionẽ alicuius naturæ, vel formæ; quæ quidẽ quãtitas deſignatur ſecundũ quod dicitur aliquid magis vel minus calidũ in quantum eſt magis, vel minus perfectum in calidítate, huiuſmodi autem quantitas virtualis attenditur primo in radice, id eſt, in ipſa perfectione formæ, vel naturæ, & ſic dicitur magnitudo ſpiritualis. Secundo attẽditur quãtitas virtualis in effectibus formæ*: ergo ſecũdum D. Th. ſubſtantia ſpiritualis eſt magnitudo ſpiritualis, & eſt quantitas virtualis.

Ad hoc argumentum, diſt. Mai. quod eſt illi quantitas virtutis, ſumendo quantitatem virtutis pro perfectione entis ſpiritualis, nego Mai. ſumendo quantitatem virtutis pro perfectione proxime operativa, vel pro ipſa operatione, conc. Mai. & diſt. Min. eſt illi quantitas virtutis, id eſt, perfectio, conc. Min. eſt illi quantitas virtutis, id eſt, virtus operativa, vel operatio, nego Min. & Conſeq. Itaque vt conſtat ex Div. Thom. loco adducto in probationem Min. quantitas virtutis in re ſpirituali ſtat dupliciter, vel pro perfectione formæ, vel pro perfectione potentiarum, quæ oriuntur ex forma: ratio ergo eſſendi in loco non convenit Angelis ratione primæ quãtitatis, ſed ratione ſecundæ, vt infra oſtendemus, & ſic ſubſtantia Angeli nequit eſſe illi ratio formalis eſſendi in loco.

740 Secundo arguitur, ſubſtantia materialis poteſt ratione ſui immediate eſſe in loco: ergo & ſubſtantia Angelica. Conſeq. eſt bona, & Antec. Prob. nam ſi Deus ab aqua exiſtente in vaſe auferret quãtitatem, tunc ſubſtantia illa aquæ maneret in eodem loco, ſiquidẽ maneret intra vas: igitur aqua tunc ratione ſuæ ſubſtantiæ eſſet in loco. Prob. Antec. Tum, quia maneret in rerum natura, & non extra vas: ergo intra. Tum, quia ſi Deus ſuperadderet miraculum, & aqua iterato recuperaret quãtitatem ſuam, eſſet intra vas: ergo etiam ablata quantitate eſſet intra illud. Ad hoc, nego Ant. ad prob. nego Antec. nam ſicut ablata albedine à corpore, quæ illi eſt ratio diſgregandi viſum, corpus nullo modo diſgregaret viſum: ſic ablata quantitate, quæ eſt ſubſtantiæ materiali ratio eſſendi in loco, auferretur pariter ab aqua eſſe in vaſe tanquam in loco. Et ad primam inſtantiam dico, ſubſtantiam manere intra vas tanquam pars vniverſi, non vero tanquam locatum in loco. Ad ſecundam dico, aquam tunc non eſſe extra vas extreitate partis vniverſi, bene vero eſſe extra vas extreitate locabilitatis; vnde ſi quantitatem recuperaret, fieret intra vas tanquam locatum in loco, non vero tanquam pars vniverſi. Itaque aſſero, aquam in illo caſu eſſe nullibi tanquam in loco, eſſe vero intra vas tanquam pars vniverſi; & ſic ſi recuperaret quantitatem, recuperaret ſimiliter eſſe in vaſe tanquam in loco.

Sed inſtas, hoc ipſo, quod aqua maneret intra vas, deberet non diſtare à vaſe, & illud contingere; ergo vere eſſet in vaſe tanquam in loco. Propter hanc replicam relinquo hanc ſolutionem, quam aſſignant Salmanticenſes hic. Et dico ad argumentum, quod in dicto caſu, ſubſtantia aquæ non eſſet extra vas, neque eſſet intra, quia extra, & intra ſunt effectus formales quantitatis: vnde ſicut admittitur, quod non eſſet intra vas, ſic debet admitti, quod non eſſet extra. Vbi ergo tunc eſſet? Dico, quod eſſet nullibi; eſſet enim tunc pars vniverſi negative diſtans ab omni parte vniverſi: retineret tamen exigentiam eſſendi in vaſe tanquam in loco, quia ibi amiſerat quantitatem, quæ erat illi ratio eſſendi localiter intra vas; vnde ſi iterato Deo ſuſpendente miraculũ, quantitatem, quam amiſerat, recuperaret, vere maneret intra vas tanquam in loco.

741 Tertio arguitur, non eſt intelligibile, quod ſubſtantia Angelica, ſecluſa omni forma de linea operationis, exiſtat in rerum natura, & non exiſtat vel pro omni tempore, vel pro tempore determinato, & finito: ergo non erit ſimiliter intelligibile, quod forma Angelica, omni forma de linea operationis ſecluſa, exiſtat in rerum natura, & non exiſtat vbique, vel in aliquo loco determinato; at tunc contingeret locũ ſe ipſa, quia ſupponimus nullã habere operationem: ergo ratio ſubſtantiæ poteſt eſſe Angelo ratio eſſendi in loco. Ad hoc, nego Conſeq. nam ſubſtantia Angelica non coexiſtit tempori ratione alicuius formæ operativæ, ſed coexiſtit ſolum ratione ſuæ intrinſecæ durationis, quæ quidem cum conſiſtat in ipſa intrinſeca permanentia in eſſe, non eſt ſeparabilis ab ipſa re, quæ in eſſe conſervatur: vnde inintelligibile eſt, quod in rerum natura res exiſtat, & non duret in tempore omni, vel aliquo vero, vel imaginario; at forma operativa, vel operatio, vt diximus, eſt ratio formalis eſſendi in loco ſubſtantiæ Angelicæ: vnde ſi ſepararetur ab illa omnis ratio operationis virtualiter tranſeuntis, ſubſtantia Angeli erit nullibi, quamvis in rerum natura exiſtat vt pars vniverſi.

742 Quarto arguitur contra primã rationẽ, qua probavimus noſtrã concluſionem. Corpus Chriſti tangit ſpecies Sacramentales; non per modũ formę incõpletæ, nõ vt ſubiectũ tangit accidens, non etiã per modũ motoris: ergo pręter illos tres modos contactus datur alius, quo ſubſtãtia poteſt contingere corpus extrinſecum. Antec.

pa-

patet, quia corpus Chriſti non vnitur accidentibus panis vt forma incompleta materiæ, nō etiam vt ſubiectum; quia illa ſunt ſine omni ſubiecto, non etiam vt motor, quia nihil efficit in accidentia panis: ergo nullo ex tribus modis tangit illa. Ad hoc argumentum, nego Ant. pro ſecunda parte; eſt enim corpus Chriſti ſub ſpeciebus eo modo, quo panis erat ſub illis, non quia intrinſice ſuſtentat illa, neque aliquam cauſalitatem materialē exerceat in illa, ſed quia ex vi verborum eſt id, in quod ſubiectum accidentium converſum eſt. Et licet accidentia intrinſice non ſuſtentet, ex modo tamen eſſendi ibi, exigit, quod Deus ea miraculoſe ſuſtentet. Vnde exercet cauſalitatē materialē in accidentia, non formalē, ſed virtualē: habent enim illa exigentia ſuſtentationis rationem cauſalitatis virtualis, quatenus Deus attenta exigētia corporis Chriſti accidentia ſuſtentat: vnde contactus corporis Chriſti ad accidentia reductive ſpectat ad ſecundum modum ex tribus aſſignatis, nempe quo ſubiectum contingit ſua accidentia.

Sed inſtas, quod illa ſunt accidentia panis, & non Chriſti: ergo reſpective ad illa nequit ſe habere corpus Chriſti, ac ſe habebat panis. Sed reſp. quod corpus Chriſti duo genera accidentium habet; alia connaturalia ſibi, ad quæ vt proprium ſubiectū comparatur, alia quatenus eſt id, in quod panis converſus eſt: dicimus enim, quod panis nō annihilatur, ſed manet mutatus in corpus Chriſti, quatenus ergo hoc, quod ante conſecrationem erat panis, modo eſt corpus Chriſti, hoc modo poſſumus dicere, quod reſpicit accidentia panis, vt ſibi propria; vnde eſto illa non ſuſtentet, pro eis tamen exigit à Deo mirabilem ſuſtentationem, hac exigentia conveniente illi ex modo eſſendi in hoc Sacramento, loco panis.

743 Arguitur quinto deſtruendo ſecundam rationem noſtram: Stat bene, quod aliqua cauſa ex ſe indifferens ad præſtandum vnum, vel alterum effectum, ex ſe ſola poſitione alicuius connotati ſine eo quod determinationem accipiat à connotato, hunc determinatum effectum præ alio præſtet: ergo ſtabit bene, quod ſubſtantia Angeli indifferens ex ſe ad occupandum maiorem, vel minorem locum per ſolam poſitionem extrinſecam tanti determinate loci, tantū determinate locū tangat. Prob. Antec. vis naturalis cognoſcitiva Angeli ex ſe eſt indifferens ad attingendā, & nō attingenda ſecreta cordis alterius Angeli, & per hoc ſolū, quod alter Angelus extrinſice illa dirigat ad Angelū cum quo vult loqui, determinatur ad illorum cognitionē, ſine eo quod aliquam determinationē formalem, vel diſpoſitivam accipiat à tali extrinſeca directione: ergo ſtat bene, quod aliqua cauſa indifferens ad præſtandum hunc, vel illū effectum ex ſola extrinſeca determinatione hunc præ alio effectum præſtet. Et ſic ſtabit bene, quod ſubſtantia Angeli ſit indifferens ad occupandum maiorem, & minorem locum, & quod poſito maiori, vel minori loco prolibito ſuo maiorem præ minori locum occupet, eſto à loco nullam intrinſecā determinationē accipiat. Prob. Conſeq. ideo primum ſtat in veritate, quia indifferentia ad cognoſcendū, & non cognoſcendum ſecreta cordis libera alterius Angeli non oritur ex impotentia, vel inſufficientia virtutis cognoſcitivæ, ſed tantum ex defectu connotati; ſed etiā indifferentia ad occupandū maiorem, & minorem locū in ſubſtantia Angeli non oritur ex impotentia, vel inſufficientia, ſed tantum ex defectu connotati determinati: ergo.

Ad hoc, nego Ant. ad prob. nego Min. per hoc enim, quod Angelus loquens dirigat ſecreta ſua ad Angelū cum quo vult loqui, vis cognoſcitiva Angeli audientis determinatur obiective ad cognoſcendū illa: quia tota ratio, ob quam non poterat ante talem directionē illa cognoſcere, erat, quia dicta ſecreta libera non erant de ſpectantibus ad ipſum; vnde non erant obiectū proportionatū cum intentis vi intellectiva: hoc autem ipſo quod Angelus loquens dirigit ſecreta ſua ad eum, vt audiat, fiunt de ſpectantibus ad ipſum, & ſic vis eius cognoſcitiva determinatur obiective à talibus ſecretis liberis decretis ad ipſum, & ſic poteſt ea determinate cognoſcere: ſubſtantia autem Angeli nullo modo determinatur ad occupandum tantum locū præ alio ex ſola poſitione voluntaria tanti loci, quia illa poſita adhuc præfata ſubſtantia manet phyſicè indifferens ad occupandum maiorem, vel minorem locum. Et ſic paritas nihil convincit.

(?)

Digitized by Google

§. V.

Vtrùm ratio formalis eſſendi in loco ſit quidam modus vnionis ad corpus per liberam Angeli locabilis voluntatem productus?

744 PATER Vazquez hic diſp. 188. & 89. quem ſequitur eius perpetuus aſſecla Alarcon hic, diſp. 3. cap. 5. & 6. affirmat rationem formalem eſſendi in loco convenientem Angelo conſiſtere in quodam modo vnionis libere producto ab Angelo ante omnẽ operationem tranſeuntem, quo ſe vnit corporeo loco. Negativam tamen partem tenent communiter Theologi. Et ſit noſtra concluſio. Et Prob. nam illa operatio, per quam Angelus in ſe ipſo producit modum illum, quo ſe vnit corpori, eſt pure immanens, vel eſt tranſiens ad corpus, cui vnitur; ſi dicatur, quod ſit immanens, nequibit Angelum cũ corpore extraneo vnire, quia ad hoc oporteret, quod active tangeret Angelum, & corpus, cui Angelum vniret, quæ per actionem pure immanentem fieri nequeunt: ſi dicatur quod ſit tranſiens ad corpus, cui vnitur Angelus: igitur ſtat bene, quod Angelus operetur circa corpus, antequam corpori vniatur per aliquid præcedens ipſam operationẽ tranſeuntẽ ad corpus; quod non valens bene percipere Vazquez hunc modum dicendi chymerizavit.

Secundò. Nam modus ille ab Angelo per ſuam voluntatem in ſe ipſo productus non eſt forma media, qua Angeli ſubſtantia corpus tangat, ſicut neque modus vnionis, quo anima vnitur materiæ eſt forma media, qua anima materiam tangit, ſed tantum eſt conditio, vt tangat: ergo ſubſtantia Angeli ſe ipſa vt forma continget ſubſtantiam corporis. Et tunc inquiro, quo contactu tangat corpus? Vel enim tangit contactu formali, & hoc non; quia corpori nequit vniri vt forma: vel tangit eo modo, quo ſubiectum tangit accidens; & hoc non, quia Angelus non eſt ſubiectum corporis, in quo locatur; vel tangit contactu, quo motor tangit mobile, & hoc non, quia hic contactus in ſententiã Vazquez precedit omnem operationem, qua Angelus movet corpus: ergo ſubſtantia Angeli vt forma nullo modo tangit corpus, in quo locatur. Dicis, quod tangit contactu virtutis. Sed tunc inquiro, quinam ſit ille virtutis contactus? Nam vel eſt virtutis ad virtutem; id eſt, quo virtus Angeli immediate ſe ipſa contingit virtutem corporis, vel eſt media operatione, qua Angelus agat in corpus: ſi primum, repetitur argumentum factum de contactu vt forma ad materiam, vel ſubiecti ad accidens; ſi dicatur ſecundum, hæc eſt ſententia D. Th. nempe quod Angelus tangat corpus per operationem: ergo.

Tertio inſto deſtruendo fundamentum Vazquez. Nam ipſe adinvenit iſtum modum nixus in eo, quod Angelus nequit operari in loco, niſi prius ſit in illo; cumque in loco nequeat eſſe per ſuam ſubſtantiam nude ſumptam, nec per vbi, eſt neceſſe, quod in ſe ipſo modum producat, vi cuius vniatur loco antequam operetur in illo. Sed hæc ratio falſum aſſumit: ergo nullius eſt roboris. Prob. Ant. nam ad ſic philoſophandũ ſolũ poſſemus induci ex eo quod videmus contingere in corporibus quantis, quæ nunquam experimur operari in loco niſi prius præſupponantur eſſe in illo; ſed hæc ratio non debet nos movere, vt aſſeramus hoc ipſum accidere in Angelis: ergo. Prob. Min. nam corpus quantum nequit agere in aliud corpus niſi diffundendo virtutem per medium; virtus autem nequit per medium diffundi niſi prius ſit in prima parte medij, quæ contiguè ſe habeat cum corpore operante, & ſic indiſtans nequit immediate operari; vnde oportet quod vt in diſtans operetur immediate prius per motum localem approximetur illi, & ſic eſt neceſſarium, quod vt aliquod corpus operetur in alio, prius ſit in illo. Verum hæc ratio non currit in Angelo, nam Angelus non operatur in corpus diſtans diffundendo virtutem per medium: ergo in quocumque corpore quantumvis diſtante poterit immediate operari, & ſic non requiretur, quod prius ſit in corpore, vt poſſit immediate operari circa corpus: ergo ex his, quæ experimur accidere circa corpora quanta, non oportet eodem modo philoſophari circa Angelos.

Dices, Vazquez ad hoc induci ex illo axiomate Ariſtot. *agens, & patiens debent eſſe ſimul*, quod vniverſaliter debet intelligi, tam de agente, & paſſo corporeis, quam de agente ſpirituali, & paſſo corporeo. Sed contra eſt, nam ad veritatem dicti axiomatis non requiritur, quod Angelus ſit in loco antequam operetur in illo, ſed ſufficit, quod dum ope-

operatur in loco corporeo, ſit in illo; cumque per ipſam operationem, vt infra videbimus, Angelus contingat locum, & ſit in illo, non eſt neceſſe, quod per aliquid prævium ad operationem ſit in loco. Et certe hoc poterat videre Vazquez. Etenim Angelus ſe active locat, dum active producendo modum vnionis active ſe vnit corpori, & cum corpus etiam debeat vniri Angelo, eſt neceſſe, quod producat modum in corpore, quo vniatur Angelo: ſi enim ſubſtantia Angelica eſt incapax ſine modo ſuperaddito vnionis ad corpus; à fortiori corpus erit incapax vnionis ad Angelum ſine modo ſuperaddito: educit ergo Angelus talem modum vnionis ex corpore, & tamen ad talem actionē eductivam non præſupponitur eſſe in corpore: ergo eſt in corpore per ipſam actionem eductivam: non eſt ergo verum, quod agens, & patiens vniverſaliter loquendo ante actionem, & paſſionem ſint ſimul; ſed ſufficiet, quod ſint ſimul per hoc, quod operante vno, & patiente altero, vnus tangit, & alter tangitur.

§. VI.

Vtrùm Angelus ſit in loco per modum præſentiæ, ſeu aliquod vbi?

745 PATER Suarez lib. 4. de Angelis, cap. 2. & 3. 7. & 8. poſtquā diffuſe impugnavit modum dicendi Thomiſtarum aſſerentium Angelum eſſe in loco per ſuam operationem, cap. 7. concludit, Angelum eſſe in loco per ſolam præſentiam ſuæ ſubſtantiæ indiſtantis à corpore, in quo eſſe dicitur; ac proinde denominationem hanc eſſendi in loco ex parte Angeli ſolum dicere intrinſecum modum præſentiæ, ſeu vbi, connotare tamen coexiſtentiam corpori in eodem ſitu, ſeu ſpatio, in quo Angelus exiſtit. Hunc modum dicendi ſequuntur vt in plurimum Ieſuitæ. Cæterum Thomiſtæ, eſto affirment dari in Angelo iſtum modum præſentiæ, non tamen admittunt per illum Angelum eſſe in loco quaſi per rationem contingendi locum, ſed eſſe quid conſequutum ad illam conſtanter defendunt. Vnde ſit in favorem eorum noſtra concluſio.

Angeli non ſunt in loco per modum præſentiæ, ſeu per vbi. Sic tenet Schola Thomiſtica. Et Prob. primò, quia Angelus eſt in loco per illud ratione cuius primò contingit locum; ſed locum primò non contingit per vbi, ſeu per præſentiam in loco: ergo per illam Angelus non eſt in loco. Prob. Min. præſentia Angeli indiſtantis à corpore præſupponit neceſſario Angelum indiſtantem à corpore; id autem, per quod formaliter Angelus ſit indiſtans à corpore eſt id, per quod contingit locum: ergo de primo ad vltimum, præſentia Angeli ad corpus, ſeu ad locum non eſt id, per quod Angelus primò tangit locum. Explicatur hoc, nihil poteſt eſſe alteri localiter præſens, quin prius illud contingat: vnde vbi, ſeu præſentia in loco diffinitur eſſe illud, quod relinquitur ex adiacentia ad locum; & ſecundum diverſos modos tangendi locum aſſignantur diverſa vbi: neque enim eiuſdem rationis eſt vbi Angelicum cum vbi corporum; illud enim pure diffinitivum eſt, hoc circumſcriptivum, quia illud oritur ex contactu diffinitivo, hoc ex contactu circumſcriptivo; illud autem, per quod Angelus contingit locum, eſt illi ratio formalis eſſendi in loco: ergo cum hoc non ſit vbi, ſed aliquid præſuppoſitum, ad quod ſequitur præſentia in loco, vbi non erit Angelo ratio formalis eſſendi in loco.

Dices, in Angelo non oportere aſſignare duas formas, per quarum alteram locum contingat, & per alterā ſit illi formaliter præſens, ſed ſufficere vnā formam vbi ad vtrumque effectum formalem præſtandum, ad eum modum, quo Thomiſtæ non diſtinguunt in Angelo duas formas, per quarum alteram ſit in loco, & per alteram operetur in illo, affirmantes ipſum operari in loco intranſitive eſſe eſſe in loco, cum tamen in corporibus duæ formæ diſtinguantur; alia ad eſſendum, nempe quantitas, altera ad operandum, nempe operatio. Sed contra eſt, nam præſentia in loco nihil aliud eſt, quam relatio indiſtantiæ à loco: ergo ſupponit rem locatam à loco indiſtantem, ſicut & quælibet relatio ſupponit ſuum fundamentum: ergo ſupponit rem contingere locum per aliquid diſtinctum ab ipſa, atque adeò ſupponit rem eſſe in loco per aliquid diſtinctum ab ipſo vbi. Quæ doctrina in tantum eſt vera, quod verificatur de omni ente, quod eſt in alio. Etenim forma rationalis non contingit materiam, neque eſt in illa per ipſam præſentiam, quam habet in materia, ſed ex hoc quod ſe ipſa materiam contingit, oritur, quod habet præſentiam

 ad

ad materiam: corpus etiã Chriſti non contingit ſpecies Sacramentales per ipſum vbi Sacramentale, ſe ex hoc quod ſe ipſo prout factum ex pane contingit ſpecies, oritur vbi Sacramentale. Idem verificatur in corpore, non enim per vbi circunſcriptivum eſt in loco, neque locum primum contingit, ſed ex hoc quod per ſuam quantitatem contingit locum, oritur vbi circunſcriptivum: ergo pariter in Angelo debebunt diſtingui duæ formæ, per quarum alteram contingat locum, & per alteram ſit præſens formaliter loco. Exemplum adductũ de operatione non iuvat. Nam operans in aliquo vere per hoc quod operatur in illo contingit illud, & illi vnitur; contingit contactu virtutis, & vnitur vt agens paſſo: & ſic non eſt neceſſe diſtinguere duas formas, per quarum alteram contingatur locus, & per alteram fiat operatio in loco: quod ſi in corporibus quantis id diſtinguitur, hoc non eſt, quia repugnet operationi coniungere operantem cum operato, ſed quia corpora quanta diſtant inter ſe diſtantia quantitativa, & ſic oportet, quod approximatio eorum fiat per iuxtapoſitionem vnius quantitatis ad alteram; in Angelo autem reſpectu corporis talis diſtantia non reperitur, cum Angelus quantus non ſit: Vnde Angelus, & corpus ſolum diſtant inter ſe diſtantia virtutis, quæ optime aufertur per approximationem virtutis; hæc autem approximatio formaliter fit per operationem, & ſic non requiritur in Angelo diſtinguere duas formas, per quarum alteram contingat corpus, & per alteram operetur in illo.

§. VII.

Vtrùm Angelus ſit in loco per ſuam operationem?

746 CELEBRIS Eſt apud Thomiſtas ſententia, quæ affirmat Angelos eſſe in loco per ſuam operationẽ. Sic Antiqui, ſic Moderni veri diſcipuli D. Thom. affirmant, quamvis inter ſe diſtinguantur. Nam alij dicunt per ipſam operationem eſſe in loco contingendo illum, & ſimiliter habere præſentiã in illo: vnde non diſtinguunt vbi de linea eſſendi ab ipſa operatione. Sic Salm. tract. 7. de Angelis, diſp. 2. dub. 5. & Mag. Araujo hic, q. 52. art. 1. dub. 1. §. *rogabis*. Alij dicunt, Angelos locari per operationẽ tranſeuntẽ, ex qua producitur vbi, ad eum modum, quo ex contactu locati ad locum producitur, vel reſultat vbi circunſcriptivum. Sic tenent Ferrara 3. contra g. c. 68. Egidius, & alij plures. Alij dicunt, antecedenter ad operationem dari aliquid ad inſtar operationis, ratione cuius Angelus ſe loco applicat ad inchoandam operationem ex aliquo corpore. Hæc tribuitur Caiet. hic quæſt. 52. art. 1. Capreolo etiam, & Argentinæ.

Dico ergo, Angelus eſt in loco formaliter per operationem tranſeuntem. Sic tenet Schola Thomiſtica cum D. Thom. pluribus in locis. Pro explicatione adverto, quod licet Angelus non neceſsitetur dum operatur circa aliquod corpus diſtans diffundere virtutem per aliquod ſpatium intermedium, tamen poteſt ſic operari in diſtans diffundendo virtutem per medium, & tunc erit in illo corpore per operationẽ, virtutem, & effectum, ſed non erit in re ſic diſtanti tanquam in loco; quia ſua ſubſtantia non erit illi præſens, ſed erit diſtans, iuxta doctrinam D. Th. 3. p. q. 52. art. 2. vbi docet, quod anima Chriſti in aliqua parte inferni fuit per præſentiam ſuæ ſubſtantiæ: in alijs per operationem, ſeu effectum, id eſt, in Inferno Sanctorum Patrum fuit per præſentiam ſuæ ſubſtantiæ, quia ibi immediate operatus eſt; in inferno autem damnatorum tantum fuit per operationem, & effectum, quem produxit; non vt immediate agens in dicto inferno, ſed vt agens per virtutem derivatam ab ipſo, & diffuſam vſque ad infernum damnatorum. Cum ergo in cõcluſione dicimus, Angelũ eſſe in loco per operationem tranſeuntem, loquimur de operatione, per quam immediate agit immediatione ſuppoſiti, & virtutis, ſicque, ſolum vbi immediate operatur, exiſtit tanquam in loco per ipſam operationem tanquam per rationem formalẽ eſſendi in illo. Sic explicata concluſione, Prob. illam primò authoritatibus D. Th. nam in 1. diſt. 37. quæſt. 3. articul. 1. Inquit: *Quod aliquid determinetur ad locum aliquem, hoc non eſt niſi per hoc, quod per aliquem modum applicatur ad locum illum, & non ad alium; hæc autem applicatio, vel intelligitur ſecundum ſitum, aut contactum, vel ſecundum formam, vel ſecundum operationem aliquam. Secundum formã, ſicut anima eſt in corpore, quo modo Angelus in re locata eſſe non poteſt, cum non ſit actus corporis. Secundum determinatum ſitum, ſicut punctum in linea,*

quam

Digitized by Google

quam determinat: quo modo Angelus in loco non eſt, quia eſſentia eius omnino à ſitu abſoluta eſt ſecundum contactum, ſicut in loco eſt corpus: contactus autem dicitur dupliciter, proprie, & metaphorice; proprie tangere eſt habere ultima ſimul: & patet quod hoc Angelo convenire non poteſt; tactus autē metaphoricus eſt per actionē, ſicut dicitur contriſtans tangere, & iſte tactus Angelo poteſt convenire: relinquitur ergo quod Angelus definiri, vel determinari non poteſt ad locum aliquem niſi per actionem, & operationem. Et iſta eſt opinio, quæ ponit Angelum eſſe in loco, in quantū alicui loco per operationem applicatur. Et ideo hanc opinionem ſequendo, quæ rationabilior videtur, dico, quod Angelus, & qualibet ſubſtantia incorporea non poteſt eſſe in corpore, vel in loco, niſi per operationem, quæ effectum aliquem in loco cauſet. Hanc eandem ſententiam tenet quodlibeto 1. art. 4. & 3. contrag. cap. 58, ratione 1.

747 Ratio à priori Concluſionis deſumitur ex D. Thom. in loco ſent. allegato, quia videlicet Angelus per id tanquā per formam eſt in loco, per quod contingit locum, ſicut corpus eſt in loco ratione ſuæ quantitatis, quia per illam contingit locū; ſed Angelus tantum contingit locū per operationem: ergo tantum per operationē eſt in loco. Prob. Min. Angelus nequit contingere locum, ſic, quod ultima Angeli ſuperficies, & ultima ſuperficies corporis ſint ſimul, ſic enim tantum ſe tangunt corpora quanta: ergo ſolum poteſt tangere locum ut agens in illo: ergo per operationem. Secundo prob. eadem Minor, quia per id Angelus tangit locū, per quod aliquando tangit maiorem locum, aliquando minorem; ſed hoc tantum poteſt eſſe operatio tranſiens: ergo tantum tangit locum per operationem. Prob. Min. nam ſupra probavimus Angelum per ſuam ſubſtantiam non poſſe pro libito ſuo occupare nunc maiorem locum, nunc minorem, cum ſua ſubſtantia ſemper ſit in ſe omnino indiviſibilis, & eodem modo una: probavimus etiā non poſſe maiorem, & minorem locum contingere per ubi, quia præſentia in maiori loco ſupponit contactum maioris loci, & præſentia in minori loco ſupponit contactum minoris loci: probavimus etiā per modum abſolutum productum à voluntate Angeli hoc fieri non poſſe, quia per talem modum nequit Angelus uniri corpori niſi per operationem tranſeuntem, per quam tangatur corpus, ut id, cui Angelus unitur, ſicut nequit uniri anima corpori niſi per actionem, quæ tangat animam, & corpus: reſtat ergo quod per ſolam operationem tranſeuntem hoc fiat; hæc enim cum libere exeat ab Angelo, poteſt ab illo educi modo ex maiori loco, modo ex minori: & ſic poteſt eſſe ratio occupandi nunc maiorem, nunc minorem locum.

748 Dices, rationem eſſendi in maiori loco debere ſubiectari intrinſice in re locata, & tantum extrinſice ſe debere habere ad locum; ſicut quantitas, per quam corpus eſt in loco intrinſice, ſubiectatur in locato, & extrinſice ſe habet ad locantem: operatio autem tranſiens è contra ſe habet, ſubiectatur enim intrinſice in corpore locante, ex cuius potentia educitur, & extrinſice tantum comparatur ad Angelum operantem. Sed contra eſt primò, nam operatio, per quam Angelus ad extra operatur, non eſt formaliter tranſiens, ſed tantum virtualiter; actio autem tantum virtualiter tranſiens ſubiectatur in agente, non in paſſo: ergo operatio, per quam Angelus eſt in loco intrinſeca eſt Angelo, & extrinſeca locato.

Secundo dato quod ſit formaliter tranſiens, & intrinſice ſubiectetur in paſſo, & ſic extrinſice ſolum denominet Angelum operantem, nihil obſtat, quin per illam Angelus ſit in loco: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. nam eſto operatio ſit extrinſeca Angelo, ipſum tamen operantem conſtituit, & eius virtutem ad paſſum, ex quo educitur, applicat. Inſuper per illam Angelus corpus ſibi ſubijcit, & ſubordinat: ergo nihil obſtat quod non ſit Angelo intrinſeca, & ſit intrinſeca paſſo; quia Angelus non eſt in loco per hoc, quod contineatur ab illo, ſed per hoc, quod active ipſum continet, & ſibi ſubijcit, quod nequit fieri, niſi aliquid intrinſecum in loco producat: unde è contra res ſe habet in Angelo, & in corpore quanto; corpus enim eſt in loco ut contentum, & circumſcriptum à loco, & mere paſsive ſe habens ad illud; & ſic oportet, quod ſit in loco ratione alicuius, quod ſit corpori intrinſecum: cumque nihil poſſit ſimul eſſe intrinſecum locato, & loco, corpus debet locari per aliquid ſibi intrinſecum, & extrinſecum loco: Angelus autem eſt in loco per continentiā activam loci, & ſic oportet, quod ſit in loco per aliquid extrinſecum Angelo, & intrinſecum loco.

Digitized by Google

Dices ſecundo rationi noſtræ, Angelum eſſe in loco per contactum virtutis, eo modo, quo corpus eſt in loco per quantitatem molis; ſed in corpore ratio eſſendi in loco ſpectat ad lineam eſſendi: ergo Angelus erit in loco per contactum virtutis ſpectantem ad lineam eſſendi, & non ad lineã operandi; ſcimus enim ex D. Thom. ſupra adducto, quantitatem virtutis aliam eſſe de linea eſſendi, aliam de linea operandi. Sed contra hoc eſt, nam quantitas virtutis de linea eſſendi nequit ſibi ſubordinare corpus, nec poteſt ob ſui eminentiam corpori ſubdi, vel ſubordinari: igitur nequit eſſe Angelo ratio eſſendi in loco. Patet Conſ. quia nequit dari ratio loci, & locati niſi per hoc, quod locatum ſibi ſubjiciat locum, vel per hoc, quod locus ſibi ſubordinet locatum. Prob. Ant. nihil ſpectans ad lineam eſſendi ponit aliquid intrinſecum in loco: ergo nihil ſpectans ad lineam eſſendi in Angelo poteſt ſibi ſubjicere, & ſubordinare locum. Præterea, nam corpus non dependet ab Angelo, niſi quando aliquid ab illo recipit, neque Angelus à corpore cum ob ſui ſublimitatem in linea eſſendi abſolvatur à corpore, & ab omni ordine ad illud.

Dices, Angelum ſubdi loco corporeo, ſiquidẽ limitatur à quantitate loci, & diffinitur ab illa, ita vt Angelus nequat eſſe niſi in tanto loco verſus magnitudinem, & in tanto verſus parvitatem. Inſuper, Angelus à loco corporeo habet ſitum, participatque diſtantiam à polis mundi, & centro terræ: ergo in linea locabilitatis Angelus ſubordinatur loco, licet in linea eſſendi omnino ſit independens ab illo. Sed contra eſt, nam nos non negamus, neque negare poſſumus, quod poſtquam Angelus per operationem ſibi ſimpliciter ſubdit corpus, aliquomodo limitetur ab illo, ſic, vt in maiori operari non poſſit, quia virtus Angeli limitata eſt, & non poteſt ſimul in quacumque materia immediate operari: nec ſimiliter negamus, quod poſtquam eſt in loco corporeo, à corpore diſtantiam participet à polis mundi, & centro terræ; ſed quod dicimus eſt, corpus non poſſe ſibi adhuc ſecundum quid Angelum ſubdere præciſa, & excluſa operatione Angeli in corpus; quia omnia, quæ ſpectant ad lineam eſſendi ſunt omnino independentia à corpore, & corpus cum illis comparatum etiam ſit omnino independens ab illis. Itaque, vt corpus limitet Angelum, oportet ponere aliquod intermedium, per quod inter Angelum, & corpus ſit habitudo, & connexio, qua poſita poterit corpus, dum locat Angelum, diffinire illum localiter, & ſubdere illum ſibi quoad recenſitos effectus formales: hoc autem intermedium inter corpus, & ea, quæ ſpectant ad lineam eſſendi in Angelo, nihil aliud eſſe poteſt, niſi operatio, qua Angelus operatur in corpore, & ſic ponimus Angelos locari per operationem.

746 Alia ratione probo Concluſionem. Ratio formalis eſſendi Angelum in loco debet eſſe ita elevata, & independens à loco, quod poſſit Angelus pro libito ſuo abſolvere ſe ab omni loco; ſed hoc ſolum poteſt convenire operationi liberæ Angeli, non vero eius ſubſtantiæ: ergo ratio formalis eſſendi Angelum in loco debet eſſe eius operatio. Conſeq. eſt bona, & Min. videtur certa, & Mai. Prob. in primis; Angelus ſic eſt in loco, quod poteſt libere abſolvere ſe ab omni loco: ergo ratio eſſendi Angelũ in loco debet eſſe ita elevata quod poſſit Angelus pro libertate ſua abſolvere ſe ab omni loco. Ant. eſt D. Th. in citato loco ſentent. art. 1. ad 4. ibi: *Non reputo inconveniens, quod Angelus ſine loco poſſit eſſe, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet.* Et quæſt. 3. de pot. art. 19. ad 2. *Nihil prohibet* (inquit) *Angelos non eſſe in loco, ſi noluerint*; quod & repetit quodlib. 6. art. 3. ergo poteſt Angelus ſua libertate abſolvere ſe ab omni loco. Secundo Prob. idem Antec. nam perfectiſſima forma ſubſtantialis, nempe anima rationalis, non obligatur corpori, ſed poteſt naturaliter exiſtere ſeparata ab omni corpore: ergo ſimiliter locabilia perfectiſſima, qualia ſunt Angeli, non obligabuntur loco corporeo, ſed poterunt pro ſua libertate abſolvere ſe ab omni loco. Patet Conſeq. quia maior eſt connexio animæ ad corpus, quod informat, quam ſit Angeli ad locum, à quo locatur: ergo ſi anima poteſt abſolvi ab omni corpore, poterunt Angeli abſolvi ab omni loco corporeo. Tertio Prob. idem Antec. nam Angeli potuerunt creari ante mundum corporeum, vt cõmuniter defenditur à Theologis, quidquid ſit de eo, an de facto ante mundum corporeum creati ſint; ſed tunc non eſſent in loco corporeo: igitur ſic ſunt in corporeo loco, quod poſſunt naturaliter abſolvi ab omni corporeo loco.

(?)

Sol-

§. VIII.

Soluuntur Argumenta.

750 CONTRA Concluſionē primo Arguitur. Deus non eſt in rebus tanquam in loco per operationem, qua operatur in illo: ergo neque Angelus. Conſeq. eſt bona; & Antec. Prob. Deus eſt in rebus tanquam in loco per ſuam Immenſitatem, quæ in Deo tantum ſpectat ad lineam eſſendi, non vero ad lineam operandi: ergo non eſt in rebus tanquam in loco per ſuam operationē. Ad hoc, communiter reſpondetur, negando Antec. nam Immenſitas in Deo non correſpondet in Angelo rationi tangendi locum, & exiſtendi in loco; ſed correſpondet vbi, & præſentiæ in loco: ratio enim tangendi locum, ſeu exiſtendi in loco in Deo eſt ſua operatio virtualiter tranſiens, qua applicatur ſubſtantia divina ad locum.

Sed contra inſto, nam ſi immenſitas non eſt id, per quod Deus habet contingere res, in quibus eſt tanquam in loco, ſed tantum eſt ſua vbicatio in rebus vt in loco, ſequitur, Deum ab æterno non eſſe immenſum, ſicut neque ab æterno eſt operans, ſed tantum in tempore; Conſeq. eſt falſum: ergo. Prob. Sequela, vbi non convenit rei locatæ niſi præſuppoſito contactu loci; ſed Deus per operationem virtualiter tranſeuntem non ab æterno, ſed tantum in tempore tangit res: igitur ſi immenſitas eſt vbi, quod Deus habet in rebus, non poterit Deo ab æterno convenire. Confir. Etenim quia æternitas non convenit Deo niſi præſuppoſita immutabilitate, ſi Deus ab æterno non eſſet immutabilis, Deus ab æterno non eſſet æternus: ergo quia vbicari in loco oritur ex contactu loci, ſi id, per quod Deus loca contingit, non convenit Deo ab æterno, ſed in tempore, etiam vbicari in rebus non conveniet Deo ab æterno, ſed in tempore: ergo cum contactus Dei ad res ad extra ſecundum nos ſit per operationem virtualiter tranſeuntem; ſi Deum vbicari eſt eſſe immenſum, ſicut ab æterno non eſt operans tranſeunter, ab æterno non erit immenſus.

Confirm. ſecundo. Etenim quia in noſtra ſententia Angelus contingit locum per operationem, & vbi in loco convenit Angelo poſterius ad operationē, non ponimus vbi in Angelo ante eius operationem: ergo ſimiliter, quia vbi divinum convenit Deo ratione contactus rerum, qui fit per operationē, non poterimus prius ponere in Deo vbi, quam eius operationem: ergo ſi immenſitas eſt vbi divinū, ſicut Deus ab æterno non dicitur operans, ab æterno nō dicetur immenſus. Confir. tertio. Etenim, quia relatio Dominij nequit Deo convenire niſi ponatur in re relatio ſervitutis ex parte creaturæ, dum hæc tantum in tempore ponitur, etiam relatio Dominij in Deo ſolū in tempore ponitur, ſed vbi eſt quædam relatio, quæ rei nequit convenire, niſi ex cōtactu loci: ergo dum ratio tactiva loci Deo tantum convenit in tempore, etiam vbi in rebus ſolum conveniet Deo in tempore, & ſi immenſitas eſt vbi, Deus ab æterno non erit immenſus.

Pro ſolutione horum adverto. Quod ſicut virtus Dei activa, quæ omnipotentia eſt dupliciter conſiderari poteſt, vel per modum actus primi, vel per modum operantis in actu ſecundo; ſic immenſitas poteſt dupliciter capi, vel per modum actus primi, vel per modum actus ſecundi, nempe vt in exercitio Deum conſtituit rebus præſentem: Rurſus ſicut omnipotentia per modum actus primi conſiderata eſt Deo factiva virtus rerum ad extra, & vt actualiter operans eſt actualiter res ad extra contingens, ſic immenſitas per modum actus primi non conſtituit Deum actualiter rebus præſentē, ſed dat illi ab æterno id, per quod rebus ab ipſo in tempore operatis erit præſens; in exercitio autem ſumpta, dat Deo actualiter rebus eſſe præſentem. Rurſus ſicut virtus tactiva rerum per modum actus primi Deo convenit ab æterno, & vt contingens convenit Deo in tempore, ſic immenſitas per modum actus primi convenit Deo ab æterno, per modum vero Deum vbicantis in exercitio convenit Deo in tempore: vnde ſemper habet Deo convenire poſt rationem formalem eſſendi in rebus proportione tamen ſervata actus primi ad actum primum, & actus ſecundi ad actum ſecundum.

Ex his ad primā diſt. Mai. ſequitur Deū ab æterno non eſſe immenſum, ſicut neque eſt operans, immenſitate per modum actus primi, nego Mai. immenſitate vbicante Deum in exercitio, concedo Mai. & nego Min. iuxta datam diſtinctionē. Deus enim ab æterno per modum actus primi dicitur immenſus; ſicut & dicitur omnipotens. Ad primam Confirm. conc. Conſeq. nam

per-

perfectio, quæ dat vbi, ab æterno convenit Deo, ſed vbicari in exercitio ſolum convenit in tempore. Ad ſecundum diſt. Conſ. non poterimus ab æterno ponere in Deo vbi ante operationem cum exercitio vbicandi, conc. Conſeq. per modũ actus primi, nego Conſeq.

Sed dicis, cur in Angelo ante eius operationem tranſeuntem non ponimus vbi adhuc per modum actus primi, & illud in Deo ponimus, cum etiam in Angelo virtus operativa per modum actus primi detur etiam ante operationem? Dico, non poni vbi in Angelo per modum actus primi, quia non eſt inconveniens, quod illi accidentaliter conveniat relatio præſentiæ ad res, ſicut & accidentaliter ei convenit operatio: ponitur autem in Deo ab æterno, quia nihil reale illi intrinſecum poteſt illi advenire in tempore. Secundo dico, quod Angelus non fit præſens loco per ſolam mutationẽ loci, ſed per mutationem eius intrinſecam, & ſic adquirit modum intrinſecum vbicationis quotieſcumque de novo eſt in aliquo loco; Deus autem fit præſens loco per ſolã mutationem loci, & ſic eſt neceſſe, quod id, per quod formaliter eſt loco præſens, ſit idẽ cum ipſo, & ſic debet ab æterno illi convenire. Tertio dico, quod in Angelo ratio tactiva loci, quæ eſt operatio, non ſeparatur; actuali contactu ab ipſo in Deo vero ſeparatur, quia actio tactiva, ſicut & actio operativa ab æterno convenit Deo, effectus autem tangendi, ſicut & operandi ſolum convenit in tempore, & ſic non eſt mirum, quod etiam vbi conveniat Deo ſeparatũ ab exercitio vbicandi.

Ad tertiam, nego Maiorem, eſto enim ab æterno ex parte creaturæ poneretur relatio ſervitutis, tamen ex parte Dei non poneretur relatio realis Dominij, quia vt dicit D. Thom. ſupra quæſt. 13. Deus non eſt eiuſdem ordinis cum creatura, & ſic nequit realiter referri ad illam, neque ab æterno, neque in tempore: relatio autem Dominij, quæ rationis eſt, non ponitur in Deo, niſi relatio ſervitutis ponatur ex parte creaturæ, quia Deus non refertur ad creaturã, niſi quia creatura refertur ad ipſum; vbi autem divinum non eſt relatio ad creaturas, ſed eſt quid abſolutum, ſicut etiam in creaturis vbi prædicamentale non eſt relatio prædicamentalis, eſto ſit tranſcendentalis, & ſic debet Deo ab æterno convenire, quamvis relatio præſentiæ ad creaturas, quæ rationis eſt, in tempore Deo conveniat, ſicut & creaturæ, quibus Deus fit præſens in tempore, fiunt. Sic reſpondetur communiter argumento facto.

Sed melius reſpondetur argumento principali, negando quod immenſitas in Deo ſpectet ad lineam eſſendi; licet ſpectet ad lineam eſſendi in loco. Etenim crediderim, quod immenſitas non ſit quid diſtinctum adæquate ab omnipotentia, ſed ſit ipſa omnipotentia ſecundum aliam conſiderationẽ; etenim omnipotentia duo habet, & habet producere effectum ad extra, & habet per ipſam productionem contingere paſſum, in quo effectum producit: ſecundum primam conſiderationem dicitur omnipotentia, iuxta ſecundam dicitur immenſitas, & ſicut ab æterno dicitur omnipotens, quia ab æterno poteſt res producere in tempore, ita & ab æterno dicitur immenſus, quia poteſt contingere res producendas in tempore; ad quod non ſequitur vbi reale, ſed ſolum relatio rationis; quæ convenit Deo ex tempore, ex hoc quod in tempore exiſtit in rebus à ſe productis.

751 Secundo arguitur, prius Angelus eſt præſens corpori, quam operetur in corpore, & ex corpore: ergo præſentia localis ad corpus præcedit operationem, per quam Angelus operatur in corpore. Prob. Antec. prius eſt agens applicari paſſo, quam operari in illo, nam actio tranſiens egreditur ab agente vt coniuncto paſſo: ergo prius eſt coniungi paſſo, quam operari in illo. Confir. Angelus operatur in toto cœlo, ſiquidem movet totum cœlum; & tamen non eſt in toto cœlo: ergo. Inſuper, poteſt movere corpus non motus cum corpore, ſed quieſcens: ergo operatio non eſt ratio formalis eſſendi in loco, aliàs vbi eſſet operatio, ibi eſſet Angelus vt in loco. Confirm. ſecundo, nam prius eſt eſſe, quam operari: ergo prius eſt eſſe in loco, quam operari in loco. Patet Conſeq. à paritate rationis.

Ioannes à Sancto Thom. vt hoc argumentum ſolvat diſtinguit duplicẽ formalitatem in actione tranſeunte Angeli: aliam applicationis virtutis operativæ, & [illegible] iunctionis cum loco, vt in illo, & ex illo operetur; aliam operationis, quam explicat in ordine ad effectum, quem in loco operatur. Itaque ipſamet actio tranſiens habet duas diverſas expreſſiones, nempe coniunctionis agentis cum paſſo, & operationis in illo: vnde ad argumentum reſpondet in forma, diſt. Antec. prius natura Angelus

eſt

eſt præſens corpori, quam operetur in corpora, prius per aliquam formam diſtinctam ab ipſa actione, ipſamque præcedentem, neg. Antec. prius, id eſt, per aliquam expreſſionem actionis antecedentem ad expreſſionem effectionis, concedit Ant. & diſtinguit Conſ. anteverterit actionem tranſeuntem ſub omni eius expreſsione, neg. Conſ. ſub aliqua tantum expreſsione eius, concedit Conſeq.

Hæc tamen ſolutio quamvis videatur ſubtilis, valde tamen difficilis apparet. Primo, nam ſi admittatur quod eadē actio poteſt primo applicare agens ad paſſum, & deinde operari effectum in paſſo, & ex paſſo, ſequitur, quod etiam Deus per noſtram actionem, vt à Deo eſt, poſsit nos applicare ad operandum, & ſic non requiretur auxilium prævium, vt Deus ad operandum nos applicet diſtinctū ab ipſa operatione; Conſ. in Schola Thomiſtica nequit admitti: ergo. Prob. Sequela, actio agentis iuxta doctrinam datam capax eſt duplicis formalitatis, ſeu expreſsionis, per quarum primam Angelus active ſe applicat ad paſſum, vt deinde per aliam formalitatem eiuſdem actionis operetur in paſſo: ergo & reſpectu Dei poterit habere duas expreſsiones, per quarum primā prævie Deus applicet creaturam ad operandum; & per aliam ſimul cum creatura operetur: Prob. Conſ. nam ſicut illa actio eſt à creatura, ita eſt à Deo; ſed vt eſt à creatura primo illam applicat ad paſſum, vt deinde operetur in paſſo: ergo vt eſt à Deo poterit primo applicare creaturam iuxta primam formalitatem ad operandum, iuxta formalitatem ſecundam cū ipſa creatura. Secundo, illa actio ſub expreſſione applicationis, ſub qua vnit Angelum cum corpore, vel producit aliquid in Angelo tantum, vel producit aliquid in Angelo, & corpore ſimul, vel nihil producit; ſi primum: ergo prout ſic, non eſt tranſiens, quia tantum producit in Angelo; ſi ſecundum: ergo ſub conceptu applicationis habet etiā expreſsionem operationis tranſeuntis: ſi dicatur tertium: ergo ſubſtantia Angeli ſe ipſa in genere cauſæ formalis vnietur loco per ſolam voluntatem extrinſecam Angeli, quod hic Author non admittit.

Dices, producere aliquid tantum in Angelo, nempe vbi, & modum præſentiæ in loco, nec inde ſequi, quod ſubſtātia Angeli ſe ipſa intranſitive vniatur, vel contingat paſſum, ſiquidem inter illam, & paſſum mediat actio applicativa virtutis Angeli ad operandum. Sed contra hoc eſt, nam hoc ipſo, quod actio Angelica ſub formalitate applicationis tantum producat aliquid in Angelo, ſequitur, quod ſub illa formalitate actio non contingat paſſum: ergo media illa non poterit Angelus paſſum contingere. Prob. Conſeq. nam paſſum non contingitur ab Angelo, niſi aliqua forma media illud contingat; ſed ſi tantum producit aliquid in Angelo, non producit aliquam formam immediate paſſum contingens: ergo. Antec. vero Prob. nam paſſum vt paſſum nequit attingi, niſi recipiendo aliquid active cauſatum ab agente: ergo dum illa actio nihil producit in paſſo, non continget paſſum vt paſſum.

Dices, actionem ſub formalitate applicationis attingere paſſum ſolum vnitive, hoc eſt ſolum vnire Angelum paſſo, vt poſſit operari in illo. Sed contra eſt, nam illa vnitio Angeli ad paſſum, vel fit producendo aliquem modum vnionis in paſſo, quo vniatur Angelo, & tunc illa actio habebit formalitatem productionis, & operationis ſub expreſsione applicationis, quod eſt contra iſtum authorem, vel fit nihil producendo, quod ſubiectetur in paſſo, & ſic Angelus illa mediante non poterit paſſum contingere, quia forma, per quam poteſt paſſum contingere debet ſubordinare illud Angelo, quod nequibit fieri, ſi forma producta intrinſice non recipiatur in paſſo. Tandem impugnatur hic modus dicendi, nam vel illa actio ſub formalitate applicationis educitur ex paſſo, vel ex Angelo agente; ſi hoc ſecundum, illa actio, prout ſic, erit immanens, & ſic erit incapax, vt illa Angelus tangat paſſum; ſi primum: ergo bene poteſt intelligi Angelum operari in corpore, & ex corpore, ſine eo quod prævie coniungatur corpori; ſive per ipſam actionem, ſive per formam ab ipſa diſtinctam.

752 Aliter ergo reſpondetur ad argumentum, neg. Antec. ad prob. dico, actionem educi ex paſſo, & egredi ab agēte paſſo coniuncto per ipſam operationē, non per aliquid prævium ad illam: ſicut anima dicitur actus corporis, non corporis ab aliqua forma diſtincta ab anima provenientis, & ſicut ſpecies impreſſa repræſentat potentiæ cognoſcitivæ proxime potenti cognoſcere, quam tamen ipſa ſpecies facit proxime potentem cognoſcere. Itaque duplex debet conſiderari coniunctio cum paſſo; altera per contactum quanti-

Digitized by Google

titativum, quæ fit per hoc, quod vltima eorum, quæ coniunguntur ſint ſimul, & iſta coniunctio nequit fieri per ipſam operationem, ſed debet in agentibus corporeis præſupponi ad illam: altera eſt coniunctio virtutis operativæ ſub munere virtutis operativæ, & hæc formaliter fit per ipſam operationem, ſic, quod ipſum operari intranſitive ſit locum tangere, & ſic tangendo ſit cõiungere agens cum paſſo. Etſi inquiratur, quænam ex his formalitatibus ſit prior altera? An coniungere, vel operari? Dico, in illo, qui ſolo contactu virtutis vnitur alteri, neutram eſſe altera priorem: ſiquidem ad prioritatem requiritur diſtinctio, & inter dictas formalitates non oportet diſtinguere, ſed illas tantum diverſis nominibus explicare.

Ad ſecundam, Prob. quæ eſt prima Confirmatio diſt. Mai. operatur in toto cœlo immediate immediatione virtutis, neg. Mai. immediate in vna parte cœli, & in alijs mediate per virtutem à ſe diffuſam, Conc. Mai. & Conc. Min. nego Conſ. quæ eſt doctrina D. Thom. hic quæſt. 52. artic. 2. ibi: *Nec tamen oportet, quod ſi aliquis Angelus movet cœlum, quod ſit vbique, quia non applicatur virtus eius niſi ad id, quod primo ab ipſo movetur: vna autẽ pars cœli eſt, in qua primo eſt motus, ſcilicet pars Orientis: vnde etiã Philoſophus in 8. Phyſicorum virtutem motoris cœlorum attribuit parti Orientis.* Sed clarius cum tradidit ſupra quæſt. 51. a. 3. ad 3. ibi: *Angeli autem moventur per accidens ad motum corporum aſſumptorum, non autem ad motum corporum cœleſtium, etiamſi ſint in eis, ſicut motores in mobilibus; quia corpora cœleſtia non recedunt de loco ſecundum totum, nec determinatur ſpiritui moventi orbem, locus, ſecundum aliquam determinatam partem ſubſtantiæ orbis, quæ nunc eſt in Oriente, nunc in Occidente; ſed ſecundum determinatum ſitum quia ſemper eſt in Oriente virtus moventis.* Itaque Angelus ex ſitu determinato Oriẽtis impellit immediate rotam cœleſtem, ſecundum quod eius partes perveniunt ad ſitum, vbi eſt Angelus, & ſic immediate tãtum movet partes, quæ tranſeũt per Orientem, alias autem mediate, & per virtutem diffuſam, & ſic non ſequitur, quod debeat eſſe in toto cœlo.

Ex quo patet ad ſecundam Confirm. Angelus enim quieſcẽs in determinata parte Orientis movet cœlum, nec tamen movetur ad motum cœli, vt D. Thom. dicit, quia non eſt in cœli determinata parte, ſed in ſitu Orientis, per quod tranſit tota cœli, & ſic, eſto illa pars moveatur, Angelus non movetur, ſed quieſcit, quia ex eodem ſitu ſemper movet. Ad tertiam Confirm. nego Conſ. ad Prob. nego quod ſit paritas, nam in linea eſſendi ſimpliciter agens nequit efficere propriũ eſſe, & ſic eſt neceſſe, quod vt operetur præſupponatur eſſe ſimpliciter: eſſe autem in loco, quod eſt eſſe ſecundum quid, poteſt eſſe effectus ipſius agentis, quia eſſe in loco nihil eſt aliud, quam locum cõtingere, & contingere contactu virtutis nihil eſt aliud, quam efficere aliquid in paſſo, & ſic non requiritur, quod operari in loco præſupponat eſſe in loco eum, qui operatur.

§. IX.

Solvuntur alia argumenta.

753 TERTIO arguitur. Si Angelus eſſet in loco per ſuam operationẽ, ſequeretur quod moveretur ad motũ corporis moti, & quieſceret ad quietem eius cauſatam ab ipſo; Conſeq. eſt falſum: ergo. Prob. Min. cœleſtes ſphæræ ſemper moventur ab Angelis; & tamen Angeli ſemper quieſcunt in determinata parte Orientis: ergo non moventur ad motum corporum motorum ab ipſis. Confir. animæ rationales in ſtatu ſeparationis ſunt in loco, & moventur de loco ad locum; & tamen non poſſunt movere corpora ab ipſis non vivificata, vt docet D. Thom. infra quæſt. 117. art. 4. ergo ratio eſſendi in loco ſubſtantijs immaterialibus non eſt earum operatio tranſiens.

Nec valet ſi dicas, animam ſeparatam dupliciter ſpectari poſſe; vel vt formã corporis, ſub qua ratione ſpectata, ſervat habitudinem ad corpus, à quo ſeparata eſt, vel vt ſubſtantia ſeparata, qua ratione gaudet modo eſſendi alijs ſubſtantijs immaterialibus completis debito: ſi primo modo conſideretur, ſic verum eſſe, animã ſeparatam non poſſe movere aliud corpus præter illud, cuius eſt forma; non autem eſſe verum ſi ſecundo modo ſpectetur: ſic enim cum in modo eſſendi Angelis aſſimiletur, pariter aſſimilatur eis in hoc, quod eſt poſſe movere naturaliter alia corpora: ſicut ob eandem rationem, eſto anima, vt corporis forma, non poſſit intelligere niſi entia phantaſiata, tamen ſeparata, dum modo eſſendi Angelorum aſſimilatur, etiam aſſimilatur eis

In

modo intelligendi: vnde intelligit per ſpecies infuſas, & ſine converſione ad phantaſmata, ſicut ſubſtantiæ completæ ſeparatæ.

Non (inquam) valet, nam ſecundum D. Thom. loco in argumento adducto in ſolutione ad 1. anima ex natura ſua eſt determinata ad movendũ tantùm corpus, quod vivificat; ſed dum eſt ſeparata à corpore, nullum corpus vivificat, vt per ſe patet: igitur ſeparata à corpore nequit movere aliquod corpus. Neque paritas adducta iuvat, nam vt bene diſcurrit Caietanus in eodem articulo, anima ex natura ſua non eſt determinata ad intelligendum tantum ens phantaſiatum, ſed ad intelligendum ens vt ſic: vnde intelligere primum ſolum convenit illi ratione ſtatus coniunctionis cum corpore, & ſic ſeparata à dicto ſtatu non manet alligata ad intelligendum ens phantaſiatum, & ſic poteſt intelligere per ſpecies à Deo illi infuſas.

Ad hoc argumentum, diſt. Mai. ſi moveat corpus ſemper ex eodẽ ſitu, nego Mai. ſi moveat mutando ſitũ, ſicut & illud mutat corpus, quod ab ipſo movetur, conc. Mai. & neg. Min. ad Prob. dico, Angelum movere ſphęram ſemper ex eodem ſitu, nempe ex parte determinata Orientis, & ſic non moveri ad motum ſphęræ. Dices, Angelum non poſſe perſeverare in eodem ſitu, niſi corpus, quod movet, vel eius pars perſeveret in eodẽ ſitu; ſed nec tota ſphęra, nec pars ſphęræ perſeverat ſemper in eodem ſitu, cum omnia ſint in continuo motu: ergo Angelus nõ poterit movere ex eodem ſitu, ſi in illo ſit per ſuam operationẽ. Ad hoc, nego Mai. ſufficit enim vt ſemper ſit aliqua pars ſphęræ mobilis in ſitu, ex quo movet Angelus, nec requiritur, quod ſit iſta determinate, vel illa: ſicut dicunt phyſici, quod locus materialis ſemper eſt vnus, & immobilis, quia licet varientur materialiter ſuperficies ambientes, tamẽ ſemper datur ſuperficies ambiens corpus in eadem diſtantia à polis mundi, & centro terræ: eſt enim illa variatio materialis tãtum, & ſic non tollit vnitatem formalem, & immobilitatem eiuſdem loci. Sic ergo dico, quod dum vna pars ſphęræ relinquit ſitum, in quo movet Angelus, & alia immediate ſuccedit, variatio illarum partium materialiter ſe habet, dum ſemper verificatur de ſphęra, quod ſecundum aliquam partẽ ſui accipit motum ab Angelo ex determinata parte Orientis, & ſic ſphęra ſemper movetur, & Angelus quieſcit in eodem ſitu.

754 Ad ſecundam Ioannes à Sancto Thoma negat Min. aſſerit enim, animas in ſtatu ſeparationis poſſe movere virtute ſibi naturali quodcumque corpus, quia eſto movere vivificando in genere cauſæ formalis tantum ſpectet ad animam ſub munere, & ſtatu formæ, poteſt tamen illi convenire in ſtatu ſeparationis, in quo Angelis aſsimilatur, movere alia corpora non vivificando illa: vnde aſſerit, animas aſcendere, & deſcendere per propriam naturam operando motum localem in corporibus. Sed miror doctiſsimum Thomiſtam, acerrimumque defenſorem D. Tho. ſic in hoc recedere à doctrina D. Tho. qui loco citato ex quæſt. 117. art. 4. ita expreſſe tenet, animas in ſtatu ſeparationis virtute naturali ſua nullo modo poſſe movere corpus, niſi vivificando illud, quod nulla explicatione poſsit in oppoſitum adduci, quod vt appareat adducam literam eius. In corpore enim articuli, in quo quæſierat (non de anima coniuncta corpori, ſed de illa vt ſeparata) vtrum poſsit corpora ſaltim localiter movere? Reſpondet: *Dicendum, quod anima ſepar[ata] ſua naturali virtute non poteſt movere a[li]quod corpus: manifeſtum eſt enim, quod cu[m] anima eſt corpori vnita non movet corpus niſi vivificatum: vnde, ſi aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit animæ ad motum localem; manifeſtum eſt autem, quod ab anima nullum corpus vivificatur, vnde nullum corpus obedit ei ad motum localem, quantum eſt de virtute ſuæ naturæ, ſupra quam poteſt ei aliquid conferri virtute divina.* Quid clarius? Sed pondero exemplum D. Tho. ſi anima ſeparata à corpore haberet virtutem naturalem ad movendum localiter corpus, ſequeretur, quod dum aliquod membrũ mortificatur, à quo anima ſeparata eſt, poſſet moveri localiter ab anima virtute ſua naturali, ſic, quod ſine miraculo moveret illud; ſed D. Thom. dicit quod non: ergo cõtra mentem eius eſt affirmare, quod anima ſeparata virtute ſibi naturali poteſt movere quodcumque aliud corpus. Prob. Sequela; eſto anima ſit coniuncta alijs partibus, & membris corporis, non tamen eſt coniuncta illi membro mortuo ſaltim vt anima, quia illud eſt inanime: ergo poſſet illud movere localiter, ſicut adæquate ſeparata à corpore poteſt movere quodcumque aliud corpus.

Pondero etiam ſolutionem ad primum quod ſic procedebat: *Subſtantia enim ſpiri-*

tua-

Digitized by Google

tuali naturaliter obedit corpus ad motum localem; ſed anima ſeparata eſt ſubſtantia ſpiritualis: ergo ſuo imperio poteſt exteriora corpora movere. Ad quod dicit: *Dicendum, quod ſubſtantiæ quædam ſpirituales ſunt, quarum virtutes non determinantur ad aliqua corpora, ſicut ſunt Angeli, qui ſunt naturaliter à corporibus abſoluti, & ideò diverſa corpora eis poſſunt obedire ad motum localem. Si tamen alicuius ſubſtantiæ ſeparatæ virtus motiva determinetur naturaliter ad movendum aliquod corpus, non poterit illa ſubſtantia movere aliquod corpus maius, ſed minus: ſicut ſecundum philoſophos motor inferioris cœli non poſſet movere cœlum ſuperius: unde cum anima ſecundum ſuam naturam determinetur ad movendũ corpus, cuius eſt forma, nullum aliud corpus ſua virtute naturali poterit movere.* Sic D. Tho. Quæ omnia nullo modo poſſunt habere veritatem, ſi anima ſeparata virtute ſua naturali poſſit movere alia corpora, vt ponit Ioannes à S. Thoma, & ſi quantum ad hoc, quod eſt movere virtute naturali alia corpora aſſimilarentur animæ Angelis, non poſſet D. Thom. hoc Angelis concedere, & animabus negare; ſicut rotunde negat. In quam ſententiam eſt Caietanus ibidem, dum dicit: *Reſp. obiectis, ad primum, quod licet in communi loquendo de animabus ſeparatis, non poſſit anima ſeparata operari operatione, quæ eſt vere motus localis in corpore, ſeu loco aliquo; ad ſpecialem tamen ordinem divinæ prædeſtinationis, & providentiæ pertinentis ad id genus diſcernendo, poſſunt animæ ſeparatæ agere, & pati in corporibus, & locis ſecundum idem genus motus, quo moventur Angeli.* Sic Caietanus: ea autem, quæ ad ſpecialem ordinem divinæ prædeſtinationis ſpectant, non ſunt quæ conveniunt animæ ex ipſa natura ſua. Vnde falſo hic Auctor citat pro ſe Caietanum.

755 Neque huic veritati obſtant, quæ Ioannes à Sancto Thoma in ſui favorẽ adducit, nempe animam ſeparatam operari ad modũ ſpiritus; cum ergo ſpiritus ſe moveant localiter, videtur etiam conſentaneũ animas etiam propria virtute ſe movere localiter. Tum, quia ex oppoſito ſequeretur animam in ſtatu ſeparationis inferiorẽ eſſe corpore, cum hoc poſſit ſe localiter movere, & non anima. Tum etiam, quia fruſtra dediſſet illi natura appetitum, & voluntatem circa res abſentes, & loco diſtantes, ſi privaſſet illam potentia exequutiva motus localis, & deberet expectare, quod Angelus, vel dæmon vellet illam hinc, & inde deferre, quod certe (inquit) eſſet deficientiſſima providentia in ſubſtantia ita nobili. Quod vero habeant appetitum eſſendi in loco diſtanti, probat ex illa hiſtoria Evãgelica, in qua anima divitis petebat, vt mitteretur ad ſe anima Lazari, & ad domum Patris ſui. Cui reſpondit Abraham, quod chaos magnum firmatum erat inter illa duo loca, vt hi, qui volunt hinc tranſire ad nos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare. Præterea, animę, quæ ſunt in purgatorio deſiderant eſſe in cœlo: ergo (concludit) animæ ſeparatæ poſſunt mutare loca, & eis conceditur potentia exequutiva localis motus.

Hæc tamen non obſtant, nam facile diluuntur. Ad primum dico, animas ſeparatas operari ad modum ſpiritus, non in omnibus, ſed in aliquibus: vnde intelligunt, & volunt ad modum ſpiritus completi, nempe per ſpecies infuſas, quia in ordine ad has operationes animæ non ſunt ex rei naturà determinatæ ad corpus, hoc eſt, ad habendas ſpecies miniſterio corporum, ſed hoc tantum illis convenit pro ſtatu coniunctionis: ſunt autem ex rei natura determinatæ ad ſolum movendũ localiter corpus, quod vivificant, vt D. Tho. dicit loco ſupra citato: cum ergo ſeparatæ nullum corpus vivificent, nullum corpus movere poſſunt localiter. Neque obſtat ſecundum, quia animæ purgatorij vere habent appetitum eſſendi in cœlo, non fruſtra: à purgatorio autẽ ad cœlum niſi Deo miſericorditer operante, propria virtute pervenire non poſſunt. Præter quam quod, animæ non habẽt appetitum naturalem ambulandi propria virtute de vno loco in alium, ſed tantum deſiderant à pœnis liberari, ſive propria virtute, ſiue aliena, ſive active, ſive paſſive; neque amplius probat locus Scripturæ adductus. Neque eſt inconveniens denegare animæ ſeparatæ potentiam exequutivam movendi ſe localiter, quæ viliſſimis animabus conceditur, quia eſto anima rationalis ſit forma nobiliſſima, tamen incompleta eſt, & ſic, non eſt neceſſe dare animæ ſeparatæ id, quod convenit ſubſtantijs completis, quia completæ ſunt.

Hac ergo ſolutione relicta ad Argumentum dico, animas ſeparatas eſſe in loco, vel tranſire de loco ad locum, vel mere paſſive ſe habendo, ſicut de anima mendici videtur, iuxta illud Lucæ: *Factum eſt, vt portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ;* vel propria virtute adiuta divina, vt illis com-

mu-

municata: ſi primo modo contingat, erunt in loco per paſsionem, ſicut plures ponunt: ſi ſecundo modo contingat, erunt in loco per propriam operationem, quæ eſt noſtra ſententia.

756 Quarto Arguitur, Angeli in cœlo empyreo nihil operantur, & tamen in illo tanquam in loco ſunt: ergo operatio no eſt illis ratio formalis eſſendi in loco. Probatur Maior, quia cum cœlum empyreum ſit immobile, motum localem in illo nequeũt cauſare, neque alias qualitates poſſunt per proprias operationes illi imprimere, quia cœlum empyreum nequit alterari, & ſic nullam qualitatem ex actione Angelorum poteſt recipere. Confirm. Angelus poteſt exiſtere in vacuo, ſicut D. Tho. concedit, quodlib. 6. art. 3. quod poteſt eſſe ſuper cœlum empyreum; & tamen in vacuo actualiter nequit operari: ergo. Confirm. ſecundo; nam poteſt Angelus etiam moveri localiter per vacuũ, nam corpus poteſt moveri per vacuum vt habetur 4. phyſic. vnde multo melius Angelus poterit moveri per illud, & tamen in vacuo nihil poteſt operari: ergo. Confir. tertio, ratio formalis eſſendi in loco debet Angelo eſſe intrinſeca; ſed operatio tranſiens, cum ſubiectetur in paſſo, eſt extrinſeca Angelo: igitur operatio tranſiens nequit eſſe Angelo ratio formalis eſſendi in loco. Confirm. quarto Angeli Cuſtodes hominum nũquam deſerunt ſuos alumnos; & tamen non eſt credibile, quod ſemper in eis aliquid producãt: igitur non ſunt in illis per operationem tranſeuntem.

Ad hoc argumentũ, nego Mai. ad Prob. dico, quod Angeli producunt in cœlo empyreo lumen aliquod, ad cuius receptionẽ non eſt neceſſe, quod empyreum alteretur, nec eſt neceſſe, quod moveatur localiter, ſed mere intentionaliter; quod autem productio luminis ſufficiat ad eſſendum in loco, eſt doctrina D. Tho. in 1. diſt. 37. quæſt. 3. art. 1. ibi: *Angelus eſt in loco, in quantum operatur circa aliquod corpus locatũ, vel motum, vel lumen, vel aliud huiuſmodi.* Sed inſtas cum Suarez, ſubſtantia perfectiſsima, quale eſt cœlum empyreum debuit à ſuo conditore cum omni perfectione ſibi debita procedere, ſubindeque omne lumen ſibi debitum ab ipſo accipere: non ergo debuit quoad lumen ab Angelis perfici. Reſpondeo. Ita eſſe, quod empyreum debuit creari cũ omni perfectione ſibi ab intrinſeco debita, ſic, quod non indigeret eam ab Angelis accipere: cum hoc tamen ſtat, quod habeat capacitatem recipiendi ab extrinſeco aliquod lumen, non quia cœlum illo indigeat, ſed quia Angeli, vt ibi ſint, indigent illud producere. Quod autem habeat præfatam capacitatem recipiendi lumẽ ab Angelis patet, quia licet ſit perfectiſsima ſubſtantia, eſt tamen materialis, & corporea, & per conſequens ſubdita Angelis, & eis obediens, ſi non quoad motum localem, quia creatum eſt immobile, ſaltim quoad lumẽ. Nec obſtat, quod aliqui dicunt, quod ſi continuo reciperet lumen ab Angelis, & animabus beatis, tanta luce, & ſplendore niteret, quod radios ad nos emitteret, ſic, vt videretur, ſicut Sol, & alia corpora cœleſtia. Non (inquam) obſtat; nam cœlũ empyreum non habet lumen condenſatum, vt radios emittat; ſicut corpus Solis, quæ eſt doctrina D. Thom. infra quæſt. 66. artic. 3. ad 3.

Poſſemus etiam dicere ad argumentum, quod cœlum empyreum influit in corpora ſibi inferiora ſtabilitatem, & perpetuitatem, & ad hoc iuvatur ipſa actione Sanctorum Angelorum. Ad primam Confir. nego Mai. nec D. Thom. vnquam dixit oppoſitum, ſed tantum dicit Angelos poſſe eſſe in ſuperficie convexa cœli empyrei, ibi autem aliquid operari poteſt; ſicut & in empyreo. Ad ſecundam Confir. dico, quod motu diſcreto poteſt tranſire per vacuum, id eſt, operando in vna parte loci, & ſine tranſitu per vacuum operando in altero extremo: motu autem continuo per vacuũ moveri non poteſt. Nec eſt idem de corpore, nam corpus movetur continue per repletionem vacui, vel mutando ſitum reſpective ad primum continens. Ad tertiam, nego Min. operatio enim Angeli non eſt formaliter tranſiens, quæ ſubiectetur in paſſo, ſed formaliter immanens, & ſolum virtualiter tranſiens, id eſt producens effectum in paſſum. Sed inſtas, ergo contingit corpus per aliquid ſibi extrinſecum, nempe per effectum, quem ſolum intrinſece recipit paſſum: igitur non erit in loco per aliquid ſibi intrinſecum, nam effectus cauſæ efficientis eſt extra efficientem. Reſpondeo, effectum immediate procedentem à virtute, quæ ineſt Angelo, eſſe extra Angelum extremitate diſtinctionis, non extremitate diſtantiæ localis, & ſic, adeſt Angelus, vbi eius effectus adeſt.

Digitized by Google

§. X.

Vtrùm Angelus ſit in loco violento per meram paſsionem?

257 PARTEM affirmantem tenent frequenter Thomiſtæ. Sed dum exiſtimo oppoſitum ſentire D. Thom. non poſſent illis adhærere. Vnde ſit concluſio. Angelus non eſt in loco violento per puram paſsionem cauſatam ab aliquo corpore, vt Dei inſtrumento. Ita tenēt Ferrara tertio contrag. cap. 68. illis verbis: *Sed quia D. Thom. in 4. diſt. 44. quæſt. 3. art. quia 2. videtur velle, quod talis detentio, & obligatio, exiſtentiam eius in igne ſicut in loco, præſupponat, ideo ſecundò reſponderi poteſt, quod aliquid in ignem agunt, aut ſcilicet motum, aut aliquid eis occultum.* Tenent Mag. Serra hic quæſt. 52. art. 2. & moveor ad hanc ſententiam, quia exiſtimo eſſe ipſam mentem D. Thom. Quod mihi ſuadeo primo ex eo, quod quamvis apud D. Tho. paſsim inveniatur, Angelos alligari, & detineri in loco ab igne inferni, vt inſtrumēto Dei agente in illos virtute divina, nullibi tamē inveniatur dixiſſe Angelos eſſe in loco per paſsionem illatam à corpore, ſed quotieſcumque ſermonem facit de ratione formali eſſendi in loco, ſemper dicit eſſe applicationem virtutis ad operandum, quod eſt ſentire Angelos per paſsionem illatam à corpore non locari. Moveor etiam ſecundò, quia loquendo de hac obligatione, & detentione ſpirituum, ſemper inſinuat D. Thom. illam ſupponere Angelum eſſe in loco, in quo alligatur. Sic enim habet quæſt. 26 de veritat. art. 1. *Operatio rei eſt in poteſtate operantis voluntarie, & ideo in poteſtate naturæ ſpiritualis eſt vniri corpori per modum motoris, aut locari, & ſeparari ab eo ſecundum ordinem naturæ, ſed quod ſubſtantia ſpiritualis hoc modo vnita corpori, & ab eo detineatur, & impediatur, & quaſi ligetur eſt, ſupra naturā: ignis ergo ille corporeus agens vt inſtrumentum divinæ iuſtitiæ facit aliquid ſupra virtutem naturæ, ſcilicet animā detinere, vel alligare, ſed ipſa vnio per modum prædictum eſt naturalis.* Quibus verbis expreſſè tenet detentionem, & alligationem Angelorum ad locum ſupponere iam Angelos in loco, in quo alligantur. Hoc ipſum docet in ſecundo diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. ad 1. ibi: *Non dicuntur* (loquitur de dæmonibus) *eſſe in loco, quaſi ex loco corporali aliquid accipientes, ſed quaſi circa locum operantes aliquid. Si ergo non ſunt in loco per id, quod à corpore locante accipiunt, ſed per id, quod operantur in loco: igitur non ſunt in loco per hoc, quod patiuntur à corpore locante.* Hoc ipſum docet in 4. diſt. 44 quæſt. 3. art. 3. quia 2. ibi: *Quamvis autem res corporea ex ſua natura habeat, quod ſpiritum incorporeum loco definiat, non tamen habet ex natura ſua, quod ſpiritum incorporeum loco definitum, detineat, vt ita ligetur illi loco, quod ad alia divertere non poſsit, cum ſpiritus non ita ſit in loco naturaliter, quod loco ſubdatur, ſed hoc ſuperadditur igni corporeo, in quantum eſt inſtrumentum divinæ iuſtitiæ vindicantis.* Quibus expreſſe tenet detentionem ſpirituum in aliquo loco ſupponere Angelos eſſe in loco definitive.

Pondero vlterius, quod diſtinguat inter alligationem, & detentionem ſpirituum ad locum, & rationem formalem locandi definitive: de primo dicat convenire corpori ſolum virtute divina, & vt Dei inſtrumento; de ſecundo vero dicat convenire loco naturaliter. Ex quibus ſatis conſtare poteſt, quod ſpiritus non ſunt in loco definitive per hoc, quod patiuntur alligationem, & detentionem ab ipſo. Dices, cum Salmanticenſibus, quod dum D. Thom. dicet corpus habere ex natura ſua, quod ſpiritum loco diffiniat, loquitur de corpore locante Angelum naturaliter, quia corpus naturaliter poteſt pati ab Angelo, cùm vero ait, quod corpus non habet ex natura ſuà, ſed ex virtute divina, quod ſpiritum corporeum loco definitum detineat; loquitur de loco violento, & de corpore, vt active locante Angelum, quod ſolum ſupernaturaliter convenit corpori. Ad id autem, quod adduximus ex ſecundo ſentent. reſpond. loqui de diverſis modis, quibus Angeli ſunt in loco, necnon & de diverſis eorum locis, & ideo verba illa non intelliguntur de modo eſſendi in loco paſsive, ſed de modo eſſendi in loco active.

Sed has explicationes non eſſe ad mētem D. Thom. ſic comprobo. De prima, nam D. Tho. expreſſe diſtinguit inter hæc duo, nempe corpus definire Angelum in loco, & hoc quod eſt Angelum iam loco definitum detinere in loco, à quo iam definitum ſupponitur: ergo detentioni, & alligationi, ad quam Angelus mere paſsive ſe habet, non tribuit rationem formalem locandi: ſi enim corpus Angelū per hoc quod virtute divina detinet, Angelū locat defini-

tive, non ergo detentio ſupponit Angelm à loco definitum, & locatum, ſed dentio. & alligatio iuxta D.Thom. ſupponit Angelum loco definitum: ergo per illā ngelus non locatur in corpore. Similiter ſolvola apparet explicatio ad authoritatem x, ſecundo ſent. Tunc, quia D.Thom. expreſſe loquitur de dæmonibus in inferno exiſtentibus tanquam in loco, vt patet ex argumento, quod ſolvit, & de illis aſſerit, non eſſe in loco per ea, quæ accipiunt à loco, ſed per hoc, quod operantur in illo: ergo ſentit eſſe in loco non convenire dæmonibus in inferno per id, quo mere paſsive ſe habent reſpectu ignis inferni. Vlterius inquiro, Dæmones ſunt in inferno tanquam in loco connaturali eorum naturæ, vel tanquam in loco violento? Sane hoc ſecundū debet dici, ſed de hoc loquendo, dicit Div. Thom. non convenire dæmonibus, quaſi aliquid accipientes ab ipſo, ſed quaſi operantes in ipſo: ergo eſſe in loco violento ſecundum D.Th. non convenit Angelis per hoc, quod patiuntur à loco, ſed per hoc, quod operantur in illo. Tandem, noſtram ſententiam eſſe D. Th. mentem mihi ſuadet, quod D.Th. in innumeris locis ſemper docet, quod Angeli non ſunt in loco quaſi contenti à loco, ſed quaſi continentes locum; ſed ſi ſint in loco per potentiam paſſivam erunt in loco per hoc, quod continentur à loco, non vero per hoc, quod contineant illud; nam agens ſibi ſubordinat, & continet paſſum: ergo.

758 Sed iam rationibus probetur concluſio. Angeli ſolum ſunt in loco per contactum virtutis, quo contingunt locū; ſed ratione potentiæ paſsivæ non contingunt locum: ergo ratione potentiæ paſsivæ non ſunt in loco. Prob. Min. dum mere paſsive ſe habent Angeli ad corpus agens in illos, mere tanguntur à corpore: ergo non tangunt corpus. Dices, non poſſe Angelum tangi active à corpore, quin corpus retangatur ab Angelo, ſicut non poteſt corpus per ſuam virtutem molis locum tangere, quin retangatur à loco: ſi ergo Angelus tangitur à corpore, corpus retangetur ab Angelo. Sed contra hoc eſt, nam vt conſtat ex Ariſtotele 1. de ortu, & interitu, eum, qui nos offendit, dicimus tangere nos, non vero dicitur, nos illum tangere: cum ergo corpus tangens active Angelum, ipſum offendat, dicetur Angelus tangi à corpore, non vero tangere illud. Secundò, nam Angelus nequit active tangere corpus niſi per operationem: ergo ſi ſupponamus mere paſsive ſe habere ad corpus, tangetur à corpore; ſed nulla via tanget corpus. Et quidem ſunt aliqua prædicata, in quibus non habetur reactio, ſicut non valet forma informat materiam: ergo reinformatur à materia, ſed tantum dicimus, materiam informari à forma, & hoc ideo, quia ex parte vtriuſque extremi non inveniuntur requiſita ad præſtandum eundem effectum formalem ſimilem: vnde quia duo corpora ſic ſe habent, quod alterum, alterum circumſcribit, mutuo dicuntur ſe tangere, quia ratio tactiva invenitur in ambobus; non tamen dicuntur ſe mutuo circumſcribere, quia circumſcriptio activa tantum fit per ſuperficiem concavam, quæ tantum invenitur in corpore locante, dum locatum tantum proportionatur loco ratione ſuperficiei convexæ: cum ergo contactus fiat per actionem tranſeuntem, dum Angelus mere paſsive ſe habet ad corpus, tangetur à corpore, ſed non retanget corpus.

Dices ſecundæ rationi noſtræ, quod vt Angelus ſit in loco naturali, ita eſt, quod debet tangere corpus, vt vero ſit in loco violento, ſufficit, quod à corpore tangatur. Sed contra hoc manifeſte inſto, etenim pure tangi ab aliquo activo non ſufficit ad ponendum in loco id, quod tangitur: ergo ſolutio nulla. Prob. Antec. dum Angelus active tangit corpus, & non retangitur à corpore, ſolus Angelus eſt in corpore tanquam in loco, corpus vero nulla via eſt in Angelo tanquam in loco: ergo ad eſſendum in loco non ſufficit tangi ab aliquo agente, ſed requiritur vlterius retangere illud. Explicatur vis huius rationis, dum Angelus patitur à corpore active agente in illum, ſic ſe habet, ſicut corpus, dum active tangitur ab Angelo, ſe habet ad Angelum tangentem; at corpus, dum non retangit Angelum, non eſt in Angelo tanquam in loco: ergo dum Angelus non retangit corpus, à quo active tangitur, non erit in corpore tanquam in loco.

Dices quod ad hoc, vt Angelus locetur, ſufficit, quod quomodocumque corpori vniatur; ſed dum corpus vnitur Angelo, Angelus reunitur corpori: ergo cum iſta reunio illi conveniat ratione potentiæ paſsivæ, vere ratione illius Angelus locabitur in corpore. Sed contra eſt, nam non quælibet vnio ſufficit ad conſtituen-

Digitized by Google

dam rem in loco! etenim dum Angelus per ſuam operationem vnitur corpori, etiam corpus reunitur Angelo; & tamen non ſufficit hæc reunitio ad hoc, vt corpus ſit in Angelo tanquam in loco: ſimiliter duæ quantitates dum penetrantur mutuo, vniuntur in eodem ſitu; & tamen neutra eſt in alia tanquam in loco: ergo reunitio quælibet non ſufficit ad rem ſtatuendam in aliquo tanquam in loco. Et ratio ea eſt, quia ſicut de ratione corporis locati eſt quod vniatur loco, vt res contenta, & circumſcripta ab illo: ſic vt ſpiritus ponatur in aliquo tanquam in loco, requiritur, quod vniatur loco, vt tangens illum contactu virtutis, & vt ſibi locum ſubordinans, & continens; quorum nihil invenitur, ſi ponatur Angelum mere paſsive ſe habere ad corpus.

759 Secundo prob. ratione Concluſio. Nam ſi Angelus ſit in loco per paſſionem tanquam per rationem formalem, ſequitur, Angelum ſimul poſſe eſſe in duobus locis adæquatis; ſed hoc non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, corpus ideo non poteſt eſſe in duobus locis adæquatis, quia tantum gaudet vna ratione formali eſſendi in loco: ergo ſi in Angelo ponantur duæ rationes formales eſſendi in loco, poterit Angelus eſſe in duobus locis adæquatis. Confirm. ideo Corpus Chriſti poteſt eſſe ſimul in cœlo, & in hoſtia, quia ratione quantitatis eſt in cœlo, & ratione conſecrationis eſt ſub hoſtia. Et ideo & ſi totus, & totaliter ſit in vna hoſtia, poteſt ſimul eſſe in diverſis hoſtijs, quia ratio formalis eſſendi ſub hoſtia, nempe conſecratio, poteſt ſimul multiplicari: ergo ſi eidem Angelo damus, quod ſit in loco per operationem, & quod ſit in loco per paſsionem, dabimus quoque, quod poſsit eſſe ſimul in duobus locis adæquatis.

Dices aſsignari Angelo duas rationes eſſendi in loco diviſive, non vero ſimul. Vnde non ſequitur, quod ſimul poſsit eſſe in duobus locis adæquatis. Et aſsignabis rationem, quia Angelus non patitur alio modo, niſi quia impeditur agere, & operari vbi ipſe vult, & ſic nequit ſimul pati, & ſimul operari. Sed contra eſt, nam ſupponamus, quod poſtquam Angelus eſt in hoc gymnaſio Romano per productionem luminis impediatur ne ſit in hoc gymnaſio per præfatam productionem luminis, non autem impediatur producere lumen in palatio Regio Neapolitano, tunc Angelus erit in hoc gymnaſio Romano, quia hic patitur, dum hic impeditur producere lumen, & erit in Regia Neapoli per productionem luminis: ergo erit in duobus locis adæquatis ſimul, & non tantum diviſive.

Dices, quod dum Angelus patitur in hoc gymnaſio, non poteſt permitti operari extra locum adæquatum ſuæ activitatis, ſed poterit permitti operari intra locum adæquatum ſuæ activitati, computando intra locum adæquatum hoc gymnaſium Romanum, in quo patitur, & ſic, tunc erit in duobus locis inadæquatis; in altero per paſsionem, & in altero per actionem tranſeuntem. Sed contra hoc eſt, nam hoc ipſo, quod dentur duæ rationes formales eſſendi in loco in Angelo, debent quoque dari duo loca adæquata, quorum alterū definiat activitatem Angeli, & alterum eius paſſivitatē; ſed dū in hoc gymnaſio Romano Angelus patitur, quia ibi de facto non operatur, gymnaſiū hoc non definit activam virtutem Angeli, ſed ſolum eius paſſivitatem: ergo hoc gymnaſium non erit intra definitionem adæquatam virtutis activæ Angeli: ergo poterit hic pati, & producere lumen in Regia Neapolitana. Explicatur hoc, ideo Angelus nequit hic operari, & ſimul Neapoli, quia dum hic operatur, virtus eius activa ab hoc loco diffinitur; ſed ſi patiatur hic, & non operetur, locus hic non diffinit virtutem Angeli activam: ergo poterit immediate diffiniri à loco Neapolitano, & ſic eſſe poterit hic per paſsionem, & Neapoli per operationem.

760 Tertio prob. Concluſio. Animæ, quæ ſunt in lymbo, ſunt in loco violento, & præternaturali: eſt enim lymbus locus inconſonus, & indecens ſubſtantiis rationales factas propter Empyreum, & ad fruitionem gloriæ ordinatas; ſed in lymbo non ſunt per paſsionem: ergo falſum eſt, quod in loco violento ſpiritus ſint per purā paſsionē. Prob Min. quia animæ in lymbo nullam pœnam ſenſus habent, cum hac pœna ſolum plectantur ſpiritus, qui per proprium actum peccaverunt: ergo ibi non ſunt per paſsionem. Prob. Conſequent. nam hæc paſsio explicatur per hoc, quod prorſus impediantur animæ ab

perando, tam in lymbo, quam in om-
lo loco; ſed ſpiritum ſic impediri ab
il ſua operatione, eſt maxima pœna,
ſi vivens corporeum plecteretur in
quod nullam operationem corpora-
exercere poſſet, maxima pœna ple-
tur: ergo ſi pœna ſenſus non convenit
entibus in lymbo, non erunt in illo per
ionem.

Dices, hoc non eſſe illis in pœnam,
ex divina providentia habent, quod
apprehendant actu prædictum lo-
, vt diſſonum, & diſconvenientem,
reluctentur ei; aut detentione in
triſtentur. Sed contra eſt, quia dum
i ſpiritus nulla ſua innatata operatio-
gaudere poſſunt, non poſſunt non ap-
iendere ſe eſſe impeditos ad operan-
n, ſic, quod nullam operationem va-
nt exercere: ergo non poſſunt non tri-
i de tali paſsione; ſi enim quis ſenti-
ſe compedibus impeditum, ſic, quod
um non poſſet dare paſſum, non poſſet
n torqueri illa imaginatione, qua ſic
npeditum apprehenderet: paſſus au-
n in ſpiritibus ſunt operationes; ſi er-
ibi ſunt impediti ab omni ſua ope-
ione, ſine dubio plectentur maxima
na.

§. XI.

Solvuntur Argumenta.

761 POTERAT Contra Con-
cluſionem primo formari
argumentum ex varijs lo-
Div. Thom. in quibus habetur, ſpiri-
s alligari loco, & detineri in illo per
ſionem à corporibus in eos illatam, &
, eſſe in loco per paſsionem. Cæterum,
ia, vt ſupra vidimus, aliud eſt Angelum
ſe in loco, & aliud eſt alligari loco,
eo ſupervacaneum duximus argumen-
m ex his authoritatibus formare, &
lvere: reticemus ergo illud. Et ratio-
ſic argumentamur primo. Per id Ange-
s eſt in loco ſaltim violento, & præter-
aturali, per quod paſsive tangitur ab
odem loco; ſeu ratione paſsionis illa-
e ab aliquo corpore, Angelus tangi po-
ſt à corpore: ergo ratione illius po-
ſt Angelus eſſe in loco. Prob. Mai. hoc
io, quod Angelus tangatur à loco cor-
oreo, non poteſt in ſe intrinſece non
dquirere præſentiam ad corpus, à quo
tangitur; nec poteſt non habere diſtan-
tiam localem ratione talis corporis à po-
lis mundi, & centro terræ: ergo non po-
teſt non eſſe in loco ratione paſsivi con-
tactus.

Ad hoc, nego Mai. diximus enim ſu-
pra, Angelum ſolum poſſe eſſe in loco
per hoc, quod active tangat locum. Ad
Prob. dico, in Angelo non reſultare vbi
locale per hoc præciſe quod tangatur à
loco corporeo: ſicut in corpore paſsive
contacto ab Angelo per ſuam operatio-
nem non reſultat vbi locale, ſed tantum
in Angelo tangente, & ſibi ſubordinante
locum. Inſtabis, Angelus per hoc præciſ-
ſe, quod tangitur à corpore, eſt præſens
localiter; non per modum loci corporis
tangentis, nam hoc tantum eſt in loco
per ſuam quantitatem: ergo eſt in loco
per modum locati à corpore, à quo tan-
gitur. Ad hoc dico, quod Angelus per hoc,
quod mere tangitur à corpore, neque eſt
præſens corpori præſentia loci, neque præ-
ſentia locati, ſicut ſi ponantur duæ ſuper-
ficies penetrari, ponentur inter ſe habere
præſentiam, ſiquidem intimè vnitæ erunt;
non tamen ponentur habere præſentiam,
neque loci, neque locati: ſic Angelus ex
hoc, quod tangitur à loco, non habet præ-
ſentiam localem per modum loci, quia
corpus à ſpiritu locari nequit, nec habet
præſentiam rei locatè, quia locum non
tangit.

Inſtabis, ſequi ex hoc, quod ſi Ange-
lus mere paſsive ſe habeat ad corpus, ſic,
quod nullam operationem in illo exer-
ceat, Angelus ſic tactus nullibi ſit; hoc
autem videtur falſum: ergo. Sequela pa-
tet, nam Angelus per nos non eſt in loco
per hoc, quod tangitur à loco, ſed per hoc
quod active tangit locum; cum ergo in
data hypotheſi ſupponatur Angelum nullo
modo active tangere locum, ſequetur evi-
denter, Angelum eſſe nullibi. Ad hoc di-
co, eſſe impoſsibile Angelum pati ab ali-
quo loco ſine eo, quod aliquid operetur
in illo; ſcimus enim ex Div. Thom. quod
ſpiritus nequit alligari alicui loco, niſi ſup-
ponatur eſſe diffinitive in illo, & ſic ne-
quibit pati ab aliquo corpore, niſi operetur
circa tale corpus. Vel ſecundo concedatur
ſequela, & negetur Minor, neque enim in-
conſonum eſt, quod ablata ratione formali
eſſendi in loco ab Angelo, Angelus ſit nulli-
bi: patietur ergo tunc, non ſicut locatum,
ſed ſicut pars vniverſi, quam Deus poteſt

Pp 2 deſtrue-

Digitized by Google

deſtinere, & in quam poteſt per corpora inſtrumentaliter operari.

762 Arguitur ſecundo, Angelus per ſolam paſsionem à loco poteſt alligari loco: ergo per ſolam paſsionem poterit eſſe in loco. Prob. Conſeq. à paritate rationis. Ad hoc; nego Conſeq. quam non probat paritas. Sicut enim aliud eſt in corpore id, per quod eſt in aliquo loco, & id, per quod alligatur illi: primum eſt quantitas locati, ſecundum ſunt catenæ, vel aliæ huius generis ligaturæ: ita in ſpiritu aliud eſt id, per quod alligatur loco, & aliud id per quod eſt in loco: primum fit per hoc, quod non permittitur in alio loco operari; ſecundum autem fit per hoc, quod ibi aliquid operetur. Et ſicut corpus nequit alligari, & detineri in loco, niſi ſupponatur per ſuam intrinſecam quantitatem eſſe in illo, ita ſpiritus nequibit alligari alicui loco, niſi ſupponatur per ſuam virtutem activam illum tangere.

763 Tertio arguitur, non eſt neceſſe ad hoc quod ſpiritus religetur alicui loco, quod ſupponatur ibi eſſe per ſuam operationem: ergo per meram paſsionem poterit eſſe in aliquo loco. Prob. Antec. ex illo Tobiæ 8. vbi habetur, quod dum *Tobias de caſsidili ſuo protuliſſet aliquam partem iecoris piſcis, quem apprehenderat in via, & eam appoſuiſſet ſuper carbones vivos, Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Ex quibus fit argumentum. Hoc dæmonium quando religatum eſt in deſerto ſuperioris Ægypti non erat in eo aliquid operans, ſiquidem erat in illa Virgine, quam in ſponſam acceperat Tobias; & tamen religatum eſt in deſerto: ergo non requiritur ad hoc, quod ſpiritus religetur alicui loco, quod ſupponatur eſſe in eo per ſuam operationem. Confirm. non eſt credibile, quod ſpiritus, qui detinentur in inferno, aliquid ibi operentur. Tum, quia ſi operarentur aliquid in illo, pœna eorum non eſſet maior, quæ ex cogitari poteſt, ſiquidem non impedirentur ab igne ab omni ſua operatione, quod eſſet illis in aliquale ſolatium; ſicut corpus, cui concederetur poſſe manibus operari, non ita triſtaretur, ſicut illud, cui non permitteretur, nec pedes, nec manus, nec caput ſuum movere. Tum etiam, quia id, quod poſſent operari, vel eſſet motus localis, vel lumen, vel tenebræ, aliud enim ſpiritus operari non poſſunt; ſed nihil ex his poſſunt operari: ergo. Prob. Min. non poſſunt operari motum localem, quia ille ignis immobiliter perſeverat in inferno; non lumen, quia ibi damnati nulla luce perfruuntur; non tenebras, quia iſtæ, cum ſint mere privationes, realiter directe cauſari nequeunt, niſi enim corpus opacum interponatur inter lumen, & ſpatium, tenebra in ſpatio non fit. Tum etiam ſpiritus parvulorum, qui ſunt in lymbo nihil in illo operantur, nam vel ad id operandum cogerentur à Deo, vel libere illud operarentur; ſi hoc ſecundum dicatur, ſic operarentur: quod poſſent non operari, & ſic in poteſtate eorum eſſet eſſe nullibi, & lymbum exire: non primum, nam cogi ad operandum contra propriam voluntatem videtur eſſe quoddam genus pœnæ, cuius dicti ſpiritus alieni ſunt: ergo nihil in lymbo operantur.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad prob. dico, quod antequam Tobias partem iecoris piſcis miſsiſſet in ardentes prunas, dæmonium erat in Virgine deſponſanda cum Tobia, & per illum exorciſmum fugit à loco illo in deſertum, in quo religavit illud Raphael Angelus, & ſic religatio dæmonis in deſerto ſuppoſuit dæmonem exiſtere in deſerto per aliquid, quod operaretur in illo. Ad ſecundam inſtantiam, nego Anteced. ad Prob. dico, quod eſto aliquam operationem habeant in inferno, dum tamen ad illam ibi habendam à Deo coguntur, in hoc ipſo, quod operantur maximam diſplicentiam habent.

Pro ſolutione ſecundæ probationis adverto cum Ferrara 3. Contra gent. cap. 68. quod cum natura Angeli plene nobis nota non ſit; nec eius operationes in loco plene nobis notæ ſunt; dico cum eodem Auctore, quod circa ignem inferni dæmones operantur aliquid nobis occultum. Vel dicatur producere caliginem, & tenebras per hoc, quod dividunt lucem ab ignis ardore, iuxta illud Pſalm. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, id eſt, ſeparantis lucem ab ardore ignis. Vel dicatur, producere ſtabilitatem in illo igne, vt ibi ſemper ſit, & in æternum duret: ſicut à pluribus dicitur, quod in Empyreo locantur Angeli boni per hoc, quod ſtabilitatem in eo producunt. Vel dicatur, quod producunt in igne vim localiter motivam, eſto de facto ignis non moveatur localiter,

ſic attemperante eorum operationē ignis pondere. Ad vltimam dico, co-ſic operandum in illo loco, vt ibi ſint, manēant: neque ex hoc pœna ſenſus untur parvuli; ſicut neque in ſententia iuum pœna ſenſus plectuntur per hoc, d in illo loco incarcerati ſunt.

§. XII.

Explicatur quid ſit vbi Angelicum.

64 PRO Completa intelligentia loci Angelorum, & rationis formalis eſſendi in loco re-examinandum, quid ſit vbi Angelicū, t, præſentia localis, quam habent An-i ad loca, in quibus præſentes ſunt. Et dem non deſunt Thomiſtæ, qui aſſerant Angelis proprium vbi non reperiri; ſi-enim in ſententia eorum proprie in lo-non ſunt, ſic proprio vbi non gaudent: tenet M. Serra hic art. 2. Alij ex oppoſi-ita ponunt vbi Angelis ſecundum pro-etatem ſermonis, quod dicunt, illud di-te collocari in prædicamento vbi: Sic tet Suarez lib. 4. de Angelis, cap. 2. n. 9. ij dicunt, Angelicum vbi eſſe quandā ex-nſecam denominationem; ex hoc enim od Angelus eſt in loco, & locus eius eſt æſens alteri loco, reſultat in Angelo ædam denominatio extrinſeca præſen-æ localis. Ita tenet Vazquez hic diſput.

65. Alij Thomiſtæ inter has opiniones tremas, mediam tenent, videlicet, An-lum habere proprium vbi illis intrinſecū roductum ex vi operationis, qua active ingunt locum, non tamen illud eſſe pro-rie de prædicamento vbi. Et quia hic mo-us dicendi verior eſt, ſtatuitur à nobis pro onclusione. In Angelis reperitur vbi in-inſecum, non tamen ponitur in prædi-amēto vbi. Prima pars ſtatuitur contra M. erra. Et Prob. ſic. Angelus vere, & proprie novetur localiter motu recepto in ipſo, altim per accidens; ſiquidem eius ſubſtan-ia non manet immobilis in cœlo, & n terra, ſed vere deſcendit de cœlo, vt criptura narrat, & anima Chriſti vere eſcendit ad inferos, vt credimus ex ſym-olo: ergo eſt neceſſe, quod per iſtum mo-um Angelus in ſe ipſo aliquid intrinſe-um adquirat, & aliquid deperdat; hoc eſt vbi, quod nihil aliud eſt, quam præſentia, quæ per motum localem adquiritur, & de-perditur: ergo.

Confirm. Angelus, quando ſic movetur localiter de vno loco ad alterum, vere mutatur; non mutatione orta ex mutatione loci, nam hic nunquam mutatur, cum ſit immobilis: ergo ex mutatione intrinſeca ipſius Angeli: neque enim intelligi poteſt rem aliter ſe habere nunc, ac prius, niſi per hoc aliquid intrinſice mutetur, vt contingit in incarnatione Verbi, vel per hoc quod res in ſe ipſa aliquid de novo accipiat; ſed cum Angelus locum mutat, locus non movetur, neque mutatur: ergo Angelus aliter ſe habet nunc, ac prius per aliquid in ipſo receptum; hoc autem eſt vbi, quod eſt terminus productus per motum localem: ergo.

Dices, Angelum non moveri localiter per ſe, ſed per accidens ad motum corporis, quod per ſuam operationem facit movere localiter, ſicut neque habet ſitum, neque diſtantiam, niſi per accidens ratione corporis, quod localiter movet: quia enim corpus motum ab ipſo diſtat, & ſitum habet in continuo; per accidens Angelus dicitur ſituari, & diſtare: ſic ergo de vbi videtur philoſophandum, quod Angelo conveniat per accidens, hoc eſt, ratione corporis moti ab Angelo, & ſic non erit neceſſe, Angelum intrinſice mutari, cum tranſit de vno loco ad alterum. Sed contra eſt; nam quando Angelus movetur per aliquod ſpatium per ſucceſsivam productionem alicuius qualitatis in partibus ſpatij, tunc Angelus tantum movetur localiter, non ſpatium: ergo id, quod adquiritur per talem motum localem, ſubjectabitur in Angelo, qui movetur; non in ſpatio, quod immobile localiter perſeverat: illud autem, quod per motum localem per ſe adquiritur, eſt vbi: ergo hoc concedendum eſt Angelo.

Secundo inſto, nam etiā quando movetur ad motum corporis localiter moti per ipſum, intrinſice movetur; ſic, quod non non tantū locus eius moveatur, nempe corpus, ſed etiam ipſe Angelus; neque enim ſe habet ſicut Corpus Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ad quarum motum Chriſtus intrinſice non movetur localiter, quia non eſt in illis tanquam in loco; bene vero Angelus in corpore, quod movetur localiter, ab ipſo eſt tanquam in loco, & ſic intrinſice movetur localiter, quamvis ad motum alterius; nec ſe habet ſicut Deus, qui, cum ſit in omni loco, non movetur ad motum rerum,

in quibus eſt: Angelus enim non eſt in omni loco, & ſic poteſt intrinſice mutari de de vno loco ad alterum; ergo etiam quando movetur ad modum alterius adquirit intrinſecum vbi. Prob. Conſeq. quia vbi eſt terminus intrinſecus motus localis: ergo ſi dum Angelus movetur ad motum corporis, quod localiter ab ipſo movetur, etiam recipiet in ſe intrinſecum vbi.

765 Secunda pars concluſionis, nempe quod tale vbi prædicamentale non ſit, Prob. quia vbi prædicamentale eſt illud, quod primò, per ſe, & directe facit præſentiam in loco; ſed vbi Angelicum non eſt tale: ergo non eſt prædicamentale. Prob. Mai. ideo vbi animæ non eſt prædicamentale, quia præſentia eius ad corpus, quod informat, non eſt per ſe primo vbicalis, ſed quia nequit informare corpus niſi in aliquo loco, ſic, ideo ad illam ſequitur vbi: ſic ſimiliter vbi Angelicum non convenit per ſe primo Angelo, ſed ex conſequenti, nam primo coniungitur loco per modum agentis ad paſſum, ſed quia nequit immediate operari niſi in aliquo loco, ideo adquirit vbi in loco. Hac ratione vtitur Ioannes a Sanct. Thom. quæ difficilis eſt, dum æquiparat vbi Angelicum cum præſentia animæ ad corpus, quod informat, quod falſiſsimum eſt. Nam anima informans intrinſice corpus nullo modo eſt in illo tanquam in loco, & ſic non habet in illo vbi locale intrinſecum, neque per ſe primo adquiſitum, neque ſecundario: Angelus autem vere eſt in loco, quo agit, & vere motu locali movetur, & ſic oportet, quod in ſe vbi intrinſecum habeat.

766 Prob. ergo efficaciter noſtra concluſio. Nam duæ conditiones requiruntur ad vbi prędicamentale, nempe quod ſit circumſcriptio paſsiva locati corporis à corpore locante proveniens: vnde ſecundum vbi prædicamentale locatum menſuratur à loco. Secundo, requiritur quod fundet intrinſecam habitudinem diſtantiæ, & propinquitatis vnius locati ab alio locato; ſecundum enim diverſa vbi prædicamentalia præcognoſcuntur diſtantiæ vnius corporis ab alio; ſed nulla ex his conditionibus invenitur in vbi Angelico: ergo non eſt prædicamentale. Prob. Min. nam Angelus non ſic eſt in loco, quod ab ipſo circumſcribatur: ergo vbi illius dicta conditio non convenit. Non convenit etiam ſecunda, nam diſtantia eſt quædam extenſio ſpatij; vnde ſolum poſſunt intrinſice diſtare ea extrema, quæ habent poſitionem, & ſitum in dicta extenſione ſpatij, ſic, quod ab vno ad alterum poſsit tendi funiculus, & ſic menſurare quanta extenſio ſpatij intermediat inter extrema diſtantia; habere autem poſitionem in continuo repugnat Angelo, cum extenſione careat, & ſic nequit intrinſice habere in ſe vbi, penes quod cognoſcitur diſtantia: vnde neque poteſt habere vbi prędicamentale.

§. XIII.

Soluuntur Argumenta.

767 CONTRA Primam partem concluſionis arguitur, nam licet motus proprie dictus, qui eſt actus imperfecti, & in actione formaliter tranſeunte conſiſtit, aliquē terminū intrinſecū in ſubiecto, quod movetur debeat producere, ſecus tamen motus improprius, & metaphoricus in operatione formaliter immanente, & ſolū virtualiter tranſeūte conſiſtens, qualis eſt motus localis Angeli: igitur non eſt dicendum, quod in Angelis ſit intrinſecum vbi. Prob. Antec. etenim hic ſecundus motus non ordinatur ad producendum terminū in mobili, ſed in moto, quia producere terminū in mobili ſolum eſt proprium motus phyſici, qui eſt actus imperfecti: igitur cum motus Angeli non ſit actus entis imperfecti, non erit dicendū, quod producat in Angelo terminū ipſi intrinſecum, qui ſit vbi. Ad hoc, nego quod motus localis Angeli in linea locabilitatis non ſit motus, qui eſt actus imperfecti; licet enim perfectionem habeat in eo, quod mobile, quod eſt Angelus, movetur effective movēdo corpus, vel effective producendo aliquid in ſpatio; tamen dum per illum motū ſucceſsive, & paulatim adquirit præſentiam in loco, à quo diſtat, quā antea nullo modo habebat, actus eſt entis in potentia ſecundū quod in potentia, quia paulatim deſerit terminum *à quo*, & adquirit terminum *ad quem*, in ordine ad quem vere eſt in potentia, cum ad ipſum non perveniat niſi per motum.

768 Arguitur ſecūdo in Angelo nequit ſubiectari aliquid corporale; ſed vbi locale eſt aliquid corporeū: ergo nequit intrinſice ſubiectari in Angelo. Prob. Min. nā illud vbi deberet cōvenire Angelo ex illa operatio-

:, quia tangēdo corpus locatur in corpore; ſed illa actio eſt corporalis, cum educatur ex paſſo corporeo: ergo *ubi* ex illa reſultans etiā erit corporale. Ad hoc, nego Min. ad Prob. diſt. Mai. ex illa operatione, prout denominat Angelum operantē, conc. Mai. prout denominat paſſum operatū, & actū; ſubd. Mai. & diſt. Min. eſt corporalis, prout denominat Angelum operantē, nego Min. prout denominat paſſum operatum, conc. Min. & nego Conſ. Itaque actio, per quam Angelus eſt in loco, eſt tantum virtualiter tranſiens, & ſic, prout denominat Angelum agentem ſubiectatur in Angelo; prout vero contingit paſſum, eſt quid corporale, ſiquidem effectus, qui in paſſo producitur, quid corporale eſt: *ubi* ergo Angelicum non cōvenit Angelo ex eo quod tenēt ſe ex parte paſsi, quia Angelus non eſt in loco ut contentus à loco, ſed ut continens locum; & ſic, convenit illi ſolum ex eo capite, quo operans conſtituitur per actionem: cumque actio, prout ſic, ſit ſpiritualis, *ubi* Angelicū eſt quid ſpirituale.

769 Contra ſecundā partem concluſionis. Tertio arguitur, hoc ipſo quod ponatur in Angelis verum *ubi* illis intrinſecum, debet in illis poni diſtantia, vel ratio extremi diſtantiæ: igitur tale *ubi* erit prædicamentale. Prob. Antec. per nos Angelo convenit intrinſice eſſe præſentē loco, non ſolū præſentia agentis ad paſſum, ſed etiam præſentia locati ad locum; ſed ab hac non eſt diſcernibilis ratio extremi diſtantiæ: ergo habitudo extremi vere diſtantis ab altero extremo vere conveniet Angelo. Prob. Min. nam de ratione loci eſt ratio diſtantiæ, vel ratio extremi diſtantis: ergo à præſentia locati ad locū non erit diſcernibilis ratio extremi diſtantiæ.

Confirm. ſi Angelus, qui eſt in aere v.g. non diſtat intrinſice ab Angelo, qui eſt in cœlo, ſed tota diſtantia tantum reperitur penes terram, & cœlum, ſequitur, quod non magis diſtent inter ſe dicti duo Angeli, quam diſtat Corpus Chriſti exiſtens ſub ſpeciebus Sacramentalibus in terra à ſe ipſo, prout eſt circunſcriptive in cœlo; Conſ. non videtur poſſe admitti: ergo neceſſe eſt ponere in Angelis habitudinem intrinſecā diſtantiæ localis. Prob. ſequela, nam inter Corpus Chriſti, quod eſt in terra, & ipſum prout in cœlo, vere datur diſtantia extrinſeca, nam ſpecies, ſub quibus eſt in terra, vere intrinſice diſtant ab ipſo cœlo; ergo extrinſeca ratio diſtantiæ ſic conveniet extrinſice Chriſto, ſicut affirmamus convenire Angelis, qui ſunt in aere ab his, qui ſunt in cœlo, Min. autem Prob. nam Corpus Chriſti, ut ſit ſub ſpeciebus, non indiget venire ad ſpecies per motū localē; bene autē hoc indigent Angeli: ergo nequit dici non magis diſtare Angelum, qui eſt in terra ab illo, qui eſt in cœlo, quam Corpus Chriſti ſub ſpeciebus exiſtens diſtet à ſe ipſo, prout eſt in cœlo.

Ad hoc, diſt. Antec. debet in illis poni diſtantia, vel ratio extremi diſtantiæ, per ſe, nego Antec. per aliud, conc. Ant. & neg. Conſ. ad Prob. Antec. diſtinguo Min. ratio extremi diſtantis per ſe; vel per aliud, conc. Min. diſtantis per ſe, nego Min. & diſtin. Conſ. vere diſtantis, per ſe, neg. Conſ. per aliud, conc. Conſeq. Itaque non poſſumus negare Angelum exiſtentem in terra diſtare ab Angelo, qui eſt in cœlo; ſed hæc diſtātia nō cōvenit illis per ſe, ſed per accidēs; id eſt, ratione cœli, & terræ, quæ habent per ſe diſtare inter ſe. Ad *ubi* autem prædicamentale ſic eſſe extremum diſtantiæ nō ſufficit, quia *ubi* prædicamentale eſt illud, quod ex ipſa loci circunſcriptione reſultat: unde tantum eſt in materia per ſe diſtanti ab altero, qualis eſt materia capax circunſcriptionis. Ad Confirm. nego ſequelam, ad Prob. diſt. Antec. datur diſtantia extrinſeca cum capacitate ex parte Chriſti ad ſuſcipiendam denominationem diſtantis à ſe ipſo, prout eſt in cœlo, nego Antec. cum incapacitate ad denominationem diſtantis, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque cum Corpus Chriſti non ſit ſub ſpeciebus tanquam locatum in loco, ex diſtantia locali ſpecierum exiſtentium in terra à cœlo, in quo eſt Chriſtus circunſcriptive, nequit denominari diſtans localiter; cæterum Angelus, qui eſt in terra cum in illa exiſtat ut locatum in loco, quamvis diſtantia ſit extrinſeca, poteſt tamen ab illa diſtans localiter denominari ab Angelo, qui eſt in cœlo tanquam in loco. Unde paritas non tenet.

§. XIV.

Vtrùm poſſit eſſe unus Angelus in duobus locis adæquatis ſibi?

770 CVM Angelus tantum ſit in loco per ſuam operationē, ille locus dicetur adæquatus Angelo, qui erit adæquatus ſuæ operationi. id eſt, ille intra quem poterit Angelus immediate immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti operari, ſic, quod in maiori operari non poſſit. Verum cum de Angeli virtute dupliciter loqui poſſimus, nempe vel prout vnicuique Angelo convenit naturaliter ex ſolis ſuis principijs intrinſecis, vel ſecundum quod per Dei virtutem ſuperadditam augeri poteſt; etiam de operatione, per quam contingit locum, dupliciter loqui poſſumus, vel de illa ſecūdum quod oritur tantum ex virtute naturali Angeli, vel de illa prout poteſt oriri ab Angelo ex eius virtute naturali adiuta, vel augmentata per virtutem à Deo ſibi communicatam. De loco etiam adæquato Angeli dupliciter loqui poſſumus, vel de illo prout diffinit virtutem naturalem Angeli ex ſolis ſuis intrinſecis conſideratam, vel de illo prout definit adæquate virtutem Angeli auctam per virtutē ei à Deo communicatam.

Adverto ſecundo, quod quæſitum hoc in duplici ſenſu poteſt ventilari, primo de lege ordinaria, ſecundo de potentia abſoluta Dei. Circa quod plures ſunt authores, qui dicant, Angelum de potentia abſoluta poſſe eſſe in duobus locis adæquatis propriæ virtuti naturali. Et hoc ex duplici capite, primo quia Deus poteſt augere virtutem activam Angeli, quo augmento facto, poterit operari in loco adæquate maiori illo, qui adæquat virtutem eius naturalem operativam. Secundo, quia cum ſit in Angelis duplex ratio formalis eſſendi in loco, nempe operatio, & paſſio, non eſt inconveniens, quod ſit in vno naturaliter per liberam operationem, & in alio violenter per paſſionem. Sic tenent Gonet hic, diſp. 4. art. 2. & Ioannes à Sanct. Thom. hic diſp. 20. art. 3. n. 15.

Sit Concluſio. Non eſt admittendum Angelū poſſe eſſe in duobus locis ſibi adæquatis. Prob. nam vel loquimur de loco adæquato virtuti naturali, id eſt, de illo, qui adæquate diffinit eius virtutem operativam naturalem, prout tantum naturaliter eſt operativa; & iſto modo, implicat eſſe in duobus locis adæquatis, non minus ac implicat eſſe corpus quantum circumſcriptive in duobus locis adæquatis: ſicut enim hoc implicat, quia quantitas adæquate circumſcripta ab vno loco, nequit ſimul adæquate circumſcribi ab altero, ita implicat, quod virtus adæquate diffinita ab vno, illamet abſque ſui augmento adæquate ſimul diffiniatur ab altero. Vel loquimur de loco prout adæquate diffinit virtutem Angelicam, in quantum divinitus augeri poteſt intra rationem virtutis operativæ, & ſic, virtus Angelica non habet terminū adæquatum in actu, ſed poſtquam actu operatur in quocumque loco, quantumvis maiori, poteſt in maiori operari, quia poteſt adhuc divinitus augeri, & cum augmentū virtutis Angeli ab extrinſeco proveniens non habeat terminum intrinſecum, ita nec locus aſsignari poteſt, qui ſit adæquatus ſuæ virtuti vt divinitus augmentabili, & ſic, nō erit dabilis caſus, quod ſit in duobus locis adæquatis ſuæ virtuti vt augmentabili divinitus. Vel loquimur de loco adæquato virtuti activæ, & de loco adæquato virtuti paſsivę Angeli, & ſic cum iam viderimus in §§. præcedentibus, Angelos non poſſe eſſe in loco ratione ſolius paſsionis; conſequenter dicendum erit, Angelum iſto adhuc modo non poſſe eſſe in duobus locis, quia nequibit eſſe in loco per paſsionem, ſed debebit eſſe in loco ſolum per operationem, & ſic non erit poſsibile multiplicare in eo rationes eſſendi in loco tanquam in loco. Vnde nulla via eſt dicendum abſolute, Angelum poſſe eſſe in duobus locis ſibi adæquatis.

§. XV.

Soluuntur difficultates contra reſolutionem noſtram.

771 PRIMO Arguitur; poſtquam Angelo cōignatur tota Roma pro loco adæquato ſuæ virtutis operativæ, Angelus poteſt eſſe in tota Roma per ſolam productionem caloris in tota Roma: ergo cum in Angelo præter virtutem calefactivam ſit virtus productiva frigoris, poterit ſimul extra Romam producere frigus, & ſic eſſe extra locum ſibi adæquatum, & ſic erit in duobus locis ſibi adæquatis. Reſpondeo, quod cum in Angelis non ſit formaliter calor, neque ſit for-

pura-

Digitized by Google

aliter frigus, ſed tantum virtualiter, vna-
iet indiviſibilis virtus eſt, per quam cale-
cit, & per quam infrigidat activè ; vnde
am Roma aſsignatur Angelo pro loco ſi-
i adæquato, aſsignatur vt diffiniens adæ-
uate virtutem, qua ſe locare poteſt, ſive
roducendo calorem, ſive producendo fri-
iditatē, ſive producendo lumen, ſive pro-
ucendo effectivè motum localem; vnde ſi
onatur, quod ſit in tota Roma producen-
o calorem, poterit infrigidare intra Ro-
nam, & loco movere corpora intra Ro-
nam, & lumen producere intra Romam:
:xtra Romam autem iſta efficare non po-
erit, quia Roma diffinit virtutem eius vt
dæquate activam ſive per calorem, ſive
er frigiditatem, ſive per localem motum,
ive per lumen. Vnde ad argumentum in
ormâ, conceſſo Ant. nego Conſ.

Sed inſtas, adhuc poſtquam Angelus
er ſolam productionem caloris occupat
totam Romam, poteſt ſimul infrigidare,
non Romam, quia poſtquam illam adæ-
quate occupat per productionem caloris,
nequit ſimul eam occupare per productio-
nem frigiditatis: ergo ſolum poterit produ-
cere frigus extra Romā. Ad hoc, nego Min.
ad Prob. dico, quod dum Angelus occupat
totam Romam per ſolam productionem
caloris, non eam occupat totaliter totali-
tate virtutis, quia adhuc reſtat ei virtus ad
occupandum Romam ratione alterius ef-
fectus, quem poteſt in ea producere. Sed in-
ſtas, ponamus quod in tota Roma producit
calorem in ea intenſione, quod Roma ne-
queat ſimul recipere frigiditatem. Tunc
adhuc poteſt ſimul infrigidare, non Ro-
mam, quia non eſt capax recipiendi frigus:
ergo poterit producere frigus extra Romā,
& ſic locari extra locum ſibi adæquatum.
Reſpondeo, quod in data hypotheſi, eſto
non poſsit frigus producere intra Romam,
non ſequitur poſſe illud producere extra
Romam, quia virtus productiva frigoris eſt
determinata ad Romam, vnde ſi vellit in-
frigidare debet temperare activitatem ca-
loris, vt detur locus activitati frigoris.

772 Secundo arguitur, poteſt Ange-
lus exiſtens Romæ per productionem ig-
nis, ſimul comburere in Hiſpania: ergo tūc
erit in duobus locis ſibi adæquatis. Prob.
Ant. poteſt ignis exiſtens Romæ combure-
re in Hiſpania divinitus: ergo poterit Ange-
lus exiſtens Romæ per productionem ignis
cōburere in Hiſpania. Ad hoc, nego Conſ.
nā ſicut ignis exiſtens Romæ per hoc quod
cōburat in Hiſpania, non exiſtit Romæ, &
in Hiſpania; ita Angelus exiſtens Romæ
per productionem ignis, non exiſtet in Hiſ-
pania, & in Roma, etiam ſi vtrobique com-
burat, quia tunc comburet Romæ imme-
diate immediatione virtutis, & ſuppoſiti;
in Hiſpania autem tantum erit immediate
immediatione virtutis.

773 Tertio arguitur, cū novo aug-
mento virtutis divinitus facto non advenit
nova pars ſubſtantiæ Angelicæ: ergo virtu-
te illius nequibit Angelus maiorem, & ma-
iorem locum occupare illo, qui eius virtu-
tem naturalem diffinit. Prob. Conſ. nam
ratio eſſendi in loco debet radicari in ſub-
ſtantia, quæ eſt in loco: ergo ratio eſſendi in
maiori loco debebit radicari pariter in
ſubſtantia, quæ eſt in maiori loco; ſed ſi nō
adveniat nova pars ſubſtantiæ, novū aug-
mentū virtutis non radicabitur in ſubſtan-
tia Angelica: igitur ratione illius non pote-
rit maiorem occupare locum. Confirm. ſi
Angelus poteſt occupare tantum locum,
quantum poteſt creſcere virtus eius, ſequi-
tur, quod ſicut illa poteſt creſcere in infini-
tum ſyncategorematice, etiam locus An-
geli poſsit fieri maior, & maior ſyncatego-
rematice; Conſ. non eſt admittendum: er-
go. Prob. Min. nam nequit admitti, quod
Angelus inferior poſsit occupare tantum
locum, quantum Angelus ſupremus; ſed
Angelus ſupremus ſolum poteſt divinitus
occupare locum maiorem, & maiorem
vſque in infinitum ſyncategorematice: er-
go non poterit hoc ipſum occupare Ange-
lus inferior. Confirm. ſecundo, nam ſequi-
tur, quod totum Vniverſum non ſit locus
adæquatus Angeli; Conſ. non eſt admitten-
dum: ergo. Conſ. eſt bona, Mai. certa nam
vltra hoc Vniverſum poteſt Deus produ-
cere maiorem locum: ergo ſi locus Angeli
non habet terminū, ſed poteſt eſſe maior,
& maior vſque in infinitum, locus adæqua-
tus Angelo non erit hoc Vniverſum. Min.
vero Prob. nam non eſt admittendum,
quod vis locativa Angeli ſe extendat ad id
omne, ad quod ſe extendit virtus locativa
Dei; ſed hæc tātum locat Deum in vniver-
ſo: igitur non eſt admittendum, quod to-
tum vniverſum non ſit locus adæquatus
Angeli.

Ad hoc argumentum, nego Conſeq. ad Prob. diſt. Conſ. ergo ratio eſſendi in maiori loco debebit pariter radicari in ſubſtātia, quæ occupat maiorem locum, in maiori loco connaturali, Conc. Conſ. in maiori

loco

loco reſpectivè ad virtutē divinitus auctā, nego Conſeq. Itaque loquendo de primæva virtute, ita eſt, quod debet radicari in ſubſtantia Angelica, non vero ita res habet loquendo de augmento virtutis, quod divinitus fit; hoc enim non eſt virtus, ſed eſt augmentum virtutis, vel elevatio virtutis, vel confortatio virtutis: ſufficit enim quod virtus, quæ divinitus augetur, radicetur in ſubſtantia. Simili modo, quo eſto vis naturaliter intellectiva in Angelo naturaliter radicetur in ſubſtantia Angeli, tamen augmentum virtutis ad intelligendum ſupernaturaliter non eſt neceſſe, quod radicetur in ſubſtantia Angeli, ſed ſufficit vt Angelus intelligat ſupernaturaliter ea, quæ naturaliter intelligere non poteſt, quod intellectus, qui perfectibilis eſt per dona ſupernaturalia, radicetur in ſubſtantia Angeli.

Sed Inſtas: igitur terminus potentiæ locativæ naturalis adæquate diffinitivus eius non erit hoc, vel illud corpus, in quo naturaliter eſſe poteſt Angelus, ſed erit corpus locabile ex terminis; Conſeq. non videtur verum: ergo. Prob. Sequela; etenim quia vis intellectiva Angeli poteſt elevata per dona ſupernaturalia attingere ens ſupernaturale, & ex proprijs ens naturale, nō dicimus, quod ſpecificativū intellectus ſit ens naturale, ſed dicim⁹ quod ens vt abſtrahit à naturali, & ſupernaturali eſt eius ſpecificativum: ergo quia vis Angelica poteſt elevari, & perfici ad occupandum ſimul omnem locum, eius locus adæquatus non erit hoc, vel illud corpus, ſed erit ratio corporis locabilis, vt ſic, prout abſtrahit à locabili naturaliter, & ſupernaturaliter. Ad hoc, diſt. Mai. loquendo de vi naturali locativa Angeli, vt præciſſè naturaliter locativa eſt, nego ſequelam Mai. loquendo de illa, vt eſt locativa tam naturaliter, quam ſupernaturaliter, conc. Mai. & nego Min. iuxta diſtinctionem Maioris. Etenim ſicut damus duplex obiectum ſpecificativū intellectus, aliud reſpectu ad intellectum, quatenus tātum poteſt naturaliter intelligere, & hoc dicimus eſſe ens naturale, & aliud reſpectivè ad illum, quatenus poteſt intelligere naturaliter, & ſupernaturaliter; ita & damus duplicem locum adæquatum cum vi locativa Angeli, alterum reſpectivè ad illam, quatenus tantum naturaliter poteſt locare Angelum, & hoc dicimus eſſe tantum, vel tantū corpus locabile; alterum per reſpectū ad illam ſecundum quod, & habet locare Angelum naturaliter, & ſupernaturaliter, & hoc dicimus eſſe corpus vniverſaliter locabile.

Ad Confirm. nego Min. ad Prob. diſt. Mai. loquendo de loco naturaliter occupabili, conc. Mai. loquendo de loco ſupernaturaliter occupabili, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque ſicut cum diſcrimine inter intellectus Angelicos penes intelligere in ordine naturali poteſt ſtare cōvenientia penes intelligere de ordine ſupernaturali, ita cum diſcrimine penes occupare naturaliter maiorem, vel minorem locum iuxta maiorem, & minorem quantitatem naturaliū Angeli, ſta: convenientia in vi occupativa loci ſupernaturaliter. Vnde nō habemus pro inconvenienti, quod poſſe occupare quemlibet locum maiorē, & maiorem per augmentum virtutis vſque in infinitum ſyncathegorematicè poſſit Angelis omnibus convenire. Ad ſecundam Confirm. nego Min. ad Prob. nego Min. nam locus virtuti locativæ Dei reſpondens eſt ens vniverſum, nam ipſe eſt in omnibus rebus, de quibus verificatur, quod ſint entia: Angelus autem tantum poteſt eſſe in corporibus, quæ ſunt in vniverſo; neque enim poteſt illabi alijs entibus ſpiritualibus, & ſic nunquam ſequetur, quod idem locus, qui aſsignatur Deo, aſſignetur Angelo. Rurſus Deus eſt in corporibus adæquate, Angelus autem tantum poteſt eſſe intra terminos quātitatis eorum: vnde adhuc dato, quod Deus eſſet tantum in corporibus, adhuc eſſet incomparabiliter maior locus Dei loco Angelico.

§. XVI.

Vtrùm poſſit Angelus ex ſola virtute ſibi naturali eſſe in duobus locis inadæquatis inter ſe diſtantibus ſine eo quod ſit in intermedijs?

774 PONAMVS Quod alicui Angelo aſsignetur locus adæquatus Civitas Romana, eo quod ſimul in tota Roma poſsit eſſe per applicationem ſuæ virtutis. In Civitate hac extreme diſtant Baſilica S. Petri, & Baſilica S. Ioannis Ante portam Latinam. Quæritur ergo, an poſsit Angelus ſimul occupare iſtas duas Baſilicas ſine eo quod occupet loca inter media. Vazquez, Valentia, & Ioannes à Sanct. Thom. partem negantem tenent. Affirmant tamen commu-

uniter Theologi. Sit ergo Concluſio. Be-: poteſt Angelus ſimul eſſe in duobus los exiſtentibus intra ſphæram activitatis æ ſine eo quod ſit in locis intermedijs. rob. Min. duo loca ſunt partes loci adæuati Angeli, nam ſupponimus eſſe intra hæram activitatis eius adæquatæ: ergo oteſt Angelus libere applicare virtutem iam operativã ad illa ſine eo quod illam pplicet ad intermedia, & ſic erit in illis ſie eo quod ſit in intermedijs. Secũda Conſ. atet ex prima, & prima Prob. Angelus haet virtutem ad operandum ſimul in illis uobus extremis, ex quo eiuſdem loci adæuati ſunt partes, & in operando in illis on dependet ab intermedijs: ergo poterit perari in illis ſine eo quod operetur in intermedijs.

Dices, illa loca eſſe inadæquata ſolum materialiter, non vero formaliter in ratioe locandi, quia vt formaliter eſſent partes n ratione locandi, erat neceſſe, quod totũ conſtans ex illis de facto Angelum locaret, neque enim vt partes actu poſſunt locare, niſi ratione alicuius totius locantis actu locent: dum autem Angelus non locatur ab intermedijs, nõ locant illa extrema vt partes alicuius totius actualiter locantis, & ſic in ratione locandi non ſunt actu partes, ſed quædam tota, & plura per modum pluriũ; vnde ſimul locare non poſſunt eundẽ Angelum. Sed contra eſt, nam eſto illa duo extrema nõ ſint partes alicuius totius actualiter locantis; tamen, ſunt intra illud ſpatium, intra quod Angelus ſimul adæquate poteſt operari: ergo ſervant ſemper rationem partium non ſolum materialem, ſed etiam formalem. Explico hoc, ex duplici capite poteſt eſſe vnitas inter illa duo extrema, ſic, quod in ratione locandi non ſint plura per modum plurium; primo ex eo quod locarent Angelum ſimul cum loco totali de facto locante; ſecundo, ex eo quod ſunt intra ſphæram activitatis Angeli, hoc eſt, quia de facto ſunt intra illud ſpatium, in quo toto, vel in partibus eius Angelus poteſt operari: in caſu ergo noſtro, eſto prima vnitas abſit, adeſt tamen ſecunda: igitur poterunt ſimul Angelum locare.

Prob. ſecundo concluſio. Angelus libere poteſt ſe locare in toto continuo ſpatij, ad quod definitur ſua virtus operativa, ſic quod ſit totus in toto ſpatio, & totus in qualibet parte ſpatij: ergo libere poterit locari in partibus extremis ſui ſpatij definitivi, ſine eo quod ſe locet in intermedijs. Prob. Conſ. nam partes ſpatij in locando Angelum non dependent ab intermedijs, ſed tantũ ab operatione Angeli; per quam aliquid producit in illis; ſed poteſt Angelus in qualibet parte ſpatij operari, etiamſi in toto non operetur: ergo & poterit operari in extremis, etiamſi non operetur in intermedijs. Explicatur hoc amplius, Angelus non operatur in partibus ſpatij, quia operatur in toto ſpatio, ſed quia immediate immediatione virtutis, & ſuppoſiti operatur in partibus totius: ergo poteſt libere operari in partibus extremis, ſine eo quod operetur in toto loco definitivo Angeli. Prob. Conſ. nam illa, quæ conveniunt partibus ratione ſui immediate, & non ratione totius, poſſunt convenire partibus independenter à toto: ergo cum recipere influxum Angeli conveniat partibus loci definitivi immediate, & ratione ſui, & non ratione totius, poterit Angelus influere in illis non influendo in toto ſpatio, ac per Conſ. eſſe in illis localiter, etiam ſi non ſit in intermedijs.

776 Tandem Prob. Concluſio: Angelus exiſtens v.g. in Baſilica Lateranẽſi poteſt per motum continuum occupare loca intermedia vſque ad Baſilicam D. Petri, ſine eo quod deſinat eſſe in Baſilica Lateranenſi, neque in locis intermedijs: ergo & poterit motu diſcreto adquirere locum in Baſilica D. Petri, ſine eo quod deſerat locum Baſilicæ Lateranenſis, & ſic erit in illis duabus Baſilicis, ſine eo quod ſit in locis intermedijs. Antec. eſt certũ, nam dum poteſt eſſe ſimul in tota Roma, non eſt neceſſe, quod ſi ſucceſsive locum ſibi adæquatum adquirit, locum, quem antea habebat, deſinat. Conſ. vero Prob. nam ideo in motu continuo non requiritur quod deſinat eſſe in termino, à quo moveri incipit, quia movetur motu continuo intra ſphæram ſuæ activitatis; nam ſi de vna ſphæra ad aliam moveretur, requireretur, quod deſereret eſſe in termino, à quo moveri inciperet: ergo cum terminus, ad quem motus diſcreti Angeli, quo diſcrete moveretur ab vna Baſilica ad aliam, eſſet intra ſphæram activitatis Angeli, poſſet motu diſcreto adquirere Baſilicam D. Petri, ſine eo, quod relinqueret Baſilicam Lateranenſem.

Confirmantur hæc omnia. Roma v.g. non dicitur locus totalis vnius Angeli, eo quod ratione illius vt actualiter locantis Angelus debeat locari in partibus eius, ſed di-

Digitized by Google

citur locus totalis; quia poteſt ſimul eſſe in tota Roma, & in ſingulis partibus eius; in Roma autem, & extra Romam ſimul eſſe non poteſt: ergo partes Romæ ſunt loca partialia, nō ſolum materialiter, ſed etiam formaliter, etiam ſi tota Roma non locet actualiter Angelum, & ſic quamvis inter ſe diſtent, & inter media diſtantia non occupetur ab Angelo, habebunt vnitatem compartium, & non erunt plura per modū plurium. Conſequentiæ illatæ præter primā patent. Prima vero Prob. nam eſſe partes in locando convenit illis non ex toto vt locato, ſed ex toto vt locabili: ergo etiam ſi totum actu non locetur, dum tamen ſit locabile ab Angelo, omnes eius partes erunt formaliter partes in ratione locandi. Tunc vltra, ſed quamvis diſtantia intermedia inter prædictas duas Baſilicas de facto non locetur ab Angelo, tamen præfatæ duæ Baſilicæ ſunt actu partes illius diſtantiæ vere locabilis ab Angelo: ergo in locando etiam erunt partes, & loca inadæquata cum vnitate inter ſe, quæ excludat pluralitatem per modum plurium in locando. Et ſic poterit Angelus ſimul eſſe in illis, etiamſi non ſit in intermedia diſtantia.

§. XVII.

Solvuntur argumenta.

777. CONTRA concluſionem Argues primo. Si Angelus poſſet eſſe ſimul in locis inadæquatis exiſtētibus intra ſphæram activitatis Angeli, poſſet quoque eſſe ſimul in his inadæquatis exiſtentibus extra ſphærā activitatis vnius Angeli; hoc autem non poteſt admitti: ergo nec primum. Prob. Sequela, ideo poteſt Angelus eſſe in duobus locis extremis, ſine eo quod ſit in intermedijs, quia poſtquam operatur Angelus in vno, adhuc illi reſtat virtus ad operandum in alio; ſed etiā poſtquam operatur in vno loco inadæquato vnius ſphæræ, reſtat Angelo virtus ad operandum in alio loco extra ſphæram, ſi ſit inadæquatus: igitur ſi poteſt eſſe in duobus locis extremis intra eandem ſphæram, etiam poterit eſſe in duobus locis inadæquatis diverſarum ſphærarum. Confir. hoc, diſtantia, quæ eſt inter duas Baſilicas prædictas, non impedit per nos, quin Angelus poſsit ſimul eſſe in illis: ergo nec diſtantia, quæ eſt inter Romam, & Neapolim impediet, quin Angelus poſsit eſſe Romæ in Baſilica, & Neapoli in domo Regia. Patet Conſ. nām dum diſtantia inter media non debet præoccupari, eadem virtute, qua poteſt diſcontinue operari Romæ in duabus Baſilicis, poterit Romæ operari in vna, & Neapoli in domo Regia.

Ad hoc, nego Mai. ad Prob. nego Min. nam aliud eſt, quod poſtquam Angelus operatur in Baſilica Lateranenſi, reſtet illi virtus ad operandum; & aliud eſt, quod reſtet illi virtus ad operandum Neapoli v. g. reſtat enim illi virtus ad operandum intra illum locum, in quo toto ſimul poteſt operari, quia per hoc virtus eius operativa diffinitur, non autem poteſt ſimul à Roma vſque ad Neapolim continue operari: vnde ex ſuppoſitione, quod operetur Romæ, nō reſtat Angelo virtus ad operandum Neapoli conſervando ſe Romæ. Ad Confirm. nego Conſ. ad Prob. nego Ant. licet enim ad operandum Romæ, & ſimul Neapoli non ſit neceſſe actu operari in diſtantia intermedia, requiritur tamen, quod illa virtus, quæ ſimul poteſt operari Romæ, & Neapoli, poſſet ſimul operari in tota diſtantia intermedia; ſic enim fiet, quod Neapoli, & Roma ſint partes formaliter eiuſdē loci diffinitivi virtutis Angelicæ, quod ſi non poteſt Angelus ſimul totam illam diſtantiam occupare, illa loca duo non erunt formaliter partes eiuſdem loci adæquati, & ſic erunt plura per modum plurium, vnde erit naturaliter impoſsibile, quod Angelus ſimul ſit in illis.

778. Arguitur ſecundo, operari in Baſilica Lateranenſi, & in Baſilica D. Petri non operando in locis intermedijs requirunt diſtinctas operationes nullum inter ſe ordinem habentes, nec vnitatem; ſed hæ nequeunt ſimul haberi ab eodem Angelo: ergo nequibit ſimul eſſe in dictis duobus locis, ſi non ſit in intermedijs. Mai. videtur certa, nam effectus producti ſimul ab eodem Angelo in illis duobus locis, eſſent plures vt plures, id eſt, ſine aliqua vnitate, ſiquidem non operaretur vnus dependenter ab alio, ſed tantum pro Angeli libertate ſimul operantis illos: ergo & operationes, quibus Angelus illos produceret, eſſent plures vt plures: Min. vero ſic Probo, nam ſi Angelus poſſet ſimul elicere plures operationes vt plures, poſſet ſimul intelligere plura vt plura, quod non eſſe poſsibile tenet D. Thom. & eius Schola. Ad hoc, nego Ma. ad Prob. dico, dictos effectus non eſſe plures vt plures, ſed habere inter ſe mutuum con-

connexionem,tam ex parte ſubiectorum, in quibus reciperentur,quam ex parte virtutis Angelicæ;ex parte ſubiectorum, quia eſſent intra ſphæram activitatis Angelicæ, intra quam totam Angelus operari poſſet; ex parte virtutis Angeli, quia cum ſint inadæquati poſſunt ab vna virtute ſimul produci.

Sed inſtas,dicta ſubiecta non haberent vnitatē inter ſe ex hoc, quod Angelus poſſet operari ſimul in toto illo ſpatio, in quo inveniuntur,ſed tantum ex hoc,quod de facto in toto illo ſpatio operaretur: tunc enim tantum eſſent partes vnius loci actualis,& ſic in illo vnirentur, vt ſimul Angelum partialiter locarent: ergo cum de facto Angelus in toto illo ſpatio non operaretur,eſſent plura vt plura,& effectus ſimiliter eſſent plures vt plures. Prob.Ant.hoc exemplo. Eſto intellectus poſſit ſimul intelligere hanc propoſitionem, *homo eſt animal*, non ſequitur,quod ſimul poſſit intelligere hominem,& animal ſimul ſeorſim, & diviſive;& tamen homo, & animal conveniunt in eo, quod ſunt partes illius propoſitionis, quam totam ſimul intellectus valet cognoſcere: ergo eſto illa ſubiecta ſint partes illius loci, in quo toto poteſt ſimul Angelus operari, non ſequitur, quod poſſit ſimul operari in illis,ſi de facto non operetur in toto ſpatio. Ad hoc, nego Antec. ad Prob.nego Conſ.& aſsigno diſcrimen,nam tota ratio,ob quam intellectus ſimul intelligit illa extrema homo,& animal,eſt quia primo,& per ſe intelligit totum,cuius illa ſunt partes:vnde illa,dum in toto intelliguntur,non intelliguntur immediate,ſed mediante tota propoſitionē intellecta.Angelus autem,dum operatur in toto illo loco ſibi adæquato,non operatur mediate in partibus illius, ſed ſic immediate operatur in illis,ac ſi in toto non operaretur, & ſic poteſt eſſe ſimul in illis,eſto actu non ſit in toto. Præterea eſt aliud diſcrimen valde notandum,quod homo,& animal non ſpectāt ad hoc totum,*homo eſt animal*, niſi in quantum intellectus intelligendo hanc propoſitionem,*homo eſt animal*, componit illam ex homine tanquam ex ſubiecto, & animali tanquam ex prædicato, & ſic dum non componit præfatam propoſitionem,vel illam componendo intelligit,talia extrema ſimul intelligere non valet,quia tunc nulla vnitate gaudent inter ſe,cum ad præfatum totum nullum poſitivum ordinem partiū habeant,ſed meram ſubiectionem ad intellectum potentem ex illis præfatam propoſitionem componere. Cæterum Baſilica Lateranenſis,& Baſilica D.Petri,eſto Angelus non occupet ſimul ſpatium intermedium,actualiter ſunt partes illius ſpatij, in quo Angelus ſimul operari poteſt, & ſic ſemper gaudent eo genere vnitatis, quod poſsit Angelus ſimul in illis operari non operando in intermedijs.

779 Arguitur tertio. Si Angelus ſit in locis extremis, ſine eo quod ſit in intermedijs,ſequitur,quod poſsit ſimul moveri localiter motibus directe contrarijs, nempe à Baſilica Lateranenſi ad S. Petrū, & à S.Petro ad Baſilicam Lateranenſem; hoc autem non videtur admitti poſſe:ergo. Prob.Sequela per nos ſimul exiſtet Angelus in vtroque extremo,ſine eo quod exiſtat in intermedio ſpatio:ergo poterit ſimul moveri ad occupandum ſpatium intermedium veniendo à Baſilica Laterana ad D. Petrum,& veniendo à D.Petro ad Baſilicā Lateranam.Confirm.ſi poſtquam Angelus eſſet in Baſilica Lateranenſi ſe immediate locaret in Vaticano,adquireret diſtinctiſsimam præſentiam ab ea, quam habebat antea;hoc eſt impoſsibile:ergo. Mai.eſt certa, & Min.Probatur,nam illam non adquireret per motum continuum,vt per ſe patet, nec per motum diſcretum,quia non relinqueret terminū *à quo*, quod relinquitur indiſpenſabiliter per motum diſcretum, qui conſtat ex duobus mutatis eſſe, in quorum altero vltimo eſt in termino *à quo*, & in altero primo eſt in termino *ad quem*:ergo illam nulla via poſſet adquirere.

Ad hoc arg. dico, quod cum Angelus poſſet libere ſe locare in toto illo ſpatio intermedio,poſſet illud occupare eo modo, quo ſibi placuiſſet:vnde poſſet moveri motu continuo ſimul à S.Petro veniendo verſus Baſilicam Lateranenſem, & ſimul veniēdo à Baſilica Laterani verſus S. Petrum, qui duo motus eſſent partiales,& vnitatem habentes inter ſe, ſicut & illam haberent loca extrema,in quibus partialiter ſupponeretur eſſe: nec illi motus eſſent incompoſsibiles, quia vnus eſſet eorum finis, & ſcopus, nempe adæquate occupare locum intermedium, à quo virtus eius adæquate diffinitetur. Ad Confir.Concedo quod adquireret diſtinctam præſentiam, partialem tamen,& nego Min.ad Prob.Gonet reſpōdet,quod illam adquireret ſimplici mutatione, non per verum motum diſcretum, quia exiſtimat, quod ad illum requiritur in-

Digitized by Google

indiſpenſabiliter derelictio termini *à quo*. Sed ſane dum ad motuum continuum, quo Angelus ſucceſsive occuparet totum ſpatiũ ſuæ activitatis definitivum non requiritur derelictio ſucceſsive termini *à quo*, neſcio quare ad motum diſcretum intra locum definitivũ derelictio termini *à quo* debeat indiſpenſabiliter relinqui. Melius ergo dicam, quod Angelus exiſtens in vno extremo tantum in vno inſtanti, in alio inſtanti eſſet in alio extremo non relinquendo extremum primum, ſed relinquendo eſſe tãtum in primo extremo. Itaque terminus *à quo* eſſet tantum eſſe vltimo in extremo vno, & tranſire ad eſſe ſimul primo in vtroque extremo.

§. XVIII.

Vtrùm poſsint eſſe plures Angeli in eodem loco?

780 ANTE omnia hic oportet præmittere diſtinctionem huius, quod eſt eſſe in eodem loco. Nã hoc contingit dupliciter. Primò, de eſſe in eodem loco ſolum materialiter eodem, vel de eſſe in eodem loco formaliter eodem: idem eſſet locus tantum materialiter, quando vnus Angelus in eadem parte ſubiecti produceret v.g. calorem, & alius ſimul ibi produceret lumen, vel motum localẽ; tunc enim dicerẽtur eſſe duo Angeli in eodem loco materialiter eodem: ſi autem eundem effectũ in eadem parte ſpatij producerent, dicerentur eſſe in eodem loco formaliter eodem. Rurſus plures Angelos circa eandem partem ſpatij poſſe producere eundem effectum, ſtat dupliciter. Primò, tantum vt cauſæ partiales illius effectus, ſicut tractio navis fit à pluribus inadæquate trahentibus; vel tanquam à cauſa adæquata talis effectus, ſicut ſi fingamus, quod idem calor vt vnum in eadem indiviſibili parte ſpatij producatur adæquate principaliter à duobus. Et quidem certum eſt apud omnes, poſſe eſſe in eodem loco materialiter tantum eodem plures Angelos, nam non repugnat circa idem ſpatium diverſos effectus procedere à diverſis Angelis. Etenim dum idem ſpatium capax eſt recipiendi ſimul diverſos effectus, non poteſt repugnare, quod vnus effectus producatur ab vno Angelo, & diverſus à diverſo, & ſic non repugnabit plures Angelos ſimul eſſe in eadem loco materialiter eodẽ.

781 Quod ſi contra hoc obijcias, quod ratio formalis loci conſiſtit in eo, quod locet locatum ſub tanta, vel tanta diſtantia à polis mundi, & centro terræ; ſed quamvis idem corpus à diverſis Angelis diverſos effectus reciperet, tamen locaret eos ſub eadem indiviſibili diſtantia à polis mũdi, & centro terræ: ergo eſſet idem formaliter locus reſpectu vtriuſque Angeli. Declaratur hoc, eſto contactus locati diverſi ſint, ſi tamen id, quod tangitur, idem eſt, & à polis mundi, & centro terræ eodem modo diſtat, ſemper idem locus formaliter adeſt; ſed quando Angeli diverſis contactibus idem paſſum tangerent, corpus attactum idem eſſet, & ſub eadem diſtantia à polis mundi, & centro terræ locaret: ergo eſſet idem formaliter locus. Prob. Mai. ſi duæ diverſæ ſuperficies penetratæ tangant eundem locum, tunc eſſent in eodem loco formaliter; & tamen contactus activi ſuperficierum eſſent diverſi: ergo eſto contactus Angelorum ad idem corpus diverſi ſint, quia tamen idem corpus ſub eadem diſtantia à polis mundi, & centro terræ, eos locaret, idem locus formaliter eſſet eorum.

Reſpondeo, diſt. Mai. & dicendo eſſe veram de loco locante circumſcribendo, nõ de loco locante præciſe diffiniendo virtutem agentis locati. Similiter dicendo ad Minorem, locaret eos circumſcribendo, nego Min. pure diffiniendo virtutem activam eorum, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque locus circumſcribens locatum per ſe primo habet locare, & conſtituere ipſum ſub eadiſtantia à polis mundi, & centro terræ, ſub qua eſt ipſe locus: vnde dum datur locans ſub tanta diſtantia determinata, quamvis contactus ex parte locati ſint diverſi, idem tamen formaliter eſt locus. Locus autẽ diffinitivus primo, & per ſe non habet locare, ſed pati ab agente, quod locat, & ſic ſecundum rationem formalem paſsi habet eſſe diverſus locus formaliter: dum autem à diverſis agentibus diverſos effectus recipit, in ratione paſsi formaliter variatur, & ſic manet idem locus materialiter, & diverſus formaliter. Per quod patet ad declarationem. Etenim hoc verſatur diſcrimen inter locum circumſcribentem, & locum diffinitivum; quod primus menſurat, & perficit locatum; & ſic iuxta diſtinctionem locatorum præciſe non fit locus diſtinctus: locus autẽ diffinitivus perficitur à locato, & præcontinetur ab illo, & ſic iuxta diverſitatem con-

ta-

ractus locati accipit diſtinctionem. Cumque duo Angeli operantes diverſos effectus in eodem corpore perficiant corpus, & illud veluti ſibi ſubordinent, ex diſtinctis effectibus productis in corpore fit formaliter diverſus locus. Ex quo patet ad illud de duabus ſuperficiebus penetratis, quæ cum ab eadē ſuperficie loci præcontineantur, eſto diverſis contactibus locum tangant, ab ipſo loco accipiunt vnitatem, non autem locus accipit diverſitatem formalem ab ipſis.

782 His prælibatis, difficultas præſens tantum eſt de loco formaliter eodem. An videlicet poſsint duo Angeli eſſe in eodem loco formaliter? Cui quæſito reſpondeo cum D. Thom. hic artic. 3. non poſſe duos Angelos eſſe in eodem loco formali adæquato. Prob. ratione eius. Nam vt duo Angeli eſſent in eodem loco formali adæquato, deberet vnuſquiſque eorum eundem numero effectum adæquate producere; ſed hoc implicat: ergo fieri non poteſt, quod duo Angeli ſint in eodē loco formali adæquato. Maj. eſt certa, nam ſi locarentur per productionem diverſorū effectuum, eſſent in eodem loco tantum materialiter eodē, ſi locarentur per hoc, quod eſſent cauſæ partiales eiuſdem numero effectus, non eſſent in eodem loco vnicuique adæquato, ſed inadæquato: ergo vt ſint in eodem loco adæquato formaliter eodem, requiritur indiſpēſabiliter, quod idem effectus numero ab vnoquoque eorum tanquam à cauſa adæquata producatur in eodem paſſo. Min. vero Prob. nam ſi idem numero effectus à duabus cauſis adæquatè proveniret, per ſe ab vnaquaque penderet, & à nulla dependeret. Primum ſupponitur, & ſecundum Probatur, quia dum effectus adæquate produceretur ab vna, per ſe adæquate penderet ab illa: ergo non dependeret ab alia, ſiquidem ſine illa ab alia fieret: dependeret ergo per ſe ab vtraque, & à nulla dependeret, quæ contradictionem implicant.

Nec valet dicere cum Caietano hic, quod per ſe dependeret à duabus vt vnitis ad producendum eundem effectum, non vero per ſe penderet ab illis diviſive ſumptis, & ſic non ſequerentur duæ contradictoriæ. Non (inquam) valet, nam per ſe depēdere ab illis vt vnitis, vel dicit quod effectus tantum produceretur à tertia cauſa cōflata ex illis, vel ly *vt vnitis* tantum valet, quod ſimul operantibus: non primum, quia ſic effectus adæquate tantum reſpiceret pro cauſa illud tertium conflatum ex diverſis, & ſic non proveniret adæquate ex vnaquaque earum cauſarum, quod eſt, quod iudicamus impoſsibile: ſi ſecundum, probamus quod non penderet ab illis ſimul operantibus, quia adæquate produceretur ab vna: ergo non penderet per ſe à duabus ſimul operantibus.

Quod ſi dicatur, non pendere per ſe adæquate ab vna: non ponetur illas eſſe cauſas adæquatas, & adæquate actu producere eundem numero effectum. Nam de eſſentia cauſæ adæquatę in actu effectus, eſt quod effectus adæquate ab illa procedat: cum ergo ratio noſtra procedat de cauſis adæquate producentibus effectum, ſine eo quod vna producat per alteram, nec adiuvetur ab altera ad producendum effectum, manifeſte concluditur, dari duas contradictorias ex poſitione quod idē effectus ab vnaquaque earum adęquate producatur, & ſic erit impoſsibile, quod duo Angeli ſint in vno loco formali adæquato.

Dices, quod hæc ratio, ſi efficax ſit ad intentum, efficax quoque erit ad probandum, quod etiam de potentia abſoluta non poſsint eſſe plures Angeli in eodem loco formaliter eodem; hoc autem non admittitur à Thomiſtis: ergo Prob. nam per nos vnica tātū ex cauſa formali nō poſſent duo Angeli eſſe in eodem loco formaliter eodem, nēpe quia producerent vt cauſæ adæquatę eundem numero effectum in eodem paſſo; at eundem numero effectum adæquate producere duas cauſas implicat etiam divinitus, & de potentia abſoluta: ergo & duos Angelos eſſe in eodem loco adæquato formali implicabit etiam de potentia abſoluta. Ad hoc dico, quod in mea ſententia, in qua eſt certum, quod Angelus nequit eſſe in loco niſi per operationem, & in qua etiam eſt certum, quod etiam de potentia abſoluta idem effectus nequit provenire à duobus cauſis principalibus adæquatis, etiā eſt certum, quod duo Angeli nequeunt eſſe in eodem loco formali vnicuique adæquato: ad quod convincor ratione facta.

Etſi contra hoc inſtes, quod duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco divinitus: ergo à fortiori duo Angeli poterunt eſſe in eodem loco formaliter eodem. Reſpōdeo, neg. Conſ. & aſsignando diſcrimen. Etenim duæ quantitates cōnexæ, ratione quarum corpora ſunt in loco, poſſunt penetrari divinitus, vt habemus ex fide; penetratę autem in ordine ad locum non ſunt duę; ſed

Digitized by Google

ſed vna,quamvis in ordine ad ſe ſint duæ ex diſtinctione ſubiectorum,in quibus ſunt. Et ſic non implicat duo corpora eſſe in eodem loco: virtus autem vnius Angeli nequit penetrari cum virtute alterius, neque operatio vnius cum operatione alterius, & ſic nequeunt duo Angeli vnum tantum numero effectum producere vt cauſæ principales, & adæquatæ in eodem paſſo,vnde nequeunt etiam divinitus eſſe in eodem loco formaliter.

Sed inſtas, duæ quantitates penetratæ poſſunt eſſe in eodem loco: ergo & duo Angeli poſſunt eſſe in eodem loco. Prob. Conſ.nam ſicut ad hoc,vt duo Angeli ſint in eodem loco, requiritur quod in genere cauſæ efficientis eundem numero effectum producant,ità vt duæ quantitates ſint in eodem loco adæquato requiritur,quod idem effectus formalis proveniat à duabus cauſis formalibus adæquatis:ergo ſi hoc non obſtante, poſſunt duo corpora eſſe in eodem loco,poterunt quoque duo Angeli eſſe in eodem loco formaliter eodem. Prob.Ant. nam vt duo corpora adæquate ſint circumſcriptive in loco vno, requiritur,quod duæ circumſcriptiones paſsivæ adæquatè oriantur ex vna quantitate circumſcribente, & etiam requiritur ex parte corporum, quod vnus numero contactus paſsivus eiuſdem loci oriatur à duabus quantitatibus non partialiter contingentibus, ſed adæquate vnaquaque contingente locum: ergo requiritur, vt duo corpora ſint in eodē loco, quod idem effectus formalis proveniat à duabus formis adæquatis. Explicatur hoc, quando duo corpora penetrata ſunt in eodem loco, vnunquodque illorum tangit per propriam quantitatem, & non ratione quantitatis alterius adæquate locum: ergo idem numero locus adæquate tangitur à duobus adæquate tangentibus: ergo idem numero effectus contacti paſsivi ortus à duabus cauſis adæquate formaliter tangentibus.

Ad hoc, nego Conſeq. ad Prob. nego Antecedens, ad Prob. dico, quod contactus paſsivus eiuſdem loci, qui ſit à duobus corporibus, non eſt vnus, ſed duo, quia ſunt duæ quantitates extrinſice communicatæ eidem loco; ſicut eſſe viſum, quod cauſatur in numero à duobus adæquate videntibus, realiter non eſt vnum, ſed duo, nempe duæ viſiones extrinſice denominantes eundem murum viſum. Itaque ſicut idem murus extrinſice ſine inconvenienti videtur à duobus, ita idem locus extrinſice tangitur à duobus corporibus omni inconvenienti ſecluſo. Ad explicationem, Conced. prima Conſeq. nego ſuppoſitum ſecundi Conſequentis, videlicet quod denominationes paſsivi contacti ſint vnus tantum effectus formalis; ſunt enim duo contactus paſsivi, id eſt, duæ denominationes extrinſeci contacti, quamvis id, quod contingitur,ſit vnum, ſicut dum murus videtur adæquate à Ioanne, & à Franciſco, id, quod videtur, eſt vnum: ſed eſſe viſum ſunt duo, nempe duæ viſiones extrinſice communicatæ muro. Nec valet dicere, quod illi contactus paſsivi ſummunt numerum à ſubiecto, quod denominant, dum ergo ſubiectum eſt vnum, nempe vnus locus, videtur, quod denominationes paſsivi contactus tantum ſint vna, & non plures. Nam (inquam) valet,nam licet formæ intrinſice accipiant numerum à ſubiecto,à quo & habent eſſe; tamen denominationes pure extrinſecæ, cum non accipiant eſſe à ſubiectis denominatis per illas, non accipiunt numerum ab illis, ſed ab ipſis formis extrinſece denominantibus:nam realiter loquendo non ſunt quid diſtinctum ab illis.

§. XIX.

Vtrùm Angelus poſsit ſe locare in puncto?

784 GREGORIVS de Valentia hic diſp.4.quæſt. 3. part.3. affirmat cuilibet Angelo eſſe determinatum locum verſus parvitatem, & verſus magnitudinem,ſic, quod nō poſsit eſſe pro ſua libertate,vel in maiori, vel in minori; vnde iuxta ipſum nequit ſe Angelus locare in puncto. Vazquez etiam hic diſput. 192. cap.2.tenet cum Scoto in 2.diſt.2.quæſt.6. *§.ad propoſitū*, affirmat nihil in hac re cōpertum eſſe, & fundamenta S.Tho.de contactu loci per operationem ad hoc ſtabiliēdum eſſe infirma, & nullius roboris, quia non poteſt virtus Angeli aut operatio eius recipi in puncto, neque per punctum poſſe Angelum derivare virtutem operativam in reliquum corpus. Oppoſitum tamen tenet D.Thom.in 1.d.37.q.3.art.2.& hic quæſt. 52.art. 2. vbi ſic habet: *Angelus eſt indiviſibilis extra genus quantitatis, & ſitus exiſtens: vnde non eſt neceſſe, quod determinetur ei vnus locus indiviſibilis ſecundum ſitum, ſed vel*

vel diviſibilis, vel indiviſibilis : ſentit ergo poſſe ſe locare Angelum in indiviſibili: vnde cum ipſo ſentit tota Schola Thomiſtica. Et placet hæc ſententia. Et prob. primo, nam ex quo Angelus eſt elevatioris naturæ ſupra locum corporeum, poteſt pro ſua libertate abſolvi ab omni loco, vt vidimus ſupra ex D. Thom. ergo propter eandem rationem poterit ſe locare intra ſphœram activitatis ſuæ in puncto locali. Prob. hæc Conſeq. quia enim Corpus Chriſti non eſt in Sacramento commenſurative ad ſpecies, poteſt eſſe in omni eo, in quo panis natura antea erat, ſic, quod non tantum ſit in parte diviſibili hoſtiæ, ſed etiam in indiviſibili eius: ergo quia Angelus non eſt in loco cõmenſurative ad locum, ſed omnino independenter ab illo, poterit ſe locare in loco diviſibili, & etiam in indiviſibili.

Nec valet dicere, quod eſto Angelus ſit independens à loco, & non commenſuretur ab illo, tamen ſecundum maximùm habet terminum attenta virtute naturali eius, ſic, quod non poſsit eſſe ſub maiori loco eo, quẽ ei determinavit natura: ergo non obſtante quod ſit independens à loco, & non ſit commenſurative in illo, poterit habere terminũ verſus minimum, ſic, quod non poſsit eſſe in puncto. Non (inquam) valet, nam primum oritur ex hoc, quod virtus operativa Angeli limitata, & finita eſt intrinſice; ad operandum autem in maiori loco requiritur maior virtus, quam ad operandũ in minori: vnde ita poteſt eſſe magnus locus, quod Angelus nõ habeat virtutem ad operandũ in illo, & ſic eſt neceſſe, quod verſus magnitudinem terminum habeat, ſiquidẽ virtus eius operativa terminũ intrinſecũ habet. Hoc autẽ non militat verſus parvitatem, vnde in omni eo verſus parvitatẽ, quod poteſt recipere effectũ ſuæ operationis, locari poteſt, poteſt autẽ operari in puncto, vt videbimus, & ſic poteſt in eo locari.

785 Secundo. Prob. Concluſio. Etenim Angelus poteſt eſſe in omni loco, in quo poteſt aliquid operari, dummodo intra ſphœram activitatis ſuæ ſit; ſed poteſt operari in puncto: igitur libere poterit ſe in eo locari. Conſ. eſt bona, & Maior reſtat ſtabilita per dicta in aliis §§. & Min. Prob. nam conſtat ex bona philoſophia, quod ſi corpus perfecte ſphœricum moveatur per corpus perfecte planum, non poſſet perfecte planum tangere niſi per punctum indiviſibile, motu diſcreto ſaltando ab vno indiviſibili ad aliud: ergo poſſet Angelus vniri tali corpori ſphœrico, & producere in indiviſibili illo, per quod tangit corpus perfecte planum motum localem, vel locũ & velociorem pro libito eius: igitur punctũ indiviſibile poteſt recipere effectum operationis Angelicæ, & ſic poterit locare Angelũ. Prob. ſecundo illa Minor. Etenim nõ repugnat, quod Angelus à lapide v.g. extrahat aliquod indiviſibile, & illud corrũpat: ergo tunc circa tale indiviſibile operabitur ſaltim deſtruendo illud: ergo locabitur in illo. Plura in Confirmationem huius veritatis poſſemus adducere ex phyſica, ſed iſta ſufficiant.

786 Aliqui obijciunt contra hanc veritatem, quod ſi Angelus poſsit ſe locare in loco indiviſibili, poterit vnus Angelus locari in alio, qui indiviſibilis eſt; Conſeq. non admittitur à Theologis: ergo. Cæterum hæc obiectio nullius eſt roboris, nam Angelus in indiviſibili quãtitativo habente ſitũ, in continuo locari poteſt, quia corpus ſive diviſibile, ſive indiviſibile ſubditur Angelo, vt recipiat influxus eius, nempe motum localem, & alia, & ſic dum poteſt indiviſibili vim aliquam communicare, poteſt locari in indiviſibili quãtitativo: cæterũ vnus Angelus non poteſt agere in aliũ; quia in purum ſpiritum ſolum habere poteſt influxum, & illapſum Deus, qui creavit ipſum, & ſic, cum vnus Angelus nihil poſsit efficere in aliũ, nequit locari in illo.

Sed contra hoc poteſt fieri inſtantia, primo ex illo Thobiæ 8. vbi legitur, quod *Angelus Raphael religavit Dæmonium in deſerto ſuperioris Ægypti*: ergo vnus Angelus habet activitatem in alium, & ſic, ſi ratio indiviſibilis non obſtat, poterit locari in illo. Reſp. quod vnus Angelus poteſt alligare alium in aliquo loco, vt inſtrumentũ divinæ virtutis, producẽdo intra illum aliquas qualitates impeditivas Angeli ligati, ne poſsit in alio loco operari: cauſa autẽ inſtrumentalis non habet illapſum intra paſſum, in quo inſtrumentaliter aliquid producit, vnde Raphael manens cũ Thobia alligavit Dæmonium in deſerto ſuperioris Ægypti: ſola enim cauſa principalis illapſum habere poteſt. Quod patet de igne Inferni, qui vt inſtrumentũ Dei alligat Dæmones in inferno, nec tamẽ illis illabitur, quia non agit in illos immediate immediatione ſuppoſiti, ſed tantum immediatione virtutis, de quo plura Deo dante infra dicemus.

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

De motu Angelorum.

POST Exactam notitiam de loco Angelorum, reſtat nobis examinare motum localem eorum. Omne enim, quod proprie eſt in loco, ſi non ſit in omni loco, poteſt moveri de vno loco ad alterũ locum: vnde ad hoc examinandum præſentem agitamus quæſtionem.

§. I.

Vtrùm Angelus poſsit moveri localiter?

787 PVTAVIT Herbæus in ſuo tractatu de motu Angeli, Angelum non eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam, ſic, quod affirmaverit eius ſubſtantiam nequit *vt quod*, neque *vt quo* eſſe in loco: vnde conſequẽter agens de motu Angeli dixit, Angelum non poſſe moveri localiter, ſic, quod eius ſubſtantia modo deſerat eſſe in hoc loco, modo incipiat per motũ eſſe in alio loco. Putavit ſimiliter Durandus in primo diſt. 37. in 2. parte diſtinctionis. Angelum eſſe vbique, id eſt, in omni loco, & conſequenter ad hoc dixit, Angelum non poſſe moveri localiter de vno loco ad alterũ, ſicut nec Deus propter eandem rationem, videlicet, quia eſt in omni loco. Tenendum tamen eſt cum cõmuni Theologorum, Angelũ poſſe moveri localiter. Itaque D.Th. hic q.53. art.1. & Prob. manifeſtis locis Scripturæ, Math.28. dicitur: *Angelus autẽ Domini deſcendit de cælo.* Iudicum 13. *Angelus Domini pariter in flamma aſcendit.* Lucæ 2. *Diſceſſerunt Angeli à paſtoribus in cælũ.* Iob 1. Inquit Sathan *circuivi terram, & per ambulavi eam.* Thobiæ 3. *Raphael Angelus dixit, omnia itinera frequenter ambulari.* Et D.Th. in argumẽto *ſed contra* citati, art.1. dicit, *quod articulus fidei eſt, quod Chriſtus ſecundum animã deſcendit ad inferos*: igitur pro certo habendum eſt, Angelos poſſe moveri localiter.

788 Prob. Secundo ratione, nam vt ſupra vidimus, Angelus eſt in loco per ſuam operationem; poteſt autem ſucceſsive operari in varijs corporibus localiter immotis: ergo tunc mutabit ſucceſsive loca: poteſt etiam movere localiter aliquod corpus per aliquod ſpatium: ergo & poterit moveri per accidens, id eſt, ad motum corporis, quod activè movet. Prob. vtraque Cõnſ. prima quidem, nam ſucceſsiva adquiſitio loci eſt motus localis; ſed dum Angelus ſucceſsive operatur in diverſis corporibus alicuius ſpatij, ſucceſsive adquirit diverſa loca: ergo tunc movetur localiter. Secũda etiã Prob. nam quãdo aliquid eſt in alio, quod movetur, ſicut motor capax motus, peraccidẽs movetur ad motu eius; ſed Angelus eſt capax motus, & alias eſt in corpore, quod movetur, vt motor in mobili: igitur movebitur peraccidens ad motum corporis moti.

Nec valet dicere, quod licet corpus, quod movet Angelus mutet locum, & moveatur; tamen ipſe Angelus nunquam mutat locum, quia ſemper eſt in eodem loco, nempe in corpore, quod movetur, & ſic non movetur adhuc peraccidens ad motum alterius. Non (inquam) valet, nam licet Angelus non mutet locum per ſe, mutat tamen per aliud, ſiquidem virtute ipſius Angeli, corpus locum mutat. Itaque locus Angeli, qui eſt corpus, non eſt locus immobilis; ſed movetur de facto localiter: ergo eſto Angelus illũ nũquã deſerat, poterit per illud localiter moveri. Itaque hoc eſt diſcrimẽ inter ſpiritualia, & corporalia; quod loca corporum non moventur, cum ex ſua diffinitione habeat locus, quòd ſit ſuperficies concava immobilis prima; locus autem ſpiritualiũ eſt mobilis, & de facto movetur virtute Angeli locati, & ſic eſt neceſſe, quod ad motum corporis, in quo ſunt vt in loco, Angeli quoque localiter moveantur. Quamvis enim quis per ſe quieſcat in navi, dum tamen eſt in navi tanquam in loco, movetur peraccidens ad motum navis.

Nec valet dicere, quod non eſt eadem ratio de quieſcentẽ intra navim, & de Angelo exiſtente in loco, quod localiter movetur, quia ſicut navis impellitur à ventis, ſic & omnia, quę ſunt in navi impellũtur, & tranſportantur de vno loco in aliũ: non ſic autẽ contingit in Angelo localiter movẽte aliquod corpus, qui à nullo impellitur, ſed ſolũ moveri dicitur motu ipſius corporis extrinſicè, ſicut corpus Chriſti exiſtens ſub ſpeciebus dicitur tantũ extrinſice moveri ipſo motu ſpecierũ, nullo motu intrinſice recepto in Corpore Chriſti. Non (inquam) valet, nam quidquid alij dicunt, ſum tamẽ in ea opinione, quod dũ Angelus active movet lapidẽ per aliquod ſpatiũ, licet per ſe primo, & directe ſolum impellat

lapidem, tamen per lapidem à ſe motum peraccidens habet impellere ſe ipſum; nõ enim bene percipio, quod Angelus ſit in lapide tanquam locatũ in loco, & quod non moueatur intrinſece ad motum lapidis. In quo aſsigno diſcrimen inter corpus Chriſti exiſtens ſub ſpeciebus, & Angelum movẽtem localiter lapidẽ. Etenim corpus Chriſti non eſt ſub ſpeciebus tanquã locatum in loco, & ſic ad motum localem ſpecierũ non habet intrinsice moveri, quia vt aliquid localiter moveatur per ſe, requiritur, quod ſit in loco: Angelus autem vere eſt in corpore, quod localiter movetur tanquã locatum in loco, & ſic eſt neceſſe, quod dum perſe primo active movet ſuum locũ, per ipſum motum ſecundario, ſeu ratione alterius, intrinſice moveatur.

789 Et ſi inſtes, hanc doctrinã eſſe contra D.Thom.3.p.q.76.art.6.ad primũ, quod tale erat: *Motis nobis, moventur ea, quæ ſunt in nobis, quod quidem eſt verum etiã de ſubſtantia ſpirituali animæ; ſed Chriſtus eſt in hoc Sacramento: ergo movetur ad motum ipſius.* Ad quod ſic reſpondet; *dicendum, quod ratio illa procedit de motu per accidens, quod ad motum noſtri moventur ea, quæ in nobis ſunt, aliter tamen ea, quæ per ſe poſſunt eſſe in loco, ſicut corporalia, & aliter ea, quæ per ſe non poſſunt eſſe in loco, ſicut formæ, & ſpirituales ſubſtantiæ, ad quem modum poteſt reduci, quod dicimus, Chriſtum moveri peraccidens ſecundum eſſe, quod habet in hoc Sacramento, in quo non eſt ſicut in loco:* Sentit ergo quod non alio modo movetur Angelus ad motũ corporis moti, ac movetur peraccidens corpus Chriſti ad motum ſpecierũ. Sed reſpondeo, in primis ibi non loqui D.Thom. de Angelis, ſed tantũ loqui de ſubſtantijs ſpiritualibus, quales ſunt animæ. Tum quia de iſtis tantum procedebat argumentum. Tum quia loquitur de illis, quæ non ſunt per ſe in loco; at Angeli ſunt per ſe in loco, quia per propriã virtutem habent contingere illum: vnde cum dicit, *ſicut formæ, & ſpirituales ſubſtantiæ*, nomine *formæ* intelligit formas materiales, quæ ſpeciali titulo appellãtur formæ, quia videlicet nequeunt habere eſſe niſi informando materiam, & nomine *aliæ ſubſtantiæ ſpirituales* intelligit animas rationales: vnde in argumento, quod ſolvit, etiã dicit, quod etiam eſt verũ de ſubſtantia ſpirituali animæ. Vel reſp. ſecundo D. Th. non dicere, quod motus Chriſti ſub ſpeciebus motis ſit idem cũ motu ſpiritualis ſubſtantiæ, ſed dicit eſſe reductive idem: reducitur ergo ad illum quantum ad hoc, quod eſt eſſe motũ per accidens, non quantum ad omnia, & ſic nihil concluditur contra nos.

790 Contra noſtram Concluſionem adducitur difficilis authoritas Parentis Auguſtini 8. de Geneſi ad literam cap. 20, vbi habet Auguſtinus; *Creaturam ſpiritualem tantum mutari per tempora; corporalem vero per tempora, & loca*: igitur ſentit Auguſtinus, Angelos non moveri localiter, alias mutarentur per loca localiter. Hanc doctrinã primo tradidit de anima rationali, de qua dicit, *quod movetur per tempus, quia recordatur præteritorum, & providet de futuris, non vero movetur per loca, quia id ſolũ per loca movetur, quod diſtenditur per illa, & ſolum corpus diſtenditur, nõ anima, quæ eſt purus ſpiritus.* Hanc etiã doctrinã deinde applicat Angelis. Ad hoc reſp. Auguſtinũ cõcedere Angelis motũ ſecundum tempora, & negare motum ſecundũ loca, loquendo de ipſis ſecundũ ſe ſumptis, nõ vero loquẽdo de ipſis prout vniti corporibus per modum motorum corporũ. Etenim cum Angeli ſecundum ſuas operationes ſint mutabiles, non ſolũ ſecundũ quod virtualiter tranſeuntes ſunt, & aliquid efficiunt in corporibus, ſed etiã ſecundũ quod pure immanẽtes ſunt; fit inde, quod illis independenter à corporibus ſua conveniant tempora, per quæ varietas ſuarum operationũ menſuretur: vt autẽ præſcindũt ab vnione ad corpora, non convenit Angelis eſſe in locis, & ſic non convenit mutari ſecundum loca; hoc enim eſt, quod prętendit Auguſtinus, & per hoc habetur diſcrimen inter Deũ, Angelos, & corporalia. Nam Deus, cũ ſit immutabilis ſecundũ eſſe, & ſecundum operari, non habet tempus, ſed ſola gaudet æternitate, & cum ſit omnino immobilis tam per ſe, quam per aliud, nõ habet moveri localiter: Angelus vero cũ ſecundũ eſſe ſit immutabilis, & mutabilis ſecũdũ operationẽ, habet tempus, quo menſuratur varietas operationũ eius, quia vero ſecundũ ſe nõ habet extenſionẽ molis, repugnat ei ſecundũ ſe locus, & ſic non habet moveri ſecundũ loca; vnde vt moveatur requirit varios cõtactus virtutis, quos ſolũ habere poteſt circa corpora: corpus vero cũ ſit mutabile ſecundũ eſſe, & ſecundũ operari, & habeat aliàs extenſionem molis, & habet ex proprijs mutationem ſecundum tempus, & habet variationem ſecundum loca.

Digitized by Google

§. II.

Vtrùm Angelus poſſit moveri motu continuo?

791 DIV. Thomas hic in articulo primo diſtinguit duplicem motum alium continuum alium diſcretum. Continuus dicitur, quando mobile per partes deſerit terminum *à quo*, & per partes adquirit terminũ *ad quẽ*; motus diſcretus eſt ille, quando mobile ſimul deſerit terminum *à quo*, & ſimul adquirit terminũ *ad quem*: videndũ ergo nobis reſtat, an Angelus vtroque motu moveri poſſit? Et primo agã de motu continuo, & in alio §. de motu diſcreto. Circa ergo primum, negarunt Angelum poſſe moveri motu continuo Herbæus in 1. diſt. 8. quæſt. 4. & diſt. 37. quæſt. 2. artic. 3. & in tractatu de motu Angeli, & Valleſius in libro de Sacra Philoſophia. Oppoſitam tamen ſententiã tenent communiter Theologi cum D.Thom.

Sit Concluſio. Angelus poteſt moveri motu continuo. Ita tenet Div.Thom. hic illis verbis, art.1. *Poteſt autem in huiuſmodi contactibus continuitas quædam inveniri, quia vt dictum eſt, nihil prohibet Angelo aſſignare locum diviſibilem per contactũ ſuæ virtutis, ſicut corpori aſſignatur locus diviſibilis per cõtactum ſuæ magnitudinis: Vnde ſicut corpus ſucceſſive, & non ſimul dimittit locum, in quo prius erat, & ex hoc cauſatur continuitas in locali motu eius; ita etiam Angelus poteſt dimittere ſucceſſive locum diviſibilem, in quo prius erat, & ſic motus eius erit cõtinuus.* Et quodlib.1.art.5.ait: *Dicendum, quod Angelus non eſt in loco per commenſurationẽ, ſed per applicationem ſuæ virtutis ad locum, quæ quidem poteſt eſſe indifferens & ad locum diviſibilem, & indiviſibilem, vnde poteſt continue moveri, ſicut aliquid in loco diviſibili exiſtens continue intercipiendo ſpatium.*

792 Ratio pro Concluſione non eſt alia, quam ea, quam adduximus ex D. Thom. hic in articul. Etenim Angelus poteſt eſſe in loco diviſibili, vt ſatis conſtat ex dictis; ex illo autem loco diviſibili poteſt ſucceſsive, & non ſimul exire acquirendo alium locum, ſimiliter diviſibilem ſucceſsive, & non ſimul, in hoc autem proceſſu habetur quædam continuitas: igitur motus Angeli poteſt eſſe continuus. Forſan negabis Minorem, dicendo, quod ad continuitatem motus vltra illam ſucceſsionem deſertivam termini *à quo*, & adquiſitivam termini *ad quem* requiritur, quod motus, qui continuus dicitur, habeat extenſionem partium, quæ copulentur aliquo termino communi vtrique parti; hoc autem nequit convenire Angelo, cuius motus ſunt ſoli actus intellectus, & voluntatis incapaces talis extenſionis. Sed contra hoc eſt, nam licet actiones Angelicæ in ſe ſint indiviſibiles, locum tamen diviſibilẽ tangunt diviſibiliter, vnum diviſibiliter illum deſerunt, & diviſibiliter alium acquirunt: ergo prout ſic habebunt ſuum genus continuitatis. Prob. Antec. Angelus ſua indiviſibili operatione libere ceſſat operari in vna parte ſpatij, in qua antea operabatur, & libere operatur in parte ſpatij, in qua antea non operabatur, & per temporis ſucceſsionem ita ſe habet quouſque paulatim locum, quem antea occupabat, deſerit, & novum paulatim, & partem poſt partem adquirit: ergo operatio Angelica quamvis in ſe ſit indiviſibilis diviſibiliter tamen locum deſerit, & diviſibiliter locum adquirit.

Sed inſto, nam licet ad motum continuum, quo moventur corpora, quæ formaliter extenſa ſunt, requiratur quod motus in ſe extenſionem habeat, & partibus conſtet aliquo termino communi copulatis, tamen hoc non requiritur ad continuitatem motus ſubſtantiæ incorporeæ: ergo per ſolutionem datam non deſtruitur, quod motus Angeli ſuam habeat continuitatem. Prob. Antec. eſto ad hoc vt corpus ſit in loco diviſibili requiratur quod ſit extenſum formaliter per totum ſpatium, tamen ad hoc vt Angelus ſit in loco diviſibili non requirit præfatam extenſionem, ſed ſufficit quod ſua indiviſibili operatione immediate immediatione ſuppoſiti, & virtutis in toto illo ſpatio ſimul operetur: ergo pariter ad continuitatem motus eius non requiretur, quod ipſa actio, per quam movetur, habeat in ſe extenſionem, ſed ſufficiet, ſi diviſibiliter locum deſerat, & diviſibiliter locum adquirat: quod quidem fiet, ſi ſine interpollatione Angelus ab operatione in loco, in quo antea erat, ceſſet, & ſine interpollatione paulatim in alio loco operetur.

793 Contra hanc veritatem militare poteſt hæc ratio. Nam motus continuus nequit eſſe ille, qui conſtat ex pluribus operationibus inter ſe nõ copulatis; ſed motus Angeli, quo v.g. deſcẽdit de cœlo ad terrã, nõ cõſiſtit in vna indiviſibili operatione

ſed

Digitized by Google

ſed in pluribus nullo termino communi inter ſe copulatis: igitur talis motus non erit continuus. Mai. patet, nam plures operationes ſunt plura indiviſibilia; plura autem indiviſibilia faciunt numerum, qui conſtat ex pluribus vnitatibus, non continuum, quod conſtat ex partibus diviſibilibus: ergo motus continuus nequit eſſe ille, qui conſtat ex pluribus operationibus inter ſe non copulatis. Min. vero Prob. nam in diſcurſu illo deſcenſus Angeli à cœlo ad terram, poteſt Angelus cauſare motũ localem in cœlo, lumen in aere, calorẽ in terra; iſtæ autem operationes longe ſunt inter ſe diverſæ, & in nullo ſunt adunatæ: ergo motus Angeli non conſiſtit in vna operatione, ſed in diverſis. Reſp. quod continuitas motus Angelici ſit per hoc, quod ſucceſsive relinquat terminũ *à quo*, & ſucceſsive adquiquirat terminũ *ad quem* ſine quiete, & ſine interpollatione, quod autem hoc faciat per vnam operationem, vel per plures, parũ refert ad continuitatem motus Angelici; nã eſto illæ ſint plures, & ſpecie diſtinctæ, dũ tamẽ per illas Angelus ſucceſsive relinquit terminum *à quo*, & ſucceſsive adquirit terminum *ad quem*, motus Angelicus dicitur habere continuitatẽ ſibi proportionatã.

Sed contra hoc manifeſte inſtas, motus continuus Angeli debet menſurari tempore continuo; & in tempore continuo nequit Angelus modo ceſſare ab vna operatione, & immediate incipere aliã: ergo ſucceſsio illarũ operationũ non poteſt efficere motũ continuum. Prob. Min. operationes Angeli ſunt indiviſibiles in ſe: ergo deſinunt per vltimũ ſui eſſe, & incipiunt per primũ ſui eſſe; ad hoc autẽ requiruntur plura inſtantia immediate ſe habentia, quæ cũ non reperiantur in tempore continuo, non poterunt fieri in tempore continuo, ſiquidem poſt inſtans deſitionis vnius non habetur in eo inſtans immediate potens menſurare inceptionem alterius.

Ad hoc poſſet dici, quod tempus continuum noſtrum non conſtat ex indiviſibilibus, ſed poſt indiviſibile ſequitur diviſibile; non ſic autẽ philoſophandum de tempore continuo Angelico, quod conſtat tantum ex inſtantibus ſibi immediate ſuccedentibus. Sed ſi hoc dicatur, falſum dicitur, nam ſola indiviſibilia nequeunt facere extenſionem, niſi numeralẽ, quæ ex pluribus vnitatibus conſtat: numerus autem eſt quãtitas diſcreta non continua, & ſic tempus menſurans præfatum motũ Angelicũ erit tempus diſcretum, non continuum: vnde motus non erit continuus, quia hic ſolum menſuratur tempore continuo.

Propter hæc, quæ ſunt valde difficilia, poſſumus aliter reſpondere ad argumentum principale, dicendo, quod Angelus vno ſolo motu continuo deſcendens de cœlo ad terram, vna ſola operatione extrativa indiviſibili producit in cœlo motum localem, in aere lumen, & in terra calorem: eſt enim vnum imperium practicum efficax ad producendum ſucceſſive, & per ordinem ad diſtinctum tempus illa tria, & alia plura; & ſic non eſt neceſſe multiplicare operationes, ſed ſufficit multiplicare operata in diſtinctis ſpatiis ſine quiete ab operando: & ſic motus ille eſt continuus, dum in ſe eſt vnus, & Angelum ſucceſsive in diverſis locis locat.

794 Contra eandem veritatem alia poteſt militare ratio. Ponamus quod Angelus ſit in loco indiviſibili, & ex hoc moveatur adquirendo locum diviſibilẽ; tunc Angelus movetur continue; & tamẽ ſimul relinquit totum locum, in quo antea erat, quia cum ſit indiviſibile, non poteſt niſi ſimul relinqui: ergo ad motum continuum non requiritur quod paulatim deſeratur locus, in quo prius Angelus erat. Ad hoc dico, quod in iſto caſu Angelus non movebitur primo motu continuo, ſed diſcreto: vnde erunt duæ mutationes adæquate diſtinctæ, quarum vna erit adæquate deperditiva loci priſtini, & alia erit adquiſitiva loci diviſibilis; de ratione autem motus continui eſt, quod ſit partim deperditivus termini *à quo*, & partim adquiſitivus termini *ad quem*: vnde ſi vna mutatione terminum *à quo* dereſinquat adæquate, & alia purè adquirat terminum *ad quem*, motus erit diſcretus.

Sed quid dicendum de illo motu, quo v.g. Angelus pertranſiret vnam leucam relinquendo vna vice quartam partem leucæ, & adquirendo vna vice aliam quartam partem leucæ, & ſic deinceps faciendo quouſque finiatur tranſitus per leucam, & adquiratur nova leuca? Erit ne iſte motus continuus? Videtur quod non. Quia non relinqueret paulatim locum, quẽ habebat, neque paulatim adquireret locũ, in quo poſtea inveniretur, ſed veluti ſaltãdo per partes aliquotas illius ſpatii. Ex alia parte videtur quod ſit motus cõtinuus, quia vt eſſet diſcretus, deberet adæquate

vna mutatione relinquere totum locum, in quo prius erat, & alia mutatione adquirere alium locum, in quo antea nullo modo erat; hoc autem non contingit in præſenti caſu, cum non relinquat ſimul, ſed ſucceſsive locum, nec adquirat locum novum ſimul, ſed ſucceſsive: ergo non erit motus diſcretus. Dico, quod ille motus eſſet continuus, quia non eſſet in eo mutatio tantum deperditiva, ſed etiam eſſet ſimul adquiſitiva: vnde eſſent ibi diverſi contactus inadæquati ſucceſsive ſe habentes, & ſic eſſet motus continuus.

Sed quid dicendum, ſi Angelus exiſtens in vna parte leucæ, ex illa immediate veniret ad ſecundam partem leucæ, & ex ſecunda non tranſeundo per tertiam ſe locaret in quarta parte leucæ? Eſſet ne motus continuus? Salmanticenſes dicunt, quod eſſet motus continuus, quia Angelus diverſis contactibus inadæquatis ſucceſsive ſe habentibus totam leucam pertranſiret ſine quiete, ſeu interpollatione: vnde quamvis ex parte medij eſſet interpollatio, cum tamen hæc non eſſet ex parte Angeli tranſeuntis, motus continuus eſſet. Sed hoc videtur expreſſe côtradicere D.Th. hic q.53. art.2. ibi: *Motus localis Angeli poteſt eſſe continuus, & non continuus: ſi ergo ſit continuus, non poteſt Angelus moveri de vno extremo ad alterū, quin pertranſeat medium, quia vt dicitur in 6. Phyſ. mediū eſt in quod prius venit, quod continue mutatur: ordo enim prioris, & poſterioris in motu continuo eſt ſecundum ordinem prioris, & poſterioris in magnitudine: ſi autem motus Angeli non ſit continuus, poſſibile eſt quod pertranſeat de aliquo extremo in aliud non pertranſito medio.* Sed ſic eſt quod in caſu noſtro Angelus de ſecunda medietate leucæ immediate veniret ad quartam non pertranſita tertia: igitur motus ille non eſſet continuus.

Nec valet explicatio, quam iſti Patres huic authoritati aſsignant, videlicet, quod D. Thom. tantum velit, quod motu continuo non poſsit quis tranſire de vno extremo ad aliud, ſine eo quod pertranſeat aliquod intermediū, non verò velle, quod vt motus ſit continuus, debeant pertranſiri omnia media, quæ ſunt inter extremum, & extremum. Non (inquam) valet hæc explicatio, quia D. Thom. in probationē ſuæ doctrinæ adducit textum Philoſophi ex 6. Phyſicorū, nempe *mediū eſt in quod prius venit, quod continue mutatur*; hæc autē doctrina eſt vera, nō ſolū de aliquo medio, ſed de omni medio inter terminū *à quo*, & terminum *ad quem*. Sum ergo in ea ſententia, quod in dicto caſu Angelus continuo veniret de prima medietate leucæ ad ſecundā, de ſecunda vero ad quartam veniret motu diſcreto. Et quidem à ſecunda parte leucæ Angelus immediatè locare ſe nō poterat in quarta parte per aliquod inter mediū inter ſecundā, & quartam: ergo à ſecunda immediatè ad quartam non poterat venire motu continuo: nam motu continuo de vno extremo ad alterum non venitur niſi pertrāſeundo medium.

795 Tertio facit difficultatem contra noſtrā noſtram Concluſionē, quod D.Th. in 1. diſt. 37. q.4. art.1. & quodlib.9. art.9. docet: *Motum Angeli non eſſe continuū.* Reſpondet Ioan. à S. Thom. D. Thom. hic correxiſſe ſententiam, quam in ſententijs docuerat. Gonet autem tres adhibet explicationes. Prima, quod ſolū vellit docere, quod Angeli nō neceſſario moventur motu continuo ſicut corpora, ſed moveri poſſunt motu diſcreto, & motu continuo. Secundò dicit, quod ſolum negat motū continuum per formalem, & proprie dictam extenſionem, non tamen negat motū continuum per extenſionem virtualē, & æquivocè ſe habentē cum extenſione motus cōtinuè corporum. Tertio dicit, loqui de operationibus Angelorum ſecundū quod pure immanentes ſunt, ſub qua ratione nō menſurantur tempore continuo, ſed diſcreto; nō vero loqui de motu Angelorum, prout importat eaſdem operationes vt virtualiter tranſeuntes, & vt habent terminum extra Angelum productum, ſic enim menſurantur tempore continuo, quatenùs ſucceſsive, & ſine quiete, & interpolatione ſpatium contingunt.

Sed vt appareat, quod nulla ex iſtis explicationibus aliquid valeat, adduco textū: *Tertius modus eſt ſecundū locū, qui etiā attribuitur eis ſecundū authoritatē Ambroſij, & Bedæ, & quia moveri in loco ſequitur ad eſſe in loco, ideo eodem modo convenit Angelo moveri in loco, ſicut eſſe in loco, & vtrumq; eſt æquivocè reſpectu corporalium: dicitur enim Angelus eſſe in loco, in quantū applicatur loco per operationem; & quia non ſimul eſt in diverſis locis, ideo ſucceſsio talium operationū, per quas in diverſis locis eſſe dicitur, motus eius vocatur: unde ſicut conceptiones intellectus convenienter ſe habent ſine continuatione, ita & operationes eius. Vnde motus localis Angeli non eſt continuus, ſed*

ip-

ipſa operationes eius conſequenter ſe habent circa diverſa loca, ſecundum quas in illis eſſe dicitur, localis motus ſic eſſe dicuntur. Sic D. Thom. ex quibus evaneſcit prima explicatio Gonet Mai. enim negativa: *Vnde motus localis, Angeli non eſt continuus*, negat continuitatem ab omni motu Angeli, nec relinquit poſſe ad motū localē continuum. Evaneſcit etiam ſecunda explicatio. Nam motus localis Angeli non minus æquivoce dicitur de motu Angeli, & motu corporalium, quam continuitas motus localis æquivoce dicatur de motu locali Angeli, & de motu locali continuo corporaliū; at admittit de operationibus Angelicis conſequenter ſe habentibus dici, & eſſe motum localem, & negat continuitatem illis convenire: ergo negat Angelis motum localem continuum continuitate etiam æquivoce dictā, ſicut eam admittit hic q. 53. art. 1. Tertiā explicatio clarius omnibus evaneſcit, quia loquitur de operationibus, vt Angelū ſucceſsive locant in diverſis locis, vt patet legenti contextum; non autem locant in diverſis locis prout ſunt purè immanentes, ſed prout ſunt virtualiter tranſeuntes: ergo expreſſe ſe opponit D. Thom. dicere, quod loquatur de operibus prout purè immanentes ſunt.

Dico ergo ad authoritatem D. Thomæ quod ſecundum rem nihil aliud docuit in articulo primo huius quæſtionis 53. quam docuerat in ſententijs, abſtinuit tamen in ſententijs a nomine motūs continui, in quo ſuam loquutionem hic correxit: ibi enim ſe confirmavit cum Magiſtro, hic ex proprijs vt author loquutus eſt. De hoc ſecundo non eſt difficultas. Primum Probo, nam hic admittit ſucceſsivos contactus ad diverſa loca, quam ſucceſsionem hic vocat motum continuum, & in ſententijs ſolum vocat motum localem. Deinde, in ſequenti articulo ex ſententijs expreſſe tenet Angelum poſſe moveri de vno loco ad alterum tangendo omnia intermedia per ſuum motum; hoc autem fieri nequit per motum diſcretum, vt oſtendit hic S. Thom. art. 2. ergo ſecundum rem admittit motum continuum, licet abſtineat ab hac voce: correxit ergo ſententiam quantum ad vſum vocum, non quantum ad rem.

(†)

§. III.

Vtrùm Angelus moveatur motu diſcreto?

796 ANGELVM Nō poſſe moveri motu diſcreto docuerunt Molina in præſenti loco ſupra citato. Malonius in 2. diſt. diſp. 16. Scotus in 2. diſt. 2. quæſt. vltima, art. vltimo, quē ſequitur Radda, & alij Scotiſtæ. Cæterum Angelum poſſe moveri motu diſcreto cōmuniter tenetur à Theologis cum Div. Thom. hic & in primo diſt. 37. in quibus locis S. Doctor non vtitur nomine motus diſcreti, ſed vtitur nomine motus non cōtinui, & nomine motus, cuius partes ſunt vnitates, quæ faciunt numerum: dicitque, Angelū moveri motu non continuo, quod ab omnibus intelligitur de motu diſcreto. Vnde ſit pro affirmativa parte Concluſio. Angelus poteſt moveri motu diſcreto. Ita D. Th. hic art. 1. q. 53. ibi: *Et poteſt etiam totum locum ſimul dimittere, & toti alteri loco ſimul ſe applicare, & ſic motus eius non erit continuus*, In 1. ſent. diſt. 37. q. 4. ad 3. inquit: *Sed quia motus Angeli localis non eſt poſitus eſſe continuus, ideo non oportet, quod pars illius motus ſit motus, & ideo nec in A. movetur, nec in B. movetur, licet, A, & B. ſint partes eius, ſed ſucceſsio horum quod eſt in A. & eſſe in B. motus eius vocatur.* Sic fideliter D. Th. non ſicut legit Gonet nempe *Angelus motu diſcreto, nec in A, nec in B. movetur.*

Ratione Prob. Concluſio. Nam motus Angeli localis conſiſtit in diverſis contactibus locorū non ſimul, ſed ſucceſsive; ſed nō eſt neceſſe quod in iſtis contactibus ſit continuitas: ergo non eſt neceſſe quod Angelus quotieſcumque movetur, motu continuo moveatur: ergo poterit ſe movere motu diſcreto, id eſt, nō continuo. Secūdo. Angelus poteſt ſimul relinquere totū locū, quē antea habebat, & ſimul adquirere totū locū, quē modo habet; at hoc fit non per motum localem continuum: ergo per motū localē diſcretū. Conſ. eſt bona, & Min. certa ex diſtinctivo motus continui à motu diſcreto. Et Mai. Prob. Angelus eſt in loco per liberā operationē formaliter immanētem, & ſolū virtualiter tranſeuntem: ergo ſic eſt in loco diviſibili, quod ſimul poteſt ſubſtrahere ſe à tali loco. Similiter Angelus eſt in loco diviſibili per actionem liberam immanentem formaliter, & virtualiter tranſeuntem: ergo in vno primo inſtanti poteſt occupare locum diviſibilem: ergo poteſt in vno inſtanti deſerere locum di-

Digitized by Google

diviſibilem, & in inſtanti ſequenti occupare alium locũ. *Patent iſtæ Conſequentiæ, nam Angelus in inſtanti poteſt ceſſare ab operatione libera, & in inſtanti poteſt elicere operationem liberam. Explicatur hoc, quamvis in loco diviſibili Angelus ſit per effectus diviſibiles, quos in varijs partibus loci diviſibilis producit, tamen tota illa diviſibilitas effectuum pendet tanquam à cauſa ab vna indiviſibili operatione libera, quam ſic Angelus elicit, quod poteſt non elicere, & ſic conſervat, quod poteſt non conſervare: ergo quamvis ſit in loco diviſibili, poteſt in inſtanti deſerere totum locum, & eliciendo operationem liberam in alio etiam diviſibili, poterit ſimul occupare locum diviſibilem.

Præterea, Angelus eſt in loco diviſibili, non ſic, quod pars Angeli ſit in parte loci, & totus Angelus ſit in toto loco; ſed eſt totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci: ergo non eſt neceſſe quod paulatim relinquat, & paulatim adquirat locum, ſed poterit ſimul relinquere locũ, & in inſtanti ſequẽti adquirere novum locũ. Prob. Conſ. nam ideo corpus nequit ſimul relinquere totum locũ, quem habet, quia formaliter extenditur ad extenſionẽ loci, ſic, quod pars eius correſpondet parti loci, & totum toti loco: ergo dum Angelus non extenditur per locum, ſed totus eſt in toto, & totus in minima parte loci, poterit in inſtanti deſerere priſtinum locum, & in alio inſtanti alium occupare locum. Confirmantur hæc omnia. Angelus eſt in loco diviſibili per imperium efficax in ſe indiviſibile, quo vult eſſe in loco diviſibili, v. g. Angelus occupat leucam hoc ſolo actu, volo eſſe in tota hac leuca; hoc autem imperium in vno inſtanti poteſt habere, & in inſtanti poteſt relinquere: igitur ſimul poteſt locum diviſibilem deſerere, & locum diviſibilem poſt aliud inſtans occupare.

797 Contra iſtam concluſionem habetur illud vulgare argumentum. Angelus cum ſimul deſerit totum terminum *à quo*, nondũ movetur, & cum ſimul occupat terminum *ad quem* non etiã movetur, quia tunc primo quieſcit in illo; nec movetur in aliquo intermedio tempore, ſic, quod in illo partim ſit in termino *à quo*, & partim ſub termino *ad quem*, quia ſic non moveretur motu diſcreto, ſed continuo: igitur Angelus non movetur motu diſcreto. Prob. Conſeq. quia motus diſcretus non eſt aliud, quam collectio duorũ inſtantium, in quorum altero mobile deſerit terminum *à quo*, & in altero eſt in termino *ad quem*: ergo ſi Angelus nec movetur in primo, cum deſerit locum, nec in ſecundo, cum adquirit novum locum, nec in aliquo intermedio, quia non eſt tempus medium; Angelus non movebitur motu diſcreto.

Reſpondeo, Angelum non moveri in primo inſtanti, in quo ſimul adæquate deſerit locum, in quo erat; initiare tamen motum in illo inſtanti, quia licet in illo inſtanti quieſcat, quieſcit tamen vltimo, quod eſt deſerere adæquate locum, in quo erat: ad quod ſequitur adquiſitio alterius loci, per primũ eſſe Angeli in illo; in quo, licet ſit quies, eſt tamen prima quies, & ſic eſt motus completive. Itaque motus diſcretus eſt quidam numerus non vnitatũ permanentium, ſed vnitatum, quarũ vna ſuccedit alteri, deſerendo per primam vnũ locum, & adquirendo per ſecundam alium locum de novo. Et ſicut in numero permanentium eſſentia numeri non ſalvatur in prima vnitate, nec in ſecunda, ſed tantum in collectione ex duabus vnitatibus; ita eſſentia motus diſcreti non ſalvatur in prima, nec in ſecunda vnitate, ſed in ſola collectione duarum vnitatum, quarũ vna neceſſario ſuccedit alteri: & ſicut vnitates non faciunt numerum, niſi ſecundum quod coordinantur per modum primæ, & ſecũdæ, ita illa mutata eſſe non faciunt motũ diſcretum, niſi ſecundum quod coordinantur per modum deſertionis vnius loci, & adquiſitionis alterius.

Sed ex hac doctrina fit argumentum in contra. Nam hæc collectio harum duarum mutationum per nos facit motũ diſcretum; at hęc collectio nunquam eſt in rerum natura: igitur neque motus diſcretus aliquando erit. Prob. Min. nam quando adeſt prima mutatio, nondum venit ſecunda; quando venit ſecunda iam non eſt prima: igitur præfata collectio nunquam habet eſſe in rerum natura. Reſpond. diſt. Min. nunquam eſt, exiſtentia permanenti, conc. Min. exiſtentia entis ſucceſsivi, neg. Min. & diſt. Conſeq. nunquam erit, exiſtentia entis permanentis, conc. Conſeq. entis ſucceſsivi, nego Conſeq. Itaque non omnia entia exiſtunt per ſimultaneam poſſeſsionem ſuarum partium, ſed in hoc eſt diſcrimen inter entia permanentia, & ſucceſsiva; quod illa conſtant ex partibus ſibi

coexi-

Digitized by Google

coexiſtentibus pro eadem temporis differentia: illa autem contenta ſunt in eo, quod vna pars alteri ſuccedat: motus ergo diſcretus, cum non ſit ens permanens, ſed ſucceſſivum, contentus eſt in eo, quod vna pars eius realiter alteri ſuccedat, quod fit ex eo quod ex poſitiva deſertione loci tranſit mobile ad poſitivam acquiſitionem novi loci.

§. IV.

Vtrùm Angelus poſsit tranſire de extremo ad extremum ſine tranſitu per medium?

798 NON Procedit quæſtio de motu continuo. Nam de iſto certum eſt non poſſe tranſire Angelum de extremo ad extremũ non per tranſeundo per aliquod inter medium. Nam vel Angelus movetur motu continuo per ſe, hoc eſt, per hoc quod ſucceſsive tangit omne ſpatium producendo aliquid in illo ſucceſsive; vel movetur per accidens, hoc eſt, quia operatur in aliquo corpore; & corpus movetur vel ab Angelo, vel ab aliquo alio; & quocumque ex his modis Angelus moveatur continue, non poteſt tranſire de extremo ad extremum, niſi tranſeundo per medium. Quod ex eo patet, nam ſi movetur per accidens, hoc eſt, ad motum corporis localiter moti, cum corpus nequeat moveri continuè ab vno extremo ad alterum niſi præoccupando loca intermedia, etiam Angelus nequibit moveri per accidens de extremo ad extremum niſi tranſeundo per media. Si moveatur per ſe, tunc motus continuus dicitur continuitate ſpatij, hoc eſt, quia nulla eſt pars in ſpatio, in qua Angelus ſucceſsivè non operetur: ergo motu continuo nequit Angelus tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo per medium.

Difficultas ergo procedit de motu diſcreto, an cum tranſit de vno extremo ad alterum debeat neceſſario præſentare ſuam ſubſtantiam locis intermedijs. In quo puncto elucidando, prima ſententia negativa eſt, quam tuetur Scotus cum eius familia, quibus ſubſcribunt Molina cum alijs recentioribus. Secunda ſententia diſtinguit de locis intermedijs ſe communicantibus, qui vulgò dicuntur partes proportionales, & de intermedijs non ſe communicantibus, ſed aliquotis, & ſignatis. Aſſerit ergo, quod ad hoc vt Angelus tranſeat de extremo ad extremum debet neceſſario per tranſire loca intermedia aliquota, & deſignata, non vero loca ſe ad invicẽ communicantia. Hanc tenet Valentia hic diſp.4.q.4.p.1. Sententia tamen D. Thom. eſt hic art.3. & in 1. diſt.37.q.4.art.2. & quodlib.1.q.2.art.2. & de virtutibus, art.13. in quibus locis affirmat, poſſe Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine eo quod ſubſtantiam ſuã repræſentet locis intermedijs. D. Thom. ſequuntur omnes eius veri Diſcipuli, quibus addo Vazquez hic diſput.196. cap.3. Sed Pater Eſparza, quamvis loquendo de loco phyſico, ſeu de præſentia phyſica, quã Angelus habet in corporibus, dicat, poſſe Angelum tranſire de extremo ad extremũ ſine tranſitu per medium, ſi tamen loquamur de præſentia eius metaphyſica, ſeu pure ſpirituali, aſſerit, non eſſe poſsibile Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine medio, quia nullum agens poteſt agere in diſtans, quin agat in medium: poſſet autem Angelus agere in diſtans, quin ageret in medium, ſi poſſet activitate ſua acquirere præſentiã ad ſpatiũ diſtans à primo ſuo ſpatio, quin prius acquireret præſentiam ad ſpatium interiectum.

799 Suppono vt certum, Angelum motu diſcreto perambulando per aliquod ſpatium non poſſe tranſire de extremo ad extremum locando ſe in omni loco intermedio. Sic tenet D. Thom. hic art.3. vbi hoc ſic probat. Si Angelus, dum movetur motu diſcreto per ſpatium, occuparet omnia intermedia loca inter aliqua duo extrema, numeraret infinita loca tam indiviſibilia, quam diviſibilia; hoc autem implicat: ergo & implicat tranſire de extremo ad extremum motu diſcreto locando ſe diſcrete in omni loco intermedio. Prob. ſequela, nam in qualibet magnitudine, quæ eſt inter duo puncta extrema, dantur infinita loca veluti in potentia, tam diviſibilia, quam indiviſibilia: ergo ſi Angelus motu diſcreto ſe præſentaret omnibus illis intermedijs, in actu numeraret infinita loca. Quod autem hoc ſit impoſsibile. Prob. nam motus diſcretus conſtat ex mutatis eſſe inter ſe diſtinctis, & actu diviſis: ergo vt numerentur infinita loca, quæ ſunt in magnitudine continui, oporteret ponere motum diſcretum conſtantem ex infinitis in actu mutatis eſſe aliquotis, ſignatis, & non ſe communicantibus.

Se-

Digitized by Google

diviſibilem, & in inſtanti ſequenti occupare alium locũ. *Patent iſtæ Conſequentiæ, nam Angelus in inſtanti poteſt ceſſare ab operatione libera, & in inſtanti poteſt elicere operationem liberam. Explicatur hoc, quamvis in loco diviſibili Angelus ſit per effectus diviſibiles, quos in varijs partibus loci diviſibilis producit, tamen tota illa diviſibilitas effectuum pendet tanquam à cauſa ab vna indiviſibili operatione libera, quam ſic Angelus elicit, quod poteſt non elicere, & ſic conſervat, quod poteſt non conſervare: ergo quamvis ſit in loco diviſibili, poteſt in inſtanti deſerere totum locum, & eliciendo operationem liberam in alio etiam diviſibili, poterit ſimul occupare locum diviſibilem.

Præterea, Angelus eſt in loco diviſibili, non ſic, quod pars Angeli ſit in parte loci, & totus Angelus ſit in toto loco; ſed eſt totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci: ergo non eſt neceſſe quod paulatim relinquat, & paulatim adquirat locum, ſed poterit ſimul relinquere locũ, & in inſtanti ſequẽti adquirere novum locũ. Prob. Conſ. nam ideo corpus nequit ſimul relinquere totum locũ, quem habet, quia formaliter extenditur ad extenſionẽ loci, ſic, quod pars eius correſpondet parti loci, & totum toti loco: ergo dum Angelus non extenditur per locum, ſed totus eſt in toto, & totus in minima parte loci, poterit in inſtanti deſerere priſtinum locum, & in alio inſtanti alium occupare locum. Confirmantur hæc omnia. Angelus eſt in loco diviſibili per imperium efficax in ſe indiviſibile, quo vult eſſe in loco diviſibili, v.g. Angelus occupat leucam hoc ſolo actu, volo eſſe in tota hac leuca; hoc autem imperium in vno inſtanti poteſt habere, & in inſtanti poteſt relinquere: igitur ſimul poteſt locum diviſibilem deſerere, & locum diviſibilem poſt aliud inſtans occupare.

797 Contra iſtam concluſionem habetur illud vulgare argumentum. Angelus cum ſimul deſerit totum terminum *à quo*, nondũ movetur, & cum ſimul occupat terminum *ad quem* non etiã movetur, quia tunc primo quieſcit in illo; nec movetur in aliquo intermedio tempore, ſic, quod in illo partim ſit in termino *à quo*, & partim ſub termino *ad quem*, quia ſic non moveretur motu diſcreto, ſed continuo: igitur Angelus non movetur motu diſcreto. Prob. Conſeq. quia motus diſcretus non eſt aliud, quam collectio duorũ inſtantium, in quorum altero mobile deſerit terminum *à quo*, & in altero eſt in termino *ad quem*: ergo ſi Angelus nec movetur in primo, cum deſerit locum, nec in ſecundo, cum adquirit novum locum, nec in aliquo intermedio, quia non eſt tempus medium; Angelus non movebitur motu diſcreto.

Reſpondeo, Angelum non moveri in primo inſtanti, in quo ſimul adæquate deſerit locum, in quo erat; initiare tamen motum in illo inſtanti, quia licet in illo inſtanti quieſcat, quieſcit tamen vltimo, quod eſt deſerere adæquate locum, in quo erat: ad quod ſequitur adquiſitio alterius loci, per primũ eſſe Angeli in illo; in quo, licet ſit quies, eſt tamen prima quies, & ſic eſt motus completive. Itaque motus diſcretus eſt quidam numerus non vnitatũ permanentium, ſed vnitatum, quarũ vna ſuccedit alteri, deſerendo per primam vnũ locum, & adquirendo per ſecundam alium locum de novo. Et ſicut in numero permanentium eſſentia numeri non ſalvatur in prima vnitate, nec in ſecunda, ſed tantum in collectione ex duabus vnitatibus; ita eſſentia motus diſcreti non ſalvatur in prima, nec in ſecunda vnitate, ſed in ſola collectione duarum vnitatum, quarũ vna neceſſario ſuccedit alteri: & ſicut vnitates non faciunt numerum, niſi ſecundum quod coordinantur per modum primæ, & ſecũdæ, ita illa mutata eſſe non faciunt motũ diſcretum, niſi ſecundum quod coordinantur per modum deſertionis vnius loci, & adquiſitionis alterius.

Sed ex hac doctrina fit argumentum in contra. Nam hæc collectio harum duarum mutationum per nos facit motũ diſcretum; at hęc collectio nunquam eſt in rerum natura: igitur neque motus diſcretus aliquando erit. Prob. Min. nam quando adeſt prima mutatio, nondum venit ſecunda; quando venit ſecunda iam non eſt prima: igitur præfata collectio nunquam habet eſſe in rerum natura. Reſpond. diſt. Min. nunquam eſt, exiſtentia permanenti, conc. Min. exiſtentia entis ſucceſsivi, neg. Min. & diſt. Conſeq. nunquam erit, exiſtentia entis permanentis, conc. Conſeq. entis ſucceſsivi, nego Conſeq. Itaque non omnia entia exiſtunt per ſimultaneam poſſeſsionem ſuarum partium, ſed in hoc eſt diſcrimen inter entia permanentia, & ſucceſsiva; quod illa conſtant ex partibus ſibi

Digitized by Google

coexiſtentibus pro eadem temporis differentia: illa autem contenta ſunt in eo, quod vna pars alteri ſuccedat: motus ergo diſcretus, cum non ſit ens permanens, ſed ſucceſſivum, contentus eſt in eo, quod vna pars eius realiter alteri ſuccedat, quod fit ex eo quod ex poſitiva deſertione loci tranſit mobile ad poſitivam acquiſitionem novi loci.

§. IV.

Vtrùm Angelus poſsit tranſire de extremo ad extremum ſine tranſitu per medium?

798 NON Procedit quæſtio de motu continuo. Nam de iſto certum eſt non poſſe tranſire Angelum de extremo ad extremũ non per tranſeundo per aliquod inter medium. Nam vel Angelus movetur motu continuo per ſe, hoc eſt, per hoc quod ſucceſsive tangit omne ſpatium producendo aliquid in illo ſucceſsive; vel movetur per accidens, hoc eſt, quia operatur in aliquo corpore, & corpus movetur vel ab Angelo, vel ab aliquo alio; & quocumque ex his modis Angelus moveatur continue, non poteſt tranſire de extremo ad extremum, niſi tranſeundo per medium. Quod ex eo patet, nam ſi movetur per accidens, hoc eſt, ad motum corporis localiter moti, cum corpus nequeat moveri continuè ab vno extremo ad alterum niſi præoccupando loca intermedia, etiam Angelus nequibit moveri per accidens de extremo ad extremum, niſi tranſeundo per media. Si moveatur per ſe, tunc motus continuus dicitur continuitate ſpatij, hoc eſt, quia nulla eſt pars in ſpatio, in qua Angelus ſucceſsivè non operetur: ergo motu continuo nequit Angelus tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo per medium.

Difficultas ergo procedit de motu diſcreto, an cum tranſit de vno extremo ad alterum debeat neceſſario præſentare ſuam ſubſtantiam locis intermedijs. In quo puncto elucidando, prima ſententia negativa eſt, quam tuetur Scotus cum eius familia, quibus ſubſcribunt Molina cum alijs recentioribus. Secunda ſententia diſtinguit de locis intermedijs ſe communicantibus, qui vulgò dicuntur partes proportionales, & de intermedijs non ſe communicantibus, ſed aliquotis, & ſignatis. Aſſerit ergo, quod ad hoc vt Angelus tranſeat de extremo ad extremum debet neceſſario per tranſire loca intermedia aliquota, & deſignata, non vero loca ſe ad invicẽ communicantia. Hanc tenet Valentia hic diſp. 4. q. 4. p. 1. Sententia tamen D. Thom. eſt hic art. 3. & in 1. diſt. 37. q. 4. art. 2. & quodlib. 1. q. 2. art. 2. & de virtutibus, art. 13. in quibus locis affirmat, poſſe Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine eo quod ſubſtantiam ſuã repræſentet locis intermedijs. D. Thom. ſequuntur omnes eius veri Diſcipuli, quibus addo Vazquez hic diſput. 196. cap. 3. Sed Pater Eſparza, quamvis loquendo de loco phyſico, ſeu de præſentia phyſica, quã Angelus habet in corporibus, dicat, poſſe Angelũm tranſire de extremo ad extremũ ſine tranſitu per medium, ſi tamen loquamur de præſentia eius metaphyſica, ſeu pure ſpirituali, aſſerit, non eſſe poſsibile Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine medio, quia nullum agens poteſt agere in diſtans, quin agat in medium: poſſet autem Angelus agere in diſtans, quin ageret in medium, ſi poſſet activitate ſua adquirere præſentiã ad ſpatiũ diſtans à primo ſuo ſpatio, quin prius adquireret præſentiam ad ſpatium interiectum.

799 Suppono vt certum, Angelum motu diſcreto perambulando per aliquod ſpatium non poſſe tranſire de extremo ad extremum locando ſe in omni loco intermedio. Sic tenet D. Thom. hic art. 3. vbi hoc ſic probat. Si Angelus, dum movetur motu diſcreto per ſpatium, occuparet omnia intermedia loca inter aliqua duo extrema, numeraret infinita loca tam indiviſibilia, quam diviſibilia; hoc autem implicat: ergo & implicat tranſire de extremo ad extremum motu diſcreto locando ſe diſcrete in omni loco intermedio. Prob. ſequela, nam in qualibet magnitudine, quæ eſt inter duo puncta extrema, dantur infinita loca veluti in potentia, tam diviſibilia, quam indiviſibilia: ergo ſi Angegelus motu diſcreto ſe præſentaret omnibus illis intermedijs, in actu numeraret infinita loca. Quod autem hoc ſit impoſsibile. Prob. nam motus diſcretus conſtat ex mutatis eſſe inter ſe diſtinctis, & actu diviſis: ergo vt numerentur infinita loca, quæ ſunt in magnitudine continui, oporteret ponere motum diſcretum conſtantem ex infinitis in actu mutatis eſſe aliquotis, ſignatis, & non ſe communicantibus.

Digitized by Google

618 Secundo Prob. hoc eſſe impoſsibile, nam infinitum eſt, cuius partes accipientes ſemper reſtat aliud accipere: ergo impoſsibile eſt numerare ſingulas partes, & ſingula indiviſibilia, quæ reperiuntur in magnitudine continui, ſic, quod numerentur omnes. Nec valet, quod per motum continuum numerantur omnes partes magnitudinis molis: ergo ſimiliter poſſent numerari per motum diſcretum. Non (inquam) valet, nam motus continuus habet infinitas partes etiam in potentia, ſicut & ipſa magnitudo ſpatij, & ſic motu continuo poteſt pertranſiri infinitas magnitudinis ſpatij. Cæterum motus diſcretus non habet in actu infinita mutata eſſe, quæ requirebantur ad hoc, vt diſcrete occuparentur omnia loca intermedia, tam diviſibilia, quam indiviſibilia. Inſuper, motu continuo non numerantur ſignate omnes partes continui, ſiquidem motuus continuus non conſtat ex infinitis partibus aliquotis, & ſignatis; motus autem diſcretus numerat deſignando partes magnitudinis, & reddendo eas aliquotas, & non ſe communicantes: ergo eſto motu continuo poſsint numerari partes magnitudinis ſpatij; non autem motu diſcreto: neque enim omnes partes continui poſſunt deſignari, ſed quælibet ſignata, poſſunt in ea deſignari aliæ, & aliæ, cum quælibet pars hoc ipſo quod eſt diviſibilis, eſt diviſibilis in ſemper diviſibilia.

800 Hoc ſuppoſito, ſit pro ſententia D.Thom. Concluſio. Poteſt Angelus tranſire de vno extremo ad alterum, ſine eo quod pertranſeat locum aliquem intermedium. Sic tenet D. Thom. hic art. 3. nec diſtinguit de locis ſe communicantibus, vel non ſe communicantibus, vnde nec nos debemus diſtinguere. Nec valet dicere, quod eius ratio tantum probat de locis ſe communicantibus, quia hæc ſunt infinita, non vero loca aliquota, & non ſe communicantia. Probat enim D. Thom. quod poſsit tranſire de extremo ad extremum motu non continuo, quia ſi deberet motu diſcreto tangere omnia media loca, tangeret infinita, & per ſingula numerando, quod eſt impoſsibile, hæc autem ratio tantum convincit, quod poſsit tranſire de extremo ad extremum non tangendo loca proportionalia, & in potentia, non vero quod poſsit motu diſcreto tranſire de loco ad locum ſine tranſitu per loca ſignata, & aliquota.

Non (inquam) valet, nam D.Thom. duo probavit in hoc art.2. Primum fuit, quod Angelus motu diſcontinuo poterat tranſire de vno extremo ad alterum, ſine eo quod ſe locaret in omni loco intermedio, & hoc probavit ratione facta evidenter: quia ſi deberet tangere omnia loca intermedia deberet actu numerare omnia loca, quæ cum ſint infinita actu numerari non poſſunt; vnde concludit ſic: *Igitur ſecundum quod motus Angeli non eſt continuus, non pertranſit omnia media.* Poſt hoc autem D.Thom. dicit: *Hoc autem*, ſcilicet, *moveri de extremo ad extremum, & non per medium poteſt convenire Angelo, ſed non corpori.* Quod ſecundum ſic probat, *quia corpus menſuratur, & continetur ſub loco. Vnde oportet, quod ſequatur leges loci, ſed ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco vt contenta, ſed eſt ſuperior eo vt continens, vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco, vel per medium, vel ſine medio.* Si autem eſſet neceſſe, vt vult Valentia, tranſire loca aliquota intermedia inter extremum, & extremum, eſſet neceſſarium Angelo venire de vno extremo ad alterum per medium, cuius oppoſitum dicit D.Thom. ergo ex mente ipſius, Angelus motu diſcreto vnum non poteſt, id eſt, venire de vno extremo ad alterum tangendo omnia loca intermedia, alterum poteſt, nempe pervenire de extremo ad extremum, ſine eo quod ſe locet in aliquo loco intermedio.

801 Prob. ratione Concluſio. Angelus eſt in loco per hoc, quod per ſuam operationem applicat virtutem ſuam ad locum; ſed poſtquam operatur in loco B. v. g. non implicat, quod applicet virtutem ſuam loco extremo C, ſine eo quod eam applicet locis intermedijs operãdo in illis: ergo poteſt tranſire de extremo ad extremum non locando ſe in aliquo intermedio. Prob. Min. nam poſtquam eſt in loco B, libere applicat ſuam virtutem vbi vult, igitur poteſt illam applicare extremo C, ſine eo quod illam applicet locis intermedijs.

Nec valet dicere, quod poſtquam Angelus eſt in loco B. nequit agere in diſtans vltra ſphæram activitatis ſuæ, ſed reſtringitur, ne operetur immediate vbicumque vult, & ſic erit neceſſe operari in locis intermedijs. Non (inquam) valet, nam licet Angelus, poſtquam eſt in loco B, ſi vellit ſe conſervare in illo loco, non poſsit immediate operari in quodcumque aliud extre-

tre-

Digitized by Google

tremum, tamen deſerendo primum locum poteſt indifferenter ſibi aſſumere locum, quem ipſi magis placuerit: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Antec. nam hoc ipſo quod deſerat operari in primo loco, etiam ſi in loco diſtantiſſimo immediate operetur, non ſequitur, quod operetur ſimul in locis exiſtentibus extra ſphœram activitatis ſuæ; nam ad hoc requirebatur, quod ſimul operaretur in vna parte ſphœræ, & in alia parte ſphœræ: dum autem deſerit operari in primo, & incipit de novo operari extra ſphœram, non operatur ſimul intra, & extra, ſed tantum verificatur de illo, quod ſucceſsive operatus eſt in diſtinctis ſphœris ſuæ activitatis; in quo nullum eſt incōveniens: ergo.

Explicatur hoc; ſphœra activitatis Angelicæ non diffinitur per illa loca, in quibus ſimul immediate immediatione virtutis, & ſuppoſiti operari poteſt: ergo dum deſinit operari in loco exiſtente intra vnam ſphœram, & incipit immediate operari in loco diſtantiſſimo, non verificatur, quod operatur extra ſphœram activitatis ſuæ. Confirm. conſtans res eſt, quod dum Angelus nullibi eſt, pro inſtanti, B, immediate poteſt operari, & exiſtere localiter in quocumque loco quacumque diſtet diſtantia: ergo dum pro inſtanti vno deſinit operari in loco, C. poterit in inſtanti ſequenti operari in alio loco intra quamcumque diſtantiam ſit. Prob. Conſeq. nam primum poteſt facere Angelus, quia liberum eſt illi operari, & non operari, eſſe in loco, vel non eſſe in loco: ergo ſecundum conveniet illi, quia liberum eſt illi operari in iſto loco, & in quocumque alio loco, dummodo non operetur ſimul in duobus locis extra activitatem ſuam diſtantibus inter ſe.

Dices, non eſſe paritatem, quia Angelus nullibi operans à nullo loco poſitive diſtat, & ſic immediate poteſt in quocumque loco operari, & locari; cæterum Angelus operans, & exiſtens in vno loco, poſitive diſtat ab alijs locis: vnde ſi diſtantia locorum ſit extra ſphœram activitatis, poſtquā in vno inſtanti operatur, & exiſtit, non poterit immediate operari in alio loco. Sit exemplum; hæc Conſeq. non valet: poteſt corpus de non albo tranſire immediate ad eſſe album: ergo de nigro poterit immediate tranſire ad eſſe album: ergo ſimiliter non valebit; poteſt Angelus de non operante in aliquo loco tranſire immediate ad eſſe operantem in quocumque alio loco: ergo de operante in vno poterit immediate tranſire ad eſſe operantem in quocumque alio.

Sed contra hoc eſt, nam adquiſitio loci. C. ex loco B. non ſit cum repugnantia, & reſiſtentia loci. B. ergo poſtquam Angelus operatur pro vno inſtanti in loco B. poterit immediate operari in inſtanti ſequenti in loco. C. Prob. Ant. Angelus exiſtens in loco. B. libere ſe conſervat in illo, & poteſt ſimul, & in vno inſtanti deſinere eſſe in illo per vltimū ſui eſſe, per hoc quod deſinat operari in illo: ergo adquiſitio loci. C. pro inſtanti ſequenti non ſit cum renitentia, & reſiſtentia loci. B. Prob. Conſ. quia ad renitentiam, & reſiſtentiam erat neceſſarium, quod non ſimul Angelus relinqueret locum. B. ſed partim eſſet in loco. B. & partim in loco. C. ſicut ob hanc rationem corpus, dum exiſtit in vno loco ſibi adæquato, nequit immediate exiſtere in alio; quia videlicet primū nequit ſimul relinquere: vnde debet partem relinquere ex illo; & partem adquirere ex altero: & dum corpus nigrum tranſit ad eſſe album, nequit immediate fieri album, quia nequit immediate relinquere nigredinem, ſed paulatim. Ex quo patet, quod illa Conſeq. adducta nihil valeat, quia quod eſt album nequit fieri nigrum, niſi paulatim relinquat albedinem, & paulatim adquirat nigredinem: Conſequentia tamen à nobis facta eſt bona propter oppoſitam rationem, quia videlicet Angelus poteſt ſimul relinquere locum, quem occupat, & ſic immediate poteſt adquirere alterum in quacumque diſtantia ſit: eo prorſus modo, quo dum nullibi eſt; poteſt immediate ſe locare quocumque voluerit.

§. V.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

802 PRIMO Sic arguitur. Si poſſet Angelus tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo per medium, poſſet hoc etiam facere corpus; ſed hoc dicendum non eſt: ergo. Prob. Mai. ſi ponamus, quod dum Angelus pertranſit de extremo ad extremum non pertranſeundo medium portet ſecum lapidem de vno extremo ad alterū, tunc lapis non pertranſibit loca intermedia, nam Angelus lapidem portans non pertran-

Digitized by Google

tranſit illā: ergo ex poſitione huius quod eſt Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine medio, ſequitur pariter, quod hoc ipſum poſſit facere corpus.

620 Ad hoc argum. aliqui reſpondent, quod ſi dum Angelus tranſit de extremo ad extremum ſine medio, vellet ſecum aſportare lapidem, deberet ſimul moveri duplici motu, altero per ſe, quo vellet operari in locis extremis, non operando in intermedijs, & hic eſſet motus diſcretus; altero continuo, quo ad motum lapidis moveretur per accidens, & iſto motu tangeret intermedia, & etiam extrema loca. Et ſuperaddit ſolutio, quod ſicut tunc per accidens Angelus moveretur motu continuo, hoc eſt, ad motum lapidis per ſe moti motu continuo, ita & lapis per accidens moveretur motu diſcreto ad motum Angeli motu diſcreto per ſe moti, & ſine eo quod loca intermedia pertranſiret.

Verum D. Thom. non admittit, quod corpus poſſit in aliquo caſu tranſire de extremo ad extremum non pertranſeundo media: hoc enim hic q. 53. art. 3. tribuit ſubſtantijs ſpiritualibus in oppoſitione ad corpora. Et ratio ea eſt clara, quia corpus ſemper debet moveri localiter, ſic, quod contineatur à locis, & commenſuretur cū ipſis, per quæ movetur: In locis autem, quæ occupat, eſt diviſibiliter per contactū quātitatis molis, & ſic eſt neceſſe, quod non ſimul deſerat totum locum; ſed tantum per partes, & per conſeq. eſt neceſſariū, quod non adquirat locum extremum ſimul, ſed paulatim; atque adeo tranſeundo neceſſario per loca intermedia. Deinde eſt neceſſe, quod moveatur localiter coextendendo partes ſuas cum partibus locorum, quæ mutat; nequit autem coextendere partes ſuas cum partibus diſtantibus, quin prius coextendat eas cum partibus propinquis: & ſic nequit moveri localiter de vno extremo ad alterum, ſine eo quod per media tranſeat. Nec eſt ſimile de ſubſtantia ſpirituali: hæc enim, cum ſit indiviſibilis, non movetur per hoc, quod partes ſuas coextendat partibus loci: tantum movetur localiter motu continuo per accidens ad motum corporis, quia licet eius operatio ſit indiviſibilis formaliter, eſt tamen diviſibilis virtualiter, hoc eſt, potens ſucceſſive producere aliquos effectus in ſingulis partibus loci, vel producendo vim motivam in aliquo corpore, quod movetur motu continuo, & ſic poteſt ſucceſſive eſſe in omnibus locis ſpatij; per ſe ſi ſucceſſive operetur in illis, per accidens, ſi operetur in corpore, quod movetur localiter: vnde non neceſſitatur contingere intermedia niſi ex ſuppoſitione quod motū continuo moveatur. Nec eſt etiam verum, quod additur in ſolutione, nempe quod Angelus ſimul moveatur motu diſcreto, & motu continuo; nam primus motus fit per hoc, quod operetur in extremis locis, & non intermedijs; ſecundus autem fit per hoc, quod operetur in intermedijs: ſimiliter prius fit per hoc, quod ſit in locis extremis, & non in intermedijs; ſecundus fit è contra: quæ cum inter ſe pugnantia ſint, non erit poſſibile, Angelum illis duobus motibus ſimul moveri.

Vnde hac ſolutione omiſſa. Reſp. ad Argumentum, quod dum Angelus tranſit de extremo ad extremum non eſt neceſſe, quod lapidē localiter moveat, vel ſecū deferat: imò hoc erit impoſſibile propter rationem datam, quia corpus nequit moveri localiter, niſi per hoc quod coextendat partes quantitatis ſuæ ad partes propinquiores loci prius quam ad magis diſtantes, & ſic eſt neceſſarium, quod pertranſeat media, antequam veniat ad extrema.

803 Secundo arguitur, nequit Angelus coexiſtere tempori præterito, & futuro, ſine eo quod prius coexiſtat præſenti: ergo ſimiliter nequit eſſe in locis extremis, quin prius fuerit in intermedijs. Patet Cōſeq. quia non minus eſt ordo per ſe inter loca, & ſitum eorum, quam ſit ordo inter partes temporis. Ad hoc, nego Conſ. Angelus enim coexiſtit tempori ratione ſuæ durationis continuatæ: hæc autem continuatio non fit dependenter à voluntate Angeli, ſed à natura Angeli exigente, & à Deo effective conſervante: vnde non poteſt tēpori præterito, & futuro coexiſtere, ſine eo quod coextiterit præſenti; nam nequit cōtinuari duratio à præterito ad futurum, niſi continuetur per præſens: motus autem Angeli adæquate fit ab ipſa voluntate Angeli operante vbi vult, & quando vult, & ſic ſi vult nō ſe applicare locis intermedijs, ſed tantum extremis, poteſt, quia in hoc ſolum à propria voluntate dependet. Poterit tamen fieri quod Angelus extiterit in præterito, & exiſtat in futuro, ſine eo quod exiſtat in intermedio præſenti, puta, ſi poſtquam fuit in præterito, Deus illum annihilet, & tranſacto tempore præſenti illum reproducat, tunc verificabitur de illo, quod fue-

fuerit in extremis temporibus, ſine eo quod fuerit in intermedijs.

804 Tertio arguitur, nam anima rationalis nequit informare partes extremas corporis ſine eo quod informet intermedias: ergo neque poterit Angelus occupare loca extrema ſine eo quod occupaverit intermedia. Prob. Conſ. quia ſicut ſe habet anima ad informandũ, ita ſe habet Angelus ad operandum. Confirm. D. Tho. hic quæſt. 33. art. 2. ponens ſecundum argumẽtum, quod videlicet anima poteſt ſua cogitatione trãſire de vno extremo ad alterum ſine medio: ergo & Angelus poterit tranſire de vno extremo ad alterum ſine medio. Reſpondet, non eſſe ſimile, quia Angelus dum movetur applicat virtutem ſuam, & ſubſtantiam ſuam diverſis locis; anima autem non applicatur rebus, quas cogitat, & ſic poteſt ſua cogitatione tranſire de vno extremo ad alterum ſine eo quod cogitet de intermedijs: ergo ſentit quod Angelus non poteſt tranſire de extremo ad extremũ ſine medio.

Ad hoc argumentum, nego Conſ. ad Prob. dico, quod non ſic ſe habet informatio corporis ad animam, ſicut operatio in corpore ſe habet ad Angelum: anima enim non informat corpus pro ſua libertate, ſed illi naturaliter vnitur iuxtà diſpoſitiones materiæ: diſpoſitiones autem cum corporeæ ſint, debent modo coextenſo corpori ſe communicare: vnde nequeũt ſpiritus vitales ab vno extremo corporis ad aliud pervenire, niſi per partes intermedias corporis, & ſic anima nequit vniri extremis illa informando, quin prius informet intermedia: Angelus autem eſt in loco per ſuam operationem, hæc autem non expectat diſpoſitionem corporis, ſed poteſt Angelus pro ſua libertate operari vbi vult, & quandò vult, & ſic poteſt operari in extremis ſine eo quod operetur in intermedijs.

Ad confirmat. dico, quod cùm Div. Thom. in illo articulo reſolvat, Angelum poſſe moveri localiter de vno extremo ad alterum motu diſcreto non tranſeundo per media, & motu continuo tranſeundo per illa, opponit argumenta contra primum, & opponit argumenta contra ſecundum: argumentum ergo adductum ex anima prætendit probare, quod etiam Angelus motu continuo poſſit moveri localiter non tranſeundo per media; ad quod probandum vtitur exemplo de anima: nam hæc, quæ inferior eſt Angelo, motu ſuæ continuæ cogitationis modo eſt apud Gallias, modo eſt apud Syriam: ergo & Angelus continuè ſuæ cogitationis operatione ſine tranſitu per media poterit eſſe ſucceſsivè in diverſis partibus mũdi. Ad quod bene reſpondet, quod anima hoc poteſt facere motu continuo, quia nõ ſe locat in locis, de quibus continue cogitat: Angelus autem ſe applicat ad loca, de quibus cogitat, & ſic motu continuo non poteſt tranſire de extremo ad extremum ſine medio, quia ad motum localem continuum Angeli nõ ſufficit, quod actus intellectus, vel voluntatis Angeli ſit continuus, ſed vltra requiritur, quod externa operatio ſit cõtinua: hæc autem continua eſſe non valet, ſi media non attingantur, & ſic nequit Angelus motu continuo moveri niſi media tranſeat: cum quo ſtat bene, quod motu diſcreto poſſit de extremo ad extremum venire ſine tranſitu per medium.

Sed inſtas, Angelus etiam movendo ſe motu diſcreto nequit præterire, vel invertere ordinẽ partibus huius vniverſi præfixũ; ſed ordo partibus huius vniverſi præfixus eſt ordo ſitualis conſiſtens in eo, quod nulla creatura poſsit ſitum vlteriorem ſine priori attingere: ergo etiam motu diſcreto nequit Angelus ſine medio de extremo ad extremum venire. Ad hoc, diſt. Min. cum Caietano hic, eſt ordo præfixus &c. ſubſtãtiæ immateriali, quando movetur motu diſcreto, nego Min. quando movetur motu continuo, conc. Min. & nego Conſ. Etenim cum ſubſtantia immaterialis completa ex ſe ſit abſoluta à legibus diſtantiæ ſitualis, vtpote ſuperioris ordinis illis, & ex parte etiã effectus habeatur diſcretio, & diſcontinuitas, non alligatur ſubſtantia ſpiritualis ad attingenda media, vt veniat ad extremum, niſi quando vult motu continuo operari.

Sed inſtas, Angelus, quamvis ſit abſolutus à tempore, alligatur tamẽ ſic legibus temporis, quod nõ poſsit aliqua via coexiſtere futuro, & præterito, quin coexiſtat præſenti: ergo quamvis ſit abſolutus à legibus loci, poterit tamen alligari illis, ſic, quod non poſsit eſſe in extremis, quin ſit in intermedijs. Ad hoc, diſtinguo Ant. alligatur legibus temporis immediatè, neg. Ant. mediatè, & ratione ſuæ finitę durationis, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque Angelus nequit eſſe in præterito, & in futuro, quin fuerit in præſenti, quia eius duratio, quæ ævum eſt, non præcontinet actu differentias temporis, ſed eſt ſimplex indiviſibile in-

Digitized by Google

Inſtans, quod per ſolam ſui repetitionē habet coexiſtere præterito, præſenti, & futuro; nec eſt in poteſtate Angeli eſſe in tempore iſto, vel illo, quia ratio eſſendi in illo non eſt eius libera operatio, ſed naturalis intrinſeca duratio, quæ non convenit illi dependenter à propria voluntate: at eſſe in loco convenit Angelo per liberam operationem in loco, & ſic dum poteſt libere operari in extremis, non operando in medio, poteſt libere ſe locare in locis extremis non ſe locando in intermedijs.

805. Tertio arguitur, ante quodlibet mutatum eſſe debet dari aliquod moveri; ſed Angelus, dum eſt in termino *ad quem*, habet aliquod mutatū eſſe: ergo immediate ante illud debet habere moveri; at hoc moveri non convenit illi, dum eſt in termino *à quo* motus diſcreti: ergo debet illi convenire ratione locorum, quæ mediant inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*: ergo nequit tranſire de extremo ad extremum, quin pertranſeat aliquod medium. Ad hoc, diſt. Mai. loquendo de motu continuo, conc. Mai. loquendo de motu diſcreto, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſeq. quando movetur motu continuo, conc. Conſeq. Si moveatur tantum motu diſcreto, nego Conſeq. Itaque hoc verſatur diſcrimen inter motum diſcretum, & continuum: quod cum primus, ex ſolis mutatis eſſe ordine quodam ſe habentibus, componatur, non eſt neceſſe, quod moveri mediet inter duo mutata eſſe, ſed ſufficit ad motum, quod illa ordine quodam ſibi ſuccedant: non ſic in motu continuo res habet, nam hic componitur ex partibus diviſibilibus terminatis mutatis eſſe, & ſic, cum quælibet pars motus ſit motus, neceſſe eſt, quod ante quodlibet mutatum eſſe detur moveri: Ex quibus evidenter infertur, quod licet in motu continuo neceſſariū ſit Angelum prius eſſe in locis intermedijs, quam in extremis, non tamen hoc ſit neceſſe, quando ſolo motu diſcreto movetur.

806. Sed in fine huius §. inquires, quid ſentiam de ſententia P. Eſparza ſupra relata? Reſp. eſſe quandam nobiliſsimam chymerā. Nam ponere ex vna parte quod phyſicè loquendo, & per operationem poſſit Angelus tranſire de extremo ad extremum, non tamen metaphyſice, ſeu ratione præſentiæ pure ſpiritualis, quæ illi convenit independenter ab omni operatione libera, inintelligibile eſt. Inquiro enim ab hoc auctore, dum Angelus operatur immediate immediatione virtutis, & ſuppoſiti in vno extremo, & immediate poſt hoc operatur in alio ſine eo quod operetur in intermedio, eius ſubſtantia per illam præſentiam pure ſpiritualē, quam habet ad loca, & per quam locatur in eis locatione de linea eſſendi, eſt ne in locis intermedijs? Sic, vel non? Si dicatur hoc ſecundum: igitur tranſivit ad habendum præſentiam localem in extremo, ſine eo quod illā habuerit in locis intermedijs. Si dicatur primum: igitur Angelus immediatione virtutis, & ſuppoſiti non tranſivit de extremo ad extremum ſine medio. Prob. Conſeq. nam eius ſubſtantia non habuit præſentiam localem ad locum extremum, ſine eo quod prius illam habuerit ad loca intermedia; ad hoc autem ut haberet præſentiam localem ad loca intermedia, fuit neceſſe, quod fuerit in illis localiter per ſuam ſubſtantiam, & ſuppoſitum: igitur ſi Angelus per illam præſentiam de linea eſſendi fuit in locis intermedijs, ſane non tranſivit de extremo ad extremum, ſine eo quod immediate immediatione ſuppoſiti fuerit prius in locis intermedijs.

Sed vt poſſumus conjecturari, hic auctor per hoc dicit, quod poteſt Angelus per ſuā operationem tranſire immediate de extremo ad extremum ſine tranſitu per mediū, non prætendit quod Angelus ſuam ſubſtantiam præſentem faciat locis extremis, ſine eo quod illam præſentem faciat locis intermedijs, ſed tantum vult, quod Angelus præſens illa ſua præſentia pure ſpirituali tali, vel tali loco, poſtquam hic immediate operetur, poſsit immediate operari in locis diſtantibus, ſine eo quod operetur in intermedijs, vtique per diffuſionem virtutis; ſicut anima Chriſti fuit per operationem in inferno damnatorum, non vero per immediationem ſuppoſiti. Vnde hæc ſententia non erit alia ab illa, quæ ponit Angelum eſſe in loco ratione *vbi* pure ſpiritualis, ſicut ponit Suarez ſupra à nobis impugnatus.

(:)

(?)

Viſum

§. VI.

Vtrùm motus Angeli per ſpatium poſſit fieri in inſtanti?

807 VIDIMVS Angelum poſſe moveri motu continuo, & diſcreto illo tranſeundo per medium, non vero illo. Reſtat nobis inveſtigare, an prædictus motus Angelicus poſſit fieri in inſtanti? Et quidem nomine motus intelligimus motũ ſtricte dictum, ſive continuum, ſive diſcretũ à ſimplici mutatione diſtinctum; eo quod hæc tantum ſit ſimplex adquiſitio loci ſine poſitiva deſertione alterius; ille vero eſt inter duos terminos poſitivos, quorum vnus poſitive deſeritur, & alter poſitive adquiritur: nomine etiam inſtantis intelligimus operationem Angelicam, quæ ſolum durat per inſtans noſtri temporis. Et quidem in hoc puncto Suarez, Molina, & alij recentiores adhærentes in hoc Scoto, partem tenent affirmantem. Schola autem Thomiſtica negat cum ſuo Auctore hic art. 3.

Sit Concluſio. Motus Angelicus ſive ſit continuus, ſive ſit diſcretus, nequit fieri in inſtanti. Sic D. Thom. loco citato illis verbis: *Relinquitur ergo quod motus Angeli ſit in tempore; in continuo quidem tempore, ſi ſit continuus: in non continuo autem, ſi non ſit continuus;* Idem docet in primo diſt. 37. q. 4. art. 3. & in 4. diſt. 44. q. 2. artic. 3. q. 3. & quodlib. 11. art. 4. Nec valet dicere, ſolum velle D. Thom. motum Angelicum non fieri in inſtanti temporis noſtri, non vero, quod non fiat in inſtanti Angelici temporis. Non (inquam) valet. Nam D. Tho. hic in art. 3. advertit, quod tempus illud, quo menſurantur motus Angelici, ſive continuum ſit, ſive diſcretum, eſt diſtinctum à tempore noſtro, quia non dependet à motu cœli: ergo loquitur in adducta reſolutione de inſtantibus temporis Angelici.

808 Ratione Prob. Concluſio. Nam motus Angelicus diſtinctus à ſimplici mutatione neceſſario requirit conſtare ſaltem ex duabus mutationibus ſibi invicẽ realiter ſuccedentibus, quarum altera vltimo ſit in termino *à quo* deſerendo illum, & altera primò ſit in termino *ad quem* adquirendo illum: ergo neceſſario requirit duo inſtantia Angelica ſibi realiter ſuccedentia, quorum altero menſuretur deſitio termini *à quo*, & altero adquiſitio termini *ad quem*. Patet Conſeq. nam cuilibet mutationi Angelicæ debet correſpondere ſuum inſtans Angelicum tanquam illius menſura: ergo ſi motus Angelicus requirit conſtare ex duabus mutationibus Angelicis realiter ſibi ſuccedentibus, requiret, neceſſario fieri ſaltem in duobus inſtantibus Angelicis. Dices; quod cum inſtans Angelicũ poſſit correſpondere pluribus inſtantibus noſtri temporis, poterit Angelus in vno inſtanti Angelico vltimo eſſe in termino *à quo*, per correſpondentiam ad vnum inſtans noſtri temporis, & primo eſſe in termino *ad quem* per correſpondentiam ad aliud inſtans noſtri temporis. Sed contra hoc eſt, nam mutationes, ex quibus conſtat motus Angelicus, ſibi realiter ſuccedunt ſucceſſione menſurata, non tempore noſtro: ergo tempore Angelico: ergo requirunt varia inſtantia Angelica, & non ſufficit correſpondentia ad diſtincta inſtantia noſtri temporis. Patet Conſeq. quia omne tempus Angelicum requirit ſaltem conſtare ex pluribus inſtantibus Angelicis.

809 Prob. ſecundo ratione, qua D. Thom. evertit fundamentum auctorum oppoſitæ ſententiæ, quod eſt tale. Dicunt enim, quod Angelus quieſcit in tempore in termino *à quo*, & quod in inſtanti terminativo talis temporis ſimpliciter movetur adquirendo terminum *ad quem*. Quod D. Thom. impugnat ſic: Nam impoſſibile eſt, quod aliquod ens quieſcat in tempore, & quod aliter ſe habeat in inſtanti terminativo talis temporis: ergo impoſſibile erit, quod aliquod ens quieſcat in tempore, & quod moveatur in inſtanti terminativo talis temporis. Patet Conſ. quia moveri eſt aliter ſe habere nunc, ac prius. Antec. autẽ Prob. de ratione quietis eſt quod quieſcens eodem prorſus modo ſe habeat nunc, ac prius, & ideo oportet (inquit D. Thom.) *quod in quolibet nunc ſpectante ad tempus, in quo habetur quies; quieſcens eodem prorſus modo ſe habeat*; ſed inſtans terminativum temporis per ſe ſpectat ad tempus, quod terminatur per illud: ergo oportet quod quieſcens in tempore, eodem prorſus modo ſe habeat in inſtanti terminativo temporis, quo ſe habebat in tempore: ergo impoſſibile eſt, quod quieſcat in tempore, & quod aliter ſe habeat in inſtanti terminativo temporis.

Secundo prob. eadem propoſitio. Nam quia de ratione motus eſt, quod id, quod movetur, aliter ſe habeat nunc, ac prius in quolibet nunc temporis menſurantis motum

tum mobile ſe habet in alia, & alia diſpoſitione: vnde oportet, quod in vltimo nunc habeat formam, quam prius non habebat: ergo ſimiliter, quia de ratione quietis eſt, quod quieſcens eodem prorſus modo ſe habeat nunc, ac antea, impoſsibile erit, quod quieſcens in tempore aliter ſe habeat in inſtanti terminativo temporis.

Dices, quietem poſſe finiri in tempore, cumque inſtans terminativum ſit extra tempus, in inſtanti terminativo poterit quieſcens antea moveri per adquiſitionem ſubitaneam alicuius formæ: vnde illa maxima, quieſcens in tempore debet eodem modo ſe habere in omni nunc temporis, tantum habebit verum de inſtantibus continuativis temporis, non vero de inſtanti terminativo. Sed contra hoc eſt, nam ſicut in motu datur fieri motus, quod menſuratur tempore, & factum eſſe motus, quod eſt mutatum eſſe menſuratum inſtanti terminativo motus: ita in quiete debet dari fieri quietis, quod menſuratur tempore, & factum eſſe quietis, quod menſuratur inſtanti terminativo quietis: ergo ſicut in inſtanti terminativo motus aliter ſe habet mobile, ac antea; ita in inſtanti terminativo quietis eodem prorſus modo ſe habebit quieſcens, ac antea ſe habebat: ergo non poterit in illo aliter ſe habere, ac per conſequens non poterit in dicto inſtanti moveri. Præterea, inſtans terminativum temporis menſurantis quietem vere ſpectat ad dictum tempus tanquam terminativum illius: ergo ex parte quietis, quæ tempore menſuratur, debet neceſſario correſpondere aliquod indiviſibile terminans quietem, quod eſt factum eſſe quietis: ergo in illo nequibit quieſcens in tempore aliter ſe habere: ſicut in motu nequit mobile in inſtanti terminativo eodem prorſus modo ſe habere, quo antea ſe habebat: intelligenda eſt ergo illa maxima non ſolum de inſtantibus continuativis quietis, ſed etiam de inſtanti terminativo illius.

§. VII.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

810 PRIMO Arguitur. Motus Angeli diſcretus ſolum conſiſtit in prima adquiſitione novi loci, ſed hæc fit in inſtanti: ergo motus diſcretus fit in inſtanti. Conſeq. eſt bona, Min. certa, & Maj. Prob. nam Angelus in primo inſtanti, in quo tantum vltimo relinquit priſtinum locum, quieſcit, & non movetur, quia vere eſt tunc vbi antea erat, per quod quies in loco diffinitur: ergo ſolum movetur in inſtanti ſubſequenti, in quo tãtum novum locum adquirit. Ad hoc, nego Maj. ad prob. diſt. Antec. quieſcit, & non movetur, per adquiſitionem completam novi loci, conc. Antec. quieſcit, & nõ movetur initiative, nego Ant. & Conſeq. Itaque in illo primo inſtanti Angelus vltimo quieſcit, & deſerit locum, vt in inſtanti ſubſequenti ſit in alio loco, & ſic motus diſcretus Angeli incipit à primo inſtanti, & finitur in ſecundo; in quo ſub novo loco ponitur, & conſtat ex illis duobus inſtantibus tanquam ex partibus, eo modo, quo numerus binarius conſtat ex duabus vnitatibus, ex prima, quæ initiat numerum, & ex ſecunda, quæ vltimate terminat.

Sed contra hoc eſt. Nam ſi motus diſcretus Angeli incipit tanquam ex prima parte in illo primo inſtanti, ſequitur, quod Angelus, qui in illo moveri incipit, aliter ſe habeat tunc, ac antea; hoc autem admittendum non eſt: ergo. Prob. Maj. nam de conceptu intrinſeco motus eſt, quod mobile in quacumque parte motus ſit, aliter ſe habeat, ac antea ſe habuit: ergo ſi Angelus incipit moveri in illo primo inſtanti, ſequitur, quod in illo aliter ſe habeat ac prius. Min. etiam ſic Probo. Nam in probatione noſtræ concluſionis diximus, quod Angelus quieſcens in aliquo tempore nequit aliter ſe habere in inſtanti terminativo talis temporis: ergo cum Angelus quieviſſet in primo loco per tempus præcedens primum inſtans, in quo nos dicimus incipere motum, non poterit in illo inſtanti aliter ſe habere. Ad hoc, diſt. Maj. ſequitur quod aliter ſe habeat nunc ac antea, initiative, conc. Maj. completive per adquiſitionem novi loci, nego Maj. & nego ſimiliter Min. nam quando nos dicimus, quod quieſcens per tempus nequit in inſtanti terminativo temporis aliter ſe habere ac antea, loquimur in hoc ſenſu, videlicet, quod quieſcens per tempus nõ poteſt in tẽpore quieſcere ſub vna forma, & in inſtanti terminativo temporis eſſe ſub alia de novo adquiſita: non vero negavimus poſſe aliter ſe habere tantũ initiative, id eſt, apponendo in illo inſtanti aliquod per ſe requiſitum ad hoc, vt in inſtanti ſequenti completive aliter ſe habeat.

Digitized by Google

Sed inſtas, nam Angelum in illo inſtāti initiare motum eſt formaliter aliter ſe habere ac antea: ergo nequit cōvenire Angelo in inſtanti terminativo temporis mēſurātis quietem eiuſdem Angeli. Antec. patet, nam antea nempe in tempore præcedenti Angelus non initiabat motum, in inſtanti autem terminativo incipit moveri: ergo aliter ſe habet formaliter in inſtanti terminativo temporis menſurantis quietē, ac ſe habebat in tempore. Ad hoc, diſt. Ant. eſt formaliter aliter ſe habere ac antea, per adquiſitionem novi loci, nego Antec. per hoc quod eſt vltimo eſſe in primo loco, ſub quo in tempore vltimo non erat, Conced. Ant. & nego Conſ. Itaque, quieſcens in aliquo tēpore non poteſt excludere hoc quod eſt aliter ſe habere in inſtanti terminativo illius temporis, quomodocumque capiatur ly *aliter ſe habere in inſtāti terminativo illius temporis*. Nam nullus negare poteſt, quod dum vltimo quieſcit in illo inſtanti terminativo, & in tempore præcedenti non vltimo quieſcebat, quieſcēs aliter ſe habeat aliquo modo, ſiquidem vltimo quieſcere, & non vltimo quieſcere diverſa ſunt: quod autem excluditur tantum eſt, aliter ſe habere, per adquiſitionem novi loci; hoc enim totaliter opponitur quieti: initiat ergo Angelus motum localem diſcretum per hoc quod in primo inſtanti vltimo eſt in primo loco deſignando eſſe in illo per vltimum ſui eſſe, cum habitudine, vt in ſequenti inſtanti ſit in hoc diſtincto à primo, & ſic motus diſcretus conſtat tanquā ex partibus ex vltima quiete in primo loco, & nova adquiſitione alterius loci: vnde bene poteſt Angelus in illo inſtanti terminativo temporis menſurantis quietē initiare ſuum motū localem diſcretum.

311 Secundo arguitur, Angelus non movetur in vtroque inſtanti, in quorū altero vltimo eſt in primo loco, & in altero eſt in novo loco: ergo tantum movetur in inſtanti, in quo adquirit novum locum. Prob. Ant. illa duo inſtantia non ſunt ſimul, ſed ſucceſſivè ſe habent: ergo motus diſcretus Angeli nequit conſiſtere in vtroque inſtanti collective. Prob. Conſeq. nam collectio vtriuſque inſtantis requirit ſimultaneam exiſtentiam vtriuſque, neque enim poteſt fieri collectio ex eo quod exiſtit, & ex eo quod non exiſtit; alias talis collectio non eſſet realis; ſiquidē altera eius pars nō eſſet ſub exiſtētia reali. Confir. hoc, aliquādo verificatur de Angelo quod moveatur; at nunquam verificatur de ipſo, quod ſit ſub vtroque inſtanti, nam quando eſt ſub primo non eſt ſub ſecundo, quando eſt ſub ſecundo, non eſt ſub primo; ergo Angeli motus nequit conſiſtere in vtroque inſtanti.

Ad hoc, nego Ant. ad Prob. nego Conſ. ad Prob. nego Ant. illa enim non eſt collectio permanens, ſed ſucceſſiva, & ſic non oportet, quod partes eius ſimul exiſtant, ſed ſufficit, ſi altera primo extiterit, & altera illi realiter ſuccedat; nec per hoc amittit eſſe collectionis realis, ſed tantum amittit eſſe collectionis realis permanentis; nam ad collectionem realem ſufficit, quod partes ſint ſub exiſtentia reali, ſi fuerit permanens ſub ſimultanea exiſtētia reali, ſi fuerit ſucceſſiva ſub exiſtentia partium ſucceſſiva: neque enim eſt collectio tantum ex his, quæ ſunt, ſed ex eo quod eſt, & ex illo quod immediate antea fuit. Ad Confir. diſt. Min. nunquam verificatur quod ſit ſub vtroque inſtanti ſucceſſive, nego Min. ſimul, conc. Min. & nego Conſ. Itaque ad verificandū de Angelo quod moveatur, non requiritur, quod aliquando fuerit ſub termino *à quo*, & *ad quem*, cum ſimultanea poſſeſſione vtriuſque termini, ſed ſufficit verificari de illo, quod in inſtanti præterito vltimo fuerit ſub termino *à quo*, & in inſtanti præſenti primo ſit ſub termino *ad quem*. Nam in illa ſucceſſione conſiſtit motus diſcretus, & pariter tempus diſcretum, quod eſt menſura motus diſcreti.

Inſtabis, nunquam verificatur eſſe tempus diſcretum: ergo nunquam verificabitur Angelum moveri actualiter. Conſeq. eſt bona, & Antec. Prob. tempus diſcretum requirit duo inſtantia; at nunquam duo inſtantia ſibi mutuo coexiſtere verificatur: ergo nunquam verificatur eſſe tempus diſcretum. Ad hoc, diſt. Antec. ſi ly *nunquam* neget tempus, & inſtans temporis, nego Antec. ſi neget tantum inſtans, conc. Antec. & diſt. Conſeq. nunquam, &c. id eſt pro nullo inſtanti diviſive ſumpto, conc. Conſeq. prout ly *nunquam* excludit tempus, & inſtans temporis, nego Conſeq. Itaque dum mobile eſt in termino *à quo* non verificatur quod ſit tempus diſcretum, neque ſimiliter dum eſt in termino *ad quem*, ſed verificatur ad eſſe tempus diſcretum in illa reali ſucceſſione, qua ſibi realiter ſuccedunt illæ duæ mutationes, quarum altera mobile relinquit terminum *à quo*, & altera adquirit terminum *ad quem*.

Digitized by Google

812 Tertio arguitur contra rationem, qua D. Thom. probat noſtram Concluſionem. Nam non eſt verum, quod quieſcens in aliquo tempore in omni nunc talis temporis debeat ſe prorſus eodē modo habere ſicut antea: ergo ratio D. Thom. nulla eſt. Prob. Antec. ſupponamus aliquod mobile moveri per vnam horam, & quieſcere ſucceſsive per aliam, tunc in primo inſtanti temporis menſurantis quietem non eodem modo ſe habet, ſicut antea; nam ante illud movebatur, & modo non movetur: ergo non eſt verū, quod quieſcens in tempore eodē modo debeat ſe habere in omni nunc temporis, quo ſe habebat prius. Secundo, nam poteſt Angelus quieſcere ab Intellectione per tempus vnius horæ, & in inſtanti terminativo illius horæ habere intellectionem; quam vſque tunc non habuerat: ergo non oportet, quod quieſcens per horam, in inſtanti terminativo horæ eodē modo ſe habeat, quo prius. Tertio, datur motus menſuratus tempore continuo, cui non correſpondet ſuum mutatum eſſe, per quod intrinſecè terminetur: ergo & poterit dari quies in tēpore, cui nō correſpōdeat aliquod indiviſibile terminativū mēſurās factū eſſe quietis. Cōſ. eſt bona, & Ant. Pro. etenim dum lignū diſponitur ad formā ignis, in tempore alteratur; & tamen in fine motus alterationis non correſpondet inſtās terminativū motus, nam in inſtanti terminativo illius tēporis materia ligni adquirit formā ſubſtantialē ignis per inſtantaneā mutationem: ergo & poterit ſic accidere, quod videlicet Angelus quieſcat in tēpore in vno loco, & in inſtanti terminativo tēporis adquirat alium locum. Quarto, poteſt Angelus quieſcere in tempore vnius horæ in aliqua parte ſui loci adæquati, & in inſtanti terminativo horæ adquirere omnem aliam partem ſui loci adæquati, ſine eo quod relinquat primum: ergo non eſt neceſſe, quod quieſcens per tempus horæ in aliquo loco non poſsit in inſtanti terminativo horæ eſſe in alio loco.

Ad hoc, nego Ant. ad Prob. dico, in dato caſu quietem nō incipere per primum ſui eſſe, ſic, quod in inſtanti terminativo horæ menſurantis motum ſit verum dicere, modo primo eſt quies; ſed incipit per vltimum non eſſe ipſius, dicendo, modo non eſt quies, & immediate poſt hāc erit: quod ſi pro tunc nō verificatur, modo eſt quies, non oportebit, quod quieſcēs tēpore ſubſequenti pro illo inſtanti primo eodē modo ſe habebat, ſicut antea: cæterū in fine quietis debet neceſſario dari inſtans menſurans intrinſece factū eſſe quietis, & ſic oportet, quod in illo, quieſcēs in tēpore præcedenti, eodē modo ſe habeat, ſicut prius: quieſcit enim in illo inſtāti mobile privative, & ſic debet à ſe excludere motū pro eodē inſtanti, in inceptione quieſcit negative, & ſic ſufficit, quod pro tunc verificetur, non adeſſe motum; non vero requiritur verificari quod mobile eodē modo ſe habeat nūc, ac prius.

Ad ſecundū, conc. Ant. diſt. Conſ. ſi quieſcat quiete oppoſita motui, qui eſt inter duos terminos poſitivos, quorū alter deſeritur, & alter poſitive adquiritur; nego Conſeq. ſi quieſcat quiete late ſūpta, quæ motui ſtricte dicto nō opponitur, ſed tantū ſimplici mutationi, conc. Cōſ. Itaq; quieſcere ſtat dupliciter vel pro eo, quod quieſcēs eſt ſub aliqua forma poſitiva, quā oportet relinquere vt poſsit fieri tranſitus ad aliā formā poſitivā, vel pro quiete in ſola carentia alicuius operationis cōſiſtente: ſi primo modo cōtingat quies, tūc oportet, quod quieſcens in tempore non poſsit in inſtāti terminativo talis tēporis aliter ſe habere per adquiſitionē novæ formæ; ſi ſecūdò modo cōtingat, tūc non requiritur hoc ipſum. Et ratio eſt, quia in prima quiete nō fit trāſitus de ſimplici negatione motus, quæ tollitur per ſolā motus poſitionē, ſicut tenebræ auferuntur per ſolā appoſitionē lucis; ſed fit tranſitus ab hoc, quod eſt eſſe ſub vna forma, ad hoc, quod eſt eſſe ſub alia, quod indiſpenſabiliter requirit duas mutationes, quarum altera ſit deperditiva primæ, & altera ſit adquiſitiva ſecūdæ: in ſecūda autē quiete tantū fit trāſitus de nō eſſe ſub aliqua forma ad eſſe ſub illa, quod fit per ſimplicē adquiſitionē ipſius formæ: quę in vno inſtanti fit: ſic ergo cōtingit, cū Angelus quieſcit ab intellectione, quod nō eſt aliud quam nō intelligere, quod formaliter deſtruitur per ſimplicē efficientiā intellectionis, quo in inſtanti fit: ſic ſimiliter cū Angelus eſt nullibi per tēpus, in inſtāti terminativo tēporis poteſt eſſe in aliquo loco, quia tūc nō fit trāſitus de vno loco ad alterū, ſed de nō eſſe in loco ad eſſe in loco.

Ad tertiam diſt. Conſeq. ſi quies deſtruatur ante inſtās terminativū eius Cōc. Cōſ. ſi nō deſtruatur, nego Conſ. Itaque dum lignum alteratur, & diſponitur ad formam ignis, non datur inſtans menſurans factum eſ-

Digitized by Google

eſſe motus, quia ante illud deſtruitur lignum, & ſic deſtruitur alteratio, quæ ſubiectabatur in illo, & ſic inſtans terminativum menſurat tantum ſimplicē mutationē, qua materia movetur ad formam ignis; ſic etiā de quiete philoſophari poteſt, quod ſi deſtrueretur ad deſtructionem ſubiecti, in quo eſt, ante inſtans terminativum non oporteret illi conſignare inſtans terminativū mēſurans factum eſſe quietis. Verùm quia in noſtro caſu, Angelus perſeveret vſq; ad motum, oportet illi quieti conſignari inſtans terminativum illius menſurans factum eſſe quietis.

Ad quartam, nego Conſ. quia dum Angelus ſemper manet in eodem loco, in quo erat antea, non amittit quietem, quā habebat; vnde non oportet, quod ſint duæ mutationes, quarum altera relinquat terminum *à quo*, & altera adquirat terminū *ad quem*; vnde ſimplici tantum mutatione poteſt adquirere omnes alias partes ſui loci adæquati. Et ad id, quod dicitur, quod dum adquirit alia loca in inſtanti terminativo horæ, aliter ſe habet ac antea: Reſp: quod non ſe habet aliter in linea quietis, quæ opponitur motui locali, ſed tantum in linea quietis, quæ conſiſtebat in eo, quod in tempore horæ non fuerat in alijs partibus ſui loci adæquati, quod non eſt inconveniens. Itaque Angelus exiſtens per horā in parte loci adæquati, tantū duplicē quietem habet; alteram oppoſitam motui locali, ad quem requiritur quod relinquatur primus locus, & adquiratur alius; & quantum ad iſtā quietē, Angelus etiam in inſtāti terminativo horæ, eodē modo ſe habet, quo antea, ſiquidem ſemper cōſervat primum locum, alteram quietem habet, quę conſiſtit in eo, quod per tempus horæ non fuerit in alijs partibus ſui loci adæquati; & quantum ad iſtā, quæ impropiiſsimè quies dicitur, in inſtanti terminativo horæ aliter ſe habet; dum tunc adquirit locū, quē antea non habebat, ſed de hac quiete nō fit ſermo in ratione D. Tho. ſed de prima, & ſic non eſt inconveniens, quod quieſcens in tempore, in fine temporis aliter ſe habeat.

Vel ſecundo dicatur ad quartā negando Ant. Etenim non iudico poſsibile, quod Angelus toto tempore horę quieſcat in vna parte loci adæquati, & in inſtanti terminativo horæ moveatur. Etenim, dum erat in prædicto loco, non ſolum quieſcebat, ſed quieſcebat tantum in vna parte loci, quæ erat locus minor eo, quem ſimul occupare poterat: vnde requiritur quod vna mutatione relinquat non locum, quem habebat, ſed eſſe tantum in illo loco minori, & ſic requiritur alia mutatio, qua maiorem locū occupet, eo, quo antea tantū occupabat. Vnde per verum motū à minori loco ad maiorem locum fit occupatio novi loci, ſicut contingit in augmento viventis, quod verus motus eſt à minori quantitate ad maiorem: in vltimo ergo inſtanti terminativo horæ deſerit quietē in minori loco per vltimum ſui eſſe in illo, & in inſtanti ſequenti adquirit maiorem locum, ſi diſcrete moveatur: ſi verò motu cōtinuo, in tēpore ſequenti, ſic, quod vltimū inſtans horæ ſit intrinſecum deſitioni quietis in minori loco, & extrinſecum inceptioni motus adquiſitivi maioris loci.

813 Quintò arguitur, toto tēpore prolationis verborum, panis quieſcit ſub forma panis, & in vltimo inſtanti terminativo prolationis, panis tranſit in Corpus Chriſti per converſionem: igitur ratio D. Tho. efficax non eſt. Vel formetur aliter Argumentum. Converſio panis in Corpus Chriſti conſtat ex duplici mutatione, quarū altera eſt deperditiva panis, & altera adquiſitiva Corporis Xpti; & tamen fit in inſtāti: ergo etiā motus localis Angeli conſtet ex duplici mutatione, quarū altera ſit deperditiva loci præcedētis, & altera ſit adquiſitiva loci ſubſequentis, poterit fieri in inſtanti. Confir. aer toto tēpore præcedente acceſſum Solis ad noſtrum Emiſpherium quieſcit ſub tenebris, & in vltimo inſtanti illius illuminatur. Similiter, materia prima toto tempore antecedente inſtans generationis quieſcit ſub forma compoſiti corrūpendi, & in inſtanti terminativo illius eſt in termino *ad quem*; ſcilicet, ſub forma cōpoſiti de novo geniti: ergo & poterit Angelus toto tempore quieſcere in vno loco, & in inſtanti terminativo illius temporis adquirere novum locum.

Ad hoc Argumentum, conceſſo Antecedēti pro vtraque parte, nego Conſ. Nā ratio D. Th. ſolum procedit attentis naturis rerum, quæ quieſcunt, & moventur; nō autem attentis miraculis, & portentis, quæ Deus poteſt facere de plenitudine poteſtatis nullis legibus alligatus: quicquid autem in Sacramento Altaris contingit, totū eſt mirabile, & ſic ratio D. Th. ibi non tenet. Et ratio quarę nō teneat, eſt quia Deus ibi corrūpit panē ſine prævio motu diſpoſitive corruptivo, & introducit Corpus Xpti, vbi

diviſibilem, & in inſtanti ſequenti occupare alium locũ. Patent iſtæ Conſequentiæ, nam Angelus in inſtanti poteſt ceſſare ab operatione libera, & in inſtanti poteſt elicere operationem liberam. Explicatur hoc, quamvis in loco diviſibili Angelus ſit per effectus diviſibiles, quos in varijs partibus loci diviſibilis producit, tamen tota illa diviſibilitas effectuum pendet tanquam à cauſa ab vna indiviſibili operatione libera, quam ſic Angelus elicit, quod poteſt non elicere, & ſic conſervat, quod poteſt non conſervare: ergo quamvis ſit in loco diviſibili, poteſt in inſtanti deſerere totum locum, & eliciendo operationem liberam in alio etiam diviſibili, poterit ſimul occupare locum diviſibilem.

Præterea, Angelus eſt in loco diviſibili, non ſic, quod pars Angeli ſit in parte loci, & totus Angelus ſit in toto loco; ſed eſt totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci: ergo non eſt neceſſe quod paulatim relinquat, & paulatim adquirat locum, ſed poterit ſimul relinquere locũ, & in inſtanti ſequẽti adquirere novum locũ. Prob. Conſ. nam ideo corpus nequit ſimul relinquere totum locũ, quem habet, quia formaliter extenditur ad extenſionẽ loci, ſic, quod pars eius correſpondet parti loci, & totum toti loco: ergo dum Angelus non extenditur per locum, ſed totus eſt in toto, & totus in minima parte loci, poterit in inſtanti deſerere priſtinum locum, & in alio inſtanti alium occupare locum. Confirmantur hæc omnia. Angelus eſt in loco diviſibili per imperium efficax in ſe indiviſibile, quo vult eſſe in loco diviſibili, v.g. Angelus occupat leucam hoc ſolo actu, volo eſſe in tota hac leuca; hoc autem imperium in vno inſtanti poteſt habere, & in inſtanti poteſt relinquere: igitur ſimul poteſt locum diviſibilem deſerere, & locum diviſibilem poſt aliud inſtans occupare.

797 Contra iſtam concluſionem habetur illud vulgare argumentum. Angelus cum ſimul deſerit totum terminum *à quo*, nondũ movetur, & cum ſimul occupat terminum *ad quem* non etiã movetur, quia tunc primo quieſcit in illo; nec movetur in aliquo intermedio tempore, ſic, quod in illo partim ſit in termino *à quo*, & partim ſub termino *ad quem*, quia ſic non moveretur motu diſcreto, ſeu continuo: igitur Angelus non movetur motu diſcreto. Prob. Conſeq. quia motus diſcretus non eſt aliud, quam collectio duorũ inſtantium, in quorum altero mobile deſerit terminum *à quo*, & in altero eſt in termino *ad quem*: ergo ſi Angelus nec movetur in primo, cum deſerit locum, nec in ſecundo, cum adquirit novum locum, nec in aliquo intermedio, quia non eſt tempus medium; Angelus non movebitur motu diſcreto.

Reſpondeo, Angelum non moveri in primo inſtanti, in quo ſimul adæquate deſerit locum, in quo erat; initiare tamen motum in illo inſtanti, quia licet in illo inſtanti quieſcat, quieſcit tamen vltimo, quod eſt deſerere adæquate locum, in quo erat: ad quod ſequitur adquiſitio alterius loci, per primũ eſſe Angeli in illo; in quo, licet ſit quies, eſt tamen prima quies, & ſic eſt motus completive. Itaque motus diſcretus eſt quidam numerus non vnitatũ permanentium, ſed vnitatum, quarũ vna ſuccedit alteri, deſerendo per primam vnũ locum, & adquirendo per ſecundam alium locum de novo. Et ſicut in numero permanentibus eſſentia numeri non ſalvatur in prima vnitate, nec in ſecunda, ſed tantum in collectione ex duabus vnitatibus; ita eſſentia motus diſcreti non ſalvatur in prima, nec in ſecunda vnitate, ſed in ſola collectione duarum vnitatum, quarũ vna neceſſario ſuccedit alteri: & ſicut vnitates non faciunt numerum, niſi ſecundum quod coordinantur per modum primæ, & ſecũdæ, ita illa mutata eſſe non faciunt motũ diſcretum, niſi ſecundum quod coordinantur per modum deſertionis vnius loci, & adquiſitionis alterius.

Sed ex hac doctrina fit argumentum in contra. Nam hæc collectio harum duarum mutationum per nos facit motũ diſcretum; at hęc collectio nunquam eſt in rerum natura: igitur neque motus diſcretus aliquando erit. Prob. Min. nam quando adeſt prima mutatio, nondum venit ſecunda; quando venit ſecunda iam non eſt prima: igitur præfata collectio nunquam habet eſſe in rerum natura. Reſpond. diſt. Min. nunquam eſt, exiſtentia permanenti, conc. Min. exiſtentia entis ſucceſsivi, neg. Min. & diſt. Conſeq. nunquam erit, exiſtentia entis permanentis, conc. Conſeq. entis ſucceſsivi, nego Conſeq. Itaque non omnia entia exiſtunt per ſimultaneam poſſeſsionem ſuarum partium, ſed in hoc eſt diſcrimen inter entia permanentia, & ſucceſsiva; quod illa conſtant ex partibus ſibi

Digitized by Google

coexiſtentibus pro eadem temporis differentia: illa autem contenta ſunt in eo, quod vna pars alteri ſuccedat: motus ergo diſcretus, cum non ſit ens permanens, ſed ſucceſſivum, contentus eſt in eo, quod vna pars eius realiter alteri ſuccedat, quod fit ex eo quod ex poſitiva deſertione loci tranſit mobile ad poſitivam acquiſitionem novi loci.

§. IV.

Vtrùm Angelus poſſit tranſire de extremo ad extremum ſine tranſitu per medium?

798 NON Procedit quæſtio de motu continuo. Nam de iſto certum eſt non poſſe tranſire Angelum de extremo ad extremū non pertranſeundo per aliquod inter medium. Nam vel Angelus movetur motu continuo per ſe, hoc eſt, per hoc quod ſucceſsive tangit omne ſpatium producendo aliquid in illo ſucceſsive; vel movetur per accidens, hoc eſt, quia operatur in aliquo corpore; & corpus movetur vel ab Angelo, vel ab aliquo alio; & quocumque ex his modis Angelus moveatur continue, non poteſt tranſire de extremo ad extremum, niſi tranſeundo per medium. Quod ex eo patet, nam ſi movetur per accidens, hoc eſt, ad motum corporis localiter moti, cum corpus nequeat moveri continuè ab vno extremo ad alterum niſi præoccupando loca intermedia, etiam Angelus nequibit moveri per accidens de extremo ad extremum, niſi tranſeundo per media. Si moveatur per ſe, tunc motus continuus dicitur continuitate ſpatij, hoc eſt, quia nulla eſt pars in ſpatio, in qua Angelus ſucceſsivè non operetur: ergo motu continuo nequit Angelus tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo per medium.

Difficultas ergo procedit de motu diſcreto, an cum tranſit de vno extremo ad alterum debeat neceſſario præſentare ſuam ſubſtantiam locis intermedijs. In quo puncto elucidando, prima ſententia negativa eſt, quam tuetur Scotus cum eius familia, quibus ſubſcribunt Molina cum alijs recentioribus. Secunda ſententia diſtinguit de locis intermedijs ſe communicantibus, qui vulgò dicuntur partes proportionales, & de intermedijs non ſe communicantibus, ſed aliquotis, & ſignatis. Aſſerit ergo, quod ad hoc vt Angelus tranſeat de extremo ad extremum debet neceſſario pertranſire loca intermedia aliquota, & deſignata, non vero loca ſe ad invicē communicantia. Hanc tenet Valentia hic diſp.4.q.4.p.1. Sententia tamen D. Thom. eſt hic art. 3. & in 1. diſt. 37. q.4. art.2. & quodlib. 1.q.2.art.2. & de virtutibus, art. 13. in quibus locis affirmat, poſſe Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine eo quod ſubſtantiam ſuā repræſentet locis intermedijs. D. Thom. ſequuntur omnes eius veri Diſcipuli, quibus addo Vazquez hic diſput. 196. cap. 3. Sed Pater Eſparza, quamvis loquendo de loco phyſico, ſeu de præſentia phyſica, quā Angelus habet in corporibus, dicat, poſſe Angelum tranſire de extremo ad extremū ſine tranſitu per medium, ſi tamen loquamur de præſentia eius metaphyſica, ſeu pure ſpirituali, aſſerit, non eſſe poſsibile Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine medio, quia nullum agens poteſt agere in diſtans, quin agat in medium: poſſet autem Angelus agere in diſtans, quin ageret in medium, ſi poſſet activitate ſua acquirere præſentiā ad ſpatiū diſtans à primo ſuo ſpatio, quin prius acquireret præſentiam ad ſpatium interiectum.

799 Suppono vt certum, Angelum motu diſcreto perambulando per aliquod ſpatium non poſſe tranſire de extremo ad extremum locando ſe in omni loco intermedio. Sic tenet D. Thom. hic art. 3. vbi hoc ſic probat. Si Angelus, dum movetur motu diſcreto per ſpatium, occuparet omnia intermedia loca inter aliqua duo extrema, numeraret infinita loca tam indiviſibilia, quam diviſibilia; hoc autem implicat: ergo & implicat tranſire de extremo ad extremum motu diſcreto locando ſe diſcrete in omni loco intermedio. Prob. ſequela, nam in qualibet magnitudine, quæ eſt inter duo puncta extrema, dantur infinita loca velùti in potentia, tam diviſibilia, quam indiviſibilia: ergo ſi Angelus motu diſcreto ſe præſentaret omnibus illis intermedijs, in actu numeraret infinita loca. Quod autem hoc ſit impoſsibile. Prob. nam motus diſcretus conſtat ex mutatis eſſe inter ſe diſtinctis, & actu diviſis: ergo vt numerentur infinita loca, quæ ſunt in magnitudine continui, oporteret ponere motum diſcretum conſtantem ex infinitis in actu mutatis eſſe aliquotis, ſignatis, & non ſe communicantibus.

Digitized by Google

618 Secundo Prob. hoc eſſe impoſsibile, nam infinitum eſt, cuius partes accipientes ſemper reſtat aliud accipere: ergo impoſsibile eſt numerare ſingulas partes, & ſingula indiviſibilia, quæ reperiuntur in magnitudine continui, ſic, quod numerentur omnes. Nec valet, quod per motum continuum numerantur omnes partes magnitudinis molis: ergo ſimiliter poſſent numerari per motum diſcretum. Non (inquam) valet, nam motus continuus habet infinitas partes etiam in potentia, ſicut & ipſa magnitudo ſpatij, & ſic motu continuo poteſt pertranſiri infinitas magnitudinis ſpatij. Cæterum motus diſcretus non habet in actu infinita mutata eſſe, quæ requirebantur ad hoc, vt diſcrete occuparentur omnia loca intermedia, tam diviſibilia, quam indiviſibilia. Inſuper, motu continuo non numerantur ſignate omnes partes continui, ſiquidem motuus continuus non conſtat ex infinitis partibus aliquotis, & ſignatis; motus autem diſcretus numerat deſignando partes magnitudinis, & reddendo eas aliquotas, & non ſe communicantes: ergo eſto motu continuo poſsint numerari partes magnitudinis ſpatij; non autem motu diſcreto: neque enim omnes partes continui poſſunt deſignari, ſed quælibet ſignata, poſſunt in ea deſignari aliæ, & aliæ, cum quælibet pars hoc ipſo quod eſt diviſibilis, eſt diviſibilis in ſemper diviſibilia.

800 Hoc ſuppoſito, ſit pro ſententia D. Thom. Concluſio. Poteſt Angelus tranſire de vno extremo ad alterum, ſine eo quod pertranſeat locum aliquem intermedium. Sic tenet D. Thom. hic art. 3. nec diſtinguit de locis ſe communicantibus, vel non ſe communicantibus, vnde nec nos debemus diſtinguere. Nec valet dicere, quod eius ratio tantum probat de locis ſe communicantibus, quia hæc ſunt infinita, non vero loca aliquota, & non ſe communicantia. Probat enim D. Thom. quod poſsit tranſire de extremo ad extremum motu non continuo, quia ſi deberet motu diſcreto tangere omnia media loca, tangeret infinita, & per ſingula numerando, quod eſt impoſsibile, hæc autem ratio tantum convincit, quod poſsit tranſire de extremo ad extremum non tangendo loca proportionalia, & in potentia, non vero quod poſsit motu diſcreto tranſire de loco ad locum ſine tranſitu per loca ſignata, & aliquota.

Non (inquam) valet, nam D. Thom. duo probavit in hoc art. 2. Primum fuit, quod Angelus motu diſcontinuo poterat tranſire de vno extremo ad alterum, ſine eo quod ſe locaret in omni loco intermedio, & hoc probavit ratione facta evidenter: quia ſi deberet tangere omnia loca intermedia deberet actu numerare omnia loca, quæ cum ſint infinita actu numerari non poſſunt; vnde concludit ſic: *Igitur ſecundum quod motus Angeli non eſt continuus, non pertranſit omnia media.* Poſt hoc autem D. Thom. dicit: *Hoc autem*, ſcilicet, *moveri de extremo ad extremum, & non per medium poteſt convenire Angelo, ſed non corpori.* Quod ſecundum ſic probat, *quia corpus menſuratur, & continetur ſub loco. Vnde oportet, quod ſequatur leges loci, ſed ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco vt contenta, ſed eſt ſuperior eo vt continens, vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco, vel per medium, vel ſine medio.* Si autem eſſet neceſſe, vt vult Valentia, tranſire loca aliquota intermedia inter extremum, & extremum, eſſet neceſſarium Angelo venire de vno extremo ad alterum per medium, cuius oppoſitum dicit D. Thom. ergo ex mente ipſius, Angelus motu diſcreto vnum non poteſt, id eſt, venire de vno extremo ad alterum tangendo omnia loca intermedia, alterum poteſt, nempe pervenire de extremo ad extremum, ſine eo quod ſe locet in aliquo loco intermedio.

801 Prob. ratione Concluſio. Angelus eſt in loco per hoc, quod per ſuam operationem applicat virtutem ſuam ad locum; ſed poſtquam operatur in loco B. v. g. non implicat, quod applicet virtutem ſuam loco extremo C, ſine eo quod eam applicet locis intermedijs operãdo in illis: ergo poteſt tranſire de extremo ad extremum non locando ſe in aliquo intermedio. Prob. Min. nam poſtquam eſt in loco B, libere applicat ſuam virtutem vbi vult, igitur poteſt illam applicare extremo C, ſine eo quod illam applicet locis intermedijs.

Nec valet dicere, quod poſtquam Angelus eſt in loco B. nequit agere in diſtans vltra ſphæram activitatis ſuæ, ſed reſtringitur, ne operetur immediate vbicumque vult, & ſic erit neceſſe operari in locis intermedijs. Non (inquam) valet, nam licet Angelus, poſtquam eſt in loco B, ſi vellit ſe conſervare in illo loco, non poſsit immediate operari in quocumque aliud extre-

tremum tamen deſerendo primum locum poteſt indifferenter ſibi aſſumere locum, quem ipſi magis placuerit: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Antec. nam hoc ipſo quod deſerat operari in primo loco, etiam ſi in loco diſtantiſſimo immediate operetur, non ſequitur, quod operetur ſimul in locis exiſtentibus extra ſphœram activitatis ſuæ; nam ad hoc requirebatur, quod ſimul operaretur in vna parte ſphœræ, & in alia parte ſphœræ: dum autem deſerit operari in primo, & incipit de novo operari extra ſphœram, non operatur ſimul intra, & extra, ſed tantum verificatur de illo, quod ſucceſsive operatus eſt in diſtinctis ſphœris ſuæ activitatis; in quo nullum eſt incōveniens: ergo.

Explicatur hoc; ſphœra activitatis Angelicæ non diffinitur per illa loca, in quibus ſimul immediate immediatione virtutis, & ſuppoſiti operari poteſt: ergo dum deſinit operari in loco exiſtente intra vnam ſphœram, & incipit immediate operari in loco diſtantiſsimo, non verificatur, quod operatur extra ſphœram activitatis ſuæ. Confirm. conſtans res eſt, quod dum Angelus nullibi eſt, pro inſtanti, B, immediate poteſt operari, & exiſtere localiter in quocumque loco quacumque diſtet diſtantia: ergo dum pro inſtanti vno deſinit operari in loco, C. poterit in inſtanti ſequenti operari in alio loco intra quamcumque diſtantiam ſit. Prob. Conſeq. nam primum poteſt facere Angelus, quia liberum eſt illi operari, & non operari, eſſe in loco, vel non eſſe in loco: ergo ſecundum conveniet illi, quia liberum eſt illi operari in iſto loco, & in quocumque alio loco, dummodo non operetur ſimul in duobus locis extra activitatem ſuam diſtantibus inter ſe.

Dices, non eſſe paritatem, quia Angelus nullibi operans à nullo loco poſitive diſtat, & ſic immediate poteſt in quocumque loco operari, & locari; cæterum Angelus operans, & exiſtens in vno loco, poſitive diſtat ab aliis locis: vnde ſi diſtantia locorum ſit extra ſphœram activitatis, poſtquā in vno inſtanti operatur, & exiſtit, non poterit immediate operari in alio loco. Sit exemplum; hæc Conſeq. non valet: poteſt corpus de non albo tranſire immediate ad eſſe album: ergo de nigro poterit immediate tranſire ad eſſe album: ergo ſimiliter non valebit; poteſt Angelus de non operante in aliquo loco tranſire immediate ad eſſe operantem in quocumque alio loco: ergo de operante in vno poterit immediate tranſire ad eſſe operantem in quocumque alio.

Sed contra hoc eſt, nam adquiſitio loci. C. ex loco B. non fit cum repugnantia, & reſiſtentia loci. B. ergo poſtquam Angelus operatur pro vno inſtanti in loco B. poterit immediate operari in inſtanti ſequenti in loco. C. Prob. Ant. Angelus exiſtens in loco. B. libere ſe conſervat in illo, & poteſt ſimul, & in vno inſtanti deſinere eſſe in illo per vltimū ſui eſſe, per hoc quod deſinat operari in illo: ergo adquiſitio loci. C. pro inſtanti ſequenti non fit cum renitentia, & reſiſtentia loci. B. Prob. Conſ. quia ad renitentiam, & reſiſtentiam erat neceſſarium, quod non ſimul Angelus relinqueret locum. B. ſed partim eſſet in loco. B. & partim in loco. C. ſicut ob hanc rationem corpus, dum exiſtit in vno loco ſibi adæquato, nequit immediate exiſtere in alio; quia videlicet primū nequit ſimul relinquere: vnde debet partem relinquere ex illo; & partem adquirere ex altero: & dum corpus nigrum tranſit ad eſſe album, nequit immediate fieri album, quia nequit immediate relinquere nigredinem, ſed paulatim. Ex quo patet, quod illa Conſeq. adducta nihil valeat, quia quod eſt album nequit fieri nigrum, niſi paulatim relinquat albedinem, & paulatim adquirat nigredinem: Conſequentia tamen à nobis facta eſt bona propter oppoſitam rationem, quia videlicet Angelus poteſt ſimul relinquere locum, quem occupat, & ſic immediate poteſt adquirere alterum in quacumque diſtantia ſit: eo prorſus modo, quo dum nullibi eſt; poteſt immediate ſe locare quocūmque voluerit.

§. V.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

802 PRIMO Sic arguitur. Si poſſet Angelus tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo per medium, poſſet hoc etiam facere corpus; ſed hoc dicendum non eſt: ergo. Prob. Mai. ſi ponamus, quod dum Angelus pertranſit de extremo ad extremum non pertranſeundo medium portet ſecum lapidem de vno extremo ad alterū, tunc lapis non pertranſibit loca intermedia, nam Angelus lapidem portans non pertran-

Digitized by Google

tranſit illa: ergo ex poſitione huius quod eſt Angelum tranſire de extremo ad extremum ſine medio, ſequitur pariter, quod hoc ipſum poſsit facere corpus.

620 Ad hoc argum. aliqui reſpondent, quod ſi dum Angelus tranſit de extremo ad extremum ſine medio, vellet ſecum aſportare lapidem, deberet ſimul moveri duplici motu, altero per ſe, quo vellet operari in locis extremis, non operando in intermedijs, & hic eſſet motus diſcretus; altero continuo, quo ad motum lapidis moveretur per accidens, & iſto motu tangeret intermedia, & etiam extrema loca. Et ſuperaddit ſolutio, quod ſicut tunc per accidens Angelus moveretur motu continuo, hoc eſt, ad motum lapidis per ſe moti motu continuo, ita & lapis per accidens moveretur motu diſcreto ad motum Angeli motu diſcreto per ſe moti, & ſine eo quod loca intermedia pertranſiret.

Verum D. Thom. non admittit, quod corpus poſsit in aliquo caſu tranſire de extremo ad extremum non pertranſeundo media: hoc enim hic q. 53. art. 3. tribuit ſubſtantijs ſpiritualibus in oppoſitione ad corpora. Et ratio ea eſt clara, quia corpus ſemper debet moveri localiter, ſic, quod contineatur à locis, & commenſuretur cũ ipſis, per quæ movetur: in locis autem, quæ occupat, eſt diviſibiliter per contactũ quãtitatis molis, & ſic eſt neceſſe, quod non ſimul deſerat totum locum; ſed tantum per partes, & per conſeq. eſt neceſſariũ, quod non adquirat locum extremum ſimul, ſed paulatim; atque adeo tranſeundo neceſſario per loca intermedia. Deinde eſt neceſſe, quod moveatur localiter coextendendo partes ſuas cum partibus locorum, quæ mutat; nequit autem coextendere partes ſuas cum partibus diſtantibus, quin prius coextendat eas cum partibus propinquis: & ſic nequit moveri localiter de vno extremo ad alterum, ſine eo quod per media tranſeat. Nec eſt ſimile de ſubſtantia ſpirituali: hæc enim, cum ſit indiviſibilis, non movetur per hoc, quod partes ſuas coextendat partibus loci; tantum movetur localiter motu continuo per accidens ad motum corporis, quia etſi eius operatio ſit indiviſibilis formaliter, eſt tamen diviſibilis virtualiter, hoc eſt, potens ſucceſsive producere aliquos effectus in ſingulis partibus loci, vel producendo vim motivam in aliquo corpore, quod movetur motu continuo, & ſic poteſt ſucceſsive eſſe in omnibus locis ſpatij; per ſe ſi ſucceſsive operetur in illis, per accidens, ſi operetur in corpore, quod movetur localiter: vnde non neceſsitatur contingere intermedia niſi ex ſuppoſitione quod motu continuo moveatur. Nec eſt etiam verum, quod additur in ſolutione, nempe quod Angelus ſimul moveatur motu diſcreto, & motu continuo; nam primus motus fit per hoc, quod operetur in extremis locis, & non intermedijs; ſecundus autem fit per hoc, quod operetur in intermedijs: ſimiliter prius fit per hoc, quod ſit in locis extremis, & non in intermedijs; ſecundus fit è contra: quæ cum inter ſe pugnantia ſint, non erit poſsibile, Angelum illis duobus motibus ſimul moveri.

Vnde hac ſolutione omiſſa. Reſp. ad Argumentum, quod dum Angelus tranſit de extremo ad extremum non eſt neceſſe, quod lapidẽ localiter moveat, vel ſecũ deferat: imò hoc erit impoſsibile propter rationem datam, quia corpus nequit moveri localiter, niſi per hoc quod coextendat partes quantitatis ſuæ ad partes propinquiores loci prius quam ad magis diſtantes, & ſic eſt neceſſarium, quod pertranſeat media, antequam veniat ad extrema.

803 Secundo arguitur, nequit Angelus coexiſtere tempori præterito, & futuro, ſine eo quod prius coexiſtat præſenti: ergo ſimiliter nequit eſſe in locis extremis, quin prius fuerit in inter medijs. Patet Cõſeq. quia non minus eſt ordo per ſe inter loca, & ſitum eorum, quam ſit ordo inter partes temporis. Ad hoc, nego Conſ. Angelus enim coexiſtit tempori ratione ſuæ durationis continuatæ: hæc autem continuatio non fit dependenter à voluntate Angeli, ſed à natura Angeli exigente, & à Deo effective conſervante: vnde non poteſt tẽpori præterito, & futuro coexiſtere, ſine eo quod coexiſterit præſenti; nam nequit cõtinuari duratio à præterito ad futurum, niſi continuetur per præſens: motus autem Angeli adæquate fit ab ipſa voluntate Angeli operante vbi vult, & quando vult, & ſic ſi vult nõ ſe applicare locis intermedijs, ſed tantum extremis, poteſt, quia in hoc ſolum à propria voluntate dependet. Poteſt tamen fieri quod Angelus extiterit in præterito, & exiſtat in futuro, ſine eo quod exiſtat in intermedio præſenti, puta, ſi poſtquam fuit in præterito, Deus illum annihilet, & tranſacto tempore præſenti illum reproducat, tunc verificabitur de illo, quod fue-

fuerit in extremis temporibus, ſine eo quod fuerit in intermedijs.

804 Tertio arguitur, nam anima rationalis nequit informare partes extremas corporis ſine eo quod informet intermedias: ergo neque poterit Angelus occupare loca extrema ſine eo quod occupaverit intermedia. Prob. Conſ. quia ſicut ſe habet anima ad informandũ, ita ſe habet Angelus ad operandum. Confirm. D. Tho. hic quæſt. 33. art. 2. ponens ſecundum argumẽtum, quod videlicet anima poteſt ſua cogitatione trãſire de vno extremo ad alterum ſine medio: ergo & Angelus poterit tranſire de vno extremo ad alterum ſine medio. Reſpondet, non eſſe ſimile, quia Angelus dum movetur applicat virtutem ſuam, & ſubſtantiam ſuam diverſis locis; anima autem non applicatur rebus, quas cogitat, & ſic poteſt ſua cogitatione tranſire de vno extremo ad alterum ſine eo quod cogitet de intermedijs: ergo ſentit quod Angelus non poteſt tranſire de extremo ad extremũ ſine medio.

Ad hoc argumentum, nego Conſ. ad Prob. dico, quod non ſic ſe habet informatio corporis ad animam, ſicut operatio in corpore ſe habet ad Angelum: anima enim non informat corpus pro ſua libertate, ſed illi naturaliter vnitur iuxtà diſpoſitiones materiæ; diſpoſitiones autem cum corporeæ ſint, debent modo coextenſo corpori ſe communicare: vnde nequeũt ſpiritus vitales ab vno extremo corporis ad aliud pervenire, niſi per partes intermedias corporis, & ſic anima nequit vniri extremis illa informando, quin prius informet intermedia: Angelus autem eſt in loco per ſuam operationem, hæc autem non expectat diſpoſitionem corporis, ſed poteſt Angelus pro ſua libertate operari vbi vult, & quando vult, & ſic poteſt operari in extremis ſine eo quod operetur in intermedijs.

Ad confirmat. dico, quod cum Div. Thom. in illo articulo reſolvat, Angelum poſſe moveri localiter de vno extremo ad alterum motu diſcreto non tranſeundo per media, & motu continuo tranſeundo per illa, opponit argumenta contra primum, & opponit argumenta contra ſecundum; argumentum ergo adductum ex anima prætendit probare, quod etiam Angelus motu continuo poſsit moveri localiter non tranſeundo per media; ad quod probandum vtitur exemplo de anima: nam hæc, quæ inferior eſt Angelo, motu ſuæ continuæ cogitationis modo eſt apud Gallias, modo eſt apud Syriam: ergo & Angelus continuè ſuæ cogitationis operatione ſine tranſitu per media poterit eſſe ſucceſsive in diverſis partibus mũdi. Ad quod bene reſpondet, quod anima hoc poteſt facere motu continuo, quia nõ ſe locat in locis, de quibus continue cogitat: Angelus autem ſe applicat ad loca, de quibus cogitat, & ſic motu continuo non poteſt tranſire de extremo ad extremum ſine medio, quia ad motum localem continuum Angeli nõ ſufficit, quod actus intellectus, vel voluntatis Angeli ſit continuus, ſed vltra requiritur, quod externa operatio ſit cõtinua: hæc autem continua eſſe non valet, ſi media non attingantur, & ſic nequit Angelus motu continuo moveri niſi media tranſeat: cum quo ſtat bene, quod motu diſcreto poſſit de extremo ad extremum venire ſine tranſitu per medium.

Sed inſtas, Angelus etiam movendo ſe motu diſcreto nequit præterire, vel invertere ordinẽ partibus huius vniverſi præfixũ; ſed ordo partibus huius vniverſi præfixus eſt ordo ſitualis conſiſtens in eo, quod nulla creatura poſsit item vlteriorem ſine priori attingere: ergo etiam motu diſcreto nequit Angelus ſine medio de extremo ad extremum venire. Ad hoc, diſt. Min. cum Caietano hic, eſt ordo præfixus &c. ſubſtãtiæ immateriali, quando movetur motu diſcreto, nego Min. quando movetur motu continuo, conc. Min. & nego Conſ. Etenim cum ſubſtantia immaterialis completa ex ſe ſit abſoluta à legibus diſtantiæ ſitualis, vtpote ſuperioris ordinis illis, & ex parte etiã effectus habeatur diſcretio, & diſcontinuitas, non alligatur ſubſtantia ſpiritualis ad attingenda media, vt veniat ad extremum, niſi quando vult motu continuo operari.

Sed inſtas, Angelus, quamvis ſit abſolutus à tempore, alligatur tamẽ ſic legibus temporis, quod nõ poſsit aliqua via coexiſtere futuro, & præterito, quin coexiſtat præſenti: ergo quamvis ſit abſolutus à legibus loci, poterit tamen alligari illis, ſic, quod non poſsit eſſe in extremis, quin ſit in intermedijs. Ad hoc, diſtinguo Ant. alligatur legibus temporis immediatè, neg. Ant. mediatè, & ratione ſuæ finitę durationis, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque Angelus nequit eſſe in præterito, & in futuro, quin fuerit in præſenti, quia eius duratio, quæ ævum eſt, non præcontinet actu differentias temporis, ſed eſt ſimplex indiviſibile

in-

Digitized by Google

Inſtans, quod per ſolam ſui repetitionẽ habet coexiſtere præterito, præſenti, & futuro; nec eſt in poteſtate Angeli eſſe in tempore iſto, vel illo, quia ratio eſſendi in illo non eſt eius libera operatio, ſed naturalis intrinſeca duratio, quæ non convenit illi dependenter à propria voluntate: at eſſe in loco convenit Angelo per liberam operationem in loco, & ſic dum poteſt libere operari in extremis, non operando in medio, poteſt libere ſe locare in locis extremis non ſe locando in intermedijs.

805. Tertio arguitur, ante quodlibet mutatum eſſe debet dari aliquod moveri; ſed Angelus, dum eſt in termino *ad quem*, habet aliquod mutatũ eſſe: ergo immediate ante illud debet habere moveri; at hoc moveri non convenit illi, dum eſt in termino *à quo* motus diſcreti: ergo debet illi convenire ratione locorum, quæ mediant inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*: ergo nequit tranſire de extremo ad extremum, quin pertranſeat aliquod medium. Ad hoc, diſt. Mai. loquendo de motu continuo, conc. Mai. loquendo de motu diſcreto, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſeq. quando movetur motu continuo, conc. Conſeq. Si moveatur tantum motu diſcreto, nego Conſeq. Itaque hoc verſatur diſcrimen inter motum diſcretum, & continuum: quod cum primus, ex ſolis mutatis eſſe ordine quodam ſe habentibus, componatur, non eſt neceſſe, quod moveri mediet inter duo mutata eſſe, ſeu ſufficit ad motum, quod illa ordine quodam ſibi ſuccedant: non ſic in motu continuo res habet, nam hic componitur ex partibus diviſibilibus terminatis mutatis eſſe, & ſic, cum quælibet pars motus ſit motus, neceſſe eſt, quod ante quodlibet mutatum eſſe detur moveri: Ex quibus evidenter infertur, quod licet in motu continuo neceſſariũ ſit Angelum prius eſſe in locis intermedijs, quam in extremis, non tamen hoc ſit neceſſe, quando ſolo motu diſcreto movetur.

806. Sed in fine huius §. inquires, quid ſentiam de ſententia P. Eſparza ſupra relata? Reſp. eſſe quandam nobiliſsimam chymerã. Nam ponere ex vna parte quod phyſicè loquendo, & per operationem poſſit Angelus tranſire de extremo ad extremum, non tamen metaphyſice, ſeu ratione præſentiæ pure ſpiritualis, quæ illi convenit independenter ab omni operatione libera, inintelligibile eſt. Inquiro enim ab hoc auctore, dum Angelus operatur immediate immediatione virtutis, & ſuppoſiti in vno extremo, & immediate poſt hoc operatur in alio ſine eo quod operetur in intermedio, eius ſubſtantia per illam præſentiam pure ſpiritualẽ, quam habet ad loca, & per quam locatur in eis locatione de linea eſſendi, eſt ne in locis intermedijs? Sic, vel non? Si dicatur hoc ſecundum: igitur tranſivit ad habendum præſentiam localem in extremo, ſine eo quod illã habuerit in locis intermedijs. Si dicatur primum: igitur Angelus immediatione virtutis, & ſuppoſiti non tranſivit de extremo ad extremum ſine medio. Prob. Conſeq. nam eius ſubſtantia non habuit præſentiam localem ad locum extremum, ſine eo quod prius illam habuerit ad loca intermedia; ad hoc autem ut haberet præſentiam localem ad loca intermedia, fuit neceſſe, quod fuerit in illis localiter per ſuam ſubſtantiam, & ſuppoſitum: igitur ſi Angelus per illam præſentiam de linea eſſendi fuit in locis intermedijs, ſane non tranſivit de extremo ad extremum, ſine eo quod immediate immediatione ſuppoſiti fuerit prius in locis intermedijs.

Sed vt poſſunt conieCturari, hic auctor per hoc dicit, quod poteſt Angelus per ſuã operationem tranſire immediate de extremo ad extremum ſine tranſitu per mediũ, non prætendit quod Angelus ſuam ſubſtantiam præſentem faciat locis extremis, ſine eo quod illam præſentem faciat locis intermedijs, ſed tantum vult, quod Angelus præſens illa ſua præſentia pure ſpirituali tali, vel tali loco, poſtquam hic immediate operetur, poſſit immediate operari in locis diſtantibus, ſine eo quod operetur in intermedijs, vtique per diffuſionem virtutis, ſicut anima Chriſti fuit per operationem in inferno damnatorum, non vero per immediationem ſuppoſiti. Vnde hæc ſententia non erit alia ab illa, quæ ponit Angelum eſſe in loco ratione *vbi* pure ſpiritualis, ſicut ponit Suarez ſupra à nobis impugnatus.

(∴)

(?)

Vtrum

§. VI.

Vtrùm motus Angeli per ſpatium poſsit fieri in inſtanti?

807 VIDIMVS Angelum poſſe moveri motu continuo, & diſcreto illo tranſeundo per medium, non vero illo. Reſtat nobis inveſtigare, an prædictus motus Angelicus poſsit fieri in inſtanti? Et quidem nomine motus intelligimus motū ſtrictè dictum, ſive continuum, ſive diſcretū à ſimplici mutatione diſtinctum; eo quod hæc tantum ſit ſimplex adquiſitio loci ſine poſitiva deſertione alterius; ille vero eſt inter duos terminos poſitivos, quorum vnus poſitive deſeritur, & alter poſitive adquiritur: nomine etiam inſtantis intelligimus operationem Angelicam, quæ ſolum durat per inſtans noſtri temporis. Et quidem in hoc puncto Suarez, Molina, & alij recentiores adhærentes in hoc Scoto, partem tenent affirmantem. Schola autem Thomiſtica negat cum ſuo Auctore hic art. 3.

Sit Concluſio. Motus Angelicus ſive ſit continuus, ſive ſit diſcretus, nequit fieri in inſtanti. Sic D. Thom. loco citato illis verbis: *Relinquitur ergo quod motus Angeli ſit in tempore, in continuo quidem tempore, ſi ſit continuus: in non continuo autem, ſi non ſit continuus:* Idem docet in primo diſt. 37. q. 4. art. 3. & in 4. diſt. 44. q. 2. artic. 3. q. 3. & quodlib. 11. art. 4. Nec valet dicere, ſolum velle D. Thom. motum Angelicum non fieri in inſtanti temporis noſtri, non vero, quod non fiat in inſtanti Angelici temporis: Non (inquam) valet. Nam D. Tho. hic in art. 3. advertit, quod tempus illud, quo menſurantur motus Angelici, ſive continuum ſit; ſive diſcretum, eſt diſtinctum à tempore noſtro, quia non dependet à motu cœli: ergo loquitur in adducta reſolutione de inſtantibus temporis Angelici.

808 Ratione Prob. Concluſio. Nam motus Angelicus diſtinctus à ſimplici mutatione neceſſario requirit conſtare ſaltem ex duabus mutationibus ſibi invicē realiter ſuccedentibus, quarum altera vltimo ſit in termino *à quo* deſerendo illum, & altera primò ſit in termino *ad quem* adquirendo illum: ergo neceſſario requirit duo inſtantia Angelica ſibi realiter ſuccedentia, quorum altero menſuretur deſitio termini *a quo*, & altero adquiſitio termini *ad quem*. Patet Conſeq. nam cuilibet mutationi Angelicæ debet correſpondere ſuum inſtans Angelicum tanquam illius menſura: ergo ſi motus Angelicus requirit conſtare ex duabus mutationibus Angelicis realiter ſibi ſuccedentibus, requiret, neceſſario fieri ſaltim in duobus inſtantibus Angelicis. Dices; quod cum inſtans Angelicū poſsit correſpondere pluribus inſtantibus noſtri temporis, poterit Angelus in vno inſtanti Angelico vltimo eſſe in termino *à quo*, per correſpondentiam ad vnum inſtans noſtri temporis, & primo eſſe in termino *ad quem* per correſpondentiam ad aliud inſtans noſtri temporis. Sed contra hoc eſt, nam mutationes, ex quibus conſtat motus Angelicus, ſibi realiter ſuccedunt ſucceſsione menſurata, non tempore noſtro: ergo tempore Angelico: ergo requirunt varia inſtantia Angelica, & non ſufficit correſpondentia ad diſtinctá inſtantia noſtri temporis. Patet Conſeq. quia omne tempus Angelicum requirit ſaltim conſtare ex pluribus inſtantibus Angelicis.

809 Prob. ſecundo ratione, qua D. Thom. evertit fundamentum auctorum oppoſitæ ſententiæ, quod eſt tale. Dicunt enim, quod Angelus quieſcit in tempore in termino *à quo*, & quod in inſtanti terminativo talis temporis ſimpliciter movetur adquirendo terminum *ad quem*. Quod D. Thom. impugnat ſic: Nam impoſsibile eſt, quod aliquod ens quieſcat in tempore, & quod aliter ſe habeat in inſtanti terminativo talis temporis: ergo impoſsibile erit, quod aliquod ens quieſcat in tempore, & quod moveatur in inſtanti terminativo talis temporis. Patet Conſ. quia moveri eſt aliter ſe habere nunc, ac prius. Antec. autē Prob. de ratione quietis eſt quod quieſcens eodem prorſus modo ſe habeat nunc, ac prius, & ideo oportet (inquit D. Thom.) *quod in quolibet nunc ſpectante ad tempus, in quo habetur quies; quieſcens eodem prorſus modo ſe habeat*; ſed inſtans terminativum temporis per ſe ſpectat ad tempus, quod terminatur per illud: ergo oportet quod quieſcens in tempore, eodem prorſus modo ſe habeat in inſtanti terminativo temporis, quo ſe habebat in tempore: ergo impoſsibile eſt, quod quieſcat in tempore, & quod aliter ſe habeat in inſtanti terminativo temporis.

Secundo prob. eadem propoſitio. Nam quia de ratione motus eſt, quod id, quod movetur, aliter ſe habeat nunc, ac prius in quolibet nunc temporis menſurantis mo-

tum

Digitized by Google

tum mobile ſe habet in alia, & alia diſpoſitione: vnde oportet, quod in vltimo nunc habeat formam, quam prius non habebat: ergo ſimiliter, quia de ratione quietis eſt, quod quieſcens eodem prorſus modo ſe habeat nunc, ac antea, impoſſibile erit, quod quieſcens in tempore aliter ſe habeat in inſtanti terminativo temporis.

Dices, quietem poſſe finiri in tempore, cumque inſtans terminativum ſit extra tempus, in inſtanti terminativo poterit quieſcens antea moveri per adquiſitionem ſubitaneam alicuius formæ: vnde illa maxima, quieſcens in tempore debet eodem modo ſe habere in omni nunc temporis, tantum habebit verum de inſtantibus continuativis temporis, non vero de inſtanti terminativo. Sed contra hoc eſt, nam ſicut in motu datur fieri motus, quod menſuratur tempore, & factum eſſe motus, quod eſt mutatum eſſe menſuratum inſtanti terminativo motus: ita in quiete debet dari fieri quietis, quod menſuratur tempore, & factum eſſe quietis, quod menſuratur inſtanti terminativo quietis: ergo ſicut in inſtanti terminativo motus aliter ſe habet mobile, ac antea; ita in inſtanti terminativo quietis eodem prorſus modo ſe habebit quieſcens, ac antea ſe habebat: ergo non poterit in illo aliter ſe habere; ac per conſequens non poterit in dicto inſtanti moveri. Præterea, inſtans terminativum temporis menſurantis quietem vere ſpectat ad dictum tempus tanquam terminativum illius: ergo ex parte quietis, quæ tempore menſuratur, debet neceſſario correſpondere aliquod indiviſibile terminans quietem, quod eſt factum eſſe quietis: ergo in illo nequibit quieſcens in tempore aliter ſe habere: ſicut in motu nequit mobile in inſtanti terminativo eodem prorſus modo ſe habere, quo antea ſe habebat: intelligenda eſt ergo illa maxima non ſolum de inſtantibus continuativis quietis, ſed etiam de inſtanti terminativo illius.

§. VII.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

810 PRIMO Arguitur. Motus Angeli diſcretus ſolum conſiſtit in prima adquiſitione novi loci; ſed hæc fit in inſtanti: ergo motus diſcretus fit in inſtanti. Conſeq. eſt bona, Min. certa, & Mai. Prob. nam Angelus in primo inſtanti, in quo tantum vltimo relinquit priſtinum locum, quieſcit, & non movetur, quia vere eſt tunc vbi antea erat, per quod quies in loco diffinitur: ergo ſolum movetur in inſtanti ſubſequenti, in quo tãtum novum locum adquirit. Ad hoc, nego Mai. ad prob. diſt. Antec. quieſcit, & non movetur, per adquiſitionem completam novi loci, conc. Antec. quieſcit, & nõ movetur initiative, nego Ant. & Conſeq. Itaque in illo primo inſtanti Angelus vltimo quieſcit, & deſerit locum, vt in inſtanti ſubſequenti ſit in alio loco, & ſic motus diſcretus Angeli incipit à primo inſtanti, & finitur in ſecundo; in quo ſub novo loco ponitur, & conſtat ex illis duobus inſtantibus tanquam ex partibus, eo modo, quo numerus binarius conſtat ex duabus vnitatibus, ex prima, quæ initiat numerum, & ex ſecunda, quæ vltimate terminat.

Sed contra hoc eſt. Nam ſi motus diſcretus Angeli incipit tanquam ex prima parte in illo primo inſtanti, ſequitur, quod Angelus, qui in illo moveri incipit, aliter ſe habeat tunc, ac antea; hoc autem admittendum non eſt: ergo. Prob. Mai. nam de conceptu intrinſeco motus eſt, quod mobile in quacumque parte motus ſit, aliter ſe habeat, ac antea ſe habuit: ergo ſi Angelus incipit moveri in illo primo inſtanti, ſequitur, quod in illo aliter ſe habeat ac prius. Min. etiam ſic Probo. Nam in probatione noſtræ concluſionis diximus, quod Angelus quieſcens in aliquo tempore nequit aliter ſe habere in inſtanti terminativo talis temporis: ergo cum Angelus quieviſſet in primo loco per tempus præcedens primum inſtans, in quo nos dicimus incipere motum, non poterit in illo inſtanti aliter ſe habere. Ad hoc, diſt. Mai. ſequitur quod aliter ſe habeat nunc ac antea, initiative, conc. Mai. completive per adquiſitionem novi loci, nego Mai. & nego ſimiliter Min. nam quando nos dicimus, quod quieſcens per tempus nequit in inſtanti terminativo temporis aliter ſe habere ac antea, loquimur in hoc ſenſu, videlicet, quod quieſcens per tempus nõ poteſt in tẽpore quieſcere ſub vna forma, & in inſtanti terminativo temporis eſſe ſub alia de novo adquiſita: non vero negavimus poſſe aliter ſe habere tantũ initiative, id eſt, apponendo in illo inſtanti aliquod per ſe requiſitum ad hoc, vt in inſtanti ſequenti completive aliter ſe habeat.

Sed

Digitized by Google

Sed inſtas, nam Angelum in illo inſtāti initiare motum eſt formaliter aliter ſe habere ac antea: ergo nequit cōvenire Angelo in inſtanti terminativo temporis mēſurātis quietem eiuſdem Angeli. Antec. patet, nam antea nempe in tempore præcedenti Angelus non initiabat motum, in inſtanti autem terminativo incipit moveri: ergo aliter ſe habet formaliter in inſtanti terminativo temporis menſurantis quietē, ac ſe habebat in tempore. Ad hoc, diſt. Ant. eſt formaliter aliter ſe habere ac antea, per adquiſitionem novi loci, nego Antec. per hoc quod eſt vltimo eſſe in primo loco, ſub quo in tempore vltimo non erat, Conced. Ant. & nego Conſ. Itaque, quieſcens in aliquo tēpore non poteſt excludere hoc quod eſt aliter ſe habere in inſtanti terminativo illius temporis, quomodocumque capiatur ly *aliter ſe habere in inſtāti terminativo illius temporis*. Nam nullus negare poteſt, quod dum vltimo quieſcit in illo inſtanti terminativo, & in tempore præcedenti non vltimo quieſcebat, quieſcēs aliter ſe habeat aliquo modo, ſiquidem vltimo quieſcere, & non vltimo quieſcere diverſa ſunt: quod autem excluditur tantum eſt, aliter ſe habere, per adquiſitionem novi loci; hoc enim totaliter opponitur quieti: initiat ergo Angelus motum localem diſcretum per hoc quod in primo inſtanti vltimo eſt in primo loco deſignando eſſe in illo per vltimum ſui eſſe, cum habitudine, vt in ſequenti inſtanti ſit in hoc diſtincto à primo, & ſic motus diſcretus conſtat tanquā ex partibus ex vltima quiete in primo loco, & nova adquiſitione alterius loci: vnde bene poteſt Angelus in illo inſtanti terminativo temporis menſurantis quietē initiare ſuum motū localem diſcretum.

811 Secundo arguitur, Angelus non movetur in vtroque inſtanti, in quorū altero vltimo eſt in primo loco, & in altero eſt in novo loco: ergo tantum movetur in inſtanti, in quo adquirit novum locum. Prob. Ant. illa duo inſtantia non ſunt ſimul, ſed ſucceſſivè ſe habent: ergo motus diſcretus Angeli nequit conſiſtere in vtroque inſtanti collectivè. Prob. Conſeq. nam collectio vtriuſque inſtantis requirit ſimultaneam exiſtentiam vtriuſque, neque enim poteſt fieri collectio ex eo quod exiſtit, & ex eo quod non exiſtit; alias talis collectio non eſſet realis; ſiquidē altera eius pars nō eſſet ſub exiſtētia reali. Confir. hoc, aliquādo verificatur de Angelo quod moveatur; at nunquam verificatur de Ipſo, quod ſit ſub vtroque inſtanti, nam quādo eſt ſub primo non eſt ſub ſecundo, quādo eſt ſub ſecundo, non eſt ſub primo, ergo Angeli motus nequit conſiſtere in vtroque inſtanti.

Ad hoc, nego Ant. ad Prob. nego Conſ. ad Prob. nego Ant. illa enim non eſt collectio permanens, ſed ſucceſſiva, & ſic non oportet, quod partes eius ſimul exiſtant, ſed ſufficit, ſi altera primo extiterit, & altera illi realiter ſuccedat; nec per hoc amittit eſſe collectionis realis, ſed tantum amittit eſſe collectionis realis permanentis; nam ad collectionem realem ſufficit, quod partes ſint ſub exiſtentia reali, ſi fuerit permanens ſub ſimultanea exiſtētia reali, ſi fuerit ſucceſſiva ſub exiſtentia partium ſucceſſiva: neque enim eſt collectio tantum ex his, quæ ſunt, ſed ex eo quod eſt, & ex illo quod immediate antea fuit. Ad Confir. diſt. Min. nunquam verificatur quod ſit ſub vtroque inſtanti ſucceſſive, nego Min. ſimul, conc. Min. & nego Conſ. Itaque ad verificandū de Angelo quod moveatur, non requiritur, quod aliquando fuerit ſub termino *à quo*, & *ad quem*, cum ſimultanea poſſeſſione vtriuſque termini, ſed ſufficit verificari de illo, quod in inſtanti præterito vltimo fuerit ſub termino *à quo*, & in inſtanti præſenti primo ſit ſub termino *ad quem*. Nam in illa ſucceſſione conſiſtit motus diſcretus, & pariter tempus diſcretum, quod eſt menſura motus diſcreti.

Inſtabis, nunquam verificatur eſſe tempus diſcretum: ergo nunquam verificabitur Angelum moveri actualiter. Conſeq. eſt bona, & Antec. Prob. tempus diſcretum requirit duo inſtantia; at nunquam duo inſtantia ſibi mutuo coexiſtere verificatur: ergo nunquam verificatur eſſe tempus diſcretum. Ad hoc, diſt. Antec. ſi ly *nunquam* neget tempus, & inſtans temporis, nego Antec. ſi neget tantum inſtans, conc. Antec. & diſt. Conſeq. nunquam, &c. id eſt pro nullo inſtanti diviſive ſumpto, conc. Conſeq. prout ly *nunquam* excludit tempus, & inſtans temporis, nego Conſeq. Itaque dum mobile eſt in termino *à quo* non verificatur quod ſit tempus diſcretum, neque ſimiliter dum eſt in termino *ad quem*, ſed verificatur ad eſſe tempus diſcretum in illa reali ſucceſſione, qua ſibi realiter ſuccedunt illæ duæ mutationes, quarum altera mobile relinquit terminum *à quo*, & altera adquirit terminum *ad quem*.

Digitized by Google

eſſe motus, quia ante illud deſtruitur lignum, & ſic deſtruitur alteratio, quæ ſubiectabatur in illo, & ſic inſtans terminativum menſurat tantum ſimplicē mutationē, qua materia movetur ad formam ignis; ſic etiā de quiete philoſophari poteſt, quod ſi deſtrueretur ad deſtructionem ſubiecti, in quo eſt, ante inſtans terminativum non oporteret illi conſignare inſtans terminativū mēſurans factum eſſe quietis. Verùm quia in noſtro caſu, Angelus perſeveret vſq; ad motum, oportet illi quieti conſignari inſtans terminativum illius menſurans factum eſſe quietis.

Ad quartam, nego Conſ. quia dum Angelus ſemper manet in eodem loco, in quo erat antea, non amittit quietem, quā habebat; vnde non oportet, quod ſint duæ mutationes, quarum altera relinquat terminum *à quo*, & altera adquirat terminū *ad quem*; vnde ſimplici tantum mutatione poteſt adquirere omnes alias partes ſui loci adæquati. Et ad id, quod dicitur, quod dum adquirit alia loca in inſtanti terminativo horæ, aliter ſe habet ac antea: Reſp. quod non ſe habet aliter in linea quietis, quæ opponitur motui locali, ſed tantum in linea quietis, quæ conſiſtebat in eo, quod in tempore horæ non fuerat in alijs partibus ſui loci adæquati, quod non eſt inconveniens. Itaque Angelus exiſtens per horā in parte loci adæquati, tantū duplicē quietem habet; alteram oppoſitam motui locali, ad quem requiritur quod relinquatur primus locus, & adquiratur alius; & quantum ad iſtā quietē, Angelus etiam in inſtāti terminativo horæ, eodē modo ſe habet, quo antea, ſiquidem ſemper cōſervat primum locum, alteram quietem habet, quę conſiſtit in eo, quod per tempus horæ non fuerit in alijs partibus ſui loci adæquati, & quantum ad iſtā, quæ impropriſſimè quies dicitur, in inſtanti terminativo horæ aliter ſe habet; dum tunc adquirit locū, quē antea non habebat, ſed de hac quiete nō fit ſermo in ratione D. Tho. ſed de prima, & ſic non eſt inconveniens, quod quieſcens in tempore, in fine temporis aliter ſe habeat.

Vel ſecundo dicatur ad quartā negando Ant. Etenim non iudico poſsibile, quod Angelus toto tempore horę quieſcat in vna parte loci adæquati, & in inſtanti terminativo horæ moveatur. Etenim, dum erat in prædicto loco, non ſolum quieſcebat, ſed quieſcebat tantum in vna parte loci, quæ erat locus minor eo, quem ſimul occupare poterat: vnde requiritur quod vna mutatione relinquat non locum, quem habebat; ſed eſſe tantum in illo loco minori, & ſic requiritur alia mutatio, qua maiorem locū occupet, eo, quo antea tantū occupabat. Vnde per verum motū à minori loco ad maiorem locum fit occupatio novi loci, ſicut contingit in augmento viventis, quod verus motus eſt à minori quantitate ad maiorem: in vltimo ergo inſtanti terminativo horæ deſerit quietē in minori loco per vltimum ſui eſſe in illo, & in inſtanti ſequenti adquirit maiorem locum; ſi diſcrete moveatur: ſi verò motu cōtinuo, in tēpore ſequenti; ſic, quod vltimū inſtans horæ ſit intrinſecum deſitioni quietis in minori loco, & extrinſecum inceptioni motus adquiſitivi maioris loci.

813 Quintò arguitur, toto tēpore prolationis verborum, panis quieſcit ſub forma panis, & in vltimo inſtanti terminativo prolationis, panis tranſit in Corpus Chriſti per converſionem: igitur ratio D. Tho. efficax non eſt. Vel formetur aliter Argumentum. Converſio panis in Corpus Chriſti conſtat ex duplici mutatione, quarū altera eſt deperditiva panis, & altera adquiſitiva Corporis Xpti; & tamen fit in inſtāti: ergo eſto motus localis Angeli conſtet ex duplici mutatione, quarū altera ſit deperditiva loci præcedētis, & altera ſit adquiſitiva loci ſubſequentis, poterit fieri in inſtanti. Confir. aer toto tēpore præcedente acceſſum Solis ad noſtrum Emiſphærium quieſcit ſub tenebris, & in vltimo inſtanti illius illuminatur. Similiter, materia prima toto tempore antecedente inſtans generationis quieſcit ſub forma compoſiti corrūpendi, & in inſtanti terminativo illius eſt in termino *ad quem*; ſcilicet, ſub forma cōpoſiti de novo geniti: ergo & poterit Angelus toto tempore quieſcere in vno loco, & in inſtanti terminativo illius temporis adquirere novum locum.

Ad hoc Argumentum, conceſſo Antecedēti pro vtraque parte, nego Conſ. Nā ratio D. Th. ſolum procedit attentis naturis rerum, quæ quieſcunt, & moventur; nō autem attentis miraculis, & portentis, quæ Deus poteſt facere de plenitudine poteſtatis nullis legibus alligatus: quidquid autem in Sacramento Altaris contingit, totū eſt mirabile, & ſic ratio D. Th. ibi non tenet. Et ratio quare nō teneat, eſt quia Deus ibi corrūpit panē ſine prævio motu diſpoſitive corruptivo, & introducit Corpus Xpti, vbi

Digitized by Google

erat panis per ſimplicē mutationem: vnde quies panis ſub forma panis nō eſt illa, quæ opponitur ſtricto motui, ſed ſimplici mutationi, & ſic, eſto quieſcat toto tempore prolationis, in inſtanti tamen terminativo mutatur in Chriſtum. Ad ſecundam formationem eiuſdem argumenti, nego Ant. non enim dantur ibi duæ mutationes, quarum altera ſit pure deperditiva panis, & altera ſit adquiſitio corporis Chriſti: ſi enim admittimus mutationem pure deperditivam panis, dabimus panē annihilari, quod non admittitur in Schola D. Thom. eſt ergo illa actio mutativa panis in Corpus Chriſti, quæ mutatio non eſt pure deperditiva panis, ſiquidem relinquit panē mutatum in Corpus Chriſti. Vel ſi admittantur duæ mutationes, dico, quod vtraque eſt in eodem inſtanti intrinſeco exiſtentiæ Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & extrinſeco deſitioni panis: deſinit enim in tē pore, & ſic deſinit per vltimum non eſſe, videlicet, modo non eſt panis, & immediate ante hāc erat panis; & in illo tunc eſt verum dicere, modo eſt Corpus Chriſti, & immediate ante hāc non fuit. Ad Confirm. quoad primam partem dico, quod cū tenebra non ſit forma poſitiva, ſed tantum privatio, tollitur per ſubitaneam oppoſitionem lucis, & ſic, quies ſub tenebris non opponitur ſtricto motui, ſed ſimplici mutationi: vnde ſtat bene, quod aer toto illo tempore quieſcat ſub tenebris, & in inſtanti terminativo illuminetur. Quoad ſecundam partem, nego Antec. etenim dum incipit motus alterationis, materia nō quieſcit ſub forma, quia tunc diſponitur ad amiſsionem eius: vnde non habet formam in pace, ſed incorrumpi, vnde nihil mirum ſi in inſtanti terminativo motus ſequatur in facto eſſe corruptio vnius, & alterius generatio, quæ ſunt veluti termini motus alterationis.

814 Sexto Arguitur, & probatur de motu continuo Angeli, quod poſsit fieri in inſtanti. Dum Angelus movetur continuè pertranſeundo omnia media de vno extremo ad alterum poteſt excedere ſine proportione velocitatem motus, quo corpus tranſit eodem modo idem ſpatium, ſed hic exceſſus non poteſt eſſe, niſi motus localis Angeli poſſet fieri in inſtanti: ergo. Prob. Min. nam inter quælibet duo tempora finita eſt proportio aliqua: ergo ſi velocitas motus Angeli poteſt ſine proportione excedere motum corporis, poterit fieri in inſtanti. Ad hoc, diſt. Mai. poteſt excedere ſine proportione velocitatē motus, quo corpus tranſit idem ſpatium, ſine proportione intra terminos velocitatis diviſibilis, conc. Mai. ſine proportione extra terminos velocitatis diviſibilis, nego Mai. & diſt. Min. hic exceſſus, &c. intra terminos velocitatis diviſibilis, nego Min. extra illos, tranſ. Min. & nego Conſeq. Itaque exceſſus velocitatis in tranſeundo idem ſpatium Angeli ad corpus, debet eſſe inter verum motum Angeli, & verū motum corporis, ſic, quod ſalvetur exceſſus motus ad motum: iſto enim modo ſine proportione excedit velocitas motus Angeli, motum corporis, non autem ſic, quod Angelus faciat per inſtans, quod in inſtanti fieri non poteſt; vnde ex hoc exceſſu Angeli ad corpus non ſequitur, quod ſi corpus movetur in tempore, Angelus poſsit moveri in inſtanti.

Inſtas, ſequi ex hoc, Angelum ſuperiorem non poſſe velocius moveri, quam inferiorem; Conſeq. non videtur poſſe admitti: ergo. Prob. Sequela, Angelus inferior poteſt moveri in quacumque velocitate ſignabili diviſibili, ſed non in inſtanti; at Angelus ſupremus amplius hoc non poteſt, cum ad motum eius indiſpenſabiliter requiratur temporis mora, & non ſufficiat inſtans: igitur Angelus ſuperior non poterit velocius moveri, quā inferior. Ad hoc, conceditur ſequela, & negatur Minor, ſicut enim non eſt inconveniens quod omnes Angeli ſint eiuſdem durationis infinitæ ſyncathegorematicè, ita non eſt inconveniens quod omnes Angeli ſint eiuſdem prorſus velocitatis in movendo ſe motu per ſe; loquendo autem de motu per accidens, poſſunt non eſſe eiuſdem velocitatis, quia poteſt contingere, quod corpus pro pondere magnitudinis ſuæ ægre moveatur ab Angelo inferiori; & faciliter moveatur à ſuperiori. Vnde Angelus, qui movetur per accidens ad motum corporis, poterit, ſi ſuperioris naturæ ſit, velocius moveri Angelo inferiori: vnde cum cœlū ſuperius maiori cum velocitate moveatur, quam inferius, requirit ad ſuum motum, ſuperiorem intelligentiam, quam inferius.

(?.)

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO VII.

De quidditate cognitionis Angelicæ.

CONSIDERATIS his, quæ ad ſubſtantiam Angeli pertinent, procedendũ eſt ad cognitionẽ ipſius. Circa quod multa ſunt conſideranda, & per diſtinctos paragraphos diſtinctè examinanda.

§. I.

Vtrùm intelligere Angeli ſit eius ſubſtantia?

815 CENSERE Aliqui ex antiquis Philoſophis cum Averroe 12. Metaph. Commẽto 25. in ſubſtantijs omnino immaterialibus, quales ſunt Angeli, nullum accidens reperiri. Contra quos directe, vt pugnet, hoc quæſitum propoſuit D. Thom. Sic Caietanus advertit hic, & quidem benè, nam ſi in Angelo nullum eſt accidens, omnia, quæ ſunt in ipſo, erunt eius eſſentia, & ſic erunt eius ſubſtantia: vnde ſatis directe cõtra illos procedit quæſitum, in quo inquiritur, vtrũ intelligere Angeli ſit eius ſubſtantia? Durandus in 2. diſt. 3. q. 5. ad 1. etiã tenet, quod loquendo de intellectione; qua Angelus neceſſario ſe ipſum cognoſcit, non diſtinguatur realiter ab eius ſubſtantia. Cõtra quos omnes, communis eſt Theologorũ ſententia diſtinguens realiter intelligere Angeli ab eius ſubſtantia, ſeu eſſentia.

Vnde ſit Concluſio. Intelligere Angeli non eſt ipſa ſubſtantia Angeli, nec actio cuiuſcumque creaturæ poteſt eſſe eius ſubſtantia. Prob. D. Thom. hoc. Primò ſupponẽdo, quod actio eſt vera, & propria actualitas virtutis operativæ, ſicut & exiſtentia eſt propria actualitas eſſentiæ. Hoc ſuppoſito, argumentatur ſic; ſolus actus purus eſt ſua actualitas; ſolus Deus eſt actus purus: ergo ſolus Deus eſt ſua actualitas: ergo ſolus Deus eſt ſuũ agere, quod eſt propria actualitas virtutis operativæ: cum ergo Angelus non ſit Deus, non erit ſuũ agere, ac per cõſequens non erit ſuum intelligere. Mai. diſcurſus oſtendit Angelicus Doctor ſic, nam actualitas potentialitati repugnat: ergo impoſsibile eſt, quod aliquid potentialitati admixtũ ſua actualitas ſit: ergo ſolus actus purus ſua actualitas erit.

Ratio iſta efficaciſsima eſt: Sed propoſitiones, quæ in ea ſunt, & vis illativa diligẽti examine indigẽt. Et quidẽ Maior, *Solus actus purus eſt ſua actualitas*, videtur falſa, imò in terminis implicans; nam hæc exponens, *actus purus eſt ſua actualitas*, videtur ſignificare, quod actus purus à ſe ipſo actuetur, & cum omne id, quod actuatur, ſit potentia ad actum actuantẽ; ſi actus purus actuatur, erit actus purus, & non erit actus purus; actus purus, quia ſupponitur, & non actus purus, quia actuatur à ſe ipſo; & omne, quod actuatur eſt in potentia ad actuantem. Deinde illa propoſitio, quam D. Thom. ſupponit, *actio eſt actualitas virtutis*, aut eſt vera ex conceptu communi actionis, & virtutis; aut eſt tantum vera in aliqua ſpecie virtutis, & actionis; nempe creaturæ. Si primum: ergo verificatur de Deo, quod actio divina eſt actualitas virtutis divinæ, & ſic virtus Dei operativa erit admixta potentialitati. Si ſecundum, nihil ex illa concluditur commune Deo, & creaturæ, ſicut Div. Thom. concludere procurat: ergo.

Deinde, iſta propoſitio *ſolus actus purus eſt ſua actualitas*, vel facit ſenſum, quod ſolus actus purus ſit ſua actio, & ſua exiſtentia; vel aliquid abſtrahens ab illis. Si primum, ſupponitur vt verũ, quod erat probandum contra Auctores oppoſitos, qui hoc negant. Si ſecundũ, illa propoſitio non erit formalis, ſed pure identica, quia actualitas abſtrahens ab omni ſpecie nihil eſt aliud, quam ipſa ratio purisſimi actus. Similiter ſecunda exponens, *nihil aliud à Deo eſt ſua actualitas*, videtur falſa, ſeu inefficaciter probata per iſtam, *actualitas potentialitati repugnat*. Nam licet in ſenſu formali vera ſit, in ſenſu tamen reali falſa eſt, nam vere dantur plures actus, qui potentialitati admixti ſunt, cum puri actus non ſint: non ergo realiter repugnat actualitas potentialitati, & ſic aliquid, quod actus purus non eſt, ſua actualitas erit.

Sed hæc non infringunt vim rationis D. Thom. Vnde ad primum, nego Ant. ad Prob. dico, quod iſta exponens *actus purus eſt ſua actualitas* facit hunc ſenſum, actus purus actuatur à ſe ipſo, non formaliter, ſed virtualiter, ſeu conditionaliter, id eſt, actus purus eſt id, à quo actuaretur, ſi actuabilis, & perfectibilis eſſet, ſicut in ſententia Philoſophi ſentientis motum cœli fuiſſe perpetuum, & nunquam incœpiſſe,

iſta eſt vera, *motus cœli incæpit ab Oriente*, quia quamvis principium de facto non habuerit, ſi tamen habuiſſet, ab Oriente incepiſſet. Sic actus purus identificat ſibi virtutem actuabilem, & actualitatem non formaliter actuantem præfatam virtutem, ſed ſolum virtualiter, ſeu conditionaliter, nec alio modo ſummam identitatem poſſunt habere virtus, & actio, ſeu actualitas propria eius in ente divino: vnde non ſequitur, quod dicta exponens implicantia involvat, nec actus purus potentialitatem dicat. Ad ſecundā dico, quod illa propoſitio *actio eſt actualitas virtutis*, ex terminis eſt vera; prout abſtrahit ab hoc, quod eſt eſſe actualitatem virtutis formaliter, & virtualiter tantum: vnde in omni ente verificatur; in Deo, loquendo de virtuali, & conditionali actuatione; in creaturis loquendo de actuatione formali: vnde in creaturis importabit potentialitatem, non in Deo, & ſic poterit bene concludi, quod Deus eſt ſua actualitas abſque vlla fæce potentialitatis.

Ad tertiam dico, quod illa propoſitio *ſolus Deus eſt ſua actualitas* facit ſenſum, quod eſt ſua actualitas tam in linea eſſendi, quam in linea operandi, nec ex hoc ſequitur, quod in illa propoſitione ſupponatur id, quod debebat probari: nā licet actus purus, & Deus ſint in re idem; non tamen ſignificant idem ſecundū idem: vnde ſyllogiſmus eſt formalis: *Solus actus purus eſt ſua actualitas; ſolus Deus eſt actus purus; ergo ſolus Deus eſt ſua actualitas, vel ſua actio.* Ad quartam, nego quod illa exponens non ſit efficaciter probata per iſtā propoſitionem, *actualitas potentialitati repugnat*, quia licet aliquid reſpectu diverſorū poſſit eſſe potentialitas, & actualitas; tamen enti admixto potētialitati repugnat eſſe ſui actualitatem, id eſt, repugnat formaliter à ſe ipſo actuari: vnde requiritur neceſſario, quod id, quod eſt ſua actualitas omni fæce potentialitatis careat, & ſic convincitur, quod ſolus actus purus ſua actualitas ſit.

816 Sed contra hanc doctrinam inſtabis ſic, nam non repugnat quod aliquid creatum ſit ſua actualitas, id eſt, ſit id, à quo realiter formaliter actuaretur, ſi ab ipſo diſtingueretur realiter: ergo nulla ſolutio. Prob. Ant. non repugnat, quod id, quod eſt ſpecies impreſſa reſpectu alicuius obiecti, ſit ſpecies impreſſa ad ſui cognitionē: nam poſtquā aliquis cognovit aliquid obiectū, dum reflexe cognoſcit ſe cognoſcere, cognoſcit ſpeciem ſuam ſine altera ſpecie, ſeu per ipſammet, qua cognovit obiectū: ergo illa ſpecies eſt ſua actualitas. Præterea, materia, & forma ſe ipſis ſunt vnio, qua inter ſe per modum actus, & potentiæ vniuntur: ergo in linea vnibilium ſunt ſua actualitas; exiſtentia etiam licet ſit actualitas, qua compoſitum ponitur extra cauſas; tamen ſe ipſa intranſitivè extra cauſas ponitur: ergo eſt ſua actualitas, & tamen omnia iſta potentialia ſunt: ergo ſtat bene, quod aliquid admixtum potentialitati reſpectū ſui ipſius ſua actualitas ſit.

Ad hoc, nego Ant. ad Prob. conc. Ant. diſt. Conſ. ergo illa ſpecies eſt ſua actualitas, quæ per ſe ſit actualitas, nego Conſeq. quæ per accidens tantum eſt actualitas, tranſ. Conſeq. Itaque obiectum aliquod non requirit per ſe actualitatem ſpeciei ad ad ſui cognitionem, ſed ſolum peraccidens, in quantum ſe ipſo nequit vniri intellectui; vnde ſi contingat, quod aliquod cognoſcibile ſe ipſo ſit vnitum intellectui, nulla ratione indigebit ad ſui intellectionem ſpecie ab ipſo diſtincta, cum ergo reſpectivè ad cognitionem reflexam, qua cognoſcitur ſpecies impreſſa, iam ipſa præſupponatur vnita intellectui, eſt ſui actualitas, non ea, quæ per ſe actualitas ſit reſpectu alicuius potentialis, ſed quæ peraccidens actualitas eſt: vnde nihil probatur contra rationem D. Tho. quæ tantum dicit, quod nihil potentialitati admixtum poteſt eſſe ſua actualitas, nam D. Thom. loquitur de illo, quod per ſe eſt actus reſpectu propriæ potentiæ.

Ad ſecundam Prob. dico, quod ſententia, quæ ponit materiam, & formam, poſita ſola actione vnitiva, ſe ipſis vniri, non ponit vnibilitatem, quæ ſit potentia ad aliquem actum intrinſecum, nam non cognoſcit vnibilitatem ſubiectivam, ſed purè terminativam actionis vnitivæ: vnde hæc ſententia non ponit materiam, & formam eſſe in linea vnibilium ſuam vltimam actualitatem intrinſecam, quia hanc dari negat ſententia, & tantum admittit actualitatem extrinſecam actionis cum qua tamen materiam, & formam non identificat.

Ad exemplum de exiſtentia, nego Antec. exiſtentia enim non eſt ſua actualitas, ſed tantū eſt actualitas cōpoſiti, quod ſolum *vt quod* exiſtit, ipſa vero exiſtentia non exiſtit *vt quod*, ſed *vt quo*, id eſt,

eſt

Digitized by Google

eſt id, quo compoſitum exiſtit: ad hoc autem, vt in linea exiſtendi eſſet ſua actualitas, deberet ſe ipſa exiſtere *vt quod*.

§. II.

Examinatur alia ratio, qua ſpecialiter probatur Angelum non eſſe ſuum intelligere.

817 PROBAVIT Secundo ſpecialiter D. Thom. quod intelligere Angeli non ſit eius ſubſtantia hac ratione. Si intelligere Angeli eſſet eius ſubſtantia, oporteret, quod intelligere Angeli eſſet ſubſiſtens; hoc autem neqit eſſe verum: ergo. Prob. Min. nam ſi intelligere Angeli eſſet ſubſiſtens, non poſſet eſſe niſi vnum, ſicut nec aliquod abſtractum ſubſiſtens poteſt eſſe niſi vnum: vnde Angeli ſubſtantia non diſtingueretur neque à ſubſtantia Dei, quæ eſt ipſum intelligere ſubſiſtens, neque à ſubſtantia alterius Angeli. Secundo, ſi ipſe Angelus eſſet ſuum intelligere, non poſſent eſſe gradus in intelligendo perfectiùs, & minus perfectè; hoc autem non eſt admittendum: ergo. Probatur Mai. nam iſta diverſitas graduum in intelligendo oritur ex hoc, quod intelligere ſubſiſtens ſecundum magis, & minus participatur; hæc autem maior, & minor participatio non poſſet dari, ſi Angelus eſſet ipſum intelligere ſubſiſtens, nam hoc ex terminis ambit totam perfectionem intellectionis: ergo.

Hæc ratio efficaciſsima eſt. Sed etiam indiget exacto examine. Et quidem eſto certum ſit, quod ſi intelligere Angeli eſſet eius ſubſtantia, intelligere Angeli eſſet ſubſiſtens; non tamen ſequitur, quod intelligere Angeli eſſet tantum vnum, ſic, quod non darentur plures intellectiones Angelicæ, quamvis non in vno Angelo, in diverſis tamen Angelis: non ergo efficax eſt ratio adducta. Prob. Ant. quoad ſecundam partem, nam illud intelligere eſſet ſubſiſtens illa ſubſiſtentia, qua ſubſiſteret ſubſtantia, cum qua identificaretur; at illa non ſic ſubſiſtit, quod non dentur plures Angeli ſubſiſtentes: ergo & intelligere non ſic ſubſiſteret, quod non darentur plura intelligere ſubſiſtentia Angelica. Explicatur hoc, aliquid eſſe ſubſiſtens, dupliciter contingit, vel abſolutè, & ſimpliciter, ſicut ſubſtantiæ Angelicæ ſeparatæ omnino à materia ſubſiſtunt; vel ſubſiſtere in ſe ipſo, ſic, quod id, quod ſubſiſtit, ſua ſubſiſtentia ſit, ſicut ſubſiſtit Deus in ſe ipſo: quod ſecundo modo ſubſiſtit, verum eſt, quod eſt vnum in ſpecie, & numero, ſic, quod multiplicari non poſsit; quod vero primo modo tantum per ſe ſubſiſtit; illud, quamvis intra ſuam ſpeciem non permittat aliud, permittit tamen plura alia intra idem genus, vt patet in Angelis: ſi ergo intelligere Angeli eſſet ipſa ſubſtantia Angeli, primo tantum modo ſubſiſteret, ſed non ſecundo: ergo licet intra eandem ſpeciem non daretur niſi vnum Angelicum intelligere, poſſent tamen dari plura intelligere diverſarum ſpecierum.

Confir. ſeu magis explicatur, & ſupponamus, quod intelligere Gabrielis ſit ipſa ſubſtantia Gabrielis, & ſubſiſtat ipſa ſubſiſtentia, qua ſubſiſtit Gabriel, tunc illud ſubſiſtere non conveniret intelligere Gabrielis ex ipſa ratione communi intellectionis, ſed tantum ex ipſa ratione ſpecifica, nempe, quià intelligere Gabrielis: ergo poſſent dari extra ſpeciem Gabrielis alia plura intelligere. Prob. Conſeq. hoc ſimili, ſi daretur albedo per ſe ſubſiſtens, quamvis non poſſent dari plures albedines, non tamen tolleretur, quin darentur alij colores, quia illud per ſe ſubſiſtere nõ conveniret colori vt ſic, ſed ſolum ſpeciei determinatæ coloris; ſed etiam ſubſiſtere nõ conveniret intelligere Gabrielis ex ratione communi intellectionis, ſed ſolum ex ratione ſpecifica: ergo non auferrentur alia plura intelligere extra ſpeciem Gabrielis.

Sed hæc quamvis difficilia ſint, non tamen efficaciam rationis D. Thom. enervant. Vnde ad primum, nego Ant. ad Prob. diſt. Min. illa non ſic ſubſiſtit, quod non dentur plures Angeli ſubſiſtentes, de facto, conc. Min. in hypotheſi, quod eſſet ſuum intelligere, nego Min. & Conſ. Itaque de ſubſtantia Angelica dupliciter loqui poſſumus, vel de illa, vti de facto ſolum eſt quædam vis radicaliter intellectiva proxime potens intelligere per aliquid à ſe realiter diſtinctũ, & per intellectionẽ, quę accidens eſt, à virtute proxima, & radicali realiter diſtinctũ; vel poſſumus loqui de ſubſtantia Angelica in hypotheſi, quod eſſet ſuũ intelligere. Primò modo loquendo, ſubſtãtia Angelica, quamvis ſubſiſtens ſit, plures alios Angelos ſubſiſtere ſinit, quia cũ ſolũ ſit intellectiva per modũ actus primi, eſt realiter perfectibilis per potẽtias, actus, & obiecta,

& ſic limitatur; quod plurificationẽ Angelorum intra idem genus permittat, ſeu non tollat: in hypotheſi autem quod ſua intellectio ex nullo capite perfectibilis eſſet, & ſic eſſet illimitata, & infinita, atque adeo ſubſiſteret in ipſa plenitudine eſſendi, & intelligendi, & ſic non eſſet locus, vt darentur alij Angeli in diſtinctis ſpeciebus, ſicut ex hoc quod Deus eſt ſua intellectio, non permittitur, quod ſint plures Dij: ſi ergo intellectio eſſet ipſa ſubſtantia Angeli intelligentis, Angelus intelligens eſſet ſuum intelligere, & ſic nullam habere poſſet limitationem: vnde tantum poſſet eſſe vnum intelligere ſubſiſtens. Ad explicationem dico, quod ſi daretur intelligere ſubſiſtens per ſe, non ſolum daretur ſubſiſtens ſimpliciter, ſed etiam ſubſiſtens in ſe, & à ſe, ſic, quod eſſet ipſa propria ſubſiſtentia, & exiſtentia abſque aliqua limitatione, neque poſſet illa ſubſtantia eſſe ſuum intelligere, ſi non eſſet ſuum exiſtere, nec poſſet eſſe ſuum exiſtere, quin eſſet ſuum ſubſiſtere: vnde de primo ad vltimum illa ſubſtantia, quæ eſſet ſuum intelligere, ſubſiſteret in ſe, per ſe, & à ſe abſque aliqua diſtinctione inter ſubſiſtentiam, & intellectionem, quæ ſubſiſteret, & ſic eſſet tantum vnum Angelicum, imò & diuinum intelligere.

Ad Confirm. dico, quod ſi Gabriel eſſet ſua intellectio, tunc intellectio Gabrielis ſubſiſteret ipſa ſubſiſtentia Gabrielis; ſed tunc Gabriel non eſſet ſpecies contenta ſub aliquo genere, ſiquidem ex nullo capite limitari poſſet ad genus, vel ad ſpeciẽ; ſed eſſet Deus, & ſic intelligere Gabrielis eſſet intelligere illimitatum, & infinitum. Nec eſt idem de albedine ſubſiſtenti: hæc enim, cum ſit materialis color, limitari poſſet, non ad hoc, vt non haberet omnẽ rationem ſpecificam albedinis, ſed ad hoc, vt eſſet ſub genere; nam non eſſet ſua exiſtentia, nec ſua ſubſiſtentia: vnde daretur locus, vt alij colores intrà genus coloris multiplicari poſſent: ſubſtantia autẽ, quæ eſſet ſua intellectio, cum eſſe deberet ſua exiſtentia, & ſua ſubſiſtentia, nulla via eſſet realiter perfectibilis; & ſic eſſet ſubſtantia illimitata, & infinita ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, & intelligendi.

818 Sed iam inquiris, quare ex hoc quod illa ſubſtantia eſſet ſua operatio, deberet eſſe ſua exiſtentia, & ſua ſubſiſtentia? Reſp. eam eſſe rationẽ, nam cum linea operatiua ſupponat lineam eſſendi, implicaret contradictionem, quod aliqua ſubſtantia eſſet ſua operatio, quæ eſt vltima actualitas de linea operatiua, quin eſſet ſua vltima actualitas de linea eſſendi, & quia ſubſiſtere eſt actus primus de linea eſſendi implicaret contradictionem, quod aliqua ſubſtantia eſſet ſuum exiſtere, quin eſſet ſuum ſubſiſtere: neque enim poteſt vnum extremum eſſe alterum extremum, quin ſit ipſa intermedia per ſe coordinata inter extremum, & extremum.

Sed ex proprijs ipſius intellectionis poſſumus hoc ipſum colligere. Si enim intelligere eſſet ſubſiſtens, deberet eſſe purum intelligere, id eſt, pura actualitas abſtracta ab omni fœce limitationis, & finitudinis, & ſic deberet eſſe ſua vltima actualitas de linea eſſendi, & ſic deberet eſſe ſua exiſtentia, & ſubſiſtentia. Primum, ex quo omnia iſta inferuntur, ſic demonſtro. Etenim intelligere tantum poteſt limitari, vel ex ſubiecto, vel ex obiecto; at ſi eſſet ſubſiſtens ex nullo illo capite limitari poſſet: ergo eſſet purum, & illimitatum intelligere. Probatur Min. non limitaretur ex ſubiecto, quia cum eſſet ſubſiſtens, non haberet ſubiectum inhæſionis, ſed eſſet ipſum intelligens: vnde ſicut hoc eſſet vnum, pariter intelligere eſſet vnum; non ex obiecto ſpecificante, quia hoc vel eſſet aliquid diſtinctum ab intelligente, vel eſſet ipſum intelligens: ſi primum, eſſet impoſſibile, nam ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, & completa nequit ab extrinſeco ſpeciem capere; ſi ſecundum ipſum intelligens, vt ſpecificaret, deberet eſſe ens infinitum ſimpliciter; nam cum illa intellectio eſſet ſuus intellectus, obiectum ſpecificatiuum eius deberet eſſe ita vniuerſale, ſicut obiectum ſpecificans intellectum; hoc autem cum ſit omne ens, deberet intelligens eſſe omne ens, vt talem intellectionem ſpecificare poſſet: ergo deberet intelligens eſſe ipſe Deus; nam ſolus Deus eminenter eſt omne ens: bene ergo concluditur à D. Thom. quod ſi intelligere eſſet ſubſiſtens, eſſet tãtum vnum, & quod eſſet Deus, & quod nõ darentur plures intellectiones Angelicæ, ſed vna tantum in genere, in ſpecie, & indiuiduo.

Vtrùm

§. III.

Vtrùm intelligere Angeli ſit eius eſſe?

819 LY *Eius* non refert ly *intelligere*, ſed refert ly *Angeli*; & ſic inquiritur, vtrum eſſe, ſeu exiſtere Angeli, ſit ſuum intelligere? Communiter reſpondetur à Theologis quod non. Id probat Vazquez, quia ſubſtantia Angeli eſt ſuum exiſtere; ſed probavimus cum D. Thom. quod intelligere non ſit ipſa ſubſtantia Angeli: ergo Angeli exiſtere non eſt eius intelligere. Hæc tamen probatio nulla eſt, nam maior diſcurſus cōtra D. Thom. eſt, qui in art. 1. huius quæſt. 44. vt probat, quod ſubſtantia Angeli non ſit ſuum intelligere, ſic ad literam diſcurrit. *Actio enim eſt propria actualitas virtutis, ſicut eſſe eſt actualitas ſubſtantiæ, vel eſſentiæ; impoſſibile eſt autem quod aliquid, quod non eſt actus purus, ſed habet aliquid de potentia admixtum, ſit ſua actualitas, quia actualitas potentialitati repugnat: ſolus autem Deus eſt actus purus; vnde in ſolo Deo ſua ſubſtantia eſt ſuum eſſe, & ſuum agere:* eſt ergo contra literam D. Thom. affirmare, quod ſubſtantia Angeli ſit ſuum eſſe.

Hac ergo ratione relicta, Probatur ſententia communis ſic. Vnius Angeli eſſe eſt tantum vnum, tam ſecundum ſpeciem, quā ſecundum numerum; intelligere autē eiuſdem Angeli eſt multiplex tam ſecundū ſpeciem, quam ſecundum numerum: igitur intelligere Angeli nō eſt eius eſſe. Patet Conſeq. nam implicat idem dividi in varias ſpecies, & in varia individua, & eſſe vnum tantum individuū determinatæ ſpeciei. Dices poſſe idem ſecundum vnam rationem eſſe vnum in determinata ſpecie ſecundum vnum reſpectū, & ſecundum alios reſpectus eſſe plura ſecundum ſpeciem, & individuationem. Etenim contingit motum ſub formalitate motus eſſe vnius determinatæ ſpeciei, & individuationis; & tamen ſecundum actionem, & paſſionem eſt multiplex ſecundum ſpeciem. Item albedo eiuſdem ſpeciei, & individuationis identificat ſibi relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, quæ diverſæ ſpeciei ſunt. Item ſuperficies, & locus idem ſunt, & tamen ſuperficies eiuſdem ſemper ſpeciei eſt, cùm locus in varias dividatur ſpecies, nempe in ſurſum, deorſum, ante, retro: ergo bene poterit aliquid ſecundum vnam rationem eſſe vnius determinatæ ſpeciei, & ſecundum alias multiplicari in varias ſpecies. Sed contra hoc eſt, nam licet poſſit cōtingere, quod vna res entitative ſit vna, & ratione modorum, quos ſibi identificat, ſit multiplex, vt manifeſte conſtat ex exēplis adductis in data ſolutione, tamen non poteſt eſſe, quod vna res entitativè ſit vna, & entitative multiplicetur; ſed exiſtentia Angeli, & intelligere eius non ſunt res, & modus; ſed res, & res: ergo nequibit exiſtētia eſſe tantum vna in ſpecie, & individuo, & ſimul eſſe varias intellectiones realiter, & entitative inter ſe diſtinctas, quia tunc eſſet vna tantum res, & ſimul eſſe res multiplex.

820 Dices, quod ſi intelligere Angeli eſſet eius exiſtentia, tunc non multiplicaretur entitative, ſed tantum obiective, ita vt ſicut Angelus vna exiſtentia adæquate exiſtit, ita vnica intellectione adęquate intelligeret omnia obiecta, quæ poteſt intelligere. Sed contra eſt, nam implicat, quod vna intellectio creata, qualis eſt Angelica attingat omnia obiecta, quæ poteſt intelligere Angelus: ergo nulla ſolutio. Probat. Antec. Angelus intelligit obiecta naturalia, & ſupernaturalia, imò & Deum intelligēdo, videt; ſed implicat eandem intellectionem creatam ad hæc omnia ſe extendere: ergo. Prob. Min. intellectio obiecti naturalis eſt entitative naturalis, intellectio obiecti ſupernaturalis eſt entitative ſupernaturalis, viſio beata eſt participativè divina: hæc autem omnia repugnāt eidem intellectioni convenire, ſicut & repugnat eādem entitatem eſſe naturalem, ſupernaturalem, & participative divinam: ergo implicat eandem intellectionē entitative eādem poſſe attingere omnia obiecta, quæ poteſt Angelus intelligere.

Et ſi dicas, eandem potentiam Angelicā poſſe intelligere omnia obiecta, quæ Angelus poteſt agnoſcere: ergo & poterit eadem Intellectio Angelica eadē pariter omnia attingere. In contra eſt, nam ideò vna potētia intellectiva poteſt omnia illa attingere, quia ſpecificatur ab ente vt ſic, ſub quo omnia dicta obiecta cōtinentur, actus autem intellectionis nō ſpecificatur ab ente vt ſic, ſed ab ente vt contracto ad hoc, vel illud, nempe naturale, vel ſupernaturale. Inſuper potentia intellectiva poteſt ſuſcipere augmentum virtutis per diſtincta comprincipia tam naturalia, quam ſupernaturalia, & ſic poteſt elicere actus naturales ratione comprincipij naturalis, & actus

ſu-

ſupernaturales ratione coprincipij ſupernaturalis; atque adeo vna cum ſit, poteſt attingere omnia obiecta, quæ Angelus poteſt intelligere: cæterum actus idem, & indiviſibilis nequit ſuſcipere augmētum, vel elevationem per aliquod principium, vel per alium actum, & ſic erit neceſſarium, quod ad multiplicationem obiectorū primariò inſpectorum ab ipſo, entitative multiplicetur actus.

Ex his conſtat, quomodo vnum fundamentum poſsit habere plures relationes ſpecie diſtinctas. Quomodo vnus motus poſsit identificari cum actione, & paſsione. Et quomodo vna ſuperficies poſsit ſibi idētificare diverſa loca. Primum quidem poteſt, quia vel relationes comparantur cum fundamento vt res, & res, & tunc aſsignātur diverſæ res, fundamentum, & relationes: vnde nihil mirum, quod fundamentū ſit vnum, & relationes plures: vel comparantur vt modus ad rem, cuius ſunt modi, & ſic non eſt inconveniens, quia tunc tantum ſequitur dari vnā rem entitative vnā, modaliter multiplicem, quod non infringit rationem noſtrā, in qua negamus exiſtentiam identificari cum intelligere, quia ex oppoſito ſequeretur, vnam rem eſſe entitative vnam, & eſſe entitative multiplicem, ſiquidē intelligere non eſt modus, ſed perfectiſsima res. Secundū etiam ſtat quia ad motum, actio, & paſsio non comparantur tanquam res ad rem, ſed tanquam modi ad rem, quam modificant. Quod idem dicimus ad tertium de ſuperficie, & loco: non enim eſt in eo conveniens, quod ſit vna ſuperficies, & loca varientur, quia locus ad ſuperficiem tantum addit reſpectum diſtantiæ à polis mundi, & centro terræ, non autem eſt incōveniens vnam rem variare diſtinctos reſpectus ſucceſsive.

§. IV.

1. *Vtrum Angeli ſubſtantia ſit ſua potentia immediate operativa?*

821 QVAMVIS Subiectū quæſiti ſit determinata ſubſtantia, nempe Angeli, tamen quia eadem ratio eſt de omni ſubſtantia creata, de omni ea debet procedere quæſiti reſolutio. Inſuper in qualibet ſubſtantia creata inveniuntur duo, nempe forma, & ſuppoſitum; hoc dicimus principium *quod*, illud dicimus principium *quo*: procedit ergo præſens difficultas, non de ſuppoſito, ſeu de principio *quod*, ſed de forma ſubſtantiali, ſeu principium *quo*. Inquirimus ergo, an hoc principium *quo* ſit proxime elicitivum ſuarum operationum? An ſit tantum remotum indigens indiſpenſabiliter ad operandum virtute quadam accidentali ab ipſo realiter diſtincta. Igitur in hoc puncto enodando prima ſententia tenet, ſubſtantiam nullo modo efficere, ſed omnē vim activam debere attribui accidētibus. Ita Pereira lib. 8. c. 13. & 14. Secūda ſententia huic extreme oppoſita omnem vim principaliter, & immediate effectivam tribuit ſubſtantiæ, & accidenti ſolum confert cauſalitatem diſpoſitivam. Ita Scotus in 4. d. 14. q. 3. & in 2. diſt. 17 & in primo diſt. 37. ſequuntur Durandus in 1. d. 2. q. 2. Ochā in 2. d. 23. & alij recentiores, quos citat, & ſequitur Ioannes Pontius diſp. 38. quæſt. 2. Tertia ſententia affirmat, ſubſtantiam eſſe immediate operativam, ſed non ſolam, ſed adiutam immediato concurſu partiali accidentium. Ita tenet Suarez diſp. 18. metaphyſ. ſ. 2. n. 21. Coymbricenſes 2. phyſicorum c. 7. quæſt. 18. art. 2. concluſ. 2. Rubio tract. 4. de cauſa efficiente q. 5. n. 67. & alij multi. Vltima ſentētia his omnibus ſe opponit dicens, ſubſtantiam non eſſe immediate, ſed tantum remote operativam. Ita tenet D. Thom. pluribus in locis, vbi hoc ex profeſſo probat, quem ſequitur vniverſaliter eius ſchola, quibus adhærent ex exteris Toletus, Fonſeca, Vazquez, & Albertinus citati à Ioanne Martinez de Prado in ſua phyſica lib. 2. q. 10. §. 1.

Sit concluſio nulla ſubſtantia eſt immediate operativa, ſed quotieſcūque operatur, modijs accidentibus operatur. Hanc concluſionem tenet D. Th. hic q. 54. art. 3. & probat ſequenti ratione. *Cum enim* (inquit) *potentia dicatur ad actum, oportet, quod ſecundum diverſitatem actuum diverſificetur potentia: in nulla autem creatura eſſe, & operatio ſunt idem realiter, ſed vt vidimus, ſemper realiter diſtinguūtur: ergo eſt neceſſe, quod in qualibet creatura potentia ad eſſe, & potētia ad operari realiter inter ſe diſtinguantur: ergo cum ſubſtantia cuiuslibet creaturæ realiter diſtinguatur à ſuo eſſe, & ſit in potentia realis ad illud, nulla ſubſtantia erit ſua potentia immediate operativa.*

Ad hoc argumentum reſpondent Ieſuitæ, potentias diſtingui realiter ad diſtinctionem realem ſuorum actuum, quando actus ex æquo, & primario reſpiciuntur à

po-

Digitized by Google

potentijs; non vero quando vnus actus primario inſpicitur, & alter ſolum ex conſequenti: porrò in præſenti ſic res habet, nam operari ſequitur ad eſſe, & ſic benè poteſt illamet potentia, quæ primariò reſpicit eſſe, ſecundariò reſpicere ipſum operari. Sed contra hoc eſt, nam eſto operari ſupponat eſſe, & ratione huius dicatur ſequi ad eſſe; non tamen ſequitur, quod ſequatur ad eſſe; vt actus ſecundarius eiuſdem potentiæ, quę immediate reſpicit eſſe: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. Antec. non enim bene valet; velle ſequitur ad intelligere, &c, quod nō poſſit dari velle, quin præſupponatur intelligere: igitur velle eſt actus ſecūdarius illiuſmet potentiæ, quæ immediate reſpicit intelligere: ergo neque bene valebit; operari ſequitur ad eſſe, ſeu ſupponit eſſe: igitur eſt actus ſecundarius illius potentiæ, quæ immediate reſpicit eſſe vt ſui primarium ſpecificatiuum. Et ratio eſt in vtraque conſequentia eadē prorſus. Nam prima non tenet, quia velle, & intelligere non ſunt eiuſdem lineæ formalis; nam prima linea eſt linea veritatis; & ſecunda bonitatis, quamvis hæc ſecunda præſupponat primam: ita ſecunda non tenet, quia licet linea operationis præſupponat lineam eſſendi, linea tamen eſſendi ſubſtātialiter, & operandi ſunt diverſiſsimæ lineæ; vnde ex hoc quod operari ſupponat eſſe, non ſequitur, quod ſit actus ſecundarius illius potentiæ, quæ primò reſpicit eſſe. Tūm ſecundò impugnatur ſolutio data, nam ſi operari non eſſet actus primarius potentiæ operativæ, non daretur potentia per ſe primò operativa; Conſ. eſt falſum: ergo. Mai. patet, nam tunc potentia non eſſet primariò ad operari, ſed tantum ad eſſe: ergo non daretur potentia primò, & per ſe operativa. Min. autē Prob. nam ſecunda ſpecies qualitatis eſt naturalis potentia, quæ per ſe primò operativa eſt: ergo falſum eſt dicere, quod nō detur potētia, quæ per ſe primò operativa ſit. Sed vt æquivocatio tollatur, concedo quod ſubſtātia primò eſt vt ſit, & ſecūdario vt operetur; ſed hoc non eſt ſic intelligendū, quod ipſa eſſentia ſubſtantię primò ſpecificetur ab eſſe, & ſecundariò reſpiciat operari; ſed ſic, quod ſubſtantia primò eſt, vt ſit, & per hoc habet eſſentiā explicatam per eius diffinitionem, in qua dicitur, quod ſit ens per ſe, & deinde radicat potentiam, quæ ab operatione ſpecificatur. Sicut homo primariò dicitur rationalis, quia primam potentiam, quam radicat eſt ratio, & ſecundario viſibilis; non quia ab ipſa potentia, quæ reſpicit actum ratiocinandi primario oriatur ſecundario viſus; ſed quia potentia ſpecificata à riſu radicatur à potentia ratiocinativa. Sic operari ſecundariò convenit ſubſtantiæ; non quia ſit actus ſecundarius potentiæ, per quam ſubſtantia primo reſpicit eſſe, ſed quia eſt actus primarius potentiæ realiter radicatæ à ſubſtantia, quæ ab eſſe ſpecificatur.

822 Reſp. ſecundò ab adverſarijs rationi noſtræ; quod eſſe, & operari non ſunt actus adæquati, ſed inadæquati; nam videmus quod ipſamet eſſentia accidentis operativi in noſtra ſententia, & recipit eſſe, & elicit immediatę operationem: vnde ſicut ab vno accidenti poſſunt immediate reſpici, multo melius poterunt ab eadem ſubſtantia reſpici. Sed contra eſt. Nam in primis accidēs operativum non eſt abſolute, ſeu ... proportionabiliter, hoc ęſt, ſic ſe habet ad ſuum ineſſe, ſicut ſubſtantia ad ſuū eſſe: non eſt ergo accidens abſolutę, ſed ineſt ſubſtātiæ, vt ipſa per illud operetur; vnde ſuum eſſe, ſeu ineſſe ſubordinat ſimpliciter operationi, & ſic abſque inconveniēti poteſt reſpicere eſſe, ſeu ineſſe, & ipſam operationem: non enim reſpiciuntur plura vt plura, quando totum reſpicere vnius eſt propter aliud: & ſubſtātia habet eſſe abſolute propter ſe; eſt enim vt ſit, & non vt operetur, vnde eſſe ſubſtantiale nulla via ſubordinatur operationi, ac per conſequens eſſe ſubſtantiale, & operatio ſunt plura vt plura: vnde ab eadem indiviſibili potētia reſpici nequeunt. Explicatur, ſubſtantia, vt habetur ex eius diffinitione, non eſt vt operetur, ſed tantum vt ſit: accidens autē operativū ineſt ſubiecto, non vt inſit, ſed vt illud reddat potens operari: vnde id, quod principaliter tribuit ſubſtātiæ, eſt poſſe operari; ſed quia ſubſtantia nequit reddi potens operari niſi per aliquid ſibi inhærens, quaſi ex conſequenti habet inhærere. Itaque quod primo intendit natura per accidens operativū, non eſt dare illi inhærentiam, ſeu exiſtentiam, ſed eſt reddere ſubſtantiam potentem operari, & quia ad hunc finem nequit pervenire, niſi tale accidens inhæreat, ideo facit illud ſubſtātię inhærere, & ſic ſubordinatur in accidenti actus eſſendi actui operationis: vnde vna eſſentia accidentis poteſt vtrumque reſpicere; non vero vna eſſentia ſubſtātiæ, quia in illa nec eſſe ſubordinatur operationi, nec operatio ſubordinatur ipſi eſſe.

Ex-

Digitized by Google

Explicatur hoc amplius, pati, & agere habent ſpecificare diverſas potentias, nẽpe activam, & paſsivam, quod ſolum habet verum, quando potentia ſuum pati nõ ordinat ad agere proprium; quando potentia patitur, vt ſit activa per ipſum actum, quẽ recipit, tunc, ipſamet potentia eſt paſſiva, & eſt activa: vt patet in intellectu poſſibili, qui & recipit habitus, & ſpecies, & ſimul elicit operationes, quia illud recipere per ſe ordinatur, vt ipſemet intellectus per ea, quæ recipit compleatur in eſſe virtutis activæ: hic ergo quando eſſe, & operari non ſubordinãtur, ſic; quod vnum ad alterum per ſe ordinetur, tunc eidem potẽtiæ nequeunt convenire: quando vero vnũ alteri ſubordinatur, ab vna eſſentia vtrumque actus inſpicitur: at in ſubſtantia non ſubordinantur eſſe, & operari, quia nec ipſa primò eſt vt operetur, nec operatur vt ſit, in accidenti, vt vidimus, ſubordinantur: ergo eſſe, & operari nequibunt reſpici à ſubſtantia; benè vero reſpicientur ab accidenti.

§. V.

Prob. Concluſio alia ratione D. Thom.

823 ALIA Ratione vtitur D. Th. ad probandam noſtrã cõcluſionem infra q. 77. ar. 1. videlicet, potentia immediate operativa per ſe ordinatur ad operationẽ tanquã ad proprium ſpecificativum; ſed ſubſtantia nequit ordinari ad operationem tanquam ad proprium ſpecificativum: ergo ſubſtantia nequit eſſe immediate operativa. Conſ. eſt bona, Min. videtur certa, nã ſubſtantia eſt ens per ſe, & propter ſe, ly *propter ſe* excludente finem proximum, & ſpecificativum; quid quid ſit de fine vltimo omnis creaturæ, qualis eſt Deus ſibi ſubordinans omnem creaturam; ſed operatio eſt extra genus ſubſtãtiæ: ergo ſubſtantia nequit immediate ordinari ad operationem tãquam ad proprium ſpecificativum. Secundo patet eadem Min. quia actus, & potentia debent eſſe eiuſdem generis, ſaltim ad hunc ſenſũ, quod ſi potentia ſit ſubſtantia, ſpecificativum nequit eſſe accidens; at omnis operatio creata eſt accidens in omnium ſententia: ergo ſubſtantia nequit ordinari ad operationem. Min. autem Prob. ex D. Thom. hic q. 54. art. 1. ibi: *Actio eſt propria actualitas virtutis, ſicut eſſe eſt actualitas ſubſtantie, vel eſſentiæ*; at ſubſtantia per ſe ordinatur ad eſſe, vti ad proprium ſpecificativum: ergo & potentia immediate operativa per ſe ordinabitur ad operationẽ, ſicuti ad proprium ſpecificativum. Secundo Prob. ex illo vulgari axiomate, *potẽtiæ diſtinguuntur per actus, & actus per obiectã*: ergo & cõſtituuntur per ipſos actus: nam diſtinctivum eſſentiale eſt, etiam conſtitutivum, & ſpecificativum rei, quam facit diſtinguere.

Reſpondebis primò huic rationi, maiorem eſſe falſam, nã operari non eſt ſpecificativum potẽtiæ immediate operativæ; hæc enim non ſpecificatur ab operatione; ſed ab habitudine ad operationem: ſi autem ſubſtantia immediate eſſet operativa, ſpeciem acciperet ab habitudine tranſcendentali, quam diceret ad illã, quæ habitudo, cum ſit ſubſtantia, non eſſet verum, quod ſubſtãtia ab aliquo extrinſeco, vel extra ſui generis acciperet ſpecificationem. Sed contra eſt, nam eſto verum ſit, quod actio, ſeu operatio non ſit ſpecificativũ intrinſecum potentiæ immediatè operativæ, quia ſpecificativum intrinſecum debet eſſe idem cum natura ſpecificata; tamen operatio eſt ſpecificativum extrinſecum, & perfectio, propter quam immediate ipſa potentia immediate operativa inſtituta eſt tanquam ob ſui actualitatem ſummam in linea operativa; & ſubſtantia non ſolum nequit ſpecificari intrinſice ab aliquo accidenti, verùm & nequit ſuam vltimã actualitatem habere ab aliquo accidenti, vel ab aliquo, quod ſit extra genus ſubſtantiæ: ergo nequit eſſe immediate operativa. Prob. Min. ſubſtantia eſt ens per ſe, & propter ſe: ergo nequit per ſe ordinari ad aliquid, quod non ſit ſubſtantia tanquam per ſe perfectibile ad ſuam perfectionem. Secundò, nulla ſubſtantia eſt per ſe inſtituta propter aliquod accidens, quin potius omnia accidentia ſunt inſtituta propter ſubſtantiam; ſed immediate operativum eſt per ſe inſtitutũ à natura propter operationem, quæ eſt accidens, ergo nulla ſubſtantia poteſt eſſe immediate operativa, aliàs eſſet inſtituta à natura propter ipſum accidens, quod eſt operatio.

824 Reſpondebis ſecundò huic rationi, minorem eſſe falſam, nam potẽtia operativa ordinatur per nos ad operationẽ tãquam ad ſpecificativum; & tamẽ non ſunt eiuſdem generis potẽtia operativa, & operatio, cum prima ſit in prædicamento qualitatis, & ſecũda ſit in prædicamẽto actionis:

nis:

Digitized by Google

nis: poterit ergo immediate operativum eſſe de prædicamento ſubſtantiæ, & operatio de prædicamento accidentis, & habere rationem ſpecificativi ipſius ſubſtātiæ. Sed contra eſt, nam accidenti exiſtenti in vno prædicamento non repugnat per ſe acquirere ſuam perfectionem ab alio prædicamento: ſi enim ei non repugnat accipere omnem perfectionem ſuam à ſubſtantia, multò minus repugnabit ei accipere perfectionem ſuam à re exiſtente in alio prædicamento, & ſic non eſt inconveniens, quod potentia operativa ſit de prædicamēto qualitatis, & operatio illam ſpecificans ſit de prædicamento actionis: ſubſtantiæ autem ex ſua diffinitione repugnat ordinari ad aliquid extra ſe tāquā ad ſpecificativum, & vltimam ſui actualitatem: eſt autē operatio perfectiſsima, & vltima actualitas potentiæ immediatè operativæ: ergo cum hæc ſit accidens, repugnabit ſubſtantiæ immediate illam reſpicere, vt ſui ſpecificativum, & vltimam actualitatem.

Præterea, ſubſtantia debet ſibi ſubordinare omnem perfectionem ſuam, ſi ſit extra genus ſubſtantiæ: ergo cum operatio ſit perfectio ſubſtantiæ de genere accidentis, debet ſibi eam ſimpliciter ſubordinare: ergo non poteſt habere pro fine immediato, & extrinſeco ipſam operationem: ſi autem eſſet immediate operativa haberet pro fine immediato ipſam operationem, ſiquidem eſſet ad ipſam, & propter ipſam: igitur ſubſtātia nequit eſſe immediate operativa. Dices, potentiam immediate operativam non eſſe propter operationem tanquam propter ſuum finem, ſed eſſe propter ſe ipſam perfectam per operationem: vnde finis extrinſecus ſubſtātiæ, ſi immediate operativa eſſet, non eſſet ipſa operatio, ſed eſſet ipſamet ſubſtantia, vt perfecta per operationem, in quo nullum invenitur incōveniens. Sed contra eſt, nam omnis potentia proxime ſpecificata ab aliquo actu eſt propter ipſum actum, quia natura, illam non alio ex fine inſtituit, niſi vt tali actui inſerviret, & conſequenter eam tali actui ſubordinavit. Tum etiam, quia quod eſt in potentia reali ad aliquam actualitatē, ſimpliciter perficitur per illam; ad ſuam autē ſimpliciter perfectionem vnūquodque per ſe ordinatur: ergo ſi ſubſtātia eſſet immediate operativa, per ſe ordinaretur ad ſuam operationē. Nec eſſet verū, quod ordinaretur ad ſe ipſam vt perfectū ſua operatione, quia hoc tantum eſt verum de ſubſtantia, quæ non immediate, ſed mediante accidenti ad operationem ordinatur: de illa, enim explicant metaphyſici eſſe propter ſe ipſam vt perfectam, vel perficiendam ipſa operatione; cū enim non ſit inſtituta propter aliud à ſe, non poteſt ad aliud extra ſe tanquā ad ſpecificativum ordinari: vnde cū omnia alia à ſe ſibi ipſi ſubordinet, ad ſe ipſam tantum, & propter ſe ipſam eſt: immediate autem operativum, cum ſit inſtitutum eo ſolo fine, vt operetur, debet in ipſa operatione ſuum reperire finem proximum.

§. VI.

Alia ratione probatur concluſio.

825 PROBATVR tertio cōcluſio alia ratione ſatis efficaci. Etenim ſi ſubſtantia eſſet immediate operativa, vna indiviſibilis potētia eſſet ad omnes actus, qui reperiri poſſunt in ſubſtantia: vnde in homine vna potentia eſſet generativa, alterativa, nutritiva, augmentativa, ſenſitiva, viſiva, auditiva, intellectiva, & volitiva; hoc autem eſt manifeſte falſum: ergo. Prob. ſequela Maioris, tunc ſubſtantiæ conveniret immediate id, quod nos dicimus ſolū convenire remotè: ſed ponimus ex vna radice ſubſtantiæ humanæ oriri omnes actus, qui ſūt in homine: igitur ſi eſſet ſubſtantia immediate operativa, ab vna indiviſibili potētia orirentur omnes actus, qui ſunt in homine. Tum etiam ſecundò, nam ſubſtantia non multiplicatur realiter: igitur ſi ponatur, quod ſit immediate operativa, & non per accidentia, ab vna indiviſibili potentia orirētur omnes prædicti actus. Min. autem manifeſte patet, nam videmus, quod calefactio ipſo calore fit, frigefactio frigore, ſenſatio ſenſu, auditio auditu, viſio potentia viſiva, intellectio vi intellectiva, & volitio voluntate, quæ omnia plane conſtat eſſe realiter inter ſe diſtincta: non ergo verum habere poteſt, quod omnes actus, qui ſunt in homine, ab vna indiviſibili proxima potentia fiant.

Confirm. calefactio effectivè eſt à calore proximè, & immediatè; quis autem audebit dicere, ſi extraneus a bona metaphyſica non ſit, quod ſubſtantia ſe ipſa intranſitive eſt calor? Et cum frigefactio ſit à frigore, quis dicet, quod ipſa ſubſtantia eſt ipſe frigus? Et ſic de alijs accidentibus, à qui-

Digitized by Google

quibus immediate tales operationes fiunt; hæc autem omnia ſequuntur, ſi ponatur, quod ſubſtãtia ſit immediate operativa: ergo. Deinde, quis negare poteſt, ſi Ariſtotelicus ſit, quod naturalis potentia non ſit ſecunda qualitatis ſpecies? Quis autem negabit, quod talis naturalis potentia ſit principium proximum operationis? At nullus dicet, quod ſubſtantia ſit ipſa qualitas: ergo nullus dicere poterit, quod ſubſtãtia ſit immediate operativa, nam qui hoc dicat, tenetur fateri, quod ſubſtantia ſit ipſa naturalis potẽtia; & ſi hæc eſt qualitas, tenetur fateri ſubſtantiam eſſe ipſam qualitatem: vnde & poteri dicere, eſſe quantitatem, quia non eſt maior ratio vnius quam alterius.

Poterit aliquis dicere, quod qualitates activæ, quæ à ſubſtantia diſtinguuntur realiter, dicuntur activæ, non quia verè activè proximè operentur, ſed ſolum quia per illas ſubſtantia diſponitur ad diſtinctas operationes: ſicut dicimus Thomiſtæ, quod ſola ſubſtantia eſt principium radicale omniũ paſsionum, eſto ad radicandum aliquas ex illis, per alias paſsiones diſponatur; neque enim poteſt radicare voluntatem niſi medio intellectu, neque riſibilitatem niſi medio diſcurſu, & ſic de alijs: ſic ergo vt ſubſtantia ſit immediatum principium calefactionis indiget ipſo calore illam diſponente, & determinante ad calefaciendum, & ad hoc vt frigefaciat indiget frigore, non vt principio effectivo frigefactionis, ſed ſolum vt determinativo ſubſtantiæ, vt frigefaciat, & ſic de alijs. Sed ſi hoc quis dicat, à bona Philoſophia extraneus erit, ſane enim in bona philoſophia naturalis potentia nõ diffinitur per diſponere, ſed per hoc, quod eſt dari ad ſimpliciter operandum, in quo diſtinguitur ab habitu, quod tantum datur ad ſecundum quid, & ad faciliter: ſimiliter in bona philoſophia dantur qualitates activæ, non diſpoſitivæ ad agendum, quæ omnia deſtruuntur, ſi ſola ſubſtantia immediate ponatur operativa.

§. VII.

Solvuntur argumenta contra concluſionem.

826 PRIMO arguitur ſubſtantia ſeipſa immediate eſt principium receptivum quantitatis, & media illa eſt receptiva aliorum accidentium: ergo poterit eſſe immediate operativa. Prob. Conſ. nam non minus potentia paſsiva ſpecificatur ab actu, quẽ recipit, & eſt in eodem genere cum illo, quã potentia activa ſpecificatur ab operatione, & ſit eiuſdem generis cum actu operationis: ergo ſi hoc non obſtante ſubſtantia eſt immediate receptiva accidẽtium, erit etiã immediate operativa. Ad hoc, communiter dicitur, negando Conſ. ad Prob. diſt. Antec. loquendo de potentia per ſe inſtituta ad recipiendum, Conc. Antec. loquendo de potentia, quę non eſt per ſe vt recipiat, nego Antece. & nego Conſ. Itaque ſunt aliquæ potentiæ per ſe inſtitutæ ad recipiendum, ſicut materia prima, quæ eſt pura potentia: vnde ſe habet ſimpliciter in potentia ad formam ſubſtantialẽ, & de charactere baptiſmali affirmat D. Thom. quod tantum eſt potentia inſtituta ad recipiendum; & iſtæ potentiæ vere ſpecificantur à ſuis actibus, quorum reſpectu paſsivæ dicuntur, & ſunt in eodem genere cum illis: ſunt etiam aliqua quæ non ſunt inſtituta vt recipiant, ſed vt ſint, & iſta ex conſequenti, & ſecundum quid paſsiva dicuntur; cõpoſitum enim ſubſtantiale non eſt inſtitutum vt recipiat, ſed ſuum eſſe ſimpliciter habet independenter a receptione accidẽtium, & ſic tantum ſecundum quid receptivum, & paſsivum dicitur, & ſic non requiritur, quod ab actu, quem recipit, ſpecificetur, neque quod in eodem genere ſit cũ actu recepto: potentia autẽ immediate operativa eſt inſtituta vt operetur, & ſic per ſe ordinatur ad operationem tanquã ad proprium finem ſpecificativum, & perfectivũ; vnde debet eſſe eiuſdem generis cum ipſa operatione.

Sed contra ſolutionem inſto, nam ſi in linea immediate paſsivi datur per ſe primò paſsivum, & paſsivum ex conſequenti, etiam in linea immediate operativi dabitur per ſe primò operativum, & immediate operativum ſolum ex conſequenti: ergo non omne immediate operativũ per ſe ordinabitur ad operationẽ, & erit eiuſdem generis cum ipſa operatione. Explicatur hoc, quia potentia receptiva, quæ convenit compoſito reſpectu quantitatis præſupponit eſſe ſimpliciter ipſius compoſiti; dicitur, quod compoſitũ non eſt per ſe primò inſtitutum ad recipiendum quantitatẽ, & ſic tantum ex conſequenti, & ſecundum quid eſt in potentia paſsiva ad quantitatẽ; ſed etiam ab auctoribus oppoſitis ratio immediate operativi ponitur convenire ſubſtantiæ, poſtquam intelligitur conſtituta in ſuo eſſe ſimpliciter; igitur eſſe imme-

diate

diate operativam conveniet illi ex conſequenti, & ſecundum quid, & ſic non erit neceſſe, quod ſubſtãtia ſpecificetur ab operatione, nec ſit eiuſdem generis cum illa.

Ad hoc, nego Antec. nam cum inter actus receptos detur ordo penes eſſe actum ſimpliciter, & penes eſſe actum ſecundum quid, ſiquidem forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, & forma accidentalis tantum dat eſſe ſecundum quid; ideo in potentijs receptivis datur idem ordo; illa enim potentia, quæ recepit eſſe ſimpliciter, à ſuo actu dicitur potentia paſſiva ſimpliciter; quia cum eſſe ſimpliciter ab actu recipiat, per ſe ſupponitur eſſe in potentia ſimpliciter ad illum: illa autem, quę tantum eſſe ſecundum quid ab actu recipit, ſupponitur iam præhabere actum ſimpliciter, & ſic ſolum poteſt eſſe potentia paſſiva ſecundum quid, quamvis immediate actum recipiat: in ordine autem immediate activo non eſt talis ordo, non omnis operatio ſi vere operatio elicita eſt, eſt ſimpliciter operatio, & ſic omnis potentia vere immediate activa eſt ſimpliciter activa, ac per conſequens vere ſpecificata ab actu ab ipſa elicito; vnde omnis potentia immediate activa debet eſſe eiuſdem generis cum ſua operatione. Per quæ patet ad explicationem.

827 Secundò Arguitur, in generatione ſubſtantiali actio, qua ſubſtantia producitur, tribuitur ſubſtantię generantis tanquã cauſę principali, & potentię generativæ, quæ eſt accidens, ſolum tribuitur vt inſtrumẽto: ergo ſubſtãtia immediate agit principaliter, eſto potentia generativa immediate agat vt inſtrumentum. Prob. Conſeq. nam actio principalis, & pure inſtrumentalis non eſt vna actio, ſed plures: igitur ſi à virtute generativa ſolum exit actio inſtrumentalis, à ſubſtantia egreditur immediate actio principalis. Ad hoc, diſt. ſecundam partẽ Antec. & potentiæ generativæ, quæ eſt accidens ſolum tribuitur vt inſtrumento, propriè loquendo de inſtrumento, nego Antec. late loquendo de inſtrumento, tranſ. Antec. & nego Conſeq. Itaque in generatione non ſunt duæ actiones, altera principalis, & altera inſtrumentalis, ſed eſt vna tantum actio, qua ſubſtantia agit media potentia generativa, quam ei dedit natura, vt principaliter agat; ſed in illa actione ſunt duæ conſiderationes, altera ſecundum quod eſt à ſubſtantia media ſua virtute ab ipſa radicata; & ſic dicitur actio principalis ſubſtantiæ, altera eſt conſideratio eiuſdem actionis præciſe quatenus procedit immediate ab ipſo accidenti vt virtute ſubſtantiæ, & iſto modo dicitur inſtrumentalis largo modo, & impropriè: nam Inſtrumentum propriè tale eſt illud, quod operatur *vt quod* media virtute ſuperaddita: potẽtia autem generativa non operatur *vt quod*, ſed *vt quo*, nec operatur per virtutem acceptam de novo ad operandũ, ſed operatur vt ipſa virtus ſubſtantiæ, quod habet per hoc, quod radicatur ab ipſa ſubſtãtia, & ſic non ſunt duæ actiones, ſed vna indiviſibilis, quæ eſt principalis ſecundum quod à ſubſtãtia eſt, quæ operatur per ſuam virtutem, & dicitur inſtrumentalis largè ſecundum quod exit ab accidenti in virtute ſubſtantiæ intranſitive.

Hinc apparet diſcrimen inter aquam calidam calefacientem, & aquam frigidam infrigidantem. Calefacit enim inſtrumentaliter, quia non agit media virtute ſua, ſed ignis, nam calor non eſt virtus aquæ ab ipſa radicata: frigefacit autem principaliter, quia frigiditas eſt virtus aquæ ab ipſa radicata. Et ſi inſtes, quod intellectus habet principaliter videre Deum per lumen gloriæ, quod non radicatur in intellectu, ſed tantũ intrinſice habet informare illum: ergo aqua calida habebit etiam principaliter calefacere, eſto calor nõ radicetur in aqua, dum tamen eam intrinſice informet. Ad hoc, nego Conſeq. & aſſigno diſcrimen, nam lumen gloriæ, eſto non radicetur in intellectu, habet tamen elevare illum ad intellectionem, quæ intra ambitũ ſui obiecti adæquati continetur, & ſic ad intellectũ non comparatur vt ad ſubiectum pure ſuſtentans lumen, ſed etiam perficit illum in ratione principij; vnde operatio poteſt principaliter exire ab intellectu lumine gloriæ perfuſo: at calor neque habet radicari in aqua, neque habet perficere aquam in ordine ad actum intra ſphæram activam aquæ præcontentum: vnde ſolum comparatur ad aquam vt forma ad ſubiectum, nõ vero vt comprincipium ad principium, & ſic aqua calida nequit principaliter calefacere.

828 Arguitur tertio. Et erit replica huius ſecundi argumenti. Etenim virtus generativa ſolum agit vt inſtrumentum ad productionem ſubſtantiæ genitæ: igitur ſubſtantia generans non agit principaliter immediate per ipſam virtutem generativam. Prob. Antec. ex D. Th. infra q. 115.

art.

Digitized by Google

art. 1. ad 5. ibi; *qualitas activa vt calor, & ſi ſit accidens, agit tamen in virtute formæ ſubſtantialis, ſicut eius inſtrumentum, & ideo poteſt agere ad formam ſubſtantialem, ſicut & calor naturalis, in quantum eſt inſtrumentum animæ, agit ad generationem carnis; ad accidens autem agit propria virtute*: ergo virtus generativa non habet producere ſubſtantiã niſi vt inſtrumentum ſubſtantiæ. Quod ipſum poteſt probari alia doctrina D. Thom. ex 3. p. q. 77. art. 3. ad 3. ibi; *& ideo poſſunt agere ad formam ſubſtantialem inſtrumentaliter, per quem modum aliquid poteſt agere vltra ſuam ſpeciem, non quaſi virtute propria ſed virtute principalis agentis*. Ex quibus fit argumentum. Nihil poteſt agere vltra ſuã ſpeciem, niſi vere inſtrumentum ſit: ſed accidentia, dum proxime ſubſtantiam producunt, agunt vltra ſuam ſpeciem: ergo ad productionem ſubſtantiæ concurrunt non vt cauſa principalis, ſed vt verum inſtrumentum. Ad hoc argumentum, nego Ant. loquendo de propriè dicto inſtrumento. Ad Prob. dico, quod agere in virtute cauſæ principalis ſtat dupliciter; vel tranſitive, vel intranſitive: tranſitive, quãdo id, quod agit in virtute, agit per aliquid realiter diſtinctum à ſe, ſicut ſerra facit ſcamnũ per aliquam virtutem participatam ab artifice realiter diſtinctam ab ipſa ſerra; intranſitive, quando id, quod agit, eſt ipſa virtus agentis principalis: primo modò agere in virtute, conſtituit verum inſtrumentum; non ſecundo modo, & in hoc ſecundo ſenſu loquitur D. Thom. in auctoritate primo loco adducta.

Ad argumentum formatum ex auctoritate ex 3. p. diſt. Mai. vltra ſuam ſpeciẽ, formaliter, & virtualiter, Conc. Mai. vltra ſuam ſpeciem formaliter, ſed non virtualiter, nego Mai. & diſt. Min. agunt vltra ſuam ſpeciem, formaliter, & virtualiter, nego Min. formaliter tantum, Conc. Min. & nego Conſeq. Itaque cum accidẽs intranſitive eſt virtus ſubſtantiæ, ſeu ipſa ſubſtantia in virtute, ſubſtantia genita, eſto formaliter nõ ſit intra ſpeciem ipſius, virtualiter tamen intra eius ſpeciem eſt, & ſic non eſt neceſſe, quod tale accidens vt propriè inſtrumentum agat. Sic reſpondi his duobus argumentis, nam ſi admittatur potentiam generativam non eſſe principiũ proximum principale generationis ſubſtantiæ, ſed tantum eſſe inſtrumentum, vt aliqui Thomiſtæ videntur concedere; ego nõ video, quomodo ſubſtantia immediate principaliter non agat. Etenim vt aliquid principaliter agat, debet agere ratione alicuius principij; à quo actio principaliter exeat; at ſi generatio à potentia generativa principaliter non exit, cum nullũ aliud principium immediatum talis actionis ſit niſi ipſa potentia generativa, ſubſtantiam per illã aget principaliter: ergo aget principaliter immediate per ſe ipſam; debet enim actio principalis habere aliquod principium proximum principale, quod ſi non habetur in accidenti, debet haberi in ipſa ſubſtantia: dum ergo Thomiſtæ hoc ſecundum negamus, debemus conſequenter dicere, quod potentia generativa eſt principium proximum principale generationis ſubſtantiæ, & ſic ſubſtantia per illud producet principaliter ſubſtantiam. Quod roboro, ex eo quod generatio, vt exit à potentia generativa, eſt vera actio vitalis: ergo in via Thomiſtica debet prout ſic oriri à principio principali. Prob. Conſ. nam Thomiſtæ in tractatu de viſione probãt contra Suarez, quod intellectus perfuſus lumine gloriæ non videt Deum vt inſtrumentum viſionis, quia viſio eſt vera actio vitalis, & hæc requirit eſſe à principio principaliter agente: ergo,

§. VIII.

Soluuntur alia argumenta.

829 QVARTO arguitur, eſſentia coloris vere ſpecificatur à ſuo eſſe, & vere ſpecificatur ab actione calefactiva: ergo & poterit ipſa ſubſtantia ſpecificari ab eſſe, & ſimul ſpecificari ab operatione: ergo poterit eſſe immediate operativa. Hæc ſecunda Conſeq. patet, & prima Prob. à paritate rationis. Confir. ſubſtantia Angeli, vt determinat ſuum intellectum ad ſui cognitionem, vere eſt immediatum principium intellectionis; & ex alia parte vere ſpecificatur à ſuo eſſe: ergo bonè ſtat, quod ſubſtantia ſpecificetur ab eſſe, & ſpecificetur ab ipſa operatione.

Ad hoc, nego Antec. loquendo de ſpecificari principaliter: quando enim eſſentiæ prædicata conſiſtunt in eo, quod ſit principium proximum operationis, tunc non eſt neceſſe, quod talis eſſentia principaliter ſpecificetur ab ipſo eſſe, & ratio eſt, quia tunc non eſt vt ſit, ſed tantum eſt vt proxime eliciat operationem, & ſic principaliter

Digitized by Google

ter ſolum habet ſpecificari ab ipſa operatione: ſicut intellectus poſsibilis non ſpecificatur à receptione ſpecierum, cum tamen illas recipiat, quia hoc recipere per ſe ordinat ad intelligere, propter quod inſtitutus eſt. Per quod habetur clarum diſcrimen inter accidens, & ſubſtantiam; eſſentia enim huius non conſiſtit in eo, quod ſit operativa, ſed in eo, quod ſit, & ſic ſuum ſpecificativum accipit ab eſſe.

Ad Confir. reſp. quidã Thomiſta, conc. Ant. neg. ſuppoſitum, Conſ. quod ſubſtantia Angeli ſpecificetur ab ipſa intellectione, quam immediate cauſat. Et aſsignat rationem, quia concurſus ſpeciei eſt concurſus obiecti, quod quidẽ habet rationẽ menſuræ reſpectu ipſius operationis intellectivæ, & ſic illam ſibi ſubordinat, & illi nulla via ſubordinatur. Sed contra ſolutionẽ inſto, eſto obiectũ, prout in ſe ipſo eſt, menſuret, ſpecificet, & ſibi ſubordinet intellectionẽ; tamen non illam menſurat, nec ſpecificat, prout illius cauſa effectiva eſt, & ſe tenet ex parte principij vere operativi intellectionis: ergo ex hoc, quod obiectũ habeat mẽſurare intellectionem, non ſequitur, quod ſubſtantia Angeli, vt ſpecies impreſſa eſt ad ſui cognitionẽ, non habeat menſurari ab ipſa intellectione. Deinde, apud Thomiſtas hoc eſt indubitatũ principiũ, ſcilicet, quod intelligere eſt vltima actualitas omnium eorum, quæ concurrunt intrinſice ad ipſam intellectionem; vnde omnia prædicta ſibi ſubordinat: cũ ergo ſubſtantia Angeli concurrat ad intellectionem per modũ comprincipij intellectus, debebit prout ſic ſubordinari ipſi intellectioni.

Sed demus, quod obiectum ſibi ſubordinet intellectionem, & quod Angeli ſubſtantia, quia gerit munus obiecti, non habeat ſubordinari intellectioni, quamvis illã immediate cauſet; tamen hoc erit verum, quod ſtat aliquam ſubſtantiam immediate eſſe operativam ſine eo quod ſubordinetur operationi, & ſine eo quod ſpecificetur ab operatione: ergo abſque aliquo inconvenienti dabitur aliqua ſubſtantia vt talis immediate operativa: ergo non erit vniverſaliter vera noſtra concluſio.

Secundo reſpondet M. Lerma ex Araujo, quod quamvis quando obiectum vnitur intellectui media ſui virtute inſtrumentaria, effective concurrat ad intellectionem, tamen quando ſe ipſo vnitur, non concurrit effective ad illam, ſed ſolum ſe ipſo in genere cauſæ formalis intellectum determinat ad intelligendum; vnde quia ſubſtantia Angeli ſe ipſa vnitur intellectui Angeli ad cognitionem ſui ipſius, non habet concurrere effective, ſed ſolum in genere cauſæ formalis habet determinare intellectum ad ſui intellectionem. Vnde ad confirmationem in forma negat primam partem Antecedentis. Cæterum quia valde probabile eſt in Schola Thomiſtica, quod omnis ſpecies impreſſa ſive ſit diſtincta ab obiecto, ſive ſit ipſum obiectum ſe ipſo vnitum potentiæ, concurrit effective ad cognitionem, ideo neceſſarium eſt admittere hanc efficientiam vniverſaliter; opinio, quã defendimus eſt, communis toti Scholæ Thomiſticæ, & ſic in omni opinione probabili in Schola Thomiſtica debet defenſari.

Vnde aliter placet reſpondere ad Confirm. diſtinguendo Ant. ſubſtantia Angeli eſt principium immediatũ intellectionis, ſubſtantia Angeli prout ſpectat ad genus entis, nego Antec. prout ſpectat ad genus intelligibile, conc. Antec. & diſt. Conſeq. ſubſtantia, prout ſpectat ad vnum genus, nego Conſeq. prout ſpectat ad diverſa genera, conc. Conſeq. Itaque negamus ſubſtantiam, prout ſpectat ad genus entis, eſſe immediate operativam, quia ſequeretur in eodem genere entis habere duos actus adæquate ſpecificativos: ex hoc autem, quod in eſſe intelligibili concurrat effective ad intellectionem, non ſequitur, quod in eodem genere habeat duos actus adæquate ſpecificativos, ſed tantum ſequitur, quod in genere entis adæquate ſpecificetur ab eſſe, & in genere intelligibili ſpecificetur ab ipſa intellectione, in quo nullum eſt inconveniens.

Sed inſtas, ſubſtantia Angeli intra genus intelligibile eſt ſubſtantia: ergo ſi intra genus intelligibile ordinatur ad intellectionem, dabimus quod ſubſtantia, vt talis, ſpecificetur ab aliquo extra ſe, & ſic corruet ratio probativa noſtræ concluſionis. Ad hoc, diſtin. Antec. eſt ſubſtantia prout reſpicit ſuum eſſe per ſe, nego Ant. eſt ſubſtantia prout connexa cum intellectu potente illam intelligere, conc. Antec. & diſt. Conſeq. dabimus quod ſubſtantia vt talis ſpecificetur ab aliquo extra ſe, ab aliquo extra ſe eiuſdem generis cum ipſa, conc. Conſequent. diverſi generis ab ipſa, nego Conſequent. & aliam, quæ ſubinfertur. Itaque in eo genere, in quo ſubſtantia, & acci-

Digitized by Google

accidens dividuntur, nequit ſubſtantia ſpecificari ab aliquo extra ſe, quia in genere entis, quidquid eſt extra ſubſtantiam, eſt accidens, & ſubſtantia nequit ſpecificari ab aliquo accidenti: genus autem intelligibile, quod extra genus entis eſt, non dividitur formaliter per ſubſtantiam, & accidens, ſed dividitur per ſpeciem, verbum, & intellectionem, ex quibus intellectio perfectior eſt, quia eſt actualitas vltima illius generis: & ſic cum intellectio, & ſubſtantia, vt intelligibilis, ſint eiuſdem generis, & in eo genere intellectio ſit perfectior ipſa ſubſtantia, vt intelligibili, abſque aliquo inconvenienti poteſt ſubſtantia ordinari ad intellectionem.

830 Quinto Arguitur, ſubſtantiã eſſe immediate operativã eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſiquidẽ Deo cõvenit formaliter; & hæc perfectior formaliter participatur per nos ab accidenti: ergo à fortiori debitur participari à ſubſtantia creata. Prob. Conſeq. quando ex duobus entibus creatis imperfectius ens participat aliquam Dei perfectionem, ens perfectius illo debet eam participare; ſed ſubſtantia creata eſt ens ſimpliciter perfectius accidente: ergo ſi hoc participat eſſe immediate operativum, hoc ipſum à fortiori participabitur à ſubſtantia. Confirm. eo ipſo, quod aliqua ſubſtantia non eſt immediate principaliter operativa, non poterit habere inſtrumentũ, quo mediante operetur; ſed Thomiſtæ aſſignant inſtrumenta, quibus mediantibus ſubſtantia principaliter operetur: igitur debent fateri, illam eſſe immediate principaliter operativam. Prob. Mai. nam inſtrumentum operatur media motione cauſæ principalis; ſi autem ſubſtantia immediate non ſit participaliter operativa, non poterit effective movere inſtrumentum: ergo neque poterit medio inſtrumento operari.

Confirm. ſecundò, ſi ſubſtantia non eſſet immediate operativa, non poſſet etiam medijs accidẽtibus operari; ſed hoc eſt falſum in noſtra ſententia: ergo ſubſtantia debet eſſe immediate operativa. Prob. Mai. vt ſubſtantia medio accidenti operetur, deberet illud accidens adæquate præcontinere ſubſtantiã producẽdã; at hoc eſt impoſsibile: igitur ſi ſubſtantia non eſſet immediate operativa, nec etiã mediate eſſet operativa. Mai. patet, nam vt ſcimus ex tractatu de viſione, virtus adæquate proxima alicuius effectus debet adæquate præcontinere illum, ſed accidens eſſet virtus adæquatè proximè operativa ſubſtantiæ, ergo deberet adæquatè præcontinere ſubſtantiã producendã. Min. ſi diſcurro, nam ſi adæquatè accidens præcontineret ſubſtãtiam, ſibi aſsimilaret eam; at illam non ſibi aſsimilat, ſed aſsimilat ſubſtantiæ operãti: igitur non adæquatè præcontinet ſubſtãtiam producendam. Explicatur hoc, lumẽ gloriæ, quia eſt adæquata virtus proxima viſionis ſupernaturalis, ſibi eam aſsimilat, quia ſupernaturalis actio ſolum principio ſupernaturali aſsimilari poteſt: ergo ſi virtus adæquatè proximè productiva ſubſtantiæ ſit accidens, ſibi aſsimilabit ſubſtantiã; quod pluſquam falſum eſt.

Ad hoc argumentum, nego Conſ. ad Prob. nego Ant. ſupernaturalitas enim eſt perfectio Deo formaliter conveniens, & hæc formaliter participatur ab accidẽti; & tamen repugnat dari ſubſtantiam ſupernaturalem. Et ratio ea eſt, quia Dei perfectionem participari ab inferiori ente contingit dupliciter. Primo, quia talis participatio conveniat ei ex perfectione ſui gradus; & tunc ſi participatur à gradu inferiori, poterit pariter participari ab ente perfectioris gradus; vel poteſt contingere ex imperfectione entis imperfectioris, & tunc nõ bene valet, hoc participatur ab inferiori: ergo debet participari à ſuperiori. Exemplũ huius doctrinæ adeſt in ſupernaturalitate; hæc enim non participatur ab accidente ex gradu perfectionis ſuæ, ſed participatur, quia cũ accidenti nõ repugnet ſpecificari ab aliquo extrinſeco, pariter non repugnat ſupernaturalitas creata, quæ à Deo, prout in ſe ipſo eſt, ſpecificatur; cumq; ſubſtãtiæ ob ſui perfectionẽ repugnet ab extrinſeco ſpecificari, pariter ei repugnat eſſe ſupernaturalẽ. Sic in præſenti, cũ accidenti non repugnet eſſe propter ſuam operationẽ, pariter ei nõ repugnat ob ſui imperfectionẽ eſſe immediate *vt quo* operativũ; hoc autẽ repugnat ſubſtantiæ ob perfectioenm, in qua excedit accidens, & repugnat ei eſſe immediate operativam.

Ad Confir. diſt. Mai. loquẽdo de inſtrumẽto proprie dicto, tranſ. Mai. loquẽdo de inſtrumento large dicto, nego Mai. & diſt. Min. aſsignãt inſtrumẽta, proprie loquẽdo de inſtrumẽtis, nego Mai. large loquendo, cõc. Mi. & nego Cõſ. Itaq; hac ratione cõvincitur, quod ſi ſubſtãtia nõ ſit immediate operativa, nõ poterit vtendo aliquo proprie inſtrumẽto principaliter operari, quia

actio

actio principalis debet principaliter exire ab aliquo principio proximo;ſed ſi ipſa nō eſſet immediate operativa,& tantum medio inſtrumento propriè dicto operaretur, tunc actio à nullo principio proximo principaliter exiret, & ſic ſubſtantia cauſa principalis non eſſet. Thomiſtæ ergo non ponunt ſubſtantiā agere per inſtrumenta, ſed per virtutes ſuas,quas radicant, à quibus, vt ſupra dixi, actio principaliter egreditur, & ſic hac ratione nihil cōvincitur cōtra illos.

Ad ſecundam Confirm. nego Mai. ad Prob. nego Min. ad prob. diſt. Mai. ſibi aſſimilaret eam in radice operationis, nego Mai. in principio proximo operationis, conc. Mai. & diſt. Min. non ſibi aſſimilat in principio radicali operationis, conc. Min. in principio proximo, nego Min. & Conſ. Itaque cum accidens medio quo ſubſtantia producit ſubſtantiam, ſit ipſa virtus ſubſtantiæ ab ipſa radicata, non habet ſibi aſſimilare ſubſtantiam, quam producit, quantū ad principium radicale operationis, quod eſt formaliter ſubſtātia, quia cum ad illam, prout ſic, concurrat vt virtus ſubſtantiæ, ſoli ſubſtantiæ, cuius eſt virtus, ſubſtantiam productam aſſimilat: producit tamen ſubſtantiam habentem virtutem proximam operativam ſimilem illi. Vel ad Prob. illius Min. dicatur melius, negando Mai. quod enim agit in virtute alterius ſive tranſitive, ſive intranſitive, non aſſimilat ſibi effectum, ſed illi, in cuius virtute agit: vnde cū accidentia medijs quibus ſubſtantia operetur, agant in virtute ſubſtantiæ, non habent ſibi aſſimilare ſubſtantiam, ſed ſubſtantiæ, in cuius virtute agunt. Ad explicationem, nego cauſalem Antec. Non enim lumen gloriæ ſibi aſſimilat in ſupernaturalitate actum, quia eſt adæquata virtus proxima illius operativa, ſed quia non agit vt virtus radicata ab intellectu: dum enim eſſe virtutis proximæ non accipit ab intellectu, non habet intellectui aſſimilare actum, ſed ſibi; accidentia autem, quibus medijs ſubſtantia operatur, ſunt virtutes, quæ eſſe virtutis accipiunt à ſubſtantia, & ſic illi aſſimilant ſubſtantiam, quā producunt.

831 Sed hinc producitur ſextum argumentum. Nam ſi accidentia eſſe virtutis, quo gaudent, habent effective à ſubſtantia: igitur ſubſtantia erit immediate operativa eorum in eſſe virtutis proximæ operativæ, quod eſt contra noſtrā concluſionem. Prob. Sequela. Tunc ſubſtantia in genere cauſæ efficientis producet tales virtutes; at non producet illas medijs alijs virtutibus: ſic enim daretur proceſſus in infinitum: ergo producit illas immediate ſe ipſa. Ad hoc, diſt. Mai. habet eſſe effective à ſubſtātia per verā actionē operantem, nego ſequelam, per puram dimanationem, quæ ad genus vere efficientiæ non pervenit, conc. ſequelam, & nego Conſ. Itaque præfatæ virtutes ſubſtantiæ non producuntur à ſubſtantia, cuius ſunt virtutes per veram actionem, ſed per puram dimanationē. Etenim generans ſubſtantiā, primò per veram actionem producit ſubſtantiā, & conſequenter virtutes eius: vnde ex viſceribus ſubſtantiæ oriuntur non per actionē intermediā, ſed per puram radicationem, dimanationem, ſeu neceſſariam connexionem, & ſic non probatur ſubſtantiam eſſe immediate operativam.

832 Septimò arguitur, non eſt inconveniens quod ſubſtantia ſit propter accidens, ad illud ordinetur, & ab illo ſpecificetur: ergo non erit inconveniens quod ſit immediate operativa. Prob. Antec. non eſt inconveniens quod intellectio, quæ realis entitas eſt, ſit propter ens rationis, ad illud ordinetur, & ab illo ſpecificetur: ergo non erit inconveniens quod ſubſtantia ſit propter accidens, ad illud ordinetur, & ab illo ſpecificetur. Prob. Conſ. nam maior diſtantia perfectionis eſt inter actum realem, & ens rationis, quam ſit inter ſubſtantiam, & accidens: ergo ſi quid reale poteſt eſſe propter ens rationis, poterit ſubſtantia eſſe propter accidens. Ad hoc, nego Antec. ad Prob. nego Conſeq. ad Prob. diſt. Antec. quantū ad prædicata entitatis, conc. Ant. quantum ad omne genus proportionis, nego Ant. & Conſ. Itaque, cum ens rationis diſtet ab actu in genere entis, ſicut diſtat ab ente id, quod vere non eſt ens; in linea entis magis diſtat intellectio eius rationis, & ipſum ens rationis; quam ſubſtantia diſtat ab accidenti; ſed quia intellectus non ſolum eſt apprehenſivus entium realium, ſed etiā nititur apprehendere id, quod non eſt, ac ſi vere eſſet, quo ens rationis producitur; fit inde, quod ens rationis alicuius realis intellectionis obiectum ſit: obiectū autem ſub formalitate obiecti eſt menſura, & ſpecificativum actus, quo cognoſcitur, & ſic habet præfatum actum ſibi ſubordinare; vnde ens rationis, & actus realis, quo cognoſcitur, proportionātur inter ſe per modū actus, & obiecti: & ſic poteſt actus intellectus eſſe propter ens rationis. Inter ſubſtantiā autē,

& operationem; quamvis ſit convenientia analoga in ratione entis, non tamen eſt proportio in ratione potentiæ immediate operativæ, & operationem; non quia ſubſtantia eſt perfectior accidente, ſed quia cùm ſit ens per ſe, ad aliquid extra ſe, ſive perfectius, ſive imperfectius ipſa ſit, ordinari non valet tanquam ad ſpecificativum: vnde neque Deum, qui perfectiſsimū ens eſt, valet pro ſpecificativo reſpicere, & ſic nequit eſſe propter accidens, neque illi ſubordinari, neque illud vt ſui menſuram reſpicere.

833 Quartò argņitur, actus generationis ſpecificatur à ſubſtantia genita; ergo poterit ſubſtantia generans ſpecificari ab actu generationis. Prob. Conſ. nam dum accidens ſpecificatur à ſubſtantia, iam ſpecificans, & ſpecificatum non ſunt eiuſdem generis: ergo iam non reſtat, quare ſubſtantia nequeat ſpecificari ab accidenti. Prob. Conſeq. quia ratio, ob quam non valet ſubſtantia ſpecificari ab accidēti, eſt, quia actus, & potentia, nempe ſpecificans, & ſpecificatum debent eſſe eiuſdem generis. Confir. non repugnat ſubſtantiæ dicere immediate habitudinem ad accidens, vt patet in ſubſtantia corporea, quæ dicit immediatam habitudinem ad quantitatem: ergo non repugnabit ſubſtantiæ dicere immediatam habitudinem ad operationem. Ad hoc, nego Conſeq. ad Prob. nego Conſeq. ad Prob. dico, quod ratio, ob quam ſubſtantia nequit ſpecificari ab accidenti, non eſt, quia ſpecificans, & ſpecificatū debent eſſe in eodē genere, vniverſaliter hoc accipiendo; ſed ad hunc tantum ſenſum, quod ſi ſpecificatum ſit ſubſtantia, ſpecificans nequit eſſe accidens, quia cum ſubſtantia ſit ens per ſe, ab aliquo extra ſe ſpecificari nequit: ſi autem ſpecificans eſſet accidens, ab aliquo extra ſe ſpeciem caperet, quod ſubſtantiæ repugnat: non autem repugnat, quod accidens ab aliquo extra ſe ſpeciem ſumat; ſiquidem videmus accidentia paſsim ſpecificari ab obiectis extrinſecis, & ſic etſi accidens poſsit ſpecificari à ſubſtantia genita, non ſequitur, quod ſubſtantia generans poſsit à generatione ſpeciem capere.

Sed inſtas, etſi ſubſtantia ſpeciem caperet ab accidenti, non poſſet inferri, quod ipſa eſſet accidens: ergo non repugnat illam ab accidenti ſpecificari. Prob. Antec. etſi accidens immediate ſpecificetur à ſubſtantia, non ſequitur, quod ſit ſubſtantia: ergo etſi ſubſtantia ſpecificaretur ab accidenti non ſequeretur ſubſtantiam eſſe accidens. Ad hoc, nego Antec. ad Prob. nego Conſeq. Et ratio diſcriminis eſt, quia cum accidenti, ex quo accidens eſt, non repugnet ab extrinſeco ſpecificari, etiam ſi à ſubſtantia ſpecificetur, non poteſt inde inferri, quod ſit ſubſtantia: ſubſtantiæ autem, vt probavi, repugnat ab extrinſeco ſpecificari, & ſic ſi ſpecificaretur, inferretur evidenter, illam non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens. Ad Confirm. nego Conſeq. nam habitudo ſubſtantiæ ad quantitatem non eſt habitudo ſpecificati ad ſpecificans, quia ſubſtantia non ſpecificatur à quantitate; ſed eſt habitudo radicis ad radicatum, per quā habitudinem non ſubordinatur ſubſtantia quantitati, ſed potius illam ſibi ſubordinat; ſiquidem radicatum totum ſuum eſſe habet à radice: habitudo autem potentiæ immediate operativæ eſt habitudo ſpecificati ad ſpecificans, & ſic repugnat ſubſtantiæ.

QVÆSTIO VIII.

De medio cognitionis Angelicæ.

NOMINE medij cognitionis Angelicæ intelligimus ſpeciem impreſſam mediantem inter intellectum Angeli, & eius cognitionē. Circa quā aliqua occurrunt ſingulis §§. diſcutienda.

§. I.

Vtrùm Angeli omnia, quæ cognoſcunt, cognoſcunt per ſuam ſubſtantiam?

834 CENSVERVNT igitur Nominales, Angelos ſe ipſos, & omnia alia à ſe cognoſcere per ſuam ſubſtantiam. Hos ſecutus eſt Durādus, quibus favet Vazquez hic diſp. 200. c. 3. dicens; rationes efficaces ſuppetere ad probandum humanum intellectum indigere ſpeciebus ad intelligendum: vix autem vllam eſſe rationem, quæ id de intellectu Angelico eodem modo aperte cōvincat. Quod & ſentire videtur Valentia hic, qui minus penetrās rationē D. Th. quā hic probat Angelū indigere ſpeciebus ad cognoſcēdū alia à ſe, appellat infirmā, & ſuf.

Digitized by Google

ſufficientem ad id probandum. Contra ergo iſtos omnes communis ſtat Theologorum ſenſus cum Angelico Doctore, qui hic q. 55. ar. 1. tenet, Angelū nō cognoſcere alia à ſe per ſuam ſubſtātiā. Verba D. Th. ſunt hæc; *ſolus Deus cognoſcit omnia per ſuā eſſentiā: Angelus autem per ſuam eſſentiā nō poteſt omnia cognoſcere, ſed oportet intellectum eius aliquibus ſpeciebus perfici ad res cognoſcēdas.*

Quæ veritas ſit noſtra concluſio. Et Prob. ipſa ratione D. Tho. Id, per quod tanquā per ſpeciē intelligibilem Angelus omnia poſſet cognoſcere, deberet ea omnia præcontinere tanquam forma intelligibilis; ſed nequit eſſentia Angeli omnia præcontinere per modum formæ intelligibilis: ergo nequit Angelus per illam intelligere omnia. Ma. in qua eſt difficultas Prob. ex Ariſtotele 11. Metaph. text. 51. & 3. de Anima text. 15. & ex D. Th. ar. cit. ad ſecūdum, dum dicunt; quod intellectus in actu eſt intellectum, ſeu res intellecta in actu, in quantum res intellecta in actu debet eſſe intra intellectum per formam, per quā intelligitur: ergo ſi intellectus Angelicus per ipſam ſubſtantiam Angeli intelligit omnia, hæc debebunt eſſe intra intellectum Angeli per ipſam ſubſtantiam ſuam tanquam per formam intelligibilem; vnde ipſa ſubſtātia Angeli deberet præcontinere omnia intelligibiliter. Sed & ſuadetur ratione. Nam ſi per eſſentiam ſuam tanquam per ſpeciem Angelus omnia, quæ intelligit, intelligere poſſet, tunc eius eſſentia vt forma intelligibilis ſatiaret intellectum eius: ergo in ea præhaberet intelligibiliter omnia, quæ intellectus Angeli poſſet intelligere. Mi. etiam rationis noſtræ Prob. nā omnia, quæ Angelus poteſt intelligere, ſunt ſaltim omnia entia naturalia; ſed hæc nequeunt etiam intelligibiliter præcontineri in eſſentia Angeli, nam hæc cum ſit finita, & limitata, præcontinētur ſub certo genere per particularem differētiam: ergo omnia, quæ Angelus poteſt intelligere, nequeunt præcontineri in eius eſſentia adhuc intelligibiliter.

835 Verum circa probationem huius Minoris ſtatim occurrit difficultas, nā ex hoc quod Angeli eſſentia in linea entis ſit determinata, & conſtet ex genere, & differētia, non ſequitur, quod in eſſe intelligibili, vel repræſentativo non poſſit præcontinere omnia intelligibilia: nā ſuponamus quod Angelus ſupremus per vnā ſolam ſpeciē impreſſam omne ens cognoſcat, debebimus cōſequenter aſſerere prædictā ſpeciem, cum quid creatū, & finitum ſit, debere in linea entis determinato genere, & determinata differentia conſtare; & cū hoc cōponere, quod in eſſe intelligibili omnia præcōtineat: ergo ex hoc quod Angeli eſſētia determinato genere, & determinata differētia cōſtet, nō bene inferri poterit, quod intelligibiliter omnia non præcontineat.

Vt hæc difficultas ſuperetur, & explicetur vis probationis D. Th. adverto, quod ex entibus, alia inſtituta ſunt tātū vt ſint; vt ſpecies, & individua in vniverſo; alia ſunt inſtituta nō vt ſint, ſed vt alia à ſe repræſentent. Inter quæ hoc verſatur diſcrimē, quod prima tantum habent ſeipſa repræſentare, & omnia, quæ in linea entis in ipſis præcontinentur. Secunda autem non habent primo repræſentare ſeipſa, ſed alia, propter quorum repræſentationem ſunt inſtituta: vnde ex limitatione horum ad certum genus, & differentiam in linea entis, non infertur etiam determinatio eadem in linea intelligibili: bene autem infertur in his, quæ inſtituta ſunt, vt ſint, non vero vt repræſentent, eadem limitatio in linea intelligibili, quæ eis convenit in linea entis; quia id, quod per illas repræſentatur, tātū eſt ipſa eorū ſubſtantia: vnde ſi hæc ſit indeterminato genere, & ſpecie in linea entis, etiam hoc ipſum habebit in linea intelligibili, & ſic adhuc intelligibiliter nō poterit præcōtinere ea omnia, quæ ad diverſa genera, & ſpecies ſpectant. Natura ergo Angeli nō eſt in vniverſo vt repræſentet, ſed tātū vt ſit quædā ſpecies nobiliſsimi gradus eſſendi, ſcilicet activæ intellectualitatis, & ſic intra lineam intelligibilē tantum habet repræſentare id, quod ipſa eſt in linea entis: cumque in linea entis ſit tātū generis, & ſpeciei determinatæ, & nō ſit alia à ſe; in linea quoque intelligibili tātū eſt ipſa, & non alia à ſe, & ſic ex determinatione in linea entis bene infertur ſimilis determinatio in linea intelligibili. Vnde fit optimum argumentum; natura Angeli in linea entis non præcontinet alia à ſe: ergo ſimiliter in linea intelligibili non præcontinet alia à ſe: quia autē ſpecies, qua ſupremus Angelus poneretur omnia intelligere, eſſet inſtituta eo ſolū, vt alia à ſe repræſentaret, & nō vt eſſet: bene ſtaret, quod in linea entis eſſet determinati generis, & ſpeciei, & quod in linea repræſentativi eſſet omnia alia à ſe. Concedimus ergo in forma ad difficultatem propoſitam Ant. & negamus Conſ. cuius diſparitas iam aſsignata eſt.

Digitized by Google

Sed inſtas, illa, quæ ſunt producta, vt alia à ſe repræſentent, alia à ſe repræſentāt per ſuam entitatē, quæ entitas determinati generis, & differentiæ eſt: ergo ſtaret bene, naturam Angelicā per ſuam entitatē alia à ſe repræſētare, eſto ejus entitas eſſet determinati generis, & determinatæ differentiæ. Prob. Ant. nā ſpecies impreſſa, cū ſit naturalis ſimilitudo rei repræſētatæ, debet per ſuā naturā, & entitatē aſsimilari rebus repræſentatis per illam; ergo debet alia à ſe repræſentare per ſuam entitatē, quæ determinati generis, & differentiæ eſt. Ad hoc, diſt. Ant. alia à ſe repræſentant per ſuā entitatem, vt ſui intelligibilitas eſt, nego Ant. vt primario eſt intelligibilitas aliorum à ſe, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque cū ſpecies Angeli ſupremi ſit inſtituta, vt alia à ſe repræſentet, & non vt ſit, debemus diſtinguere in ea duas intelligibilitates; aliam, per quam ipſa entitas ſpeciei ſignate, & vt quod repræſentetur, & aliam, per quā active, & vt quo alia à ſe repræſentet: prima ex his eſt determinati generis, & ſpeciei, ſicut & ipſa ſpecies in linea entis determinata eſt; ſecunda non eſt determinata, ſed eſt intelligibilitas omnium entium per talem ſpeciem repræſentatorum, & ſic bene componeretur in ea prima determinatio cum ſecunda indeterminatione. Subſtātia autem Angeli, cum tantum ſit, vt ſit, & non vt repræſentet; tantum habet eſſe ſui intelligibilitatem, & ſic non componitur in ea, quod in genere entis determinata ſit, & in genere intelligibili indeterminationem habeat.

836 Occurrit etiam alia difficultas circa rationem factam. Nam eſto illa probetur, Angelum per ſuam ſubſtantiam non poſſe omnia intelligere, non tamen probatur Angelum per ſuam ſubſtantiam non poſſe intelligere omnia entia ſpiritualia. Et ratio dubitandi ea eſt. Nā ad hoc vt Angelus cognoſcat omnia ſpiritualia ſecundum ſuas rationes differentiales, ſufficit, quòd ſpecies impreſſa repræſētet illi rationē genericā ſpiritus, in qua omnia ſpiritualia conveniūt: ſicut enim per ſpeciē animalis Angelus cognoſcit omnes ſpecies animalium, ita per ſpeciē ſpiritus cognoſcet omnia ſpiritualia; ſed natura ipſa Angeli perfecte repræſentat rationem ſpiritus, quæ eſt genus ad omnia ſpiritualia; igitur ſaltem Angelus per ſuam ſubſtantiam omnia ſpiritualia cognoſcet. Reſpond. huic difficultati in forma, diſt. Min. ſeu natura ipſa Angeli perfecte repræſentat rationē ſpiritus, vt contractam per hanc differentiam ſpecificam in particulari, conc. Mi. vt vniverſaliter reperitur in omni ſpiritu, nego Mi. & Conſ. Itaque Angelus per ſpeciē impreſſam repræſentantem illi rationem animalis, vt vniverſaliter invenitur in omni animali, cognoſcit omnia animalia, & per ſpeciem repræſentantem illi ipſam rationem ſpiritus, vt invenitur in omni ente ſpirituali, poteſt cognoſcere omnia ſpiritualia, non autē hoc poteſt per ſpeciē ſpiritus vt contractam ad hunc ſpiritum: ſubſtantia autem Angeli non eſt ipſa ratio ſpiritus, ſed tantum eſt hic ſpiritus in ſpecie, & numero determinatus, & ſic per ſuam ſubſtantiā nequit omnia ſpiritualia cognoſcere.

837 Alia etiam occurrit difficultas. Nam Angeli ſubſtantia eſt cōprehēſiva totius entis naturalis: ergo hoc ipſo quod comprehēdatur, cognoſcetur in illa omne ens naturale; ſed Angelus comprehendit ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam: ergo per illam cognoſcet omne ens naturale. Diſcurſus bonus eſt, ſed prima Conſeq. Prob. nam quia divina ſubſtantia eſt factiva omnium poſſibilium, hoc ipſo quod comprehendatur, in illa cognoſcūtur omnia poſsibilia: ergo quia Angelica ſubſtantia eſt active comprehenſiva omnium entium naturalium, hoc ipſo quod comprehendatur, cognoſcentur in ea omnia entia naturalia. Dices eſſe diſparem rationem, nam Omnipotentia, ideo eſt factiva omnium poſsibilium, quia illa perfectiſsime continet in eſſe entis: vnde in ea comprehenſa, omne poſſibile perfectiſsime cognoſcitur; ſubſtantia autē Angeli, eſto ſit radicaliter omniū entium naturaliū cōprehenſiva, nō tamen ſe ipſa omnia entia naturalia præcōtinet, neque in linea entis, neque in linea intelligibili, ſed præcontinentia omniū naturalium datur illi per ſpecies ſuperadditas, quæ illi inhærent, & omnium naturalium repræſentationem illi tribuunt: vnde eſto comprehendatur, nequibit Angelus per illam ſolam omnia entia naturalia cognoſcere. Sed contra hoc eſt, nam licet ſe ipſa non ſit ſimilitudo omnium naturalium, tamen dum ſimilitudines intelligibiles omnium naturalium illi inhærent tanquam propria accidentia, hoc ipſo quod Angelus per ſuam ſubſtantiam ſe ipſum comprehendat, hoc ipſo per ſuam ſubſtantiam cognoſcet omnium naturalium ſimilitudines, ſiquidem per ſuam ſubſtantiam cognoſ-

noſcit omnia accidentia propria: ergo & cognoſcet per ſuam ſubſtantiam omnia obiecta naturalia.

Ad hoc bene reſponſum eſt. Ad replicam, eſto admittatur Angelum per ſuam ſubſtantiam omnia accidentia naturalia ſibi intrinſeca cognoſcere, ac per conſequēs cognoſcere omnes ſpecies, quæ illi intrinſecùs inhærent; non tamen cogimur affirmare, Angelū per ſuam ſubſtantiam omnia entia naturalia cognoſcere, ſiquidem illa tantum videt vt præcontenta in ſpeciebus ſuperadditis ad propriā ſubſtantiā; non vero vt præcontenta in propria ſubſtantia adhuc in linea intelligibili tanquam in ſimilitudine omnium: ſi enim Angelus non haberet dictas omniū rerum ſpecies, adhuc propriam ſubſtantiam haberet, nec tamen res omnes naturales per illam cognoſceret. Secundo, reſp. quod ad hoc vt Angelus propriam ſubſtantiam per ipſam tanquam per ſui impreſſam ſpeciem cognoſcat, non requiritur, quod omnia accidentia ſibi intrinſeca cognoſcat; ſed ſufficit, quod propriam ſubſtantiam videat, & in illa omnia propria ex ipſa orta cognoſcat: ſpecies autem rerū naturalium, quamvis intellectui Angelico inhæreant, non tamen ſunt propria orta ex eius ſubſtantia, & ſic ad ſui comprehenſionem non requiretur, quod ſpecies ſibi inhærētes cognoſcat. Tertio reſp. quod dum Angelus per ſuā ſubſtantiā ſe comprehendit, omnes ſpecies videt per modū quidditatis; non vero vt in exercitio ducunt ad cognitionē ſuorum obiectorū: vnde non ſequitur, quod per ſuam ſubſtantiā aliqua via omnia naturalia cognoſcat.

§. II.

Vtrùm Angeli alia à ſe intelligant per ſpecies à rebus ſenſibilibus acceptas?

838 VIDIMVS §. præcedenti, Angelum alia à ſe non cognoſcere per ſuam ſubſtantiam, ſed indigere ſpeciebus ei ſuper additis. Reſtat nunc examinare, an has ſpecies ab ipſis rebus accipiat? Et quia res cognoſcibiles ſunt in duplici differentia: nam aliæ ſunt ſenſibiles, aliæ purè ſpirituales; primo examinandū eſt, an ad cognitionē ſenſibiliū, ab ipſis ſēſibilibus Angelos ſpecies accipiat? Scotus in 2. diſt. 3. q. vltim. §. *reſpondeo*, duo dicit; alterum eſt, quod etſi habuerit ſpecies infuſas in inſtanti ſuæ creationis repræſentantes naturas vniverſales, tamen ſi non haberet eas hoc modo, poſſet propria virtute accipere illas à rebus; alterum eſt, Angelos accepiſſe à rebus ſpecies ſingularium, & quoad ſingularitatem, & quoad actualem exiſtentiam, & quoad omne id, quod requiritur ad terminādū notitiā intuitivam. Scotū ſequuntur Richardus diſt. 3. art. 6. q. 2. Maior, q. 4. & Marſilius in 2. q. 7. art. 1. 2. p. concluſione 5. 7. & 9.

Oppoſitum tenendum eſt cum Schola Thomiſtica. Et prob. 1. ex D. Th. 2. Contrag. cap. 96. ratione ſecunda, vbi ſic habet: *Altioris virtutis oportet eſſe altius obiectum: virtus autem intellectiva ſubſtantiæ ſeparatæ eſt altior, quam vis intellectiva animæ ſeparatæ, cum intellectus animæ humanæ ſit infimus in ordine intellectuum: intellectus autem humanæ animæ eſt phantaſma, quod eſt ſuperius in ordine obiectorum, quam res ſenſibilis extra animam exiſtens, ſicut ex ordine virtutum cognoſcitivarum apparet: obiectum igitur ſubſtantiæ ſeparatæ non poteſt eſſe res exiſtens extra animā, vt ab ea immediate accipiat cognitionem, neque phantaſma: relinquitur igitur, quod obiectum ſubſtantiæ ſeparatæ ſit aliquid altius phantaſmate: nihil autē eſt altius phantaſmate in ordine obiectorū cognoſcibilium niſi id, quod eſt intelligibile actu: ſubſtantiæ igitur ſeparatæ non accipiunt cognitionem intellectivam à ſenſibilibus.* Et ibidem ratione 1. ſic habet: *Senſibilia enim ſecundum ſuam naturam nata ſunt apprehendi per ſenſum, ſicut intelligibilia per intellectū: omnis igitur ſubſtantia cognoſcitiva ex ſenſibilibus cognitionem accipiens, habet cognitionem ſenſitivam, & per conſequens habet corpus ſibi naturaliter vnitum, cum cognitio ſenſitiva ſine organo corporeo eſſe non poſſit; ſubſtantiæ autē ſeparatæ non habent corpora ſibi naturaliter vnita: non igitur intellectivam cognitionem ex ſenſibilibus ſumunt.*

Sed prob. Concluſio ratione, qua D. Th. vtitur hic, art. 2. ad hanc formā redacta. Angeli ſubſiſtunt naturaliter abſque omni cōiunctione ad corpus: ergo perficiūtur in ſuo intelligere per ſolum intelligibilem influxum à Deo authore naturæ, & nullatenus ſpecies intelligibiles à corpore accipiunt. Prob. Conſ. nam modus, quo res naturaliter perficitur in ſua operatione, cauſatur ex modo eſſendi rei naturaliter ei cōpetentis: ergo ſi Angeli in eſſendo omnino ſunt abſoluti à corpore, pariter in intelligēdo omnino abſolvētur ab illo, & ſic nō accipient

Digitized by Google

ſpecies à corpore Prob. Antec. ideo anima perficitur in intelligendo à corpore, accipiendo ſpecies ab illo, & per illud, quia naturaliter eſt in corpore, & illi vnitur vt forma: ergo modus, quo res perficitur in ſui operatione, cauſatur ex modo eſſendi rei connaturaliter convenienti: ex quibus cōcludit D. Thom. quod ſi animæ per corpus ſuam perfectionem intelligibilem non cōſequerentur, fruſtra vnirentur corpori.

Reſpondet Scotus huic rationi, quod ex eo quod Angelus ſit omnino abſolutus à corpore, tantum poſſet inferri, quod non accipiat ſpecies à corpore miniſterio ſēſuū, ſicut accipit anima noſtra; non vero inferri, quod non accipiat ſpecies à corpore tāquam ab obiecto. Sed contra eſt, nā ſi Angelus ſpecies acciperet à ſenſibilibus vt ab obiectis, vere dependeret in intelligendo à corporibus obiectis; ſed hoc non componitur cum modo naturali eſſendi Angeli: ergo neque à ſenſibilibus vt obiectis accipit ſpecies Angelus. Prob. Min. Angelus in ſuo eſſe connaturali omnino eſt abſolutus à corpore: ergo dependere in intelligendo à corpore vt ab obiecto non conſonat cum ſuo eſſe naturali. Explicatur hoc. Phantaſma ad productionem ſpeciei intelligibilis ſolum concurrit per modū obiecti, ex quo intellectus agens educit ſpeciem intelligibilem; & tamen hæc depēdentia à corpore probat animam eſſe concretam naturaliter corpori: igitur dum Angelus eſt omnino in ſuo eſſe abſolutus à corpore, non poterit naturaliter in intelligendo depēdere à corpore vt ab obiecto, à quo accipiat ſpecies.

839 Sed contra hanc rationem inſtabis primò, ex indepēdentia Angeli à corpore in eſſendo non oritur independentia à corpore tanquam ab obiecto: ergo ratione facta non convincitur, quod Angelus in intelligendo non dependeat à corpore vt obiecto, accipiendo ſpecies ab illo. Prob. Antec. independentia Angeli à corpore in eſſendo eſt independentia à corpore tanquam à ſubiecto informationis: ergo ex illa non oritur independentia à corpore vt ab obiecto. Prob. Conſeq. dependentia animę à corpore vt ab obiecto miniſtrante ſpecies ad intelligendum non oritur ex depēdētia à corpore vt à ſubiecto informationis: ergo independentia à corpore vt ab obiecto miniſtrante ſpecies ad intelligendum non orietur ex independentia à corpore vt à ſubiecto informationis. Prob. Antec. quia anima in intelligendo naturaliter dependet à corpore tanquam ab obiecto, à quo accipit ſpecies ad intelligendū, ideo vnitur corpori tanquam ſubiecto informationis: igitur dependentia à corpore vt obiecto non oritur ex depēdentia à corpore vt ſubiecto informationis. Explicatur hoc, anima ideo vnitur corpori in eſſendo vt ſubiecto informationis, quia in intelligendo naturaliter dependet à corpore miniſtrante ſpecies: ergo prius convenit animæ dependentia à corpore tanquam ab obiecto, quam conveniat illi dependentia à corpore tanquam à ſubiecto informationis: ergo prima dependentia non oritur ex ſecunda. Ad hoc argumentum, diſt. Min. non oritur à priori, Conc. Min. non oritur à poſteriori, nego Min. & Conſeq. contra quam ſolutionem nō facit doctrina ex anima adducta: fatemur enim, quod animæ prius convenit dependere ab obiecto corporeo miniſtrando ſpecies ad intelligendū, quam conveniat illi dependere à corpore tanquam à ſubiecto informationis: cæterū dicimus, quod eſt tanta connexio inter hoc quod eſt dependere à corpore tanquam ab obiecto, & hoc, quod eſt dependere à corpore tanquam à ſubiecto, quod primū non poſſit haberi ſine ſecundo; & ſic dum videmus Angelos independentes, & abſolutos naturaliter à materia tanquam à ſubiecto informationis, debemus fateri neceſſario, eſſe independentes à materia tanquam ab obiecto miniſtrante ſpecies naturaliter ad intelligendum: quia hoc ſecundum nequit haberi ſine primo, & ſic vbi non adeſt primum, non poteſt adeſſe ſecundum.

840 Inſtabis ſecundò, eſto Angeli omnino abſolvantur à corpore in eſſendo, non tamen abſolvuntur à corpore tanquā à loco: ergo ex hoc quod abſolvātur à corpore tanquam à ſubiecto informationis, nō ſequitur, quod abſolvantur à corpore tanquam ab obiecto miniſtrante ſpecies ad intelligendum naturaliter corpora. Conſ. patet à paritate rationis, & Antec. Prob. quia Angeli nequeunt locari niſi à corpore locante. Ad hoc, nego Conſeq. & aſſigno diſparitatem, nam Angelos eſſe in loco corporeo nequit intelligi, niſi corpore terminante præſentiam localē eorum, ſicut Angelum intelligere corpus nequit intelligi niſi corpore terminante intellectionem, & ſic ſicut quia nequit Angelus intelligere corpus niſi dependenter à corpore vt ab obiecto terminante intellectionē Angeli, eſto ab-

Digitized by Google

abſolvatur à corpore vt à ſubiecto informationis, non tamen abſolvitur à corpore vt ab obiecto terminante intellectionē: Ita eſto obſolvatur à corpore vt à ſubiecto informationis, nequit tamen abſolvi a corpore vt à termino ſuæ præſentiæ localis. Angelum autē intelligere corpora ſine eo quod accipiat ſpecies intelligibiles ab illis, poteſt bene percipi, ſi ponatur, quod illas accipiat à Deo auctore naturæ, & ſic non eſt neceſſe dependere à corpore tanquā ab obiecto miniſtrante ſpecies ad intelligendū. Præterea eſt alia diſparitas, in eo quod Angelus per hoc quod ſit in loco corporeo terminante corpore præſentiam localem Angeli, nullam accipit perfectionem à corpore, ſed potius illi tribuit effective perfectionem: non autem repugnat, quod id, quod in eſſendo abſolvitur à corpore, effective corpus perficiat, & ſic nullum eſt inconveniens, quod quantum ad hoc, quod eſt eſſe in loco, Angelus indigeat corpore: ſi autem ad intelligendum corpora ſpecies acciperet à corporibus, ab ipſis perficeretur in intelligendo; eſt autem maximum inconveniens, quod id, quod non dependet à corpore in eſſendo, perficiatur à corpore in operando: & ſic dum Angelus abſolvitur à corpore in eſsēdo, neceſſum eſt, quod non intelligant corpora naturaliter accipiendo ſpecies ab illis.

Inſtas, eſto Angeli acciperent ſpecies à corporibus, non tamen perficerentur ab illis, quia non acciperent ſpecies à corporibus per influxum activum corporū in Angelos, ſed per operationem Angelorum in corpora educendo ſpecies ab illis, ſicut intellectus agens in nobis non perficitur à phantaſmate, eſto ab illo accipiat ſpeciē intelligibilem, quia non accipit per influxum phantaſmatum in ipſum, ſed per influxum intellectus agētis in phantaſmata. Ad hoc, nego Ant. nam vt ſtatim videbimus, nequit intellectus Angelicus per actionem ſuam immediate educere ſpeciem intelligibilem ab ipſis ſenſibilibus extra animam exiſtentibus, non enim ſenſibilia ea ſenſibilitate, qua gaudent extra animam, capacia ſunt, vt Angelus ab ipſis immediate ſpecies intelligibiles educat: ergo iſta productio ſpecierum deberet fieri per influxum ſenſibilium ad Angelum: ergo perficeretur Angelus ab ipſis ſenſibilibus, & ſic ratio noſtra habet intentum.

§. III.

Probatur ratione alia concluſio noſtra.

841 SECVNDO ratione Prob. Concluſio. Nihil poteſt venire de vno extremo ad alterum extremum ſaltim naturaliter niſi tranſeundo per mediū, quod eſt inter vtraque extrema; ſed inter eſſe, quod habet res in materia extra animam exiſtens, & eſſe, quod habet in ſpecie intelligibili datur medium, nempe eſſe, quod habet forma in imaginatione, ſiquidem res materialis in ſeipſa, & eſt in materia, & eſt cum conditionibus individuantibus, quæ omnino materiales ſunt; in ſpecie intelligibili neutrum horum habet; in imaginatione vero res nō habet eſſe in materia; ſed habet conditiones individuantes: ergo nequit intellectus Angeli, quantumvis potens ſit, formas materiales reducere ad eſſe intelligibile, niſi prius reducat eas ad eſſe imaginatum: hoc autem nequit facere Angelus, cum careat imaginatione: ergo nequit ab ipſis ſenſibilibus extra animam exiſtentibus immediate ſpecies intelligibiles accipere.

Sed inſtabis contra hanc rationem, nam eſſe, quod habet res in imaginatione, vel eſt medium ex parte rei cognitæ, vel eſt medium ex parte intellectus abſtrahentis ſpeciem à rebus: ſi dicatur primum, ſequitur, quod Deus non poſſet intelligere rē ſenſibilem, niſi prius imaginaretur illam; quod falſiſſimum eſt: ſi dicatur ſecundum, ratio facta non concludit, quia ſtat bene, quod aliquid ſit medium virtuti inferiori, quod tamen non ſit medium virtuti ſuperiori, ſicut calor vt quatuor medium eſt inter calorem vt ſex, & calorem vt tria reſpectu virtutis debilis & paulatim calefacientis, qui tamen medium non eſt reſpectu virtutis vehementis, ſubito quē magnum calorem inducentis: ergo ſtabit bene, quod reſpectu intellectus agentis noſtri eſſe imaginabile ſit medium, & non reſpectu intellectus Angelici, cuius vis longe potentior eſt: vnde licet intellectus noſter agens non poſſit immediate ex ſenſibilibus accipere ſpecies intelligibiles, poterit tamen bene eas accipere intellectus Angeli. Ad hoc dico, quod eſſe imaginabile eſt mediū eſſentialiter reſpective ad obiectum ſenſibile cauſans ſui ſpeciem intelligibilem, ad hūc ſenſum, quod non ſtat attenta natura rerū, quod res ſenſibilis concurſum habeat ad ſui ſpe-

ſpeciem intelligibilem, quin prius concurrat ad eſſe ſui in Imaginatione: & hoc reſpectu cuiuſcumque intellectus: cum quo tamen ſtat, quod Deus rem materialem intelligat immediate, ſine eo quod rem materialem prius imaginetur, quia Deus non intelligit lapidem, v.g. per eſſe intelligibile acceptum à lapide active cauſante illud, ſed per eſſe intelligibile lapidis, quod in ſe, & à ſe habet per ſuam eſſentiam divinam præcontinentem lapidem in eſſe entis, & in eſſe intelligibili. Similiter etiam ſtat, Angelum lapidem immediate intelligere, ante quam lapidem imaginetur, quia non intelligit illum per eſſe intelligibile ab eo acceptum, ſed immediate acceptum à Deo auctore naturæ.

Sed inſtas, eſto res ſenſibilis non poſſit naturaliter prius producere ſui ſpeciem intelligibilem quam imaginabilem, tamen Angelus ob efficaciam ſui intellectus poterit ex re ſenſibili mere paſſive ſe habente, educere ſpeciem intelligibilem, ſine eo quod expectet, quod prius res in imaginatione ſit: ergo quod obiectum active non poſſit ſui ſpeciem intelligibilẽ producere, prius quam producat imaginabilem, non obſtat, quin Angelus ſpecies intelligibiles à ſenſibilibus immediate accipiat. Ad hoc, nego Ant, nam obiectum ſenſibile nequit eſſe id, ex quo immediate Angelus naturaliter educat ſpeciem intelligibilem, ſiquidẽ ex re pure materiali nequit educi naturaliter loquendo forma pure ſpiritualis: vnde niſi res materialis aliquantùm ſpiritualizetur, nequit Angelus naturaliter ex illa ſpeciem pure intelligibilem educere: oportet ergo neceſſario, quod res ſenſibilis per ſenſus deducatur ad imaginationem, in qua res ſenſibilis aliquantulum ſpiritualizatur, ſiquidem ſine materia eſt, eſto non ſine cõditionibus individuantibus; cumque Angelus non habeat imaginationem, non poteſt rem ſenſibilem ad eum ſtatum perducere, in quo poſſit ex illa ſpeciem pure intelligibilem abſtrahere. Explico hoc, nullum agens naturale educere poteſt formam ex aliquo ſubiecto immediate, quando inter ſubiectum, & formã mediant aliæ formæ; neque enim poteſt educi forma equi naturaliter ex ſua materia, quin prius educatur forma embrionis, quia inter formã equi, & eius materiam mediat forma embrionis, & ſic oportet prius venire per eductionem ad formam imperfectam embrionis, vt poſſit pervenire ad formam equi; atqui inter ſpeciem intelligibilem vt educẽdam ex re ſenſibili, & rem in materia exiſtentẽ, mediat eſſe formæ imaginatæ: ergo nullus intellectus naturaliter poterit ex re in materia exiſtente educere formam ſecundum eſſe intelligibile. Prob. Min. nam res in materia exiſtens eſt pure materialis, res in ſpecie intelligibili eſt pure ſpiritualis, res vero in imaginatione partim eſt ſpiritualis, & partim materialis, ſpiritualis, quia ſine materia phyſica eſt, materialis, quia à conditionibus individuantibus adhuc depurata non eſt: ergo res imaginata eſt medium inter ipſam, prout in materia, extra omnem ſenſum exiſtentem, & ipſam, prout invenitur in ſpecie pure intelligibili. Itaque ſicut quia datur iſte ordo inter rem in materia, in imaginatione, & in ſpecie intelligibili, nequit obiectum extra omnem ſenſum exiſtens concurrere active ad productionẽ ſpeciei intelligibilis immediate, ſed eſt neceſſe, quod ad rem concurrat prius vt imaginabilem; ita propter eundem ordinem, nequit Angelus naturaliter ex obiecto ſenſibili mere paſſive ſe habente ſpeciem intelligibilem immediate educere, ſed oportet prius, quod eam ſecundum eſſe imaginatum producat, quod facere nequit, cum imaginatione careat.

§. IV.

Soluuntur Argumenta contra Concluſionem.

842 PRIMO Arguit Scotus, non repugnat Angelum accipere naturaliter ſpecies à rebus materialibus: ergo fruſtra hoc denegabitur illi. Prob. Ant. anima noſtra eſt infima in genere intelligibili; & tamen habet vim accipiendi ſpecies intelligibiles à ſenſibus corporeis, qui non minus materiales ſunt quam obiecta ipſa, quæ virtus dicitur intellectus agens: ergo Angelus, quia ſuperioris naturæ eſt, habebit virtutem, licet non ad accipiendum ſpecies à ſenſibus, quia ſenſibus caret; ad accipiendum tamen ab ipſis obiectis materialibus. Ad hoc, nego Ant. ad Prob. nego Ant. Et aſſigno diſcrimen, nam animæ natura dedit intellectum agẽtem, non propter perfectionem animæ in intelligendo, ſed potius propter eius imperfectionem, quia enim ſic imperfecta eſt in linea intellectiva, quod eius intellectus eſt tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum;

Digitized by Google

pictum, ideo dedit illi vim agentem, quâ ſibi à ſenſibus ſpecies intelligibiles adquireret, & quia res miniſterio ſenſuum deporantur à materia, in qua extra animã ſunt, & perveniunt ad illum ſtatum, in quo vis naturalis creata poteſt educere ſpeciem intelligibilem à re imaginata. Itaque natura dans animæ intellectum agentem, ad duo attendit: primo attendit ad hoc, quod cum in linea intellectiva incompleta ſit, non exigit produci cum intellectu per modum actus primi completi ad intelligendum: unde nõ oportet, quod eius intellectus accipiat ſpecies intelligibiles, quæ ſunt complementum intellectus per modum actus primi à Deo, qui illum produxit, & ſic illi providit vi activa, nempe intellectu agente, quo ſibi dictum complementum à ſenſibilibus acciperet: attendit etiam ad hoc, quod licet ex obiecto materiali ad extra non ſit poſsibile, quod vis aliqua creata naturaliter ſpecies intelligibiles accipiat propter rationes ſupra adductas, poſsibile tamẽ eſt, ſpecies intelligibiles à ſenſibilibus prout in imaginatione ſunt, accipere, quia ibi habent eſſe depuratũ à materia Phyſica, eſto non à materia intentionali: cum ergo anima in corpore ſenſibus gaudeat, ideo illi data eſt vis agens ex ſenſibus ſpecies intelligibiles: in Angelo contra res ſe habet, nam cum ipſe ſit natura intellectualis completa exigit habere naturaliter ab initio ſuæ conditionis intellectum completum in ratione actus primi ad intelligendum, & ſic exigit ſpecies intelligibiles habere ſimul infuſas à Deo, qui produxit illum: Angelus etiã cum pure ſpiritualis ſit, ſenſibus caret, & cũ ab obiectis materialibus vis creata ſpecies intelligibiles immediate accipere nequeat, ideo Angelo intellectum agentem natura denegavit, neque enim quod conceditur naturæ inferiori, quia inferior eſt, oportet concedi naturæ ſuperiori: quia cum ratione excellentiæ ſuæ abſolvatur ab inferioritate, ratione excellentiæ ſuæ abſolvitur etiam à re conceſſa titulo inferioritatis.

Sed inſtans contra ſolutionem, non requiritur, quod quia Angelus complete intellectualis eſt, exigat habere ab initio ſuæ conditionis intellectum completum per modum actus primi in ordine ad omnem intellectionem naturalem: ergo nõ requiritur quod exigat habere à Deo, qui illum produxit, ſpecies intelligibiles omnium rerum. Prob. Ant. illud complemẽtum per modum actus primi exigit, habere Angelus, per quod ſufficienter diſtinguitur ab anima rationali, quæ in linea intelligibili incompleta eſt; ſed ad hoc diſtinctivum non requiritur, quod Angelus ab initio habeat ſpecies omnium rerũ naturalium: ergo Prob. Min. anima rationalis ſic ab initio ſuæ cõditionis intellectum habet incompletũ ad intelligendum, quod etiam ſe ipſam intelligere non poteſt: ergo ex hoc quod Angelus ab initio habeat intellectum plene determinatum ad cognitionem ſui ipſius, habebit ſufficiens diſtinctivum ab anima rationali. Secundo Prob. idem Anteced. non minus natura Angeli eſt completa in linea intellectivi, quam in linea volitivi eius voluntas ſit completa; & tamen voluntas nõ eſt completa ab initio per modũ actus primi ad volitionem omnium rerum naturalium; ſed tantum eſt completa ad amorem propriæ ſubſtantiæ: ergo in linea intellectivi non exigit ab initio complementũ ad omnem actionem intellectivã. Prob. Min. voluntas per modum actus primi completur per propoſitionem obiecti amabilis; & tamen ab initio ſuæ conditionis non exigit habere propoſitionem omnium amabilium naturalium, ſed tantum exigit habere propoſitionem ſuæ ſubſtantiæ: ergo.

Ad hæc, nego Anteced. ad Prob. nego Min. ad Prob. nego Conſ. eſto enim aſsignatum diſtinctivum aliquod diſcrimen poneret inter Angelum, & animam; illud tamen non eſſet ſufficiens, quia tantum diſtingueret Angelum ab anima, prout in ſtatu informationis; non vero ab ipſa ſecundum ſe: quia eſto prout informans corpus ſe ipſam per ſe ipſam proxime nõ poſsit cognoſcere, in ſtatu tamen ſeparationis à corpore ſeipſam per ſe ipſam intelligit, quia intellectus eius ab auctore naturæ plene determinatus eſt ad cognitionem animæ propriæ illi unitæ per modum ſpeciei intelligibilis. Ad ſecundam diſt. Min. non eſt cõpleta ad amorem rerum naturaliũ, complemẽtum de linea actus primi formaliter, vel æquivalenter, nego Min. formaliter, tranſ. Min. & nego Conſeq. Itaque cum voluntas Angeli ad amorem bonorum naturalium compleatur à ſuo intellectu illi à malitia proponente, ſufficit, ut intelligatur ab initio completa æquivalenter, quod ab initio habeat Angelus intellectum proxime potentem omnia intelligere: ex hoc enim habet poſſe proxime omnia proponere voluntati; intellectus autem Angelicus, ſi ab initio non haberet ſpecies rerum na-

tu-

Digitized by Google

turalium infuſas, neque formaliter, neque æquivalenter, eſſet completus per modum actus primi ad intelligendum, quia neque haberet in ſe formaliter, vt patet, neque in Angelo eſſet aliqua vis, quæ illi dictũ cõplementum conferret, quando ſe offerret occaſio intelligendi aliquod obiectum.

Eſt inſuper aliud diſcrimen, quod cõplementum voluntatis per modum actus primi, quod eſt propoſitio obiecti amabilis, non eſt complementum per modum formæ habitualis, & permanentis, ſed tantum per modum actus ſecundi, tantum durans, quantum durat actus voluntatis: vnde ſicut non requiritur, quod voluntas Angeli ab initio ſit coniuncta cum omni actu, quẽ poteſt elicere circa amabilia à ſe naturalia, ita nec requiritur, quod ab initio ſit coniuncta cum omni actuali propoſitione omnium naturaliter ab ea amabilium; complementum autem intellectus, quod habetur per ſpeciem, eſt permanens per modũ habitus per ſe connexũ cum habitibus ſciẽtiarum: vnde ſicut requiritur quod Angelus ab initio ſit habitualiter ſciens, pariter eſt neceſſe, quod ab initio habeat ſpecies infuſas omnium entium naturalium. Eſt inſuper aliud diſcrimen, quod natura intellectualis complete eſt primario intellectiva, & ſecundariò volitiva: vnde ſufficit intellectum habere completum omni complemento actus primi, ex quo poſſit derivari complementum ad voluntatem; completur enim voluntas ad volendum per intellectum, & ſic exigit ab initio ſpecies omnium rerum; non tamen requirit pro voluntate propoſitionem omnium amabilium.

844 Secũdo Arguitur. Si Angelus non intelligeret materialia per ſpecies acceptas ab ipſis, ſequeretur, Angelum non perfecte intelligere ſingularia materialia; ſed hoc non eſt dicendum: ergo. Prob. ſequela, tunc Angelus intelligeret per ſpecies naturarum vniverſalium omnino independentes à ſingularibus: ergo non intelligeret per ſpecies repræſentantes illi directe ſingularia materialia: ergo non perfecte ſingularia materialia intelligeret. Patet Conſ. quia in tantũ ſpecies naturæ vniverſalis deſervire poteſt ad cognitionem ſingularium, in quantum natura repræſentata eſt abſtracta à ſingularibus: ergo ſi Angelus non acciperet ſpecies à ſingularibus materialibus, nõ perfecte cognoſceret ſingularia materialia. Ad hoc, nego ſequelam, ad Prob. diſt. Antec. intelligeret per ſpecies naturarum vniverſalium, hoc eſt, repræſentantes tantum naturas vniverſales ſecundum rationes communes, nego Antec. repræſentantes tã naturas communes, quam ſingularia earum, Conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque dupliciter poteſt aliqua ſpecies dici vniverſalis, vel quia tantum repræſentat naturam communem, vel quia repræſentat naturã communem vt exiſtentem in omni ſuo ſingulari: ſpecies, qua abſtrahitur ab obiectis primo modo, dicitur vniverſalis; hoc eſt, quia tantum repræſentat naturam ſecundũ rationem communem: vnde per illam directe ſingularia cognoſci non poſſunt, ſed tantum reflexe: ſpecies autem Angelorum dicuntur vniverſales ſecundo modo, quia videlicet repræſentant naturas communes, prout realiter inveniuntur in ſingularibus; vnde per illas Angelus directe cognoſcit ſingularia materialia. Et quod ſic poſſit repræſentare ea eſt ratio, quia non exemplatur ab obiectis materialibus, prout in ſe ipſis ſunt, ſed tantum exemplatur ab illis, prout ſunt in prima cauſa, nempe Deo, & prout ſunt in ideis divinis: in ideis autẽ divinis naturæ vniverſales ſunt non tantum ſecundũ rationes communes, ſed etiam ſecundum rationes particulares: ſunt enim ibi prout cauſãtur ad extra: ad extra autẽ nõ cauſatur natura ſecundũ rationem communem tãntum, ſed prout contracta ad ſua ſingularia, & ſic ſpecies Angelica, eſto vniverſalis ſit, directe tamen ſingularia repræſentat.

Inſtabis, eſto ſpecies Angelica Antichriſti repræſentativa exempletur ab Antichriſto prout in idea contento, non ſequitur, quod ſi Antichriſtus per ideam de facto repræſentatur vt exiſtens, etiam ſpecies Angelica defacto illum repræſentet vt exiſtentem: ergo eſto ſpecies Angelica excẽpletur à natura, prout invenitur in idea divina, non ſequitur, quod ſi idea repræſentat naturam prout in ſingulari exiſtentem, ſimiliter ſpecies Angelica repræſentet eam vt in ſingulari exiſtentem. Ad hoc, nego Conſeq. nam in hoc quod eſt repræſentare naturam, prout à parte rei exiſtit in ſingularib᷒, poteſt eſſe cõvenientia inter ideã, & ſpeciem Angelicam; ſi quidem in hoc non involvitur aliquid divinum à creatura imparticipabile: in hoc autẽ, quod eſt repræſentare modo Antichriſtum vt exiſtẽtem pro ſuo tempore involvitur aliquid divinum creaturæ incommunicabile, ſi quidem idea divina, ideo pro ſemper habet An-

Antichriſtum vt exiſtentem pro ſuo tempore repræſentare, quia eius repræſentatio menſuratur æternitate; in qua Antichriſtus ab æterno exiſtit vt in aliena menſura: Angelicæ autē ſpeciei repræſentatio non menſuratur, neque menſurari poteſt æternitate, ſed tantum ævo, in quo Antichriſtus nondum exiſtit, etiam vt pro tempore ſuo habiturus exiſtentiam, & ſic nequit imitari ideam divinam quoad hoc, quod eſt Antichriſtum repræſentare vt exiſtentem, quandiu in ſeipſo non exiſtit.

845 Tertio arguitur, quæ in inferiori dicunt perfectionem, non repugnare debent ſuperiori; ſed abſtrahere ſpecies à rebus ſenſibilibus dicit perfectionem in inferiori, nempe in anima humana convenientem illi per intellectum agentem: igitur abſtrahere ſpecies à ſenſibilibus non debet repugnare Angelo, qui in intelligendo ſuperior eſt anima. Ad hoc, diſt. Mai. ſi dicant perfectionem, quæ in ſuo conceptu non claudat imperfectionem, conc. Mai. ſi dicant perfectionem claudentē in ſuo conceptu imperfectionem, nego Mai. & diſt. Min. dicit perfectionem admixtam imperfectioni, conc. Min. non admixtam imperfectioni, nego Min. & nego Conſ. Itaque abſtrahere ſpecies à rebus materialibus non eſt perfectio depurata in ſuo cōceptu eſſentiali ab imperfectione, ſed eſt perfectio cōveniens animæ ex hoc, quod vis intellectiva incompleta, & corpori concreta eſt, & ſic non eſt neceſſe, quod conveniat Angelo, qui vis intellectiva omnino abſoluta eſt à corpore.

§. V.

Vtrum Angelus poſſit abſtrahere ſpecies intelligibiles à rebus pure ſpiritualibus?

846 MAIOR Difficultas videtur eſſe in eo, an vnus Angelus aliū cognoſcere poſſit naturaliter, & ſine miraculo per ſpeciē acceptam ab ipſo? Cum enim Angeli eiuſdē ordinis ſint, videtur, quod ad invicem poſſunt proportionari per modum agentis, & patientis, ſicut videmus hoc contingere in ſenſibilibus. Sed tenenda eſt pars negativa cum Thomiſtica Schola. Et Prob. hæc acceptio ſpecierum poſſet fieri vel per hoc, quod res ſpiritualis immitteret ſui ſpeciem in intellectum Angeli, qui illam reciperet, & per illam obiectum immittens talē ſpeciem intelligeret, vel per hoc, quod Angelus volens intelligere alium Angelum educeret ex ipſo ſpeciem ſui repræſentativam; ſed neutro illorum modorum poteſt Angelus à rebus ſpiritualibus ſpecies accipere: ergo. Cōſ. eſt bona, Mai. videtur certa, & Minor Prob. nam ad hoc quod Angelus active immitteret ſpeciem ſui intra intellectum alterius requireretur illabi intra talem intellectū, & ad hoc, quod per propriā actionem educeret ſpeciem ex Angelo intelligibili, pariter requireretur illabi illi; hoc autē nequit dici poſſe convenire Angelis: ergo. Prob. Mai. quoad primam partem, quia illa immiſſio ſpecierū non poſſet fieri per multiplicationem ſpeciei per medium aliquod materiale, ſic, quod ſubſtantia intelligibilis prius produceret ſui ſimilitudinē in medio proximiori, & deinde per ſui multiplicationem perveniret ad intellectum Angeli; hoc per ſe patet, quia medium materiale nō eſt capax recipiendi ſpeciē pure intelligibilem: ergo deberet fieri per hoc, quod ipſa immaterialis ſubſtantia ſeipſa vniretur intellectui alterius Angeli, & ex ipſo ſui educeret ſpeciem repræſentativam; hoc autem eſſet illabi Angelum intra aliū Angelum: ergo. Quoad ſecundam partem hoc ipſum Probatur. Si Angelus per ſuam actionem ab obiecto immateriali ſpeciē educeret, oporteret etiam, quod ageret in re immateriali, ex qua ſpeciem educeret: ergo oporteret, quod illi intimè vniretur habēdo illapſum in illā, cum nihil poſſit immediate operari in aliquo, & ex aliquo, ſine eo quod immediate vniatur illi. Min. noſtri diſcurſus Probo, quia res immaterialis, qualis eſt Angelus, à Deo ſolum adæquate accipit ſuum eſſe, vnde ſolus Deus poteſt illabi illi, & intime fieri præſens intima præſentia illi: cū ergo Angelus nullò modo ſit cauſa alterius Angeli, nequibit illabi illi. Itaque ſola illa res poteſt alteri illabi, quæ eſt cauſa efficiēs eius, vel formalis, vel materialis, vel ſubiectum ſuſtentans; nullo autem horum modorum vnus Angelus alterius eſt cauſa: ergo nullo modo vnus Angelus poteſt illabi alteri.

Dices, res corporea nullo modo efficitur ab Angelo; & tamen Angelus illabitur in rem corpoream, & in illam immediate aliquid operatur: ergo eſto vnus Angelus nullo ex modis aſſignatis ſit cauſa alterius Angeli, poterit tamen illabi illi, & intra ipſum operari. Ad hoc, diſt. Min. & tamen

men illabitur in rem corpoream; illapſu locali, conc. Min. illapſu eſſentiali, nego Min. & Conſq. Itaque illapſus eſt duplex: alter localis conſiſtens in eo ſolum, quod res illa, quæ alteri illabitur, non diſtet ſecūdum locum ab ipſa, & talis illapſus bene poteſt convenire Angelo reſpectu alicuius corporis, quia tantum eſt quædā iuxtapoſitio rei ad rem, ad quā non requiritur, quod id, quod illabitur intra ipſam rem aliquid operetur, ſed ſufficit, quod in terminis externis quantitatis rei aliquem motum, vel qualitatem producat: ad quod ſufficit ſuperioritas, quam habet Angelus ad naturam corpoream ex eo quod ſubſtantia complete intellectualis eſt; ex hoc enim natura corporea habet illi obedire, & non reſiſtere locabilitati ipſius: alter illapſus eſt, qui eſſētialis dicitur per hoc, quod res ingreditur terminos eſſentiæ rei, ſimilis illi, quo Deus fit omnibus creaturis præſens non manendo in ſola ſuperficie rerum, ſed intima prædicata eius penetrando; & ad iſtum requiritur, vel quod res, quæ illabitur, ſit cauſa adæquate rei factiva, vel cauſa formalis rē informans, vel ſubiectum intrinſice rem radicans, & ſuſtentans, & hunc illapſum nequit Angelus habere in re corporea. Quam doctrinam egregie tradidit D.Th. in 2. ſent. diſt. 8. quæſt. 1. ar. 2. in corp. ibi: *Cum enim natura ſpiritualis ſuperior ſit natura corporali, oportet, quod natura corporalis illi obediat, nō quantum ad ſuſceptionem formarum; quia prima inchoatio formarum in materia ſecundum quod in ea dicuntur eſſe habilitates quædam ad formas, eſt ab opere creatoris; ſed eductio earum in actum eſt per virtutes agentium naturalium determinatorum; ſeu quantū ad motum localem, per quem nulla forma ponitur in re mota, obedit corpus virtuti ſpirituali, & ſecūdum hoc quod virtus ſpiritualis movet aliquod corpus, coniungitur illi, ſicut motor mobili.* Et in ar. 5. ſolut. ad 3. ait: *Dicendum, quod eſſe intra aliquid eſt eſſe intra terminos eius, corpus enim habet terminos duplicis rationis, ſcilicet quantitatis, & eſſentiæ: & ideo Angelus operans intra terminos quantitatis corporalis corpori illabitur; non autē ita quod ſit intra terminos eſſentiæ eius, nec ſicut pars, nec ſicut virtus dās eſſe, quia eſſe eſt per creationem à Deo; ſubſtantia autem ſpiritualis nō habet terminos quantitatis, ſed tantum eſſentiæ, & ideo in ipſam nō intrat, niſi ille, qui dat eſſe, ſcilicet Deus creator; qui habet intrinſecam eſſentiæ operationē, alia autem perfectiones ſuas ſuperaddita ad eſſentiam; unde Angelus illuminans non dicitur eſſe in anima, & in Angelo: ſed extrinſecus aliquid operari.* Quibus D.Thom. nobis dederat duplicem illapſum, quem poteramus fingere, Angelum habere in corporibus, & ex illis, admittit poſſe habere illū, qui eſt ad terminos quantitatis molis, quia iſte ſolum eſt contactus externus rei per indiſtantiam localem à re, cōſiſt illapſus.

847 Inſtabis, ſicut poteſt Angelus illabi corpori illapſu indiſtantiæ localis, ita poteſt illabi alteri Angelo illapſu indiſtantiæ localis, ſic, quod dentur duo Angeli localiter approximati, ſicut & dantur duo corpora localiter inter ſe indiſtantia: ergo poterit tunc vnus ex eis ex intellectu alterius, à quo non diſtat, & cui loco coniungitur, ſpeciem repræſentativam ſui educere; ſicut dum vnum corpus localiter coniungitur alteri, poteſt agere in illud, & ex illo. Ad hoc, nego Conſ. quia ad hoc vt vnus Angelus ex intellectu alterius educat ſpeciem, eſt neceſſe, quod non ſolum loco indiſtās ſit ab illo, ſed requiritur vltra, quod ſit intra eius intellectum, quod eſt impoſſibile: quia intra intellectum Angeli ſolum poteſt ingredi agens, quod creavit illum, vel propria eius ſubſtantia, quę radicat illū. Nec eſt idem de corpore localiter approximato alteri corpori: tangit enim illum contactu quantitativo, vnde poteſt operari in externa quantitate eius; duo autem Angeli non dicuntur indiſtare loco per hoc, quod vnus in alio ſit tanquam in loco, ſed per hoc, quod ambo operantur circa idem corpus, & ſic quantumvis ſit indiſtans loco ab altero, nequit ex intellectu eius ſpeciem educere.

Sed inſtas ex D.Tho. quæſt. de anima. ar. 18. ad 13. ibi: *Animæ ſeparatæ infunduntur ſpecies mediantibus Angelis*: ergo vere Angeli agunt intra intellectum ſubſtantiæ ſpiritualis. Et in 2. ſent. diſt. 8. quæſt. 1. ar. 5. ad 6. ait: *Dicendum, quod mali Angeli cogitationes immittunt illuſtrando phantaſmata, vt ſecundum diverſas eorum compoſitiones poſſint novæ intentiones ab eis accipi; non tamen cogitur intellectus eas accipere, quia præter obiectum, & potentiam cognoſcentem exigitur ad actualem cognitionem intentio cognoſcentis, vel per ſenſum, vel per intellectum: ſed boni Angeli etiam directe in intellectu imprimere poſſunt, quia ſecundum Auguſtinum operantur in intelligentias noſtras miris quibuſdā modis; hoc autem eſt in quantū lumen intellectus agentis noſtri confortatur per intellectua-*

le

Digitized by Google

le lumen eorum. Et ad 7. *in voluntatem autem imprimere ſolius Dei eſt, quod eſt propter libertatem voluntatis, quæ eſt domina ſui actus, & non cogitur ab obiecto, ſicut intellectus cogitur à demonſtratione: vnde patet, quod Dæmones imprimunt in phantaſiam, ſed boni Angeli etiam in intellectum; Deus autem ſolus in voluntatem:* ergo Angeli boni bene poſſunt producere ex intellectu ſpecies intelligibiles.

Ad primam auctoritatem communitèr ſolet dici, D. Th. eam doctrinam, quam in diſputata de anima docuerat, correxiſſe hic quæſt. 89. ar. 1. ad 3. illis verbis: *Dicendum, quod anima ſeparata non intelligit per ſpecies innatas, nec per ſpecies, quas tunc abſtrahit, nec ſolum per ſpecies conſervatas, ſed per ſpecies ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, ſicut & alia ſubſtantia ſeparata, quamvis inferiori modo.* Quibus videtur docere D. Tho. animam ſeparatam intelligere per ſpecies ex influẽtia ſolius divini luminis cauſatas, nõ autem miniſterio Angelorum. Dicit enim; *quibus anima fit particeps, ſicut alia ſubſtantia ſeparata;* ſed ſubſtantiæ ſeparatæ, quales ſunt Angeli à ſolo Deo recipiunt ſpecies, teſte D. Th. ſupra quæſt. 54. ar. 2. & pluribus alijs in locis: ergo videtur ſentire, quod anima ſeparata à ſolo Deo accipiat ſpecies, & non mediantibus Angelis.

Cæterum D. Tho. non mutaſſe ſentẽtiam eſt aperta doctrina Caietani in Commentario dicti ar. ad 3. illis verbis: *Nec putes influxum iſtum dici divinum, quia fit à Deo immediate, quoniam fit mediantibus Angelis, vt patet* ex quæſt. de anima ar. 20. & 18. ad 13. Et certe ſi litera hæc curioſè inſpiciatur non invenietur verbum excluſivum doctrinæ traditæ in dicta quæſt. de anima: nam quod hic dicat, *illas accipere ex influxu divini luminis*, non excludit miniſterium Angelicum, quia ibi tantum facit mentionem cauſæ principaliter influentis, quæ Deus eſt, nec etiam ex hoc quod dicit: *Quod anima fit particeps harum ſpecierum, ſicut ex alia ſubſtantia ſeparata;* nam ſubdit; *quamvis inferiori modo*, quo denotat in participatione dictarum ſpecierum à Deo, animam inferiori modo ſe habere, quam Angelus, quia hic à ſolo Deo, anima vero à Deo mediãtibus Angelis: nõ ergo eſt aliquod verbum, quod cogat aſſerere D. Th. in adducta reſponſione ad 3. correxiſſe ſentẽtiam, quam docuerat in libris de anima.

848. Aliter ergo explico D. Tho. aſſerendo verba illa *mediantibus Angelis* nõ debere intelligi de mediatione per modum cauſæ principalis, ſed tantum inſtrumentalis. Moveor ad hoc primò, quia ibi eodem prorſus modo loquitur D. Thom. de ſpeciebus naturalis ordinis, & de ſpeciebus ordinis ſupernaturalis; vt patebit legenti contextum; ſed nullus poteſt dicere ſpecies ſupernaturalis ordinis poſſe à Deo infundi animæ ſeparatæ mediantibus Angelis vt cauſis principalibus: ergo non loquitur de mediatione Angelorum vt cauſarum principalium, ſed tantum inſtrumentalium, ad hoc aſſumptarum à Deo, vt inferioritas animæ ad Angelum in receptione prædictarũ ſpecierum eluceat. Pro cuius maiori explicatione adverto, quod anima, quamdiu eſt corpori vnita, à duplici principio ſpecies obiectorum accipit: ab alio tanquam à cauſa principali, nempe ab intellectu agente, & ab alio tanquam à cauſa inſtrumentali, nẽpe à phantaſmate obiecti; in ſtatu autem ſeparationis nobiliori modo intelligit, ſed nõ ita nobiliter, quod æquetur Angelis: ſemper enim intelligit vt forma incompleta in linea intellectuali, & ſic oportet, quod etiã accipiat ſpecies obiectorum à duplici cauſa, nempe à Deo vt à cauſa principali, & ab Angelis vt à cauſa inſtrumentali, dum Angeli à ſolo Deo ſpecies intelligibiles accipiunt: vnde à corpore ſeparata excedit ſeipſam in intelligendo, quia à nobiliori cauſa ſpecies ad intelligendum accipit, nempe à Deo, & ab Angelis; nõ tamen æquabit perfectionem, quæ competit Angelis, ex eo quod formæ ſeparatæ cõpletè intellectuales ſunt, & ſic à ſolo Deo complementum per modum actus primi ad intelligendum, quale ſpecies intelligibilis eſt, accipiunt.

Sed contra inſtas, nam ad hoc vt Angelus aſſumatur vt inſtrumentum ad infuſionem ſpecierũ in anima, requiritur, quod habeat aliquam actionem præviam in animam ſeparatam; ſed iſtam nequit habere Angelus: ergo. Prob. Min. nam Angelus nequit vt cauſa principalis agere in ſpiritum; ſed actio prævia inſtrumenti eſt ab inſtrumento vt à cauſa principali: ergo Angelus nequit habere rationem inſtrumenti ad infuſionem ſpecierum in anima ſeparata. Ad hoc, nego Min. ad Prob. diſt. Mai. proprie loquendo de actione, conc. Mai. laxo modo loquendo de actione, nego Mai. & diſtincta Mi. eadem diſtinctione, nego Conſ. Itaque ad hoc vt aliquid aſſumatur vt inſtrumentum, non requiritur, quod ex proprijs, & vt

qua-

cauſa principalis agat in ſubiecto, in quo effectus cauſæ principalis producendus eſt: etenim ignis Inferni inſtrumentaliter agit in Dæmones, in quos tamē actionem præviam, quæ ſit propriè actio, non exercet, neque enim prævie vt cauſa principalis aliquid producit in illis; ſed tantum habet deferre imperium Dei principaliter torquentis Dæmones; & ſi Deus aſſumeret actum meum immanentem in me vt inſtrumentum ad igniendum, talis actus meus nihil prævie operaretur in ſubiecto à me diſtincto, in quo cōbuſtio fieret: ſic ergo vt Angelus habeat rationem inſtrumenti ad infuſionem ſpecierum in anima ſeparata, ſufficit, quod deferat imperium Dei vt cauſæ principalis infundentis dictas ſpecies in anima ſeparata.

Inſtabis, ſaltim, vt ſolutio admittitur, requiritur, quod inſtrumentum deferat imperium ad ſubiectum, in quo produci debet effectus; ſed hæc delatio imperij nequit Angelis convenire ex proprijs reſpectu animæ ſeparatæ: ergo Angeli nequeunt ſubire rationem inſtrumenti in infuſione ſpecierum in anima ſeparata. Ad hoc, nego Conſ. non enim requiritur quod ex proprijs habeant deferre imperium ad paſſum, in quo effectus producendus eſt, ſed ſufficit, quod hoc illis conveniat ratione virtutis, qua elevantur à cauſa principali. Itaque virtus elevativa inſtrumenti duo munia habet: primò tribuit inſtrumento quod vt cauſa principalis imperium deferat ad paſſum, in quo effectus producendus eſt; ſecundò dat virtutem, vt efficiat inſtrumentaliter effectum principalis agentis, ita vt ab eadem virtute duo habeat inſtrumentum, nempe deferre imperium vt cauſa principalis, & producere effectum vt inſtrumentum.

Vel ſi hæc explicatio non placuerit, dicatur, Deum infundere ſpecies animæ ſeparatæ mediantibus Angelis, non vt activè operantibus ipſas ſpecies, ſed inſtruentibus animam de veritatibus, ad quarum cognitionem Deus illis infundit ſpecies: ad huiuſmodi autem inſtructionem non requiritur, quod Angelus illabatur animæ, ſed ſufficit externa illuſtratio obiecti cognoſcibilis, ſicut dicemus infra tractantes de illuminatione Angelorum, in quo eſt diſtinctio inter Angelos, & animam; quod illi in ordine ad ea, quæ naturaliter poſſunt cognoſcere, non indigent hac aliorum Angelorum illuminatione, & magiſterio, ſeu tantum illo indigent ad cognoſcendas aliquas rationes, vel conſilia de rebus fiendis, quæ à ſuperioribus per magiſterium deſcendunt ad inferiores: anima autem indiget in ordine ad cognitionem naturalium magiſtro, & doctore ob ſui imperfectionem in intelligendo. Cum ergo Deus ſolus infundit animæ ſpecies, Angeli animam illuminant de cognoſcendis, & ſic verificatur, quod Deus infundit ſpecies animæ ſeparatæ mediantibus Angelis.

Ad alias duas auctoritates dico, quod Angeli boni præ Dæmonibus non dicuntur directè agere, vel imprimere in intellectum noſtrum, quaſi aliquid producant effectivè in illo, quod ſit, vel ſpecies impreſſa, vel lumen, ſed ſolum directè poſſunt agere in phantaſiam noſtram, quia hæc eſt potentia organo corporali affixa, & Angelus, vt ſupra dixi, habet virtutem tranſmutandi naturam corpoream; ex hoc autem quod directè in phantaſiam agunt, reſultat per accidens aliqua activitas eorum in noſtro intellectu: dicuntur autem directè agere in intellectum noſtrum Angeli boni præ malis, quia Angeli boni illuſtrant phantaſmata in ordine ad rectum iudicium rationis, & ſic media tali illuſtratione lumen intellectus agentis habet confortari: Dæmones autem cum eo ſolum phantaſmata moveant, vt decipiant, lumen noſtrum agens non confortāt, ſed potiùs debilitant, & ſic dum boni intellectum agentem confortant, dicuntur directè agere in intellectum noſtrum; non quia aliquid in eo producant. Legatur D. Tho. in tota ſolutione ad 6. producta, & in fine invenietur hæc doctrina.

Sed hinc mihi oritur difficultas, & deduco ex hac doctrina in favorē Scoti, poſſe Angelum intelligere per ſpecies acceptas à ſenſibilibus. Etenim obiectum phantaſiatum, & imaginatum capax eſt, vt ex illo immediate abſtrahatur ſpecies impreſſa intelligibilis: nam ex illo intellectus agens eam abſtrahit; ſed per nos Angelus poteſt illabi phantaſiæ noſtræ, & imaginativæ: ergo ex obiecto imaginato ibi exiſtente poterit Angelus educere, vel abſtrahere ſpeciē pure intelligibilem, per quam poſsit præfatum obiectū cognoſcere. Sed reſpondeo, hoc non poſſe fieri à quocumque agente, ſed præciſe ab illo, qui prius vidit, vel audivit, deinde interius ſenſit, deinde imaginavit: iſte enim, qui iſtum ordinem ſervat, hoc poteſt, quia tunc horum actuum, qui præceſſerunt, poteſt ex obiecto à ſe imaginato ſpeciem intelligibilē abſtrahere; An-

Digitized by Google

gelus autem nec vidit, nec audivit, nec interius ſentit, nec imaginavit obiectum à me imaginatum, & ſic ab illo immediate ſpeciem intelligibilem abſtrahere nō poteſt.

Sed inſto, nam ſi Deus meæ imaginationi immediate imprimat aliquam ſpeciē cum illa proportionatam, etiā ſi obiectum per illā nō imaginetur, poteſt nihilominus habens talem ſpeciem intra ſuam imaginativam abſtrahere ſpeciē intelligibilem obiecti exiſtentis in tali ſpecie: ergo nō requiritur quod prævie ſe exerceat circa tales actus, vt educat ſpeciem intelligibilem ex obiecto imaginabili per ſpeciem impreſſam imaginativæ repræſentato. Ad hoc dico, quod ille talis, ſi prius per talem ſpeciē à Deo impreſſam prius non imaginetur obiectum, non poterit immediatè ſpeciem intelligibilem talis obiecti repræſentativā abſtrahere. Itaque imaginativa non ſolum offert intellectui agenti ſpecies impreſſas repræſentantes imaginabilia, ſed offert etiā imaginata à ſe; neque enim intelligere poteſt homo aliquod obiectū antequam imaginetur illud, nam per hoc per ſe diſponitur ad cognoſcendū illud, & ſic Angelus non poterit, etiam ſi in imaginativam noſtram ingrediatur, ex obiecto imaginato ſpeciē intelligibilem abſtrahere.

§. V.

Soluuntur Argumenta contra Concluſionem.

849 PRIMO Arguitur, ſenſibilia habent multiplicare ſpecies ſui repræſentativas virtute ſubſtantiarum ſeparatarum, hoc eſt, quia participant modum operandi illarum, vt docet D. Thom. q. 5. de potentia, art. 8. ergo Angeli, qui ſubſtantiæ ſeparatę ſunt, habent multiplicare ſpecies ſui repræſentativas in intellectum alterius Angeli. Patet Conſ. quia in intellectum noſtrum illas multiplicare nequeunt, quia cum ſit immerſus materiæ, nequit intelligere per ſpecies omnino independentes à materia. Confir. obiectū ſenſibile habet multiplicare ſpecies ſui repræſentativas ad ſenſum: ergo obiectum per ſe intelligibile, quale eſt purè ſpirituale, habebit multiplicare ſpecies ſui repræſentativas ad intellectum. Patet Conſ. quia non minoris efficaciæ eſt obiectum ex ſe intelligibile, quā ſit obiectū ex ſe ſenſibile: ergo ſi hoc habet multiplicare ſpecies ſenſibiles ad ſenſum, illud habebit multiplicarę ſpecies intelligibiles ad intellectū. Confir. ſecundo, obiectū ſenſibile, ideo à natura habet multiplicare ſpecies ſenſibiles ſui in ſenſu, quia ſe ipſo nequit vniri ſenſui; ſed obiectū ex ſe intelligibile nequit ſe ipſo vniri intellectui alieno: ergo, habebit à natura multiplicare ſpecies intelligibiles ſui repræſentativas in intellectu.

Ad hoc argumentū dico, quod in illa multiplicatione, qua ſenſibile multiplicat ſpecies ad ſenſum, ſunt duo, alterū, quod eſt multiplicare ſpecies, & illas per mediū diffundere, alterū, quod eſt agere modo perfectivo: & nulla via corruptivo paſſi. Primū non participat corpus ſenſibile à ſubſtantia ſeparata, quaſi in illo aſſimiletur illi; bene vero ſecundū, quia ſubſtantia ſeparata habet agere in corpora modo pure perfectivo, & nullatenus corporis corruptivo: movet enim corpora cœleſtia non corrūpendo ea, ſed mere perficiendo, ex quo non ſequitur, quod ſi corpus ſenſibile ſui ſpecies multiplicat in ſenſum, etiā Angelus ſui ſpecies intelligibiles multiplicet in intellectū. Vnde nego Conſ. Ad primā Confir. nego Conſ. ad Prob. diſſ. Antec. non eſt minoris efficaciæ, quā ſit obiectū ex ſe ſenſibile, & cætera requiſita ad multiplicationē ſpecierum ſunt paria, nego Ant. ſunt imparia, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque ſenſibile à natura habet fœcunditatē ad productionē ſpecierū ſenſibiliū, quia agit in potentiā ſenſitivam, quæ ob ſui imperfectionē exigit paulatim perfici ab activo ſui ordinis, & quia adeſt mediū, per quod ſpecies multiplicet, & perducat vſque ad ſenſum: vnde nō requiritur, quod ſenſibile immediatè illabatur potentię ſenſitivæ, vt ſpecies immittat in illā; hæc omnia deſunt Angelo reſpectu alterius Angeli: deeſt primū, quia cū Angelus ſit ſubſtātia cōpleta in ordine intellectuali, exigit accipere complemētū per modū actus primi ad intelligendū, quod eſt ſpecies intelligibilis, à Deo, à quo accipit per creationem eſſe, & ſic non eſt perfectibilis per aliquod agēs creatū quoad hoc, quod eſt intelligere per ſpecies acceptas ab illo: deeſt etiā ſecundū, quia ſpecies intelligibiles, cū purè ſpirituales ſint, nequeūt per mediū aliquod ſenſibile perduci ad intellectū Angeli diſtincti ab Angelo immittente: vnde requireretur, quod Angelus immittens ſe ipſo vniretur illi, & illaberetur intellectui alieno, quod fieri non poteſt, vt ſupra vidimus.

Ad ſecundam Confir. nego Mai. non enim ſenſibile multiplicat ſui ſpeciem in

ſenſui; quia ſe ipſo ſenſui vniri non poteſt; poſſet enim ſenſus habere ſpecies ſenſibiles à Deo productas, per quas ſenſibilia cognoſceret: ſed quia potentia ſenſitiva, quia imperfecta eſt, exigit connaturaliter paulatim perfici ab agente proportionato illi, quale eſt ſenſibile externum, & quia datur medium, per quod ſpecies multiplicare poſsit, vſque ad ſenſum: quorum neutrum, vt vidimus, convenit obiectis pure ſpiritualibus reſpectu cognitionis Angelorum.

§. VII.

Vtrùm Angeli intelligant per ſpecies per ſe infuſas à Deo ab initio ſuæ conditionis?

850 CONCLVSIO eſt affirmativa. Et Prob. primò ſic, Angelus alia à ſe debet intelligere per ſpecies realiter diſtinctas à ſua ſubſtantia; at iſtæ, vt vidimus, non ſunt à rebus acceptæ: ergo debent eſſe per ſe à Deo illi infuſæ ab initio ſuæ conditionis. Maiorem negat P. Vazquez hic diſp. 200. c. 3. & 204. c. 2. vbi ait, non eſſe aliquā rationē, quæ convincat Angelos habere ſpecies ſuperadditas, vt cognoſcant obiecta poſita extra ipſos, quā poſſet aliquis dicere, quod potentia intellectiva Angeli determinatur ab obiecto extrinſeco, ſine eo quod neceſſariū ſit ponere in ipſo formā aliquā intrinſecā loco obiecti: videmus enim voluntatē determinari ad volendū ad obiecta extra ſe poſito; quare ergo ſimiliter intellectus non determinabitur ab obiecto extra ſe poſito. Sed Maiorē noſtrā communiter vera iudicatur à Theologis vtriuſq; Scholæ tā Scotiſticæ, quā Thomiſticæ, & probatur hac evidenti ratione. Angelus intelligit, quæ extra ipſum ſunt per aſsimilationē cum ipſis: ergo debet fieri potens intelligere illa per hoc, quod apud ſe retineat ſimilitudines eorū. Tunc ſic, ſed has ſimilitudines apud ſe non habet per ſolam ſuā ſubſtantiā, vt abundanter ſupra probatū eſt; non etiā habent per ipſa extrinſeca obiecta: ergo debet illas habere per formas intentionales illi realiter ſuperadditas. Prob. primū Ant. ex diſtinctivo intellectus, & volūtatis communiter à Metaphyſicis recepto, videlicet, quod intellectus intelligendo habet ſibi aſsimilare terminū, quē producit obiecto, quod ad intelligēdū ipſum intrinſicè determinat; voluntas autē non ſic, tantū enim habet producere pōdus in obiectū, quod amat, quā rationē vti ſumus ſupra ad probandū proceſsionē Filij, quæ per intellectū eſt, eſſe generationē; nō vero proceſsionē Spiritus Sācti, quæ eſt per voluntatem: ergo. Conſ. vero prima Prob. nam ſi intellectus non habet apud ſe ſimilitudinem obiectorum, quæ intelligit, terminus productus nō evadet ſimilis principio, à quo procedit; ſi enim intelligens hominē non habeat apud ſe hominē ſaltim in eſſe intentionali, homo intentionaliter productus, qui verbū eſt, non evadet ſimile intellectui; nam homo ſoli homini aſsimilatur: ergo ſi intellectio ſit per aſsimilationē termini producti ad intellectū producentē, debet intelligens hominem apud ſe retinere formam hominis. Quod autem ad hoc nō ſufficiat obiectum extra intellectum exiſtens, ex eo deducitur, quia obiectum extra intellectū exiſtens ſe ipſo nequit vniri intellectui; neque enim lapis materialis ſe ipſo poteſt illabi intellectui pure ſpirituali, neque Angelus pure ſpiritualis ſe ipſo ingredi poteſt intellectū alterius Angeli, quia illi ſolum illabi poteſt Deus, qui fecit illū, vel propria ſubſtantia, quæ radicat illum: nō ergo fieri poteſt prædicta aſsimilatio per ſola obiecta extrinſeca: ergo aſsimilatio debet fieri per ſpeciem impreſſam, quæ eſt ſimilitudo obiecti.

Dices cum Vazquez, quod licet obiectum pure ſpirituale ſe ipſo non vniatur potentiæ, tamen ſe ipſo eſt intra ſphœrā obiectorum pure intelligibiliū, & ſic ſe ipſo erit ſufficiens, vt intellectus Angeli poſsit formare verbum ſimile ſibi. Sed contra eſt, nam verbum productum debet aſsimilari intelligenti, & non ſolum obiecto ad extra exiſtenti: ergo dum obiectum intelligibile non eſt intra intellectū, non fiet congrua aſsimilatio per intellectionem. Deinde, ſi intellectus intra ſe non ſit potens producere verbum ſimile obiecto, non producet verbū obiecto ſimile, nam vnumquodque aſsimilat effectum formæ, per quam agit; at per obiectum extra intellectum exiſtens intellectus nequit fieri intrinſicè potens producere verbum ſimile obiecto: ergo ſi obiectum non vnitur intrinſicè intellectui, non producet intellectus verbum ſimile obiecto.

851 Prob. ſecūdo concluſio ſpecialiter contra Scotū ratione, qua vtitur D. Th. hic q. 55. art. 2. vbi habet ſic: *Dicendū quod ſpecies, per quas Angeli intelligūt, nō ſunt à rebus acceptæ, ſed eis connaturales.* Quod probat, ſic

ſic enim oportet intelligere diſtinctionem ſpiritualium ſubſtantiarum, & ordinem earum, ſicut eſt diſtinctio, & ordo corporalium: ſuprema autem corpora habent potentiam in ſui natura omnino perfectam per formam: in corporibus autem inferioribus potentia materiæ non totaliter perficitur per formã, ſed accipit nunc unam, nunc aliam ab aliquo inferiori agente. Similiter & inferiores ſubſtantiæ intellectivæ, ſcilicet animæ humanæ habent potentiam intellectivam non completam naturaliter, ſed completur in eis ſucceſſivè per hoc, quod accipiunt ſpecies intelligibiles à rebus: potentia vero intellectiva in ſubſtantijs ſuperioribus, id eſt, in Angelis naturaliter completa eſt per ſpecies intelligibiles connaturales, in quantum habent ſpecies intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda, quæ naturaliter intelligere poſſunt. Vis huius rationis in eo ſtat, quod ſicut exceſſus corporum ſuperiorum ad inferiora in eſſendo requirit, quod corpora ſuperiora ab initio ſuæ conditionis habeant ſuam potentiam phyſicam formarum receptivam omnino perfectam per formam, ſic, quod ſucceſſu temporis nõ tranſeant de vna ad alteram formam; cum hoc habeant corpora inferiora ſublunaria, quæ ſucceſſu temporis ab agentibus naturalibus modo accipiunt vnam formã, deinde aliam; ſic exceſſus ſubſtantiarum complete intellectualium ſuper ſubſtantias incomplete intellectuales, quales ſunt animæ noſtræ, requiratur, quod potentia intellectiva ſubſtantiarum complete intellectualium ab initio conditionis ſuæ ita ſit perfecta per formas intelligibiles obiectorum, quod deinde ſucceſſu temporis nõ indigeat illas à rebus accipere, cum tamen anima humana cum hac indigẽtia habendi ſucceſſive ſpecies à rebus creetur. Quod autẽ ſic res contingat, ex eo deducitur, quod ordo inter ſubſtãtias intellectuales ſuperiores, & ſubſtãtias intellectivas inferiores, & diſtinctio debet cognoſci ex ordine, & diſtinctione, quæ habetur inter corpora ſuperiora, & inferiora; ſed talis eſt ordo diſtinctionis inter corpora ſuperiora, & inferiora, quod illa ab initio ſuæ conditionis habent potentiã receptivam formarum omnino perfectam, ſic, quod ſucceſsivè non indigeant modo recipere vnam, modo aliam, cum hanc indigentiam habeant inferiora: ergo ſimiliter talis erit ordo diſtinctionis inter ſubſtãtias intellectivas ſuperiores, & inferiores, quales ſunt animæ noſtræ, quod earum, potentia receptiva formarũ intelligibiliũ ab initio ſit cõplete perfecta omni forma intelligibili: potentia vero receptiva formarum intelligibilium animæ humanæ ſit pura potentia ab initio ſuæ creationis omni prorſus formã intelligibili orbata.

§. VIII.

Solvuntur inſtantiæ contra hanc rationem.

852 HÆC ratio licet ſit efficax congruentia, habet tamen contra ſe plures inſtantias, quas oportet ſolvere. Iſtas primo contra hanc rationẽ. Quia ſimilis debet eſſe exceſſus Angelorũ ad animas humanas, qualis invenitur inter corpora ſuperiora ad inferiora ſublunaria, ſequitur, quod ſicut corpora ſuperiora excedunt inferiora in eo, quod potentia receptiva formarum corporum ſuperiorũ ab vna tantum forma adæquatè perficitur in eſſendo, cum hoc tamen nõ contingat in corporibus inferioribus, in quibus potentia phyſica formarũ receptiva à pluribus formis ſuam perfectionẽ mendicat, ſic potentia receptiva formarũ intelligibiliũ in Angelis excedet potentiã receptivã formarũ intelligibiliũ animæ humanæ in eo, quod illa ab vna tantũ forma intelligibili adæquatè ſuã perfectionẽ ad intelligendũ accipiat, cum anima humana indigeat perfici à pluribus formis intelligibilibus, quod falſiſsimum eſſe nullus dubitat.

Ad hoc, nego ſequelam, nam exceſſus Angelorũ ad animas humanas ſolum debet ex exceſſu corporum ſuperiorum ad inferiora in eo, in quo poſsibile eſt, quod Angeli excedant animas humanas, ſicut eſt poſsibile, quod corpora ſuperiora excedant inferiora: nõ eſt autẽ poſsibile, quod natura intellectualis creata ab vna tantũ forma intelligibili ſuam adæquatã perfectionem in intelligendo accipiat, ſicut eſt poſsibile, quod corpus ſuperius ab vna tantum forma phyſica in eſſendo perficiatur adæquatè; & ideo ex iſto exceſſu, qui reperitur inter corpora ſuperiora, & inferiora, non debet deduci ſimilis exceſſus inter Angelos, & animas: eſt autẽ poſsibile, quod nemo negare poteſt, quod ſicut corpus ſuperius ab initio ſuæ cõditionis habet ſuã potentiã phyſicã omnino perfectã, ita & ſubſtantia complete intellectualis habeat ab initio ſuæ cõditionis omnẽ formã intelligibilẽ, quã ſucceſſu tẽporis habere poſſet: ergo in hoc cõgrue deſumetur paritas inter corpora, & ſubſtantias

intellectuales; non vero in primo, quod eſt impoſsibile.

Sed iam inquiris, cur ſicut eſt poſsibile, quod corpus ſuperius ab vna tantum forma phyſica adæquatè perficitur, non erit poſsibile, quod ſubſtantia intellectualis cō pleta ab vna forma intelligibili adæquatè intelligibiliter perficiatur? Reſpondeo, eam eſſe rationem, quod cum intellectus Angelicus ſit potens intelligere omnia entia, ſi ab vna tantum forma adæquatè perficeretur, oporteret, quod illa intelligibiliter eſſet omnia entia, quæ naturaliter Angelus intelligere poteſt; & cum ſe ipſum intelligat, vt infra videbimus per ſuam ſubſtantiam, oporteret, quod eius ſubſtantia omne ens intelligibile eſſet, quod ex terminis implicat, & ſic requirit neceſſario pluralitatem formarum, vt adæquatè perficiatur intelligibiliter. Potentia autē phyſica corporum ſuperiorum non dicitur adæquatè perficere illud, quia omnem formam corpoream ſu præcontineat, ſed quia cum eam indiviſibiliter habeat, & duas formas ſubſtantiales ſimul habere non poſsit ſaltim naturaliter, ab vna tantum, quam ſemel accepit, adæquatè perficitur; & ſic eſt poſsibile, quod ab vna tantum forma ſuam ſubſtantialem perfectionē adæquatè accipiat; non vero poſsibile eſt, quod ſubſtantia intellectualis completa vna tantum formâ intelligibili gaudeat.

853 Inſtabis ſecundo, ex exceſſu aſsignato à D. Th. corporum ſuperiorum ad inferiora non poteſt colligi, quod ſicut corpora ſuperiora habent ſuas formas à Deo tantum productas, & non concurſu, vel influxu rerum adquiſitas, ita Angeli habeant ſuas formas intelligibiles à ſolo Deo productas, & non concurſu, vel influxu rerum adquiſitas: ergo ratio adducta nulla eſt. Prob. Ant. hoc adeſt diſcrimē inter formas corporum cœleſtium, & formas intelligibiles rerum ſenſibiliū repræſentativas, quod formæ cœleſtes nullatenus poſſunt produci ab aliquo agente creato, bene vero formæ intelligibiles rerum ſenſibilium repræſentativæ, cum hæ de facto cauſentur in nobis à rebus ſenſibilibus: ergo eſto corpora cœleſtia excedant inferiora in eo, quod habent ſuas formas tantum à Deo cauſatas, non vero inferiora; non tamen Angeli excedunt animas humanas in eo, quod illi habeāt formas ſuas à ſolo Deo productas, animæ vero illas habeant a rebus acquiſitas. Prob. Conſ. quia dum ratio, quæ cogit ad ſimilem exceſſum inter corpora ſuperiora, & inferiora, non cogit ad eundē exceſſum inter Angelos, & animas; nullū adeſt fundamentū ad ſimilem exceſſum ſtatuendū inter Angelos, & animam: ergo. Ad hoc, nego Ant. ad Prob. diſt. Ant. quoad illam partem; bene vero formæ intelligibiles rerum ſenſibilium, prout ſunt perfectivæ naturæ intellectualis ſuperioris, nego Antec. prout ſunt perfectivæ naturæ intellectualis inferioris, qualis eſt anima humana, conc. Antec. & nego Conſeq. ad Prob. nego Antec. ſicut enim formæ cœleſtes, quia ſunt perfectivæ corporum ſuperiorum, à ſolo Deo cauſari poſſunt; ita formæ ſenſibilium, prout ſunt ſubſtantiarum intellectualium ſuperiorum perfectivæ, à nullo niſi à Deo cauſari poſſunt. Itaque de formis intelligibilibus rerum ſenſibilium dupliciter loqui poſſumus, ſicut & de formis cœleſtibus: vel ſecundum rationem communem repræſentandi ſenſibilia; & ſic, poſſunt à ſenſibilibus cauſari, ſicut & formæ cœleſtes ſecundum rationem communē figuræ, motus, & luminis poſſunt etiā cauſari ab agentibus creatis; vel poſſumus loqui de illis ſecundum quod natæ ſunt perficere Angelos; & de formis cœleſtibus ſecundum quod natæ ſunt perficere corpora ſuperiora incomparabiliter excedentia inferiora: & ſic, ſicut formæ cœleſtes ob ſuperioritatem corporū tantum à Deo cauſari poſſunt; ita & formæ intelligibiles ſenſibilium ſolum à Deo cauſari poſſunt in mentibus Angelicis ob ſuperioritatem, quam habent ad animas humanas. Itaque mens D. Th. eſt, quod ſicut corpora cœleſtia ob ſuperioritatem, quam habent ad inferiora corpora, ſolum à Deo poſſunt recipere formas ſuas, ita intellectuales ſubſtantiæ ob ſuperioritatem, quam habent ad animas humanas, ſolùm à Deo poſſunt recipere ſuas formas intelligibiles.

Sed inſtabis contra hanc ſolutionem, quæ eſt Domini Caiet. hic, q. 55. art. 2. § *ad has obiectiones*. Si vis Conſequentiæ facię in eo ſitit, quod corporibus cœleſtibus datur perfici per formas ſolum à Deo producibiles, quia longè excedunt corpora inferiora, & ita debemus philoſophari de Angelis propter exceſſum ad animas; Conſequētia facta nullius roboris eſt: quia ſupponit falſum, ſiquidem homini etiā datur non poſſe perfici ſubſtantialiter niſi per formā, quæ à Deo tantum produci valet, ſiquidē anima humana à Deo tātū produci valet per creationē; & tamen homo inferior eſt corpore cœ-

Digitized by Google

cœleſti in ratione hominis: ergo in hoc nequit ſtare exceſſus corporum cœleſtium. Ad hoc, nego Ant. ad Prob. dico, quod eſto conveniat forma cœleſtis cum forma humana in eo, quod vtraque forma à Deo ſolo producitur, ſpectata tantum ſecundum ſuam entitatem; diſtinguitur tamen ab ipſa in eo, quod ad formam cœleſtem nullũ agens creatũ concurrit ſive producẽdo formã, ſive diſponendo materiã cœleſtem ad illam, ſive vniendo illam materiæ; ad formam autem rationalem, licet non effectivè, tamen diſpoſitivè, & etiam vnitivè nõ ſolum Deus, ſed etiam homo concurrit: ſiquidem homo, dum generat hominem, diſponit materiam ad formam hominis, & ſic effectivè vnit animã corpori, vnde ſemper ſalvatur exceſſus corporum cœleſtium ad inferiora corpora aſsignatus à Divo Thom. in eo, quod corpora ſuperiora perficiuntur à ſolo Deo, non vero corpora inferiora.

854 Tertio principaliter inſtabis; nam licet corpora ſuperiora excedant inferiora in eo, quod ab initio ſuæ conditionis habent totam ſuam perfectionem eſſentialem, non tamen excedunt corpora inferiora in eo, quod ab initio ſuæ conditionis habeant omnem ſuam perfectionem accidentalem, ſiquidem in tempore recipiant diſtincta vbi per motum localẽ, quo ſemper moventur. Luna etiam, & ſtellæ, eſto perfectionem ſubſtantialem à Deo ſolo habeant; tamen à Sole recipiunt in dies perfectionẽ accidentalem, nempe lumen, quo lucent: ergo cũ Angeli à ſpeciebus intelligibilibus rerũ ſenſibiliũ tantũ accipiant perfectionem accidentalem; non poterit concludi Angelos ab initio ſuæ conditionis habere formas intelligibiles rerum ſenſibiliũ, nec poterit etiam concludi, quod illas habeant à ſolo Deo; non vero à rebus creatis. Patet Conſ. nam proportio debet eſſe in linea formæ accidentalis, ſiquidem exceſſus, qui concluditur inter Angelos, & animam, tantum eſt in linea formæ accidentalis. Confirm. in linea ſubſtantiali, ſicut corpora cœleſtia ſunt à ſolo Deo, non vero inferiora corpora, ita in linea ſubſtãtiali Angeli ſunt à ſolo Deo, non vero animæ rationales, quia, vt dixi, ſunt diſpoſitivè, & vnitivè ab homine generante; in linea accidentali, ſicut corpora cœleſtia perficiuntur ſucceſsivè, ita & corpora inferiora perficiuntur ſucceſsivè: ergo cum ſpecies ſenſibilium ſint perfectiones accidentales Angelorũ, nulla via concludi poteſt ex exceſſu corporum cœleſtium ad ſublunaria exceſſus Angelorum ad animas in eo, quod illi ſimul, & ab initio perficiuntur; animæ vero ſucceſsivè, ſiquidem in linea accidentali, ſicut corpora cœleſtia perficiuntur ſucceſſivè, ita & inferiora corpora.

Ad hoc, nego Conſ. ad Prob. diſt. Ant. debet eſſe proportio de linea accidentali ex ex parte vtriuſque extremi, nego Ant. ex parte vnius tantum extremi, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque proportio non requirit identitatem lineæ, ſed diverſitatem: nam ſi tantum eſſet in participatione lineæ accidentalis, vtrumque extremum non eſſet proportio, ſed identitas; eſt ergo proportio in eo, quod ſicut materia prima in ordine ad formam, per quam ſubſtantialiter in actu primo conſtituitur in corpore ſuperiori, nõ variatur per temporũ decurſum, ſed ab initio accipit totam perfectionem propter exceſſum ad materiam corporum inferiorũ, ita in ſuperioribus intelligentiis, potentia perfectibilis per formas intelligibiles per modum actus primi non debet ſucceſsivè adquiri, ſed ab initio ſimul, propter exceſſum ad animas, quæ ſucceſsivè per tales formas perficiuntur: de iſtis enim convincit ratio, non de omni accidente; nam ſicut corpora cœleſtia ſucceſſu temporis adquirunt varia vbi, ita & Angeli tranſmutãtur, & de vna cogitatione tranſeunt ad alias. Et ad id, quod dicitur, quod ratio concludit in linea accidentali: ergo proportio debet eſſe inter formas accidentales, diſt. Antec. concludit proportione ſervata, conc. Ant. concludit per identitatem, nego Conſeq.

Ad Confirm. nego Conſ. nam in linea accidentali, prout dicit accidens nõ conſtituens actum primũ, non eſt proportio inter corpora; & inter ſubſtantias intellectuales, ſed eſt vnivocatio: nam & corpus cœleſte tranſmutatur de vno vbi ad aliud ſicut corpus ſublunare, & ſubſtantia complete intellectualis de novo elicit paſſim intellectiones, ſicut anima rationalis; & ſic quantum ad hoc non eſt ſola proportio, ſed omnimoda paritas: ſalvatur ergo tantum proportio inter lineam ſubſtantialem, & lineam accidentalem, quantum ad formam conſtituentẽ potentiam in actu primo, in eo, quod ſicut corpora ſuperiora ob exceſſum, quẽ habent in eſſendo ad inferiora, non accipiunt ſuam perfectionem ſubſtantialem ſucceſsive, ſed ſimul, & à Deo à principio conditionis

ſuæ, ita & ſubſtantiæ intellectuales completæ ob exceſſum, quem habent in linea intelligibili ad animas humanas, non debent accipere ſucceſsive formas, per quas complentur in actu primo ad intelligendum, neque à rebus creatis, ſicut animæ humanæ, ſed à ſolo Deo ſimul in inſtanti conditionis ſuæ, vt proportionaliter ſalvetur inter ſubſtantias intellectuales ſuperiores, & inferiores ordo, & diſtinctio in linea intellectualitatis, qui ſalvatur inter corpora ſuperiora, & inferiora in linea informalitatis ſubſtantialis.

§. IX.

Solvitur argumentum contra Concluſionem.

855 CONTRA huiuſmodi concluſionem etiam inſtabis. Nam ſi ſpecies entium naturalium repræſentativæ eſſent Angelis per ſe infuſæ, eſſent ſupernaturales; hoc autem nequit dici: igitur ſpecies, quibus Angeli intelligunt entia naturalia, non ſunt per ſe infuſæ. Cõſeq. bona, Min. certiſsima, & Mai. Prob. nam virtutes per ſe infuſæ, id eſt, quæ non poſſunt proprijs actibus adquiri, ſed ſolum à Deo poſſunt infundi, virtutes ſupernaturales ſunt: ergo ſpecies, quæ nõ poſſunt adquiri proprijs actibus creaturæ, ſed ſolum exigunt à Deo produci, dicentur ſupernaturales. Prob. ſecundo eadem Maior, nam forma, quæ ſic latet in potentia materiali creaturæ, quod per actionem agentis creati nequit educi ex illa, ſolum educitur ex potentia obedientiali creaturæ: ergo ſi ſpecies Angelica ſolum poteſt à Deo produci ex potentia intellectiva Angeli, educetur ex ſola obedientia, quam habet præfata potentia materialis ad Deũ: ergo erit ſupernaturalis. Prob hæc Conſ. nam quod ex ſola obedientia ad Deũ educitur ex creatura, eſt ſupernaturale; ergo ſi ſpecies Angelica ex ſola obediẽtia ad Deũ educitur ex potentia Angeli, ſupernaturalis erit. Prob. tertio, quod viribus omnibus naturæ creatæ produci nõ poteſt, ſuperat adæquatè vires effectivas naturæ creatæ; at ſupernaturale illud dicitur, quod ſuperat adæquatè vires creaturæ effectrices: ergo ſi ſpecies Angelica à ſolo Deo valet produci, ſuperabit omnes vires effectrices naturæ creatæ, & ſic erit ſupernaturalis.

Ad hoc argumentũ, nego Mai. ad Prob. nego Conſ. & aſsigno diſcrimen. Nam per ſe infuſio virtutũ nõ oritur ex eo, quod homo, & Angelus non poſsint proprijs actibus illas ſibi adquirere, ſed oritur ex eo, quod ſunt participationes bonorũ divinorũ convenientium Deo, prout in ſe ipſo eſt; non vero vt auctor naturæ: & ideo Angelis virtutes naturales nõ infunduntur à Deo, quia eas proprijs actibus adquirere non poſsint, ſed ſolum ne detur inſtans, in quo Angelus tam ſecundum intellectũ, quam ſecundum voluntatẽ non ſit potens bene operari; ſicut & fuerunt in Chriſto Domino virtutes naturales infuſæ à principio ſuæ conceptionis, non quia ipſe non poſſet eas ſibi adquirere, ſed ne daretur inſtans, in quo in omni genere virtutũ non fuiſſet per modũ actus primi perfectus: vnde illæ ſolæ virtutes dicuntur per ſe infuſæ tam hominibus, quam Angelis, quę ſupernaturales ſunt, id eſt, participationes bonorũ divinorum convenientiũ Deo, prout in ipſo eſt; at ſpecies non dicuntur per ſe infundi Angelis, quia ſint participationes bonorũ divinorũ convenientium Deo, prout in ipſo eſt, ſed ſolum exigunt à Deo produci, quia Angeli circa obiecta extrinſeca nõ valent ſic operari principaliter, quod ex eis poſsint eas in ſe ipſis producere: vnde non ſequitur, quod ſi à Deo tantum poſſunt ſpecies Angelicæ produci, virtutes ſupernaturales dicantur.

Hæc ſolutio non placet, quia ponit virtutes naturales Angelorum eſſe per accidens infuſas, quod falſum iudico. Tum, quia virtutes naturales, cum ſpectent ad complementum per modum actus primi intellectus, & voluntatis Angelorum, exiguntur ab ipſa natura Angelorum pro primo inſtanti ſuæ cõditionis: cumque ſit impoſsibile in primo inſtanti illas habere adquiſitas proprijs actibus, per ſe exigunt eas tunc Deo infundi, & ſic non per accidens, ſed per ſe debent dici infuſæ. Tum etiam, quia cũ in ordine naturali Angeli ſint ſubſtantiæ completę intellectuales, non indigẽt habitibus ſuperadditis, vt ſint proxime potentes, quantũ eſt ex parte virtutis intellectus, & voluntatis; vnde intellectus intranſitive eſt omnis virtus naturalis, & voluntas omnis virtus naturalis moralis; vnde ſicut intellectus, & voluntas Angeli nequeũt produci niſi à ſolo Deo, ita nec virtutes intellectuales, vel morales produci poſſunt niſi à Deo, vnde falſum eſt, quod Angelus poſsit ſibi adquirere proprijs actibus virtutes naturales.

Vnde aliter reſpond. ad argumentum,

neg.

neg. Maj. ad Prob. nego Ant. ad ſupernaturalitatem enim virtutum vltra hoc, quod eſt poſſe tantum à Deo produci, requiritur, quod productio earum non exigatur naturaliter ab ipſa natura, neque ſit ei debita: virtutes ergo naturales Angelorum, quamvis à ſolo Deo producantur, producūtur tamen juxta exigentiam naturæ, quia illi debitæ ſunt, & ſic quamvis à Deo ſolū poſsint produci, ſupernaturales non ſunt. Ad ſecundam Prob. nego Ant. nam ad hoc quod ex ſola obedientia creaturæ aliquid educatur de potentia creaturæ, non ſufficit, quod à ſolo Deo poſsit educi, ſed requiritur vltra, quod in natura non ſit poſitiva inclinatio, & exigentia eductionis tanquam ſibi debitæ: ſupernaturale enim dicitur, non ſolum, quod vincit vires effectrices naturæ, ſed etiam quod eſt ſupra inclinationem, & debitum naturæ: cum ergo natura Angeli exigat naturaliter, quod ſibi à Deo præfatæ ſpecies infundātur, vt ſibi debitæ in principio ſuæ conditionis, fit inde, quod non ex ſola obedientia creaturę producantur ex illa, ſed ex inclinatione, & debito, & ſic non ſequitur, quod ſupernaturales ſint. Ad tertiam Prob. neg. Min. jam enim dixi, quod vt aliquid ſit ſupernaturale, non ſufficit, quod vires effectrices naturę creatæ ſuperet, ſed vlterius requiritur, quod à Deo ex debito, & inclinatione naturæ non fiat. Et quidem ſi hæc ratio vera eſſet, convinceret cœlum eſſe ens ſupernaturale, & Angelos ſimiliter, quia à ſolo Deo produci poſſunt, quod falſiſsimum eſt.

§. X.

Vtrùm ſpecies Angelicæ oriantur ab ipſa natura Angeli tanquam veræ proprietates eius?

856 POSTQVAM vidimus in præcedenti §. ſpecies Angelicas eſſe debitas Angelis in primo Inſtanti ſuæ creationis, videndum reſtat, an oriantur ex ipſa natura Angelica vt veræ eius proprietates? Circa quam difficultatem Bañez. Nazarius, & Valētia hic partem tenent affirmantē ſequuti Capreolum in 2. diſt. 3. q. 2. ad 8. argumentū contra ſecundam concluſionem, & Caietanum hic, q. 54. art. 4. & infra q. 79. art. 2. & 4. p. q. 9. art. 3. Partem autem negantē communiter tenent Thomiſtæ hic, Ferrara 2. Contrag. c. 98. Zumel in præſenti, q. 2. Navarrete tom. 3. controv. 51. Salmanticenſ. hic dub. 4. Ioann. à S. Thom. hic & Gonet hic art. 4. & Serra hic, quos ſequuntur alij extra Scholam D. Th. vt Molina, & Peſantius in præſenti. Rada controvert. 9. Albertinus in 8. Corollario pag. 122. Mallonius in 2. diſt. 2. diſp. 10. Suarez lib. 2. de Angelis, c. 7. & alij, & quia hæc ſententia veritati conformior eſt, ſit noſtra concluſio.

Species Angelicæ non oriuntur ex natura Angeli vt veræ proprietates eius. Solet probari concluſio ex D. Th. infra q. 89. art. 1. ad 3. vbi ait: *Anima ſeparata non intelligit per ſpecies innatas, ſed per ſpecies ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, ſicut & aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ*. Et articul. 3. in corpore. *Anima ſeparata intelligit per ſpecies, quas recipit ex influentia divini luminis, ſicut & Angeli*. Quod Confirmant ex eo, quod quoties D. Thom. loquitur de ſpeciebus Angelicis, dicit eas eſſe infuſas Angelis; quod falſum eſſet, ſi ſpecies orirentur ex ipſa eſſentia Angeli, vt veræ proprietates; deberent tunc propriùs dici concreatæ, quam infuſæ, ſicut & intellectus nequit dici infuſum lumen Angelis, ſed concreatum, quia veram rationē proprietatis habet reſpectu naturæ Angelorū: ſentit ergo D. Th. ſpecies eſſe per novam actionem conceſſas Angelis, non autē per creationem ſecundariò productas, quod requirebatur, vt eſſent proprietates radicatæ in Angelorum naturis, & ex illis per influxum radicalem ortæ.

Sed quidquid ſit de efficacia huius probationis. Secundo Prob. concluſio. Nam Intelligibilitas Angeli eſt determinata ad genus, & differentiam, ad quam eſt determinata ipſa ſubſtantia Angelica, cum qua ſumme identificatur: ergo nequit radicare Intelligibilitates rerum omnium naturalium, quæ ſunt ſpecies impreſſæ earum. Ant. jam ſupra probatum eſt, & Conſeq. Prob. quia ad hoc vt aliqua eſſentia radicet aliquam proprietatem, eſt neceſſarium illam præcontinere; ſed hoc ipſo quod Angeli intelligibilitas ſit determinata ad certum genus, & ſpeciem, ad quod eſt determinata entitas, ad quam ſequitur, nequit præcōtinere Intelligibilitates aliorū obiectorū extra ſe: ergo nequit illas radicare eo modo, quo eſſentia ſuas paſsiones radicat.

Dices, ſpecies intelligibiles rerum naturalium repræſentativas non oriri ex Intelligibilitate Angeli, ratione cuius entitas eius intelligibilis eſt, ſed oriri ex eius in-

Digitized by Google

intellectualitate activa. Nam quia eſt ſubſtantia intellectualis completa debetur illi à natura intellectus completus per modum actus primi ad intelligendum omnia entia naturalia, vt ſic diſtinguatur ab anima noſtra, cui propter ſui incompletionem ſolum debetur, quod ab ipſa fluat intellectus incompletus per modum actus primi, hoc eſt, carens omni prorſus ſpecie impreſſa. Sed contra eſt, nam ſive ſpecies omniũ rerum naturalium repræſentativæ oriantur ex eſſentia Angeli, quatenus eſt active intellectiva omnis entis naturalis, ſive oriantur ex ſubſtantia Angeli, quatenus paſsive intelligibilis eſt, hoc in omni eventu debet eſſe verum, quod videlicet ſubſtantia Angeli ſit intelligibilitas radicalis omniũ entium naturalium; nihil enim poteſt radicare proximam intelligibilitatem omnium obiectorum naturalium, niſi ſit radicalis intelligibilitas omnium eorum, ſicut nihil valet radicare riſibilitatem proximam, niſi ſit riſibile radicaliter; ſed eſſentia Angeli nequit eſſe intelligibilitas radicalis omnium entium naturalium: ergo nequit radicare proximas intelligibilitates eorum. Prob. Min. intelligibilitas ſubſtantiæ Gabrielis v.g. ſic determinata eſt, quod per illam Gabriel ſolum poteſt cognoſcere ſe ipſum: ergo non eſt intelligibilitas radicalis omnium entium naturalium. Patet Conſeq. nam ſi eſſet intelligibilitas omniũ entium naturalium adhuc radicalis, poſſet Gabriel in illa, & per illam naturalia omnia cognoſcere, nam in eſſentia radicante proprietates, Angelus cognoſcit proprietates, & omnia, quæ continentur in illis: ergo cum omnia entia naturalia præcontineantur in ſuis ſpeciebus, ſequitur, quod in ſua eſſentia Gabriel præcognoſceret omnia naturalia, quod nullus concedit.

857 Dices, convinci hoc argumento, quod Angelus per ſuam eſſentiam cognoſceret omnes ſpecies impreſſas, & ipſis cognitis, cognoſceret obiecta repræſentata per illas, non vero convinci, quod per ſuam ſolam eſſentiam omnia obiecta naturalia cognoſceret, quia principiũ proximum ad cognoſcenda entia naturalia nõ eſſet radix ſpecierum, ſed ipſæ ſpecies: ſicut principium proximum riſus non eſt rationalitas, ſed ipſa riſibilitas proxima, quæ eſt eius proprietas: cognoſceret ergo Angelus ſuam ſubſtantiam, & in ipſa ſpecies omnium naturalium repræſentativas, & in ipſis omnia obiecta repræſentata per illas, in quo nullum eſt inconveniens. Sed contra hoc eſt. Nam ſi ſubſtantia Angeli eſſet radix intelligibilitatis proximæ omnium naturalium, Angelus in ſua ſubſtantia ſola cognoſceret omnia naturalia: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. Antec. quamvis paſsiones ſubſtantiæ Angelicæ non oriantur immediatè à ſua ſubſtantia, ſed aliæ oriantur aliis intermediis, vt voluntas medio intellectu, tamen Angelus comprehenſive attingens ſuam ſubſtantiam, per illam ſolam habet cognoſcere omnes ſuas paſsiones: ergo quamvis intelligibilitas obiectorum naturalium proxime non oriretur ex ſubſtantia Angeli, ſed ſpeciebus intermediis, Angelus comprehenſive attingens ſuam ſubſtantiã, per ipſam ſolam, & in ipſa cognoſceret omnia obiecta repræſentata per ſpecies. Explico hoc, ſicut repræſentatio proxima obiectorũ ſolum habetur à ſpecie impreſſa, ita actus ridendi ſolum habetur proximè à potentia proximè riſiva; & tamen Angelus comprehenſive cognoſcens eſſentiam hominis, quæ ſolum eſt radix actus ridendi, in illa ſola cognoſcit actus ridendi: ergo eſto repræſentatio proxima obiectorum ſolum habeatur à ſpecie, ſi tamen ponamus, quod ſpecies rerum naturaliũ præcontinentur radicaliter in ſubſtantia Angeli, debebimus aſſeverare, quod Angelus ſuã ſubſtantiam comprehenſive cognoſcens, in illa, & per illam omnia obiecta naturalia cognoſcat.

Dices, nihil poſſe adæquatè, & perfectè cognoſci niſi in ſua cauſa adæquata; cauſa autem adæquata cognitionis entium naturalium non eſt ſola radix ſpecierũ eius, ſed ſpecies radicatæ: ergo ſolum in illis poſſet Angelus cognoſcere entia naturalia. Explicatur hoc, cognitio, quæ habetur per cauſam tantum remotam nequit eſſe perfecta, & demonſtrativa; ſed ſubſtantia Angeli, caſu, quo radicaret ſpecies entium naturalium, tantum eſſet cauſa remota repræſentationis illorum: igitur cognitio, quam Angelus haberet de rebus naturalibus, non poſſet eſſe perfecta, & demonſtrativa. Sed contra hoc eſt. Nam ſubtili ingenio, quale eſt ingenium Angeli, ſufficit ad diſtinctam rei cognitionem cauſa adæquata per modũ radicis; ſed ſi ſpecies naturalium obiectorũ ab ipſa orirentur vt propriæ paſsiones, ſubſtantia Angelica eſſet cauſa adæquata per modum radicis: igitur per ſuam ſubſtantiã poſſet cognoſcere omnia obiecta naturalia. Prob. Mai. nam proprietates, & actus earũ ſui,

Digitized by Google

immediate cognoſcit Angelus in eſſentia à qua oriuntur cognitione diſtincta, & clara: ergo ſubtili ingenio Angeli ſufficit ad diſtinctam, & claram rei cognitionem cauſa per modum radicis adæquata. Neque quod adducitur in explicatione facit contra noſtram doctrinam, nam illa doctrina de cauſa remota etiam applicatur cognitioni diſcurſivæ humanæ, quæ aſſumit pro medio ad concludendum primam paſsionem diffinitionem eſſentiæ, & ad concludendum ſecundam aſſumit pro medio primam paſſionem, & ſic de alijs: vnde vt demonſtratio bona ſit, non debet procedere per cauſam remotam; cuius ea eſt ratio, quia homo non intelligit in radice omnes proprietates, ſed ex radice diſcurrit ad primam, & ex prima diſcurrit ad ſecundam: Angelus autē in eſſentia videt omnia propria, & ſic ad illa omnia cognoſcenda illi ſufficit eſſentia.

858 Secundò principaliter dices cum Nazario, ſpecies repræſentativas omnium naturalium in eſſe entis, & vt quædā accidentia ſunt, eſſe proprietates ſubſtantiæ Angelicæ; non vero quatenus ſunt repræſentativę obiectorum, & ſic Angelus in ſua ſubſtantia ſolum poſſet cognoſcere præfatas ſpecies, vt ad genus entis pertinent, non vero vt repræſentativæ: vnde quantumvis ſe comprehenderet, per ſuam ſubſtantiam entia naturalia non cognoſceret. Sed contra ſolutionem ſic inſto. Nam Thomiſtæ, cum quibus diſputo, ponunt ſpecies eſſe congenitas proprietates, vt ab ipſa natura Angeli exeat intellectus completus in actu primo ad intelligendum; at intellectus non completur per ſpecies in eſſe qualitatis, & accidentis, ſed completur per illas, vt repræſentativæ ſunt obiectorum ſuorum: ergo ſi ponuntur eſſe proprietates Angeli debet dici, quod vt repræſentativæ formaliter ſunt obiectorum ſuorum, ſunt proprietates Angeli: debent ergo ipſam ſubſtantiam Angelicam ponere radicale principium omnis proximæ intelligibilitatis entium naturalium, & tunc inſtauratur ratio noſtra, & cō vincitur ſequi ex ſententia oppoſita, Angelum per ſuam ſubſtantiam cognoſcere omnia entia naturalia. Secundo, ſpecies intentionales non ſunt, vt ſint; ſed vt repræſentent: ergo non debet poni eſſe proprietates quoad eſſe qualitatis, ſed potius quoad eſſe repræſentativum. Patet Conſ. quia debet poni eſſe proprietates quoad id, propter quod à natura inſtitutæ ſunt: ergo cum ſint primario inſtitutæ, non vt ſint, ſed vt repræſentent, debet poni quod quoad eſſe repræſentativum proprietates ſunt.

Tertio, ſi quoad eſſe repræſentativum non radicantur à natura: ergo quoad eſſe intentionale ſunt a Deo per creationem concreatæ, & quoad eſſe repræſentativum ſunt à Deo per aliam diſtinctam actionem; hoc autem eſt impoſsibile: ergo. Prob. 1. Cōſ. nam præfatæ ſpecies quoad eſſe repræſentativum debent eſſe productæ: ergo ſi non ſunt productæ quoad eſſe repræſentativum per actionem creativā, qua creatus eſt Angelus, debebunt produci quoad illud per aliam actionem diſtinctam. Min. vero ſubſumpta Prob. ſic; eſſe intentionale ſpeciei, & eſſe repræſentativū, quod in ea eſt, ſunt prorſus omnino idem: ergo implicat quod per creationem producatur ſpecies ſecundū eſſe qualitatis, & ſecundum eſſe repræſentativum producatur per diſtinctam actionem. Explicatur hoc, eſto poſsit ſeparari ſpecies impreſſa ab exercitio ſuæ repræſentationis, quia ad hoc requirit exiſtentiam obiecti, & ſic non exiſtente obiecto non habebit actu repræſentare; tamen ab hoc, quod eſt eſſe repræſentativam ſui obiecti ſeparari non valet, quia ſua eſſentia in eo ſiſtit, quod videlicet ſit repræſentativa ſui obiecti: ergo implicabit ſpeciem concreari quoad eſſe qualitatis, & accidentis, & non concreari quoad eſſe repræſentativum.

859 Sed ſecundò Prob. principaliter concluſio. Etenim ſi ſpecies Angelicę, quas Angelus de facto habet, ſunt rigoroſæ proprietates eius ortæ à natura eius, erunt connexæ connexione logica cum natura Angeli, ſicut riſibilitas connectitur cum homine; ſed hoc non eſt admittendum: ergo. Conſeq. eſt bona, Mai. certiſsima, & Min. prob. etenim ſi ſpecies, quas de facto habet Gabriel huius vniverſi repræſentativas, eſsēt proprietates quarto modo logicè connexæ cum eius natura, etiam ſi Deus non decreviſſet producere hoc vniverſum, dummodo decerneret producere Gabrielem, deberet producere illum cum iſtiſmet ſpeciebus, quas de facto habet; hoc autem irrationabiliter admittetur: ergo. Prob. Mai. nam ſicut eſſentiæ rerum ſunt omnino invariabiles, ita & proprietates earum omnino invariabiles ſunt, rebus quoad eſſentiam non mutatis; ſed non producto hoc vniverſo, & producto Gabriele, eſſentia Gabrielis non mutaretur: ergo ſi illæ ſpecies, quas de facto habet ſunt eius rigoroſæ proprieta-

tes

tes, in caſu, quo Deus non produceret hoc vniverſum, & produceret Gabrielem, deberet producere illum cum eiſdem ſpeciebus, quas de facto habet. Min. etiam patet, nam Angelus non habet ſpecies repræſentativas niſi rerum vniverſi: ergo non exiſtente hoc vniverſo, Gabriel non haberet has ſpecies, quas modo habet, quæ ſunt repræſentativę rerum vniverſi, quod de facto eſt.

Poſſet dici ad hoc, quod natura Gabrielis non habet connexionē cum ſpeciebus, quas de facto habet ex vi terminorum, ſed ſolum ex ſuppoſitione, quod Deus voluerit creare hoc vniverſum, & ſic, ſi Deus hoc non produceret, ſed aliud, non daret Gabrieli has ſpecies, ſed alias. Sed contra, nam hoc ipſo quod detur Gabriel ſine his ſpeciebus, & cum alijs diſtinctis, convincitur evidenter, has ſpecies, quas de facto habet, non eſſe ſtrictas paſsiones radicatas in natura Gabrielis: neque enim ſtricta paſsio alicuius naturæ illa dici poteſt cum qua, & ſine qua naturaliter poteſt inveniri natura, ſiquidem ad rationem ſtrictæ proprietatis requiritur, quod ex vi terminorum cū ſua radice neceſſario connectatur: ergo ſi hæc ipſa natura Gabrielis, producto alio vniverſo, non haberet has ſpecies, quas de facto habet, iſtæ non erunt proprietates naturæ Gabrielis. Deinde, ſi hæ ſpecies, quas Gabriel de facto habet, ſolum connectuntur cum natura Gabrielis ex ſuppoſitione quod Deus hoc vniverſum decernat producere, ſequitur evidenter, quod ex vi terminorū non connectantur cum natura Gabrielis, & ſic non poſsint oriri à natura eius; hoc autem eſt contra oppoſitos auctores: ergo. Prob. Sequela, nam nulla natura radicat vt proprietatem niſi id, cum quo convertibiliter inſtranſmutabiliter cōnectitur; ſed id, cum quo, & ſine quo naturaliter talis natura inveniri poteſt, non connectitur convertibiliter inſtranſmutabiliter cum tali natura: ergo non radicatur ab illa vt vera proprietas eius.

§. XI.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

860 PRIMO Arguitur ex varijs auctoritatibus D. Tho. Prima eſt ex hoc art. 2. huius quæſt. 55. ibi: *Potentia vero intellectiva in ſubſtantijs ſpiritualibus ſuperioribus, id eſt, in Angelis naturaliter completa eſt per ſpecies intelligibiles connaturales, in quantum habent ſpecies intelligibiles connaturales ad omnia intelligēda, quæ naturaliter cognoſcere poſſunt*; ſed id, quod eſt connaturale alicui, oritur ex principijs naturæ eius: ergo ſpecies intelligibiles rerum naturalium dimanant à natura Angelorum. Secunda auctoritas eſt ex ipſo infra quæſt. 64. ar. 1. vbi probat cognitionem naturalem Dæmonum non eſſe diminutam, *quia conſequitur naturam ipſius Angeli, qui ſecundum naturam ſuam eſt quidā intellectus, & mens; propter ſimplicitatem autem ſuæ ſubſtantiæ nihil poteſt ab eius natura ſubſtrahi*. Ex quibus fit argumentū. Cognitio naturalis conſequitur naturam Angeli; non pro actu cognoſcendi: ergo ratione ſpecierum, quibus cōpletur in actu primo ad cognoſcendum: ergo ſpecies intelligibiles oriūtur ex Angeli natura. Prob. Mi. quia natura Angeli poteſt ceſſare à cognitione aliorum à ſe, & Dæmones de facto ignorarunt Virginalem integritatem Beatæ Mariæ, quæ quoddam ens naturale erat ab ipſis potens naturaliter cognoſci: ergo verbum illud D. Tho. *conſequitur naturam Angeli*, nequit eſſe verum ratione actualis cognitionis: ergo debet intelligi de ſpeciebus, quæ ideo non poſſent diminui, quia ſunt proprietates ortæ à natura Angeli.

Pro ſolut. huius argumenti adverto ex D. Tho. 1. 2. q. 6. ar. 5. ad 2. *Quod alteri aliquid naturale dicitur dupliciter, vno modo quia eſt à natura ſicut à principio activo, ſicut calefacere eſt naturale igni: alio modo ratione principij paſsivi, quia ſcilicet eſt innata inclinatio ad recipiendum actum à principio extrinſeco, ſicut motus cæli dicitur naturalis propter aptitudinem naturalem cæleſtis corporis ad talem motum, licet movens ſit voluntarium.* Hoc ſuppoſito, dico, D. Thom. velle in prima auctoritate, & in omni ea, vbi dicitur, quod ſcientia Angelorum non generatur in Angelis; ſed cōvenit illis naturaliter, quod ſpecies rerum naturaliū ſunt connaturales Angelo, non quia oriantur à natura eius, ſed quia vnicuique Angelo ineſt à natura inclinatio, & exigentia naturalis, qua exigunt ſibi à Deo infundi ſpecies rerū pertinentium ad hoc vniverſum. Ex qua doctrina lucem accipit ſecunda auctoritas. Etenim cognitio naturalis dicitur à D. Th. conſequi ad naturam Angeli, non ratione principij activi, ſed ratione principij paſsivi, id eſt, quia principia, à quibus effective pro-

Digitized by Google

producitur, ſunt Angelo connaturalia, non connaturalitate radicationis à natura, ſed connaturalitate exigentiæ principij paſsivi: ſicut motus cœli dicitur conſequi ad naturam cœli, & naturam ſtellarum conſequitur lumen: quod tamen provenit eis à Sole illuminante.

Inſtabis, D. Tho. probat non poſſe diminui cognitionem naturalem in Dæmonibus propter ſimplicitatem naturæ illorũ; ſed ſi ſpecies entium naturalium repræſentativæ non orirentur à natura Angeli, probatio adducta eſſet nulla: ergo. Prob. Min. eſto Deus auferret ab Angelis aliquas ſpecies, dummodo non auferret exigentiam naturalem earum, nullo modo naturam immutaret, ſed illam, ſicut antea ſe habebat, quoad eſſentiam, & proprietates relinqueret: ergo maneret in eadem ſimplicitate, in qua antea eſſet: ſicut & ceſſante motu cœli, manebit cœlum immutatum quoad eſſentiam, & proprietatẽ, eſto careat motu ab ipſo cœlo naturaliter exacto: ergo ex ſimplicitate, & immutabilitate Angeli, ſi ſpecies ab illo non oriuntur, non probat D. Tho. non poſſe ab Angelo aliquod principium, à quo eius cognitio naturalis oritur, ſubtrahi. Ad hoc dico, D. Thom. non velle probare quod Deus per nullam potentiam in pœnam peccati non poſsit auferre à Dæmone ſpecies aliquas rerum naturalium, quia inde ſequeretur naturam Angeli non eſſe ſimplicem, ſed tantum vult, quod attẽdendo de lege ordinaria ad ſimplicitatem Angeli, nequeat Deus Angelum in aliquo naturali diminuere, quia ad hoc ſequeretur, quod natura Angeli eſſet compoſita ex diſtinctis inclinationibus arguentibus diverſitatem naturarum: hac enim ratione probamus corruptionem eſſe compoſitis naturalibus naturalem, quia materia non ſatiata ſua forma inclinat in nõ eſſe formę, quam de facto habet, & forma ab illa poſſeſſa inclinat ſemper ad conſervationem ſui eſſe: hac enim etiam ratione probavimus ſupra annihilationem Angeli de lege ordinaria, & attenta natura Angeli non eſſe poſsibilem, quia Angelus, cum ſit forma ſimplex, ſemper inclinatur ad eſſe, ſic, quod in illo nulla ſit potentia exigens aliquando non eſſe: probat ergo D. Tho. Angelum de lege ordinaria quoad nihil ſui naturale nõ poſſe diminui, quia in illo eſt inclinatio, & exigentia eorum, quæ illi ſunt naturaliter debita; & cum non cõſtet ex naturis diverſis, caret inclinatione, & potentia ad non eſſe ſuorum naturalium.

Ex his ad Inſtantiam reſpondetur in forma, diſt. Mai. probat non poſſe diminui de lege ordinaria, & attenta natura Angeli, conc. Mai. probat non poſſe diminui de potentia abſoluta, & non attenta Angeli natura, nego Mai. & diſt. Min. ſi probare vellet de lege ordinaria, nego Min. ſi de potentia abſoluta, tranſ. Minor, & nego Conſ. Ad Prob. Min. dico, quod ſi Deus auferret ab Angelo ſpecies rerum naturalium, illa ablatio eſſet de potentia abſoluta, & ſic non argueretur ex illa naturam Angelicã non eſſe ſimplicem, ſicut ſi de facto annihilaret Angelum, non argueretur ex hoc, quod Angelus haberet potentiam innatam ad nõ eſſe: ſi autem auferret de lege ordinaria, & attẽta Angeli natura, qualis ablatio contingeret, ſi in pœnam peccati fieret, ex hoc argui poſſet, naturam Angelicam eſſe compoſitam ex diverſis naturis, quarum altera inclinaret ad eſſe integrum ſuorum naturalium; & altera inclinaret ad non eſſe eorum.

861 Secundo Arguitur, ſpecies rerum naturalium repræſentativæ vel debẽtur Angelo ex vi creationis, vt per ſe connexa cum ipſa creatione Angeli, vel nullo modo ex vi creationis debentur, vt per ſe connexæ cum illa; ſi dicatur primum: ergo dimanant ab eſſentia Angeli, cum agens ex vi eiuſdem actionis det formam, & conſequentia ad formam: ſi non debentur ex vi creationis: ergo neque exiguntur ab Angelo naturali exigentia per ſe connexa cum ſuo termino exacto, & ſic falſum erit, quod Angelus naturaliter exigat ſibi à Deo præfatas ſpecies infundi ab inſtanti creationis. Ad hoc dico, deberi Angelo ex vi creationis huiuſmodi ſpecies, vt per ſe connexæ cum Angelo; non ratione principij activi ad illas, quia hoc iam probavimus eſſe impoſsibile, ſed tantum ratione principij mere paſsivi naturaliter exigentis, quod Deus illas ſibi infundat per aliam actionem diſtinctam à creatione. Itaque exigentia alicuius prædicari eſt duplex: alia ratione principij active ſe habentis ad illud; alia ratione principij merè paſsive ſe habentis ad illud: ſicut cœlum ex vi creationis exigit moveri circulariter, non à ſeipſo, ſed ab aliqua intelligentia movente illud: hoc ſecũdo modo convenit Angelo ex vi creationis exigentia ſpecierum, non primo modo.

Sed contra hoc eſt, ſpecies debentur Angelo ex vi creationis ratione principij acti-

Digitized by Google

actívi, & non ſolum ratione principij paſſivi: ergo ſolutio nulla. Prob. Antec. intellectus Angeli eo modo petit perfici ex vi creationis per formas intelligibiles, quo materia orbis cœleſtis petit perfici forma cœleſti; ſed materia orbis cœleſtis perficitur per formam cœleſtem productam per eandem actionem, per quam producitur cœlum, ſeu ipſa materia cœli: igitur intellectus Angeli exiget ex vi creationis perfici formis intelligibilibus per eãdem actionem, per quam ipſe producitur. Conſ. eſt bona, & Probo præmiſſas, Mai. quidem ex D. Tho. ex quo ſupra probavimus, ſic ſe debere habere Angelum in ordine ad receptionem formarum intelligibilium, ſicut corpora cœleſtia in ordine ad receptionẽ ſuarum formarum: ergo. Min. ſic diſcurro, Orbes cœleſtes exigunt fieri per creationem, quæ primo terminetur ad totum cœlum creando, & ad partes eius, quæ ſunt materia, & forma, concreando illas: ergo per illammet actionem, per quam producitur materia cœli, producitur & forma, per quã perficitur ſubſtantialiter.

Ad hoc, nego Ant. ad Prob. diſt. Mai. ſi ly *eo modo* dicat in omnibus ſervandã paritatem, nego Mai. ſi dicat ſervari aliquam proportionem in his, quę vtrique extremo poſſunt convenire, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque inter potentiam cœlorum ad formas ſubſtantiales, & potentiam intellectus Angelici ad formas intelligibiles nequit dari paritas in omnibus, ſiquidem potentia cœli eſt ſubſtantialis, & ad actus ſubſtantiales; potentia intellectus Angelici eſt accidentalis ad formas accidentales, ex quo fit, quod dum totum cœlũ creatur, neceſſarium ſit, materiam & formam eius creari, ſiquidem totum nihil eſt aliud, quam eius partes ſimul ſumptæ, & vnitæ; non autem eſt neceſſe, quod ſi potentia accidentalis creatur, formæ, ad quas dicitur, etiam creentur. Sicut patet etiam in ipſo cœlo; non enim valet, quod ſi potentia cęli ad motum circularem creatur, etiam ipſe motus circularis creetur, & hoc ideo, quia potentia ad motum circularem eſt potentia accidentalis ad formam accidentalẽ: vnde quantum ad hoc non adeſt paritas inter potentiam cœli ad formam ſubſtantialem, & potentiam intellectivam Angeli ad formas intelligibiles; ſervatur tamen paritas in eo, in quo potentia intellectiva Angeli ad formas intelligibiles poteſt imitari potentiam cœli ad formam ſubſtantialem ſuam, nempe in eo, quod ſicut illa potentia cœli petit ab initio ſuæ conditionis habere totum ſuum formale complementum, ſic, quod non indigeat ſucceſſive nunc accipere vnam formam, deinde aliam, ſicut contingit in corporibus inferioribus; ſic potentia intellectus Angelici exigat ab initio ſuæ conditionis habere ſimul omnem formam intelligibilem, ſic, quod non indigeat ſucceſſu temporis nunc accipere vnam, nunc aliam. Salvatur etiam in eo, quod ſicut forma cœli non oritur ex potentia eius, quamvis ſimul cum ipſa fiat, ita & formæ intelligibiles, quamvis ſimul fiant cum intellectu, quem informant, non tamen ex intellectus eſſentia oriuntur. Salvatur inſuper in eo, quod ſicut non eſt neceſſe, quod ſi potentia cœli ad formas accidentales fit per creationem, non eſt eſt tamen neceſſe, quod ipſæ formæ accidentales per creationem fiant, ita quamvis potentia intellectiva Angeli fiat per creationem, non eſt neceſſe, quod formæ intelligibiles per creationem fiant.

863 Tertio Arguitur nam ſi ſpecies impreſſæ nõ orirentur ex eſſentia Angeli, ſequeretur hominem eſſe perfectiorẽ Angelo; conſequens nequit admitti: ergo. Prob. Sequela, tunc eſſet convenientia inter hominem, & Angelum in eo, quod ſicut ex natura hominis non fluunt ſpecies obiectorum, quæ poteſt intelligere, ſic neq; ex eſſentia Angeli orirentur ſpecies rerũ, quas poteſt intelligere Angelus; eſſet autem exceſſus hominis ad Angelum in eo, quod homo haberet in ſe virtutem activam, qua ſibi comparare poſſet ſpecies, ſcilicet intellectũ agentẽ, quo ſibi format ſpecies ſuorũ intelligibilium, Angelus autem nullã vim activam habet, qua ſibi ſpecies efficiat: ergo homo eſſet perfectioris conditionis in intelligendo, quam Angelus. Et vt magis vis argumenti appareat, ſupponamus Deum creare Angelum ſine eo, quod illi aliquam ſpeciem impreſſam tribuat, ſed ſolum intellectum, & voluntatem. Ponamus etiam hominem cum ſolis ſuis paſſionibus creari; tunc homo eſſet aptior ad intelligendum quàm Angelus, ſiquidem Angelus neque haberet ſpecies, neque haberet in ſe virtutẽ, qua ſibi eas active compararet; homo autẽ non haberet ſpecies, ſed tamen haberet in ſe principium intrinſecum activum ſpecierum: ergo homo in data hypotheſi eſſet ad intelligendum aptior Angelo.

Ad hoc, nego Sequelam, ad Prob. dico,

Digitized by Google

eo, quod illud, in quo videtur homo excedere Angelum non præponderat tantum, quantum id, in quo Angelus excederet hominem, nempe in innata inclinatione, & poſitiva exigentia, qua Angelus ab initio creationis exigit habere à Deo Auctore ſpecies ſimul infuſas; ad hoc enim non pervenit vis activa ſpecierum, quam habet homo: ſiquidem per primum de lege ordinaria non invenitur inſtans, in quo Angelus non inveniatur perfectus omni forma intelligibili; per ſecundum autem homo non poteſt ſibi comparare ſpecies omnium, quæ naturaliter poteſt cognoſcere, ſed paulatim, & ſucceſſive: unde per multum temporis invenitur tanquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum. Iterum per primum poteſt Angelus intelligere per ſpecies univerſaliores ipſis obiectis à parte rei exiſtentibus, ſiquidem per unam ſpeciem a Deo infuſam habet Angelus intelligere totum genus animalium, quod nō poſſet facere homo per lumen agens, quo ex obiectis ſibi active comparat ſpecies: per primum exigit Angelus perfici intelligibiliter à Deo ſupremo agente; per ſecundum exigit homo perfici ab agente ordinis inferioris, quę omnia longe ſuperant in perfectione hoc quod eſt hominem habere in ſe vim activam ad ſibi comparandas ſpecies ex obiectis. Quod ſi Deus non daret Angelo ſpecies, quas ipſe habere exigit ab initio ſuæ creationis, dico, quod tunc aptior eſſet homo ad intelligendum Angelo, ſed ille exceſſus non conveniret homini per ſe, ſed per accidens; unde nō poſſet inferri ex illo, quod per ſe loquendo, ex hoc quod ſpecies non ſint Angelis concreatæ, Angelus ſit deterioris conditionis ad intelligendū homine, cum ſemper remaneret in Angelo exigentia ad ſimul habendas ſpecies omniū entium naturalium à Deo, quas tamen homo non poſſet ſimul habere, ſed ſucceſſive, & paulatim. Nec enim ad metiendum præſtantiam aptitudinis ad intelligendum inter Angelum, & hominem debemus auferre ab Angelo, quod ſibi Deus dare debet; & concedere homini omnia debita ſua; ſed debemus Angelum, & hominem conceſſis debitis ſuis ad invicem comparare, & tunc inveniemus facile, quod eſto ſpecies à Deo infundantur Angelo per diſtinctam actionem a creatione, ſemper excellentior erit Angelus homine.

863 Quarto arguitur. Angelus eſt natura intellectualis completa: ergo exigit tanquam proprietatem intellectum completum per modum actus primi ad intelligendum; ſed intellectus completur ad intelligendum in actu primo per ſpecies: igitur illas exigit habere per modum proprietatis. Probatur prima Conſ. ex completione ad intelligendum radicali debet oriri completio proxima ad intelligendum, ſicut ex ſubſtantia radicaliter extenſa oritur extenſio proxima, nempe quantitas molis: ergo ſi ſubſtantia Angelica eſt radicaliter complete intellectiva, ex illa debebit oriri potentia proxime completa ad intelligēdum. Ad hoc; diſt. Ant. eſt natura intellectualis completa, prout ly *completa* excludit eſſe partem alicuius compoſiti, cōc. Ant. prout ly *completa* dicit radicem omnis complementi requiſiti ad intelligendum; nego Ant. & Conſ. Ad Prob. diſt. Ant. ſi ſit completio radicalis ad intelligendum quoad omnia principia, quæ deſiderantur ad intelligendum, conc. Ant. ſi aliter res contingat, nego Ant. & Conſ. Itaque ſubſtantia Angeli dicitur complete intellectualis, quia non eſt pars alicuius compoſiti, ſed eſt pura forma, cui immediate convenit ſubſiſtere, nō vero eſt complete intellectualis, quia in ſe per modum radicis præcontineat omne complementum ad intelligendum. Etenim actus intelligēdi petit oriri ex duobus principiis, nempe ex virtute intellectiva, & ex obiecto, quod intelligitur; cum autem ſubſtantia Angeli nō ſit adhuc radicaliter omnia alia obiecta, quæ intelligere valet, fit Conſ. quod nequeat active radicare omne complementum per modum actus primi deſideratum ad intelligendum.

Inſtabis, ſubſtantia Angelica tantum habet radicare ea, quæ ſpectant ad intelligendum ex parte virtutis, non vero ea, quæ deſiderantur ex parte obiecti: ergo non erit proprietas illius radicare exigentiam ſpecierum intelligibilium, quod eſt contra dicta. Patet Conſ. quia ad illud tantum principium, ad quod attinet radicare ſpecies, attinet radicare exigentiam ſpecierum; ſed tantum ad obiecta attinet radicare ſpecies: ergo tantum ad illa attinet radicare exigētiam ſpecierum. Prob. Mai. ad illud principium tantum attinet radicare exigentiam intellectus, ad quod tantum attinet radicare intellectum: ergo ad illud principium tantum attinebit radicare exigentiam ſpecierum, ad quod tantū attinet radicare ipſas ſpecies. Explico hoc, ſicut ſubſtantia intellectiva nequit intelligere, niſi per intellectum

Digitized by Google

lectum ſpecie obiecti informatū, ita obiectum nequit intelligi niſi per ſuam ſpeciem impreſſam, & vim activam intellectus; & tamen non eſt aliqua ſubſtantia intelligibilis, quæ vt talis radicet intellectum, vel exigentiam intellectus: ergo neque erit aliqua vis intellectiva creata, quæ radicet exigentiam ſpeciei intelligibilis alterius obiecti ab ipſa diſtincti.

Pro ſolutione adverto, quod obiectum actu intelligi non eſt perfectio aliqua in ipſo obiecto, ſed mera quædam extrinſeca denominatio: quod enim lapis videatur non eſt perfectio in lapide, ſed tantum eſt perfectio in potentia vidente, & ſic obiectum non exigit ab intrinſeco, neque ſpecies, quibus intelligatur, neque intellectum, qui illud intelligat; ſubſtantiam autem intellectivā actu intelligere obiecta eſt maxima perfectio ſubſtantiæ intelligentis, & ſic cum vnumquodque appetat ſuam perfectionem, & requiſita ad illam, poteſt eſſe quod ſubſtantia intellectualis deſideret habere ſpecies intelligibiles ab aliquo agente, quibus mediantibus pervenire poſſit ad ſuā maximam perfectionem, quæ conſiſtit in intelligere. & ſic ſtat bene, quod licet ſpecies intelligibiles teneant ſe ex parte obiecti quaſi vicariæ illius, poſſint exigi naturaliter à ſubſtantijs intellectivis cōpletis. Ex hoc ad Argum, nego Conſ. Ad Prob. nego Mai. Ad Prob. nego Conſ. quia cum obiectum actu intelligi nō ſit perfectio obiecti, intellectus requiſitus ad intelligendū obiectum non eſt perfectio obiecti, & ſic in nullo obiecto invenitur naturalis inclinatio, & exigentia intellectus: ſubſtantiam autem intelligere obiecta eſt maxima perfectio illius, & ſic cum ad intelligendum requiratur ſpecies obiecti, poteſt in aliqua ſubſtantia intellectuali inveniri inclinatio innata, & poſitiva exigentia ſpecierum; vnde ſtat bene, quod exigentia ſpecierum oriatur ex duplici principio, & ex illo, ex quo oriuntur ſpecies, & ex illo, quod per illas perficitur, nempe ſubſtantia intellectuali, eſto nō poſſit naturaliter exigere intellectum niſi illa ſubſtantia, quæ radicat illum. Ad explicationem, nego Conſ. quia eſto ad hoc vt intelligatur obiectum requirantur ſpecies, & intellectus, tamen cum obiectum intelligi non ſit perfectio in obiecto, non deſideratur ab obiecto, & ſic neque intellectus ad id requiſitus ab obiecto deſideratur: verùm cum hoc quod eſt ſubſtantiam actu intelligere ſit maxima perfectio in ſubſtātia, dum naturaliter inclinatur ad intelligere, inclinatur etiam ad ſpecies requiſitas ad intelligendum.

864 Quinto Arguitur, accidētia, quæ producuntur per eandem actionem, qua producitur ſubſtantia, ſunt vere eius proprietates; ſed ſpecies intelligibiles per eandem actionem, qua fit Angeli ſubſtantia producuntur: igitur ſunt vere proprietates ſubſtantiæ Angelicæ. Prob. Min. nam ſi non producerentur creatione, qua Angeli ſubſtantia producitur, deberēt educi ex Angelo; at hoc non eſt poſſibile: ergo. Prob. Min. vt aliquid educatur ex alio, debet præſupponere illud prioritate temporis, vel inſtantis realis productum; at ſubſtantia Angeli, & ſpecies in eodem primo inſtanti conditionis Angeli ſunt: ergo tales ſpecies nequeunt educi ex ſubſtantia Angeli. Confirm. ſi Angelus produceretur ſine ſpeciebus pateretur violentiam; at hæc non patitur propter ablationem accidentis communis, ſed ſolum ob ablationem proprietatis: igitur ſpecies Angelorum ſunt veræ proprietates eorum. Ad hoc argumētum poſſēmus negare Maiorem: poteſt enim actio creativa, ſi perfecta ſit, producere non ſolum accidentia propria, ſed etiam accidentia communia; ſi enim Deus crearet hominem album, non eſſet neceſſe, quod per creationē hominem cum ſuis paſſionibus efficeret, & deinde per aliam actionem hominem creatum dealbaret, ſed ſufficeret ad totū creatio. Et ratio eſt, quia creatio habet pro termino formali ipſam rationem entis repertam in re creabili; ſub ratione autem entis includuntur propria, & communia accidētia, & ſic vna actione poſſunt omnia fieri, ſi tamen ordinis naturalis accidentia ſint: vnde cum ſpecies Angelicæ rerum naturalium repræſentativæ ordinis naturalis ſint, non eſt inconveniens quod ipſa creatione fiant, etiam ſi proprietates ſtrictæ non ſint ſubſtantiæ, quæ creatur.

Sed ſecundo reſp. neg. Min. Ad Prob. neg. Min. Ad prob. nego Mai. vt enim aliquid educatur ex alio, ſufficit, quod non fiat per eandem actionem, qua fit id, ex quo educitur: hoc enim ipſo quod per aliam actionem aliquid fiat, poteſt ex mutatione alterius fieri, quia licet ſemper id, ex quo fit, ſit coniunctum cum eo, ex quo fit; non tamen coniungitur cum eo ex vi actionis, per quam fit, & ſic poteſt ex mutatione vera ſui aliquid ex eo produci. Exemplum hujus habemus in gratia collata Angelis in pri-

Digitized by Google

primo inſtanti per eductionem, & in forma vermis geniti ex ſpeciebus Sacramentalibus ex materia, quæ non præceſsit formã vermis tempore, ſed ſolum prioritate naturæ. Ad Confir. diſt. Min. ſed tantum patitur ob ablationem proprietatis, proprietatis tantum ratione principij active radicãtis, nego Min. proprietatis ratione principij ſive active radicantis, ſive poſitive exigentis illam, conc. Min. & nego Conſ. Itaque violẽtia patitur, vel quia id, quod aufertur, dimanare à ſua radice impeditur, vel quia non dabitur id, quod iure naturæ debet naturæ concedi: quamvis ergo ſpecies non ſint ortæ ex eſſentijs Angelorum; ſunt tamen illis naturaliter debitæ iure naturæ in primo inſtãti creationis Angeli, & ſi ſi Deus eas non concederet Angelo, vel ſemel cõceſſas auferret, Angelus pateretur violentiam.

QVÆSTIO IX.

De Vniverſalitate ſpeciei An-Angelicæ.

EXACTE Pro viribus examinavimus quidditatem ſpecierum, quibus vtuntur Angeli in cognitione obiectorum ſuorũ naturaliũ, reſtat nobis agere in hac quæſtione de vniverſalitate earum, quod ſpectat ad earum quantitatem.

§. I.

Vtrùm Angeli intelligant per ſpecies Vniverſales in repræſentando?

865 SENSVS Quæſiti eſt, An Angeli in cognoſcendo vtantur ſpeciebus adæquatis cum obiectis cognitis, ſic, quod pro quolibet obiecto cognoſcendo diſtinctã indigeant ſpecie, vel vna tantum indiviſibilis, & ſimplex ſpecies ſufficiat illis pro cognoſcendis pluribus individuis eiuſdem naturæ, & etiã pro cognoſcendis pluribus naturis eiuſdem generis? Circa quam difficultatem Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 10 affirmat Angelũ iuxta diſtinctionem obiectorum diſtinctis vti ſpeciebus. Ipſum ſequitur eius familia, & omnes, qui tenent Angelos intelligere per ſpecies a rebus acceptas. Sed Pater Vazquez hic diſp. 203. eſto neget Angelis ſpecies impreſſas ſuperadditas eorum naturæ, aſſerit tamen quod dato quod eſſent poſsibiles tales ſpecies, & quod Angeli ad intelligẽdum alia à ſe illis indigerent, non debere concedi illas fore vniverſales in repræſentando, ſic, quod per vnam ſolam ſpeciem plures rerum quidditates repræſentari poſſent. Sed & Pater Arrubal, eſto concedat poſſe per vnam ſpeciem Angelum plura ſingularia eiuſdem quidditatis cognoſcere, negat tamen poſſe per vnam ſpeciem plures naturas repræſentari. Secunda ſententia affirmat, ſpecies Angelicas eſſe vniverſales in repræſentando, non tantum plura ſingularia, ſed etiãm plures quidditates, ita vt poſsit Angelus vna ſola ſpecie non ſolum cognoſcere plura, imò & omnia individua eiuſdem quidditatis, ſed etiam poſsit cognoſcere plures quidditates, & individua, in quibus inveniuntur à parte rei contractæ. Ita D. Th. hic q. 55. ar. 3. Et in 2. diſt. 3. q. 3. ar. 2. Et 2. Contrag. cap. 98. Et de verit. q. 8. ar. 10. D. Th. ſequuntur omnes eius Diſcipuli, ita vt ſuperfluum ſit eos ſingillatim enumerare, In quorum numero, dum adſcribimur, talẽ ſtatuimus concluſionem.

Species, quibus Angeli vtuntur in cognitione ſuorum obiectorum, ſunt vniverſales in repræſentando, ad hunc ſenſum, quod per vnam ſolam ſpeciem repræſententur plures quidditates, & plura individua ſecundum proprias vniuſcuiuſque differentias. Prob. primo ex doctrina D. Th. q. 8. de verit. ar. 10. ad 3. ibi: *Dicendum, quod id, quod vnum eſt, nõ poteſt eſſe propria ratio plurium, ſi ſit eis adæquatum, ſed ſi ſit superexcedens poteſt eſſe propria ratio plurium, quia continet in ſe vniformiter propria vniuſcuiuſque, quæ in eis diviſim inveniuntur, & hoc modo eſſentia divina eſt propria ratio rerum omniũ, quia in ipſa vniformiter præexiſtit quidquid diviſim in omnibus creaturis invenitur. Et ſimiliter cum formæ intellectus Angelici ſint excellentiores rebus ipſis, vtpote divinæ eſſentiæ propinquiores, non eſt inconveniens, ſi vna forma intellectus Angelici ſit propria ratio plurium ſecundum diverſas eius habitudines ad diverſas res, ex quibus habitudinibus conſurgit pluralitas idearum; ſed formæ intellectus noſtri accipiuntur ex rebus: vnde non ſunt ſuperexcedentes rebus, ſed quaſi adæquatæ quantum ad repræſentationem, licet ſint excedentes quantum ad modum eſſendi, in quantũ habent immateriale eſſe: vnde forma intellectus noſtri non poteſt eſſe propria ratio pluriũ.* Quã-

do-

Digitized by Google

doctrinam adhuc clarius tradit in 2. contra gent. cap. 98. ibi: *Intellectus autem noſter, quia infimum gradum tenet in ſubſtantijs intellectualibus, à Deo particulatas ſimilitudines requirit, quod vnicuique cognoſcibili proprio oportet reſpondere propriam ſimilitudinem in ipſo: vnde per ſimilitudinem animalis non cognoſcit rationale, & per conſequens neque hominem niſi ſecundum quid: ſimilitudo autem intelligibilis, quæ eſt in ſubſtantia ſeparata, eſt vniverſalioris virtutis ad plura repræſentanda ſufficiens, & ideo non facit imperfectiorem cognitionem, ſed perfectiorem: eſt enim vniverſalis virtute ad modum formæ agentis in cauſa vniverſali, quæ quanto fuerit vniverſalior, tanto ad plura ſe extendit, & efficacius producit; per ſimilitudinem igitur vnam cognoſcit & animal, & differentias animalis.* Quibus expreſſè aſſerit ſolam humanæ mentis ſpeciem intelligibilem, vnius tantum quidditatis eſſe repræſentativam, quamlibet autem ſpeciem intelligibilem ſubſtantiæ ſeparatæ plures rationes ſpecificas ſive naturas athomas ſub aliquo genere comprehẽſas repræſentare.

866 Ratione Prob. Concluſio. Non repugnat per vnam ſpeciem Angelicam plures quidditates diſtinctæ ſecundum propria vniuſcuiuſque diſtinctiva repræſentari: ergo concedendum eſt ſpeciebus Angelicis. Conſ. eſt bona, quia ſententia oppoſita fundatur adæquatè in repugnantia huius. Et Antec. Prob. ſpecies Angelicæ non deſumunt ſuam vnitatem ab obiectis, quæ repræſentantur per illas, cum non ſint acceptæ à rebus, ſed divinitus infuſæ: ergo non repugnat ſpeciem Angelicam eſſe vnam, & ſimplicem, & ſimul plures quidditates repræſentare. Patet Conſeq. nam hoc ipſo, quod ſpecies à rebus repræſentatis vnitatem non accipiant, poterunt res repræſentatæ eſſe plures, & ſpeciem repræſentantem eſſe tantum vnam.

Dices, quod licet ſpecies Angelicæ in genere cauſæ efficientis non deſumant ſuã vnitatem à rebus repræſentatis, tamen in genere cauſæ formalis ſpecificativæ à rebus repræſentatis accipiunt ſuam vnitatem, ſiquidem a Deo ſunt productæ ob ſolam repræſentationem obiectorum ſuorum, & ſic erit neceſſe, quod ad diſtinctas quidditates repræſentandas diſtinctæ à Deo producantur ſpecies. Sed contrà hoc eſt, nam licet ſpecies Angelicæ à Deo ſint productæ, vt obiecta repræſentent, non tamen vt illa ſic repræſentent, quod adæquentur cum obiectis repræſentandis, ſic, quod ad repræſentandas ſingulas res, ſingulæ ſint deputatæ ſpecies: ergo non requiritur quod iuxta diſtinctionem rerum repræſentatarum, diſtinguantur pariter ſpecies repræſentantes. Prob. Anteced. ſpecies intelligibiles ſunt à Deo productæ in mente Angelica ad repræſentandum alia à ſe, imitando modum repræſentandi, quem ſervat eſſentia divina in ratione ſpeciei intelligibilis, dum alia à ſe repræſentat; ſed modus, quem eſſentia divina ſervat in repræſentando alia à ſe in ratione ſpeciei intelligibilis, eſt, quod vna manens, omnia alia à ſe repræſentet: ergo eſto ſpecies intelligibiles Angeli ſint inſtitutæ, vt alia à ſe repræſentent, non tamẽ habebunt illa ſic repræſentare, quod iuxta diſtinctionem rerum repræſentatarum diſtinguantur ſpecies repræſentantes.

Dices, impoſsibile eſſe, quod ſpecies creatæ imitentur modũ repræſentãdi obiecta ſua, quẽ ſervat eſſentia divina in repræſentando alia à ſe. Et aſsignabis rationem, quia eſſentia divina non repræſentat alia à ſe accipiendo ſpecificationem à rebus repræſentatis, ſiquidem illa ſecundariò repræſentat, & vt contenta in Deo tanquam in obiecto primariò primò, & per ſe repræſentando ab ipſa eſſentia divina: vnde ſervando vnitatem ſuam, quam accipit à Deo primariò repræſentato, poteſt plura, & diſtincta repræſentare tanquam contenta in illo: ſpecies autem creata neceſſariò debet repræſentare obiecta ſua immediatè accipiendo ſpeciem ab illis; cum ergo illi impoſsibile ſit aſsignare propriè immediatè repræſentata obiectum, quod ſit vnum, ſi ponatur quod obiectum immediatè repræſentatum ſint plures quidditates, vt plures ſunt, fit inde, quod ſpecies Angelicæ non poſsint imitari vnitatem in repræſentando, quam ſervat eſſentia divina in ratione ſpeciei intelligibilis aliorum à ſe. Sed contra hoc eſt, nam eſto ſpecies creata non poſsit immediatè repræſentare Deum, in quo omnia creabilia continentur, poteſt tamen participare immaterialitatem ſuperexcedentem obiecta per illam repræſentabilia, & ratione illius adunare ſecum in eſſe intentionali, & intelligibili ea, quæ in eſſe phyſico plura ſunt: ergo vna & ſimplex ſpecies poterit plura vt plura ex parte rationis *quæ* rei repræſentatæ, repræſentare. Prob. Anteced. quoad primam partem,

nam

Digitized by Google

nam Angeli, quò ſuperiores ſunt, eò magis participant Dei immaterialitatē, & actualitatem: ergo ſpecies impreſſæ, quæ à Deo illis conceduntur proportionatæ cum eorũ actualitate, & immaterialitate, poterunt participare magis, & minus immaterialitatem, & actualitatem, quam habet eſſentia divina in repræſentando: ergo & poterunt participare immaterialitatē ſuperexcedētem immaterialitatē obiectorũ repræſentatorũ. Quoad ſecundā partē ſic Prob. Ant. nam bene ſtat, quod ea, quæ in immaterialitate inferiori ſunt diſtincta, in maiori immaterialitate ſint adunata: ergo ſtabit bene, quod ſpecies ſuperexcedens in immaterialitate obiecta repræſentata, ſibi adunet ea, quæ in ſe ipſis plura, & diſtincta ſunt. Itaque plura repræſentari per vnam ex duplici capite oriri poteſt: vel quia illud vnũ repræſentat aliquod vnum, in quo illa plura continentur; vel quia repræſentans eſt altioris immaterialitatis, quam ſit res repræſentata per illud: primò modo convenit repræſentare plures eſſentiæ divinæ, quæ res creatas ſecundariò tantũ repræſentare poteſt, & ſic habet illas repræſentare vt præcontentas in obiecto primariò: ſecundo modo convenit ſpeciebus Angelicis, quæ ratione exceſſus in immaterialitate habent res ſibi inferiores in eſſe repræſentare.

867 Secundo Prob. Concluſio principaliter ex quadam doctrina D. Tho. q. 8. de veritat. art. 10. ad 3. vbi *Vna forma intellectus Angelici eſt ratio propria plurium ſecundum diverſas eius habitudines, ad diverſas res, ex quibus habitudinibus conſurgit pluralitas idearum.* Pro quorum verborum intelligentia adverto, quod ſupremus artifex Deus diverſas format rerum ideas: primò habet ideas rerum naturalium ſecundum ſe ſumptarum, qua ratione de quolibet animali in particulari habet vnam ideam: de illis autem omnibus, vel ſecundum quod deſerviunt vtilitati hominis, vel ſecundũ quod ſpectant ad ornatum elementi terrei habet ideam aliam; ſic de vnaquaque arbore in particulari ſecundum ſe ſumpta habet vnam ideam, de illis vero vt conducunt ad medicinalem virtutē habet vnam ideam factivam omnium; ſic ſimiliter de avibus in particulari habet vnam ideam, de illis vero, vt ſpectant ad ornatum aeris, habet vnam ſolam ideam factivam omnium earum magis, vel minus vniverſalem, ſecundũ quod ad finem artificis magis, vel minus vniverſalem conducunt. Hoc præſuppoſito, ſupremus artifex res extra ſe dupliciter producit: vel in eſſe phyſico illis connaturali, vel in eſſe intelligibili, nempe in ſpeciebus Angelicis in eſſe phyſico illas producit reſpectivè, & ſecundum ordinē, quem illas in vniverſo habere diſpoſuit: vnde eſto multa producta ſint, & varia; vnũ tamē ordinem inter ſe ſervant, quem Deus illas in ſe habere voluit: In mentibus autē Angelicis eas producit cum ea vnitate, & vniverſalitate, ſub qua Angelus iuxta efficaciam ſui intellectus eas intelligere valet. Itaque ſicut res ad extra, eſto diverſæ ſint, vnum tamen tantum ideatum faciunt, magis, & minus vniverſale iuxta finem magis, vel minus vniverſalem à Deo intentum, ita ſpecies Angelicæ, quæ habent (vt inquit D. Thom.) res repræſentare vt ab ideis deſcendunt) res ad extra repræſentat, vt ſtant ſub hac, vel illa ratione vnius ideati; iuxta cuius maiorem amplitudinem, vel reſtrictionem ſpecies Angelicæ magis, vel minus in repræſentando vniverſales ſunt. Hoc prænotato, ſic formo rationem pro concluſione: Species Angelicæ repræſentant res ſub eo ordine, ſub quo deſcendunt ab ideis divinis; ſed ſtat plures res, vel quidditates ſub ratione vnius ideati ab vna tantum divina idea deſcendere: ergo ſtat vnam ſolam ſpeciem Angelicam plures, & diverſas quidditates repræſentare. Conſeq. eſt bona; Maior eſt Div. Thom. & Minor patet ex diſcurſu facto in præcedenti notabili.

Explicatur hoc varijs exemplis. Format enim intellectus ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri vnam ſpeciē repræſentantem montē aureum. Quare ſi mons, & aurum in ſe ipſis diviſa ſunt, vna tantum ſpecie repræſentantur? Vtique quia illa ſpecies non eſt accepta ab ipſis diviſivè, & vt in ſe diverſa ſunt, ſed vt ſunt per intellectum adunata. Format artifex ſigillum, & in ipſo gravat Aquilam, leonem, canē, & crucem, & illo ſigillat chartam, & ecce apparet in charta vna figura in qua ſimul figurantur Aquila, leo, canis, & crux. Quare vna ſimplici figura tanta diverſa figurantur? vtique quia non menſuratur à rebus prout in ſe ipſis ſunt, ſed ab illis prout in vno ſigillo ſunt adunata. Adeſt imago domus in charta effigiata ab artifice, in qua apparent ligna, lapides, & omnia ad conſtructionem domus neceſſaria. Quare vna ſimplex effigies tot, & tam diverſa repræſentat? Vtique quia non menſuratur

Digitized by Google

à rebus prout in ſe ipſis ſunt, ſed tantum à rebus, prout ſunt in idea domus exiſtente in mente artificis, quæ cum ſit vna, effigies ideata tantum eſt vna. Cum ergo ſpecies Angelicę nō ſint acceptæ à rebus prout in ſe ipſis ſunt, ſed vt ſunt in ideâ divina, iuxta diverſitatem rerum, quam habent in ſe ipſis non diverſificantur, ſed vnitatem habent ex vnitate, quam illa plura in idea divina habent: vnde nulla eſt repugnantia in eo, quod Angelicæ ſpecies nō adæquentur rebus, quarum repræſentatiōnes ſunt, & ſic plura inter ſe diverſa vna ſimplici ſpecie poſſunt repræſentari.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

868 PRIMO. Arguitur contra concluſionem. Species vniverſales in repræſentando debent habere vnitatem ex vnitate obiecti repræſentati, ita quod nō datur vna tantū ratio formalis *ſub qua* repræſententur, ſed etiam detur vna ratio formalis *quæ*; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo. Prob. Min. nam vel illa ratio ſuperior eſt aliquis gradus communis, & genericus, in quo plura inferiora conveniunt; ſic, quod talis gradus communis directè repræſentetur, & vt *quod* per illam ſpeciem, & inferiora repræſententur vt contenta in illo, vel illa ratio ſuperior primo repræſentata eſt aliqua cauſa, conditio, vel accidens, in quo plura conveniunt: primum eſt impoſſibile, nam inferiora in ratione communi generica ſolū continentur potētialiter, & ſic illa cognita nequeunt inferiora ſecundū proprias rationes ſuas cognoſci: ſecundū etiā eſt impoſſibile, nam illa cauſa, conditio, vel accidens, vel reſpectus, cū ſint extrinſeci rebus repręſentatis, non eſt poſſibile, quod ſit ratio perfectæ repręſentationis vniuſcuiuſque rei ſecundū ſibi propria, & differentialia. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. dico, rationē primò, per ſe repræſentatā per ſpeciem Angelicā *vt quod* eſſe plures res, ſecundū quod faciunt vnum ideatum deſcendens à Deo ratione vnius ideæ, ſicut enim per vnam ideam à Deo fit, ita & per vnam ſpeciem intelligibilem repræſentatur.

Inſtas, ideæ diſtinguuntur in Deo iuxta diſtinctionem rerum ad extra productarum, ſic, quod aliam ideam habent Deus hominis, aliam iumenti, & ſic de alijs entibus in particulari: ergo repræſentatum directè *vt quod* per ſpeciem Angelicam nequeunt eſſe plures res, prout faciunt vnum ideatum. Ad hoc dico, in Deo dari duplex genus idearum: aliud reſpiciens res abſolutè ſecundū quod talis eſt abſolutè vnaquęque in ſe ipſa, & aliud reſpiciens res reſpectivè, id eſt, ſecundum quod ex illis aliquod totum coaleſcit in vniverſo: primo modo vnicuique rei ſua conſignatur idea, ſecundo modo ſtat ſub vna idea cadere plures res ſecundum quod Deus illas ſub vno adunavit fine: ſpecies ergo intelligibiles Angelicæ non imitantur in ſua repræſentatione ideas primi generis, ſed ſecundi, & ſic vna ſpecies intelligibilis poteſt repræſentare plures res. Ne tamen hoc alicui videatur difficile, adverto, quod ille artifex, qui ſolum agit de lateribus v.g. tantū habet ideā illi repræſentantem lateres: ille autem artifex, qui agit de conſtruendis domibus, habet ideas magis vniverſales, vtpote repræſentantes illi omnia requiſita ad domus conſtructionem; ille autem, qui ædificat civitatem, habet ideam magis vniverſalē, vtpote repræſentantem illi civitatem ex varijs domibus conſtantem. Deus autem, qui omniū eſt artifex, eſt neceſſe, quod habeat ideas repręſentantes vnamquanque rē in particulari abſolutè, & quia ex varijs rebus tot varia facit pro libito ſuo, oportet etiam, quod habeat ideas illorum totorū, ſic, quod vna indiviſibili idea repræſentetur illi totū illud, quod facere intentat; cūque Angeli in intelligendo longè excedant intellectū humanū, & quò intellectus perfectior eſt, eò per medium vniverſalius intelligere poſſit, fit inde, quod mentibus Angelicis conſignatæ ſit ſpecies intelligibiles imitantes ideas divinas, non ſecundum quod vnicuique rei abſolutè ſumptæ ſua conſignatur idea, ſed ſecundum quod ex varijs rebus particularibus aliquod vnū vnitate ſaltim ordinis fit, prout Angelus capax eſt intelligendi per medium vniverſale.

869 Arguitur ſecundo, & erit replica dictorum circa primū. Vnitas ideæ modo explicatæ tantū eſt vnitas ordinis: ergo nequit directè repræſentari per vnam ſpeciē, quæ ſit vna vnitate ſimplicitatis. Prob. Cōſeq. nam ſpecies impreſſa, & res primo repræſentata per illam ſunt vnum et natura; & ſolum eſt diſcrimen in eo, quod natura in ſpecie impreſſa habet eſſe intentionale, & in ſe ipſa habet eſſe phyſicū, & connaturale: ergo implicabit contradictionē,

quod

Digitized by Google

quod obiectum primò, & per ſe repræſentatum adunet plura ſolum vnitate ordinis, & ſpecies adunet in ſe eamet vnitate ſimplicitatis. Ad hoc, diſt. Conſ. ergo nequit repræſentari per vnam ſpeciem, quæ ſi vna vnitate ſimplicitatis repræſentativè, conc. Conſ. in eſſendo, nego Conſ. Ad prob. diſt. Conſ. eadem diſtinctione. Itaque repræſentans activè, & directè repræſentatū formaliter debent habere identitatem in pura linea repræſentationis: vnde ſi directè repræſentatum tantum eſt vnum vnitate ordinis, activè repræſentans vt tale tantum debet eſſe vnum vnitate ordinis; nam vnū vnitate ordinis vnum tantum poteſt repræſentari immediatè per vnum vnitate tantum ordinis vnum, ſicut homo nequit immediatè repræſentari niſi per hominem: ſed ſicut ſtat bene, quod immediatè repræſentans hominem, in eſſe repræſentativo ſit homo, & non in eſſe entis, ita ſtat bene, quod ſpecies Angelica in repræſentando formaliter ſolum ſit vna vnitate ordinis; quia repræſentatum directè per illam ſolum eſt vnum vnitate ordinis, & quod in eſſendo ſit tamen vna vnitate ſimplicitatis.

Vel ſecundò dicatur ad argumentum, diſtinguendo Antec. ideatum tantum eſt vnum vnitate ordinis, prout extra ideam in ſe ipſo eſt, conc. Antec. prout in idea eſt, nego Ant. & diſt. Conſ. ergo nequit repræſentari directè per ſpeciē, quæ ſit vna vnitate ſimplicitatis, ſi ſit accepta ob ipſo prout in ſe ipſo extra ideam eſt, conc. Conſeq. ſi ſit accepta ab ipſo prout in idea eſt, nego Conſeq. Ad Prob. diſt. Conſeq. loquendo de ſpecie accepta ab obiecto, prout in ſe ipſo extra ideam eſt, conc. Conſ. loquendo de ſpecie deſumpta ab ipſo obiecto, prout in idea eſt, nego ſuppoſitum Conſequentis, videlicet, quod illud obiectum, prout in idea eſt, ſit vnum ſola vnitate ordinis. Itaque iam dixi, quod ſpecies Angelica non imitatur obiectum, quod repræſentat, prout tale obiectum extra divinam ideam eſt, ſed imitatur illud prout præcontinetur in divina idea; in divina autem idea ea, quæ ad extra producta diverſa ſunt; & ſola vnitate ordinis gaudent, vnum quid ſimplex ſunt, nempe ipſa divina eſſentia cognita vt imitabilis à diverſis creaturis, & ſic ſpecies vna vnitate ſimplicitatis poteſt repræſentare plura, quæ ſola vnitate ordinis gaudent, quia non menſuratur ab illis prout extra ideam ſunt, ſed prout in divina idea ſunt. Explico hoc exemplo iam adducto de ſigillo vno, in quo gravata eſt Aquila, leo, canis, & crux; ſigilletur hoc ſigillo charta v.g. hæc charta vna figura vnitate ſimplicitatis vna repræſentat illa quatuor, quæ in ſe ipſis plura ſunt. Quare? quia non repræſentat illa ſimilitudine ab ipſis, prout in ſe ipſis ſunt, accepta, ſed ab ipſis prout in vno ſigillo ſunt: ſic ergo ſpecies Angelica eſt ſicut charta ſigillata vno ſigillo, quę repręſẽtat plura, non ſimilitudine ab ipſis, vt extra ſigillum divinæ ideæ ſunt, accepta, ſed accepta ab ipſis vt in ſigillo divinæ ideæ ſunt: cumque in illo ſint vnum vnitate ſimplicitatis, ſic ſpecies Angelica vna vnitate ſimplicitatis, dum ideæ divinæ quædam impreſsio eſt, habet repræſentare plura, quæ ſola vnitate ordinis gaudent.

870 Sed inſtabis contra hanc doctrinam, & erit tertium argumentum. Species Angelicæ per nos ſunt exemplatæ ab ideis divinis, & illas in repræſentando obiecta ſua imitantur: ergo erunt participationes formales divinarum idearum, prout in ſe ipſis ſunt: ergo erunt ſupernaturales, quod dici non poteſt. Prob. prima Conſeq. nam participatio formalis Deitatis illa eſt, & dicitur, quæ in operando, & repręſentando imitatur modū Deo convenientem, prout in ſe ipſo eſt; hac enim ratione gratia dicitur participatio formalis divinæ naturæ, quia participat hoc, quod eſt radicare viſionē, & amorē Dei, prout in ſe ipſo eſt, quod propriū ſolius naturæ divinæ eſt; ſed repræſentare plures quidditates cum vnitate ſimplicitatis ex parte repræſentantis eſt proprium divinæ ideæ conveniens illi, quia divina eſt: ergo ſi ſpecies Angelicæ in hoc divinas ideas imitantur, erunt formales participationes divinarū idearum, prout in ſe ipſis ſunt, & ſic erunt ſupernaturales. Vrgetur amplius; ſi ponatur ſpecies Angelicas eſſe exēplatas ab ideis divinis, debet etiam poni, quod earum exemplar, ad cuius imitationem ſunt deductæ, ſint ipſę ideæ divinæ, vel res ipſæ prout in divina idea ſunt, & ibi vnitate ſimplicitatis gaudent: ergo debebit etiam poni, quod primò repræſentatum per illas ſint ideæ divinæ, vel res, prut in divina idea ſunt; hoc autem eſt falſum: ergo. Min. videtur certa, nam repræſentatum primo per ſpecies Angelicas ſunt res, prout in ſe ipſis ſunt; non prout in Deo pręcontentæ ſunt:

Digitized by Google

ergo. Prima autem Conſeq. Prob. nam exemplatum id primo repræſentat, quod primò imitatur, & ad cuius imitationem deductum eſt: ergo ſi ſpecies Angelicæ primò reſpiciunt ideas divinas, vt exemplar, ad cuius imitationem deductæ ſunt, debemus ponere, quod primò repræſentabunt divinas ideas, vel res ipſas, prout in divinis ideis ſunt.

Ad hoc argumentum, nego Conſ. Ad Prob. diſt. Min. eſt proprium divinæ ideæ conveniens illi, quia divina eſt, ſ divinitate prout in ſe ipſa eſt abſolutè, nego Min. divinitate prout connexa cum creaturis naturalibus, conc. Min. & nego Conſ. Itaque præcontinere plura, ſive in cauſando, ſive in repræſentando cum vnitate præcontinentis, & pluralitate rerum præcontentarum non eſt proprium Dei, vt auctor ſupernaturalis eſt, ſed eſt quid commune ipſi, prout auctor creaturarum eſt in vtroque ordine, tam ſupernaturali, quàm naturali: etenim vt auctor naturalis vnus, & ſimplex eſt, & tamen omnes effectus naturales productos, & poſsibiles præcontinet adæquatè ſecundum proprias, & adæquatas rationes vniuſcuiuſque, & ſic imitari Deũ prout cum vniformitate diverſa, & varia præcontinet, cauſat, & repræſentat, non erit participare formaliter perfectionẽ Dei, ſic, quod talis participatio ſupernaturalis ſit: vnde quamvis ſpecies Angelicæ imitentur divinam ideam in eo, quod eſt repræſentare plura reſervando ſibi vnitatem ſimplicitatis, non inde inferri poterit, quod ſupernaturales ſint.

Ad ſecundam diſt. Conſ. debet etiam poni quod primò repræſentatum per illas ſint ideæ divinæ, per illas vt effectus ſunt, conc. Conſ. per illas ſub munere ſpeciei intelligibilis, nego Conſ. quod nõ eſt falſum, vt dicitur in Minori ſubſumpta, ſed veriſsimum. Sicut enim Angeli, quia Dei immaterialitatem participant, vt Dei effectus ſunt, primò Deum vt auctorem eorum repræſentant: vnde Angelus, dum per ſuam ſubſtantiam ſe cognoſcit, etiam Deum per ſuam ſubſtantiam vt Dei effectus eſt, cognoſcit, quia quædam participatio Dei eſt: ſic cum ſpecies Angelicæ, quædam participationes formales ſint divinarum idearum, per illas tanquam per effectus divinas ideas cognoſcit; cum quo tamen ſtat, quod res ad extra, ad quas repræſentandas divinas ideas imitantur, primò, & per ſe repræſentent. Itaq; ſpecies Angelicæ nõ imitantur divinas ideas, vt ſint earum repræſentationes, ſed tantum vt ſervata vnitate ex parte repræſentantis ſint repræſentationes eorum obiectorum, quæ per divinas ideas ad extra producuntur: vnde primarium repræſentatum, propter quod repræſentandum ſpecies Angelicæ inſtitutæ ſunt, non eſt divina idea, vel res vt in illa præcontentæ, ſed ſunt res, quę in vniverſo extra Deum ſunt.

871 Sed ex hac doctrina inſurgit quartũ argumẽtũ. Species Angelicæ inſtitutæ ſunt propter repræſentationem rerum ad extra: ergo iuxta pluralitatem, qua gaudent res extra Deum, debent ſpecies Angelicæ plurificari. Prob. Conſeq. ex quadam doctrinâ ſpeciali Div. Thom. ſupra quæſt. 50. art. 3. vbi poſtquam reſolvit Angelos eſſe in magno numero ſuperexcedente omnia materialia, contra ſui reſolutionẽ hoc tertium in ordine ſolvit argumentum. *Proprius effectus ſubſtantiarum ſeparatarum videtur eſſe motus corporum cœleſtium; ſed motus corporum cœleſtium ſunt ſecundum aliquem determinatum numerum paucum, qui à nobis deprehendi poteſt: ergo Angeli non ſunt in maiori multitudine, quam ſint motus cœleſtium corporum.* Hoc argumentum ſolvit ſic: *Dicendum, quod ratio illa eſt Ariſtotelis in 11. Metaph. & ex neceſſitate concluderet, ſi ſubſtantiæ ſeparatæ eſſent propter ſubſtantias corporales; hoc eſt propter motum primorum corporum, vt volebat Ariſt.* apud quem; & apud D.Th. hæc Conſ. eſt bona, & neceſſaria: *Angeli ſunt propter motum primorum corporum: ergo in eo tantum numero ſunt, in quo ſunt motus corporum cœleſtium:* ergo etiã hęc Conſ. erit bona, & neceſſaria: *Angelicæ ſpecies ſunt inſtitutæ propter repræſentationes rerum in ſe ipſis: ergo in eo numero ſunt, in quo res ipſæ in ſe ipſis ſunt.*

Ad hoc, nego Conſ. Ad Prob. neg. Conſ. & aſſigno diſcrimen. Nam Conſ. Ariſt. de qua dicit D.Th. quod neceſſario concluderet, ſi ſubſtantiæ ſeparatæ ſolũ fuiſſent productę propter motus corporũ cęleſtiũ, ſupponit vnum, quod de facto habetur verum, nempe quod cuilibet corpori cœleſti vnus tantum adaptatur Angelus ad eius motum, quo ſuppoſito vero, ſubſumebat Ariſtoteles; ſed ſubſtantiæ ſeparatæ non ſunt ob aliud inſtitutæ niſi ob motum corporum cœleſtium: ergo (inferebat) tot ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, quot ſunt primi motus corporum cœleſtium, quæ Conſ. bona, & neceſſaria eſt. Verum Conſ. quam ad-

Digitized by Google

adverſarij adverſus nos formant, videlicet, *Species Angelicæ ſunt inſtitutæ ſolam ob repræſentationem rerum productarum: ergo tot erunt ſpecies Angelicæ, quot ſunt res ad extra productæ*, non ſupponit iſtam veram, videlicet, *cuilibet obiecto repræſentato reſpondet ſua adæquata ſpecies*, quia de hac propoſitione eſt præſens controverſia, vtrum vera ſit, an falſa? & ſic nequit neceſſario inferri hoc Conſequens: *Ergo iuxta numerum obiectorum repræſentatorum habetur numerus ſpecierum intelligibilium Angelicarum.*

872 Quinto arguitur, homo, & leo ſunt ſpecificativa adæquata ſuarum ſpecierum intelligibilium: ergo ſicut ex homine, & leone nequit fieri vna natura, quæ ſit ſimul homo, & leo, pariter ex repræſentatione activa hominis, & leonis nequit fieri vna ſpecies impreſſa. Confir. nulla res creata poteſt præcontinere differentiã athomã alterius; vnde videmus, quod eſto anima rationalis ob ſui perfectionem præcontineat gradum corporeum lapidis, vegetativum plantæ, ſenſitivũ bruti, & diſcurſivum hominis, non tamen præcontinet differentiã athomam gradus corporei, vegetativi, & ſenſitivi, quia differẽtia lapidis conſiſtit in eo, quod ſit tantũ corporea, plantæ in eo, quod ſit tantum vegetativa, & bruti in eo, quod ſit tantũ ſenſitiva, quod animæ non convenit, cum ſit ſimul omnia prædicta: ergo pariter nulla ſpecies creata intelligibilis poterit præcontinere differẽtias athomas pluriũ ſpecierum intelligibiliũ; ſed ſi vna ſpecies Angelica repræſentaret hominẽ, & leonẽ ſecundũ ſuas differentias athomas, vere vna ſpecies creata Angelica præcontineret differentias athomas ſpecierum intelligibiliũ, per quas apud nos repræſentantur homo, & leo: ergo non eſt dicendũ per vnã ſimplicem ſpeciem Angelicã poſſe repræſentari hominem, & leonem.

Confir. ſecundo, ſi vna ſpecies Angelica poſſet repræſentare plures quidditates, poſſet dari quod vna ſpecies Angelica poſſet repræſentare omnes quidditates vniverſi, non ſolum exiſtentes, ſed etiam poſsibiles; Conſeq. nequit admitti: ergo. Prob. ſequela, vbi non obeſt pluralitas, non obeſt infinitas; ſed pluralitas ſpecierũ, quæ apud nos habentur, non obeſt quòminus vna ſpecies Angelica ſit ſpecies hominis, & leonis: ergo pariter nihil obeſſe poterit quo minus repræſentet omnes quidditates exiſtentes, & poſsibiles. Confir. tertio, quia motivum honeſtatis habet ſpecificare actũ honeſtum; & motivum ſublevandi miſeriam habet ſpecificare actũ miſericordiæ, & motivum charitatis actum dilectionis, nequit Angelus eodem indiviſibili actu ferri in aliquod bonum propter eius honeſtatem, & propter ſublevandam miſeriam, & propter motivum charitatis, aliàs enim daretur, quod idem actus voluntatis Angelicæ eſſet in triplici ſpecie, quod admittendum non eſt: ergo quia quidditas hominis habet adæquatè ſpecificare vnam ſpeciem impreſſam, & quidditas leonis aliã, nequibit vna ſpecies Angelica repræſentare hominem, & leonem.

Ad hoc argumentum, diſt. Ant. ſunt obiecta adæquata duarum ſpecierũ intelligibilium, quæ accipiuntur ab homine, & leone, prout in ſe ipſis ſunt, conc. Ant. duarum ſpecierum intelligibiliũ, quæ ſumunt ſuum eſſe intelligibile à repræſentatione divinæ ideæ, nego Ant. & Conſ. Etenim cum homo in ſe ipſo tantũ habeat eſſe hominis, & non leonis, nequit cauſare repræſentationem vnam, quæ ſimul ſit ſpecies hominis, & leonis; & ſic loquendo de ſpeciebus acceptis à rebus, eſt neceſſe, quod iuxta rerũ quidditates diſtinguantur: ſpecies autem intelligibiles Angelicæ non deſumunt ſuam repræſentationem ab homine, & leone, prout in ſe ipſis ſunt, ſed ſolum ab idea divina, in qua ſine pluralitate inveniuntur: vnde ſicut idea vna poteſt realiter Deo tribuere repræſentationẽ hominis, & leonis, ita vna ſpecies impreſſa Angeli quæ participat ideam divinam in repræſentando, poteſt Angelo tribuere perfectam repræſentationem hominis, & leonis.

873 Inſtas, nequit in eſſe phyſico dari vna participatio phyſica ideæ divinæ, quæ phyſicè ſit homo, & leo, ſicut in eſſe phyſico idea divina homo eſt, & leo: ergo nequibit in eſſe intentionali dari participatio ideę divinæ, quę vna cum ſit, ſit in eſſe intentionali homo ſimul, & leo. Ad hoc, nego Conſ. ſunt enim res in eſſe phyſico, & connaturali magis limitatę, quam in eſſe intentionali: vnde ex hoc quod duę quidditates in eſſe phyſico nequeant identificari, non infertur, quod in eſſe intentionali identificari non poſsint. Et iſto Conſeq. in ſententia Arrubalis, qui contra nos ſentit. Duo individua humana nequeunt in eſſe phyſico identificari: ergo neque in eſſe intentionali poſſunt eſſe idem in ſpecie intelligibili. Ipſe negabit Conſeq. quia tenet per vnam ſpeciem impreſſam poſſe

Digitized by Google

plura individua repræſentari, licet non plures quidditates. Rurſus, videmus quod intellectus noſter ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri format vnam ſpeciem vnitate ſimplicitatis vnam, repræſentantem montem aureum, cum tamen montem aureum à parte rei dari, chymera ſit: non ergo poteſt fieri argumentum alicuius roboris ad probandum, quod poſsit vna ſpecies repræſentare leonem, & hominem ex eo quod à parte rei extra intellectum non poſsit identificari leo, & homo.

Ad primam Confirm. conceſſa prima Conſeq. nego Min. ſubſumptam. Etenim eſto vna ſpecies Angelica repræſentet hominem, & leonem, non ſequitur, quod præcontineat differentias athomas, quibus diſtinguuntur ſpecies impreſſæ hominis, & leonis, quæ ſuum eſſe intelligibile accipiunt ab homine, & leone (hoc enim impoſsile eſt) ſed tantum ſequitur, quod ſuum eſſe intelligibile non accipiat ab homine, & leone, prout extra Deum in ſe ipſis plura vt plura ſunt, ſed ab idea eorum, in qua ſunt idem. Itaque ſpecies impreſſæ hominis, & leonis non ſunt plures, quia hominem, & leonem repræſentant, ſed quia ab ipſis, prout extra Deum plura ſunt, ſuum eſſe intelligibibile accipiunt. Vnde ſi ponatur ſpecies, quæ ab illis, vt plura ſunt, ſuum eſſe intelligibile non accipiant, poterit dari, quod vna ſpecies hominem, & leonem repræſentet, quia per hoc tollitur adæquata ratio diſtinctionis, quæ erat inter ſpecies hominis, & leonis; & ablata cauſa diſtinctionis, venitur ad identitatem: cum ergo ſpecies Angelica non deſumat ſuum eſſe repræſentativum ab homine, & leone, prout à parte rei ſunt, ſed ab ipſis prout ab vna idea repræſentantur, poſſunt abſque præcontinentia differentiæ athomæ ſpecierum hominis, & leonis, quæ deſumunt ſuum eſſe intelligibile ab ipſis, per vnam indiviſibilem ſpeciem Angelicam repræſentari.

Sed inſtas, idea divina niſi præcontineret eminenter illas plures ſpecies, quæ nobis repræſentant hominem, & leonem, non poſſet retenta vnitate ſimplicitatis repræſentare hominem, & leonem: ergo niſi ſpecies Angelica hanc eminentialem præcontinentiam participet ab idea, non poterit retenta vnitate ſimplicitatis hominem, & leonem repræſentare. Ad hoc, nego Ant. ratio enim, ob quam idea divina, vnitate ſimplicitatis retenta, habet hominem, & leonem repræſentare, non eſt, quia præcontineat eminenter differentias athomas, per quas dictæ ſpecies plures ſunt, ſed eſt, quia non accipit ſuum eſſe repræſentativum ab homine, & leone, prout in ſe ipſis plura ſunt: hoc enim ſufficit, & aliud non requiritur.

Ad ſecundam Confirm. nego ſequelam. Etenim eſto ſpecies impreſſa Angeli poſsit participare divinam ideam inadæquatè, nõ tamen adæquatè, ſicut eſto gratia poſsit inadæquatè participare naturam divinam, illam tamen adæquatè participare non valet: ſi autem vna ſola ſpecies Angelica repræſentaret omnes quidditates exiſtẽtes, & poſsibiles, divinã ideam adæquaret in repræſentando. Et ad Prob. ſequelæ dico, maximam illam *vbi non obeſt pluralitas, non obeſt infinitas*, ſolum eſſe veram de pluralitate per ſe, nõ de pluralitate per accidens, id eſt, quando aliquod vnum eſt plura, quæ per ſe plura ſunt; non autẽ quãdo eſt plura, quæ per ſe non ſunt plura: diximus autem, quod ſpecies, quæ nobis repræſentant hominẽ, & leonẽ non ſunt plures per ſe, id eſt, ex hoc quod ſint repræſentativæ hominis, & leonis, ſed ex hoc quod ſuum eſſe repræſentativum accipiunt ab homine, & leone, prout in ſe ipſis ſunt plures: cumque poſsit dari ſpecies, quæ ſuum eſſe repræſentativũ ab ipſis non accipiat, vt plures ſunt, dabitur ſpecies, quæ non ſit plura, quæ per ſe plura ſunt, ſed tantum per accidens, & ſic de illa non verificabitur, quod ſi non obeſt pluralitas, non oberit infinitas. Ad tertiã Confir. nego Conſ. nec enim eſt paritas in ſpecificativis. Etenim motivũ honeſtatis, & motivum ſublevandi miſeriam, & motivum charitatis per ſe ſunt motiva ſpecificantia actus volũtatis creatæ, quæcumque illa ſit, ſive hominis, ſive Angeli, & ſic ex terminis ſunt plura motiva formaliter ſpecificativa actuum diſtinctorum ſpecie: vnde ſi idem actus Angelicus fieret propter honeſtatem adæquatè, & propter ſublevandam miſeriam adæquatè, & propter motivum charitatis, actus idem eſſet in triplici ſpecie, quod videtur clare implicare: at ſpecies Angelica adæquatè repræſentans leonem, id eſt, repræſentans omnia cognoſcibilia eius, & adæquatè repræſentans hominẽ, id eſt omnia cognoſcibilia hominis, non accipit ſpeciem ſuam ab illis, prout plures ſunt, ſed ab illis, prout in vna idea ſunt idem, & ſic non eſt neceſſe, quod iuxta varia-

tio-

Digitized by Google

tionem realem eorum realiter varietur ſpecies.

874 Sexto arguitur, implicat vnum, quod tantum eſt vnum vnitate ordinis, repræſentari immediatè perfectè & diſtinctè ſecundum differentias rerũ, ex quibus coaleſcit, niſi in repræſentante præcontineatur in eſſe intentionali, ita quod hæc ſit vera; *hoc activè repræſentans in eſſe intentionali eſt vnum vnitate ordinis tantum*; ſed ſi activè repræſentans eſſet vnum in eſſe intentionali vnitate ſimplicitatis, ita quod ſecum adunet repræſentationes illorum plurium, iam repræſentatum ſola gaudens vnitate ordinis non præcontineretur in repræſentante vno, ſola vnitate ordinis vno: ergo vnum, vnitate ſola ordinis vnum, nequit repræſentari perfectè per ſpeciem, quæ ſit vna vnitate ſimplicitatis. Mai. patet, quia inter immediatum repræſentatum per ſpeciem, & ſpeciem repræſentantẽ debet eſſe identitas: ergo requiritur quod ſi immediatè repræſentatum eſt vnum ſola vnitate ordinis, repræſentans ſit etiam vnum ſola vnitate ordinis. Min. vero Prob. nam vnũ vnitate ordinis tantum vnum, nequit formaliter præcontineri ab vno vnitate ſimplicitatis vno; nam inter hæc duo non eſt identitas, ſed difformitas: ergo. Ad hoc argumentum, nego Min. Ad Prob. diſtinguo Ant. ſi illud vnum vnitate ſimplicitatis ſit vnum vnitatate ſimplicitatis in repræſentando, & in eſſendo, conc. Antec. ſi ſit tantum vnum vnitate ſimplicitatis in eſſendo, nõ vero in repręſentãdo, nego Ant. & Conſ. Itaque ſicut homo nequit immediatè repræſentari niſi per ſpeciẽ, quę in repræſentando ſit homo, ita vnũ, vnitate ſola ordinis vnũ, nequit immediatè repræſentari niſi per ſpeciẽ, quæ in repræſentando ſit vna ſola ordinis vnitate: nec hoc negamus in cõcluſione noſtra, ſed affirmamus, quod per vnam ſpeciem vnam ſimplicitatis vnitate in eſſendo, poteſt repræſentari vnum ſola vnitate ordinis vnum in eſſendo, ſicut & affirmamus, quod per ſpeciem, quæ in eſſendo eſt accidens, poteſt repræſentari homo, qui ſubſtantia eſt. Itaque myſterium hoc in tantum ſtat, quod nõ eſt neceſſe multiplicari ſpecies ad multiplicationem obiectorũ, quando eſſe intentionale ſpeciei non accipitur ab ipſis obiectis, prout plura ſunt, ſed prout in aliquo adunantur; vnde quia Angelicæ ſpecies nõ deſumuntur ab obiectis, prout in ſe ipſis plures ſunt, ſed prout in idea divina ſunt idem, poſſunt plura per vnam ſpeciẽ Angelicam vnam tantum in eſſendo repræſentari, quæ in repræſentando etiam erit plura ſola vnitate ordinis gaudentia.

875 Tandem arguitur, quamvis ſpecies Angelica non accipiatur ab obiectis, prout in ſe ipſis ſunt, debet tamen in genere cauſæ formalis ſpeciẽ ſumere ab illis, prout in ſe ipſis ſunt: ergo debet variari ſpecificè iuxta eorum varietatem ſpecificam: non ergo poterit vna ſpecies indiviſibilis eſſe repræſentativa plurium, vt plura ſunt. Cõfirm. Angelus nequit ſimul intelligere plura vt plura: ergo nequit habere ſpeciem, quæ repræſentet illi plura vt plura; ſed ſpecies, quæ immediatè repræſentaret hominem, & leonem, prout à parte rei extra animam ſunt, repræſentaret plura vt plura: igitur nequit Angelus habere ſpeciem repræſentantem illi immediate hominem, & leonem, prout à parte rei extra animam ſunt. Prima Conſeq. nam ſpecies Angelica repræſentat obiecta Angelo eo modo, quo Angelus poteſt intelligere obiecta; non vero eo modo, quo ea intelligere nequit: ergo ſi nequit intelligere plura vt plura, nequibit illi ſpecies repræſentare plura vt plura.

Ad hoc argumentum aliqui Thomiſtæ negant Ant. ſentiunt enim quod ſpecies, quæ ab obiecto repręſentato nõ accipitur, ab illo non ſpecificetur. Hic tamen modus dicendi non placet; quia etſi ſpecies Angelica non accipietur à rebus, prout in ſe ipſis ſunt, eſt tamen inſtituta, vt res ipſas, prout in ſe ipſis ſunt, repræſentet: ergo ſpeciem ſuam debet accipere ab illis, prout in ſe ipſis ſunt. Prob. hæc Conſequentia, nam Angelorum ſcientiæ non accipiuntur ab obiectis, cum non ſint adquiſitæ, nec tamen poſſumus dicere, quod non ſpecificẽtur ab obiectis, ob quorũ attingentiam inſtitutæ ſunt: ergo & ſpecies Angelicæ, quãvis ab obiectis acceptæ nõ ſint, tamen quia ob eorum repræſentationem ſunt inſtitutæ, ab ipſis ſpeciẽ accipient. Quod Confir. obiectum immittens ſpeciẽ non ſpecificat illam, quia illam activè producit, ſed quia producit eam vt ipſum repræſentet: cum ergo Deus activè producat ſpecies, vt obiecta prout in ſe ipſis ſunt, repræſentent, debebunt à rebus, quarum repræſentationes ſunt capere ſpecies.

Vnde hac ſolutione omiſſa, aliter reſpondetur ad argumentũ, diſt. Ant. debet tamen in genere cauſæ materialis ſpeciẽ ſume-

Digitized by Google

mere ab illis, prout in ſe ipſis ſunt, ipſeitate de linea entis, nego Antec ipſeitate de linea obiecti, conc. Ant. & diſt. Conſ. iuxta eorum veritatem ſpecificam de linea obiecti, conc. Conſ. ſpecificam de linea entis, nego Conſ. & nego ſuppoſitū ſecundi Conſequentis. Itaque in rebus repræſentatis per vnam ſpeciem Angelicam ſunt duo conſideranda; primum, id, per quod in linea entis, & per eius differentias plura ſunt: alterū eſt convenientia, quam habent inter ſe, ex eo quod ſimul poſſunt ab vno Angelo intelligi iuxta tantam, vel tantam efficaciam Angeli in intelligendo: ex primo habent diverſitatem plurium vt plura; ex hoc ſecundo habent vnitatem, & convenientiam in ratione repræſentabilis per vnam ſpeciē, & ex hoc ſecundo habent ſpecificare ſpecies, non ex primo. Pono exemplum. Si loca, quæ ſunt in hac alma Vrbe ſecundū ſe conſiderentur, ſic invenientur eſſe plura loca adæquata reſpectivè ad hæc materialia locabilia: ſi autem conſiderentur ſecundum quod vnus Angelus ſimul in illis operari poteſt, ſic vnus locus adæquatus vnius Angeli ſunt, quia eius virtutem locativam diffiniunt: ſic plures quidditates, ſi conſiderentur ſecundum ſe, & prout vnaquæque ſui poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem, ſic plura vt plura ſunt; ſi autem conſiderentur in ordine ad efficaciam Angeli potentis illa ſimul intelligere, ſic vnū repræſentabile faciunt per vnam ſpeciem, & ab ipſis, prout ſic, ſpecies habent Angelicæ ſuam ſpecificationē: vnde non ſpecificatur à pluribus vt plura ſunt, ſed ab vno formaliter in eſſe obiecti vno. Ad Confir. nego ſuppoſitum Conſequentis, quia ſpecies Angelica, vt dixi, non repræſentat plura vt plura, ſed plura, quæ conveniunt in eſſe partis vnius adæquatè repræſentabilis per vnam ſpeciem.

§. III.

Vtrùm Angeli quò ſuperiores ſunt, eò per vniverſaliores, & pauciores ſpecies intelligant?

876 CIRCA huiuſmodi difficultatem auctores, qui tenent Angelorū ſpecies non eſſe vniverſales in repræſentando, etiam tenent Angelos quò ſuperiores ſunt non intelligere per pauciores, & vniverſaliores ſpecies; qui autem cum D. Thom. ſpecies Angelicas tenent eſſe vniverſales in repræſentando, etiam dicunt, quod quò Angeli ſuperiores ſunt, eò per pauciores, & vniverſaliores ſpecies intelligant. Sed hi inter ſe dividuntur. Alij enim volunt, Angelos quò ſuperiores ſunt in ordine, aut Hierarchia, eò intelligere per pauciores, & vniverſaliores ſpecies; ſecus autem ſi eiuſdem Hierarchiæ ſint. Alijs vero placet, quod quātò ſuperiores ſunt in gradu ſpecifico, tanto habent ſpecie vniverſaliores in repræſentando, vel quia plures modos divinæ providentiæ circa eandem naturam, quam ſpecies inferiorum repræſentant, vt vult Capreolus, vel quia eandem naturam repræſentant perſpicatius, & ſimplicius: ſicut ſenſus communis percipit eundem colorem per ſpeciem ſimpliciorem, quam viſus, vt volunt Ferrarienſis, & Bañez: aut quia ex parte rei repræſentatæ ſpecies ſuperiorum Agelorum plures naturas repræſentant, vt volunt Caietanus, Valentia, Suarez, Salmantic. Araujo, Ioannes à Sanct. Thom. & Gonet. Qui modus dicendi, quia veritati & D. Thom. conformior eſt, à nobis ſtatuitur pro concluſione.

Dico ergo, Angeli quo ſuperiores ſunt ſecundum gradum ſpecificum, eò per vniverſaliores ſpecies intelligunt. Prob. ex D. Thom. q. 8. de verit. art. 10. ibi: *Cum in Deo ſit perfectiſſima virtus, & puritas actus, ipſe per vnum, quod eſt eſſentia ſua, omnia operatur, & omnia cognoſcit efficaciſſime: ab ipſa autem effluunt rationes rerum intelligibilium in Angelis, non quidem ad cauſandum, ſed ad cognoſcendum: vnde quantò in Angelis fuerit plus de actu, & minus de potentia, tantò emanatio huiuſmodi rationum minus in ipſo multiplicatur, & virtus eius cognoſcitiva erit efficatior, & ſecundum hoc ſuperiores Angeli cognoſcunt res per formas magis vniverſales, quam inferiores.* Pondero verba illa: *Quanto in Angelo fuerit plus de actu, & minus de potentia, tantò emanatio huiuſmodi rationum minus in ipſo multiplicatur.* Et argumentor ſic. In quolibet Angelo, quò ſecundum ſpeciem excedit alterum, tantò plus eſt de actu, & minus de potētia, quam ſit in illo, qui ſpecificè exceditur: ergo tanto per vniverſaliores ſpecies intelligit, quam inferior. Patet Conſeq. quia iuxta D. Thom. quantò in Angelo plus eſt de actu, & minus de potentia, tantò minus in eo multiplicantur ſpecies. Quam doctrinā accuratius tradidit in 2. diſt. 3. q. 2. art. 2. ibi: *Oportet, quod ſcientia ſuperiorum ſit vniverſalior,*

Digitized by Google

lior; & ſpecies univerſaliores, quod quomodo contingat poteſt videri ex verbis Commentatoris 11. Metaph. ipſe enim dicit, quod ſecundum ordinem differentiæ inter intelligens, & intellectum eſt etiam ordo multiplicationis intellectorum, quia in intellectu ſuperiori, qui habet minus de poſſibilitate, minor eſt compoſitio intelligentis, & intellecti, & inde eſt etiã, quod ſunt in eo pauciores formæ intelligibiles, quia quanto minus habet de potentia lumẽ intellectuale, minus dividitur, & multiplicatur in eo, & ideo oportet, quod iſtæ formæ ſint univerſaliores formis magis multiplicatis. Quam etiam doctrinam accuratius tradidit hic q. 55. ar. 3. ibi: *Sic igitur quantò Angelus fuerit ſuperior, tantò per pauciores ſpecies univerſitatem intelligibilium apprehendere poterit, & ideo oportet, quod eius formæ ſint univerſaliores, quaſi ad plura ſe extendens unaquæque earum.* Legatur totum corpus ar. quod totũ hanc redolet doctrinam.

1 Nec oportet hic diſtinguere de ſuperioritate quoad ordinem, & Hierarchiam, & ſuperioritatem ſolum quoad gradũ ſpecificum. Tum quia D. Tho. non diſtinguit, ſed abſolute fatetur, quod quò ſuperiores ſunt Angeli, eo per univerſaliores ſpecies intelligunt. Tum quia D. Th. perpetuus eſt in eo, quod illi Angeli, qui minus habent de potentia, & magis de actu per univerſaliores ſpecies intelligunt; ſed minus habere de potentia, & plus de actu ſolum oritur ex exceſſu ſecundum rationem ſpecificã: igitur ſecundum D. Tho. Angeli quò ſuperiores ſunt in ſpecie, eò per pauciores ſpecies intelligunt. Prob. Min. quò differentia Angeli perfectior eſt, eò magis accedit ad Deum, qui purus actus eſt: ergo eo magis recedit à potentia: ergo eò plus actualitatis habet, & minus de potentia. Tum etiam quia infra q. 108. ar. 1. ut diſtinguat in Angelis tres Hierarchias, reccurrit ad doctrinã, quam hic docuerat. q. 55. ar. 3. nẽpe, quod Angeli quanto ſuperiores ſunt, eò univerſaliorem cognitionem veritatis habent, quam inferiores. Verba D. Tho. ſunt hæc: *Et per eundem modum in Angelis tres Hierarchiæ diſtinguuntur*, quod, ut probet, ſic proſequitur, *dictum eſt enim ſupra dum de cognitione Angelorum ageretur. Quod ſuperiores Angeli habent univerſaliorem cognitionẽ veritatis, quam inferiores, huiuſmodi autem univerſalis acceptio cognitionis ſecundum tres gradus in Angelis diſtingui poteſt. Poſſunt enim rationes rerum, de quibus Angeli illuminantur conſiderari tripliciter. Primo quidem, ſecundum quod procedunt à primo principio univerſali, quod eſt Deus, & iſte modus cõvenit primæ Hierarchiæ, quæ immediate ad Deum extenditur & quaſi in Veſtibulis Dei collocatur. Secundo vero, prout huiuſmodi rationes dependent ab univerſalibus cauſis creatis, quæ iam aliquo modo multiplicantur, & hic modus convenit ſecundæ Hierarchiæ. Tertio autem modo, ſecundum quod huiuſmodi rationes applicantur ſingulis rebus, prout dependẽt à proprijs cauſis, & hic modus convenit infimæ Hierarchiæ.* Hęc D. Tho. Ex quibus conſtat maiorem præſtantiam in Hierarchia, & ſuperioritatem fundari, vel potius ſupponere Angelos, quò ſuperiores ſunt, eò per pauciores, & univerſaliores ſpecies intelligere; ſed ſuperioritas, cum non ſit Hierarchiæ ad Hierarchiam, erit neceſſario ſpeciei ad ſpeciem: ergo quò ſuperiores erunt in differentia ſpecifica, eò per univerſaliores ſpecies intelligent.

Præterea iuxta D. Tho. intra quamlibet Hierarchiam, dantur tres ordines, nẽpe ſummi, mediocris, & infimi, & iuxta eundem hæc ratio ſupremi, mediocris, & infimi accipitur penes modum habendi ſcientiam, ſic, quod alijs intra eandẽ Hierarchiam exiſtẽtibus poſſit illam communicare, ſic enim habet in art. 2. ad 2. ibi: *Quod in ſocietate Angelorum omnia poſſidẽtur communiter, ſed tamen quædam excellentius habentur à quibuſdam, quam ab alijs. Unumquodque autem perfectius habetur ab eo, qui poteſt illud communicare, quam ab eo, qui non poteſt; ſicut perfectius eſt calidum, quod poteſt calefacere, quam id, quod non poteſt, & quanto perfectius donum aliquis communicare poteſt, tantò in perfectiori gradu eſt, ſicut in perfectiori gradu magiſterij eſt, qui poteſt docere altiorem ſcientiam: & ſecundum hanc ſimilitudinem diverſitas graduum, & ordinum in Angelis ſecundum diverſa officia, & gradus penſatur.* Ex quibus ſic argumentor, Intra eandem Hierarchiam habetur ratio magiſterij, & diſcipulatus, ſic, quod alij ſint magiſtri aliorum eiuſdem Hierarchiæ; ſed hoc magiſterium conſiſtit in eo, quod magiſter ſcientiam de rebus, quam habet in univerſali, dividat, & particularizet pro captu diſcipuli: igitur intra Angelos eiuſdem Hierarchiæ etiam habetur, quod alij eorum, nempe magiſtri, univerſaliores, & pauciores ſpecies habeant, quam diſcipuli. Conſ. eſt bona, Mai. eſt doctrina D. Th. adducta, & Minor eſt conſtans doctrina D. Th. infra in quæſtione de Illuminatione Angelorũ.

Ra,

877 **Ratione Prob. Concluſio.** Quoniam Deus ex eo quod purus actus eſt, & ſupremus in natura intellectuali, ex eo habet omnia intelligere per ſuam eſſentiã, anima vero rationalis, quia infima eſt in natura intellectuali, & pura potentia in linea intelligibili, idcirco per tot ſpecies intelligit, quot ſunt formæ rerum naturaliũ: ergo Angeli, qui ſunt media inter hæc duo extrema, quò ſuperiores ſunt in natura intellectuali, & magis habent de actu, & minus de potentia, eò per pauciores, & vniverſaliores ſpecies intelligent. Dices, rationem medij inter Deum, & animam rationalem ſufficienter ſalvari per hoc, quod Deus per ſuam eſſentiam omnia intelligat, anima vero ab initio ſuæ creationis ſit tanquam tabula raſa: Angelus vero ab initio ſuæ conditionis omnium rerum vniverſi ſpecies infuſas à Deo habeat; ſi hoc enim tantum ponatur, vera ratio medij adſtruetur inter Deum, & animam. Sed contra hoc eſt, nam vera ratio medij eſt illa, quæ mediat inter extrema vt extrema ſunt, ſed Deus vt extremum exigit omnia intelligere per vnam ſolam ſpeciem, & anima exigit intelligere per tot ſpecies, quot ſunt formæ rerum naturalium: igitur ratio medij proprie competens Angelo debebit deſumi ex eo, quod quantò magis recedit ab anima, & magis accedit ad Deum in actualitate, tantò per pauciores ſpecies intelligat.

Explicatur hoc, ratio medij inter Deum, & animam intra lineam actualitatis non conſiſtit in indiviſibili, ſed ſuſcipit magis, & minus iuxta exceſſum in actualitate ſpecifica, quo gaudent: ergo ſicut in ipſa actualitate habet magis, & minus, ita in intelligendo per plures, vel pauciores ſpecies habebunt magis, & minus. Patet hæc Conſ. quia ad formam intellectualem, quò actualior eſt, ſequitur vis intellectiva maioris perſpicatiæ, & maioris activitatis: ergo & maioris potentiæ ad intelligendum per medium vniverſalius: ergo & ad intelligẽdum per vniverſaliores, & pauciores ſpecies. Dices, intellectus Angelorum ſuperiorum eſſe perfectiores intellectibus inferiorum; & tamen vnicuique Angelo vnus tantum conſignatur intellectus: ergo poterunt ſpecies ſuperiorum Angelorum eſſe ſuperiores, & perfectiores ſpeciebus inferiorum, eſto quoad numerum ſint æquales, ſic, quod vnicuique Angelo idem numerus ſpecierum aſsignetur. Sed contra hoc eſt, nam Angelus non eſt medius inter Deum, & animam rationalem quantum ad hoc, quod eſt habere vnum intellectum, vel plures, cum Deus, & anima vno tantum intellectu gaudeant: eſt autẽ medius inter Deũ, & animam quoad numerum ſpecierum per hoc, quod Deus vnam tantum habeat ſpeciem, qua ſe, & alia à ſe intelligat, anima vero tot ſpecies habeat, quot ſunt obiecta repræſentata: ergo quò hoc medium magis recedit ab anima, & magis accedit ad Deũ, magis participabit eſſe divinum quoad numerum ſpecierum, & ſic quò ſuperius erit, per pauciores ſpecies intelliget. Vnde retorqueo Argumentum, quia enim Angelus eſt medium inter Deum, & animam quoad intellectum non penes numerum, ſed penes præſtantiam, & actualitatem, quò Angelus magis accedit ad Deum, eò præſtantiorem, & excellentiorem intellectum habet: ergo quia eſt medium quoad numerum ſpecierum, quò ſuperior erit, cum magis accedat ad Deum extremum; eò pauciores ſpecies habebit.

Dices vlterius rationi noſtræ, rationẽ medij inter Deum, & animam convenientem Angelis conſiſtere in indiviſibili, & in aliquo prædicato communi vnivoco omnibus Angelis, videlicet in eo quod Deus ſit actus purus omnis potentialitatis phyſicæ, & metaphyſicæ expers, anima autem ſit entitativè potentialis potentialitate metaphyſica, & informativè potentialitate phyſica, id eſt, actus potentiæ phyſicæ, Angelus autem omnino careat materia phyſica tam conſtitutive, quam informative, & admittat potentialitatem metaphyſicam, quæ ratio æqualiter, & vnivocè convenit omnibus Angelis, ratione cuius omnibus illis dantur ab initio ſuæ conditionis ſpecies impreſſæ ad cognitionem omnium naturaliũ, ratione etiam cuius omnibus Angelis datur quod ſint comprehenſivi cuiuſcumque entis naturalis: ergo & debet ratione illius dari idem numerus ſpecierum intelligibiliũ cuilibet Angelo reſpectu rerum naturaliũ. Sed contra eſt, nam licet illa ratio medij ſecundum genus logicum æqualis ſit, phyſice tamen ſumpta, & vt invenitur contracta per varias differẽtias ſpecificas, inæqualis eſt, & magis, & minus ſuſcipit iuxta maiorem, & minorem perfectionem ſpecificam: ergo phyſica loquendo de illa, ſeu metaphyſicè ſecundũ quod magis recedit ab anima intelligente vnamquamque rem per ſpeciem illi adæquatam, & magis acce-

dit

dit ad Deum, intelligentem omnia per vnã ſolam ſpeciem, per pauciores ſpecies intelliget res. Confir. anima, ob ſui imperfectionem extremam in intelligendo, habet intelligere per tot ſpecies, quot ſunt formæ naturalium rerum, quas intelligit: itẽ Deus ob ſui maximam perfectionem extremam in intelligendo, tantum per vnam ſpeciem habet omnia intelligere: ergo ſi ponatur, omnes Angelos per eũdem numerum ſpecierum omnia intelligere, eſto ponatur recedere ab anima, & accedere ad Deum, non tamen ponetur magis recedere ab anima, & magis accedere ad Deum: ergo eſt neceſſarium, quod quò ſuperiores Angeli ſunt, per pauciores, & vniverſaliores ſpecies intelligant.

Dices tertio, hoc prædicatum, nempe intelligere Deum omnia per vnam tantum ſpeciem, eſſe prædicatum imparticipabile à creatura intellectuali, ſicut & actus purus, & infinitas, & ſic ex maiori acceſſu ad Deũ non ſequi, quod Angeli per pauciores & vniverſaliores ſpecies intelligant. Sed contra eſt, quia licet omnia intelligere per vnã ſpeciem abſolutè ſumptum nequeat participari, ſiquidem non eſt dabilis creatura intellectualis, quæ per vnam ſpeciem intelligat omnia, quæ poteſt intelligere; tamen vt extremum verſus perfectionem inter Angelos, & animam infimam in intelligendo, bene poteſt participari à medio, quod eſt Angelus. Nam cum hic ob ſui perfectionẽ maiorem in intelligendo magis recedit ab anima, dum hæc omnia intelligit per tot ſpecies, quot ſunt res intellectæ, medium debet ab hoc recedere; & omnia per pauciores ſpecies intelligere, & ſic vt medium minus à Deo recedere, quàm anima, ſicut ab vnitate minus recedit numerus binarius, quàm ſenarius; & ſicut ex hoc quod minus recedit numerus binarius ab vnitate, quàm ſenarius, ſtat, quod quamvis non ſit vnitas, magis tamen accedat ad vnitatem, quàm ſenarius, ex hoc etiam quod Angeli ob ſui maiorem perfectionem magis recedunt ab anima, quàm Angeli imperfectiores, ſtabit minus recedere à Deo, quàm imperfectiores, & conſequenter ſtabit, quod licet non perveniant ad hoc, quod eſt omnia intelligere per vnam ſpeciem, minus tamen ab hoc recedant, & intelligendo per pauciores ſpecies magis accedant ad vnitatem, quam habet Deus intelligens omnia per vnã tantum ſpeciem, quamvis ad hoc quod eſt omnia intelligere per vnam ſpeciem minime pervenire poſſint.

§. IV.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

878 PRIMO Arguitur, dato quod omnes Angeli per eundem numerum ſpecierum omnia intelligant, adhuc ſalvatur quod quò ſuperiores ſunt, per ſpecies perfectiores intelligant: ergo non eſt neceſſarium, quod quò ſuperiores ſunt, per ſpecies pauciores, & vniverſaliores intelligant. Conſ. videtur bona, & Ant. Prob. dato quod omnes Angeli per vnum intellectum intelligant, ſalvatur quod quò perfectiores ſunt, per intellectum perfectiorem intelligant: ergo dato quod Angeli per eundem numerum ſpecierum intelligant, ſalvabitur, quod quò ſuperiores ſunt, per perfectiores ſpecies intelligant. Confir. ſtat ſpecies eſſe plures, & minus vniverſales, & eſſe perfectiores, & nobiliores: ergo ſtabit bene eſſe in numero æquales, & alias eſſe alijs perfectiores: ergo ſtabit omnes Angelos intelligere per eundẽ numerum ſpecierũ, & quò ſuperiores ſunt, intelligere per ſpecies perfectiores. Hæc ſecunda Conſ. infertur ex prima, & prima Prob. à paritate, & Ant. Prob. ſic. Nam ſpecies ſcientiæ inditæ, quibus Chriſtus intelligebat more Angelorum plures erant, quã ſpecies ſcientiæ inditæ Angelorum; & tamen erãt nobiliores, & perfectiores, quàm ſpecies Angelorum, ſiquidem ſpecies proportionantur in nobilitate cum ſcientia, quæ illis vtitur, & ſcientia indita animæ Chriſti erat nobilior ſcientia indita Angelorum, vt habemus ex 3. p. q. 11. ar. 5. & 6. ergo ſtat ſpecies eſſe plures, & minus vniverſales, & eſſe perfectiores paucioribus, & magis vniverſalibus.

Ad hoc argumentum, nego Ant. Ad Prob. nego Conſ. & aſſigno diſcrimen in eo, quod perfectio maior intellectus non penſatur penes receſſum à pluralitate intellectuum, & maiorem acceſſum ad vnitatẽ, ſed penes receſſum à potentialitate, & acceſſum ad maiorem actualitatem, & ſic ſtat bene, quod vnicuique Angelo vnus detur intellectus tantum, & quod quò ſuperiores Angeli ſunt, per perfectiorem intellectum intelligant: perfectio autem in intelligendo reſpectivè ad ſpecies in Angelo penſatur penes receſſum à multiplicitate ſpecierum, quã anima intelligit, & maiorẽ acceſſum ad intelligendum per vnam ſpeciem

ciem, quomodo Deus intelligit. Cumque quò ſuperiores ſunt Angeli, eò magis recedant à multiplicitate ſpecierum animæ, & eò magis accedant ad vnitatem ſpeciei, qua Deus omnia intelligit, fit cõſequens, quod quò ſuperiores ſunt, eò paucioribus ſpeciebus debeant intelligere: vnde ſtante in omnibus Angelis eodem numero ſpecierum, non ſalvatur, quod quò perfectiores ſunt, eò per ſpecies perfectiores intelligant. Explico hoc. Angelus quoad potentiam intellectivam non eſt medium inter Deum, & animam quantum ad pluralitatẽ, vel vnitatem; cum in Deo ſit tantum vnus intellectus, & ſimiliter in anima vnus tantum intellectus ſit: ſed eſt medium quantum ad actualitatem, & potentialitatem potentiæ intellectivæ; nam intellectus animæ eſt in fimę actualitatis, & intellectus Dei eſt actualitatis in ſummo: vnde Angeli, qui ſunt medij inter animam, & Deum, debent recedere à potentialitate intellectus animæ, & accedere ad actualitatẽ intellectus Dei, & ſic perfectio maior intellectus Angelorũ conſiſtit in eo, quod quò ſuperiores ſunt, eò per actualiores intellectus intelligant; non vero in eo, quod per plures, vel pauciores intellectus cognoſcant. Quoad ſpecies intelligibiles autem, Angelus eſt medium quantum ad pluralitatem, & paucitatem: nam anima iuxta diverſitatem obiectorum pluralitate ſpecierum vtitur; Deus vero ad cognoſcendum omnia vna tantum vtitur ſpecie, & ſic perfectio debita Angelis quoad ſpecies in eo debet ſiſtere, quòd quò ſuperiores ſunt, eò paucioribus ſpeciebus vtantur, ſic enim habebitur, quod magis recedat ab anima, & magis accedat ad Deum.

Ad Confir. nego Ant. Ad Prob. diſt. illam partem Ant. & erant perfectiores, & nobiliores ſpeciebus Angelorum, quantum ad cauſam influentem multitudinem obiectorum, quæ per collectionem talium ſpecierum repræſentabantur, conc. Ant. quantum ad modum repræſentandi ſua peculiaria obiecta, nego Ant. & Conſ. Ad Prob. Ant. dico, quod lumen ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti erat nobilius ex parte cauſæ influentis, quia erat à Deo auctore ſupernaturali, & ex parte certitudinis. Nam lumẽ ſupernaturale certius eſt lumine naturali Angelorum, & quoad multiplicationem ſcitorum, quia plura cognovit Chriſtus per illam ſcientiam, quam Angeli per lumen naturale, & infuſum ſupernaturale; non tamen ex modo tendendi in ſua ſcibilia: vnde ſpecies tali lumine proportionatæ ſolum illis modis erant nobiliores ſpeciebus Angelicis, non vero ex modo repræſentandi ſua obiecta, quia illę repræſentabant modo humano, vel modo, quo homo natus eſt intelligere; ſpecies vero Angelorum repręſentabant obiecta ſua modo Angelico, qui eſt perfectior modus repræſentandi. Legatur D.Th. 3. p. q. 11. ar. 4. ex quo deſumpta eſt hæc doctrina.

879 Secundo principaliter arguitur, ſi Angeli quò ſuperiores ſunt, eò per pauciores ſpecies debent intelligere, ſequitur poſſe devenirí ad Angelum, qui omnia intelligat per ſuam ſubſtantiam; conſ. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, ponamus caſum, quod Angelus ſupremus omnia alia à ſe intelligat per vnam ſolam ſpeciẽ, & ſeipſum per ſuam ſubſtantiam. Tunc ſi Deus creet alium ſuperiorem, ille debebit intelligere omnia per pauciores ſpecies: cum ergo in ſupremo tantum ſit vna ſpecies, qua cognoſcit alia à ſe, & propria ſubſtantia, qua ſeipſum cognoſcit, ſequitur evidenter, quod in ſuperiori de novo producto tantum debeat eſſe propria ſubſtantia, qua ſe, & alia à ſe cognoſcat; aliàs non verificabitur quod intelligat per pauciores ſpecies. Ad hoc reſpondetur cum Domino Caietano hic q. 55. ar. 3. quod in data hypotheſi Angelo, qui nunc ſupremus eſt, daretur alia ſpecies repræſentans Angelum ſuperiorem de novo creatum: vnde ſupremus Angelus, qui de facto ſupremus eſt, tunc intelligeret per vnam ſpeciem omnia ſibi inferiora, ſeipſum per propriam ſubſtãtiam, & ſuperiorem ſe per aliam novã ſpeciem: ſuperior autem de novo creatus ſeipſum intelligeret per propriam ſubſtantiam, & omnia ſibi inferiora per vnam tantum ſpeciem: vnde non oporteret, quod per ſuã ſubſtantiam omnia intelligeret, quamvis per pauciores ſpecies intelligeret. Additque ſolutio, quod producto de novo ſuperiori ſupremo, qui de facto eſt, ſingulis Angelis oporteret de novo infundi ſingulas ſpecies repræſentativas de novo illius Angeli de novo creati.

Sed inſtas, nam ſi quilibet Angelus indigeret nova ſpecie, quæ illi Angelum ſuperiorem ſupremo adæquate repræſentaret, ſequitur, quod Angeli ſuperiores, & inferiores intelligerent dictum Angelum de novo creatum per æquè vniverſales ſpecies, ſiquidem omnes illum cognoſcerent per

per vnam tantum ſpeciẽ cum illo adæquatam, ſic, quod nihil aliud repræſentaret quã illum; hoc autem non eſt dicendum; videtur enim contra reſolutionem noſtram: ergo. Secundo inſto, nam ſi ponamus Angelum, qui de facto ſupremus eſt, per vnam ſolam ſpeciem cognoſcere omnia, quæ extra ipſum ſunt, tam ſpiritualia, quam corporalia, debet poni conſequenter, quod per ſpeciem ſubſtantiæ repræſententur ei omnis ſubſtantia corporalis, & ſpiritualis: ergo ſi de facto Deus producat Angelum ſuperiorem ſupremo, debebit etiam poni, quod per hanc eandem ſpeciem cognoſcat illum ſuperiorem de novo productum: ergo non erit neceſſarium ad illius cognitionem aliã dari ſpeciem Angelo, qui nunc ſupremus eſt. Diſcurſus eſt legitimus, & Ant. Prob. nã per vnam ſpeciem nequit Angelus attingere omnia corporalia, & ſpiritualia, niſi illa ſpecies repræſentet aliquẽ gradum, in quo corporalia, & ſpiritualia conveniunt; hic autem gradus non eſt alius niſi ſubſtantiæ: ergo. Conſ. autem prima ex eo patet, quia ille Angelus ſupremus de novo productus vere contineretur in gradu ſubſtantiæ: ergo ille, qui per vnam ſpeciem attingeret gradum illum, vere per illam cognoſceret Angelum de novo productum.

Ad primam inſtantiam, conc. Sequela Mai. nego Min. neque enim ad verificandũ, quod Angeli quò ſuperiores ſunt, eò per pauciores, & vniverſaliores ſpecies intelligant, requiritur, quod reſpectu cuiuſcumque obiecti, quod cognoſcunt, hoc debeat verificari; ſufficiet enim ſi verificetur de obiectis in eſſendo inferioribus Angelo intelligente, non autem requiritur verificari de Angelis ſuperioribus illo. Et ratio ea aſſignari poteſt, nam vniverſalitas ſpecierũ ſequitur ad naturam ſuperiorem Angeli intelligentis per illas; ſed ſuperioritas Angeli tantum habetur reſpectu ſibi inferiorum: ergo Angelos intelligere per ſpecies pauciores, & vniverſaliores quò ſuperiores ſunt, ſolum debet verificari de rebus inferioribus Angelo intelligente, non vero de his, quæ ſuperiora ſunt illo. Vnde in Angelo infimo erunt tot diverſæ ſpecies reſpectu Angelorum ſuperiorũ, quot habet Angelos ſuperiores, & in Angelo ſibi immediate ſuperiori erit vna minus, quia ſeipſum per propriam ſubſtantiam intelligit, ad quam tamen intelligendam ſibi inferior nova ſpecie indiget, & ſic aſcendendo, Angeli quò ſuperiores ſunt, ſpecies vniverſaliores habebunt; ita tamen quod reſpectu cuiuſcumque ſibi ſuperioris vnam ſpeciem diſtinctam habeat. Ad ſecundam inſtantiã, diſt. Ant. debet poni conſequenter quod per ſpeciem ſubſtantiæ repræſententur ei omnis ſubſtantia corporalis, & ſpiritualis, ſpiritualitate inferiori Angelo intelligẽte, conc. Ant. ſuperiori illo, nego Ant. & Cõſ. quia ſpecies illa ſolum repræſentabat ſubſtantiæ gradum vt integratum ex omni differentia entis ſpiritualis inferioris illo. Quod à poſteriori patet, ſiquidem per talem ſpeciem adhuc ſeipſum non cognoſcebat, quia ſibi inferior non erat, quo datur intelligi per illam ſpeciem ſolum repræſentari illi omnes ſubſtãtias inferiores illo, non vero ſuperiores, vel æquales.

880 Sed inſtas contra hanc doctrinam. Angeli quò ſuperiores, eò per vniverſaliores, & pauciores ſpecies intelligũt; quia magis ad Deum accedunt, qui vna ſpecie intelligit omnia; ſed hæc ratio convincit, non tantum de cognitione rerum inferiorum illis, ſed etiam de cognitione rerum illis ſuperiorum: ergo. Prob. Mi. nam Deus omnes Angelos vna tantum ſpecie intelligit: ergo quò magis Angeli ad Deum accedunt, eò etiam Angelos ſive ſuperiores, ſive inferiores per vniverſaliores ſpecies intelligunt. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. diſt. Ant. vna tantum ſpecie intelligit habente vniverſalitatem reſpectu propriæ eſſentiæ divinæ, & reſpectu aliorum inferiorum ipſi Deo, neg. Ant. habente vniverſalitatem tãtum reſpectu eorũ, quæ inferiora ſunt Deo, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque ſpecies intelligibilis divina reſpectu propriæ eſſentię primariò repræſentatæ per illam non eſt vniverſalis, ſed tantum eſt adæquata; reſpectu vero aliorum à ſe, quæ illi inferiora ſunt, vniverſalis eſt; imitatio ergo ſpecierũ intelligibilium Angelorum eſſentiæ divinæ in eo eſt, quod ſicut eſſentia divina eſt vniverſalis reſpectu obiectorum inferiorum Deo, ita ſpecies Angelorum ſint tãtum vniverſales reſpectu obiectorum inferiorũ in eſſendo Angelo intelligente, & quò ſuperiores Angeli ſint, eò per pauciores ſibi inferiora obiecta cognoſcant; non vero habetur imitatio eſſentiæ divinæ in vniverſalitate reſpectu omnium obiectorum, ſive inferiora, ſive ſuperiora ſint Angelo intelligente.

Sed adhuc inſtas probando poſſe Angelum per vnam ſpeciem cognoſcere rem ſibi ſuperiorem & etiam inferiorẽ. Etenim

ma,

magis diſtãt Deus vt auctor naturæ, & ſubſtantia vniuſcuiuſque Angeli, quam diſtant inter ſe duo Angeli ſuperiores Angelo intelligente; ſed quilibet Angelus per ſuam propriam ſubſtantiam tãquam per ſpeciem intelligibilem ſeipſum cognoſcit, & Deum auctorem naturæ: ergo pariter quilibet Angelus per vnam ſolam ſpeciem impreſſam poterit cognoſcere duos Angelos ſibi ſuperiores, & non erit neceſſe, quod reſpectu cuiuſcumque ſibi ſuperioris in particulari habeat peculiarem ſpeciem. Conſ. videtur bona, & Min. Prob. ex D. Tho. infra q. 56. ar. 3. vbi poſtquam reſolvit Angelum per ſuam ſubſtantiam Deum cognoſcere, ita habet: *Cognitio autem, qua Angelus per ſuam ſubſtantiam cognoſcit Deum, media eſt inter has duas, & aſſimilatur cognitioni, qua videtur res per ſpeciem ab ea acceptam*; cognitio autem, quę habetur per ſpeciem à re acceptam, eſt cognitio rei per ſpeciem impreſſam: ergo ſubſtantia Angeli, & eſt ſpecies impreſſa, qua ipſe Angelus cognoſcens ſe cognoſcit, & eſt ſpecies impreſſa, qua Deus vt auctor naturæ ab ipſo cognoſcitur. Secũdo inſtas, duo Angeli ſuperiores reſpectiue ad intelligentem ſunt repræſentabiles per vnam ſpeciem: vt quid ergo Angelus illis inferior non poterit illos per vnam ſpeciem cognoſcere?

Ad primam, nego Min. Ad Prob. ex D. Tho. dico, D. Th. non velle ſubſtantiam vniuſcuiuſque Angeli eſſe ſpeciem impreſſam Dei, ſed velle, quod cognitio, quæ habetur de Deo per illã, aſſimiletur illi cognitioni, quæ eſt per ſpeciem à re acceptã. In quo autem ſit aſſimilatio, & in quo diſtinctio? dicam, eſt aſſimilatio in eo, quod ſicut ſpecies lapidis, quæ eſt in oculo, accipitur immediate à lapide; ita & natura Angelica, quæ Dei eſt ſimilitudo, accipitur immediate à Deo. Vnde ibidem ſubdit D. Tho. *quia enim imago Dei eſt in ipſa natura Angeli impreſſa, per ſuam eſſentiam Angelus Deum cognoſcit, in quantum eſt ſimilitudo Dei*: diſtat autem in eo, quod ſpecies accepta à lapide, eo ſolum accipitur, vt lapidem repræſentet; vnde non eſt neceſſe prius cognoſcere ipſam ſimilitudinem *vt quod*, vt lapis cognoſcatur, ſed per illam incognitam lapis immediate cognoſcitur: at vero per ipſam naturã Angeli incognitam *vt quod*, Deus non cognoſcitur, ſed primo Angelus cognoſcit ſeipſum per ſuam ſubſtantiam, & deinde per ſuam ſubſtantiam *vt quod* cognitam, Deum cognoſcit, vnde ibidem ſubdit D. Tho. *Vnde magis iſta cognitio tenet ſe cum ſpeculari, quia & ipſa natura Angelica eſt quoddam ſpeculum divinam ſimilitudinem repræſentans*; ſimilitudo autem, quæ in ſpeculo apparet, obiectum, à quo eſt cauſata, non repræſentat vt ſpecies impreſſa, quę ante quam cognoſcatur *vt quod*, obiectum ſuum notificat; ſed oportet prius illam *vt quod* cognoſcere, vt per illam in obiecti, à quo cauſata eſt, veniamus cognitionem. Ob quam rationem viſus exterius, qui in abiens ferri non poteſt, in ſpeculo ſolum ſimilitudinem rei videt; à qua dicta ſimilitudo producitur in ſpeculo. Vbi rogo advertas, quod in ſimilitudine alicuius obiecti apparente in ſpeculo hæc duo habentur: primum, quod dicta ſimilitudo ab obiecto ſuo immediate accipitur; & tamen obiectũ non repræſentat, vt ſpecies impreſſa, ſed tãtum vt ſimilitudo obiectiva cognita *vt quod*: ſic ſimiliter ſubſtantia Angelica ſimilitudo Dei eſt ab ipſo Deo immediate accepta; & tamen Deum non immediate repræſentat, ſed Angelum, & in ipſo *vt quod* cognito tanquã in ſimilitudine Dei obiectiva, Deus cognoſcitur.

Ad ſecundam inſtantiam, fateor duos Angelos ſuperiores vni poſſe repræſentari per vnam ſpeciem, ſed nego, quod Angelus illis inferior poſſit per talem ſpeciem connaturaliter intelligere, quia ſpecies Angelicæ, vt ſupra dixi, ſolum imitantur vniverſalitatem divinæ ſpeciei reſpectu rerum inferiorum Angelo intelligenti, non autem reſpectu quorumcumque obiectorum. Et ſi huius quæras rationem; hanc aliqualem aſſigno: quia ſpecies illa, per quam duo Angeli ſuperiores vni tertio repræſentarentur, deberet eſſe maioris immaterialitatis, quã eſſet intellectus Angeli inferioris illis, ſiquidem ſpecies, vt connaturalis ſit alicui intellectui, debet in immaterialitate non longe excedere illum. Quod autem dicta ſpecies eſſet longe excellentioris immaterialitatis, ex eo deducitur, quia immaterialitas talis ſpeciei deberet eſſe maior immaterialitate Angelorum ſuperiorum per illam repręſentatorum ſigillatim ſumptorũ: nam eſſe immateriale adunans in ſe in eſſe repræſentatiuo prædictos Angelos ſuperiores, abſque dubio deberet eſſe excellentius, quam eſſe immateriale vniuſcuiuſque diviſive ſumpti, & ſic ob ſui excellẽtiam nequiret eſſe connaturalis Angelo inferiori, ſic, vt connaturaliter per illam Angelos ſuperiores intelligeret,

Ve-

Verum hæc ratio non me convincit, nam prædictus exceſſus in immaterialitate, quam ſpecies talis haberet ſupra intellectum Angeli inferioris, tantum eſſet ſpecificus: ergo non auferret connaturalitatem repræſentationis reſpectu Angeli inferioris. Prob. Conſ. nam ſpecies impreſſa, quam habet Angelus inferior, per quam connaturaliter intelligit Angelum ſupremum, in immaterialitate ſpecifica longe ſuperat intellectum inferioris per illam intelligentis; ſiquidem illa eſt tantæ immaterialitatis, quantæ eſt Angelus ſupremus per illam repræſentatus; ille autem longe ſuperat in immaterialitate Angelum inferiorem: ergo eſto dicta ſpecies repræſentans duos ſuperiores excederet in immaterialitate ſpecifica Angelum inferiorem, poſſet tamen hic connaturaliter per illam intelligere: non ergo ex capite ſolum exceſſus immaterialitatis debet ſumi ratio, ob quam Angelus inferior non poſſit per vnam ſpeciem intelligere connaturaliter duos Angelos ſibi ſuperiores: debet ergo ſumi ex capite immaterialitatis vniverſalis in repræſentãdo Angelos, ſeu res ſuperiores Angelo intelligenti. Superat enim captum Angeli inferioris res ſibi ſuperiores per medium vniverſale in repræſentando cum vnaquaque adæquatum intelligere. Nam hoc, quod eſt Angelum intelligere per medium vniverſale attingẽs repræſentata per proprias differentias, convenit Angelis, qui ſuperiores ſunt: nequit ergo convenire inferiori, & ſic, eſto per illam ſpeciem Angelus ſuperior illis repræſentatis connaturaliter intelligere poſſet, non tamen poſſet in hoc ipſum Angelus, qui illis inferior eſſet.

881 Tertio arguitur, & probatur quod hoc, quod eſt Angelos intelligere per ſpecies vniverſaliores, quo ſuperiores ſunt, tantum conveniat ſuperioribus in Hierarchia, non vero ex exceſſu ſpecifico. Angeli vniuſcuiuſque Hierarchiæ, eſto ſpecie inter ſe differant, tamen conveniunt in eodem modo intelligendi res ſibi inferiores: ergo convenient etiam in intelligendo ſibi inferiores per ſpecies in repræſentando æquales. Patet Conſ. nam ſi exceſſus ſpecificus, qui habetur inter Angelos vnius Hierarchiæ, non aufert, quin eundem modum intelligendi habeant, pariter no auferet, quin per æquales ſpecies res inferiores intelligant. Ant. Prob. ex D. Th. infra quæſt. 108. ar. 1. ſupra adducto ibi: *Dictum eſt enim ſupra, dum de cognitione Angelorum ageretur, quod ſuperiores Angeli habent vniverſaliorẽ cognitionem quam alij, huiuſmodi autem vniverſalis acceptio cognitionis ſecundum tres gradus in Angelis diſtingui poteſt. Poſſunt enim rationes rerum, de quibus Angeli illuminantur conſiderari tripliciter: Primò quidem, ſecundum quod procedunt à primo principio vniverſali, quod eſt Deus, & iſte modus convenit primæ Hierarchiæ, quæ immediate ad Deum extenditur. Secundo vero prout huiuſmodi rationes dependent ab vniverſalibus cauſis creatis; quæ iam aliquo modo multiplicantur, & hic modus convenit ſecundæ Hierarchiæ. Tertio autem modo, ſecundum quod huiuſmodi rationes applicantur ſingulis rebus, prout dependent à proprijs cauſis creatis, & hic modus convenit infimæ Hierarchiæ*: ergo ſecundum D. Tho. Angeli eiuſdem Hierarchiæ conveniunt in eodem modo vniverſaliter intelligendi. Quod vrgeo ſic, etenim poſtquam dixit D. Tho. quod Angeli ſuperiores habẽt vniverſaliorem cognitionem veritatis, dicit hanc vniverſalem cognitionem veritatis tantum tribus modis contingere; ſub primo ponit omnes Angelos primæ Hierarchiæ, ſub ſecundo, omnes ſecundæ, & ſub tertio omnes tertiæ: ergo omnes Angeli vnius Hierarchiæ conveniunt in eodem modo intelligendi res, quas cognoſcunt: ergo habebunt intelligere per ſpecies æque vniverſales.

Ad hoc diſt. Ant. conveniũt in eodem modo cognoſcendi res inferiores ex parte ſpecierum, nego Ant. ex parte cauſarum in quibus, & per quas res cognoſcunt, conc. Ant. & nego Conſ. Ad Prob. nego Ant. Itaque Angeli primæ Hierarchiæ conveniunt in eo, quod res cognoſcunt ſecundum quod dependent ab vniverſaliſsima cauſa, quæ Deus eſt: cum hoc tamen ſtat ordo inter illos iuxta exceſſum ſpecificum, quem inter ſe ſervant in eo, quod ſuperiores res cognoſcunt ſecundum quod à Deo dependent per pauciores, & vniverſaliores ſpecies, quã inferiores, eſto omnes, quia ad vnam Hierarchiam ſpectant, conveniant in hoc quod ex parte obiecti res cognoſcunt per vniverſaliſsimam cauſam, quæ Deus eſt, & ſic philoſophandum eſt de alijs Hierarchijs. Ex quibus patet ad aliam ponderationem ex D. Tho. factam. Dico enim, ibi D. Thom. diviſiſſe cognitionem vniverſalem veritatis, nõ ex parte ſpecierum intelligibilium, ſed ex parte obiecti, & cauſarum, ex quibus cognoſcitur; & quia cauſæ illæ vniverſales ſolum ſunt in triplici differentia, ideo in

tria

tria tantùm membra vniverſalitatem cognitionis diviſit.

Sed inſtas, ſtat Angelos vnius Hierarchiæ ſpecie diſtingui, & alios alijs eſſe ſuperiores; & tamen convenire in eo, quod res ex parte obiecti per medium æquè vniverſale attingāt: ergo pariter ſtabit bene, quod Angeli vnius Hierarchiæ alios eiuſdē Hierarchiæ in ſpecie excedant, & tamen quod omnes per ſpecies æquè vniverſales res attingant. Ad hoc, nego Conſ. nam medium vniverſale, ſub quo Angeli vnius Hierarchiæ attingunt res, eſt ſpecificativum habitus, non eſt autem inconveniens, quod in pluribus Angelis eſto ſpecie diſtinctis, idem habitus ſit, & ſic nō eſt inconveniens, quod plures Angeli ſpecie diſtincti ſub eodem medio vniverſali res attingant: vniverſalitas autem ſpeciei tanta, vel tanta attenditur ſecundum efficaciam potentiæ intellectivæ Angelorum; hæc autem in Angelis maior, & minor eſt ſecundū quod intellectus Angelici magis recedunt à potentia, & magis accedunt ad actualitatem: cumque hoc ipſo, quod vnus alium excedat in differentia ſpecifica, maiorem ille actualitatē habeat, fit Conſ. quod per ſpecies vniverſaliores intelligat. Eſt & aliud diſcrimen, quod ordo Hierarchiæ, & diſtinctio vnius ab altera nō eſt ordo naturæ, ſed eſt ordo gubernationis, & diſpoſitionis Dei, qui voluit primores Angelos ſic regere, quod omnes illi, quos ipſe elegit ad ſtatuendam primā Hierarchiam, veritatem rerum percipiant ſecundum quod res à prima cauſa, nempe Deo dependent; mediocres autem, quos ad ſecūdam Hierarchiam elegit, voluit, quod rerum veritates percipiant ſecundum quod à cauſis creatis dependent; infimos vero, quos ad tertiam Hierarchiā elegit, voluit, quod rerum veritates percipiant ſecundum quod res cognoſcendæ à cauſis proximis, quæ plures ſunt, & minus vniverſales dependent: ordo autem, & diſtinctio ſpecierū vniverſalium eſt ordo naturæ, vnde dividitur ſecundum præſtantiam maiorē, & minorem naturæ intelligentis; cumque hoc ipſo quod vnus Angelus alium excedat in ſpecifica differentia, ſit præſtantioris naturę alio, fit Conſ. quod ſpeciebus paucioribus, & vniverſalioribus intelligat.

QVÆSTIO X.

De obiecto cognitionis Angelicæ.

COGNOSCIT Angelus ſeipſum, Deū, & omnia alia ſpiritualia, & corporalia. iſta enim omnia ſub obiecto cognitionis Angelicæ comprehenduntur.

§. I.

Vtrum Angelus cognoſcat ſeipſum per propriā ſubſtantiam tanquam per ſpeciem impreſſam?

882 QVAMVIS Angelus per propriam ſubſtantiā alia à ſe non cognoſcat, vno Deo auctore naturæ excepto, de quo infra erit quæſitum, tamen certum eſt, quod ſe ipſum per ſe ipſum cognoſcit, de quo nullus dubitat: Eſt tamē gravis difficultas in eo, an propria Angeli ſubſtantia ſit illi ſpecies impreſſa, & non ſolum obiectiva, qua ſeipſum per ſeipsū cognoſcat? Et difficultas nō oritur ex capite ſimilitudinis requiſitæ ad munus ſpeciei impreſſæ, nec etiam oritur ex capite immaterialitatis, ſiquidem eſt, vt ſupra vidimus, prorſus à materia expers, & ſe ipſa intelligibilis: oriri ergo ſolum poteſt difficultas ex eo, quod ad ſpeciem impreſſam indiſpenſabiliter requiritur, quod vniatur intellectui per modum formæ intelligibilis tribuens ei obiecti repræſentationem, quæ conditio nulla via videtur adaptari poſſe ſubſtantiæ Angelicæ reſpectu proprij intellectus, ſiquidem vnio, quam ſubſtantia Angelica habet cum proprio intellectu, ſolum eſt vnio, qua ſubiectum vnitur accidenti illi inhærenti, vel qua vnitur radix ſuæ proprietati: inhæret enim intellectus propriæ ſubſtantiæ vt ſubiecto, & vt radici, ex qua pullulat; ſubiectum autem non actuat accidens ſuum tanquam forma, ſed potius actuatur ab accidenti: radix ſimiliter non eſt forma proprietatis, ſed potius ab ipſa proprietate radicatur, & formatur. Quod ſi dicatur, quod hæc recenſita vnio tantū eſt phyſica; & quod præter illam ſubſtantia Angelica vnitur Angelo in eſſe intētionali vt forma intellectus eius. In contra fit inſtantia, quia vel hæc vnio intentionalis cōvenit ſubſtātiæ Angelicæ ſe ipſa intranſitive, vel media alia

Digitized by Google

aliqua ſui ſimilitudine: ſi dicatur primum, in hoc ſtat tota præſens difficultas, quomodo ſi ſubſtantia Angelica extra proprium intellectum eſt, poſsit eſſe forma proprij intellectus, ſiquidem ad hoc ſecundum requiritur indiſpenſabiliter, quod ſit intra intellectum, cui tribuit obiecti repræſentationem. Si dicatur ſecundum, iam non ipſa ſubſtantia erit ſpecies impreſſa, ſed eius ſimilitudo, ratione cuius immediatè vnietur intellectui.

883 Ioannes à S. Thom. hic, vt has difficultates evincat, aſſerit ſubſtantiam Angeli eſſe ſpeciem impreſſam ad cognitionem, qua Angelus ſe ipſum cognoſcit, non actuando formaliter, & proximè ipſum proprium intellectum per modum obiecti, ſed illum informando radicaliter per identitatem, quam habet intelligibilitas Angeli cum eius intellectualitate, ex qua oritur tanquam ex propria radice. Itaque (inquit hic auctor ſequitur in hac parte Caietanum, & Nazarium) quod in Angelo, quia completè immaterialis eſt, intelligibilitas, & eius intellectualitas omnino identificantur, & ſic intellectus Angeli, quia oritur ab intellectualitate, quæ ſe ipſa intranſitivè per modum actus primi intelligibilis eſt, oritur vt virtus intelligendi, & vt intelligibiliter obiectivè complete determinatus ab ipſamet ſubſtantia, vt obiectum intelligibile eſt.

Hic modus dicendi ſubtilis eſt, ſed innumeras pariter difficultates. Prima eſt, quia ex illo ſequitur, quod ſicut ſubſtantia Angelica proximè redditur intellectiva per ſuum intellectum, qui eſt vis proximè activa eius, ita & ſubſtantia Angelica proximè reddatur intelligibilis per ſuũ intellectum tanquam per rationem proximè intelligibilem. Ex quo vlterius ſequitur, quod intellectus Angeli ſit ſpecies impreſſa deſerviens ad intellectionem propriæ ſubſtantiæ; non vero ipſa ſubſtantia Angelica, & ſic non habebitur intentum, quod prætenditur, nempe quod ſubſtantia Angeli nõ ſit ſpecies impreſſa ad ſui cognitionem. Secunda eſt, quia intellectio perfecta debet fieri per formalẽ aſsimilationem cum obiecto intellecto; ſed intellectus Angeli adhuc ſic radicaliter determinatus à ſuæ ſubſtantiæ intelligibilitate, nõn eſt formalis ſimilitudo ſuæ ſubſtantiæ: ergo per intellectum ſic determinatum non poterit Angelus ſe ipſum perfectè cognoſcere. Prob. Min. nulla proprietas eſt ſimilitudo formaliter ſuæ radicis; ſed intellectus Angeli eſt proprietas ſuæ ſubſtantiæ: igitur nõ erit ſimilitudo formalis illius.

Dices, ad intellectionem alicuius obiecti ſufficere vel formalem ſimilitudinem illius, vel ſolum virtualem; hoc eſt ſufficere, quod intellectio procedat proximè à virtute obiecti, prout obiectum eſt, cumque intellectus Angeli procedat à ſubſtantia Angeli vt virtus eius, non ſolum vt eſt radicaliter intellectiva, ſed etiam ſecundum quod eſt intelligibilis, procedet vt ſimilitudo virtualis eius in eſſe obiecti, & ſic ſine alia ſpecie ſuperaddita poterit Angelus ſe ipſum intelligere. Sed contra hoc eſt, nam perfecta intellectio fit per hoc, quod intellectus eſt formaliter hoc ipſum quod intelligatur, quod fit ſecundum D. Thom. hic, quæſt. 55. articul. 1. ad 2. per hoc, *quod ſimilitudo obiecti eſt forma intellectus*; ſed per ſimilitudinem obiecti tantum virtualem intellectus non fit formaliter res intellecta: igitur ad hoc vt Angelus ſe ipſum perfecte intelligat, non ſufficit, quod intellectus eius ſit ſimilitudo virtualis ſuæ ſubſtantiæ.

884 Facit tertio contra hunc modũ dicendi, quod intellectus noſter procedit ab anima, quæ ſicut ſe ipſa eſt immaterialis activè, ita & eſt ſe ipſa intelligibilis paſſivè, cum ſit immaterialis, & purè ſpiritualis; & tamen hoc non ſufficit, vt homo intelligat ſe ipſum per ſe ipſum: ergo quod intellectus Angeli procedat à ſua ſubſtantia, cuius intelligibilitas identificatur cum eius intellectualitate radicali, nõ erit ſufficiens, vt Angelus ſe ipſum per ſe ipſum perfectè intelligat.

Dices, quod anima pro ſtatu informationis impeditur ne intelligat ſe ipſam per ſe ipſam, non quia intellectus eius non ſit cõplete determinatus obiectivè ad intellectionem animæ, dum ab ipſa procedit tanquam ab intellectiva, & tanquam ad intelligibili, ſed quia dum eſt concretus materiæ, non poteſt intelligere pure immaterialiter, ſiquidẽ debet intelligere per converſionem ad phantaſmata. Sed contra hoc eſt, nam ideo intellectus pro hoc ſtatu debet intelligere per converſionẽ ad phantaſmata, quia pro hoc ſtatu intelligit per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus; ſed ſi intellectus noſter ex hoc quod oritur ab anima, quæ ſibi identificat ſuam intelligibilitatem, oritur complete determinatus ad cognitionem animæ tamquam obiectivè, quam

Digitized by Google

obiectivè, non intelligeret ſe ipſum per ſpeciem acceptam à phantaſmatibus: ergo anima ad cognitionem ſui non indigeret converſione ad phantaſmata: ergo ex hoc capite non impediretur anima ad cognitionem ſui per ſe ipſam. Diſcurſus eſt bonus, Min. certa, & Mai. Prob. ex D.Th. 3. p.q. 11. art. 2. ad 1. ibi: *Finis autem potentiæ intellectivæ non eſt cognoſcere phantaſmata, ſed cognoſcere ſpecies intelligibiles, quas apprehendit à phantaſmatibus, & in phantaſmatibus*. Quibus verbis docet D.Th. quod ratio adæquata, ob quã pro ſtatu præſentis vitæ intellectus noſter indiget converti ad phantaſmata, eſt ſolũ quia pro hoc ſtatu intelligit per ſpecies acceptas à phãtaſmatibus, ob quam rationẽ intellectus animæ Chriſti in uſu ſcientiæ inditæ non indigebat converti ad phantaſmata, quia ſpecies, quibus intelligebat, dum tali ſcientia vtebatur, nõ erant a phantaſmatibus acceptæ: ob quam etiã rationem, ſi in anima Chriſti non darentur ſpecies acquiſitæ à phantaſmatibus probat D. Thom. 3. part. quæſt. 9. art. 1. quod intellectus agens eſſet otioſus in Chriſto, quod non eſſet verum, ſi ponamus, quod pro hoc ſtatu indigeat intellectus converti ad phantaſmata, etiam cum intelligit per ſpecies, quas à phantaſmatibus non accepit: ſiquidem converſio intellectus ad phãtaſmata non fit niſi per hoc, quod intellectus agens phantaſmata illuminet, in quã illuminatione, dum occuparetur intellectus agens Chriſti, non poſſet de illo dici, quod eſſet otioſus, eſto poneretur, quod ſpecies à ſenſibilibus non abſtraheret: cum ergo intellectus noſter oriatur ab anima complete determinatus obiectivè independenter à phantaſmatibus in ordine ad cognitionem animæ, non poteſt dici, quod impediretur anima, ne ſe ipſam per ſe ipſam intelligeret ex obligatione convertendi ſe ad phantaſmata.

883 Facit etiam contra hunc modum dicendi doctrina D.Thom. hic in hoc articulo 2. illis verbis: *Sicut ſenſus in actu eſt ſenſibile in actu, non ita quod ipſa vis ſenſitiva ſit ipſa ſimilitudo ſenſibilis, quæ eſt in ſenſu, ſed quia ex utroque fit unum, ſicut ex actu, & potentia, ita & intellectus in actu dicitur eſſe intellectum in actu, non quod ſubſtantia intellectus ſit ipſa ſimilitudo, ſed quia illa ſimilitudo eſt forma eius*. Quibus impugnat directè hunc modum dicendi, quatenus hic modus dicendi identificat cum intellectu Angeli rationem ſimilitudinis ſuæ ſubſtantiæ in ordine ad propriã cognitionem, & D. Thom. dicit intellectum in actu non dici, quia vis intellectiva identificet ſibi ſimilitudinem obiecti, quod intelligitur, ſed quia ex ſimilitudine obiecti, & intellectu fit vnum tanquam ex actu, & potentia.

Facit etiam contra hunc modum dicendi, quia ſi ſubſtantia Angelica eo obiectivè determinat intellectum, quia intellectualitas radicans intellectum identificatur cum ſua proxima intelligibilitate, ſequitur, quod Angelus in omni ſua intellectione ſe ipſum intelligat; Conſeq. non eſt admittendum: ergo. Prob. ſequela, nam tunc intellectus Angeli eſſet vis proxima, qua mediante eius ſubſtantia redditur activè intelligens, & etiam eſſet ipſa vis proxima, qua eius ſubſtantia redderetur proximè intelligibilis: ergo ſicut non poteſt intellectus Angelicus intelligere, niſi eius ſubſtantia intelligeret activè, ita non poſſet intelligere, niſi eius ſubſtantia intelligeretur paſſivè; & ſic in omni intellectione deberet ſe intelligere.

Confirm. hoc, quia in ſubſtantia Angeli intellectualitas activa, & ratio intelligibilitatis paſſivæ ſummè identificantur, nequit intellectualitas activa radicare intellectum, quin ſimul illum radicet intelligibilitas paſſiva: ergo quia in intellectu radicato proxima vis activa ad intelligendum ſummè ſibi identificat vim proximam intelligibilem propriæ ſubſtantiæ, non poterit intellectus exire in actum intelligendi, quin intelligat propriam ſubſtantiam.

Confirm. ſecundo, nequit intellectus vti ſpecie hominis niſi ad cognoſcendum hominem, quia ſpecies impreſſa hominis eſt naturalis ſimilitudo hominis; ſed in hac ſententia, quam impugnamus, ipſe intellectus Angeli intranſitivè eſt naturalis ſimilitudo propriæ ſubſtantiæ: ergo nequibit exire in actum, quin cognoſcat propriam ſubſtantiam.

Tandem facit contra hunc modum dicendi, lumen gloriæ; cum ſit participatio formalis Deitatis, quæ ſibi ſummè identificat intellectualitatem activam, & paſſivam intelligibilitatem, non minus determinat intellectum ad intelligendum eſſentiam divinam; quam intellectus radicatus in ſubſtantia, quæ ſibi identificat intelligibilitatem, determinet Angelum ad cognoſcendum ſe ipſum;

Digitized by Google

& tamen in via Thomiſtica vltra lumen gloriæ requiritur, quod eſſentia divina, vt forma intelligibilis, determinet intellectũ, ad ſui cognitionem: ergo etiam vltra intellectum ſic determinatum ad propriam ſubſtantiam, requiretur ad cognitionem propriæ ſubſtantiæ, quod ipſa per modum formæ intelligibilis vniatur intellectui. Prob. Conſeq. ideo determinatio prima non ſufficit in lumine, quia licet lumen determinate inclinet intellectum ad cognoſcendum Deum, non tamen formaliter aſſimilat Deum intellectui; ſed etiam intellectus Angeli quamvis inclinet in cognitionem propriæ ſubſtantiæ, non tamen formaliter aſſimilat propriam ſubſtantiam proprio intellectui: ergo vltra proprium intellectum requiretur, quod ipſa ſubſtantia cognoſcibilis vniatur proprio intellectui vt forma intelligibilis ad propriam cognitionem.

§. II.

Reſolvitur quæſitum, & ſtatuitur Concluſio.

886 OMISSO Ergo hoc modo dicendi ob ea, quæ obiecimus contra illum, reſtat vt propriam aperiamus mentem. Sit ergo Cõcluſio. Angelus intelligit ſe ipſum per propriam ſubſtantiam vnitam proprio intellectui per modum formæ intelligibilis illum complete actuantis, & determinantis ad ſui cognitionem. Concluſio eſt D. Th. pluribus in locis ſuæ doctrinæ, nam in q. 8. de verit. art. 6. ſolut. ad 2. ſic inquit: *Dicendum, quod eſſentia Angeli quamvis non poſsit comparari ad intellectum eius vt actus ad potentiam in eſſendo, comparatur tamen ad ipſum vt actus ad potentiam in intelligendo.* Et in reſponſione ad 6. eiuſdem artic. ait: *Dicendum, quod nihil prohibet aliquid eſſe in altero, & illud in eo diverſis modis, ſicut totum in partibus, & è converſo: & ſimiliter eſt in propoſito. Eſſentia enim Angeli eſt in intellectu eius ſicut intelligibile in intelligente: intellectus autem in eſſentia ſicut potentia in ſubſtantia*: Diffinierat enim in illo artic. 6. Angelum intelligere ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam. Contra quam reſolutionẽ, cum ſibi obieciſſet, hoc non eſſe poſsibile, quia ſubſtantia Angeli nequit eſſe forma intellectus eius, cum conſtet intellectũ Angelicũ ſubiectari in propria ſubſtantia, ſicut potentia in ſubiecto proprio. Reſpondet duplici ſolutione prima. Quod ex hoc quod intellectus ſubiectetur in propria ſubſtantia, tantum ſequitur, quod eius ſubſtantia nequeat eſſe forma intellectus in linea eſſendi, non vero ſequitur, quod in linea intelligibili non poſsit eſſe forma eius. Et ſolutione ad 6. quod eandem tangebat difficultatem. Secundo reſpondet, quod bene ſtat, quod vnum ſit in altero ſub vna formalitate, & illud alterum ſit in illo ſecundũ alterã, ſicut totum eſt in ſuis partibus, & partes ſunt in toto: vnde ſtat bene, quod intellectus Angeli ſit inhæſive in propria ſubſtantia, & quod propria ſubſtantia ſit in ipſo intellectu tanquam forma eius: ergo iuxta D. Th. Angelus intelligit ſe ipſum per propriã ſubſtantiam vnitam proprio intellectui tanquam forma intelligibilis eius.

887 Ratione prob. concluſio. Intellectus Angeli verè intelligit ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam, ſecluſa ſpecie impreſſa accidentali, quæ ſit eius ſimilitudo: ergo intelligit ſe ipſum per ſuam ſubſtantiã illi vnitam per modum formæ intelligibilis. Antec. eſt certum apud Theologos, & Conſ. Prob. intellectus, vt intelligat ſuam ſubſtantiam, debet eſſe ſua ſubſtantia intelligibiliter; ſed hoc nequit contingere niſi per hoc, quod habeat ſibi vnitam ſubſtantiam per modum formæ intelligibilis, vel per hoc, quod intelligat per ſpeciem propriè ſubſtantiæ ab ipſa diſtinctam, vel per hoc, quod intellectus ſit intranſitivè ipſa ſimilitudo propriæ ſubſtantiæ; his duobus modis nequit accidere, vt vidimus: ergo reſtat quod hoc ſolum fiat per hoc, quod propriam ſubſtantiam habeat ſibi vnitam per modum formæ intelligibilis. Prob. ſecundo, nam nihil obſtat quo minus ſubſtantia Angeli actuet intellectum eius ad ſui cognitionem per modum formæ intelligibilis, poſtquam in eſſe entis illi intrinſecè vnitur vt ſubiectum potentiæ in quo eſt: ergo non eſt hoc denegandum ſubſtantiæ Angelicæ. Probat. Anteceden. ſubſtantia Angeli in eſſe phyſico vnitur cum proprio intellectu per modum cauſæ intrinſecæ illius: ergo poteſt illabi intra intellectum, ſic, quod illum actuet per modũ formæ intelligibilis; hac enim ratione eſſentia divina poteſt illabi intra intellectum creatũ, ſic, quod illũ actuet per modũ formæ intelligibilis, quia illum perfectiſſimè cauſat: ergo ſi ſubſtantia Angeli eſt radix adæquata, ex qua tanquam effectus

oritur intellectus, poterit illabi in illũ, ſic, quod illum actuet in ratione formæ intelligibilis. Secundò hoc ipſum Probo, esto exiſtentia ſit forma eſſentiæ, & in ea recipiatur; hoc non obſtat quo minus eſſentia non ſit forma ipſius exiſtẽtiæ: ergo eſto intellectus in ſubſtantia Angelica recipiatur tanquã actus in ſubiecto, quod actuat, hoc nõ obſtabit, quominus ſubſtãtia Angelica ſit forma intelligibilis proprij intellectus.

Dices, eſſentiam non eſſe extra exiſtẽtiam, neque exiſtentiã eſſe extra eſſentiã, & ſic in linea entis poteſt ſub vna formalitate eſſentia comparari ad exiſtẽntiã tanquã potentia ad actum, & ſub alia tanquam actus ad potentiã: cæterũ ſubſtantia Angeli, vt forma intelligibilis, eſt omnino extra intellectũ, cum tantum comparetur ad illũ vt ſubiectũ ſuſtentans, & radicans illũ, & ſic nequibit eſſe forma illius adhuc in genere Intelligibili. Sed contra hoc eſt, nam ſubſtantia Angeli non eſt extra intellectũ ſuũ, ſi ly *extra* dicat excluſionem vnionis intrinſecç cum intellectu, ſiquidẽ vere intrinſecè recepit ſuum intellectũ, licet ſit extra, ly *extra* dicente diſtinctionẽ realem à ſuo proprio intellectu: ergo cum aliàs ſubſtantia Angeli ſit ſe ipſa proximè intelligibilis, poterit intellectum actuare per modũ formæ intelligibilis. Prob. Conſeq. nam quia eſſentia nõ eſt extra exiſtentiã, quia intrinſecè recipit illam, & informatur ab illa, & habet dare ſpeciẽ exiſtentiæ; hoc ſufficit, vt actuet exiſtentiã, & det illi ſpeciẽ, non obſtante quod exiſtẽtia recipiatur in eſſentia: ergo quia ſubſtantia Angeli intrinſecè vnitur proprio intellectui, dum illum intrinſecè recipit, & ab illo informatur, & alias ſe ipſa eſt intelligibilis proximè, cum ſit immaterialis, vere ſub ratione formæ intelligibilis actuabit propriũ intellectũ. Itaque quando in aliquo receptivo alicujus adeſt formalitas aliqua, ratione cuius poſſit eſſe forma reſpectu illius, quod recipit, tunc vere comparatur ad formã receptã tanquam actus eius: cum ergo ſubſtantia Angeli, quæ intrinſecè recipit propriũ intellectũ, ſit ſe ipſa forma intelligibilis, quia immaterialis eſt, fit inde, quod dum vnitur intellectui intrinſecè recipiendo illũ, intrinſecè etiã illi vniatur per modũ formæ intelligibilis ad propriã cognitionẽ. Pono exemplũ huius in moralibus. Etenim quia in linea moris perſona, quæ recipit offenſam, eſt forma aggravans offenſam, hoc ipſo quod offenſa recipitur in perſona tanquã in ſubiecto, hoc ipſo perſona per modũ formæ comparatur ad offenſam, & illã formaliter aggravat. Eſt etiã exemplũ ex Metaphyſica iam adductum. Quia eſſentia dat ſpeciẽ exiſtentię, hoc ipſo quod exiſtentia recipitur in eſſentia, hoc ipſo eſſentia vnitur exiſtẽtiæ vt actus tribuens illi determinatam ſpeciem: quia ergo ſubſtantia recipiens Angelicum intellectum, ſe ipſa proximè intelligibilis eſt, hoc ipſo quod intellectus proprius illi intrinſecè inhæret, hoc ipſo ipſa ſubſtantia intellectum proprium actuat in ratione formæ intelligibilis.

888 Hinc colligo, ſubſtantiã Angeli non vniri proprio intellectui propriè vt ſpecies impreſſa, eſto vniatur illi vt forma intelligibilis. Ratio eſt, quia ſpecies impreſſa vnitur intellectui vt vicaria obiecti, cuius ſpecies impreſſa eſt, quod tantũ contingit, quando obiectum ſe ipſo intellectui vniri non valet: ſubſtantia autem Angeli ſe ipſa proprio intellectui vnitur, & ſic rationem propriam ſpeciei non habet. Infero ſecundo, ſubſtantiam Gabrielis non poſſe vniri intellectui Raphaelis vt forma intelligibilis, quà Raphael Gabrielẽ intelligat. Quia licet ſe ipſa intelligibilis ſit, ſiquidem pure immaterialis, tamen nullo modo intrinſecè vnitur cum intellectu Raphaelis, ſiquidem intellectus Raphaelis nõ oritur à ſubſtantia Gabrielis, neque in illa phyſicè recipitur, quod requirebatur indiſpenſabiliter, vt poſſet habere illapſum intra intellectum Raphaelis, & illum per modũ formæ intelligibilis actuare. Colligo tertio, animam rationalẽ, quandiu actu corpus informat, non poſſe intelligere ſe ipſam, quia licet ſit entitative ſpiritualis, tamẽ informative eſt corporalis: Vnde ſe ipſa nõ eſt proximè intelligibilis; debet enim id, quod ſe ipſo eſt intelligibile, non eſſe materiæ concretũ, ſed abſtractum; anima autem prò hoc ſtatu, materiæ, quam informat, concreta eſt: & ideo ſe ipſa proximè intelligibilis non eſt.

Ex dictis etiam infero ſolutionem ad rationẽ dubitãdi in principio quęſiti adductam. Dicimus enim, quod eſto ſubſtantia Angeli in eſſe entis extra intellectum Angeli ſit extremitate diſtinctionis, tamen quia pure immaterialis eſt, & intrinſecè intellectui proprio vnitur, forma intelligibilis reſpectu propriæ cognitionis eſt, & intellectum actuat intelligibiliter, & ſic Angelus ſe ipſum per propriam ſubſtantiam quaſi per ſpeciem intelligibilem cognoſcit.

Vtrùm

Digitized by Google

§. III.

Vtrùm Angelus cognoſcat ſe ipſum per propriam ſubſtantiam tanquam per Verbum?

289 SENSUS Quæſiti eſt, vtrùm ſicut Angelus non indiget ad cognitionem ſui ſimilitudine impreſſa diſtincta à propria ſubſtantia, ita pariter non indigeat ſimilitudine expreſſa (quæ verbum dicitur) à propria ſubſtantia diſtincta? Circa quod quæſitum, Dominus Caiet. ſupra q.27.art.1.§.ad 3.docet Angelos non formare verbum in propria cognitione. Cuius ſententiã probabilẽ reputat Nazarius etiã intra Scholam D.Th. in quo hic auctor fallitur, nam quidquid ſit de probabilitate abſoluta talis ſententiæ, tamen in litera D.Tho. oppoſita ſententia ita eſt clara, quod nulla probabilitas de oppoſito relinquatur. Etenim S.Doctor 4. Contra g. c.11. ſic formaliter loquitur. *Perfectior igitur eſt intellectualis vita in Angelis, in quibus intellectꝰ ad ſui cognitionẽ nõ procedit ab aliquo exteriori, ſicut intellectus humanus, ſed per ſe cognoſcit ſe ipſum: nondũ tamẽ ad vltimã perfectionẽ vita ipſorũ pertingit, quia licet intentio intellecta ſit in eis omnino intrinſeca, nõ tamen ipſa intentio intellecta eſt eorũ ſubſtantia, quia non eſt eis intelligere, & eſſe idem.* Nomine autem *intentionis intellectæ* ſignificare Verbum, ſeu ſpeciem expreſſam cõmunis eſt Thomiſtarũ ſenſus: ergo D. Thom. expreſſe tenet Angelum non intelligere per propriam ſubſtantiã tanquam per verbum, ſed indigere verbo diſtincto ab ipſa propria ſubſtantia.

Teneo igitur cum communi ſententia Thomiſtarum, quod Angelus non intelligit ſe propriam ſubſtantiam tanquam per proprium verbũ, ſed indiget verbo diſtincto. Quod probo ratione inſinuata à Div. Thom. nam cum verbum eſſentialiter ſit intrinſecè intellectum, implicat aliquid eſſe ſuum verbum, niſi à ſe ipſo habeat eſſe intrinſecè intellectum; à ſe ipſo autem aliquid habere eſſe intrinſecè intellectum fieri nequit, niſi ſit ſua intellectio: cum ergo, vt ſupra probatum eſt, Angeli ſubſtantia nõ ſit ſuum intelligere, implicabit pariter eſſe ſuum verbum.

Dices huic rationi, eſſe intrinſecè intellectum non eſſe de conceptu omnis verbi, ſed tantum de conceptu verbi producti per intellectionem, cum autem dicimus ſubſtantiam Angeli eſſe ſuum verbum, non loquimur de verbo producto, ſed ſolum volumus dicere, quod cum ſubſtantia Angeli ſe ipſa ſit vnita proprio intellectui, & perfectè repræſentet ſe, & exprimat ſe, poteſt ſe ipſa immediatè terminare cognitionẽ ſui, ſine eo quod Angelus indigeat verbo producto ad illius cognitionem, ad quod nõ requiritur, quod ipſa ſubſtãtia ſit intrinſecè intellecta, ſed ſufficit, quod per modũ termini poſsit extrinſecè terminare ſui cognitionem. Sed contra hoc eſt nam nihil ſe ipſo intranſitivè poteſt pervenire ad tantã actualitatẽ, quod ſe ipſo immediatè poſſit terminarẽ cognitionẽ, niſi ſua intellectio ſit: ergo cũ ſubſtãtia Angeli non ſit ſuũ intelligere, nequibit ſe ipſo eſſe immediatũ terminũ ſuæ cognitionis. Prob. Ant. vt aliquid immediatè terminet ſui intellectionem, debet in linea obiecti eſſe ſua vltima actualitas generis intelligibilis; hoc autem nequit à ſe habere, niſi ſit ſua vltima actualitas de linea intelligentis, quæ eſt intelligere: ergo niſi ſit ſuum intelligere, nequit ſe ipſo immediatè terminare intellectionem. Prob. Min. nam eiuſdem prorſus immaterialitatis ſunt vltima actualitas paſsiva generis intelligibilis, & vltima actualitas generis intellectivi: ergo implicabit aliquid eſſe ſuã vltimã actualitatẽ de linea intelligibili, niſi ſit ſua vltima actualitas de linea intelligẽtis. Patet Conſ. nam implicat duo realiter diſtingui, ſi intra lineã intelligibilẽ æqualiter à materia phyſicè, & metaphyſicè depurata ſint; ſed dũ vltima actualitas paſsiva, & activa eiuſdẽ prorſus immaterialitatis ſunt, æqualiter à materia phyſicè, & metaphyſicè depurata ſunt: ergo idem prorſus realiter erunt. Ant. autẽ Prob. nã ſicut aliquid eſſe intellectivũ oritur ex hoc, quod à materia eſt depuratũ, ita aliquid eſſe intelligibile oritur ex hoc quod à materia depuratur: ergo ſi vt ſit ſuũ intelligere, eſt neceſſe, quod depuretur à materia phyſica, & metaphyſica, ita vt ſit ſuum intelligi, erit neceſſe, quod ab omni materia phyſica, & metaphyſica depuratum ſit.

Secundo Prob. Concluſio. Actualitas, quæ ſufficit vt aliquid ſit proximè intelligibile, non ſufficit, vt actu terminet intellectionẽ, ſicut actualitas, quæ ſufficit vt aliquid ſit intellectivũ, nõ ſufficit vt actualiter ſit intelligens; ſed ſubſtãtia Angeli ex ſe ſolũ eſt intelligibilis in potẽtia, quia ad hoc ſufficit, quod ex ſe careat materia phyſica, & ſe ipſa intellectui vniatur: ergo vt actu terminet intellectionẽ aliqua maiori actuali-

diſt. Ant. perfectius non menſuratur ab imperfectiori quantū ad id, in quo perfectius eſt, conc. Ant. quantum ad nihil, quod inveniatur in perfectiori, nego Ant. & Conſeq. quæ poterat inferri. Etenim conceptus dupliciter poteſt conſiderari: primò, ſecundum quod eſt vltima actualitas paſsiva obiecti cognoſcibilis, ipſumque paſsivè reddit formaliter cognitum in actu, & iſto modo non menſuratur conceptus ab obiecto: ſecundo poteſt conſiderari ſecundum quod obiectū præcontinet ſub eſſe intentionali, & diminuto; & iſto modo menſuratur ab obiecto, quod poſsidet eſſe ſuum ſecundum eſſe ſimpliciter, & connaturale, ob eius repræſentationem conceptus à natura inſtitutus eſt.

Ad ſecundam inſtantiam, diſt. Ant. non eſt neceſſe, quod ſint eiuſdem actualitatis actus intelligendi, & id, quod immediatè intelligitur, quando intelligens non eſt ſuū intelligere, & obiectum eſt ſuum intelligi, conc. Ant. quando intelligens eſt ſuum intelligere, & ſuū intelligi, vel quādo nec eſt ſuum intelligere intelligens, nec obiectū eſt ſuum intelligi, neg. Ant. & diſt. Conſ. non eſt neceſſe, quod quando obiectum ſe ipſo immediatè intelligitur ſit ſua intellectio, quando à ſe ipſo intelligitur, nego Conſ. quando intelligitur, ab aliquo, quod non eſt ſuum intelligere, tranſ. Conſ. Itaque nos diximus, quod in eo, in quo habetur intellectualitas, & intelligibilitas ex eadem radice, ex qua habet intellectualitatē, habet intelligibilitatē; vnde quantum habet intellectivi, tantum habet intelligibilitatis: vnde concluſimus, quod ſi ſit tantæ actualitatis, quod ſit ſuum intelligi, debet eſſe tantæ actualitatis, quod ſit ſuum intelligere, & ſi non ſit ſuum intelligere, non erit ſuum intelligi, & ſic cum ſubſtantia Angeli non ſit ſuum intelligere, non erit ſuum intelligi: quod patet in Deo, qui, ex quo reſpectivè ad ſe ipſum eſt ſuum intelligi, reſpectivè ad ſe ipſum eſt ſuum intelligere; ſi non eſſet ſuum intelligere, non eſſet ſuum intelligi à ſe ipſo. Cum hac autem doctrina bene ſtat, quod Deus ob ſui infinitam actualitatem immediatè terminet intellectionem intelligentis creati, quia ad ſic terminandum, non requiritur, quod ſit intellectio, quam terminat extrinſecè, requiritur tamen bene, vt hoc facere poſsit, quod reſpectu propriæ cognitionis, qua ſe ipſum cognoſcit, ſuū intelligere ſit: cum ex hoc habet eſſe actū purū, ex quo ſolo capite, & poteſt ſe ipſo immediatè terminare intellectionē, qua ſe cognoſcit; & intellectiones, quas alij ab ipſo illum cognoſcunt. Cum ergo ſubſtantia Angeli ſuum intelligere non ſit, nec poteſt eſſe ſuum paſſivum intelligi, nec reſpectu cognitionis, qua Angelus ſe cognoſcit, nec reſpectu cognitionum, quibus alij illum cognoſcunt. Multa alia hic occurrebant ſolvenda, quæ omittimus, quia hæc quæſtio ſuum locum habet in libris de anima.

§. V.

Vtrùm Angelus per ſuam ſubſtantiam, tanquam per ſpeciem impreſſam Dei, Deum cognoſcat?

892 IAM Obiter quæſitum hoc tetigimus ſupra. Sed volumus modo ex profeſſo examinare illud: Et quidem partem negantem tuetur Scotus in 2. diſt. 3. q. 9. *§. ad quæſtionem*: illū ſequitur Maſtrius in 2. q. 7. art. 1. in 2. p. Concluſ. 8. Rada Controv. 8. ſuæ ſecundæ partis, & alij Scotiſtæ. Secunda ſententia affirmat, Angelū cognoſcere Deum per ſuam ſubſtantiā tanquā per ſpeciem impreſſam. Pro hac citatur D. Thom. & plures ex Thomiſtis, & recentioribus Ieſuitis, qui videri poſſunt apud Salmanticenſes hic, q. 56. art. 3. dub. 4.

Pro veritate adverto, hoc quæſitum duos ſenſus facere poſſe. Alter eſt, quod Angelus ad cognoſcendum Deum auctorē naturæ nō indigeat ſpecie ſuperaddita propriæ ſubſtantiæ, ſed illa ſufficiat; in quo ſenſu pars affirmans ſe opponit Scoto, qui requirit in Angelo vltra propriam ſubſtantiam ſpeciem ſuperadditam: alter ſenſus eſt verū, Angeli ſubſtantia propriè repræſentet Deū, vt propria ſpecies ipſius Dei impreſſa ad repræſentandū Deum auctorē naturæ, in quo ſenſu non loquuntur Thomiſtæ meo videri, nec conformiter ad D. Th. poſſunt loqui, dum tenent, Angelum per ſuam ſubſtantiā tanquam per ſpeciem impreſſam Deū cognoſcere, vt infra demonſtrabo.

Sit pro veritate concluſio. Loquendo propriè de ſpecie impreſſa, Angelus non cognoſcit Deum per ſuam ſubſtantiam tanquam per ſpeciem impreſſam Dei. In qua concluſione vnum ſtrictè concedimus, nēpe Angelum non indigere ad cognitionem Dei auctoris naturæ ſimilitudine diſtincta ab eius ſubſtantia. Alterum expreſſè aſſirmamus, nempe ſubſtantiam Angeli

non eſſe propriè ſpeciem impreſſam Dei. Verùm què meo videri concludit articulus 3. D. Thom. hic q. 56. nam primo dicit, *quod cognitio, qua Angelus Deum cognoſcit, aſſimilatur cognitioni, qua lapis videtur ab oculo per ſimilitudinem acceptam à lapide*, & deinde in fine articuli dicit: *Vnde magis iſta cognitio tenet ſe cum ſpeculari, quia & ipſa natura Angelica eſt quoddam ſpeculum divinam ſimilitudinem repræſentans.* Ex quibus colligo, quod cognitio, qua Angelus per ſuam ſubſtantiam Deum cognoſcit, non habet de cognitione, qua lapis videtur per ſimilitudinem receptam in potentia viſiva cauſatam à lapide, niſi hoc, quod eſt fieri per ſimilitudinem cauſatam ab obiecto. De ſpeculari autem habet proprietatem, quia Angelus eſt quoddam ſpeculũ, in quo apparet divina ſimilitudo. Ex quibus infero, cognitionem, qua Angelus Deum cognoſcit per propriam ſubſtantiam, non eſſe per ſpeciem propriè impreſſam; ſi enim Angeli ſubſtantia eſſet propriè ſpecies impreſſa Dei, non ſe teneret magis cum ſpeculari cognitione. Nam hęc non eſt per propriam ſpeciem impreſſam, cum ſimilitudo, quæ ex re reſultat in ſpeculo, non ſe teneat ex parte potentiæ cognoſcitivæ tanquam forma eam determinans ad videndum; ſed ſit viſa per aliam ſimilitudinem ab ipſa cauſatam in potentia viſiva.

893 Ratione Prob. Concluſio. Nam ſubſtantia Angeli non repræſentat Deum, niſi *vt quod* cognita, ſicut effectus ſimilis ſuæ cauſæ repræſentat cauſam; ſed licet quis ad cognoſcendam cauſam in effectu non indigeat alia ſpecie diſtincta ab ſpecie impreſſa effectus, tamen ſpecies impreſſa effectus non dicitur propriè ſpecies impreſſa cauſæ: ergo ſimiliter licet ad cognoſcendum Deum, Angelus non indigeat alia ſimilitudine diſtincta à propria ſubſtãtia, eius tamen ſubſtantia non dicetur propriè ſpecies Dei. Prob. Secundo, ſimilitudo Dei, quę habetur in ſubſtantia Angeli, non eſt formalis ſimilitudo Dei, ſed ſolum virtualis, ſicut effectus cauſæ æquivocæ aſſimilatur cauſę æquivocæ; ſed hæc non ſufficit, vt aliquid ſit propriè ſpecies impreſſa alterius: ergo ſubſtantia Angeli non eſt ſpecies impreſſa, propriè loquendo, Dei. Conſeq. eſt bona, Mai. certa in ſchola Thomiſtica, & Min. Prob. nam ſimilitudo requiſita ad propriam rationem ſpeciei impreſſæ, debet eſſe illa, à quæ independenter à cognitione ſui *vt quod* habeat repræſentare obiectum, ſic, vt illa intellectus informatus primariò, vel ſecundariò poſſit exire in cognitionem obiecti; & ſimilitudo virtualis, qua effectus aſſimilatur cauſæ, non eſt talis conditionis, quod poſſit ſive primariò, ſive ſecũdariò immediate cognoſcere cauſam intellectus illa informatus: igitur non ſufficit ad propriam rationẽ ſpeciei. Explicatur hoc, ſpecies impreſſa propriè dicitur id, quo intellectus obiectum cognoſcit, nõ id, in quo *vt in quod* cognito obiectum tantũ cognoſci poteſt; ſed ſimilitudo effect⁹ cauſæ ęquivocæ cum cauſa æquivoca non eſt talis, quod per ipſam *vt quo* poſſit intellect⁹ duci in cognitionem cauſæ, ſed vt ducat, indiget vt cognoſcatur *vt quod*: ergo talis ſimilitudo non ſufficiet ad ſtatuendam propriam rationem ſpeciei; cum ergo ſubſtantia Angelica nõ poſſit *vt quo* ducere in cognitionem Dei, ſed requiratur prius ipſam cognoſcere *vt quod*, & in ipſa *vt quod* cognita effectum cognoſcere, non dicetur propriè ſpecies impreſſa Dei.

Dices, his convinci, quod ſubſtantia Angeli non ſit primariò ſpecies impreſſa Dei; non vero convincere, quod non ſit ſecundariò ſpecies impreſſa eius. Nam ad hoc ſecundum non requiritur, quod ipſa ſpecies immediate ducat in cognitionem obiecti, quod ſecundariò cognoſcitur, ſed ſufficit, quod immediate ducat in primarium, & in ipſo primariò cognito, virtute ſpeciei cognoſcatur ſecundarium. Sed contra eſt, nam ſpecies impreſſa propriè dicta diſtinguitur ab ſpecię obiectiva, id eſt, ab obiecto cognito; vnde ipſa ſubſtantia Angelica vt cognita non dicitur ſpecies impreſſa, ſed ſolum talis dicitur, vt prævenit ſui cognitionem: ergo dum ſubſtãtia Angelica ſolum vt cognita habet Deum repræſentare, & non vt prævenit cognitionem, dicetur eſſe ſpecies obiectiva Dei, non vero propriè dicetur ſpecies impreſſa Dei, ſivè primariò, ſive ſecundariò. Explicantur hæc omnia, ſpecies impreſſa plurium, vnius primariò, & alterius ſecundariò debet ante omnem ſui cognitionem eſſe repræſentativa vtriuſque; ſed ſubſtãtia Angeli, vt prævenit ſui cognitionem, tãtum habet repræſentare Angelum, & non Deum: igitur ſolius Angeli eſt propriè ſpecies impreſſa. Conſequentia eſt bona, Min. videtur certa, nam ſi Deum repręſentaret, poſſet Angelus per ipſam, licet non primariò, tamen ſecundariò Deũ cognoſcere, quod non admittitur, dum dicitur tantum repræſentare Deum, vt cognita,

Mai.

Mai. vero Prob. nam munera ſpeciei impreſſæ debent convenire ſubſtantiæ illi pro eo priori, pro quo ſpecies impreſſa eſt; ſed tantum eſt ſpecies impreſſa pro eo priori, pro quo præcedit cognitionem, nam poſtquam cognita eſt, non eſt ſpecies impreſſa, ſed obiectum cognitum: ergo debent illi convenire, vt prævenit ſui cognitionem; ſed præcipuum munus ſpeciei, vt impreſſa eſt, eſt repræſentare illa, quorum ſpecies impreſſa eſt: igitur ſi verè, & propriè eſſet ſpecies impreſſa Angeli, & Dei, repræſentaret vtrumque, vt prævenit ſui cognitionem.

894 Contra hanc concluſionem inſtabis. Nam eſſentia divina propriè eſt Deo ſpecies intelligibilis ad cognoſcendum creaturas; & tamen non repræſentat illas, niſi vt cognita; neque enim eſt vera ſententia Vazquez à nobis in tractatu de ſcientia Dei impugnata, quod Deus cognoſcit creaturas poſſibiles per ſui eſſentiã *vt quo* cognitam, non vero in ea *vt quod* cognita: ergo dum Angelus in ſui ſubſtantia *vt quod* cognita cognoſcit Deum, verè, & propriè eius ſubſtantia erit ſpecies impreſſa Dei. Confir. virtute ſubſtantiæ Angelicæ, vt ſpecies impreſſa eſt, non ſolum cognoſcitur Angelus *vt quod*, ſed etiã virtute eius cognoſcitur in eo Deus, ita quod licet immediatus effectus ſpeciei ſit Angelus *vt quod* cognitus, tamen in hoc non ceſſat influxus ſpeciei impreſſæ, ſed vltra tranſit concurrendo ad hoc, quod in Angelo vt cognito, Deus cognoſcatur: ergo erit ſpecies impreſſa, non ſolum Angeli, ſed etiam Dei. Patet Conſ. quia quandiù influxus cauſæ durat, id, quod producitur, reducitur ad cauſam vt eius effectus: ergo ſi virtus ſpeciei impreſſæ non adæquatur in Angelo cognito *vt quod*, ſed etiam extenditur ad hoc, quod Deus cognoſcatur in Angelo *vt quod* cognito, vere Deus vt cognitus reducetur ad ſubſtantiam Angeli tanquam ad ſpeciem impreſſam. Confir. ſecundo, intellectus Angeli nihil poteſt perfectè cognoſcere niſi per aliquam eius ſpeciem impreſſam, quæ ſit principium immediatum, vel mediatũ cognitionis eius, quod cognoſcit: ergo cum Angelus ad cognoſcendum Deum ſolum vtatur ſubſtantia propria vt ſpecie impreſſa, aſſeverandum erit, quod ſubſtantia Angeli ſit vere, & propriè ſpecies impreſſa Dei.

Ad hoc, diſt. Mai. eſſentia divina eſt Deo propriè ſpecies intelligibilis ad cognoſcendum creaturas, ad cognoſcendum creaturas per ſpeciem intelligibilem propriè dictam, nego Mai. ad cognoſcendum creaturas per eſſentiam divinam tanquam obiectum cognitum, conc. Ma. & conc. Mi. nego Conſ. Itaque eſſentia divina eſt Deo ſpecies impreſſa ad cognoſcendum creaturas, ſed non eſt ſpecies intelligibilis ad cognoſcendum creaturas per ſpeciem intelligibilem earum, nã Deus ſolum ſeipſum cognoſcit per ſeipſum, vt per ſpeciem intelligibilem; alia autem à ſe, ſolum cognoſcit in eſſentia divina *vt quod* cognita, quod non eſt cognoſcere illas per eſſentiam divinam vt ſpeciem intelligibilem creaturarum.

Infers: ergo Deus non cognoſcit creaturas per ſpeciem intelligibilem propriè dictam; Conſ. non eſt admittendum: ergo. Probatur Min. nam vt aliquid cognoſcatur duo requiruntur, nempe ſpecies intelligibilis, & verbum, in quo cognoſcitur quidquid cognoſcitur: ergo non eſt admittendum, quod Deus cognoſcat creaturas ſine ſpecie intelligibili. Ad hoc diſt. Conſ. ergo Deus non cognoſcit creaturas per ſpeciem intelligibilem propriè dictam, per ſpeciem intelligibilem propriè dictam creaturarum, conc. Conſ. per ſpeciem intelligibilẽ, propriè dictam reſpectu Dei, nego Conſeq. & diſt. Min. Conſeq. non eſt admittendum, ad hunc modum, quod fiat ſenſus, quod Deus ſine ſpecie intelligibili creaturas cognoſcat, conc. Min. ad hunc ſenſum, quod ſine ſpecie impreſſa, quę propriè ſpecies impreſſa creaturarum ſit, creaturas cognoſcat, nego Min. & Conſ. Itaque certum eſt, quod Deus nequit cognoſcere creaturas in ſeipſo, niſi per ſpeciem intelligibilem propriè dictam ſeipſum cognoſcat: vnde eſt neceſſe, quod reſpectu ipſius Dei eſſentia divina propriã rationem ſpeciei intelligibilis habeat, non autem requiritur, quod vt creaturas in ſeipſo cognoſcat, ſpecies, quæ eſt propriè impreſſa reſpectu ſui, propriè ſit ſpecies impreſſa reſpectu creaturarum, quia ipſe cognoſcitur per eſſentiam ſuam *vt quo*, & vt *in quo*, creaturas autem ſolum cognoſcit per eſſentiam ſuam vt *in quo*: in quo non habetur formalitas ſpeciei impreſſę propriè dictæ.

Ad Confir. diſt. vltimas particulas Ant. ſed vlterius tranſit concurrendo ad hoc, quod in Angelo cognito cognoſcatur Deus, tranſit concurrendo ſub munere ſpeciei impreſſæ propriè dictæ, nego Ant. ſub munere obiecti cogniti *vt quod*, conc. Ant. &

& diſt. Conſ. reducetur ad ſubſtantiam Angeli tanquam ad ſpeciem impreſſam Dei, nego Conſ. Angeli cogniti, conc. Conſeq. Pono exemplum, vt hoc explicem. Non poteſt intellectus pervenire ad ſcientiam concluſionum, niſi ſimplici intuitu cognoſcat principia, in quibus, & ex quibus concluſiones cognoſcit: ergo ſimplex intuitus cauſat ſcientiam: iſta diſtinguitur; ſimplex intuitus cauſat ſcientiam, vt ſimplex intuitus concluſionum, nego ſuppoſitū, vt ſimplex intuitus principiorum, conc. Conſ. Et ſimiliter ita; ergo ſcientia reducitur ad ſimplicem intuitum, debet diſtingui: ad ſimplicem intuitum concluſionum ſcibilium, nego ſuppoſitum, ad ſimplicem intuitum principiorum, conc. Conſ. Sic ſimiliter, niſi eſſentia Angeli ſit ſpecies impreſſa reſpectu Angeli cogniti per illam, nequit Deus cognoſci in Angelo *vt quod* cognito: ergo cognitio, vt Dei eſt, reducitur ad eſſentiam Angeli, vt ſpecies impreſſa eſt, diſt. Conſ. vt eſt ſpecies impreſſa Angeli, concedo Conſ. Dei, nego ſuppoſitum. Et ratio horum eſt, quia ſicut formalitas ſimplicis intuitus finitur per cognitionem principiorum, & incipit nova formalitas ſcientiæ ab hoc, quod eſt cognoſcere concluſiones in principijs, & ex principijs; ita formalitas ſpeciei impreſſæ propriè dictæ finitur in hoc, quod eſt eſſe id, *quo* Angelus cognoſcitur, & ſic formalitas vt *in quo* Deus cognoſcitur, eſt nova, & diſtincta, nempe ſpeciei obiectivæ, non impreſſæ: vnde verum eſt, quod cognitio Dei in Angelo cognito reducitur ad ſubſtantiam vt ad ſpeciem intelligibilem, nō Dei, ſeu Angeli; quia Deus non cognoſcitur illa, ſed in illa.

Ad ſecundam confirm. diſt. Ant. quæ ſit principium immediatum, vel mediatū cognitionis eius, quod cognoſcitur, vt ſpecies impreſſa tam illius, quod illa cognoſcitur, quam illius, quod ſolum in illa cognita, cognoſcitur, neg. Ant. vt ſpecies impreſſa illius, quod illa cognoſcitur, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque, vt iam dixi, vt Angelus aliquid cognoſcat in ſua eſſentia vt cognita, ſufficit, quod ſubſtantia ſua ſit ſpecies impreſſa Angeli, qui illa cognoſcitur, non vero requiritur, quod ſit ſpecies impreſſa illius, quod ſolum in illa *vt quod* cognita, cognoſcitur: cum ergo Deus non cognoſcatur per ſubſtantiam Angeli, vt prævenit ſui cognitionē, ſed ſolum vt cognita; ſub qua ratione propriè ſpecies impreſſa non eſt, fit inde, quod non cognoſcatur per ſubſtantiam Angeli, vt propriè ſpecies impreſſa Dei eſt.

895 Secundo Inſtabis principaliter, probando quod Angeli non cognoſcāt Deum ſecundariò per ſuam ſubſtantiam. Etenim ſi vnuſquiſque Angelus ſolum ſecundariò per ſuam ſubſtantiam Deum cognoſceret, inde ſequeretur, cognitiones Dei in illis diſtingui ſpecie, iuxta diſtinctionem propriæ ſubſtantiæ; Conſeq. non poteſt admitti: ergo. Sequela patet, nam cognitiones propriæ ſubſtantiæ diſtinguuntur ſpecie iuxta diſtinctionem ſpecificam ſubſtantiarum cognitarum: ergo cum cognitio, qua Angelus Deum cognoſceret, nō eſſet alia, niſi ea, qua primariò ſeipſum videret, eſſet neceſſe, quod ad diſtinctionem ſpecificam cognitionis propriæ ſubſtantiæ, ſpecie diſtingueretur cognitio Dei. Min. vero Prob. nam in cognitione Dei ſtat beatitudo naturalis Angelorum; ſed in beatitudine naturali nequeunt Angeli differre ſpecie: ergo cognitiones, quibus Deum Angeli cognoſcunt, nequeunt diſtingui ſpecie. Prob. Min. nam in beatitudine ſupernaturali nequeunt Angeli differre ſpecie: ergo neque in beatitudine naturali poterunt diſtingui ſpecie.

Ad hoc, nego Min. ad Prob. nego Mi. ad Prob. nego Conſ. Itaque beatitudo naturalis Angelorum, cum nō ſit circa Deum immediate, quia immediata cognitio Dei naturalis implicat, debet eſſe circa Deū mediate, & ſecundariò; & ſic diſtingui debet ſpecie iuxta diſtinctionem ſpecificam obiecti primariò cogniti, quod eſt ipſamet Angeli ſubſtantia; quia cognitiones ad diverſitatem ſpecificam primarij obiecti habent quoque ſpecificè diſtingui: non ſic philoſophandum de beatitudine ſupernaturali, quæ cum ſit Dei immediata cognitio, per ipſum Deum vnitum per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, & per lumen gloriæ eiuſdem ſpeciei in omnibus, eſt neceſſe, quod ſit in omnibus beatis eiuſdem ſpeciei, & ſic non eſt paritas.

§. VI.

Vtrum Angelus per propriam ſubſtantiam cognoſcat omnia accidentia eius?

896 DE Accidentibus Angeli intrinſecis dupliciter loqui poſſum. Primò de accidētibus, quæ ſunt veræ proprietates eius; ſecūdo

Digitized by Google

do de accidẽtibus cõmunibus, quæ poſſunt convenire, & non convenire Angelo abſque eius corruptione, quæ etiam dividuntur in accidentia ordinis naturæ, & ordinis gratiæ. E quidem de his vltimis nulli eſt dubium, quod non cognoſcuntur ab Angelo per propriam ſubſtantiam, quia cognitio eorum ſupernaturalis eſt, & cognitio, qua Angelus cognoſcit ſe, eſt naturalis: eſt autẽ difficultas de accidentibus ordinis naturæ; quia cum Angelus vna cognitione, qua ſe per ſuam ſubſtantiam cognoſcit, ſe comprehendat, videtur quod illa cognitione tãgat omnia naturalia, quæ actu inſunt illi, ſive propria, ſive communia, ſive naturalia, ſive libera; omnium enim illorum cognitionẽ requirit perfecta comprehenſio, cum de illius conceptu ſit, quod nihil rei comprehẽſæ lateat cognoſcentem.

Dico ergo, neceſſe eſt quod Angelus per ſuam ſubſtantiam cognoſcat omnia accidentia, quæ ſunt veræ proprietates eius; non vero eſt neceſſe, quod per ſuam ſubſtantiam cognoſcat omnia accidentia cõmunia eius. Prima pars Prob. nam Angelus cognoſcit proprietates ſuas in ipſa radice proprietatum; ſed ſubſtantia Angelica eſt radix ſuarum proprietatum: igitur in illa, & per illam cognoſcit ſuas proprietates. Præterea, cognitio, quam habet Angelus de ſeipſo per propriam ſubſtãtiam, eſt cognitio comprehenſiva ſui: ergo ſubſtantia Angeli repræſentat Angelo ſeipſam cũ omni proprietate ſua. Patet Conſ. nam ſpecies comprehenſiva, qua Angelus Gabriel cõprehendit Raphaelem, v. g. repræſentat Gabrieli eſſentiam Raphaelis, & proprietates eius: ergo ſi Angelus per ſuam ſubſtantiam comprehendit ſe, per ſuam ſubſtantiã cognoſcit ſe, & propria accidentia eius.

Secunda pars concluſionis Prob. quia per ſuam ſubſtãtiam Angelus ſolum poteſt perfecte cognoſcere ea, quorum propria ſubſtantia cauſa adæquata eſt; ſed reſpectu accidentium communium ſubſtantia Angeli cauſa adæquata non eſt: igitur per eam non cognoſcit accidentia ſibi communia. Prob. Min. nam ſubſtantia Angeli ad accidentia communia tantum comparatur per modum cauſæ materialis recipientis, & ſuſtentantis illa, & ſi ad aliqua accidentia, qualia ſunt propriæ operationes intellectus, & voluntatis, etiam in genere cauſæ efficientis comparatur, non tamen eſt earum cauſa adæquata; nam cognitiones aliorum obiectorum à ſe Angelus elicit determinatus per ſpecies infuſas eorum: ſpecies autem infuſæ non radicantur in ſubſtantia Angelica, vt ſupra vidimus: non ergo reſpectu talium operationum Angeli ſubſtantia cauſa adæquata erit.

897 Inſtas contra hoc. Angelus per ſuam ſubſtantiam ſic perfecte comprehendit ſe, ſicut & per ſpeciem infuſam alterius Angeli perfecte comprehendit illum; ſed Angelus comprehendens alium, ſic perfecte illum cognoſcit, quod per eandẽ ſpeciem cognoſcat eius ſubſtantiam, accidentia propria, & communia eius: igitur per ſuam ſubſtantiam ſic perfecte comprehendet ſe, quod per illam cognoſcat ſuam ſubſtantiam, propria, & communia eius accidentia. Ad hoc, diſt. Mai. ſic perfecte comprehendit ſe, ſicut & per ſpeciem infuſam cognoſcit comprehenſive alium à ſe, quantum ad ea, quæ per ſe requiruntur ad comprehenſionem, conc. Ma. quantum ad alia, quorum cognitio per ſe non exigitur ad comprehenſionem, nego Mai. & dato trãſ. ad Min. nego Conſ. Itaque ad perfectam rei cognitionem comprehenſivã ſufficit cognoſcere vna indiviſibili cognitione eſſentiam, & proprietates rei, quæ in ipſa radicantur, & tanquam in cauſa adæquata ſunt præhabentur; cognoſcere autem alia, quæ accidentaliter rei conveniunt, nõ per ſe requiritur ad comprehenſionem: Angelus ergo per ſuam ſubſtantiam comprehendit ſeipſum, quantum ad cognitionem ſuæ ſubſtantiæ, & proprietatum eius: quia autem eius ſubſtantia non eſt ſpecies impreſſa accidentium communium eius, nec illa præcontinentur in ea tanquam in cauſa adæquata, fit inde, quod per ſuam ſubſtantiam accidentia propria, & communia non cognoſcat: ſpecies autem infuſa repræſentans illi alium Angelum, eſt ſpecies impreſſa repræſentans ſubſtantiam, propria, & communia accidentia, & ideo Angelus illum cognoſcẽs per dictam ſpeciem omnia, quæ ſunt in illo cognoſcit, ſive propria, ſive cõmunia accidentia eius ſint.

Hinc infero, Angelum per ſuam ſubſtãtiam cognoſcere propriam cognitionẽ, qua ſe comprehendit, & verbũ, quod cognoſcendo ſe, format, & amorem, quo ſe, & Deum amat: quia omnia iſta in ipſa Angeli ſubſtantia cauſam adæquatam habent, & ſi operationes propriæ ſint. Infero ſecundo, non cognoſcere ſpecies infuſas, quæ illi inhærent; quia reſpectu harum tantum ſe habet vt cauſa materialis recipiens, & ſuſtentans

Digitized by Google

tans illas quod non ſufficit, vt perfectam notitiam de eis Angelus habeat.

898 Sed inſtas contra hoc, nam ſi ſpecies aliorum à ſe Angelus non cognoſcit per ſuam ſubſtantiam, erit neceſſe, vt vnicuique Angelo aliqua conſignetur ſpecies, per quam omnes ſpecies ſibi inhærentes cognoſcat; ſed hoc non videtur dicendum: ergo. Reſp. neg. Mai. hoc enim ipſo quod ſpecies infuſæ ſunt rationes formales cognoſcendi alia à ſe, ſibi ipſis ſufficiunt ad hoc, vt intellectus, cui inhærent, illas cognoſcat; ſicut dicunt ſummuliſtæ, quod intellectus cognoſcens hominem per ſuam ſpeciem impreſſam, per ipſammet, illam, & cognitionem eius cognoſcit, quia cum immaterialis ſit, & intra intellectum exiſtat, poteſt ſufficienter determinare intellectum ad ſui cognitionem. Sed difficultas eſt de verbo, quo propriam ſubſtantiam cognoſcit, vtrum ad eius cognitionem alio verbo indigeat? Reſpondeo, quod non, quia dum verbũ, quod ad cognoſcẽdã propriã ſubſtãtiã format, in ipſa ſubſtãtia causã adæquatã habeat, dum eſt ratio formalis cognoſcendi primariò propriam ſubſtantiam, eſt ratio formalis cognoſcendi ſecundariò ſe ipſum, vt aliquid propriæ ſubſtantiæ. Et ſi inſtes, quod tale verbum eſt accidens commune Angeli; ſed diximus accidentia communia non cognoſcere Angelum per propriam ſubſtantiam: ergo nec cognoſcet Angelus verbum, quod ad cognoſcendum ſe format, per ſuam ſubſtantiam. Secundo inſtas, quia ſummuliſtæ ad cognoſcendum conceptum directum requirunt conceptum novum reflexum: ergo ſimiliter Angelus ad cognoſcendum conceptum, quo directe propriam ſubſtantiam cognoſcit, indigebit formare novum conceptum. Reſp. ad Primam, diſt. Mai. eſt accidens commune Angeli, habens in ipſa ſubſtantia ſui cauſam adæquatam, conc. Mai. non habens, nego Mai. & diſt. Min. diximus, &c. loquendo de accidentibus communibus, quæ non habent in ipſa Angeli ſubſtantia cauſam adæquatã, conc. Min. loquendo de his, quæ cauſam adæquatam habent in propria ſubſtantia, nego Mi. & Conſ. Itaque dictum noſtrum non ſe extendit niſi ad ea, quæ ſe extendit ratio, qua probavimus illud; hæc autem tantum probat de accidenti communi non habente cauſam adæquatam in propria ſubſtantia, & ſic de illis probat, non vero de verbo, quo propria ſubſtantia per ſe primò cognoſcitur, quia ad hoc formandum, ſubſtantia Angeli ſufficit; nam ipſa eſt radicaliter intellectiva, & ſpecies intelligibilis ſui ad propriam cognitionem. Ad ſecũdam dico, doctrinam illam ſummuliſtarum eſſe veram, quando conceptus directus cognoſcitur per ſe, & ratione ſui, non vero quando ſolum cognoſcitur ſecundariò ad cognitionem alterius, in quo ſui cauſam habet adæquatam.

§. VII.

Vtrum Angelus inferior vi ſua naturali comprehendat ſuperiorem?

899 QVÆSITVM Supponit vt certũ apud Theologos, Angelos inferiores cognoſcere intuitive, & quidditative ſuperiores, quia cuilibet Angelo, vt ſupra diximus, ab inſtanti ſuæ conditionis datæ ſunt ſpecies repræſentativæ omnium rerum naturalium actu exiſtentium in vniverſo ſecundum proprias differentias, individuationes, & modos vnicuique rei cõvenientes: ergo, cum Angeli ſuperiores de facto exiſtant in vniverſo, poterunt ab inferioribus intuitive, & quidditative cognoſci; nam cognitio intuitiva eſt, ex quò ad rem vt in ſeipſa exiſtentem terminatur, & quidditativa eſt, ſecundum quod eam per propriam differentiam, per quam à qualibet alia, quæ non eſt ipſa, cognoſcitur. Suppono ſecundò, Angelos ſuperiores comprehendere inferiores, quod etiam eſt certum. Nam Angeli inferiores ſeipſos comprehendunt: ergo cum vires intellectivæ ſuperiorum efficaciores ſint viribus intellectivis inferiorum, à fortiori fatendum erit, ſuperiores Angelos comprehendere ſibi inferiores. Suppono tertio, nomine *comprehenſionis* non intelligi eam cognitionem, per quam cognoſcuntur omnia, quæ actualiter conveniunt Angelo ſuperiori, ſive neceſſariò, ſivè liberè illi conveniant; nam ſic loquendo de comprehenſione, adhuc ſuperiores vi ſola naturali non comprehendunt inferiores: vnde multo certius erit inferiores non comprehendere ſuperiores. Suppono quarto, quod ſi nomine *comprehenſionis* intelligatur cognitio attingens obiectum ex parte rationis *ſub qua* activè & obiectivè, ſub qua obiectũ ab intrinſeco exigit attingi, Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem, quod fit evidens hac ratione. Nam Angelus ſuperior ab intrinſeco exigit attingi ſub ea im-

Digitized by Google

immaterialitate, quâ gaudet; ſed ſub illa eum attingere nequit inferior: ergo. Prob. Min. nam inferior non eſt tantæ immaterialitatis, quantę Angelus ſuperior, nec eius intellectus ita recedit à potentialitate, & accedit ad divinam actualitatem ſicut Angelus ſuperior: ergo Angelus inferior nequit attingere ſuperiorem ſub ea immaterialitate, qua gaudet ſuperior, & ſic, ſi ad comprehenſionem ſuperioris requiritur illum attingere ſub ea immaterialitate, ſub qua ab intrinſeco exigit cognoſci, Angelus inferior non comprehendet ſuperiorem. Præterea, eſto ens vt ſic ſit obiectum ſpecificativum cuiuſcumque Angelici intellectus, non tamen ſub æquali immaterialitate, & depuratione à potentialitate ſpecificat quemcumque intellectum Angelicum, quandoquidem intellectus Angelici ſpecie variantur penes hoc, quod eſt attingere ens ſub maiori, vel minori immaterialitate: cum ergo Angelus ſuperior ſit obiectum connaturale ſui ipſius, exiget ab intrinſeco attingi ſub ea immaterialitate, ſub qua ens ſpecificat proprium intellectum; at immaterialitas ſpecificãs intellectum inferiorem eſt minor illa, quæ ſpecificat intellectum ſuperiorem: ergo Angelus ſuperior nequibit attingi ab inferiori ſub ea immaterialitate, ſub qua ab intrinſeco eſt cognoſcibilis: ſi ergo ad comprehenſionem requiritur, quod comprehendens rem comprehenſam attingat ſub tanta immaterialitate, ſub qua ipſa ab intrinſeco eſt cognoſcibilis, Angelus inferior non comprehendet ſuperiorem.

Punctus ergo præſentis difficultatis, ad id meo videri reducitur, vtrum Angelus inferior ſuperiorem ſic cognoſcat, quod nihil Angeli ſuperioris tam formaliter, quã virtualiter in eo præcontentum naturaliter, & non liberè lateat inferiorem? ſi enim hoc detur, Angelus inferior comprehendet ſuperiorẽ; ſi autẽ Angelus ſuperior aliquid naturaliter ei conveniens habeat, quod lateat inferiorem, inferior non comprehendet ſuperiorem. In quo puncto elucidando duplex eſt Theologorum ſententia. Prima affirmat inferiorem comprehendere ſuperiorem. Hanc tenent Ferrara 2. Contragẽt. cap. 98. Bañez hic q. 56. ar. 2. Albelda hic, diſp. 25. ſect. 3. Araujo hic ar. 3. dub. 3. Salmanticenſ. hic diſp. 6. dub. 3. Molina in cõmentario eiuſdem ar. & Vazquez. Secunda ſententia negat inferiorem comprehendere ſuperiorem. Hanc tenent Caietanus infra queſt. 89. ar. 2. §. *vbi adverte.* Zumel hic; Nazarius hic Controv. 2. Ioannes à S. Th. hic diſp. 22. a. 1. Serra hic q. 56. ar. 1. & Gonet hic diſp. 7. ar. 2. dicto primo.

900 Sit concluſio. Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem. Non habemus hanc concluſionem vt evidenter certam, ſed eligimus vt probabiliorem in via D. Tho. Prob. ergo concluſio ex doctrina D. Tho. q. 16. de malo ar. 8. ibi: *Vnuſquiſque intellectus aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, & aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles inferioris, nam ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus ſunt univerſaliores, & ideo non poſſunt comprehendi per ſpecies intelligibiles inferioris intellectus, & ideo inferior intellectus non poteſt eas perfectè cognoſcere: poteſt autem eas perfectè cognoſcere, quæ ſunt in intellectu inferiori tanquam magis particulares, & ſecundum ſuas univerſaliores ſpecies poteſt de eis diiudicare.* Ex quibus fit argumentum. Species, quæ ſunt in Angelo inferiori repræſentativæ ſpecierum, quæ ſunt in Angelo ſuperiori, nequeunt illas repræſentare comprehenſivè; inſuper Angelus inferior nequit perfectè per ſpecies, quas apud ſe habet, cognoſcere ſpecies, quæ ſunt in Angelo ſuperiori: igitur nequit comprehendere ſuperiorem ea comprehenſione, qua nihil ſuperioris lateat inferiorem. Patet Conſeq. quia ad hoc genus comprehenſionis requiritur, quod nihil obiecti cognoſcibilis lateat cognoſcẽtem; ſed hoc ipſo quod inferior nequeat perfectè cognoſcere ſpecies, quæ ſunt in intellectu ſuperioris, iam aliquid huius lateret inferiorem: igitur non comprehenderet ſuperiorem.

Reſpondet Araujo, D. Th. nomine *intellectus inferioris* non comprehendere intellectum Angeli inferioris, ſed tantum intellectum humanum, qui adhuc non attingit ad gradum completæ intellectualitatis: vnde ſenſus verborum D. Thom. ſolum eſt, quod intellectus humanus non poteſt naturaliter cognoſcere per ſpecies, quæ ſunt in intellectu Angelico, bene tamen Angelicus per ſpecies ſuas poteſt comprehendere ſpecies magis particulares exiſtentes in humano intellectu. Quam ſolutionem probat ex contextu, videlicet; *& ſecundum hoc cum intellectus Angelicus ſit ſuperior ordine naturæ noſtro intellectu, poſſunt Angeli boni, vel mali ſpecies in anima noſtra exiſtentes cognoſcere;* nomine ergo *intellectus inferioris* intelligit humanum, non vero intellectum Angeli inferioris. Sic Araujo.

Ve-

Digitized by Google

Verum non loquitur ad mentem D. Thomæ. Nam D. Tho. primò tradit doctrinam communem de omni intellectu ſuperiori, & inferiori, & deinde illam applicat ad intellectum Angelicum, qui ſuperior eſt humano intellectu: quaſi formet hunc ſyllogiſmum. Vnuſquiſque intellectus aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, & aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles inferioris intellectus, nã cũ illius ſpecies vniverſaliores ſint, & iſtius magis particulares, nequit per ſpecies inferioris intellectus comprehendere ſpecies ſuperioris, bene vero per ſpecies ſuperioris comprehendere poteſt ſpecies inferioris; ſed ſic eſt, quod intellectus Angelicus ſuperior eſt intellectu noſtro: ergo per ſpecies, quas apud ſe habet, poterit comprehendere ſpecies, quæ ſunt in noſtro intellectu, non vero intellectus noſter per ſpecies ſuas poterit comprehendere ſpecies, quæ ſunt in intellectu Angeli. In quo ſyllogiſmo Maior propoſitio importat doctrinam vniverſalẽ pro omni intellectu, ſive Angelico, ſive humano, & deinde ſubſumit Min. de intellectu humano, de quo concludit iuxta bonas ſummulas: noſtra ergo ratio aſſumit doctrinam, quam habet D. Th. in Maiori, & ex illa concludit iuxta D. Th. Angelum inferiorem non comprehendere ſpecies ſuperioris; vnde quod concludat D. Th. de intellectu humano non enervat vim noſtræ rationis.

Secundo reſp. Salmanticenſes rationi noſtræ, concedendo D. Th. loqui de intellectu inferiori Angelico, & humano, & negando ſequi ex hoc, quod inferior Angelus per ſpecies ſuas non poſſit comprehendere ſpecies intelligibiles ſuperioris, & quod inferior Angelus nequeat comprehendere ſuperiorem, quia ad comprehenſionem ſuperioris non requiritur, quod eius ſpecies intelligibiles comprehendantur, ſed ſufficere, quod comprehendantur ea omnia, quæ ex vi ſubſtantiæ Angelicæ ſuperioris cognoſci poſſunt; hæc autem non ſunt ſpecies intelligibiles in eius intellectu exiſtentes, & ſic, non requiritur ad comprehenſionem Angeli ſuperioris, quod inferior eius ſpecies intelligibiles cognoſcat. Sed contra ſolutionem iſto. Nam dum ſolutio admittit ſpecies Angeli inferioris non eſſe comprehenſivas ſpecierum Angeli ſuperioris, debet admittere etiam quod ſola convenientia in gradu immaterialitatis, quam habet inferior cum ſuperiori, nõ ſufficiat ad hoc, vt comprehẽdat ſuperiorem, & ſic deſtruit fundamentum vnicum comprehenſionis inferioris ad ſuperiorẽ. Prob. aſſumptum, ſpecies intelligibilis reſidens in intellectu Angeli inferioris eſt in eodẽ gradu immaterialitatis cum ſpeciebus Angeli ſuperioris, & hoc non obſtante illa non eſt comprehenſiva ſpecierum intelligibilium Angeli ſuperioris: ergo eſto inferior ſit in eodẽ gradu immaterialitatis cum ſuperiori non comprehendet illum.

Dices, tunc ſufficere convenientiam in gradu immaterialitatis ad comprehenſionem, quando ſuperius cognoſcibile poteſt cognoſci per vnam ſpeciem, ſicut ſuperior cognoſcitur ab inferiori Angelo, non vero quando ſuperius cognoſcibile per vnã ſolam ſpeciem inferioris nequit adæquatè cognoſci: vnde cum ſpecies intelligibiles Angeli ſuperioris, ob ſui vniverſalitatem in repræſentando, nequeant cognoſci per vnam ſpeciem inferioris, quę eſt magis particularis, & limitata, nõ ſequitur deſtructio fundamẽti ſententię oppoſitæ ex hoc, quod ſpecies intelligibiles Angeli inferioris nequeant comprehendere ſpecies intelligibiles Angeli ſuperioris, cum tamen in eodẽ gradu immaterialitatis cum illa ſint. Sed contra eſt, nam intellectus ſupremi Angeli non minus excedit intellectum Angeli infimi, quam ſpecies vniverſi, quæ reſidet in Angelo ſupremo, excedat ſpeciem, quæ eſt in intellectu infimi; ſunt enim eiuſdẽ athomæ immaterialitatis ſpecies intelligibilis vniverſi repræſentativa, & intellectus ipſius Angeli ſupremi: ſpecies infimi Angeli, & intellectus, qui connaturaliter ea vtitur, & tamen propter convenientiam in gradu immaterialitatis poteſt intellectus infimi Angeli comprehendere ſupremum: ergo pariter propter convenientiam in gradu immaterialitatis, quã habet ſpecies vniverſi reſidens in intellectu ſupremi Angeli cum ſpecie repræſentativa eius reſidente in intellectu infimi, poterit hæc illam comprehendere, vel ſi non poteſt, non poterit etiam intellectus infimi Angeli ob ſolam convenientiam in gradu immaterialitatis, quam habet cum intellectu ſupremi, illum comprehendere. Confirm. ſpecies ſupremi Angeli, qua cognoſcit vniverſum, eſt vna indiviſibilis eſſentia creata: ergo eſt repræſentabilis per vnam ſpeciem exiſtentem in Angelo infimo: Patet Conſeq. nam ſpecies vna, quæ eſſet in infimo, eſſet eiuſdem immaterialitatis gradualis cum illa, quæ eſt in in-

Digitized by Google

ſupremo; ſed hanc convenientiam ſolum deſiderat ſpecies, vt ſui obiecti comprehenſiva ſit: ergo vt hi Patres conſequenter ad ſua principia loquantur, debent fateri, ſpeciem reſidentem in intellectu infimi repræſentantem ſpeciem ſupremi, eſſe eius comprehenſivam: vel ſi hoc negant, debẽt quoque negare, quod convenientia in ſolo gradu immaterialitatis ſufficiat vt Angelus inferior comprehendat ſuperiorem.

901 Secundo Prob. Concluſio alia authoritate D. Tho. infra q. 106. art. 1. ad 2. ibi: *Vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, ſed confortando lumen naturale ipſius, & manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.* Ex quibus ſic formo argumentum. D. Thom. aſſerit Angelos ſuperiores illuminare inferiores manifeſtando eis aliquam veritatem de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ: igitur Angeli inferiores ignorant aliquam veritatem naturalem, quam addiſcunt ab Angelis ſuperioribus: aliquid ergo eſt in Angelo ſuperiori quod latet inferiorem: ergo hic non comprehendit ſuperiorem. Reſp. Salmanticenſes Angelum inferiorem illuminari ab inferiori de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, non circa exiſtentiam, ſed circa futura contingentia, vel circa poſsibilia, quia de his Angelus inferior non habet, neque habere poteſt vi ſola naturali notitiam. Sed contra eſt, nam notitia circa poſſibilia, vel futura contingentia, quandiu nõ exiſtunt, non ſpectat ad ordinem naturæ, ſed ad ordinem gratiæ; nullus enim Angelus vi ſola naturali poteſt eã cognoſcere: dicit autem D. Tho. quod inferior illuminatur à ſuperiori de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, & de his, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ: ergo non loquitur de illuminatione circa poſsibilia, vel circa futura cõtingentia; ſed loquitur circa aliqua naturalia, de quibus aliquam veritatem naturalem ſcit Angelus ſuperior, quam ignorat inferior.

902 Tertio argumentor alia authoritate D. Tho. ex 2. diſt. 9. q. 1. ar. 7. vbi ad 4. aſſerit, *quod ſi Angeli haberent naturalia tantum, adhuc lumen vnius excederet lumen alterius; & ita poſſet eſſe aliqua illuminatio, & perfectio.* Ex quibus ſic formo argumentum. Data hypotheſi, quod Angeli omnes haberent tantum ſua naturalia, & nihil haberent gratiæ, vel actualis, vel habitualis, adhuc lumen naturale ſuperioris ob exceſſum, quem haberet ad lumen inferioris Angeli, poſſet illum illuminare de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ; at tunc talis illuminatio non poſſet eſſe, vel circa poſſibilia, vel circa contingentia non exiſtentia, quia horum notitia, vt dixi, ſpectat ad ordinem gratiæ: ergo fieret tunc ſolum de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ: ergo aliquid eſſet in entibus naturalibus exiſtentibus, quod lateret lumen Angeli inferioris, & ſic, Angelus inferior vi ſua naturali nequit comprehendere ſuperiorem.

Poſſet his aliquis reſpondere, quod ſuperiorem illuminare inferiorem non tollit, quin inferior comprehendat ſuperiorẽ; quia illuminatio non eſt de neceſſariis veritatibus, ſed de liberis; ad comprehenſionẽ autem Angeli ſuperioris non requiritur, quod inferior vi ſua naturali cognoſcat libera Angeli ſupremi, ſive ad voluntatem, ſive ad ſcientiam pertineant, ſed ſufficit neceſſaria Angeli ſupremi ſic omnia attingere, quod nihil eorum lateat cognoſcentem inferiorem. Sed contra eſt; nam libera, vt ſciantur ab Angelis, non indigent illuminatione, ſed ſimplici ceſsione dominij, vel potius communicatione, quod fit per hoc, quod vnus Angelus loquatur alteri: vnde quod ignorentur libera, non oritur ex debilitate luminis ignorantis, ſed ſolum, quia quandiu non revelantur, non pertinent ad ipſum; illuminatione autem indiget vnus Angelus ab alio ob debilitatem luminis vnius, & excellentiam luminis alterius, quod provenit ex pondere difficultatis rei cognoſcibilis; at D. Thom. dicit, quod inter Angelos in puris naturalibus conſtitutos, adhuc qui excellentius lumen haberet, illuminaret alium de naturalibus: igitur fatendum eſt, lumen inferioris Angeli non eſſe comprehenſivum totius entis naturalis, & ſic non eſſe comprehenſivum Angeli ſuperioris. Hæc ſecunda Conſ. Prob. quia prima patet ex tradita doctrina. Etenim authores oppoſiti dicunt, Angelum inferiorem comprehendere ſuperiorem, quia ex quo eſt complete intellectualis, eſt comprehenſivus totius entis naturalis; ſed hoc fundamentum deſtruitur, ſi ad cognoſcendã aliquam veritatem naturalem Angelus inferior indigeat illuminari à ſuperiori: ergo dum hoc conceditur, non reſtat fundamentum ad defendendum Angelum inferiorem comprehendere ſuperiorem.

903 Quarto ratione Prob. Concluſio. Tunc aliquod obiectum comprehẽ-

ditur , quando cognoſcitur ea excellentia; qua ab intrinſeco petit cognoſci; ſed Angelus inferior non cognoſcit ſuperiorem ea excellentia, qua petit cognoſci : ergo non comprehendit illum. Mai.eſt D.Thom.ſupra q. 14. ar.7. vbi ad comprehenſionem Dei requirit, quod cognoſcatur infinitum infinitè,quia tunc aliquod obiectum comprehenditur,quādo cognoſcitur ſicut exigit cognoſci : Deus autem exigit infinitè cognoſci, & ſic ad illius comprehenſionem requiritur , quod cognoſcatur infinitum infinitè.Mi.ſic oſtendo, Angelus ſuperior exigit cognoſci ſub tanta actualitate,ſub quanta ipſa eſt;ſed Angelus inferior cū in actualitate ſit inferior ſuperiori,nequit ſub tanta actualitate ſuperiorē cognoſcere,ſub quanta ſuperior eſt:ergo nequit illum cognoſcere , ſicut ipſe ab intrinſeco exigit cognoſci.

Dices , ad comprehenſionem non requiri,quod id,quod comprehenditur, cognoſcatur ſub tanta actualitate , ſub quanta ipſa eſt ex parte rationis *ſub qua*, ſed tātum ex parte rationis *qua*, hoc eſt , ſufficere ad comprehenſionem quod ex parte rei , *qua* cognoſcitur, omnis actualitas rei penetratiuè cognoſcatur,ſic,quod nihil illius lateat cognoſcentem;hoc autem poteſt competere inferiori Angelo reſpectiue ad ſuperiorem,& ſic poteſt inferior ſuperiorem comprehendere. Sed contra hoc eſt,nam attingibilitas obiecti ſub tanta, vel tanta actualitate obiectiva ex parte rationis *ſub qua*, obiectivè variat eſſentialiter formaliter obiecta intellectuum Angelorum , & conſtituit illa ſub tanta , vel tanta perfectione obiectiva:ergo attingere obiectum ſub tāta actualitate, ſub quanta eſt in ſeipſo,pertinet per ſe ad eius comprehenſionem.Ant. eſt certum ,nam idem Angelus attactus ſub omni actualitate , ſub qua in ſeipſo eſt,ſpecificat proprium intellectum,& idem Angelus ſub minori actualitate obiectiva attactus ſpecificat intellectum inferiorem , & attactus tantum ſub ea actualitate , quæ illi contingit ex ſolo gradu immaterialitatis, ſpecificat intellectum Angelicum vt ſic ſecundum rationem communem intellectus Angelici ; & tamen ex parte rationis *qua* ſemper tangitur eadem immaterialitas:ergo attingibilitas obiecti ſub tanta,vel tanta actualitate variat obiecta eſſentialiter, & conſtituit illa ſub determinata perfectione formali obiectiva.

Explico vim huius doctrinæ, illud dicitur comprehendi,quod non latet cognoſcentem ſub aliqua ratione obiectiva formaliter ſibi intrinſeca ; ſed Angelus ſuperior attactus ab inferiori latet inferiorem ſub ea actualitate obiectiva differentiali, ſub qua proprium intellectum formaliter ſpecificat,& per quam ad perfectionem tātæ immaterialitatis perducitur : ergo non comprehenditur ab Angelo inferiori.Prob. Mi.vere Angelus ſuperior ſeipſum ex parte obiecti cognoſcit ſub ea actualitate obiectiva,ſub qua ſui ipſius ſpecificativū eſt;ſed Angelus inferior ſuperiorem nequit attingere ſub ea actualitate obiectiva , ſub qua ſuperior ſeipſum cognoſcit: ergo Angelus ſuperior latet inferiorem ſub aliqua actualitate obiectiva,ſub qua formaliter,& ab intrinſeco petit cognoſci.Prob. etiam hoc ipſum duplici authoritate D. Tho. Etenim in 4. diſt.49 q.2,ar.3 ,dicit ; *Tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendi, quando cognitū ſtat ſub actu virtutis cognoſcitivæ,& non excedit ipſam*, & 2. Contrag.cap. 98 admittit hanc propoſitionem ex libro de cauſis , *intelligentia inferior cognoſcit ſuperiorem ſecūdum modum ſubſtantiæ cognoſcentis ,non ſecundum modum ſubſtantiæ cognitæ ; ſed inferiori modo*.Et libro de cauſis lectione 8. loquens de intelligentia dicit : *Quod ſuperiora cognoſcit ad modum ſubſtantiæ ſuæ inferiori modo, quam res ſuperior ſit in ſeipſa*:ergo ex D.Th. Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem:

904 Prob.quinto concluſio.Nam ſi Angelus inferior comprehenderet ſuperiorem , cognoſceret Deum ita perfecte ex parte rei cognitæ , vt cognitæ, ſicut ſuperior, imò ſicut ſupremus Deum cognoſcit; conſequens non eſt admittendum : ergo. Prob. Sequela , Angelus ſupremus tantò Deum cognoſcit, quantum cognoſci poteſt ex vi comprehenſionis propriæ ſubſtantiæ; ſed Angelus inferior comprehendit Angelum ſupremum:ergo in illo vt comprehenſo,tanto Deum cognoſcit, quanto ab Angelo ſupremo cognoſcitur.Prob.etiam Mi. quia ſi tantò cognoſceret Deum, tantò illum amaret amore naturali , & ſic tantò eum amaret amore ſupernaturali;nam iuxta D.Tho. menſura amoris Dei gratuiti penſatur penes menſuram amoris Dei naturalis.

(.i.)

****

***

Sol.

Digitized by Google

§. VIII.

Soluuntur Argumenta contra Concluſionem.

905 CONTRA concluſionem primò arguitur auctoritate D. Thom. ex 2. contrag. cap. 98. vbi loquens de Angelis, & de intellectualitate completa eorum ſic habet: *Ex hoc autem quod ſubſtantia aliqua eſt intellectualis, eſt comprehenſiva totius entis* (intellige naturalis) *unde cum ſubſtantia ſeparata per ſuam naturam non fiat actu comprehendens totum ens, ipſa in ſua ſubſtantia conſiderata eſt quaſi potentia ad ſimilitudines intelligibiles, quibus totum ens cognoſcitur* & cap. 99. ibi: *cum enim intellectus eorum* (loquitur de Angelis) *ſit perfectus naturali perfectione utpote totus in actu exiſtens, oportet, quod ſuum obiectum intelligibile univerſaliter comprehendat*: ergo Angelus inferior comprehendit ſuperiorē; nam cōprehendens ens ut ſic, cōprehendere debet omnia particularia entia ſub illo cōtenta; Angelus autē ſuperior ſub ente cōprehenditur. Ad hoc dico, quod in prima authoritate in verbis adductis nō loquitur de ſubſtātia intellectuali cōpleta, ſed de ſubſtātia intellectuali, cōprehendente omnē ſubſtantiā intellectualē tā Deū, quā animam, & Angelū, & ſic non cōcludit D. Th. de cognitione ſtricte cōprehēſiva, ſed de cognitione quidditativa, quæ etiā poteſt convenire animæ noſtræ in ſtatu ſeparationis: cū hoc tamē diſcrimine, quod anima eſt cognoſcitiva totius entis per plures ſpecies, Deus per vnā, & Angeli per plures, ſed pauciores quā anima. Similiter ad ſecundā auctoritatē dico, ibi nō eſſe loquutionem de rigoroſa comprehenſione, ſed loqui de cognitione quidditativa; neque enim ibi vult probare aliud, quam quod ſubſtantiæ ſeparatæ cognoſcant ſpecies rerum corporalium, quod probat ex eo, quod ipſæ continentur ſub ente, quod vniverſaliter comprehendunt ſubſtantiæ ſeparatæ, id eſt, cognoſcunt: vnde cum poſſet inferre, quod illas comprehendat, non intulit, niſi quod ſpecies rerum corporalium cognoſcit. Et certe hoc ipſum debent dicere adverſarij, nā ſi ſubſtātiæ ſeparatæ ſtrictè cōprehendunt ens intelligibile, cū ſub ipſo cōtineantur ſpecies, quæ ſunt in Angelo ſuperiori, debebunt pariter dicere, quod Angelus inferior, dū eas cognoſcit, eas ſtrictè comprehendat, nam quod, ſtrictè loquendo de cōprehenſione, vniverſaliter cōprehēdit ens intelligibile, etiā debet ſtrictè comprehēdere omnia, quæ in illo cōtinentur; quod dum negant, nō debent intelligere præfatā loquutionem de ſtricta comprehenſione.

906 Secundo, Arguunt ex alia doctrina D. Th. infra q. 109. ar. 3. ad 2. ibi: *Dicendum, quod ſecundum ea, quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non eſt neceſſaria manifeſtatio veritatis, nec in Angelis, neque in Dæmonibus, quia ſicut ſupra dictum eſt, ſtatim à principio ſuæ conditionis omnia noverunt, quæ ad naturalē cognitionē pertinent: & ideo maior plenitudo naturalis luminis, quæ eſt in Dæmonibus, non poteſt eſſe ratio illuminationis.* Ex quibus ſic formatur argumentum. Nullus Angelus, eſto infimus ſit, poteſt illuminari ab Angelo ſuperiori de his, quæ ad naturalem cognitionem pertinent: ergo fatēdum eſt, Angelum inferiorē cōprehendere ſuperiorē. Prob. Conſ. quia ſi nō cōprehēderet, poſſet de aliquib⁹ in eo cō[illegible] illuminari. Ad hoc, admitto auctoritatem D. Th. & ad argumentum ex illa formatum, nego Mai. D. enim Th. non dicit, quod Angelus inferior non poteſt illuminari de his, quæ ad naturalem cognitionē pertinent, ſed tātum dicit, quod de his nō eſt neceſſaria illuminatio, quia hæc nō fit de his, quæ ſine magiſtro illuminante ſciri quidditative poſſunt, ſed de his, quæ ſine illuminationis magiſterio penit⁹ ignorārentur: cū ergo Angeli ab initio acceperint lumē, & ſpecies, quibus ſine magiſtro poſsūt quidditative ſcire omnes veritates naturales; cū non eſt neceſſe, quod eas ſtricte cōprehendant, nō eſt neceſſaria illuminatio de eis, quāvis aliàs ſit poſsibilis.

907 Tertio ratione arguitur, ſecundum D. Auguſtinus in libro de vidēdo Deū ad Paulinam, ſive in Epiſtola 12. c. 9. tom. 2. tunc comprehēditur aliquod obiectum, quandò ita videtur totum, quod nihil illius latet videntem; ſed nihil Angeli ſuperioris, ſive eſſentiale, ſive proprium, ſive accidens connaturale illius latet Angelum inferiorem: igitur Angelus inferior comprehendit ſuperiorem. Prob. Min. eſſentia Angeli ſuperioris, proprietas, & accidentia eius connaturalia, ſive entitates ſint, ſive modi, omnia ſpectant ad hoc vniverſum; ſed Angelus inferior habet ſpecies omniū ad hoc vniverſum ſpectantiū: inſuper lumen illius proportionatum eſt ad cognoſcendum omnia, quæ per ſuas ſpecies repræſentari poſſunt, dummodo exiſtentia ſint, & dummodo libertatis dominio non ſubdantur: igitur Angelus inferior virtute naturali poteſt comprehendere ſuperiorem.

Sed inſtas, ſequi ex hoc quod neque Angelus cognoſcens ſe ipſum per propriã ſubſtantiam ſe ipſum comprehendat: Conſ. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, ipſa ſubſtantia Angelica Gabrielis v.g. ſub maiori actualitate comparatur ad Angelum ſuperiorem Gabriele, ac comparatur ad Gabrielem; ſed Gabriel nõ cognoſcit ſe ipſum vt ſubeſt tantæ actualitati, ſub quanta Angelus ſuperior attingit Gabrielẽ: ergo Gabriel iuxta noſtram doctrinã non comprehendet ſe, dum ſe per propriã ſubſtantiã cognoſcit. Ad hoc, nego ſequelam. Ad Prob. diſt. Mai. ſub maiori actualitate comparatur ad Angelũ ſuperiorẽ Gabriele, ac comparatur ad ipſum Gabrielẽ, exactivè, neg. Mai. per non repugnantiã, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque ſubſtantia Gabrielis in eſſe intelligibilis adæquatur omnimodè cũ ipſa intellectualitate Gabrielis: ad alias maiores, vel minores depurationes à materia metaphyſica ſe habet non repugnanter; vnde quamvis Gabriel ſe ipſum, dum cognoſcit, non tantum depuret, quantum Angelus ſuperior Gabriele depurat Gabrielem, dum illum cognoſcit; non inde ſequitur quod ſe ipſum non comprehendat, quia ſe cognoſcit ſub ea immaterialitate, ſub qua ab intrinſeco exigit cognoſci: etenim ad comprehenſionẽ ſufficit rem cognoſcere ſicut cognoſci exigit, nõ exigit cognoſci Gabriel ſub tanta actualitate, ſub qua illum cognoſcit Angelus ſuperior Gabriele, bene vero exigit cognoſci ſub tanta actualitate, ſub quanta Gabriel ſe cognoſcit, & ſic non ſequitur, quod Gabriel ſe non comprehendat.

908 Quarto arguitur, ſpecies, quam habet Angelus inferior repræſentat quidquid eſt in ſuperiori ſub tanta immaterialitate, ſub quanta ſuperior exigit cognoſci: ergo erit comprehenſiva ſuperioris. Conſ. eſt bona, & Ant. Prob. ſpecies, quam habet Angelus inferior repræſentat quidditativè, per nos, ipſum, & omnia, quæ ſunt in ipſo, & eſt ipſummet obiectum in eſſe repræſentativo: ergo eſt in tali genere ipſummet obiectũ ſub tanta immaterialitate, ſub quãta obiectũ ipſum exigit ab intrinſeco cognoſci. Prob. Conſ. nam ſi in eſſe repræſentativo non eſſet ipſummet obiectũ ſub tanta immaterialitate, ſub quanta obiectum in ſe ipſo eſt, non poſſet immediatè repræſentare illud ſicuti in ſe ipſo eſt; ſed repræſentat illud immediatè, ſicut eſt: igitur in eſſe repræſentativo eſt tantæ immaterialitatis, quantæ eſt obiectum in ſe ipſo. Hoc argumentum proponit, & ſolvit Gonet dicens; quod talis ſpecies eſt in eſſe repræſentativo tantæ immaterialitatis, quantæ eſt Angelus, qui per illam immediatè videtur; ſed negat hoc ſufficere, vt Angelus inferior comprehendat ſuperiorem, quia ad hoc requirebatur, quod etiam ſecundum eſſe diminutum, quod habet, tantæ immaterialitatis eſſet: quod non ita eſt, quia talis ſpecies, cum ſit connaturalis Angelo inferiori, & vnumquodque recipiatur ad modũ recipientis, & pariter limitetur per ſuum receptivum; non poteſt eſſe maioris immaterialitatis in eſſe entis, quã ſit ipſe Angelus inferior connaturaliter illam intelligens.

Hæc tamen doctrina difficilis apparet. Nam ſi talis ſpecies in genere repræſentativo eſt eiuſdem athomæ immaterialitatis cum obiecto; videtur, quod hoc ſufficiat, vt ſit obiecti comprehenſiva: quia ad hoc vt ſpecies ſit obiecti comprehenſiva, non requiritur; quod ſecundum eſſe diminutum ſit eiuſdem athomæ immaterialitatis. Quod ſic oſtendo, etenim ſpecies, qua Angelus ſuperior comprehendit inferiorem, non eſt eiuſdem athomæ immaterialitatis ſecundum ſuum eſſe diminutum. Nam Angelus eſt ſubſtantia, & ſpecies eſt in linea entis accidens; accidens autem non poteſt eſſe eiuſdem athomæ immaterialitatis cum ſubſtantia. Deinde eſſe ſpeciei eſt eſſe diminutum, & ſecundũ quid; eſſe Angeli inferioris eſt eſſe ſimpliciter: non ergo vt ſpecies ſit comprehenſiva, requiritur, quod in eſſe entis ſit eiuſdẽ athomæ immaterialitatis cũ re comprehenſa, ſed ſufficit, quód in eſſe repræſentativo ſit eiuſdem immaterialitatis cum obiecto, & in eſſe entis ſit in eodẽ gradu: cumque hoc concedat Gonet ſpeciei repræſentativæ Angeli ſuperioris reſidenti in mente Angeli inferioris, non debet negare talẽ ſpeciẽ, quantũ eſt ex ſe, non eſſe comprehenſivam Angeli ſuperioris. Deinde, ſi intellectus in eſſe intelligibili ſit ipſum obiectum ſub tanta immaterialitate, ſub quanta obiectũ in ſe ipſo eſt; neſcio, qua de cauſa non comprehendat obiectum, cum aliàs ex parte rei repræſentatæ ſit adæquatè ipſum obiectũ, in eſſe intelligibili? omnia enim alia, quæ requirit Gonet ad hoc vt intellectus inferioris vtens tali ſpecie comprehendat Angelum ſuperiorem, videntur voluntariè, & ſine fundamento dicta.

Digitized by Google

909 Secundo reſpondent alij Thomiſtæ, quod illa ſpecies, quantum eſt ex ſe, comprehensiva eſt obiecti: cæterum Angelus inferior non comprehendit per illam Angelum ſuperiorem, quia lumen Angeli inferioris non eſt tam cognoſcitivum, quantum Angelus ſuperior eſt exactivè cognoſcibilis: vnde Angelus vtitur tali ſpecie ad cognoſcendum quidditativè, non vero comprehensivè Angelum ſuperiorem. Sed hæc doctrina etiam eſt difficilis. Nam ſpecies connaturales alicui intellectui dantur iuxta proportionem luminis intellectivi: ergo intellectui non potenti comprehendere Angelum ſuperiorem non dabitur quasi connaturaliter debita ſpecies comprehensiva Angeli ſuperioris. Prob. Antec. etenim quia Angelus inferior nequit intelligere per ſpecies tam vniverſales, cum quibus poteſt intelligere Angelus ſuperior, non dantur Angelo inferiori ſpecies in repræſentando ita vniverſales, ſicut illæ, quæ dantur ſuperiori; ſed dantur vniverſales vniverſalitate commenſurata cum efficacia luminis inferioris: ergo quia Angelus inferior nequit comprehendere ſuperiorem, non dabitur ei connaturaliter ſpecies comprehensiva Angeli ſuperioris. Confirmatur, Angelo inferiori non dantur aliæ ſpecies repræſentativæ rerum naturalium, niſi quas eius lumen naturaliter exigit ad intelligendum; ſed ſi Angelus inferior nequeat comprehendere ſuperiorem, non exigit naturaliter ſpeciem comprehensivam eius: ergo falſum eſt aſſerere, quod Angelo inferiori detur connaturaliter ſpecies comprehensiva Angeli ſuperioris.

His ſolutionibus reiectis, aliter placet reſpondere ad Argumentum, neg. Antec. Ad Prob. nego Conſeq. Ad Prob. diſt. Mai. ſi in eſſe repræſentativo non eſſet ipſummet obiectum ſub tanta actualitate, ſub quanta in ſe ipſo eſt, non poſſet immediatè repræſentare illud, ſicut in ſe ipſo eſt, repræſentatione ab intrinſeco poſitivè exacta ab obiecto, conc. Mai. repræſentatione convenienti obiecto per non repugnantiam, nego Mai. & diſt. Min. repræſentat illud ſicut in ſe ipſo eſt, repræſentatione ad obiecto ab intrinſeco exacta, nego Min. repræſentatione convenientе obiecto ſolum per non repugnantiam, conc. Mai. & nego Conſequent. Itaque obiectum, prout in ſe ipſo phyſicè eſt, poteſt repræſentari, ſicut ab intrinſeco exigit; & tunc repræſentatur per ſpeciem tantæ actualitatis in repræſentando, quanta eſt actualitas obiecti in eſſendo; eſt etiam repræſentabile, prout in ſe ipſo eſt, non repræſentatione, quam ipſe ab intrinſeco exigit, ſed quæ ei non repugnat; & tunc non eſt neceſſe, quod repræſentans obiectum, ſicut in ſe ipſo eſt, ſit tantæ actualitatis, quantæ eſt obiectum in ſe ipſo, ſed poteſt contingere, quod ſit minoris actualitatis, & poteſt contingere quod ſit maioris: ſi primum, nõ repræſentabitur comprehenſivè; ſi ſecundum, tunc comprehenſivè repræſentabitur, quia tunc repræſentans, cum ſit maioris actualitatis obiecto repræſentato, repræſentabit obiectum ſuperexcedenter ad id, quod obiectũ exigit. Sic ergo ſpecies repræſentativa Angeli ſuperioris reſidens in Angelo inferiori, cum ſit eiuſdem actualitatis cũ intellectu Angeli inferioris, ob cuius miniſterium inſtituta eſt, repræſentat ſuperiorem, ſicuti in ſe ipſo eſt; non tamẽ ſub tanta actualitate, ſub quanta obiectum in ſe ipſo eſt, ſed ſolum ſub illa, quæ connaturaliter proportionatur cum lumine Angeli inferioris, & ſic non repræſentat comprehenſivè Angelum inferiorẽ, & ſic Angelus inferior nequit comprehendere illum. Nec hæc doctrina eſt alia ab ea, quæ cõmuniter traditur à Thomiſtis, quod videlicet res ſuperiores in intellectu inferiori exiſtentes ignobiliori modo ſunt, quã in ſe ipſis ſint; res inferiores in intellectu ſuperiori illis habent eſſe nobilius, quã in ſe ipſis; in intellectu autẽ æquali habent id, quod exigunt: res autẽ in intellectu nõ exiſtũt niſi per ſpecies impreſſas; ſtat ergo ſpeciẽ impreſſam eſſe ipſum obiectũ ſub maiori actualitate, quam ſit in ipſo, & ſub minori, & ſub æquali: vnde ſi ſit ſub minori non erit vt in comprehenſivè repræſentante, vtpote non adæquante merita obiecti.

§. IX.

Per quam ſpeciem Angelus ſingularia cognoſcat?

910 VT certum de fide tenendum eſt, Angelos ſingularia cognoſcere. Quod optime probat D. Th. hic, q. 57. art. 2. contra aliquos, qui totaliter ſubtraxerunt Angelis ſingularium cognitionẽ. Fides Catholica docet, hæc inferiora adminiſtrari per Angelos, ſic ad Hebreos 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt*

ſa-

ſalutis; ſi autem ſingularium notitiam non haberent, nullam providentiam habere poſſent de his, quæ in hoc mundo aguntur, cum actus ſingularium ſint: quod eſt contra illud Eccleſiaſt. 5. *Ne dicas coram Angelo, nõ eſt providentia.* Quod etiam derogat Philoſophiæ documẽtis, quibus inſtruimur, quod Angeli ſunt cœleſtium orbium motores, & quod eos movent per intellectũ, & voluntatem ergo cognoſcendo eos: illi autem ſingulares ſunt: ergo iuxta bonam philoſophiam aſſerendum eſt, Angelos cognoſcere ſingularia. Secundo etiam eſt certũ, Angelos non cognoſcere ſingularia ſolũ cognoſcendo cauſas vniverſales eorũ, ſicut poſuit Avicena, dicens; Angelos cognoſcere ſingularia cognoſcendo vniverſales cauſas. Quod falſum eſſe probat D. Thom. dicens: *Sed hæc poſitio prædicta inconvenientia non evadit, quia ſic cognoſcere ſingularia in cauſis vniverſalibus non eſt cognoſcere ipſa vt ſingularia, prout hic, & nunc ſunt. Aſtrologus enim cognoſcens ecclypſim futuram per computationem cœleſtium motuum, ſcit eam in vniverſali, & non prout eſt hic, & nunc, niſi per ſenſum accipiat; adminiſtratio autẽ, & providẽtia, & motus ſunt ſingularium, pro hic, & nunc; poſitio ergo Avicenæ negat Angelicam providentiam circa ſingularia.*

Et ſi inſtes, Antec. eſſe falſum, quia Aſtrologus ſciens rectè computare motus Aſtrorum, ſciet non ſolum ecclypſim quandoque eſſe, ſed etiam ſciet eſſe tali hora, tali minuto, & in tali loco: ergo ſciet ecclypſim, vt hic, & nunc. Prob. Ant. nam ecclypſis, etiam vt in ſingulari habet eſſe determinatũ in cauſis ſuis quoad omnes conditiones individuantes eius, quæ non poſſunt aliter ſe habere: ergo Aſtrologus ſciens rectè computare motus Aſtrorum, ſciet non ſolum ecclypſim aliquando eſſe, ſed ſciet illam, prout hic, & nunc. Reſpõdeo, Aſtrologum ſolum vtendo cauſis vniverſalibus, ſolum poſſe habere ſcientiam de vniverſalibus, non vero de ſingulari; vt enim de ſingulari concludat, eſt neceſſe, quod ſubſumat Minorem de ſingulari; nec enim poteſt concludere ecclypſim tali minuto, & & loco futuram, niſi ſciat modò Solem in tali reperiri ſigno, & Lunã in tali, & quod à tali ſigno ad tale tantum temporis conſummatur: non ergo in cauſis vniverſalibus cognoſcit ecclypſim in ſingulari futuram, ſed indiget principia vniverſalia applicare ſingularibus, vt inde cõcludat de ecclypſi in ſingulari.

His ergo præſuppoſitis, difficultas eſt in eo, per quam ſpeciem impreſſam Angeli cognoſcant ſingularia, & omnia eorum accidentia. In quo puncto elucidando, Scotus in 2. diſt. 3. q. vltim. & diſt. 9 q. 2. negat Angelum per eandem ſpeciẽ, qua cognoſcit naturam communẽ, cognoſcere directè eius ſingularia. S. Bonaventura id concedit; ſed negat per eandem ſpeciem cognoſci accidentia ſingularium, ſed ad illa cognoſcenda requiri alias ſpecies. S. autem Thomas, & eius diſcipuli affirmant per ſpeciem repræſentantem Angelo naturam communem, directè cognoſcere ſingularia, & omnia accidentia eius. Ita tenet hic, quæſt. 57. art. 2.

911 Sit Concluſio. Angelus directè cognoſcit ſingularia, & eorum accidentia per eandem ſpeciem, per quam cognoſcit naturã ſpecificam. Quod directè Angelus cognoſcat ſingularia, probat D. Th. hic q. 57. art. 2 ex eo, quod quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus ſunt adunata; ſed homo inferior Angelo per ſenſum directè attingit ſingulare, & per intellectũ directè attingit vniverſale: igitur Angelus per ſolum intellectũ attinget directè vniverſale, & ſingulare. Hæc tamen ratio videtur difficilis propter illam Maiorem propoſitionem, *quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus ſunt adunata*. Nam vel illa propoſio facit ſenſum, quod ea, quæ formaliter reperiuntur in inferioribus cũ diviſione inter ſe, in ſuperioribus etiam formaliter reperiantur, ſed adunate; id eſt, ſine tali diviſione; vel ſit ſenſus, quod talia inferiora ſolum eminenter reperiantur in ſuperiori, ſicut inferiora ſublunaria eminenter præcontinẽtur in Sole. Si hoc ſecundũ dicatur, propoſitio eſt vera, ſed ex ea non concluditur, quod intellectus Angelicus formaliter cognoſcat directè vniverſale, & ſingulare, quia homo per intellectũ directè cognoſcit vniverſale, & per ſenſum directè cognoſcit ſingulare. Nã intellectus noſter eminenter continet ſenſum, nec tamen ex hoc licet inferre, quod ſi ſenſus directè cognoſcit ſingulare, etiã intellectus noſter directè ſingulare cognoſcat: ergo etiã ſi intellectus Angelicus ſit ſuperior homine, nõ concludetur, quod directè cognoſcat vniverſale, & ſingulare. Si dicatur primũ; propoſitio illa eſt falſa. Nã ſupra vidimus, quod nulla creatura poteſt ſecũ adunare differentias rerum inferiorum; adunaret autem ſibi eas, ſi ea, quæ formaliter inveniuntur in infe-

Digitized by Google

& diſt. Conſ. reducetur ad ſubſtantiam Angeli tanquam ad ſpeciem impreſſam Dei, nego Conſ. Angeli cogniti, conc. Conſeq. Pono exemplum, vt hoc explicem. Non poteſt intellectus pervenire ad ſcientiam concluſionum, niſi ſimplici intuitu cognoſcat principia, in quibus, & ex quibus concluſiones cognoſcit: ergo ſimplex intuitus cauſat ſcientiam: iſta diſtinguitur; ſimplex intuitus cauſat ſcientiam, vt ſimplex intuitus concluſionum, nego ſuppoſitū, vt ſimplex intuitus principiorum, conc. Conſ. Et ſimiliter iſta; ergo ſcientia reducitur ad ſimplicem intuitum, debet diſtingui: ad ſimplicem intuitum concluſionum ſcibilium, nego ſuppoſitum, ad ſimplicem intuitum principiorum, conc. Conſ. Sic ſimiliter, niſi eſſentia Angeli ſit ſpecies impreſſa reſpectu Angeli cogniti per illam, nequit Deus cognoſci in Angelo *vt quod* cognito: ergo cognitio, vt Dei eſt, reducitur ad eſſentiam Angeli, vt ſpecies impreſſa eſt, diſt. Conſ. vt eſt ſpecies impreſſa Angeli, concedo Conſ. Dei, nego ſuppoſitum. Et ratio horum eſt, quia ſicut formalitas ſimplicis intuitus finitur per cognitionem principiorum, & incipit nova formalitas ſcientiæ ab hoc, quod eſt cognoſcere concluſiones in principijs, & ex principijs; ita formalitas ſpeciei impreſſæ propriè dictæ finitur in hoc, quod eſt eſſe id, *quo* Angelus cognoſcitur, & ſic formalitas vt *in quo* Deus cognoſcitur, eſt nova, & diſtincta, nempe ſpeciei obiectivæ, non impreſſæ: vnde verum eſt, quod cognitio Dei in Angelo cognito reducitur ad ſubſtantiam vt ad ſpeciem intelligibilem, nō Dei, ſed Angeli; quia Deus non cognoſcitur illa, ſed in illa.

Ad ſecundam confirm. diſt. Ant. quæ ſit principium immediatum, vel mediatū cognitionis eius, quod cognoſcitur, vt ſpecies impreſſa tam illius, quod illa cognoſcitur, quam illius, quod ſolum in illa cognita, cognoſcitur, neg. Ant. vt ſpecies impreſſa illius, quod illa cognoſcitur, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque, vt iam dixi, vt Angelus aliquid cognoſcat in ſua eſſentia vt cognita, ſufficit, quod ſubſtantia ſua ſit ſpecies impreſſa Angeli, qui illa cognoſcitur, non vero requiritur, quod ſit ſpecies impreſſa illius, quod ſolum in illa *vt quod* cognita, cognoſcitur: cum ergo Deus non cognoſcatur per ſubſtantiam Angeli, vt prævenit ſui cognitionē, ſed ſolum vt cognita; ſub qua ratione propriè ſpecies impreſſa non eſt, fit inde, quod non cognoſcatur per ſubſtantiam Angeli, vt propriè ſpecies impreſſa Dei eſt.

895 Secundo inſtabis principaliter, probando quod Angeli non cognoſcāt Deum ſecundario per ſuam ſubſtantiam. Etenim ſi vnuſquiſque Angelus ſolum ſecundariò per ſuam ſubſtantiam Deum cognoſceret; inde ſequeretur, cognitiones Dei in illis diſtingui ſpecie, iuxta diſtinctionem propriæ ſubſtantiæ; Conſeq. non poteſt admitti: ergo. Sequela patet, nam cognitiones propriæ ſubſtantiæ diſtinguuntur ſpecie iuxta diſtinctionem ſpecificam ſubſtantiarum cognitarum: ergo cum cognitio, qua Angelus Deum cognoſceret, nō eſſet alia, niſi ea, qua primariò ſeipſum videret, eſſet neceſſe, quod ad diſtinctionem ſpecificam cognitionis propriè ſubſtantiæ, ſpecie diſtingueretur cognitio Dei. Min. vero Prob. nam in cognitione Dei ſtat beatitudo naturalis Angelorum; ſed in beatitudine naturali nequeunt Angeli differre ſpecie: ergo cognitiones, quibus Deum Angeli cognoſcunt, nequeunt diſtingui ſpecie. Prob. Min. nam in beatitudine ſupernaturali nequeunt Angeli differre ſpecie: ergo neque in beatitudine naturali poterunt diſtingui ſpecie.

Ad hoc, nego Min. ad Prob. nego Mi. ad Prob. nego Conſ. Itaque beatitudo naturalis Angelorum, cum nō ſit circa Deum immediate, quia immediata cognitio Dei naturalis implicat, debet eſſe circa Deū mediate, & ſecundariò; & ſic diſtingui debet ſpecie iuxta diſtinctionem ſpecificam obiecti primariò cogniti, quod eſt ipſamet Angeli ſubſtantia; quia cognitiones ad diverſitatem ſpecificam primarij obiecti habent quoque ſpecificè diſtingui: non ſic philoſophandum de beatitudine ſupernaturali, quę cum ſit Dei immediata cognitio, per ipſum Deum vnitum per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, & per lumen gloriæ eiuſdem ſpeciei in omnibus, eſt neceſſe, quod ſit in omnibus beatis eiuſdem ſpeciei, & ſic non eſt paritas.

§. VI.

Vtrum Angelus per propriam ſubſtantiam cognoſcat omnia accidentia eius?

896 DE Accidentibus Angeli intrinſecis dupliciter loqui poſſum. Primò de accidētibus, quæ ſunt veræ proprietates eius; ſecūdo

Digitized by Google

do de accidẽtibus cõmunibus, quæ poſſunt convenire, & non convenire Angelo abſque eius corruptione, quæ etiam dividuntur in accidentia ordinis naturæ, & ordinis gratiæ. Et quidem de his vltimis nulli eſt dubium, quod non cognoſcuntur ab Angelo per propriam ſubſtantiam, quia cognitio eorum ſupernaturalis eſt, & cognitio, qua Angelus cognoſcit ſe, eſt naturalis: eſt autẽ difficultas de accidentibus ordinis naturæ, quia cum Angelus vna cognitione, qua ſe per ſuam ſubſtantiam cognoſcit, ſe comprehendat, videtur quod illa cognitione tãgat omnia naturalia, quæ actu inſunt illi, ſive propria, ſive communia, ſive naturalia, ſive libera, omnium enim illorum cognitionẽ requirit perfecta comprehenſio, cum de illius conceptu ſit, quod nihil rei comprehẽſæ lateat cognoſcentem.

Dico ergo, neceſſe eſt quod Angelus per ſuam ſubſtantiam cognoſcat omnia accidentia, quæ ſunt veræ proprietates eius; non vero eſt neceſſe, quod per ſuam ſubſtantiam cognoſcat omnia accidentia cõmunia eius. Prima pars Prob. nam Angelus cognoſcit proprietates ſuas in ipſa radice proprietatum; ſed ſubſtantia Angelica eſt radix ſuarum proprietatum: igitur in illa, & per illam cognoſcit ſuas proprietates. Præterea, cognitio, quam habet Angelus de ſeipſo per propriam ſubſtãtiam, eſt cognitio comprehenſiva ſui: ergo ſubſtantia Angeli repræſentat Angelo ſeipſam cũ omni proprietate ſua. Patet Conſ. nam ſpecies comprehenſiva, qua Angelus Gabriel cõprehendit Raphaelem, v.g. repræſentat Gabrieli eſſentiam Raphaelis, & proprietates eius: ergo ſi Angelus per ſuam ſubſtantiam comprehendit ſe, per ſuam ſubſtantiã cognoſcit ſe, & propria accidentia eius.

Secunda pars concluſionis Prob. quia per ſuam ſubſtãtiam Angelus ſolum poteſt perfecte cognoſcere ea, quorum propria ſubſtantia cauſa adæquata eſt; ſed reſpectu accidentium communium ſubſtantia Angeli cauſa adæquata non eſt: igitur per eam non cognoſcit accidentia ſibi communia. Prob. Min. nam ſubſtantia Angeli ad accidentia communia tantum comparatur per modum cauſæ materialis recipientis, & ſuſtentantis illa, & ſi ad aliqua accidentia, qualia ſunt propriæ operationes intellectus, & voluntatis, etiam in genere cauſæ efficientis comparatur, non tamen eſt earum cauſa adæquata; nam cognitiones aliorum obiectorum à ſe Angelus elicit determinatus per ſpecies infuſas eorum: ſpecies autem infuſæ non radicantur in ſubſtantia Angelica, vt ſupra vidimus: non ergo reſpectu talium operationum Angeli ſubſtantia cauſa adæquata erit.

897 Inſtas contra hoc. Angelus per ſuam ſubſtantiam ſic perfecte comprehendit ſe, ſicut & per ſpeciem infuſam alterius Angeli perfecte comprehendit illum; ſed Angelus comprehendens alium, ſic perfecte illum cognoſcit, quòd per eandẽ ſpeciem cognoſcat eius ſubſtantiam, accidentia propria, & communia eius: igitur per ſuam ſubſtantiam ſic perfecte comprehendet ſe, quod per illam cognoſcat ſuam ſubſtantiam, propria, & communia eius accidentia. Ad hoc, diſt. Mai. ſic perfecte comprehendit ſe, ſicut & per ſpeciem infuſam cognoſcit comprehenſive alium à ſe, quantum ad ea, quæ per ſe requiruntur ad comprehenſionem, conc. Ma. quantum ad alia, quorum cognitio per ſe non exigitur ad comprehenſionem, nego Mai. & dato trãſ. ad Min. nego Conſ. Itaque ad perfectam rei cognitionem comprehenſivã ſufficit cognoſcere vna indiviſibili cognitione eſſentiam, & proprietates rei, quæ in ipſa radicantur, & tanquam in cauſa adæquata ſuſ præhabentur; cognoſcere autem alia, quæ accidentaliter rei conveniunt, nõ per ſe requiritur ad comprehenſionem: Angelus ergo per ſuam ſubſtantiam comprehendit ſeipſum, quantum ad cognitionem ſuæ ſubſtantiæ, & proprietatum eius: quia autem eius ſubſtantia non eſt ſpecies impreſſa accidentium communium eius, nec alia præcontinentur in ea tanquam in cauſa adæquata, fit inde, quod per ſuam ſubſtantiam accidentia propria, & communia non cognoſcat: ſpecies autem infuſa repræſentans illi alium Angelum, eſt ſpecies impreſſa repræſentans ſubſtantiam, propria, & communia accidentia, & ideo Angelus illum cognoſcẽs per dictam ſpeciem omnia, quæ ſunt in illo cognoſcit, ſive propria, ſive cõmunia accidentia eius ſint.

Hinc infero, Angelum per ſuam ſubſtãtiam cognoſcere propriam cognitionẽ, qua ſe comprehendit, & verbũ, quod cognoſcendo ſe, format, & amorem, quo ſe, & Deum amat: quia omnia iſta in ipſa Angeli ſubſtantia cauſam adæquatam habent, & ſi operationes propriæ ſint. Infero ſecundo, non cognoſcere ſpecies infuſas, quæ illi inhærent; quia reſpectu harum tantum ſe habet vt cauſa materialis recipiens, & ſuſtentans

Digitized by Google

tans illas quòd non ſufficit, vt perfectam notitiam de eis Angelus habeat.

898 Sed inſtas contra hoc, nam ſi ſpecies aliorum à ſe Angelus non cognoſcit per ſuam ſubſtantiam, erit neceſſe, vt vnicuique Angelo aliqua conſignetur ſpecies, per quam omnes ſpecies ſibi inhærentes cognoſcat; ſed hoc non videtur dicendum: ergo. Reſp. neg. Mai. hoc enim ipſo quod ſpecies infuſæ ſunt rationes formales cognoſcendi alia à ſe, ſibi ipſis ſufficiunt ad hoc, vt intellectus, cui inhærent, illas cognoſcat; ſicut dicunt ſummuliſtæ, quod intellectus cognoſcens hominem per ſuam ſpeciem impreſſam, per ipſammet, illam, & cognitionem eius cognoſcit, quia cum immaterialis ſit, & intra intellectum exiſtat, poteſt ſufficienter determinare intellectum ad ſui cognitionem. Sed difficultas eſt de verbo, quo propriam ſubſtantiam cognoſcit, vtrum ad eius cognitionem alio verbo indigeat? Reſpondeo, quod non, quia dum verbũ, quod ad cognoſcẽdã propriã ſubſtãtiã format, in ipſa ſubſtãtia cauſã adæquatã habeat, dum eſt ratio formalis cognoſcendi primariò propriam ſubſtantiam, eſt ratio formalis cognoſcendi ſecundariò ſe ipſum, vt aliquid propriæ ſubſtantiæ. Et ſi inſtes, quod tale verbum eſt accidens commune Angeli; ſed diximus accidentia communia non cognoſcere Angelum per propriam ſubſtantiam: ergo nec cognoſcet Angelus verbum, quod ad cognoſcendum ſe format, per ſuam ſubſtantiam. Secundo inſtas, quia ſummuliſtæ ad cognoſcendum conceptum directum requirunt conceptum novum reflexum: ergo ſimiliter Angelus ad cognoſcendum conceptum, quo directe propriam ſubſtantiam cognoſcit, indigebit formare novum conceptum. Reſp. ad Primam, diſt. Mai. eſt accidens commune Angeli, habens in ipſa ſubſtantia ſui cauſam adæquatam, conc. Mai. non habens, nego Mai. & diſt. Min. diximus, &c. loquendo de accidentibus communibus, quæ non habent in ipſa Angeli ſubſtantia cauſam adæquatã, conc. Min. loquendo de his, quæ cauſam adæquatam habent in propria ſubſtantia, nego Mi. & Conſ. Itaque dictum noſtrum non ſe extendit niſi ab ea, quæ ſe extendit ratio, qua probavimus illud; hæc autem tantum probat de accidenti communi non habens cauſam adæquatam in propria ſubſtantia, & ſic de illis probat, non vero de verbo, quo propria ſubſtantia per ſe primò cognoſcitur, quia ad hoc formandum, ſubſtantia Angeli ſufficit; nam ipſa eſt radicaliter intellectiva, & ſpecies intelligibilis ſui ad propriam cognitionem. Ad ſecũdam dico, doctrinam illam ſummuliſtarum eſſe veram, quando conceptus directus cognoſcitur per ſe, & ratione ſui, non vero quando ſolum cognoſcitur ſecundariò ad cognitionem alterius, in quo ſui cauſam habet adæquatam.

§. VII.

Vtrum Angelus inferior vi ſua naturali comprehendat ſuperiorem?

899 QVÆSITVM Supponit vt certũ apud Theologos, Angelos inferiores cognoſcere intuitive, & quidditative ſuperiores, quia cuilibet Angelo, vt ſupra diximus, ab inſtanti ſuæ conditionis datæ ſunt ſpecies repræſentativæ omnium rerum naturalium actu exiſtentium in vniverſo ſecundum proprias differentias, individuationes, & modos vnicuique rei cõvenientes: ergo, cum Angeli ſuperiores de facto exiſtant in vniverſo, poterunt ab inferioribus intuitive, & quidditative cognoſci; nam cognitio intuitiva eſt, ex quò ad rem vt in ſeipſa exiſtentem terminatur, & quidditativa eſt, ſecundum quod eam per propriam differentiam, per quam à qualibet alia, quæ non eſt ipſa, cognoſcitur. Suppono ſecundò, Angelos ſuperiores comprehendere inferiores, quod etiam eſt certum. Nam Angeli inferiores ſeipſos comprehendunt: ergo cum vires intellectivæ ſuperiorum efficaciores ſint viribus intellectivis inferiorum, à fortiori fatendum erit, ſuperiores Angelos comprehendere ſibi inferiores. Suppono tertio, nomine *comprehenſionis* non intelligi eam cognitionem, per quam cognoſcuntur omnia, quæ actualiter conveniunt Angelo ſuperiori, ſive neceſſariò, ſivè liberè illi conveniant; nam ſic loquendo de comprehenſione, adhuc ſuperiores vi ſola naturali non comprehendunt inferiores: vnde multo certius erit inferiores non comprehendere ſuperiores. Suppono quarto, quod ſi nomine *comprehenſionis* intelligatur cognitio attingens obiectum ex parte rationis *ſub qua* activè & obiectivè, ſub qua obiectũ ab intrinſeco exigit attingi, Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem, quod ſit evidens hac ratione. Nam Angelus ſuperior ab intrinſeco exigit attingi ſub ea

Im-

Digitized by Google

immaterialitate, qua gaudet; ſed ſub illa cum attingere nequit inferior: ergo. Prob. Min. nam inferior non eſt tantæ immaterialitatis, quantę Angelus ſuperior, nec eius intellectus ita recedit à potentialitate, & accedit ad diuinam actualitatem ſicut Angelus ſuperior: ergo Angelus inferior nequit attingere ſuperiorem ſub ea immaterialitate, qua gaudet ſuperior, & ſic, ſi ad comprehenſionem ſuperioris requiritur illum attingere ſub ea immaterialitate, ſub qua ab intrinſeco exigit cognoſci, Angelus inferior non comprehendet ſuperiorem. Præterea, eſto ens vt ſic ſit obiectum ſpecificatiuum cuiuſcumque Angelici intellectus, non tamen ſub æquali immaterialitate, & depuratione à potentialitate ſpecificat quemcumque intellectum Angelicum, quandoquidem intellectus Angelici ſpecie variantur penes hoc, quod eſt attingere ens ſub maiori, vel minori immaterialitate: cum ergo Angelus ſuperior ſit obiectum connaturale ſui ipſius, exiget ab intrinſeco attingi ſub ea immaterialitate, ſub qua ens ſpecificat proprium intellectum; at immaterialitas ſpecificãs intellectum inferiorem eſt minor illa, quæ ſpecificat intellectum ſuperiorem: ergo Angelus ſuperior nequibit attingi ab inferiori ſub ea immaterialitate, ſub qua ab intrinſeco eſt cognoſcibilis: ſi ergo ad comprehenſionem requiritur, quod comprehendens rem comprehenſam attingat ſub tanta immaterialitate, ſub qua ipſa ab intrinſeco eſt cognoſcibilis, Angelus inferior non comprehendet ſuperiorem.

Punctus ergo præſentis difficultatis, ad id meo videri reducitur, vtrum Angelus inferior ſuperiorem ſic cognoſcat, quod nihil Angeli ſuperioris tam formaliter, quã virtualiter in eo præcontentum naturaliter, & non liberè lateat inferiorem? ſi enim hoc detur, Angelus inferior comprehendet ſuperiorē; ſi autē Angelus ſuperior aliquid naturaliter ei conueniens habeat, quod lateat inferiorem, inferior non comprehendet ſuperiorem. In quo puncto elucidando duplex eſt Theologorum ſententia. Prima affirmat inferiorem comprehendere ſuperiorem. Hanc tenent Ferrara 2. Contragi cap.98. Bañez hic q.56.ar.2. Albelda hic, diſp.25.ſect.3. Araujo hic ar.3.dub.3. Salmanticenſ. hic diſp.6.dub.3. Molina in cõmentario eiuſdem ar. & Vazquez. Secunda ſententia negat inferiorem comprehendere ſuperiorem. Hanc tenent Caietanus infra queſt.89.ar.2.§.*vbi aduerte.* Zumel hic; Nazarius hic Controv.2. Ioannes à S.Th. hic diſp.22.a.1. Serra hic q.56.ar.1. & Gonet hic diſp.7.ar.2.dicto primo.

900 Sit concluſio. Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem. Non habemus hanc concluſionem vt euidenter certam, ſed eligimus vt probabiliorem in via D.Tho. Prob. ergo concluſio ex doctrina D.Tho.q.16.de malo ar.8. ibi: *Vnuſquiſque intellectus aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, & aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles inferioris, nam ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus ſunt vniuerſaliores, & ideo non poſſunt comprehendi per ſpecies intelligibiles inferioris intellectus, & ideo inferior intellectus non poteſt eas perfectè cognoſcere: poteſt autem eas perfectè cognoſcere, qua ſunt in intellectu inferiori tanquam magis particulares, & ſecundum ſuas vniuerſaliores ſpecies poteſt de eis diiudicare.* Ex quibus ſit argumentum. Species, quæ ſunt in Angelo inferiori repræſentatiuæ ſpecierum, quæ ſunt in Angelo ſuperiori, nequeunt illas repræſentare comprehenſiue; inſuper Angelus inferior nequit perfectè per ſpecies, quas apud ſe habet, cognoſcere ſpecies, quæ ſunt in Angelo ſuperiori: igitur nequit comprehendere ſuperiorem ea comprehenſione, qua nihil ſuperioris lateat inferiorem. Patet Conſeq. quia ad hoc genus comprehenſionis requiritur, quod nihil obiecti cognoſcibilis lateat cognoſcẽtem; ſed hoc ipſo quod inferior nequeat perfectè cognoſcere ſpecies, quæ ſunt in intellectu ſuperioris, iam aliquid huius lateret inferiorem: igitur non comprehenderet ſuperiorem.

Reſpondet Araujo, D.Th. nomine *intellectus inferioris* non comprehendere intellectum Angeli inferioris, ſed tantum intellectum humanum, qui adhuc non attingit ad gradum completæ intellectualitatis: vnde ſenſus verborum D.Thom. ſolum eſt, quod intellectus humanus non poteſt naturaliter cognoſcere per ſpecies, quæ ſunt in intellectu Angelico, bene tamen Angelicus per ſpecies ſuas poteſt comprehendere ſpecies magis particulares exiſtentes in humano intellectu. Quam ſolutionem probat ex contextu, videlicet; *& ſecundum hoc cum intellectus Angelicus ſit ſuperior ordine naturæ noſtro intellectu poſſunt Angeli boni, vel mali ſpecies in anima noſtra exiſtentes cognoſcere;* nomine ergo *intellectus inferioris* intelligit humanum, non vero intellectum Angeli inferioris. Sic Araujo.

Ve-

Digitized by Google

Verum non loquitur ad mentem D. Thomæ. Nam D. Tho. primò traddit doctrinam communem de omni intellectu ſuperiori, & inferiori, & deinde illam applicat ad intellectum Angelicum, qui ſuperior eſt humano intellectu: quaſi formet hunc ſyllogiſmum. Vnuſquiſque intellectus aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, & aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles inferioris intellectus, nā cū illius ſpecies vniverſaliores ſint, & iſtius magis particulares, nequit per ſpecies inferioris intellectus comprehendere ſpecies ſuperioris, bene vero per ſpecies ſuperioris comprehendere poteſt ſpecies inferioris; ſed ſic eſt, quod intellectus Angelicus ſuperior eſt intellectu noſtro: ergo per ſpecies, quas apud ſe habet, poterit comprehendere ſpecies, quæ ſunt in noſtro intellectu, non vero intellectus noſter per ſpecies ſuas poterit comprehendere ſpecies, quæ ſunt in intellectu Angeli. In quo ſyllogiſmo Maior propoſitio importat doctrinam vniverſalē pro omni intellectu, ſive Angelico, ſive humano, & deinde ſubſumit Min. de intellectu humano, de quo concludit juxta bonas ſummulas: noſtra ergo ratio aſſumit doctrinam, quam habet D. Th. in Maiori, & ex illa concludit juxta D. Th. Angelum inferiorem non comprehendere ſpecies ſuperioris; vnde quod concludat D. Th. de intellectu humano non enervat vim noſtræ rationis.

Secundo reſp. Salmanticenſes rationi noſtræ, concedendo D. Th. loqui de intellectu inferiori Angelico, & humano, & negando ſequi ex hoc, quod inferior Angelus per ſpecies ſuas non poſſit comprehendere ſpecies intelligibiles ſuperioris, & quod inferior Angelus nequeat comprehendere ſuperiorem, quia ad comprehenſionem ſuperioris non requiritur, quod eius ſpecies intelligibiles comprehendantur, ſed ſufficere, quod comprehendantur ea omnia, quæ ex vi ſubſtantiæ Angelicæ ſuperioris cognoſci poſſunt; hæc autem non ſunt ſpecies intelligibiles in eius intellectu exiſtentes, & ſic non requiritur ad comprehenſionem Angeli ſuperioris, quod inferior eius ſpecies intelligibiles cognoſcat. Sed contra ſolutionem inſto. Nam dum ſolutio admittit ſpecies Angeli inferioris non eſſe comprehenſivas ſpecierum Angeli ſuperioris, debet admittere etiam quod ſola convenientia in gradu immaterialitatis, quam habet inferior cum ſuperiori, nō ſufficiat ad hoc, vt cōprehēdat ſuperiorem, & ſic deſtruit fundamentum vnicum comprehenſionis inferioris ad ſuperiorē. Prob. aſſumptum, ſpecies intelligibilis reſidens in intellectu Angeli inferioris eſt in eodē gradu immaterialitatis cum ſpeciebus Angeli ſuperioris, & hoc non obſtante illa non eſt comprehenſiva ſpecierum intelligibilium Angeli ſuperioris: ergo eſto inferior ſit in eodē gradu immaterialitatis cum ſuperiori non comprehendet illum.

Dices, tunc ſufficere convenientiam in gradu immaterialitatis ad comprehenſionem, quando ſuperius cognoſcibile poteſt cognoſci per vnam ſpeciem, ſicut ſuperior cognoſcitur ab inferiori Angelo, non vero quando ſuperius cognoſcibile per vnā ſolam ſpeciem inferioris nequit adæquatè cognoſci: vnde cum ſpecies intelligibiles Angeli ſuperioris, ob ſui vniverſalitatem in repræſentando, nequeant cognoſci per vnam ſpeciem inferioris, quę eſt magis particularis, & limitata, nō ſequitur deſtructio fundamēti ſententię oppoſitæ ex hoc, quod ſpecies intelligibiles Angeli inferioris nequeant comprehendere ſpecies intelligibiles Angeli ſuperioris, cum tamen in eodē gradu immaterialitatis cum illa ſint. Sed contra eſt, nam intellectus ſupremi Angeli non minus excedit intellectum Angeli infimi, quam ſpecies vniverſi, quæ reſidet in Angelo ſupremo, excedat ſpeciem, quæ eſt in intellectu infimi; ſunt enim eiuſdē athomæ immaterialitatis ſpecies intelligibilis vniverſi repræſentativa, & intellectus ipſius Angeli ſupremi: ſpecies infimi Angeli, & intellectus, qui connaturaliter ea vtitur, & tamen propter convenientiam in gradu immaterialitatis poteſt intellectus infimi Angeli comprehendere ſupremum: ergo pariter propter convenientiam in gradu immaterialitatis, quā habet ſpecies vniverſi reſidens in intellectu ſupremi Angeli cum ſpecie repræſentativa eius reſidente in intellectu infimi, poterit hæc illam comprehendere, vel ſi non poteſt, non poterit etiam intellectus infimi Angeli ob ſolam convenientiam in gradu immaterialitatis, quam habet cum intellectu ſupremi, illum comprehendere. Confirm. ſpecies ſupremi Angeli, qua cognoſcit vniverſum, eſt vna indiviſibilis entitas creata: ergo eſt repræſentabilis per vnam ſpeciem exiſtentem in Angelo infimo. Patet Conſeq. nam ſpecies vna, quæ eſſet in infimo, eſſet eiuſdem immaterialitatis gradualis cum illa, quæ eſt in in-

ſupremo; ſed hanc convenientiam ſolum deſiderat ſpecies, vt ſui obiecti comprehenſiva ſit: ergo vt hi Patres conſequenter ad ſua principia loquantur, debent fateri, ſpeciem reſidentem in intellectu infimi repræſentantem ſpeciem ſupremi, eſſe eius comprehenſivam: vel ſi hoc negant, debet quoque negare, quod convenientia in ſolo gradu immaterialitatis ſufficiat vt Angelus inferior comprehendat ſuperiorem.

901 Secundo Prob. Concluſio alia authoritate D. Tho. Infra q. 106. art. 1. ad 2. ibi: *Vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, ſed confortando lumen naturale ipſius, & manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.* Ex quibus ſic firmo argumentum: D. Thom. aſſerit Angelos ſuperiores illuminare inferiores manifeſtando eis aliquam veritatem de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ: igitur Angeli inferiores ignorant aliquam veritatem naturalem, quam addiſcunt ab Angelis ſuperioribus: aliquid ergo eſt in Angelo ſuperiori quod latet inferiorem: ergo hic non comprehendit ſuperiorem. Reſp. Salmanticenſes Angelum inferiorem illuminari ab inferiori de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, non circa exiſtentiam, ſed circa futura contingentia, vel circa poſsibilia, quia de his Angelus inferior non habet, neque habere poteſt vi ſola naturali notitiam. Sed contra eſt, nam notitia circa poſſibilia, vel futura contingentia, quandiu nõ exiſtunt, non ſpectat ad ordinem naturæ, ſed ad ordinem gratiæ; nullus enim Angelus vi ſola naturali poteſt eã cognoſcere: dicit autem D. Tho. quod inferior illuminatur à ſuperiori de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, & de his, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ: ergo non loquitur de illuminatione circa poſsibilia, vel circa futura cõtingentia, ſed loquitur circa aliqua naturalia, de quibus aliquam veritatem naturalem ſcit Angelus ſuperior, quam ignorat inferior.

902 Tertio argumentor alia authoritate D. Tho. ex 2. diſt. 9. q. 1. ar. 7. vbi ad 4. aſſerit, *quod ſi Angeli haberent naturalia tantum, adhuc lumen vnius excederet lumen alterius; & ita poſſet eſſe aliqua illuminatio, & perfectio.* Ex quibus ſic formo argumentum. Data hypotheſi, quod Angeli omnes haberent tantum ſua naturalia, & nihil haberent gratiæ, vel actualis, vel habitualis, adhuc lumen naturale ſuperioris ob exceſſum, quem haberet ad lumen inferioris Angeli, poſſet illum illuminare de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ; at tunc talis illuminatio non poſſet eſſe, vel circa poſſibilia, vel circa contingentia non exiſtentia, quia horum notitia, vt dixi, ſpectat ad ordinem gratiæ: ergo fieret tunc ſolum de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ: ergo aliquid eſſet in entibus naturalibus exiſtentibus, quod lateret lumen Angeli inferioris, & ſic, Angelus inferior vi ſua naturali nequit comprehendere ſuperiorem.

Poſſet his aliquis reſpondere, quod ſuperiorem illuminare inferiorem non tollit, quin inferior comprehendat ſuperiorẽ, quia illuminatio non eſt de neceſſarijs veritatibus, ſed de liberis; ad comprehenſionẽ autem Angeli ſuperioris non requiritur, quod inferior vi ſua naturali cognoſcat libera Angeli ſupremi, ſive ad voluntatem, ſive ad ſcientiam pertineant, ſed ſufficit neceſſaria Angeli ſupremi ſic omnia attingere, quod nihil eorum lateat cognoſcentem inferiorem. Sed contra eſt; nam libera, vt ſciantur ab Angelis, non indigent illuminatione, ſed ſimplici ceſsione dominij, vel potius communicatione, quod fit per hoc, quod vnus Angelus loquatur alteri: vnde quod ignorentur libera, non oritur ex debilitate luminis ignorantis, ſed ſolum, quia quandiu non revelantur, non pertinent ad ipſum; illuminatione autem indiget vnus Angelus ab alio ob debilitatem luminis vnius, & excellentiam luminis alterius, quod provenit ex pondere difficultatis rei cognoſcibilis; at D. Thom. dicit, quod inter Angelos in puris naturalibus conſtitutos, adhuc qui excellentius lumen haberet, illuminaret alium de naturalibus: igitur fatendum eſt, lumen inferioris Angeli non eſſe comprehenſivum totius entis naturalis, & ſic non eſſe comprehenſivum Angeli ſuperioris. Hæc ſecunda Conſ. Prob. quia prima patet ex tradita doctrina. Etenim authores oppoſiti dicunt, Angelum inferiorem comprehendere ſuperiorem, quia ex quo eſt complete intellectualis, eſt comprehenſivus totius entis naturalis; ſed hoc fundamentum deſtruitur, ſi ad cognoſcendã aliquam veritatem naturalem Angelus inferior indigeat illuminari à ſuperiori: ergo dum hoc conceditur, non reſtat fundamentum ad defendendum Angelum inferiorem comprehendere ſuperiorem.

903 Quarto ratione Prob. Concluſio. Eſt aliquod obiectum comprehen-

ditur, quando cognoſcitur ea excellentia, qua ab intrinſeco petit cognoſci; ſed Angelus inferior non cognoſcit ſuperiorem ea excellentia, qua petit cognoſci: ergo non comprehendit illum. Mai. eſt D. Thom. ſupra q. 14. ar. 7. vbi ad comprehenſionem Dei requirit, quod cognoſcatur Infinitum infinitè, quia tunc aliquod obiectum comprehenditur, quãdo cognoſcitur ſicut exigit cognoſci: Deus autem exigit infinitè cognoſci, & ſic ad illius comprehenſionem requiritur, quod cognoſcatur infinitum infinitè. Mi. ſic oſtendo, Angelus ſuperior exigit cognoſci ſub tanta actualitate, ſub quanta ipſa eſt; ſed Angelus inferior cũ in actualitate ſit inferior ſuperiori, nequit ſub tanta actualitate ſuperiorẽ cognoſcere, ſub quanta ſuperior eſt: ergo nequit illum cognoſcere, ſicut ipſe ab intrinſeco exigit cognoſci.

Dices, ad comprehenſionem non requiri, quod id, quod comprehenditur, cognoſcatur ſub tanta actualitate, ſub quanta ipſa eſt ex parte rationis *ſub qua*, ſed tãtum ex parte rationis *qua*, hoc eſt, ſufficere ad comprehenſionem quod ex parte rei, *qua* cognoſcitur, omnis actualitas rei penetratiuè cognoſcatur, ſic, quod nihil illius lateat cognoſcentem; hoc autem poteſt competere inferiori Angelo reſpectiue ad ſuperiorem, & ſic poteſt inferior ſuperiorem comprehendere. Sed contra hoc eſt, nam attingibilitas obiecti ſub tanta, vel tanta actualitate obiectiva ex parte rationis *ſub qua*, obiectivè variat eſſentialiter formaliter obiecta intellectuum Angelorum, & conſtituit illa ſub tanta, vel tanta perfectione obiectiva: ergo attingere obiectum ſub tãta actualitate, ſub quanta eſt in ſeipſo, pertinet per ſe ad eius comprehenſionem. Ant. eſt certum, nam idem Angelus attactus ſub omni actualitate, ſub qua in ſeipſo eſt, ſpecificat proprium intellectum, & idem Angelus ſub minori actualitate obiectiva attactus ſpecificat intellectum inferiorem, & attactus tantum ſub ea actualitate, quæ illi contingit ex ſolo gradu immaterialitatis, ſpecificat intellectum Angelicum vt ſic ſecundum rationem communem intellectus Angelici; & tamen ex parte rationis *qua* ſemper tangitur eadem immaterialitas: ergo attingibilitas obiecti ſub tanta, vel tanta actualitate variat obiecta eſſentialiter, & conſtituit illa ſub determinata perfectione formali obiectiva.

Explico vim huius doctrinæ, illud dicitur comprehendi, quod non latet cognoſcentem ſub aliqua ratione obiectiva formaliter ſibi intrinſeca; ſed Angelus ſuperior attactus ab inferiori latet inferiorem ſub ea actualitate obiectiva differentiali, ſub qua proprium intellectum formaliter ſpecificat, & per quam ad perfectionem tãtæ immaterialitatis perducitur: ergo non comprehenditur ab Angelo inferiori. Prob. Mi. vere Angelus ſuperior ſeipſum ex parte obiecti cognoſcit ſub ea actualitate obiectiva, ſub qua ſui ipſius ſpecificativũ eſt; ſed Angelus inferior ſuperiorem nequit attingere ſub ea actualitate obiectiva, ſub qua ſuperior ſeipſum cognoſcit: ergo Angelus ſuperior latet inferiorem ſub aliqua actualitate obiectiva, ſub qua formaliter, & ab intrinſeco petit cognoſci. Prob. etiam hoc ipſum duplici authoritate D. Tho. Etenim in 4. diſt. 49 q. 2, ar. 3, dicit: *Tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendi, quando cognitũ ſtat ſub actu virtutis cognoſcitivæ, & non excedit ipſam*, & 2. Contra g. cap. 98 admittit hanc propoſitionem ex libro de cauſis, *intelligentia inferior cognoſcit ſuperiorem ſecũdum modum ſubſtantiæ cognoſcentis, non ſecundum modum ſubſtantiæ cognitæ; ſed inferiori modo*. Et libro de cauſis lectione 8. loquens de intelligentia dicit: *Quod ſuperiora cognoſcit ad modum ſubſtantiæ ſuæ inferiori modo, quam res ſuperior ſit in ſeipſa*: ergo ex D. Th. Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem:

904 Prob. quinto concluſio. Nam ſi Angelus inferior comprehenderet ſuperiorem, cognoſceret Deum ita perfectè ex parte rei cognitæ, vt cognitæ, ſicut ſuperior, imò ſicut ſupremus Deum cognoſcit; conſequens non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, Angelus ſupremus tantò Deum cognoſcit, quantum cognoſci poteſt ex vi comprehenſionis propriæ ſubſtantiæ; ſed Angelus inferior comprehendit Angelum ſupremum: ergo in illo vt comprehenſo, tanto Deum cognoſcit, quanto ab Angelo ſupremo cognoſcitur. Prob. etiam Mi. quia ſi tantò cognoſceret Deum, tantò illum amaret amore naturali, & ſic tantò eum amaret amore ſupernaturali; nam iuxta D. Tho. menſura amoris Dei gratuiti penſatur penes menſuram amoris Dei naturalis.

(.:.)

Sil-

Digitized by Google

§. VIII.

Soluuntur Argumenta contra Concluſionem.

905 CONTRA concluſionem primò arguitur auctoritate D. Thom. ex 2. contrag. cap. 98. vbi loquens de Angelis, & de intellectualitate completa eorum ſic habet: *Ex hoc autem quod ſubſtantia aliqua eſt intellectualis, eſt comprehenſiva totius entis* (intellige naturalis) *vnde cum ſubſtantia ſeparata per ſuam naturam non ſiat actu comprehendens totum ens, ipſa in ſua ſubſtantia conſiderata eſt quaſi potentia ad ſimilitudines intelligibiles, quibus totum ens cognoſcitur* & cap. 99. ibi: *cum enim intellectus eorum* (loquitur de Angelis) *ſit perfectus naturali perfectione vtpote totus in actu exiſtens, oportet, quod ſuum obiectum intelligibile vniverſaliter comprehendat*: ergo Angelus inferior comprehendit ſuperiorē, nam cōprehendens ens vt ſic, cōprehendere debet omnia particularia entia ſub illo cō enta; Angelus autē ſuperior ſub ente cōprehenditur. Ad hoc dico, quod in prima authoritate in verbis adductis nō loquitur de ſubſtātia intellectuali cōpleta, ſed de ſubſtātia intellectuali, cōprehendendo omnē ſubſtantiā intellectualē tā Deū, quā animam, & Angelū, & ſic non cōcludit D.Th. de cognitione ſtricte cōprehēſiva, ſed de cognitione quidditativa, quæ etiā poteſt convenire animæ noſtræ in ſtatu ſeparationis: cū hoc tamē diſcrimine, quod anima eſt cognoſcitiva totiꝰ entis per plures ſpecies, Deus per vnā, & Angeli per plures, ſed pauciores quā anima. Similiter ad ſecundā auctoritatē dico, ibi nō eſſe loquutionem de rigoroſa comprehenſione, ſed loqui de cognitione quidditativa, neque enim ibi vult probare aliud, quam quod ſubſtantiæ ſeparatæ cognoſcant ſpecies rerum corporalium, quod probat ex eo, quod ipſæ continentur ſub ente, quod vniverſaliter comprehendunt ſubſtantiæ ſeparatæ, id eſt, cognoſcunt: vnde cum poſſet inferre, quod illas comprehendat, non intulit, niſi quod ſpecies rerum corporalium cognoſcit. Et certe hoc ipſum debent dicere adverſarij, nā ſi ſubſtātiæ ſeparatæ ſtricte cōprehendunt ens intelligibile, cū ſub ipſo cōtineantur ſpecies, quæ ſunt in Angelo ſuperiori, debebunt pariter dicere, quod Angelus inferior, dū eas cognoſcit, eas ſtricte comprehendat, nam quod, ſtricte loquendo de cōprehenſione, vniverſaliter cōprehēdit ens intelligibile, etiā debet ſtricte comprehēdere omnia, quę in illo cōtinentur; quod dum negant, nō debent intelligere præfatā loquutionem de ſtricta comprehenſione.

906 Secundo, Arguunt ex alia doctrina D.Th. infra q. 109. ar. 3. ad 2. ibi: *Dicendum, quod ſecundum ea, quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non eſt neceſſaria manifeſtatio veritatis, nec in Angelis, neque in Dæmonibus, quia ſicut ſupra dictum eſt, ſtatim à principio ſuæ conditionis omnia noverunt, quæ ad naturalē cognitionē pertinent: & ideo maior plenitudo naturalis luminis, quæ eſt in Dæmonibus, non poteſt eſſe ratio illuminationis.* Ex quibus ſic formatur argumentum. Nullus Angelus, eſto infimus ſit, poteſt illuminari ab Angelo ſuperiori de his, quæ ad naturalem cognitionem pertinent: ergo fatēdum eſt, Angelum inferiorē cōprehendere ſuperiorē. Prob. Conſ. quia ſi nō cōprehēderet, poſſet de aliquibꝰ in eo cō... illuminari. Ad hoc, admiſſo auctoritatem D. Th. & ad argumentum ex illa formatum, nego Mai. D. enim Th. non dicit, quod Angelus inferior non poteſt illuminari de his, quæ ad naturalem cognitionē pertinent, ſed tātum dicit, quod de his nō eſt neceſſaria illuminatio, quia hęc nō ſit de his, quę ſine magiſtro illuminante ſciri quidditative poſſunt, ſed de his, quæ ſine illuminationis magiſterio penitꝰ ignorātur: cū ergo Angeli ab initio acceperint lumē, & ſpecies, quibus ſine magiſtro poſsūt quidditative ſcire omnes veritates naturales; cū non eſt neceſſe, quod eas ſtricte cōprehendant, nō eſt neceſſaria illuminatio de eis, quāvis aliàs ſit poſſibilis.

907 Tertio ratione arguitur, ſecundum D. Auguſtinus in libro de vidēdo Deū ad Paulinam, ſive in Epiſtola 12. c. 9. tom. 2. tunc comprehēditur aliquod obiectum, quandò ita videtur totum, quod nihil illius latet videntem; ſed nihil Angeli ſuperioris, ſive eſſentiale, ſive proprium, ſive accidens connaturale illius latet Angelum inferiorem: igitur Angelus inferior comprehendit ſuperiorem. Prob. Min. eſſentia Angeli ſuperioris, proprietas, & accidentia eius connaturalia, ſive entitates ſint, ſive modi, omnia ſpectant ad hoc vniverſum; ſed Angelus inferior habet ſpecies omniū ad hoc vniverſum ſpectantiū: inſuper lumen illius proportionatum eſt ad cognoſcendum omnia, quæ per ſuas ſpecies repræſentari poſſunt, dummodo exiſtentia ſint, & dummodo libertatis dominio non ſubdantur: igitur Angelus inferior virtute naturali poteſt comprehendere ſuperiorem.

Digitized by Google

Sed inſtas, ſequi ex hoc quod neque Angelus cognoſcens ſe ipſum per propriā ſubſtantiam ſe ipſum comprehendat: Conſ. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, ipſa ſubſtantia Angelica Gabrielis v.g. ſub maiori actualitate comparatur ad Angelum ſuperiorem Gabriele, ac comparatur ad Gabrielem; ſed Gabriel nō cognoſcit ſe ipſum vt ſubeſt tantæ actualitati, ſub quanta Angelus ſuperior attingit Gabrielē: ergo Gabriel iuxta noſtram doctrinā non comprehendet ſe, dum ſe per propriā ſubſtantiā cognoſcit. Ad hoc, nego ſequelam. Ad Prob. diſt. Mai. ſub maiori actualitate comparatur ad Angelū ſuperiorē Gabriele, ac comparatur ad ipſum Gabrielē, exactivè, neg. Mai. per non repugnantiā, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque ſubſtantia Gabrielis in eſſe intelligibilis adæquatur omnimodè cū ipſa intellectualitate Gabrielis: ad alias maiores, vel minores depurationes à materia metaphyſica ſe habet non repugnanter; vnde quamvis Gabriel ſe ipſum, dum cognoſcit, non tantum depuret, quantum Angelus ſuperior Gabriele depurat Gabrielem, dum illum cognoſcit; non inde ſequitur quod ſe ipſum non comprehendat, quia ſe cognoſcit ſub ea immaterialitate, ſub qua ab intrinſeco exigit cognoſci: etenim ad comprehenſionē ſufficit rem cognoſcere ſicut cognoſci exigit, nō exigit cognoſci Gabriel ſuo tanta actualitate, ſub qua illum cognoſcit Angelus ſuperior Gabriele, bene vero exigit cognoſci ſub tanta actualitate, ſub quanta Gabriel ſe cognoſcit, & ſic non ſequitur, quod Gabriel ſe non comprehendat.

908 Quarto arguitur, ſpecies, quam habet Angelus inferior repræſentat quidquid eſt in ſuperiori ſub tanta immaterialitate, ſub quanta ſuperior exigit cognoſci: ergo erit comprehenſiva ſuperioris. Conſ. eſt bona, & Ant. Prob. ſpecies, quam habet Angelus inferior repræſentat quidditativè, per nos, ipſum, & omnia, quæ ſunt in ipſo, & eſt ipſummet obiectum in eſſe repræſentativo: ergo eſt in tali genere ipſummet obiectū ſub tanta immaterialitate, ſub quāta obiectū ipſum exigit ab intrinſeco cognoſci. Prob. Conſ. nam ſi in eſſe repræſentativo non eſſet ipſummet obiectū ſub tanta immaterialitate, ſub quanta obiectum in ſe ipſo eſt, non poſſet immediatè repræſentare illud ſicuti in ſe ipſo eſt; ſed repræſentat illud immediatè, ſicut eſt: igitur in eſſe repræſentativo eſt tantæ immaterialitatis, quantæ eſt obiectum in ſe ipſo. Hoc argumentum proponit, & ſolvit Gonet dicens; quod talis ſpecies eſt in eſſe repræſentativo tantæ immaterialitatis, quantæ eſt Angelus, qui per illam immediatè videtur; ſed negat hoc ſufficere, vt Angelus inferior comprehendat ſuperiorem, quia ad hoc requirebatur, quod etiam ſecundum eſſe diminutum, quod habet, tantæ immaterialitatis eſſet: quod non ita eſt, quia talis ſpecies, cum ſit connaturalis Angelo inferiori, & vnumquodque recipiatur ad modū recipientis, & pariter limitetur per ſuum receptivum, non poteſt eſſe maioris immaterialitatis in eſſe entis, quā ſit ipſe Angelus inferior connaturaliter illam intelligens.

Hæc tamen doctrina difficilis apparet. Nam ſi talis ſpecies in genere repræſentativo eſt eiuſdem athomæ immaterialitatis cum obiecto; videtur, quod hoc ſufficiat, vt ſit obiecti comprehenſiva: quia ad hoc vt ſpecies ſit obiecti comprehenſiva, non requiritur, quod ſecundum eſſe diminutum ſit eiuſdem athomæ immaterialitatis. Quod ſic oſtendo, etenim ſpecies, qua Angelus ſuperior comprehendit inferiorem, non eſt eiuſdem athomæ immaterialitatis ſecundum ſuum eſſe diminutum. Nam Angelus eſt ſubſtantia, & ſpecies eſt in linea entis accidens; accidens autem non poteſt eſſe eiuſdem athomæ immaterialitatis cum ſubſtantia. Deinde eſſe ſpeciei eſt eſſe diminutum, & ſecundū quid; eſſe Angeli inferioris eſt eſſe ſimpliciter: non ergo vt ſpecies ſit comprehenſiva, requiritur, quod in eſſe entis ſit eiuſdē athomæ immaterialitatis cū re comprehenſa, ſed ſufficit, quod in eſſe repræſentativo ſit eiuſdem immaterialitatis cum obiecto, & in eſſe entis ſit in eodē gradu: cumque hoc concedat Gonet ſpeciei repræſentativæ Angeli ſuperioris reſidenti in mente Angeli inferioris, non debet negare talē ſpeciē, quantū eſt ex ſe, non eſſe comprehenſivam Angeli ſuperioris. Deinde, ſi intellectus in eſſe intelligibili ſit ipſum obiectum ſub tanta immaterialitate, ſub quanta obiectū in ſe ipſo eſt; neſcio, qua de cauſa non comprehendat obiectum, cum aliàs ex parte rei repræſentatæ ſit adæquatè ipſum obiectū, in eſſe intelligibili? omnia enim alia, quæ requirit Gonet ad hoc vt intellectus inferioris vtens tali ſpecie comprehendat Angelum ſuperiorem, videntur voluntariè, & ſine fundamento dicta.

Digitized by Google

ſalutis; ſi autem ſingularium notitiam non haberent, nullam providentiam habere poſſent de his, quæ in hoc mundo aguntur, cum actus ſingularium ſint: quod eſt contra illud Eccleſiaſt. 5. *Ne dicas coram Angelo, nõ eſt providentia.* Quod etiam derogat Philoſophiæ documẽtis, quibus inſtruimur, quod Angeli ſunt cœleſtium orbium motores, & quod eos movent per intellectũ, & voluntatem ergo cognoſcendo eos: illi autem ſingulares ſunt: ergo iuxta bonam philoſophiam aſſerendum eſt, Angelos cognoſcere ſingularia. Secundo etiam eſt certũ, Angelos non cognoſcere ſingularia ſolũ cognoſcendo cauſas vniverſales eorũ, ſicut poſuit Avicena, dicens; Angelos cognoſcere ſingularia cognoſcendo vniverſales cauſas. Quod falſum eſſe probat D. Thom. dicens: *Sed hæc poſitio prædicta inconvenientia non evadit, quia ſic cognoſcere ſingularia in cauſis vniverſalibus non eſt cognoſcere ipſa vt ſingularia, prout hic, & nunc ſunt. Aſtrologus enim cognoſcens ecclypſim futuram per computationem cœleſtium mõtuum, ſcit eam in vniverſali, & non prout eſt hic, & nunc, niſi per ſenſum accipiat; adminiſtratio autẽ, & providẽtia, & motus ſunt ſingularium, pro hic, & nunc; poſitio ergo Avicena negat Angelicam providentiam circa ſingularia.*

Et ſi inſtes, Antec. eſſe falſum, quia Aſtrologus ſciens rectè computare motus Aſtrorum, ſciet non ſolum ecclypſim quandoque eſſe, ſed etiam ſciet eſſe tali hora, tali minuto, & in tali loco: ergo ſciet ecclypſim, vt hic, & nunc. Prob. Ant. nam ecclypſis, etiam vt in ſingulari habet eſſe determinatũ in cauſis ſuis quoad omnes conditiones individuantes eius, quæ non poſſunt aliter ſe habere: ergo Aſtrologus ſciens rectè computare motus Aſtrorum, ſciet non ſolum ecclypſim aliquando eſſe, ſed ſciet illam, prout hic, & nunc. Reſpõdeo, Aſtrologum ſolum vtendo cauſis vniverſalibus, ſolum poſſe habere ſcientiam de vniverſalibus, non vero de ſingulari; vt enim de ſingulari concludat, eſt neceſſe, quod ſubſumat Minorem de ſingulari; nec enim poteſt concludere ecclypſim tali minuto, & & loco futuram, niſi ſciat modò Solem in tali reperiri ſigno, & Lunã in tali, & quod à tali ſigno ad tale tantum temporis conſummatur: non ergo in cauſis vniverſalibus cognoſcit ecclypſim in ſingulari futuram, ſed indiget principia vniverſalia applicare ſingularibus, vt inde cõcludat de ecclypſi in ſingulari.

His ergo præſuppoſitis, difficultas eſt in eo, per quam ſpeciem impreſſam Angeli cognoſcant ſingularia, & omnia eorum accidentia: in quo puncto elucidando, Scotus in 2. diſt. 3. q. vltim. & diſt. 9. q. 2. negat Angelum per eandem ſpeciẽ, qua cognoſcit naturam communẽ, cognoſcere directè eius ſingularia. S. Bonaventura id concedit; ſed negat per eadem ſpeciem cognoſci accidentia ſingularium, ſed ad illa cognoſcenda requiri alias ſpecies. S. autem Thomas, & eius diſcipuli affirmant per ſpeciem repræſentantem Angelo naturam communem, directè cognoſcere ſingularia, & omnia accidentia eius. Ita tenet hic, quæſt. 57. art. 2.

911 Sit Concluſio. Angelus directè cognoſcit ſingularia, & eorum accidentia per eandem ſpeciem, per quam cognoſcit naturã ſpecificam. Quod directè Angelus cognoſcat ſingularia, probat D. Th. hic q. 57. art. 2 ex eo, quod quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus ſunt adunata; ſed homo inferior Angelo per ſenſum directè attingit ſingulare, & per intellectũ directè attingit vniverſale: igitur Angelus per ſolum intellectũ attinget directè vniverſale, & ſingulare. Hæc tamen ratio videtur difficilis propter illam Maiorem propoſitionem, *quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus ſunt adunata.* Nam vel illa propoſio facit ſenſum, quod ea, quæ formaliter reperiuntur in inferioribus cũ diviſione inter ſe, in ſuperioribus etiam formaliter reperiantur, ſed adunatè; id eſt, ſine tali diviſione; vel ſit ſenſus, quod talia inferiora ſolum eminenter reperiantur in ſuperiori, ſicut inferiora ſublunaria eminenter præcontinẽtur in Sole. Si hoc ſecundũ dicatur, propoſitio eſt vera, ſed ex ea non concluditur, quod intellectus Angelicus formaliter cognoſcat directè vniverſale, & ſingulare, quia homo per intellectũ directè cognoſcit vniverſale, & per ſenſum directè cognoſcit ſingulare. Nã intellectus noſter eminenter continet ſenſum, nec tamen ex hoc licet inferre, quod ſi ſenſus directè cognoſcit ſingulare, etiã intellectus noſter directè ſingulare cognoſcat: ergo etiã ſi intellectus Angelicus ſit ſuperior homine, nõ concludetur, quod directè cognoſcat vniverſale, & ſingulare. Si dicatur primũ; propoſitio illa eſt falſa. Nã ſupra vidimus, quod nulla creatura poteſt ſecũ adunare differentias rerum inferiorum; adunaret autem ſibi eas, ſi ea, quæ formaliter inveniuntur in in-

Digitized by Google

ferioribus diſperſa, in ſuperioribus creatis invenirentur formaliter eminenter: nulla ergo via talis propoſitio apta eſt ad concludendum, quod Angelus per ſolum ſuum intellectum cognoſcat directè univerſale, & ſingulare.

Ad hoc dico, illam propoſitionem eſſe veram de adunatione eminenter formaliter, quandò ea, quæ in inferioribus cũ diviſione inveniuntur, non ſunt per ſe differentię inferiorum, ſecus autẽ ſi per ſe differentiæ inferiorum ſint: non autem eſt per ſe differẽtia ſenſus cognoſcere directè ſingulare, ſed ſolũ differentia ſenſus ſtat in hoc, quod eſt cognoſcere ſenſibiliter directè ſingulare: ex his duobus Angelus non identificat ſibi formaliter hoc ſecundũ, ſed ſolum primũ, & ſic non identificat ſibi differentiã per ſe inferiorum, ſed ſolum aliquod prædicatum commune, ſicut anima rationalis identificat ſibi rationem communẽ vegetandi, & ſentiendi, non vero peculiares differentias, per quas anima vegetiva, ſenſitiva, & rationalis in inferioribus animabus reperiuntur diſperſæ. Ad id, quod dicitur de intellectu hominis, qui eſt ſuperior ſenſu; & tamen ex hoc non ſequitur, quod directè cognoſcat ſingularia, ſicut ea cognoſcit ſenſus: dico in primis, quod intellectus noſter in anima ſeparata, etiã habet directè ſingularia cognoſcere; pro ſtatu autẽ coniunctionis in corpore, hoc non habet, quia intelligit per ſpecies acceptas à ſenſibilibus miniſterio intellectus agentis; cuius actio in eo ſtat, quod præſcindat naturã à conditionibus individuãtibus, & ſic nequit intellectus poſsibilis per ſe, & directè cognoſcere ſingularia materialia, quæ ratio cũ non currat in intellectu animæ ſeparatæ, quia prout ſic, intelligit more Angelorum per ſpecies infuſas, prout ſic poteſt directè cognoſcere ſingularia.

Secundo dico, illam propoſionẽ non intelligi univerſaliter verum habere comprehendendo etiã potentias eiuſdẽ naturæ, & ſuppoſiti, ſed comparativè inter ſuppoſitũ naturæ ſuperioris, & ſuppoſitũ naturæ inferioris, nempe Angelũ, & hominẽ, quorum Angelus eſt natura completè intellectualis, & homo ſolũ incompletè, & ſic intellectus hominis nõ habet directè cognoſcere ſingularia ſenſibilia, quia licet ſit intellectus potentia ſuperior ſenſu, eſt tamẽ intellectus hominis incõplete intellectualis; unde ſufficienter ... quod per ſenſum attingat directè ſingulare, & per intellectũ attingat directè univerſale; at Angelus ſimpliciter excedit hominẽ, quia eſt naturæ complete intellectualis, & ſic requiritur, quod ſi homo per duas potentias attingit univerſale, & ſingulare, quia naturæ incompletæ intellectualis eſt; Angelus per ſolum intellectum utrumque directè attingat.

912 Secundam partem Concluſionis, nempe quod per ſpeciẽ, per quã Angelus cognoſcit naturã ſpecificam, cognoſcat directè ſingularia, probat D.Tho. ibidẽ dicens. *Modus autem, quo intellectus Angeli ſingularia cognoſcit, ex hoc cõſiderari poteſt, quod ſicut à Deo affluunt res, ut ſubſiſtãt in proprijs naturis, ita etiã ut ſint in cognitione Angelica: manifeſtũ eſt autem, quod à Deo effluit in rebus non ſolũ illud, quod ad naturã univerſalẽ attinet, ſed etiã ea, quæ ſunt individuationis principia; eſt enim cauſa totius ſubſtantiæ rei, & quantũ ad materiã, & quantũ ad formã, & ſecundũ quod cauſat, ſic & cognoſcit, quia ſcientia eius eſt cauſa rei, ſicut igitur Deus per eſſentiam ſuã, per quã omnia cauſat, eſt ſimilitudo omniũ, & per eam omnia cognoſcit, nõ ſolum quantũ ad naturas univerſales, ſed etiam quantũ ad ſingularitatẽ; ita Angeli per ſpecies à Deo inditas res cognoſcunt, non ſolũ quantũ ad naturã univerſalẽ, ſed etiam ſecundũ earũ ſingularitatẽ, in quantũ ſunt quædã repræſentationes multiplicatæ illius unicæ, & ſimplicis eſſentiæ.* Sic eleganter D.Thom.

Cuius vim, dum noluit percipere Scotus, ſic illam impugnavit in 2. diſt. 3. quęſt. ultima. Ait enim non valet conſequentia; res fluunt à Deo quoad materiam, & formam: ergo fluunt in mente Angeli quoad cognitionem ſingularitatis, præcipuè apud D.Thom. qui tenet contra Commentatorem, quod materia ſit pars quidditatis; ſed ſolum inferri poteſt, quod fluant in mente Angelica quoad materiam, & formã ſecũdum quod ſunt partes quidditatis: hoc enim infertur, non vero quod fluant in mente Angeli quoad repræſentationem ſingularitatis. Secundo, nam cum arguitur, eſſentia divina eſt ratio cognoſcendi tam ſingulare, quam quidditatem: ergo ſpecies Angelica erit ratio cognoſcendi tam ſingulare, quam quidditatem. Conſeq. non valet, quia ibi eſt ſophiſma procedẽdo à magis perfecto ad minus perfectum affirmativè.

Sed iſta, nec leviter offendunt rationẽ D.Thom. Unde ad primã dico, quod materia dupliciter conſiderari poteſt. Primò, ſecundum quod intelligitur unà cum forma facere compoſitum eſſentiale phyſicum ſe-

ſecundo, poteſt conſiderari ſecundum quod parte rei exiſtit ſignata quantitate. Primo modo, ſpectat ad quidditatem; ſecundo, ad rei ſingularitatem; & quia vtroque modo à Deo effluit, vt ſit in rebus, ideo ſpecies Angelica vtroque modo habet repræſentare materiam, & ſic bene infertur, quod ſpecies Angelica repræſentet non ſolum naturam, ſed etiam ſingularitatem, quia in Antecedenti fit proceſſus à materia, & forma prout à parte rei exiſtunt medio diuino effluxu ad ſingularitatem repræſentatã per ſpeciem Angelicã. Ad ſecundũ, nego quod illa nõ ſit bona Conſ. Nego ſimiliter, quod in illo proceſſu ſit ſophiſma. Nam Conſeq. D. Th. non eſt iſta: eſſentia diuina repræſentat naturã, & ſingularitatẽ: ergo ſpecies Angelica repræſentat naturã, & ſingularitatẽ; ſed iſta, eodem modo res effluunt in mente Angelica ab eſſentia diuina, ſicut effluunt vt ſubſiſtant in proprijs naturis; ſed in proproprijs naturis cauſantur à Deo ſecundum eſſe naturæ & ſingularitatis: ergo à ſpeciẽ Angelica repręſentantur ſecundum quidditatem, & ſingularitatem: poſtmodum D. Th. dicit: *Vnde ſicut eſſentia diuina eſt ſimilitudo naturæ, & ſingularitatis, ita & ſpecies Angelica eſt ſimilitudo naturæ, & ſingularitatis.* Quæ paritas non fit abſolutè, ſed ex ſuppoſitione quod ſpecies Angelica participet ab eſſentia diuina eſſe ſimilitudinẽ quidditatis; in quo proceſſu nullum eſt ſophiſma. Ex qua eadem paritate proceſſus rerum in ſe ipſis, & rerum in mente Angeli, probatur tertia pars Concluſionis, quia res non ſolum cum ſua ſingularitate, ſed etiam cum omnibus accidentibus ſuis effluunt à Deo: ergo pariter effluent cum ſuis accidentibus in mente Angelica, & ſic per vnam ſpeciem repræſentabuntur natura, ſingularitas, & eius accidentia.

§. X.

Soluuntur Argumenta.

913 CONTRA Concluſionẽ primo arguit Scotus. Nam ſi vna ſpecies Angelica ſimul repręſentaret naturam, & omnia eius ſingularia, ſequeretur repręſentare infinita; Conſ. non eſt admittendũ: ergo. Conſ. eſt bona, Mai. certa, nam omnia indiuidua poſsibilia vnius naturæ ſunt infinita: ergo ſi vna ſpecies repræſentaret naturam cum omnibus indiuiduis eius, repræſentaret infinita: Min. autem Prob. nam repræſentans infinita ſecundum ſuas peculiares rationes non poteſt non eſſe infinitæ perfectionis; at hoc non eſt concedendum alicui creaturæ: ergo neque eidem debet concedi quod repręſentet infinita indiuidua. Mai. Probat, quia pluritas infert perfectionẽ, & maior pluralitas infert maiorem perfectionẽ: ergo repræſentare infinita infert perfectionem infinitam.

914 Ad hoc argumentum, nego Min. Ad Prob. dico, quod ex hoc quod repræſentare plura dicat perfectionem, & repræſentare plura in maiori quantitate dicat maiorem perfectionem, non infertur, quod repræſentare infinita dicat perfectionẽ infinitã; ſed ſolum diſiunctivè infertur, quod repræſentare infinita dicat infinitam perfectionem, vel perfectionem altioris ordinis, & rationis. Nam ſtat bene, quod aliquod excedat infinitas perfectiones alicuius ordinis inferioris, & tamen non ſit infinitæ perfectionis, ſed ſit tantũ ordinis altioris, quod ob ordinis celſitudinem æquiualet infinitis ordinis inferioris. Secundo, reſp. quod repræſentare infinita infert infinitam perfectionem, non ſimpliciter, ſed in genere, vel in determinata ſpecie: dicere autem de ſpecie impreſſa Angelica, quòd ſecundũ quid ſit infinita, non eſt inconueniens; nam vnicuique Angelo intra propriam ſpeciem concedimus habere infinitatem, cum contineat actu omnem perfectionem, quam haberent infiniti Angeli eiuſdem ſpeciei, ſi poſsibiles eſſent. Tertio dico, quod poſſe repræſentare infinita, prout contenta in aliquo finito, non arguit infinitatem; ſicut nec illud, quod illa continet, finitum eſt: ſpecies autem Angelica repræſentare poſſet infinita ratione eiuſdẽ quidditatis ſpecificæ, quæ cum non ſit ſimpliciter infinita, non argueret etiam in ſpecie repræſentante infinitatem ſimpliciter. Sic ſoluit D. Tho. hoc argumentum, quæſt. 20. de verit. art. 4. ad 1.

915 Sed contra illam inſto. Sicut repugnant infinitæ albedines, ita repugnat vna albedo, quæ præcontineat formaliter omnem perfectionem albedinis, quæ reperiretur in illis; & ſicut repugnant infiniti homines, ita repugnat vnus homo, qui ſimul ſit infinitus homo: ergo ſic repugnat vna ſpecies repræſentans infinita indiuidua, ſicut repugnarent infinitæ ſpecies cum vnoquoque eorum adæquatæ; ſed infinitæ ſpecies adæquatæ cum infinitis in-

Digitized by Google

individuis in repræſentando ſimpliciter repugnant: ergo vna ſpecies repræſentans illa infinita pariter repugnat ſimpliciter. Ad hoc diſt. primum Conſ. ſi illa ſpecies ponatur vna in illomet ordine, in quo darentur infinitæ ſpecies, conc. Conſ. ſi ponatur altioris ordinis ab illis, nego Conſ. & ad Min. ſubſumptam, dato tranſ. diſt. Conſ. vna ſpecies eiuſdem ordinis cum illis infinitis, quæ repugnant, conc. Cōſ. altioris ordinis illis, nego Conſ. Itaq; infinitæ ſpecies cathegorematicè implicant, quia eſſet multitudo in determinato genere, & non in determinata ſpecie; nam eſſet in genere quantitatis diſcretæ, & non eſſet in determinata ſpecie, ſiquidem non haberet vltimam vnitatem, à qua numerus accipit ſpeciem determinatam: ſimiliter vna ſpecies eiuſdem ordinis cum illis repugnaret, quia in eodem ordine, in quo eſt diviſio pluriũ, nequit eſſe eorum in vno adunatio; non autem repugnat vna ſpecies, quæ ob altitudinem ſui ordinis habet æquivalenter dare ea, quæ in infinitis ordinis inferioris ordinis ob ſui inferioritatem multiplicantur: cum ergo ſpecies Angelica ſuperioris ordinis ſit ſpeciebus noſtris, nō ſequitur, quod ſi infinitæ noſtræ in actu repugnant, ita repugnet vna ſpecies, quæ poſſit omnia illa repræſentare.

914 Secundo arguitur. Si ſpecies Angelica repræſentaret naturam ſpecificã, & ſingularitatem, vel repræſentaret ea diviſim, vel repræſentaret ea coniunctim, id eſt, concretum ex natura, & individuatione, nempe Petrum, Paulum; at nec repræſentat ea diviſim, nec coniunctim: ergo non repræſentat naturam, & ſingularitatẽ. Conſeq. eſt bona, Mai. certa, & Min. Prob. quoad primam partem, nam repræſentare naturam vt diviſam à ſingularitate eſt repræſentare eam in communi, ſicut repræſentatur per ſpeciem Intellectus agentis; at ſpecies Angelica non repræſentat naturas ſpecificas rerum eo modo, quo ſpecies intelligibiles efformatæ ab Intellectu agente eas repræſentant: ergo talis ſpecies impreſſa non repræſentat naturam vt diviſam à ſingularitate. Secundo, nam per nos ſpecies Angelicæ repræſentant naturam ſpecificam eo modo, quo ipſæ naturæ rerum effluunt ab idea: ab idea autem tantum egrediuntur ſingularia, & non natura vt diviſa à ſingularibus: igitur ſpecies Angelica non habet repræſentare naturam vt diviſam à ſingularibus. Quoad ſecundam partem etiam Probatur, nam repræſentare naturã vt ſingularem idem eſt, quod per ſe primò repræſentare ſingulare, & naturam vt præcontentam in illo; iſto autem modo ſpecies Angelica nequit repræſentare naturã ſpecificam: ergo. Prob. Min. nam cum ſingularia ſint primò diverſa, ſi natura repræſentaretur vt præcontenta in ſingulari, non repræſentaretur vt vna, ſed vt plures, nã nō datur vna natura in pluribus, ſed tot naturæ, quot ſunt plura; hoc autem nequit admitti: ergo. Prob. Min. nam hoc eſſet repræſentare plura vt plura, & non vt conveniunt in aliqua natura primario repræſentata vt vna; quod non admittimus. Secundo, nam hoc eſſet repræſentare infinita immediatè, & non vt contenta in aliquo finito, quod iam diximus non eſſe poſſibile: ergo. Prob. Mai. nam tunc ſolum repræſentantur infinita vt contenta in aliquo finito, quando illud finitum primò repræſentatur, & in illo repræſentantur infinita vt contenta in illo; ſed ſi primò repræſentantur ſingularia, & non natura, infinita ſingularia non repræſentantur vt præcontenta in vno finito repræſentato: ergo.

Ad hoc argumentum dico. Ad Maiorem, quod repræſentaret naturam vt coniunctam ſingularitatibus, non ſic, quod repræſentaret Petrum v.g. tantum exprimendo, quod eſſet Petrus, ſed exprimendo, quod eſſet homo, animal, vivens, corpus, ſubſtantia, & ens; repræſentaret enim Petrum eo modo, quo effluit ab idea divina: ab hac autem effluit ſub ratione Petri, hominis, animalis, &c. & ſic repræſentatur per ſpeciem Angelicam, Conc. ſimiliter, quod repræſentaret naturam vt præcontentam in ſingulari. Et nego Min. Ad Prob. dico, quod natura repræſentaretur vt vna, non vnitate vniverſalis in prædicando, ſed vnitate collectionis conflatæ ex pluribus naturis ſingularizatis. Itaque formale, & primarium ſignificatum eſſet tota natura; & naturæ diverſæ eſſent partes inadæquatæ illius obiecti per ſe primò ſignificati, quaſi partes integrantes illam totalitatem: vnde nō eſſet primò repræſentare plura vt vt plura, ſed repræſentare plura, vt conveniunt in integrando aliquod totum, quod non iudicamus impoſſibile. Ad ſecundam Prob. nego Mai. nam illa infinita non faciunt aliquod totum infinitum, ſed finitũ, nempe totam naturam humanam, vel equinam, quæ finitæ naturæ ſunt: vnde ne-

ga,

Digitized by Google

gamus Min. videlicet, quod hoc ſit impoſſibile. Plura alia argumenta ſolent fieri cõtra concluſionem, quæ ſolvemus in ſequẽti quæſtione.

QVÆSTIO XI.

De cognitione futurorum contingentium.

COGNITIO Futurorum contingentium ob ſui arduitatem ſpecialem ex poſcit quæſtionem, quam prætendimus examinare per ſingulos §§. ideoque ſit.

§. I.

Vtrùm Angelus vi ſua naturali cognoſcere poſſint futura contingentia ante quam ſint?

915 PRO Luce quæſiti ſuppono, tria eſſe genera futurorum. Primum eorum, quæ neceſſariò futura ſunt, nec impediri poſſunt, ſicut ortus craſtinus Solis, eventus futurus ecclypſis, & alia ſimilia. Secundum eſt eorum, quæ vt in plurimum eveniũt per cauſas naturales, ſed impedibiles, ita tamen ordinatas, vt rarò impediantur, ſicut quod in vere ſint tonitrua, in hyeme pluviæ, & his ſimilia. Tertium eſt eorum, quæ omninò contingenter eveniunt, vel quia habent cauſas liberas, vel quia habent cauſas fortuitas, & in vtramque partem contingentes, ſicut quod Petrus cras ambulet, vel canis latret, ſegetes comburantur à fulmine, & his ſimilia. De quibus tribus generibus hoc eſt certum, quod ſi cognoſcantur vt futura, nequeunt cognoſci vt extra cauſas, & vt exercentes ſuam durationẽ in determinatis temporibus. Cuius veritatis ea eſt ratio evidens, quod futurum, vt tale, eſt quod nondum exiſtit in ſeipſo, ſed erit pro aliqua duratione, quæ nondum advenit: igitur cognoſcere futura vt futura dicit eſſentialiter cognoſcere illa, quæ extra cauſas ſuas nondum ſunt, ſed erunt in ſequenti duratione: implicat ergo aliquid cognoſci vt futurum cognoſcenti, & cognoſci vt in ſeipſo eſt exiſtens. Verum quia plura nondũ ſunt reſpectu propriæ menſuræ inferioris, quæ tamen reſpectivè ad menſuram ſuperiorem iam ſunt, fit inde, quod cognitio menſurata illa menſura ſuperiori ſit cognitio futuri vt præſentis phyſicè, & vt iam exiſtentis extra cauſas reſpectu cognoſcentis tali cognitione, eſto ſemper maneat futurum reſpectu eorum, qui exiſtunt in mẽſura inferiori: vnde talis cognitio erit futuri reſpectu noſtri, & exiſtentis reſpectu cognoſcentis. Adduco exemplum. Antichriſtus reſpectu huius temporis, in quo ſumus, nondum in ſeipſo eſt, quia nondum advenit illa differentia temporis, in qua erit verum dicere, Antichriſtus eſt: reſpectivè tamen ad menſuram æternitatis, iam exiſtit in ſeipſo, quia æternitas cum ſit tota ſimul, & perfecta poſſeſſio omnium eorum, quæ menſurat ab æterno, continet illud nunc temporis, in quo vt propria menſura Antichriſti exiſtentia menſurabitur; vnde cognitio divina ab æterno cognoſcit Antichriſtum vt in ſeipſo exiſtentem, quia licet reſpectu nũc temporis noſtri nondum exiſtat, reſpectivè tamen ad nunc æternitatis ſuperexcedẽs omnia tempora iam exiſtit.

Suppono ſecundò, quod futura neceſſariò futura certò cognoſcuntur ab Angelis abſtractive, eſtò non intuitive. Primum eſt verum; quia Angelus cognoſcit cauſas naturales, & determinationem, quam habent ad producendum effectus ſuos: ergo & certo cognoſcit effectus ſuos in præfatis cauſis. Secundum eſt verum, quia notitia alicuius in ſua cauſa, tantum eſt notitia abſtractiva eius. Ex quo ſequitur tertium, quia notitia intuitiva eſt notitia rei in ſeipſa exiſtentis, ſed Angeli prædicta futura non cognoſcunt prout in ſeipſis erunt, ſed prout tãtum ſunt in determinatione cauſarum: ergo nõ cognoſcit illa intuitiva notitia. De futuris ſecundi generis aſſerit D. Th. hic q. 57. ar. 3. quod non cognoſcuntur ab Angelo notitia certa, ſed tantum coniecturali; vbi advertit Ioannes à S. Thoma loquutionem D. Tho. debere intelligi de cognitione horum futurorum, prout ſubſunt cauſis proximis impedibilibus; tunc enim cognoſcuntur per medium contingens, & fallibile, & ſic non certò cognoſcuntur; nõ vero loqui de cognitione, qua Angeli illa cognoſcunt in collectione omnium cauſarum naturalium, quia eſtò illæ, vel illæ cauſæ impedibiles ſint, tota autem collectio cauſarum non eſt impedibilis, & ſic dum per hoc medium ab Angelo cognoſcuntur, certò ſciũtur. Quam doctrinam exornat authoritate D. Th. q. 8.

de

Digitized by Google

de verit.ar.12.ibi: *Aliquid eſt contingens reſpectu alicuius cauſæ, quod reſpectu plurium cauſarum neceſſarium eſt: Angeli autem omnes cauſas naturales cognoſcunt; vnde quædã, quæ contingentia videntur aliquibus cauſis eorum penſatis, Angeli vt neceſſaria cognoſcũt, dum omnes cauſas eorum cognoſcunt.*

De tertio genere futurorum, quæ non habent determinationem, neque in cauſis proximis, neque in cumulo cauſarũ, à quibus proveniunt, inquirimus impræſentiarum, vtrum viribus ſolis naturæ Angeli ea cognoſcere certò poſsint? Cui quæſito cum communi Theologorum reſpondetur negative. Patetque reſponſio, nam Iſaiæ 41. habetur, *annuntiate nobis, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quod Dij eſtis vos,* ſuper quæ D. Tho. 22. q. 97. ar. 1. inquit, *ſi quis huiuſmodi futura prænuntiare, aut prænoſcere quocumque modo præſumpſerit, niſi Deo revelante, manifeſte vſurpat ſibi, quod ſolius Dei eſt:* Inſuper Iſaiæ 46. habetur, *nec eſt ſimilis mei annuntians ab exordio noviſsimã, & ab initio, quæ nondum facta ſunt.* Et Daniel. ſecundo intulit Nabucodonoſor Deum Danielis eſſe verum Deum, quia potuit revelare myſterium illud, & ſomnium de eventibus futuris: ait enim Danieli, *vere Deus veſter Deus Deorum eſt, & Dominus Regum, & revelans myſteria, quia tu potuiſti aperire hoc Sacramẽtum.* Vnde Hieronymus ibi ait; *confitentur Magi, & omnis ſcientia ſecularis literaturæ præſcientiam futurorum nõ eſſe hominum, ſed Dei.* Innumera alia Sanctorum teſtimonia poterant adduci ad hoc ipſum probandum: ergo Angeli futura cõtingentia ſolis viribus naturæ cognoſcere non poſſunt.

916 Ratione hoc ipſum Probatur: Angelus nequit certò cognoſcere hæc futura in ſeipſis, quia in ſeipſis nondũ ſunt reſpectu Angeli, nec poteſt certò illa cognoſcere in ſuis cauſis, quia ad eorum fore nullam habent determinationem in illis; nec eſt alius modus, quo illa naturaliter Angelus cognoſcere poſsit: ergo ſolis naturæ viribus nequit ea certo cognoſcere. Verum cum Angeli ab initio ſuæ conditionis habeant ſpecies impreſſas naturaliter repræſentativas omnium rerum naturalium, quę pro quocumque tempore extitura ſunt, difficultas maxima eſt, quomodo cum hoc ſtare poſsit quod illa Angelus, antequam ſint, ſaltim abſtractive certò nõ poſsit cognoſcere. Videmus enim quod quia imago Cæſaris ſemper eodem modo repræſentat Cæſarem; dum Cæſar exiſtit, illum repræſentat intuitive, & dum non exiſtit, illum repræſentat abſtractive, ſed ſemper certo, ita vt ille, qui videt imaginem, ſemper per illam certo cognoſcit Cæſarem: ſi ergo ſpecies Antichriſti v.g. ſemper repræſentat Antichriſtum, Angelus ab initio habens talem ſpeciem, ſemper per illam certò cognoſcet Antichriſtum, quando exiſtet, intuitive, & quandò non exiſtit, abſtractive. Hęc difficultas valdè torquet ingenia; vnde in varios modos dicendi diviſi ſunt. Quos oportet referre & meliorem eligere.

§. II.

Refertur & refutatur modus dicendi Illuſtriſſimi Domini Araujo.

917 SENTIT Hic Graviſsimus Auctor ſpeciem Antichriſti v.g. ab initio Angelis congenitam non repræſentare, adhuc quantum ex ſe eſt, Antichriſtum, antequam exiſtat, quia deeſt illi quædam modalis determinatio, quã accipit ex hoc, quod Antichriſtus exiſtit in ſuo tempore. Sicque illa ſpecies dicitur Antichriſti, non quia in ſe habeat omnia intrinſeca requiſita ad repræſentandum Antichriſtum ante eius exiſtentiam, ſed quia Antichriſto exiſtente datur illi actione divina quidam modus determinans intrinſece illam, vi cuius tranſit de non repræſentante actu ad repræſentãdum Antichriſtum. Verum hic modus dicendi ſuſtineri non valet, quia expreſſe ſe opponit D. Tho. qui quodlibeto 7. ar. 3. ad 2. ſic habet. *Dicendum, quod quando aliquid incipit eſſe præſens, Angelus de novo cognoſcit illud, non facta aliqua innovatione in ipſo Angelo, ſed in re cognoſcibili, in qua eſt aliquid, quod prius non fuit, quod ſine ea cognita non cognoſcitur.* Et q. 16. de malo ar. 7. ad 13. *Dicẽdum, quod hoc quod dæmon non cognoſcit id, quod eſt futurum, non provenit ex eo, quod intellectus ſuus ſit in potentia, ſed ex eo quod ſingulare futurum nondum participat formam ſpeciei, cuius ſimilitudo actu exiſtit in intellectu Dæmonis.* Quibus docet D. Thom. quod quando actu exiſtit futurum, quod antea non exiſtebat, incipit actu repræſentari per ſpeciem exiſtentem in intellectu Angelico, ſine eo quod aliqua mutatio fiat ex parte ſpeciei Angeli, ſed omnem mutationem debere reduci ad obiectum, quod de novo cognoſcitur: ergo contra D. Thom. aſſerit

Arau-

Digitized by Google

Araujo, quod cùm incipit exiſtere obiectũ, tunc ſpecies illius tranſit de non actu repræſentante ad actuale exercitium repræſentationis per modum quendam, qui illi tunc intrinſece ſuperadditus realiter modaliter mutantem ſpeciem.

Secundo ſic impugno hunc modum dicendi, nam vel ille modus, qui de novo advenit ſpeciei, tribuit illi vim repræſentativam obiecti de novo exiſtentis, ſic, quod det illi præcontinentiam obiecti, quod de novo exiſtit in eſſe repræſentativo, vel ſolum tribuit actuale exercitium repræſentationis: ſi dicatur primum, ſequitur, hanc ſpeciem modo quando exiſtit obiectum nõ eſſe eandem, quæ erat quando obiectum nõ exiſtebat, quod falſiſſimum eſt; aliàs Angelus non cognoſceret obiectum in tempore exiſtens per ſpeciem ſibi datam à Deo ab initio ſuæ conditionis, quod non eſt admittendum. Prob. Sequela. Species formaliter obiectorum repræſentativæ variantur per continẽtiam novorum obiectorum in eſſe repræſentativo; ſunt enim eorum formales repræſentationes, & formæ ſunt ſicuti numeri, qui per additionem novæ vnitatis tranſeunt in aliam ſpeciem: ergo ſi dictus modus ſpeciei Angelicæ tribueret novam vim repræſentativam intrinſece, hoc eſt, novam præcontinentiam obiecti exiſtentis in genere repræſentativo, vere dicta ſpecies eſſet alia ſaltim formaliter realiter à prima. Si dicatur ſecundum, tunc ſic inſurgo; ad ſolum actuale exercitium repræſentationis non requiritur, quod ſpecies intrinſece de novo modaliter mutetur, ſed ſufficit quod actualiter ponatur in re aſsimilatio inter ſpeciem, & obiectum repræſentatum; ſed ad hanc actualem aſsimilationem ſufficit, quod in re ponantur extrema aſsimilata, quod habetur per hoc quod ſolum fiat mutatio ex parte obiecti per tranſitum de non exiſtente ad exiſtens, nam per hoc ſolum ponitur actualis aſsimilatio inter ſpeciem, & obiectum: Igitur ad ſolum exercitium repræſentationis non requiritur quod ſpecies Angelica intrinſece mutetur adhuc modaliter, ſed ſufficit quod obiectum realiter mutetur. Quod ſic explico, actuale exercitium repræſentationis non eſt exercitium alicuius principij effectivi, quod realiter diſtinguitur ab ipſo principio effectivo; ſed eſt exercitium cauſæ formalis, quod nullo modo diſtinguitur ab ipſa cauſa formali: anima enim vnita corpori ſeipſa intranſitive informat corpus, & relatio vnita ſubiecto, quod denominat relatum, ſeipſa intrãſitive actualiter refert ad terminum; ſic ſimiliter ſpecies impreſſa ſeipſa repræſentat actu obiectum ſibi proportionatum, quia repræſentare nihil aliud eſt quam cognoſcibiliter exhibere ipſa prædicata obiecti repræſentabilis: ergo ad hoc vt ſpecies Angelica, quæ ex ſe eſt repræſentativa obiecti, repræſentet actu, quod antea non repræſentabat, ſufficit ipſa poſitio ſpeciei in intellectu, & exiſtentia obiecti per illam repræſentati.

§. III.

Refertur, & refutatur modus dicendi Ioannis à S. Thoma.

918 SECVNDVS Modus dicendi, præcedenti valde affinis eſt, quem tenet Ioannes à S. Th. hic, qui convenit cum modo dicendi iam relato in eo, quod dum de novo obiectum extra cauſas ponitur, ſpecies intrinſece realiter de novo mutatur per receptionem novæ repræſentationis obiecti, quod de novo exiſtit: aſſerit tamen hanc novitatem, quæ in tempore convenit ſpeciei, non fieri à Deo per novam actionem, ſed ex vi primæ actionis, qua de facto produxit primò ſpecies omnium ſpectantium ad hoc vniverſum in mente Angeli; ſicut & motus, quo de novo gravé tendit deorſum, de novo convenit gravi ex actione generantis, qua primò grave productum eſt. Itaque ſicut generans dedit talem virtutem gravi, quod per actionem, per quam generavit illud, ex tali virtute reſultet motus deorſum, non per novam actionem gravis, ſed ex vi primæ actionis, per quam genitum eſt, ſic Deus producens in mentibus Angelicis ſpecies omnium rerum, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, talem indidit illis virtutem, vt iuxta ſucceſsionem temporaneam obiectorum, ex vi primæ actionis divinæ, per quam tales ſpecies produxit, reſultent in ſpeciebus novæ, & determinatæ repræſentationes obiectorum de novo exiſtentium. Pro quo notat, quod ſpecies Angelicæ exemplantur ideas divinas quantum ad hoc, quod eſt repræſentare res ad vniverſum ſpectantes, ſecundum quod deſcendunt ab ipſis ideis divinis: cumque res vniverſi non ſimul omnes deſcendant ab ideis divinis, ſed ſucceſſu temporis, fit inde, quod ab ideis divinis deſcendunt per temporaneam rerum, creatio,

tionem, & ſicut res in tempore de novo fiunt in ſuo eſſe naturali, ita & in tempore fiunt intelligibiliter in mente Angelica.

Eſto hic modus dicendi ſapiat ob ſui ſubtilitatem ſui auctoris ingenium, non tamen ſequendus eſt. Primò, quia iuxta illum ſpecies Angelicæ tranſeunt de non repræſentantibus actu ad actu repræſentantes obiecta, quæ de novo exiſtunt, non ſolum per mutationem obiectorum ſuorum, ſed etiam per intrinſecam mutationem ipſarũ ſpecierum, quod vt ſupra vidimus contra D.Tho. eſt in adducto quodlibeto 7. in quo D.Th. affirmat incipere de novo Angelos cognoſcere obiecta per ſolam mutationem obiectorum, excluſa qualibet variatione in mente Angeli, quod talium eſſet, ſi ſpecies Angelicæ incipiunt de novo repræſentare per intrinſecam additionem realem alicuius determinationis, quam antea non habebant. Nec valet dicere D.Thom. ſolum excludere eam variationem realem intrinſecam ſpecierum, quæ fiat per actionem diſtinctam ab illa, qua Deus primò ſpecies produxit in mente Angelica. Non (inquã) valet, nam D Tho. profert hęc verba: *Quando aliquid incipit eſſe præſens, Angelus de novo cognoſcit illud, non facta aliqua innovatione in ipſo Angelo, ſed in re cognoſcibili, in qua eſt aliquid, quod prius non fuit.* Hæc autem verba omnẽ variationem intrinſecã ex parte ſpecierum Angeli excludunt, & adæquate illam reducunt ad rem cognoſcibilem: ergo dicta ſolutio in via D.Thomæ nõ poteſt ſuſtineri.

Secundo, doctrina tradita ſe opponit D.Thomæ, quatenus affirmat, mẽtem Angelicam, ſucceſſu temporis intelligibiliter perfici quoad formas intelligibiles, ſicut vniverſum ſucceſſu temporis, & non ſimul perficitur rebus in eſſe entis: hoc enim directe pugnat cum doctrina D. Thom. ſupra tradita, vbi docet, *quod ſicut materia corporum cœleſtium ob ſui ſuperioritatem, & exceſſum ad corpora inferiora non ſucceſſive, ſed ſimul accipit totam ſuam perfectionem, ſic intellectus Angeli ob exceſſum ad intellectum humanum non perficitur intelligibiliter ſucceſſu temporis, ſed ſimul ab initio ſuæ conditionis.* Quibus ſe opponit doctrina huius authoris.

Tertio impugnatur hic modus dicendi, nam per hunc modum dicendi non ſolvit hic author difficultatem, quam prætendit effugere. Quod ſic oſtendo, difficultas in eo eſt, quod hoc ipſo, quod ponamus ſpeciẽ Antichriſti Angelo ab initio congenitam ſine aliqua ſui mutatione intrinſeca, quantum eſt ex ſe, habeat omnia requiſita ad repræſentandum Antichriſtum, poterit Angelus per illam Antichriſtum cognoſcere, antequam Antichriſtus in ſeipſo exiſtat, eſto non intuitive, ſaltim abſtractive, ſicut per imaginem Cæſaris ſemper cognoſcitur Cæſar, ſive exiſtat, ſive non exiſtat, eſto nõ ſemper intuitive: hæc autẽ difficultas non ſolvitur per hunc modum dicendi: ergo. Prob. Min. ſecundum iſtum auctorem illæ determinatæ repræſentationes futurorum oriuntur ex ipſa natura ſpeciei Angelis ab initio congenitæ tanquam proprietates à ſua radice: ergo dum Angelus, antequam res exiſtant, perfectè comprehendit ſpecies, quas habet, cognoſcet orituras ex illis dictas determinationes, quando exiſtent in re futura per illas repræſentanda: ergo & habebit per illas notitiam abſtractivam rerũ, antequam exiſtant.

919 Dices, ſpeciebus Angelicis congenitis non eſſe datum abſolute radicare prædictas determinationes proximè futurorum repræſentativas, ſed tantum conditionaliter, id eſt, ex ſuppoſitione quod futura per illas repræſentanda exiſtant in re: cumque Angelus ab initio non cognoſcat res exituras, vel determinate non exituras, ignorat ſimiliter, vtrum dictę determinationes pullulabunt, vel non ex ſuis ſpeciebus congenitis, & ſic eſto perfectè cognoſcat ſuas ſpecies, nequit etiam abſtractive certo cognoſcere futura. Sed contra, nam Deus dedit Angelis ſpecies non repræſentativas rerum, ſi exiſterent, ſed repræſentativas rerum, quas abſolute decrevit producere: ergo dictis ſpeciebus abſolute convenit, & non conditionaliter, vel ſeipſis immediate abſque aliqua additione res futuras repręſentare, vel radicare proximas repræſentationes futurorum.

Explico hoc, eſto verum ſit, quod ſpecies Angelorum non repręſentabunt actu futura, niſi ex ſuppoſitione quod exiſtant, tamen poſtquam Deus decrevit de iſtis, vel illis rebus, quod exituræ ſint, abſolute convenit ſpeciebus Angelicis, vel ſeipſis immediate eſſe repręſentationes exiſtentium, vel radicare repręſentationes proximas illarum: cum ergo Angelus perfectiſſime cognoſcat ſuas ſpecies congenitas, cognoſcet in illis tot, & tantas repręſentationes proximas: ergo in illis, dum primo Angelo infuſæ ſunt, poterit Angelus certò cognoſcere abſtractivè futura. Con-

Confirm. hoc argumento, quo vtitur hic auctor contra eos, qui, vt ſupra vidimus, ponunt ſpecies Angelorũ eſſe proprias paſſiones eorum in propria ſubſtantia radicatas. Arguit enim ſequi ex hoc, quod Angelus ſupremus in propria ſubſtantia ſua cognoſcat omnia, quæ ſpectant ad vniverſum; nam Angelus in ſua ſubſtantia cognoſcit proprietates ſuas: ergo & cognoſcit ſpecies, quæ repræſentant ea, quæ ſpectant ad vniverſum: ergo & cognoſcit omnia obiecta per illas repræſentata. Simile argumentum efformo. Iſtæ repræſentationes proximæ futurorum radicantur ſecundum iſtum auctorem in ſubſtantia, ſeu eſſentia ſpecierũ Angelicarum: ergo cognoſcens perfecte proprias ſpecies, cognoſcet in illis dictas repræſentationes proximas, quæ in illis radicantur, & ex illis oriuntur: ergo & cognoſcet in illis futura per dictas proximas repræſentationes radicatas: non ergo per hunc modum dicendi ſolvit hic auctor difficultatem, quam in præſenti curamus ſolvere.

Præterea inſtauratur argumentum factum ſupra, quia, ſi ſucceſſu temporis Angeli accipiunt de novo repræſentationes proximas, & formales futurorum, ſequitur, quod ab initio non habeant intellectus ſuos completos proxime per modum actus primi ad intelligendum omnia, quæ diſcurſu temporis intelligere poſſunt; conſ. eſt contra dicta ſupra: ergo. Prob. Sequela, nam intellectus Angelicus completur complemẽto actus primi ad intelligendum futura naturalia per dictas repræſentationes proximas obiectorum, quas illi tribuunt ſpecies intelligibiles; ſed has ſecundum iſtum auctorem non habet ab initio in ſeipſis, ſed tantum in ſua radice: ergo ab initio Angeli non habuerunt intellectum completũ per modum actus primi ad intelligendum res ſpectantes ad vniverſum.

920. Conatur hic auctor fulcire ſuum modum dicendi duplici auctoritate D. Tho. Altera ex q. 16. de malo ar. 7. ad 9. ibi: *Formæ, quæ ſunt in rebus à mente divina procedentes, habent quidem ſe ſemper eodem modo, quantum ad rationem ſpeciei, non autem quantum ad participationem individuorum, quia quandoque forma ſpeciei participatur à quibuſdam individuis, quandoque vero ab aliis, & ſic etiam ſpecies intellectus Angelici ſecundum ſeipſas ſemper eodem modo ſe habent, ſed ex tranſmutatione individuorum naturalium provenit, quod quandoque aſſimilantur ſpeciebus exiſtentibus in mente Angeli, quandoque autem non aſſimilantur.* Altera auctoritas eſt ex hac parte q. 57. ar. 3. ad 2. ibi: *Dicendum, quod licet intellectus Angeli ſit ſupra tempus, quo menſurantur corporales motus, eſt tamen in intellectu Angeli tempus ſecundum ſucceſſionem intelligibilium conceptionum, ſecundũ quod dicit Auguſtinus 8. ſuper Gen. ad literã, quod Deus movet intellectualem creaturam per tempus, & ita cum ſit ſucceſſio in intellectu Angeli, non omnia, quæ aguntur per totũ tempus, ſunt ei præſentia.* Ex prima auctoritate ponderat illud, *ex tranſmutatione individuorum oritur quod quandoque aſſimilãtur ſpeciebus exiſtentibus in mente Angeli*: dicit enim, quod hæc aſſimilatio rerum ad ſpecies fit per hoc, quod res producuntur ſecũdum ſuas exiſtentias extra intellectum, & ſecundum eſſe intelligibile in mente Angelica: duo enim requirit hæc aſſimilatio, & quod res in ſeipſa ſit, & quod actualiter in ſpecie Angelica ſit, vnde ſicut ſucceſſive producuntur res in ſeipſis, ſimiliter etiam producuntur ſucceſſive in mentibus Angelicis. Ex ſecunda authoritate põderat, quod in illa dicit D. Tho. quod *quia in intellectu Angeli eſt ſucceſſio, hinc fit, quod omnia non ſint Angelo ſemper præſentia*: ergo (infert hic author) iuxta ſucceſſionem temporaneam obiectorum, habetur pariter ſucceſſio repræſentationum ex parte ſpecierum.

Verum nulla harum authoritatum in aliquo favet modo dicendi huius authoris. Non prima, quia in illa expreſſe D. Thom. habet, quod ſpecies Angelicæ, quantum ex ſe ſunt, ſemper eodem modo ſe habent: ergo ſentit nõ mutari intrinſece ex tranſmutatione individuorum, & licet ita ſit, quod ad hoc, vt individua dictis ſpeciebus de novo aſſimilentur, requiratur, quod producãtur in eſſe rei, & in eſſe intelligibili; tamen poſtquam in mentibus Angelorum omnia individua producta ſunt, dum Deus ab initio ſuæ creationis illis indidit ſpecies intelligibiles omnium rerũ vniverſi repræſentativas, non eſt neceſſe, quod dum ſucceſſu temporis futura producuntur in re, quod iterato producantur in mentibus Angelicis: alias albedo, quæ iam producta erat, vt de novo aſſimiletur albo noviter producto, erit neceſſe, quod iterato, & ipſa producatur, quod falſiſſimum eſt. Sicut ergo albedo exiſtens in re abſque aliqua ſui intrinſeca mutatione per ſolam novã productionem alterius albedinis de facto illi aſſimilatur, cum antea ei non aſſimilaretur; ſic ſpecies Antichriſti ab initio Angelis con-

Digitized by Google

conceſſa, vt de facto aſsimiletur Antichriſto, non eſt neceſſe, quod dum producitur Antichriſtus ſecundum eſſe reale, pariter & producatur in ſpecie ſecundum eſſe intelligibile, ſed ſufficit ad hoc, vt præfata ſpecies Antichriſto actu aſsimiletur, quod Antichriſtus de novo producatur.

Secunda authoritas etiam nihil favet huic modo dicendi. Nam ibi expreſſe loquitur D. Tho. de ſucceſsione conceptionũ, quas Angeli formant, dum ſucceſſu temporis futura cognoſcunt; non vero de ſucceſſione ſpecierum intelligibilium, quas ab initio Angeli ſimul habent infuſas. Probat autem D Tho. & bene, quod quia Angelus mutabilis eſt ſecundum conceptiones ſuas, non debeat habere obiectum immutabile, & ſic non debet habere obiectum menſuratum æternitate, atque adeò omne id, quod intelligere poteſt, non debeat illi pro ſemper eſſe præſens. Sicut & recte ſupra q 14. ar. 13. probavit, quod quia conceptio Dei immutabilis eſt, eius obiectum debeat eſſe immutabile, atque adeò debeat illi cõſignari menſura æternitatis, in qua Deo omnia ſimul exiſtant eius intuitui præſentia. Vnde modus dicendi huius authoris nec ratione, nec auctoritate fulcitur, & ſic illo relicto, & alijs minoris notæ eligitur à nobis modus dicendi, in quo perpetuus eſt Div. Thom.

§. IV.

Eligitur modus dicendi D. Tho.

921 QVOTIESCVMQVE Præſens difficultas occurrit D. Thomæ tractanda, ſemper eam diſſolvit dicendo, ſpecies Angelicas nõ repræſentare futura antequam exiſtant, nõ oriri ex defectu earum, ſed ſolum, quia ad actualem repræſentationem requiritur aſſimilatio inter repræſentans, & repræſentatum, & quandiù res non exiſtunt, actu non aſsimilantur ſpeciebus Angelicis, & ſic ſpecies Angelicæ actu non repræſentant futura, antequam exiſtant in ſeipſis. Sic habet expreſſe q. 16. de malo ar. 7. ad 6. ibi: *Dicendum, quod Angeli non cognoſcunt ſingularia, quando ſunt in actu per ſpecies de novo acquiſitas, ſed per ſpecies, quas prius habentur per quas tamen non cognoſcebant ea, quandiù erãt futura.* Cuius etiam aſſignat rationem. *Quia omnis cognitio fit per quamdam aſsimilationem cognoſcentis, & cogniti: ſpecies autem intelligibiles, quæ ſunt in intellectu Angelico, ſunt directè ſimilitudines reſpicientes naturas ſpecierum per quas tantũ ſingularia poſſunt cognoſcere, non tamen niſi in quantum participant naturam ſpecierum, quod non eſt antequam ſint in actu, & ideo ſtatim quando ſunt in actu cognoſcuntur ab Angelo ſicut è converſo accidit apud nos, quod oculus ſtatim quod accipit ſpeciem lapidis cognoſcit lapidem præexiſtentem; formæ enim intellectus Angelici præexiſtunt rebus temporalibus, ſicut formæ rerum præexiſtunt ſenſibus noſtris.* Quam doctrinam repetit ſolutione ad 9. & hic q. 57. ar. 3. ad 3. & 2. ad Annibaldum diſt. 7. q. vnica. ar. 3. ad 4. ſic D. Thomas.

Sed pro maiori explicatione adverto, quod ſpecies Angelis à Deo inditæ, tantum habent repræſentare rerum naturas, prout ab Ideis divinis cauſantur in ſingulari: vnde tãtum ſunt ſimilitudines naturarum, prout actu à ſuis ſingularibus participantur; & ſi hoc de medio tollatur, non reſtat aliquid, quod obtinere poſsit rationem obiecti repræſentabilis per illas. Secundo adverto, quod ad hoc vt ſpecies repræſentet actu, requiritur, quod obiectum repræſentatum habeat eſſe eo modo, quo requiritur ad hoc vt actu aſsimiletur ſpeciei: ſi enim ſpecies tantum eſt ſimilitudo obiecti ſecundum ſe, ſecundum quod præſcindit ab abſentia, vel præſentia phyſica, ad hoc vt actu aſsimiletur ſpeciei, non requiritur, quod phyſice exiſtat in aliqua duratione, ſed ſufficiet, quod habeat eſſe obiectivum, hoc eſt, præſentiam obiectivam: ſi autem ſpecies ſit ſimilitudo obiecti prout determinate exiſtit in aliqua duratione phyſica, ſic ad hoc vt ſpecies illi actu aſsimiletur, requiritur neceſſariò, quod obiectum actu phyſice exiſtat.

Ex his ſic formo rationem, qua probo, quod eſto ſpecies futurorum præexiſtant in Angelis ab initio conditionis eorum, non tamen poſsint Angeli intelligere per illas futura, antequam exiſtant. Angelus nequit intelligere futurũ niſi actu ſpecies ei illud repræſentet; ſed quandiu actu futurum non exiſtit, actu Angelo ſpecies non repræſentat futurum: ergo quando futurum actu nõ exiſtit, illud non poteſt cognoſcere Angelus. Conſ. eſt bona, Mai. certa, & Mi. Prob. ſpecies actu non repræſentat obiectũ, quandiu illi actu non aſsimilatur, nam repræſentatio actualis fit per actualem aſsimilationẽ ſpeciei cum obiecto; ſed quandiù futurum non exiſtit extra cauſas, ſpeciei Angelicæ

Digitized by Google

actu non aſsimilatur, quia illa ſpecies tantum eſt ſimilitudo futuri, prout actu cauſatur ab idea divina; quando autem non exiſtit, ab idea non cauſatur, nec actu participat naturam per ſpeciẽ impreſſam directe repræſentatam, & ſic ei non aſsimilatur: ergo quandiu futurum actu non exiſtit, ſpecies Angelica actu illud nõ repræſentat Angelo.

Confir. & explicatur hoc, eſto obiectũ potentiæ viſivæ v.g. exiſtat à parte rei, quãdiu viſus non habet actu ſimilitudinem talis obiecti, neque datur repræſentatio in actu, neque viſus poteſt tale obiectum videre: ergo è converſo quantumvis in intellectu Angelico præexiſtat ſpecies futuri, ſi tamen futurum actu non habet illam naturã, cuius eſt directa ſimilitudo ſpecies Angelica, non dabitur actualis repræſentatio illius, neque poterit Angelus actu cognoſcere illud. Itaque in ſumma dico, ad actualem repræſentationem obiecti ſpeciei impreſſæ Angeli, requiritur, & quod obiectum in ſe exiſtat, & quod exiſtat in mente Angeli per ſuam ſpeciem, vnde altero eorum deficiente, deficiet actualis repræſentatio futuri, hoc autẽ deficiente, Angelus nequit cognoſcere actu; ergo non exiſtente futuro in ſeipſo extra cauſas, quantumvis exiſtat eius ſpecies in mente Angeli, hic illud cognoſcere poterit.

§. V.

Soluuntur inſtantiæ contra hanc rationem, & doctrinam.

922 PRIMO Inſtatur exemplo imaginis externæ repræſentantis Cæſarem v. g. eſto enim Cæſar actu non participet illa lineamenta, quorum ſimilitudo eſt eius imago, ſemper tamẽ imago Cæſaris actu repræſentat Cæſarem, & ſemper intellectus venire poteſt in cognitionem illius, ſi exiſtit, intuitivam, ſi non exiſtit, abſtractivam: ergo eſto futurum actu non participet illam naturam, cuius eſt ſimilitudo; ſpecies exiſtens in mente Angeli ſemper tamen repræſentabitur à ſpecie, & ſemper Angelus venire poterit in cognitionem illius, ſi exiſtat, intuitivam, & ſi non exiſtit, abſtractivam. Ad hoc, conc. Ant. nego Conſeq. nam imago Cæſaris, cum ſit deducta ab illo, quando in ſeipſo habebat illa lineamenta, eſt effectus ipſius Cæſaris: vnde ſemper Cæſar manet in ſua externa imaginẽ tanquam cauſa in ſuo effectu, & ſic in imagine illa *vt quod* cognita cognoſcitur Cæſar: ſicut Deum, quem nunquam vidimus, cognoſcimus per effectus ſuos, & per ſcientiam, quam habemus de eo, quod effectus Dei ſint. Species autem exiſtentes in mente Angeli nõ ſunt effectus futurorum, vnde ipſis non exiſtentibus non poſſunt Angeli per ſpecies, quas apud ſe habent, illa aliqua via cognoſcere. Itaque intellectus videns imaginem externam, ſi ſciat illam eſſe imaginem Cæſaris, videt Cæſarem in ſua imagine, tanquam in effectu Cæſaris ſaltem in genere cauſæ exemplaris: Angelus autem, quamvis cognoſcat *vt quod* ſpeciem, quam habet, cum illa non ſit effectus obiecti per illam repræſentati, nullo modo poteſt per illam illud cognoſcere.

923 Inſtatur ſecundò, ſequitur ex noſtra doctrina, Angelum de rebus præteritis non poſſe habere certam notitiam; Conſ. eſt falſum, alias eſſet deterioris conditionis, quam homo, ſiquidem hic res præteritas certò cognoſcit cognitione abſtractiva, quod Angelus non poſſet: ergo doctrina noſtra eſt falſa. Prob. Sequela, Angelus non poſſet cognoſcere præterita, niſi per hoc quod ſpecies impreſſa illa actu repræſentarent; at ſpecies Angelicæ ut quirent præterita repræſentare, ſi vera eſt doctrina à nobis tradita: ergo. Prob. Min. iuxta noſtram doctrinam ſpecies tantum poſſunt repræſentare ea, quæ actu participant naturam directe repræſentatam per illas; ſed præterita, cum actu non ſint, actu non participant præfatam naturam: ergo non poſſent actu repræſentare præterita. Ad hoc, nego Sequelam. Ad Prob. nego Min. Ad Prob. diſt. Mai. loquẽdo de rebus nunquam ab Angelo cognitis, conc. Mai. loquendo de rebus, quas jam Angelus cognovit, nego Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque ſpecies Angelica rem in ſeipſa nequit repræſentare, quandiu res in ſeipſa eſſe nõ habet, ſed poſtquam res jam habuit eſſe, & ſpecies actu aſsimilata eſt ei, & Angelus illam cognoſcit; tunc ſpecies illa per cognitionem, quam illa mediante de tali re Angelus elicuit, manet determinata non ad repræſentandum rem in ſeipſa, quandiu res in ſeipſa non exiſtit, ſed ad repræſentandum rem vt cognitam, id eſt, ad repræſentandum Angelum rem illam cognoviſſe. Ad hanc autẽ repræſentationem non requiritur, quod res aſsimiletur actu ſpeciei, ſed ſufficit aliquan-

quando ipſi fuiſſe aſſimilatam, & Angelum cognoviſſe talem aſſimilationem. Vnde ſi res præterijt, & Angelus illam nunquam cognovit, quando actu exiſtebat, & res ſui nullum veſtigium, ſeu effectum reliquit, tunc Angelus nequibit rem præteritã cognoſcere, quia tunc talis res neque in ſe ipſa manet, neque vt cognita, neque in aliquo ſui effectu; vnde reſpectivè ad Angelũ erit quaſi nunquam fuerit; quod ſi res tranſivit, & aliquod ſui veſtigium reliquit, tunc acutiſsimum Angeli ingenium, rem à ſigno, & à poſteriori cognoſcere poterit: nam licet res in ſeipſa non ſit, eſt tamen in ſuo effectu, quod reliquit.

924 Tertio inſtabis ad probãdum ſpeciem Angelicam non poſſe tranſire de non repræſentante futurum ad actualem eius repræſentationem, niſi intrinsecè mutetur. Actu repræſentare Antichriſtum v. g. non eſt denominatio extrinſeca in ſpecie, ſed eſt perfectio intrinſeca illius: ergo per ſolã poſitionem futuri extra cauſas nequit ſpecies, quæ antea illud non repræſentabat, actualiter illud repræſentare. Prob. Conſ. quia ex ſola poſitione obiecti extra cauſas tantum poteſt ſpeciei advenire extrinſeca denominatio: ergo ſi actu repræſentare futurum eſt intrinſeca perfectio ſpeciei; præter poſitionem obiecti extra cauſas requiret intrinſecam perfectionẽ de novo accipere. Confirm. antequam futurum exiſteret, ſpecies actu ſolum repræſentabat naturã, & quidditatem illius futuri, & poſtquam futurum exiſtit, actu repræſentat illam naturã prout exiſtentem in hoc individuo, in quo antea nõ exiſtebat: ergo intrinſece mutatur. Prob. Conſ. natura repræſentata intrinſece mutatur per hoc, quod de novo participatur phyſice ab hoc individuo, à quo antea actu nõ participabatur: ergo pariter ſpecies impreſſa intrinſece mutabitur per hoc, quod antea in eſſe repræſentativo ſolum præcõtinebat naturam, & modo in eſſe repræſentativo præcontinet naturam prout in hoc individuo exiſtentẽ: ſicut enim in eſſe phyſico aliud intrinſecum dicit natura tantum ab eo, quod dicit natura prout in hoc individuo, ita in eſſe repræſentativo aliud intrinſecum dicit ſola natura, & aliud natura prout in hoc individuo.

Confirm. ſecundo, ſpecies Angelica, antequam res exiſtant à parte rei, indifferenter ſe habent ad repræſentandum, vel non repræſentandum illas, indifferentia intrinſeca ſe tenente ex parte ſpeciei: ergo vt determinate repræſentet hoc individuum quod antea non repræſentabat, requirit aliquem modum de novo illi ſuperadditum intrinſece illam determinantem ad repræſentationem huius. Prob. Conſ. ex his, quæ ſupra diximus impugnantes Scotum dicentem, Angelũ eſſe in loco ratione ſuæ ſubſtantiæ. Etenim quia Angeli ſubſtantia, quantum eſt ex ſe, indifferens eſt ad occupandum hunc, vel illum locũ, nequit per ſolam poſitionem extrinſecam huius loci occupare hunc locum, quem antea non occupabat, ſed requirit aliquid illi de novo ſuperaddi, ratione cuius determinatur ad eſſendum in hoc loco determinato: ergo quia ſpecies Angelica ex ſe indifferenter ſe habet ad repræſentationẽ huius individui, vel non repræſentationem eius, ad hoc vt actu hoc individuum repræſentet, quod antea non repræſentabat, non ſufficiet, quod hoc individuum de novo in re ponatur, ſed vltra hoc requiretur, quod aliquis modus de novo ſuperaddatur ſpeciei intrinſece illã afficiens, & auferens ab ea ſuam indeterminationem.

Ad hoc argumentum, diſt. Antecedens: eſt perfectio intrinſeca ſpeciei abſoluta à connexione cum obiecto exiſtenti, nego Antec. per ſe connexa cum obiecto exiſtẽti, Conc. Antec. & nego Conſeq. Ad Prob. nego Conſ. Etenim actu repræſentare futurum quid intrinſecum eſt in ſpecie, ſed quia eſt connexum cum obiecto vt exiſtenti, fit Conſ. quod non convenit ſpeciei niſi actu exiſtat obiectum, ſicut album B. v. g. actu aſſimilari albo. C. quid intrinſecum eſt illi, ſed quia eſt intrinſecum eſſentialiter connexum cum albo. C. non convenit ei nõ exiſtente albo. C. non quia aliquid intrinſecũ abſolute deficiat albo. B. ſed quia quandiu album. C. non exiſtit, illud intrinſecum albi. B. non connectitur actu cum albo. C. Ita ſpeciem Angelicam actu repræſentare futurum quid intrinſecum eſt illi, ſed non intrinſecum abſolute, ſed intrinſecum connexive cum obiecto exiſtenti, vnde cum obiectum exiſtit, dupliciter convenit ſpeciei illud intrinſecum, nempe abſolutè, & connexivè; & ſic actu repræſentat; quando autem non exiſtit futurum, tantum convenit abſolute, & ſic actu non repræſentat futurum.

Ad primam Confirm. actu ſolum repræſentabat naturam, & quidditatem, non individuationem futuri, ex defectu præcõtinentiæ individuationis in genere repræ-

ſen-

ſentativo, nego Antec. ex defectu extrinſeci connotati, ſcilicet, quia futurum nondum exiſtebat, conc. Antec. & nego Conſeq. Ad Prob. conc. Antec. nego ſuppoſitum Conſeq. quia vt ſæpius dixi, ex quo ſpecies Antichriſti congenita eſt Angelo, præcontinet in genere repræſentativo Antichriſtum ſecundum naturam, & ſecundum individuationem, ſed quia ad actu repræſentandum vltra hoc requiritur aſsimilatio Antichriſti cum tali ſpecie, quamvis hæc actu illa omnia præcontineat, non tamen Antichriſtũ actu repræſentat, quandiù Antichriſtus actu non exiſtit.

Ad ſecundam diſt. Antec. indifferenter ſe habet ad repræſentandum, vel non, per carentiam formæ repræſentativę, nego Antec. per carentiam puri exercitij talis formæ, tranſ. Antec. & nego Conſeq. Ad Prob. diſt. cauſalem Antec. quia indifferenter ſe habet ad occupandum, vel non occupandum indifferentia conveniente illi per carentiam formæ determinatæ occupativæ loci, conc. Antec. orta ex carentia ſolius exercitij occupationis loci, nego Antec. & Conſequentiam. Etenim indifferentia, quam habet ſubſtantia Angeli ad occupandum locum, vel non occupandum, convenit illi, quia ex ſe intranſitive non eſt forma occupativa loci, cum hæc tantum ſit operatio eius, & ſic vt determinetur ad occupandum, indiget aliquo intrinſeco de novo ſuperaddito; at indifferentia ad repræſentandum actu non convenit ſpeciei Angelicæ ex carentia præcontinentiæ futuri in eſſe repræſentativo, ſed ex ſola carentia exercitij, quod non habet actu, quia dum obiectum non exiſtit, illi actu non aſsimilatur, & ſic actu illud non repræſentat: vnde non eſt paritas.

925 Sed inſtas, exercitium cauſæ formalis non eſt aliud, quam forma communicata ſubiecto; ſed actualis repræſentatio eſt exercitium cauſæ formalis: ergo non erit aliud quam ipſa ſpecies actu communicata intellectui Angelico: cum ergo ab initio ſpecies repræſentativæ futurorum informent intellectum Angeli, videtur, quod ſi non indigent aliquo intrinſeco ad actualem repræſentationem ſuperaddito, ab initio actu repræſentent Angelis ſua obiecta.

Ad hoc, diſtinguo Mai. exercitium cauſæ formalis non eſt aliud quam forma communicata ſubiecto, poſitis ponendis, conc. Mai. non poſitis ponendis, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſeq. non erit aliud quam ipſa ſpecies communicata intellectui Angelico, poſita exiſtentia obiecti repræſentabilis, conc. Conſ. nõ poſita, neg. Conſ. Cum ergo ab initio conditionis Angeli futura nõ exiſtant, ſpecies communicant ſubiecto eſſe repræſentativum, ſed non actualem repræſentationem futurorum.

Sed inſtas, licet ad hoc vt ſpecies Angelica repræſentet futurum vt exiſtens requirat poſitionem futuri vt exiſtentis, tamen ad repræſentandum futurum vt exiturum ſufficit, quod futurum exiturum ſit; ſed ab initio futura, eſto non exiſtant, ſunt tamen exitura: igitur licet ab initio non repræſentet ſpecies Angelica illa vt exiſtentia, repræſentabit tamen illa vt exitura, & ſic habebitur intentum. Prob. Mai. nam ſimilitudo, quæ rem, quando exiſtit, repræſentat vt exiſtentem, quando non exiſtit, & exitura eſt, repræſentabit eam vt exituram; ex vi enim illius determinationis liberæ, per quam eſſentia divina repræſentat futura vt exiſtentia, quando exiſtunt, repræſentat vt exitura, quando nondum exiſtunt: ergo ſi ſpecies Angelica, quando actu exiſtunt futura, repræſentat vt exiſtentia, quando adhuc non exiſtunt, repræſentabit vt futura. Ad hoc, nego Maiorẽ. Ad repræſentandum enim futurum vt exiturum requiritur repræſentatio illius vt præcontenti in cauſa infallibiliter determinata ad producendum eum in aliqua differentia temporis: ſpecies autem Angelicæ hoc non habent, ſed tantum habent repręſentare illud, vt in ſe ipſo eſt, & vt actu cauſatur à divinis ideis, & ſic quamvis illud ſit exiturum, non habet repræſentare illud vt exiturum: eſſentia autem divina, cum per ipſam liberam determinationem cauſet futurum in ſe ipſo pro tempore liberè ab ipſa determinato, per ipſammet repræſentat illud, vt in cauſa determinata ad dandum illi eſſe in tempore determinato, & ſic quando exiſtit, repręſentat vt exiſtens, & quando nondum exiſtit, repræſentat illud vt exiturum.

926 Inſtabis quarto, per nos futurum, antequam in ſe ipſo exiſtat, iam exiſtit intelligibiliter in ſpecie Angelica: ergo Angelus cognoſcens perfectè ſuam ſpeciem, cognoſcet futurum intelligibiliter præcontentum in illa: ergo & poterit abſtractive cognoſcere Antichriſtũ. Prob.

Conſeq. nam ad notitiam abſtractivam alicuius obiecti ſufficit cognoſcere illud vt præcontentum in aliqua ſui ſimilitudine: ergo Angelus cognoſcens Antichriſtum vt præcontentum in ſua ſpecie intentionali, cognoſcet illum abſtractivè. Ad hoc, conc. prima Conſeq. nego ſecundam. Ad Prob. diſt Antec. vt præcontentum in aliqua ſui ſimilitudine habente exercitium ſimilitudinis, conc. Ant. ſi non habeat exercitiũ ſimilitudinis, nego Ant. & Conſ. Itaque ſpecies Antichriſti congenita Angelo, antequã exiſtat Antichriſtus, dicitur ſimilitudo Antichriſti, non quia aſsimiletur actu Antichriſto, antequam in ſe ipſo exiſtat, ſed quia exiſtente Antichriſto ei aſsimilabitur; vnde eſt Antichriſtus abſolutus ab omni ordine, & connexione cum Antichriſto in ſuo eſſe naturali; & ſic quamvis Angelus cognoſcendo ſpeciem ſuam, cognoſcat Antichriſtum intentionalẽ, non tamen abſtractive cognoſcit Antichriſtum ſecundum eſſe naturale, & phyſicum.

Sed inſtas, Angelus ſcit evidenter ſe non habere ſpecies intelligibiles naturales niſi rerum, quæ aliquando erunt: ergo ſi cognoſcit Antichriſtum ſecundum eſſe intentionale, cognoſcet certo, quod ille Antichriſtus, qui pro tunc habet tantum eſſe intentionale, habebit aliquando in tempore verum, & naturale eſſe: ergo poterit formare hoc iudicium. *Antichriſtus erit*. Ad hanc replicam, quam proprio Marte formavimus, fateor deſiderare magis ab alio audire ſolutionem, quam eam ex proprijs dare. Sed pro exili captu meo reſpondeo, Angelum habere evidentiam de eo, quod ipſe habet ſpecies congenitas repræſentativas omnium eorum, quæ aliquando erunt in vniverſo, fateor ſimiliter ſe ſcire, quod reſpectu poſsibilium, quæ ſolum præcontinentur in Dei omnipotentia, ipſe non habet ſpecies; neſcit autem, vtrum ſolum habeat ſpecies rerum, quæ aliquando erunt, an etiam habeat ſpecies plurium poſsibilium ex concurſu cauſarum naturalium, quæ tamen nunquam erunt: quia non decrevit Deus eorum futuritionem: cum ergo Angelus videt Antichriſtum intentionalem, neſcit, an ſit de rebus, quæ erunt aliquando, an de his, quæ ſecundũ concurſum cauſarum naturalium eſſe poſſunt; non tamen erunt, quia non eſt decretum de eis, vt ſint, & ſic nequit arguitive cognoſcere, quod Antichriſtus erit.

927 Inſtabis quinto, eſſentia divina, vt prævenit decretum de productione Antichriſti, non habet quantum eſt ex ſe omnia, quæ ſufficiunt ad actu repræſentandum vt futurum Antichriſtum, ſed per ipſum decretum liberum intrinſecè determinatur ad repræſentandum, quantum eſt ex ſe futuritionem Antichriſti: ergo ſimiliter ſpecies Angelica, antequam futurum exiſtat in ſe ipſo, non habebit, quantũm eſt ex ſe, omnia requiſita ad repræſentandum Antichriſtum, quando extiterit. Prob. Conſeq. ideo eſſentia divina, vt prævenit decretum de productione Antichriſti, non habet omnia intrinſeca requiſita ad repræſentandum illum vt futurum, quia vt prævenit decretum de productione Antichriſti, ſolum repręſentat Antichriſtum, vt poſsibilem; ſed etiam ſpecies Angelica, antequam exiſtit Antichriſtus, ſolum repræſentat illum vt poſsibilem: ergo etiam indigebit ex parte ſui aliqua determinatione intrinſeca, vt exiſtente Antichriſto illum repræſentet in ſe ipſo. Confirm. ſi per poſsibile, vel impoſsibile Antichriſtus poneretur extra cauſas ſine eo quod daretur decretum de eius productione, eſſentia divina ſolum repræſentaret illum vt poſsibilem, non vt exiſtentem, quia deficeret ex parte illius intrinſeca determinatio, quam illi tribuit decretum: ergo per hoc ſolum quod Antichriſtus ponatur in re, ſpecies Angeli ea, quæ illum ſolum repræſentabat vt poſsibilem, nequibit illum repræſentare vt exiſtentem.

Ad hoc, nego Conſeq. Ad Probationem, nego cauſalem Maioris, non enim eſſentia divina, ex eo ſolum quod Antichriſtum ante decretum de eius fore repręſentat vt poſsibilem, non poteſt eum repręſentare vt futurum, quandò exiſtit; ſed quia, quantum eſt ex ſe, non habet omnem determinationem, quæ requiritur ad repræſentandum Antichriſtum vt futurum, & ideo requiritur, quod illam habeat à decreto libero Dei de productione Antichriſti: cęterum ſpecies Angelica habet ex ſe omnia requiſita ad repręſentandum Antichriſtum vt exiſtentem, quandò exiſtit, & ſolum illum repræſentat vt poſsibilem, quando non exiſtit, quia Antichriſtus illi non aſsimilatur actu, quandiù extra cauſas non exiſtit, & ita ſolum expectat ad actualem repræſentationem Antichriſti vt exiſtentis,

quod

quod Antichriſtus ponatur in re. Quare autem omnem intrinſecam determinationem habeat ſpecies Angelica, ex eo deduco, quod eſt participatio formalis Ideæ divinæ practicè ſumptæ, & non tantum ſpeculativè; idea autem practica Antichriſti habet ex ſe omnem determinationem intrinſecam requiſitam ad actu repræſentandum Antichriſtum vt exiſtentem, & ideo hoc habet ſpecies Angelica. Ad Confirm. nego Conſequent. propter rationem iam dictam, quia eſſentia divina non determinata per decretum non habet omnia intrinſeca, quæ ex parte ſpeciei requiruntur ad repræſentandum Antichriſtum vt exiſtentem, benè verò ea habet ſpecies Angelica, antequam Antechriſtus exiſtat, quia ea deſumit ab idea practica Antichriſti.

Sed inſtas, idea divina nequit participari vt practica, quin participetur vt factiva: per hoc enim diſtinguitur à ſe ipſa vt ſpeculativa; ſed ſpecies Angelis congenitæ non ſunt factivæ ideatorum: igitur falſum eſt ſpecies Angelicas eſſe formales participationes ideæ divinæ vt practicæ. Reſp. quod in idea divina vt practica ſunt duo: alterum eſt efficere, & alterum eſt repræſentare id, quod per ipſam fit; participatur ergo idea divina ab Angelis quoad repræſentare, non vero quoad efficere. Vnde in forma, nego Mai. non enim idea practica ſolum diſtinguitur à purè ſpeculativa, quia hæc ſolum repræſentat, & illa efficit; ſed etiam diſtinguitur in eo, quod ſpeculativa præſcindit ab hoc, & nunc in ſui repræſentatione: idea autem practica, cum repræſentet id, quod efficit, non præſcindit, ſed concernit. Vnde poteſt participari vt practica, ſine eo quod participetur vt factiva.

§. VI.

Vtrùm de potentia abſoluta poſſint Angeli cognoſcere abſtractivè futura?

928 CONCLVSIO Eſt affirmativa, & communis inter Theologos. Et prob. nam in linea cognitionis id, quod conceditur hominibus, non debet negari Angelis; ſed cognoſcere futura multoties divinitus conceſſum eſt hominibus: ergo non debet Angelis denegari. Conſeq. eſt bona, Mai. certa, & Min. patet ex innumeris revelationibus futurorum factis Prophetis in lege veteri, & Sanctis in lege gratiæ. Difficultas tamen eſt in aſsignando modò, quo huiuſmodi revelationes fieri poſſunt. Nam futura vt infallibili ſcientia cognoſcātur, debent cognoſci, vel in ſe ipſis, vel in determinatione cauſarum, vel in determinatione primæ cauſæ; primo modo nequit fieri divinitus: nam, vt infra videbimus, nequit creatura intellectualis videre res in ſe ipſis, antequam in ipſis exiſtant. Similiter, cum futura merè contingentia nullam ſui habeant determinationem in cauſis creatis, ſed omnimodam indifferentiam, non videtur quod prout ſic poſsint infallibiliter cognoſci: ſolum reſtat poſſe fieri tertio modo, id eſt, per ſpecies repræſentantes futura, prout habent determinationem ad ſuum fore in prima cauſa, & hoc videtur impoſſibile: nam non datur, nec dàbilis eſt ſpecies creata, quæ determinationem primæ cauſæ repræſentare poſsit, ſiquidem prout ſic eſt quid divinum, & divina per ſpecies creatas repræſentari nequeunt, ſaltim immediatè; neque etiam mediatè, quia cognitio mediata debet reduci ad aliquod immediatè repræſentans divina, quod non eſt dabile: nō ergo dabilis eſt modus, quo divinitus huiuſmodi revelationis fiant.

929 Reſpondeo, huiuſmodi revelationes eſſe loquutiones divinas: hæ autem loquutiones fiunt per ſigna externa, & ſpecies eorum repræſentativas, & divinum inſtinctum communicatum intellectui, quo quis certificatur de eo, quod Deus eſt ipſe, qui loquitur: per illas autem loquutiones Deus explicat voluntatem ſuam, quam habet de productione alicuius eventus contingentis; vnde vt creatura intellectualis, quacumq; illa ſit, cognoſcat certò futura, antequam ſint, non requiritur quod ei repræſententur, vt in ſe ipſis exiſtunt; neque in determinatione cauſæ proximæ, neque eſt neceſſe, quod videat cauſæ primæ liberam determinationē, ſed ſufficit, quod credat id, quod Deus loquitur: per hoc enim audiens certificatur de re; quòd erit in tali tempore, loco, & circunſtantijs, ſub quibus res futura eſt.

Sed inſtas, quod Angelus, vt credat, non requiritur, quod Deus ſua potentia abſoluta vtatur, nam de lege ordinaria credunt Angeli, & homines myſteria gratiæ, & alia huiuſmodi: ergo ſi cognitio futurorū contingentium habetur per hoc, quod Angeli credunt Deo loquēti, de lege ordi-

Digitized by Google

ria cognoſcent futura contingentia. Reſpondeo, quod dum in titulo quæſtionis apponimus illa verba *de potentia abſoluta* non ſumus loquuti de potentia abſoluta ordinis gratiæ, ſed intelligimus potentiam abſolutam à legibus naturæ: & ſic reſpondemus, quod poſſunt, quia Deus vt auctor gratiæ poteſt eis revelare, quæ futura ſunt. Vnde ad argumentum, diſt. Antec. abſoluta à legibus naturæ, nego Antec. abſoluta ab omni lege tàm naturæ, quàm gratiæ, conc. Antec. & diſt. Conſeq. de lege ordinaria ordinis gratiæ, conc. Cōſeq. de lege ordinaria ordinis tam naturæ, quàm gratiæ, nego Conſeq.

§. VII.

An de potentia abſoluta etiam ordinis gratia poſſit Angelus intueri futura?

930 VIDIMVS Angelum virtute ſola naturali non poſſe certò cognoſcere futura contingentia; vidimus inſupèr ſupernaturaliter poſſe cognitione abſtractiva futura cōtingentia cognoſcere: reſtat nobis videndum, an poſsit divinitus omni plenitudine poteſtatis divinæ attenta intueri futura, antequam ſint? In quo puncto elucidando ſunt duæ ſententiæ inter Thomiſtas. Prima affirmans eſt. Hanc tenent Sapientiſsimus M. Herrera noſtræ familiæ ſplendidiſsimū lumen in ſuo celebri tractatu de ſcientia animæ Chriſti. Alvarez diſput. 6. Cornejo 3. part. tract. de ſcientia animæ Chriſti, q. 11. *§. ad 2. dubium*, Suarez, & plures recentiores Ieſuitæ, quibus ſubſcribit noſter Prado lib. 3. de anima, q. 21. citans pro ſe Caiet. & Capreolum. Secunda ſententia negat. Hanc tenent communiter Thomiſtæ Bañez 1. p. q. 14. art. 13. concluſ. 4. Zumel hic, quæſt. 57. art. 3. concluſ. 5. Molina 3. p. q. 11. art. 1. ad 2. Nazarius controverſia vnica, quæſt. 4. concluſione 4. Illuſtriſsimus Godoy 3. p. q. 11. art. 1. §. 6. concluſ. 5. Salmant. hic q. 57. diſp. 7. dub. 3. & 4. Ferrara lib. 1. Contrag. c. 66. Araujo, & Cabrera 3. p. q. 11. art. 1. Lerma diſp. 7. de notitijs, q. 4. Lince 1. p. Philoſophiæ rationalis, lib. 4. q. 11. art. 5. & Parra lib. 1. Dialectic. diſput. tract. 3. diſp. 3. dub. 3. & quia hæc ſententia eſt communior, & veritati conformior, ſit noſtra concluſio. De potentia abſoluta Dei nequit dari in Angelis notitia intuitiva futurorum. Prob. primò, nam Div. Auguſtinus lib. 11. Confeſſ. cap. 18. docet, quod *videri non poteſt, quod non eſt*; at futura vt talia non ſunt: ergo non poſſunt videri, idem autem eſt viſio, & intuitio, vt communiter tenent Scholaſtici: igitur iuxta Auguſtinum Parentem futura nequeunt intueri ab illis, reſpectu quorum futura ſunt.

Prob. 2. ex Div. Thom. hic, quæſt. 51. articul. 2. vbi aſſerit, viſionem non poſſe ſubſiſtere, quin obiectum viſum ſit extra videntem ſecundum phyſicam, & realem exiſtentiam, & quæſt. 14. articul. 23. docet, futura vt poſsint intueri à Deo debere exiſtere phyſicè in æternitate. Et de veritat. quæſt. 3. articul. 3. ad 8. vbi habet; quod *ſimplex notitia dicitur, non ad excludendum reſpectum ſcientiæ ad ſcitum; quia inſeparabiliter omnem ſcientiam conſequitur, ſed ad excludendum admiſsionem eius, quod eſt extra genus notitiæ, ſcilicet, exiſtentiam rerum, quam addit ſcientia viſionis*. Ex quibus infero, notitiam intuitivam eſſentialiter requirere exiſtentiā phyſicam rei, cuius eſt notitia intuitiva, & ſic per nullam potentiam poſſe dari notitiam intuitivam futurorum reſpectivè ad cognoſcentem.

931 Tertio ratione Prob. Concluſio. Nam ſicut homo eſſentialiter diffinitur per hoc, quod ſit animal rationale, ita notitia intuitiva eſſentialiter diffinitur per hoc, quod ſit notitia rei in ſe ipſa phyſicè præſentis: ergo ſicut Deus nequit efficere hominem, quin efficiat animal rationale, ita nequibit efficere notitiam intuitivam alicuius rei, quin ſit notitia rei phyſicè præſentis; ſed futura vt talia non ſunt in ſe ipſis, reſpectu illius, cuius ſunt futura: ergo Angelus nulla via poterit intueri futura.

Dices cum aliquibus, de diffinitione notitiæ non eſſe quod ſit rei phyſicè præſentis, ſed tantum eſſe, quod ſit notitia clara, & diſtincta rei quoad quidditatem, exiſtentiam, & alias circunſtantias, quibus res in ſe ipſa efficitur: poteſt autem Deus infundere Angelo ſpeciem repreſentantem Antichriſtum quoad quidditatem, exiſtentiam, ſingularitatem, & alias circunſtantias, ſub quibus erit Antichriſtus, quando exiſtet in propria menſura, & ſic opporterit Angelus modò illum cognoſcere intuitivè.

Sed

Sed contra eſt, nam cum dicitur notitia intuitiva eſt notitia rei præſentis, eſt loquutio de illa præſentia, vi cuius notitia intuitiva eſſentialiter differt ab abſtractiva; at hæc præſentia non eſt tantum obiectiva: ergo debet eſſe phyſica. Conſeq. eſt bona, Mai. certa, & Min. Prob. nam notitia abſtractiva etiam eſt notitia rei præſentis præſentia obiectiva: ergo per illam non differt notitia intuitiva ab abſtractiva. Confirm. notitia intuitiva addit, vt vidimus ex D. Th. q. 3. de veritate, exiſtentiam rei, quæ ſit extra genus notitiæ; at exiſtentia ſignatè, & per modũ quidditatis cognita non eſt extra genus notitiæ, benè verò ſumpta exercitè, & vt extra cognoſcentem rem facit exiſtere phyſicè: igitur ly *præſentis* poſitum in diffinitione notitiæ dicit præſentiam phyſicam.

Confirm. vrgentius, notitia, quam Deus habet de futuro contingenti reduplicativè prout in cauſa prima contentum, eſt cognitio perfectiſsima quidditatis, ſingularitatis, exiſtentiæ, & omnium circunſtantiarum, ſub quibus futurum ponitur in re; & tamen prout ſic non eſt notitia intuitiva futuri, quia prout ſic non eſt notitia futuri, vt in ſe ipſo præſentis, ſed tantum vt præcontenti in cauſa prima: igitur ad notitiam intuitivam non ſufficit perfectè, clarè, & diſtinctè, cognoſcere quidditatem, exiſtentiam, ſingularitatem, & circunſtantias, ſub quibus res erit, ſed vltrà requiritur, quod notitia terminetur ad rem, prout de facto in ſe ipſa exiſtit. Prob. Min. nam ſi notitia, quam habet Deus de futuris præciſe ex vi cognitionis eſſentiæ divinæ vt determinatæ per decretum, eſſet intuitiva, fruſtra requireretur exiſtentia rerum in ſe ipſis in menſura æternitatis ad hoc vt notitia, quam Deus habet de futuris, eſſet intuitiva; at Div. Thom. & veri Thomiſtæ ad notitiam intuitivam, quam Deus habet de futuris, requirit exiſtentiam eorum in æternitate: ergo notitia divina futurorum, ex hoc ſolum quod attingit quidditatem, ſingularitatem, exiſtentiam, & circunſtantias, ſub quibus res erit, non eſt intuitiva.

Nec valet dicere, talem notitiam eſſe intuitivam, quia eſt ſcientia libera, & ſcientia libera eſt viſionis, & non ſimplicis *intelligentiæ*. Non (inquam) valet, nam licet illa notitia ſit intuitiva ex quo terminatur ad res, prout in ſe ipſis phyſicè exiſtunt in æternitate; non tamen eſt intuitiva, ex hoc ſolum quod Deus res cognoſcit in ſe ipſo prout in cauſa, ſed ex hoc quod notitia illa non ſiſtit in primo, ſed vlterius terminatur ad res in ſe ipſis. Non eſt verum, quod omnis ſcientia libera eſt ſciẽtia viſionis ex vi cuiuſcumque formalitatis ſuæ, nam prout Deus attingit res prout in cauſis præcontentas, libera ſcientia eas attingit; non tamen ex hoc habet illa notitia, quod ſit viſionis, ſed hoc præcisè habet, ex quo terminatur ad res prout in ſe ipſis: ergo ad notitiam intuitivam illud non ſufficit. Confirm. vlterius, obiectum, quod reſpectu cognoſcentis non coexiſtit præſentialiter ſecundum exercitium, & phyſicam exiſtentiam, tantum poteſt cognoſci in determinatione cauſarum, vel in aliquo effectu ipſius; primum erit, ſi ſit futurum; ſecundum erit, ſi ſit præteritum; ſed cognitio rei per cauſam, vel per effectum, ſic quod non terminetur ad rem, niſi prout exiſtit in cauſa, vel prout exiſtit in effectu, non eſt notitia rei intuitiva: ergo cognitio futuri vt futuri, & non prout eſt in ſe ipſo phyſicè non erit intuitiva. Prob. ſi notitia rei prout exiſtentis in cauſa eſſet intuitiva, notitia, quam Deus habet de poſsibilibus, eſſet vere intuitiva; at non eſt intuitiva, vt omnes Theologi fatentur: ergo.

Poteſt ad hoc reſponderi, quod notitia poſsibilium non eſt intuitiva, quia nullo modo exiſtunt, nec ex vi poſsibilitatis tantum extitura ſunt; vnde Deus de illis ſolum cognoſcit non repugnantiam ad exiſtendum; de futuris autem poteſt divinitus haberi notitia quoad exiſtentiam phyſicam, ſingularitatem, circunſtantias, & alia, ſub quibus erunt, & ſic poteſt haberi notitia intuitiva de illis. Sed contra eſt, nam futurum, quamvis diſtinguatur à poſsibili per hoc, quod determinatum eſt de illo, quod aliquando ſit, non vero de poſsibili, tamen quandiù futurum non exiſtit, ſic in ſe ipſo eſt nihil, ſicut poſsibile; quod patet, quia creari poteſt, & creatio eſt productio totius entis ex nihilo: ſolum ergo habet exiſtentiam in cauſa; hanc exiſtentiam etiam habet poſsibile: ergo ſi illa ſufficit vt habeatur notitia intuitiva de futuro, ſufficiet quoque, vt habeatur notitia intuitiva de poſsibili. Præterea, Aſtrologus, qui perfectiſsimè per ſcientiam ſuam cognoſcit ecclypſim futuram, ſcit eius

exiſtentiam; ſingularitatem, circunſtantias loci, & temporis vſque adminutiſſima eius, nec tamen, vt compertum eſt apud omnes, habet ſcientiam illius intuitivam, ſed ſolum abſtractivam: ergo cognitio prędictorum non ſufficit ad intuitionem, dum res in ſe ipſa non determinat viſionem, ſed ſolum videtur in cauſa.

§. VIII.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

932 PRIMO Arguitur. Poteſt de re præſenti phyſicè dari notitia abſtractiva: ergo & poterit de re phyſicè abſenti dari notitia intuitiva: ergo poterit Angelus de futuro contingenti habere notitiam intuitivam. Hæc ſecunda Conſeq. patet ex prima, & prima patet à paritate rationis, quia ſicut notitia intuitiva eſt de re phyſicè præſenti, ita notitia abſtractiva eſt de re phyſicè abſenti: ergo ſi hoc non obſtante, de re phyſicè præſenti poteſt dari notitia abſtractiva, de re etiã phyſicè abſenti poterit dari notitia intuitiva. Ant. autẽ primũ. Prob. quã ſiquis habeat rem phyſicè præſentẽ, & ipſe non attendat ad phyſicam rei præſentiã, ſed ſolum ad prædicata quidditativa eius, ille talis de re phyſicè præſenti habebit notitiã abſtractivã. Ad hoc argumentũ, nego Antec. ad Probationem dico, quod in tali caſu habetur notitia abſtractiva de re phyſicè præſenti materialiter tantùm, non formalitèr, & cognoſcitivè: vt enim de re phyſicè præſenti detur notitia intuitiva, requiritur, non ſolum quod res, quæ cognoſcitur, ſit præſens, ſed requiritur, etiam quod cognoſcatur vt præſens: vnde ſi ſit præſens, ſed vt talis non cognoſcitur; talis notitia erit abſtractiva.

Sed inſtas: ergo ſi res phyſicè ſit abſens, & cognoſcatur vt præſens, talis notitia erit intuitiva: & ſic dabitur de re phyſicè abſenti notitia intuitiva. Ad hoc, nego Cõſ. quia ad notitiam intuitivam non ſufficit, quod res apprehendatur vt præſens, ſed requiritur, quod verè in re ſit præſens. Nam vt ſit verè intuitiva rei, eſt neceſſe, quod non fingat præſentiam intellectus de re: fingit autem, dum rem phyſicè abſentem apprehendit vt phyſicè præſentem, & ſic tunc non verè, ſed ficte apprehendit rem.

Inſtas, cum de re phyſicè præſenti intellectus non conſiderat præſentiam, verè habet notitiam abſtractivam: ergo dum de re phyſicè abſenti intellectus non conſiderat abſentiam, verè dabitur notitia intuitiva. Prob. Conſeq. nam abſentia rei ita requiritur ad notitiam abſtractivam, ſicut præſentia ad intuitivam; ſed non attendere ad præſentiã reddit notitiam de re phyſicè præſenti abſtractivam: ergo non attendere de re abſenti ad eius abſentiam reddet notitiam intuitivam. Ad hoc, conc. Antec. & nego Conſeq. Ad prob. nego Mai. etenim cum notitia abſtractiva ſit veluti de genere malorum, ſit per receſſum ab intuitiva, vnde cum ad intuitivam duo requirantur, nempe quod res ſit cognoſcenti phyſicè præſens, & quod intuens, rem vt phyſicè præſentem, cognoſcat: altero iſtorum duorum tantùm deficiente, notitia ſit abſtractiva, & ſic hæc contingit, vel quia eſt de re phyſicè abſenti, vel quia eſt de re phyſicè præſenti materialiter tantum, & non cognoſcitivè. Itaque vt definiamus has notitias, debemus ſic procedere, dicendo, quod notitia intuitiva eſt notitia de re præſenti phyſicè, & cognoſcitivè, notitia vero abſtractiva eſt, quæ præſcindit à præſentia phyſica rei. Et quidem hoc ſonat nomen *abſtractiva*; abſtrahere enim idem eſt, quod non conſiderare, ſed præſcindere.

Poſſumus etiam dicere ad primam inſtantiam, quod ſi intellectus rem abſentem apprehendat vt phyſicè præſentem, tunc habebit notitiam intuitivam de illa falſa præſentia, quã fingit: ſicut cum viſui oſtenduntur colores tantum apparentes, & non veri, tunc videt illam colorũ apparentiam, ſed nõ verũ colorẽ; ita intellectus, cũ rem phyſicè abſentem apprehendit vt phyſicè præſentem, tunc habet notitiam intuitivam terminatam ad rem vt falsò præſentem. Et ſi inſtes; ergo ad notitiam intuitivam non requiritur phyſica præſentia rei, diſt. Conſ. ad notitiam intuitivam rei ſecundum veram eius præſentiã, nego Conſ. ad notitiam rei ſecundum pręſentiã fictam, conc. Conſeq. ſemper enim notitia, vt ſit intuitiva, debet terminari ad phyſicam rei præſentiam, ſed non requiritur, quod præſentia ſit in re phyſica, ſed ſufficit, ſi ſit phyſica ficta.

933 Secundo arguitur. Poteſt aliquod obiectũ eſſe abſens ſimpliciter reſpectu cognoſcentis, & tamen reſpectu cognitionis elevatæ à Deo comparari vt pręſens; ſed

Digitized by Google

ſed eo ipſo quod ad cognitionem compararetur vt præſens, poteſt terminare notitiã intuitivam: ergo poterit hęc dari de re ſimpliciter abſenti. Prob. Antec. illud, quod eſt futurum ſecundum ſe, comparatur ad cognitionem divinam vt coexiſtens, & vt intuitivè cognitum: ergo illud, quod ſecundum ſe eſt phyſicè abſens, poteſt compararari ad potentiam à Deo elevatam vt præſens, & conſequenter ex vi elevationis poterit talis potentia intueri illud. Confirm. res in hoc mundo exiſtentes ſunt abſentes phyſicè, & realiter reſpectu Angeli exiſtentis in cœlo; & tamen intuitivè cognoſcantur ab illo: ergo notitia intuitiva poteſt eſſe de re phyſicè abſenti.

Ad hoc pro nunc, do tranſeat ad Maiorem, concedo etiã Min. & nego Conſ. quia in caſu, quòd ex vi elevationis illud obiectum fieret phyſicè præſens tali potentiæ elevatæ, non daretur notitia intuitiva rei abſentis, ſiquidem tale obiectum, quamvis reſpectu cognoſcentis inferioris eſſet abſens, reſpectu tamen cognoſcentis elevati eſſet phyſicè præſens. Ad Confirm. dico, quod Angelus diſtans localiter ab his rebus de præſenti exiſtentibus non dicitur phyſicè abſens intelligibiliter, ſed purè localiter, quia ad hoc ſecundũ ſufficit, quod ſit in loco valde diſtanti ab illis: ad primum autem requirebatur, quod menſura, qua menſuratur cognitio Angelica, non ſimul exiſteret cum menſura, qua de præſenti res exiſtentes menſurantur; menſura autẽ, qua eſſe Angeli, & eius cognitio menſurantur, ſimul exiſtit cum menſura, qua de præſenti menſuratur duratio rerum exiſtentium; & ſic phyſicè cognoſcitivè non eſt abſens à rebus de præſenti exiſtentibus.

Inſtas, vis cognoſcitiva Angeli, ſicut eſt independens à loco materiali, ita eſt independens à tempore: ergo ſicut abſentia localis non reddit illũ intelligibiliter phyſicè abſentem à rebus exiſtentibus in hoc mundo, ita diſtantia à temporibus futuris non reddet illum phyſicè cognoſcitivè abſentem ab illis. Ad hoc, nego Conſeq. & aſſigno diſcrimen. Etenim vnumquodque eſt phyſicè præſens intellectui, in quantum eſt ens in actu: nam cum Angelus habeat ſpecies congenitas omnium exiſtentium, quæcumque ſunt entia in actu, ſunt proximè cognoſcibilia ab intellectu Angelico, ac per conſequens phyſicè præſentia cognoſcitivè: diſtantia autem localis, quæ intervenit inter res exiſtentes in hoc mundo, & Angelum exiſtentem in cœlo, non aufert, quin res exiſtentes de præſenti ſint entia in actu, ac per Conſeq. reddit illas cognoſcitivè præſentes Angelo exiſtenti in cœlo; at diſtantia, quam habet Angelus de facto exiſtens à rebus nondum exiſtentibus, exituris autem poſtea, facit, quod dum Angelus modo eſt in actu, ipſa non ſint entia in actu, & ſic facit cognoſcitivè phyſicè diſtare ab Angelo, ac per conſequens reddit illa incognoſcibilia notitia intuitiva ab Angelo nunc exiſtenti, ſed de hoc ſtatim plura.

934 Tertio arguitur, præſentia phyſica obiecti ſolum concurrit obiectivè extrinſecè ad notitiam intuitivam; ſed Deus poteſt ſupplere concurſum obiecti phyſicè terminantis extrinſecè notitiam: ergo poterit dari notitia intuitiva abſque phyſica præſentia obiecti, & ſic Angelus poterit intueri futura, antequam ſint. Prob. Min. Deus eminenter præcontinet perfectionem obiecti præſentis: ergo poterit ſupplere præſentiam phyſicam eius vniendo ſe cognitioni per modum phyſicè præſentis. Prob. Conſeq. nam quia eminenter præcontinet ſubſiſtentiam naturæ creatæ, poteſt vniri per modum ſubſiſtentiæ creaturæ: ergo quia præcontinet eminenter præſentiam phyſicam obiecti, poterit vniri per modum phyſicæ præſentiæ obiecti. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. nego Conſeq. Ad Prob. nego cauſalem Ant. non enim ex hoc ſolum quod Deus eminenter præcontinet perfectionem ſubſiſtentiæ creatę, poteſt ſupplere illam vniendo ſe per modum ſubſiſtentiæ creaturæ, ſed quia præcontinet, & in ſupplendo ſubſiſtentiam creatam nulla involuitur imperfectio; in ſupplendo autem concurſum obiecti creati ad ſui notitiam intuitivam habetur imperfectio, & ſic quamvis Deus illam præſentiam phyſicam eminenter præcontineat, non tamen poteſt ſuppleri concurſum obiecti in ſeipſo præſentis.

Sed contra inſto, Ideo in ſupplendo ſubſiſtentiam creatam nulla eſt imperfectio, quia ſubſiſtentia vnitur naturæ per modum termini, ſic, quod de eius conceptu non ſit informare, ſed terminare; ſed concurſus obiecti creati ad ſui notitiam intuitivam tantum eſt terminare notitiam vt phyſicè præſens cognoſcenti: ergo etiam in terminando notitiam intuitivam loco obiecti creati nulla erit imperfectio, ſicut

non eſt in terminare humanitatem. Ad hoc, nego cauſalem Mai. nam vt adæquata cauſa aſsignetur, vltra illa requiritur apponi, quod humanitas, & quælibet natura creata ad ſubſiſtendum non exigit eſſentialiter propriam ſubſiſtentiam, ſed propriam, vel alienam præcontinentem propriã. Itaque ibi tria conveniunt, nempe præcontinentia propriæ ſubſiſtentiæ, vnio permodum termini, & non exigentia eſſentialis naturæ ad propriam; at in notitia intuitiva creaturę, cum ſit notitia rei in ſe ipſa, exigitur eſſentialiter, quod res in ſe ipſa, & prout eſt extra cauſas, & quid diſtinctum ab illis terminet notitiam: cum ergo Deus non ſit formaliter creatura, prout ipſa inſeipſa eſt, & ſecundum modum ſuũ, ſed ſolum eminenter, & vt cauſa eius perfectiſsima, quãvis eius præſentiam phyſicam eminenter præcontineat, & quamvis terminare notitiam intuitivam ſui Deo non repugnet, repugnat tamẽ quod loco creaturæ ſit terminus notitiæ intuitivę, ſicut & repugnat formaliter cum ſuis imperfectionibus eſſe ipſam creaturam: ſi enim ponamus Deum vniri permodum termini notitiæ intuitivę creaturæ, illa erit notitia creaturæ prout contentæ in cauſa, nõ prout extra ſuas cauſas, & ſic erit notitia intuitiva Dei, & præcontinentiæ creaturæ; non tamen erit notitia intuitiva creaturæ, quia non erit notitia eius in ſe ipſo, ſed prout in cauſa.

Sed inſtas ſubtiliter, ſtat bene rem ſubſiſtere, & exiſtere in ſe ipſa per ſubſiſtentiã, & exiſtentiam ſuæ cauſæ: ſic enim ponunt Thomiſtæ, qui non ſolum dicunt cum catholicis humanitatem ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi divini, ſed etiam defendunt contra Ieſuitas humanitatem exiſtere in ſe ipſa ipſa exiſtentia, qua exiſtit Verbum: ergo & ſtabit benè creaturam terminare ſui notitiam intuitivam per ipſam præſentiam phyſicam Dei, qui eſt eius cauſa perfectiſsima. Prob. Conſ. nam ſi rem exiſtere extra ſuas cauſas bene componitur cum hoc, quod eſt, exiſtere per ipſam exiſtentiam cauſæ, benè etiam componitur rem phyſicè eſſe præſentem per ipſam phyſicam præſentiam Dei. Ad hoc Conc. Ant. nego Conſeq. & aſsigno diſcrimen: etenim benè componitur aliquid eſſe extra exiſtentiam cauſæ extreitate diſtinctionis à cauſa, & exiſtere ipſa exiſtentia cauſæ in genere cauſæ formalis: vnde de humanitate Chriſti dicimus eſſe extra Deum extreitate diſtinctionis, quia realiter eſt diſtincta à Deo, & ab exiſtentia ipſius Dei, à quibus non erat diſtincta, quãdò erat intra cauſas, quia res prout in cauſa non diſtinguitur ab ipſa cauſa; dicimus etiã exiſtere in Deo, quia per ipſam Dei exiſtẽtiam, à qua realiter diſtinguitur, habet exiſtere, dum illi realiter vnitur per aſſumptionem: eſſe autem rem præſentem phyſicè in ſe ipſa, per hoc ſolum quod Deus ſe phyſicè præſentem exhibeat notitiæ non poteſt intelligi, quia præſentia phyſica Dei nulla via eſt illa præſentia phyſica, quã res habet in ſe ipſa, nam hæc ſecunda realiter diſtinguitur à prima, nec habet etiam Dei præſentiam ſibi vnitam phyſicè, ſicut humanitas Chriſti habet ſibi vnitam exiſtentiam Verbi, & ſic ad hoc vt creatura terminet notitiam intuitivam, non ſufficit, quod Deus phyſicè terminet notitiam, ſed requiritur, quod ipſa res per propria, quæ habet, & vt à Deo diſtinguitur, realiter notitiam terminet.

935 Quarto arguitur. Notitia intuitiva non ſpecificatur eſſentialiter à præſentia phyſica obiecti, quod intuetur: ergo divinitus poterit Angelus habere notitiam intuitivam rei nondum exiſtentis, vnde ex hoc quod futura non exiſtant, non probabitur Angelum non poſſe intueri illa. Prob. primum Antec. cognitio, qua Deus cauſat res creatas, & illas reduci ad exiſtentiã, eſt vere notitia intuitiva earum; & tamen non ſpecificatur ab exiſtentia phyſica earũ: ergo notitia intuitiva nõ habet ſpecificari eſsẽtialiter à phyſica exiſtẽtia obiecti. Prob. Min. illa notitia eſt divina; ſed nihil divinum ſpecificatur à creatura: igitur illa notitia non habet eſſentialiter ſpecificari ab exiſtentia phyſica rerum, quarum intuitio eſt. Confirm. hoc, notitia intuitiva nequit eſſentialiter ſpecificari ab aliquo, quod eſt extra genus notitiæ: ſed exiſtentia phyſica, vt vidimus ſupra ex D. Th. eſt extra genus notitiæ: ergo nequit eſſentialiter ſpecificare notitiam ſui intuitivam.

Ad hoc argumentum, diſt. Mai. ſi per ly *ſpecificari eſſentialiter* intelligatur ſtricta ſpecificatio eſſentialis, trans. Antec. ſi per ly *ſpecificari eſſentialiter* intelligatur idem, quod inſeparabiliter omni potentia attenta connecti cum exiſtentia phyſica rei, cuius eſt intuitio, nego Antec. & Conſ. Prob. Antec. diſt. Min. non ſpecificatur, ideſt, non indiſpenſabiliter connectitur cum rei phyſica præſentia, nego Min. non ſpecificatur loquendo ſtrictè de ſpecificatione, trans. Min. & diſt. Conſ. eadem diſtinctione.

Digitized by Google

ne. Ad Prob. Min. diſt. Min. nihil divinum ſpecificatur à creatura, ſtrictè loquendo de ſpecificatione, tranſ. Min. loquendo large pro indiſpenſabili connexione cum creatura, vel eius eſſentiali exiſtentia, nego Min. & diſtinguo Conſ. diſt. Min. Itaque cum dicimus notitiam intuitivam ſpecificari à præſentia phyſica rei, nomine *ſpecificationis* intelligimus eſſentialem exigentiam, ſeu neceſſariam connexionem notitiæ intuitivæ vt talis cum præſentia phyſica rei, cuius eſt vera intuitio: ab hoc autem non eximitur notitia intuitiva divina creaturæ; nam licet in quantum notitia divina non exigat eſſentialiter exiſtentiam creaturæ, vt intuitio tamen eſt creaturæ, exigit eſſentialiter, quod creatura ſit phyſicè præſens Deo cognoſcenti, nec hoc eſt divinam notitiam, vt intuitio eſt creaturæ, dependere à creatura, ſed eſt eſſentialiter, vt intuitio eſt creaturæ, connecti cum exiſtentia phyſica creaturæ.

Ad Confir. conceſsis præmiſsis, diſt. Conſ. ergo nequit eſſentialiter ſpecificare notitiam ſui intuitivam, propriè loquendo de ſpecificatione, tranſ. Conſ. loquendo de ſpecificatione, prout dicit eſſentialem exigentiam, & indiſpenſabilem cōnexionem, nego Conſeq. Itaque ſtat duo eſſentialiter connecti in exiſtendo, ſic, quod non ſtet vnū exiſtere altero non exiſtente ob eſſentialem connexionem, quam habent inter ſe, eſto vnum non ſit alterius ſpecificativū: ſic Pater eſſentialiter connectitur cum Filio; & tamen non ſpecificatur à Filio, nam nullo modo eſt à Filio; ſed eſſentialiter eſt ad Filium: ſic notitia intuitiva non ſpecificatur ab exiſtentia phyſica rei, ſed habet eſſentialiter eſſe ad rem exiſtentem phyſicè, & ſic, quamvis non ſpecificetur ab exiſtentia phyſica rei, non tamen ſine ipſa rei intuitio valet exiſtere.

Sed inſtas, quia ſi rei intuitio non habet ſpecificari à re phyſicè præſenti, ſed tātum habet eſſentialiter illam exigere, poterit divinitus exiſtere ſine illa actu exiſtēte: ergo habebitur intentū, videlicet, quod detur notitia intuitiva rei abſentis. Conſ. eſt bona, & Ant. Prob. nam Theologia noſtra eſſentialiter exigit claritatem ſuorum principiorum; & tamen de facto exiſtit ſine illa; habitus ex natura ſua exigit mobilitatē difficilem à ſubiecto, & tamen de facto inveniūtur habitus facile mobiles à ſubiecto, in quo ſunt. Et ratio horum eſt, quia exigētia tantum eſt ordo tranſcendentalis; hic autem non connectitur eſſentialiter cum exiſtentia ſui termini; nam per hoc relatio tranſcendentalis diſtinguitur à prædicamētali: ergo ſi intuitio obiecti non ſpecificatur à phyſica præſentia, ſed tantum exigit illā, poterit divinitus exiſtere ſine illa. Ad hoc; nego Ant. Ad Prob. dico, quod Theologia non exigit claritatem, vt de facto exiſtat, ſed vt cum ſui debita perfectione exiſtat, & ſic ſine claritate exiſtit, ſed non exiſtit ſine claritate cum perfectione ſibi debita. Habitus etiam ex ſuâ natura exigit difficilem mobilitatem à ſubiecto, non quia in ipſâ difficili mobilitate eſſentia habitus exiſtat, ſed quia eſſentia habitus in eo ſtat, quod ex natura ſua exigat difficile moveri, & ſic de facto exiſtit in aliquo ſubiecto cum facili mobilitate ab illo: eſſentia autem intuitionis alicuius obiecti non ſtat ſolum in eo, quod exigat obiectum phyſicè præſens, ſed in eo quod de facto habeat: ſicut eſſentia Patris non ſtat ſolum in eo, quod exigat Filium, ſed in eo, quod ſit ad Filium. Vnde verum eſt, quod Pater eſſentialiter exigit Filium, ſed non ſtat adæquata ratio Patris in tali exigentia, ſed in eo quod de facto habeat Filium, vt de facto exiſtat Pater. Sic & de intuitione, eſſentialiter enim exigit obiectum phyſicè præſens, ſed adæquata ratio eſſentiæ eius non ſtat in ſolo exigere, ſed in habere. Ad illud, quod dicitur de relatione tranſcendentali, dico, quod licet relatio tranſcendentalis ex communi cōceptu relationis tranſcendentalis non habeat terminum exiſtentem, tamen ex ratione ſui differentiali hoc poteſt habere, quia poteſt connecti cum exiſtentia alicuius, à quo nequit divinitus ſeparari, ad hunc ſenſum, quod ipſa exiſtat, & terminus non exiſtat: viſio enim beata relatio tranſcendentalis eſt ad Deum beantem; & tamen inintelligibile eſt exiſtere viſionem beatam ſine exiſtentia Dei beantis.

§. VIII.

Vtrum cognitio Angelica poſsit menſurari aliqua menſura, in qua ea, quæ reſpectu noſtri ſunt futura, illi ſint præſentia?

936 VIDIMVS §. præcedenti Angelum non poſſe etiam divinitus intueri futura contingentia, antequam illi ſint phyſicè præſentia in ſeipſis, quia notitia intuitiva debet eſſe notitia rei in ſeipſa phyſicè præſenti

cog-

cognoſcenti : modo reſtat nobis examinare, an cognitio Angelica poſsit menſurari aliqua menſura, in qua ſibi coëxiſtant vt phyſicè præſentia ea, quæ reſpectu noſtri tēporis adhuc futura ſunt, ſic, quod Angelus veram notitiam eorum habere poſsit, quæ intuitiva ſit? In quo puncto elucidando, duę ſunt ſententiæ celebres inter Thomiſtas. Nam partem affirmantem tenent, SS. M. Herrera Ordinis noſtri præſtantiſsimum lumen, 3. p. q. 11. tract. de ſcientia infuſa animæ Chriſti. Alvarez ibidem diſp. 60. Cornejo 3. p. tract. de ſcientia animæ Chriſti, & Caietanus ibidem q. 11. ar. 1. §. *ad 2. dubium*. Et alij. Secunda ſententia negat hoc eſſe poſsibile. Sic Bañez hic q. 14. ar. 13. q. concluſione 4. Zumel ibidem q. 57. ar. 3 q. 3 concluſione 5. Medina 3. p. q. 11. ar. 1. ad 2. Nazarius controv. vnica q. 4. concluſione 4. Godoy ibidem ar. 1. §. 6. concluſione 5. & communiter alij Thomiſtæ in manuſcriptis.

Sit concluſio. Cognitio Angelica nequit menſurari aliqua menſura, in qua ſimul ſibi coexiſtant ea, quæ reſpectu temporis noſtri nondum exiſtunt. Prob. quia nulla duratio creata poteſt in actu præcontinere durationem, quæ adhuc reſpectu noſtri nondum eſt in actu duratio : ergo cognitio Angelica nequit menſurari aliqua duratione, in qua ſimul exiſtant ea, quæ reſpectu noſtri temporis nondum ſunt. Prob. Ant. ſi daretur duratio creata, quæ in actu ſimul duraret id, quod præſens, & futurum durāt, talis duratio poſtquam à Deo eſſet producta, nequiret annihilari de præſenti; Conſ. non eſt admittendum, quia quælibet duratio creata, ſicut habet eſſe poſt non eſſe, ita & poteſt habere poſt eſſe non eſſe: ergo nō eſt admittendum, quod detur duratio, quæ ſimul in actu duret id, quod tempus noſtrū in actu durat, & durabit de futuro. Prob. Sequela, talis duratio ſimul eſſet tempus præſens, & futurum: ergo per correſpondentiā ad tempus præſens non poſſet deſtrui; alias eſſet duratio temporis futuri, & non eſſet: eſſet, quia ſupponimus, & non eſſet, quia ante illud deſtructa eſſet.

Poſſet dici, quod ſi non poſſet deſtrui ante tempus futurum, poſſet tamen non durare amplius quàm duo nunc, nēpe præſens, & futurum durāt, & ſic poſſet deſtrui. Sed contra eſt. Nam non eſt parvum incōveniens quod detur creatura, quam Deus nō poſsit in hoc inſtanti deſtruere, ſic, quod hoc inſtans ſit vltimum ſui eſſe : ſiquidem ſicut Deus, quandò voluit, dedit ei eſſe poſt non eſſe, poteſt quoquè Deus quandò ſibi placuerit auferre eſſe : dum enim pro quocumque inſtanti temporis noſtri liberè eā conſervat in eſſe, poteſt quoquè pro quocumque inſtanti eam reducere ad non eſſe. Secundò impugno ſolutionem. Nam ſi admittatur duratio creata, quæ ſimul ſit præſens, & futurum, poterit quoquè admitti duratio creata, quę ſimul ſit præſens, & omne futurum; ſiquidem vbi non obſtat pluralitas, non obſtat infinitas: poſſet ergo Deus facere creaturam, quæ eſſet omne inſtans futurum in actu: non ergo Deus poſſet illā annihilare in tempore.

Dices, quod dùm illa creatura in actu eſſet omne tempus futurum, non poſſet eam Deus deſtruere per correſpondentiam ad aliquod inſtans temporis noſtri; ſed ipſa finiret cum noſtro tempore : vnde quandò verùm erit dicere, tempus non eſt, ſed fuit; ita de illa duratione eſſet verùm dicere, quod iam non eſſet illa, quæ vſque tūc fuiſſet. Cæterum ſolutio concluditur argumēto facto, & magnum devorat inconveniēs, videlicet, quod poſsit Deus extra ſe producere aliquod ens ita neceſſariū, quod Deus illud deſtruere non poſsit etiam de plenitudine ſuæ infinitæ poteſtatis.

937 Sed ſecundò ſic Prob. concluſio. Thomiſtæ probant non poſſe naturam creatam terminari per ſubſtantiā alienam creatam, quia illa deberet præcontinere perfectionem propriæ, & alienæ naturæ, quod impoſsibile iudicant; ſed ſi daretur duratio creata, quæ ſimul in actu eſſet inſtans præſens, & futurum, illa ratio eſſet nulla: nā inſtaretur in reali duratione creata, quæ ſub vna indiviſibili differentia coniungeret differentiam præſentis, & futuri: ergo Thomiſtæ, qui tenent non poſſe ſubſiſtentiam creatam terminare naturā alienam, vt conſequenter loquantur, non debēt admittere poſsibilitatem præfatæ durationis.

Ad hoc dices, quod nullum eſt inconveniens, quod ea, quæ in inferiori menſura, qualis eſt tempus, in ſuperiori menſura ſint adunata nec eſt etiam inconveniens, quod illa, quæ in menſura, quia ſucceſsiva eſt, ſimul eſſe non poſſunt, in menſura permanenti ſimul ſint: cum ergo in tempore, quia menſura ſucceſsiva eſt, inſtās præſens, & futurum ſimul eſſe non poſsint, non erit inconveniens, quod in menſura cognitionis Angelicæ, quæ eſt tota ſimul, ſimul inve-

Digitized by Google

veniantur in eodem nunc adunata. Sed cõtra hoc eſt, nam duratio rei, quæ non præcontinet eminenter res, quæ in diverſis tẽporibus durant, nequit præcontinere eminenter differentias durationis inferioris, etiam ſi ſuperior, & permanens ſit, & aliæ inferioris ſint, & ſucceſsivæ; ſed cognitio Angelica, ad quam per ſe primò menſurãdam talis duratio produceretur, non haberet eminenter præcontinere differentias rerum durantium pro tempore præſenti, & futuro: igitur neque duratio creata, quæ per ſe eſſet mẽſura cognitionis Angelicæ, poſſet ſimul eſſe tempus præſens, & futurum. Conſeq. & Min. patent. & Mai. Prob. non alia ratione æternitas præcõtinet actu ſimul omne nunc temporis, niſi quia Deus, qui primò, & per ſe æternitate menſuratur, eminenter eſt omnia, quæ pro diverſis temporibus eveniunt, & quia è contrario, Angelus nõ præcontinet ea, quæ in diverſis temporibus eveniunt, pariter & duratio, quæ per ſe primò habet menſurare eſſe Angelicum, non habet, quamvis ſuperior ſit tempore, & permanens, ſimul continere differentias temporis præſentis, & futuri.

§. IX.

Solvuntur Argumenta.

938 PRIMO Arguitur. Viſio beata menſuratur æternitate participata, in qua ſimul coexiſtunt futura contingentia: ergo non repugnat duratio creata, quæ ſimul duret, quod ſucceſsivè durant tempus præſens, & futurum. Prob. Ant. viſio beata eſt cognitio intuitiva futurorum: ergo illa coexiſtunt ſibi in eadem menſura, quâ ipſa menſuratur. Prob. Conſ. nam ad notitiam intuitivam requiſivimus ſuprà, quod id, quod terminat viſionem, exiſtat in eâ menſura, quâ viſio menſuratur: ergo ſi futura contingentia intuentur à viſione beata, eſt neceſſe, quod ipſa coexiſtãt ſimul æternitati participatæ, quâ menſuratur viſio. Ad hoc argumentum reſpondetur ab aliquibus, quod viſio beata non menſuratur aliqua menſura creata, ſed ipſa æternitate per eſſentiã: illi inadæquatè communicata: in æternitate autẽ per eſſentiam ſimul exiſtunt futura, & ſic non convincitur, quod detur aliqua duratio creata, quæ ſimul duret id, quod ſucceſsivè durant præſens, & futurum.

Hæc ſolutio plenè evacuat difficultatem propoſitam. Cæterum difficillimum eſt intelligere, quod viſio beata ipſa æternitate per eſſentiam menſuraretur. Etenim ſi viſio beata ipſa æternitate per eſſentiam menſuratur: ergo ſimul durat id, quod durabit tempus futurum verum, & imaginariũ: non ergo poterit Deus illam annihilare, quod nulla via poteſt admitti. Prima Conſ. patet, & ſecunda Prob. etenim vt in tempore futuro deſtrui poſſet, requirebatur, quod ante aliquod tempus futurum ipſa nõ eſſet; ſed ſi ſimul eſt in omni tempore futuro, nequit in aliquo tempore futuro non eſſe: igitur nequiret annihilari. Secundo, æternitas per eſſentiam nequit incipere menſurare in tempore id, quod non menſuravit ab æterno; ſed viſio beata D. Petri incipit in tempore: igitur nequit menſurari ipſa æternitate per eſſentiam. Prob. Mai. hac ratione probant noſtri Thomiſtæ quod futura ab æterno exiſtunt in æternitate, quia æternitas nequit menſurare in tẽpore id, quod ab æterno non menſuravit: igitur æternitas per eſſentiam nequit incipere menſurare in tempore, ſed quæcumque menſurat, debet menſurare ab æterno. Tertio, quia æternitas per eſſentiam nequit eſſe propria mẽſura, niſi rei omnino immutabilis: nã quod ſemel eſt æternum, debet eſſe immutabile; ſed viſio beata D. Petri eſt mutabilis, ſicut enim habuit eſſe poſt non eſſe, ita & poteſt habere poſt eſſe non eſſe: igitur viſio Beati Petri nequit menſurari vt propria menſura ipſa æternitate Dei per eſſentiam.

Secundo alij reſpondent argumento facto, quod viſio beata menſuratur æternitate participata, quæ eſt quoddam nunc infinitum à parte poſt, ſimul præcontinens omne tempus futurum verum, & imaginarium. Hi etiam ſolvunt adæquatè difficultatem, ſed errant in eo, quod aſsignat durationem creatam ita neceſſariam, quod Deus poſtquàm ſemel eam produxit, eã annihilare non poſsit, quod non audeo concedere. Errant etiam in eo, quod vni creaturæ dant præcontinentiam plurium differentiarum alterius, nam ponunt ſimul durare id, quod tempus de præſenti durat, & id, quod vlterius durabit, quod iã vidimus non poſſe ſubſiſtere in via Thomiſtica defendente naturam creatam non poſſe terminari aliena ſubſiſtentia creata, ſive ordinis ſuperioris, ſive inferioris ſit, quia nequit præcontinere differentiam propriæ ſubſiſtentiæ naturæ.

939 Tertio reſpondet Godoy vbi ſu-

Digitized by Google

ſupra argumento facto, viſionem beatam menſurari æternitatē participata, non quæ actu tribuat viſioni ſimul durare omni differentia temporis futuri, ſicut tribuit divinæ cognitioni æternitas per eſſentiam; ſed quæ tribuat majorem vniformitatem, quā habet ævum: erit tamen (inquit) viſio beata notitia intuitiva futurorum, non quia viſio coexiſtat futuris, vel vt in proprijs durationibus exiſtentibus, vel vt exiſtentibus in menſura, qua viſio beata menſuratur, ſed quia viſio coexiſtit æternitati Dei, in qua coexiſtunt futura, & ſic coexiſtit futuris vt exiſtentibus in Deitate, & ipſa futura coexiſtunt viſioni beatæ ſecundum quod hæc exiſtendo in propria menſura coexiſtit etiam æternitati.

Sed contra iſtum modum dicendi ſic inſto. Viſio beata non coexiſtit æternitati Dei, niſi prout mēſura propria viſionis beatæ coexiſtit æternitati Dei; ſed menſura viſionis beatæ, cum ſecundum illum auctorē non præcontineat differentias temporis futuri, non coexiſtit æternitati Dei ſecundum illam virtualitatem, ſecundum quam æternitas præcontinet futura: ergo viſio beata non coexiſtit æternitati Dei, prout præcontinenti futura, & ſic non habebit coexiſtere futuris prout præcontentis in æternitate Dei.

Reſp. hic auctor, viſionem beatam coexiſtere æternitati Dei reduplicativè vt præcontinenti futura, quia coexiſtit eſſentiæ divinæ prout libere determinatæ per decreta de productione futurorum, ratione cuius futura habent ſimul præcontineri ab ęternitate Dei. Sed inſto, nam quamvis ad hoc vt futura exiſtant in ęternitate requiratur quod eſſentia divina libere decreverit eorum productionem pro aliquo tempore, tamen futura non coexiſtunt æternitati Dei, prout æternitas eſt quædam infinita duratio durans ſimul omne id, quod aliæ menſuræ ſucceſsive durant ratione decretorum liberorum de productione futurorū in tempore: ergo eſto viſio beata coexiſtat eſſentiæ divinæ vt liberè determinatæ per decretum, non tamen ſequitur, quod coexiſtant Dei æternitati vt præcontinenti futura. Prob. Ant. coexiſtentia, quam habent futura in divina eſſentia vt determinata per decretum de eorum productione, tantum eſt exiſtentia futurorum in cauſa determinata ad eorum productionem ſimilis illi, quam habet effectus in cauſa determinata ad eius productionem; exiſtentia autem, quam habent futura in æternitate tanquam in menſura ſuperiori aliena convenit futuris prout extra cauſas producta ſunt: nam ideo æternitas illa præcontinet, quia ambit ſimul omne tempus, in quo illa reſpectu æternitatis iam exiſtunt in ſeipſis, eſto non reſpectu noſtri: ergo licet decretū liberum requiratur ad hoc, quod futura poſſint coexiſtere æternitati (nam ſi aliquando non eſſent producenda ab æterno, in æternitate non exiſterent vt in menſura) tamen non coexiſtunt æternitati vt menſuræ ratione decreti liberi de eorum productione, quaſi idem ſit futura exiſtere in eſſentia divina vt libere determinata per decretum, & exiſtere futura in æternitate vt in menſura ſuperiori.

940 Secundo reſp. Godoy rationi noſtræ, quod æternitas Dei habet duo; alterum eſt, continere omnem differentiam temporis, in quo erunt futura, & alterum eſt, quod futura omnia illi coexiſtant antequàm in ſeipſis ſint in proprijs menſuris: æternitas ergo participata, qua menſuratur viſio beata, eſt participatio formalis æternitatis Dei, non quia participet hoc, quod eſt eminentèr præcontinere omnem differentiam temporis, ſed quia habet participare hoc ſecundum, nempe, quod illi coexiſtant phyſicè futura antequam in ſeipſis ſint in temporibus ſuis. Verum pace tanti Magiſtri hæc implicant inter ſe, nēpe participare quod futura illi coexiſtant, & non participare hoc, quod eſt in ſe habere omnem differentiam temporis futuri. Quod ex eo Probo. Nam futura non ex alio capite antequàm ſint coexiſtunt æternitati Dei, niſi quia æternitas Dei præcontinet omnem differentiam temporum, in quibus illa erunt; ſi enim auferamus primum, nullo modo poſſumus æternitati attribuere ſecundum: ergo ſi æternitas participata nō participat hoc, quod eſt præhabere eminentem differentias temporum futurorum, nō poterit participare hoc, quod eſt illi coexiſtere futura, antequàm in ſeipſis ſint.

Nec valet dicere, convinci hoc argumento, quod futura non poſsint coexiſtere æternitati participatæ vt præcontenta ab illa tanquam menſura eorum, quod verum eſt; non vero probari, quod non coexiſtant æternitati participatæ vt reduplicativè exiſtunt in ęternitate Dei. Non (inquam) valet, nam ęternitas participata, cùm non præhabet eminentèr differentias temporū futurorum, tantum eſt inſtans præſens indi-

vi-

Digitized by Google

viſibile: ergo in actu tantum coexiſtit ęternitati Dei prout ipſa ambit præſentia, non vero prout ambit futura. Explico hoc, eſto omnia, quæ fiunt in tempore, ſimul ſint in æternitate; non tamen ſunt ſimul in illa ratione eiuſdem virtualitatis, ſed tantum ratione illarum virtualitatum, ratione quarũ æternitas præcontinet vnamquamque differentiam temporis, in qua res ſunt, vel erunt: æternitas ergo participata, qua menſuratur viſio beata, tantum eſt inſtans pręſens, ſicut diximus de ęvo: ergo ſolum coexiſtit ęternitati Dei pro illa virtualitate, pro qua ęternitas Dei ambit pręſentia, quæ actu ſunt; non vero pro illis virtualitatibus, pro quibus ęternitas Dei ambit etiam illa tempora, quæ reſpectu noſtri adhuc nõ ſunt: ergo ęternitas participata non habet coexiſtere ęternitati Dei prout pręcontinenti futura, ac per conſequens neque habet coexiſtere futuris prout contentis in ęternitate Dei.

941 His modis dicendi reiectis, aliter placet reſpondere ad Argumentum, negando Ant. Ad Prob. nego Conſeq. Ad Prob. diſt. Antec. requiſivimus ad notitiam intuitivam quòd id, quod terminat viſionem, exiſtat in ea menſura, quã menſuratur viſio entitativè, vel obiectivè, conc. Ant. quã viſio menſuratur ſolum entitativè, nego Ant. & Conſ. Itaque, vt viſio beata ſit viſio futurorum, ſufficit, quod futura exiſtant in ęternitate Dei per eſſentiã, & quod viſio beata ipſam ęternitatem Dei, prout in ſe ipſa eſt, videat: hoc enim ipſo habet ſimul videre futura præcontenta in ęternitate, quamvis in eſſe entis viſio beata non menſuretur ipſa ęternitate Dei per eſſentiã. Itaque ſicut viſio beata non eſt divina ſubiectivè, ſed ſolum obiectivè, ita non eſt ęterna ſubiectivè, ſed ſolum obiectivè: in ipſo autem Deo ęterno omnia exiſtunt, nõ ſolum vt in cauſa, ſed etiam vt menſurata menſura aliena ęternitatis, & ſic videntur à viſione beata, quæ habet pro obiecto ipſam Dei ęternitatem, prout in ſe ipſa eſt.

Inſtas, obiectum primario viſum, & eius viſio debẽt menſurari eadem duratione, nam debent ſimul exiſtere; ſed nos dicimus, viſionem beatam menſurari ęternitate participata: ergo viſio beata non poterit habere pro obiecto primario ipſam Dei ęternitatem, prout in ſe ipſa eſt, viſam. Ad hoc dico, quod non eſt neceſſe, quod obiectum viſum, & viſio menſurentur eadem menſura, ſed eſt neceſſe, quod menſura, qua menſuratur viſio, coexiſtat menſuræ, qua menſuratur viſum. Etenim viſio Angelica, qua videt Angelus præſentia temporalia, menſuratur tempore Angelico, & temporalia viſa menſurantur tempore noſtro, quę tempora longè inter ſe diſtincta ſunt; ubi tamen coexiſtunt, & ſic contingit in præſenti ęternitas participata eſt diſtincta menſura eſt ab ęternitate per eſſentiam, ſed tamẽ coexiſtit ęternitati per eſſentiam, ſi non adæquatè, inadæquatè tamen: pro illo ergo primo tùnc, pro quo incipit viſio beata, menſura eius coexiſtit ęternitati, in qua præcontinentur ſimul futura, & ſic cũ primò incipit viſio, videndo ęternitatem, videt futura, quæ in ea ſimul ſunt, eſtò menſura eius diſtincta ſit menſuræ æternitatis.

Inſtas, illud primum nùnc, in quo primo incipit viſio, ſolum coexiſtit ęternitati ſecundum illam virtualitatem ęternitatis ad illud nunc, non vero ſecundum alias virtualitates diſtinctas; ſed æternitas ratione illius virtualitatis ſolum ſe extendit ad præſentia pro illo tùnc, non vero ad ea, quæ pro illo non ſunt, ſed erunt: ergo viſio beata pro illo primo tùnc tantum videt in æternitate ea, quæ ſunt præſentia in illo tùnc, in quo incipit, non vero ea, quæ reſpective ad illud tunc, adhuc futura ſunt. Ad hoc, diſt. Mai. illud primum nùnc, in quo primò incipit viſio, ſolum coexiſtit æternitati ſecundum illam virtualitatem æternitatis ad illud &c. coexiſtentia durationis ad durationem, conc. Mai. coexiſtentia viſionis ad æternitatem vt viſam, nego Mai. & diſt. Min. æternitas vt menſura durationis creatæ, conc. Min. vt obiectum viſum, nego Min. & nego Conſ. Itaque cùm primò viſio coexiſtit æterno vt viſo correſpondet vt viſo ſicuti in ſeipſo eſt, & quia prout ſic ambit futura, & præſentia, cum primo incipit viſio, videt futura, & præſentia in illo æterno viſo, eſtò verum ſit, quod viſio pro illo tunc ſolum coexiſtat æternitati vt menſuræ durationis propriæ, prout tantum ſe extendit æternitas ad illud nunc.

Sed clarius reſpondetur, conceſſis præmiſſis, nego Conſ. nam alia eſt correſpondentia illius tunc, in quo primo incipit viſio ad nunc æternitatis in ratione præcontenti, & præcontinentis, & alia eſt correſpondentia viſionis ad æternitatem vt viſam pro illo primo tunc; primũ habet æternitas ratione illius virtualitatis inadæquatè, ſecundum habet æternitas prout in ſeip-

Digitized by Google

ſa eſt, quia proût ſic videtur in illo tunc primò à beato cumque in æternitate, ſicuti eſt, non ſolum exiſtant ea, quæ in illa virtualitate, in qua incipit viſio, ſunt, ſed etiam ea, quæ pro alijs virtualitatibus ſunt, non ſequitur, quod ſi viſio incipit eſſe per correſpondentiam ad illam virtualitatem, tantum videat beatus ea, quę pro illa virtualitate ab æternitate continentur, quia in æternitate ſicuti eſt, non præcontinentur ſolum ea, quæ præſentia ſunt pro illo tunc, in quo primo incipit viſio beata.

Sed vt hoc magis explicetur, inſto, in illo tunc, in quo primo incipit viſio (ſi ponitur quod non præcontineat differentias temporis futuri) tantum coexiſtunt viſioni ea, quæ pręſentia ſunt, non vero quæ futura ſunt: igitur viſio nequit in illo primo tunc videre ea, quæ reſpectu illius viſionis nondum ſunt, ſed erunt. Ad hoc, diſt. Ant. reſpectiue ad propriam menſuram eorū, conc. Ant. reſpectiue ad menſuram alienā æternitatis, nego Ant. & nego Conſ. Itaque illa, quæ pro illo tunc nondum ſunt reſpectiue ad propriam menſuram, reſpectiue ad nunc æternitatis iam ſunt, & ſic poſſunt videri à viſione beata, quæ habet pro obiecto viſo ipſam æternitatem, in qua, vel reſpectiue ad quam iam ſunt.

QVÆSTIO XII.

De cognitione Angelica ſecretorum cordis.

NOMINE Secretorum cordis intelligimus omnes actus ſiue intellectus, ſiue voluntatis, ſiue appetitus ſenſitivi, quorum vſus, & fieri adæquatè depēdet à libera voluntate hominis, vel Angeli. De iſtis procedit quæſtio, quomodo ab alijs Angelis poſsint cognoſci? & quomodo non, ſolis naturæ viribus?

§. I.

Vtrùm Angelus poſsit viribus ſolius naturæ cognoſcere ſecreta alterius independenter ab eorum manifeſtatione?

942 DVRANDVS In 2. diſt. 8. q. 5. docet, Angelos poſſe naturaliter cognoſcere cogitationes liberas alterius pręſentes, & exiſtentes; ſed non quæ futuræ ſunt. Sed communis Theologorum ſenſus partem tenet negantem cum D. Th. hic q. 54. ar. 4. & Prob. ex locis ſacræ Scripturę, ex quibus colligitur pręfatas liberas cogitationes eſſe naturaliter incognoſcibiles ab illis Angelis, ſub quorum libertatis dominio non ſunt. Habetur enim 6. Paralipomenon, *tu noſti ſolus corda filiorum hominum*, Hieremiæ 17. *prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuam*. Pſal. 7. *ſcrutans corda, & renes Deus* Sapientiæ 1. *quoniam renū illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus*. Quibus ſignificatur, quod ſaltim naturæ viribus cor hominis in his, quæ liberè cogitat, inſcrutabile ſit.

Reſpondet Durandus, loca Scripturæ debere intelligi non de cogitationibus actu exiſtentibus, ſeu ſolum de futuris. Sed hoc potius eſt illudere loca ſcripturæ, quam rectè exponere, dum enim dicitur, *tu ſolus noſti cogitationes hominum*, ibi clarè eſt loquutio de cogitationibus, quæ actu cogitationes ſunt, non de his, quæ nōdùm ſunt. Deinde, Scriptura laudat ſingularitatem Dei in duobus, nempè, de eo quod ſolus ipſe cognoſcit futura, antequam ſint, & quod ſolus ipſe cognoſcat cogitationes liberas hominum; ſi autem ſingularitas eſſet ſolum in cognoſcendis cogitationibus liberis futuris, cum contingentia ſint, non laudaret de duobus; ſed tantum de vno: ergo.

Deinde, Sancti probant Chriſtum eſſe verum Deum, ex eo quod internas mentis cogitationes cognoverit, non præciſe futuras, ſed exiſtentes, & iure libertatis occultas. Etenim Chriſologus ſerm. 50. dicit Phariſæo, cuius cor Chriſtus cognovit Lucæ 7. cap. *Divinitatis Chriſti inſignia audiens tum pectoris tui penetraſſe ſecreta*, quo argumento etiam vtitur Hieronymus diſcurrens ſuper illud adductum Hierem. 17. *Ieſus videt cogitationes, & nullus poteſt internas cogitationes videre: niſi ſolus Deus: ergo Chriſtus eſt Deus*. Similiter Cirillus laudat Nathanael, eo quod ex hoc indicio cognoverit Chriſti nativitatem, ſic enim habet lib. 2. in Ioannem. *Sciebat enim nulli alteri patere corda niſi Deo*. Hinc aliqui ſententiam Durandi dicūt eſſe erroneam. Alij parum tutam in fide. Alij illam dicunt temerariam. Quibus ego motus cum in congreſſu Romano apud S. Marzellum quidā publicè defenderet hanc propoſitionem, *Angelus naturaliter cognoſcit*

Digitized by Google

ſit cogitationes liberas alterius Angeli, etiam independenter ab eius voluntate, antequam ad argumentum venirem, dixi, illam propoſitionem non poſſe abſolute defendi: nã ſaltim erat male ſonans, & coactus eſt defendens illam temporare, & ad ſenſum Hẽrici illam defendere.

§. II.

Angelus viribus ſolis naturæ poſſit liberas cogitationes alterius ſaltim quoad ſubſtantiam cognoſcere?

943 HENRICVS, Qui & Doctor ſolemnis à ſuis dicitur; exiſtimavit Angelum poſſe viribus ſolis naturæ cognoſcere cogitationes liberas quoad ſubſtantiam, licet non quoad modum libertatis: quod hoc modo vidi defendi à quodam Regente ſervorum Matris Dei. Dicebat enim, cogitationes liberas cognoſci ab Angelo quoad ſubſtantiam eſſe cognoſcere quia de facto Angelus cogitet, ſed non ex quo fine. Contra quam inſtabã ſic, liberæ cogitationes non cognoſcuntur ex quo fine procedant: ergo neque poſſunt cognoſci penes tendentiam ad rem cogitatam. Prob. Conſ. non poſſunt cognoſci ex ordine ad finem, quia liberæ ſunt libertate finis; ſed etiam ſunt liberæ libertate obiecti, quia ſicut liberè Angelus cogitat ex hoc fine, ſic & liberè cogitat hoc, vel illud cogitabile: igitur ſi Angelus non cognoſcit ex quo fine cogitet alter, non cognoſcet quid cogitet. Reſpondebat, neg. Conſ. & ad Prob. diſtinguebat cauſalem Mai. quia liberæ ſunt libertate finis, libertate phyſica, & morali, conc. Mai. libertate ſolum phyſica, neg Mai. & ad Min. dicebat, cogitationes ex parte finis habere vtramque libertatem, ex parte ſolius obiecti tantum habere libertatem phyſicam: & ſic negabat Conſ.

Sed inſtabam, actus humanus non ſolum eſt liber libertate morali ex parte finis, ſed etiã ex parte ſui obiecti: ergo. Prob. Ant. tendentia libera moralis actus ad terminum, à quo actus accipit moralitatem, reddit actum liberum moraliter; ſed actus humanus liberè tendit ad obiectum ſuum, à quo accipit ſpecificam moralitatem: ergo prout tendit in obiectum etiam erit liber libertate morali. Negabatur Min. nempe, quod actus humanus ab obiecto acciperet ſpecificam moralitatem. Sed probabam ſic, volũtas libera dandi eleemoſinam pauperi ex motivô ſatisfaciẽdi pro meis peccatis habet moralitatem ſpecificam virtutis miſericordiæ; at illam non habet ex fine, nam hic ponit actum in ſpecie pœnitentiæ: ergo habet illam ex obiecto, ex quo habet, quod ſit in ſpecie morali miſericordiæ. Dicebat, illum actum formaliter non habere ſpeciem miſericordiæ, ſed ſolius pœnitẽtiæ. Et dabat rationem, quia actus accipit ſpeciem formaliter ab vltimo determinante, cumquè vltima determinatio talis actus eſſet à fine pœnitentiæ, & non ab obiecto miſericordiæ, ille actus ſolum formaliter erat pœnitentiæ, & materialiter miſericordiæ. Sed inſtabam: ergo ſiquis rem habeat cum vxore Petri, v. g. vt Petrum iniurietur, ille non erit formaliter adulter: conceſſit Sequelam. Sed riſum communem ſibi cõciliavit.

944 Sed ſecundo principaliter impugno hunc modum dicendi. Etenim loquẽdo de libertate phyſica, ſicut actus liber eſt phyſicè liber, ex quo tendit ad hoc obiectum præ alijs, ita eſt phyſicè liber, ex quo phyſicè tendit in hunc finem præ alio; ergo ſicut Angelus naturaliter cognoſcit ſecundum Henricum cogitationem liberam ſecundum tendentiã ad obiectum, ſic, quod ſciat quid de facto alter Angelus cogitet, ita naturaliter ſciat quinam ſit de facto finis talis cognitionis. Prob. Conſ. nam libertas phyſica actus ex ordine ad obiectum, & ex ordine ad finem eiuſdem prorſus lineæ ſunt: ergo ſi libertas phyſica ex ordine ad obiectum non latet vires naturaliter cognoſcitivas Angeli, nec libertas phyſica actus in ordine ad finem latere poterit vires cognoſcitivas naturales Angeli.

Confirm. ſtando in linea phyſica, ſicut actus humanus eſt ens actu exiſtens in rerũ natura cum tendentia determinata ad tale obiectum, ita ſtando in eadem linea, eſt ens actu exiſtens cum tendentia ad talem determinatum finem: ergo ſine fundamento affirmatur primam phyſicam tendentiam actus naturaliter cognoſci, & negatur ſecũdam naturaliter eſſe cognoſcibilem. Prob. Conſ. nam fundamentum Henrici ad affirmandum contra D. Th. quod cogitationes liberæ quoad tendentiam ad obiectum naturaliter ſint cognoſcibiles, eſt, quia licet liberæ ſint, tamen dum actu exiſtunt determinatæ, in ſuum obiectum tendunt; ſed etiam ſecundum quod tendunt in hunc finem præ alio determinatè tendunt in illũ: igitur pariter prout ſic erunt naturaliter cog-

Digitized by Google

cognoſcibiles. Idemquè argumẽtum facio de ipſa morali tendẽtia ad finem. Nam eſto libera ſit, tamen dum exiſtit, determinata moralitas eſt à fine determinato determinatam ſumens ſpeciem: ergo etiam iuxta Henrici principia erit prout ſic naturaliter cognoſcibilis ab Angelo.

Sed rurſus inquiro, obquam rationem libera moralitas naturaliter ſit incognoſcibilis ab Angelis? Forſan dicetur, quia non eſt bona politica quod omnes Angeli ſciãt peccata, vel merita aliorum. Sed ſi hoc dicatur, de facili convincetur. Etenim dum homo vult adulterari, vt iniuriet maritum adulteræ, Angelus naturaliter cognoſcit tale adulterium, eſtò ignoret finem ex quo procedit: ergo cognoſcit naturaliter pravã cogitationem hominis volentis adulteriũ: ergo fundamentum illud de bona politica ſervanda inter creaturas intellectuales eſt nullum. Forſan dices, Angelum cognoſcẽtem in homine voluntatẽ adulterandi non cognoſcere peccatum formaliter, quia ignorat ex quo fine homo adulterari vult. Sed contra eſt nam voluntas adulterij libera ex ſolo obiecto ſufficientiam habet vt formaliter peccatum ſit; nec de hoc debet eſſe controverſia; nam ex quocumque fine ſive bono, ſive malo fiat, ſemper peccatum eſt: ergo quantumvis finem ignoret, ſemper tamen cognoſcet peccatum adulterij velle committere talem hominem: ergo,

§. III.

Vtrùm non cognoſcere naturaliter Angelus cogitationes alterius oriatur ex eo quod Deus non vult concurrere cum Angelo ad cognitionem earum?

945 SCOTVS in ſecundo, diſt. 9. q. 2. §. *ad argumenta 2. quæſt.* & in 4. d. 10. q. 8. in ſolutione ad 3. aſſerit, Angelum non cognoſcere ſecreta cordis libera, non quia illa ſint improportionata viribus naturalibus Angelicis, ſed quia Deus ſtatuit non concurrere cum Angelo ad cognoſcendum dicta ſecreta. Quam opinionem ſequuntur eius Diſcipuli. Hæc tamen opinio falſiſsima eſt. Tum, quia non ſalvat quod cor hominis ſit inſcrutabile, & quod ſolus Deus poſsit naturaliter illud cognoſcere, ſicut ſcripturæ adductæ prædicant; ſed ſolum ſalvat, quod ſolus Deus ſit, qui de facto ea ſcrutetur, ſiquidem totum de facto non cognoſcere ſecreta cordis reducit ad divinum ſtatutum de non concurrendo generaliter cum Angelis ad cognitionem ſecretorum cordis. Tum ſecundo, nam concurſus ad talem cognitionem, vel eſt debitus Angelo, vel non eſt debitus; ſi non eſt debitus, Angeli non poterunt naturaliter ſecreta cordis cognoſcere: nam ſi poſſent naturaliter, aliquandò ſaltim deberet Deus concurrere cum Angelo ad prædictorum cognitionem; qua ratione dicunt Theologi 1. 2. q. 109. ar. 2. quod quia homo in ſtatu lapſus viribus ſolis naturæ poteſt operari aliquod bonum opus morale, ei aliquando debetur concurſus generalis ad benè moraliter operandum: cum ergo Deus decreverit iuxta Scotum nunquam concurrere, ſignum erit, quod Angeli naturaliter non poſſunt ſecreta cordis cognoſcere. Si eſt debitus concurſus: ergo Deus non potuit ſine iniuria Angelorum facere efficax ſtatutum de nunquam concurrendo cum illis ad cognitionem ſecretorum cordis. Prob. Conſ. quia auferre à creatura id, quod ei naturaliter eſt debitum, nequit fieri ſine iniuria creaturæ: ergo ſtatutum efficax de non dando concurſum generalem debitum ad cognitionem ſecretorum cordis eſſet iniurioſum Angelo. Tertio quia concurſus generalis debitus nunquam à Deo negatur de lege ordinaria, niſi in pœnam alicuius peccati: ergo ſaltim Angelis bonis, qui nunquam peccarunt neque moraliter, neque venialiter, concederetur talis concurſus, & ſic illi de lege ordinaria cognoſcerent ſecreta cordis aliorum, quod non eſt admittendum.

Dices, quod iſtæ rationes militant etiam contra noſtram ſententiam, quia etiã ſecundum illam debemus ponere, quod Angeli viribus ſolis naturæ poſsint talia ſecreta cognoſcere; vnde ſolum poſſumus dicere, quod non cognoſcant de facto, non vero quod naturaliter ea cognoſcere non poſsint. Prob. Ant. intellectus naturaliter informatus ſpecie repræſentativa alicuius obiecti, & cum habitu ſufficiente ad cognoſcendum illud, eſt potentia potens illud naturaliter cognoſcere: nam eſt potentia completa in actu primo, cui tantum deficiunt ea, quæ ſe tenent ex parte actus ſecundi; ſed iuxta noſtram ſententiam, quilibet Angelus habet ſpecies naturaliter congenitas ad cognoſcendum ſecreta cordis aliorũ: igitur quilibet Angelus naturaliter eſt potens ſecreta cordis aliorũ cognoſcere, quãvis de facto non cognoſcat ea, niſi alter illi

ea

Digitized by Google

eã revelet, premimur ergo eâdem difficultate ac Scotus.

Sed contra eſt, nam nos non ponimus in Angelis ſpecies congenitas horum ſecretorum abſolutè repræſentativas, ſed ſolum repræſentativas eorum, ſi manifeſtentur ab Angelo, qui eſt eorum Dominus iure libertatis ſuæ: ergo non ponimus poſſe abſolutè naturaliter ea cognoſcere, ſed ſolum conditionatè: ergo non ſumus in eadem obligatione ſolvendi argumenta facta contra Scotum. Prob. Conſeq. nam Scotus negat iſta ſecreta eſſe improportionata Angelis, etiam antequam ab Angelo eliciente ea ei manifeſtentur, & ſolum negat ea de facto cognoſcere, quia Deus ſtatuit cum Angelo non concurrere: nos autem dicimus, ea eſſe improportionata viribus naturalibus Angelicis, & per ipſam manifeſtationem externam proportionari: non ergo damus poſſe abſolutum, ſed tantum conditionatum. Dices, illam manifeſtationem Angeli retinentis apud ſe ſecreta, ſolum ſe tenere ex parte requiſitorum ad actum, non vero ſe tenere ex parte actus primi dantis ſufficientiam ad cognoſcendum. Sed contra eſt, nam, vt infra videbimus, illa manifeſtatio facit, quod talia ſecreta ſint de numero eorum, quæ pertinent ad Angelum cognoſcentē, qui nequit cognoſcere naturaliter niſi ea, quæ attinent ad ipſum: ergo tenet ſe ex parte eorum, quæ requiruntur ad actum primum. Prob. Conſeq. nam Angelus non ſolum non cognoſcit de facto ea, quæ ad ipſum non pertinent, verum neque poteſt ea cognoſcere: ergo ſi illa manifeſtatio facit quod præfata ſecreta ſint de numero eorum, quæ pertinent ad Angelum, eſt complementum potentiæ Angelicæ per modum actus primi, non per modum principij operativi, ſed per modum facientis obiectum, in quod ex viribus ſuis naturalibus Angelus poſsit.

§. IV.

Vtrùm non poſſe Angelum cognoſcere cogitationes liberas alterius oriatur ex defectu ſpeciei eorum repræſentativæ?

946 PATER Suarez lib. 2. de Angelis, cap. 24. & Pater Arrubal hic diſp. 169. cap. 2. quos ſequuntur alij Ieſuitæ affirmant, Angelum non poſſe naturaliter cognoſcere cogitationes liberas aliorum, quia non habent ab initio ſpecies infuſas eorum repræſentativas. Cuius aſsignant rationem, quia Angelis ſolum ſunt debitæ ſpecies rerum naturalium repræſentativæ; cogitatio autem libera non eſt naturalis, ſed ſolum moralis, ideoque creatura rationalis, quæ ratione libertatis habet dominiū ſuper illas, habet ius, vt Deus non infundat Angelis ſpecies eorum repræſentativas, antequam ipſe eas alteri vellit eas manifeſtare. Hic tamen modus dicendi apertè ſe opponit doctrinæ D. Thom. quæſt. 9. de veritate, artic. 4. ad 11. vbi habet, quod *Angelus per ſpeciem, quam habet alterius Angeli cognoſcit omnia, quæ ſunt in illo, etiam eius cogitationes liberas, quando alter vult illi eas manifeſtare.* Sic D. Thom. ſpecies autem alterius Angeli repræſentativa ab initio creationis congenita eſt Angelo: ergo contra D. Thom. eſt affirmare, quod Angeli ab initio creationis nō habeant ſpecies repræſentativas, quātum eſt ex ſe, cogitationū liberarū.

Ratione impugnatur hic modus dicendi. Nā ſine fundamento denegat Angelis ab initio præfatas ſpecies cogitationū repræſentativas: ergo admittendus non eſt. Prob. Ant. nam fundamentū horum auctorū eſt, quod ſi Angelus ab initio haberet huiuſmodi ſpecies, hoc ipſo quod exiſterēt tales cogitationes, poſſent ab omnibus Angelis cognoſci, quia de facto aſsimilarentur præfatis ſpeciebus; hoc autē fundamētū eſt nullū: ergo. Prob. Min. nā ſpecies Angelicæ nō aſsimilantur niſi rebus ſpectātibus ad hoc vniverſum, vt infra videbimus; ſed antecedēter ad hoc quod Angelus, qui eſt Dominus ſecretorū ſuorū, illa alteri manifeſtet dirigēdo ea ad illū, talia ſecreta non ſpectant ad hoc vniverſum: ergo quantumvis exiſtant, dum tamen non manifeſtantur ab habente illa, non aſsimilabuntur ſpeciebus Angelicis: non ergo ex hoc fundamēto debet dici, quod Angeli non habeant ab initio ſpecies infuſas horū ſecretorū manifeſtativas. Deinde, benè ſtat, quod Angelus ab initio habeat ſpecies repræſentativas futurorū cōtingētiū, & quod illa nō poſsit cognoſcere, antequā præfata futura exiſtāt in ſe ipſis: ergo ſtabit, quod Angelus ab initio habeat ſpecies ſecretorum cordis alterius Angeli, & quod ea non poſsit cognoſcere antequā ab alio ei manifeſtentur. Prob. Conſ. nam primū ſtat, quia futura antequā exiſtant, certò cognoſcibilia non ſunt; ſed etiam antequā

ab alio manifeſtentur ſecreta cordis cognoſcibilia non ſunt: ergo ſtabit benè, quod Angelus ab initio habeat ſpecies ſecretorũ cordis, & quod illa cognoſcere non poſsit, antequam ab Angelo eorum Domino illi manifeſtentur.

Explicemus hoc. Ponamus caſum, quod Deus infundat ſpecies repræſentativas ſecretorũ cordis vnius Angeli alteri Angelo, ſed ille, cuius ſunt ſecreta, nõ manifeſtet ea alteri, ſeu dirigat ea ad alterum Angelũ vt de facto cognoſcat: tunc inquiro, ille Angelus, cui datæ ſunt ſpecies, ex vi tantũ huius quod eſt habere ſpecies, poterit cognoſcere naturaliter cordis ſecreta alterius, vel non poterit? ſi habet ſpecies eorũ, & non poteſt, quia alter ei ea non manifeſtat: ergo etiam ſi ab initio haberet ſpecies infuſas eorũ nõ poſſet ea cognoſcere, ſi alter ei non manifeſtaret ea. Si dicatur, quod poteſt: igitur quod alter ea ei manifeſtet nõ requiritur, vt poſsit, ſed ſolũ vt de facto cognoſcat, quod eſt incidere in ſententiam Scoti. Rurſus, ſi nullũ eſſet inconveniẽs dicere quod poſſet, ſed de facto nõ cognoſceret, quia alter ei ea non manifeſtaret: ergo etiã ſi haberet ſpecies ab initio infuſas, abſque aliquo inconvenienti poſſet; ſed de facto non cognoſceret, quia alter ei ea non revelaret: non ergo per hoc quod Angelus ab initio non habeat ſpecies ſecretorũ repræſentativas ſolvitur modus præſentis difficultatis.

§. V.

Proponitur ratio D. Thom. & explicatur efficatia eius.

947 PATER Vazquez hic, refutatis varijs rationibus hinc inde, concludit, hanc veritatem ſolis ſcripturæ teſtimonijs probari poſſe, nõ vero aliqua ratione efficaci ex philoſophia deſumpta. Sed vt appareat quàm falsò loquitur, placet adducere rationẽ D. Thom. & eius efficatiam explicare. Igitur D. Th. vbicumque ex profeſſo de hac materia tractat, ſemper pro ratione huius veritatis aſſignat, quod Angelus nequit ſecreta cordis alterius cognoſcere, quia antequã ei ab altero, cuius ſunt, manifeſtentur, ſunt improportionata lumini naturali cuiuſcũque Angeli; quia in his voluntas ſolũ ſubditur Deo, & ſic, ſolus ille independẽter ab illa poteſt eius ſecreta cognoſcere. Sic enim habet hic, q. 57. a. 4 *Quia volũtas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubiacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt, qui eſt principale eius obiectum vt vltimus finis, & ideo ea, quæ ex voluntate ſola dependent ſoli Deo ſunt nota: manifeſtum eſt autẽ, quod ex ſola voluntate dependet, quod actu aliquis aliqua conſideret: quia cum aliquis habet habitũ ſcientiæ, vel ſpecies intelligibiles in eo exiſtentes vtitur eis, prout vult. Et ideo Apoſt. dicit 1. Corinth. 2. quod quæ ſunt hominis nemo novit niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt.* Sic D. Thom.

Aliqui ſiniſtrè intelligentes hanc rationẽ D. Th. dicunt, eam fundari in hoc, quod ea, quæ à ſolo Deo dependent, ſoli Deo pateant, & nulli alteri nota ſint; ſed voluntas in ſuis actibus liberis à ſolo Deo operante dependet: igitur eius liberi actus ſolũ Deo patent, & ipſi voluntati elicienti. Cæterũ hæc nequit eſſe mens D. Th eo quod illud, quod pro Maiori fundamentali proponitur manifeſtè falſum eſt. Nam multa neceſſaria à ſolo Deo cauſantur, & tamẽ omnibus patent: cœlum enim à ſolo Deo dependet in fieri, & conſervari, quod tamen manifeſtè patet Angelis, & hominibus: materia etiam prima à ſolo Deo cauſatur, & tamẽ ſcientiam certiſsimã habemus de materia prima; & ſic diſcurrendo per plura alia: non ergo D. Thom. propoſitionem ita falſam potuit aſſumere pro fundamento.

Mens ergo legitima huius rationis eſt, quod voluntas in ſuis actibus liberis ſic iure libertatis eſt domina ſuorũ actuũ, quod nullum aliud ſupra ſe dominiũ cognoſcat, niſi Dei, & hoc ideo, quia à ſolo ipſo depẽdet, qui vt vltimus finis plenè eam determinat, & vt cauſa efficiens ſolus ipſe intra eam operatur; ſi autem eius liberæ cogitationes hoc ipſo quod exiſtunt, cunctis Angelis paterent, naturaliter illis ſubderetur, & dominia creata in alijs creaturis ſupra proprios actus agnoſceret, vnde non ſubiaceret ſoli Deo in actibus liberis, quod auferret verã rationẽ dominij à voluntate: cum ergo ipſa ſola, & Deus ſint Domini plenitudine poteſtatis actuum liberorũ ſuorũ, nullus eſt, quantũvis ſupremus Angelus ſit, qui naturaliter poſsit ſecreta eius rimari, niſi ipſa vellit. Itaque, Angelos non poſſe cognoſcere ſecreta cordis aliorũ fundat D. Th. in dominio, quod ſolus Deus, & voluntas habent ſuper actus liberos; ſed ſolitudinẽ huius dominij probat ex illo, quod ſol⁹ Deus, & voluntas operantur prædictos actus, ſic, quod volũtas in operando illos a ſolo Deo dependeat illã movẽte prævie, & ſimultaneè.

Sed

Digitized by Google

Sed inſtas, voluntas non eſt magis domina ſuorũ actuum, quam Deus ſit ſolum Dominus firmamenti, quod ipſe ſolus liberè creavit, & liberè conſervat; & tamẽ omnibus patet firmamẽtũ, naturaliter ſine aliquo decremento dominij Dei: ergo ſine decremento dominij volũtatis poterant omnes Angeli eius opera libera cognoſcere. Ad hoc, diſt. Conſ. ſi cognoſcerent eius liberos actus, ipſa volente, eos ea cognoſcere, conc. Conſ. ipſa etiã nolente, & renitente, nego Conſ. Itaque ex hoc quod omnes cœlum videant, non diminuitur dominium, quod Deus habet ſupra cœlum, quia nullus cœlum videt niſi Deo volente, vt videat, & ad hoc exhibente lumen proportionatũ, & concurſus neceſſarios: & ſimiliter dominiũ voluntatis ſuper proprios actus nullum pateretur decrementum, ſi ipſa volente, & revelante eos, omnes Angeli illos cognoſcerent; pateretur autẽ detrimentũ maximum, ſi ipſa nolente, & volente eos occultare, alij naturaliter opera eius libera cognoſceret.

Hinc infero, quod quia in actibus neceſſarijs, voluntas Angelica nullum habet dominium independẽter ab eius voluntate imò & ipſa renitẽte, omnes Angeli poſſunt cognoſcere opera neceſſaria eius tã intellectus, quã voluntatis: non enim ei fit iniuria in tali cognitione, quia ipſa nõ eſt domina actuum ſuorum, quos non poteſt non operari. Hincque etiam apparet, cur Deus voluerit, quod omnes Angeli cognoſcant opera neceſſaria voluntatis creatæ; & ad hoc dederit lumen naturale proportionatum, quod eſt quoddam genus revelationis, ſeu manifeſtationis divinæ. Vtique hoc fecit Deus, quia cum illorũ, quæ neceſſario fiunt à voluntate, ipſa dominiũ non habeat, ſine eius iniuria potuit Deus hoc facere vt auctor naturæ; non autem hoc fecit reſpectu actuum liberorum, quia vt auctor naturæ non debuit ius libertatis, & naturalis dominij voluntatis lædere. Ob hanc etiã rationẽ, Deus, vt noſtri Thomiſtæ ex D. Th. probãt, nõ dedit Angelis ſpecies naturaliter cõgenitas, quæ repræſentarẽt tã ea, quæ ſpectãt ad vniverſum, ſicut ſunt entia naturalia, quã nõ ſpectantia ad vniverſum, ſicut ſunt ipſæ affectiones liberæ, antequam ad Angelum cognoſcentem dirigantur à libere cogitante. Etenim ex conceſſione ſpecierum ſolum repræſentantiu ea, quæ ſpectant ad vniverſum: non læditur vis alicuius voluntatis creatæ, & ſic hoc aptiſſimè potuit Deus efficere; ex conceſſione ſecundi læderetur ius naturale libertatis creatæ, & ſic ſine iniuria voluntatis creatæ Deus illud non efficeret; conceſſit ergo Angelis, quod ſine eorum iniuria potuit, non illud, quod ſine iniuria eorum non faceret.

948 Sed inſtas contra hanc doctrinã. Dominium, quod voluntas habet ſupra actus ſuos liberos, adæquatè ſalvatur in eo, quod ipſa poſſit eos elicere, & poſſit non elicere, poſſit benè, & poſſit malè operari: ergo ſine fundamento extenditur etiam ad hoc, quod nulla creatura rationalis poſſit actus ſuos liberos cognoſcere, niſi ipſa voluerit. Ant. prob. dominiũ ſuper actus liberos eo ſe extendit, quò ſe extendit libertas voluntatis; ſed hæc tantum ſe extendit ad libertatem contradictionis, qua ſic elicit, quod poſſit non elicere; & in libertatem contrarietatis, qua ſic liberè benè operatur, quòd poſſit malè operari: ergo dominium, quod voluntas habet ſuper actus ſuos liberos, tantum conſiſtit in eo, quod poſſit elicere, & non elicere, quod poſſit ſic benè, quod poſſit etiam malè operari. Secundo inſto, voluntas non minus eſt domina iure propriæ libertatis actuum ſuorum externorum, ac ſit domina actuum ſuorum internorum; ſed dominium libertatis circa actus externos non minuitur per hoc, quod ipſa renitente, & conante quod tales actus non cognoſcantur, illi ab Angelis, & multoties ab hominibus cognoſcuntur: ergo dominiũ ſuper actus liberos internos non minueretur, etiam ſi ab Angelis ipſa renitente cognoſcerentur.

Ad primam, diſt. Ant. loquendo de dominio, quod voluntas habet in ordine ad ſe, conc. Ant. loquendo de dominio tam in ordine ad ſe, quàm in ordine ad alios, nego Ant. & Conſ. Ad Prob. Antec. diſt. Min. loquendo de libertate in ordine ad ſe ipſam, conc. Min. loquẽdo de libertate tam in ordine ad proprium ſuppoſitum, quàm in ordine ad alia à ſe, nego Min. & Conſ. Itaque volũtas eſt libera in ordine ad ſe, & in ordine ad alios: in ordine ad ſe, in quantum nequit neceſſitari ad aliquẽ actum, niſi ipſa vellit ſuam neceſſitatem, & quatenus etiam ſic elicit actum, quod poſſit non elicere, & quatenus ſic elicit actum bonum, quod poſſit elicere malum: in ordine ad alias creaturas etiam eſt libera à ſervitute; quia nulli ſubditur, ſed ſoli Deo; ſubderetur autem innumeris, ſi hoc ipſo quod actum liberum eliceret, naturalem aliorum cog-

Digitized by Google

bis Deus cœlum revelat, non poſſumus cœlum cognoſcere; revelat autem illud nobis per hoc quod illud partẽ vniverſi facit, & Angelis tribuit ſpecies repræſentativas totius vniverſi, & partium eius, & ſic cœlum quamvis à ſolo Deo in fieri, & conſervari dependeat, omnibus naturaliter patet: actus ſimiliter liberi, dum à voluntate efficiente ſolum dependent, niſi eos ipſa volũtas manifeſtet alijs, noti naturaliter eſſe nõ poſſunt; ſed de hoc non eſt difficultas, ſed de eo, an indepenter à voluntate ab alijs extraneis naturaliter cognoſci poſsint? quod negamus ob rationem datam. Ad ſecundam Confirm. de ſpeciebus, & habitibus naturalibus infuſis Angelis, dico, quod licet effective ſolum à Deo producantur, tamen non fiunt ſine concurſu cauſæ materialis naturalis, ſiquidem educuntur de potentia Intellectus Angelici per modum naturæ cauſantis, & recipientis illos, & ſic partes vniverſi ſunt; vnde ab alijs creaturis intellectualibus extra Deum poſſunt naturaliter cognoſci, non ſic de actibus liberis, in quibus voluntas à nullo extra ſe dependet in aliquo genere cauſæ: vnde nulli creaturæ cognoſcitivæ in illis ſubditur, ſed ſoli Deo.

950 Secundo arguitur, actus liber hoc ipſo quod procedit effective à voluntate, hoc ipſo dependet ab aliqua parte vniverſi, & cũ illa connectitur: ergo Angelus per ſpeciem, quam ſibi habet congenitam talis actus repræſentativã, naturaliter cognoſcet illum. Patet Conſ. nam ſpecies, quæ repræſentat Angelo partẽ vniverſi, repræſentat illi omnia accidentia, quæ cum tali parte connectuntur. Et Ant. Prob. nã volũtas creata pars vniverſi eſt: ergo actus liber ab illa procedens vere dependet ab aliqua cauſa, quæ ſit pars vniverſi. Confir. plenius, actus liber vt manifeſtatus, vel directus ad aliquem Angelũ in particulari, adhuc pars vniverſi non eſt; & tamen cognoſcitur naturaliter ab illo, cui manifeſtatur: ergo quod nondũ manifeſtatur pars vniverſi nõ ſit, nõ auferet, quin ab alijs Angelis naturaliter cognoſcatur. Prob. Ant. ſi ex hoc quod actus liber vni manifeſtetur, pars vniverſi fieret, eſtò vni tantum manifeſtaretur, ab omnibus cognoſci poſſet; ſiquidem omnes Angeli naturaliter cognoſcere poſſunt ea, quæ ſpectant ad vniverſum; ſed manifeſtatus vni in noſtra ſententia ſolum ab illo poteſt cognoſci, & non ab alijs: ergo actus liber adhuc manifeſtatus vni, pars vniverſi non eſt. Confirm. ſecundo eſto actus liber vt talis pars vniverſi non ſit, tamen quilibet Angelus habet ſpecies congenitas eius repræſentativas: ergo eſtò pars vniverſi non ſit, hoc ipſo tamen quod exiſtat, cognoſcetur ab omnibus Angelis. Prob. Conſeq. nam ad hoc quod ſpecies ex ſe repræſentativa alicuius obiecti actu repræſentet illud, ſufficit quod illud actu aſſimiletur ſpeciei intelligibili eius; ſed hoc ipſo quod actus liber exiſtit, actu aſſimilatur ſpeciei Angelicæ: ergo actu repræſentabitur ab illa, & ſic ſine alio ſuperaddito naturaliter cognoſci poterit.

Ad hoc argumentum, nego Antec. Ad Prob. diſt. Antec. voluntas creata pars vniverſi eſt, vt eſt quædam natura, conc. Antec. vt reduplicativè coniuncta cum ſuo actu libero, nego Antec. & diſt. Conſeq. quæ ſit verè pars vniverſi, vt coniuncta cum operatione libera, nego Conſeq. vt quædam natura eſt, vel vt ad modum naturæ operatur, conc. Conſeq. Itaque voluntas pars vniverſi eſt ſecundum quod eſt quædam proprietas naturæ Intellectualis, quia prout ſic neceſſariò connectitur cum natura Angeli; eſt etiam pars vniverſi ſecundum quod naturaliter Deum diligit; quia prout ſic cum alijs entibus naturalibus colligitur; vt vero coniungitur liberè cum ſuo actu interno libero pars vniverſi non eſt; quia prout ſic non operatur à natura, ſeu purè quia ipſa vult: vnde nec cum ſe ipſa talis actus naturaliter intelligatur, ſed fit independenter à propria voluntate vt naturaliter operante, & ſic actus liber vt talis non procedit à propria voluntate vt à parte vniverſi, vnde non eſt neceſſe, quod ab omnibus Angelis cognoſcatur.

951 Sed inſtas, ad vniverſum non magis ſpectat voluntas vt natura, quam voluntas vt libera: ergo non magis operabitur vt pars vniverſi, quandò operatur vt natura, quam quandò operatur vt libera. Conſeq. eſt bona, Antec. Prob. vniverſum vt perfectum ſit, debet neceſſariò conſtare ex gradu intellectuali vt perfectè aſsimilato Deo in natura, per quam operatur, & in modo operandi poſsibili participari à creatura; ſed Deus operatur per intellectum, & voluntatem liberè; & modus liberè operandi naturaliter poteſt participari à creatura rationali: igitur vt vniverſum perfectum ſit, debet integrari non ſolum ex voluntate vt natura,

Digitized by Google

ſed etiam vt libera operante. Confir. homo per ſe ſpectat ad vniverſum: ergo actus humani, qui procedunt ab homine ſecundum quod homo eſt, per ſe ſpectabunt ad vniverſum; ſed vt humani ſunt liberi, quia ex parte modi operandi homo diſtinguitur à Bruto per hoc, quod homo operatur liberè, & per rationē: Brutū vero operatur ex inſtinctu naturæ. Confir. ſecundo, ſi actus liberi vt tales non eſſent pars vniverſi, neque Angelus eliciens illos poſſet illas cognoſcere; Conſ. eſt falſiſſimū: ergo. Prob. ſequela, Angelus nequit cognoſcere niſi ea, quæ ſpectant ad vniverſum: ergo ſi prædicti actus, vt liberi non ſpectant ad vniverſum, adhuc Angelus eos eliciens non poterit naturaliter eos cognoſcere.

Ad hanc inſtantiam, diſt. Ant. quam volūtas vt libera, libertate per modū actus primi, conc. Ant. libertate per modos actus ſecundi, nego Ant. & nego Conſ. Itaque ad vniverſum ſpectat habere creaturas rationales, quæ poſsint operari liberè, & ad modum naturæ, quia aliàs nō conſtaret ex gradibus perfectè aſsimilatis Deo, vt benè probat inſtantia; nō autē ex hoc ſequitur, quod ipſi actus liberi abſolutè ſint pars vniverſi, cum prout ſic non ſint à natura, ſed ſint à voluntate præciſsè, quia vult. Sed cum dico, voluntatē vt liberam per modū actus primi, non loquor de illa prout per modū actus primi proximè eſt libera, & in procinctu ad operandū, & nō operandū; ſed loquor de illa, prout remotè eſt libera, quod habet voluntas à natura, & non à ſe.

Ad Confir. diſt. Conſeq. per ſe ſpectabunt ad vniverſum, quandò colligantur cū partibus vniverſi, conc. Conſ. quandò non colligantur, nego Conſ. Itaque actus humani ſunt in duplici ſtatu: primo, vt tantū ſpectant ad elicientem illos, & prout ſic, negamus actu eſſe partes vniverſi, quia prout ſic, cum nulla parte vniverſi colligantur; ſecūdò, vt diriguntur ad alios Angelos, vi cuius directionis habent pertinere ad illos, & prout ſic, ſunt actu pars vniverſi reſpectivè, eſtò non abſolutè. Ad ſecundam Confirm. nego ſequelam. Ad Prob. diſt. Antec. Angelus nequit naturaliter cognoſcere niſi ea, quę ſpectant ad vniverſum, loquendo de cognitione aliorū à ſe, conc. Ant. loquēdo de cognitione eorum, quæ ſpectant ad ſe, nego Ant. & nego Conſ. Itaq; doctrina illa, quod Angelus nequit cognoſcere naturaliter niſi ea, quæ ſpectant ad vniverſum, ſolū eſt vera loquendo de his, quæ non ſpectant ad ipſum; actus autem proprij ſpectant ad ad elicientem, ſiquidem habet abſolutum dominium ſuper illos: & ſic dato quod prout ſic non ſpectent ad vniverſum, non ſequitur, quod Angelus eliciens illos naturaliter eos non cognoſcat.

952 Tertio arguitur, ſi actus liber prout ſic pars vniverſi non eſt, & Angelus naturaliter eū cognoſcere nequit, quia pars vniverſi non eſt, ſequitur, quod ab initio nō habeat ſpeciem repræſentativā eius; Conſ. non admittitur à Thomiſtis: ergo. Prob. ſequela, Angelus ſolùm habet ſpecies congenitas repræſentativas eorum, quæ naturaliter cognoſcere poteſt; ſed actus liberos vt tales naturaliter cognoſcere non poteſt, quia partes vniverſi non ſunt: ergo eorum ab initio non habebit ſpecies congenitas. Confirm. prædeterminatio phyſica, qua Deus prædeterminat voluntatem liberam Angeli ad actus naturales liberos, pars vniverſi eſt: ergo quilibet Angelus naturaliter poterit eam cognoſcere: ergo & naturaliter poterit cognoſcere, ad quam partem voluntas phyſicè determinata eſt, & ſic naturaliter cognoſcere poterit actus liberos, cum quibus de facto voluntas cōniuncta eſt. Prob. primum Ant. in quo difficultas extat. Etenim prædeterminatio phyſica eſt quædam qualitas naturalis ad modum naturæ recepta in voluntate, ſic, quod non fuit in poteſtate voluntatis illam non recipere: ergo Deus operatur illam in voluntate, concurrente voluntate ad illam per modum naturæ in genere cauſæ materialis: ergo talis prædeterminatio phyſica erit pars vniverſi. Prob. Conſ. quia ex hac doctrina diximus ſupra, ſpecies impreſſas, & habitus infuſos Angelis eſſe partes vniverſi, quia licet effectivè à Deo tantum cauſentur, in genere tamen cauſæ materialis cauſantur per modum naturæ ab intellectu, ex quo educūtur: ergo ſi prædeterminatio phyſica cauſatur à voluntate, ex qua educitur concurrente in genere cauſæ materialis, vere pars vniverſi erit.

Ad hoc argum. nego Sequelam. Ad Prob. diſt. Mai. ſolum habet ſpecies eorū, quæ naturaliter cognoſcere poteſt, poſitis ponendis, conc. Mai. non poſitis ponendis, nego Mai. & diſt. Min. non poſitis ponēdis, conc. Min. poſitis ponendis, nego Min. & Conſ. Etenim nō negamus, Angelos naturaliter poſſe cognoſcere ſecreta cordis, ſed cū additio, nempe antequā à Dño ſecretorum dirigantur ad ipſum: ſi enim hoc requiſitum

po-

ponatur, affirmamus, quod viribus ſuis nativis cognoſcent illa, & ſic non ſequitur, quod ab initio non habeat ſpecies eorum repræſentativas, ſiquidem illas debet habere reſpectu omnium illorum, quæ poſſitis ponendis naturaliter Angelus valet cognoſcere. Ad Confirm. diſt. Antec. pars vniverſi eſt per ſe ordinata ad actum liberũ voluntatis inferendum, conc. Ant. non per ſe ordinata ad illationem actus liberi, nego Antec. & Conſeq. Etenim cum voluntas ratione dominij, quod habet ſuper proprios actus exigat quod ſolus Deus, & nullus præter Deum illos independẽter ab eius voluntate revelante naturaliter cognoſcere poſsit, exigit, quod talis qualitas prædeterminans, quamvis pars vniverſi ſit, quia tamen per ſe ad libertatem voluntatis creatæ pertinet, omnes creaturas naturaliter lateat, quia ſi ipſa naturaliter cognoſceretur actus eius liberi naturaliter quoque cognoſcerentur, & ſic voluntas creata non haberet plenũ dominium ſuper ſuos actus liberos, ſiquidem ipſa nolente, & renitente, ab alijs creaturis intellectualibus naturaliter cognoſcerentur.

953 Quarto arguitur, In cognitione libera ſunt duo, nempe imperium voluntatis, ex quo intellectus cogitet, & ipſa ſubſtantia actus cogitationis: imperium eſt intrinſece liberum, ſubſtantia autem cogitationis eſt naturalis, quia eſt à potentia naturali naturaliter operante: ergo licet vt ſubeſt imperio libero naturaliter non poſsit cognoſci, tamen ſecundum ſubſtantiam cognoſci poterit. Confirm. D. Gregorius 18. Moral. c. 27. aliàs, 31. ait: *In beatitudine reſurgentium vnus erit perſpicabilis alteri, ſicut ipſe ſibi, & cum vniuſcuiuſq; intellectus attẽditur, ſimul conſcientia penetratur:* vnde cõcludit: *Civitatem beatorum dici allegoricè vitrum mundum; nunc autem corda noſtra quandiù in hac vita ſumus, quia ab altero in alterum videri non poſſunt, non intra vitrea, ſed intra lutea vaſcula concluduntur*: ergo cum iſta, quæ reſpectu noſtri ſunt impedimenta, non ſint Angelis obſtacula, verè ipſi cognoſcent naturaliter noſtras cogitationes liberas. Confirm. ſecundo. Magi a Dæmonibus inſtructi interdum revelant ſecreta cordium, vt de Alberico Mago teſtatur Auguſtinus lib. 1. contra Academicos, cap. 6. Itẽ Dæmones aſsiſtentes energumenis cognoſcunt imperia mentalia, quæ illis exorciſtæ imponunt: ergo Angeli poſſunt naturaliter cognoſcere ſecreta cordium.

Ad hoc argumentum, nego Ant. Etenim in cogitatione libera ipſa ſubſtantia cogitationis etiam eſt libera, quia talis cognitio etiã quoad ſubſtantiã ſic fit ab intellectu, quod potuit non fieri, & ſic conſervatur, quod poteſt non conſervari: licet enim intellectus ex ſolis proprijs nequeat habere actus liberos, tamen habet hoc à voluntate; vnde non ſolum cogitatio eſt libera quoad modum, ſed etiã quoad ſubſtantiã: quia talis ſubſtantia in re ſic ponitur, quod potuit non poni: vnde non ponitur in re ad modũ naturæ, ſed ad modũ libertatis. Ad 1. ex Gregorio dico, tantũ velle, quod in reſurrectione nõ erit obſtaculũ groſsitiei corporũ, quæ modo obſtat, ne vnus videat interiora alterius; nõ tamẽ vult Gregorius, quod ſine dependentia à voluntate cogitãte, tunc vnus poſsit ſecreta cordis alterius cognoſcere. Ad 2. dico, quod Magi inſtructi à Dæmone aliqua revelant, quæ Dæmon agnoſcit per aliqua ſigna, eſtò leviſsima, ſicut peritiſsimus medicus ex leviſsimis ſignis penetrat infirmitatẽ latentẽ. Ad vltimũ dico, quod exorciſta hoc ipſo quod ſola mentis conceptione imperat Dæmoni obſidenti corpus, hoc ipſo dirigit imperiũ ſuũ ad Dæmonẽ, vt ipſum poſsit cognoſcere, & ſic cognoſcunt imperio exorciſtarũ directa ad ipſos.

954 Pro coronide huius difficultatis oportet prænotare circa actus partis ſenſitivæ, ſivè apprehẽſivæ, ſive appetitivæ. Poſſumus enim dupliciter loqui de illis: vel prout procedunt à voluntate imperãte, vel in quantũ fiunt ex impreſsione alicuius cauſæ naturalis, vel ſpiritualis, vel corporalis. Primo modo nequeunt ab Angelo naturaliter cognoſci, benè verò ſecundo modo. Ratio primi deducitur ex eo, quod prout procedunt ex volũtate libera ſunt exercitia libera ſimpliciter dependentia à voluntate imperante, & ſic penitùs ſunt ignoti. Ratio ſecundi habetur ex eo, quod Angelus naturaliter cognoſcit omnẽ diſpoſitionẽ corporalẽ ex quacumque cauſa naturali operãte provenientẽ: motus autẽ phantaſiæ, & appetitus ſenſitivi in nobis aliquãdò ſequuntur impreſsiones dictas, & illis fiũt, & excitantur, & ſic naturaliter ab Angelo poſſunt cognoſci. Ex quo infero, quod ex cognitione prædictorũ actuum nequit Angelus cognoſcere actus voluntatis internos. Nam ſtat benè imaginationẽ vehementer excitari ex aliqua paſsione, & voluntatem non conſentire illi, determinante illam ad non conſentiendum, continentia, quæ in volũ-

rato ſubiectatur; & ſic ex hoc, quod Angelus cognoſcat illam vehemētiſsimam paſſionem, non benè inferri poteſt, quod cognoſcat actum voluntatis. Quæ ratio nō militat in actibus externorum membrorum, quæ non poſſunt reduci ad ſuum exercitiū niſi in voluntate conſentiente. Legatur D. Thom. hic q. 57. art. 4. ad 3. ex quo deſumitur hæc doctrina.

QVÆSTIO XIII.

De modo cognitionis Angelicæ.

EXPLICAVIMVS iam quidditatem, medium, & obiectum cognitionis Angelicę: reſtat vobis explicare modum, & quia varijs modis contingit fieri cognitio Angelica, idcò oportet de ſingulos ſtatuere. §§.

§. I.

Vtrùm Angelus neceſſariò ſe ipſum cognoſcat?

955 CIRCA præſentem difficultatem Pater Vazquez hic diſp. 219. cap. 3. poſtquam retulit opinionem S. Thom. & Diſcipulorum eius tenentium Angelū circa ſui cognitionem ceſſare non poſſe; fatetur ſe ex ſcriptoribus non legiſſe aliquem, qui ſentiat oppoſitum. Similiter fatetur non eſſe aliquam rationem, quæ probare poſsit Angelum à ſui cognitione poſſe ceſſare; ſed addit, cæterum nec rationes adductæ oppoſitum efficaciter demonſtrant, vt ex earum ſolutione patebit, & pro viribus ſuis conatur rationē D. Thom. & Thomiſtarum ſolvere: quibus ſolutis finit capitulum. Sed cū Schola Thomiſtica tenendum eſt, Angelum neceſſariò cognoſcere ſe ipſum, & ſic de lege ordinaria non poſſe à ſui cognitionē ceſſare. Ita tenēt Caiet. hic art. 2. § *Circa vltimam concluſionem*; & §. *ad euidentiā.* Ferrara 2. contrag. cap. 97. Herværus in 2. diſt. 3. p. q. 4. Egidius ibidem 2. part. quæſt. 2. art. 1. dub. 1. ad 2. Capreolus ibidem q. 2. art. 3. ad 6. Gregorius ibidem contra 5. concluſionem. Durandus ibidem q. 8. num. 9. & ex alijs commentatoribus D. Thom. innumeri alij Prob. 1. concluſio authoritate D. Thom. Etenim q. 8. de verit. art. 6. ad 7. ſic habet; *intellectus Angeli non eſt in potentia reſpectu eſſentiæ eius, ſed reſpectu eius ſemper eſt in actu*, & art. 14. ad 6. ait: *mens Angeli ſemper ſe actualiter intelligit, quod ideo contingit, quia mens Angeli intelligit ſe per eſſentiam ſuam, qua ſemper informatur*, idem ad longum pro ſequitur D. Thom. 2. contrag. cap. 97.

Ratione Prob. deſumpta ex Angelico Doctore ex contrag. citato. Omnis ſubſtātia vivens habet aliquam operationem vitæ in actu, quæ ineſt ei ſemper, & neceſſariò, licet circa alias operationes ſint in potentia: animalia enim ſemper nutriuntur, licet non ſemper ſentiant; ſed ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt perfectè viventes, & non habēt aliam operationem niſi intelligere, & velle: ergo reſpectu alicuius obiecti ſemper intelligent, & neceſſariò intelligent; ſed hoc obiectum non poteſt eſſe aliud, quàm propria ſubſtantia, quia hoc eſt maximè inter omnia cognoſcibilia naturalia connaturale: ergò fatendum erit ſe ipſos ſemper neceſſario intelligere.

Reſpondet Vazquez, nullam fieri paritatem inter motum vitalē cordis, & nutritionem ad intelligere ſe Angelum: quia primæ operationes ſunt neceſſariæ, vtpote ſine quibus moritur vivens; cognitio autē Angeli eſt libera. Vivens vero à neceſſarijs nequit ceſſare, benè verò à liberis. Secundo reſpondet, quod licet admittatur quòd Angelus ſemper neceſſariò intelligat, nulla tamen ratio cogit ad ponendum quod non poſsit ceſſare à cognitione ſui, ſed quod ſēper intelligat hoc obiectum, deinde aliud, ſic, quod non detur inſtans, in quo ſit verū dicere, Angelus in actu ſecundo non intelligit.

Sed neutra ſolutio ſatisfacit, quod nullum eſt vivens ſive creatum, ſive increatū, quod non ſit neceſſariò coniunctum cū aliqua ſua operatione: ergo etiam dicendum eſt, quod vivens purè intellectuale, cum non habeat alias operationes niſi intelligere, & velle, erit neceſſariò coniunctum cū aliquo ſuo intelligere. Dicit Vazquez, quod ſenſitivum non ſemper eſt coniunctum cū aliqua ſenſatione, nec vivens rationale eſt neceſſario coniunctum cum aliqua ratiocinatione: ergo ſimiliter poſſemus philoſophari de vivente intellectuali, quale eſt Angelus. Sed contra eſt, nā non datur purè ſenſitivum, quod non ſit nutritivum, nec datur rationale, quod ſit purè rationale; ſed omne ſenſitivum eſt nutritivum, & omne rationale eſt ſenſitivum, & nutritivum,

Digitized by Google

vum: & ſic non eſt neceſſe, quod ſenſitivum ſit neceſſariò coniunctum cum ſenſatione, vel rationale cum ratiocinatione; ſed ſufficit eis, ſi neceſſariò coniungantur cum aliqua eorum operatione, qualis eſt nutritio; datur autem purè intellectivum, quale eſt Angelus: ergo erit neceſſe, quod ſemper ſit coniunctum cum aliquo intelligere.

Secunda ſolutio etiam non ſatisfacit, nam ſi natura neceſſitaret Angelum ad ſolam operationem vitæ vagè ſumptam, & non ad cognitionem propriæ ſubſtantiæ, ſequeretur, quod eiuſdem prorſus connaturalitatis eſſet cum Angelo cognitio propriæ ſubſtantiæ, & cognitio aliorum à ſe; ſed hoc falſum: ergo. Sequela patet, nam tunc Angelus ſolum inclinaretur naturaliter ad cognitionẽ propriæ ſubſtantiæ, quatenus conduceret ad finem neceſſitatis intelligendi in actu; ſed hoc modo etiam inclinaretur ad cognitionem aliorum à ſe; quia dũ Angelus ſemper intelligeret, ſemper haberetur intentum cum eadem libertate ex parte particularium cognitorum: igitur natura Angelica naturaliter nõ magis inclinaretur ad cognitionem propriæ ſubſtantiæ, ac ad cognitionem aliorum à ſe. Min. vero Prob. nã natura Angelica magis inclinat naturaliter ad illam cognitionem, ad quam ipſa natura dat intellectum, ſpeciem, & obiectum, quam ad illam ad quam ipſa ſolum dat intellectum; ſed ad cognitionem propriæ ſubſtantiæ ſic naturaliter inclinat, quod dat intellectum, dat ſpeciem, nempe ſeipſam, non liberè, ſed neceſſariò vnitam proprio intellectui dat etiam obiectum; ad cognitionem vero aliorum à ſe ſolum dat intellectum: ergo incomparabiliter maioris connaturalitatis eſt cognitio propriæ ſubſtantiæ, quam ſit cognitio aliorum à ſe.

956 Secundo principaliter Prob. Cõcluſio. Motus vitalis, quo Angelus cognoſcit ſe, eſt proprietas ipſius Angeli non minus, ac motus vitalis cordis eſt proprietas viventis corporei; igitur debet neceſſariò convenire Angelo cognoſcere ſe. Prob. Ant. motus gravis, quo movetur in centrũ, eſt proprietas gravis, quia grave accipit à generante omne id, quod requiritur ad talẽ motum, motus cordis eſt proprietas viventis, quia etiam à generante accipit vivens omne id, quod requiritur ad talẽ motum; ſed etiam Angelus ad cognitionẽ ſui accipit ex vi creationis à Deo auctore naturæ omnia, quæ requiruntur ad illam, nempe principium radicale, intellectum, ſpeciem impreſſam, & obiectum vt actu aſſimilatũ tali ſpeciei: igitur etiam erit proprietas Angeli.

957 Sed contra concluſionem inſtabis. Nam intellectus Angeli nequit ex vi terminorum neceſſitari quoad exercitium niſi ad cognitionẽ Dei clare viſi: hoc enim ſolum habet ſatiare intellectum eius, quia præcontinet omne ens, quod eſt obiectum ſpecificativum Angeli: ergo nequit neceſſitari quoad exercitium ad cognitionem ſui ipſius, ſiquidem eſt quoddam obiectũ particulare, in quo intellectus Angeli non invenit adæquatam rationem veri, à qua ſola ſatiari valet. Confir. in Patria intellectus Angeli, ideo à nullo obiecto diverti poteſt à cognitione Dei, quia in nullo obiecto cõſiderando invenit tantum bonum, quantum invenit in viſione Dei; ſed Angelus poteſt videre plura obiecta, in quorum conſideratione maius bonum inveniat, quam in ſui conſideratione, ſiquidem plures alias ſubſtantias ſe perfectiores, & nobiliores videre valet: igitur naturali occurſu aliorum obiectorum poteſt ad alia attendens diverti à ſui cognitione.

Ad hoc, diſt. Ant. neceſſitate orta ex vi obiecti, cõc. Ant. neceſſitate orta ex aliis capitibus, ex quibus poteſt oriri, nego Ant. & diſt. Conſeq. neceſſitate orta tantum ex obiecto, conc. Conſ. orta ex aliis capitibus, ex quibus oriri valet, nego Conſ. Itaque intellectus dupliciter poteſt neceſſitari ad cognitionem alicuius obiecti, vel ex ſolis meritis obiecti, & ſic ſolus Deus clare viſus poteſt illum neceſſitare, vel ex inclinatione naturæ, & ſic poteſt ad alicuius obiecti cognitionem neceſſitare: tunc enim erit neceſſitas ad cognoſcendum tale obiectum, ſed non erit neceſſitas ab obiecto; & ſic contingit in Angelo, cuius neceſſitas eſt à natura, & eſt ad obiectum, ſed non eſt neceſſitas ab obiecto: vnumquodque enim naturaliter, & neceſſariò appetit ſuam beatitudinem, & ſi contingat habere in ſe cõpletum poſſe ad eius aſſequutionem, neceſſariò coniungitur cum illa; beatitudo autẽ naturalis Angeli conſiſtit in cognoſcere ſe, & ſic ad hanc cognitionem naturaliter inclinat, & cum ad eius aſſequutionem completum poſſe habeat in ſe, neceſſariò coniungitur cum eius aſſequutione: hæc autem eſt cognitio ſui, & ſic neceſſariò cognoſcit ſe. Vel verius, beatitudo naturalis Angeli conſiſtit in cognoſcere Deum per propriam ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiam Angeli cognoſcentis: vnde ad hoc naturaliter inclinat, & dũ hoc per cognitionem ſui aſſequitur, cum ſui cognitione neceſſariò coniungitur.

Ad Confir. diſt. Min. in quorum conſideratione maius bonum inveniat, & connaturalius, nego Min. maius bonum à toto genere entis, tranſ. Min. & nego Conſ. Itaque in beatitudine naturali non attenditur ratio maioris boni abſolutè, ſed ratio maioris boni maximè connaturalis: cumque cognitio ſui ſit magis ei connaturalis, quia eſt cognitio ſui per ſeipſum, fit inde, quod licet alia obiecta maioris præſtantiæ occurrant cognoſcenda, non tamen poſſunt Angelum à ſui cognitione divertere. Præterquam quod, tunc diverterent, quandò perfecta cognitio eorum non componeretur cum cognitione comprehenſiva propriæ ſubſtantiæ; at Vazquez negare non poteſt, quod cognitio perfecta aliorum præſtantiorum obiectorum componatur cum cognitione propriæ ſubſtantiæ, imò neque cognitio perfectiſsima ipſius Dei clare viſi divertit Angelum à cognitione comprehenſiva ſui: non ergo eſt dicendum, quod ab aliquo obiecto poſsit diverti à cognitione ſui.

958 Poteſt etiam contra concluſionem facere litera D. Th. hic in ar. primo, ibi: *Secundo vero modo intellectus Angeli poteſt eſſe in potentia ad ea, quæ cognoſcit naturali cognitione: non enim omnia, quæ naturali cognitione cognoſcit, ſemper actu conſiderat, ſed ad cognitionem verbi, & eorum quæ in verbo videt nunquàm hoc modo eſt in potentia, quia ſemper actu intuetur verbum, & ea, quæ in verbo videt: in hac enim viſione eorum beatitudo conſiſtit: beatitudo autem non conſiſtit in habitu, ſed in actu.* In quibus vt apparet D. Tho. ſolum cognoſcit, Angelum coniunctum neceſſariò cum viſione beata, non autem cum cognitione aliqua naturali: ergo contra ipſum dicimus, Angelum ſe neceſſariò cognoſcere. Reſpondeo D. Th. in adductis verbis nihil dicere contra nos. Nam ſolum vult aſsignare diſcrimen inter cognitionem naturalem, & beatam, in eo quod in beata omnia ea, quæ ſemel videt, ſemper videt; in naturali non ſic: nam non omnia, quæ aliquandò conſiderat, ſemper conſiderat; cum quo tamen benè cõponitur, quod aliquid quod ſemel conſiderat cognitione naturali, ſemper conſideret. Secundũ enim bonas Summulas *non omnis* æquivalet huic *aliquis non*; vnde non eſt idem, quod nullus.

§. II.

Vtrùm Angelus Deum neceſſariò cognoſcat vt auctorem ſuæ ſubſtantiæ?

959 VIDIMVS ſuprà, quod Angelus per ſuam ſubſtãtiam Deum cognoſcit, vidimus inſuper, quod Angelus neceſſariò ſe cognoſcit: reſtat nobis videndum, vtrum etiam Deum neceſſariò cognoſcat vt auctorẽ ſuæ ſubſtantiæ? Partem affirmantem dicit Vaz. quæ. vbi ſuprà, nullũ firmum habere fundamentum; nam fundatur in eo, quod Angelus neceſſariò cognoſcat ſe, quod valde ambiguum eſt, vt ipſe dixit. Cæterum eam defendunt Doctores citati in præcedenti §. & ideo, vt conſequenter loquamur ad ea, quæ ibi diximus, tenemur affirmare, Angelum neceſſariò cognoſcere Deum vt auctorem propriæ ſubſtãtiæ. Quod affirmamus, & Probamus. Nam Angelus naturaliter Deum cognoſcit per ſuam ſubſtantiam, quam neceſſariò comprehendit: ergo & neceſſariò Deum cognoſcit. Prob. Conſ. nam Angelus nequit ſeipſum comprehendere, niſi cognoſcat ſeipſum ſecundum omnem habitudinem, quam naturaliter dicit; at naturaliter refertur ad Deum vt factura eius: ergo debet neceſſariò cognoſcere ſe ſecundum habitudinem, quam dicit ad Deum: ergo, & debet neceſſariò cognoſcere Deũ. Patet Conſ. quia habitudo ad Deum nequit in exercitio cognoſci, niſi Deus cognoſcatur: ergo nequit neceſſariò cognoſci, niſi etiam neceſſariò cognoſcatur Deus.

Sed contra hoc inſtabis. Angelus neceſſariò videt ſe comprehenſive, & ex hoc nequit inferri, quod Deum videat in ſe, ſed tantum inferri poteſt, quod videat in ſuo effectu: ergo etiam ex hoc quod cognoſcat comprehenſive ſe, nõ poterit inferre, quod Deum cognoſcat in ſe, ſed tantũ quod illum cognoſcat prout præcontentum in effectu. Prob. Conſ. nam ſi viſio neceſſaria habitudinis ſubſtantiæ Angeli ad Deum non ducit neceſſariò in Deum viſum, neque neceſſaria cognitio talis habitudinis ducet ad neceſſariam cognitionem Dei in ſe. Ant. etiã Prob. nam ſi Angelus Deum videret in ſe, & non ſolum vt præcontentum in propria ſubſtantia, haberet notitiam intuitivã Dei, quod nõ admittitur: ergo ex hoc quod Angelus videat ſe, tantum infertur videre Deũ vt præcontentũ in ſuo effectu, & non prout in ſe eſt.

Ad

Digitized by Google

89 Ad hoc. conc. Conſ. neque enim quandò dicimus Angelum per ſuam ſubſtãtiam cognoſcere Deũ, loquimur de notitia Dei in ſe, ſed tantum loquimur de notitia Dei in ſuo nobiliſsimo effectu, quaſi ſolum velimus dicere, quod Angelus neceſſariò cõprehendens ſe, non ſolum cognoſcit ſe, ſed & cognoſcit Deum vt præcontentum in ipſo Angelo tãquam factorem in factura ſua. Vnde non ſequitur, quod habeat notitiam intuitivã Dei; ſi enim cognitio rei vt præcontentæ in cauſa, non eſt cognitio intuitiva talis rei, à fortiori cognitio Dei vt præcontenti in ſuo effectu non erit notitia intuitiva Dei in ſe. Hic autem oportet notare, non eſſe idem Angelum ſemper cognoſcere aliquod obiectum, & neceſſariò illud cognoſcere. Etenim intelligentiæ motrices cœlorum cum continuò per conceptiones ſuas cœlos moveant, continuo cœlos cognoſcunt, non tamẽ neceſſariò; quia poſſunt ceſſare à tali conceptione. Similiter alumnos, quos cuſtodiunt per dies, & noctes, ſemper vident; nec tamen neceſſariò vident: ſeipſos tamen, & Deum per propriam ſubſtantiam, & in propria ſubſtantia, ſemper & neceſſariò vident, quia à tali cognitione ceſſare nequeunt.

§. III.

Vtrùm Angelus poſsit ſimul multa intelligere?

960 CIRCA huiuſmodi quæſitum, Durandus, Molina, Valentia, Vazquez, & alij plures recentiores partem tenent affirmãtem. Pater Suarez lib. 2. de Angelis, cap. 37. num. 8. exiſtimat controverſiam illam tãtum eſſe de modo loquendi, nam omnes auctores fatentur, Angelum ſimul intelligere Deum, & plures in eo creaturas per viſionem beatam, ſeipſum per ſuam ſubſtantiam, & plura alia à ſe per ſpecies ſuperadditas: diſtinctio autem eſt, quod primi auctores hoc vocant ſimul intelligere multa vt multa; D. Th. Scotus, & eius aſſeclæ dicũt, hoc non eſſe cognoſcere plura vt plura, ſed vt faciunt vnum intelligibile ſaltim vnitate ordinis vnum. Tertia ſententia eſt D. Th. in hoc art. 2. quæ negat Angelum plura vt plura ſimul intelligere. D. Tho. ſequuntur eius Diſcipuli, & Scotus citatus à Martino Eſparza in 2. diſt. 3. q. 9.

Difficultas præſens ſtat in intelligere quid ſit plura vt plura intelligere, & plura vt vnum. S. Tho. hic q. 58. ar. 2. primo hoc explicat his verbis: *Contingit autem aliqua accipi vt plura, & vt vnum, ſicut partes alicuius continui, ſi enim vnaquæque per ſe accipiatur plura ſunt; vnde & non vna operatione nec ſimul accipiuntur per ſenſum, & intellectum: alio modo accipiuntur ſecundum quod ſunt vnum in toto, & ſic ſimul vna operatione cognoſcuntur tam per ſenſum, quam per intellectum, dum totum continuum conſideratur. Et ſic etiam intellectus noſter ſimul intelligit ſubiectum, & prædicatum, prout ſunt partes vnius propoſitionis, & duo comparata ſecundũ quod conveniunt in vna comparatione. Ex quo patet quod multa ſecundum quod ſunt diſtincta non poſſunt ſimul intelligi, ſed ſecundum quod vniuntur in vno intelligibili, ſic ſimul intelliguntur.* Sic D. Tho. quid autem ſit hoc vnũ intelligibile Angelicũ explicat deinde ſic. *Vnumquodque autem eſt intelligibile in actu ſecundum quod eius ſimilitudo eſt in intellectu: quæcumque igitur per vnam ſpeciem intelligibilem cognoſci poſſunt, cognoſcuntur vt vnũ intelligibile, & ideo ſimul cognoſcuntur: quæ vero per diverſas ſpecies intelligibiles vt diverſa intelligibilia capiuntur.* Ex quibus concludit, quod Angeli cum omnia, quæ cognoſcunt viſione beata, vna tantùm ſpecie cognoſcant, omnia ea ſimul, & vna operatione intelligunt; ea vero cognitione, qua cognoſcunt res per ſpecies innatas, omnia illa ſimul poſſunt intelligere, quæ vna ſpecie cognoſcuntur, non autem illa, quæ diverſis. Sic D. Th.

Sed hinc maxima oritur difficultas, nam ſi Angelus tãtum poteſt intelligere ſimul eã, quæ per vnam ſpeciem repræſentantur: ergo non poterunt Angeli ſimul intelligere per diverſas ſpecies. Quomodo ergo erit verum, quod ſimul videat Deum per eſſentiam divinam, videat ſeipſum per propriam ſubſtantiam, & alia à ſe, quæ per vnam ſpeciem intelligibilem repræſentantur? hoc enim erit intelligere plura vt plura, quia eſt ſimul intelligere per plures ſpecies, quæ per vnamquamque ſic repræſentãtur, quod per aliã non repræſentẽtur. Vnde ratio dubitandi in forma proponitur ſic. Angelus ſimul nequit intelligere niſi vnum intelligibile, vnum intelligibile tantum ſunt omnia illa, quæ per vnam ſpeciẽ poſſunt repræſentari: ergo Angelus ſimul tantum poteſt intelligere per vnam ſpeciẽ: cum ergo eſſentia divina, propria ſubſtantia, & ſpecies innata aliorum à ſe repræſentari;

Digitized by Google

tativa ſint tres divinæ ſpecies, non poterit Angelus ſimul intelligere per illas.

Hoc argumentum ſibi obijcit D.Tho. de verit. q.8. ar.14. vbi 11. ſic arguit: *Plus diſtat eſſentia divina à formis creatis, quam vna forma creata ab alia; ſed Angelus ſimul intelligit per eſſentiam divinam, & per formã creatam, cum enim ſemper res in verbo videat, niſi ſimul poſſet per ſpecies innatas res cognoſcere, numquam res per ſpecies innatas intelligeret: ergo multo fortius poteſt ſimul per formas concreatas intelligere, & ſic poteſt multa intelligere ſimul.* Ecce argumentum, quod tangit difficultatem propoſitã. Cui ſic reſpondet. *Dicendum quod eſſentia divina eſt ratio omnium formarum concreatarum Angelo, cum ex ea vel vt exemplata deriventur, non autem vna forma eſt ratio alterius, & ideo non eſt ſimile.* Sic D. Tho. Ex quibus infero, quod dum D.Thomas hic in art.2. determinat, non poſſe Angelum ſimul plura intelligere, probatio eius ſupponit vt certum, quod Angelus ſimul intelligat Deũ viſione beata, & ſe per ſeipſum, & alia a ſe per ſpecies innatas, quia de hoc non eſt controverſia: cum enim omnes illæ tres cognitiones inter ſe ſubordinatæ ſint, & vnam operationem vnitate ordinis faciant, licet non vnitate ſimplicitatis: probavit ergo D.Thom. Angelum non poſſe ſimul plura vt plura intelligere diſcurrendo per operationes, quas ſimul habet. Primo de ſpecie increata, dicens: *Per illam non intelligere plura vt plura, quia omnia ea, quæ in verbo videt, vna operatione videt*: de cognitione, qua cognoſcit ſe ipſum non fuit neceſſe hoc probare, quia ſupponitur ex dictis ſupra, illa cognitione tantum cognoſcere ſe, & ea, quæ ad ipſum pertinent: reſtabat ergo probãdum de cognitione, qua cognoſcit per ſpecies innatas alia à ſe, & hoc probat, quia de iſtis tantum cognoſcit ſimul ea, quæ per vnam ſpeciem repræſentantur, hæc enim tantum conveniunt in faciendo vnum intelligibile, & ſic facta hac calculatione, concludit, quod Angelus non intelligit ſimul plura per modum plurium.

Vnde ad rationem dubitandi propoſitam Reſp. in forma, diſt. Min. vnum intelligibile tantum ſunt ea, quæ per vnam ſpeciem tantum repræſentari poſſunt, loquendo de vno intelligibili in determinato genere cognitionis, conc. Min. loquendo de vno intelligibili prout ambit omne id, quod Angelus ſimul poteſt intelligere, nego Min. hoc enim non eſt illud, quod per vnam tantum ſpeciem vnitate ſimplicitatis vnam poteſt repræſentari, ſed eſt illud, quod per plures ſpecies habentibus tamen ordinem inter ſe repræſentari poteſt; & ſic, nego Conſ. quia licet illa tria ſint tres ſpecies diſtinctæ, tamen inter ſe habent ſubordinationem; nam ſpecies innatæ ſubordinantur propriæ ſubſtantiæ, quatenus id, quod per eas Angelus intelligit, ad modum propriæ ſubſtantiæ intelligit. Inſuper propria ſubſtantia, & ſpecies exemplantur modum repræſentandi divinæ eſſentiæ, qua Deus primò cognoſcit ſe, & deinde alia a ſe, & ſic illa tria faciunt vnam ſpeciem vnitate ordinis vnam; vnde & faciunt vnum intelligibile, quod claudit ſub ſe omnia ea, quæ per illas tres ſpecies repræſentantur.

961 Ex his reſolvo quæſitum. Angelus nequit cognoſcere ſimul plura per modum plurium. Prob. nam ſive Angelus cognoſcat ſimul pluribus cognitionibus, ſive vna tantum, nequit cognoſcere plura vt plura: ergo. Prob. Ant. ſi cognoſcat ſimul pluribus cognitionibus, illæ debent habere ordinem inter ſe, & facere vnum vnitate ordinis vnum, quia ſicut idem corpus nequit ſimul pluribus figuris terminari, neque vna linea pluribus punctis, niſi inter ſe ordinem habeant, & vnum faciant; ita intellectus finitæ virtutis nequit ſimul terminari pluribus intellectionibus, niſi inter ſe ordinem habeant, & vnum vnitate ordinis faciant: ſi autem operationes habent vnitatem, etiam intelligibilia ſimul per illas habebunt vnitatem, quia ſicut motus accipit ſpeciem à termino, ita intellectio ab obiecto, & ſicut nequit vnus motus habere plures terminos ſine vnitate ordinis, ita nec intellectio poteſt habere plura obiecta, niſi ordinata inter ſe: igitur intelligendo ſimul per plures operationes nequit Angelus intelligere plura vt plura. Si vna operatione intelligat, hoc ipſum faciſius probatur, quia quantò intellectio creata maiorẽ vnitatem habet, tantò maiorem vnitatem in obiecto, à quo ſpecificatur, requirit: igitur ſi vna operatione tantum intelligat, vnum tantum intelligibile intelliget: non ergo eſt caſus, quod Angelus ſimul plura per modum plurium cognoſcat.

962 Sed hic mihi duo ingerunt difficultatem. Primum, quomodò verum ſit id, quod D.Thom. dicit; quod loquendo de cognitione per ſpecies innatas, Angelus ſimul poteſt intelligere ea omnia, quæ per vnam ſpeciem repræſentantur, non vero

ea,

Digitized by Google

ea quæ per diverſas ſpecies repræſentantur; ſi enim hoc daretur, intelligeret multa vt multa: hoc enim eſt difficile, ſupponamus enim dari propoſitionem, cuius ſubiectum repræſentetur per vnam ſpeciem innatam, & prædicatum per aliam, tunc inquiro, vel Angelus poteſt ſimul intelligere totam illã propoſitionem, vel non? hoc ſecundum dici non valet, nã ſi Angelus ſucceſsivè prædicatum, & ſubiectum cognoſceret, propoſitio Angelica eſſet compoſita qualitas, nẽpe ex pluribus verbis, & pluribus intellectionibus, quod falſum eſt; ſi primum dicatur: igitur Angelus ſimul intelliget per duas ſpecies innatas, quarum altera repræſentatur ſubiectum, & altera prædicatum: ergo falſum eſt quod Angelus nequit ſimul intelligere per plures ſpecies innatas. Secũdò mihi ingerit difficultatẽ id, quod diximus, quod Angelus omnia alia à ſe intelligit ad modum propriæ ſubſtantiæ. Etenim modus intelligendi iſte conſiſtit in eo, quod ipſamet ſubſtantia Angeli ſit ſpecies intelligibilis ad ſui cognitionem; hoc autem non invenitur in cognitione rerum per ſpecies innatas: nam in hac res non intelliguntur per ſeipſas, ſed per earum ſimilitudines: igitur, falſum eſt, quod alia à ſe intelligat ad modum propriæ ſubſtantiæ.

Ad primam difficultatem dico, quod ſimul vti pluribus ſpeciebus innatis ſtat dupliciter. Primò, ad habendum ſimul cognitionem abſolutam eorum, quæ per illas repræſentantur abſolutè, vt ſi ponamus, quod per vnam repræſentetur leo, & per aliam Angelus; vel ad habendum notitiam eorũ, quatenus inter ſe comparantur vt partes vnius propoſitionis per modum ſubiecti, & prædicati. Primò modo, non poteſt Angelus ſimul vti pluribus ſpeciebus, quia cum prout ſic nullam vnitatem habeant, neque realem, neque rationis, eſſet cognoſcere plura vt plura; & hic vſus plurium ſpecierũ innatarum negat Angelo D. Tho. ſecundus vſus benè poteſt competere Angelo, quia tunc non eſt vſus plurium vt plurium, ſed plurium cum ordine, quem intellectus ponit in illis, dum in vno toto propoſitionali ſunt vt eius partes, & hoc non negat D. Th. quia ex hoc non ſequitur cognitio plurium vt plurium, ſed plurium vt faciunt vnum.

Ad ſecundam difficultatẽ dico, quod Angelum intelligere alia à ſe ad modum propriæ ſubſtantiæ conſiſtit in eo, quod ſicut Angelus intelligit ſeipſum per ſeipſum intelligibiliter, id eſt, per hoc quod ipſe Angelus fit intelligibiliter ipſemet per propriam ſubſtantiam ſibi per modum ſpeciei vnitam, ita intelligit lapidẽ per hoc quod intelligendo lapidem fit ipſemet lapis intelligibiliter per ſimilitudinem lapidis ſibi intelligibiliter vnitam, in qua eſt ipſe lapis, qui intelligitur ſecundum eſſe intentionale: vnde diverſitas ſtat penes eſſe entis, non vero penes eſſe intelligibile; nam eſſe entis, per quod Angelus fit intelligibiliter ipſemet, eſt ſubſtantia phyſica Angeli: eſſe autem entis, quo fit intelligibiliter lapis, eſt qualitas intentionalis: eſt ergo convenientia in modo de linea intelligibili, non vero de modo in linea entis.

963 Per quæ dicta facile ſolves ea, quæ ab auctoribus oppoſitæ ſententiæ in ſui favorem adducuntur. Vnum tantum ex eis iudicavi dignum ſpecialis ſolutionis. Diximus, quod Angelus nequit cognoſcere ſimul omnia intelligibilia, quę illi per diverſas ſpecies innatas repręſentantur. Cõtra quod ſic argumentor. Angelus per nos cognoſcit ſe per ſuam ſubſtantiam, & omnia, quæ ſunt eius, ſcilicet, perfectio eius; ſed omnia intelligibilia, quæ per eius ſpecies repræſentantur, ſunt perfectio eius, ſiquidem perfectio eius eſt quòd in eſſe intelligibili ſit omnia alia à ſe: ergo cognoſcendo ſe cognoſcit omnia alia, quæ per ſuas ſpecies innatas repręſentantur. Reſpondeo, quod de intelligibilibus ab Angelo dupliciter loqui poſſumus. Primo, abſolutè, & vt in ſeipſis ſunt, quomodo per ſpecies innatas repræſentantur; vel de illis vt in eſſe intelligibili ſunt perfectio ipſius Angeli. Primo modo, non cognoſcuntur per propriam ſubſtantiam, benè verò ſecũdo modo: inter quas duas cognitiones eſt maximum diſcrimen in eo, quod in prima conſideratione, cum accipiantur abſolutè, ſunt plura vt plura, in ſecunda ſunt perfectiones partiales vnius perfectibilis, & ſic in prima ſunt plura in pluribus, in ſecunda ſunt plura in vno. Vnde non ſequitur, Angelum cognoſcere plura vt plura.

Sed inſtas, nam ſicut omnia intelligibilia ſecundo modo ſumpta conveniunt in eo, quòd ſunt perfectiones vnius perfectibilis, ita primo modo ſumpta conveniunt in eo, quod ſunt partes inadæquatæ vnius obiecti proportionati Angeli: ergo ſicut primo modo poſſunt vna cognitione cognoſci, quia ſunt plura in vno, ita ſecundo modo poterunt ſimul cognoſci, quia ſunt plura obiecta inadæquata, ex quibus cõſta-tur

Digitized by Google

tur vnum obiectum proportionatum Angeli. Ad hoc diſt. Ant. conveniunt in eo, quod ſunt partes vnius obiecti adæquati proportionati, vnius reſpectivè ad vnum intellectum, conc. Ant. vnius reſpectivè ad vnam intellectionem, nego Ant. & Conſ. quia eſt diſcrimen inter vnum perfectibile, & vnum obiectum proportionatum in eo, quod vnum perfectibile, cum ſit ipſa Angeli ſubſtantia, eſt vnum non ſolum reſpectivè ad intellectum vnum, ſed etiam reſpectivè ad vnam intellectionem: obiectum autem proportionatum, in quo vniuntur, tantum eſt vnum reſpectivè ad vnum intellectum, non verò reſpectivè ad vnam intellectionem, & ſic vniri in primo ſufficit ad hoc, vt vna intellectione ſimul attingãtur, non vero ſufficit in ſecundo.

964 Sed inſtas. Etenim ſolutio convincit, quod Angelus vna intellectione adæquata non poſsit ſimul omnia prædicta attingere, non verò quod pluribus inadæquatis, & partialibus ea attingere non valeat: ergo poterit ſimul ea omnia cognoſcere. Prob. Ant. etenim illa obiecta, licet ſint adæquata reſpectu huius, vel illius operationis Angelicæ, ſunt tamen inadæquata, reſpectu intellectus Angeli: ergo licet nõ poſsit Angelus vna operatione illa cognoſcere, pluribus tamen, quæ faciant vnam adæquatam, poterit illa omnia ſimul cognoſcere. Confir. Angelus ſupremus poteſt ſimul cognoſcere adæquatum obiectum ſibi proportionatum: ergo & quilibet alter Angelus poterit ſimul cognoſcere obiectũ ſibi adæquatum. Cõ. videtur bona, & Ant. Prob. quilibet Angelus per nos poteſt ſimul cognoſcere omnia ea, quæ per vnam ſpeciem impreſſam repræſentantur; ſed Angelus ſupremus omnia alia à ſe intelligit per vnam ſolam ſpeciem: ergo ſimul poteſt ea omnia cognoſcere. Confir. ſecundo non eſt minus efficax ad intelligendum vis intellectiva Angeli, quã ſit efficax ad occupandum locum vis locativa eius; ſed poteſt ſibi Angelus per virtutem locativam ſimul occupare locum ſibi adæquatum: ergo poterit per virtutem intellectivam ſimul intelligere obiectum ſibi adæquatum.

Ad hoc, nego Ant. ad Prob. nego Cõſ. nam obiectum adæquatum Angeli per ſe non eſt illud, quod ſimul poteſt intelligere Angelus, ſed illud cuius ſpecies repræſentativas habet: non poteſt autem ſimul intelligere omnia, quæ per eius ſpecies repræſentantur, aliàs, vt dicit D. Tho. plura vt plura ſimul intelligeret, quia ſpecies innatæ Angelo, cum nullum inter ſe habeant ordinẽ, ſua obiecta ſine aliquo ordine inter ſe repræſentant, & ſic plura vt plura repræſentare neceſſe eſt: vnde nec vna, nec pluribus intellectionibus ſimul omnia, quæ poteſt intelligere, valet cognoſcere. Ad Confir. conc. Ant. & nego Conſ. Etenim cum Angelus ſupremus omnia alia à ſe per vnam tantum ſpeciem intelligat, omnia, quæ poteſt intelligere per ſpecies innatas vnum tantum indiviſibile intelligibile faciunt, & ſic ſicut vna ſpecie omnia intelligit, ita ſimul, & vno actu ea omnia intelligere valet: Angeli vero inferiores illo, cum magis limitati ſint, neceſſe eſt, quod per plures ſpecies innatas alia à ſe intelligant, & ſic cũ illæ nullum habeant ordinem inter ſe plura vt plura repræſentant, atque adeò non poſſunt Angeli inferiores etiam pluribus operationibus omnia à ſe intelligibilia percipere. Ad ſecundam diſt. Ant. non eſt minus efficax, &c. & alias ſecundum eandem menſuram taxatur locus adæquatus, ac taxatur obiectum adæquatũ intellectus Angelici, nego Ant. & alias iuxta diverſam menſuram taxatur locus adæquatus, ac taxatur obiectum intellectus Angeli, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque, locus adæquatus potentiæ locativæ Angeli, diffinitur per illam quãtitatem, in qua tota poteſt ſimul Angelus eſſe: obiectum autem adæquatum intellectus Angeli non eſt illud, quod ſimul poteſt intelligere, ſed illud, quod intelligere poteſt ſive ſimul, ſive ſucceſsive: vnde non ſequitur, quod ſi Angelus poteſt eſſe ſimul in ſui loco adæquato, pariter poſsit ſimul intelligere ſuum adæquatum obiectum.

§. IV.

Vtrum Angelus poſsit circa naturalia diſcurrere?

965 LOQVIMVR Non de diſcurſu obiectivo conſiſtente in eo ſolum, quod ex parte obiecti cognoſcatur vnum eſſe cauſam alterius: ſic enim cognoſcere non ſolum Angelis non repugnat, verum neque Deo; vnde in eo ſcientiam ponimus, ad quam ſaltim requiri diſcurſum ex parte obiecti cogniti conſtat ex his, quæ traduntur in proœmialibus Theologiæ, & ſupra q. 14. ar. 1. Sed loquimur de diſcurſu formali, ad quem requiritur

tur duæ cognitiones non tantum ſucceſsive eidem intelligenti convenientes, id eſt, vnam poſt aliam, ſed etiam ordinem cauſæ, & cauſati inter ſe habentes, ſic, quod intellectus poſtquàm ſit in actu per vnā, moveat ſe effectivè ad alterius elicientiā circa aliquod obiectum, quod non potuit intelligere formaliter ex vi primæ cognitionis, vnde ex his, quæ primo intellexit, deducit aliam cognitionem, vt intelligat. Circa huiuſmodi quæſitum partē affirmativā tenent Scotus in 2. diſt. 7. q. 1. Gregorius ibidem q. 5. ar. 2. OKam q. 6. Gabriel diſt. 4. q. 1. ar. 3. concluſione 8. quibus favet Molina, dum dicit, poſſe Angelos ſaltim per accidens diſcurrere, ſed magis favet Suarez lib. 2. de Angelis cap. 33. vbi docet, Angelos poſſe diſcurrere circa naturalia, quæ non poſſunt cognoſcere evidenter, qualia ſunt futura contingentia, & cogitationes cordium. Secunda ſententia eſt D. Thom. hic, quæ omnem diſcurſum relegat ab Angelis. Quem ſequuntur eius Diſcipuli hic q. 58. artic. 3. & pro illius defenſione ſit concluſio.

Angeli nec diſcurrunt circa naturalia, nec poſſunt diſcurrere. Probatur concluſio. Primò hac congruentia, qua vtitur D. Tho. hic ar. 4. Angeli eum locum tenent in ſubſtantijs ſpiritualibus, quem tenent corpora cœleſtia in corporalibus; ſed hoc diſcrimen eſt inter corporalia terrena, & cœleſtia; quod illa per mutationem, & motum adipiſcuntur ſuam vltimam perfectionē, corpora vero cœleſtia ſtatim à natura ſuam vltimam perfectionem habent: ergo ſimiliter hoc diſcrimen erit inter intellectus Angelorum, & noſtros, quòd noſtri per quēdam motum, & diſcurſum intellectualis operationis perfectionem cognitionis veritatis adipiſcuntur, dum ſcilicet ex vno cognito ad aliud cognoſcendum procedunt; intellectus vero Angeli ſtatim in vno cognito omnia cognoſcunt, quæ in eis poſſunt cognoſci, & ſic diſcurſum formalem habere nequeunt.

Ratione à priori probat. D. Thom. ex eo, quod homo habet diſcurrere formaliter, quia propter debilitatem luminis, quo vtitur, nequit in vno cognito cognoſcere omnia, quæ in eo poſſunt cognoſci; ſed Angelus ob ſui luminis plenitudinem ſtatim in primo aſpectu principiorum totam virtutē eorum comprehendit, intuendo quidquid ex eis ſyllogizari poteſt: igitur in Angelis non dabitur diſcurſus formalis. Quod confirmat ex eo, quod anima rationalis dicitur, id eſt, ratione, & diſcurſu vtens; mens verò Angelica intellectualis appellatur, quia etiam apud nos ea, quæ naturaliter ſtatim apprehenduntur, intelligi dicuntur.

966 Cæterum contra congruentiam obijcitur primo, falſum eſt quòd corpora cœleſtia ſtatim ab initio conditionis ab ipſa natura accipiāt ſuam vltimam perfectionem: ergo. Prob. Ant. corpora cœleſtia ſucceſſu temporis illuminantur à Sole; ſed lux ſpectat ad perfectionē corporū cœleſtium: ergo. Secundo, cœlū proprio motu locali movetur ab intelligentia, & per illū motum diſtincta *vbi* adquirit: ergo pariter intelligentia poterit venire in cognitionē veritatis per motum propriè dictū. intellectualis autem motus propriè eſt diſcurſus: igitur Angeli poterunt diſcurrere. Tertio, Angeli ab initio ſuæ conditionis tantum ſunt conſtituti in actu primo reſpectu cognitionis veritatis: ergo ſucceſſu tēporis verè per motum, quo de actu primo ſe movent ad actum ſecundum, adquirunt veritatē. Quarto, nam ſi paritas adducta convinceret intentum, ſequeretur, quod in Angelis non ſolum non daretur diſcurſus propriè dictus, verùm neque impropriè dictus; qualis eſt ille, qui conſiſtit in duplici cognitione ſucceſsive ſe habente; Conſ. eſt aperte falſum: ergo. Prob. ſequela, nam cœlū vnico tantum motu, quo ab initio cœpit moveri, adhuc movetur: ergo ſi paritas cōvinceret, probaret, quod in Angelo non poſſet eſſe ſucceſsio cognitionum, ſicut neque in cœlo eſt ſucceſsio motuum localium.

Ad primam dico, D. Tho. nomine *vltimæ perfectionis* ſolum velle corpora cœleſtia habere omne complementum per modum actus primi ad ſuum motum localem, vel ad ſui illuminationem; non autem velle, quod ſtatim habeant à natura omne id, quod per motum, vel illuminationem illis cōvenire poteſt: hoc enim, vt argumētum probat, non potuit ſecundum veritatē dicere D. Th. vnde eius ratio ſic debet formari. Corpora cœleſtia, quibus debent Angeli aſsimilari, à natura ſtatim habent omnem perfectionem ſubſtantialem, & accidentalem per modum actus primi completi ad omnem motum, vel mutationē, quæ illis convenire poteſt: ergo pariter Angelus debuit habere à natura omnem perfectionem per modum actus primi completi ad intelligendum veritatem; ſed Ange-

Digitized by Google

geli aſsimilari, à natura ſtatim habent omnem perfectionem ſubſtantialem, & accidentalem per modum actus primi completi ad omnem motum, vel mutationẽ, quæ illis convenire poteſt: ergo pariter Angelus debuit habere à natura omnem perfectionẽ per modum actus primi completi ad intelligendum veritatem; ſed Angeli à natura non habuerunt actum primum completũ ad diſcurſum: igitur in eis diſcurſus circa naturalia poſsibilis non eſt. Prob. Min. actus primus, quo movemur ad diſcurrendum, eſt cognitio cauſæ; at Angeli tantum habuerunt ſpecies congenitas ad intelligendum, non vero cognitionem cauſarum: igitur non habuerunt ſtatim à natura complementum per modum actus primi ad diſcurrendum. Itaquè mens D.Th. eſt iſta, quod ſi Angeli poſſent diſcurrere, ſtatim ab initio ſuæ conditionis habuiſſent actum primum completum ad diſcurſum, ſicut quia corpora cœleſtia ſucceſſu temporis moventur, & illuminantur ſtatim ab initio habent à natura omne id, quod requiritur per modum actus primi ad ſui motum, & illuminationem; cumque hoc non habuerint à natura, ſignum evidens eſt, quod diſcurrere nõ poſſunt. Explicatur hoc, etenim quia ſunt intellectivi, ſtatim à natura habuerunt omnia requiſita ad naturaliter intelligendum, nempe intellectum, & ſpecies omnium rerum, quas naturaliter poſſunt intelligere: ergo ſi diſcurrere poſſent, vltrà illa habuiſſent ſtatim cognitionem cauſarum, per quã intellectus completur in actu primo ad diſcurſum; quod dum non habent: ſignum evidens eſt, quod diſcurrere non poſſunt. Vnde in forma, diſt. Ant. falſum eſt quod corpora cœleſtia habuerint à principio ſuam vltimam perfectionem, loquendo de vltima per modum actus ſecundi, conc. Ant. loquendo de vltima per modum actus primi completi ad actum ſecundum, nego Ant. & Conſ.

Ad ſecundam, nego Conſ. quia ſi Angelus proprio diſcurſu moveretur ad cognitionem veritatis, ſicut cœlum proprio motu locali movetur; ſicut cœlum ad illũ motum accepit ab initio omne complementum per modũ actus primi, ita & Angelus ad diſcurſum ab initio habuiſſet cognitionem cauſarum, quæ eſt complementũ per modum actus primi ad diſcurrendum; quam cum non habeat, ſignum evidens eſt, quod Angelus ad cognitionẽ veritatis non venit diſcurrendo.

Sed inſtas, præmiſſæ non complent intellectum per modum actus primi ad diſcurſum: ergo doctrina noſtra ruit. Prob. Ant. quod eſt pars actualis diſcurſus non cõplet intellectum per modum actus primi ad diſcurſum; ſed cognitio cauſarum, quæ eſt cognitio præmiſſarum, eſt pars actualis diſcurſus: ergo falſum eſt, quod compleat intellectum per modum actus primi ad diſcurſum. Ad hoc, nego Ant. Ad Prob. diſt. Min. at cognitio præmiſſarũ eſt pars actualis diſcurſus, cognitio præmiſſarum ſecundum ſe, nego Min. ſecundum quod ab illis tranſit intellectus ad cognitionem concluſionis, conc. Min. & nego Conſ. Itaque de præmiſsis poſſumus loqui dupliciter. Primo, ſecundum ſe, & vt ex ipſa connexione prædicati cum ſubiecto immediatè cognoſcuntur, qua ratione ſpectant ad lumen primorum principiorum: vel poſſumus loqui de illis, quatenus ex illis tranſit intellectus ad cognitionem concluſionis. Primo modo, non ſunt pars diſcurſus, ſed complent intellectum ad diſcurſum; bene vero ſecundo modo: adeſt exẽplũ. Vt Angelus cõplete poſsit moveri localiter, neceſſe eſt, quod ſit in loco: nã ſi ſit nullibi, ſolũ eſt capax mutationis, ſed non veri motus localis: nihilominus Theologi dicunt, quod motus diſcretus Angeli, quo movetur de vno loco ad alterum conſtet ex hoc, quod eſt eſſe vltimo in primo loco, & eſſe primo in loco de novo adquiſito; vnde habemus quod per eſſe in primo loco completur Angelus per modum actus primi ad motum localẽ, & nihilominus eſſe vltimo in primo loco eſt pars motus diſcreti Angeli, ita pariter philoſophor: eſſe in præmiſsis ex terminis non eſt eſſe in parte diſcurſus, ſed eſt fieri intellectum aptum ad diſcurſum; eſſe autẽ vltimo in illis eſt eſſe in parte diſcurſus, vnde ex hoc quod præmiſſæ ſint partes diſcurſus, non concluditur, quod non compleant intellectum per modum actus primi ad diſcurſum.

Ad tertiam, diſt. Conſ. adquirunt veritatem propriè ſe movendo ad illam, nego Conſ. ſimplici intuitu, conc. Conſ. Itaquè intellectus tantum actuatus ſpeciebus obiectorum non eſt aptus immediatè ad diſcurſum; eſt tamen aptus ad ſimplicem intellectionem: ſucceſsivè autem habere plures intellectiones Angelum non negamus, quia ad puram ſucceſsionem ſufficit eſſe completum per ſpecies, nam illa, quæ ſuccedit primæ, non oritur ex prima, ſed pri-

Digitized by Google

oritur ex intellectu completo per ſpeciem illius obiecti, cuius eſt cognitio illa, quæ alteri ſuccedit: vnde ad iſtam ſucceſsionem intellectionum natura dedit Angelo ab initio complementum actus primi, non ad verum diſcurſum, quia vt dixi, ad hoc requirebatur, quod a natura, vel ab initio habuiſſet cognitionem cauſarum, à qua incipit diſcurſus. Ad quartam; nego Mai. ad Prob. nego Conſ. quia paritas adducta convincit illam ſucceſsionem intellectionum eſſe naturalem Angelis, ſi quidem ſicut cœlum ad ſuum motum naturalem ab initio habet ſuum complementum, ita ad ſucceſsionē intellectionum Angelus habet ſuū complementum per modum actus primi: ad diſcurſum autem ab initio non habet complementū ſicut cœlum ad ſuum motū: vnde convincitur, quod Angelus non diſcurrat, non verò convincitur quod ſucceſſu temporis plures intellectiones non habeat.

967 Contra rationem à priori ſic obijcies. Nam multoties Angeli in vno cognito non vident omnia, quæ in illo cognoſci poſſunt: ergo tunc poterunt diſcurrere. Prob. Anteced. quando Angelus in aliquo ſigno, vel veſtigio connaturaliter aliquid cognoſcunt, cum quo dictum ſignum non habet neceſſariam connexionem, vt cum videt aliquod ſignum externum, & ex illo cognoſcit actum internum liberum hominis, vel Angeli, tunc in tali ſigno non videt id, quod coniecturatur, alias illa cognitio non eſſet coniecturalis, ſed certiſsima; nam eſſet inſtuitus rei, quam coniecturatur: ergo in vno cognito non videt ea omnia, quæ per ipſum poſſunt cognoſci. Secundo, nam Angelus habens ſpeciem comprehenſivam hominis v. g. poteſt non vti illa adæquatè, ſic, quod hominem non comprehenſivè, ſed tantum quidditativè cognoſcat: ergo poterit tunc ex homine tantum quidditativè cognito diſcurrere circa ea, quæ homini conveniunt, vt ſunt proprietates, vel accidentia hominis. Patet Conſequent. nam ex eo poteſt cognoſcere per diſcurſum homo, quia cognito vno non videt ea omnia, quæ illi poſſunt convenire: ergo ſi Angelus poteſt cognoſcere hominem, & ex vi talis cognitionis poteſt non cognoſcere ea omnia, quæ homini poſſunt convenire, poterit ea tūc per diſcurſū cognoſcere. Tertio, quia ſi Angelus in homine cognito cognoſcit omnia, quæ homini poſſunt convenire, ſequitur, quod habeat in actu infinitas cognitiones, vel vnam æquivalentē infinitis; quorum neutrum poteſt admitti: ergo.

Ad primam, nego Ant. Ad Prob. nego Ant. nec ex hoc ſequitur talem cognitionem eſſe certam, & non coniecturalem: nam tantum eſt cognitio rei prout in tali ſigno continetur; cumque res plenè nō cōtineatur in tali ſigno, ſeu aliqualiter tantū: ſi ex illa cognitione vellit tranſire ad iudicandum de re cognita, exponet ſe periculo errandi, quia res non ſic continetur in ſigno, quod dicta continentia ſufficiat ad certam cognitionem: vnde ſolum poteſt habere de illo coniecturam. Ad ſecundam dato tranſ. ad Antec. nego Conſ. Ad Prob. dico, hominem diſcurrere non ex eo ſolum quòd viſo vno non videt in eo omnia, quæ illi poſſunt convenire, ſed quia neque videt, neque videre poteſt: Angelus autem, eſtò in caſu argumenti, in primò cognito non videat ea omnia, quæ in eo videre poteſt, quia de facto ea non vult videre: eſt tamen talis naturæ, quòd videre poteſt in illo primo cognito omnia, quæ per illud videri poſſunt, & ſic eſt talis naturæ, quod diſcurrere non poteſt: vnde ſi poſtquam videt hominem tantum conſtitutivè, & ſolū quidditativè, videre vellit quæ virtualiter in illo primo cognito cōtinētur, debet neceſſariò ea in ipſo homine cognitò cognoſcere, ſic, quod eſtò ex parte obiecti cognoſcat cōnexionē, quæ habetur inter hominē, & eius proprietates, nō tamen cognoſcere poteſt ex vi ſolius connexionis proprietatum cum homine proprietates hominis.

968 Inſtabis, anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognoſcere poterat in homine omnia, quæ illi poterant convenire; & nihilominus per ipſammet ſcientiā infuſam, quandò pro ſuo libito tantum cognoſcebat hominem, poterat diſcurſivè cognoſcere proprietates hominis ex vi connexionis, quā habebant cum homine: ergo pariter Angelus, ſi pro libito ſuo poteſt cognoſcere hominē non cognoſcēdo proprietates hominis, poterit alia cognitione cognoſcere proprietates hominis ex vi connexionis proprietatū cū homine, & ſic diſcurret. Ad hoc. nego Conſ. Nam Chriſtus erat homo ex natura ſua diſcurſivus, & ſic, dum non vtebatur adæquatè ſpecie hominis, ſed tantū hominem cognoſcebat conſtitutivè, poterat ex vi connexionis proprietatum cum homine cognoſcere illas,

ſicut & in alijs cognitionibus pariter diſcurſu vti poterat. Cæterum cum Angelus ex natura ſua habeat ferri in obiecta, quæ intelligit ſimplici intuitu, dato quòd per vnam ſpeciem pro libito ſuo tantum cognoſcat vnum, non poteſt ex illo aliud cognoſcere; ſed ſi vellit aliud cognoſcere, debet in primo cognito illud intelligere: vnde nõ eſt liber ad multiplicandas cognitiões per cauſalitatem vnius ad aliam.

Inſtas, hanc ſolutionem petere principium. Nam ratio aſsignata à D.Thom. ad probandum quod Angelus diſcurrere non poſsit, ea eſt, quòd videlicet videndo principium, in quo continentur plures concluſiones, videt ipſas concluſiones in ipſo principio, & ſic nequit diſcurrere. Contra quod adducta eſt inſtantia de ſcientiâ animæ Chriſti infuſa, per quam animâ Chriſti poteſt diſcurrere, eò quod per illam videat concluſiones in principijs, quia poterat pro libito ſuo non vti adæquatè ſpeciebus talis ſcientiæ: ergo cum Angelus ſimiliter poſsit nõ vti adæquatè ſuis ſpeciebus, ſic, quod videat principia, & non concluſiones, videtur quod illi pariter ſit liberum diſcurrere. Huic autem rationi, dum reſpondetur, Chriſtũ poſſe diſcurrere, quia ex natura ſua erat diſcurſivus, non vero Angelus, quia diſcurſivus non eſt, manifeſtè habetur petitio principij: quia inſtantia probat, Angelum eſſe diſcurſivum, ſiquidem admittitur poſſe videre principia, ſine eo quod in eis videat concluſiones.

Reſpondeo, ſolutionem datam non petere principium, quia videre principia, & non videre concluſiones pro libito, non eſt ratio ſufficienter probativa diſcurſus: nam per hoc tantum explicatur libertas in vſu ſcientiæ, & ſpecierũ; vnde quando inſtatur, quare anima Chriſti poterat vti diſcurſu quando inadæquatè vtebatur ſpeciebus, & non poterit Angelus? ſine petitione principij reſpondetur, per naturam vtriuſque, nempe, quia anima Chriſti diſcurſiva erat ex natura ſua, & ſic poterat ex vno primo cognito venire in alterius cognitionem; at Angelus ex natura ſua non diſcurſivus, ſed merè intellectivus eſt, & ſic, ſi vult cognoſcere concluſiones, debet eas in principijs, & non ex principijs cognoſcere. Itaque quamvis Chriſtus, & Angelus conveniant in hoc vno, quod eſt pro libito tantum cognoſcere principia, tamen diſtinguuntur in eo, quod Angelus eſt purè intellectivus, & ſi vult procedere ad concluſiones, debet intelligendo procedere, nempe intus legendo principiũ; Chriſtus rationalis erat, vnde poterat velle ſcire concluſiones more ſuo, cui ſubdebatur ſcientia infuſa, & ſic poterat per diſcurſum, & non per ſimplicem intuitum concluſiones cognoſcere.

Ad tertiam reſp. cum Caietano hic, in fine huius art. 4. neg. Min. etenim, vt ſupra vidimus, non eſt inconveniens quod aliquod finitum ſuperioris ordinis æquivaleat infinitis ordinis inferioris, & ſic non eſt inconveniens, quod vna cognitio Angeli æquivaleat infinitis concluſionibus, quæ à nobis inferri poſſunt ex vno principio cognito, quia talis cognitio non erit infinita, ſed erit finita, altioris tamen ordinis.

§. V.

Soluuntur argumenta contra Concluſionem.

972 PRIMO Arguit Molina. Illud agens naturale eſt propriè diſcurſivum circa naturalia, quod habet diſtinctas cognitiones de illis, quarum vna cauſatur ex alia; ſed Angelus ita ſe habet: ergo. Prob. Min. Angelus ex vna parte ex cognitione ſui cognoſcit Deũ, & ex cognitione cauſæ naturalis cognoſcit illius effectus; ex alia vero parte, iſtæ cognitiones ſunt diverſæ, nam vna eſt intuitiva, nempe, qua ſe cognoſcit, altera eſt ſolum abſtractiva, nempe, qua Deum cognoſcit: ergo Angelus circa naturalia habet diſtinctas cognitiones, quarum vna cauſatur ex alia. Confirm. Angelus habet diſtinctas volitiones, quarum vna cauſatur ex alia, nam ex intentione finis eligit media, & ex dilectione ſui neceſſaria, alia à ſe liberè diligit: ergo ſimiliter poterit habere diſtinctas cognitiones, quarum vna cauſetur ex alia.

Ad hoc, nego Min. Ad Prob. nego quòd illæ cognitiones ſint diverſæ: eſt enim vna ſimplex cognitio, qua ſe, & Deũ cognoſcit; neque enim ex cognitione ſui tranſit ad cognitionẽ Dei, vel ex cognitione cauſę tranſit ad cognitionẽ effectus, ſed in ſe primario cognito, ſecundariò cognoſcit Deum, & in cauſa prius cognita cognoſcit effectum; neque ex hoc quod ſe, & cauſam intuitivè cognoſcit, & Deum, effectum ab-

Digitized by Google

abſtractivè, infertur diſtinctio realis in cognitionibus: nam reſpectu diverſorum cognitorum non eſt inconveniens vnam, & eandem cognitionem eſſe intuitivã, & abſtractivam. Ad ſecundam Prob. ſeu Confir. conc. Ant. nego Conſ. & diſcrimen ſtat in eo, quod cognitio rei fit per hoc, quod res cognitæ ſunt in cognoſcente; homo autem ex quo incomplete intellectualis eſt, nõ habet apud ſe omnia, quæ poteſt intelligere ex vno, ſed modo adquirit vnũ, & deinde adquirit alterum, & ſic poteſt moveri ex vno ad alterum: cum ergo Angelus ſit completè intellectualis, ab hac hominis imperfectione debet ob ſui perfectionem ſpoliari, & ſic debet habere ſtatim apud ſe omnia, quæ poteſt naturaliter cognoſcere ex vno intellecto: vnde non poteſt ex cognitione vnius moveri ad cognitionem alterius: actus autem appetentis fit per hoc, quod res prout in ſe ipſis ſunt, ad ſe trahunt appetentẽ: vnde quod homo ex vno volito moveatur ad aliud, non oritur ex imperfectione volentis, ſed ex natura volitorum, quorum alterum, quia finis eſt, petit propter ſe amari; alia autem, quia nõ ſunt amabilia propter ſe, ſed propter finẽ, non movent ad amorẽ ſui naturalem; ſed tantum terminant electionẽ, & ſic datur duplex volitio, alia naturalis finis, alia electiva mediorũ cauſata ex amore finis; cumquè hoc non proveniat ex imperfectione hominis, ſed ex ipſa natura volitorum, nõ eſt neceſſe, quod ab hac imperfectione Angelus ob ſui perfectionẽ, in qua excedit hominem, præſcindat, & ſic, ſicut invenitur in homine talis motus ex volitione vnius ad volitionem alterius, ita & reperi poteſt in Angelo.

Sed inſtas, quod homo tantum diſtinguitur ab Angelo in eo, quod homo ab initio non habet apud ſe ſpecies obiectorum, quæ intelligere valet, benè verò Angelus; non vero diſtinctus in eo, quod apud ſe habeat Angelus ab initio cognitiones omniũ, quæ poteſt cognoſcere, illas verò non habeat homo: ſiquidẽ Angelus, & homo in hoc conveniunt, quod ſucceſſu temporis de vna cognitione tranſeant ad aliam; cum ergo diſcurſus conſiſtat in cognitionibus, & non in ſpeciebus, non videtur benè inferri, quod ex hoc quod Angelus ab initio habeat apud ſe omnia cognoſcibilia, non vero homo, Angelus non poſſit ex cognitione vnius venire in cognitionẽ alterius, benè vero ad hoc obligetur homo.

Ad hoc, nego Conſeq. Etenim ex vno ſequitur aliud. Ex hoc enim quod Angelus ab initio exigit apud ſe habere omnia intelligibilia, & ſciẽtiã habitualẽ omniũ, & de facto habet id, quod naturaliter exigit, habet etiã non moveri ex vno cognito ad cognitionẽ alterius: nã ſicut ex perfectione Angeli ſuper hominem, evenit, quod quia homo ex ſui imperfectione ab initio eſt tãquam tabula raſa ſine aliqua ſpecie intelligibili, Angelus ab initio habeat apud ſe omnes ſimilitudines rerum, quas diſcurſu temporis poteſt cognoſcere: ita ex perfectione, qua excedit hominem, oritur, quod ſtatim cognito principio cognoſcat in ipſo omnia, quæ poſſunt per illud cognoſci; cũ homo ex imperfectione ſua in linea intellectuali habeat moveri ex vno prius cognito ad cognitionem eorũ, quæ ex tali principio poſſunt cognoſci: vt ſic liberetur Angelus ob ſui perfectionem ab imperfectionibus hominis, non ſolũ quoad actum primum, ſed etiam quoad actum ſecundum intelligendi.

979 Secundo arguitur, nam in Angelis datur virtus benè conſiliativa, quæ dicitur eubulia; ſed hæc dicit inquiſitionẽ, & diſcurſum: ergo in Angelis datur diſcurſus. Confirm. nam ſi in Angelis non eſt diſcurſus in Angelis nõ erit ſcientia; hoc autẽ nequit dici: ergo. Prob. Sequela, nam cognitio effectuum in cauſis, & concluſionum in principijs non eſt ſcientia, ſed lumen primorum principiorũ: igitur ſi in Angelis nõ eſt diſcurſus, in Angelis non erit ſcientia. Confir. ſecundo, ſcientia per ſe primò ſpecificatur à concluſionibus; ſed cognitio effectuum in cauſis, & concluſionum in principijs non ſpecificatur per ſe primò à concluſionibus, ſed à principijs: ergo ſi in Angelis non eſt diſcurſus, non erit ſcientia in eis. Prob. Min. cognitio, qua Angelus cognoſcendo ſe Deum cognoſcit in ſe ipſo cognito, & repræſentato, non eſt cognitio primariò ſpecificata à Deo, ſed tantum ab ipſa ſubſtantia, in qua ſecundariò cognoſcitur Deus: ergo cognitio, qua concluſiones cognoſcuntur in principijs primariò cognitis, non erit primariò ſpecificata à concluſionibus, ſed à principijs. Explicatur hoc, principia nequeunt per ſe primò repræſentare ſe, & per ſe primò repræſentare concluſiones, ſicut ſubſtantia Angeli nequit per ſe primò repræſentare ſe, & repræſentare Deum: ergo cognitio, qua cognoſcuntur principia, & in principijs concluſiones, tantum erit

Digitized by Google

cognitio primariò principiorum, & ſecundariò concluſionum : ergo non erit ſcientia, quia hæc eſt cognitio per ſe primò ſpecificata à concluſionibus.

Ad hoc argumentũ, diſt. Min. ſed hęc dicit inquiſitionem, & diſcurſum, in ſubiecto inquiſitivo, & diſcurſivo, conc. Min. ex conceptu eſſentiali, & formali conſilij, nego Min. & Conſ. Itaque conſiliũ dicit certitudinem iudicij; & quia ad hanc certitudinem ſubiectum diſcurſivum pervenit per inquiſitionem, & diſcurſum, ideo in illo benè conſiliativa dicit inquiſitionem, & iudicium: quia autem ſimplex intelligentia, qualis eſt Deus, & Angelus, ad talem certitudinem pervenit per ſimplicem intuitum, ideò in eis habetur benè conſiliativa ſine inquiſitione, & diſcurſu. Ad pri. Confirm. nego Sequelã. Ad Prob. diſt. Antec. cognitio concluſionum in principijs, & effectuum in cauſis tantum eſt lumen primorum principiorum, id eſt, non eſt diſtinctum lumen, conc. Antec. id eſt, non eſt formalitas ſaltem ſecundaria à lumine diſtincta, nego Ant. & nego Conſ. in Angelis in ordine naturali ſimplex intuitus duo habet; alterum primariò, & hoc eſt intueri principia in ſe, & propter ſe: ſed quia non ſiſtit in principijs, ſed in ipſis, & ratione ipſorum attingit concluſiones, habet quaſi ſecundariò aliam formalitatẽ, nempe ſcientiæ: vnde eſto in illis non ſit diſcurſus, eſt tamen formalitas ſcientiæ.

Ad ſecundam Confir. diſt. Mai. ſcientia per ſe primò ſpecificatur à concluſionibus, ſcientia, quæ primariò eſt lumen ſciẽtificum, conc. Mai. ſcientia, quæ eſt lumen, quod ſolum ſecundariò eſt ſcientia, nego Min. & conc. Min. nego Conſ. Itaque quãdò lumen per ſe primò eſt ſcientificum, per ſe primò ſpecificatur à concluſionibus; quãdò autem ſolum ſecundario eſt ſcientificũ, nõ ſpecificatur primariò a concluſionibus, ſed ab eo, quod primò, & per ſe cognoſcit, & ratione ſui: lumen ergo Angelicum, vt dixi, non eſt primariò ſcientificum, ſed ſolum ſecundariò, & ſic non eſt neceſſe, quod primariò ſumat ſpeciem à concluſionibus. Quod ſuadent, & non aliud ea, quæ in diſcurſu confirmationis adducuntur. Probant enim quod lumen Angelicum non ſit primariò ſcientificum, quod admittimus.

(.3.)

§. VI.

An circa ſupernaturalia poſsit Angelus vti diſcurſu formali?

971 MAIOR Difficultas eſt præſens, quam præterita. Vnde Suarez loco citato cõſtanter affirmat poſſe Angelum vti diſcurſu circa ſupernaturalia cognoſcenda; eiuſdemquè ſententiæ eſt Molina, & alij recentiores. Schola autem Thomiſtica, ſicut ponit Angelum non poſſe cognoſcere veritates naturales per diſcurſum, ita & ſentit de ſupernaturalibus. In cuius defenſionem ſit concluſio. Angelus adhuc circa ſupernaturalia nequit diſcurrere. Prob. nam Angelus ex natura ſua verè eſt talis conditionis, quod habeat intelligere ſimplici intuitu ea, quæ intelligit : ergo etiam dum intelligit ſupernaturalia, debet ſimplici intuitu intelligere. Patet Conſeq. nam gratia licet poſsit elevare modum operandi naturæ, eum tamen deteriorare non poteſt: ergo cum modus intelligendi Angeli naturaliter elevatus ſit ad intelligendum ſine diſcurſu, non poterit gratia, & ſupernaturale lumen eum ſic deteriorare, quod faciat eum intelligere per diſcurſum. Explico hoc, eſto intellectus humanus non poſsit naturaliter ſcire ſine diſcurſu formali, tamen per gratiam, & lumen ſupernaturale elevatur, vt ſciat concluſiones ſine diſcurſu tàm per ſcientiam beatam, quàm per ſcientiam infuſam; non tamen fieri poteſt per gratiã, quòd intelligat modo brutali, id eſt, ex inſtinctu naturæ, quia iſte modus cognoſcendi eſt diſtinctivus bruti ab homine; ſed intelligere per diſcurſum eſt id, per quod homo inferior Angelo diſtinguitur ab Angelo: ergo gratia Dei nequibit efficere, quòd Angelus intelligat diſcurrendo.

Confirm. hoc ex D. Thom 2. 2. q. 9. art. 1. ad 1. ibi: *Dicendũ, quod certitudo cognitionis in diverſis naturis invenitur diverſimodè ſecundum diverſam conditionẽ vniuſcuiuſque naturæ: nam homo conſequitur certum iudicium de veritate per diſcurſum rationis, & ideo ſcientia humana ex ratione demonſtrativa adquiritur: ſed in Deo certum iudicium veritatis eſt abſque omni diſcurſu per ſimplicem intuitum.* Quibus docet lumen ſupernaturale ex ſe non eſſe diſcurſivum, ſed tantũ hoc poſſe haberi ex conditione ſubiecti, in quo eſt; ſeu Angelus diſcurſi,

Digitized by Google

ſivus non eſt: ergo ex vi luminis ſupernaturalis non poteſt cogi ad hoc, quod eſt intelligere per diſcurſum.

§. VII.

Solvuntur inſtantiæ contra Concluſionem.

972 PRIMO inſtabis ex D. Thom. infra quæſt. 79. art. 8. ibi: *Angeli, qui perfectè poſſident ſecundum modum ſuæ naturæ cognitionem intelligibilis veritatis, non habent neceſſe procedere de uno ad aliud, ſed ſimpliciter, & abſque diſcurſu veritatem rerum apprehendunt.* Quibus videtur D. Thom. concedere cognitionem Angelicam abſque diſcurſu ſolũ ad ea, circa quæ Angeli ſecundum ſuam naturam perfectè poſſident cognitionem veritatis; ſed circa ſupernaturalia Angeli non habent perfectè poſſidere ſecundum ſuam naturam cognitionem veritatis: ergo videtur quod circa ſupernaturalia poſſint diſcurrere. Deinde pondero illa verba, *non habent neceſſe procedere de uno ad aliud,* quibus docet non quod Angeli non poſſint diſcurrere pro ſuo libito, ſed quod non ſit illis neceſſarius diſcurſus, ſicut hominibus neceſſarius eſt circa aliqua objecta diſcurrere.

Ad hoc dico, D. Thom. per illa verba non velle ſignificare, quod Angeli habeant notitiam claram, & diſtinctam cujuſcumque ſimplicis veritatis: nam de rebus fidei, quando erant in via, non habebant claram, & diſtinctam notitiam veritatis; nec etiam quando ſolum per conjecturam res cognoſcunt, illarum habent perfectam, & claram notitiam; ſed tantum voluit ſignificare modum elevatum intelligendi Angelorum ſupra homines, qui eſt intelligere prædicatum in ſubjecto, & concluſionem in principiis; hoc enim vocavit perfectè poſſidere ſecundum modum ſuæ naturæ cognitionem intelligibilis veritatis, quem modum perfectè poſſidẽdi veritatem, cum Angelus ſervet etiam dum ſupernaturalia cognoſcit, non ſequitur, quod circa ſupernaturalia diſcurrat. Ad id quod ſecundo ponderatur in verbis D. Thom. dico, quod etſi per illa verba tantum non habeatur, quod Angelus diſcurrere non poſſit, per illa vi conjuncta cum antecedentibus habetur Angelum non poſſe diſcurrere; nam ſi modus naturalis Angelis eſt cognoſcere prædicatum in ſubjecto, & concluſiones in principiis, cum à ſuo modo naturali intelligendi abſolvi non poſſint, ſic, quod ignobiliori modo intelligant, ſequitur, quod non poſſint diſcurrere. Nec eſt philoſophandum de Angelo, ſicut philoſophamur de homine, qui pro hoc ſtatu connaturaliter habet intelligere cum dependentia à phantaſmatibus, & connotando materiam, à quibus tamen abſolvitur pro ſtatu ſeparationis. Non quidem ſic: nam modus intelligendi per ſimplicem intuitum convenit Angelo ex vi ſuæ naturæ, ſine concomitantia hujus, vel illius ſtatus; & ſic ſemper illi convenire debet; homini autem ſolum convenit naturaliter pro hoc ſtatu, quo anima corpori conjuncta eſt, intelligere connotando materiam: unde ab hoc modo intelligendi poteſt pro alio ſtatu abſolvi. Præterquamquod anima poteſt relinquere modum ſuum connaturalem operandi, cũ in elevatur ad modum intelligendi Angelorum, quod eſt perfectius intelligere; cæterum nec anima, nec Angelus poſſunt deteriorari, ſic, quod per gratiam Angelus operetur modo proprio hominis, & homo cognoſcat more brutorum.

973 Inſtabis ſecundo, nam multoties Dæmon viſis miraculis Chriſti conjectabatur ipſum eſſe Filium Dei; ſed illa cognitio conjecturalis non poterat eſſe eadem cognitio cum illa, quâ videbat miracula. Tum, quia illa erat obſcura, iſta clara, illa erat naturalis, iſta ſupernaturalis, prima erat infallibilis, ſecunda fallibilis: igitur erat diſtincta à prima, & erat cauſata ab illa per diſcurſum. Ad hoc nego Min. Ad Prob. primam dico, quod ſicut non repugnat eandem notitiam reſpectu diverſorum ſimul eſſe abſtractivam, & intuitivam, ita neque repugnat eſſe ſimul claram, & obſcuram reſpectu diverſorum. Ad ſecundam; nego quod illa cognitio conjecturalis eſſet ſupernaturalis; nam ſupernaturale cognitum in principio naturali, & ex penetratione illius non cognoſcitur ſupernaturali cognitione: ad hanc enim requiritur, quod principia, per quæ fit cognitio, ſupernaturalia ſint; dum autem ſupernaturale cognoſcitur prout aliquo modo contentum in naturali, principia talis cognitionis omnino naturalia ſunt: unde aliud eſt eſſe cognitionẽ rei ſupernaturalis, & aliud eſt ipſam eſſe ſu-

ſupernaturalem; primum ſufficit quod res, quæ terminat cognitionem, ſit ſupernaturalis: ad ſecundum requiritur quod vel per ſe ipſam cognoſcatur, vel in aliquo principio ſupernaturali; quando ergo Dæmon naturaliter videbat ſuſcitationē mortui factam à Chriſto, cognoſcebat coniecturaliter illum hominem patrantem talem reſurrectionem eſſe Dei Filium: vnde illa cognitio, qua parte terminabatur ad Filium Dei, ſupernaturalis erat materialiter, id eſt, cognitio rei, quæ in ſe ſupernaturalis eſt, non tamen erat cognitio formaliter ſupernaturalis; quia principia illius non erant ſupernaturalia. Ad tertium dico, non eſſe inconveniens quod ſimiliter cognitio ſit infallibilis reſpectu vnius, quod per ſe ipſum videtur, & ſit fallibilis reſpectu alterius, quod nō neceſſariò continetur in illo, ſed tantum aliqualiter, & quaſi in leviſſimo ſigno.

Inſtabis tertiò; ſi in Angelis non ſit poſsibilis diſcurſus, non erit quoque in eis poſsibilis admiratio; ſed hoc eſt falſum: ergo. Sequela patet, nam ex eadem radice, ex qua oritur diſcurſus, oritur admiratio: nempe ex hoc quod cognoſcitur cauſa nō cognito effectu, vel ex hoc quod cognoſcitur effectus non cognita cauſa: ergo. Quod autem hoc ſit falſum Prob. ex illo Iſaiæ 63. vbi legitur, quod Angeli admirantes virtutem Chriſti aſcendentis in cœlū dicebant, *quis eſt iſte, qui venit de edom,* &c.? Ad hoc, nego Sequelā, nam admiratio, eo nō cōcedatur Angelis prout oritur ex hoc, quod viſo effectu cauſa non cognoſcitur, conceditur tamen illis prout dicit notitiam alicuius, quod antea erat occultum, in quo vtrum ſalvetur propria ratio admirationis, vel non, non diſputo. Neque enim erubeſcam dicere, Angelos ſicut carent diſcurſu, carere etiam propriè admiratione: ſicut enim diſcurrere eſt imperfectio hominis, à qua abſolvi debet Angelus, ita & admiratio eſt imperfectio hominis, à qua Angelus pariter debet abſolvi. Nec eſt contra illud Iſaiæ adductum, quia ibi tantum explicatur admiratio prout oritur ex cognitione alicuius rari, & occulti; nō vero propria admiratio.

975 Inſtabis quartò ad probandum diſcurſum in Angelis ex quadam doctrina D. Thom. infra q. 64. art. 2. vbi habet: *Vis appetitiva in omnibus proportionatur apprehenſivæ, à qua movetur ſicut mobile à motore.* Ex qua doctrina probat, quod ſicut Angeli, quia non diſcurrunt, immobiliter adhærent veritati, ita & voluntas immobiliter adhæret bono, quod ſemel elegit. Ex quibus ſic argumentor, voluntas in omnibus proportionatur apprehenſivæ potentiæ: igitur ſi voluntas Angeli, vt ſupra diximus, movet ſe ipſam ex amore finis ad electionē mediorū, ita & intellectus Angeli movebit ſe ex intellectu principiorū ad intellectionē concluſionū. Explicatur hoc apud D. Tho. hæc Conſ. eſt bona: *Voluntas Angeli mobiliter adhæret bono, quod elegit: ergo & intellectus Angeli mobiliter adhæret vero, quod apprehendit:* ergo hæc etiā erit bona; *voluntas Angeli propriè ſe movet ex amore finis ad electionē mediorum: ergo & intellectus Angeli propriè ſe movebit ex intellectu principiorū ad intellectum concluſionū.* Ad hoc diſt. Ant. voluntas in omnibus proportionatur potentiæ apprehenſivæ, in omnibus, quæ nō tangunt modum, per quam voluntas diſtinguitur ab intellectu, conc. Antec. in omnibus etiam includendo modum, per quem voluntas diſtinguitur ab intellectu, nego Antec. & Conſeq. Itaque voluntas debet proportionari intellectui ſervando proprium diſtinctivum ab intellectu; intellectum autē Angeli non diſcurrere probabimus illi convenire ex eo, quod cognitio ſit per hoc, quod intellectus res trahat ad ſe, & eſſet maxima imperfectio, quod traheret ad ſe vnū, & non aliud connexū cum illo, & poſsibile trahi ex vi tractionis primi: voluntas autē trahitur à rebus, & ſic trahi per inclinationem ad finem, & non ad media, non ponit imperfectionem in voluntate Angeli, ſed tantum per hoc explicatur ordo amabilium; id autem, per quod voluntas diſtinguitur ab intellectu, maximè cōſiſtit in eo, quod voluntas trahitur à rebus, & intellectus trahit res ad ſe, & ſic non eſt neceſſe, quod voluntas Angeli proportionetur eius intellectui quoad hoc, quod eſt carere modo volitivo, ſicut intellectus caret motu diſcurſivo.

Ad explicationem, nego Conſ. nam prima Conſ. eſt bona, ex eo quod poſtquā voluntas ſemel elegit vnum, plenè, & deliberatè, nequit illud retractare, niſi de novo occurrat aliqua circunſtantia, quæ primò cognita non fuit; vnde ſi voluntas dimoveatur ab eo, quod ſemel elegit, eſt neceſſe, quod intellectus, à quo regulatur, etiā mutet iudicium, & ſententiam ab ea, quam primò habebat, & ſic bona erit Conſeq. *Voluntas immobiliter adhæret bono;*

Digitized by Google

ergo & intellectus mobiliter adhæret vero: Secunda autem Conſequentia bona non eſt, quia eſtò intellectus non diſcurrat, poteſt tamẽ voluntati proponere vna propoſitione ſolum finem, vt amabilem tantum ratione ſui, & deinde poteſt proponere media proportionata cum tali fine, vt amet illa ex finis amore, & ſic ſtabit, Voluntatem ſe movere ex amore finis ad electionem mediorum, ſine eo quod intellectus ſe moveat ex intellectu principiorum ad ſcientiam concluſionum.

976 Inſtabis quinto, ſi Angeli in ſupernaturalibus non diſcurrunt, ſequitur, quod lumen ſupernaturale fidei, quod habuerunt in via, non ſit diſtinctum à lumine ſcientifico Theologico eorum; Conſeq. eſt falſiſſimum: ergo. Conſeq. eſt bona, & Prob. præmiſſæ. Mai. quidem, quia Angelus in naturalibus non diſcurrit, quia eodem indiviſibili lumine, quo attingit principia, attingit quoque concluſiones in principijs: ergo ſi ordine ſupernaturali non diſcurrit, eo lumine, quo tangit principia fidei, debet in ipſis cognoſcere concluſiones Theologicas. Min. Prob. ſic, nam fides Angelorum, & noſtra ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed fides noſtra ſpecificè differt à noſtra Theologia: ergo & fides Angelorum pariter debuit ſpecie diſtingui à Theologia eorum. Secundo, nam fides eſt habitus per ſe obſcurus, Theologia autem viæ Angelorum ſolum per accidens erat obſcura; nam exactivè erat evidens: igitur implicabit contradictionem, quod fides, & Theologia in Angelis ſint idem indiviſibile lumen. Ex quibus fit etiam validiſſimum argumentum contra nos. Nam vbi lumen principiorum realiter diſtinguitur à lumine ſcientifico, non poſſunt videri concluſiones in principijs: ergo cognitio concluſionum debet cauſari ex cognitione principiorum, & ſic dabitur diſcurſus. Prob. Antec. nam lumen ſcientificum realiter diſtinctum à lumine principiorum non videt principia: ergo nequit videre concluſiones in principijs.

Ad hoc argumentum, nego Sequelam. Ad Prob. diſt. Antec. ſi illud dicat cauſam adæquatam, nego Antec. ſi dicat cauſam ſufficientem, conc. Antec. & nego Conſ. Itaque non diſcurrere poteſt provenire ex duplici cauſa; vel quia eodem lumine, quo cognoſcit principia, cognoſcit concluſiones in illis, vel quia eſtò diverſo lumine cognoſcat, tamen non ex principijs, ſed tantum in principijs concluſiones cognoſcit: in ordine ergo naturali Angelus eo lumine, quo tangit primariò principia, tangit, vt ſup. à dixi, concluſiones in principijs; in ordine autem ſupernaturali cognoſcit concluſiones in principijs diverſo lumine, ſed non diſcurrit: quia non ex principijs deducit, ſed in principijs videt concluſiones.

Sed inſtas, dum lumina ſunt diſtincta, neceſſe eſt, quòd actus, quibus tanguntur principia, & concluſiones, ſint realiter diſtincti, & aliàs actus circa concluſiones debet poni cauſatus ex actu, quo attinguntur principia: igitur dabitur diſcurſus. Ad hoc, nego ſecundam partem Antec. nam actus, quo attinguntur concluſiones in tantùm cauſatur ex actu, quo attinguntur principia, in quantùm non videt in principijs, ſed ex cognitione principiorum deducit cognitionem concluſionum in ſe ipſis: dùm ergo ponimus, quod actus ſcientificus videt in principijs, & non ex principijs, non eſt neceſſe quòd ſit cauſatus ab actu, quo cognoſcuntur principia.

Sed inſtas, nequit intellectus videre concluſiones in principijs, niſi priùs *vt quod* attingat principia: ergo videre concluſiones in principijs fit virtute actus præcedentis, quo *vt quod* attinguntur principia: ergo cauſatur ex attingentia principiorum, & ſic erit diſcurſus. Ad hoc, nego Conſeq. aliud enim eſt, quod intellectus non poſſit videre concluſiones in principijs, niſi prius viderit principia, & aliud eſt quod *vt quod* vidiſſe principia ſit cauſa effectiva ſecundi actus, quo concluſiones videntur in principijs: ad primum ſufficit ſucceſſio vnius actus poſt alium; ad ſecundum requirebatur vera efficientia ſecundi actus à primo, quam negamus; dùm non ex cognitione principiorum, ſed in ipſis principijs intellectus Angelicus videt concluſiones; hoc enim non eſt videre concluſiones inferendo ex principijs, ſed ſimplici intuitu videndo eas in illis: vnde ſicut ex die dicimus fieri noctem, quia noctem per ſe immediatè præcedit dies ſine aliqua cauſalitate præcedentis diei ad noctem ſubſequutam, ſic ex principijs videt in principijs Angelus, non *ly ex* dicente efficientiam, ſed puram præcedentiam cognitionis principiorum; & ſic non eſt diſcurſus.

Ad argumentum deinde formatum, nego Antec. Ad Prob. nego Conſeq. nam lumen ſcientificum non diſcurſivum licet *vt quod* non videat principia, poteſt tamen videre in principijs, poſtquàm intellectus per aliud lumẽ *vt quod* vidit principia; & licet hoc non poſsit facere lumen ſcientificum productum per cauſalitatem principiorum, poteſt tamen hoc facere lumen ſcientificum per ſe infuſum, quale eſt Theologia Angelorum per ſe data Angelis vt modo ſibi connaturali concluſiones attingat ſine diſcurſu.

§. VIII.

Vtrùm Angelus intelligat componendo, & dividendo?

977 CONCLVSIO Eſt negativa, quam tenet D. Thom. hic q.58. art.4 & Prob. eius ratione. Intellectus, qui in prima apprehenſione obiecti ſtatim cognoſcit quæ illi poſſunt attribui, nequit componere, id eſt, nequit intelligere per compoſitionem, & diviſionem; ſed intellectus Angeli eſt huiuſmodi: ergo non intelligit componendo, & dividendo. Diſcurſus eſt bonus, & Probantur præmiſſæ. Mai. Prob. intellectus ille, qui in prima apprehenſione principiorum cognoſcit concluſiones, vt vidimus, nequit diſcurrere: ergo intellectus, qui in prima apprehenſione obiecti videt ea omnia, quæ illi poſſunt attribui, nequibit intelligere per compoſitionem. Patet Conſeq. nam ita comparantur in linea diſcurrendi concluſiones ad principia, ſicut in linea intelligendi componendo comparantur prædicatum ad ſubiectum; ſed intellectus videns concluſiones in principijs, nequit diſcurrendo intelligere: ergo intellectus videns prædicatum in ſubiecto, nequibit componendo intelligere. Min. Prob. nam vt vidimus intellectus Angelicus videt concluſiones in principijs: ergo & à fortiori videbit prædicata in ſubiectis. Secundo, nam noſter intellectus ob ſui debilitatem in intelligendo hoc habet, quod viſo ſubiecto non videt prædicata quæ illi poſſunt attribui: ergo intellectus Angelicus ob ſui luminis excellentiam à præfata imperfectione intellectus noſtri liberabitur.

978 Secundo Prob. Concluſio, nam omnis capacitas, ſeu neceſsitas componendi, & dividendi, oritur in nobis ex dependentia à phantaſia; in qua apparent termini incomplexi abſque affirmatione, & negatione coniungente invicem, aut diſiungente obiecta eorum, atque iudicante de habitudine eorum inter ſe: vnde vt intellectus noſter mutuã habitudinem illorum incomplexorum exercitè cognoſcere valeat, indiget coniungere, aut diſiungere conceptus obiectivos, qui in phantaſia abſq; tali coniunctione, aut diſiunctione apparent; nam niſi ita fiat, non clareſcit mutua habitudo prædictorum incomplexorum; at Angeli quæcumque cognoſcunt, in ſe ipſis immediatè vident; quæ autem mediatè, cognoſcunt in immediatè viſis: res autem prout in ſe ipſis à parte rei inveniũtur coniunctæ cum ſuis prædicatis, & diſiunctæ à non ſuis: ergo Angelus, prout ſic illas videns, non poterit, vt eas intelligat, coniungere, aut diſiungere: non ergo poterit per compoſitionem, aut diviſionem intelligere.

§. IX.

Soluuntur Argumenta.

979 ARGVITVR Contra concluſionem impugnãdo primam rationẽ. Etenim cognoſcere prædicatũ in ſubiecto non eſt cauſa adæquata, ob quam Angelus non poſsit componendo intelligere: ergo. Prob. Ant. nam multoties non videre prædicatum in ſubiecto non oritur ex defectu luminis, ſed oritur ex eo quod tale prædicatũ non continetur in virtute ſubiecti, vt patet in prædicatis contingenter, & caſualiter convenientibus ſubiecto: quamtumvis enim quis perfectè videat ſubiectum, non videbit in illo talia prædicata: ergo Angelum tunc non componere non oritur ex eo quod prædicata, quæ poſſunt ſubiecto convenire, videt in ipſo ſubiecto.

Ad hoc, nego Antec. Ad Prob. dico, quod ſi talia prædicata in re exiſtant, & coniuncta ſubiecto ſint, tunc ex hoc quod ſunt aliquod pertinens ad ſubiectum, ex ipſa luminis plenitudine, & perfectione ſpeciei impreſſæ, qua vtitur Angelus, ſtatim videntur in ſubiecto viſo, prout in ſe eſt. Pono exemplum huius. Invenitur Sortes in foro a ſuo debitore, tunc intellectus noſter, ob ſui luminis debilitatem, videt Sortem; ſed in ipſo Sorte viſo non videt ipſam inventionem Sortis à ſuo debitore: vnde de-

Digitized by Google

debet coniungere ipſam inventionem cum Sorte, vt poſsit intelligere quod Sortes inveſtitus eſt in foro à ſuo debitore: non ſic Angelus, nam ob ſui plenitudinem luminis exigit, quod dum Sortes in ſe coniunctus eſt cum illo accidenti inventionis à debitore, hoc ipſo quod Sortem videt, videat in illo dictam inventionem, vtpote iam ſpectantem ad Sortem, & cum illo actualiter coniunctam.

Sed inſtas, ſequi ex ſolutione, quod Angelus, viſo Sorte, videat in illo omnes negationes rerũ, quæ actu illi conveniunt; hoc autem videtur falſum: nam illæ penè infinitæ ſunt: ergo. Prob. Sequela, omnes illæ negationes ſpectant ad Sortem, & actu in re inveniuntur coniunctæ cum illo: ergo iuxta datam ſolutionem in Sorte viſo debet Angelus videre omnes præfatas negationes. Ad hoc dico, quod viſo Sorte videt in illo omnia prædicata poſitiva Sortis, videt etiam negationem communiter omnium eorum, quæ non ſunt Sortes, ſi etiam in particulari negationem huius, vel illius prædicati vult videre, etiam videt illam in Sorte viſo, ſed nõ eſt neceſſe, quod ſemper, dum Sortem videt, videat in particulari Sortem non eſſe hoc, & non eſſe illud, & ſic de ſingulis: vnde non eſt neceſſe, quod vt negationes cognoſcat; diviſione vtatur, qua vtitur homo, dicendo mentaliter, Sortes non eſt hoc, Sõtes non eſt illud.

980 Secundo arguitur: Angelus nequit cognoſcere prædicata ſupernaturalia in ſubiectis, de quibus dicũtur, & in quibus ſunt: ergo tunc cognoſcet componendo. Prob. Antec. ſubiecta ſunt merè naturalia; ſupernaturalia autem non præcontinentur in naturalibus: ergo prędicata ſupernaturalia nequit Angelus cognoſcere in ſubiectis, de quibus dicuntur, & in quibus ſunt. Ad hoc, nego Conſeq. nam quando prædicata ſupernaturalia ſunt, & per propriam ſpeciem cognoſcuntur, repræſentantur vt in concreto afficiunt hoc ſubiectum, & ſic, quamvis ſupernaturale non videatur in naturali, tamen naturale videtur per ipſam viſionem ſupernaturalis prædicati, & ſic non datur locus compoſitioni. Pro quo adverto, quod prædicatum ſupernaturale convenire Angelo dupliciter poteſt contingere. Primò ſic, quod hoc cognoſcat per ſpeciem propriam repræſentantẽ accidens ſupernaturale vt coniunctum huic ſubiecto; vel per aliquod ſignum leve, ſic, quod ſolum fiat coniecturalis cognitio. Si primo modo cõtingat cognitio, tunc Angelus per ipſam ſpeciẽ prædicati ſupernaturalis cognoſcit ſubiectũ ſaltem in obliquo: accidens enim repræſentatur Angelo ſicut fit in ſubiecto, fit autẽ in hoc, vel in illo ſubiectatur, & ſic per talem ſpeciem repræſentatur vt coniunctum cum hoc, vel cum illo: vnde ſicut naturaliter per ſpeciem ſubiecti videt Angelus prædicata naturalia tali ſubiecto convenientia; ita in ſupernaturalibus per ipſam ſpeciẽ accidentis ſupernaturalis cognoſcit etiam ſubiectum, cui vt coniunctum repræſentatur accidens. Si autem ſecundo modo fiat cognitio, tunc per ſpeciem illius ſigni, vel effectus cognoſcit vtrumque ſubiectum, nempe & rem ſupernaturalem illi convenientem. V.g. videt Angelus miraculum, & in illo coniectatur Chriſtũ habere divinitatem, vel hunc hominem eſſe Deum: vnde non indiget componere.

981 Tertio arguitur, ſi in Angelis non eſſet poſsibilis compoſitio, vel diviſio, ſequeretur, quod in eis non poſſet reperiri falſitas: hoc autem non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, nam ſi in Angelis non eſt compoſitio, & diviſio; tantũ eſt ſimplex apprehenſio; at in ſimplici apprehenſione nequit eſſe falſitas: abſtrahentiũ enim ſimpliciter non eſt mendacium, ſeu falſitas; hæc enim tota reducitur ad compoſitionem, vel diviſionem, & contingit ex eo, quod vnum prædicatum attribuitur cui non convenit, & dividitur ab eo, cum quo in re coniunctum invenitur: igitur ſi in Angelis nequit reperiri compoſitio, vel diviſio, nequibit etiam reperiri falſitas. De materia quam concernit hoc argumẽtum, claram habemus doctrinã D. Thom. hic q. 58. art. 5. vbi docet, per ſe non poſſe reperiri falſitatẽ in Angelis, quod non ſolum debet intelligi circa naturalia obiecta, circa quæ nullam patitur neſcientiam, aut ignorantiam Angelus, verùm nèc circà ſupernaturalia, quorum ſecluſa revelatione neſcientiam habent: Ratio autem Div. Thom. hæc eſt: *Dictum eſt enim, quod Angelus non intelligit componendo, & dividendo: ſed intelligendo quod quid eſt: intellectus autem circa quod quid eſt ſemper verus eſt; ſicut & ſenſus circa proprium obiectum, ſed per accidens in nobis accidit deceptio, & falſitas intelligendo quod quid eſt, ſcilicet ſecundũ rationem alicuius compoſitionis, vel cum diffinitionem vnius rei accipimus vt diffinitionem alterius, vel cum partes diffinitionis ſibi non*

coha-

cohærent, ſicut ſi accipiatur pro diffinitione alicuius rei animal quadrupes volatile; nullum enim animal tale eſt: ſic igitur per ſe nõ poteſt eſſe falſitas, aut error, aut deceptio in intellectu alicuius Angeli, ſed per accidens cõtingit, alio tamen modo, quam in nobis; nam nos componendo, & dividendo quandoque ad intellectum quidditatis pervenimus, ſicut cũ dividendo, & demonſtrando diffinitionem inveſtigamus. Quod quidem in Angelis non contingit, ſed per quod quid eſt rei cognoſcunt omnes enuntiationes ad illã rem pertinentes; manifeſtum eſt autem, quod quidditas rei poteſt eſſe principium cognoſcendi reſpectu eorum, quæ naturaliter conveniunt rei, vel ab ea removentur; non autem eorum, quæ à ſupernaturali Dei ordinatione dependent. Angeli igitur boni habentes rectam voluntatem per cognitionem quidditatis rei non iudicant de his, quæ ſupernaturaliter ad rem pertinent, niſi ſalva ordinatione divina: vnde eis non poteſt eſſe falſitas, aut error. Dæmones vero per voluntatem perverſam ſubducentes intellectum à divina ſapientia, abſolute interdum de rebus iudicant ſecundum naturalem conditionem: & in his, quæ naturaliter ad rem pertinent, non decipiũtur, ſed decipi poſſunt quantum ad ea, quæ ſupernaturalia ſunt: ſicut ſi conſiderans hominem mortuum iudicet eum non reſurrecturum, & ſi videns hominem Chriſtum, iudicet eum non eſſe Deum, Sic D. Thom. quod ipſum extendimus circa futura contingentia, & cogitationes cordis alterius, quia dum hæc independenter à revelatione cogitantis naturaliter ſciri nequeunt, poteſt etiam Dæmon præcipitare iudicium circa illas, & decipi: circa purè autem naturalia non poteſt, quia vt dixi, omnium naturalium plenam notitiam habet. Quomodo autem fiat huiuſmodi deceptio, ſi in eis non eſt poſsibilis compoſitio? Dico, hoc fieri per iudicium circa aliquam compoſitionem obiectivè occurſam, de qua poſſunt iudicare aliter, ac eſt in ſe: dum enim illa non præcontinetur in cauſa naturali infallibili, poſſunt ſecundum principia naturalia de ea iudicare & falli; etenim reſurectio non eſt poſsibilis per naturam; dum ergo ex ſolis principijs naturæ abſolutè volunt iudicare de reſurectione, iudicant abſolutè non eſſe poſsibilem reſurectionem, & ſic falluntur.

Ex his ergo ad argumentum, nego Mai. ad Prob. diſtin. Mai. tantum eſt ſimplex apprehenſio iudicativa, Conc. non iudicativa, nego Mai. & diſt. Min. in ſimplici apprehenſione nequit eſſe falſitas, ſi ſit purè ſimplex apprehenſio, vt excludit cõpoſitionem, & iudicium, Conc. Min. ſi ſic ſimplex apprehenſio iudicativa, nego Min. & Conſ. Itaque dum dicitur abſtrahentium non eſt mendacium, eſt loquutio de noſtra ſimplici apprehenſione, quæ diſtinguitur à compoſitione, & à iudicio; non autem eſt loquutio de ſimplici intuitu Angelorũ, qui ob ſui eminentiam non eſt ſolum pura apprehenſio rerum, ſed eſt iudicium de rebus: vnde ſicut in ipſo ſine controverſia damus veritatem, ita per accidens poſſumus in ipſo falſitatem, & errorem agnoſcere.

982 Quarto arguitur. Angelus poteſt abſtrahere rationes communes, ac vniverſales, & ſimiliter poteſt per alias cognitiones cognoſcere rationes particulares: ergo poteſt deinde per tertiam aliam cognitionẽ illas rationes ad invicem conferre per affirmationem, vel negationem alterius de altera, quod eſt componere, & vnire ea, quæ antea non habebant reſpectum inter ſe, aut comparationem. Patet Conſ. quia mentalis compoſitio nihil eſt aliud quam comparatio affirmativa, vel negativa eorum, quæ prius fuere apprehẽſa ſimpliciter, abſolutè, & ſine aliqua habitudine inter ſe. Hoc argumentũ proponit Pater Martinus Eſparça, & ſolvit concedendo Angelum poſſe abſtrahere rationes vniverſales à particularibus, ſic, quod vno intellectu ſolum cognoſcat rationes cõmunes, & alio ſolum cognoſcat rationes particulares: negat tamen, quod Angelus poſſit componere conceptum naturæ cum cõceptu ſingularitatis, quia ad compoſitionẽ requirebatur, quod Angelus non haberet facultatem immediatè conſiderandi eam veritatem, quæ circa vtramque illam rationem deſiderari poteſt, adeſt autem Angelo hæc facultas, poteſtquè aſſequi tendentia ſimplici directa, atquè immediata quæ aſſequi non poſſumus niſi per compoſitionem: vnde fieri non poteſt, vt Angelus vellit novam ſuperaddere notitiam, quin protinus ea ipſa voluntate applicet intellectum ad inſpectionem directam, ac immediatam eiuſdem obiecti, vnde neceſſariò debet ſuperſedere à compoſitione. Sicut enim nos poſt apprehẽſionem multorum, ſi volumus novam complexionis formare notitiam, obligamur ad componendum, vel dividendum; ita & Angelus poſt illam ſimplicem multitudinem intellectuum, ſi vellit vlterius procedere ad novam notitiã veritatis, obligatur immediatè, & directè illam

illam inſpicere, prout in ſe ipſa eſt, & ſic non datur locus compoſitioni.

Cæterum ſolutio non placet, nam ſi admittimus Angelos poſſe abſtrahere rationes communes à ſingularibus, concipiendo vno tantum conceptu rationem communem, & alio particularem, neſcio quare altero conceptu non poterit vnire, & cõponere præfatos conceptus intelligendo tantum copulam, ſeu coniunctionem, quã habent a parte rei inter ſe? Sicut enim potuit extrema coniunctionis ſeorſim intelligere, poterit ſimiliter alio conceptu eorum intelligere coniunctionem, quod ſi facere poteſt, poterit mentaliter hoc compoſitum facere, *Petrus eſt animal*. Præterea, ſi admittimus diuerſas conceptiones rationis communis, & particularis, admitti quoquè debet, quod Angelus apprehendere poſſit Petrum ſine eo quod iudicet eſſe hominẽ, & hominem ſive eo quod iudicet eſſe Petrum; ergo in ſubiecto non intelliget prædicatum, neque in prædicato intelliget ſubiectum, & ſic poterit intelligere poſt modum attribuendo prædicatũ ſubiecto, quod eſt componere. Præterea, hic author dicit, quod ratio, ob quam homo componit, eſt quia intelligit dependenter à phantaſia: quæ ras illi repræſentat diviſim, & ſeorſim vna ab alia, & vt abſolutè tantum intelligibilia ſunt; vnde debet vt intelligat veritatem conferre inter ſe illa, quæ abſolutè repræſentantur, & ſic habet componendo intelligere: Angelus verò hoc non habet, quia immediatè intelligit res prout in ſe ipſis ſunt, vnde ſi ſunt coniuncta, iudicat ſimplici intuitu de coniunctione, & ſi diviſa iudicat ſimplici intuitu de diviſione: vnde non componit. Si autem admittitur Angelum vno conceptu abſtrahere rationem communem, & alio particularem, debet admittere, quod illi conceptus ſua obiecta repræſentant abſolutè, & non cum ordine inter ſe: ergo poterit vt veritatẽ intelligat conferre illos duos conceptus inter ſe, & ſic ſicut homo ob hoc componit, poterit Angelus pariter componere.

Aliter ergo Reſp. ad Arg. neg. Antec. non enim Angelus poteſt intelligere abſtrahendo rationes communes à ſingularibus, nam debet res immediatè intelligere, ſicuti ſunt in ſe ipſis, nam ad ipſa prout in ſe ipſis ſunt, immediatè fertur: vnde ſi de facto coniuncta ſunt ſicut ratio communis invenitur coniuncta cum ſuis rationibus particularibus, non poteſt per abſtractionẽ ab illis intelligere rationes cõmunes. Præterea, quia ſpecies Angelo inditas ſolum repræſentant rationes communes vt concretas ſingularibus: ſunt enim, vt ſupra diximus, exemplatæ ab ideis divinis, & repræſentant res prout ab illis deſcendunt; non autem ab idea deſcendit ratio cõmunis ſeparata à particulari, ſed vt illi concreta, & ſic, Angelus hoc ſolo modo poteſt rationem cõmunem intelligere: vnde eſt neceſſe, quod ipſo ſimplici intuitu, quo videt Petrum v. g. neceſſe eſt, quod videat omnia, quæ de facto illi conveniunt, & ſic apprehẽdendo de omnibus illis iudicet ſimplici vno intellectu: vnde ſiat impotens ad componendum.

§. X.

Vtrum poſſit Angelus idem obiectum cognoſcere immediatè, & mediatè?

98 SPECIES quæſiti hæc eſt. Angelus per ſuam ſubſtantiam ſe immediatè cognoſcit, & Deum mediatè, quæritur, vtrum virtute huius cognitionis poſſit elicere aliam, per quam ſolus Deus Angelo repræſentatur, & nec propria ſubſtantia, nec aliqua res creata? Si enim hoc ſecundũ demus, debimus, quod Deum Angelus cognoſcat mediatè, & immediatè. In quo puncto elucidando affirmat Pater Suarez lib. 2. de Angelis cap. 19. art. 3. num. 3. non ſolum poſſe, ſed hoc de facto accidere in hominibus reſpectu Dei cognitio mediantibus creaturis, quem poſt modum immediatè cognoſcimus ſolum cogitando de ipſo, & de nulla alia creatura. Adducitque in ſui favorem D. Thom. q. 8. de verit. artic. 3. ad 18. vbi ſic habet: *quando aliquid cognoſcitur per ſimilitudinem in effectu ſuo exiſtentem, poteſt motus cognitionis trãſire ad cauſam immediatè ſine hoc quod cogitetur de aliqua re, & hoc modo intellectus viatoris poteſt cogitare de Deo non cogitando de aliqua creatura.* Adducit etiam pro ſe D. Dionyſiũ cap. 1. de myſtica Theologia ſub initio vbi Thimotheum hortatur his verbis: *Prætermitto, & ſenſus, & mentis actiones ea, quæ omnia, quæ & ſub ſenſum cadunt, & omnino cernuntur, & quæ non ſunt, & quæ ſunt omnia, teque ad eius, qui omnem eſſentiam, omnemque ſcientiam ſuperat, coniunctionem, & vnitatem pro virili parte clam excita. Libero enim, ſolutoque, ac liquido à te, & ab omnibus diſceſſum ad divi-*

na-

Digitized by Google

narum tenebrarum radium, qui omni eſſentia ſuperior eſt, contendes, cum & omnia dimiſeris, & ab omnibus ſolutus fueris, & liber. Suarium ſequitur Pater Eſparça hic tomo ſuo de Angelis parvo q. 16. art. 3. & 4. cuius verba placuit adducere ibi, quicumque igitur Deum cognoſcit in creatura, ſeu mediante creatura, poteſt deinde cognoſcere, ac contemplari eundem mediante ſola priori cognitione, eademque conſiderata ex vi ſpeciei memorativæ, quam de ſe reliquit in intellectu, cum deſiit eſſe, ſecundum ſe: patet itaque intellectum humanum, tum maxime Angelicum, poſſe in hoc ſenſu immediatè cognoſcere, & contemplari Deum naturaliter; ita videlicet vt nulla res creata ſecundum ſuum eſſe phyſicum actualiter moveat intellectũ ad cognoſcendum Deum, ſed poſsit ipſe actualiter cognoſci nulla alia re creata actualiter cognita. Cæterum neceſſe eſt, vt iuvet intellectum ad huiuſmodi conſiderationem Dei aliquod veſtigium relictum in intellectu ab obiecto creato, quod primitus excitavit ad cognoſcendum Deum, nempe vt iuvet; vel cognitio reflexa prioris cognitionis de Deo, quatenus erat ſimilitudo expreſsiva Dei, vel ſpecies memorativa eiuſdem prioris cognitionis, quæ proinde ſimul obijciat intellectum, & eandem priorem cognitionem, & Deum.

984 Meum aperiam ſenſum duobus dictis. Dico primo, nequit Angelus ſic immediatè Deum cognoſcere quod de nulla re creata cogitet niſi de Deo. Prob. nam ſupra ad longum probavimus, Angelum neceſſario quoad exercitium ſe primario cognoſcere, & Deum in ſeipſo ſecundario: ergo nequit Deum cognoſcere, quod ſaltim de ſe non cogitet. Patet Conſ. nam vt Angelus ſolum de Deo cogitaret, & non de aliqua re creata, debebat indiſpenſabiliter ceſſare à ſui cognitione; ſed ab hoc ceſſare nequit, cum neceſſariò etiam quoad exercitium ſe cognoſcat: ergo. Deinde hoc probo, auctoritate D. Thom. ab adverſarijs adducta! Etenim argumentum 18. tale erat: *illud immediatè videtur, de quo cogitamus non cogitando de aliquo altero; ſed Angelus naturali cognitione poteſt cogitare de Deo ſine hoc quod cogitet de aliqua creatura: ergo poteſt videre Deum immediatè.* Ecce argumentum procedens de Angelo. Videamus ſolutionem. *Quando aliquid cognoſcitur per ſimilitudinem in ipſo exiſtentem, poteſt motus cognitionis tranſire ad cauſam immediatè ſine hoc quod cogitetur de aliqua alia re, & hoc modo intellectus viatoris poteſt cogitare de Deo, nõ cogitando de aliqua creatura.* Ecce ſolutionem de intellectu hominis viatoris: negat ergo D. Thom. Angelo quod concedit homini viatori, & hoc ideo quia homo viator, cum libere cognoſcat effectus Dei, poteſt ab illorum ceſſare cognitione; & ſoli Deo per cognitionem adhærere: Angelus autem, licet alia à ſe libere cognoſcat, ſe ipſum tamen neceſſariò omni neceſsitate cognoſcit, & ſic nequit de Deo cogitare, quin de ſe ipſo cogitet.

Sed dices, ita eſſe ſicut ratio noſtra convincit, quod Angelus ſic immediatè Deum non cognoſcat, quod de nulla re cogitet niſi de Deo, ſi attendantur omnes cognitiones, quas habet Angelus; ſed difficultas eſt, an poſsit habere Angelus cognitionem de Deo, vi cuius ſolum cognoſcat Deum, quidquid ſit de alijs cognitionibus, quibus neceſſariò ſe ipſum cognoſcit? Reſpondeo, non poſſe Deum cognoſcere ſic immediatè, quod per aliquam ſimilitudinem Dei exiſtentem in creatura non cognoſcat. Hoc probo adducendo doctrinam D. Thom. iã adductam magis ad longum. Reſpondet D. Thom. prædicto argumento 18. ſic: *dicendum, quod imago Dei dupliciter poteſt conſiderari: vno modo, in quantum eſt res quædam, & cum ſit res diſtincta ab eo, cuius eſt imago, per modum iſtum alius erit motus virtutis cognoſcitivæ in imaginem, & in id, cuius eſt imago; alio modo conſideratur, prout eſt imago, & ſic quando aliquid cognoſcitur per ſimilitudinem in effectu ſuo exiſtentem, poteſt motus cognitionis tranſire ad cauſam immediatè, ſine hoc quod cogitetur de aliqua alia re, & hoc modo intellectus viatoris poteſt cogitare de Deo non cogitando de aliqua creatura.* Sic D. Thom.

Ex quibus ſic argumentor, hæc cognitio de Deo indiſpenſabiliter habetur per ipſum effectum, in quantum ſimilitudo, & imago Dei eſt: igitur talis cognitio Dei non præſcindit à creatura vt imagine Dei, licet præſcindat ab alijs creaturis cognitis ſecundum quod quædam res ſunt. Secundò, iuxta D. Thom. hæc cognitio de Deo habetur, quia loquendo de motu cognitionis in imaginem Dei, vt imago eſt, & non vt res eſt, idem eſt motus in imaginem, & in Deum imaginatũ: igitur præfata cognitio Dei non præſcindit à creatura vt imagine. Sed quia per talem imaginem ſolus Deus imaginatur, & non aliqua creatura, ideò talis cognitio dicitur eſſe ſolius Dei,

ſic,

Digitized by Google

ſic, quod de nulla alia re cogitetur (intellige) tanquam imaginata; non verò quod non cogitetur de illa vt imagine: nam intelligibile eſt Deum per creaturā vt imaginem cognoſcere præſcindendo à cognitione creaturæ, vt imago eſt. Et ſic intelligitur illud dictum D. Thom. *tranſire poteſt immediatè in cauſam tanquam in rem imaginatam*, quia imago non repræſentat ſe ipſam vt imago, ſed Deum, à quo deducta eſt. Sed quia creaturam eſſe Dei imaginem nō eſt primarium in creatura, ideo etiam illa cognitio per creaturam vt imaginem non eſt cognitio Dei primaria, ſed ſecundaria.

Sed quid dicendum, ſi poſtquàm Deum ſic cognovit per creaturam vt imaginem, omnino deperdatur cognitio creaturæ etiā vt imaginis? Tunc dico ſecundo, tunc ex ſpeciebus præconceptis primæ conceptionis creaturæ vt imaginis poteſt intellectus noſter (in quo ſolum caſus locum habet) formare ſibi aliquam ſimilitudinem obiectivam Dei, & tunc Deum repræſentabit illi talis ſimilitudo, & per illam Deū cognoſcet, ſic, quod nullam creaturam phyſicam conſideret, ſed ſolum attendendo ad ſimilitudinem intentionalem, Deum cognoſcet, & in hoc ſenſu intelligitur Dionyſius in loco ſupra adducto.

QVÆSTIO XIV.

De volitione Angelorum.

POST Conſiderationem eorum, quæ ſpectant ad cognitionem Angelorum, ſequitur conſideratio eorum, quæ ad eius volitionem ſpectant: pro quorum exacto examine præſentem agitamus quæſtionem.

§. I.

An poſsit dari ſubſtantia intellectualis, quæ volitiva non ſit?

985 ANGELVS Habere de facto voluntatē conſtat ex ſcriptura ſacra. Sic enim habetur Apoc. 7. vbi introducuntur Angeli dicentes ad alios Angelos, *nolite nocere terræ, & mari.* Et 1. Petri 1. *in quem deſiderant Angeli.* Inquirimus ergo radicem, per quā a priori probatur Angelos eſſe volitivos, an videlicet huius in cauſa ſit eſſe cognoſcitivos; ideoque inquirimus ex terminis. An poſsit dari ſubſtantia intellectiva, quæ volitiva non ſit? Et cum cō̄muni ſenſu Theologorum concluſio negativa tenenda eſt. Nequit dari intellectivum, quod non ſit volitivum. Multa probant efficaciter hanc veritatem. Primò à poſteriori; quia ſi poſſibilis eſſet gradus intellectionis non volitivus, de facto deberet dari talis gradus; quod tamen experimur eſſe falſum: ergo. Prob. ſequela, nam vniverſum debet conſtare, vt integrè perfectum ſit, ex omni gradu naturæ poſsibili; at intellectivum non volitivum eſſet gradus naturæ intellectualis poſsibilis: igitur vniverſum non eſſet perfectum, ſi talis gradus poſsibilis eſſet, & de facto nō daretur. Secundo, experimur vniverſaliter quod formam naturaliter poſſeſſam conſequitur appetitus innatus, qui naturalis dicitur; & formam poſſeſſam per actum apprehenſionis, ſi apprehenſio ſenſitiva ſit, conſequitur appetitus elicitus, qui & animalis dicitur, & ſi apprehenſio ſit intellectiva conſequitur appetitus elicitus, qui dicitur rationalis, vel intellectivus: ergo ratio appetitivi ſemper ſequitur ad quamcumque naturam. ergo natura intellectiva neceſſariò debet eſſe volitiva.

Tertio Prob. nam cum Deus ſit ipſa eſsētia bonitatis, omnia operatur quia bonus, & omnia ordinat ad propria bona conſequēda iuxta modum propriæ capacitatis; ſed intellectivum, quodcumque illud ſit, ſicut per proprium actum elicitum intellectus eſt capax perveniendi ad bonum, ita & eſt capax perveniendi ad bonum per appetitum elicitum ipſius boni: igitur nequit dari cognoſcitivum, quod non ſit appetitivum. Prob. Min. bonum apprehenſum naturaliter allicit apprehendentē ad ſui amorem, vt hoc mediante, cum ipſo phyſicè coniungatur: nam ſi inter apprehenſionem boni, & eius conſequutionem non mediaret amor movens potentiam acquiſitivam boni, cognoſcens nunquam bonum, quod apprehenderet, conſequeretur: igitur intellectivum, quodcumque illud ſit, ſicut eſt capax per actum elicitū intellectus pervenire ad bonum, ita & eſt capax pervenire ad illius conſequutionem per actum elicitum appetitus. Secundo hoc ipſum probatur ipſa experiētia, qua percipimus quod quantumvis bona aliqua apprehendamus, ſi tamen ea non deſideramus, nunquā ad eorum movemur conſequutionem: ergo intellectivum non ſe ordinat ad bonum conſe-

quu-

Digitized by Google

quutionem, niſi mediante appetitu elicito: concludamus ergo nullum eſſe poſsibile apprehenſivum, quod non ſit appetitivum, & cum Angeli ſint perfectè intellectivi, fateamur ex hoc oriri in illis, quod pariter volitivi ſint. Plura de hac veritate diximus ſupra in tractatu de voluntate Dei, ideoque his paucis contenti ſumus. Si tamen huic objiciunculæ ſatisfaciamus.

986 Objicies contra concluſionem. Apprehenſivum boni non conſequitur univerſaliter loquendo ratio appetitivi: ergo apprehenſivum non eſt radix appetitivi. Prob. Antec. ſenſus externi vere apprehendunt bonum; & tamen ſicut datur ſenſus externus apprehenſivus, non datur ſenſus externus appetitivus: ergo. Conſ. eſt bona, Maj. certa, & Min. vincitur etiam eſſe nota, quia talem externum appetitum non experimur in nobis, & etiā quia teſte Philoſopho cognitio boni abſque actu æſtimativæ non movet appetitum; cum ergo non detur æſtimativa externa, non dabitur externus appetitus. Confir. intellectiones purè ſpeculativæ aliquorum bonorum non movent, & alliciunt appetitum ad ſui amorem; igitur non eſt univerſaliter verum, quod rationem apprehenſivi ſequitur ratio appetitivi. Probat. Antec. ex hoc enim quod intellectus ſpeculetur hanc veritatem, *quatuor, & tria ſunt ſeptem, triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis* voluntas non allicitur ad aliquid appetendum: ergo.

Ad hoc argum. aliqui recentiores negant Ant. ad Prob. ſimiliter negant quod non detur appetitus externus, quia experientia conſtat, aliqua viſibilia nos exterius delectare, & contriſtare alia: delectatio autem, & triſtitia actus appetitus ſunt. Sed manifeſte iſti ſe opponunt Philoſopho in loco in argumento adducto. Qui dicit quod cognitio boni non movet, ubi non eſt æſtimativa, quod Philoſophus ſolū dixit propter ſenſus externos: nam in internis adeſt æſtimativa, & ſolum in externis non adeſt. Nec valet ſolutio, quæ dictat Philoſophū ſolum requirere æſtimativæ actum diſtinctum ab ipſa perceptione ſimplici objecti in ordine ad amorem, vel fugam objecti; non vero in ordine ad delectationem, & triſtitiam, quarum prima eſt de bono præſenti, & altera eſt de malo præſenti. Non (inquam) valet, nam nec delectatio eſſe poteſt niſi de bono præſenti amato, nec triſtitia eſſe poteſt niſi de malo præſenti odio habito: ſi ergo ſenſus externi perceptio nō ſufficit ad movēdum ad amorem boni, vel ad fugam mali, non poterit ulla via movere ad delectationem, vel ad triſtitiam.

Præterea eſt alia ratio convincens hoc ipſum. Etenim appetitus, cum tantum ſit boni, & convenientis, non poteſt moveri niſi à bono apprehenſo ut bono, & ut convenienti; nullus autem ſenſus externus apprehendit formaliter bonitatem, & cōvenientiam, vel diſconvenientiam, & ſic appetitui nequit proponere appetibile: quod patet diſcurrendo per ſingulos ſenſus externos. Viſus ſolum ſiſtit in ratione lucidi colorati, quod autem illud lucidum coloratum ſit conveniens, vel nocivum videri, non apprehēdit viſus, ſic de auditu, & aliis: non ergo apprehenſio horum ſenſuum poteſt fundare immediatè appetitum; ſed quia apprehenſiones internæ ſunt, & cauſantur ex externis, & iſtæ ad cauſationem internarum ordinantur, fit inde, quod dum internæ media æſtimativa alliciunt appetitum ad bonum, & conveniens, & ſic fundāt appetitum internum: etiam externe mediatè, & per internas apprehenſiones appetitū internum movent, & ſic ſufficit unus appetitus pro omni ſenſu. Hæ autem rationes non militant pro intellectivo, quod perfectiſsime apprehendit per ſe bonitatem, malitiam, convenientiam, & diſconvenientiam objectorum, & ſic poteſt ſe ipſo per ſuam apprehenſionem movere appetitum ad ſuos actus. Nec eſt verum, quod dum quis videt objectum pulchrum, in ſenſu externo ſit delectatio, & quando videt rem horridam ſit in eo triſtitia; ſed illa delectatio, & triſtitia ſunt in parte ſenſitiva interna, quæ apprehendit in pulchro viſo convenientiam, & in deformi triſtitiam. Ad confir. dico, quod cum voluntas feratur ad res, prout in ſe ipſis ſunt, ut ex vi intellectiva voluntas inferatur, non eſt neceſſe, quod ad quamlibet apprehenſionem ſequatur aliquis actus appetendi, ſed ſufficit, quod non poſsit dari actus appetendi niſi ex parte intellectus præſupponatur actus, quo bonum ut amabile, vel fugabile proponatur voluntati, & ſic dato quod ad præfatas apprehenſiones purè ſpeculativas non ſequantur actus appetendi in voluntate, non convincitur, quod aliquid ſit cognoſcitivum, & non appetitivum.

(†)

Utrum

Digitized by Google

§. II.

Vtrùm intellectus, & voluntas realiter inter ſe, & à ſubſtantia diſtinguantur?

987 SVPRA Agẽtes de Angeli ſubſtantia vidimus ſubſtantiam Angelicam nõ eſſe ſuas potentias operativas; ſed realiter diſtingui ab illis, & illas inter ſe realiter quoquè diſtingui; ſed quia Pater Eſparça hic mordicus prętendit identificare ſubſtantiam Angeli cum ſuo intellectu, & voluntate, & vim intellectivam cum vi appetitiva, ideo placuit iteratò de hoc ipſo agere. Sed ne iteratò repetamus quæ ibi diximus, hic tantum fundamenta huius auctoris diſſolvemus. Affirmo ergo cum D. Thom. hic q. 59. art. 2. & alibi pluriès ſubſtantiam Angeli diſtingui realiter à ſuis potentijs, intellectu, & voluntate, ipſaſquè potentias inter ſe realiter diſtingui: Quod ad longum ſuprà probavimus facto rigoroſo examine rationum, quibus D. Thom. hanc probat veritatem. Fundatur ergo Eſparça ad aſſerendum oppoſitum primò, quia quò vnumquodque eſt perfectius, eò magis participat perfectionem eſſentiæ divinæ; ſubſtantia autem intellectualis eſt perfectior ſimpliciter ſuis accidentibus, ſaltim connaturalibus, quia eſt eorum finis, & prima radix: cum ergo natura divina ſit immediatè operativa, atquè hoc ad eius perfectionem pertineat, negari minimè debet, quin ſubſtantia intellectiva ſit ſimiliter immediatè operativa, potius quàm accidẽs quodlibet eidem ſubſtantiæ connaturale: præſertim cum ad hoc non requiratur infinitas. Itaquè vis huius conſequentiæ eſt iſta. Subſtantia perfectius participat eſſentiam divinam, quam accidentia eam participent, ſed accidentia eam participant quoad hoc quod eſt eſſe immędiatè per activa: ergo & ſubſtantia à fortiori eam quoad hoc participabit.

Reſp. in forma, diſt. Mai. in eo, in quo eſſentia divina poteſt participari à ſubſtantia, & accidenti, Conc. Mai. in eo, in quo tantum participabilis eſt ab accidenti, nego Mai. & Conc. Min. nego Conſ. Itaquè prædicata divina ſunt in duplici differentia: alia indifferenter ſunt participabilia à ſubſtantia creata, & accidentibus; & quoad iſta prædicata perfectius ſubſtantia participat eſſentiam divinam, quam accidens: vnde quia quoad eſſe participabilis eſt eſſentia divina à ſubſtantia, & accidenti, perfectiùs illam participat ſubſtantia, quàm accidens; ſi quidem illa eſt per ſe, & accidens ſolum ineſt: ſunt alia prædicata, quæ non ſunt cõmunicabilia ſubſtantiæ, & ſunt communicabilia accidenti v. g. ratio entis ſupernaturalis participalis eſt ab accidenti, & non à ſubſtantia ſaltim completa; & in his falſum eſt, quod ſubſtantia perfectius participet eſſentiam divinam quàm accidens, quia perfectius participare debet ſupponere participationem perfectam vtrique poſſibilem, vnde quia ratio ſupernaturalitatis non eſt participabilis à ſubſtantia creata, non valet hæc Conſeq. *ſubſtantia creata perfectius participat eſſentiam divinam quàm accidens; ſed hoc participat eſſe ſupernaturale: ergo & ſubſtantia*: ſubſtantiã autem divinã eſſe immediatè operativam non eſt de prędicatis communicabilibus ſubſtantiæ creatæ, & accidentibus; vnde ex hoc quod ſubſtantia creata perfectius participet eſſentiã divinam quam accidẽs, non infertur, quod ſi hoc illam participat quoad eſſe immediatè operativam, ita & ſubſtantia quoad hoc etiam eſſentiam divinam participet, Quarè autem eſſe immediatè operativum poſſit participari ab accidenti, & nõ à ſubſtantia? Ea eſt ratio, quia ſicut in divina ſubſtantia eſſe, & operari eiuſdem generis ſunt, cum vtrumque ſubſtantia ſit, ita in accidenti eſſe, & operari eiuſdem generis ſunt, cum vtrumque accidens ſit: cuius oppoſitum habetur in ſubſtantia, cuius eſſe ſubſtantia eſt, & operatio accidens; hinc cum in primo eſſentiam divinam imitetur accidens; & ſubſtantia creata imitari non poſſit, ita in ſecundo accidens eſſentiã divinam imitatur, & non ſubſtantia.

988 Secundo fundatur hic auctor in eo, quod potentiæ ſecundum noſtram ſententiam effectivè promanant ab anima: ergo iam enim eſt operativa immediatè ſuarum potentiarum. Quod ſi dicas, potẽtias non provenire ab anima per veram effectionem, ſed per puram reſultantiam, & ſic non ſequi animam eſſe immediatè operativam. In contra arguit, quia vel illa reſultantia non excludit verum proceſſum ab anima per veram efficientiam, vel ſolum dicit exigentiam animæ ſuarum potentiarum: ſi primum, habetur intentum, quod videlicet ſubſtantia vere efficiat ſuas potẽtias; ſi ſecundum dicatur, ſcilicet, quod anima non efficit, ſed exigit, pariter poſſet dici quod nulla cauſa creata vere efficiat ſuos proprios effectus, ſed tantum exigat

eo,

eorum productionem; quod ſtultum, & ridiculum eſt: ergo. Prob. ſequela, quia fundamentum vnicum, vel certe præcipuum tribuendi ſingulis quibuſcũque cauſis creatis veram, ac propriam efficientiam reſpectu peculiariũ effectuum fundatur in ea experientia, qua conijcimus quoſdam effectus exiſtere in præſentia quorundam cauſarum, alios vero in præſentia aliarum, eoſdemque non dari abſentibus, ſimulque dari mutuam proportionem, & iuſtam correſpondentiã perfectionis repertę in talibus, & effectibus & cauſis. Hæc autem duo eminent multo magis in vnaquaque ſubſtantia reſpectu ſuarum proprietatum, quæ videlicet participant plurimum de perfectione ſuarũ ſubſtantiarum, iiſdemque præſentibus protinus exiſtunt ſumma cum neceſsitate naturali, & cum eaedem iiſdem deficientibus deficiunt: ergo ſi liceret dicere proprietates non produci verè, & propriè à ſubſtantia, cuius ſunt proprietates, ſed ad exigentiam eius produci adæquatè ab alia cauſa, liceret quoquè dicere, omnes alios effectus procedere a cauſis ſecundis ſolum impropriè ratione exigentiæ abſque vlla earum efficientia propriè tali.

Quod cõfirmat primò, nam poſitis talibus potentijs realiter diſtinctis à ſubſtantia, effectus verè, & propriè ab eis potentijs effici, & non tantum reſultare ex illis exactivè dicuntur; impoſsibile eſt autem aſsignare rationem, cur aliter procedant ab eiſdem potentijs: ergo aſſeverandum erit potentias verè effectivè procedere à ſuis ſubſtantijs. Secundò confirmat, quia aqua calida per ſe inde reddit vi ſua ad priſtinam frigiditatem, atquè frigefacit alia corpora, dum ipſa frigida eſt: ergo vtrobique agnoſci debet idem genus propriè cauſalitatis, & efficientiæ: igitur fatendum erit, ſubſtantiam habere identitatem cum aliqua vi ſua naturali proximè activa. Ad hoc Argum. bene reſponſum eſt: exigit enim anima, quod cauſa ſui creativa per veram efficientiam ſicut primariò dedit ei eſſe ſuum formæ, per ipſammet actionem det efficienter ei ſecundariò proprietates cum forma neceſſario cõnexas, & ſic poſita forma per actionem creantis animam, verè, & propriè efficiuntur potentiæ animæ tanquam quid conſequutum: vnde non eſt neceſſe, quod inter proprietates, & animam mediet vera actio animę, qua proprietates vere efficiãtur. Et ad primam replicam, nego ſequelã Mai. ad Prob. nego Mai. non enim omnes effectus fiunt ſecundariò, & per modũ cõnſequij aliorum primò productorum: homo enim primò, & per ſe producitur ab homine, ignis ab igne, & ſic requiritur, quod inter hominẽ producentẽ, & hominẽ productũ primò, & per ſe mediet vera actio productiva, & non ſolum exigentia; proprietates autem fiunt ſolum ſecundariò ab agente primariò producente eſſentiam ſub eſſe, & ſubſiſtere, & ſecundario verè efficiente tales proprietates, & ſic licet ſecundum bonam metaphyſicam dicere, quod proprietates non procedunt ab anima per veram efficientiam animæ; non autẽ hoc licet dicere de alijs effectibus per ſe primò productis à ſuis cauſis.

Ad primam confirm. nego Min. cuius iam rationem dedimus. Ad confirm. nego Antec. nam reductio ad priſtinam frigiditatẽ fit per actionem generantis aquã, ad quod pertinet, ſicut per verã ſuam actionem producere proprietates aquæ, ita & amiſſas recuperare; frigefacere eſt aquæ per veram eius actionem, quia eſt primo producere frigiditatẽ in alijs à ſe, quod nõ eſt generantis aquam, ſed ipſius aquæ genitæ.

989 Tertium fundamentum eſt deſtruere rationem Thomiſtarum, qui probant quod ſubſtantia non eſt immediatè operativa, quia nequit immediatè ordinare ad ſuam operationem. Hoc enim (inquit) eſt falſum: ergo. Min. Prob. Nam vnumquodque per ſe ipſum immediatè ordinatur ad finem ſuum; & operatio eſt finis vniuſcuiuſque ſubſtantię, præcipuè ſi operatio ſit beatitudo, & fœlicitas, qualiter contingit in ſubſtantijs intellectualibus, quæ ſunt, vt beatæ ſint: igitur ſubſtantia eſt immediatè ad ſuam operationem ordinata. Confirm. quando perfectibile eſt cauſa ſuæ perfectionis, non eſt inconveniens, quod immediatè ordinetur ad ſuam perfectionem, vt cauſa efficiens ad ſuum effectũ; ſed ſubſtantia eſt cauſa efficiens propriæ operationis: ergo nullum erit inconveniẽs in eo, quod vt cauſa efficiẽns immediatè ordinetur ad ſuam operationem. Confirm. ſecundo, nam actiones ſunt ſuppoſitorum, & ſubſtantijs potius quam accidentibus, quæ illis inſunt attribuuntur, quando operationes ſunt connaturales, & non ſolum per accidens dicuntur eis convenire; hoc autem verificari nequit ſi ſubſtantię non ſint immediatè operativæ: ergo. Prob. Min. quia rei nihil agenti immediatè per ſe ipſam immediatè nulla actio propriè attri-

tribui poteſt, ſicut nec paſsio attribui poteſt niſi patienti immediatè: ergo non poſſet verificari, quod actiones ſunt ſuppoſitorum, ſi ponatur ſubſtantias immediatè per ſe ipſas nihil agere.

Ad hoc, nego Min. ſcilicet, quod falſum ſit ſubſtantiam immediatè non ordinari ad operationem. Ad Prob. diſt. Mai. vnumquodque per ſe ipſum immediatè ordinatur ad finem ſuum iuxta qualitatem finis, conc. Mai. vltra qualitatem finis, nego Mai. & diſt. Min. ſed operatio eſt finis vniuſcuiuſque ſubſtantiæ, finis propter quem immediatè ſit ſubſtantia, nego Min. finis propter quem mediatè ſit ſubſtantia, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque cum ſubſtantia ſit ens per ſe, non eſt immediatè vt operetur, ſed vt ſit: & ſic ſolum immediatus finis ſubſtantiæ eſt eſſe, non vero operatio; vnde immediatè ordinatur ad eſſe, non vero ad operari.

Ad primam Confir. diſt. Mai. ſi perfectibile ſit ſubſtantia, & perfectio ſit accidens, nego Mai. ſi vtrumque accidens ſit, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque perfectibile, & perfectio per ſe inſpecta à perfectibili debent eſſe eiuſdem generis, ad hunc ſenſum, quod ſi perfectibile ſit ſubſtantia, perfectio immediatè ab ipſo inſpecta nequit eſſe accidens, alias daretur quod ſubſtantia ſit immediatè propter accidens, quod rectus naturæ ordo non permittit: ſi autem ſubſtantia eſſet immediatè operativa, principium proximè operativum per ſe ordinaretur ad operationem vt perfectibile ad ſuam operationem per ſe primò inſpectam, & per ſe primò ordinaretur ſubſtantia ad accidens, non ſola ordinatione efficientis ad effectum, ſed propriæ potentiæ ad ſuum actum per ſe, quod implicat, cum operatio accidens ſit. Ad ſecundam Confirmat. dico, quod actiones ſunt ſuppoſitorum *vt quod*, non *vt quo*, ſunt *vt quo* naturæ, radicaliter, & virtutis eius, proximè; quando autem inquirimus, vtrum ſubſtantia ſit ſua potentia activa? Non loquimur de ſuppoſito, ſed de natura: nam de ſuppoſito certum eſt à natura realiter diſtingui; cumque principium *quod* tantum ſit vnum, ſive ſubſtantia ſit immediatè operativa, ſive medijs ſuis virtutibus ab ipſa diſtinctis operetur, actio ſemper attribuetur ſuppoſito: quia in omni eventu debet attribui alicui, vt *quod* operanti, quod non eſt aliud niſi ſuppoſitum.

996. Quarto fundatur hic auctor in eo, quod neceſſe ſit aliquam actionem à ſubſtantia immediatè oriri, adhuc admiſſo quod potentiæ activæ realiter diſtinguantur à ſubſtantiâ. Etenim homo vt primò vellit operari, debet vti ſua voluntate ad volendum; at, ille vſus activè ſumptus non eſt à voluntate: ergo eſt à ſubſtantia. Conſeq. videtur bona, & Probantur præmiſſæ, Mai. quidem, nam ſi homo non applicat ſuam potentiam volitivam ad volendum, nunquam verificabitur de illo, quod vult; ſubduntur enim potentiæ hominis in elicientia ſuarum actionum homini: ergo ſi ipſe non moveat, & vtatur illis, vt vellit, ipſæ non exibunt in volitionem ſuam. Min. ſic Probo, nam ille novus vſus voluntatis ad volendum non eſt ipſa radicatio voluntatis, nam etiam cum homo dormit, ſubſtantia humana radicat voluntatem; & nihilominus non vtitur ea, neque movet eam vt vellit: ergo eſt actio nova ſubſtantiæ in voluntatem, vt agat, neceſſaria: ergo debemus fateri quod ſubſtantia aliquam veram actionem immediatè operetur.

Ad hoc Argum. nego Min. Ad Prob. diſt. Antec. non eſt ipſa radicatio voluntatis, voluntatis determinatæ ad volendum, nego Antec. voluntatis in ſtatu determinabilis, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque ſicut ſubſtantia eſt proximè volitiva per voluntatis radicationem, ita eſt proximè volens per voluntatem actu volentis radicationem, & eſt efficaciter determinata ad volendum per radicationem voluntatis à Deo, vel à ſe applicatæ efficaciter ad volendum: non ergo applicat voluntatem ad volendum per aliquam novam actionem ſubſtantiæ in ipſam voluntatem, ſed vtitur ipſa voluntate ad volendum per hoc, quod radicat voluntatem, quæ ſe ipſam movet quoad exercitium, ſicut & alias potentias hominis. Itaque totus homo determinatur ad volendũ per hoc, quod voluntas eius determinatur ad volendum, ſive determinatio ſit à Deo, ſive ſit à voluntate: vnde non eſt neceſſe, quod agat ſubſtantia hominis in voluntatem; nec enim voluntas eſt inſtrumentũ hominis, ſed eſt virtus eius adæquatè proximè activa: eſt ergo homo, qui intelligit per ſuũ intellectum proximè, & per ſuam ſubſtantiam mediatè, ſeu radicaliter; & homo eſt,

Digitized by Google

qui vult per ſuam voluntatem proximè, & per ſuam ſubſtantiam radicaliter, & mediatè. Nec hoc argumentum habet maiorem difficultatem in ſententia D. Thom. quam in ſententia huius auctoris. Ponamus enim quod ipſa ſubſtantia ſit ſua voluntas: inquiro, quando homo vult vti ſua ſubſtantia ad volendũ, communicat ne de novo aliquid per veram actionem propriæ ſubſtantiæ, quæ eius voluntas eſt? Si dicat quod ſic, inferam contra illum: ergo ſuppoſitum habet agere in propriam ſubſtantiam, quæ eſt eius principium *quo*, quod eſt magnum abſurdum, quia ſuppoſitum, cum ſolum ſit principium *quod* ſe ipſo immediatè, nequit agere: nam ad agendum requiritur *quod*, & *quo*; ſi dicat, quod nihil communicat; quomodo ergo de novo vtitur ſua ſubſtantia ad volendum, ſi ſemper in ordine ad illam eodem prorſus modo ſe habet? ecce eſt hic auctor in eadem difficultate, quam nobis obijcit, conſtitutus: ſolvat illã, & ipſa ſua ſolutione ſolvemus nos præfatã difficultatem.

§. III.

Vtrùm Angelus neceſsitate quoad exercitium neceſſario diligat ſe?

991 PARTEM negantem tenet Ferrarienſis 3. Contragent. cap. 109. illum ſequitur Vazquez hic, quæſt. 60. in commentario, articul. 3. Thomiſtæ autem communiter tenent oppoſitum. Vnde ſit concluſio. Angelus ſe ipſum amat neceſſariò neceſsitate quoad exercitium, ſic, quod non poteſt ceſſare à ſui amore. Prob. quia vt ſupra vidimus Angelus neceſsitate quoad exercitium ſe comprehenſivè cognoſcit: ergo & neceſsitate eadem ſe ipſum amat. Prob. Conſeq. ex paritate, & proportione, quæ ſervari debet inter intellectum, & voluntatem Angeli. Secundo Prob. eadem Conſeq. nam beati neceſſario Deum amant, quia neceſſariò Deum cognoſcunt: ergo dum Angelus ſe ipſum quoad exercitium neceſſariò cognoſcit, ſe ipſum quoad exercitium neceſſariò amabit.

Dices, cauſalem eſſe falſam, nam ratio, ob quam beati Deũ neceſſariò amant, non eſt, quia neceſſariò ſe vident, ſed quia bonum infinitum neceſſariò viſum, cum voluntatem noſtram adæquatè ſatiat, eam quoque quoad exercitium ad Dei amorem neceſsitat: cumque bonum Angelicum ſit bonum finitum, & particulare, non ſequitur, quod Angelus neceſſariò quoad exercitium ſe ipſum amet. Sed contra eſt. Nam licet bonum viſum eſſe infinitum ſit in cauſa neceſſarij amoris quoad exercitium, non tamen eſt cauſa adæquata, ſic, quod ex alio capite non poſsit voluntas neceſſario quoad exercitiũ bonum infinitũ amare: ſi enim per impoſsibile videns bonũ infinitũ non neceſſariò videret, non neceſſariò illud amaret; nam ſi neceſſariò non videret, non poſſet natura inclinare voluntatẽ ad amorẽ neceſſariũ boni infiniti: neceſsitas ergo amoris boni naſcitur ex neceſsitate cognitionis talis boni, dum ergo natura intellectualis inclinat intellectũ ad neceſſariò videndũ aliquod bonũ, debet inclinare neceſſariò ad amorẽ talis boni, ſive ſit finitum, ſive infinitũ tale bonum. Vnde ſic reformo rationem factam. Quamvis eſſe Angeli non ſit verum vniverſale, ſed particulare, tamen Angelus ex vi terminorum ordinatur ad ſui cognitionem intuitivam clarã, & evidentẽ: ergo licet eſſe Angeli non ſit bonũ vniverſale, tamen natura Angelica inclinabitur neceſſariò ad ſui amorem. Prob. Conſeq. nam obiectum voluntatis non eſt magis vniverſale, quam obiectum intellectus: ergo ſi ad aliquod verum particulare natura Angeli neceſſariò ordinatur, vt cognoſcat, ad aliquod bonum particulare neceſſariò inclinabitur, vt amet.

Deinde, Angelus nequit neceſſariò quoad exercitium ſe ipſum videre, niſi voluntas eius neceſſariò quoad exercitium vellit, vt videat; at hoc eſt neceſſariò Angelum ſe ipſum amare quoad exercitium: ergo ſi neceſſariò quoad exercitium ſe Angelus cognoſcit, eadem neceſsitate ſe amabit. Prob. Min. nam Angelum amare ſe quoad exercitium neceſſariò, nihil eſt aliud quàm neceſſariò quoad exercitium velle ſibi aliquod bonum; ſed velle quod Angelus ſe ipſum neceſſariò cognoſcat, eſt velle ſibi neceſſario quoad exercitium aliquod bonum, nempe, quod in perpetuum duret, vt in perpetuum ſe cognoſcat: ergo Angelum quoad exercitium neceſſario velle intueri ſe ipſum erit neceſſariò quoad exercitium amare ſe ipſum. Et quidem hoc argumento ex paritate cognitionis neceſſariæ quoad exercitium vſus eſt D. Thom. quæſt. 16. de malo, art. 2. ad 6. vbi ait; *Quod voluntas Angeli ſem-*

Digitized by Google

ſemper vult, ſicut intellectus eius ſemper intelligit: ergo dum ſe ipſum Angelus ſemper intelligit, ſeipſum Angelus ſemper vult.

992 Sed cum Angelus poſsit amare ſeipſum duplici amore, alio, quo ſolum vellit ſemper eſſe, & ſemper ſubſiſtere, ſemperque beatitudine naturali gaudere; qui amor ſubſtantialis dicitur, eo quod ſibi Angelus bonum proprium ſubſtantiale, & ſibi neceſſarium deſideret, & alio, quo bona accidentalia ſibi vellit, & ad ſeipſum ordinet: difficultas eſt, an Agelus vtroque amore ſeipſum neceſſariò quoad exercitium amet; an ſolum primo? Reſpond. ſolum amare ſeipſum neceſſariò quoad exercitium primo genere amoris, non ſecundo. Prob. hoc ex Div. Thom. hic quæſt. 60. artic. 3. vbi in Angelo reſpectu ſui ipſius diſtinguit duplicem dilectionem, aliam naturalem, qua ſibi ſuum eſſe, & ſubſiſtere deſiderat, aliam electivam, qua ſibi bona accidentalia deſiderat: igitur Angelus non ſeipſum quoad exercitium neceſſariò amat vtroque genere amoris, ſed tantum primo. Prob. Conſequent. quia dilectio electiva eſt libera. Secundo Prob. nam Angelus ex bonis ſibi abſolutè poſsibilibus, non tamen compoſsibilibus pro eodem tempore poteſt ſibi amare diviſivè ea, quæ cognoſcit eſſe præſtantiora, & ea, quæ cognoſcit eſſe minus præſtantia; omnia tamen ſibi efficaciter velle ſimul habere non poteſt, quia impoſsibile eſt ſimul affici cunctis illis: ergo liber eſt in eligendo amorem horum bonorum præ alijs: ergo in ordine ad hæc bona non amat ſeipſum neceſſariò, ſed liberè. Deinde amor neceſſarius quoad exercitium non ſuſcipit augmentum, ſic, quod modo ſit maior, deinde ſit minor, vel è contra; ſed cum ex bonis ſimul incompoſsibilibus præſtantiora bona ſibi vult, magis ſe amat, quam dum ex illis ſibi vult inferiora: igitur in ordine ad præfata bona Angelus non ſe amat neceſſariò neceſsitate quoad exercitium.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

993 CONTRA Primam reſolutionem arguitur. Angelus poteſt ceſſare ab amare ſui ipſius: ergo non amat ſe neceſſario quoad exercitium. Prob. Anteced. Angelus poteſt apprehendere quod neceſſario amare ſeipſum impedit illum ab hoc, quod eſt toto corde Deum diligere, vel ſaltim impedit illum ne ferventiori modo Deum diligat: ergo poteſt apprehendere vt maius bonum ceſſationem ab amore ſui, quam ſit bonum ſui amor: igitur liberè poteſt à ſui amore ceſſare. Confirm. amor ſui naturalis nec eſt ſummum bonum, neque conſequitur ad ſummum bonum, vt per ſe patet: igitur nequit ſe neceſſariò quoad exercitium amare. Prob. Conſequentia, nam ſola ratio ſummi boni poteſt Angeli voluntatem neceſsitare, ſiquidem ſolum poteſt neceſsitari à bono, quod adæquate ſatiat illam; ſed ſola ratio ſummi boni poteſt adæquate ſatiare Angeli voluntatē: ergo ſi amor ſui non habet rationem ſummi boni, nequibit Angelus quoad exercitium neceſsitare ad ſui amorem.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad Prob. nego Ant. nam cum ſeipſum amet in ordine ad Deum, amor ſui nequit impedire illum ab amore Dei, neque retardare illum vt Deum magis, & magis amet. Ad Conf. nego Conſ. ad Prob. nego Mai. nam Angeli volūtas ex duplici capite poteſt neceſsitari, nempe vel ex meritis obiecti, vel ex connaturalitate proprietatis: primam neceſsitatem habet à ſummo bono clare viſo; quod ex meritis ſuæ infinitudinis occludit omnes vias voluntatis, ſic, quod non relinquat libertatem ad oppoſitum: ſecundo modo neceſsitatur voluntas Angeli ab actu, quod per modum proprietatis ad ipſā conſequitur, & quia ad rationē proprietatis entis creati non requiritur ratio ſummi boni, ſit inde, quod etiā amor ſui non ſit ſummū bonū, tamē poſsit neceſſariò connecti cum voluntate Angeli.

Sed inſtas, actus amoris, quo Angelus diligit ſe, eſt proprius actus vitalis vere effectus ab ipſa voluntate Angeli: igitur nequit eſſe proprietas eius. Prob. Conſ. quia in noſtra ſententia proprietates alicuius non verè efficiuntur ab eo, cuius ſunt proprietates, ſed ſunt effectivè à generante: ergo ſi actus vitalis proprie efficitur à voluntate Angeli, nequibit eſſe proprietas ipſius. Ad hoc diſt. Conſ. igitur nequit eſſe proprietas eius exacta, & radicata, Conc. Conſ. exacta, & non radicata, nego Conſ. ad Prob. proprietates alicuius non verè efficiuntur ab eo, cuius ſunt proprietas, proprietates exactæ, & radicatæ, Conced. Anteced. proprietates ſolùm exactæ, nego Ant. & diſting. Conſeq. nequibit eſſe proprietas ip-

ipſius radicatæ, & exactæ; conc. Conſeq. ſolum exactæ, nego Conſeq. Itaque proprietates, vt ſupra diximus, ſunt in duplici differentia; aliæ ſunt exactæ, radicatæ in eſſentia, vt riſibile, & admirativum ſunt proprietates hominis; aliæ ſunt tantum exactæ vt motus cœli: ſpecies innatæ Angelis, & hæ aliæ exiguntur produci ab alio agente, ſicut cœlum exigit moveri ab Angelo; ſpecies impreſſæ à Deo, quia cum vitales non ſint, ab agente extrinſeco provenire poſſunt: aliæ ſunt actus vitales, & iſtæ exiguntur fieri à potentia vitali illius, cuius proprietates dicuntur, & ſic actus intellectus, quo Angelus naturaliter cognoſcit ſe, & actus voluntatis, quo naturaliter amat ſe, dicuntur proprietates Angeli, quia hic exigit eas habere à ſe ipſo vt à vero efficiente in primo inſtanti ſuæ creationis: vnde non ſunt à generante quoad ſui efficientiam, bene tamen quoad ſui exigentiam.

994 Secundo arguitur, ſi Angelus ſe diligeret neceſſario quoad exercitium, diligeret ſe ſecundum vltimum poſſe ſui, vnde ſicut cognitio, qua cognoſcit ſe, eſt ſui comprehenſiva, ita amor, quo diligit ſe, eſſet amor ſui comprehenſivus; at hoc eſt falſum; ergo non diligit ſe neceſſario quoad exercitium. Sequela patet, nam agens neceſſariò & per modum naturæ agit ſecundũ vltimum poſſe ſuum: ergo ſi Angelus neceſſario quoad exercitium diligeret ſe, diligeret ſe quantum ſe poſſet diligere, & ſic ſicut ſe comprehendit per intellectum, ſe comprehenderet per voluntatem, quia ſicut non eſt magis cognoſcibilis, quam ipſe poſſit cognoſcere, ita non eſt magis diligibilis, quam ipſe poſſit diligere. Min. vero Prob. nam Angelus poteſt ſe diligere quoad bona ſibi intrinſeca, & quoad bona extrinſeca: in ordine autem ad hæc non tantum in actu ſe diligit, quin magis, & magis poſſit ſe diligere: ergo falſum eſt quod Angelus diligat ſe ſecundum vltimum poſſe ſuum.

Ad hoc argumentum diſt. Maj. diligeret ſe ſecundum vltimum ſui poſſe, in eo ordine, in quo amor ſui neceſſarius eſt, conc. Maj. in omni ordine diligendi ſe, nego Maj. & diſt. Min. Conſeq. eſt falſum, ſi intelligatur de illo ordine, in quo ſui dilectio neceſſaria eſt, nego Min. ſi intelligatur de dilectione ſui in omni ordine, nego Min. & Conſeq. Itaque, vt ſupra dixi, Angelus duplicem habet ſui dilectionem; aliam, qua diligit ſe volendo ſuum eſſe, & ſuum ſubſiſtere, & alia ſibi neceſſaria, & in iſto ordine diligit ſe quantum ſe poteſt diligere; vnde etiam comprehenſivè in iſto ordine diliget ſe; aliam, qua diligit ſe in ordine ad bona accidentalia, quæ ſibi concupiſcit, & iſto modo dilectionis non diligit ſe quantum poteſt, ſed poteſt ſibi velle maiora bona, quam de facto vult, ſive ordinatè in ordine ad Deum, ſive inordinate; & cum receſſu à Deo, vt contingit in Angelis, dum erant in via, qui ex hoc peccaverunt, quod ſine ordine debito dilexerunt ſe.

§. V.

Vtrùm Angelus diligat Deum Auctorem naturæ neceſſario quoad exercitium?

995 QVI negant Angelum ſe neceſſario quoad exercitiũ diligere, negant ſimiliter Angelum Deum auctorem naturæ neceſſario diligere. Qui autem primum affirmant, hi quoque affirmant Angelum Deum diligere ſic quod ab eius amore, vt auctor naturæ eſt, nequeat ceſſare. Sic tenet Schola Thomiſtica. Pro cuius defenſione ſit concluſio. Angelus Deum auctorem naturæ neceſſario quoad exercitium diligit. Prob. nam cum Angelus ſe ipſum neceſſariò quoad exercitium comprehendat, eadem neceſsitate cognoſcit ſe in ſuo fieri, & conſervari adæquate dependere à Deo auctore naturæ: ergo eadem neceſsitate, qua ſe amat volendo ſuum eſſe, vivere, & conſervari, debet Deum auctorem, & ſui conſervatorem amare, volendo ipſi bona intrinſeca cum illo vt auctore naturæ neceſſariò connexa: ſicut ergo neceſſario quoad exercitium diligit ſe, ita eadem neceſsitate Deum ſui auctorẽ diligit neceſſario. Secundo, Angelus dũ neceſſario cognoſcit Deũ, ſic, quod ab eius cognitione ceſſare non valet, format iudiciũ invariabile de eo quod Deus ſummo amore dignus ſit: ergo & Deum auctorẽ naturæ amat invariabiliter: nam dictamen invariabile de Dei dilectione nequit non ſequi dilectio invariabilis Dei. Tertio, nam Angelus neceſſario quoad exercitium diligit ſe vt medium ad Deum vt ſui vltimum finem naturalem; ſed amor neceſſarius quoad exercitium mediorum ad finem præſup-

Digitized by Google

ſupponit amorem neceſſarium eadem neceſsitate ipſius finis: ergo Angelus neceſſario quoad exercitium diligit Deum vt Auctorem, & conſervatorem ſui.

996 Contra hanc veritatem obijcies primò, nam Angelus, quantumvis ſe intuitivè videat, & comprehendat, Deum tamen vt ſui auctorem nec comprehendit, nec intuitivè cognoſcit: ergo quamvis ſe neceſſariò diligat, non tamen Deum neceſſario diliget. Prob. Conſeq. nam dum Deus in ſe ipſo non videtur, ſemper in ceſſatione ab eius amore poteſt aliqua ratio boni repręſentari, quam voluntas poteſt ſequi, & ſic pro ſua libertate Deum non amare: ſi ergo Angelus Deum auctorem naturæ non videt, non Deum neceſſario quoad exercitium amabit. Ad hoc; nego Conſeq. Ad Prob. nego Antec. etenim dupliciter poteſt Deus vt auctor naturæ neceſſario amari, ſic, quod voluntas ab eius amore ceſſare non poſsit, primo, quia illũ amans neceſſario videt; ſecundo, quia licet illum in ſe non videat, videt tamen amans in ſe ipſo, quod à Deo in eſſe, & conſervari dependet, à qua viſione nequit ſeperari; eſto ergo Angelus Deum in ſe ipſo non videat, videt tamen neceſſariò quoad exercitium quod à Deo in fieri, & conſervari dependet, & ſic poteſt Deum eadem neceſsitate diligere.

997 Secundo obijcies, amor neceſſarius Dei quoad exercitiũ nequit componi cum odio Dei: ergo Angelus odio habens Deum, non amabit illum neceſſario quoad exercitium; tunc vltra, ſed Dæmon Deum odio habet: ergo Deum neceſſario quoad exercitium non diligit. Dices, Dæmonem odio habere Deum auctorem gratiæ, non tamen Deum auctorem naturæ: Sed contra; non eſt poſsibile odio habere Deum auctorem gratiæ, & Deum auctorẽ naturæ verè diligere: ergo ſi Dæmon Deũ odio habet auctorem gratiæ, non amabit Deum vt auctorem naturæ. Ad hoc, diſt. primum Antec. nequit componi cum odio Dei ſimpliciter, & omnibus modis, conc. Antec. cum odio præciſe vt iudicis infligentis acerbiſsimas pœnas pro peccatis, nego Antec. & diſt. Conſeq. non amabit illum neceſſario, vt auctor communis naturæ eſt, nego Conſ. non amabit illum ſub omni ratione amabilitatis, quæ in ipſo eſt, nego Conſ. Ad replicam, nego Ant. Itaque Dæmon odio habet Deũ, ex quo apprehẽdit illum vt iudicem ſeveriſsimè punientẽ peccata ſua, non tamen odio habet Deum vt communem auctorem naturæ: ſic enim eum apprehendit vt benefactorem dantẽ, & conſervantem ipſum in eſſe, & ſic odio habere Deum non poteſt: vnde odium Dei Dæmonis bene componitur cum amore Dei vt auctoris naturæ. Simili modo, quo Deus odio habet peccatorem vt peccatorẽ; non vero vt creaturam, aliàs peccatorem annihilaret: ſicut ergo bene componitur, quod Deus peccatorẽ odio habeat, & quod ipſum diligat in quantum verus effectus, & creatura Dei eſt; ita benè componitur quod Dæmon Deum odio habeat vt pœnarum iuſtiſsimum inflictorem, ex ſua depravata voluntate; & ipſum amet vt communem totius naturæ auctorem.

Sed inſtas, ſi Dæmon Deum auctorem naturæ diligeret, ſequeretur, quod Dæmõ aliqua bona opera faceret; at hoc non eſt dicendum: ergo. Conſeq. eſt bona, & Min. patet, quia obſtinatus in malo, qualis Dæmon eſt, nequit aliquod bonum facere, & Mai. Prob. dilectio Dei ſuper omnia auctoris naturæ bonum opus eſt: ergo ſi Dæmon Deum auctorem naturæ diligeret, aliquod bonum opus faceret. Secundo, homo in natura lapſa exiſtens, niſi à peccato ſanetur per gratiam, nequit Deum auctorem naturæ diligere ſuper omnia: ergo neque Dæmon in peccato mortali exiſtens poterit in ſe conſervare dilectionem Dei auctoris naturæ ſuper omnia. Tertio, dilectio Dei auctoris naturæ ſuper omnia non compatitur ſecum peccata mortalia contra Deum auctorem naturæ; ſed Dæmon peccat mortaliter, non ſolum contra Deum auctorem gratiæ, ſed etiam multoties contra Deum auctorem naturæ: igitur Dæmon non amat ſuper omnia Deum auctorẽ naturæ. Prob. Mai. averſio à Deo auctore naturæ non eſt compatibilis cum converſione ad ipſum vt auctorem naturæ; ſed per dilectionẽ Dei auctoris naturæ, quis convertitur ad Deũ auctorem naturæ; & per peccatum contra Deũ auctorẽ naturæ, quis avertitur à Deo auctore naturæ: ergo dilectio Dei auctoris naturæ, & peccatum mortale contra ipſum non poſſunt componi.

Ad primum diſt. Mai. ſequeretur quod Dæmon aliquod bonum opus faceret, phyſicè tantum bonum, conc. Mai. phyſicè, & moraliter bonum, nego Mai. & diſt. Min. ſed hoc nõ eſt dicendũ, loquẽdo de bono opere phyſicè, & moraliter bono, conc. Min. phyſicè ſolũ bono, neg. Min. & Conſ.

Digitized by Google

Itaque Dæmon Deum diligens ſuper omnia viciat moraliter talem actum, dum non vult ſubordinare ſe, & amorem ſuum ad Deum auctorem gratiæ, & ſic quamvis Deum diligat auctorem naturæ, bonum opus morale non facit, quia bonum opus morale eſt illud, quod ex nulla parte viciatur. Ad ſecundam, nego Conſeq. nam homo per peccatum amiſit integritatem naturæ, per quam Deum auctorem naturæ diligere poterat, & ſic niſi ſanetur per gratiam, Deum auctorem naturæ diligere non valet; Angelus autem per peccatum integritatem naturæ non amiſit, nam naturalia eius in nullo diminuta ſunt, & ſic poteſt ſe phyſicè conſervare in dilectione Dei auctoris naturæ. Ad tertiam, nego Mai. Ad Prob. diſt. Mai. averſio à Deo auctore naturæ non eſt compatibilis cum converſione ad Deum auctorem naturæ, cum converſione phyſicè, & moraliter bona, conc. Mai. cum converſione purè phyſica, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſeq. ergo dilectio Dei auctoris naturæ, & peccatum mortale non poſſunt componi in eo genere, in quo vnum eſt converſio, & alterum averſio, conc. Conſeq. in diſtincto genere converſionis, & averſionis, nego Conſeq. Itaque Dæmon phyſicè tantum ad Deum vltimum finem naturalem converſus eſt, ab ipſo tamen vt vltimo fine moraliter averſus eſt, & ſic eius dilectio componitur cum omni eo, quod à Deo auctore naturæ phyſicè non avertit: peccata ergo mortalia, quæ contra Dei legem naturalem facit, non avertunt phyſicè à Deo auctore naturæ, ſed tantum moraliter, & ſic benè componitur in Dæmone, & dilectio phyſica Dei, & moralis averſio per peccatum.

Sed inſtas, peccatum mortale contra Deum auctorem naturæ non ſolum eſt averſio moralis à Deo auctore naturæ, ſed etiam eſt phyſica: ergo non compatietur cum dilectione adhuc phyſicè tantum bona. Prob. Antec. odium Dei auctoris naturę eſt moralis, & phyſica averſio à Deo auctore naturæ; ſed peccatũ mortale contra legem Dei naturalem claudit in ſe odium Dei auctoris naturæ: igitur non compatietur cum dilectione Dei auctoris naturæ. Ad hoc, nego Antec. vniverſaliter loquendo. Ad Prob. diſt. Min. vniverſaliter loquendo, nego Min. non vniverſaliter loquendo, tranſ. Min. & diſt. Conſeq. vniverſaliter loquendo, tranſ. Conſeq. in Dæmone, nego Conſeq. Itaque Dæmon non peccat contra legem Dei naturalem ex odio, quod habeat ad ipſum vt auctorem naturæ, ſed quia ad ipſum rectè moraliter converſus non eſt, imò & moraliter eſt averſus, & ſic peccata Dæmonis contra legem Dei naturalem non includunt averſionem phyſicam, qualis eſt illa, quam dat odium Dei, ſed includunt averſionem moralem, quæ ſine Dei odio conſiſtere valet. In ſumma dico, quod Dæmon phyſicè Deum auctorem naturæ amat, & ab hoc amore nunquam avertitur, ſed quia non vult ſe ad Deum authorem gratiæ ordinare, ideo etiam circa ipſum Deum auctorem naturæ inordinavit ſe, dum noluit voluntarie ſervare ordinem debitum, qui inter Deum auctorem naturæ, & auctorem gratiæ Deus poſuit, dum Angelum ad Deum auctorem gratiæ elevavit, & tanquam ad vltimum finem ſimpliciter ordinavit, & ex hac inordinatione peccat quotieſcumque circa legem naturalem graviter peccat.

§. VI.

Vtrùm Angelus Deum auctorem naturæ pluſquam ſe ipſum diligat?

998 VAZQVEZ hic partem tenet negantem, quem pauci ſequuntur: affirmantem autem tenet D. Thom. hic, quæſt. 60. articul. 5. quem ſequitur eius Schola, & plures ex Ieſuitis cum Suarez lib. 3. de Angelis, cap. 5. & Martino Eſparza hic, quæſt. ſua 20. articul. 5. pro cuius defenſione ſit concluſio. Angelus Deum auctorem naturæ pluſquam ſe ipſum diligit. Prob. Angelus naturaliter cognoſcit Deum eſſe ſummum, & infinitum bonum tam in ratione vtilis, quã in ratione excellentis, ac proinde eſſe dignum, quod præferatur omnibus creaturis nulla facta exceptione: ergo dum neceſſariò Deum amat auctorem naturæ, Deum ſibi, omnibuſque alijs creaturis præfert. Patet Conſeq. nam modus amoris ſequitur in vnoquoque modum cognitionis; eſt enim voluntas potentia ſubordinata intellectui, eiuſque ductum ſequitur naturaliter: ergo dum cognitio Angeli neceſſariò quoad exercitiũ Deum præfert in amabilitate, quã proponit voluntati, etiã voluntas ca-

Digitized by Google

eodem neceſſitate debet Deum alijs omnibus creatis amando præferre.

Secundo Prob. quælibet pars naturaliter magis inclinatur in bonum totius, quam in bonum proprium, vt patet in manu, quæ naturaliter, & abſque deliberatione ſe exponit ictui ad conſervationem totius corporis, & in aqua, quæ contra propriam inclinationem aſcendit ſurſum ad vitandum vacuum totius naturæ deſtructivum. Quod ipſum invenimus in politicis: videmus enim quod bonus civis ſe exponit periculo mortis pro ſuæ reipublicę incolumitate, & bona conſervatione: cum ergo Deus ſit ſummum bonū, & finis vniverſi, totius naturæ comprehendens omne bonū, ſicut totū cōprehēdit ſuas partes, & quælibet creatura magis Dei ſit, quā pars totius, vel civis reipublicę, manifeſtum erit, quod Angelus magis inclinabitur ad Deum naturali dilectione quam ad ipſum.

Hæc ratio eſt D. Thom. hic, illi tamen acquieſcere renuit Scotus nam in 3. diſt. 27. quæſt. 2. dicit, falſum eſſe illud principium *pars naturaliter magis diligit totum, quam ſe ipſam*: ſimiliter dicit eſſe falſum quod *pars ſe exponat periculo mortis pro conſervatione totius*; ſed ſolum eſt verum quod totum, magis diligens ſe quam ſuas partes, exponit partem periculo, vt ſe ipſum in eſſe conſervet. Sed hæc doctrina Scoti non infringit rationem Div. Thom: nam ſive pars ſe exponat periculo, ſive totum exponat pro ſui conſervatione, tamen dum ſine aliqua reſiſtentia patitur talem expoſitionem, ſignum evidens eſt, quod magis inclinatur ad bonum totius quam ad proprium bonum: ſi enim hoc ita non eſſet, naturaliter reſiſteret pars exponenti illam. Pono exemplum, quia lapis v. g. magis amat bonum ſuum, quod eſt eſſe in centro, quam bonum proijcientis eum ſurſum, quamvis proijcienti obediat, tamen eius actioni reſiſtit, dum aſcendendo ſurſum gravitat: cū ergo pars, dum exponitur periculo pro conſervatione totius, nullam violentiam patiatur, ſignum ſit evidens, quod magis totum amat quam ſe ipſam, nam ſi magis amaret ſe ipſam, ipſam exponenti periculo reſiſteret pro poſſe ſuo.

Tertio Prob. Concluſio, ſi Angelus naturaliter ſe ipſum magis diligeret quam Deum, naturalis eius inclinatio eſſet perverſa; ſed hoc non eſt dicendum: ergo nec primum. Prob. Sequela; perverſa eſt inclinatio, quæ tendit ad magis diligendum medium quam finem; ſed Deus habet rationem finis, quælibet autem creatura rationem medij ad illum naturaliter ordinati: ergo ſi dilectione naturali Angelus magis diligeret ſe quàm Deum, perverſa eſſet talis inclinatio naturalis.

999 Obijcies contra concluſionem. Etenim Angelus vno indiviſibili amore naturali ſeipſum primò diligit, & Deum ſecundariò: ergo magis diligit ſe quam Deum. Patet Conſeq. nam inclinatio actus maior eſt ad obiectum primarium, à quo accipit ſpeciem, quam ad obiectum ſecundarium: ergo ſi ſe primariò naturaliter diligit, & Deum ſecundario, magis diliget ſe naturaliter quā Deum. Anteced. vero Prob. nam Angelus eadem cognitione, qua primario ſe comprehendit, Deum ſecundario cognoſcit: ergo & eodem amore, quo ſe primario naturaliter diligit, ſecundario Deum diligit. Prob. Conſequent. nam voluntas eo ordine fertur in ſua obiecta, quo intellectus in ſua: ergo ſi intellectus cognoſcit ſe primario, & Deum ſecundario, voluntas eius ſe diliget primariò, & Deum diliget ſecundario. Confirm. quia charitas ſupernaturalis habet Deum pro obiecto primario, & proximum, vel ipſummet amantem pro obiecto ſecundario, magis diligit Deum quam proximum: ergo è contra, quia charitas naturalis, qualis eſt voluntas Angeli, habet amantem pro obiecto primario, & Deum pro obiecto ſecundario, magis diliget amantem quam Deum ſolum amatum.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad Prob. nego Conſeq. Ad Prob. nego Antec. Itaque proceſſus intellectus eſt ab effectu ad cauſam, & ſic primarium obiectum eſt effectus, qui eſt ipſe Angelus, & ſecundarius eſt Deus, qui cognoſcitur in ſuo effectu: proceſſus autem amoris eſt à cauſa finali ad media, quæ amantur ex amore finis, cum finis non ametur ex amore mediorum, & ſic non eſt idem ordo in proceſſu amoris Angeli ad Deum, qui eſt in proceſſu cognitionis: vnde retorqueri poteſt argumentum. Etenim Angelus amat ſe propter Deum: ergo magis amatur Deus ab Angelo, quā ametur ipſe Angelus. Quod ex eo patere poteſt, quia charitas non pervertit ordinem naturæ, ſed elevat; ſed per

Digitized by Google

narum tenebrarum radium, qui omni eſſentia ſuperior eſt, contendes, cum & omnia dimiſeris, & ab omnibus ſolutus fueris, & liber. Suarium ſequitur Pater Eſparça hic tomo ſuo de Angelis parvo q. 16. art. 3. & 4. cuius verba placuit adducere ibi, quicumque igitur Deum cognoſcit in creatura, ſeu mediante creatura, poteſt deinde cognoſcere, ac contemplari eundem mediante ſola priori cognitione, eademque conſiderata ex vi ſpeciei memorativæ, quam de ſe reliquit in intellectu, cum deſinit eſſe, ſecundum ſe: patet itaque intellectum humanum, tum maxime Angelicum, poſſe in hoc ſenſu immediatè cognoſcere, & contemplari Deum naturaliter, ita videlicet ut nulla res creata ſecundum ſuum eſſe phyſicum actualiter moveat intellectũ ad cognoſcendum Deum, ſed poſsit ipſe actualiter cognoſci nulla alia re creata actualiter cognita. Cæterum neceſſe eſt, ut iuvet intellectum ad huiuſmodi conſiderationem Dei aliquod veſtigium relictum in intellectu ab obiecto creato, quod primitus excitavit ad cognoſcendum Deum, nempe ut iuvet; vel cognitio reflexa prioris cognitionis de Deo, quatenus erat ſimilitudo expreſsiva Dei, vel ſpecies memorativa eiuſdem prioris cognitionis, quæ proinde ſimul obijciat intellectum, & eãdem priorem cognitionem, & Deum.

984 Meum aperiam ſenſum duobus dictis. Dico primo, nequit Angelus ſic immediatè Deum cognoſcere quòd de nulla re creata cogitet niſi de Deo. Prob. nam ſupra ad longum probavimus, Angelum neceſſariò quoad exercitium ſe primariò cognoſcere, & Deum in ſeipſo ſecundariò: ergo nequit Deum cognoſcere, quòd ſaltim de ſe non cogitet. Patet Conſ. nam ut Angelus ſolum de Deo cogitaret, & non de aliqua re creata, debebat indiſpenſabiliter ceſſare à ſui cognitione; ſed ab hoc ceſſare nequit, cum neceſſariò etiam quoad exercitium ſe cognoſcat: ergo. Deinde hoc probo, auctoritate D. Thom. ab adverſarijs adducta! Etenim argumentum 18. tale erat: *illud immediatè videtur, de quo cogitamus non cogitando de aliquo altero; ſed Angelus naturali cognitione poteſt cogitare de Deo ſine hoc quod cogitet de aliqua creatura: ergo poteſt videre Deum immediatè*. Ecce argumentum procedens de Angelo. Videamus ſolutionem. *Quando aliquid cognoſcitur per ſimilitudinem in ipſo exiſtentem, poteſt motus cognitionis tranſire ad cauſam immediatè ſine hoc quod cogitetur de aliqua alia re, & hoc modo intellectus viatoris poteſt cogitare de Deo, nõ cogitando de aliqua creatura.* Ecce ſolutionem de intellectu hominis viatoris: negat ergo D. Thom. Angelo quòd concedit homini viatori, & hoc ideo quia homo viator, cum liberè cognoſcat effectus Dei, poteſt ab illorum ceſſare cognitione, & ſoli Deo per cognitionem adhærere: Angelus autem, licet alia à ſe liberè cognoſcat, ſe ipſum tamen neceſſariò omni neceſsitate cognoſcit, & ſic nequit de Deo cogitare, quin de ſe ipſo cogitet.

Sed dices, ita eſſe ſicut ratio noſtra convincit, quod Angelus ſic immediatè Deum non cognoſcat, quod de nulla re cogitet niſi de Deo, ſi attendantur omnes cognitiones, quas habet Angelus; ſed difficultas eſt, an poſsit habere Angelus cognitionem de Deo, vi cuius ſolum cognoſcat Deum, quidquid ſit de alijs cognitionibus, quibus neceſſariò ſe ipſum cognoſcit? Reſpondeo, non poſſe Deum cognoſcere ſic immediatè, quod per aliquam ſimilitudinem Dei exiſtentem in creatura non cognoſcat. Hoc probo adducendo doctrinam D. Thom. iã adductam magis ad longum. Reſpondet D. Thom. prædicto argumento 18. ſic: *dicendum, quod imago Dei dupliciter poteſt conſiderari; uno modo, in quantum eſt res quædam, & cum ſit res diſtincta ab eo, cuius eſt imago, per modum iſtum alius erit motus virtutis cognoſcitivæ in imaginem, & in id, cuius eſt imago; alio modo conſideratur, prout eſt imago, & ſic quando aliquid cognoſcitur per ſimilitudinem in effectu ſuo exiſtentem, poteſt motus cognitionis tranſire ad cauſam immediatè, ſine hoc quod cogitetur de aliqua alia re, & hoc modo intellectus viatoris poteſt cogitare de Deo non cogitando de aliqua creatura.* Sic D. Thom.

Ex quibus ſic argumentor, hæc cognitio de Deo indiſpenſabiliter habetur per ipſum effectum, in quantum ſimilitudo, & imago Dei eſt: igitur talis cognitio Dei non præſcindit à creatura ut imagine Dei, licet præſcindat ab alijs creaturis cognitis ſecundum quod quædam res ſunt. Secundò, iuxta D. Thom. hæc cognitio de Deo habetur, quia loquendo de motu cognitionis in imaginem Dei, ut imago eſt, & non ut res eſt, idem eſt motus in imaginem, & in Deum imaginatũ: igitur præfata cognitio Dei non præſcindit a creatura ut imagine. Sed quia per talem imaginem ſolus Deus imaginatur, & non aliqua creatura, ideo talis cognitio dicitur eſſe ſolius Dei,

hic,

Digitized by Google

ſic, quod de nulla alia re cogitetur (intellige) tanquam imaginata; non verò quod non cogitetur de illa vt imagine: nam intelligibile eſt Deum per creaturā vt imaginem cognoſcere præſcindendo à cognitione creaturę, vt imago eſt. Et ſic intelligitur illud dictum D. Thom. *tranſire poteſt immediatè in cauſam tanquam in rem imaginatam*, quia imago non repræſentat ſe ipſam vt imago, ſed Deum, à quo deducta eſt. Sed quia creaturam eſſe Dei imaginem nō eſt primarium in creatura, ideo etiam illa cognitio per creaturam vt imaginem non eſt cognitio Dei primaria, ſed ſecundaria.

Sed quid dicendum, ſi poſtquàm Deum ſic cognovit per creaturam vt imaginem, omnino deperdatur cognitio creaturæ etiā vt imaginis? Tunc dico ſecundo, tunc ex ſpeciebus præconceptis primæ conceptionis creaturæ vt imaginis poteſt intellectus noſter (in quo ſolum caſus locum habet) formare ſibi aliquam ſimilitudinem obiectivam Dei, & tunc Deum repræſentabit illi talis ſimilitudo, & per illam Deū cognoſcet, ſic, quod nullam creaturam phyſicam conſideret, ſed ſolum attendendo ad ſimilitudinem intentionalem, Deum cognoſcet, & in hoc ſenſu intelligitur Dionyſius in loco ſupra adducto.

QVÆSTIO XIV.

De volitione Angelorum.

POST Conſiderationem eorum, quæ ſpectant ad cognitionem Angelorum, ſequitur conſideratio eorum, quæ ad eius volitionem ſpectant: pro quorum exacto examine præſentem agitamus quæſtionem.

§. I.

An poſſit dari ſubſtantia intellectualis, quæ volitiva non ſit?

985 ANGELVS Habere de facto voluntatē conſtat ex ſcriptura ſacra. Sic enim habetur Apoc. 7. vbi introducuntur Angeli dicentes ad alios Angelos, *nolite nocere terræ, & mari.* Et 1. Petri 1. *in quem deſiderant Angeli*, inquirimus ergo radicem, per quā a priori probatur Angelos eſſe volitivos, an videlicet huius in cauſa ſit eſſe cognoſcitivos; ideoque inquirimus ex terminis. An poſſit dari ſubſtantia intellectiva, quæ volitiva non ſit? Et cum cōmuni ſenſu Theologorum concluſio negativa tenenda eſt. Nequit dari intellectivum, quod non ſit volitivum. Multa probant efficaciter hanc veritatem. Primò à poſteriori, quia ſi poſſibilis eſſet gradus intellectionis non volitivus, de facto deberet dari talis gradus; quod tamen experimur eſſe falſum: ergo. Prob. ſequela, nam vniverſum debet conſtare, vt integrè perfectum ſit, ex omni gradu naturæ poſſibili; at intellectivum non volitivum eſſet gradus naturę intellectualis poſſibilis: igitur vniverſum non eſſet perfectum, ſi talis gradus poſſibilis eſſet, & de facto nō daretur. Secundo, experimur vniverſaliter quod formam naturaliter poſſeſſam conſequitur appetitus innatus, qui naturalis dicitur; & formam poſſeſſam per actum apprehenſionis, ſi apprehenſio ſenſitiva ſit, conſequitur appetitus elicitus, qui & animalis dicitur, & ſi apprehenſio ſit intellectiva conſequitur appetitus elicitus, qui dicitur rationalis, vel intellectivus: ergo ratio appetitivi ſemper ſequitur ad quamcumque naturam, ergo natura intellectiva neceſſariò debet eſſe volitiva.

Tertio Prob. nam cum Deus ſit ipſa eſſētia bonitatis, omnia operatur quia bonus, & omnia ordinat ad propria bona conſequēda iuxta modum propriæ capacitatis; ſed intellectivum, quodcumque illud ſit, ſicut per proprium actum elicitum intellectus eſt capax perveniendi ad bonum, ita & eſt capax perveniendi ad bonum per appetitum elicitum ipſius boni: igitur nequit dari cognoſcitivum, quod non ſit appetitivum. Prob. Min. bonum apprehenſum naturaliter allicit apprehendentē ad ſui amorem, vt hoc mediante, cum ipſo phyſicè coniungatur: nam ſi inter apprehenſionem boni, & eius conſecutionem non mediaret amor movens potentiam acquiſitivam boni, cognoſcens nunquam bonum, quod apprehenderet, conſequeretur: igitur intellectivum, quodcumque illud ſit, ſicut eſt capax per actum elicitū intellectus pervenire ad bonum, ita & eſt capax perveniſre ad illius conſecutionem per actum elicitum appetitus. Secundo hoc ipſum probatur ipſa experiētia, qua percipimus quod quantumvis bona aliqua apprehendamus, ſi tamen ea non deſideramus, nunquā ad eorum movemur conſecutionem: ergo intellectivum non ſe ordinat ad boni conſe-

qu-

quutionem, niſi mediante appetitu elicito: concludamus ergo nullum eſſe poſsibile apprehenſivum, quod non ſit appetitivum, & cum Angeli ſint perfectè intellectivi, fateamur ex hoc oriri in illis, quod pariter volitivi ſint. Plura de hac veritate diximus ſupra in tractatu de voluntate Dei, ideoque his paucis contenti ſumus. Si tamen huic objiciunculæ ſatisfaciamus.

986 Objicies contra concluſionem. Apprehenſivum boni non conſequitur vniverſaliter loquendo ratio appetitivi: ergo apprehenſivum non eſt radix appetitivi. Prob. Antec. ſenſus externi vere apprehendunt bonum; & tamen ſicut datur ſenſus externus apprehenſivus, non datur ſenſus externus appetitivus: ergo. Conſ. eſt bona, Maj. certa, & Min. videtur etiam eſſe nota, quia talem externum appetitum non experimur in nobis, & etiā quia teſte Philoſopho cognitio boni abſque actu æſtimativæ non movet appetitum; cum ergo non detur æſtimativa externa, non dabitur externus appetitus. Confir. intellectiones purè ſpeculativæ aliquorum bonorum non movent, & alliciunt appetitum ad ſui amorem: igitur non eſt vniverſaliter verum, quod rationem apprehenſivi ſequitur ratio appetitivi. Probat. Antec. ex hoc enim quod intellectus ſpeculetur hanc veritatem, *quatuor, & tria ſunt ſeptem, triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis* voluntas non allicitur ad aliquid appetendum: ergo.

Ad hoc argum. aliqui recentiores negant Ant. ad Prob. ſimiliter negant quod non detur appetitus externus, quia experientia conſtat, aliqua viſibilia nos exterius delectare, & contriſtare alia: delectatio autem, & triſtitia actus appetitus ſunt. Sed manifeſte iſti ſe opponunt Philoſopho in loco in argumento adducto. Qui dicit quod cognitio boni non movet, vbi non eſt æſtimativa, quod Philoſophus ſolū dixit propter ſenſus externos: nam in internis adeſt æſtimativa, & ſolum in externis non adeſt. Nec valet ſolutio, quæ dictat Philoſophū ſolum requirere æſtimativæ actum diſtinctum ab ipſa perceptione ſimplici objecti in ordine ad amorem, vel fugam objecti; non vero in ordine ad delectationem, & triſtitiam, quarum prima eſt de bono præſenti, & altera eſt de malo præſenti. Non (inquam) valet, nam nec delectatio eſſe poteſt niſi de bono præſenti amato, nec triſtitia eſſe poteſt niſi de malo præſenti odio habito: ſi ergo ſenſus externi perceptio nō ſufficit ad movēdum ad amorem boni, vel ad fugam mali, non poterit vlla via movere ad delectationem, vel ad triſtitiam.

Præterea eſt alia ratio convincens hoc ipſum. Etenim appetitus, cum tantum ſit boni, & convenientis, non poteſt moveri niſi à bono apprehenſo vt bono, & vt convenienti; nullus autem ſenſus externus apprehendit formaliter bonitatem, & cōvenientiam, vel diſconvenientiam, & ſic appetitui nequit proponere appetibile: quod patet diſcurrendo per ſingulos ſenſus externos. Viſus ſolum ſiſtit in ratione lucidi colorati, quod autem illud lucidum coloratum ſit conveniens, vel nocivum videri, non apprehēdit viſus, ſic de auditu, & alijs: non ergo apprehenſio horum ſenſuum poteſt fundare immediatè appetitum; ſed quia apprehenſiones internæ ſunt, & cauſantur ex externis, & iſtæ ad cauſationem internarum ordinantur, ſit inde, quod dum internæ media æſtimativa alliciunt appetitum ad bonum, & conveniens, & ſic fundāt appetitum internum: etiam externæ mediatè, & per internas apprehenſiones appetitū internum movent, & ſic ſufficit vnus appetitus pro omni ſenſu. Hæ autem rationes non militant pro intellectivo, quod perfectiſsime apprehendit per ſe bonitatem, malitiam, convenientiam, & diſconvenientiam objectorum, & ſic poteſt ſe ipſo per ſuam apprehenſionem movere appetitum ad ſuos actus. Nec eſt verum, quod dum quis videt objectum pulchrum, in ſenſu externo ſit delectatio, & quando videt rem horridam ſit in eo triſtitia; ſed illa delectatio, & triſtitia ſunt in parte ſenſitiva interna, quæ apprehendit in pulchro viſo convenientiam, & in deformi triſtitiam. Ad confir. dico, quod cum voluntas feratur ad res, prout in ſe ipſis ſunt, vt ex vi intellectiva voluntas inferatur, non eſt neceſſe, quod ad quamlibet apprehenſionem ſequatur aliquis actus appetendi, ſed ſufficit, quod non poſsit dari actus appetendi niſi ex parte intellectus præſupponatur actus, quo bonum vt amabile, vel fugabile proponatur voluntati, & ſic dato quod ad prætatas apprehenſiones purè ſpeculativas non ſequantur actus appetendi in voluntate, non convincitur, quod aliquid ſit cognoſcitivum, & non appetitivum.

Digitized by Google

§. II.

Vtrùm intellectus, & voluntas realiter inter ſe, & à ſubſtantia diſtinguantur?

987 SVPRA Agẽtes de Angeli ſubſtantia vidimus ſubſtantiam Angelicam nõ eſſe ſuas potentias operativas; ſed realiter diſtingui ab illis, & illas inter ſe realiter quoquè diſtingui; ſed quia P. Ant. Eſparça hic mordicus prętendit identificare ſubſtantiam Angeli cum ſuo intellectu, & voluntate, & vim intellectivam cum vi appetitiva, ideo placuit iteratò de hoc ipſo agere. Sed ne iteratò repetamus quæ ibi diximus, hic tantum fundamenta huius auctoris diſſolvemus. Affirmo ergo cum D. Thom. hic q. 59. art. 2. & alibi pluriès ſubſtantiam Angeli diſtingui realiter à ſuis potentiis, intellectu, & voluntate, ipſaſquè potentias inter ſe realiter diſtingui. Quod ad longum ſuprà probavimus facto rigoroſo examine rationum, quibus D. Thom. hanc probat veritatem. Fundatur ergo Eſparça ad aſſerendum oppoſitum primò, quia quò vnumquodque eſt perfectius, eò magis participat perfectionem eſſentiæ divinæ; ſubſtantia autem intellectualis eſt perfectior ſimpliciter ſuis accidentibus, ſaltim connaturalibus, quia eſt eorum finis, & prima radix: cum ergo natura divina ſit immediatè operativa, atquè hoc ad eius perfectionem pertineat, negari minimè debet, quin ſubſtantia intellectiva ſit ſimiliter immediatè operativa, potius quàm accidẽs quodlibet eidem ſubſtantiæ connaturale: præſertim cum ad hoc non requiratur infinitas. Itaquè vis huius conſequentiæ eſt iſta. Subſtantia perfectius participat eſſentiam divinam, quam accidentia eam participent; ſed accidentia eam participant quoad hoc quod eſt eſſe immediatè per activa: ergo & ſubſtantia à fortiori eam quoad hoc participabit.

Reſp. in forma, diſt. Mai. in eo, in quo eſſentia divina poteſt participari à ſubſtantia, & accidenti, Conc. Mai. in eo, in quo tantum participabilis eſt ab accidenti, nego Mai. & Conc. Min. nego Conſ. Itaquè prædicata divina ſunt in duplici differentia: alia indifferenter ſunt participabilia à ſubſtantia creata, & accidentibus; & quoad iſta prædicata perfectius ſubſtantia participat eſſentiam divinam, quam accidens: vnde quia quoad eſſe participabilis eſt eſſentia divina à ſubſtantia, & accidenti, perfectiùs illam participat ſubſtantia, quàm accidens; ſi quidem illa eſt per ſe, & accidens ſolum ineſt: ſunt alia prædicata, quæ non ſunt cõmunicabilia ſubſtantiæ, & ſunt communicabilia accidenti v. g. ratio entis ſupernaturalis participabilis eſt ab accidenti, & non à ſubſtantia ſaltim completa; & in his falſum eſt, quod ſubſtantia perfectius participet eſſentiam divinam quàm accidens, quia perfectius participare debet ſupponere participationem perfectam vtriuſque poſſibilem, vnde quia ratio ſupernaturalitatis non eſt participabilis à ſubſtantia creata, non valet hæc Conſeq. *ſubſtantia creata perfectiùs participat eſſentiam divinam quàm accidens; ſed hoc participat eſſe ſupernaturale: ergo & ſubſtantia*: ſubſtantiã autem divinã eſſe immediatè operativam non eſt de prędicatis communicabilibus ſubſtantiæ creatæ, & accidentibus; vnde ex hoc quod ſubſtantia creata perfectius participet eſſentiã divinam quam accidẽs, non infertur, quod ſi hoc illam participat quoad eſſe immediatè operativam, ita & ſubſtantia quoad hoc etiam eſſentiam divinam participet, Quarè autem eſſe immediatè operativum poſsit participari ab accidenti, & nõ à ſubſtantia? Ea eſt ratio, quia ſicut in divina ſubſtantia eſſe, & operari eiuſdem generis ſunt, cum vtrumque ſubſtantia ſit, ita in accidenti eſſe, & operari eiuſdem generis ſunt, cum vtrumque accidens ſit: cuius oppoſitum habetur in ſubſtantia, cuius eſſe ſubſtantia eſt, & operatio accidens; hinc cum in primo eſſentiam divinam imitetur accidens, & ſubſtantia creata imitari non poſsit, ita in ſecundo accidens eſſentiã divinam imitatur, & non ſubſtantia.

988 Secundo fundatur hic auctor in eo, quod potentiæ ſecundum noſtram ſententiam effectivè promanant ab anima: ergo iam enim eſt operativa immediatè ſuarum potentiarum. Quod ſi dicas, potẽtias non provenire ab anima per veram effectionem, ſed per puram reſultantiam, & ſic non ſequi animam eſſe immediatè operativam. In contra arguiſe, quia vel illa reſultantia non excludit verum proceſſum ab anima per veram efficientiam, vel ſolum dicit exigentiam animæ ſuarum potentiarum: ſi primum, habetur intentum, quod videlicet ſubſtantia vere efficiat ſuas potẽtias; ſi ſecundum dicatur, ſcilicet, quod anima non efficit, ſed exigit, pariter poſſet dici quod nulla cauſa creata vere efficiat ſuos proprios effectus, ſed tantum exigat

eo,

Digitized by Google

eorum productionem; quod ſtultum, & ridiculum eſt: ergo. Prob. ſequela, quia fundamentum vnicum, vel certe præcipuum tribuendi ſingulis quibuſcũque cauſis creatis veram, ac propriam efficientiam reſpectu peculiariũ effectuum fundatur in ea experientia, qua conijcimus quoſdam effectus exiſtere in præſentia quorundam cauſarum, alios vero in præſentia aliarum, eoſdemque non dari abſentibus, ſimulque dari mutuam proportionem, & iuſtam correſpondentiã perfectionis repertę in talibus, & effectibus & cauſis. Hæc autem duo eminent multo magis in vnaquaque ſubſtantia reſpectu ſuarum proprietatum, quæ videlicet participant plurimum de perfectione ſuarũ ſubſtantiarum, illæque præſentibus proti nus exiſtunt ſumma cum neceſsitate naturali, & cum eadem illdem deficientibus deficiunt: ergo ſi liceret dicere proprietates non produci verè, & propriè à ſubſtantia, cuius ſunt proprietates, ſed ad exigentiam eius produci adæquatè ab alia cauſa, liceret quoquè dicere, omnes alios effectus procedere a cauſis ſecundis ſolum impropriè ratione exigentiæ abſque vlla earum efficientia propriè tali.

Quod cõfirmat primò, nam poſitis talibus potentijs realiter diſtinctis à ſubſtantia, effectus verè, & propriè ab eis potentijs effici, & non tantum reſultare ex illis exactivè dicuntur: impoſsibile eſt autem aſsignare rationem, cur aliter procedant ab eiſdem potentijs: ergo aſſeverandum erit potentias verè effectivè procedere à ſuis ſubſtantijs. Secundò confirmat, quia aqua calida per inde reddit vt ſua ad priſtinam frigiditatem, atquè frigefacit alia corpora, cum ipſa frigida eſt: ergo vtrobique agnoſci debet idem genus propriè cauſalitatis, & efficientiæ: igitur fatendum erit, ſubſtantiam habere identitatem cum aliqua vi ſua naturali proximè activa. Ad hoc Argum. bene reſponſum eſt: exigit enim anima, quod cauſa ſui creativa per veram efficientiam ſicut primariò dedit ei eſſe ſuum formæ, per ipſammet actionem det efficienter ei ſecundariò proprietates cum forma neceſſario cõnexas, & ſic poſita forma per actionem creantis animam, verè, & propriè efficiuntur potentiæ animæ tanquam quid conſequutum: vnde non eſt neceſſe, quod inter proprietates, & animam mediet vera actio animę, qua proprietates vere efficiantur. Et ad primam replicam, nego ſequelã Mai. ad Prob. nego Mai. non enim omnes effectus fiunt ſecundariò, & per modũ conſequij aliorum primò productorum: homo enim primò, & per ſe producitur ab homine, ignis ab igne, & ſic requiritur, quod inter hominẽ producentẽ, & hominẽ productũ primò, & per ſe mediet vera actio productiva, & non ſolum exigẽntia; proprietates autem fiunt ſolum ſecundariò ab agente primariò producente eſſentiam ſubſtantiæ, & ſubſiſtere, & ſecundario verè efficiente tales proprietates, & ſic licet ſecundum bonam metaphyſicam dicere, quod proprietates non procedunt ab anima per veram efficientiam animæ; non autẽ hoc licet dicere de alijs effectibus per ſe primò productis à ſuis cauſis.

Ad primam confirm. nego Min. cuius iam rationem dedimus. Ad confirm. nego Anteç. nam reductio ad priſtinam frigiditatẽ fit per actionem generantis aquã, ad quod pertinet, ſicut per verã ſuam actionem producere proprietates aquæ, ita & amiſſas recuperare; frigefacere eſt aquæ per veram eius actionem, quia eſt primo producere frigiditatẽ in alijs à ſe, quod nõ eſt generantis aquam, ſed ipſius aquæ genitæ.

989 Tertium fundamentum eſt deſtruere rationem Thomiſtarum, qui probant quod ſubſtantia non eſt immediatè operativa, quia nequit immediatè ordinare ad ſuam operationem. Hoc enim (inquit) eſt falſum: ergo. Min. Prob. Nam vnumquodque per ſe ipſum immediatè ordinatur ad finem ſuum; & operatio eſt finis vniuſcuiuſque ſubſtantię, præcipuè ſi operatio ſit beatitudo, & fœlicitas, qualiter contingit in ſubſtantijs intellectualibus, quæ ſunt, vt beatæ ſint: igitur ſubſtantia eſt immediatè ad ſuam operationem ordinata. Confirm. quando perfectibile eſt cauſa ſuæ perfectionis, non eſt inconveniens, quod immediatè ordinetur ad ſuam perfectionem, vt cauſa efficiens ad ſuum effectũ; ſed ſubſtantia eſt cauſa efficiens propriæ operationis: ergo nullum erit inconveniẽs in eo, quod vt cauſa efficiẽns immediatè ordinetur ad ſuam operationem. Confirm. ſecundo, nam actiones ſunt ſuppoſitorum, & ſubſtantijs potius quam accidentibus, quæ illis inſunt attribuuntur, quando operationes ſunt connaturales, & non ſolum per accidens dicuntur eis convenire; hoc autem verificari nequit ſi ſubſtantię non ſint immediatè operativæ: ergo. Prob. Min. quia rei nihil agenti immediatè per ſe ipſam immediatè nulla actio propriè attri-

tribui poteſt, ſicut nec paſsio attribui poteſt niſi patienti immediatè: ergo non poſſet verificari, quod actiones ſunt ſuppoſitorum, ſi ponatur ſubſtantias immediatè per ſe ipſas nihil agere.

Ad hoc, nego Min. ſcilicet, quod falſum ſit ſubſtantiam immediatè non ordinari ad operationem. Ad Prob. diſt. Mai. vnumquodque per ſe ipſum immediatè ordinatur ad finem ſuum iuxta qualitatem finis, conc. Mai. vltra qualitatem finis, nego Mai. & diſt. Min. ſed operatio eſt finis vniuſcuiuſque ſubſtantiæ, finis propter quem immediatè ſit ſubſtantia, nego Min. finis propter quem mediatè ſit ſubſtantia, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque cum ſubſtantia ſit ens per ſe, non eſt immediatè vt operetur, ſed vt ſit: & ſic ſolum immediatus finis ſubſtantiæ eſt eſſe, non vero operatio; vnde immediatè ordinatur ad eſſe, non vero ad operari.

Ad primam Confir. diſt. Mai. ſi perfectibile ſit ſubſtantia, & perfectio ſit accidens, nego Mai. ſi vtrumque accidens ſit, conc. Mai. & conc. Min. nego Conſ. Itaque perfectibile, & perfectio per ſe inſpecta à perfectibili debent eſſe eiuſdem generis, ad hunc ſenſum, quod ſi perfectibile ſit ſubſtantia, perfectio immediatè ab ipſo inſpecta nequit eſſe accidens, alias daretur quod ſubſtantia ſit immediatè propter accidens, quod rectus naturæ ordo non permittit: ſi autem ſubſtantia eſſet immediatè operativa, principium proximè operativum per ſe ordinaretur ad operationem vt perfectibile ad ſuam operationem per ſe primò inſpectam, & per ſe primò ordinaretur ſubſtantia ad accidens, non ſola ordinatione efficientis ad effectum, ſed propriæ potentiæ ad ſuum actum per ſe, quod implicat, cum operatio accidens ſit. Ad ſecundam Confirmat. dico, quod actiones ſunt ſuppoſitorum *vt quod*, non *vt quo*, ſunt *vt quo* naturæ, radicaliter, & virtutis eius, proximè; quando autem inquirimus, vtrum ſubſtantia ſit ſua potentia activa? Non loquimur de ſuppoſito, ſed de natura: nam de ſuppoſito certum eſt à natura realiter diſtingui; cumque principium *quod* tantum ſit vnum, ſive ſubſtantia ſit immediatè operativa, ſive mediis ſuis virtutibus ab ipſa diſtinctis operetur, actio ſemper attribuetur ſuppoſito: quia in omni eventu debet attribui alicui, vt *quod* operanti, quod non eſt aliud niſi ſuppoſitum.

990 Quarto fundatur hic auctor in eo, quod neceſſe ſit aliquam actionem à ſubſtantia immediatè oriri, adhuc admiſſo quod potentiæ activæ realiter diſtinguantur à ſubſtantiis. Etenim homo vt primò vellit operari, debet vti ſua voluntate ad volendum; at ille vſus activè ſumptus non eſt à voluntate: ergo eſt à ſubſtantia. Conſeq. videtur bona, & Probantur præmiſſæ, Mai. quidem, nam ſi homo non applicat ſuam potentiam volitivam ad volendum, nunquam verificabitur de illo, quod vult; ſubduntur enim potentiæ hominis in elicientia ſuarum actionum homini: ergo ſi ipſe non moveat, & vtatur illis, vt vellit, ipſæ non exibunt in volitionem ſuam. Min. ſic Probo, nam ille novus vſus voluntatis ad volendum non eſt ipſa radicatio voluntatis, nam etiam cum homo dormit, ſubſtantia humana radicat voluntatem; & nihilominus non vtitur ea, neque movet eam vt vellit: ergo eſt actio nova ſubſtantiæ in voluntatem, vt agat, neceſſaria: ergo debemus fateri quod ſubſtantia aliquam veram actionem immediatè operetur.

Ad hoc Argum. nego Min. Ad Prob. diſt. Antec. non eſt ipſa radicatio voluntatis, voluntatis determinatæ ad volendum, nego Antec. voluntatis in ſtatu determinabilis, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque ſicut ſubſtantia eſt proximè volitiva per voluntatis radicationem, ita eſt proximè volens per voluntatem actu volentis radicationem, & eſt efficaciter determinata ad volendum per radicationem voluntatis à Deo, vel à ſe applicatæ efficaciter ad volendum: non ergo applicat voluntatem ad volendum per aliquam novam actionem ſubſtantiæ in ipſam voluntatem, ſed vtitur ipſa voluntate ad volendum per hoc, quod radicat voluntatem, quæ ſe ipſam movet quoad exercitium, ſicut & alias potentias hominis. Itaque totus homo determinatur ad volendũ per hoc, quod voluntas eius determinatur ad volendum, ſive determinatio ſit à Deo, ſive ſit à voluntate: vnde non eſt neceſſe, quod agat ſubſtantia hominis in voluntatem; nec enim voluntas eſt inſtrumentũ hominis, ſed eſt virtus eius adæquatè proximè activa: eſt ergo homo, qui intelligit per ſuũ intellectum proximè, & per ſuam ſubſtantiam mediatè, ſeu radicaliter; & homo eſt,

Digitized by Google

qui vult per ſuam voluntatem proximè, & per ſuam ſubſtantiam radicaliter, & mediatè. Nec hoc argumentum habet maiorem difficultatem in ſententia D. Thom. quam in ſententia huius auctoris. Ponamus enim quod ipſa ſubſtantia ſit ſua voluntas: inquiro, quando homo vult vti ſua ſubſtantia ad volendũ, communicat ne de novo aliquid per veram actionem propriæ ſubſtantiæ, quæ eius voluntas eſt? Si dicat quod ſic, inferam contra illum: ergo ſuppoſitum habet agere in propriam ſubſtantiam, quæ eſt eius principium *quo*, quod eſt magnum abſurdum, quia ſuppoſitum, cum ſolum ſit principium *quod* ſe ipſo immediatè, nequit agere: nam ad agendum requiritur *quod*, & *quo*; ſi dicat, quod nihil communicat; quomodo ergo de novo vtitur ſua ſubſtantia ad volendum, ſi ſemper in ordine ad illam eodem prorſus modo ſe habet? ecce eſt hic auctor in eadem difficultate, quam nobis obijcit, conſtitutus: ſolvat illã, & ipſa ſua ſolutione ſolvemus nos præfatã difficultatem.

§. III.

Vtrùm Angelus neceſſitate quoad exercitium neceſſario diligat ſe?

991 PARTEM negantem tenet Ferrarienſis 3. Contra gent. cap. 109. illum ſequitur Vazquez hic, quæſt. 60. in commentario, articul. 3. Thomiſtæ autem communiter tenent oppoſitum. Vnde ſit concluſio. Angelus ſe ipſum amat neceſſariò neceſſitate quoad exercitium, ſic, quod non poteſt ceſſare à ſui amore. Prob. quia vt ſupra vidimus Angelus neceſſitate quoad exercitium ſe comprehenſivè cognoſcit: ergo & neceſſitate eadem ſe ipſum amat. Prob. Conſeq. ex paritate, & proportione, quæ ſervari debet inter intellectum, & voluntatem Angeli. Secundo Prob. eadem Conſeq. nam beati neceſſario Deum amant, quia neceſſariò Deum cognoſcunt: ergo dum Angelus ſe ipſum quoad exercitium neceſſariò cognoſcit, ſe ipſum quoad exercitium neceſſariò amabit.

Dices, cauſalem eſſe falſam, nam ratio, ob quam beati Deũ neceſſariò amant, non eſt, quia neceſſariò ſe vident, ſed quia bonum infinitum neceſſariò viſum, cum voluntatem noſtram adæquatè ſatiat, eam quoque quoad exercitium ad Dei amorem neceſſitat: cumque bonum Angelicum ſit bonum finitum, & particulare, non ſequitur, quod Angelus neceſſariò quoad exercitium ſe ipſum amet. Sed contra eſt. Nam licet bonum viſum eſſe infinitum ſit in cauſa neceſſarij amoris quoad exercitium, non tamen eſt cauſa adæquata, ſic, quod ex alio capite non poſsit voluntas neceſſario quoad exercitiũ bonum infinitũ amare: ſi enim per impoſsibile videns bonũ infinitũ non neceſſariò videret, non neceſſariò illud amaret; nam ſi neceſſariò non videret, non poſſet natura inclinare voluntatẽ ad amorẽ neceſſariũ boni infiniti: neceſsitas ergo amoris boni naſcitur ex neceſsitate cognitionis talis boni, dum ergo natura intellectualis inclinat intellectũ ad neceſſariò videndũ aliquod bonũ, debet inclinare neceſſariò ad amorẽ talis boni, ſive ſit finitum, ſive infinitũ tale bonum. Vnde ſic reformo rationem factam. Quamvis eſſe Angeli non ſit verum vniverſale, ſed particulare, tamen Angelus ex vi terminorum ordinatur ad ſui cognitionem intuitivam clarã, & evidentẽ: ergo licet eſſe Angeli non ſit bonũ vniverſale, tamen natura Angelica inclinabitur neceſſariò ad ſui amorem. Prob. Conſeq. nam obiectum voluntatis non eſt magis vniverſale, quam obiectum intellectus: ergo ſi ad aliquod verum particulare natura Angeli neceſſariò ordinatur, vt cognoſcat, ad aliquod bonum particulare neceſſariò inclinabitur, vt amet.

Deinde, Angelus nequit neceſſariò quoad exercitium ſe ipſum videre, niſi voluntas eius neceſſariò quoad exercitium vellit, vt videat; at hoc eſt neceſſariò Angelum ſe ipſum amare quoad exercitium: ergo ſi neceſſariò quoad exercitium ſe Angelus cognoſcit, eadem neceſsitate ſe amabit. Prob. Min. nam Angelum amare ſe quoad exercitium neceſſariò, nihil eſt aliud quàm neceſſario quoad exercitium velle ſibi aliquod bonum; ſed velle quod Angelus ſe ipſum neceſſariò cognoſcat, eſt velle ſibi neceſſario quoad exercitium aliquod bonum, nempe, quod in perpetuum duret, vt in perpetuum ſe cognoſcat: ergo Angelum quoad exercitium neceſſario velle intueri ſe ipſum erit neceſſariò quoad exercitium amare ſe ipſum. Et quidem hoc argumento ex paritate cognitionis neceſſariæ quoad exercitium vſus eſt D. Thom. quæſt. 16. de malo, art. 2. ad 6. vbi ait; *Quod voluntas Angeli ſem-*

Digitized by Google

ſemper vult, ſicut intellectus eius ſemper intelligit: ergo dum ſe ipſum Angelus ſemper intelligit, ſeipſum Angelus ſemper vult.

992 Sed cum Angelus poſsit amare ſeipſum duplici amore, alio, quo ſolum vellit ſemper eſſe, & ſemper ſubſiſtere, ſemperque beatitudine naturali gaudere; qui amor ſubſtantialis dicitur, eo quod ſibi Angelus bonum proprium ſubſtantiale, & ſibi neceſſarium deſideret, & alio, quo bona accidentalia ſibi vellit, & ad ſeipſum ordinet: difficultas eſt, an Agelus vtroque amore ſeipſum neceſſariò quoad exercitium amet, an ſolum primo? Reſpond. ſolum amare ſeipſum neceſſariò quoad exercitium primo genere amoris, non ſecundo. Prob. hoc ex Div. Thom. hic quæſt. 60. artic. 3. vbi in Angelo reſpectu ſui ipſius diſtinguit duplicem dilectionem, aliam naturalem, qua ſibi ſuum eſſe, & ſubſiſtere deſiderat, aliam electivam, qua ſibi bona accidentalia deſiderat: igitur Angelus non ſeipſum quoad exercitium neceſſariò amat vtroque genere amoris, ſed tantum primo. Prob. Conſequent. quia dilectio electiva eſt libera. Secundo Prob. nam Angelus ex bonis ſibi abſolutè poſsibilibus, non tamen compoſsibilibus pro eodem tempore poteſt ſibi amare diviſivè ea, quæ cognoſcit eſſe præſtantiora, & ea, quæ cognoſcit eſſe minus præſtantia; omnia tamen ſibi efficaciter velle ſimul habere non poteſt, quia impoſsibile eſt ſimul affici cunctis illis: ergo liber eſt in eligendo amorem horum bonorum præ alijs: ergo in ordine ad hæc bona non amat ſeipſum neceſſariò, ſed liberè. Deinde amor neceſſarius quoad exercitium non ſuſcipit augmentum, ſic, quod modo ſit maior, deinde ſit minor, vel è contra; ſed cum ex bonis ſimul incompoſsibilibus præſtantiora bona ſibi vult, magis ſe amat, quam dum ex illis ſibi vult inferiora: igitur in ordine ad præfata bona Angelus non ſe amat neceſſariò, neceſsitate quoad exercitium.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

993 CONTRA Primam reſolutionem arguitur. Angelus poteſt ceſſare ab amare ſui ipſius: ergo non amat ſe neceſſariò quoad exercitium. Prob. Anteced. Angelus poteſt apprehendere quod neceſſariò amare ſeipſum impedit illum ab hoc, quod eſt toto corde Deum diligere, vel ſaltim impedit illum ne ferventiori modo Deum diligat: ergo poteſt apprehendere vt maius bonum ceſſationem ab amore ſui, quam ſit bonum ſui amor: igitur liberè poteſt à ſui amore ceſſare. Confirm. amor ſui naturalis nec eſt ſummum bonum, neque conſequitur ad ſummum bonum, vt per ſe patet: igitur nequit ſe neceſſariò quoad exercitium amare. Prob. Conſequentia, nam ſola ratio ſummi boni poteſt Angeli voluntatem neceſsitare, ſiquidem ſolum poteſt neceſsitari à bono, quod adæquate ſatiat illam; ſed ſola ratio ſummi boni poteſt adæquate ſatiare Angeli voluntatē: ergo ſi amor ſui non habet rationem ſummi boni, nequibit Angelus quoad exercitium neceſsitare ad ſui amorem.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad Prob. nego Ant. nam cum ſeipſum amet in ordine ad Deum, amor ſui nequit impedire illum ab amore Dei, neque retardare illum vt Deum magis, & magis amet. Ad Conf. nego Conſ. ad Prob. nego Mai. nam Angeli volūtas ex duplici capite poteſt neceſsitari, nempe vel ex meritis obiecti, vel ex connaturalitate proprietatis: primam neceſsitatem habet à ſummo bono clare viſo, quod ex meritis ſuæ infinitudinis occludit omnes vias voluntatis, ſic, quod non relinquat libertatem ad oppoſitum: ſecundo modo neceſsitatur voluntas Angeli ab actu, quod per modum proprietatis ad ipſā conſequitur, & quia ad rationē proprietatis entis creati non requiritur ratio ſummi boni, fit inde, quod etiò amor ſui non ſit ſummū bonū, tamē poſsit neceſſariò connecti cum voluntate Angeli.

Sed inſtas, actus amoris, quo Angelus diligit ſe, eſt proprius actus vitalis vere effectus ab ipſa voluntate Angeli: igitur nequit eſſe proprietas eius. Prob. Conſ. quia in noſtra ſententia proprietates alicuius non verè efficiuntur ab eo, cuius ſunt proprietates, ſed ſunt effectivè à generante: ergo ſi actus vitalis propriè efficitur à voluntate Angeli, nequibit eſſe proprietas ipſius. Ad hoc diſt. Conſ. igitur nequit eſſe proprietas eius exacta, & radicata, Conc. Conſ. exacta, & non radicata, nego Conſ. ad Prob. proprietates alicuius non verè efficiuntur ab eo, cuius ſunt proprietas, proprietates exactæ, & radicatæ, Conced. Anteced. proprietates ſolùm exactæ, nego Ant. & diſting. Conſeq. nequibit eſſe proprietas

ipſius radicata, & exacta; conc. Conſeq. ſolum exacta, nego Conſeq. Itaque proprietates, vt ſupra diximus, ſunt in duplici differentia; aliæ ſunt exactæ, radicatæ in eſſentia, vt riſibile, & admirativum ſunt proprietates hominis; aliæ ſunt tantum exactæ vt motus cœli: ſpecies innatæ Angelis, & hæc aliæ exiguntur produci ab alio agente, ſicut cœlum exigit moveri ab Angelo; ſpecies impreſſæ à Deo, quia cum vitales non ſint, ab agente extrinſeco provenire poſſunt: aliæ ſunt actus vitales, & iſtæ exiguntur fieri à potentia vitali illius, cuius proprietates dicuntur, & ſic actus intellectus, quo Angelus naturaliter cognoſcit ſe, & actus voluntatis, quo naturaliter amat ſe, dicuntur proprietates Angeli, quia hic exigit eas habere à ſe ipſo vt à vero efficiente in primo inſtanti ſuæ creationis: vnde non ſunt à generante quoad ſui efficientiam, bene tamen quoad ſui exigentiam.

994 Secundo arguitur, ſi Angelus ſe diligeret neceſſario quoad exercitium, diligeret ſe ſecundum vltimum poſſe ſui, vnde ſicut cognitio, qua cognoſcit ſe, eſt ſui comprehenſiva, ita amor, quo diligit ſe, eſſet amor ſui comprehenſivus; at hoc eſt falſum; ergo non diligit ſe neceſſario quoad exercitium. Sequela patet, nam agens neceſſariò & per modum naturæ agit ſecundũ vltimum poſſe ſuum: ergo ſi Angelus neceſſario quoad exercitium diligeret ſe, diligeret ſe quantum ſe, poſſet diligere, & ſic ſicut ſe comprehendit per intellectum, ſe comprehenderet per voluntatem, quia ſicut non eſt magis cognoſcibilis, quam ipſe poſſit cognoſcere, ita non eſt magis diligibilis, quam ipſe poſſit diligere. Min. vero Prob. nam Angelus poteſt ſe diligere quoad bona ſibi intrinſeca, & quoad bona extrinſeca: in ordine autem ad hæc non tantum in actu ſe diligit, quin magis, & magis poſſit ſe diligere: ergo falſum eſt quod Angelus diligat ſe ſecundum vltimum poſſe ſuum.

Ad hoc argumentum diſt. Mai. diligeret ſe ſecundum vltimum ſui poſſe, in eo ordine, in quo amor ſui neceſſarius eſt, conc. Mai. in omni ordine diligendi ſe, nego Mai. & diſt. Min. Conſeq. eſt falſum, ſi intelligatur de illo ordine, in quo ſui dilectio neceſſaria eſt, nego Min. ſi intelligatur de dilectione ſui in omni ordine, nego Min. & Conſeq. Itaque, vt ſupra dixi, Angelus duplicem habet ſui dilectionem, aliam, qua diligit ſe volendo ſuum eſſe, & ſuum ſubſiſtere, & alia ſibi neceſſaria, & in iſto ordine diligit ſe quantum ſe poteſt diligere; vnde etiam comprehenſivè in iſto ordine diliget ſe; aliam, qua diligit ſe in ordine ad bona accidentalia, quæ ſibi concupiſcit, & iſto modo dilectionis non diligit ſe quantum poteſt, ſed poteſt ſibi velle maiora bona, quam de facto vult, ſive ordinatè in ordine ad Deum, ſive inordinate; & cum receſſu à Deo, vt contigit in Angelis, dum erant in via, qui ex hoc peccaverunt, quod ſine ordine debito dilexerunt ſe.

§. V.

Vtrùm Angelus diligat Deum Auctorem naturæ neceſſario quoad exercitium?

995 QVI negant Angelum ſe neceſſario quoad exercitiũ diligere, negant ſimiliter Angelum Deum auctorem naturæ neceſſario diligere. Qui autem primum affirmant, hi quoque affirmant Angelum Deum diligere ſic quod ab eius amore, vt auctor naturæ eſt, nequeat ceſſare. Sic tenet Schola Thomiſtica. Pro cuius defenſione ſit concluſio. Angelus Deum auctorem naturæ neceſſario quoad exercitium diligit. Prob. nam cum Angelus ſe ipſum neceſſariò quoad exercitium comprehendat, eadem neceſſitate cognoſcit ſe in ſuo fieri, & conſervari adæquate dependere à Deo auctore naturæ: ergo eadem neceſſitate, qua ſe amat volendo ſuum eſſe, vivere, & conſervari, debet Deum auctorem, & ſui conſervatorem amare, volendo ipſi bona intrinſeca cum illo vt auctore naturæ neceſſariò connexa: ſicut ergo neceſſario quoad exercitium diligit ſe, ita eadem neceſſitate Deum ſui auctorẽ diligit neceſſario, Secundo, Angelus Deũ neceſſario cognoſcit Deũ, ſic, quod ab eius cognitione ceſſare non valet, format iudiciũ invariabile de eo quod Deus ſummo amore dignus ſit: ergo & Deum auctorẽ naturæ amat invariabiliter: nam dictamen invariabile de Dei dilectione nequit non ſequi dilectio invariabilis Dei. Tertio, nam Angelus neceſſario quoad exercitium diligit ſe vt medium ad Deum vt ſui vltimum finem naturalem; ſed amor neceſſarius quoad exercitium mediorum, ad finem præſup-

Digitized by Google

ſupponit amorem neceſſarium eadem neceſsitate ipſius finis: ergo Angelus neceſſario quoad exercitium diligit Deum vt Auctorem, & conſervatorem ſui.

996 Contra hanc veritatem obijcies primò, nam Angelus, quantumvis ſe intuitivè videat, & comprehendat, Deum tamen vt ſui auctorem nec comprehendit, nec intuitivè cognoſcit: ergo quamvis ſe neceſſariò diligat, non tamen Deum neceſſario diliget. Prob. Conſeq. nam dum Deus in ſe ipſo non videtur, ſemper in ceſſatione ab eius amore poteſt aliqua ratio boni repræſentari, quam voluntas poteſt ſequi, & ſic pro ſua libertate Deum non amare: ſi ergo Angelus Deum auctorem naturæ non videt, non Deum neceſſario quoad exercitium amabit. Ad hoc; nego Conſeq. Ad Prob. nego Antec. etenim dupliciter poteſt Deus vt auctor naturæ neceſſario amari, ſic, quod voluntas ab eius amore ceſſare non poſsit, primo, quia illũ amans neceſſario videt; ſecundo, quia licet illum in ſe non videat, videt tamen amans in ſe ipſo, quod à Deo in eſſe, & conſervari dependet, à qua viſione nequit ſeperari; eſto ergo Angelus Deum in ſe ipſo non videat, videt tamen neceſſariò quoad exercitium quod à Deo in fieri, & conſervari dependet, & ſic poteſt Deum eadem neceſsitate diligere.

997 Secundo obijcies, amor neceſſarius Dei quoad exercitiũ nequit componi cum odio Dei: ergo Angelus odio habens Deum, non amabit illum neceſſario quoad exercitium; tunc vltra, ſed Dæmon Deum odio habet: ergo Deum neceſſario quoad exercitium non diligit. Dices, Dæmonem odio habere Deum auctorem gratiæ, non tamen Deum auctorem naturæ. Sed contra; non eſt poſsibile odio habere Deum auctorem gratiæ, & Deum auctorẽ naturæ verè diligere: ergo ſi Dæmon Deũ odio habet auctorem gratiæ, non amabit Deum vt auctorem naturæ. Ad hoc, diſt. primum Antec. nequit componi cum odio Dei ſimpliciter, & omnibus modis, conc. Antec. cum odio præciſe vt iudicis affligentis acerbiſsimas pœnas pro peccatis, nego Antec. & diſt. Conſeq. non amabit illum neceſſario, vt auctor communis naturæ eſt, nego Conſ. non amabit illum ſub omni ratione amabilitatis, quæ in ipſo eſt, nego Conſ. Ad replicam, nego Ant. Itaque Dæmon odio habet Deũ, ex quo apprehẽdit illum vt iudicem ſeveriſsimè punientẽ peccata ſua, non tamen odio habet Deum vt communem auctorem naturæ: ſic enim eum apprehendit vt benefactorem dantẽ, & conſervantem ipſum in eſſe, & ſic odio habere Deum non poteſt: vnde odium Dei Dæmonis bene componitur cum amore Dei vt auctoris naturæ. Simili modo, quo Deus odio habet peccatorem vt peccatorẽ; non vero vt creaturam, alias peccatorem annihilaret: ſicut ergo bene componitur, quod Deus peccatorẽ odio habeat, & quod ipſum diligat in quantum verus effectus, & creatura Dei eſt; ita benè componitur quod Dæmon Deum odio habeat vt pœnarum iuſtiſsimum inflictorem, ex ſua depravata voluntate; & ipſum amet vt communem totius naturæ auctorem.

Sed inſtas, ſi Dæmon Deum auctorem naturæ diligeret, ſequeretur, quod Dæmõ aliqua bona opera faceret; at hoc non eſt dicendum: ergo. Conſeq. eſt bona, & Min. patet, quia obſtinatus in malo, qualis Dæmon eſt, nequit aliquod bonum facere, & Mai. Prob. dilectio Dei ſuper omnia auctoris naturæ bonum opus eſt: ergo ſi Dæmon Deum auctorem naturæ diligeret, aliquod bonum opus faceret. Secundo, homo in natura lapſa exiſtens, niſi à peccato ſanetur per gratiam, nequit Deum auctorem naturæ diligere ſuper omnia: ergo neque Dæmon in peccato mortali exiſtens poterit in ſe conſervare dilectionem Dei auctoris naturæ ſuper omnia. Tertio, dilectio Dei auctoris naturæ ſuper omnia non compatitur ſecum peccata mortalia contra Deum auctorem naturæ; ſed Dæmon peccat mortaliter, non ſolum contra Deum auctorem gratiæ, ſed etiam multoties contra Deum auctorem naturæ: igitur Dæmon non amat ſuper omnia Deum auctorẽ naturæ. Prob. Mai. averſio à Deo auctore naturæ non eſt compatibilis cum converſione ad ipſum vt auctorem naturæ; ſed per dilectionẽ Dei auctoris naturæ, quis convertitur ad Deũ auctorem naturæ, & per peccatum contra Deũ auctorẽ naturæ, quis avertitur à Deo auctore naturæ: ergo dilectio Dei auctoris naturæ, & peccatum mortale contra ipſum non poſſunt componi.

Ad primum diſt. Mai. ſequeretur quod Dæmon aliquod bonum opus faceret, phyſicè tantum bonum, conc. Mai. phyſicè, & moraliter bonum, nego Mai. & diſt. Min. ſed hoc nõ eſt dicendũ, loquẽdo de bono opere phyſicè, & moraliter bono, conc. Min. phyſicè ſolũ bono, neg. Min. & Conſ.

eodem neceſsitate debet Deum alijs omnibus creatis amando præferre.

Secundo Prob. quælibet pars naturaliter magis inclinatur in bonum totius, quam in bonum proprium, vt patet in manu, quæ naturaliter, & abſque deliberatione ſe exponit ictui ad conſervationem totius corporis, & in aqua, quæ contra propriam inclinationem aſcendit ſurſum ad vitandum vacuum totius naturæ deſtructivum. Quod ipſum invenimus in politicis: videmus enim quod bonus civis ſe exponit periculo mortis pro ſuæ reipublicæ incolumitate, & bona conſervatione: cum ergo Deus ſit ſummum bonũ, & finis vniverſi, totius naturæ comprehendens omne bonũ, ſicut totũ cõprehẽdit ſuas partes, & quælibet creatura magis Dei ſit, quã pars totius, vel civis reipublicæ, manifeſtum erit, quod Angelus magis inclinabitur ad Deum naturali dilectione quam ad ipſum.

Hæc ratio eſt D. Thom. hic, illi tamen acquieſcere renuit Scotus nam in 3. diſt. 27. quæſt. 2. dicit, falſum eſſe illud principium *pars naturaliter magis diligit totum, quam ſe ipſam*: ſimiliter dicit eſſe falſum quod *pars ſe exponat periculo mortis pro conſervatione totius*; ſed ſolum eſt verum quod totum, magis diligens ſe quam ſuas partes, exponit partem periculo, vt ſe ipſum in eſſe conſervet. Sed hæc doctrina Scoti non infringit rationem Div. Thom: nam ſive pars ſe exponat periculo, ſive totum exponat pro ſui conſervatione, tamen dum ſine aliqua reſiſtentia patitur talem expoſitionem, ſignum evidens eſt, quod magis inclinatur ad bonum totius quam ad proprium bonum: ſi enim hoc ita non eſſet, naturaliter reſiſteret pars exponenti illam. Pono exemplum, quia lapis v. g. magis amat bonum ſuum, quod eſt eſſe in centro, quam bonum projicientis eum ſurſum, quamvis projicienti obediat, tamen eius actioni reſiſtit, dum aſcendendo ſurſum gravitat: cũ ergo pars, dum exponitur periculo pro conſervatione totius, nullam violentiam patiatur, ſignum ſit evidens, quod magis totum amat quam ſe ipſam, nam ſi magis amaret ſe ipſam, ipſam exponenti periculo reſiſteret pro poſſe ſuo.

Tertio Prob. Concluſio, ſi Angelus naturaliter ſe ipſum magis diligeret quam Deum, naturalis eius inclinatio eſſet perverſa; ſed hoc non eſt dicendum: ergo nec primum. Prob. Sequela; perverſa eſt inclinatio, quæ tendit ad magis diligendum medium quam finem; ſed Deus habet rationem finis, quælibet autem creatura rationem medij ad illum naturaliter ordinati: ergo ſi dilectione naturali Angelus magis diligeret ſe quàm Deum, perverſa eſſet talis inclinatio naturalis.

999 Objicies contra concluſionem. Etenim Angelus vno indiviſibili amore naturali ſeipſum primariò diligit, & Deum ſecundariò: ergo magis diligit ſe quam Deum. Patet Conſeq. nam inclinatio actus maior eſt ad obiectum primarium, à quo accipit ſpeciem, quam ad obiectum ſecundarium: ergo ſi ſe primariò naturaliter diligit, & Deum ſecundario, magis diliget ſe naturaliter quã Deum. Anteced. vero Prob: nam Angelus eadem cognitione, qua primario ſe comprehendit, Deum ſecundario cognoſcit: ergo & eodem amore, quo ſe primario naturaliter diligit, ſecundario Deum diligit. Prob. Conſequent. nam voluntas eo ordine fertur in ſua obiecta, quo intellectus in ſua: ergo ſi intellectus cognoſcit ſe primario, & Deum ſecundario, voluntas eius ſe diliget primariò, & Deum diliget ſecundario. Confirm. quia charitas ſupernaturalis habet Deum pro obiecto primario, & proximum, vel ipſummet amantem pro obiecto ſecundario, magis diligit Deum quam proximum: ergo è contra, quia charitas naturalis; qualis eſt voluntas Angeli, habet amantem pro obiecto primario, & Deum pro obiecto ſecundario, magis diliget amantem quam Deum ſolum amatum.

Ad hoc argumentum, nego Antec. ad Prob. nego Conſeq. Ad Prob. nego Antec. Itàque proceſſus intellectus eſt ab effectu ad cauſam, & ſic primarium obiectum eſt effectus, qui eſt ipſe Angelus, & ſecundarius eſt Deus, qui cognoſcitur in ſuo effectu: proceſſus autem amoris eſt à cauſa finali ad media, quæ amantur ex amore finis, cum finis non ametur ex amore mediorum, & ſic non eſt idem ordo in proceſſu amoris Angeli ad Deum, qui eſt in proceſſu cognitionis: vnde retorqueri poteſt argumentum. Etenim Angelus amat ſe propter Deum: ergo magis amatur Deus ab Angelo, quã ametur ipſe Angelus. Quod ex eo patere poteſt, quia charitas non pervertit ordinem naturæ, ſed elevat; ſed per

Digitized by Google

charitatem primariũm amatum eſt Deus, & amans creatum ſecundarium: ergo in ordine naturali idem prorſus debet ſervari ordo. Ex quibus ad Confirm. nego ſuppoſitum Conſeq. quod videlicet amans amore naturali ſit primarium obiectum amoris naturalis.

QVÆSTIO XV.

De perfectione Angelorum in eſſe gratiæ, & gloriæ.

OMNIA Angelorum naturalia attentè conſideravimus, & pro tenuitate noſtra examinavimus. Reſtat nobis conſiderandum circa eorum perfectiones ſupernaturales, & gratuitas, nempe gratiam, & gloriam. De quibus agit D. Thom. hic quæſt. 62.

§. I.

Vtrùm Angeli fuerint in ſua creatione Beati?

1000 BEATITVDINIS nomine intelligitur vltima perfectio rationalis, ſeu intellectualis naturæ, & inde eſt, quod naturaliter deſideratur, quia vnumquodque naturaliter deſiderat ſuam vltimam perfectionem: hæc autem eſt duplex, vna quidem, quam poſſunt Angeli aſſequi virtute ſuæ naturæ, & hæc quoddammodo beatitudo, ſeu fœlicitas dicitur; vnde & Ariſt. lib. 10. Ethicorum cap. 7. & 8. perfectiſsimam hominis contemplationem, qua optimũ intelligibile, quod eſt Deus contemplari poteſt in hac vita, dicit eſſe vltimam hominis fœlicitatem; ſed ſuper hanc fœlicitatem eſt alia fœlicitas, quam expectamus in futuro, quâ videbimus Deum ſicuti eſt, quod eſt ſupra cuiuslibet intellectus creati naturam. Procedit ergo noſtrum quæſitum de hac Angelica beatitudine, an fuerit Angelis conceſſa ab initio ſuæ creationis.

Cui quæſito reſpondeo, Angelos fuiſſe creatos in beatitudine naturali, non in ſupernaturali, ſic D. Thom. hic quæſt. 62. art. 1. ibi: *Sic igitur dicendum eſt, quod quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus aſſequi virtute ſuæ naturæ potuit, fuit creatus beatus, quia perfectionem huiuſmodi Angelus non acquirit per motum aliquem diſcurſivum ſicut homo, ſed ſtatim ei adeſt propter ſuæ naturæ dignitatem: ſed vltimam beatitudinem, quæ facultatem naturæ excedit Angeli non ſtatim in principio ſuæ creationis habuerunt, quia hæc beatitudo non eſt aliquid naturæ, ſed naturæ finis; & ideo non ſtatim eam à principio debuerunt habere.* Sic D. Thomas. Sed & prima pars noſtræ concluſionis manifeſta redditur ex dictis. Nam Angeli à principio ſuæ conditionis perfectam habuerunt cognitionem; & dilectionẽ Dei; ſed in hac duplici operatione naturali Angelorum beatitudo conſiſtit, cum illa ſit vltima perfectio, ad quam natura Angelica viribus ſuis ſolis poteſt pervenire: igitur à principio ſuæ cõditionis fuerunt beati beatitudine naturali.

1001 Obiicies contra hoc. Beatitudo naturalis debet conſiſtere in cognitione perfectiſsima Dei, quam Angelus viribus naturæ habere poteſt; ſed Angeli inferiores à principio ſuæ conditionis non habuerunt perfectiſsimam cognitionẽ de Deo illis poſsibilem: igitur ab initio cognitionis non fuerunt beati beatitudine naturali. Conſeq. eſt bona, Mai. certa, & Min. Prob. etenim Angeli inferiores perfectius cognoverunt Deum comprehendendo ſuperiores, nam horum ſubſtantia cum ſit perfectior Dei ſimilitudo, quam ſubſtantia inferiorum, perfectius Deum habet repræſentare, & ſic per illam perfectius cognoſcitur Deus; hanc autem comprehenſionẽ non habuerunt in primo ſuæ conditionis inſtanti: ergo ab initio non fuerunt beati beatitudine naturali. Ad hoc, diſt. Mai. beatitudo naturalis debet conſiſtere in cognitione perfectiſsima Dei, quam Angelus viribus naturæ habere poteſt, neceſſaria & inauferibilis ab Angelo, conc. Mai. libera, & ab Angelo ſeparabilis, nego Mai. & diſt. Min. illis poſsibilem inter neceſſarias, & inauferibiles, nego Min. inter liberas, & ſeparabiles ab Angelo, tranſ. Min. & nego Conſeq. Itaque de ratione beatitudinis ſive naturalis, ſive ſupernaturalis eſt inamiſſibilitas operationis, in qua conſiſtit; vnde ſola illa operatio beatificare poteſt creaturam intellectualem, quæ inamiſſibiliter coniungitur cum Angelo; ſolum autem illa cognitio, qua Angelus per ſuam ſubſtantiã Deum cognoſcit, eſt ab Angelo inſeparabilis, & ſic quamvis per alias cognitiones ſubſequutas ad primum creationis inſtans, Deum perfectius cognoverint, non tamen per illas poſſumus eſſe beati, ſed

io-

Digitized by Google

ſolum per illam, quâ per propriam ſubſtantiam Deum ſic cognoverunt, quod ab eius cognitione nunquam ceſſare potuerunt: hæc autem cognitio Dei neceſſaria illis adfuit ab initio ſuæ creationis, & ſic à ſua creatione fuerunt beati beatitudine naturali.

Sed inſtas. Beatitudo naturalis Angelorum eſt amiſsibilis, & de facto illam Dæmones amiſerunt, cum peccarunt: ergo ruit doctrina noſtræ ſolutionis. Ad hoc diſt. Ant. beatitudo naturalis Angelorum eſt amiſsibilis quantum ad ſubſtantiã operationis, in qua veluti ſubſtantialiter conſiſtit, nego Ant. quantum ad rectitudinem moralem, quam requirit vt beatum denominet, Conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque beatitudo naturalis quoad ſubſtantiam operationis, in qua ſubſtantialiter conſiſtit, inamiſsibilis eſt, ſed quia vt beatum denominet requiritur quod illa operatio ſit recta rectitudine morali, poteſt ſemper durare quoad ſubſtantiam, quamvis non quoad hoc quod eſt beatum denominare, quia à rectitudine illius morali poteſt deficere: nam quoad hanc in Angelis ordinatis ad finem ſupernaturalem libertas fuit, & non neceſsitas: ſi quidem dum à fine ſupernaturali potuerunt recedere, potueruntque omnem rectitudinem moralem amittere, naturalem indirectè, & directè ſupernaturalem.

1002 Quoad ſecundam partem Prob. Concluſio. Nam ſi omnes Angeli ab initio creationis fuiſſent beati beatitudine vltima, nullus eorum deinde peccare potuiſſet, & per peccatum beatitudinem amiſiſſet; ſed plures ex eis de facto peccarunt, & beatitudinem vltimam, ſupernaturalem amiſerunt: ergo Angeli ab initio non fuerunt beati beatitudine vltima, & ſupernaturali. Conſeq. cum Min. patent, & Maj. Prob. nam cum beatitudo vltima conſiſtat in viſione Dei, ſicuti eſt in ſe, reddit beatos impeccabiles, & impotentes per propriam voluntatem amittere gratiam, & beatitudinem: igitur ſi ab initio Angeli fuiſſent beati beatitudine vltima, nullus eorum deinde peccare potuiſſet. Confirm. ſingulariſsimum privilegium Dei hominis fuit ab inſtanti ſuæ conceptionis habere beatitudinem vltimam, & ſupernaturalem illi debitam ex vi gratiæ vnionis hypoſtaticæ: ergo non eſt dicendum hoc ipſum habuiſſe Angelos à primo ſuæ conditionis inſtanti. Prob. Conſeq. nam privilegia, quæ conveniunt Chriſto, quia Deus, & homo eſt, non ſunt concedenda puris creaturis; ſed Angeli puræ creaturæ ſunt: igitur non eſt dicendum, quod ab initio ſuæ conditionis fuerint beati vltima beatitudine ſupernaturali.

Dices, quod eſto Angelis fuerit conceſſum ab initio beatos eſſe beatitudine vltima, non derogaretur ſingularitati Chriſti: ergo. Probabis Antec. nam Chriſto data eſt beatitudo vltima in primo inſtanti, vt per ſe debita; Angelis autem data eſſet ex mera gratia prædeſtinationis: igitur quamvis ab initio fuiſſent beati, non derogaretur privilegio ſingulari Chriſti. Sed contra eſt, nam gloria non eſt data Chriſto ab inſtanti conceptionis tanquam debita titulo connaturalitatis, vel naturalis exigentiæ, vel radicationis, ſed ſolum data fuit titulo decentiæ, & congruentiæ, quia veluti decens erat animam Verbo vnitam gratia, & gloria ab initio exornare, hic autem titulus non defuiſſet Angelis, ſi ab initio eos condidiſſet beatos vltima beatitudine: ergo Chriſtus non fuiſſet in hoc ſingularis, nec quoad gloriam ab initio poſſeſſam, nec quoad titulum poſsidendi eam ab initio.

1003 Sed inſtas contra hanc partem: Chriſti anima debuit ab initio eſſe beata beatitudine gloriæ, quia (inquit D. Thom.) maius malum eſſet Chriſti animæ carere gloria pro vno inſtanti, quam eſſet ei bonum gloriam ſibi facere debitam per proprios actus, ſed etiam Angelis maius malum fuit carere in primo inſtanti gloria, quam in ſecundo inſtanti fuit bonum per proprios actus ſibi facere eam debitam: ergo ſicut congruum fuit Chriſti animam ab initio ornare viſione beata, ita fuit congruum Angelos ab initio ornare gloria. Secundo inſtabis, quia homo ex ſua imperfectione in linea ſubſtantiæ intellectualis habet tam in ordine gratiæ, quam in ordine naturæ per motum adquirere cognitionem intelligibilis veritatis; diximus ſupra, Angelos non diſcurrere neque in ordine naturæ, neque in ordine gratiæ: ergo pariter quia homo ex ſui imperfectione habet venire ad gloriam per diſcurſum meritorum, debebimus etiam dicere, quod Angeli ſine proprio motu meritorum debuerunt beatitudinem eternam aſſequi.

Ad primam, conceſsis præmiſsis, nego Conſeq. quia illud maius malum non erat ita neceſſariò vitandum in Angelis, qui

qui erant puræ creaturæ; ac debebat vitari in Chriſto, qui erat Deus, & homo: & ſic Chriſto data eſt gloria in primo inſtanti, non verò Angelis. Ad ſecundam dico, quod venire ad intelligibilem veritatem diſcurrendo ſpectat ad partem intellectivam, ſecundum quam homo ex natura ſua eſt diſcurſivus, & Angelus intellectivus, & ſic in omni ordine debuit Angelus abſolvi ab imperfectione diſcurſus; moveri autē per merita ad aſſequutionem beatitudinis viçimæ ſpectat ad lineam voluntatis, in qua linea Angelus communicat in motu cum hominibus, nam ſicut homo ex amore finis ſe movet ad electionem mediorum, ita & Angelus: & ſic ab hac imperfectione movendi ſe per meritum ad beatitudinem vltimam non debuit abſolvi Angelus.

§ II.

Vtrùm aliqui ex Angelis, nempe ſupremi, ab initio creationis Deum viderint per eſſentiam?

1004 VIDIMVS in præcedenti §. Angelos non fuiſſe beatos à primo inſtanti ſuæ creationis beatitudine æterna ſupernaturali conſiſtente in perpetua Dei, ſicuti eſt, viſione; reſtat curioſè indagandum, vtrùm aliqui ex illis nempe primores, & ſuperiores ſaltim tranſeunter in primo inſtanti, in quo creati ſunt, Deū viderint per eſſentiā, eo modo, quo Moyſes, & Paulus dum adhuc viatores eſſent, Deū viderunt. Et quidē pars affirmans eo videtur ſuaderi, quod non ſit denegandum Angelis viatoribus id, quod hominibus viatoribus conceſſum legitur; ſed inter homines Moyſes, & Paulus, dum viatores eſſent, tranſeunter Deum vidiſſe affirmāt Theologi: videtur ergo quod hoc fuerit conceſſum primoribus Angelis. Quod roborari poteſt ex eo; quod ratio, ſeu congruentia, quæ militat in favorem Moyſis, & Pauli etiam militat in favorem primorum Angelorum; nam teſte D. Th. ſupra q. 12. art. 11. Moyſes adhuc in carne vivens elevatus eſt ad viſionem beatā, quia fuit a Deo inſtitutus magiſter Iudæorum, & Paulus ad eandem elevatus eſt, quia fuit inſtitutus magiſter gentium, ſed etiam Angeli ſupremi fuerunt inſtituti magiſtri omnium inferiorum Angelorum: igitur ratio, quæ facit in favorem Moyſis, & Pauli, facit etiam in favorem ſupremorū Angelorum: concedere ergo debemus primis Angelis viatoribus quod Moyſi, & Paulo conceſſum eſt.

His non obſtantibus oppoſitum tenendum eſt, nempe quod nec Angeli ſupremi adhuc tranſeunter Deum viderint per eſſentiam. Nam de his ſingularisſimis privilegijs, quorum conceſsio ſolum dependet ex divina voluntate, nihil poſſumus affirmare, niſi id, quod invenimus in Scripturis Sacris revelatum; per ipſas enim Sacras Scripturas nota fecit Deus nobis ſua ſecreta conſilia; ſed in ſcripturis ſacris non eſt revelatum aliquos ex Angelis Deum vidiſſe, dum fuere viatores: ergo hoc de ipſis affirmare non poſſumus. Dices huic rationi, Minorem eſſe falſam, nam in ſcripturis ſacris aliqua leguntur, ex quibus hæc veritas valet conijectari. Etenim Ezechielis 28. de primò Angelo legitur in perſona Regis Tyri, *tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs paradiſi Dei fuiſti*: deliciæ autem paradiſi ſunt viſio beata, & amor beatificus: igitur ex ſacra ſcriptura colligi poteſt primum Luciferum Deum per eſſentiam vidiſſe adhuc dum eſſet viator. Quod roborari poteſt ex eo quod Gloſſa interlinealis explicans illud Epiſtolę Iudæ, v. 6. *Angeli vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum*, per principatum intelligit ſpiritualem Dei viſionem: igitur adeſt fundamentum ad aſſerendum aliquos ex Angelis Deum vidiſſe in ſtatu viæ viſione tranſeunti.

Sed contra eſt, nam iſta non ſufficiunt ad affirmandum aliquos ex Angelis, cum viatores eſſent, Deum per eſſentiam vidiſſe tranſeunter: ergo. Prob. Antec. nam per delicias paradiſi non eſt neceſſe intelligere viſionem Dei per eſſentiam, ſed poſſumus intelligere per illas, amœnitatē empirei, & fluenta gratiarum, in quibus Lucifer creatus eſt, & à quibus per peccatum deſtitutus in infernum detruſus eſt. Similiter per ſpiritualem Dei viſionem non debemus intelligere viſionem claram, & intuitivā Dei, ſed viſionem in ænigmate, quæ eſt per fidem, de qua ibi eſt ſermo: nam dicitur *eos, qui non crediderunt, perdidit*, vbi loquutio eſt de Angelis Apoſtatis: nullum ergo habetur fundamentum in ſcriptura ad affirmandum aliquos ex Angelis, dum viatores eſſent, Deum per eſſentiam vidiſſe.

Ex quibus ad rationem dubitandi in principio adductam, dico, quod in his, quorum conceſsio ſolum dependet ex ſingulariſ-

riſſima voluntate Dei non eſt bonum argumentum. hoc conceſſum eſt hominibus: ergo & Angelis debuit concedi. Siquidem nulla lege tenetur Deus ad conferendum Angelis ſingulariſſima, quæ concedit aliquibus viatoribus hominibus: nec hominibus hoc aſſerimus ex vi rationis, quæ ad hoc convincat, ſed præciſe ex teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, quæ hoc ita factum enunciant: nam ratio adducta non probat ita factum, ſed tantum dat congruentiam facti.

1005 Sed contra hanc veritatem obijcies duo loca Auguſtini, Primum ex lib. 11. de civit. Dei cap. 22. vbi habet, *quod Angeli à principio fuerunt participes lucis, & claritatis æternæ.* Alterum ex eodem libro cap. 9. ibi loquens de Angelis bonis ait; *tanto eſt fœlicior illa portio, quanto nunquam fuit peregrinata à Deo;* at ſi in primo inſtanti Angeli boni Deum per eſſentiam non vidiſſent, aliquando fuiſſent peregrinati à Deo, ſi quidem fuiſſent viatores: igitur ſecundum Auguſtinum boni Angeli à principio ſuæ creationis fuerunt beati, vel ſaltem habuerunt actum viſionis beatæ. Similiter cap. 29. dicit, *omnes Angelos à principio habuiſſe cognitionem matutinam,* per hanc autem theologi intelligunt viſionem beatam: ergo.

Reſpondeo. In nullo ex adductis locis Auguſtinum Parentem ſentire contra noſtram reſolutionem; non in primo, nam per participationem lucis, & claritatis æternæ intelligit Auguſtinus non viſionem beatam, ſed quandam perfectiſſimam cognitionem ex dono fidei, & ſapientiæ dono promanantem, quam etiam in tertio loco adducto vocat, *cognitionem matutinam,* quia licet non ſit viſio clara Dei per eſſentiam, eſt tamen Dei altiſſima cognitio. In ſecundo loco dicit portionem bonorum Angelorum nunquam fuiſſe à Deo peregrinatam, non quia non fuerint aliquando viatores, ſed quia nunquam per peccatum à Deo longe facti ſunt.

§. III.

Vtrùm Angeli ad convertendum ſe in Deum, prout obiectum beatitudinis eſt, indiguerint gratia?

1006 CONVERTI in Deum, vt obiectum beatitudinis ſupernaturalis eſt, eſt habere actum voluntatis, quo voluntas tendat recte in Deum, vt beatitudo ſupernaturalis obiectiva eſt; nomine etiam gratiæ hic intelligimus donum Dei gratuitum, id eſt, non debitum naturæ Angelorum, ſed mere gratis conceſſum, abſtrahendo à dono habituali, & actuali, quod gratia auxilians communiter appellatur. Sit concluſio. Angeli indiguerunt gratia auxiliante ad convertendum ſe in Deum vt beatitudinis ſupernaturalis obiectum, tanta indigentia, quod ſine illo non potuerunt converti. Sic. Div. Thom. hic q. 62. art. 2. & Prob. eius ratione. Nulla voluntas poteſt ferri in id, quod eſt ſupra facultatem naturæ volentis, niſi adiuta ab eo, quod poteſt in illud; ſed vltima beatitudo excedit facultatem cuiuſque naturæ creatæ: ergo. Mai. Prob. dupliciter, primo, quia omnis motus voluntatis initiatur ex motu eius naturali, ac per hoc non ſe extendit ſuper illum: ergo nulla voluntas poteſt ferri in id, quod excedit facultatem naturæ volentis, niſi adiuta ab eo, quod poteſt in illud. Secundo Prob. ſeu explicatur in igne reſpectu calefactionis, & reſpectu generationis carnis, ad quorum primum ignis habet inclinationem naturalem, & ſic poteſt ex ſe calefacere, & ignem generare; ad ſecundum autem ignis ex ſe non poteſt, quia eſt ſupra eius naturalem facultatem: vnde ad generandum carnes, indiget moveri à virtute nutritiva, cuius proprium & connaturale eſt carnes producere: in id ergo, quod ſupra facultatem naturæ eſt, natura ex ſe non inclinat, ſed indiget adiutorio eius, quod in id poteſt ex ſe: cum ergo beatitudo ſupernaturalis ſit ſupra facultatem naturæ Angeli, non poterit ex ſe inclinari per actum voluntatis, niſi iuvetur à Deo auctore gratiæ per aliquod gratuitum donum.

1007 Contra iſtam veritatem obijcies; ad ea tantum videmur indigere auxilio, quæ difficilia ſunt; ſed converti ad Deum non erat difficile Angelo, cum nihil eſſet in eo, quod huic converſioni repugnaret: ergo Angelus non indiguit auxilio gratiæ ad hoc, quod converteretur in Deum.

Ad hoc argumentum reſpondet D. Thom. *dicendum, quod difficile eſt quod tranſcendit potentiam, ſed hoc contingit eſſe dupliciter; vno modo quia tranſcendit potentiam ſecundum ſuum naturalem ordinem, & tunc ſi ad hoc poſsit pervenire aliquo auxilio, dicitur difficile, ſi autem nullo modo, dicitur impoſſibile, ſicut impoſſibile eſt hominem volare; alio modo tranſcendit aliquid potentiam non ſecundum ordinem naturalem potentiæ, ſed propter,*

ter aliquod impedimentum potentiæ adiunctũ; ſicut aſcendere non eſt contra naturalem ordinem potentiæ animæ motivæ, quia anima quantum eſt de ſe nata eſt moveri in quamlibet partem; ſed impeditur ab hoc propter corporis gravitatem: unde difficile eſt homini aſcendere: converti autem ad beatitudinem ultimam homini quidem eſt difficile, & quia eſt ſupra naturam, & quia habet impedimentum ex corruptione corporis, & infectione peccati; ſed Angelo eſt difficile propter hoc ſolum, quod eſt ſupernaturale. Sic D. Thom. Ex quibus ad argumentum in forma, nego Min. quia licet Angelus non impediatur corporis gravitate, vel peccati infectione ad convertẽdum ſe in Deum auctorem ſupernaturalẽ, tamen dum talis converſio eſt ſupra naturam Angeli, ad illam non poteſt ſine auxilio gratiæ; ideòque eſt illi difficilis. Hinc apparet pulchra doctrina valdè utilis ad materiam de gratia, videlicet, quod ſimpliciter, & abſolutè impoſſibile illud tantum dicitur, ad quod homo non poteſt, nec cum auxilio, nec ſine auxilio; poſſibile abſolute, & ſimpliciter eſt illud, ad quod ſe ſolo homo poteſt, impoſſibile cum addito eſt illud, ad quod homo ſine auxilio alterius non poteſt, poſſibile cum addito eſt illud, ad quod homo poteſt cum auxilio. Ex quibus infero, quod homini omni gratia deſtituto converſio ad Deum, ut auctorem gratiæ, nec eſt impoſſibilis abſolutè, & ſimpliciter, nec eſt poſſibilis abſolutè, & ex vi terminorum; ſed eſt impoſſibilis cum addito, ſcilicet, ſine auxilio gratiæ, & eſt poſſibilis cum addito, id eſt, cum gratiæ auxilio.

§. IV.

Utrùm omnes Angeli à ſua creatione habuerint gratiam ſanctificantem?

1008 CONCLUSIO Eſt affirmativa. Et Prob. auctoritate Auguſtini lib. 12. de civitate Dei cap. 9. ibi: *Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, niſi ille, qui eos cum ſua voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul condiens naturã, & largiens gratiam.* Sed antequam ratione id probem adverto, hanc concluſionem nõ eſſe de iure, ſed de facto: unde D. Thom. illam, ut probabiliorem, & ut magis ſanctorum dictis conſonam elegit. Et hinc adverto ſtylum S. Doct. in eo, quod quotieſcumque illi occurrit quæſtio de facto diſcutienda ſemper probabiliter determinat, niſi de facto expreſſe ex ſcriptura, & Patrum intelligentia conſtet. Iam ad rationem concluſionis, ſeu congruentiam accedamus. Gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, quo in natura ratio ſeminalis comparatur ad effectum naturalem: unde Ioan. 3. gratia ſemen Dei nominatur; ſed iuxta Auguſtinum ſtatim in prima creatione corporalis creaturæ inditæ ſunt ei ſeminales rationes omnium effectuũ naturalium: ergo ſecundum ipſum etiam erit dicendum, quod Angelis ſtatim à ſua creatione indita eſt gratia gratum faciens, ex qua habemus ſemen vitæ æternæ.

1009 Sed objicies contra hanc congruentiam. Nam in ea nulla eſt paritas inter ſeminales rationes effectuũ naturalium comparativè ad creaturam corporalem, & ſemen vitæ æternæ comparativè ad naturam Angelicam: ergo nihil concluditur. Prob. Antec. ſeminales rationes effectuum naturalium ſunt debitæ proprietates creaturæ corporalis, eſt enim proprietas arboris pomiferi poſſe producere poma, & ſic diſcurrendo de alijs: cumque proprietates rei ex iure connaturalitatis incipiant cum re, ideo ex quo arbores procreatæ ſunt cum virtutibus ſeminalibus effectuum naturalium, quia tunc ſic debebant procreari: non eſt autem naturæ Angelicæ ſemen vitæ æternæ, quod eſt gratia, debitum ut proprietas eius: igitur non fit bonũ argumentum ex ſeminibus effectuum naturalium comparative ad naturam corporalem, & ſemen vitæ æternæ comparativè ad naturam Angeli, nec ex hoc quod creatura corporalis ſit creata cum ſeminibus effectuum naturalium, probari poteſt, quod Angeli in gratia fuerint procreati.

Ad hoc argumentum reſpondetur; quod cum ratio adducta non ſit convincens demonſtratio, ſed pura congruentia facti, non requiritur, quod gratia ſit debita per modum proprietatis Angelo, ſicut ſeminales rationes ſunt debitæ creaturæ corporali; ſed ſufficit ſic ſe habere gratiam ad vitã æternam ut ſemen, ſicut ſeminales rationes ſe habent ad naturam corporeã: congruum enim erat, quod ſicut arbores procreatæ ſunt in ea quantitate, in qua poſſũt generare fructus ſuos, ita natura Angelica, quæ in primo inſtanti habuit totum ſuum eſſe ſimul de ordine naturæ, in primo inſtanti poſſet ſe movere ad ſuæ beatitudinis æter-

Digitized by Google

æternæ fructum. Explicatur hoc, proprietas eſt arboris poſſe producere fructus ſuos; ſed hæc proprietas non convenit arbori in omni ſua ætate, nam in rudi, ſeu infantili ætate hoc non cōvenit, ſed ſolū in determinata magnitudine, ad quam temporum decurſus perducitur: in creatione ergo arborum vnū fuit gratiæ auctoris naturæ, nempe procreare arbores in ea quantitate, in qua poſſet producere fructus ſuos, aliud fuit vis naturæ, nempe ſic procreatis dare illis virtutes effectrices ſuorum fructuum: in Angelis gratia creationis fuit producere illos, ſed fuit naturę Angelorum, quòd ſemel producti, eſſent capaces ex illo tunc emittendi fructum bonæ converſionis ad Deum auctorem gratię: congruentia ergo fuit, quod Angelis potentibus ſe convertere ab inſtanti creationis, ab eodem inſtanti talis converſionis haberent in ſe rationem ſeminalem, nempe gratiam gratum facientem; ſicut & arbores illam habuerunt ad effectus ſuos naturales, ex quo primo creatæ ſunt.

§. V.

Vtrum Angeli adquiſierint gratiam ſantificantem per propriam diſpoſitionem?

1010 IN Hoc puncto elucidando duplex reperitur ſententia. Prima negat Angelos medio motu propriæ diſpoſitionis gratiam ſanctificantem in primo inſtanti recepiſſe. Hanc ſententiam tenet Molina hic q. 62. art. 3. §. *ſunt aliqui*, citantque pro hac ſententia Capreolus, & Victoria. Cæterum oppoſitum eſt tenendum cum communi Thomiſtarum ſenſu. Pro cuius defenſione ſit noſtra concluſio. Angeli conſequuti ſunt gratiam ſanctificantem per proprium actum, quo converſi ſunt ad Deum auctorem gratiæ. Prob. ex D. Thom. hic art. 6. vbi docet quod Angeli, qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia, & gloria, quia fortius, & efficacius in Deum converſi ſunt: & 2. 2. q. 24. artic. 3. ad 3. aſſerit, ſuperiores Angelos factos eſſe meliores per gratiam, ſeu maiorem, ſeu intenſiorem gratiam recepiſſe, quia in illis fuit maior conatus ad bonum: quæ cauſalis non poteſt eſſe vera de conatu naturali, ſed de ſupernaturali, quia primus nullam cauſalitatem auhuc diſpoſitivam remotam poteſt habere ad receptionem gratiæ: ergo iuxta mentem Div. Thom. vera eſt noſtra concluſio.

Ratione Prob. Concluſio. Nam adultis, qui per proprium actum poſſunt iuſtificari, non datur gratia habitualis, niſi ad illam ſe diſponant per actum ſupernaturalē: ergo cum Angeli, ex quo producti ſunt, potuerint ſe movere ad gratiam, dicendum erit, non fuiſſe iuſtificatos niſi per propriā diſpoſitionem. Reſpondet Molina, hanc diſpoſitionē exigere Deum ab adultis peccatoribus: vult enim quod ſicut per propriū actum ab eo receſſerunt; ita & per proprium actum iuſtitiam recipiant, quæ non militat in Angelis, qui innocentes creati ſunt. Sed contra hoc ſic argumentor. Chriſtus peccator non erat, nec eſſe poterat; & tamen iuſtificatus eſt per gratiam habitualem more adultorum, nempe per propriā diſpoſitionem: ergo etiā Angeli innocentes creati ſint, potuerunt tamen more adultorum iuſtificari, id eſt, per propriam diſpoſitionem. Prob. Conſeq. nam Chriſtus, quamvis non fuit peccator, iuſtificatus eſt more adultorum, quia inquit D. Thom. 3. p. q. 7. *perfectior eſt iuſtificatio, quæ fit per actum, qualis eſt illa, quæ fit per propriam diſpoſitionem, quàm illa, quæ fit per ſolam habitus receptionem*: ergo ob eandem rationē, quamvis Angeli fuerint creati in ſtatu innocentiæ, debuerunt iuſtificari per propriū actum, & non per ſolam receptionem habitualis gratiæ. Quod etiam roborari poteſt exemplo primi hominis, qui innocens creatus eſt, & tamen teſte D. Thom. infra q. 95. art. 1. ad 5. in primo inſtanti gratiā accepit conſentiendo ipſi gratiæ, & præparando ſe ad illam: ergo quod Angeli in gratia ſint procreati, non infert eos non debuiſſe iuſtificari per propriam diſpoſitionem.

1011 Sed contra hanc veritatem obiicies duo difficillima loca D. Thom. Primus eſt ex q. 16. de malo art. 4. ad 14. & 15. vbi docet, quod Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis movebatur in Deum, in quantū eſt auctor naturæ, non tamen vt eſt auctor gratiæ, idque probat in corpore art. *quia Angelus in eodem inſtanti non poteſt habere diverſas conceptiones, & affectiones, eo quod diverſa operationes cauſant diverſa inſtātia temporis Angelici.* Similiter hic q. 62. art. 7. ad 3. ſic habet; *cognitio, & dilectio naturalis ordinantur ad cognitionem, & dilectionem gloriæ: unde nihil prohibet in Angelo eſſe & cognitionem, & dilectionem naturalem, & cognitionem, & dilectionem gloriæ*: Vnde nihil

hil dicit de diſpoſitione ad gratiam: ergo.

Ad primum communiter reſpondetur, Angelicum doctorem mutaſſe ſententiam, & hic habere oppoſitum. Inſuper etiã retractaſſe doctrinam adductam in cauſali, nam hic q. 63. art. 5. ad 3. & 4. expreſsè docet, quod Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis meruit beatitudinem: non autẽ illam mereri potuit per ſolam converſionem ad Deum auctorem naturæ: ergo habuit converſionem ad Deum auctorem gratiæ: habuit ergo in primo inſtanti diverſas conceptiones, & affectiones, diverſas quidem penes naturalitatem, & ſupernaturalitatem. Sed hac ſolutione omiſſa, poſſumus interpretari D. Thom. quod nomine *primi inſtantis* intellexerit primam operationem Intellectus, & voluntatis, & ſolum voluerit, quod prima operatio Angeli non fuit converſio ad Deum auctorem gratiæ, ſed tantum ad Deum auctorem naturæ, quod veriſsimum eſt; quod autem per correſpondentiam ad inſtans noſtri temporis non potuerint in eodem inſtanti eſſe ſimul, de hoc nihil dixit D. Thom. Fundo hanc doctrinã in verbis corporis articuli ibi: *Vnde & circa Angelos dicendum eſt, quod omnia illa, quæ Angelus per vnã ſpeciem cognoſcit, nõ poteſt ſimul cognoſcere, ſed ſucceſſive: iſta autem ſucceſsio non menſuratur per tempus noſtrum, quod cauſatur à motu cæli, ſupra quem ſunt conceptiones, & affectiones Angelorum, ſuperius autẽ non menſuratur ab inferiori. Sed oportet, quod ipſa conceptiones vel affectiones ſibi ſuccedentes cauſent diverſa inſtantia huius tẽporis: mea igitur, quæ ſecundum vnam ſpeciẽ Angelus apprehendere non poteſt, neceſſe eſt, quod moveatur in diverſis inſtantibus ſui temporis, ea autem, quæ ſunt ſupra naturam ad gratiam pertinentia, circa quæ fuit peccatum Angeli, magis diſtant à quibuſcumque naturaliter cognitis, quàm quæcumque naturaliter cognita ab invicem; vnde ſi non omnia naturaliter cognita propter eorum diſtantiam poteſt Angelus apprehendere per vnam ſpeciem, & ſimul, multò minus poteſt ſimul moveri in naturaliter cognita, & in ſupernaturalia, quæ ſunt gratuita; manifeſtum eſt autem, quod motus Angeli primò eſt in id, quod eſt ſibi connaturale, quia per id pertingit in id, quod eſt ſupernaturam, & ideo oportet, quod Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis converteretur ad naturalem ſui cognitionem, ſecundum quam non potuit peccare &c.* Ex quo diſcurſu, & litera patet, quod D. Thom. nomine *primi inſtantis*, intelligit primam operationem: vnde quando dicit; *quia in eodem inſtanti nequit habere diverſas conceptiones, & affectiones*, nobis non ſe opponit, quia nos nomine *inſtantis primi*, non intelligimus primam operationem, ſed primum inſtans phyſicum temporis noſtri, in cuius morula dicimus, Angelum poſſe habere diverſas affectiones inter ſe ordinatas, quales ſunt cõverſio ad Deum auctorem naturæ, & cõverſio ad Deum auctorem gratiæ. In ſecunda etiam auctoritate nobis non ſe opponit, quia nomine *dilectionis gloriæ* non intelligit eam, quæ elicitivè à gloria fit, ſed eam, ad quam gloria concurrit obiectivè, quia Angelus ſe diſpoſuit per dilectionem Dei, vt obiectum beatitudinis ſupernaturalis eſt.

1012 Obiicies ſecundo, ſi Angelus in primo inſtanti habuit converſionẽ ad Deũ per charitatem, ſequitur, in ſecundo inſtanti non potuiſſe peccare; Conſeq. non eſt admittendum: ergo Prob. ſequela, illa cõverſio deberet eſſe libera, & deberet eſſe electiva; ſed Angelus nequit retractare id, quod ſemel elegit, vt infra dicemus: igitur Angelus in inſtanti ſequenti non potuiſſet peccare. Ad hoc nego ſequelam. Ad Prob. illa converſio deberet eſſe libera, libera, & perfectè deliberata, nego Mai. libera, ſed non perfectè deliberata, Conc. Mai. & diſt. Minor. quando perfectè eligit deliberatè, Conc. Min. quando imperfectè, & ex ſolo Dei dictamine, neg. Min. & Conſ. Itaque quando Angelus perfectè ſe movet ex amore finis ad electionem mediorum, tunc dicimus, non poſſe Angelum retractare ſuam electionem; porrò cum primo ſe diſpoſuit ad gratiam, non ſe movit ex proprio dictamine, ſed ex Dei dictamine, & ſic potuit in ſecundo inſtanti non ſe conſervare in amore ſupernaturali Dei, in quo primo creatus eſt.

1013 Obiicies tertio, ſi Angelus in primo inſtanti ad Deum auctorẽ gratiæ fuiſſet converſus, in primo inſtanti meruiſſet beatitudinem: ergo in ſequenti fuiſſet beatus; quod contra omnes eſt: ergo. Prob. ſequela, via Angelorum bonorum finita eſt per vnum meritum, ſicut & via malorum per primum peccatum finita eſt: ergo ſicut poſt peccatum mali damnati ſunt, boni poſt primum meritum fuiſſent beati. Ad hoc, nego Antec. Ad Prob. diſt. Antec. via bonorum Angelorum finita eſt per vnum meritum deliberatum, ex proprio dictamine procedens, Conc. Antec. indeliberatum, & ſolum ex Dei dictamine emanans, nego

go Ant. & Conſ. Et ad id, quod dicitur de peccato, non eſt paritas, quia peccatum proceſsit deliberatè, & ex proprio dictamine: vnde clauſit viam malorum Angelorũ, meritum autem, prout primo elicitum, non fuit, movendo ſe Angelum ex proprio dictamine, ſed ſolum ex Dei dictamine, & ſic viam bonorum non finivit.

QVÆSTIO XVI.

De malitia Angelorum quoad culpam.

CONSIDERAVIMVS Quæ ad Angelorum ſpectant bonitatem in ordine naturæ, & in ordine gratiæ: reſtat nobis agendum de eorum malitia, quam duplicem eſſe communiter tenent theologi; aliam culpæ, aliam pœnæ, de prima nobis modo agendum eſt.

§. I.

Verùm poſsit dari creatura intellectualis ſimpliciter ex natura ſua impeccabilis?

1014 EX Dono gratiæ dari creaturas ſimpliciter, impeccabiles patet in beatis, in Chriſti humanitate, & in Beata Virgine. Eſt ergo difficultas de creatura in ſua natura tantum conſiderata, an videlicet aliqua poſsit dari, cui impoſsibilitas ad peccandũ tam contra Deum auctorem gratiæ, quam auctorem naturæ naturaliter annexa ſit? Et quidem partem affirmantem tenent Theologi tam antiqui, quam moderni, qui defendunt Deum poſſe efficere ſubſtantiam ſupernaturalem, cui videre Deum ſit connaturale, eo prorſus modo, quo connaturale eſt homini eſſe riſibilem. Partem tamen negantem communiter tenent Theologi. Pro cuius defenſione ſit Concluſio. Nequit dari creatura, cui conveniat per naturam impoſsibilitas ad peccandum. Ita D. Thom. q. 63. art. 1. ibi: *dicendum, quod tam Angelus, quam quæcumque creatura rationalis, ſi in ſua natura conſideretur, poteſt peccare; & cuicumque creaturæ hoc convenit, ut peccare non poſsit, hoc convenit ei ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ.* Et infra: *ſic igitur in ſola voluntate divina peccatum eſſe non poteſt, in qualibet autem voluntate creata poteſt eſſe peccatum ſecundum conditionem ſuæ naturæ.* Et quæſt. 24. de verit. art. 7. ait: *dicendum, quod nulla creatura nec eſt, neque eſſe poteſt, cuius liberum arbitrium ſit naturaliter confirmatum in bono, ut hoc ei ex puris naturalibus conveniat, quod peccare non poſsit.*

Probat D. Thom. hic q. 63. art. 1. concluſionem hac ratione, ſupponendo quod peccare nihil aliud eſt quam declinare à rectitudine actus, quam debet habere, ſive accipiatur peccatum in naturalibus, ſive in artificiatis, ſive in moralibus. Quo ſuppoſito ſic arguit. Nulla creata natura rationalis eſt ipſa regula ſuæ operationis: ergo nulla creatura rationalis ex ſua natura eſt impeccabilis. Prob. Conſ. nam ſola illa natura contingit non errare in operando, quæ eſt ipſa regula operationis; ideo enim Deus ex ſua natura non poteſt deficere in operando, quia virtus eius ipſa regula benè operandi eſt: ſi enim ponamus manum artificis eſſe ipſam regulam bonæ inciſionis, ponemus neceſſarium eſſe, quod nunquam erret in inciſione: ergo ſi nulla natura rationalis in benè operando ſua regula eſt, nulla natura rationalis creata erit, quæ nõ poſsit peccare. Antec. verò Prob. ſic, nam omnis voluntas creata non habet rectitudinem in ſuo actu, niſi ſecundum quod regulatur à voluntate divina, ad quam pertinet ultimus finis, penès quẽ penſatur omnis regulatio bonæ operationis: igitur nulla creatura rationalis creata in operando ſua regula eſt. Sic D. Thom.

Sed quia vim huius doctrinæ mirabiliter explicat Dominus Caietanus placet verba ipſius adducere. *Scito* (inquit) *quod doctrina iſta fundatur ſuper hoc, quod actus rectus dicit duo, actum, & rectitudinem, et per hoc principia eius ſunt duo, ſcilicet potentia operativa, & regula, & propterea ſecũdum coniunctionem potentiæ operativæ cum regula erit coniunctio actus cum rectitudine, ita quod ſi coniunctio eſt inſeparabilis, etiam actus neceſſariò erit rectus, & ſi coniunctio illorum principiorum eſt ſeparabilis, actus etiã poterit eſſe non rectus: & ſimiliter ſi coniunctio actus cum regula eſt ex natura actus, actus naturaliter erit rectus, & ſi eſt ex dono gratiæ, actus ſtante dono erit rectus, & non ex vi naturæ, & propterea per ſe nota eſt illa propoſitio, virtus operativa, quæ eſt ſua regula, non poteſt naturaliter deficere à rectitudine actionis.* Sic ſubtiliter Caietanus. Ex quibus infero, virtutem aliquam eſſe ſuam regulam in operando ſtare dupliciter; vel per iden-

identitatem regulæ cùm virtute, vel connexivè connexione neceſſaria virtutis cũ regula, hoc eſt, quod licet iuſtus regula nõ ſit, ſit tamen determinata ad operandum conformiter ad regulã: & quia nulla creatura eſt ſua regula per identitatem, ſiquidẽ nulla eſt Deus, qui eſt prima regula humanorum actuum, nec etiam eſt ſua regula connexivè, quia eſtò aliqua natura cũ Deo vt auctore naturæ neceſſario connecti poſſit, cum Deo tamen vt auctore gratiæ nullo modo naturaliter valet cum Deo connecti, quia gratia omnino extra exigentiã naturæ eſt: ideò convincitur ex adducta doctrina, nullam creaturam ex natura ſua ſimpliciter impeccabilem eſſe omnino.

Dices, hanc doctrinam, ſeu explicationem ad mentem D. Th. non eſſe. Nam D. Thom aſſerit ſolum Dei voluntatem eſſe impeccabilem, quia ſola illa ſua regula eſt; voluntas autem Dei ſolum eſt ſua regula per identitatem: ergo diſtinctio huius, quod eſt eſſe ſuam regulam, vel per identitatem, vel per connexionem non eſt de mente D. Thom. Ad hoc, diſt. Conſeq. loquendo de eſſe ſuam regulam, quatenus infert naturam ſimpliciter, & abſolute impeccabilem, Conc. Conſeq. loquendo de eſſe ſuam regulam, quatenus infert impeccabilitatem, vel ſecundum quid, vel ſimpliciter, ex ordine tamen gratiæ provenientem; nego Conſ. Itaque hæc propoſitio *ſola voluntas, quæ eſt ſua regula, eſt impeccabilis*, poteſt eſſe vera dupliciter; vel loquendo de impeccabilitate in aliquo ordine determinato tantum, nempe naturali; vel de impeccabilitate ex gratia alicui conveniente, & iſto modo non requiritur, quod vt aliqua natura ſit impeccabilis, ſit ſua regula per identitatem, ſed ſufficit, ſi vel ex natura rei habeat neceſsitatem conformandi ſe cum regula, vel ſi illam habeat ex gratia, qualiter eam habent beati, qui ex ſola gratia impeccabiles ſunt, per hoc quod ex gratia habent neceſsitatem conformandi ſe cũ regula omnis operationis, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis. Vel loquẽdo de impeccabilitate ſimpliciter alicui naturæ competenti ex terminis ſolius naturæ; & iſto modo illa propoſitio non admittit diſtinctionem; ſicut enim ſola divina natura impeccabilis eſt ex terminis ſuis, ita & eſt ſua regula per identitatem.

1016 Dices ſecundo, dictam propoſitionẽ in ſenſu explicato eſſe falſam: ergo ex illa prout ſic nihil poteſt concludi. Prob. Anteced. nã voluntas Angeli pro primo inſtanti ſimpliciter, & omnibus modis impeccabilis eſt naturaliter, & non ex dono gratiæ; & tamen non eſt ſua regula, neque per identitatem, neque per neceſſariam connexionem conformitatis cum illa: ergo falſum eſt dicere, quod ſola illa voluntas, quæ ſua regula eſt, vel per identitatem, vel per cõnexionem neceſſariam cum illa: impeccabilis eſt. Conſeq. eſt bona, Maior infra dictabitur à nobis, & Minor. Probat. quoad primam partem, quia voluntas Angeli nõ eſt Deus. Quoad ſecundam, quia, vt ſuprà diximus, eſto poſsit aliqua creatura neceſſariò connecti cum prima regula operationis naturalis, nequit tamen connecti neceſſariò naturaliter cum prima regula operationis ſupernaturalis, cum hæc ſit ſupra omnem exigentiam naturæ: igitur natura Angelica in primo inſtanti ſui eſſe neq; eſt ſua regula per identitatem, neque per neceſſariam connexionem. Ad hoc, nego Min. ad Prob. quo ad ſecundam partem, dico, naturam Angelicam connecti cum prima regula operationis ſupernaturalis, non quia ex vi naturæ exigatur talis connexio, ſed ne aliqua operatio mala Deo attribuatur, qui Angelũ tenetur ſpecialiter applicare in primo inſtanti, & ſic tenetur illum dirigere, ne in aliquo peccet pro illo inſtanti: vnde illa connexio potius eſt inter Deũ, & ſe ipſum, (qui hoc ipſo quod Angelum creavit, tenetur ſpecialiter applicare illum ad operandum) quàm ſit inter naturam Angelicam, & Deum auctorem gratiæ.

1015 Secundo Prob. principaliter cõcluſio alia ratione, qua vtitur Div. Thom. pluribus in locis ad hanc formam reducta. Omnis natura creabilis ex nihilo eſt: igitur omnis talis peccare poteſt. Vis huius Conſ. ex eo deducitur, quia hoc ipſo quod natura libera ex nihilo ſit, vertibilis, & mutabilis eſt in nihilum: ergo & eius operatio mutabilis erit de bona in malam, quod enim eſt mutabile ſecundum eſſe, eſt etiã mutabile ſecundum operationem; nã modus operandi ſequitur modum eſſendi.

Hæc ratio pluribus apparet difficilis, nam ex eo quod natura Angelica v. g. ſit vertibilis in non eſſe, tantum ſequitur, quod eius operatio, poſt quàm eſt, poſsit non eſſe, de quo nullus dubitat; non verò ſequitur, quod poſsit de bona moraliter verti in malam moraliter, nam hoc non eſt operationem deficere entitativè, ſed tantum eſt carere debito fine, quod conve-
nire

Digitized by Google

nire poteſt operationi Angelicę in actu exiſtenti. Secundò, ſi Angelus poteſt peccare, quia poteſt in nihilum verti, cùm ex nihilo ſit, ſequitur, quod ſicut Angelus de lege ordinaria annihilabilis non eſt, pariter neque de lege ordinaria peccare poſsit, & ſic Dæmones non peccaverunt de lege ordinaria, quod falſiſsimum eſt: ergo. Prob. ſequela, nam modus operãdi eſſe debet iuxta modum eſſendi: ergo ſi ſic Angelus eſt, quod de lege ordinaria nõ poteſt deficere, operatio eius ſic erit, quod de lege ordinaria peccaminoſa non poſsit eſſe. Tertio, nã beatus, confirmatus in gratia, & ſubſtantia ſupernaturalis, ſi daretur, omnes eſſent ex nihilo; & nihilominus ſunt impeccabiles; ergo ex hoc quod eſt ſubſtantiã Angelicam eſſe ex nihilo, non ſequitur eſſe peccabilẽ.

Ad primam, nego Ant. Etenim operatio libera creaturæ dupliciter poteſt deficere: vel quoad exiſtentiam, id eſt, per hoc quod poſtquàm exiſtit, exiſtentiam amittat, qui defectus non convenit illi formaliter vt linea operationis diſtinguitur à linea entis, ſed tantum illi convenit, in quantum eſt quoddam ens, quod dicitur operatio: poteſt etiam deficere vt operatio, & hoc eſt deficere ex nõ attingentiã debita principiorũ, à quibus procedit, nẽpe finis, & circunſtantiarum, quod eſt eſſe operationem malam: Conſeq. ergo D. Th. non infert operationẽ poſſe deficere deficientia de linea entis creati, ſed de linea operationis, quaſi ex poſsibilitate primi defectus inferat poſsibilitatẽ ſecundi: & ſic ſi voluntas omnis creata talis cõditionis eſt, quod in nihilum verti poſsit, ſequitur, quod in operando deficere poſsit, & ſic ſequitur poſſe ſic operari, quod finem debitum non attingat. Ad ſecundum nego ſequelam. Ad Prob. dico, modum operandi debere ſequi modum eſſendi in eo, in quo poteſt cum illo convenire; non vero in eo, in quo ab illo diſtinguitur; operatio ergo poteſt ſequi modum eſſendi quoad hoc, quod eſt deficere; non verò quoad hoc quod de lege ordinaria non poſsit peccare. Ratio huius eſt, quia proxima radix peccati in voluntate eſt voluntas libera inter bonũ, & malũ, quæ Angelis convenit de lege ordinaria. Angelus autẽ poſtquam eſt, neceſſariò eſt determinatus ad eſſendum, & per ſe connectitur cum ſua exiſtentia, & ex hoc habet, quod de lege ordinaria annihilabilis nõ ſit; & ſic eſtò ex hoc quod Angelus poſsit in nihilũ verti, ſequatur poſſe peccare; nõ tamen ſequitur, quod nõ poſsit peccare de lege ordinaria ex hoc quod de lege ordinariã Angelus annihilari non poſsit, quia primò obſtat libertas, quàm habet de lege ordinaria ad bonum, & ad malum, ſecundum autem oritur ex eo, quod poſt quàm Angelus ſemel exiſtit, neceſſario connectitur cum ſuo exiſtere.

Ad tertiam dico, Beatum, & confirmatũ in gratia non eſſe impeccabiles impeccabilitate conveniente illis ex eorum natura, nam illa tantum attenta, ſicut ex nihilo ſunt, ſic & peccare poſſunt: ſunt autem tantum impeccabiles ex accidenti, nempe ex gratia, vel conſummata, vt ſunt beati, vel viæ, vt ſunt confirmati in gratia, de quibus Deus habet decretum efficax de eo quod nunquàm deficiant, quamvis graviſsimis tentationibus vexati. De ſubſtantia ſupernaturali ſi daretur, dico, quod illo impoſsibili dato, vtrumque contradictorium ſequeretur, videlicet & quod ex natura ſua peccare poſſet, quia ex nihilo eſſet, & quod non poſſet peccare, quia ex dicta ſubſtantia tanquam ex radice orirentur gratia, & gloria, & omnia auxilia ſufficientia, & efficacia ad non peccandum. Inſtabis, beatitudo ex nihilo eſt; & nihilominus indefectibilis eſt naturaliter, & etiam moraliter: ergo eſto Angeli natura ex nihilo ſit, indefectibilis eſſe poterit naturaliter, & moraliter, & ſic dabitur creatura, quæ ex natura ſua impeccabilis ſit. Ad hoc, nego Conſeq. nam ex hoc quod aliquid ſit ex nihilo non probatur eſſe peccabile, niſi ens liberum ſit, ſicut ſunt Angeli: beatitudo autem eſt ens neceſſarium, & ſic ſtat benè, quod ex nihilo ſit, & quod naturaliter, & moraliter indefectibilis ſit.

1016 Sed vrgentius inſtabis contra eandem rationem. Etenim ſi ex hoc quod natura Angelica eſt ex nihilo ſequitur poſſe peccare: ergo etiam ex dono gratiæ non poterit reddi impeccabilis. Prob. nam non eſt donum gratiæ, quod poſsit à natura Angelica auferre, quod ſit ex nihilo, neque enim beatitudo hoc facere poteſt: ergo non eſt donum gratiæ, quod poſsit à natura Angelica auferre peccabilitatem. Prob. Conſ. nam quod nequit tollere ab aliquo ſubiecto formã, nequit ab eo tollere effectũ formalẽ; ſed eſſe ex nihilo eſt veluti forma non repugnantiæ ad peccandũ: ergo ſi nullum donũ gratiæ poteſt auferre à natura Angelica quod ſit ex nihilo, nullum pa-

Digitized by Google

impeccabiles in vtroque ordine repugnanter, nego Ant. merè negativè, conc. Ant. & diſt. Conſ. ergo poteſt Deus facere creaturam impeccabilem naturaliter in vtroque ordine repugnanter, nego Conſ. in vtroque ordine merè negativè, tranſ. Conſeq. Itaque impeccabilitas in vtroque ordine ſtat dupliciter: alia, quæ conſiſtit in repugnantia ad peccandum per receſſum à Deo auctore gratiæ & à Deo auctore naturæ, & iſto modo Angeli non ordinati ad finem ſupernaturalem non eſſent impeccabiles in vtroque ordine, quia licèt de facto ordinati non eſſent, poſſent tamen ordinari, & Conſequenter poſſent peccare directè recedendo à Deo auctore gratiæ: alia eſt impeccabilitas negativa, quæ conſiſteret in eo, quod de facto non peccarent per receſſum à Deo auctore ſupernaturali, non quia repugnaret eis peccare, ſed quia ad illum ordinem merè negativè ſe haberent tàm in ordine ad virtutem, quàm in ordine ad peccatum, & iſto modo Angeli creati in puris naturalibus eſſēt impeccabiles. Quod non ſe opponit noſtræ concluſioni, in qua loquimur de impeccabilitate per repugnātiam ad peccandum tàm contra Deum auctorem naturæ, quàm gratiæ.

§. II.

Vtrùm Angelus poſsit directè peccare contra Deum auctorem naturæ?

1018 VIDIMVS Angelos non eſſe ſimpliciter impeccabiles per repugnantiā ad peccandum in vtroque ordine, nempe gratiæ, & naturæ, modo reſtringimus quæſitum ad ordinem naturæ non quomodocumque, ſed cum addito de ly *directè*, & prætendimus videre, vtrum Angelis repugnet immediatè peccare contra Deum auctorem naturæ, ſed ſit neceſſe, quod prius peccent contra Deū auctorē gratiæ, vt poſſint peccare contra Deum auctorem naturæ? Circa quod quæſitum, partem affirmātē tenēt Ieſuitę Suarez, Molina, Vazquez, & alij recentiores. Partem tamen negantē communiter tenent Thomiſtæ. Et pro eius defenſione. Sit Concluſio. Angelus nequit peccare contra finē naturalem, prius quam peccet contra finē ſupernaturalē. Prob. ex D.Th. q. 16. de malo, art. 3. ibi: *Quidquid aliud dici poteſt, quod ad ordinem naturæ pertinat, in hoc eius malum conſiſtere non potuit: malū enim non invenitur in his, quæ ſunt ſemper actu, ſed ſolum in his, in quibus potentia poteſt ſeparari ab actu, vt dicitur in 9. Metaphyſicæ: Angeli autē omnes ſic conditi ſunt, vt quidquid pertinet ad naturalem perfectionem eorū ſtatim à principio ſuæ creationis habuerint; tamē erant in potentia ad ſupernaturalia bona, quæ per Dei gratiam conſequi poterant: vnde relinquitur, quod peccatum Diaboli non fuerit in aliquo, quod pertinet ad ordinē naturalem, ſed ſecundum aliquid ſupernaturale.* In quibus D.Thom. & noſtrum tenet aſſertum, & efficaciter illud Probat.

Sed rationis eius efficatiam placet explicare. Aſſumit D. Th. pro Maiori ſui diſcurſus hanc propoſitionem, *malum enim non invenitur in his, quæ ſunt ſemper in actu, ſed ſolum in his, in quibus potentia poteſt ſeparari ab actu.* Etenim quando volitio efficax alicuius finis neceſſario, & inſeparabiliter cōiungitur cum volente, licet volens habeat libertatem in eligendo hæc, vel illa media, tamen neceſsitatur ad eligenda illa media, quæ habent proportionem cum illo fine, vnde ſi finis neceſſario amatus ſit bonus, talis volens nequit eligere media mala, & ſic verificatur propoſitio D. Thom. quod *in his, quæ ſemper*, id eſt, inſeparabiliter, *ſunt in actu*, hoc eſt, reſpectu finis boni, *nequit eſſe malum*, quia nequit eligi medium, quod non ſit proportionatum cum tali fine bono. Aliter autē res contingit, quando volitio finis boni ſeparabiliter coniungitur cū volente; tunc enim poteſt volitio finis boni ceſſare, & ſic voluntas poteſt media mala eligere; vnde contingit tunc fieri malum.

Minorem D.Thom. ſic explico, talis enim eſt, *Angeli autem omnes ſic conditi ſunt, vt quidquid pertineat ad naturalem perfectionem eorum, ſtatim à principio creationis ſuæ habuerint*, hoc debet intelligi de productione Angelorum iuxta exigentiam naturæ eorum: exigunt enim ex natura ſua produci cum ea perfectione naturali, per quam per modum actus poſsint ſe proximè movere ad actum ſecundum: ad hanc autem perfectionem ex parte intellectus requiritur cognitio actualis Dei vltimi finis neceſſaria quoad exercitiū, tam ſpeculativa, quàm practica, & inſuper cognitio habitualis, tàm quoad habitus, quā quoad ſpecies intelligibiles rerum omnium naturalium; ex parte vero, voluntatis requiritur actualis amor neceſſarius quoad exercitiū Dei vltimi finis naturalis; per hunc enim amorem voluntas eorum poteſt ſe movere ad ele-

Digitized by Google

electionem omnium mediorum ab illo eligibilium: vnde fit quod in nulla electione mediorũ naturali poſsit adeſſe peccatum, quia cùm inſeparabiliter ſint connexi cum amore Dei vltimi finis naturalis, ſunt neceſsitati quoad ſpecificationem ad electionem tantum eorum; quæ connexionem habent cum Deo vltimo fine naturali, cum quo tantum ea, quæ bona ſunt, proportionem habent: vnde concluditur evidenter, Angelos non poſſe peccare directè contra finem vltimum naturalem. Verùm enimverò quia cum amore Dei auctoris ſupernaturalis non neceſſario connectuntur, poſſunt ab illo ſeparari, & eligere malum; quo ſe avertant ab vltimo fine ſupernaturali, à quo ſi directè avertantur, ex conſequenti ſe avertent ab vltimo fine naturali ſaltim moraliter, quatenus regula naturalis dictat; quod fini ſupernaturali natura in omnibus debet ſubijci.

§. III.

Solvuntur difficultates, quæ militant contra hanc rationem.

1019 PRIMA Difficultas oritur ex eo, quod amor Dei auctoris naturalis, ad quem neceſsitantur quoad exercitium Angeli, non eſt amor Dei vt amici, legiſlatoris, & gubernatoris, ſed tantũ eſt amor Dei vt principij vniverſalis ſui eſſe; hic autem amor non infert directam obſervantiam præceptorum naturalium, licet illam inferat primus amor: ergo etiã dato quod Angeli voluntas ſemper ſit inſeparabiliter coniuncta cũ prædicto amore, non ſequitur, quod non poſsit peccare directè contra legẽ naturalẽ. Prob. Mai. nam amor amicitiæ Dei auctoris naturalis non compatitur cum peccato mortali, neq; enim poſsibile eſt, quod quis ſit amicus Dei auctoris naturæ, & ſit inimicus illius vt auctoris gratiæ. Inſuper amor Dei vt legiſlatoris ſupremi dictat ſemper illi obtemperandum, etiã ſi ſupernaturalia iubeat, quod dictamen non habet locum in Dæmonibus poſt peccatũ. Inſuper prædictus amor, cũ inferat poſitivã obſervantiã omniũ præceptorum naturaliũ, nõ compatitur cum violatione eorũ etiam ex motivo odij Dei auctoris gratiæ; Dæmones autẽ violare multa præcepta naturalia conſtat, dum mendacia dicunt, homicidia ſuggerunt, & alia huiuſmodi faciunt. Inſuper talis amor, cum ſit perfectiſsimus inter omnes actus morales ordinis naturalis, vitiari nequit ex aliquã circunſtantiã; in Dæmonibus autem non eſt actus moraliter vndequaque bonus, ſed omnis quiſquis ille ſit, moraliter vitiatus eſt: ergo amor Dei, ad quem Angeli quoad exercitium neceſsitantur, non eſt amor Dei auctoris naturalis vt amici, legiſlatoris, & gubernatoris, ſed tantum eſt amor illius vt principij vniverſalis.

Ad hanc difficultatem; nego Mai. Ad primam Prob. nego Antec. Etenim amicitia ordinis naturalis cum Deo non eſt amicitia ſimpliciter, ſed ſecundũ quid, vnde & poteſt compati cum peccato mortali contra Deum auctorem gratiæ; non enim poſſumus negare, quod bona naturalia peccatorum Deus amet, quamvis eorum malitiam contra Deum vt auctorem gratiæ odio habeat: ſunt enim veri Dei effectus; Deus enim nihil odivit eorum, quę fecit, & conſervat in eſſe. Ad ſecundam Prob. nego Antec. dictamen enim illud non eſt ordinis merè naturalis, licet ſit hominis elevati ad ordinem ſupernaturalem; ordo enim merè naturalis, merè negativè ſe habet ad ſupernaturalia; & ſic nequit prædicta dictare. Ad tertiam dico, amorem Dei auctoris naturalis inferre efficaciter obſervantiam directam pręceptorum naturalium, hoc eſt, facit quod habens illum nequeat directè peccare contra legem naturalem: nam cum ſit neceſſariò converſus in Deum finem naturalem, directè procedendo, omnia naturalia debet velle ex illo fine, & propter illum; cumque ille finis ſit bonus, neceſsitatur quoad ſpeciem ad bonum eligendum, & ſic nullum præceptum naturale directè violare poteſt; non tamen infert indirectam obſervantiam præceptorum naturalium, quia poſtquàm directè receſsit à Deo auctore ſupernaturali, poteſt ex illius odio etiam præcepta naturalia violare, ſimili modo, quo etiã quis directè non poſsit appetere ſuum non eſſe, poteſt tamen indirectè, id eſt, ex fine evadendi diriſsimas pœnas inferni: vnde ſicut cõponitur benè, quod quis directè naturaliter ſe ipſũ amet, & ſẽper velit, & appetat ſuũ eſſe, & quod indirectè, & vt evadat pœnas inferni, appetat non eſſe: ita bene componitur, quod Dæmones directè ad Deũ auctorem naturalẽ ſint converſi, & non poſſint legem naturalem violare cum hoc, quod

Digitized by Google

quod indirectè, & ratione odij Dei auctoris ſupernaturalis peccare poſſint contra legem naturalem. Vnde ad dictam tertiam Prob. nego Ant.

Ex hac etiam doctrina reſpondetur ad quartum, amorem illum naturalem directè vitiari non poſſe propter eandem rationem, propter quam diximus Angelum non poſſe peccare directè contra finem naturalem; poſſe autem Dæmones, & de facto ita contingere, quod indirectè, & ratione odij Dei authoris ſupernaturalis Dæmones abutuntur tali dilectione naturali: vnde prædictus actus dilectionis naturalis moraliter malus eſt malitia illi indirectè conveniente ex odio, quem Dæmones habent ad Deum auctorem ſupernaturalem.

1020 Secunda difficultas poteſt occurrere ex eo, quod licet ex amore neceſſario quoad exercitium Dei auctoris naturæ convinci poſſit quod circa legem naturalem Angelus directè peccare non poſſit, tamen non convincitur quod repugnet ei violare præcepta poſitiva, quæ Deus auctor naturæ ei imponere valet: ergo non convincitur repugnantia ad directè peccandum intra ordinem naturæ. Prob. Antec. nam bene componitur cum tali amore quod præceptum poſitivum inſtet, & Angelus non attendat ad inſtantiam præcepti: ergo poterit tunc per non conſiderationem tale præceptum violare. Ad hoc, nego Antec. nam cum conſideratio talis præcepti ſit neceſſaria ad conſervandum ſe in amore Dei auctoris naturalis, dum ab hoc amore non poteſt ceſſare, nequit non conſiderare inſtantiam præcepti poſitivi, & ſic ex non conſideratione nequit violare illud. Sit exemplum. Si Deus beato aliquod præceptum poſitivum imponeret, quod facere poteſt, dum extra Verbum libere operatur Beatus, tunc beatus nequibit tale præceptum per inconſiderationem violare, quia talis inconſideratio eum ab amore beatifico dimoveret, à quo, dum dimoveri non poteſt, pariter occurrente præcepti inſtantia non poteſt non conſiderare: ita in præſenti.

(?)(?)
(?)

§. IV.

Alia efficaciſſima ratione D. Thom. Prob. Concluſio.

1021 PROBAT Secundo D. Thom. noſtram concluſionem in citata diſputata hac ſecunda ratione: *Angeli in ipſis principijs intuentur omnes concluſiones, quæ ad naturalem eorum cognitionem pertinent; & ideo ſicut immobiliter nos habemus in cognitione principiorum, ita intellectus eorum immobiliter ſe habet circa omnia, quæ naturaliter cognoſcit; & quia voluntas proportionatur intellectui, conſequens eſt, quod etiam voluntas eorum naturaliter ſit immutabilis circa ea, quæ ad ordinem naturæ pertinent: verum eſt autem, quod ſunt in potentia reſpectu motus in ſupernaturalia, ſive per converſionem, ſive per averſionem: unde hæc ſola mutatio in ijs eſſe poteſt, vt de gradu naturæ ipſorum moveantur in id, quod eſt ſupra naturam, convertendo ſe, vel avertendo*; Ratio hæc eo tendit, vt ex impoſsibilitate dictaminis defectuoſi circa naturalia intellectus Angeli inferat impoſsibilitatem peccandi ex parte voluntatis, & ad probandum primum, aſſumit illud principium, *Angeli in ipſis principijs intuentur omnes concluſiones, quæ ad naturalem eorum cognitionem pertinent*: vnde eſt neceſſarium quod ſicut circa prima principia errare non poſſunt, ita neque circa concluſiones, quas in ipſis principijs vident, poſsint errare: vbi autem nequit eſſe error ex parte intellectus, nequit eſſe peccatum ex parte voluntatis: vnde ſi Angelus nequit circa naturalia habere dictamen defectuoſum; pariter nequibit circa naturalia peccare.

Hæc ratio etiam eſt efficax, ſed etiam patitur difficultates nonnullas. Primò, quia illa ſolū probatur ex parte intellectus Angeli non poſſe haberi errorē, qui conſiſtat in aliqua falſitate veritati naturali oppoſita; non vero probatur hac ratione ex parte intellectus Angeli non poſſe dari defectuoſum dictamen ex non conſideratione eorum, quæ debebantur conſiderari circa naturalia, ne peccare circa illa contingeret, quod dictamen ſufficere ad peccatū, D. Th. docet, & omnes Thomiſtæ cum illo. Cæterum ſi ratio D. Thom. rectè perpendatur invenietur in ea excluſio huius defectus, nempe non conſiderationis omnium eorum, quæ circa naturalia debent conſiderari,

Digitized by Google

ne peccatum circa illa contingat. Nam Angelus in ipſis principijs naturalibus practicis, in quibus præcontinentur leges omnes naturales, omnia, quæ ad legem naturalem ſpectant, comprehenſivè cognoſcit, ita vt quotieſcumque ſe offert occaſio agendi, vel volendi aliquid circa naturalia, quidquid conducit ad prædictam materiā in ipſis principijs naturalibus comprehenſivè cognoſcit: ergo nequit non conſiderare ea omnia, quæ in tali materia tractabili continentur, & concernuntur.

Dices, poſſe Angelum pro ſua libertate non vti adæquatè ſpecie impreſſa, in qua & repræſentantur principia, & concluſiones: igitur poterit non conſiderare aliquid ſpectans ad aliquam legem, quæ ſit concluſio principiorum naturalium, & tunc peccare ex ignorantia affectata, nempe ex non conſideratione eorum, quæ debebat cognoſcere. Sed contra eſt, nam quidquid ſit de alijs cognitionibus circa alia obiecta, quæ ad ipſum non ſpectant, tamen circa ſui cognitionem, in quo lex naturalis continetur, non habet libertatem Angelus ad cognoſcendum principia, & non concluſiones; nam ad ſui cognitionem comprehenſivā neceſſitatus eſt quoad exercitium, ſicut & ad ſui amorem: igitur nequit non cognoſcere omnia ea, quæ ad ipſum naturaliter ſpectant, dum ſe ipſum per ſuam ſubſtantiam comprehēdit: vnde cum Angelus legem naturalem in ſuo eſſe naturali præcontineat, ſicut nō poteſt plenè non comprehendere ſe ipſum, ſic non poteſt non comprehendere legem naturalem, vnde ſemper erit in conſideratione actuali omniū eorum, quæ ad ipſam ſpectant: & ſic dictamen defectuoſum ex capite inconſiderationis formare non poterit.

1022 Secundo facit difficultatem. Nam dato quod Angelus nihil ignoret eorum, quæ hic, & nunc iuxta legem fieri debent, adhuc non eſt aliquod principium neceſſitans ipſum ad amorem legis naturalis, & ſubiectionem propriæ excellentiæ ad dictam legem: ergo poterit propriam excellentiam, pluſquàm lex naturalis permittit, diligere, & ſic peccare. Prob. Antec. nam cum illa ſcientia in vniverſali, & in particulari omnium agibilium, ſtat bene, quod Angeli voluntas in praxi, & in exercitio aliquam convenientiam habeat in maiori dilectione propriæ excellentiæ eò quod lex dictat, cuius convenientia non ſit alia quam propriæ libertatis experimentum in non diligendo propriam excellentiam, ſicut lex naturalis dictat; igitur adhuc cum plenitudine ſcientiæ omnium eorum, quæ ad legem naturalem ſpectant, non eſt aliquid neceſſitans ipſum ad amorem propriæ excellentiæ cū ſubiectione ad legem naturalem. Pono exemplum. Adam in ſtatu innocentiæ plenè cognoſcebat legem de non comedendo de ligno vetito, & omnia agibilia, quæ debebant ſciri, ne peccaret contra dictam legem: vnde dicitur à Sanctis, quod non fuit ſeductus, quia non peccavit ex ignorantia alicuius requiſiti ad non peccandum; & tamē in praxi peccavit præponendo amorem vxoris legi Dei, ſciens etiam non eſſe præponendum: ergo eſto Angelus plenè cognoſcat legem, & omnes concluſiones, quæ ex principijs legis inferri poſſunt, & inſuper cognoſcat propriam excellentiam ſic debere diligi, quod ſubijciatur Deo, & ordinetur ad illum; tamen in praxi, & hic, & nunc poterit propriam excellentiam ſine ſubiectione ad Deum diligere, & ſic peccare.

Ad hanc difficultatem dico, quod ſicut non poteſt Angelus ſtando in mero ordine naturæ concluſiones cognoſcere niſi vt præcontentas in principijs, ita neque poteſt eas amare niſi vt præcontentas in lege naturali, & cum eo ordine, quem in illa tenent; propria autem excellentia eſt vnum ex præcontentis in lege naturali, de illa enim lex naturalis dictat, & de amore eiuſdem; non poteſt ergo Angelus ſtando in ordine naturæ propriam excellentiam amare niſi ex amore legis naturalis, & niſi vt præcontentam in illa, atque adeò nequit propriam excellentiam diligere niſi cum ſubiectione ad Deum, ſicut lex naturalis dictat de amore illius. Vnde in forma ad difficultatem propoſitam, nego Antec. Ad Prob, nego Ant. nam cum Angelus connaturaliter loquendo non poſſit dictam excellentiam cognoſcere niſi vt præcontentam in principijs practicis legis naturalis, & vt ſic cognoſcatur ſubordinata legi naturali, pariter nequit in propria excellentia amanda ſine ſubordinatione ad legē naturalē aliquam convenientiā invenire, & ſic erit neceſſarium illam diligere cum debita ſubiectione ad legem naturalem. Inſuper addo, quod intellectus Angelicus, ſivè practicus, ſivè ſpeculativus, cum connaturaliter res naturales non attingat,

ni-

Digitized by Google

niſi prout in ſuis principijs naturalibus continentur, ſic firmiter adhæret rebus, quas in principijs cognoſcit, ſicut & ipſis principijs; cum autem de principijs ſcientiam habeat immutabilem, ſic & de his, quæ in principijs cognoſcit, ſcientiam immutabilẽ habet: vnde nequit in praxi de concluſionibus facere principia, & de principijs facere concluſiones, & ſic de eo quod cognoſcit alicui eſſe ſubordinatũ, non poteſt in praxi iudicare non habere ſubordinationẽ: vnde nequit pariter ſine debita ſubordinatione ad alterum diligere. Ex qua doctrina aſsignatur diſparitas inter adductũ exẽplum, & caſum noſtrũ: eſto enim Adamus nihil ignoraret agibilium quoad ſubſtantiam, modũ, & circunſtantias, tamen quia eius intellectus non erat comprehenſivus, non neceſsitabatur naturaliter ad cognoſcenda agibilia in principijs, quibus erant ſubordinata, & ſic in praxi poterat incipere iudicium à ſubordinatis, non curando de ſubordinatione eorum: vnde & poterat præponere amorem mulieris amori legis de non comedendo de ligno vetito, & ſic in exercitio diligere, atque adeò peccare: Angelus autem ob ſui perfectionẽ naturalem, rem naturalem nequit cognoſcere niſi comprehenſivè in ſuo vero principio, & ſic de re in alio contenta, & illi ſubordinata nequit non formare iudiciũ, quod ſubordinata ſit, & quia voluntas eius in hoc eius intellectui proportionari debet, pariter rem legi naturali ſubordinatam debet neceſſario cum dicta ſubordinatione diligere.

§. V.

Solvuntur argumenta contra Concluſionem.

1029 CONTRA Hanc concluſionem his duabus Div. Thom. rationibus fulcitam; Primò arguitur. Supponamus quod Deus præcipiat Angelo lege poſitiva mere naturali aliquid naturale, v.g. quod vadat ad talem locum, vel quod revelet cogitationem ſuam liberam alteri Angelo, tunc Angelus poterit non obedire tali legi; neque enim neceſsitatus eſt ad obediẽdum legi poſitivæ, ſed ſolum naturali: ergo tunc poterit peccare intra limites naturalis ordinis ſine habitudine ad ſupernaturalia. Confir. ſi Deus præcipiat Angelo aliquid lege ſupernaturali, vere Angelus poteſt non obedire, & frangere talem legẽ: ergo ſimiliter ſi præcipiat lege poſitiva aliquid naturale, poterit illud non facere, & tali legi non obedire. Confirm. ſecundo, Angelus ſine gratia ordinis naturalis, & auxilio Dei moventis non poteſt legem totã naturalẽ ſervare: ergo ab intrinſeco, & ex natura ſua impeccabilis non eſt, aliàs non eſſet gratia quod non peccaret.

Ad hoc argumentum, nego Ant. nam hoc ipſo quod tale præceptũ poſitivũ rem ordinis naturalis dictat, cum Dei præceptum ſit de aliquo bono naturalis ordinis, debet eſſe de aliquo præcontento ſub Deo auctore naturæ, & ad ipſum ordinato: vnde talis lex debet amari ex vi illius amoris, quo Deus auctor naturæ ſuper omnia diligitur: neque enim media naturalia poſſunt ab Angelo diligi niſi ex vi amoris naturalis, quo Deus ſuper omnia diligitur vt auctor naturalis eſt: vnde ſicut ab amore Dei auctoris naturalis Angelus divertere nequit, ſic nec renuere poteſt id, quod ex vi talis amoris amat; cumque prædictam legem poſitivam diligat ex vi amoris, quo Deum auctorem, & legiſlatorem neceſſariò diligit, neceſsitabitur ſtando inter terminos puræ naturæ ad obediendum tali legi poſitivæ. Ad primam Confirm. nego Conſ. quia cum ſupernaturalia Angelus diligat ex amore Dei finis ſupernaturalis, tamen cum nulla neceſsitate cogatur ad amandum Deum auctorem ſupernaturalem; poteſt directè recedere ab illo, & ſic poteſt non acceptare legem illi impoſitam à Deo auctore ſupernaturali: vnde poteſt deficere à proſequutione mediorum ad finẽ ſupernaturalẽ, quia poteſt recedere à Deo auctore ſupernaturali: cæterum cum ea, quæ ſpectant ad ordinem naturæ ſolum diligat amore Dei finis naturalis, & ab hoc amore directè recedere non poſsit, fit inde, quod debeat neceſſario amplexari legẽ omnẽ naturalẽ, etiam ſi poſitiva ſit.

Inſtabis, non apparet ratio, ob quam Angelus naturaliter neceſsitatus ſit ad diligendum Deum legiſlatorem ordinis naturæ non ſolum quoad legem naturalem, ſed etiam quoad legem poſitivam: igitur poterit directè recedere ab illo, vt legiſlatore legis poſitivæ ordinis naturæ, & ſic peccare. Prob. Antecedens, nam Deum vt legiſlatorem legis naturalis Angelus neceſſario diligit, cum ſuum

Digitized by Google

eſſe proprium neceſſariò amat, quod eſt participatio animata legis naturalis Dei, cæterum eſſe proprium Angelicum non eſt participatio legis poſitivæ divinæ: igitur non apparet ratio, ob quam Angelus Deũ vt auctorẽ legis poſitivæ neceſſariò amet. Ad hoc, nego Ant. nam hoc ipſo quod Angelus neceſsitatus ſit ad diligendum Deum auctorem naturæ ſuper omnia, hoc ipſo neceſsitatur ad præponendum ipſum omni re ordinis naturalis, & ſic neceſsitatur ad obediendum illi vt legiſlatori ſive legis naturalis, ſive legis poſitivæ, qui enim ſuperiori iuſta præcipienti non obedit, ipſum ſuper omnia non diligit, ſiquidem propter aliquid, quod non eſt ipſe, à lege eius recedit.

Ad ſecundam Confirm. nego Antec. etenim Angelus cum habeat naturam integram non integritate ex gratia illi convenientem, ſicut primus homo habuit, ſed ex debito ſuæ naturæ, gratia ſuperaddita alicuius ordinis naturæ non indiget ad diligendum Deum ſuper omnia, & ad obſervantiam directam totius legis naturalis; indiget tamen auxilio Dei moventis generali, quo indiget omnis creatura ad ſuas operationes, quod non tollit ab Angelo impeccabilitatem illi convenientẽ ex ſua natura circa naturalia: ignis enim ex ſua natura calefactivus eſt, eſto ad calefaciendum auxilio Dei moventis indigeat.

1024 Secundo arguitur, nam Angelus ſemel devians à fine ſupernaturali poteſt peccare contra naturalem legem: ergo etiam poteſt immediatè peccare contra illam. Prob. Conſeq. nam implicat quod ex principijs naturalibus ſit impotens ad peccandum contra legem naturalem, & ex elevatione ad ordinem gratiæ fiat potens peccare contra eandem legem; fieret enim ex elevatione ad ordinem gratiæ deterior, ſiquidem non poſſe peccare contra legem naturalem perfectio eſt, & poſſe peccare contra eandem legem imperfectio eſt: ergo ſi ſemel Angelus devians à fine ſupernaturali contra legem naturalem peccare poteſt, etiam immediatè poterit contra eandem legem peccare. Secundo Prob. eadem Conſeq. nam circa naturalia Angelus eandem libertatem habet facta elevatione ad ordinem ſupernaturalem, ac haberet illa non facta: ergo ſi poſita elevatione poteſt libere peccare contra legem naturalem, etiam ante elevationem, & in pura natura conſtitutus poſſet peccare contra eandem legem; Patet Conſeq. nam ſi eſt eadem libertas in vtroque ſtatu circa naturalia, neceſſe eſt, quod ſi in vno ſtatu eſt libertas ad peccandum, etiam in alio ſtatu ſit ad peccandum libertas. Et Antec. Prob. nam per elevationem ad ordinem gratiæ nihil in Angelo ſpectans ad naturalem cognitionem, & naturale velle intrinſecè immutatum eſt: igitur circa naturalia eandẽ libertatem habet in vtroque ſtatu.

Ad hoc argumentum, nego Conſeq. Ad Prob. nego Conſeq. Etenim Angelus ex principijs ſolis naturalibus non eſt impotens ad peccandum omnibus modis cõtra legem naturalem, ſed tantum ad peccandum directè, & ex motivo naturali: vnde per elevationem non fit potens ad peccandum contra legem naturalem aliqua potentia, quam ex principijs naturalibus non habuiſſet, cum poſita elevatione ad finem ſupernaturalem tantum ſit potens ad peccandum contra legem naturalẽ mediatè, & indirectè, hoc eſt averſione à fine ſupernaturali: vnde per dictam elevationẽ non fit deterior, ſed quoad intrinſeca ſua eodem modo potens manet, & impotens, nam manet potens peccare contra legem naturalem indirectè, & mediatè, & manet impotens ad peccandũ contra eandem legem directè, & immediatè. Ad ſecundam Prob. conc. Conſeq. nam nos non dicimus Angelum ex natura ſua eſſe omnino impeccabilem contra legem naturalẽ, ſed tantum dicimus eſſe impeccabilem per directam averſionem à lege naturali, hoc autem in omni ſtatu habet Angelus, & ſic ſub vtroque ſtatu ſervat eandem libertatem.

Inſtabis, Angelus de facto peccat contra legem naturalem ex motivo naturali: ergo directè, & immediatè peccat contra illam. Prob. Antec. de facto odio habet Deum, quia videt ſe cruciari, & invidet alijs Angelis, qui bonis ſummis perfruuntur, & pœnis gehennæ non cruciantur; ſed videre ſe cruciari motivum naturale eſt: ergo peccat ex ſolo motivo naturali. Ad hoc, nego Antec. Ad Prob. nego Min. cruciatus enim ille non eſt quid naturale, cum illum incurrat Dæmon ex eo quod averſus eſt à Deo fine ſupernaturali, & etiam quia à Deo auctore ſupernaturali effectivè procedit: vnde in materia de pœnitentia dicitur, quod attritio de peccatis propter metum gehennæ ſupernaturalis eſt, & ſufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ. Similiter

In

Digitized by Google

invidentia terminativè ſupernaturalis eſt, nam invident Angelos excellentiſsimis bonis ſupernaturalibus cumulatos eſſe, ſicque fit, quod nunquam contra legem naturalem peccant ex motivo mere naturali.

1025 Tertio arguitur, peccatum Angelorum conſiſtit in eo, quod non ſatis ſe ſubiecerunt voluntati Dei; at omnem creaturam debere eſſe voluntati Dei ſubiectam eſt præceptum legis naturæ, & quæuā veritas, quæ ſolo lumine naturæ cognoſci poteſt: ergo Angelus contra legem naturæ peccare poteſt, & de facto directè peccavit. Confirm. ſi Angelus directè non poſsit peccare contra legem naturalem, ſequitur, quod ex viribus ſolius naturæ cognoſcere poſsit, quod detur finis ſupernaturalis; Conſeq. non eſt admittendum: ergo. Prob. Sequela, Angelus ex viribus naturæ ſolis cognoſcit ſe eſſe peccabilem, idque eſſe connaturalē omni creaturæ ex nihilo productæ; ex alia autem parte videt eiſdem naturæ viribus ſe contra legem naturæ eſſe impeccabilem, vt ponit noſtra ſententia: ergo cognoſceret ſe eſſe peccabilem contra finem ſupernaturalem: ergo viribus naturæ cognoſceret dari finē ſupernaturalē. Conf. ſecundo; ſi Angelus conditus in puris naturalibus non poſſet peccare contra præcepta naturalia, eorum obſervatio non eſſet ei libera, ac proinde non eſſet meritoria; hoc non eſt dicendum: ergo nec primum. Prob. Sequela, Angelus tunc eſſet ad illam obſervantiam ex natura ſua determinatus: ergo talis obſervantia non eſſet libera.

Ad hoc argumentum, diſt. Mai. in eo quod non ſe ſubiecerunt voluntati Dei authoris naturæ, nego Mai. auctoris gratiæ, conc. Mai. & diſt. Min. omnem creaturam debere eſſe ſubiectam voluntati Dei eſt præceptum naturale; voluntati Dei auctoris naturæ, conc. Min. authoris gratiæ, nego Min. & nego Conſeq. Itaque præcepta naturalia nullo modo reſpiciunt Deum authorem gratiæ, ſed ſolius naturæ; non ſubiectio autem, qua Angelus peccavit, non fuit ad Deum auctorem naturæ, ſed gratiæ: nam vt inquit D. Thom. hic art. 3. *Angelus primo peccavit in eo quod in ſua beatitudine naturali quievit, eamque ad beatitudinē ſupernaturalem, quæ erat vltimus finis eius, non ordinavit*, in quo legem ſupernaturalē tranſgreſſus eſt, & averſus eſt à Deo fine ſupernaturali, & ſic directè contra legem naturalem non peccavit.

1026 Ad primam Confirm. nego ſequelam. Ad Prob. reſpondet quidam modernus, quod licet Angelus ex vi luminis naturalis cognoſcat ſe eſſe impeccabilem directè contra legem, & finem naturalem, non tamen ſcit diſtinctè, & in particulari ſe poſſe peccare contra legem, & finem ſupernaturalem, ſed tantum in cōmuni cognoſcit ſe eſſe peccabilem ignorando circa quid in particulari ſit peccabilis, eo modo, quo Dæmon cognoſcendo per lumen naturalem humanitatem Chriſti exiſtere in rerum natura ſine exiſtentia creata, ignorabat tamen quo modo, & qua alia exiſtentia exiſteret. Hæc tamen doctrina non placet, nam Angelus nullum principium naturale habebat ad cognoſcendū ſe eſſe peccabilem: ergo. Prob. Ant. cognoſcere ſe eſſe ex nihilo non ſufficiebat illi ad cognoſcendum ſe eſſe peccabilem; at non habebat aliud principium naturale niſi illud: ergo. Prob. Mai. eſſe ex nihilo non fundat peccabilitatem niſi in ea voluntate, quæ cum ſua regula morum neceſſariò connexa nō eſt; at Angelus cognoſcebat ſuam voluntatē eſſe connexam neceſſariò cum Deo auctore naturæ, quem ſolum naturaliter cognoſcebat: ergo cognoſcere ſe eſſe ex nihilo nō erat illi ſufficiens principium ad demonſtrandum ſe eſſe peccabilem.

Præterea; peccabilitas conveniens Angelo eſt quædam repugnantia ad peccandum per averſionem à Deo auctore ſupernaturali; at hanc Angelus nequit ex ſolis naturalibus cognoſcere: ergo neque ex eiſdem poterat cognoſcere ſe eſſe peccabilē. Prob. Min. ex doctrina communi Theologorum aſſerentium; quod quamvis Angelus perfectiſsimè comprehendat ſe, non tamen ex ſolis naturę viribus cognoſcit ſuam potentiam obedientialem ad Deum auctorem gratiæ, quæ conſiſtit in quadam non repugnantia vt Deus auctor gratiæ faciat in eo quidquid non implicat: ergo cum peccabilitas in Angelo ſit quædam non repugnantia ad avertendum ſe à Deo auctore ſupernaturali; quantumvis Angelus ſolis naturalibus comprehendat ſe, non tamen poterit cognoſcere ſuam peccabilitatem. Neque eſt eadem ratio de humanitate Chriſti, quia Angelus non cognoſcebat illam humanitatem eſſe Chriſti viribus ſolis naturæ, ſed tantum videbat hominem exiſtentem, quod eius captum naturalem non ſuperabat. Cæterum videre peccabilitatem ſuam ſuperabat captum virium naturalium,

quia

Digitized by Google

quia licet peccabilitas vt abſtrahit ab hoc, vel illo ſubiecto non importet determinate non repugnantiam receſſus à Deo auctore gratiæ; tamen peccabilitas in Angelo cũ non poſsit competere ex ſolis naturalibus concernit determinate non repugnantiam receſſus à Deo auctore gratiæ: vnde quamvis in primum poſsit Angelus viribus ſolis naturæ, in ſecundum tamen eiſdem ſolis viribus non poteſt. Præterquamquod, falſum eſt etiam quod Angelus viribus ſolis naturæ poſitivè cognoſcat quod illa humanitas non exiſtebat exiſtentia creata: ſi enim hoc cognoſceret, poſitivè cognoſceret quoque exiſtere exiſtentia increata, cũ inter illa duo non detur medium: videbat ergo exiſtere, ſed ignorabat exiſtere exiſtentia creata, quam Deus illi occultabat; vel increata, quæ viribus naturalibus eius cognoſcitivis cognoſci non poterat.

Aliter ergo reſp. ad Confirm. negando ſequelam. Ad Prob. nego quod Angelus viribus ſolius naturę cognoſceret ſe eſſe peccabilem. Et ad Prob. dico, quod eſſe ex nihilo non infert peccabilitatem niſi in voluntate non neceſſariò connexa cum prima regula moralitatis, quæ Deus eſt; cumque Angelus videret ſe neceſſariò connexum cum Deo auctore naturæ, & ad ea, quę ſpectant ad ordinem gratiæ merè negative ſe habeat, ignorabat eiſdem viribus ſolis innitendo, ſe eſſe peccabilem. Ad ſecundam Confirm. nego Mai. Ad Prob. diſt. Antec. tunc Angelus eſſet ad illam obſervantiam determinatus quoad ſpeciem, & exercitiũ, nego Ant. quoad ſpeciem tantum, Conc. Ant. & nego Conſ. Itaque ſicut Chriſtus erat determinatus ad bonum, & tamen libere operabatur circa hoc, vel illud bonum, ita Angelus in puris naturalibus eſſet determinatus quoad obſervantiam præceptorum naturalium quoad ſpeciem, id eſt, erat determinatus obedire præceptis occurrentibus, ſic, quod inobedire non poſſet, non tamen erat determinatus quoad exercitium, ſic, quod non poſſe non obedire: vnde ſic obediebat, quod poſſet non obedire, non tamen ſic quod poſſet inobedire: vnde ſemper manebat liber libertate contradictionis, ſeu exercitij, non tamen libertate contrarietatis.

§. VI.

Solvuntur argumenta Patris Eſparça contra noſtram concluſionem.

1027 PATER Eſparça hic q. 25. de Angelis art. 2. circa finem ſic habet. Cæterum adduci nullatenus poſſum, vt aſſentiar M.S. Thomæ dicenti cũ nonnullis alijs ſui præſertim ordinis Theologis, Angelos potuiſſe quidem peccare de facto, quia elevati ſunt in finem ſupernaturalem; ſi tamen in ſtatu purę naturæ creati, ac deinde relicti fuiſſent, fore vt minimè deinde peccare potuiſſent. Multa nimirum ſunt, quæ me vehementer retrahunt ab ea ſententia, atque efficaciter perſuadent Angelos non minus, ſi non & multo magis fore peccabiles, atque expoſitos periculo peccandi, ſi relicti fuiſſent in ſtatu purę naturæ, quam fuerint de facto in ſtatu elevationis. Placuit ergo rationes huius Patris in vnum colligere, & pro noſtra tenuitate diſſolvere. Arguit ergo hic Primò, quia providentia Dei quatenus ſupernaturalis non eſt minus perfecta, minuſquè benigna, ac liberalis, quàm foret quatenus purè naturalis: quapropter non minus ſufficientia, minuſvè proportionata confert media, & auxilia in ordine ad finẽ ſupernaturalem, quam exhibitura foret in ordinẽ ad finem pure naturalem, imò quia ordo ſupernaturalis eſt ordo gratiæ, & profuſę liberalitatis exuberantis vltra limites naturæ, ordo vero naturalis eſt ordo iuſtitiæ commenſuratus dignitati, & viribus naturæ, videri meritò poteſt, ac debet, profuſiùs ſubuentum de facto eſſe imbecillitati naturæ Angelicæ in ordine ad obedientiam præceptorum ſupernaturalium, quam ſubuentum fuiſſet in ordine ad obſervantiã ſolius legis naturalis, ſervata de reliquò proportione qualitatis auxiliorum. Confirm. hoc ſuum argumentum ex eo, quod elevatio ad finem ſupernaturalem fuit maximũ quoddam, & ſpecialiter gratioſum beneficium Dei, quale tamen certiſsime non foret, nec ab vllo prudenter eligibile, ſi poteſtas peccandi ita fuiſſet devincta elevationi, vt abſquè eadẽ poteſtate, ac proinde abſquè vllo amittendi periculo poſsidendus æternum fuiſſet finis vltimus naturalis bonum profectò minime contemnẽdum abſolute.

Ad hoc argumentum, quod magis habet de materia quam de forma. Concedo

do quod providentia ſupernaturalis in ſuo ordine nõ ſit minus perfecta, minus benigna, minuſvè liberalis, quã providentia naturalis pro Angelis non elevatis ad ordinẽ gratiæ in ſuo tamen ordine, ſed quia Angeli ex ſola gratia creationis eſſent integri, & neceſſariò conjuncti cum regula humanorum actuum ordinis naturæ, non minus ac beati modo ſunt in ordine gratiæ conjuncti cum regula operationis ſupernaturalis, illis omnia auxilia ſufficientia, & efficacia eſſent debita iure connaturalitatis: vnde providentia de illis eſſet providentia de impotentibus deficere à fine vltimo naturali, cui per cognitionem, & amorem eſſent neceſſariò conjuncti; providẽtia autem ſupernaturalis cum eſſet mere gratioſa, & eſſet de ſubſtantijs non neceſſariò cõjunctis cum prima regula operationum ſupernaturalium non daret ex debito auxilia ſufficientia, & efficacia ad bene operandũ ſupernaturaliter: vnde tales ſubſtantiæ eſſent defectibiles tam ex parte mediorum, quam ex parte finis; ex parte mediorum, quia cum auxilia efficatia non eſſent eis debita, poſſent in malum inclinare: ex parte finis, quia cum talis finis eſſet conferẽdus ex gratuita prædeſtinatione, non omnibus daretur, vt appareret, quod conjunctio cum tali fine eſſet gratia, & non natura: vnde argumento facto nulla via concluditur, quod ſi poſita elevatione, ad ordinem gratiæ Angeli poſſunt peccare contra legem ſupernaturalem, etiam non poſita poſſent peccare contra legem ſupernaturalem.

Ad Confirm. fateor quod elevatio Angelorum ad finem ſupernaturalem fuit maximum, & ſpecialiter gratioſum beneficium, nego tamen quod non foret eligibile à viro prudenti, & cordato: nam vt ſupra dicebamus, per elevationem ad finem vltimum gratiæ non eſt ablata Angelis impeccabilitas, quam habebant in ordine ad finem vltimum naturalem, quæ conſiſtebat in eo, quod directè, & immediatè à Deo auctore naturæ recedere non poſſent, ſeu quia cum fine gratiæ, ad quem ſunt ordinati, non ſunt neceſſariò conjuncti, adauta eſt illis non repugnantia ad recedendum directè à Deo vltimo fine ſupernaturali, in quo maximè meliorati ſunt Angeli, non minorati, ij quidem qui ex eis ſalvati ſunt, ſummo bono ſunt in perpetuum conjuncti, & qui ſunt damnati, vt inquit D. Thom. hic quæſt. 64. articul. 4. *in naturalibus non ſunt diminuti.*

1028. Secundo arguitur, quia hæc doctrina non cohæret cum doctrina Thomiſtarum ex ſcripturis, & Patribus adductam, in qua habetur, quod quælibet creatura libertate prædita ex natura ſua ſit peccabilis, & per ſolam gratiam reddi poſsit impeccabilis: ergo. Prob. Ant. quia Thomiſtæ ponunt Angelos non ordinatos ad finem ſupernaturalem non poſſe peccare: ergo cum hoc illis conveniat ex natura ſua, dant creaturas ex natura ſua impeccabiles. Ad hoc, nego ſequelam. Ad Prob. diſt. Antec. ponunt Angelos non ordinatos ad finem ſupernaturalem non poſſe peccare, in ſenſu compoſito talis non ordinationis, Conced. Antec. ex vi terminorum, & abſolute, nego Ant. & diſt. Conſ. dant creaturas impeccabiles, abſolute ex vi terminorum, nego Conſ. ex ſuppoſitione alicuius ſtatus, à quo dimoveri non repugnaret eis, Conc. Conſ. Itaque illa duo non opponuntur, eſſe creaturam libertate præditam ex aliqua ſuppoſitione, à qua ſe parari ei non repugnaret, eſſe impeccabilem; & quod nulla ſit creatura libertate prædita, cui ex vi terminorũ peccare repugnet; ſicut & bene componitur quod Angeli ex vi terminorum entia contingentia ſint, & quod ex ſuppoſitione quod creati ſunt, entia neceſſaria ſint.

1029. Tertio arguit, omnes conveniunt quod Adamus de facto in ſtatu iuſtitię originalis facilius conſervare potuerit innocentiam, quam potuiſſet in ſtatu puræ naturæ, quid ni (inquit Eſparça) exiſtimem de Angelis non minus, ſed magis dilectis à Deo ante peccatum, & quibus nullum adeſſet bonum compẽſativum proportionaliter eiuſdem defectus? Sic imperfectum relinquit hoc argumentum Eſparça, & vix poſſum intelligere quid concludat. Sed ſi vult, quod ſicut homo in pura natura conſtitutus, & iuſtitia originali deſtitutus, peccare poſſet contra naturalem legem, ita & Angelus; nulla eſt paritas: nam homo in pura natura conſtitutus haberet rebellionem carnis, & inſuper non eſſet per cognitionem, & amorem neceſſariò conjunctus cũ Deo auctore naturæ; & ſic facilius vinceret tentationes, & vitaret peccata in ſtatu iuſtitiæ originalis, in quo rebellione carnis careret, & integer eſſet; Angelus autem inter pura naturalia ſua concludit integritatem naturæ, conjunctionem cum fine vltimo naturali per cognitionem, & amorẽ, debitum auxiliorum ſufficientium, & effica-

ca-

Digitized by Google

cacium ad obſervantiā legis naturalis, quia naturalia dicuntur omnia, quæ ex vi creationis debita ſunt Angelo, & ſic magis potens incomparabiliter ad benè operandum moraliter eſt Angelus ex vi ſuorum naturalium, quam homo: vnde nulla eſt paritas.

1030 Quarto arguit. In ſtatu elevationis non ſunt poſsibiles actus niſi affines actibus poſsibilibus in ſtatu puræ naturæ; nihil autem eſt minus affine alteri quam peccatum innocentiæ, & quam peccabilitas impeccabilitati: impoſsibile igitur eſt vt per elevationem ſubſtituatur peccabilitas impeccabilitati, & quod in eodē recidit poſsibilitas peccari neceſsitati innocentiæ. Ad hoc, diſt. Min. quam peccabilitas impeccabilitati, per ordinem ad eundem finem immediatè, & directè reſpectum, Conc. Min. per ordinem ad diſtinctos fines vltimo per ſe immediatè reſpectos, nego Min. & diſt. Conſ. igitur impoſsibile eſt vt per elevationem ſubſtituatur peccabilitas impeccabilitati, reſpectivè ad eundem finem directè inſpectum, Conc. Conſ. reſpectu diverſorum finium vltimorum, nego Conſeq. Itaque nos dicimus Angelos per ſua naturalia non poſſe peccare per receſſum directum à fine vltimo ordinis naturæ, cum quo ſunt neceſſario coniuncti: dicimus inſuper quod per elevationem ad gratiā poſſunt peccare per directum receſſum, non à Deo auctore naturæ, ſed à Deo auctore gratiæ: vnde per elevationem addimus peccabilitatem non deſtruentem impeccabilitatem, quæ convenit Angelis ex ſuis naturalibus, ſed quæ convenit Angelis ex eo quod ingrediuntur ordinem gratiæ, in quo ſunt defectibiles, quia cum regula operationis ſupernaturalis neceſſario coniuncti non ſunt, & ſic abſque inconvenienti per elevationem impeccabilitati ſuccedit peccabilitas diſtincta, ſed non oppoſita impeccabilitati primæ.

1031 Tandē arguit, quia ex Sanctis Patribus præcipuè Auguſtino omnis ſubſtantia intellectualis creata peccabilis eſt, quia ex nihilo facta eſt: vnde vt ſit impeccabilis neceſſe eſt quod coniungatur cum ente per eſſentiam, quod magis nihilo opponitur: ergo non eſt aſſerendum quod natura Angelica ſi in ſuis naturalibus crearetur ſine ordine ad ſupernaturalia nō potuiſſet peccare. Reſpondeo, vt ſupra dixi, quando hoc argumentum diſſolvi, quod Sancti Patres probant nullam ſubſtantiā intellectualem eſſe impeccabilem ex vi terminorum, ſic, quod repugnet ei ex vi terminorum peccare ſive in ordine naturæ, ſive in ordine gratiæ: hocq; evidenter probare, quia omnis talis ex nihilo eſt: cæterum non probare, quod reſtrictivè ad aliquem ordinem, nempe naturæ, non poſſe dari ſubſtantiā impeccabilem, ſic, quod ei non poſſe peccare in illo ordine conveniat ex ſua natura: & hoc ideò quia non repugnat creatura intellectualis ex ſua natura neceſſario coniuncta per cognitionem, & amorem cum ſua regula operationum naturalium. Pro qua ſupra plura adduximus teſtimonia Div. Thom.

§. VII.

Vtrùm Angeli potuerint peccare in primo inſtanti ſuæ creationis ſaltim potentia phyſica?

1032 Circa hoc quæſitū vnū eſt certum apud Theologos, nēpe Angelos nō peccaſſe in primo inſtāti: dicitur enim enim in Epiſt. Iudæ Apoſt. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuū principatum, ſed reliquerunt ſuum domicilium* habuerunt ergo primo Angeli principatū, & domicilium, quod poſtea per peccatum perdiderunt. De peccato etiam Luciferi in perſona Regis Tirij habetur; *quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris*: quibus ſignificatur primo fuiſſe in oriente gratiæ, deinde in occaſu culpæ. Et Ezechielis 28. *tu in dilitijs Dei fuiſti.* Quæ veritas videtur diffinita in Concilio Bracharenſi Can. 7. qui eſt textus Epiſtola 91. Leonis Magni contra Priſcillianiſtas, *ſi quis dixerit diabolū non fuiſſe prius Angelum bonum à Deo factum, anathema ſit.* Videndū igitur reſtat, an Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis potuerint peccare? & quia potentia ad peccandū eſt duplex; alia phyſica, quam homo, vel Angelus habere dicitur ex eo quod libertatem habet phyſicam ad bonū, & ad malum, ratione cuius phyſicè non repugnat ei coniungi cum peccato: alia moralis, per quam quis de facto non peccat, eſto ei peccare non repugnet: ideo in hoc §. inquirimus de potentia phyſica, deinde acturi de potentia morali, in quo puncto elucidando. Aliqui ex Ieſuitis viri ſunt Suarez, & Tannerus negant Angelos fuiſſe impotentes peccare in primo inſtanti loquendo de impotentia phyſica, benè verò fuiſſe impoten-

tenter peccare impotentia morali tantum, his adhæret mordicus Pater Eſparça, hic quæſt. 26 Veri tamen Diſcipuli D. Thom. affirmant Angelos in primo inſtanti eſſe phyſicè impotentes peccare, & non tantum moraliter, in cuius ſententiæ defenſionem,

1033 Sit concluſio. Angeli in primo inſtanti caruerunt potentia phyſica ad peccandum. Concluſio ſtatuitur contra præfatos auctores, & contra M. Araujo hic q. 63. art. 5. dub. 1. Et Prob. ratione D. Th. quam habet hic q. 63. art. 5. *Operatio, quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente, à quo habet eſſe, ſicut moveri ſurſum ineſt igni à generante: unde ſi aliqua res habet eſſe ab agente deficiente, quod poſſit eſſe cauſa defectivæ actionis, poterit in primo inſtanti, in quo incipit eſſe, habere defectivam operationem; ſicut ſi contingat tibiam naſci claudam ex defectu ſeminis, non erit inconveniens ponere quod claudicet, cum primo moveri incipit: agens autem quod Angelos in eſſe produxit, ſcilicet Deus, non poteſt eſſe cauſa peccati, unde nequit dici quod diabolus in primo inſtanti fuerit malus.* Sic D. Thom. ſed placet hanc rationē ſic formare. Si Angelus in primo inſtanti peccare poſſet, poſſet quoquè Deus eſſe cauſa illius peccati; ſed Deus nequit eſſe cauſa peccati, igitur nequit Angelus peccare in primo inſtanti. Maior, in qua eſt difficultas, Prob. illa operatio, quæ ſimul incipit cū eſſe rei, eſt ei ab agente, à quo res accipit eſſe: ergo ſi talis actio ſit peccaminoſa, vt talis ab agente erit: ergo ſi agens eſt Deus, peccatum attribuetur Deo.

Reſpondet Eſparça, hanc rationem non adduci à Div. Thom. ad probandum, quod Angelus impotentiam phyſicam habuerit ad peccandum in primo inſtanti, ſed ſolum adduci ad probandum, quod Angelus de facto non fuit malus in primo inſtanti ob impotentiam moralem, quam habuit ad peccādum. Quod ſibi ſuadet ex eo, quod nec D. Thom. inquirit in illo articulo de poſsibili, ſed ſolum de facto, an diabolus in primo inſtanti fuerit malus? Cæterum hic Pater, ſicut vidit initium articuli, & finem, debebat videre corpus articuli, & ibi inveniret, quod D. Thom. hac ratione expreſſe impugnat ſententiam Patris Eſparça de ſola impotentia morali. Etenim ibi refert opinionem aliquorum ſui tēporis, quod Angeli de facto non peccarunt, benè autem potuerunt peccare, quos hac ratione impugnat. Quia ſi potuiſſent peccare, poſſet tale peccatum Deo attribui: ſed nulla via peccatum Angelorū potuit Deo attribui: igitur nō ſolum eſt dicendū, quod non peccarunt, ſed dicendum, quod non potuerunt peccare: vnde non concludit, quod diabolus non peccavit in primo inſtāti, ſed quod non poteſt dici quod peccavit, quia probaverat eſſe impoſsibile peccatum in tali inſtanti. Præterea, ea impotentia Angeli in primo inſtanti non potuerunt peccare, qua peccatum non potuit Deo attribui; ſed nulla potentia, nec morali, nec phyſica peccatum Deo poteſt attribui: ergo ratio Div. Thom. convincit non ſolum de impotentia morali, ſed etiam de impotētia phyſica.

Secundo alij reſpondent, Maiorem diſcurſus D. Thom. non eſſe veram vniverſaliter loquendo de omni actu incipiente cum eſſe Angeli, ſed ſolum eſſe veram de actibus neceſſarijs, non vero de liberis; peccatum autem, ſi adeſſet, actus liber eſſet: non ergo verum eſt, quod debuiſſet attribui Deo danti eſſe. Sed contra eſt, nam actus liber quicumque ille eſſet, ſi in primo inſtanti contingeret, deberet procedere à dictamine Dei, quo Angelus impotens ſe movere in primo actu, deberet ſpecialiter moveri à Deo: igitur ſi peccatum eſſet, deberet Deo, vt motori ſpeciali ad illum actum, attribui. Prob. Ant. Angelus in primo actu liber nequit ex proprio dictamine ſe movere, quia vt ſe moveat, primo requiritur, quod ſit in actu reſpectu finis, ex cuius amore vellit alia, quæ ſunt ad finem: cum ergo ad primum actum voluntatis Angelus non præſupponatur eſſe in actu reſpectu finis, ad primum actum nequit Angelus ſe movere: requiritur ergo quod Deus ſuo dictamine Angelum moveat, & ſic talis actus neceſſariò Deo moventi debet attribui.

Dices, ſufficere quod Deus moveat Angelum ad primum actum intellectus immittendo illi ſanctam cogitationem, qua immiſſa, poſt modum Angelus factus in actu per illam, poterit ſe applicare ad primum actum voluntatis: ſi quidem ex cognitione boni excitatur affectus in voluntate ad amorem boni cogniti; vnde eſto primus actus ſit à Deo applicativè, & ab intellectu tantum elicitivè, primus tamen effectus voluntatis erit à volontate motivè, & elicitivè. Sed contra eſt, nam effectus voluntatis hoc ipſo quod ſequatur ad actum intellectus, qui à Deo ſpecialiter eſt, hoc ipſo eſt applicativè à Deo: ergo nulla ſolutio.

Prob,

Digitized by Google

Prob. Ant. primus actus voluntatis non eſt ab Angelo volente applicare ſeipſum ad primum actum: ergo eſt à Deo immittente primam cogitationem Angelo, & volẽte mediante illa voluntate applicare ad primum actum amoris. Prob. Ant. nam voluntas applicandi Angelum ad primũ actũ voluntatis præcedit primum actum voluntatis, ad quem applicat: ergo nequit eſſe actus voluntatis ipſius Angeli. Itaque aliud eſt, quod poſito primo actu intellectus, ſequatur in voluntate aliquis amor, & aliud eſt, quod factus in actu Angelus per primã cognitionem, ſeipſum moveat ad primam volitionem. Primum eſt verum, ſecundũ falſum. Nam ad hoc ſecundum requirebatur, quod Angelus per propriam voluntatẽ ſibi formaret dictamen, vt ex dictamine à ſe formato poſſet ſe exercitare ad amorẽ, quod non evenit in primo actu intellectus, quem Angelus non format, quia ipſe vult, ſed quia Deus vult, quod dictam intellectionem Angelus eliciat: vnde qui excitat ad primum amorẽ non eſt Angelus, ſed Deus, & ſic primus actus voluntatis Angeli à Deo eſt applicativè, & excitativè, ex quo ſequitur, quod nequeat eſſe peccatum; aliàs attribueretur Deo moventi, & applicanti ad illud.

1034 Ex qua doctrina ſecundam pro concluſione formo rationem. Nequit eſſe peccatum ex parte voluntatis, quandò non eſt defectus ex parte intellectus, vel erroris, vel debitæ conſiderationis; ſed in primo actu intellectus nequit reperiri defectus aliquis ex prædictis: ergo neque in primo actu voluntatis poterit eſſe peccatum. Diſcurſus eſt bonus, Mai. certa, & Min. Prob. per primum actum intellectus Angelus non intelligit quòd ipſe vult intelligere, ſed tãtum id, quod Deus vult quod ipſe intelligat: ſi quidem vt ſupra dixi, ad primum actum intellectus Angelus quoad exercitium non movetur à propria voluntate, ſed à Deo; ſed actus intellectus qui ſola Dei voluntate fit, & non voluntate Angeli, aliquo ex prędictis defectibus laborare nequit: ergo in prædicto primo actu intellectus nequit aliquis defectus reperiri. Pob. Min. nam cum prædictus actus ſola Dei voluntate fiat, ſi aliquis eſſet defectus, deberet in Deum reduci, quod impoſsibile eſt.

Dices; hoc argumento convinci, quod Angelus in primo actu voluntatis ſuæ peccare non poſsit, non vero convinci quod in primo inſtanti ſui eſſe non poſsit peccare; Quod probabis ex eo. Nam Angelus in primo inſtanti ſuæ conditionis non tantũ potuit habere vnum actum intellectus, & vnũ voluntatis, ſed potuit habere plures tam ex parte intellectus, quàm voluntatis: ſi quidẽ conſtat Angelum in primo inſtanti neceſſariò cognoviſſe ſeipſum, & Deum auctorem naturæ, & neceſſariò ſeipſum, & Deum amaſſe; ſimiliter conſtat quod in eodẽ inſtanti habuit actum fidei, ſpei, & charitatis, per quos ſe diſpoſuit ad gratiam iuſtificantem, & meruit beatitudinem: ergo licèt in primo actu voluntatis peccare nõ potuerit, potuit tamen peccare in alijs actibus, quos potuit elicere in primo inſtanti.

Sed contra eſt, nam ſi ſemel ponatur quod Angelus in prima ſua operatione peccare non potuit, non poteſt dici quod in primo inſtanti ſuæ creationis peccare potuerit: ergo ſolutio nulla. Prob. Ant. nam eſto in primo eſſe Angeli poſsint convenire Angelo plures operationes bonæ, quæ ſibi ad invicem ſubordinantur, tamen impoſsibile eſt quod in eodem inſtanti indiviſibili Angelus ſit ſimpliciter bonus per actum bonum primum, & ſimpliciter malus, & peccans per alios actus: ergo ſi eſt impoſsibile quod peccet per primum actum, erit impoſsibile quod peccet in primo ſuæ creationis inſtanti. Secundo inſto, nam nomine primi inſtantis à Theologis intelligitur prima operatio intellectus, & voluntatis libera: vel ergo aliæ, quæ tunc fierent ab Angelo, fierent cum ſubordinatione ad illam, vel ſine aliqua ſubordinatione, vel cum contrarietate; ſi hoc vltimum dicatur, eſſet neceſſarium deſtrui illam primã, & ſic iam illa operatio contraria, quæ peccatum eſſet, deberet fieri in ſecundo inſtãti; ſi fiat ſine aliqua ſubordinatione ad primam, erit æquè prima, & tunc oportabit, quod Deus ad illam ſic ſpecialiter applicaret, ſicut diximus debere applicare, & excitare ad illam, quã dicimus omnino primam; ſi fiat cum ſubordinatione ad primã; tunc, ſi prima neceſſariò eſt bona, etiam aliæ, quæ fierent ex ſubordinatione ad primam neceſſariò quoque deberent eſſe bonæ: ergo ſi prima operatio, quæ incipit cum eſſe Angeli, ponitur quod non poſsit eſſe peccaminoſa, debet ſimiliter poni, quod nulla alia actio, quæ in primo inſtãti fiat, poſsit eſſe peccaminoſa.

1035 Secundo reſp. adverſarij huic ſecundæ noſtræ rationi, falſum eſſe quod ſolus Deus poſsit excitare Angelum ad primum

Digitized by Google

mum actum voluntatis: poteſt enim contingere quod in primo inſtanti creationis Angeli alter Angelus ſuggerat eius intellectui aliquam pravam cogitationem, cui ſi Angelus conſentiat per voluntatem, peccabit, & ſic, primus actus voluntatis eius erit peccatum. Quod autem hoc ſit poſsibile, patet ex eo, quod in alijs inſtantibus Angeli poſſunt peccare; imo inferiores de facto peccarũt ex prava ſuggeſtione ſuperiorum, cui per voluntatem conſenſerunt: ergo & poterit fieri hoc ipſum in primo inſtanti. Sed contra hoc eſt, nam ad extorquendum conſenſum circa obiectum turpe non ſufficit illa externa ſuggeſtio, vel propoſitio obiecti turpis, ſed vltra illã requiritur aliquod dictamen, quod ſit aliquis actus intellectus Angeli, quo ſibi dictet tale obiectum turpe, quod proponitur, eſſe amandũ: niſi enim hoc adſit voluntas non eliciet actum conſenſus, ſed licet alter Angelus poſsit proponere alteri Angelo externa propoſitione aliquod obiectum turpe, non tamen poteſt movere quoad exercitium voluntatem eius, vt eliciat actum intellectus, qui ſit dictamen de proſequutione obiecti turpis: igitur requiritur neceſſariò quod Deus hic, & nunc moveat Angelum quoad exercitium ad formandum dictamẽ de proſequutione obiecti turpis; quod cum impoſsibile ſit, vt probatum eſt, pariter erit impoſsibile quod Angelus in primo inſtanti peccet.

Dices tertio huic rationi, poſſe Angelum in primo inſtanti ſeipſum per propriam voluntatem movere quoad exercitium ad formandum primũ dictamen practicum, & ſic tale dictamen poterit eſſe defectuoſum: quomodo autem hoc poſsit cõtingere? explicabis ſic. Etenim cum volũtas moveat intellectum ad eliciẽtiam ſuorum actuum quoad exercitium, & intellectus moveat voluntatem quoad ſpecificationem, poterit contingere, quod primus actus voluntatis in genere cauſæ efficientis, in quo genere eſt motio quoad exercitium, præcedat intellectum quoad ſuum primum actum, & in genere cauſæ obiectivæ, vel finalis ſequatur ad primum actũ intellectus: ſicut ponitur in ſententia valde probabili, quod gratia habitualis præcedit diſpoſitiones in genere cauſæ efficientis, & ſequitur ad illas in genere cauſæ materialis. Sed cõtra hoc eſt, primò nam doctrina huius ſolutionis adverſatur Div. Thom. hic quæſt. 82. art. 4. ad 3. formaverat enim contra reſolutionem ſuam hoc 3. argumentum, *nihil velle poſſumus, niſi ſit intellectum; ſi igitur ad intelligendum moveat voluntas volendo intelligere, oportebit quod etiam illud velle præcedat aliud intelligere, & illud intelligere aliud velle, & ſic in infinitum, quod eſt impoſsibile; non ergo voluntas movet intellectũ.* Cui argumento reſpondet ſic. *Dicendum, quod non oportet procedere in infinitum, ſed ſtatur in intellectu ſicut in primo: omnem enim voluntatis motũ neceſſe eſt quod præcedat apprehenſio, ſed non omnem apprehenſionem præcedit voluntatis motus, ſed principium conſiliandi, & intelligendi eſt aliquod intellectivũ principium altius noſtro intellectu, quod eſt Deus.* Quæ doctrina non eſſet vera, ſi primum actum intellectus præcederet actus voluntatis in genere cauſæ efficientis, non enim tunc eſſet neceſſe, quod Deus eſſet primum principium conſiliandi, & intelligendi.

1036 Sed ratione hoc ipſum impugno. Nam primus actus voluntatis præſupponit primum actum intellectus in exercitio elicitum: igitur nequit movere intellectum ad exercitium talis actus. Prob. Ant. nam nihil volitum, quin præcognitum, ideſt, prius cognitum: ergo nulla erit poſsibilis volitio, quæ non præſupponat cognitionem exercitam illius obiecti, cuius eſt volitio. Prob. Conſeq. quia iuxta ordinem obiectorum aſsignari debet ordo actuum, qui feruntur in illa: ergo ſi de obiectis verificatur nihil eſſe in exercitio volitũ, quin prius fuerit præcognitum, pariter de actu volitionis debebit affirmari, nullã eſſe volitionem in exercitio elicitam, quam non præcedat cognitio in exercitio elicita. Secundo, nam potentia intellectiva prior eſt ſecundum exercitium, quam voluntas: ergo ad explicandã hanc prioritatem debemus neceſſario aſsignare aliquẽ actum intellectus ſic præcedentem actum voluntatis, quod actus voluntatis nullo modo præcedat ipſum; hoc autem debet eſſe primus actus intellectus: ergo debemus fateri primũ actum intellectus non exerceri ex imperio voluntatis. Prima Conſ. ex eo Prob. quia prioritas naturalis vnius potentiæ ad alteram potentiam debet probari ex prioritate ſaltim alicuius actus eius ad actum alterius potentiæ, cum ordo, & ſpecificatio potẽtiarũ debeat deſumi ex ordine actuũ: ergo ſi intellectus naturaliter eſt prior voluntate, & voluntas in nullo genere cauſæ eſt prior intellectu, debet dari aliquis actus intel-

intellectus, qui ſic præcedat actum voluntatis, quod in genere cauſæ efficientis, & moventis quoad exercitium nullo modo dependeat ab illo. Præter quam quod, quia ſi omnis actus intellectus deberet eſſe ex imperio voluntatis, ſequeretur viſionem beatã etiam debere fieri ex imperio volũtatis, imo & generationem Verbi Divini deberet fieri ex imperio voluntatis divinæ; quæ omnia falſiſsima ſunt: nam viſio beata non eſt voluntaria antecedenter, ſed concomitanter, & ſimiliter generatio Divini Verbi iuxta cõmunem ſenſum Theologorum non eſt voluntaria antecedenter, ſed ſolum concomitanter. Neque exemplum adductum in aliquo favet huic ſolutioni, nam in gratia habituali diſtinguũtur duæ formalitates, altera auxilliantis, & altera Iuſtificantis: ad hoc vt gratia ſit in anima ſecundum primam formalitatem non requiruntur diſpoſitiones, benè autem ad hoc vt ſit in anima ſecundum formalitatẽ habitus Iuſtificantis: cum ergo formalitas auxilliantis præcedat formalitatem habitus Iuſtificantis, poteſt optime intelligi, quod ſub formalitate auxilliantis ſit principium effectivum diſpoſitionum, quas prævie requirit in anima gratia vt introducatur ſub formalitate habitus ſanctificantis; & ſic nõ eſt inconveniens quod diſpoſitiones procedant à gratia, & præcedant gratiam in genere cauſæ materialis, quia procedunt effectivè à gratia tantum ſub formalitate auxilliantis, & præcedunt gratiam ſecundum aliam formalitatem ſanctificantis. Verum actus primus voluntatis implicat intelligi in exercitio poſitus, quin procedat à propoſitione, & dictamine intellectus in exercitio poſito, & ſic implicat contradictionem, quod primum dictamen intellectus fiat ex imperio primi actus voluntatis præcedentis ipſum in genere cauſæ efficientis.

1037 Tandem reſpondent adverſarij rationi noſtræ, quod ad hoc vt primus actus voluntatis ſit malus, non ſit neceſſe, quod ipſum præcedat dictamen defectuoſum, ſed ſufficere, quod præcedat inconſideratio alicuius requiſiti ad agendũ, quod debebat conſiderari; ad hanc autem incõſiderationem non requiritur quod Deus concurrat poſitivè, ſeu ſufficit quod illam permittat in intellectu Angeli: vnde ſpoterit eſſe peccatum in actu ſequuto ad illam. Sed contra hoc eſt, nam ad hoc vt illa inconſideratio inferat peccatum in voluntate Angeli, oportet neceſſario, quod ſit volita ab Angelo; vel actu formali, vel virtuali voluntatis; ſed ſi illa inconſideratio præcedit primum actum voluntatis nequit eſſe volita ab Angelo neque actu formali, neque actu virtuali, ſeu interpretativo: igitur nequit actus voluntatis, qui ad illam ſequitur, eſſe peccatũ. Prob. Min. nam actus, qui ſequitur talem inconſiderationem eſt primus voluntatis actus: igitur inconſideratio præcedens illum nequit eſſe volita, neque actu formali, neque actu virtuali. Patet Conſeq. & quidem de actu formali, iam probatum eſt, quod id, quod ex parte intellectus præcedit primum actum voluntatis, nequit eſſe volitum ipſo primo actu voluntatis. De actu autem interpretativo, ſeu virtuali ſic Probo, nam non eſt poſsibile interpretari voluntatem velle, quod ipſa nequit velle actu formali; at vt probatum eſt non eſt poſsibile talem inconſiderationem eſſe volitam actu formali, cum præcedat per ſe primum actum volũtatis: igitur talis inconſideratio neque actu interpretativo poteſt eſſe volita.

§. VIII.

Solvuntur argumenta Patris Eſparza.

1038 Ad probandum potentiam phyſicam ad peccandũ in primo inſtanti ſic primo arguit Eſparza. Quia Angeli pro primo inſtanti habuerunt potentiam phyſicã omittendi diſpoſitionem ad gratiam habitualẽ, & conſequenter carendi eadem gratia; habuerunt igitur poteſtatem phyſicam peccandi. Patet Conſeq. quia nemo proximè potens, ac liber ad habendum gratiam habitualem, ea caret abſque culpa, ac proinde nec carere poteſt abſque culpæ poſsibilitate. Tum etiam, quia peccatum conſtituitur per liberam gratiæ privationem, vel certe hæc illud præſupponit ex ſua natura, conſentientibus (inquit) quoad hoc adverſarijs noſtris. Tum etiam, quia vt idẽ adverſarij merito docent, omnes iure naturæ tenentur habere gratiam habitualem, cum primum poſſunt, ſaltim niſi præſupponantur illam demeruiſſe antecedẽter per aliud peccatum. Tum deniquè, quia cum Angelorum via fuerit brevisſima, & deliberatio pro primo inſtanti pleniſsima, eadem eſt ratio obligandi illos ad eam diſpoſitionem pro eo inſtanti, atque homines pro longo tempore, aut pro eo, quod apparet pro-

Digitized by Google

propinquiſsimum morti. Prob. iam Ant. quia ex confeſsione adverſariorum Angeli acceperunt pro primo inſtanti gratiam habitualem dependenter à propria diſpoſitione morali, & merito de congruo; libertas autem ad diſpoſitionem moralem, & meritum eſt poteſtas ſaltem phyſica ad eius omiſsionem: & conſequenter ad privationem etiam formæ dependentis à tali diſpoſitione.

Neque vero ſufficit ſi dicatur cum Bañez hic quæſt. 63. art. 6. dub. 2. primum actum illum diſpoſitivum fuiſſe liberũ tantum quoad exercitium, neceſſarium vero quoad ſpecificationem. Non (inquam) hoc ſufficit, quia inde ſequitur potuiſſe omitti eum actum, licet non potuerit elici actus poſitivus contrarius: argumentum autem noſtrum (inquit) contendit poteſtatẽ omittendi illum actum ex eo præciſe fuiſſe poteſtatem peccandi, ſiquidem ab eo actu pẽdebat receptio gratiæ.

Ad hoc argumentum primò dico, quod illo poterat probare hic auctor, quod Chriſtus potuerit peccare in primo inſtanti cõceptionis ſuæ, in quo ſecundum D.Thom. accepit gratiam dependenter à propria diſpoſitione: nam iuſtificatus eſt more adultorum, ac proinde liberè ſe diſpoſuit, & ſic ſe diſpoſuit, quod potuit omittere diſpoſitionem, ac proinde voluntariè carere gratia habituali: carentia autem gratiæ eſſet peccatum, & ſic probare poterat, Chriſtum potuiſſe peccare. Quod ſi reſpectu Chriſti nullam habet vim, etiam reſpectu Angeli nullam habere poteſt. Vnde in forma reſpondeo, diſt. Anteced. Angelus in primo inſtanti potuit omittere diſpoſitionem ad gratiam, quantum ad ſpeciẽ actus, nego Ant. quantum ad individuationem actus, quo de facto diſpoſitus eſt, Conced. Antec. & nego Conſ. Ad Prob. tranſ. totus diſcurſus; ſed nego quod Angelus potuerit carere voluntariè gratia habituali in primo inſtanti: quia ad hoc non ſufficiebat quod potuiſſet omittere hanc, vel illã numero diſpoſitionem, quam habuit, ſed requirebatur quod fuerit liber ad omittendum diſpoſitionem ad gratiam, ſic, quod potuerit non ſe diſponere, quod non ita evenit in Angelis, ſicut neque evenit in Chriſto: fuit ergo determinatus Angelus in primo inſtanti ad ſe diſponendum ad gratiam, ſed non ad ſe diſponendum hoc numero actu, quo ſe diſpoſuit, ſed potuit omittere illum, & diſponere ſe alio; vnde non potuit carere gratia voluntariè, licet liberè ſe diſpoſuerit ad illam.

Ad ſecundam Probationem, fateor quod peccatum conſiſtat in ipſa voluntaria carentia gratiæ, ſed nego quod Angelus voluntariè potuerit carere illa. Et ſi inſtes, liberè eam habuit: ergo potuit non habere illam, nego Conſeq. quia ad veritatem Antecedentis ſufficit quod fuerit liber ad eliciendum illum actum voluntatis, quem de facto elicuit, & fuerit liber ad non eliciendum illum: ad veritatem autem Conſequentis requirebatur, quod potuerit omittere omnem actum, ſive iſtum, ſive illum, non ſolum diviſivè, ſed etiam collectivè, quod dicimus falſum. Ad tertiam fateor quod omnis perveniens ad vſum rationis iure naturæ tenetur ſe diſponere ad gratiam, ſi ordinatus ſit ad finem ſupernaturalem: fateor etiam Angelum in primo inſtanti obligatum fuiſſe hoc præcepto; nego tamen quod potuerit frangere illud, quia, vt dixi, neceſſitatus fuit ad ſe diſponendum ad gratiam, eſto manſerit liber ad diſponendum ſe hoc numero actu, vel illo.

Ad quartam bona eſt ſolutio Magiſtri Bañez, & coincidit cum noſtra. Et ad replicam dico, quod non potuit omittere collectivè omnem actum, quo ſe diſponeret ad gratiam: potuit autem diviſivè, quia nullo iure naturæ tenebatur ad diſponendum ſe ad gratiam eo numero actu; quo ſe diſpoſuit: vnde potuit illum omittere, & alio diſtincto ab illo ſe diſponere, & ſic non potuit peccare, quamvis liberè ſe diſpoſuerit ad gratiam.

1039 Secundo arguit principaliter argumento, quod vocat ad hominem Angeli habuerunt actum fidei pro primo inſtanti, quod (inquit) non negant adverſarij; quicumque autem habet actum fidei pro aliquo inſtanti, poteſt illum omittere pro eodem inſtanti, & omittendo peccare, quia cum obiectum fidei proponatur obſcurè, non poteſt, ſicut quod eſt evidenter cognoſcibile, neceſsitare voluntatem, aut intellectum phyſicè ad ſui aſſenſum: maximè, cum circa præcipua myſteria ſit difficillimus ratione naturali. Nam vero (inquit) licet recurrere ad evidentiam in atteſtante, quia negata eſt Angelis

Digitized by Google

à nobis ſuperius, eandemque negant iidem Thomiſtæ; omiſsionem autem fidei, ſeu nolitionem credendi Deo, cum primum credenda ſufficienter proponit, & vocat ad agnitionē ſui, eſſe peccatum, probatione non indiget.

Ad hoc argumentum, diſt. Min. quicumque autem habet actum fidei pro aliquo inſtanti, poteſt illum omittere pro eo inſtanti, quoad ſpeciē & exercitium individuationis, nego Min. quoad ſpeciē, vel quoad exercitium individuationis, conc. Min. & nego Cōſ. Etenim de ratione actus fidei non eſt vt ſit liber quoad ſpeciem, & quoad exercitium individuationis, ſed tantum eſt quod ſit liber, in ſubiecto impeccabili quoad exercitium huius numero actus credendi; quoad ſpeciem, & individuationem in alijs ſubiectis, quibus non repugnat peccatum. Etenim ſi Chriſtus, vt potuit fieri, ab initio non fuiſſet beatus, liberè in inſtanti conceptionis crediſſet, nec tamen libertas eius in eo eſſet, quod potuiſſet non credere, ſed in eo quod ſic hoc actu crederet; quod potuiſſet non credere illo, ſed alio: vnde ex hoc quod liberè crediſſet, non ſequeretur, quod poſſet peccare. Sic in Angelis pro primo inſtanti.

Sed inſtabis, de eſſentia actus fidei divinæ meritorij eſt non ſolū libertas quoad exercitium individuationis actus, ſed etiā quoad ſpeciem: ergo vel Angelus non credidit meritoriè, vel ſi credidit, potuit non credere, vel diſcredere, & ſic potuit peccare. Prob. Antec. ad actum fidei meritorium requiritur indiſpenſabiliter quod procedat ex pia affectione voluntatis determinantis intellectum ad credendum quoad ſpeciem actus, & quoad exercitium: ergo requiritur quod ſit liber vtraque libertate: nam ſi eſſet liber ſola libertate exercitij, non requireretur quod voluntas determinaret intellectū quoad ſpeciem actus.

Ad hoc, nego Antec. Ad prob. diſt. Antec. quod procedat ex pia affectione voluntatis, libera quoad ſpeciem, & individuationis exercitium, nego Antec. libera quoad ſpeciem, & exercitium, vel ſolum quoad exercitium, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque verum eſt quod cum fides ſit de Deo non viſo auctore ſupernaturali, intellectus ex meritis obiecti nequit determinari plenè nec quoad ſpeciem, nec quoad exercitium, & ſic indiget quoad vtrumque determinari à voluntate, ſed circa hanc voluntatis actiuam determinationem aliter, & aliter res poteſt ſe habere; nam ſi ſubiectum, quod debet credere probetur aliàs eſſe impeccabile, tunc neceſsitabitur quoad ſpeciem voluntas ad determinandum intellectum: ſi autem ſubiectum aliàs non probetur impeccabile, voluntas liberè vtraque libertate habebit determinare intellectum ad credendum. Itaque ſemper intellectus ad credendum indiget determinari quoad ſpeciem, & quoad exercitium, ſed voluntas ſubiecti impeccabilis neceſsitabitur quoad ſpeciem, eſto non quoad exercitium, determinare intellectum: ſi autem ſubiectum ſit peccabile, etiam ipſa voluntas erit libera quoad ſpeciem, & exercitium ad determinandum intellectum ad credendum, & quia vt probatum eſt rationibus D. Thom. Angelus in primo inſtanti eſt impeccabilis, ideo ſufficienter facta ei propoſitione fidei, vt in primo inſtanti credat, neceſsitabitur ad credendum quoad ſpecificationem, eſto non quoad exercitium à voluntate neceſsitata quoad ſpecificationem ad determinandum illum. Doctrina hæc comprobabitur vera, ſi ſupponatur, quod Chriſtus non fuerit beatus ab inſtanti ſuæ conceptionis: tunc enim crederet fide divina, qui actus credendi ſolum fuiſſet liber quoad exercitium modo explicato, non quoad ſpecificationem: vnde ex ſola libertate actus credendi non probatur quod Angelus in primo inſtanti habuerit potentiam phyſicam ad peccandum.

1040 Tertio arguit, nam omnes Angeli pro ſecundo inſtanti habuerunt potentiam phyſicam ad peccandum, nec liberum illis fuit vt tunc eam non haberent; liberum autem fuiſſet Angelis, vt non haberent pro ſecundo inſtanti potētiam phyſicā ad peccandū, ſi pro primo inſtanti nullam ne quidē phyſicā habuiſſent poteſtatē proximā peccandi: liberū namque fuit Angelis vt retinerent pro ſecūdo inſtanti omnia comprincipia, & requiſita operandi; præcipuè verò idē dictamen rationis, omnem, & ſolam cognitionē, quæ adfuere pro primo inſtanti; quia nihil cogere eos potuit, quo minus nollent ad nullam aliam cognitionem digredi, ſed vellent adhærere illi cognitioni, & dictamini, quæ extitere perfectiſsima pro primo inſtāti: neque impedire exiſtentiā rerū, quo minus tranſiret ad ſecundum inſtans, & continuaretur ſicut

prius

Digitized by Google

prius; manifeſtum autem eſt eadem omnia & ſola eandem omnino potentiam, aut impotentiam apta eſſe cõſtituere pro vtroque inſtanti. Nec diu poteſt (inquit Eſparça) ipſam liberam facultatem divertendi ad alias conſiderationes, & cognitiones, iiſque impediendi perſeverantiam primæ perfectiſsimæ cognitionis, & dictaminis fuiſſe poteſtatem proximam peccãdi. Quia tranſitus ad alias conſiderationes, & cognitiones non erat prohibitus ſaltim ſub lethali. Quod ſi præterea dicatur, vt videtur omnino dicendum, voluntatem liberam tranſeundi ad alias cognitiones pro ſecundo inſtanti directam fuiſſe per aliquã primi inſtantis cognitionẽ, nec aliter eũ tranſitũ accidere potuiſſe, ſequitur, poteſtatẽ divertendi ad alias cognitiones ad ſummũ fuiſſe poteſtatem remotã, & mediatã peccandi.

Ad hoc argumentum, nego Min. Ad Prob. nego Mai. nam licet potuerint libere conſervare primam cognitionem, & amorem, tamen non potuerunt retinere hoc, quod eſt velle, ſeu operari niſi tantum ex Dei dictamine, quod reddebat illos phyſicè impeccabiles in primo inſtanti. Etenim impeccabilitas primi inſtantis non cõſiſtebat in ſola cognitione, & amore, & rerum curſu, & cetera quæ Eſparça enumerat, ſed conſiſtebat in eo, quod in primo inſtanti non poterat ex proprio dictamine ſe movere ad operandum, ſed ſolum ex dictamine Dei; hinc enim fiebat quod operatio primi inſtantis peccaminoſa eſſe non poterat; hoc autem non fuit liberum Angelo retinere pro ſecundo inſtanti, in quo iam plenè ſui iuris erat, & ſibi dictamen formare poterat, quo, vel in primo meritò perſeveraret, ſi vellet, vel ad aliud diverteret, & ſic non erat in poteſtatè libera Angeli transferre ad ſecundum inſtans impeccabilitatem, quam habuit in primo: vnde potuit perſeverando in eadem cognitione, & amore Dei non peccare, ſed dum iam ex proprijs ſe in ſecundo inſtanti movere poterat, repugnantiam ad peccatum, quam in primo inſtanti habuit, in ſecundo inſtanti retinere non potuit.

1041 Quarto arguitur, adducendo doctrinam Auguſtini ex lib. 22. contra Fauſtũ c. 28. ibi; *ſi nihil delectaret illicitũ, nemo peccaret*, & poſt modum, *non in eo genere* (nempe non delectabilis per aliquid illicitum) *factus eſt homo, nec illa natura Angelica, quæ in veritate non ſtetit, ſed in eo genere iſta rationabilia facta ſunt, vt in eſſet eis poſſibilitas frenandi delectationem ab illicito, quam non frenando peccaverunt*. Ex quibus infert: ergo ex quo Angeli fuerunt proximè capaces, quod ipſos delectaret aliquid illicitum, fuerunt etiam proximè capaces ad peccandum, quia ſicut ſe habet altera capacitas ad alteram abſolutè, ita ſe habeat neceſſe eſt pro quovis inſtanti determinato; Angeli autem pro primo inſtanti fuerunt proximè capaces, quos delectaret aliquid illicitum, eadem namque in primis fuit natura Angelorum, & rerum delectabilium pro primo, & pro reliquis inſtantibus. Deinde non defuit pro primo inſtanti cognitio earundem rerum delectabilium, ſeu potentium quantum eſt ex ſe ad delectandum illicitè, quia cum huiuſmodi delectabilia ſint Angelo connaturalia, ea certiſsimè cognoverunt à primo inſtanti per comprehenſionem ſui, nec enim comprehendere ſe potuere, vti certiſsimè comprehenderunt à primo inſtanti, quin cognoſcerent per quænam obiecta delectari connaturaliter poſſent, tum licitè, tum illicitè. Demum non adfuit pro eodem primo inſtanti poſſeſsio boni honeſti, quæ plenè, & perfectè ſatiaret totum appetitum Angelicũ, quia huiuſmodi plena, & perfecta ſatietas ſolum provenire poteſt ex plena, & perfecta poſſeſsione ſummi boni, quæ per ſolam viſionem immediatam haberi poteſt; nullum namque aliud bonum, nullaque alia ſummi boni poſſeſsio pellere omnino poteſt, atque extinguere indigẽtiam, miſeriam, atque adeò, & capacitatẽ quærendi vndequaq; ſubſidia quorumlibet delectabilium, ſive licita ea ſint, ſive illicita eſtò minuere eam poſsit perfectio cognitionis ænigmaticę circa ſummum bonum, & eò magis, quò ea maior fuerit. Adfuere igitur Angelis pro primo inſtãti quæ pertinẽt poſsitivè ad peccabilitatẽ ipſorũ, nihilque adfuit pro eodẽ inſtanti, quod ad illã phyſicè impediendam, penituſque tollendam ſufficiens fuerit.

Ad hoc argumentum, explicò verba Auguſtini, & dico, non debere intelligi reſpectivè ad primũ inſtans, ſic, quod poſſit contingere quod in primo inſtanti delectetur circa rem turpem, & illicitam; ſed debere intelligi ſic, quod in primo inſtanti factus eſt primus homo, & Angelus cũ potentia delectabilitatis circa illicita pro aliis inſtãtibus. Cuius ratio iã eſt aſsignata ex eo quod delectatio illicita, ſi in primo inſtãti contingeret, cũ ad illã Angelus, vel primus

homo nõ ſe moveret ex proprio dictamine, ſed ex dictamine ſolius Dei, deberet Deo vt moventi adæquatè ad illam attribui, quod cum ſit ſimpliciter impoſsibile, pariter impoſsibile erit, quod pro primo inſtanti delectetur circa illicita. In quo ſenſu explicato Auguſtino reſp. ad illationem: ergo ex quo Angeli fuerunt proximè capaces, quod ipſos delectaret illicitum, fuerũt proximè capaces ad peccandum, Conced. Conſ. ſed nego quod in primo inſtanti Angeli fuerint proximè capaces eliciendi delectationem circa illicita. Et ad Prob. eadem fuit natura Angeli, & delectabilium in primo, & in alijs inſtantibus, diſt. Ant. eadem fuit quoad prædicata poſsitiva, & repugnantia, nego Ant. quoad prædicata poſsitiva tantum, tranſ. Antec. & nego Conſ. Itaque ad peccandum non ſufficiunt prædicata poſsitiva Angeli, ſed vltra requiritur, quod illa ſint in ſtatu, in quo Angelus poſsit ſe movere ex proprio dictamine: tunc enim tantum peccatum ipſi poteſt attribui, ſic, quod Deo attribui non poſsit, & ſic tunc ſolum liber eſt à prædicato repugnantiæ ad peccatum; quod cum in primo inſtanti Angelus non habuerit, benè verò habuerit pro alijs inſtantibus, repugnantiã ad peccandum pro primo inſtanti in eo habuit, non verò illam habuit ad peccandum pro alijs inſtantibus.

Ad ſecundam Prob. fateor quod in primo inſtanti habuerit cognitionem illicitorum, nego tamen quod potuerit pro primo inſtanti delectari, ſicut & Chriſtus omnia cognovit tam licita, quam illicita; quia ea omnia cognoſcere perfectio eſt; non tamen potuit in illicitis delectari: ſic & Angelus cognovit illicita in primo inſtanti, ſed non potuit in eis delectari, quia talis actio Deo deberet attribui, ex cuius dictamine ſolo talis delectatio procederet. Ad tertiam Prob. dico, quod repugnantia ad nunquam peccandum requirit in creatura poſſeſsionem ſummi honeſti per claram eius viſionem; ad non peccandum autem pro primo inſtanti non illud requiritur, ſed ſufficit, quod in illo primo actu voluntatis Angelus non poſsit ſe ex proprio dictamine ad ſic volendum moverit probatum eſt autem ſupra rem ita contingere in Angelo in primo inſtanti ſuæ creationis, & ſic, quantumvis in illo Deum in ſe ipſo non videat, poteſt habere repugnantiam ad peccandum in primo inſtanti.

§. IX.

Solvuntur alia argumenta.

1042 PRÆTER Argumenta, quę contra noſtram concluſionem proponit Pater Eſparça ſunt & alia, quæ oportet proponere, & ſolvere, vt noſtra concluſio firmius ſtabiliatur. Primo arguitur. Angelus potuit mereri in primo inſtãti: ergo & potuit peccare in eodem inſtanti. Prob. Conſeq. à paritate rationis. Hoc argumentum ſolvit D. Thom. hic art. 5. negando Conſ. & aſsignat diſcrimen, quia actus meritorius, cum bonus ſit, non eſt inconveniens quod Deo attribuatur, & ſic poteſt eſſe in primo inſtanti, in quo actiones, quę incipiũt cum eſſe Angeli, Deo attribuuntur: at peccatum Deo nunquam attribui poteſt, & ſic nequit in primo inſtanti Angelo cõvenire.

Sed inſtas, ſicut peccatũ nequit Deo attribui, ſic neque meritũ; ſed hoc non obſtante meritum cõvenire poteſt Angelo in primo inſtanti: ergo & peccatũ poterit ei convenire. Prob. Min. peccatũ nequit attribui Deo, quia Deus nequit peccare; ſed etiã nequit mereri: ergo nec meritum poterit Deo attribui. Secũdo, eã libertas requiritur ad meritũ, quæ requiritur ad peccandũ: ergo ſi Angelus in primo inſtanti poteſt mereri, poterit etiã in primo inſtanti peccare. Conſ. eſt bona, & Prob. Ant. ad meritũ requiritur libertas actus deliberati; hæc autẽ ſufficit ad peccatum: ergo Prob. Antec. ad meritũ requiritur eã libertas ratione cuius actus meritorius ſic ſit in poteſtate merentis, quod poſſet illud elicere, & poſsit non elicere illud: ergo requiritur libertas actus deliberati.

Ad hoc, admitto ſolutionẽ D. Th. Ad replicã nego Min. Ad Prob. nego cauſalẽ: non enim ſolũ ex eo quod Deus nequit peccare, peccatũ Deo nequit attribui, ſed quia in formale peccati nullã cauſalitatẽ poteſt habere, neque moventis, neque elicientis: ad meritum autẽ eſto elicitivè concurrere non poſsit, quia hoc eſſet mereri, poteſt tamen concurrere cauſativè præviè, & ſimultaneè, moraliter, & phyſicè, ſi quidem quantũvis Deus non mereatur, quia in propria natura humiliari nequit, tamen omnia ea, quæ in merito creaturæ reperiuntur ſive phyſica ſint, ſive moralia, cauſat, cum ſint bona, & ipſe ſit auctor bonorum omnium. Ad ſecundã nego Ant. videmus enim

quod

Digitized by Google

quod Chriſtus habuit libertatem ſufficientem ad meritum, & non ſufficientem ad peccatum. Ad Prob. nego Mai. Ad Prob. nego Conſeq. nam non ſolum actus deliberatus ſic procedit à volente, quod poſſit non velle, ſed etiam actus liber, ideſt, ille, qui procedit à voluntate indifferenti ad eliciendum, & non eliciendum actum, vterque enim actus in poteſtate voluntatis eſt: aliter tamen, & aliter; nam actus deliberatus eſt in poteſtate voluntatis triplici titulo, primo, quia cum voluntas ex plena deliberatione procedit, ipſa ſibi format dictamen, quod eſt eius regula; ſecundo quia ex amore finis præconcepti ſe movet libere ad electionem mediorum: tertio quia movetur ab obiecto ſub indifferentia propoſito: actus autem liber hoc tantum tertio modo in poteſtate voluntatis eſt, quia propoſitio obiecti, quæ illi fit ab intellectu, non neceſsitat illam quoad ſpeciem, & exercitium actus; ſi quidem quãtumvis voluntas ſibi non formet dictamen, quod eſt regula ſui actus, tamen Deus illi obiectum amandum ſub indifferentia proponit, & ſic libere elicit actum, quamvis non deliberatè.

Sed inſtas, Angelum non poſſe ad primum actum voluntatis moveri ex proprio dictamine non infert illum in primo inſtanti non potuiſſe peccare: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Ant. ſi non poſſe formare dictamen inferret Angelum non poſſe peccare, poſſe formare ſibi dictamen inferret poſſe peccare, at hoc eſt falſum: ergo. Prob. Mai. nam vbi negatio eſt cauſa negationis, affirmatio debet eſſe cauſa affirmationis, Min. vero Prob. nam anima Chriſti dum merebatur ex proprio dictamine procedebat ad volendum; & tamen peccare nulla via poterat: ergo procedere ad volendum deliberate ex proprio dictamine non infert peccabilitatem. Ad hoc, nego Ant. Ad Prob. diſting. Mai. vniverſaliter loquendo, nego Mai. loquendo in his, quæ primo conſtituuntur impeccabilia per hoc, quod ex proprio dictamine non poſſunt procedere ad volendum, Conc. Mai. & diſtincta Min. ſub eadem diſtinctione, nego Conſ. Itaque non poſſe formare proprium dictamen eſt cauſa ſufficiens impeccabilitatis, non tamẽ eſt cauſa adæquata, quia ex alijs capitibus poteſt impeccabilitas oriri, vt patet in Chriſto, qui non ex illo capite impeccabilis erat, ſeu quia Deus, & homo erat, impotẽs ex vi vnionis hypoſtaticæ ad peccandũ, & ad formandũ dictamẽ defectuoſũ: vnde quamvis ex proprio dictamine procederet ad volendum, peccare tamen non poterat: vnde non infertur, quod ſi aliquod rationale poteſt ex proprio dictamine procedere ad volendum, hoc ipſo poſsit peccare; quia regula illa, quando negatio eſt cauſa negationis, affirmatio eſt cauſa affirmationis ſolum tenet, quando negatio eſt cauſa adæquata negationis, nõ vero quando negatio ex alijs capitibus poteſt oriri; in Angelo autẽ teneret, quia in eo eſt cauſa adæquata impeccabilitatis in primo inſtanti non poſſe ſe moveri ex proprio dictamine, ſed ſolum ex Dei dictamine procedere ad volendum.

1043 Secundo arguitur, Angelus in primo inſtanti non fuit ſua regula, neq; per identitatẽ, neque per neceſſariã connexionẽ confirmandi ſe in operando cũ Deo auctore gratiæ, qui eſt prima regula actionum ſupernaturaliũ creatarũ: ergo potuit peccare in primo inſtanti, Conſ. eſt bona iuxta noſtra principia, & Ant. Prob. nam prima regula operationũ ſupernaturaliũ eſt Deus vt auctor gratiæ; cum Deo autẽ vt ſic Angelus in primo inſtanti non habuit identitatẽ, vt per ſe patet, nec habuit neceſſariam connexionẽ, quia nulla natura cũ Deo auctore gratiæ neceſſariò connecti poteſt: ergo. Confir. poſito præcepto in primo inſtãti Angelo de opere ſupernaturali eliciẽdo non peccare in illo inſtanti violando tale præceptũ erat mera gratia in Angelo: ergo Angelus ex ſua natura nõ erat impeccabilis in illo inſtanti. Prob. Ant. non peccare tũc erat adimplere præceptũ ſupernaturale; at hæc adimpletio neceſſariò fit ex gratia ſupernaturali, quia ſuperat facultatem naturæ: ergo non peccare tunc erat mera gratia.

Ad hoc, nego Anteced. Ad Probationem, nego quod cum Deo in operando non habuerit neceſſariam connexionem: nam ex hoc quod in primo inſtanti ex proprio dictamine operari non poterat, erat neceſſe, quod ex Dei ſpeciali dictamine ad operandum procederet, & ſic erat neceſſe, quod in quocumque ordine vellet operari, Deum haberet pro regula ſuæ operationis. Et ad id, quod dicitur, quod natura non neceſſariò connectitur cum Deo auctore gratiæ: ex vi terminorũ eſt verũ; ſed facta aliqua gratuita ſuppoſitione, eſt falsũ: facta fuit autẽ gratuita ſuppoſitio in Angelo in primo inſtanti, quia gratuitò elevatus eſt

ad gratiam, & ad gloriam, & ſic ſinè in conuenienti Angelus connexus eſt pro primo inſtanti cum Deo auctore gratiæ neceſſaria connexione pro illo primo inſtāti.

Et ſi inſtes, quod ſola elevatio ad ordinem ſupernaturalem non eſt ſufficiens ad connectendum neceſſario naturam cum auctore gratiæ: ergo tota connexio reducetur ad naturam Angeli. Reſpondeo, quod ex terminis ita eſt, quod talis ordinatio non habet neceſſariò connectere naturam cum auctore gratiæ; ſed dum eſt ordinatio ad finem ſupernaturalem naturæ, quæ in nullo ordine in primo inſtanti poteſt ſe movere ad volendum ex proprio dictamine, ſed ſolum ex dictamine Dei, perficit naturam Angelicam iuxta modum ſuum: eſt autem modus naturæ Angelicæ quod in primo inſtanti ſolum ſe moveat ex dictamine Dei ad operandum, & ſic talis ordinatio habet infallibiliter connectere in operando naturam Angelicam cum Deo auctore gratiæ.

Ad Confirmat. diſting. Anteced. erat mera gratia in Angelo, in Angelo vt compoſito cum ordinatione ad finem ſupernaturalem, nego Anteced. in Angelo ſecundum ſe, & præciſivè ab ordinatione ſumpto, Conced. Anteced. & diſt. Conſeq. ergo Angelus ex ſua natura non erat impeccabilis in primo inſtanti reſtrictivè ad ordinem naturæ, nego Conſeq. extenſivè ad ordinem gratiæ, concedo Conſeq. Itaque vt natura Angelica ſit in primo inſtanti impeccabilis in ordine ſupernaturali, fuit neceſſaria gratia ordinans talem naturam ad finem ſupernaturalem, & ſic non peccare in tali ordine comparativè ad Angelum ſecundum ſua naturalia obſervando præcepta ſupernaturalia, ſemper eſt gratia, quia fundatur in ordinatione gratuita; at in ſenſu compoſito, vel reduplicata tali ordinatione non peccare, non eſt gratia, ſed debitum, quo Deus ſibi debet vitare, ne operatio Angeli peccaminoſa ad ipſū reducatur.

Inſtabis, ſi poſtquam Deus ordinavit Angelum ad ordinem ſupernaturalem, & poſuit præceptum ei de actu charitatis eliciendo, ſolum daret ei auxilia ſufficiētia ad adimpletionem præcepti ſupernaturalis, tunc Angelus vere obligaretur tali præcepto, & non obſervaret illud, quia ſine auxilio ſupernaturali non poſſet potentia conſequenti illud obſervare: igitur peccaret. Prob. Anteced. quia ad obligandum ad adimpletionem præcepti ſufficit quod Deus det poſſe; & non requiritur quod efficaciter applicet; nam obligatio ſolum fundatur ſuper poſſe adimplere: ergo cum hoc poſſe habeatur per ſola auxilia ſufficientia, eſtò non daret efficacia, Angelus obligaretur ad adimpletionem præcepti. Reſpondeo, quod tunc Deus obligaret Angelum, & hic non obſervando peccaret; ſed tale peccatum attribueretur Deo: quia ex ſolo Dei dictamine talis Angelus moveretur ad omittendum; cum ergo impoſsibile ſit ex vi terminorum, quod peccatum Deo attribuatur, ex vi terminorum etiam eſt impoſsibile, quod Deus det auxilia ſufficientia ſine auxilijs efficacibus, & ſic ex vi terminorum impoſsibile eſt quod Angelus in primo inſtanti peccet.

1044 Tertio arguitur, ſi Angelus in primo inſtanti peccare nō poſſet, eo eſſet, quia dictamen ad primo volendū deberet eſſe à Deo, & nō à propria voluntate Angeli; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. Min. ſi Angelus in primo inſtanti non poſſet formare ſuū dictamen per propriā voluntatē, Angelus non eſſet liber ad operandū, & nō operandū in primo inſtanti; Conſ. admitti nequit: ergo. Prob. ſequela, nā ſi dictamen eſſet à Deo independenter à voluntate Angeli, dictamen de proſequutione boni præcepti, vel de fuga omiſsionis eius omnino neceſſariò, & non liberè conveniret Angelo: ergo & proſequutio boni præcepti, & fuga omiſsionis prohibitæ neceſſariò etiā conveniret voluntati. Patet Conſequent. nam quando non eſt libertas ex parte intellectus dictantis amabilitatē obiecti non eſt libertas etiam ex parte voluntatis amplectentis neceſſariò obiectum illi ab intellectu dictatum. Confirmat. primo, illud dictamen, cum eſſet de bene operando, deberet eſſe per modum imperij intimantis voluntati operis exequutionem: ergo ſi nō eſſet à propria voluntate, verò auferret libertatem. Patet Conſeq. ex his, quæ docuimus in tractatu de prædeſtinatione circa actum imperij, de quo diximus, voluntatem neceſsitare ad opus, non tamen ab illa auferre libertatem, quia cum voluntas liberè eligat quod intellectus ipſi imperat, liberè eligit præfatam neceſsitatem, quam illū inducit imperiū: ergo ſi illud primum dictamē eſſet imperium, & illud nō eſſet à propria volūtate Angeli, ſed tantum à volūtate Dei, verè nullam libertatē relinqueret in voluntate.

Con-

Digitized by Google

Confir. ſecundò, ſi dictamen de opere præcepto eſſet à Deo, non maneret in voluntate potentia ad negationem actus præcepti: ergo non maneret voluntas Angeli libera. Prob. Antec. illud dictamen adimpletionem præcepti proponeret vt bonã, & negationem adimpletionis præcepti proponeret vt malam: ergo voluntas Angeli pro tunc non poſſet proſequi negationem adimpletionis præcepti. Patet Conſeq. nam malum propoſitum ſub ratione mali voluntas non poteſt proſequi: ergo ſi omiſſio actus præcepti Angelo proponeretur vt mala, Angelus nequiret illam amare, ſed ſolum poſſet fugere illam.

Nec valet ſi dicas, quod negatio actus præcepti ſolum proponeretur Angelo vt mala privativè ſumpta, id eſt, reduplicativè vt erat carentia actus pro illo tunc debiti; non vero negativè ſumpta, ſecundum quod præciſe dicit non-facere: ſecundum hanc enim rationem ſimplicis negationis operis, ſic mala non erat: vnde eſtò voluntas Angeli non poſſet in illam vt privativè acceptam, poſſet tamen in illam vt negativè propoſitam. Non (inquam) valet, nam ſuppoſito præcepto de bono opere eliciendo in primo inſtanti, omiſſio actus præcepti merè negativè ſumpta Angelo nullo modo erat poſſibilis: ergo ſi non poterat in illam vt privativè acceptam, nullo modo poterat in negationem actus præcepti. Prob. Antec. præceptum obligabat pro illo inſtanti adæquatè ſumpto: ergo pro illo inſtanti non erat poſſibilis negatio actus præcepti merè negativè; nam hæc ad ſui poſſibilitatem requirit non obligationem, ſeu inſtantiam præcepti; ſed ſemel poſito præcepto de eliciendo opere bono in illo inſtanti determinato, non erat poſſibile quod dictum præceptum non obligaret: ergo ſimiliter omiſſio actus præcepti merè negativa non erat poſſibilis in illo primò inſtanti.

Ad hoc, nego Min. Ad prob. nego Conſeq. Ad Prob. diſt. Antec. quando non eſt libertas ex parte intellectus dictantis, nec id, quod dictatur ſub indifferentia proponitur voluntati, tunc non eſt libertas ex parte voluntatis, conc. Ant. quando nõ eſt libertas ad dictamen, id tamen, quod dictatur, dictatur vt amandum cum indifferentia ad oppoſitum, nego Antec. & Conſeq. Itaque aliud eſt quod in intellectu Angeli in illo primo inſtanti non ſit libertas ad habendum, vel non habendum dictam eſt, ad quod formandum quoad exercitium à Deo movetur; & aliud eſt, quod in illo dictamine, objectum à voluntate amandum non proponatur cum indifferentia. Primum erat verum in caſu noſtro; ſecundum falſum, quia eſtò Angelus non eſſet liber in formando tale dictamen, tamen res dictata non vt neceſſario amanda voluntati proponebatur, & ſic erat liberum voluntati amare, vel non amare.

Ad primam Confirmat. nego Anteced. nam imperium non præcedit omnem actum voluntatis, ſed eum tantum, qui dicitur vſus; cum ergo illud dictamen præcedat omnem actum voluntatis, imperii rationem habere non poteſt: vnde voluntas non neceſſitabatur quoad exercitium ex vi talis dictaminis, ſed illo poſito determinabatur ad operandum opus præceptum ab auxilio Dei efficaci applicante illam ad alterã partem contradictionis.

Ad ſecundam Confirmat. nego Anteced. Ad Prob. diſting. Anteced. proponeret negationem adimpletionis vt malam, negationem adimpletionis abſolutè, & ex terminis, nego Anteced. negationem adimpletionis compoſſibilem cũ præcepto, Conc. Anteced. & diſting. Conſeq. non poſſet proſequi negationem adimpletionis præcepti, vt componibilem cum præcepto, Conc. Conſeq. non poſſet proſequi negationem adimpletionis præcepti, ex terminis, & abſolute ſumptam, nego Conſeq. Itaque negatio adimpletionis præcepti dupliciter capi poteſt, vel vt componibilis cum præcepto, & ſic eſt mala, & Angelo proponitur vt mala; vel ex terminis ſolis ſuis ſecundum quod dicit non facere illum actum, quem præceptum dictat faciendum, & ſic mala non eſt, quia præſcindit à componibilitate cum præcepto. Pono exemplum: dictabat pro tunc Angelo præceptum Dei amorem ſupernaturalem, tunc non amare Deum ſupernaturalem auctorem ex terminis non amoris malum non erat, & ſic ab Angelo appeti poterat in illo inſtanti: non amare autẽ Deum in illo inſtanti coniungendo non amorem cum præcepto malum erat, & vt ſic Deum auctorem ſupernaturalem Angelus non amare non poterat.

Ad replicam, diſt. Antec. ſuppoſito præcepto de bono opere eliciendo in primo inſtanti, omiſſio mere negativa illi poſ-

poſsibilis non erat, illi, reduplicato præcepto, conc. Antec. illi, ex terminis ſuis ſibi intrinſecis, nego Antec. & Conſeq. Itaque ſicut poſito præcepto de amore Dei non amare Deum dupliciter capi poterat; vel ex terminis ſolis non amoris, vel cum accidenti coniunctionis cum obligatione præcepti: ita Angelus in primo inſtanti exiſtens poſito præcepto poteſt capi dupliciter: vel reduplicato præcepto, vel reduplicato tantum hoc, quod eſt Angelum exiſtere in primo inſtanti ſui eſſe: ſi vtrumque reduplicetur, ſic negatio actus præcepti negativè ſumpta, vel ex terminis, pro tunc illi non erat poſsibilis: ſi autem tantum reduplicentur intrinſeca Angeli, & non ſuppoſitio extrinſeca præcepti, ſic non amare ex terminis illi poſsibile erat; quia implicantia non amoris non oritur ex intrinſecis Angeli convenientibus illi pro illo inſtanti, ſed tantū oritur ex ſuppoſitione extrinſeca præcepti.

1045 Secundo reſponderi poteſt ad ſecundam Confirm. poſito præcepto nō maneret potentia ad negationē actus præcepti, diſt. Ant. ad negationē omnis actus, per quem voluntas poteſt adimplere præceptum, conc. Ant. ad negationem huius, vel illius actus, per quem voluntas poteſt adimplere præceptum, nego Antec. & diſt. Conſeq. non maneret libera ad negationē omnis actus, per quem fieri poteſt præcepti adimpletio, conc. Conſeq. ad negationem huius, vel illius actus, per quem fieri poterat præcepti adimpletio, nego Conſ. Itaque poſito præcepto de amore Dei in primo inſtanti voluntas non poterat non amare Deum aliquo actu, ſed poterat non amare Deum hoc actu, quo de facto illum amabat; quia non neceſsitabatur ad amandum Deum hoc, vel illo actu in particulari, ſed quocumque actu in particulari præceptum adimpleret amando, poterat illo actu non amare, ſed alio: quod eſt dicere; quod præceptum non neceſsitabat quoad exercitium, ſed ſolum quoad ſpecificationem.

Sed inſtas: ergo ſi Deus præciperet quod Angelus in primo inſtanti illum diligeret iſto actu determinato, tunc nō maneret liber, & potens non amare Deum. Conc. Conſeq. ſi enim præciperet Deus Angelo in primo inſtanti, quod hoc actu determinato illum diligeret, tunc maneret determinatus ad hoc exercitium amoris: vnde in eius voluntate non maneret poſſe ad oppoſitum. Sed inſtas vrgentius contra eandem ſolutionem: ergo Angelus adimplendo præceptum nō mereretur per actum ſuum adæquatè, id eſt, per ſpeciem, & exercitium actus; Conſeq. non videtur admittendum: ergo. Prob. Sequela, per id tantum mereretur, in quo maneret liber poſito præcepto; ſed tantum per nos maneret liber quoad exercitium actus, non vero quoad ſpecificationem, & exercitium: ergo non mereretur adæquatè per talem actum. Ad hoc, nego Conſ. Ad Prob. diſt. Min. tunc actus non eſſet liber quoad ſpeciem libertate deſumpta ex ea parte, qua actus haberet ſpeciem, conc. Min. libertate deſumpta ex ea parte, qua actus haberet exercitium, nego Min. & Conſeq. Itaque dum actus liber eſt quoad exercitium, totus adæquatè ſumptus liber eſt; quia ſub exercitio hoc determinato totus actus quoad ſpeciem, & quoad individuationem ſic ponitur, quod poteſt non poni; non tamen ex omni capite libertas eius deſumitur. Itaque in omni ſua formalitate habet libertatem, ſed non ex omni capite, & formalitate libertatem deſumit, & ad hoc quod ſit meritorius quoad omnem eius formalitatem, ſufficit, quod in omni ſua formalitate habeat libertatem, non autem requiritur quod ex omni ſua formalitate illam habeat.

1046 Quartò arguitur, vt ponatur peccatum in Angelo in primo inſtanti, ſufficit ex parte Dei, quod Deus permittat formale peccati, & prædeterminet ad materiale eius, his enim poſitis ponetur infallibiliter peccatum in Angelo; ſed ex hoc quod Deus permittat formale, & prædeterminet ad materiale peccati in primo inſtāti non ſequitur quod Deo tunc attribuatur: ergo eſto Angelus peccet in primo inſtanti, non ſequitur quod peccatum Deo attribuatur. Prob. Min. in ſecundo inſtanti Deus permittit formale, & determinat ad materiale; & tamen peccatum non attribuitur Deo: ergo eſto in primo inſtanti Deus permittat formale, & determinet ad materiale, non ſequeretur peccatum attribui Deo.

Ad hoc, nego Mai. nam vltra illa duo requiritur ſpeciale dictamen Dei de proſequendo obiecto turpi, ſeu illicito. Etenim, vt dixi, ad hoc vt Angelus moveatur in primo inſtanti, cum non poſsit ex proprio dictamine moveri, requiritur quod ex Dei ſpeciali dictamine moveatur; ſic ad hoc

Digitized by Google

hoc vt peccaret in primo inſtanti non ſufficeret Deum movere ad materiale, & permittere formale, ſed vlterius requireretur, quod ex Dei dictamine ſpeciali moveretur ad peccandum. Quod in ſecundo inſtanti non requiritur, quia iam tunc Angelus ex proprijs movetur, & ſic non requiruntur niſi illa duo ad peccandum, nempe determinatio ad materiale, & permiſsio formalis.

Sed inſtas, voluntas Angeli in ſecundo inſtanti potuit peccare; & tamen non potuit ſibi formare dictamẽ defectuoſum, ex quo ſe moveret ad peccandũ: ergo eſtò in primò inſtanti non potuerit ſibi formare dictamen defectuoſum, potuit tamen in primo inſtanti peccare. Prob. Min. voluntas ante ſecundum inſtans erat bona amore finis boni ordine debito amati; ſed ex amore finis boni ordine debito amati non potuit voluntas ſibi formare dictamen de proſequutione obiecti mali moraliter: ergo Angelus in ſecundo inſtanti nequivit ſibi formare dictamẽ defectuoſum. Prob. Min: ex dictamine nõ defectuoſo nequit in voluntate excitari actus defectuoſus: ergo ex actu voluntatis non defectuoſo non potuit excitari in intellectu Angeli dictamen defectuoſum; ſed amor finis boni debito ordine amati non erat defectuoſus: ergo virtute illius nequivit applicari intellectus Angeli ad formandum dictamẽ defectuoſum.

Explico difficultatem. Primum inſtans Angeli incepit à bono dictamine, ad quod Deus Angelum applicavit, cum ipſe ſe ad illud applicare non poſſet, & finitum eſt in amore Dei ſupernaturali, quo Angelus ſe ipſum, & omnia ſua ad Deum auctorem ſupernaturalem retulit diligendo ipſum ſuper omnia; ſecundum inſtans immediatè ſequutum ad primum incepit à dictamine practico propriæ excellentiæ proſequendæ ſine debito ordine ad Deum auctorem ſupernaturalem; & finitum eſt in amore inordinato propriæ excellentiæ. Nunc inquiro, quo actu voluntatis applicatus eſt intellectus Angeli ad formandum illud dictamen defectuoſum, à quo incepit ſecũdum inſtans? Huic quæſito neceſſariò reſpondere debemus, Angelum fuiſſe applicatũ ad dictamen defectuoſum virtute actus voluntatis, qui immediatè tale dictamen præceſsit: at actus præcedens dictum dictamen non eſt alius, niſi actus ille ſupernaturalis amoris, quo ſe ipſum, & omnia ſua in Deum Angelus retulit in primo inſtanti: ergo dicendum eſt, quod virtute act⁹ amoris Dei auctoris ſupernaturalis applicatus eſt intellectus Angeli ad hoc vt relinqueret Deum auctorem ſupernaturalẽ: quod incredibile eſt.

Ad hoc, nego Min. Ad Prob. diſt. Min. conſervando ſe in amore finis boni debito ordine amati, conc. Min. derelinquendo primum amorem, nego Min. Ad Prob. nego Conſ. Itaque dum Angelus libere amabat Deum auctorem ſupernaturalem in primo inſtanti, ex hoc ipſo quod ille amor liber erat, poterat intellectus excitari ad formandum dictamen de averſione à tali fine pro ſecundo inſtanti, & ſic poterat ſecundũ inſtans incipere à dictamine defectuoſo. Nec tamen illa Conſeq. valet: *Stante in intellectu dictamine non defectuoſo non poteſt ſequi in voluntate actus defectuoſus: ergo præcedente in voluntate actu non defectuoſo non poteſt ſequi ex parte intellectus dictamen defectuoſum.* Conceſſo enim Antecedent. nego Conſeq. & aſsigno diſcrimen: nam actus voluntatis ſequitur ad dictamen intellectus tanquam ad regulam bonitatis, & malitiæ ſuæ; ordinat enim intellectus de bonitate voluntatis, vel de malitia eius, & voluntas ſequitur ordinationem intellectus, ſic, quod nihil poteſt amare, vel fugere niſi iuxta præſcriptionem intellectus; & ſic ſi ex parte intellectus nõ eſt defectus, ex parte voluntatis non poterit eſſe defectus: voluntas autem, quamvis moveat intellectum quoad exercitium ad formandũ dictamen, non tamen movet illum præſcribendo illi obiectum, circa quod dictamen formandum eſt, ſed applicando eum, vt exeat in actum circa obiectum, quod illi occurrit intelligendum: vnde eſtò in actu præcedẽte voluntatis non ſit defectus, poteſt tamen in dictamine ſubſequuto ex parte intellectus eſſe aliquis defectus ſaltẽ inconſiderationis eorum, quæ antea intellectus conſiderabat, & ſic, eſtò actus voluntatis, quo Dæmon finivit primum inſtans, eſſet bonus, potuit ex parte intellectus incipere ſecundum inſtans à dictamine defectuoſo. Ex his reſpondetur ad quæſitum in explicatione huius difficultatis factũ. Quod Angelus factus in actu per amorem Dei auctoris ſupernaturalis liberum, quem habuit in primo inſtanti, excitavit ſe ipſum ad for-

man-

Digitized by Google

mandum dictamen defectuoſum defectu conſiderationis debitę, ad quē ſequutus eſt actus amoris inordinati propriæ excellentiæ.

1047 Quinto arguitur, non eſt neceſſe, quod prima operatio Angeli, ſi peccaminoſa eſſet, attribueretur Deo: ergo ex iſto capite non ſtabilitur Angelum in primo inſtanti non poſſe peccare. Prob. Antec. homines, dum perveniunt ad vſum rationis, in illo primo inſtanti poſſunt non ſe convertere ad Deum, & peccare, vt oſtendit D. Thom. 1.2.q.89.art.6. & omnes eius Diſcipuli ponentes quod in illo primo inſtanti, in quo incipit rationalis operatio poteſt eſſe peccatum mortale cum originali; & tamen non eſt dicendum, quod illud peccatum poſsit Deo attribui: ergo eſto Angelus in primo inſtanti peccaret non eſſet dicendum, quod tale peccatum Deo deberet attribui. Confirm. hoc ex doctrina quadā D. Thom. 3.p. q. 34. art. 3. ad 1. ibi; *& ideo liberum arbitrium creaturæ in primo inſtanti creationis poteſt moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, ſi tamen natura ſit integra*; ergo ſi natura ſit corrupta, & vitiata, qualis eſt noſtra, poterit in prima operatione peccare, ſine eo quod peccatum Deo attribuatur. Confirm. ſecundo, non eſt neceſſe quod peccatum incipiens cum eſſe rei tribuatur auctori: ergo. Prob. Antec. peccatum originale incipit cum eſſe animæ rationalis; & tamen non tribuitur auctori: ergo non eſt neceſſe quod peccatum incipiens cum eſſe rei tribuatur auctori.

Ad hoc argumentum, nego Ant. Ad Prob. Conceſsis præmiſsis, nego Conſeq. & aſsigno diſcrimen. Nam Angelus ante omnem actum voluntatis non poteſt in ſe ipſo excitare dictamen, quo ſibi proponat obiectum amādum: vnde eſt neceſſe, quod Deus, qui illum creat, tale dictamen in illo excitet: vnde ſi Angelus in primo inſtanti peccaret, cum peccatum illi conveniret ex vi dictaminis divini, eſſet neceſſe, quod peccatum Deo ſic dictanti tribueretur. Puer autem cum pervenit ad vſum rationis iam ex his, quæ miniſterio ſenſuum paulatim acquiſivit antequam ad annos diſcretionis perveniret, poteſt ſe ipſum excitare ad formandum dictamen defectuoſum, ad quod ſi ſequatur peccatum, non tribuetur Deo, ſed ipſi puero peccanti, quia ipſe puer ex præceptis ſe applicavit ad dictamē defectuoſum,

Inſtabis, etiam in primo inſtanti poteſt Angelus ſibi formare dictamen defectuoſum: ergo etiam peccatum eius nō tribuetur Deo. Prob. Antec. ponamus quod in primo inſtanti creationis Angeli, B. v.g. Angelus C. ſuggerat malum Angelo B. & quod Deus moveat Angelum B. ad intelligendū obiectum malum, quod alter Angelus ſuggerit: tunc Angelus B. eſt in actu per intellectionem talis ſuggeſtionis malæ: ergo virtute illius actus poterit ſeipſum movere ad formandum iudicium de conſentiendo tali ſuggeſtioni malæ, & ſic peccare poterit. Ad hoc, nego Antec. Ad Prob. nego Conſeq. nam intellectus noſter nequit ſe applicare, & movere antecedenter ad omnem actum voluntatis; voluntas enim ſola eſt, quæ applicat intellectum, & alias potentias rationales ad exercitium actus; cumque eſtò intelligat Angelus ſuggeſtionem illam malam, non tamen ſit in actu per actum proprię voluntatis, non poſſet tunc ſe applicare ad formandum dictamen de conſenſu in talē ſuggeſtionem malam, & ſic tunc non peccaret.

Ad Confirm. ex verbis Div. Thom. formatam reſpondetur illam conditionē; *ſi tamen natura ſit integra*; appoſitam fuiſſe à D. Thom. ad veritatem illius copulativæ, ſcilicet, in primo inſtanti creationis poteſt moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando: cuius copulativæ prima pars, nempe *mereri bonum requirit ad ſui veritatem quod natura ſit integra*, nam ſi fuerit vitiata in illo primo inſtanti non poterit mereri, quia ad meritum requiritur amicitia cum merente, quam excludit vitium culpæ. Vnde non licet inferre, quod ſi in primo inſtanti natura corrupta ſit per culpam, in illo inſtanti peccare poſſit: vnde ſi daremus, quod anima alicuius puri hominis, quæ ex coniunctione ad carnē in primo inſtanti creationis vitiaretur per peccatum originale, haberet in illo inſtanti vſum liberi arbitrij talis anima in illo primo inſtanti, nec mereri, nec peccare poſſet; non poſſet mereri, quia peccatum originale impediret meritum; non ſecundum, quia tale peccatum tribueretur Deo; cum ab illo pro illo tunc deberet accipere dictamen ad illud peccatum, quod in primo inſtanti faceret. Ad ſecundam Confir. diſt. Antec. loquendo de peccato actuali ſive omiſsionis, ſive cōmiſsionis, nego Antec. loquendo de peccato, quod contrahitur per alterius voluntatem, Conc. Antec.

&

Digitized by Google

& nego Conſ. hoc enim intereſt diſcrimen inter peccatum actuale, quodcumque illud ſit, & peccatum originale. quod ad primũ requiritur neceſſario dictamẽ pravum, quo voluntas veliſt conſentire malo, hoc autẽ cum in primo inſtanti nõ poſsit fieri à propria voluntate, oportet quod fiat à creante talem voluntatem, & ſic eſt neceſſariũ, quod ſi in primo inſtanti detur peccatum, illud Deo attribuatur; ad contractionẽ autem peccati originalis non requiritur dictamen pravum animæ contrahentis illud, cũ non ſit voluntarium per modum actus, ſed tantum per modum termini relicti ex voluntate capitis, & ſic nihil mirum, quod auctori animæ minimè tribuatur.

1048 Inſtabis, ſicut ad contractionem peccati actualis requiritur indiſpenſabiliter dictamen pravum, ita ad hoc quod anima contrahat originale requiritur vnio animæ ad carnẽ infectam; & tamen eſto Deus animam vniat, & infundat corpori, peccatum originale Deo non attribuitur: ergo eſto Deus moveret animam ad formandum dictamen defectuoſum non ſequeretur peccatum attribui Deo. Quod ſi dicatur, Deũ ſolum creare animam, & hominem per actionem generativam vnire illam carni infectæ; nam eſtò homo non producat animam in ſe ipſa, tamen per actionem generativam, per quam generat hominem, verè producit animam in corpore, & ſic nõ erit caput, ex quo peccatum originale Deo attribuatur. In contra ſic argumentor, nam ſaltem ſequitur quod homo generans hominem ſit cauſa peccati originalis, & quod peccatum originale, quod contrahit homo genitus in inſtanti generationis illi attribuatur, quod falſiſsimum eſt. Prob. ſequela, nam ſicut ad peccatum actuale requiritur dictamen defectuoſum, ſic ad peccatũ originale requiritur vnio animæ ad carnẽ infectam; ſed Deo danti dictamen tribueretur peccatum actuale: ergo homini per generationem vnienti animam carni infectæ tribueretur peccatum originale.

Ad hanc inſtantiam, nego Mai. nam quamvis anima non incurrat peccatum niſi carni infectæ vniatur, ſicuti neque actualiter peccabit, niſi præcedat dictamen pravum; tamen aliter ad peccatum actuale dictamen pravũ requiritur, & aliter ad peccatum originale requiritur vnio ad carnẽ infectam; nam dictamen eſt cauſa moralis peccati, & regula illius; vnio autem animæ ad carnem infectam non eſt cauſa moralis peccati originalis, ſed tantum eſt factiva ſubiecti, in quo per voluntatem Adæ tanquam per cauſam adæquatam moralem peccatum originale reſultat, & ſic Deo danti dictamen pravum ad peccatum actuale, hoc illi attribueretur neceſſariò, non verò homini per generationem animam vnienti carni infectæ originale attribuitur, quia ad hanc vnionem homo merè naturaliter concurrit, & nullo modo eſt cauſa voluntaria peccati originalis; hæc enim ſolum eſt voluntas Adæ, in qua omnes eius poſteri peccaverunt; vnde quando generantur, non contrahunt peccatum, cuius cauſa ſit generans, ſed contrahunt peccatum, cuius cauſa eſt Voluntas Adæ: vnde peccatum ſolum tribuitur ipſi, & parvulo, qui peccavit in illo, non vero homini generanti.

1049 Tandem arguitur, ad peccatum non requiritur actus deliberatus: ergo quãvis Angelus in primo inſtanti non potuerit habere actũ deliberatũ ex proprio dictamine non ſequitur quod in primo inſtanti nõ potuerit peccare. Prob. Ant. in nobis motus primo primi multoties ſunt peccata; & tamen non procedunt ex deliberatione, neque ex proprio dictamine, quod nos voluntariè formemus ad ſic peccandum: ergo ad peccandum non requiritur proceſſus ex proprio dictamine deliberatus. Confir. In motibus ſubitis, & indeliberatis homo non poteſt ſe movere ex proprio dictamine; & tamen non ſequitur quod ex Dei dictamine moveatur, alias peccatum, quod in talibus motibus reperitur, Deo attribueretur; ergo ex hoc quod Angelus in primo inſtanti non poſsit ſe movere ex proprio dictamine, non ſequitur, quod debeat moveri ex ſolo Dei dictamine. Confirm. ſecũdo, nam dato quod requiratur actus deliberatus ad peccandum, tamen ex hoc non infertur, quod Angelus in primo inſtanti non potuerit peccare: ergo. Prob. Antec. Angelus in primo inſtanti potuit deliberare, & ex amore finis eligere media: ergo. Prob. Antec. ex D. Thom. quæſt. 16. de malo art. 4. refert enim in corpore aliquos auctores, qui probabant Angelos in primo inſtanti non potuiſſe peccare, quia in primo inſtanti non potuerunt deliberare; cõtra quos ſic inſurgit. *Sed iſti* (inquit) *decipiuntur per hoc quod iudicant de intellectu Angeli ſecundum modum intellectus humani, nam conſilium eſt inquiſitio quædam, vt dicitur in tertio Ethicorũ, intellectus autem Angeli apprehendit veritatem abſque diſcurſu;*

&

& inquiſitione, vt dicit Dionyſius 7. capite de div. nom. & ideo nihil prohibet, quin Angelus in primo inſtanti, quo veritatem intelligit poſsit eligere, quod eſt actus liberi arbitrij; ſicut & homo in ipſo inſtanti certificatus per conſilium, eligit quid eſt faciendum: non eſt ergo cauſa quare non potuerit peccare in primo inſtanti ſuæ creationis, quia non potuit in illo inſtanti eligere, quod eſt actus liberi arbitrij.

Ad hoc argum. diſt. Ant. in his, qui poſſunt peccare venialiter, Conc. Ant. in his, qui, ſi peccant, neceſſe eſt quod peccent mortaliter, nego Ant. & Conſeq. Ad Prob. Antec. diſt. Mai. ſunt peccata mortalia, nego Mai. venialia tantum, Conced. Mai. & Conced. Min. diſt. Conſeq. in his, qui poſſunt peccare venialiter, Conced. Conſ. in his, qui, ſi peccant, debent peccare mortaliter, nego Conſ. Itaque non datur peccatum mortale ſine plena deliberatione, poſſunt tamen dari venialia, quæ ex genere ſuo mortalia ſunt, ex defectu advertentiæ, & deliberationis, ſicut contingit in nobis, dum ſubito movemur ad blaſphemiam, odium Dei, & alia eiuſmodi. Angelus ergo cum non poſsit peccare venialiter, quia nequit recedere à medijs, niſi à fine recedat, & à fine nequit recedere ex inadvertentia, ſeu ex ſubreptione alicuius paſsionis vehementis, fit inde, quod peccare non poſsit niſi ex plena deliberatione procedente ex proprio dictamine.

Ad primam Confirm. conceſsis præmiſsis, nego Conſ. nam in homine, prædicta peccata non requiritur quod procedant ex dictamine hominis, vel Dei, ſed ſufficit ſi procedant ex aſſuefactione habituali ad malum; quę aſſuefactio cum voluntariè ſit contracta ab homine, ſufficit vt homo ex proprijs, & voluntarijs ad peccatum moveatur; hæc autem non habet locum in Angelis in primo inſtanti, idest, in prima operatione eius, vt ex ſe patet: vnde ſi Angelus moveretur ad peccandum, cum in illa prima operatione non poſſet procedere ex proprio dictamine, deberet procedere ex ſolo dictamine Dei.

Ad ſecundam Confirm. Conc. quod ex hoc quod requiratur actus deliberatus ad peccandum in Angelo non ſequitur quod ipſe non potuerit peccare in primo inſtanti: neque enim nos hac ratione noſtrā concluſionem probavimus, ſed ea videlicet, quod Angelus in primo inſtanti nequit eligere niſi ex dictamine Dei; nam licet poſſit moveri ad eligendum; tamen neceſſe eſt quod eligat, non quod ipſe vult eligere, ſed quod Deus vult illum eligere. Explicemus hoc, Angelus in prima operatione nequit eſſe malus, quia ad hanc non ſe movet, ſed à Deo dictante quid proſequi, vel fugere debet movetur: deinde, ſi ſic factus in actu ſe moveat ad eligendum bonū in primo inſtanti, non erit niſi bonus; ſi autem ſe moveat ad malum, iam dividet inſtans, quia bona, & mala operatio moralis cum ſubordinationem inter ſe non habeāt, vnum indiviſibile inſtans componere nequeunt; ſunt enim plures operationes per modum plurium, & ſic in primo inſtanti impoſsibile eſt quod Angelus ſit malus.

§. X.

Vtrùm Angelus in primo inſtanti potuerit peccare peccato puræ omiſsionis?

1050 ALIQVI recentiores, eſto nobiſcum ſentiant, Angelum in primo inſtāti non poſſe peccare peccato cōmiſsionis, dicunt tamen potuiſſe peccare peccato puræ omiſsionis. Sed communiter Thomiſtę tenent oppoſitum. Sit concluſio. Angelus non potuit peccare in primo inſtanti peccato puræ omiſsionis. Hæc concluſio non eſt ita certa ſicut præcedēs in via D. Thom, nam in hoc art. 5. tantum determinat Angelum non potuiſſe peccare in primo inſtanti peccato cōmiſsionis, vt conſtat ex illis verbis, quæ habet in corpore, nempe, *dicendum eſt, quod impoſsibile fuit Angelum in primo inſtanti peccare per inordinatum actum liberi arbitrij*. Quibus tantum excludit ab Angelis illud peccatum, quod per inordinatum actum liberi arbitrij fit, quod ſolum peccatum cōmiſsionis eſt: cum ad puram omiſsionem actus liberi arbitrij nō requiratur. Nihilominus exiſtimo concluſionē noſtram eſſe D. Thom. in hoc art. 5. vbi inquirit; vtrum Diabolus fuerit malus in primo inſtanti ſuæ creationis per culpam propriæ voluntatis? Et concludit in fine art. *unde non poteſt dici quod Diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus*. Vbi pondero, quæſitum ſolum eſſe de malitia propriæ volūtatis, & ſimiliter reſponſum; malitia autem propriæ voluntatis genus eſt ad malitiam cōmiſsionis, & omiſsionis: cum ergo D. Thom. inquirat de ratione generica malitiæ, & reſpondeat negati-

Digitized by Google

gativa, videtur negare non ſolum Angelū potuiſſe peccare peccato omiſsionis, ſed etiam omiſsionis.

1051 Sed ratione Prob. Concluſio, nam eſto ad puram omiſsionem culpabilē non requiratur actus poſitivus de facto exiſtens in voluntate, requiritur tamen actus virtualis, & interpretativus, & ubi impoſſibile eſt voluntatem interpretari quod vellit omittere, impoſsibile eſt etiam voluntatem culpabiliter omittere; ſed in primo inſtanti non poſſumus interpretari voluntatem Angeli velle omittere culpabiliter: ergo impoſsibile eſt Angelum in primo inſtanti peccare peccato omiſsionis. Prob. Min. non poſſumus interpretari voluntatem omittere culpabiliter quādo impoſsibilis eſt actus formalis, quo formaliter vellit omittere; ſed eſt impoſsibilis in primo inſtanti actus formalis, quo vellit culpabiliter omittere: ergo Prob. Min. nā actus voluntatis peccaminoſus in primo inſtanti Angelo nō poteſt convenire; ſed actus poſitivus, quo Angelus vellet omittere culpabiliter, eſſet peccaminoſus: igitur non eſt poſsibilis Angelo in primo inſtanti actus voluntatis poſitivus, quo vellit culpabiliter omittere.

Secundo Prob. Concluſio nam eſto ad puram omiſsionem non requiratur aliquis actus ex parte voluntatis; requiritur tamen ex parte intellectus dictamen defectuoſum, ſaltem defectu cōſiderationis debitæ circa regulam, vel præceptum; ſed hoc dictamen non potuit Angelus habere, neque à Deo, neque à ſe ipſo; neque ab aliqua cauſa defectuoſa: igitur in primo inſtanti non potuit peccare peccato puræ omiſsionis. Prob. Mai. nam omiſsio volūtaria actus præcepti eſt exercitium voluntatis liberè determinans illam in ordine ad alteram partem contradictionis: ergo requirit ex parte intellectus iudicium dictans talem omiſsionem: neque enim voluntas poteſt ſe determinare ad aliquod exercitiū liberum, niſi tale exercitium proponatur illi ut conveniens; illa autem propoſitio non fit niſi per iudicium dictans de proſecutione omiſsionis: ergo requiritur ex parte intellectus dictamen defectuoſum.

Dices; ex parte intellectus ſolum requiri ad omiſsionem culpabilem notitia præcepti, & advertentia inſtantiæ, & obligationis adimpletionis; ſi hoc enim ſolum ponatur ex parte intellectus, & voluntas non operetur actum præceptum, peccavit peccato puræ omiſsionis, ſecluſo quocumque alio dictamine defectuoſo. Sed contra eſt, nam implicat intelligere voluntatem ſe liberè determinare ad alteram partem contradictionis, niſi intellectus ad dictam determinationē illam moveat quoad ſpeciem; ſed per notitiam præcepti, & advertentiam obligationis, & inſtantiæ eius, ſi intellectus nihil dictet, voluntas non determinabitur, neque movebitur quoad ſpeciē ab intellectu: ergo præter illa requiritur iudicium dictans convenientiam omiſsionis actus præcepti.

Dices, intellectum Angeli hoc ipſo quod cognoſcit præceptum, & advertit inſtare obligationem eius hic, & nunc, & nō format dictamen de adimpletione præcepti, hoc ipſo virtualiter dictare omiſsionem actus præcepti eſſe hic, & nunc convenientem, & tunc voluntas virtute talis dictaminis virtualis, & interpretativi poterit determinari, & moveri ad omittendum actum præceptum. Sed contra eſt, nam illud virtuale dictamen, quo voluntas iuxta hanc ſolutionem determinaretur ad omittendum, deberet convenire Angelo, vel per proprium actum voluntatis, quem eſto de facto non haberet, poſſet tamen habere; vel per actum voluntatis divinæ, quæ eſto per actum poſitivum Angelum non moveret tunc quoad exercitium, poſſet, ſi vellet, Angelum tunc quoad exercitium movere; ſed neutro modo poteſt Angelo defacto dictum dictamen convenire: ergo ſolutio data nulla eſt. Mai. patet, nam Angelo dictamen virtuale, & interpretativū ſolum poteſt convenire ratione illius volūtatis, ratione cuius poſſet moveri quoad exercitium ad formandum dictamen formale, & poſitivum; ſed voluntas, qua poſſet moveri Angelus ad formandum dictum dictamen, tantum eſt vel voluntas Dei creans illum in illo inſtanti, vel propria voluntas: ergo. Min. ſic Prob. nam in primis non poteſt Angelo convenire illud dictamen virtuale, & interpretativum ratione voluntatis divinæ, ſic, quod omittente Angelo interpretemur Deum velle quod Angelus hic, & nunc ſe determinet ad dictum dictamen interpretativum de omiſsione actus præcepti; quod ſic Prob. nam Deus non poteſt actu formali movere Angelum ad habendum dictamen formale, quo vellit Angelus culpabiliter omittere: ergo neque poteſt interpretari Deus quod vellit, quod Angelus habeat dictamen virtua-

tua-

Digitized by Google

tuale de omiſſione culpabili. Neque ſimiliter illud dictamen virtuale poteſt Angelo convenire ratione propriæ voluntatis, quia tale dictamen præcedit omnem actũ voluntatis Angeli: ergo dictum dictamen interpretativum nequit Angelo convenire ratione propriæ voluntatis. Argumenta, quæ poterant facere contra huiuſmodi cõcluſionem, iam ſunt ſoluta in præcedentibus §§.

QVÆSTIO XVII.

De peccato Angelorum.

1052 De fide certum eſt Angelos defacto peccaſſe mortaliter. Nam de fide eſt aliquos ex ipſis damnatos fuiſſe ad cruciatus æternos, iuxta illud Mathæi 25. *ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*; ſed ad cruciatus æternos nullus damnatur niſi propter peccatũ mortale: de fide ergo eſt certum aliquos ex Angelis mortaliter peccaſſe. Suppono ſecundo, ſimul cum peccato mortali non habuiſſe peccatum veniale, nam veniale contingit per hoc quod quis deordinatur à medijs ſine eo quod deordinetur à fine; ſed Angelus non potuit deordinari à medijs, niſi deordinaretur à fine: ergo nec peccavit, nec peccare potuit venialiter. Prob. Min. Angelus ſicut non poteſt intelligere concluſiones niſi in principijs, ita neque poteſt ordinare de medijs niſi prout ſtant ſub ordine finis, habent enim ſe in appetibilibus fines, & media, ſicut in ſpeculabilibus principia, & concluſiones: ergo ſicut non poteſt Angelus deordinari circa concluſiones, quin deordinetur circa principia; ita neque poterit deordinari circa media, quin deordinetur circa fines. Hæc ratio eſt Divi Thom. 1. 2 q. 89. & q. 7 de malo art. 9. quam aliqui ſic intelligunt, quod vis eius ſita ſit in eo, quod ſicut intellectus vnico indiviſibili actu attingit principia, & concluſiones in principijs, ſic quod diſcurrere non poſſit à principijs ad concluſiones: ita voluntas vnico indiviſibili actu amet finẽ, & media in ipſo fine, ſic, quod non ſe moveat motu electivo ab amore finis ad electionem mediorũ, & ſic concluditur, quod ſicut intellectus Angeli nequit errare circa concluſiones, quin erret circa principia, ita neque eius voluntas poſſit deordinari à medijs, quin aberret à fine.

Verum quia nos ſupra docuimus cũ Div. Thom. q. 60. artic. 2. poſſe voluntatem Angeli ex amore finis cauſare in ſe amorem eorum, quæ ſunt ad finem, & aſſignavimus ibi diſcrimẽ inter intellectum, & voluntatem Angeli, ob quam eſto non ponatur diſcurſus in eius intellectu, ponitur tamen motus electivus in eius voluntate; ideò conſequenter loquendo non reducimus intelligentiam rationis D. Thom. ad hoc, quod eſt negare in voluntate Angeli motum propriè dictum, quo ex amore finis ſe moveat voluntas eius ad electionẽ mediorum, vel ad hoc, quod eſt quod vno indiviſibili actu attingat finem, & media in fine: ſed ad hoc, quod voluntas eius, eſto ſe moveat ex amore finis ad electionem mediorum, non tamen attingere poſſit media niſi vt ſtant ſub ordine finis præſcripti ab intellectu: hinc enim fiet quod non poſſit deordinari à medijs, quin deordinetur à fine. Pro cuius exacta intelligentia adverto, quod cum voluntas nullo modo ſit ordinativa, ſed hoc tantum ſit intellectus, tantum habet inclinari per actus ſuos iuxta ordinem, quem intellectus ſtatuit ordinatione ſua inter illa: cumque intellectus non ordinet de medijs, niſi vt ſtant ſub ordine finis, fit inde, quod voluntas Angeli non poſſit affici circa media niſi vt cadunt ſub ordine finis: vnde fit, quod ſi voluntas Angeli ſit ordinata circa attingentiam finis non poſſit deordinari circa media. Quod autem intellectus Angeli non ordinet de medijs niſi prout præcontinentur in fine, oſtendit D. Thom. loco ſupra adducto: quia in appetibilibus media, & finis comparantur ſicut principia, & concluſiones in ſpeculabilibus; ſed intellectus Angeli non ordinat de concluſionibus niſi prout præcontentis in præmiſsis: ergo voluntas eius non ordinat de medijs niſi vt præcontentis in fine. Ex quibus infero. Angelicam voluntatem nihil amare poſſe niſi vel finem, vel vt præcontentum in fine. Vnde ſi contingat amare aliquid, cuius malitia, ob parvitatem materiæ, levis ſit, etiã tunc mortaliter peccavit, quia vel ſic amat, quod in illa re finem ſuum ponit, & ſic mortaliter peccat; vel illam rem parvæ quantitatis vt præcontentam in aliquo fine amat, & ſic non ſolum deordinatur, quia rem parvæ malitiæ amat, ſed quia ex pravo fine, ad quem convertitur, illam amat, & ſic etiã mortaliter peccat. His ergo vt certis ſuppo-

Digitized by Google

poſitis de peccato Angelorum plura examinanda reſtant, quorum primum eſt,

§. I.

Vtrùm peccatum primum Angeli fuerit commiſsionis, vel omiſsionis?

1053 DISPVTANT ergo Theologi circa primum Angelorum peccatum, an fuerit commiſsionis, vel ſolius omiſsionis? Circa quod quæſitum Pater Suarez vbi ſupra, quem aliqui ex ſuis ſequuntur, affirmat primum Angeli peccatum fuiſſe purã omiſsionem. Oppoſitum autem tenet Schola Thomiſtica. Pro cuius defenſione ſit concluſio. Peccatum primum Angeli non fuit peccatum omiſsionis. Prob. ex D. Thom. hic q. 63. art. 1. ad 4. ibi; *& hoc modo Angelus peccavit convertendo ſe per liberùm arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulam divinæ voluntatis*; cõverſio autem liberi arbitrij ad proprium bonum ſine debita commenſuratione peccatum commiſsionis eſt; nam eſt actus poſitivus ſpeciem ſumens ex ordine ad obiectum diſſonum.

1054 Probat Ioannes à Sancto Thomã concluſionem, quia Angelus in primo peccato ſuo non potuit peccare ex motivo omiſsionis: ergo debuit peccare ex motivo terminante actum comiſsionis. Antec. Probat., nam omiſsio præcepti non erat appetibilis ratione ſui: ergo debebat appeti in aliquo fine, in quo proximè Angelus ſe à Deo averteret; neque enim omiſsio mala poterat appeti in fine bono: ergo motivum primi peccati Angeli debuit eſſe cõmiſsionis, & non omiſsionis. Verùm hæc ratio multum probat, nam probat, quod non ſolùm de facto primum peccatum non fuerit omiſsio, verum etiam quod neque potuerit eſſe omiſsio, quod illi Thomiſtæ, qui dicunt poſſe dari puram omiſsionem abſque omni actu, non benè ferent. In omni ergo opinione, ſive in illa, quæ aſſerit poſſe dari puram omiſsionem culpabilem abſque omni actu voluntatis; ſive quæ aſſerit omiſsionem ſe ipſa non eſſe amabilẽ, ſed medio aliquo actu poſitivo voluntatis, debemus defendere, quod primum peccatum Angeli non fuerit omiſsio, ſed commiſsio.

Pro quo exactè probando debetis advertere, quod Angelus in ſecundo inſtanti quando iam perfectè potuit deliberare movendo ſe ex amore finis præconcepti, Deus poſuit illi præceptum de eliciendo amore ſupernaturali, quo Deum auctorem ſupernaturalẽ ſuper omnia diligeret; ſicut enim nos cum pervenimus ad inſtans vſus rationis tenemur converti in Deum finem ſupernaturalem, ſic & Angelus cum in ſecundo inſtanti iam plenè de ſe deliberare poterat, habuit obligationem convertendi ſe ad finem ſupernaturalem. In hoc autem præcepto vnum poſitivè iubebatur, nempe elicientia actus ſupernaturalis, & aliud prohibebatur, nempe diligere ſe ipſum propriũ bonum, & propriam excellentiam non ordinando illam ad Deum auctorem ſupernaturalem, ſed quieſcendo in illa: vnde duplex peccatum poterat Angelus pro tunc committere; aliud omiſsionis ceſſando ab amore ſupernaturali illi præcepto; aliud commiſsionis, nempe amando propriam excellentiam ſine ordine ad Deum finem ſupernaturalem, ſed quieſcendo in illa: peccavit ergo Angelus per hoc quod nimis affectus ad propriam pulchritudinem, illam ad Deum auctorem ſupernaturalem non ordinavit, ſed in illa quievit, & ex hoc ſuperbus iam factus, noluit elicere amorem Dei auctoris ſupernaturalis, & ſic peccavit primo peccato cõmiſsionis, & deinde peccato omiſsionis non eliciendo amorem, ad quem pro tunc tenebatur. Quæ omnia ita de facto accidiſſe apertè demonſtrant verba illa Ezequielis 28. *elevatum eſt cor tuum in decore tuo*, quaſi nimis attendens ad proprium decorem, noluerit ſe ſubdere Deo, & præceptis eius. *Sed iudicaverit* (vt inquit Auguſtinus lib. 12. de civit. Dei) *ipſum ſibi ad beatam vitam ſufficere*. Et paulo poſt *mali Angeli ſua poteſtate potius delectati, vel vt bonum ſuum, ſibi ipſi eſſent, à ſuperiori bono ad proprium defluxerunt*. Ex quibus fit ratio pro concluſione.

1055 Angeli primo peccarũt ex amore propriæ pulchritudinis, & excellentiæ inordinato: igitur primo peccarunt peccato cõmiſsionis, & non omiſsionis. Ant. Prob. ex locis ſcripturæ adductis. Sed contra rationem, & concluſionem obiicit Suarez, nam peccatum Angeli non cœpit ab amore propriæ excellentiæ, & pulchritudinis, ſed ex hoc quod illam non ordinavit ad auctorem ſupernaturalem; hæc autẽ ordinatio debebat fieri per actũ amoris Dei ſupernaturalem præceptum pro illo ſecundo inſtanti; ergo peccatum eius conſiſtit in

omiſ-

omiſsione eius. Mai. Prob. ſic, nam Angelus non habuit aliquando præceptum prohibens amorem propriæ excellentiæ, ſiquidem talis amor erat illi connaturalis, imo & neceſſarius: ergo peccatum eius nequibit incipere ab amore excellẽtiæ propriæ. Min. Prob. quia ſola charitas per actum ſuum dirigere poterat Angelum, & omnia ſua in finem ſupernaturalem: ergo ſolum poterat Angelus dirigere excellẽtiam propriam in Deum auctorem ſupernaturalem per actum charitatis.

Ad hoc, nego Mai. Ad Prob. dico, quod eſto Angelus non habuerit præceptũ de non amando excellentiam propriam habuit tamen præceptum de nõ amando excellentiam propriam ſine taxa, & ſine menſura: vnde hoc ipſo quod propriam excellentiam deliberatè amavit ſine attentione ad regulam, & menſuram, hoc ipſo peccatum commiſsionis fecit: nec tamen ad peccatum omiſsionis ſufficit quod dum aliquis actus fit, aliqua circunſtantia omittatur, ſed requiritur quod principaliter actus præceptus non fiat; in præſenti ergo caſu peccatum primũ Angeli nõ fuit omittere actum charitatis ſupernaturalem, ſed fuit velle poſitive aliquod bonum ſine debito ordine; ſicut ille, qui vult orare, & non vult attendere ad ordinem ab Eccleſia præſcriptum, iſte non peccat omiſsionis peccato, ſed commiſsionis, quamvis circunſtantiam illam debitæ attẽtionis omittat. Doctrina hæc eſt D. Thom. in 2. diſt. 5. q. 1. ar. 3. ad 4. quod tale erat; *quicũque nõ fecit illud, ad quod tenetur, peccat per omiſsionem, ſed Angelus debuit conferre de Dei ordinatione, ne vltra ipſam appeteret aliquid, quod non fecit: ergo per omiſsionem peccavit.* Ad quod reſpondet; *dicendum, quod omiſsio quandoque eſt ſpeciale peccatum, quando ſcilicet dimittitur aliquid, quod fieri debet, quod ſpecialiter præceptum eſt, quandoque vero eſt conditio omne peccatum conſequens, ſecundum quod eſt dimiſsio alicuius circunſtantiæ in opere obſervando, & hoc modo non eſt inconveniens, quod in primo peccato Angeli fuerit omiſsio.* Ex hoc ergo quod Angelus in appetitu propriæ excellentiæ omiſerit illam circunſtantiam relationis in vltimum finem, non ſequitur, dictum peccatum fuiſſe omiſsionis, ſed commiſsionis cum omiſsione tamen prædictæ circunſtantiæ.

Sed inſtas, Angelus neceſſariò quoad exercitiũ amabat ſeipſum ordinando ſe, & omnia ſua ad Deum vltimũ finem naturalẽ ergo ſolũ habuit præceptũ de ordinatione ſui ad finem ſupernaturalem per actũ charitatis, nã cũ ordinatio ſui ad finẽ ſupernaturalẽ non poſſet fieri niſi per actũ charitatis, idẽ prorſus fuit iubere ordinationẽ ſui ad Deum finem ſupernaturalem, & iubere quod Deum diligeret per actum charitatis. Ad hoc dico, quod quamvis Angelus neceſſariò quoad exercitium ſe amaret, & ſe ad Deum finem vltimum ordinaret, tamen liber fuit ad amandum ſe, ſic, quod in ſuo decore, ſeu naturali beatitudine quieſceret, vel ſic, quod vlteriorem beatitudinem inquireret: vnde duplex veluti præceptum habuit; alterum de diligendum ſe cum pondere, & menſura, ideſt, non quieſcendo in propria beatitudine naturali tãquam in vltimo fine ſimpliciter; & alterum fuit quod ſe ad beatitudinem ſupernaturalem diſponeret per meritum eius, nempe per actum charitatis, quibus duobus præceptis contravenit: primò, quieſcendo in propria beatitudine tanquam in fine vltimo ſimpliciter, quod fuit peccatum ſuperbiæ; & deinde omittendo actũ dilectionis Dei ſuper omnia. Et ſic primum peccatũ non fuit omiſſio dilectionis Dei ſuper omnia, ſed fuit dilectio ſui ſine menſura debita, ideſt, quieſcendo in propria beatitudine, quæ illi cõveniebat per naturam, ad quam propria virtute perveniebat.

§. II.

Vtrùm hoc peccatum commiſsionis, quod primum fuit, fuerit ſuperbia?

1056 SCOTVS in 2. diſt. 6. q. 2. ſentit primum peccatum Angelorum non fuiſſe ſuperbiam, ſed luxuriam; non quidem corpoream, ſicut ponebant illi antiqui, qui dicebant Angelos eſſe corporeos, eoſque primo peccaſſe accedendo ad filias hominum, & ex illis generando gigantes, quorum fit mentio Geneſ. 6. ſed ſpiritualem, quæ ſecundum ipſum conſiſtit in nimia delectatione, ſive complacentia, quam habuit de ſe ipſo, ſive de propria excellentia. Communiter tamen tenetur à Theologis primum peccatum Angeli fuiſſe ſuperbiã. Pro cuius defenſione, ſit Concluſio. Primum Angeli peccatum fuit ſuperbia. Sic tenent Scholaſtici cum Magiſtro in 2. diſt. 5. & cum Div. Thom. hic quæſt. 63. art. 2. Prob. primo ex illo Eccleſiaſtici 11. *initium omnis peccati ſuperbia*; ſed à primo

pec-

Digitized by Google

cato Angeli originem ſumit omne aliud peccatum : igitur primum peccatũ Angeli ſuperbia fuit. Probatur deinde ex illo Iſaiæ 14. vbi inquiritur de caſu Diaboli, quomodo acciderit illis verbis : *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo in cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo*, quæ omnia cum propriæ excellentiæ exaltationem ſonent inordinatam, ſuperbiam clamitant. Vnde Auguſtinus 12. de Civitate, c.6. inquit : *Initium omnis peccati ſuperbia, hic primus defectus , & prima inopia , primumque vitium eius naturæ , quæ ita creata erat, vt non ſumma eſſet.*

1637 Probatur ſecundo ratione, quã vtitur D. Thom. hic loco citato ad hanc formã reducta. Primũ peccatũ Angeli debuit conſiſtere in affectu ad aliquod bonũ ſpirituale , ſiquidem Angelus incapax eſt affectus abſoluti , & efficacis circa bonum corporale; ſed affectus circa bonũ ſpirituale non potuit primo deordinari niſi deordinatione ſuperbiæ: ergo. Prob. Min. talis affectus nequit eſſe primo deordinatus ex parte obiecti volliti , quia hoc in ſe debuit eſſe aliquod bonum: ergo debuit eſſe deordinatus ex parte modi appetendi illud, ſcilicet, abſque ſubiectione ad regulam ſuperioris: in hoc autem conſiſtit ſuperbia, teſte eodem D. Thom. q.162. art.6. & 7. eo quod per huiuſmodi defectũ ſubiectionis opponitur humilitati , quæ in tali ſubiectione conſiſtit : igitur affectus circa bonum ſpirituale in Angelo non potuit primo deordinari niſi deordinatione ſuperbiæ.

Pro explicatione huius rationis advertite, quod Angelus non poterat primo peccare per hoc , quod aliquod malum eligeret, quia ad hoc requirebatur , quod in intellectu practico eius præceſsiſſet aliquis error, quo iudicaſſet eſſe bonum, & amandum , quod in re malum erat ; error autem in Angelo, vt probat D. Thom. non potuit eſſe , niſi in pœnam alicuius culpæ; & ſic prima culpa non potuit procedere ex errore: debuit ergo primo peccare ex electione alicuius boni, quod bonum non poterat eſſe ſenſibile, quia circa hoc affici nequit Angeli appetitus efficaciter, cum naturæ eius pure ſpirituali penitus improportionatum ſit: debuit ergo eſſe bonum pure ſpirituale ; hoc autem non poterat eſſe de numero eorum, quæ ſibi naturaliter debebantur, cum hæc omnia perfectiſsimè poſſideret abinitio ſuæ creationis; debebat ergo eſſe de numero bonorum ſpiritualium illi indebitorum , vel ex parte rei, vel ex parte modi habendi illud ; hoc autem totum ſonat ſuperbiam, quæ ſemper amat excellentiam vltra limites , & menſuram à Deo vnicuique aſsignatam , & non vult ſtare taxæ , quam Deus ponit in appetitu propriæ excellentiæ. Ex hoc colligitur evidenter non potuiſſe primo peccare peccato invidiæ, nam hæc eſt dolor , & triſtitia de alterius excellentia; hic autẽ dolor naſcitur , & originatur in invido ex appetitu excellẽtiæ, quã alter poſsidet, & ſic Angelus non potuit primò deordinare affectũ ſuum invidia, quia hæc præſupponit affectũ iam depravatum circa appetitum excellentiæ alterius, de qua quis dolet, quod ab eo, cui invidet, poſsideatur.

Infertur etiam non potuiſſe Angelum primo deordinari per odium , vel per deſperationem à Deo. Non quidem per odiũ Dei, quia cum hoc ſit fuga à Deo, requirit neceſſariò quod Deus proponatur ſub ratione diſconvenientis , & nocivi ; Deus autem proponi non potuit ſic Angelo abſque errore, dum primo peccavit , quia ipſum tantum vt beneficum , & liberalem expertus erat vſque illud tunc , & ſic primo deordinari per odium Dei Angelus non potuit. Non etiam per deſperationem primo potuit eſſe malus , nam hæc etiam cum ſit fuga à Deo, & à divinis auxilijs, quia iudicat impoſsibile conſequi beatitudinem divino auxilio, etiã ſupponit apprehenſionẽ Dei nocivi, & vt diſconvenientis; ante omnem autẽ culpam apprehenſio Dei vt nocivi , & diſconvenientis Angelo poſsibilis non fuit , quia eſto Deus Angelis poſt culpam nocivus, & diſconveniens fuerit, non tamen ante culpam.

Infertur etiam non potuiſſe primo deordinari per infidelitatem , vel idololatriam. Non quidem per primum , nam cum fides ſit via generationis prima virtutum , oportet , quod infidelitas ſit poſtremum vitium , nam in vitijs ſervatur ordo præpoſterus ordini virtutum , vt habet D. Thom. 2. 2. quæſt. 162. art.7. vnde ſi fides eſt prima inter virtutes , infidelitas nequibit eſſe prima ordine generationis. Non etiam per idololatriam, quia hæc includit infidelitatem , qua negatur Deo ſingularitas divinitatis , & ponitur in creatura: vnde ſi infidelitas non potuit eſſe primum peccatum , neque etiam primum

Digitized by Google

peccatum eſſe potuit Idololatria. Neque etiam potuit Angelus primo peccare peccato puſillanimitatis, nam hæc conſiſtit in eo, quod quis recuſat tendere in id, quod eſt ſuæ potentiæ proportionatum, teſte D. Thom. 2. 2. quæſt. 133. art. 1. huius autem cauſæ duæ ſunt teſte D. Thom. in artic. 2. eiuſdem quæſtionis, altera ex parte intellectus, ſcilicet, ignorantia propriæ conditionis, altera ex parte appetitus, nempe, timor deficiendi in his, quæ falſo æſtimat excedere ſuam facultatem; ſed iſtæ cauſæ in Angelo ante primum peccatum eſſe non poterant; cum ipſe pleniſsime ſciret conditionem ſuam, & potentiam ſuam: non ergo primo de ordinari potuit peccato puſillanimitatis, quod ſi de facto propriam excellentiam ad Deum auctorem ſupernaturalem non ordinavit, cum poſſet, hoc non fuit ex puſillanimitate, ſed ex ſuperbia, qua in propria excellentia ſine menſura, & taxa quievit, ex quo motus fuit ad non ſe ordinandum in Deum auctorem ſupernaturalem. Nec potuit etiam primo de ordinari præſumptione, nam hæc ſpecies ſuperbiæ, & filia eius eſt. Ex eo enim quis appetit habere illud, quod eſt ſupra ſuam virtutem, vt gloriam ſine meritis, vel ſine divino auxilio, quia in ordinate appetit gloriam, honorem, & excellentiam propriam, & ſic cum ſemper ſupponat ſuperbiam, primum peccatum eſſe nequivit. Hæc ſunt ſpiritualia peccata, circa quæ Angelus de ordinari potuit; cum ergo vt probatum manet, circa nullum eorum primo de ordinatus fuerit, reſtat vt ſolum primo peccaverit per ſuperbiam.

§. III.

Solvuntur Argumenta Scoti.

1058 CONTRA Noſtram concluſionem arguit Scotus, nam obiectum ſuperbiæ propriè dictæ eſt malum morale; ſed Angelus non potuit primo peccare ex electione alicuius obiecti mali, ſed tantum quia bonum male elegit, vt inquit D. Thom. hic quæſt. 63. art. 1. ad 4. ergo non primo peccavit ſuperbia. Prob. Mai. nam ſuperbia habet pro obiecto ipſum non ſubeſſe ſuperioribus, & præ eſſe aliis, nam ſi hoc directè non eligatur, ſed ex conſequenti ſe habeat, ſicut contingit in fractione legis v. g. de non fornicando, vbi quis primo convertitur ad bonum delectabile luxuriæ, ex quo conſequitur quod velit non ſubdi Deo legiſlatori, ſic ſuperbia ſpecialis non eſt, ſed quædam conditio generalis peccatorum; ſed nolle ſubeſſe ſuperioribus, & præeſſe aliis ex terminis eſt malũ morale: ergo obiectũ ſuperbiæ ſpecialiter dictæ eſt malũ morale. Quod Confir. nam Angelus non vult ſibi excellentiã inordinatã ex perfecto amore amicitiæ, quo ſe ipſum diligat, ſed ex eo quod ſe ipſum amat vt primum diligibile, & tanquam obiectum, cui vult quæcumque vult: igitur prima de ordinatio moralis in Angelis nõ fuit ſuperbia, ſed quædam libido ſpiritualis, quam Scotus appellat ſpiritualem luxuriam.

Ad hoc communiter ſolet reſponderi cum Domino Caiet. hic art. 2. quod ſuperbia ſpecialiter dicta poteſt dupliciter contingere, vel per hoc quod primo, & per ſe quis eligat hoc obiectum, quod eſt non ſubeſſe ſuperioribus, in quo (inquit Caietanus) ſupremus gradus ſuperbiæ ſtat, & quia non ſubeſſe ſuperioribus ex terminis malũ morale eſt, ideo dicta ſuperbia habet pro obiecto malum morale: alio modo contingit ſuperbia ſpecialiter dicta per hoc, quod quis propriam excellentiã, honorem, vel poteſtatem amat, ſed ſuperbè, ſic, quod ſuperbia nõ ſit res electa, ſed modus electionis, quod contingit quando quis propriam excellẽtiam ſic amat, quod ex vi amoris illius excellentiori, & ſuperiori nõ ſubdatur, & hoc modo contingit ſuperbia, ſine eo quod malum morale eligatur; & iſto modo contingit in Angelis, qui primo deordinati ſunt, non quia elegerint nõ ſubeſſe ſuperiori ſuo, ſed quia propriam excellentiã ſic amarunt, quod Deo ſuperiori ſuo non ſe ſubiecerint. Vnde ad argumẽtũ in forma, negatur Mai. Ad primam Prob. diſt. Mai. ſuperbia habet, &c. ſuperbia quæ talis dicitur ex parte rei electæ, conc. Mai. ex parte modi eligendi tãtũ, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. loquẽdo de ſuperbia ſpecialiter dicta deſumpta ex parte obiecti, conc. Conſ. loquendo de ſuperbia ſpecialiter dicta tantum ex parte modi eligendi, nego Conſeq.

1059 Sed inſtabis, ad ſuperbiam ſpecialiter dictã requiritur, quod nõ ſubdi excellentiori, & ſuperiori directè appetatur, tanquã obiectũ, vel tanquã modus electionis obiecti; at non ſubdi ſuperiori eſt moraliter malum: ergo ad hoc vt primum Angeli peccatum fuiſſet ſuperbia ſpecialiter dicta requirebatur, quod primus appetitus

Digitized by Google

eius pravus eſſet circa malum morale; ſed ex D. Thom. prima deordinatio Angeli non potuit eſſe appetitus mali moralis: ergo non potuit ſimiliter eſſe ſuperbia ſpecialis. Prob. Mai. primi diſcurſus, quia nulla circunſtantia, modus, vel obiectum poteſt tribuere actui malitiam moralem ſpecialem, niſi ſit directè volitum: ergo vt modus ille ſuperbè amandi excellentiam propriam conſtitueret dictum actum in ſpecie ſuperbiæ, oportebat neceſſario, quod eſſet directè volitus. Ad hoc, negabis Min. vniverſaliter loquendo, quia appetere propriam excellentiam non ſubijciendo ſe Deo ſuperiori non eſt appetere malum, ſed eſt appetere bonum malè; non enim eſt appetere ſuperbiam, ſed appetere bonum ſuperbè, quod poſſibile fuit Angelo in primo peccato, quia ad hoc non requirebatur, quod ex parte intellectus eius præcederet error, ſed tantùm quod præcederet non conſideratio actualis taxæ, & menſuræ, iuxta quam licebat Angelo propriam excellentiam amare; hac enim non conſideratione poſita poterat Angelus ſic propriã excellentiam amare, quod nulli ſe reputaret inferiorem.

Sed contra hoc inſto, nam ille actus, quo primo Angelus inordinatus eſt, in ſua ſpecie erat ſuperbia ſpecialiter dicta: ergo in ſua ſpecie erat malus moraliter: ergo obiectum eius debebat eſſe malum morale; quia actus moralis malus ſpeciem accipit à proprio obiecto morali malo; ſed ad proſequutionem mali moralis non ſufficit non conſiderare, ſed vlterius requiritur propoſitio mali ſub ratione convenientis, & boni: ergo cum hæc iuxta D. Thom. non potuerit præcedere ex parte intellectus Angeli ad primum actum, quo deordinatus eſt, non potuit primo ex ſuperbia peccare. Ad hoc, conc. primã Conſeq. nego ſecundam. Ad Prob. dico, malum moraliter non ſemper ſpecificari ab eo, quod ſecundum ſe malum morale eſt, ſed aliquando ſumere ſpeciem ab aliquo bono malè moraliter attacto; ſicut actus ille, quo quis vult recitare officium divinum non attendendo ad ordinẽ, quem Eccleſia præſcribit, malus moraliter eſt, & nihilominus non ſpecificatur ab eo, quod malum morale eſt, ſed a quodam bono, nempe à recitatione officij divini malè attacta, hoc eſt, ſine ſcientia actuali ordinis, quem Eccleſia in recitando officium præſcribit.

Ad Confirm. Scoti, neg. Antec. actus enim primo peccaminoſus non proceſſit in Angelo ex amore ſui, vt primi diligibilis; ſed tantũ proceſſit ex conſideratione propriæ excellentiæ, & non conſideratione regulæ, & menſuræ, ſub quã debebat amari; ex hoc enim primò propriam excellentiam dilexit ſine menſura debita, & ex hoc interpretatus eſt quieviſſe in ſe ipſo tanquam in primo diligibili, ſuo videri tam excellenti, quòd non ſe reputaverit alicui ſuperiori inferiorem.

§. IV.

Vtrum Angelus in ſua ſuperbia appetierit eſſe vt Deus?

1060 CONCLVSIO Eſt affirmativa. Probaturque ex illo Angelico dicto, *ſimilis ero altiſſimo*. Prob. etiam ex illo Ezechielis 28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris*. Probatur etiam ex illo quod protulit Michael dum præliaretur cum Dracone, *quis ſicut Deus?* quibus explicat ſuperbiam Luciferi in eo ſtetiſſe, quod appeteret eſſe vt Deus. Vnde concluſio communiter habetur certa à Scholaſticis Theologis. Eſt autem difficultas in eo, an appetierit eſſe vt Deus per æquiparantiã, ſeu æqualitatẽ cum Deo. Circa quod partem affirmantem tenuere ex antiquis Vgo à S. Victore in ſumma, tract. 2. c. 4. vbi ait, quod Lucifer ſimilis eſſe voluit altiſſimo, non per imitationem, ſed per æqualitatẽ. Similiter hoc tenuit Scotus in 2. diſt. 6 q. 1. & ex iunioribus tenent Suarez, Vazquez, & Becanus in præſenti. Oppoſitũ tamen tenet D. Th. hic q. 63. art. 3. eſtque cõmunis inter Thomiſtas. Et pro eius defenſione ſit concluſio.

1061 Non potuit Angelus appetere eſſe Deum per æquiparantiam cum illo in altitudine, & maieſtate. Probat hoc dupliciter Sanct. Thomas. Primo, impoſſibile naturaliter cognitum non eligitur ab appetente, cuius virtus cognoſcitiva nullo habitu, aut paſſione impeditur; ſed eſſe vt Deus per æqualitatem, & æquiparentiam reſpectu primæ electionis Angelicæ eſt huiuſmodi: ergo Angelus nequivit primo appetere eſſe vt Deum per æqualitatem cum illo. Prob. Min. quia primum peccatum Angeli non præceſſit aliqua talis paſſio ligans vim cognoſcitivam Angeli: ergo.

Digitized by Google

poſsibilis non erat, illi, reduplicato præcepto, conc. Antec. illi, ex terminis ſuis ſi, bi intrinſecis, nego Antec. & Conſeq. Itaque ſicut poſito præcepto de amore Dei non amare Deum dupliciter capi poterat; vel ex terminis ſolis non amoris, vel cum accidenti coniunctionis cum obligatione præcepti: ita Angelus in primo inſtanti exiſtens poſito præcepto poteſt capi dupliciter: vel reduplicato præcepto, vel reduplicato tantum hoc, quod eſt Angelum exiſtere in primo inſtanti ſui eſſe: ſi vtrumque reduplicetur, ſic negatio actus præcepti negativè ſumpta, vel ex terminis, pro tunc illi non erat poſsibilis: ſi autem tantum reduplicentur intrinſeca Angeli, & non ſuppoſitio extrinſeca præcepti, ſic non amare ex terminis illi poſsibile erat; quia implicantia non amoris non oritur ex intrinſecis Angeli convenientibus illi pro illo inſtanti, ſed tantũ oritur ex ſuppoſitione extrinſeca præcepti.

1045 Secundo reſponderi poteſt ad ſecundam Confirm. poſito præcepto nõ maneret potentia ad negationẽ actus præcepti, diſt. Ant. ad negationẽ omnis actus, per quem voluntas poteſt adimplere præceptum, conc. Ant. ad negationem huius, vel illius actus, per quem voluntas poteſt adimplere præceptum, nego Antec. & diſt. Conſeq. non maneret libera ad negationẽ omnis actus, per quem fieri poteſt præcepti adimpletio, conc. Conſeq. ad negationem huius, vel illius actus, per quem fieri poterat præcepti adimpletio, nego Conſ. Itaque poſito præcepto de amore Dei in primo inſtanti voluntas non poterat non amare Deum aliquo actu, ſed poterat non amare Deum hoc actu, quo de facto illum amabat; quia non neceſsitabatur ad amandum Deum hoc, vel illo actu in particulari, ſed quocumque actu in particulari præceptum adimpleret amando, poterat illo actu non amare, ſed alio: quod eſt dicere; quod præceptum non neceſsitabat quoad exercitium, ſed ſolum quoad ſpecificationem.

Sed inſtas: ergo ſi Deus præciperet quod Angelus in primo inſtanti illum diligeret iſto actu determinato, tunc nõ maneret liber, & potens non amare Deum. Conc. Conſeq. ſi enim præciperet Deus Angelo in primo inſtanti, quod hoc actu determinato illum diligeret, tunc maneret determinatus ad hoc exercitium amoris: vnde in eius voluntate non maneret poſſe ad oppoſitum. Sed inſtas vrgentius contra eandem ſolutionem: ergo Angelus adimplendo præceptum nõ mereretur per actum ſuum adæquatè, id eſt, per ſpeciem, & exercitium actus; Conſeq. non videtur admittendum: ergo. Prob. Sequela, per id tantum mereretur, in quo maneret liber poſito præcepto; ſed tantum per nos maneret liber quoad exercitium actus, non vero quoad ſpecificationem, & exercitium: ergo non mereretur adæquatè per talem actum. Ad hoc, nego Conſ. Ad Prob. diſt. Min. tunc actus non eſſet liber quoad ſpeciem libertate deſumpta ex ea parte, qua actus haberet ſpeciem, conc. Min. libertate deſumpta ex ea parte, qua actus haberet exercitium, nego Min. & Conſeq. Itaque dum actus liber eſt quoad exercitium, totus adæquatè ſumptus liber eſt: quia ſub exercitio hoc determinato totus actus quoad ſpeciem, & quoad individuationem ſic ponitur, quod poteſt non poni; non tamen ex omni capite libertas eius deſumitur. Itaque in omni ſua formalitate habet libertatem, ſed non ex omni capite, & formalitate libertatem deſumit, & ad hoc quod ſit meritorius quoad omnem eius formalitatem, ſufficit, quod in omni ſua formalitate habeat libertatem, non autem requiritur quod ex omni ſua formalitate illam habeat.

1046 Quartò arguitur, vt ponatur peccatum in Angelo in primo inſtanti, ſufficit ex parte Dei, quod Deus permittat formale peccati, & prædeterminet ad materiale eius, his enim poſitis poneretur infallibiliter peccatum in Angelo; ſed ex hoc quod Deus permittat formale, & prædeterminet ad materiale peccati in primo inſtãti non ſequitur quod Deo tunc attribuatur: ergo eſto Angelus peccet in primo inſtanti, non ſequitur quod peccatum Deo attribuatur. Prob. Min. in ſecundo inſtanti Deus permittit formale, & determinat ad materiale; & tamen peccatum non attribuitur Deo: ergo eſto in primo inſtanti Deus permittat formale, & determinet ad materiale, non ſequeretur peccatum attribui Deo.

Ad hoc, nego Mai. nam vltra illa duo requiritur ſpeciale dictamen Dei de proſequendo obiecto turpi, ſeu illicito. Etenim, vt dixi, ad hoc vt Angelus moveatur in primo inſtanti, cum non poſsit ex proprio dictamine moveri, requiritur quod ex Dei ſpeciali dictamine moveatur; ſic ad hoc

Digitized by Google

hoc vt peccaret in primo inſtanti non ſufficeret Deum movere ad materiale, & permittere formale, ſed vlterius requireretur, quod ex Dei dictamine ſpeciali moveretur ad peccandum. Quod in ſecundo inſtanti non requiritur, quia iam tunc Angelus ex proprijs movetur, & ſic non requiruntur niſi illa duo ad peccandum, nempe determinatio ad materiale, & permiſsio formalis.

Sed inſtas, voluntas Angeli in ſecundo inſtanti potuit peccare; & tamen non potuit ſibi formare dictamē defectuoſum, ex quo ſe moveret ad peccandū: ergo etiò in primò inſtanti non potuerit ſibi formare dictamen defectuoſum, potuit tamen in primo inſtanti peccare. Prob. Min. voluntas ante ſecundum inſtans erat bona amore finis boni ordine debito amati; ſed ex amore finis boni ordine debito amati non potuit voluntas ſibi formare dictamen de proſequutione obiecti mali moraliter: ergo Angelus in ſecundo inſtanti nequivit ſibi formare dictamē defectuoſum. Prob. Min. ex dictamine nō defectuoſo nequit in voluntate excitari actus defectuoſus: ergo ex actu voluntatis non defectuoſo non potuit excitari in intellectu Angeli dictamen defectuoſum; ſed amor finis boni debito ordine amati non erat defectuoſus: ergo virtute illius nequivit applicari intellectus Angeli ad formandum dictamē defectuoſum.

Explico difficultatem. Primum inſtans Angeli incepit à bono dictamine, ad quod Deus Angelum applicavit, cum ipſe ſe ad illud applicare non poſſet, & finitum eſt in amore Dei ſupernaturali, quo Angelus ſe ipſum, & omnia ſua ad Deum auctorem ſupernaturalem retulit diligendo ipſum ſuper omnia; ſecundum inſtans immediatè ſequutum ad primum incepit à dictamine practico propriæ excellentiæ proſequendæ ſine debito ordine ad Deum auctorem ſupernaturalem; & finitum eſt in amore inordinato propriæ excellentiæ. Nunc inquiro, quo actu voluntatis applicatus eſt intellectus Angeli ad formandum illud dictamen defectuoſum, à quo incepit ſecūdum inſtans? Huic quæſito neceſſariò reſpondere debemus, Angelum fuiſſe applicatū ad dictamen defectuoſum virtute actus voluntatis, qui immediatè tale dictamen præceſsit: at actus præcedens dictum dictamen non eſt alius, niſi actus ille ſupernaturalis amoris, quo ſe ipſum, & omnia ſua in Deum Angelus retulit in primo inſtanti: ergo dicendum eſt, quod virtute actꝰ amoris Dei auctoris ſupernaturalis applicatus eſt intellectus Angeli ad hoc vt relinqueret Deum auctorem ſupernaturalē: quod incredibile eſt.

Ad hoc, nego Min. Ad Prob. diſt. Min. conſervando ſe in amore finis boni debito ordine amati, conc. Min. derelinquendo primum amorem, nego Min. Ad Prob. nego Conſ. Itaque dum Angelus libere amabat Deum auctorem ſupernaturalem in primo inſtanti, ex hoc ipſo quod ille amor liber erat, poterat intellectus excitari ad formandum dictamen de averſione à tali fine pro ſecundo inſtanti, & ſic poterat ſecundū inſtans incipere à dictamine defectuoſo. Nec tamen illa Conſeq. valet: *Stante in intellectu dictamine non defectuoſo non poteſt ſequi in voluntate actus defectuoſus: ergo præcedente in voluntate actu non defectuoſo non poteſt ſequi ex parte intellectus dictamen defectuoſum*. Conceſſo enim Antecedent. nego Conſeq. & aſsigno diſcrimen: nam actus voluntatis ſequitur ad dictamen intellectus tanquam ad regulam bonitatis, & malitiæ ſuæ; ordinat enim intellectus de bonitate voluntatis, vel de malitia eius; & voluntas ſequitur ordinationem intellectus, ſic, quod nihil poteſt amare, vel fugere niſi iuxta præſcriptionem intellectus; & ſic ſi ex parte intellectus nō eſt defectus, ex parte voluntatis non poterit eſſe defectus: voluntas autem, quamvis moveat intellectum quoad exercitium ad formandū dictamen, non tamen movet illum præſcribendo illi obiectum, circa quod dictamen formandum eſt, ſed applicando eum, vt exeat in actum circa obiectum, quod illi occurrit intelligendum: vnde etiò in actu præcedēte voluntatis non ſit defectus, poteſt tamen in dictamine ſubſequuto ex parte intellectus eſſe aliquis defectus ſaltē inconſiderationis eorum, quæ antea intellectus conſiderabat, & ſic, etiò actus voluntatis, quo Dæmon finivit primum inſtans, eſſet bonus, potuit ex parte intellectus incipere ſecundum inſtans à dictamine defectuoſo. Ex his reſpondetur ad quæſitum in explicatione huius difficultatis factū. Quod Angelus factus in actu per amorem Dei auctoris ſupernaturalis liberum, quem habuit in primo inſtanti, excitavit ſe ipſum ad for-

man-

mandum dictamen defectuoſum defectu conſiderationis debitę, ad quē ſequutus eſt actus amoris inordinati propriæ excellentiæ.

1047 Quinto arguitur, non eſt neceſſe, quod prima operatio Angeli, ſi peccaminoſa eſſet, attribueretur Deo: ergo ex iſto capite non ſtabilitur Angelum in primo inſtanti non poſſe peccare. Prob. Antec. homines, dum perveniunt ad vſum rationis, in illo primo inſtanti poſſunt non ſe convertere ad Deum, & peccare, vt oſtendit D. Thom. 1.2.q.89.art.6. & omnes eius Diſcipuli ponentes quod in illo primo inſtanti, in quo incipit rationalis operatio poteſt eſſe peccatum mortale cum originali; & tamen non eſt dicendum, quod illud peccatum poſsit Deo attribui: ergo eſto Angelus in primo inſtanti peccaret non eſſet dicendum, quod tale peccatum Deo deberet attribui. Confirm. hoc ex doctrina quadā D. Thom. 3.p.q. 34. art. 3. ad 1. ibi; *& ideo liberum arbitrium creaturæ in primo inſtanti creationis poteſt moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, ſi tamen natura ſit integra*; ergo ſi natura ſit corrupta, & vitiata, qualis eſt noſtra, poterit in prima operatione peccare, ſine eo quod peccatum Deo attribuatur. Confirm. ſecundo, non eſt neceſſe quod peccatum incipiens cum eſſe rei tribuatur auctori: ergo. Prob. Antec. peccatum originale incipit cum eſſe animæ rationalis; & tamen non tribuitur auctori: ergo non eſt neceſſe quod peccatum incipiens cum eſſe rei tribuatur auctori.

Ad hoc argumentum, nego Ant. Ad Prob. Conceſsis præmiſsis, nego Conſeq. & aſsigno diſcrimen. Nam Angelus ante omnem actum voluntatis non poteſt in ſe ipſo excitare dictamen, quo ſibi proponat obiectum amādum: vnde eſt neceſſe, quod Deus, qui illum creat, tale dictamen in illo excitet: vnde ſi Angelus in primo inſtanti peccaret, cum peccatum illi conveniret ex vi dictaminis divini, eſſet neceſſe, quod peccatum Deo ſic dictanti tribueretur. Puer autem cum pervenit ad vſum rationis iam ex his, quæ miniſterio ſenſuum paulatim acquiſivit antequam ad annos diſcretionis perveniret, poteſt ſe ipſum excitare ad formandum dictamen defectuoſum, ad quod ſi ſequatur peccatum, non tribuetur Deo, ſed ipſi puero peccanti, quia ipſe puer ex præacceptis ſe applicavit ad dictamē defectuoſum,

Inſtabis, etiam in primo inſtanti poteſt Angelus ſibi formare dictamen defectuoſum: ergo etiam peccatum eius nō tribuetur Deo. Prob. Antec. ponamus quod in primo inſtanti creationis Angeli, B. v.g. Angelus C. ſuggerat malum Angelo B. & quod Deus moveat Angelum B. ad intelligendū obiectum malum, quod alter Angelus ſuggerit: tunc Angelus B. eſt in actu per intellectionem talis ſuggeſtionis malæ: ergo virtute illius actus poterit ſeipſum movere ad formandum iudicium de conſentiendo tali ſuggeſtioni malæ, & ſic peccare poterit. Ad hoc, nego Antec. Ad Prob. nego Conſeq. nam intellectus noſter nequit ſe applicare, & movere antecedenter ad omnem actum voluntatis; voluntas enim ſola eſt, quæ applicat intellectum, & alias potentias rationales ad exercitium actus; cumque eſtò intelligat Angelus ſuggeſtionem illam malam, non tamen ſit in actu per actum proprię voluntatis, non poſſet tunc ſe applicare ad formandum dictamen de conſenſu in talē ſuggeſtionem malam, & ſic tunc non peccaret.

Ad Confirm. ex verbis Div. Thom. formatam reſpondetur illam conditionē; *ſi tamen natura ſit integra*; appoſitam fuiſſe à D. Thom. ad veritatem illius copulativæ, ſcilicet, in primo inſtanti creationis poteſt moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando: cuius copulativæ prima pars, nempe *mereri bonum requirit ad ſui veritatem quod natura ſit integra*, nam ſi fuerit vitiata in illo primo inſtanti non poterit mereri, quia ad meritum requiritur amicitia cum merente, quam excludit vitium culpæ. Vnde non licet inferre, quod ſi in primo inſtanti natura corrupta ſit per culpam, in illo inſtanti peccare poſſit: vnde ſi daremus, quod anima alicuius puri hominis, quæ ex coniunctione ad carnē in primo inſtanti creationis vitiaretur per peccatum originale, haberet in illo inſtanti vſum liberi arbitrij talis anima in illo primo inſtanti, nec mereri, nec peccare poſſet; non poſſet mereri, quia peccatum originale impediret meritum; non ſecundum, quia tale peccatum tribueretur Deo; cum ab illo pro illo tunc deberet accipere dictamen ad illud peccatum, quod in primo inſtanti faceret. Ad ſecundam Confir. diſt. Antec. loquendo de peccato actuali ſive omiſsionis, ſive cōmiſsionis, nego Antec. loquendo de peccato, quod contrahitur per alterius voluntatem, Conc. Antec.

&

Digitized by Google

& nego Conſ. hoc enim intereſt diſcrimen inter peccatum actuale, quodcumque illud ſit, & peccatum originale: quod ad primũ requiritur neceſſario dictamẽ pravum, quo voluntas vellit conſentire malo, hoc autẽ cum in primo inſtanti nõ poſsit fieri à propria voluntate, oportet quod fiat à creante talem voluntatem, & ſic eſt neceſſariũ, quod ſi in primo inſtanti detur peccatum, illud Deo attribuatur; ad contractionẽ autem peccati originalis non requiritur dictamen pravum animæ contrahentis illud, cũ non ſit voluntarium per modum actus, ſed tantum per modum termini relicti ex voluntate capitis, & ſic nihil mirum, quod auctori animæ minimè tribuatur.

1048 Inſtabis, ſicut ad contractionem peccati actualis requiritur indiſpenſabiliter dictamen pravum, ità ad hoc quod anima contrahat originale requiritur vnio animæ ad carnẽ infectam; & tamen eſto Deus animam vniat, & infundat corpori, peccatum originale Deo non attribuitur: ergo eſto Deus moveret animam ad formandum dictamen defectuoſum non ſequeretur peccatum attribui Deo. Quod ſi dicatur, Deũ ſolum creare animam, & hominem per actionem generativam vnire illam carni infectæ; nam eſtò homo non producat animam in ſeipſa, tamen per actionem generativam, per quam generat hominem, verè producit animam in corpore, & ſic nõ erit caput, ex quo peccatum originale Deo attribuatur. In contra ſic argumentor, nam ſaltim ſequitur quod homo generans hominem ſit cauſa peccati originalis, & quod peccatum originale, quod contrahit homo genitus in inſtanti generationis illi attribuatur, quod falſiſsimum eſt. Prob. ſequela, nam ſicut ad peccatum actuale requiritur dictamen defectuoſum, ſic ad peccatũ originale requiritur vnio animæ ad carnẽ infectam; ſed Deo danti dictamen tribueretur peccatum actuale: ergo homini per generationem vnienti animam carni infectæ tribueretur peccatum originale.

Ad hanc inſtantiam, nego Mai. nam quamvis anima non incurrat peccatum niſi carni infectæ vniatur, ſicuti neque actualiter peccabit, niſi præcedat dictamen pravum; tamen aliter ad peccatum actuale dictamen pravũ requiritur, & aliter ad peccatum originale requiritur vnio ad carnẽ infectam; nam dictamen eſt cauſa moralis peccati, & regula illius; vnio autem animæ ad carnem infectam non eſt cauſa moralis peccati originalis, ſed tantũm eſt factiva ſubiecti, in quo per voluntatem Adæ tanquam per cauſam adæquatam moralem peccatum originale reſultat, & ſic Deo dãti dictamen pravum ad peccatum actuale, hoc illi attribueretur neceſſariò, non verò homini per generationem animam vnienti carni infectæ originale attribuitur, quia ad hanc vnionem homo merè naturaliter concurrit, & nullo modo eſt cauſa voluntaria peccati originalis; hæc enim ſolum eſt voluntas Adæ, in qua omnes eius poſteri peccaverunt; vnde quando generantur, non contrahunt peccatum, cuius cauſa ſit generans, ſed contrahunt peccatum, cuius cauſa eſt Voluntas Adæ: vnde peccatum ſolũm tribuitur ipſi, & parvulo, qui peccavit in illo, non vero homini generanti.

1049 Tandem arguitur, ad peccatum non requiritur actus deliberatus: ergo quãvis Angelus in primo inſtanti non potuerit habere actũ deliberatũ ex proprio dictamine non ſequitur quod in primo inſtanti nõ potuerit peccare. Prob. Ant. in nobis motus primo primi multoties ſunt peccata; & tamen non procedunt ex deliberatione, neque ex proprio dictamine, quod nos voluntariè formemus ad ſic peccandum: ergo ad peccandum non requiritur proceſſus ex proprio dictamine deliberatus. Confir. In motibus ſubitis, & indeliberatis homo non poteſt ſe movere ex proprio dictamine; & tamen non ſequitur quod ex Dei dictamine moveatur, alias peccatum, quod in talibus motibus reperitur, Deo attribueretur, ergo ex hoc quod Angelus in primo inſtanti non poſsit ſe movere ex proprio dictamine, non ſequitur, quod debeat moveri ex ſolo Dei dictamine. Confirm. ſecũdo, nam dato quod requiratur actus deliberatus ad peccandum, tamen ex hoc non infertur, quod Angelus in primo inſtanti non potuerit peccare: ergo. Prob. Antec. Angelus in primo inſtanti potuit deliberare, & ex amore finis eligere media: ergo. Prob. Antec. ex D. Thom. quæſt. 16. de malo art. 4. refert enim in corpore aliquos auctores, qui probabant Angelos in primo inſtanti non potuiſſe peccare, quia in primo inſtanti non potuerunt deliberare; cõtra quos ſic inſurgit. *Sed iſti* (inquit) *decipiuntur per hoc quod iudicant de intellectu Angeli ſecundùm modum intellectus humani, nam conſilium eſt inquiſitio quedam, vt dicitur in tertio Æthicorũ, intellectus autem Angeli apprehendit veritatem abſque diſcurſu;*

&

Digitized by Google

& inquiſitione, ut dicit Dionyſius 7. capite de div. nom. & ideo nihil prohibet, quin Angelus in primo inſtanti, quo veritatem intelligit poſsit eligere, quod eſt actus liberi arbitrij, ſicut & homo in ipſo inſtanti certificatus per conſilium, eligit quid eſt faciendum: non eſt ergo cauſa quare non potuerit peccare in primo inſtanti ſuæ creationis, quia non potuit in illo inſtanti eligere, quod eſt actus liberi arbitrij.

Ad hoc argum. diſt. Ant. in his, qui poſſunt peccare venialiter, Conc. Ant. in his, qui, ſi peccant, neceſſe eſt quod peccent mortaliter, nego Ant. & Conſeq. Ad Prob. Antec. diſt. Mai. ſunt peccata mortalia, nego Mai. venialia tantum, Conced. Mai. & Conced. Min. diſt. Conſeq. in his, qui poſſunt peccare venialiter, Conced. Conſ. in his, qui, ſi peccant, debent peccare mortaliter, nego Conſ. Itaque non datur peccatum mortale ſine plena deliberatione, poſſunt tamen dari venialia, quæ ex genere ſuo mortalia ſunt, ex defectu advertentiæ, & deliberationis, ſicut contingit in nobis, dum ſubito movemur ad blaſphemiam, odium Dei, & alia eiuſmodi. Angelus ergo cum non poſsit peccare venialiter, quia nequit recedere à medijs, niſi à fine recedat, & à fine nequit recedere ex inadvertentia, ſeu ex ſubreptione alicuius paſsionis vehementis, fit inde, quod peccare non poſsit niſi ex plena deliberatione procedente ex proprio dictamine.

Ad primam Confirm. conceſsis præmiſsis, nego Conſ. nam in homine, prædicta peccata non requiritur quod procedant ex dictamine hominis, vel Dei, ſed ſufficit ſi procedant ex aſſuefactione habituali ad malum; quę aſſuefactio cum voluntariè ſit contracta ab homine, ſufficit ut homo ex proprijs, & voluntarijs ad peccatum moveatur; hæc autem non habet locum in Angelis in primo inſtanti, ideſt, in prima operatione eius, ut ex ſe patet: unde ſi Angelus moveretur ad peccandum, cum in illa prima operatione non poſſet procedere ex proprio dictamine, deberet procedere ex ſolo dictamine Dei.

Ad ſecundam Confirm. Conc. quod ex hoc quod requiratur actus deliberatus ad peccandum in Angelo non ſequitur quod ipſe non potuerit peccare in primo inſtanti. neque enim nos hac ratione noſtrā concluſionem probavimus, ſed ea videlicet, quod Angelus in primo inſtanti nequit eligere niſi ex dictamine Dei; nam licet poſſit moveri ad eligendum; tamen neceſſe eſt quod eligat, non quod ipſe vult eligere, ſed quod Deus vult illum eligere. Explicemus hoc, Angelus in prima operatione nequit eſſe malus, quia ad hanc non ſe movet, ſed à Deo dictante quid proſequi, vel fugere debet movetur: deinde, ſi ſic factus in actu ſe moveat ad eligendum bonū in primo inſtanti, non erit niſi bonus; ſi autem ſe moveat ad malum, iam dividet inſtans, quia bona, & mala operatio moralis cum ſubordinationem inter ſe non habeāt, unum indiviſibile inſtans componere nequeunt; ſunt enim plures operationes per modum plurium, & ſic in primo inſtanti impoſsibile eſt quod Angelus ſit malus.

§. X.

Verùm Angelus in primo inſtanti potuerit peccare peccato puræ omiſsionis?

1050 ALIQVI recentiores, eſto nobiſcum ſentiant, Angelum in primo inſtāti non poſſe peccare peccato cōmiſsionis, dicunt tamen potuiſſe peccare peccato puræ omiſsionis. Sed communiter Thomiſtę tenent oppoſitum. Sit concluſio. Angelus non potuit peccare in primo inſtanti peccato puræ omiſsionis. Hæc concluſio non eſt ita certa ſicut præcedēs in via D. Thom. nam in hoc art. 5. tantum determinat Angelum non potuiſſe peccare in primo inſtanti peccato cōmiſsionis, ut conſtat ex illis verbis, quæ habet in corpore, nempe, *dicendum eſt, quod impoſsibile fuit Angelum in primo inſtanti peccare per inordinatum actum liberi arbitrij.* Quibus tantum excludit ab Angelis illud peccatum, quod per inordinatum actum liberi arbitrij fit, quod ſolum peccatum cōmiſsionis eſt: cum ad puram omiſsionem actus liberi arbitrij nō requiratur. Nihilominus exiſtimo concluſionē noſtram eſſe D. Thom. in hoc art. 5. ubi inquirit; utrum Diabolus fuerit malus in primo inſtanti ſuæ creationis per culpam propriæ voluntatis? Et concludit in fine art. *unde non poteſt dici quod Diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus.* Ubi pondero, quæſitum ſolum eſſe de malitia propriæ volūtatis, & ſimiliter reſponſum; malitia autem propriæ voluntatis genus eſt ad malitiam cōmiſsionis, & omiſsionis: cum ergo D. Thom. inquirat de ratione generica malitiæ, & reſpondeat negati-

Digitized by Google

gativa, videtur negare non ſolum Angelū potuiſſe peccare peccato omiſsionis, ſed etiam omiſſionis.

1051 Sed ratione Prob. Concluſio, nam eſto ad puram omiſsionem culpabilē non requiratur actus poſitivus de facto exiſtens in voluntate, requiritur tamen actus virtualis, & interpretativus, & vbi impoſſibile eſt voluntatem interpretari quod vellit omittere, impoſsibile eſt etiam voluntatem culpabiliter omittere; ſed in primo inſtanti non poſſumus interpretari voluntatem Angeli velle omitere culpabiliter: ergo impoſsibile eſt Angelum in primo inſtanti peccare peccato omiſsionis. Prob. Min. non poſſumus interpretari voluntatem omittere culpabiliter quādo impoſsibilis eſt actus formalis, quo formaliter vellit omittere; ſed eſt impoſsibilis in primo inſtanti actus formalis, quo vellit culpabiliter omittere: ergo Prob. Min. nā actus voluntatis peccaminoſus in primo inſtanti Angelo nō poteſt convenire, ſed actus poſitivus, quo Angelus vellet omittere culpabiliter, eſſet peccaminoſus: igitur non eſt poſsibilis Angelo in primo inſtanti actus voluntatis poſitivus, quo vellit culpabiliter omittere.

Secundo Prob. Concluſio nam eſto ad puram omiſsionem non requiratur aliquis actus ex parte voluntatis; requiritur tamen ex parte intellectus dictamen defectuoſum, ſaltim defectu cōſiderationis debitæ circa regulam, vel præceptum, ſeu hoc dictamen non potuit Angelus habere, neque à Deo, neque à ſe ipſo; neque ab aliqua cauſa defectuoſa: igitur in primo inſtanti non potuit peccare peccato puræ omiſsionis. Prob. Mai. nam omiſsio voluntaria actus præcepti eſt exercitium voluntatis liberę determinans illam in ordine ad alteram partem contradictionis: ergo requirit ex parte intellectus iudicium dictans talem omiſsionem: neque enim voluntas poteſt ſe determinare ad aliquod exercitiū liberum, niſi tale exercitium proponatur illi vt conveniens; illa autem propoſitio non fit niſi per iudicium dictans de proſecutione omiſsionis: ergo requiritur ex parte intellectus dictamen defectuoſum.

Dices, ex parte intellectus ſolum requiri ad omiſsionem culpabilem notitiā præcepti, & advertentiā inſtantiæ, & obligationis adimpletionis; ſi hoc enim ſolum ponatur ex parte intellectus, & voluntas non operetur actum præceptum, peccavit peccato puræ omiſsionis, ſecluſo quocumque alio dictamine defectuoſo. Sed contrà eſt, nam implicat intelligere voluntatem ſe libere determinare ad alteram partem contradictionis, niſi intellectus ad dictam determinationē illam moveat quoad ſpeciem; ſed per notitiam præcepti, & advertentiam obligationis, & inſtantiæ eius, ſi intellectus nihil dictet, voluntas non determinabitur, neque movebitur quoad ſpeciē ab intellectu: ergo præter illa requiritur iudicium dictans convenientiam omiſsionis actus præcepti.

Dices, intellectum Angeli hoc ipſo quod cognoſcit præceptum, & advertit inſtare obligationem eius hic, & nunc, & nō format dictamen de adimpletione præcepti, hoc ipſo virtualiter dictare omiſsionem actus præcepti eſſe hic, & nunc convenientem, & tunc voluntas virtute talis dictaminis virtualis, & interpretativi poterit determinari, & moveri ad omittendum actum præceptum. Sed contrà eſt, nam illud virtuale dictamen, quo voluntas iuxta hanc ſolutionem determinaretur ad omittendum, deberet convenire Angelo, vel per proprium actum voluntatis, quem eſto de facto non haberet, poſſet tamen habere; vel per actum voluntatis divinæ, quæ eſto per actum poſsitivum Angelum non moveret tunc quoad exercitium, poſſet, ſi vellet, Angelum tunc quoad exercitium movere; ſed neutro modo poteſt Angelo de facto dictum dictamen convenire: ergo ſolutio data nulla eſt. Mai. patet, nam Angelo dictamen virtuale, & interpretativū ſolum poteſt convenire ratione illius voluntatis, ratione cuius poſſet moveri quoad exercitium ad formandum dictamen formale, & poſitivum; ſed voluntas, quā poſſet moveri Angelus ad formandum dictum dictamen, tantum eſt vel voluntas Dei creans illum in illo inſtanti; vel propria voluntas: ergo. Min. ſic Prob. nam in primis non poteſt Angelo convenire illud dictamen virtuale, & interpretativum ratione voluntatis divinæ, ſic, quod omittente Angelo interpretemur Deum velle quod Angelus hic, & nunc ſe determinet ad dictum dictamen interpretativum de omiſsione actus præcepti; quod ſic Prob. nam Deus non poteſt actu formali movere Angelum ad habendum dictamen formale, quo vellit Angelus culpabiliter omittere: ergo neque poteſt interpretari Deus quod vellit; quod Angelus habeat dictamen virtua-

Digitized by Google

tuale de omiſſione culpabili. Neque ſimiliter illud dictamen virtuale poteſt Angelo convenire ratione propriç voluntatis, quia tale dictamen præcedit omnem actũ voluntatis Angeli: ergo dictum dictamen interpretativum nequit Angelo convenire ratione propriç voluntatis. Argumenta, quæ poterant facere contra huiuſmodi cõcluſionem, iam ſunt ſoluta in præcedentibus §§.

QVÆSTIO XVII.

De peccato Angelorum.

1052 DE fide certum, eſt Angelos defacto peccaſſe mortaliter. Nam de fide eſt aliquos ex ipſis damnatos fuiſſe ad cruciatus æternos, iuxta illud Mathæi 25. *ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*; ſed ad cruciatus æternos nullus damnatur niſi propter peccatũ mortale: de fide ergo eſt certum aliquos ex Angelis mortaliter peccaſſe. Suppono ſecundo, ſimul cum peccato mortali non habuiſſe peccatum veniale, nam veniale contingit per hoc quod quis deordinatur à medijs ſine eo quod deordinetur à fine; ſed Angelus non potuit deordinari à medijs, niſi deordinaretur à fine: ergo nec peccavit, nec peccare potuit venialiter. Prob. Min. Angelus ſicut non poteſt intelligere concluſiones niſi in principijs, ita neque poteſt ordinare de medijs niſi prout ſtant ſub ordine finis, habent enim ſe in appetibilibus fines, & media, ſicut in ſpeculabilibus principia, & concluſiones: ergo ſicut non poteſt Angelus deordinari circa concluſiones, quin deordinetur circa principia; ita neque poterit deordinari circa media, quin deordinetur circa fines. Hæc ratio eſt Div. Thom. 1. 2 q. 89. & q. 7 de malo art. 9. quam aliqui ſic intelligunt, quod vis eius ſita ſit in eo, quod ſicut intellectus vnico indiviſibili actu attingit principia, & concluſiones in principijs, ſic quod diſcurrere non poſſit à principijs ad concluſiones: ita voluntas vnico indiviſibili actu amet finẽ, & media in ipſo fine, ſic, quod non ſe moveat motu electivo ab amore finis ad electionem mediorũ, & ſic concluditur, quod ſicut intellectus Angeli nequit errare circa concluſiones, quin erret circa principia, ita neque eius voluntas poſſit deordinari à medijs, quin aberret à fine.

Verum quia nos ſupra docuimus cũ Div. Thom. q. 60. artic. 2. poſſe voluntatem Angeli ex amore finis cauſare in ſe amorem eorum, quæ ſunt ad finem, & aſſignavimus ibi diſcrimẽ inter intellectum, & voluntatem Angeli, ob quam eſto non ponatur diſcurſus in eius intellectu, ponitur tamen motus electivus in eius voluntate; ideò conſequenter loquendo non reducimus intelligentiam rationis D. Thom. ad hoc, quod eſt negare in voluntate Angeli motum propriè dictum, quo ex amore finis ſe moveat voluntas eius ad electionẽ mediorum, vel ad hoc, quod eſt quod vno indiviſibili actu attingat finem, & media in fine: ſed ad hoc, quod voluntas eius, eſto ſe moveat ex amore finis ad electionem mediorum, non tamen attingere poſſit media niſi vt ſtant ſub ordine finis præſcripti ab intellectu: hinc enim fiet quod non poſſit deordinari à medijs, quin deordinetur à fine. Pro cuius exacta intelligentia adverto, quod cum voluntas nullo modo ſit ordinativa, ſed hoc tantum ſit intellectus, tantum habet inclinari per actus ſuos iuxta ordinem, quem intellectus ſtatuit ordinatione ſuâ inter illa: cùmque intellectus non ordinet de medijs, niſi vt ſtant ſub ordine finis, fit inde, quod voluntas Angeli non poſſit affici circa media niſi vt cadunt ſub ordine finis: vnde fit, quod ſi voluntas Angeli ſit ordinata circa attingentiam finis non poſſit deordinari circa media. Quod autem intellectus Angeli non ordinet de medijs niſi prout præcontinentur in fine, oſtendit D. Thom. loco ſupra adducto: quia in appetibilibus media, & finis comparantur ſicut principia, & concluſiones in ſpeculabilibus; ſed intellectus Angeli non ordinat de concluſionibus niſi prout præcontentis in præmiſſis: ergo voluntas eius non ordinat de medijs niſi vt præcontentis in fine. Ex quibus infero. Angelicam voluntatem nihil amare poſſe niſi vel finem, vel vt præcontentum in fine. Vnde ſi contingat amare aliquid, cuius malitia, ob parvitatem materiæ, levis ſit, etiã tunc mortaliter peccavit, quia vel ſic amat, quod in illa re finem ſuum ponit, & ſic mortaliter peccat; vel illam rem parvæ quantitatis vt præcontentam in aliquo fine amat, & ſic non ſolum deordinatur, quia rem parvæ malitiæ amat, ſed quia ex pravo fine, ad quem convertitur, illam amat, & ſic etiã mortaliter peccat. His ergo vt certis ſup-

po-

poſitis de peccato Angelorum plura examinanda reſtant, quorum primum eſt,

§. I.

Vtrùm peccatum primum Angeli fuerit commiſsionis, vel omiſsionis?

1053 DISPVTANT ergo Theologi circa primum Angelorum peccatum, an fuerit commiſsionis, vel ſolius omiſsionis? Circa quod quæſitum Pater Suarez vbi ſupra, quem aliqui ex ſuis ſequuntur, affirmat primum Angeli peccatum fuiſſe purā omiſſionem. Oppoſitum autem tenet Schola Thomiſtica. Pro cuius defenſione ſit concluſio. Peccatum primum Angeli non fuit peccatum omiſsionis. Prob. ex D. Thomæ hic q.63. art.1. ad 4. ibi; *& hoc modo Angelus peccavit convertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulam divinæ voluntatis*; cōverſio autem liberi arbitrij ad proprium bonum ſine debita commenſuratione peccatum commiſsionis eſt; nam eſt actus poſitivus ſpeciem ſumens ex ordine ad obiectum diſonum.

1054 Probat Ioannes à Sancto Thomā concluſionem, quia Angelus in primo peccato ſuo non potuit peccare ex motivo omiſsionis: ergo debuit peccare ex motivo terminante actum comiſsionis. Antec. Probat; nam omiſsio præcepti non erat appetibilis ratione ſui: ergo debebat appeti in aliquo fine, in quo proxime Angelus ſe à Deo averteret; neque enim omiſsio mala poterat appeti in fine bono: ergo motivum primi peccati Angeli debuit eſſe cōmiſsionis, & non omiſsionis. Verùm hæc ratio multum probat, nam probat, quod non ſolùm de facto primum peccatum non fuerit omiſsio, verum etiam quod neque potuerit eſſe omiſsio, quod illi Thomiſtæ, qui dicunt poſſe dari puram omiſsionem abſque omni actu, non benè ferent. In omni ergo opinione, ſive in illa, quæ aſſerit poſſe dari puram omiſsionem culpabilem abſque omni actu voluntatis; ſive quæ aſſerit omiſsionem ſe ipſa non eſſe amabilē, ſed medio aliquo actu poſitivo voluntatis, debemus defendere, quod primum peccatum Angeli non fuerit omiſsio, ſed commiſsio.

Pro quo exactè probando debetis advertere, quod Angelus in ſecundo inſtanti quando iam perfectè potuit deliberare movendo ſe ex amore finis præconcepti, Deus poſuit illi præceptum de eliciendo amore ſupernaturali, quo Deum auctorem ſupernaturalē ſuper omnia diligeret; ſicut enim nos cum pervenimus ad initium vſus rationis tenemur converti in Deum finem ſupernaturalem, ſic & Angelus cum in ſecundo inſtanti iam plenè de ſe deliberare poterat, habuit obligationem convertendi ſe ad finem ſupernaturalem. In hoc autem præcepto vnum poſitivè iubebatur, nempe elicientiā actus ſupernaturalis, & aliud prohibebatur, nempe diligere ſe ipſum propriū bonum, & propriam excellentiam non ordinando illam ad Deum auctorem ſupernaturalem, ſed quieſcendo in illa: vnde duplex peccatum poterat Angelus pro tunc committere; aliud omiſsionis ceſſando ab amore ſupernaturali illi præcepto; aliud commiſsionis, nempe amando propriam excellentiam ſine ordine ad Deum finem ſupernaturalem, ſed quieſcendo in illa: peccavit ergo Angelus per hoc quod nimis affectus ad propriam pulchritudinem, illam ad Deum auctorem ſupernaturalem non ordinavit, ſed in illa quievit, & ex hoc ſuperbus iam factus, noluit elicere amorem Dei auctoris ſupernaturalis, & ſic peccavit primo peccato cōmiſsionis, & deinde peccato omiſsionis non eliciendo amorem, ad quem pro tunc tenebatur. Quæ omnia ita de facto accidiſſe apertè demonſtrant verba illa Ezequielis 28. *elevatum eſt cor tuum in decore tuo*, quaſi nimis attendens ad proprium decorem, noluerit ſe ſubdere Deo, & præceptis eius. *Sed iudicaverit* (vt inquit Auguſtinus lib. 12. de civit. Dei) *ipſum ſibi ad beatam vitam ſufficere*. Et paulo poſt *mali Angeli ſua poteſtate potius delectati, vel vt bonum ſuum, ſibi ipſi eſſent, à ſuperiori bono ad proprium defluxerunt*. Ex quibus ſit ratio pro concluſione.

1055 Angeli primo peccarūnt ex amore propriæ pulchritudinis, & excellentiæ inordinato: igitur primo peccarunt peccato cōmiſsionis, & non omiſsionis. Ant. Prob. ex locis ſcripturæ adductis. Sed contra rationem, & concluſionem obijcit Suarez, nam peccatum Angeli non cœpit ab amore propriæ excellentiæ, & pulchritudinis, ſed ex hoc quod illam non ordinavit ad auctorem ſupernaturalem; hæc autē ordinatio debebat fieri per actū amoris Dei ſupernaturalem præceptum pro illo ſecundo inſtanti; ergo peccatum eius conſiſtit in

omiſ-

Digitized by Google

omiſſione eius. Mai. Prob. ſic, nam Angelus non habuit aliquando præceptum prohibens amorem propriæ excellentiæ, ſiquidem talis amor erat illi connaturalis, imo & neceſſarius: ergo peccatum eius nequibit incipere ab amore excellẽtiæ propriæ. Min. Prob. quia ſola charitas per actum ſuum dirigere poterat Angelum, & omnia ſua in finem ſupernaturalem: ergo ſolum poterat Angelus dirigere excellẽtiam propriam in Deum auctorem ſupernaturalem per actum charitatis.

Ad hoc, nego Mai. Ad Prob. dico, quod eſto Angelus non habuerit præceptũ de non amando excellentiam propriam habuit tamen præceptum de nõ amando excellentiam propriam ſine taxa, & ſine menſura: vnde hoc ipſo quod propriam excellentiam deliberatè amavit ſine attentione ad regulam, & menſuram, hoc ipſo peccatum commiſſionis fecit: nec tamen ad peccatum omiſſionis ſufficit quod dum aliquis actus fit, aliqua circunſtantia omittatur, ſed requiritur quod principaliter actus præceptus non fiat; in præſenti ergo caſu peccatum primũ Angeli nõ fuit omittere actum charitatis ſupernaturalem, ſed fuit velle poſitive aliquod bonum ſine debito ordine; ſicut ille, qui vult orare, & non vult attendere ad ordinem ab Eccleſia præſcriptum, iſte non peccat omiſſionis peccato, ſed commiſſionis, quamvis circunſtantiam illam debitæ attẽtionis omittat. Doctrina hæc eſt D. Thom. in 2. diſt. 5. q. 1. art. 3. ad 4. quod tale erat; *quicũque nõ fecit illud, ad quod tenetur, peccat per omiſſionem, ſed Angelus debuit conferre de Dei ordinatione, ne vltra ipſam appeteret aliquid, quod non fecit: ergo per omiſſionem peccavit.* Ad quod reſpondet; *dicendum, quod omiſſio quandoque eſt ſpeciale peccatum, quando ſcilicet dimittitur aliquid, quod fieri debet, quod ſpecialiter præceptum eſt, quandoque vero eſt conditio omne peccatum conſequens, ſecundum quod eſt dimiſſio alicuius circunſtantiæ in opere obſervando, & hoc modo non eſt inconveniens, quod in primo peccato Angeli fuerit omiſſio.* Ex hoc ergo quod Angelus in appetitu propriæ excellentiæ omiſerit illam circunſtantiam relationis in vltimum finem, non ſequitur, dictum peccatum fuiſſe omiſſionis, ſed commiſſionis cum omiſſione tamen prædictæ circunſtantiæ.

Sed inſtas, Angelus neceſſariò quoad exercitiũ amabat ſeipſum ordinando ſe, & omnia ſua ad Deum vltimũ finem naturalẽ ergo ſolũ habuit præceptũ de ordinatione ſui ad finem ſupernaturalem per actũ charitatis, nã cũ ordinatio ſui ad finẽ ſupernaturalẽ non poſſet fieri niſi per actũ charitatis, idẽ prorſus fuit iubere ordinationẽ ſui ad Deum finem ſupernaturalem, & iubere quod Deum diligeret per actum charitatis. Ad hoc dico, quod quamvis Angelus neceſſariò quoad exercitium ſe amaret, & ſe ad Deum finem vltimum ordinaret, tamen liber fuit ad amandum ſe, ſic, quod in ſuo decore, ſeu naturali beatitudine quieſceret, vel ſic, quod vlteriorem beatitudinem inquireret: vnde duplex veluti præceptum habuit; alterum de diligendum ſe cum pondere, & menſura, ideſt, non quieſcendo in propria beatitudine naturali tãquam in vltimo fine ſimpliciter; & alterum fuit quod ſe ad beatitudinem ſupernaturalem diſponeret per meritum eius, nempe per actum charitatis, quibus duobus præceptis contravenit: primò, quieſcendo in propria beatitudine tanquam in fine vltimo ſimpliciter, quod fuit peccatum ſuperbiæ; & deinde omittendo actũ dilectionis Dei ſuper omnia. Et ſic primum peccatũ non fuit omiſſio dilectionis Dei ſuper omnia, ſed fuit dilectio ſui ſine menſura debita, ideſt, quieſcendo in propria beatitudine, quæ illi cõveniebat per naturam, ad quam propria virtute perveniebat.

§. II.

Vtrùm hoc peccatum commiſſionis, quod primum fuit, fuerit ſuperbia?

1056 SCOTVS in 2. diſt. 6. q. 2. ſentit primum peccatum Angelorum non fuiſſe ſuperbiam, ſed luxuriam; non quidem corpoream, ſicut ponebant illi antiqui, qui dicebant Angelos eſſe corporeos, eoſque primo peccaſſe accedendo ad filias hominum, & ex illis generando gigantes, quorum fit mentio Geneſ. 6. ſed ſpiritualem, quæ ſecundum ipſum conſiſtit in nimia delectatione, ſive complacentia, quam habuit de ſe ipſo, ſive de propria excellentia. Communiter tamen tenetur à Theologis primum peccatum Angeli fuiſſe ſuperbiã. Pro cuius defenſione, ſit Concluſio. Primum Angeli peccatum fuit ſuperbia. Sic tenent Scholaſtici cum Magiſtro in 2. diſt. 5. & cum Div. Thom. hic quæſt. 63. art. 2. Prob. primo ex illo Eccleſiaſtici 11. *initium omnis peccati ſuperbia*; ſed à primo

pec-

Digitized by Google

cato Angeli originem ſumit omne aliud peccatum: igitur primum peccatũ Angeli ſuperbia fuit. Probatur deinde ex illo Iſaiæ 14. vbi inquiritur de caſu Diaboli, quomodo acciderit illis verbis: *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo in cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo*, quæ omnia cum propriæ excellentiæ exaltatione inordinatam ſonent, ſuperbiam clamitant. Vnde Auguſtinus 12. de Civitate, c. 6. inquit: *Initium omnis peccati ſuperbia, hic primus defectus, & prima inopia, primumque vitium eius naturæ, quæ ita creata erat, vt non ſumma eſſet.*

1037 Probatur ſecundo ratione, quã vtitur D. Thom. hic loco citato ad hanc formã reducta. Primũ peccatũ Angeli debuit conſiſtere in affectu ad aliquod bonũ ſpirituale; ſiquidem Angelus incapax eſt affectus abſoluti, & efficacis circa bonum corporale; ſed affectus circa bonũ ſpirituale non potuit primo deordinari niſi deordinatione ſuperbiæ: ergo. Prob. Min. talis affectus nequit eſſe primo deordinatus ex parte obiecti voliti, quia hoc in ſe debuit eſſe aliquod bonum: ergo debuit eſſe deordinatus ex parte modi appetendi illud, ſcilicet, abſque ſubiectione ad regulam ſuperioris: in hoc autem conſiſtit ſuperbia, teſte eodem D. Thom. q. 162. art. 6. & 7. eo quod per huiuſmodi defectũ ſubiectionis opponitur humilitati, quæ in tali ſubiectione conſiſtit: igitur affectus circa bonum ſpirituale in Angelo non potuit primo deordinari niſi deordinatione ſuperbiæ.

Pro explicatione huius rationis advertite, quod Angelus non poterat primo peccare per hoc, quod aliquod malum eligeret, quia ad hoc requirebatur, quod in intellectu practico eius præceſſiſſet aliquis error, quo iudicaſſet eſſe bonum, & amandum, quod in re malum erat; error autem in Angelo, vt probat D. Thom. non potuit eſſe, niſi in pœnam alicuius culpæ; & ſic prima culpa non potuit procedere ex errore: debuit ergo primo peccare ex electione alicuius boni, quod bonum non poterat eſſe ſenſibile, quia circa hoc affici nequit Angeli appetitus efficaciter, cum naturæ eius pure ſpirituali penitus improportionatum ſit: debuit ergo eſſe bonum pure ſpirituale; hoc autem non poterat eſſe de numero eorum, quæ ſibi naturaliter debebantur, cum hæc omnia perfectiſſimè poſſideret ab initio ſuæ creationis; debebat ergo eſſe de numero bonorum ſpiritualium, illi indebitorum, vel ex parte rei, vel ex parte modi habendi illud; hoc autem totum ſonat ſuperbiam, quæ ſemper amat excellentiam vltra limites, & menſuram à Deo vnicuique aſsignatam, & non vult ſtare taxæ, quam Deus ponit in appetitu propriæ excellentiæ. Ex hoc colligitur evidenter non potuiſſe primo peccare peccato Invidiæ; nam hæc eſt dolor, & triſtitia de alterius excellentia; hic autẽ dolor naſcitur, & originatur in invido ex appetitu excellẽtiæ, quã alter poſsidet, & ſic Angelus non potuit primò deordinare affectũ ſuum invidia, quia hæc præſupponit affectũ iam depravatum circa appetitum excellentiæ alterius, de qua quis dolet, quod ab eo, cui invidet, poſsideatur.

Infertur etiam non potuiſſe Angelum primo deordinari per odium, vel per deſperationem à Deo. Non quidem per odiũ Dei, quia cum hoc ſit fuga à Deo, requirit neceſſariò quod Deus proponatur ſub ratione diſconvenientis, & nocivi; Deus autem proponi non potuit ſic Angelo abſque errore, dum primo peccavit, quia ipſum tantum vt beneficum, & liberalem expertus erat vſque illud tunc, & ſic primo deordinari per odium Dei Angelus non potuit. Non etiam per deſperationem primo potuit eſſe malus, nam hæc etiam cum ſit fuga à Deo, & à divinis auxilijs, quia iudicat impoſsibile conſequi beatitudinem divino auxilio, etiã ſupponit apprehenſionẽ Dei nocivi, & vt diſconvenientis; ante omnem autẽ culpam apprehenſio Dei vt nocivi, & diſconvenientis Angelo poſsibilis non fuit; quia eſto Deus Angelis poſt culpam nocivus, & diſconveniens fuerit, non tamen ante culpam.

Infertur etiam non potuiſſe primò deordinari per infidelitatem; vel idololatriam. Non quidem per primum, nam cum fides ſit via generationis prima virtutum, oportet, quod infidelitas ſit poſtremum vitium, nam in vitijs ſervatur ordo præpoſterus ordini virtutum, vt habet D. Thom. 2. 2. quæſt. 162. art. 7. vnde ſi fides eſt prima inter virtutes, infidelitas nequibit eſſe prima ordine generationis. Non etiam per idololatriam, quia hæc includit infidelitatem, qua negatur Deo ſingularitas divinitatis, & ponitur in creatura: vnde ſi infidelitas non potuit eſſe primum peccatum, neque etiam primum

Digitized by Google

eius pravus eſſet circa malum morale; ſed ex D. Thom. prima deordinatio Angeli non potuit eſſe appetitus mali moralis: ergo non potuit ſimiliter eſſe ſuperbia ſpecialis. Prob. Mai. primi diſcurſus, quia nulla circunſtantia, modus, vel obiectum poteſt tribuere actui malitiam moralem ſpecialem, niſi ſit directè volitum: ergo vt modus ille ſuperbè amandi excellentiam propriam conſtitueret dictum actum in ſpecie ſuperbiæ, oportebat neceſſario, quod eſſet directè volitus. Ad hoc, negabis Min. vniverſaliter loquendo, quia appetere propriam excellentiam non ſubijciendo ſe Deo ſuperiori non eſt appetere malum, ſed eſt appetere bonum malè; non enim eſt appetere ſuperbiam, ſed appetere bonum ſuperbè, quod poſſibile fuit Angelo in primo peccato, quia ad hoc non requirebatur, quod ex parte intellectus eius præcederet error, ſed tantùm quod præcederet non conſideratio actualis taxæ, & menſuræ, iuxta quam licebat Angelo propriam excellentiam amare; hac enim non conſideratione poſita poterat Angelus ſic propriã excellentiam amare, quod nulli ſe reputaret inferiorem.

Sed contra hoc inſto, nam ille actus, quo primo Angelus inordinatus eſt, in ſua ſpecie erat ſuperbia ſpecialiter dicta: ergo in ſua ſpecie erat malus moraliter: ergo obiectum eius debebat eſſe malum morale; quia actus moralis malus ſpeciem accipit à proprio obiecto morali malo; ſed ad proſequutionem mali moralis non ſufficit non conſiderare, ſed vlterius requiritur propoſitio mali ſub ratione convenientis, & boni: ergo cum hæc iuxta D. Thom. non potuerit præcedere ex parte intellectus Angeli ad primum actum, quo deordinatus eſt; non potuit primo ex ſuperbia peccare. Ad hoc, conc. primã Conſeq. nego ſecundam. Ad Prob. dico, malum moraliter non ſemper ſpecificari ab eo, quod ſecundum ſe malum morale eſt, ſed aliquando ſumere ſpeciem ab aliquo bonè malo moraliter attacto; ſicut actus ille, quo quis vult recitare officium divinum non attendendo ad ordinẽ, quem Eccleſia præſcribit, malus moraliter eſt, & nihilominus non ſpecificatur ab eo, quod malum morale eſt, ſeu a quodam bono, nempe à recitatione officij divini malè attacta, hoc eſt, ſine ſcientia actuali ordinis, quem Eccleſia in recitando officium præſcribit.

Ad Confirm. Scoti, neg. Antec. actus enim primo peccaminoſus non proceſſit in Angelo ex amore ſui, vt primi diligibilis; ſed tantũ proceſſit ex conſideratione propriæ excellentiæ, & non conſideratione regulæ, & menſuræ, ſub qua debebat amari; ex hoc enim primo propriam excellentiam dilexit ſine menſura debita, & ex hoc interpretatus eſt quieviſſe in ſe ipſo tãquam in primo diligibili, ſuo videri tam excellenti, quòd non ſe reputaverit alicui ſuperiori inferiorem.

§. IV.

Vtrum Angelus in ſua ſuperbia appetiverit eſſe vt Deus?

1060 CONCLVSIO Eſt affirmativa. Probaturque ex illo Angelico dicto, *ſimilis ero altiſsimo*. Prob. etiam ex illo Ezechielis 28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris*. Probatur etiam ex illo quod protulit Michael dum præliaretur cum Dracone, *quis ſicut Deus?* quibus explicat ſuperbiam Luciferi in eo ſtetiſſe, quod appeteret eſſe vt Deus. Vnde concluſio communiter habetur certa à Scholaſticis Theologis. Eſt autem difficultas in eo, an appetierit eſſe vt Deus per æquiparantiã, ſeu æqualitatẽ cum Deo. Circa quod partem affirmantem tenuere ex antiquis Vgo à S. Victore in ſumma, tract. 2. c. 4. vbi ait, quod Lucifer ſimilis eſſe voluit altiſsimo, non per imitationem, ſed per æqualitatẽ. Similiter hoc tenuit Scotus in 2. diſt. 6 q. 1. & ex iunioribus tenent Suarez, Vazquez, & Becanus in præſenti. Oppoſitũ tamen tenet D. Th. hic q. 63. art. 3. eſtque cõmunis inter Thomiſtas. Et pro eius defenſione ſit concluſio.

1061 Non potuit Angelus appetere eſſe Deum per æquiparantiam cum illo in altitudine, & maieſtate. Probat hoc dupliciter Sanct. Thomas. Primò, impoſſibile naturaliter cognitum non eligitur ab appetente, cuius virtus cognoſcitiva nullo habitu, aut paſsione impeditur; ſed eſſe vt Deus per æqualitatem, & æquiparentiam reſpectu primæ electionis Angelicæ eſt huiuſmodi: ergo Angelus nequivit primo appetere eſſe vt Deum per æqualitatem cum illo. Prob. Min. quia primum peccatum Angeli non præceſsit aliqua talis paſsio ligans vim cognoſcitivam Angeli: ergo.

 Se-

Secundo probat: *Vnicuique ineſt naturale deſiderium ad conſeruandum ſuum eſſe: ergo contra naturale deſiderium cuiuſcumque eſt appetere gradum altioris naturæ: ergo impoſſibile eſt quod Angelus inferior Deo, appetat eſſe æqualem Deo, aut altero Angelo ſibi ſuperiori.* Prob. primam Conſ. ex eo, quod *eſſe in gradu naturæ ſuperioris habet neceſſario annexum non eſſe ſubiecti appetentis; ergo ſi vnicuique ineſt deſiderium naturale ad conſeruandum ſe in eſſe, contra naturale deſiderium cuiuſcumque eſt appetere gradum altioris naturæ.*

Circa primam rationem, vt plenè intelligatur, aduerto, veritatem Maioris propoſitionis, quæ in illa inuenitur, fundari in eo, quod cum obiectum voluntatis ſit bonum cognitum, & boni ratio abſque exiſtere, aut inexiſtere nec eſſe, nec intelligi poſſit, oportet vt volibile duas habeat conditiones, prima eſt ordo ad exiſtere, ſcilicet, quod exiſtat actu, aut potentia, ſecunda eſt apprehenſio eius vera, vel falſa; id eſt, quod ſiue verè, ſiue falſè apprehendatur vt exiſtens, aut inexiſtens, aut vt potens exiſtere, aut inexiſtere; hæc autem apprehenſio non debet eſſe prima operatio intellectus: nam hæc non cognoſcit rem in ordine ad eſſe, vel non eſſe eius, cum nihil affirmet de re, vel neget: debet ergo eſſe complexa, qua affirmetur, vel negetur de re, quod ſit, vel quod non ſit; omne enim appetibile ſub quadam complexione debet proponi, vt ſic voluntatem allicere poſſit: nullus enim rem appetit abſolutè; ſed tantum appetit rem eſſe, vel rem ineſſe ſibi.

Quo prænotato, clarè apparet veritas propoſitionis D. Thom. quod *impoſſibile clarè cognitum vt tale non appetitur ab appetente expedito ab impedimentis paſſionum, quibus ligari ſolet*, ſi enim ad rationem appetibilis requiritur, quod de illo iudicetur quod ſit, vel non ſit, vel ſaltim quod poſſit eſſe, vel ineſſe, & dum impoſſibile cognoſcitur vt tale, cognoſcitur ſic, quod de illo iudicetur quod eſſe non poſſit, euidens eſt, quod ſic cognitum ab appetente rectè diſpoſito appeti non poſſit; cumque Angelum eſſe æqualem Deo impoſſibile per ſe ſit, & Angelus impoſſibile eſſe clarè cognoſcat, fit euidens, quod illud appetere non poſſit. Hoc autem debet intelligi de appetitu terminato ad impoſſibile per ſe, & ratione ſui: nam ſi appetens afficiatur ad aliquid, cui annexum ſit tale impoſſibile, tunc per accidens, hoc eſt, per aliud bene poteſt appeti impoſſibile, vt licet videre in odio habentibus Deum, qui non ſolum volunt Deum non eſſe vt punitorem, verumetiam volunt eum, qui illos punit, non eſſe, quia exiſtimant bene eſſe eorum eſſe coniunctum cum non eſſe Dei, & ſic dum bene eſſe volunt, volunt Deum non eſſe per accidens, & ratione alterius. Debet etiam intelligi hæc doctrina, de appetitu abſoluto, & efficaci, non de purè conditionato, qui dicitur velleitas, & explicatur per iſtum terminum *vellem*, quæ eſt doctrina D.Thom. 1. 2. quæſt. 13. art. 5. & quæſt. 16. de malo, artic. 3. ad 9. vbi habet. *Voluntas, quæ dicitur impoſſibilium non eſt perfecta voluntas tendens in aliquid conſequendum, quia nullus tendit in id, quod iudicat impoſſibile, ſed eſt quædam imperfecta voluntas, quæ dicitur velleitas, qua aliquis vellet id, quod exiſtimat impoſſibile; ſed ſub hac conditione, ſi poſſibile ſit: talis autem non eſt voluntas auerſionis, aut conuerſionis, in qua meritum, aut peccatum conſiſtit.* Quibus docet, poſſe dari aliquam voluntatem reſpectu impoſſibilium, quæ ſit conditionata; aut ſimplex quædam complacentia ſub conditione poſsibilitatis, verum in hac voluntate meritum, aut peccatum eſſe non poteſt: vnde eſto iſta fuerit in Angelo non ſequitur, quod primum peccatum eius in illa conſtiterit.

1062 Sed contra hanc doctrinam obijcies, peccans mortaliter verè habet affectum abſolutum deſtruendi Deum, & auferendi ab illo rationem vltimi finis; & tamen cognoſcit impoſſibile eſſe Deum deſtrui, & ab illo auferri rationem vltimi finis: ergo eſto eſſe Deum per naturam, vel per æquiparantiam in altitudine, & maieſtate ſit cognitum ab Angelo vt ſimpliciter impoſſibile, potuit Angelus affectu abſoluto illud deſiderare ſibi. Prob. Mai. nam in ſola velleitate, vt conſtat ex D.Thom. neque eſt meritũ, neque peccatum; ſed in illa voluntate, qua affectiuè à Deo peccator aufert rationẽ vltimi finis, quã ponit in creaturã, ad quam conuertitur, verè eſt peccatũ mortale: ergo mortaliter peccans affectu abſoluto quoad affectũ aufert à Deo rationẽ vltimi finis. Ad hoc reſp. Araujo, quod peccator nunquã habet affectũ expreſſum deſtruendi Deũ, & auferendi ab eo rationẽ vltimi finis; ſed tantum interpretatiuũ: neque enim expreſsè vult ponere rationẽm

vlti-

vltimi finis in creatura, & ſic non habet affectum expreſſum auferendi à Deo rationem vltimi finis; ſed quia dum contra ordinem divinum ad creaturam convertitur quieſcendo in illa, ac ſi vltimus finis eſſet: ideo interpretatur ponere rationem vltimi finis in illa, & quia duos vltimos fines ſimpliciter tales ſimul habere non poteſt, ideo interpretatur habere affectum deſtruendi Deum, & auferendi ab eo rationem vltimi finis: hoc autem non eſt habere expreſſum affectum ad impoſſibile ſimpliciter, ſed tantum eſt velle expreſſè aliquod poſſibile, quale eſt bonum creatum, in quo ex parte modi tendendi ipſius appetentis involuitur amor terminatus ad aliquod impoſſibile.

Aliter poſſet reſponderi ad hanc objectionem, nempe rationem vltimi finis auferre à Deo dupliciter contingere poſſe. Primo, quod ipſe Deus deſtruatur phyſicè, ſicut deſtrueretur Angelus, ſi Deus illum annihilaret: & iſto modo ſimpliciter ſic eſt impoſſibile, quod affectu abſoluto nullo modo deſiderari poteſt ab eo, qui impoſſibilitatem talem clare cognoſcit: alio modo hoc poteſt intelligi, nẽpe quod verè, & realiter impediatur Deus ab exercitio cauſæ effectivæ, & finalis alicuius actionis, & hoc modo impoſſibile non eſt; nam verè reſpectu actionum peccaminoſarum cauſalitatem neque effectivam, neque finalem Deus exercere poteſt: vnde peccator per peccatum ſuum verè aufert impeditivè rationem cauſæ activæ, & finalis à Deo, quatenus non ſinit eum actionẽ ſuam peccaminoſam efficere, nec finalizare; vnde peccator reſpectu huius verum affectum abſolutum habere poteſt. Vnde ad argumentum in forma, diſt. Mai. verè habet affectum deſtruendi Deum, & auferendi à Deo rationem vltimi finis, impeditivè, modo explicato, conc. Mai. phyſicè deſtruẽdi ipſum eſſe divinũ, nego Mai. & diſt. Min. cognoſcit eſſe impoſſibile ſumpta deſtructione phyſicè, conc. Min. ſumpta impeditivè, nego Min. & Conſeq.

Verùm contra hanc ſolutionem inſtabis, nam videtur ſequi ex illa, quod ille, qui peccat venialiter, etiam auferat à Deo rationem vltimi finis; Conſ. non poteſt dici: ergo. Prob. ſequela, iuxta ſolutionem mortaliter peccans aufert à Deo rationẽ vltimi finis; quia verè facit actionem, quam Deus neque efficere, neque finalizare poteſt; ſed etiam hoc ipſum facit venialiter peccans, ſiquidem peccatum veniale neque à Deo eſt effectivè, neque finaliter: ergo peccans venialiter aufert à Deo rationem vltimi finis. Secundò, quia Deum efficere, & finalizare actionem peccaminoſam penitus eſt impoſſibile: ergo per hoc quod Deus actionem peccaminoſam non finalizet, neque efficiat, nihil à Deo aufertur de ratione vltimi finis, & cauſæ effectivæ. Patet Conſ. quia ad hoc quod aliquid auferatur ab alio, eſt neceſſarium, quod illud fuerit aliquando in eius poteſtate; ſed nunquam fuit in poteſtate Dei finalizare, & efficere actionem peccaminoſam: ergo per hoc quod peccans mortaliter impediat Deum, ne actum peccaminoſum finalizet, non poteſt dici, quod à Deo auferat rationem vltimi finis.

Ad primam, nego Sequelam. Ad Prob. diſt. Mai. quam Deus neque efficere, neque finalizare poteſt; tam exequutivè, quàm appretiativè, conc. Mai. quam Deus neque efficere, neque finalizare poteſt, tantùm exequutivè, nego Mai. & ſimiliter Minorem. Etenim quamvis Deus non ſit cauſa effectiva peccati venialis, neque finalis exequutivè, quia de facto neque efficit peccatum veniale, neque hoc propter Deum, & gratia illius fit; finalizat tamen appretiativè, quia peccans tantum venialiter magis appretiat Dei gratiam, & & charitatem, & non ſeparari à Deo, quã appretiet obiectum peccati venialis, ad quod convertitur: ſic enim leviter ad dictũ obiectum convertitur, quod ſi propter converſionem deberet gratiam perdere, & à Deo ſeparari, verè non converteretur ad illud: in quo diſtinguitur à peccante mortaliter, quod quidem ſciens, & prudens, quod ſi ad obiectum peccati mortalis convertat ſe, gratiam, & amicitiam cum Deo perdet, nihilominus ſe ad illud convertit: vnde interpretatur magis velle ſuũ peccatum mortale, quam Dei gratiam, & coniunctionem cum Deo.

Ad ſecundam, nego Conſ. Ad Prob. nego Mai. nam ad hoc quod ab aliquo aliquid dicatur auferri, ſufficit, quod & ſi illud cauſare in eius poteſtate non ſit; tamen habeat ius quod nihil fiat; quod in eius poteſtate non contineatur; & à Dei poteſtate non procedat; cumque Deus eſto peccatum efficere, & finalizare non poſſit, habeat tamen ſuprẽmum ius ſuper omnem actionem creaturæ, ratione cuius creatura nihil poteſt licitè operari, quod in Dei po-

Digitized by Google

poteſtate non contineatur; & à Dei poteſtate nõ procedat, fit inde, quod dum creatura peccatum mortale efficit, quod Deus finalizare non poteſt, ratione vltimi finis impediat, ne ſe explicet in illud, ad quod ex ſupremo iure ſuper omnẽ actionẽ creaturæ ſe exercere poterat.

1063 Obijcies ſecundo, non eſt inconveniens quod aliquis appetat ſuum non eſſe propter melius eſſe: ergo non eſt incõveniens quod vt Angelus Deus eſſet, ſuum proprium non eſſe appeteret. Prob. Antec. poteſt aliquis per actum proſequutionis ſibi appetere vnionem hypoſtaticam cũ aliqua perſona diuina, quæ tamen cum ſit incompoſsibilis cum propria ſubſiſtentia, & exiſtentia, ſibi haberet annexam proſequutionem ſui non eſſe quoad exiſtentiam, & ſubſiſtentiam: ergo poteſt aliquis propter melius eſſe appetere ſuum proprium non eſſe. Ad hoc dico, quod non eſt inconveniens, quod aliquis appetat ſuum non eſſe quoad propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, vt meliori incomparabiliter ſubſiſtentia, & exiſtentia gaudeat, vt contingeret in vnione hypoſtatica; quia cum in ipſa maneat eadem numero natura, non eſſet appetere ſuum non eſſe ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid: at Angelus, vt Deus eſſet, deberet ſpoliari ſubſiſtentia, exiſtentia, & ipſa natura finita, quam haberet; & ſic illud appetere eſſet appetere ſuum non eſſe ſimpliciter; neque enim poſſet eſſe Angelus, & Deus, cum tamen ſi natura aſſumeretur à Deo in aliqua perſona, maneret Deus, & homo: & ſic conceſſo Antec. iuxta hanc doctrinam, nego Conſeq.

Sed inſtat Vazquez. Ex eo quod Angelus appeteret omnimodam æqualitatem cum Deo in natura, non ſequeretur ipſum appetere non eſſe ſui: ergo. Prob. Antec. poteſt intellectus Angeli conſiderare bonitatem, quæ eſt in æqualitate cum Deo, & non conſiderare non eſſe ipſius Angeli, quod ex ea ſequeretur, prout ſicque illum proponere voluntati vt amandum, & non proponere ei non eſſe ſui vt appetendum: ergo voluntas Angeli poſſet velle æqualitatẽ cum Deo ſine eo quod appeteret ſui non eſſe.

Ad hoc, nego Anteced. Ad Prob. dico, quod dato quod Angelus poſsit conſiderare bonitatem æqualitatis cum Deo ſecundum ſe, & vt in ſe quoddam ſummũ bonum eſt, non conſiderato non eſſe ipſius Angeli; tamen nequit conſiderare illam bonitatem vt relatam ad Angelum per modum convenientis illi, ſine eo quod conſideret ipſum non eſſe Angeli: ad hoc autem vt intellectus proponeret vt appetendam præfatam æqualitatem requiritur, quod proponeret illi eam vt ſibi convenientem, quod fieri non poſſet, niſi videndo quod ex hoc ſequeretur non eſſe Angeli, quia videret coniunctionem illius prædicati cum illo ſubiecto prorſus impoſsibilem: vnde & cognoſceret quod ad poſsidendũ illud prędicatum indiſpenſabiliter requireretur ſpoliari proprio eſſe.

1064 Tandem obijcitur, nam Dæmones iudicant eſſe impoſsibile ſimpliciter Deum non eſſe; & tamen dum Deum efficaciter odiunt, efficaciter volunt Deum non eſſe: igitur impoſsibile clare cognitum vt tale poteſt cadere ſub voluntate efficaci. Ad hoc, diſt. Min. efficaciter volunt Deum non eſſe, per ſe primo, nego Min. per accidens, & ex conſequenti, tranſ. Min. & diſt. Conſeq. poteſt cadere ſub voluntate efficaci, per ſe primo, nego Conſeq. per accidens, & ex conſequenti, tranſ. Conſeq. Itaque Dæmones ex malis, quæ experiantur illis provenire ex Dei cauſalitate, Deum apprehendunt vt malum ipſis; vnde dum primariò amant ſupplicia, & pœnnas evadere, Deum odio habent, primo & per ſe volentes ipſum non eſſe eorũ punitorem; ſed dum vident Dei decreta efficacia de eorum punitione deficere non poſſe, dum Deus exiſtit, vellent ex conſequenti, & per accidens Deũ non eſſe: quod non opponitur noſtræ concluſioni, nam ſi ſuperbia Dæmonis in eo ſtetiſſet quod voluerit eſſe Deum per æqualitatẽ, æqualitatem cum Deo primo & per ſe appetiiſſet, & non ex conſequenti; aliàs ſuperbia non fuiſſet tale peccatũ, & ſic deberet impoſsibile clare cognitum per ſe primò appetere.

§. V.

Vtrùm ſuperbia Dæmonum conſtiterit in appetitu vnionis hypoſtaticæ?

1065 CIRCA Huiuſmodi quæſitum Viguerius, & Iacobus de Valentia cenſent ſuperbiam Dæmonis ſtetiſſe in appetitu vnionis hypoſtaticæ, vel in nolendo ſubijci Chriſto, renuentes illum habere vt Dominum. His ſub-

Digitized by Google

ſubſcribunt Melchior Flavius in libro de Regno Chriſti, cap. 6. & Iacobus Naclantus traditione 4. Theologica. Cæterum ex Scriptura, & Patribus nihil ſuper hoc habetur certum. Solus Bernardus ſerm. 69. in Cantica videtur inſinuare diabolum appetijſſe ſedem, quam prævidit Chriſto paratam; ſic enim habet, *ſedes illi* (loquitur de Chriſto) *à dextris tuis, non ſub pedibus, quo modo audet quis perſuadere locum vnigeniti tui? præcipitetur: ponit ſibi ſedem in excelſo; ſubvertatur cathedra peſtilentiæ.* Et poteſt hic Bernardi cogitatus fulciri ex illo Iſaiæ 14. *Sedebo in monte teſtamenti, aſcendam ſuper altitudinem nubium*; nomine enim *teſtamenti* Chriſtum intelligi ſatis eſt notum: in ipſo ergo teſtamenti monte ſedere ambibit, qui ſedem Chriſti deſideravit ſibi. Et poteſt etiã hoc ipſum roborari ex illo Ezechielis 28. *Eo quod elevatũ eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris, & dediſti cor tuum, quaſi cor Dei.* Quæ verba ſic gloſſari poſſunt abſque vlla violẽtia, *Deus ego ſum*, id eſt, dignus ſum ego eſſe perſonaliter Deũ, ſeu hypoſtaticè, & ſedere in cathedra Dei, ſicut Chriſto convenit ſedere in ſede Dei. Quod poteſt ratione confirmari; nam res eſt conſtans, Angelos habuiſſe fidem Chriſti venturi, vt docet ex Auguſtino D. Th. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 1. ſed nulla apparet repugnantia in eo quod ſuperbia Angelorũ in primo peccato ſuo ſe explicaverit in appetitu inordinato vnionis hypoſtaticæ appetendo illam naturæ Angelicæ, exiſtimando nullam aliam naturam tanto honore fore dignam: ergo poterit dici Angelum primo ſuperbijſſe per inordinatum appetitũ vnionis hypoſtaticæ. Prob. Min. nam maior excellentia poſsibilis naturæ Angelicæ erat vniri Deo in perſona, & natura nobilior, quam Deus poteſt facere, erat natura Angelica: ergo non apparet aliqua ratio, ob quam non potuerit primo ſuperbire appetendo ſibi vnionem hypoſtaticã, ſuadendo ſibi tantum honorẽ, & tantum bonũ in ſola natura Angelica inventurum ſui condignitatem.

1066 His non obſtantibus pars negativa tenẽda eſt. Et Prob. nam primũ peccatũ, primaque ſuperbia Angeli debuit verſari circa finẽ vltimũ ipſius; ſed vnio hypoſtatica non eſt finis vltimus Angeli: ergo nõ ſuperbijt primo appetẽdo vnionẽ hypoſtaticã. Conſ. eſt bona, Min. certa, nam vnio hypoſtatica nec eſt finis vltimus naturalis Angeli, neque ſupernaturalis, ad quẽ elevatus fuerit, cum ſolũ ad clarã Dei viſionem, & ſupernaturalem beatitudinẽ elevatus ſit. Mai. verò Prob. nam Angelus, & quælibet creatura intellectualis in primo inſtanti, in quo plenè ex ſe deliberare poteſt, tenetur deliberare de vltimo fine in particulari ſumpto, & ſe convertere ad illũ quod ſi verum vltimũ finem amplectatur, erit bona, ſi autẽ non complectatur, erit mala: ergo primũ peccatũ, primaque ſuperbiæ obiectum debuit eſſe circa vltimum finem.

Dices, vnionem hypoſtaticam ita eſſe excellentem, vt ad illam omnia creata ordinentur: vnde Chriſtus Dominus eſt finis omniũ operum Dei; cum ergo Angelus de facto appetierit primo beatitudinẽ propriã naturalem, & etiam ſupernaturalem habendam tamen per proprias vires, & ſine auxilio Dei, vt poſtea dicam, videtur, quod potuerit primo appetere excellentiã vnionis hypoſtaticæ. Sed contra eſt, nam finis, circa quem homo, vel Angelus tenetur ſe convertere, eſt finis adipiſcendus, & conſequendus ab ipſo per merita ſua; vnio autẽ hypoſtatica, quamvis ſit finis omniũ operum Dei extrinſecus, & per quem omnia Dei opera exaltantur, non tamen eſt finis adipiſcendus, & conſequendus à creatura intellectuali; habet enim ſe creatura ad vnionẽ hypoſtaticam merè paſsivè, & nullo modo activè: ergo Angelus non potuit primo ſuperbire circa vnionem hypoſtaticam, cum debuerit primo ſuperbire circa aliquem finem, quem ipſe poſſet ſuis meritis adipiſci.

Ad ea, quæ in oppoſitũ adducta ſunt, dico, probare quod Angelus ſuperbierit circa vnionem hypoſtaticã, non vero probare quod primo ſuperbierit circa illã, cum primum obiectũ ſuperbiæ Angelicæ debuerit eſſe aliquis vltimus finis ab ipſo adipiſcendus, & aſſequendus per activitatẽ phyſicã, ſeu moralem ipſius Angeli, quod probavimus circa vnionem hypoſtaticã non potuiſſe evenire.

§. VI.

Vtrùm prima ſuperbia Angeli fuerit circa beatitudinem ſupernaturalem?

1067 CIRCA Hoc quæſitum nihil abſolutè affirmat D. Th. q. 63. artic. 3. ſed tantum ſub conditione. Verba eius ſunt: *Vel ſi appetijt vt vltimum finem illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia; voluit hoc habere per vir-*

virtute in ſua natura, non ex divino auxilio ſecundum Dei diſpoſitionem, & hoc conſonat dictis Anſelmi, qui dicit, quod appetijt illud, ad quod perveniret, ſi ſtetiſſet. Quibus nihil abſolutè affirmat, ſed tantum ſub conditione, quaſi dicat, ſi ſequatur illa ſententia, quæ aſſerit primo ſuperbiſſe circa beatitudinem ſupernaturalem, debet dici quod ſuperbia eius in eo ſit, quod voluerit illā habere propria virtute, & non ex divino auxilio. Poteſt tamen ex his verbis D. Th. colligi, illum probabilem iudicaſſe, quod Angelus primo ſuperbierit circa beatitudinem ſupernaturalem. Abſolutè tamen hanc ſententiam protulit. quæſt. 16. de malo. art. 2. ad 4. ibi: *Dicendum, quod ſecundum Auguſtinum in libro de natura boni, malum non ſolum conſiſtit in privatione ſpeciei, ſed etiam in privatione modi, & ordinis; unde malum in actu voluntatis non ſolum eſt ex obiecto, quod dat ſpeciem actui, per quod aliquis vellit malum; ſed etiam ex ſubſtractione debiti modi, & ordinis ipſius actus, putà ſi aliquis in hoc ipſo quod vult bonum, non ſervat debitum modum, & ordinem, & tale fuit Dæmonis peccatum, quo factus eſt malus; non enim appetijt aliquod malum, ſed quoddam bonum ſibi conveniens, inordinatè tamen, & immoderatè illud appetijt, quia ſcilicet non appetijt illud ut aſſequendum per divinam gratiam, ſed per propriam virtutem, quod excedebat modum ſuæ conditionis.* Sed clarius hoc reperit in in art. 3. ibi: *Fuit ergo primum peccatum diaboli in hoc, quod ad conſequendam ſupernaturalem beatitudinem, quæ in plena Dei viſione conſiſtit; non ſe erexit in Deum tanquam finalem perfectionem ex eius gratia deſiderans cū Angelis Sanctis; ſed eam conſequi voluit per virtutem ſuæ naturæ, non tamen ſine Deo in naturam operante, ſed ſine Deo gratiam conferente.* Quibus verbis expreſsè tenet primū obiectum ſuperbiæ Angeli fuiſſe ſupernaturalem beatitudinem.

1068 Sed contra hanc doctrinam primo videtur facere, quia conſtans res eſt apud omnes, primum obiectum ſuperbiæ Angelicæ eſſe fœlicitatem naturalem ipſius Angeli; ſic enim videtur colligi ex locis ſcripturæ adductis: ergo non fuit primum obiectum ſuperbiæ beatitudo ſupernaturalis habenda per vires naturæ, & non ex auxilio gratiæ. Secundò, nam habere beatitudinem ſupernaturalem per vires naturæ, & non ex auxilio gratiæ, eſt ſimpliciter impoſsibile, & ab Angelo ut impoſsibile debuit eſſe cognitum ante primum peccatum, ſiquidem non potuit præcedere in intellectu eius error, quo de re impoſsibili ſimpliciter iudicaret eſſe poſsibilem: ergo non potuit primo ſuperbire Angelus per hoc quod appeteret beatitudinem ſupernaturalem habendam per vires naturæ, & nō ex auxilio gratiæ. Ad primum reſpondent Salmanticenſes hic, dubio 6. Angelum primo appetiiſſe fœlicitatem naturalem ut ultimum finem ex parte modi tendendi in illam; & deinde appetiiſſe beatitudinem ſupernaturalem in ornatum, & complemē- tum beatitudinis naturalis eorū, hoc enim ipſo quod Angelus in ſua fœlicitate naturali voluit habere ſuum ultimum finē, hoc ipſo ad illam ordinavit beatitudinem ſupernaturalem. Unde in primo peccato duo appetijt Angelus ordine quodam; primò, ſuam beatitudinem naturalem ponens in ea ſuum ultimum finem, & deinde beatitudinem ſupernaturalem in ornatum eius; non autem repugnat, quod in eodem primo peccato duo inter ſe diſtincta Angelus appetierit, dummodo ordine quodā proceſſerit, ſicut in tractatu de incarnatione dicitur, quod Deus in carne venerit in remedium peccati, & etiam ob alios fines ſubordinatos tamen ad remediū peccati, quod fuit finis primariò intentus.

Ad ſecundam difficultatem reſp. quod Angelus non appetijt beatitudinem ſupernaturalem ut per vires naturæ habendam, quaſi totum hoc fuiſſet obiectum appetitus Angeli poſitivè electum, & poſitivè deſideratum; hoc enim, ut difficultas proponit, ex terminis eſt impoſsibile, & cognitum ut tale appeti non potuit primò ab Angelo; ſed appetijſſe beatitudinem ſupernaturalem per vires naturæ habendam argutivè, quia voluit beatitudinem ſupernaturalem habere, & non voluit illam habere ſecundum ordinem miſericordiæ, hoc eſt, ex auxilio gratiæ, ex quibus convincitur in re illam voluiſſe habere per vires naturæ; Unde in expreſſo, & per ſe volito primo ab Angelo non adfuit impoſsibilitas, ſed tantum hæc fuit involuta, & implicata in modo appetendi primum obiectum deſideratum.

Aliter reſpondet Ioannes à Sancto Thom. aſſerit enim Angelum ſuperbiſſe primo circa beatitudinem ſupernaturalem recuſando efficaciter eam eo modo, quo illi erat propoſita, nempe ut habenda ex meritis, & ex gratia. Itaque primo peccavit nolens beatitudinem ſupernaturalem, quia

quia illi eam non habebat ex meritis, & ex gratia erat propoſita, & voluit manere in ſola ſua fœlicitate, quæ illi competebat ex ſua virtute naturali: & quia tota ratio recuſandi beatitudinem ſupernaturalem fuit, quia prævidit quod ex ſola gratia ad illam pervenire poſſet, ideo interpretatur, quod voluiſſet illam, ſi per vires naturæ ad illam poſſet pervenire: ſicut ille, cui ſcientia placet, cæterum dum illam tot laboribus implicatam conſiderat, poſitivè, & efficaciter illā adiſcere recuſat; interpretatur, quod illam voluiſſet habere per infuſionem: ſic ergo beatitudo ſupernaturalis, quæ in Dei viſione conſiſtit ex terminis ſpectata Angelo valdè placebat; ſed tumori, & elationi eius diſplicebat illam habere ex gratia Dei; vnde illam recuſavit, & deſpexit, & vltimam beatitudinem ſuam voluit ſiſtere in viſione propriæ pulchritudinis, ad quam propria virtute perveniebat: vnde interpretatur, quod beatitudinem ſupernaturalem voluiſſet, ſi ex viribus proprijs illam aſſequi potuiſſet.

Per quam doctrinam conciliantur varia loca D. Thom. in quorum alijs affirmat appetijſſe ſupernaturalem beatitudinē conſequi per virtutem ſuę naturę; ſic enim habet in quæſt. 16. de malo art. 2. & 3. iam citatis: in alijs autē habet quod circa beatitudinem ſupernaturalem Angelus non ſe habuit proſequutivè, ſed avertivè, ſic hic quæſt. 63. art. 3. ibi: *in hoc appetijt eſſe ſimilis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtute ſuæ naturæ pervenire poterat avertens ſuum appetitū à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei.* Et tertio Contrag. cap. 100. habet quod *Angelus non appetijt aliquod bonum niſi vnū, quod eſt ſibi proprium, ſed in hoc fuit peccatum, quod prætermiſit ſuperius bonum, in quod debuit ordinari, ſicut enim in nobis peccatum eſt ex hoc, quod bona inferiora, ſcilicet corporis appetimus abſque ordine rationis: ita in Diabolo peccatum fuit in hoc, quod propriū bonum non retulit in divinum bonum.* Conciliatur quidem hæc loca per hanc doctrinam ex Ioanne à Sanct. Thom. adductam. Si enim de appetitu efficaci, quem Angelus de facto habuit fiat loquutio, ſic, Angelus ſolum voluit propriā beatitudinem avertendo ſe à beatitudine ſupernaturali, quia illam ex ſola gratia conſequi poterat; in quo ſenſu verum habent loca modo citata ex hac q. 63. art. 3. & 3. contrag. cap. 100. ſi loquamur de appetitu interpretativo, vel de quadam volitione, quæ non explicatur per verbum de præſenti *volo*, ſed per optativum *vellem*, ſic dici poteſt, voluiſſe beatitudinem ſupernaturalem per vires naturæ, quaſi ſiat hic ſenſus, *vellem, vel voluiſſem beatitudinem ſupernaturalem, ſi per meas vires naturales ad illam venire poſſem;* ſicut ille, qui inſtante tempeſtate, de facto ſolum habet voluntatem efficacem proijciendi merces in mari in defenſionem vitæ, retinet tamen apud cor ſuum quandam nolitionem proijciendi, quæ explicatur per verbum *nollem*, & in hoc ſenſu loquitur D. Thom. in diſputata adducta art. 2. & 3.

Solvuntur etiam difficultates propoſitæ ex hac doctrina. Prima quidem, quia Angelus aptiſsimè potuit ſuperbire poſitivè appetendo propriam fœlicitatem, & ſimul deſpiciendo, & recuſando beatitudinem ſupernaturalem, nollens illam habere ex auxilio gratiæ. Secunda etiam ſolvitur, quia eſto impoſsibile ſit velle poſitivè per vires naturæ habere beatitudinem ſupernaturalem, non tamen eſt impoſsibile recuſare, & deſpicere illam, quia ex gratia proponitur tantum aſſequenda. Hucuſque ex dictis aliorū proceſsimus circa hoc quæſitum, iam placet ex proprio ſenſu aliquid dicere.

1069. Dico ergo, quod in beatitudine ſupernaturali, quæ in Dei viſione conſiſtit, duo inveniuntur: Primum quod ſit viſio clara, Dei que vt in ſe ipſo eſt intuitiva; ſecundum, quod ſit vltima fœlicitas ſimpliciter: ſi primum attendamus, Angelus non voluit beatitudinem ſupernaturalem, neque propria virtute, neque per Dei gratiā habere, ſed illam recuſavit, & deſpexit, quia noluit ex gratia aliquid poſsidere: ſi ſecundum cogitemus, ſic, Angelus vltimā beatitudinem, & ſimpliciter finalem habere voluit per vires ſuæ naturę, quia de facto non aliam beatitudinē habere voluit præter illam, quam per virtutem ſuæ naturæ habuit: vnde illam voluit eſſe ſibi vltimam & finalem perfectionem: vnde in ſuo peccato bonum vltimū formaliter quæſivit; ſed dum illud in beatitudine ſupernaturali habere noluit, voluit illud invenire in illa ſola beatitudine, ad quam per vires naturæ pervenit. Primam partem huius noſtri dicti probant illa loca in quibus Div. Thom. aſſerit Angelum circa beatitudinē ſupernaturalem ſolum ſe habuiſſe averſivè, & non converſivè. Secundam autem

part

partem probant illa verba D. Thom. ex q. 16. de malo art. 3. ibi, *fuit primum peccatum diaboli in hoc; quod ad conſequendam beatitudinem ſupernaturalem, quæ in viſione Dei cõſiſtit, non ſe erexit in Deum tanquam in finalem perfectionem ex eius gratia deſiderans* (notate ſequentia verba) *ſed eam, nempe finalem perfectionem conſequi voluit per virtutem ſuæ naturæ.* Quo in loco noto, quod loquendo de beatitudine ſupernaturali dicit, quod Angelus *non ſe erexit in Deum*, in quo habetur recuſatio beatitudinis ſupernaturalis in ſenſu formali: deinde cum dicit, *tanquam finalem perfectionẽ ex eius gratia deſiderans, ſed eam conſequi voluit per virtutem ſuæ naturæ*, iam ibi non loquitur de beatitudine ſub expreſſo ſupernaturalitatis eius, ſed de finali perfectione abſtrahendo à finali perfectione, quæ invenitur in viſione Dei, & à finali perfectione, quam Angelus male ſibi ſtatuit in fœlicitate naturali, quam per vires naturæ pervenit. Itaque Angelus vltimam fœlicitatem quæſivit, ſed noluit eam invenire in viſione Dei, in qua ſola vere invenitur; ſed ſolũ voluit eam habere in propria fœlicitate naturali, quia ad hanc ſolam proprijs viribus naturæ pervenit. Quæ doctrina mihi videtur clara in litera D. Thom. hic q. 63. art. 3. illis iam adductis verbis *nempe in hoc appetijt eſſe ſimilis Deo, quia appetijt vt finem vltimum id, ad quod virtute ſuæ naturæ poterat pervenire.* In quibus duo habentur ex D. Th. alterum eſt, Angelum primo appetijſſe vt finem vltimum aliquid, deinde, quod illud aliquid erat id, ad quod per virtutem ſuæ naturæ poterat pervenire; hoc autem ſolum poterat eſſe beatitudo naturalis, quę eſt noſtra doctrina. Iuxta quã ad quæſitum reſpondeo, Angelum primo ſuperbijſſe circa beatitudinem ſupernaturalem recuſando illam, non proſequendo, neque deſiderando, ſuperbijſſe autem deſiderando habere ſuam finalem, & vltimam beatitudinem in ſola ſibi fœlicitate naturali.

1070 Sed obijcies, primum peccatum Angeli fuit ſuperbia, vt ſupra vidimus; ſed quieſcere in ſua beatitudine naturali non erigendo animum ad beatitudinem ſupernaturalem non eſt actus ſuperbiæ: igitur in eo primum Angeli peccatũ non fuit. Prob. Min. nam quieſcere in minori recuſando tendere ad magna eſt actus puſillanimitatis, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 133. art. 1. actus autem puſillanimitatis longe diſtat à ſuperbia: igitur talis volitio beatitudinis naturalis quieſcendo in ea tanquam in vltimo fine non fuit primum peccatum Angeli. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. diſt. Maj. quieſcere in minori recuſando tendere ad magna eſt actus puſillanimitatis, ſi talis quies proveniat ex deſpectu magnorũ, nego Maj. ſi proveniat ex eo quod celſitudo magnorum terret, & præ terrore impedit erectionem animi ad magna, Conc. Maj. & conceſſa Min. nego Conſ. Itaque quies in minori contingit dupliciter; primo quia maiora celſitudine ſua animum terrent, ſic, quod non audeat in illa erigi, & ſic eſt puſillanimitas, ſecundo contingit quies in minori ex deſpectu maiorũ, vel quia minora tanti æſtimantur, imo in pluſquam maiora, vel quia quis non vult dependere ab aliquo ſupremo in adquiſitione maiorum, & iſto modo non eſt puſillanimitas, ſed poteſt eſſe ſuperbia: hoc ergo ſecundo modo contigit Angelo, qui adæquatè voluit quieſcere in ſua beatitudine naturali, dum noluit ſupernaturalem, ne cogeretur ſubdi Deo auctore gratiæ dependendo in ſui beatitudine ab eius gratia, & auxilio; vnde talis quies ſuperbia fuit.

§. VII.

Vtrum prima Angeli ſuperbia fuerit circa ſuam beatitudinem naturalem?

1071 CONCLVSIO eſt affirmativa. Deſideravit enim Angelus ſuperbè ſuã naturalem beatitudinem, & in hoc eius primum peccatum fuit. Sic tenet S. Thomas hic q. 63. artic. & patet ex huculque dictis; nam fuit ſuperbia, non per hoc quod appetierit eſſe Deum per æquiparantiam; non per hoc quod primo appetierit eſſe Deum per vnionem hypoſtaticã; non per expreſſam voluntatem habendi ſupernaturalem beatitudinẽ per vires naturæ: ergo per hoc quod beatitudinem propriam ſuperbè appetijt, dum ſine ſubordinatione ad Deum auctorem gratiæ vltimam fœlicitatem in ſua naturali beatitudine quæſivit.

1072 Sed contra concluſionem obijcies. Nam vt vidimus in ſuperioribus, Angelus non potuit incipere peccatum ſuum ab aliquo ordinis naturæ; ſed beatitudo naturalis Angeli fuit ordinis naturæ: igitur primum peccatum ſuperbiæ circa eam eſſe non potuit. Dices, Angelum non peccaſſe ex ſolo appetitu ſuæ beatitudinis naturalis;

lis; ſed quia illam noluit ſine ſubordinatione ad gratiam: cum enim eſſet elevatus ad beatitudinem ſupernaturalē, noluit ſe erigere in illam: vnde manſit in appetitu beatitudinis naturalis, quam voluit eſſe ſibi vltimam. Sed contra eſt, nam ſi Angelus beatitudinem ſuam naturalem vt vltimum finē ſimpliciter appetijt, hoc ideo fuit, quia eius intellectus eam vltimam ſimpliciter eſſe iudicavit; hoc autem iudicium, cum erroneum ſit, Angelo ante primum peccatum convenire non potuit, cum ſolum in pœnam peccati errare permittatur: ergo non peccavit primo appetendo ſuam beatitudinem naturalem vt vltimam ſimpliciter. Secundo, nam Angelus perfectè cognoſcens beatitudinem ſuam naturalem, & ſupernaturalem, rectè iudicabat perfectiorem eſſe ſupernaturalem, quam naturalem: ergo cum ſuperbus magis afficiatur ad maiora, & excellentiora, quàm ad minus excellentia, non potuit cum tali iudicio ſuam ſuperbiam explicare per appetitum beatitudinis naturalis: hoc enim potius eſſet deijcere conditionem ſuam, quàm ſuper propriam conditionem elevari.

Præterea, difficile eſt intelligere, ex quo motivo amato motus ſit Angelus ad appetendum ſuam vltimam perfectionem in ſola ſua beatitudine naturali: nam hoc motivum ſupernaturale eſſe nō potuit, quia iam primum obiectum appetitum ab Angelo in primo peccato eſſet ſupernaturale; naturale etiam eſſe nequivit, quia vt ſupra vidimus, ex motivo naturali peccatum in Angelo incipere non potuit: alias non eſſet impeccabilis directè contra finem naturalem. Si dicatur, quod motivum eius fuit nolle habere beatitudinem per gratiam, ſequitur, quod primum peccatum Angeli nō inceperit à proſequutione alicuius boni, ſed à fuga alicuius, quod ſibi proponebatur vt malum, nēpe beatitudo ſupernaturalis habenda per gratiam; hoc autem impoſſibile fuit, nam beatitudo habenda per gratiam maximum bonum erat Angelo: ergo non potuit primo nolle illam ſic fugere, & recuſare, niſi illi propoſita fuerit vt nociva, & diſconveniens alicui bono prius ab Angelo amato: ergo motivum primi peccati fuiſſet illud bonum primo amatū, ex cuius amore beatitudinem vt habendam per gratiam recuſavit.

Pro ſolutione horum adverto, quod prima Angeli ſuperbia explicata fuit per illas voces, *ſimilis ero altiſſimo*; in quo autē conſtiterit hæc ſimilitudo, dixi ſupra non ſtetiſſe in ſimilitudine per æqualitatem, & æquiparantiam cum Deo: non ſimiliter in hoc, quod eſt eſſe Deum per vnionem hypoſtaticam; non in hoc, quod eſt eſſe Deū per participationem, quam facit gratia: ſed in eo, quod ſicut Deus beatus erat beatitudine finali per vires naturæ, & omni gratia ſecluſa, ſic Angelus beatus eſſet finali beatitudine per id, quod illi competeret per vires naturæ: vnde vltimam ſuam beatitudinem in ſola beatitudine naturali habere voluit, quia hanc ſolā viribus naturæ poſſidebat. Verùm hoc quod eſt velle ſuam vltimam beatitudinem in fœlicitate tantum naturali, poſitivè appetere nō potuit, quaſi totum illud eſſet obiectum electum ab Angelo; quia Angelus non peccavit eligendo aliquod malum, & illud malum erat; ſed dum beatitudinem naturalem ſibi per ſolas vires naturæ competere agnovit, illam ſolam amavit, & illa ſolâ contentus ad beatitudinem ſupernaturalem ex gratiâ poſſidendam animum non erexit: vnde in exercitio, licet non ſignatè in ſola naturali fœlicitate per appetitum quievit, in qua quiete nullus error ſpeculativus interfuit, ſed tantum practicus non conſiderationis affectatæ, & cralæ eorum, quæ conſiderare debebat: incepit ergo peccatum ſuum ab aliquo ſupernaturali, nempe ab hoc, quod eſt velle eſſe æqualem Deo in eo, quod erat proprium Dei: propria enim Dei ſupernaturalia ſunt, & in hoc motivo propriam beatitudinem ſic amavit, quod illam non ordinaverit ad ſupernaturalem, in quo inordinatè proceſſit.

Vnde ad primam difficultatem diſt. primam Conſ. ergo ab illa nequivit incipere peccatum ſuum, ab illa depurata ab omni ſupernaturalitate, Conc. Conſ. ab illa involvente iam ſupernaturalitatem, nempe imitationem in his, quæ Deo erant propria, nego Conſ. & aliam, quæ ibi inferebatur. Ad replicam dico, quod Angelus in actu ſignato non elegit propriā beatitudinem vt vltimum finem ſimpliciter vltimum, ſed tantum in exercitio, dum illam voluit ſic, quod nō ſe erexit ad aliā: vnde non fuit neceſſe, quod præcederet ex parte intellectus error aliquis ſpeculativus, ſed ſola non conſideratio, vt iam dixi. Ad ſecundam dico, quod ſuperbus non ſemper afficitur circa id, quod magis excellens eſt, ſi in illius aſſequutione ſingularitatē, quā ardenter amat, non inveniat: in beatitudine

ne autem ſupernaturali per gratiam habenda ſingularitatem non inveniebat, quia illam viderat eſſe communem Angelis, & hominibus; & quia per gratiam tantū poſſideri poterat, in quo ſingularitatem, quam affectabat æqualitatis cum Deo in hoc quod eſt eſſe beatū per ſolas vires naturæ, ſicut & Deus beatus eſt, non inveniebat; & ſic magis affectus eſt ad propriam beatitudinē, in qua ſingularitatem ſuam invenire poterat, quā da beatitudinem per gratiā poſsidendam. Ad ultimum jam manet explicatum in quo motivo amato in propria beatitudine naturali quieverit.

§. VIII.

Per quot inſtantia duraverit via bonorum Angelorum?

1073 CONSTAT ex præcedentibus omnes Angelos in primo inſtanti creationis fuiſſe bonos: nam conſtat ſecundū opinionem ſanctorum omnes fuiſſe creatos in gratia, & non ſolùm ſe diſpoſuiſſe ad illam per act^9 ſupernaturales fidei ſpei, & charitatis, ſed etiā eliciuiſſe meritorios actus, quibus meruerunt augmentum gratiæ, & gloriæ. Difficultas ergo præſens in eo ſiſtit. Utrùm Angeli boni ſtatim poſt primum inſtans conſequuti ſint gloriam, ſic, quod ſolum diſtinguamus in illis duo inſtantia, unum viæ, in quo plenè meruerunt gloriam per actum nō ſolum liberum, ſed etiā deliberatum, & alterum termini, in quo præmium acceperunt? Vel verū ante collationem gloriæ duo inſtātia præceſſerint; in quorum primo habuerunt meritum liberum æqualiter cum omnibus, & in ſecūdo habuerint meritum deliberatum, per quod diſcreti ſint à malis Angelis, & deinde ſequuta ſit collatio gloriæ in tertio inſtanti? Si ponatur primum, tunc dicendum erit, viam bonorum Angelorum duraſſe per unum tantum inſtans; ſi ponatur ſecundum, debet dici duraſſe per duo inſtantia.

In quo quæſito hoc debet eſſe certum, quod ſi nomine inſtantis intelligatur inſtans temporis noſtri, via bonorum Angelorum pluſquam per unum inſtans temporis noſtri duraverit. Ratio eſt evidēs; nā ante collationē gloriæ debet aſsignari inſtans creationis, in quo nullus Angelus potuit peccare, & inſuper tempus, in quo omnes potuerunt peccare, & de facto alii qui peccarunt, & alii continuaverunt meritum, quod inceperunt in primo creationis inſtanti: & ſic dici nequit, viam bonorum Angelorum duraſſe per ſolum inſtans temporis noſtri. Difficultas ergo procedit accipiendo nomine *inſtantis* operationem Angelicam, penes quam inſtans Angelicū declaratur à Theologis, & ſimiliter tempus, quod dicunt conſiſtere in ſucceſsione operationum intellectus, & voluntatis, ut hic habet D. Tho. q. 63. art. 6. ad 4. Et eſt idem, ac inquirere, utrū ſi via bonorum Angelorum unica tantum operatione fuerit conſummata, an pluribus? In hoc ergo puncto elucidando triplex verſatur ſententia inter Thomiſtas. Prima tenet, primum inſtans Angelorum fuiſſe ſimpliciter viam; ſic, quod non fuerit terminus; ſecundum autem inſtans fuiſſe viam, & ſimul terminum, quia cum boni Angeli ex propro dictamine meritum continuarunt, gloriam pariter acceperunt. Ita tenent Caietanus, & Nazarius hic q. 63. art. 6. Secunda ſententia tenet, viam bonorum Angelorum triplici inſtanti fuiſſe completam, ſeu tria fluxiſſe inſtantia à creatione Angelorum uſq; ad eorum glorificationem incluſivè. Ita Capreolus, Salmanticenſes, & Gonet hic diſp. 10. Tertia ſententia ponit duo tantum inſtantia pro bonis Angelis, dicendo, quod Angeli boni perſeverantes in actu dilectionis, quem eliciuerunt in primo inſtāti creationis, unicum tantum inſtans fecerunt, poſt quod ſtatim glorificati ſunt, & ſic via illorum tantum duravit per unum inſtans. Ita tenent Bañez, Ioannes à Sancto Thoma, Serra, & alii plures. Pro cuius defenſione ſit concluſio.

1074 Via bonorum Angelorum ſolū duravit per inſtans. Prob. auctoritate Div. Thom. hic quæſt. 63. artic. 6. in corpore ibi; *cum enim Angeli per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniant, ſi diabolus in primo inſtanti in gratia creationis meruiſſet, ſtatim poſt primum inſtans beatitudinem accepiſſet, niſi ſtatim impedimentum appoſuiſſet.* Quibus clarè docet, quod Angeli per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniunt; cumque unus actus meritorius ſit tantum unum inſtans Angelicum, ſequitur evidenter ſentire D. Thom. viam bonorum Angelorum tantum duraſſe per unum inſtans Angelicum. Verùm pondero illa verba, ubi loquens de diabolo inquit; *ſtatim poſt primum inſtans beatitudinem accepiſſet, niſi impedimentum appoſuiſſet*; ſed Angeli boni

Digitized by Google

ni nullum appoſuere impedimentum: ergo poſt primum inſtans acceperunt beatitudinem.

Huic teſtimonio D. Thom. reſp. Gonet D. Thom. ſolum velle, quod Angelus poſt primum actum charitatis omnino liberum, hoc eſt, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem beatus fuit; & quod ſtatim poſt primum inſtans menſurans actum omnino liberum, beatitudinē accepiſſet. Sed ſolutio nihil valet: nam D. Thom. non dicit, quod ſtatim *poſt unum actum meritorium beatitudinem accepiſſet*; ſed dicit, quod *poſt primum inſtans beatitudinem accepiſſet*, non autem ſunt duo prima inſtantia, ſed unum: nam inſtans, quod ſuccedit, non eſt primū, ſed ſecundū, cum ſupponat aliud inſtans: ergo gloſſa illa Gonet ſiniſtra eſt. Explico hoc, ſi D. Thom. diceret diabolum poſt primum meritum ſtatim accepturum beatitudinem, ſi non appoſuiſſet obſtaculum, poſſet Gonet gloſſare de primo merito deliberato, quia ratio primi dividitur in primum meritum liberū, & primum deliberatum: inſtans autem primum non dividitur in primū inſtans, quod eſt menſura liberi meriti, & primum inſtans, quod eſt menſura meriti deliberati; cum ipſemet Gonet vocet hoc ſecundū inſtans: cum ergo D. Thom. dicat quod *poſt primum inſtans ſtatim accepiſſet beatitudinē*, conſtat quod gloſſa à Gonet adducta, ſit ſiniſtra intelligentia D. Thom. Amplius urgeo, præſens controverſia eſt de hoc, an inſtans menſurans meritum deliberatum Angeli boni ſit primum, an ſit ſecundum? Gonet dicit eſſe ſecundum, D. Thom. dicit eſſe primum: ergo ſe opponit Div. Thom.

1075. Ut probem concluſionem ratione, ſuppono, controverſiam reduci ad hoc. An Angeli boni dum deliberatè plenè beatitudinem meruerunt, novum actū meritorium diſtinctum à primo elicuerint, an eundemmet actum continuaverint? Si hoc ſecundum ſit verum, vera erit noſtra ſententia: ſi primum; vera erit ſententia adverſariorum. Hoc ſuppoſito ſic argumētor. In Angelis ob ſui maximam perfectionem non debemus multiplicare actus intellectus, & voluntatis abſque urgenti neceſsitate, niſi quando ipſi actus ex natura ſua plurificari petunt; ſed ſic eſt, quod nulla urget neceſsitas ad aſſerendum Angelū ceſſaſſe à primo actu libero, & eliciuiſſe novum actum amoris Dei deliberatū: ergo aſſeverandum eſt, Angelum in tota viæ duratione non habuiſſe niſi unum actum amoris Dei ſupernaturalis auctoris, & per Conſ. quod eius via non duraverit niſi per unum inſtans Angelicum. Prob. Min. nam ſi ex aliquo capite urgeret neceſsitas, ea eſſet, quia nequiret idem numero actus primo eſſe liber, & deinde deliberatus, primo liber tantum quoad exercitium, & contradictionis, & deinde libertate contrarietatis; ſed ex his capitibus non urget neceſſitas ad multiplicandum dictos actus: ergo. Prob. Min. tunc enim idem actus nequit de libero tranſire in deliberatum, quando fuit liber ex defectu cognitionis alicuius obiecti, vel circumſtantiæ, purâ, quia quādo talis actus incepit, agens non habebat plenam notitiam agibilium; ſed Angelus cum primo libere Deum auctorem ſupernaturalem amavit, pleniſsimè agnoſcebat agibilia omnia, ſicut poſtea cognovit: igitur in Angelo primus actus potuit primo eſſe liber, & deinde deliberatus.

Prob. ſecundo eadem Min. quia actus Angeli, cum primo cœpit, deliberatus non fuit, quia non præſuppoſuit Angelum operantem in actu, virtute cuius ſe poſſet movere vel ad alium actum, vel ad continuationem eiuſdem actus, cum quo incœpit eſſe; ſed poſtquam Angelus libere amavit Deum, iam erat in actu per ipſum actum liberum amoris Dei: igitur poterat ſe movere vel ad eliciendum alium actum à primo diſtinctum, vel ad continuationem primi actus: ergo idem numero actus potuit in Angelo primo eſſe liber, & deinde deliberatus.

Dices huic rationi, quod ad hoc ut actus tranſeat de libero in deliberatum, nō ſufficit, quod volens poſsit ſe movere virtute præcedentis actus, ſed requiritur quod de facto ſe moveat de uno actu ad alterum; hoc autem non poteſt fieri, ſi ſemper perſeveret in eodem numero actu, nam requiruntur duo actus, quorum alter ſit cauſa effectiva alterius: cumque via Angelorum claudat & actum liberum, & actum deliberatum, non potuit uno inſtanti Angelico finiri. Sed contra eſt, nam cum Angelus eſt in actu per primum actum, poteſt ſe movere motu deliberato, vel ad habendū alium actum diſtinctum à primo, vel ad cōtinuationem primi actus; ſed ut ſe moveat ad continuationem primi actus non requiritur eliciencia novi actus, ſed ſufficit perſiſtentia in primo actu: igitur poterit in Angelo unus, & idem actus primo

eſſe

Digitized by Google

eſſe liber, & deinde deliberatus.

Dices, poſſe Angelum deliberate ſe movere ad continuationem primi actus, ſed ad hoc requiri neceſſariò, quod virtute primi actus eliciat alium actum de novo, quo velit continuationẽ primi actus, quẽ antea non volebat; unde ſemper aderit variatio. Explico hoc, eſto ad continuandum voluntariè, & liberè eundem actum amoris, Angelus non requirat novum actum, ſed ſufficiat perſiſtere in eodem amore; tamen ut ad dictam continuationem deliberatè ſe moveat, requiritur, quod ex vi primi actûs oriatur voluntas, quæ habeat pro obiecto continuationem primi actus: nam illud ſe movere debet eſſe ſecundum rationem cauſæ, & effectus: implicat autẽ quod idem actus rationem cauſæ effectivæ habeat reſpectu ſui ipſius, & ſic erit neceſſe multiplicare actus voluntatis.

Sed contra hoc eſt, nam eſto ad motum formalem voluntatis propriè dictum ita ſit, quod duo actus requirantur, ſiquidem, ut ſupra diximus, motus propriè dictus adhuc in Angelis in uno ſolo inſtanti non ſit, ſed requiritur ſucceſsionem inſtantium, hoc eſt, intellectionum, & affectionum voluntatis; tamen ad motũ virtualem, & interpretativum hoc non requiritur, ſed ſufficit, quod voluntas poſsit novum actum elicere, & de facto non eliciat, ſed in primo perſeveret: ergo eſto Angelus non elicuerit novum actum, quo voluerit continuere primum, ſed tantum perſeveraverit in primo, cum poſſet ad novam actionem ex deliberatione procedere, dicetur, quod interpretativè, & virtualiter ſe movit ad continuandum actum primum amoris, & ſic idem numero actus tranſivit de libero in deliberatum. Secundo impugno ſolutionem datam, nam eſto admittamus (quod probabilius iudico) quod Angelus ad continuandum ſuum primum actũ amoris motus ſit formaliter à ſe ipſo per elicientiam novi actus voluntatis, quo deliberatè voluit continuare primum actum, tamen ex hoc non ſequitur, quod inſtantia Angelica, quæ in operationibus Angelorũ conſiſtunt, fuerint multiplicata: ergo ſolutio nulla eſt. Prob. Ant. illa ſola operatio inſtantia Angelica multiplicat, quæ incõpoſsibilis eſt cum prima operatione Angeli; ſed actus de continuando primum actũ amoris non eſt incompoſsibilis cum primo amoris actu, ſi quidem ad illius continuationem per ſe ordinatur: ergo eſto ponatur diſtinctus ab actu primo amoris, non tamen faciet diſtinctum inſtans.

§. IX.

Solvuntur argumenta.

1076 PRIMO Arguitur ex D. Thoma hic. q. 63. art. 6. ad 4. ibi, *ſic igitur inſtans primum in Angelis intelligitur reſpondere operationi mentis Angelicæ, qua ſe in ſe ipſam convertit per veſpertinam cognitionẽ, & hac quidem operatio in omnibus bona fuit, ſed hac operatione quidam per matutinã cognitionem ad laudem Verbi ſunt converſi, quidã vero in ſeipſis remanentes facti ſunt nox per ſuperbiam intumeſcentes, & ſic prima operatio fuit omnibus communis; ſed in ſecundo ſunt diſtincti, & ideo in primo inſtanti omnes fuerunt boni, ſed in ſecundo fuerunt boni à malis diſtincti.* In quibus verbis duo pondero, quæ videntur facere contra noſtram concluſionem. Primum, quod D. Thom. in primo inſtanti ſolum ponit in Angelis operationem naturalem, qua in ſe ipſos converſi ſunt per cognitionem, & amorem propriæ ſubſtantiæ, & in ſecundo ponit operationem, qua converſi ſunt ad laudem Verbi divini per cognitionem matutinã eius, & ſic videtur dicere, quod via Angelorum duraverit per duo inſtantia, quorum alterum fuit cognitio, & amor propriæ ſubſtantiæ, & alterum fuit cognitio, & amor ſupernaturalis Dei, quod eſt contra noſtrã concluſionem. Secundo pondero quod dicit, quod prima operatio fuit omnibus cõmunis, ſed in ſecunda ſunt diſtincti: ergo in omnibus Angelis fuit prima, & ſecunda operatio, in quarum prima adæquate convenerunt, & in ſecunda diſcriminati ſunt: ergo via bonorum Angelorum duravit per duo inſtantia, nempe per duas operationes Angelicas. Confirm. nam nos probavimus Angelum bonum non diviſiſſe, dum fuit in via, actum amoris, quia etiam dum deliberatè amavit, eandem Dei cognitionem habuit pro regula; ſed D. Thom [illegible] prima operatio in Angelis bon[illegible] fuit cognitione veſpertina, [illegible] cognitione matutina: ergo veri [illegible] diviſit operationes bonas, & [illegible] tia Angelica diviſa ſunt.

Ad hoc argumentum [illegible] imam ponderationem, nego quod D. T[illegible] dicat, quod primum inſtans Angelicũ ſolum

ſolum

Iam conſtet ex cognitione, & amore naturali ſui ipſius: eſto enim primum inſtans explicaverit per converſionem amoroſam propriæ ſubſtantiæ, quia prima operatio Angelica fuit amor propriæ ſubſtantiæ; nō tamen voluit illud primum inſtans ex ſola cognitione, & amore propriæ ſubſtantiæ conſtare, cum conſtans res ſit, quod ſecundum D. Thom. Angeli creati ſint in gratia, & quod per actus ſupernaturales fidei, ſpei, & amoris ſe diſpoſuerint ad illam in primo inſtanti: Vel dicatur illis verbis nō explicaſſe D. Thom. amorem, & cognitionem naturalem propriæ ſubſtantiæ, ſed ſupernaturalem, per quem pluſquā ſe ipſos, & ſuper omnia Deum dilexerunt amore ſupernaturali regulato per fidem, quā cognitionem appellat D. Thom. veſpertinam. Vnde D. Thom. duo inſtantia pro Angelis bonis ſtatuit; vnum, quo meruerunt per fidem liberè, & deliberatè beatitudinem, & in hoc tantum ſtetit eorum via; aliud, quo fuit converſio ad laudem Dei per cognitionem beatificā, in quo aſſequuti ſunt præmium beatitudinis: vnde nihil ex adductis verbis concluditur contra noſtram concluſionem.

Ad ſecundam dico, in prima operatione, quæ eſt primum inſtans viæ bonorum Angelorum, eſſe duas formalitates; alteram amoris liberi, & alteram amoris deliberati: fuit ergo convenientia vnivoca cum omnibus Angelis tam bonis, quàm malis in illa prima operatione ſecundum primam formalitatē amoris liberi, & fuit diſcrimen in ſecunda formalitate, ſiquidē quando Angeli mali debebant deliberare continuare primum amorem, de propria ſuperbia deliberarunt: & hoc eſt quod Div. Thom. vocat ſecundum inſtans, ſecundum (inquam) reſpectu malorum, quia ab amore Dei receſſerunt per peccatum, primum vero reſpectu bonorum, ſed ſub formalitate amoris deliberati: vnde non ſequitur quod via bonorum Angelorum duraverit per duo inſtantia, ſicut & via malorum. Ad confirm. diſt. Conſ. diſtinxit operationes, & inſtantia Angelica, quæ ſpectabant ad viam tantùm, nego Conſ. inſtantia, quorum primum ſpectaret ad viam, & alterū ad gloriam, Conc. Conſeq. Itaque operationi regulatæ cognitione veſpertina ſucceſsit operatio regulata cognitione matutina; cæterum in prima finita eſt via bonorum Angelorum, & in ſecunda incepit beatitudo eorum.

1077 Alia auctoritas adducitur contra concluſionem ex quodlib. 9. art. 8. vbi D. Thom. ſentit quod Angeli in eodem inſtanti, quo meruerant beatitudinem eam etiam ſint aſſequuti, & ſic non videtur aſſignare diſtincta inſtantia Angelica; alterū pro via Angelorum, & alterum pro adeptione beatitudinis eorū. Verba D. Thom. ſunt hæc: *Tertij vero dicunt, quod in primo inſtanti beatitudinem meruerūt ex hoc ipſo quod ad Verbum converſi ſunt, & hæc opinio inter has tres probabilior eſt.* Cuius rationē ibi ad longum aſsignat, & concludit ſic, *ſimiliter dico, quod in primo inſtanti, quo mens Angelica converſa eſt ad Verbi fruitionem, & beata quidē erat ratione fruitionis quaſi in facto eſſe exiſtens, & beatitudinē merebatur in hoc quod convertebatur ad verbum non præ exiſtente beatitudinis perfectione, ſed quaſi exiſtens in ipſo fieri beatitudinis; ſed poſtmodum mens Angelica eſt tantum beata, & non beatitudinem merens; ſimiliter eſt de contritione, quia in eodem inſtanti eſt terminus præparationis ad gratiam, & gratiæ infuſio.* Quibus D. Th. expreſſe vult, quod meritum Angelorum reſpectu beatitudinis fuit in eodem inſtanti, in quo adepti ſunt beatitudinem ſecundum diſtincta ſigna eiuſdem inſtantis.

Dominus Caietanus hac auctoritate convictus diſtinxit in Angelis duplex genus meriti beatitudinis: alterū puræ viæ, quod procedit à gratia imperfecta viæ, & de hoc dixit, quod non poterat eſſe in eodem inſtanti, in quo Angeli adepti ſunt beatitudinem, alterum eſt meritum termini, hoc eſt, meritum prout iam pervenit ad terminum; & hoc dixit eſſe in eodem inſtanti, in quo Angeli beatitudinē adepti ſunt. Quando ergo D. Thom. in adducto quodlibeto aſſerit quod meritum Angelorum fuit in eodem inſtanti, in quo fuit beatitudo; loquutus eſt de merito beatitudinis prout in termino, non vero de ipſo merito prout purè ſpectabat ad viā, & procedebat à gratia, & fide, & ſic (inquit ipſe) ſemper ſalvatur quod beatitudo, & meritum Angelorum diſtinctis inſtantibus menſurentur.

Verū hæc Caietani doctrina ſuſtineri non poteſt. In primis quia expreſſe contradicit D. Thom. hic quæſt. 62. artic. 4. ibi: *actus non poteſt eſſe meritorius ſecundum quod eſt ex libero arbitrio niſi in quantum eſt gratia informatus, non autem ſimul informari poteſt gratia imperfecta, quæ eſt principium merendi, & gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi: vnde non videtur poſsibile quod ſimul fruatur,*

&

& ſuam fruitionem mereatur. Et in artic. ſequenti ad 2. *inſtantia* (inquit) *in his, quæ ad Angelos pertinent non accipiuntur niſi ſecundum ſucceſsionem eorum in actibus ſuis; non autem potuit ſimul in eis eſſe actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui eſt fruitio; cū vnus ſit gratiæ imperfectæ, & alius gratiæ conſummatæ: vnde relinquitur quod oportet diverſa inſtantia accipi, in quorum vno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.* Quibus D. Thom. negat eſſe poſsibile ſimul cum beatitudine exiſtere meritum beatitudinis. Nec valet dicere, D. Thom. loqui de merito puræ viæ, nō vero de merito prout in termino. Non (inquam) valet; nam vt patet ex contextu, D. Thom. nullum cognoſcit meritum, quod non proveniat à gratia imperfecta, neque fruitionem cognoſcit, quæ non proveniat à gratia conſummata: cum ergo ſecundum illū gratia vt imperfecta, & vt conſummata ſimul eſſe nequeat, ſed neceſſarium ſit primam evacuari quoad imperfectionem adveniente conſūmatione eius, fit inde, quod ſecundum D. Thom. in ipſo inſtanti, quo beatitudo adquiritur non poſsit adeſſe meritum, neque puræ viæ, neque prout in termino.

Sed ratione impugnatur Caietanus. Nam meritum beatitudinis eſſentialis neceſſarium eſt quòd procedat à fide, & beatitudo neceſſe eſt quòd procedat à lumine gloriæ; ſed non eſt poſsibile actum fidei, & actum viſionis in eodem inſtanti eſſe: Igitur non erit poſsibile meritum, & beatitudinem eſſe in eodē inſtanti. Poterat reſpondere Caietanus, meritū puræ viæ procedere, & regulari à fide, meritū autē prout in termino poſſe procedere, & regulari viſionē beata, vel ſaltim actu ſcientiæ infuſæ. Sed ſi hoc dicatur inſurgo ſic, meritum adhuc prout in termino, ſi habeat eſſentiam meriti beatitudinis, nequit procedere vel à viſione Dei, vel à ſcientia infuſa: ergo. Prob. Ant. quoad primam partem, nā viſio beata eſt præmium: ergo nequit eſſe principiū meriti ſui, alias principium meriti caderet ſub merito. Quoad ſecundam ſic, nam vel illa ſcientia infuſa ſupponeret claram viſionem myſteriorum fidei, vel obſcuram; ſi obſcuram, eſſet ſimul cum fide, ad quam ſolam attinet attingēre obſcura myſteriorum fidei, & ſic non poſſet ſimul eſſe cū beatitudine, quæ eſt clara viſio myſteriorum gratiæ; vel eſſet clara notitia dictorū myſteriorum, & ſic iam ſupponeret viſionem beatam, ex quâ tanquam ex radice oriretur: vnde non poſſet eſſe principium meriti claræ viſionis, alias iā daretur quod principium meriti ſaltim radicale caderet ſub merito.

Vnde relicta hac doctrina Caietani, ad auctoritatem D. Thom. ex quodlibeto adductam dico, ibi non loqui ex propria ſententia, ſed in ſententia eorum, qui dicebant Angelos fuiſſe creatos in puris naturalibus, & poſt modum converſos aliquos ex ipſis ad Verbum ſimul accepiſſe gratiam, & beatitudinem: circa cuius doctrinæ poſſibilitatem refert ibi tres modos dicendi, & aſſerit ex illis tertium eſſe probabiliorem, quaſi dicat, quod ex illis auctoribus, qui ſequuntur relatam ſententiam, probabilius procedunt illi, qui aſſerunt quod in primo inſtanti beatitudinem meruerunt, ex hoc ipſo quod ad Verbum converſi ſunt. Quod autem ex propria ſententia hæc non diceret D. Thom. manifeſte patet ex antecedentibus. Nam in corpore articuli dixerat, *alij vero dicunt, quod fuerunt conditi in gratia omnes, & in ea quidam perſeverantes beatitudinem meruerunt; alij vero contra eam agentes facti ſunt miſeri*, & ſubdit, *hac opinio nihil difficultatis habet: vnde præ cæteris mihi magis placet.* Sic D. Thom. In quibus ſuam, quam tenet ſententiam, declarat, quę ad verbum refert id, quod noſtra concluſio, nempe Angelos omnes creatos fuiſſe in gratia, & in eodem inſtanti meruiſſe beatitudinem, & deinde alios perſeveraſſe in merito; alios vero per peccatum impedimentum appoſuiſſe beatitudini.

1078 Ratione ſic arguitur, non poteſt idem actus volūtatis procedere à dictamine, ad quod formandum Deus tantum Angelum applicat, & à dictamine, ad quod formandum Angelus ſe applicat per propriam voluntatem; ſed Angeli in via habuerunt actum meritorium procedentem à dictamine, ad quod formandum Angelus non ſe applicavit, ſed ſolum Deus applicavit illum; inſuper habuerunt actum meritorium procedentem à dictamine, ad quod formandum Angelus per propriam voluntatem ſe applicavit: ergo in Angelis meritum beatitudinis adæquatè ſumptum nō potuit eſſe idem actus: Prob. Mai. actus, qui ſic eſt bonus, quod non potuit eſſe malus, nequit eſſe idem cum actu, qui ſic eſt bonus, quod potuit eſſe malus; ſed actus procedens à dictamine, ad quod formandū Deus tantum applicat, ſic eſt bonus, quod non

Digitized by Google

non potuit eſſe malus, & actus, qui procedit à dictamine, ad quod Angelus per propriam voluntatẽ ſe applicat, ſic eſt bonus, quod potuit eſſe malus: ergo nequit eſſe idem actus voluntatis actus procedens à dictamine, ad quod ſolum Deus potuit applicare Angelum cùm actu procedente à dictamine, ad quod formandum per propriam voluntatem ſe applicavit Angelus. Confirm. hoc, ſic comparantur inter ſe actus, quorum alter ſic eſt bonus, quod non potuit eſſe malus, & actus, qui ſic eſt bonus; quod potuit eſſe malus, ſicut comparantur inter ſe actus, qui ſic procedit à voluntate, quod non poteſt ab illa non procedere, & actus, qui ſic procedit à voluntate, quod potuit ab illa non procedere.; ſed nequit eſſe idem indiviſibilis actus, qui ſic procedit à voluntate, quod non potuit non procedere ab illo, & actus, qui ſic procedit à voluntate, quod potuit ab illa non procedere: ergo ſimiliter nequibit eſſe idem actus, qui ſic eſt bonus, quod non potuit eſſe malus; & actus, qui ſic eſt bonus, quod potuit eſſe malus. Tunc ſic; ſed actus procedens à dictamine, ad quod formandum Deus ſolum potuit movere voluntatem, ſic eſt bonus, quod non potuit eſſe malus, & actus procedens à dictamine, ad quod formandũ Angelus ſe applicavit per propriam voluntatem, ſic eſt bonus, quod potuit eſſe malus: ergo nequit eſſe idem indiviſibilis actus.

Ad hoc argumentum, nego Min. ſicut enim Angelus, dum fuit in via, ſemper perſeveravit in eodem merito beatitudinis, ſic ſemper voluit mereri ex dictamine, ad quod formandum Deus eius voluntatem applicavit; cùm hoc tamen diſcrimine, quod dum primo Angelus incœpit merituum, non fuit in poteſtate Angeli operari ex dictamine, quod non eſſet a Deo; dum autem idem meritum continuavit; fuit in poteſtate voluntatis eius operari ex alio dictamine; quod pro libito ſuo Angelus pro tunc ſibi formare poterat; vnde ſequutum eſt, quod Angelus, dum incœpit mereri, ſic fuit bonus in actu ſuo; quod non potuit eſſe malus: dum autem in eodem actu propria voluntate perſeveravit, ſic fuit in actu ſuo bonus; quod potuit eſſe malus, eſto ſemper perſeveraverit in eodem actu. Vnde ad Confirmat. nego Mai. nam actus; qui ſic procedit à voluntate, quod non poteſt non procedere ab illa, ſimpliciter neceſſarius eſt; ille autem, qui ſic procedit, quod poteſt non procedere, liber ſimpliciter eſt: nequit autem idem actus ex neceſſario tranſire in liberum; actus autem, qui ſic eſt bonus, quod non potuit eſſe malus, & ille, qui ſic eſt bonus, quod potuit eſſe malus non diſtinguuntur penes neceſſarium, & liberum, ſed penes minus liberum, & magis liberum; nam eſſe ſic bonum, quod non potuit eſſe malus, tantum dicit procedere à voluntate ſolum libera libertate contradictionis, & exercitij: eſſe autem ſic bonum, quod potuit eſſe malus, dicit actum procedentem à voluntate libera libertate contrarietatis; prima autem, & ſecunda libertas ſolum differunt penes magis, & minus, & ſic poſſunt non dividere ſubſtantialiter actum.

Sed inſtas, eſto libertas contradictionis, & contrarietatis differant penes magis, & minus; illud tamen magis, & minus variant eſſentiã libertatis: ergo non poterit idem actus tranſire de libero libertate contradictionis in liberũ libertate contrarietatis. Patet Conſ. nam quia liberũ, & neceſſariũ variãt eſſentiã actus voluntatis, nequit vnus numero actus tranſire de neceſſario in liberũ: ergo quia libertas cõtradictionis, & cõtrarietatis variant eſſentiã libertatis, nequibit vnus numero actus liber trãſire de libertate ſola cõtradictionis ad libertatẽ cõtrarietatis. Ant. vero Prob. nã communiter metaphiſici dividunt libertatẽ in contradictionis, & cõtrarietatis tanquã in duas ſpecies libertatis: ergo illud magis, & minus liberũ variãt eſſentiã libertatis. Ad hoc, nego Ant. Ad Prob. nego Ant. eſsẽtia enim libertatis ſolũ cõſiſtit in eo, quod actus procedat à potẽtia potente in oppoſitũ, quod autem illud oppoſitũ actui opponatur cõtradictoriè, aut opponatur cõtrariè, ex quo ſequitur actũ eſſe liberũ libertate cõtradictionis, vel cõtrarietatis, ſunt modi materialiter determinãtes libertatẽ. Quod patet ex eo; quod multoties idẽ numero actus ſimul eſt liber vtraq; libertate; actus enim, quo libere amo Deũ, & eſt liber libertate contradictionis, quia ſic Deũ amo, quod poſsũ nõ amare, & eſt liber libertate cõtrarietatis, quia ſic eum amo, quod poſſum odio habere illum: ſi autem eſſent ſpecies libertatis de facto eidem actui nequirent ſimul convenire.

Secundo à ratione arguitur. Meritũ Angeli in inſtanti creationis nõ procedebat ex tãta ſciẽtia, & tãta cognitione, ex qua procedebat meritũ Angeli poſt dictũ inſtãs: igitur erat diſtinctũ meritũ. Patet Conſ. quia quãdo actus eſt indeliberatus ex defectu plenæ notitię eorũ obiectorũ, quorũ cognitio de-

debita eſt ad operandū, nō ſit poſtea idē met actus deliberatus per adventum novæ cognitionis, & novæ ſcientiæ: ergo ſi primum meritum erat indeliberatum, quia non procedebat ex tanta ſcientia, ex quanta procedebat, quando erat deliberatum, non poterat idem meritum eſſe indeliberatum, & deliberatum. Antec. autem Prob. ſi Angelus pro inſtanti creationis habuiſſet plenam ſcientiam, & notitiam eorum omnium, quæ cognovit poſt inſtans creationis, liberum eius arbitrium factum fuiſſet inflexibile à primo inſtanti creationis; ſed hoc eſt falſum, nam malus Angelus de facto poſt inſtans creationis reliquit amorem Dei, & converſus eſt ad bonum proprium inordinatè: igitur non habuit pro primo inſtanti creationis eam ſcientiam, quam habuit poſt tale inſtans. Prob. Sequela, nam Angelus immobiliter adhęret his, quæ cognoſcit: ergo ſi plenè omnia noviſſet in inſtanti creationis, quæ plenè novit, poſt tale inſtans, immobiliter illis adhæſiſſet, ſicut immobiliter adhęſit his, quæ cognovit poſt creationem; ſed ad hanc immobilitatem ex parte intellectus ſequuta eſt inflexibilitas ex parte voluntatis: igitur ſicut poſt inſtans creationis factus eſt inflexibilis, ita ab inſtā-ti creationis eſſet inflexibilis. Ad hoc argumentum, nego Ant. Ad Prob. diſt. Ant. immobiliter adhæret his, quæ cognoſcit, ſi hęc propoſitio faciat hunc ſenſum, quod poſtquam ſemel cognovit, ſemper perſeveravit in cognitione eorum, quæ cognovit, nego Ant. ſi faciat hunc ſenſum, nēpe quod poſtquam ſemel cognovit plenè, quoties ſe offert occaſio iudicandi de illis, ſemper eodem modo iudicat, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque Angelus poſtquam plenè aliquod obiectum cognoſcit, ſemper, & quoties ſe offert occaſio iudicandi de tali obiecto, eodem modo iudicat; ſed hoc intereſt diſcrimen inter Angelum in primo inſtanti creationis, & ipſum pro inſtanti deliberationis; quod in primo inſtanti non ſe applicavit per propriam voluntatē ad formādum iudicium de agibilibus, & ſic potuit poſtea per propriam voluntatē perſiſtere in conſideratione eorum, quæ primo conſideravit, & ſimiliter potuit per propriam voluntatem ſe applicare ad non conſiderandum actualiter ea, quæ primò conſideravit; poſtmodùm vero plenè ſe applicavit ad conſiderandum ea, quæ prius conſideravit Angelus bonus, & ſic manſit inflexibilis in ordine ad bonum: Angelus autem malus applicavit ſe ad non conſiderandum ea, quæ antea conſideravit, & ſic ſequutus eſt peccatum, & factus eſt obſtinatus in illo. Itaque ad inflexibilitatem, ſive in ordine ad bonum, ſive in ordine ad malum requiritur quod Angelus propria voluntate ſe applicet ad formandum iudicium de aliquo eligibili, & poſtquàm ſic iudicaverit de convenientia electionis, & de facto elegit, fit inflexibilis, ita vt nequeat retractare talem electionem: in inſtanti ergo creationis, eſto eandem ſcientiam haberet, ac poſt illud inſtans habuit, non tamen ad conſiderandum ex propria voluntate applicabatur, ſed ſola Dei voluntate: vnde non ſic adhæret conſiderationi eorū, quod poſtea non poſſet divertere mentem ſuam à dicta conſideratione, vnde inflexibilis non erat.

1080 Tandem arguitur, nam Angeli, quandò continuarunt ſuum meritum, habuerunt aliquod iudicium practicum, quod non habuerunt ab inſtanti creationis: ergo etiā ex parte voluntatis mutati ſunt, & ſic novum inſtans incœperunt. Prob. Antec. nam primo, non inſtante tentatione Luciferi abſque difficultate iudicarunt benè de converſione ad Deum; deindè inſtavit tentatio, & nova difficultas vincenda occurrit: ergo fuit neceſſarium novum dictamen dictans converſionem ad Deum, non obſtante Luciferi tentatione. Patet Conſ. quia nova difficultas vincenda requirit novum dictamē. Nec valet (inquit Gonet) dicere cum Ioanne à S. Thoma, quod non fuit opus novi iudicij practici, quia idem Angelo proponebatur obiectum anteà, & poſtea. Non (inquit) valet: ſiquidem licet ſemper idem proponeretur obiectum, non tamen erat pro ſemper eadem difficultas vincenda; ſiquidem converti ad Deum non occurrente gravi tentatione nō eſt ita difficile; ſicut cum inſtat tentatio gravis de oppoſito; hæc autem inſtabat poſt inſtans creationis, & non in inſtanti creationis: igitur requirebatur formatio novi iudicij practici ad converſionem cum victoria tentationis. Quod autem illa fuerit gravis tentatio, patet, quia ex vi illius ſuggeſtionis multi Angeli corruerunt, & ab amore Dei ceſſarunt: ergo tentatio graviſſima, & non ſolum gravis fuit.

Confirm. quamvis ponatur quod ſemper idem numero actus charitatis permanſerit, tamen non ſemper ex eodem iudicio practico proceſſit: ergo variavit inſtans Angelicū. Patet Conſ. nam licet idem numero actus charitatis viæ poſſit continuari in patria, tamen quia prout in via à diſtincta

re,

Digitized by Google

regula procedit ab ea, quâ procedit prout in patria, neceſſariò multiplicantur inſtantia, alterum pro ipſo vt in via, & alterum pro ipſo vt eliciendo in patria: ergo licet ſemper manſerit idem numero actus charitatis, dum tamen in primo inſtanti creationis procedebat à dictamine diverſo, & ſimul incompoſsibili cum dictamine, à quo poſtea proceſsit, dum voluntariè continuatus fuit, variabit inſtantia Angelica. Confirm. ſecundo, etenim nos diximus Angelum non potuiſſe peccare in primo inſtanti creationis, & aliàs debemus fateri, ipſum potuiſſe poſtea peccare: ergo debemus diſtinguere duo inſtantia, vnum pro impeccabilitate Angeli, & aliud pro peccabilitate eius: aliàs ſi ſemper perſeveravit primũ inſtans, fateri tenebimur in primo inſtanti peccare potuiſſe.

Ad hoc argumentum, diſt. Antec. habuerunt aliquod iudiciũ practicũ, quod non habuerunt in principio creationis, habuerunt formaliter, vel æquivalẽter, conc. Ant. formaliter, nego Ant. & diſt. Conſ. mutati ſunt tantum æquivalenter, vel interpretativè, conc. Conſeq. formaliter per novum actum formaliter, nego Conſ. & ad Prob. quod nova difficultas vincenda requirit novum dictamen, novitate diſtinctionis, nego Antec. novitate maioris vigoris, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque ſpecialiter loquendo, in Angelis ad vincendam novam difficultatem, quæ occurrit ex tentatione, vel ſuggeſtione Luciferi, ſufficit ex gratia ſpeciali Dei continuare amorem primum perſiſtendo in ſic amare, ſicut cœperant à principio, quod tantum indicat conſervationem primi dictaminis ſpeciali gratia Dei roborati; ad quod non fuit requiſitus novus actus voluntatis; ſed ipſamet perſeverantia in amore, non obſtante tentatione, interpretativè fuit voluntas continuandi: quia cum poſſent ab amore illo divertere, & exiſtente tentatione non diverterunt, interpretati ſunt velle continuare. Vel admiſſo novo dictamine, dico, quod non aufertur variatio inſtantis Angelici, quia tale novum dictamen ad idem, quod erat anteà, ſubordinatum fuit, nempe ad perſeverandum in amore Dei, non obſtante tentationis vrgentia. Ad Confirm. tranſ. quod præceſſerit novum iudicium, & nego Conſ. Ad Prob. nego Conſ. quia in Antecedenti habetur variatio ſtatuũ incompoſſibiliũ, qualis eſt ſtatus viæ, & ſtatus patriæ: incompoſsibiles enim ſunt ſicut via ſimpliciter, & terminus ſimpliciter; at in noſtro caſu iſta variatio materialis fuit, quia intra ſtatum viæ contigit cum ſubordinatione vnius dictaminis novi ad primũ: nam novum dictamen ſolum fuit de conſervatione amoris Dei ſupernaturalis ex eiſdem principijs, ex quibus cœperat amor in principio creationis; & ſic non fuit neceſſe multiplicari novum inſtans. Ad ſecundam Confirm. dico, nos affirmare Angelum non potuiſſe peccare in primo inſtanti, id eſt, in prima operatione prout tantum procedebat ex Dei dictamine, non verò prout ſecum adunabat aliam formalitatem libertatis contrarietatis ad bonum, & ad malum, quod licet non fuerit ſecundum inſtans reſpectu bonorum, erat tamen ſecundum reſpectu illorum, qui peccarunt, & ſic nihil ſequitur contra noſtram reſolutionem.

§. X.

Per quot inſtantia duraverit via malorum Angelorum?

1081 CIRCA Hoc quæſitum Caietanus, & Nazarius duo tantũ inſtantia diſtinguunt in malis Angelis, in quorum primo fuerunt boni, & in ſecundo peccarunt, & ſimul damnati ſunt. Secunda ſententia communior inter Thomiſtas diſtinguit tria inſtantia, in quorum primo meruerunt ſimul cum bonis, in ſecundo peccarunt, & in tertio damnati ſunt. Pro cuius defenſione ſit concluſio. Via malorum Angelorum per duo inſtantia duravit, id eſt, duabus operationibus Angelicis conſummata eſt. Prob. nam iuxta D. Thom. Angeli mali in primo inſtanti creationis meruerunt beatitudinem ſimul cum bonis, in ſecundo lapſi ſunt propria voluntate in peccatum, & ſtatim poſt lapſum in pœnam ſui peccati cruciatus æternos ingreſsi ſunt: ergo via malorum Angelorum duravit per duo inſtantia, nempe per duas operationes Angelicas, ſcilicet meritum beatitudinis, & peccatum. Præterea. Angelus peccavit in Empireo, & damnatus in inferno: ergo debuit habere duas operationes, quorum altera vltimo fuiſſet in cœlo, & altera primò eſſet in inferno: non ergo in eodem inſtanti peccavit, & damnatus eſt. Præterea, erat dum peccavit in via ſimpliciter, dum damnatus eſt fuit ſimpliciter in

Digitized by Google

in termino, qui duo ſtatus ſimpliciter incompoſsibiles ſunt: igitur in eodem inſtanti, quo peccavit, damnatus non eſt, ſed in alio immediatè ſequenti: duravit ergo via malorum Angelorũ per duo inſtantia Angelica.

His poſſet reſponderi, quod vna ſola operatione per correſpondentiã ad diſtincta inſtantia temporis noſtri potuerunt fieri, ſic, quod per illam per correſpondentiam ad vnum inſtans fuerint in cœlo, & per correſpondentiam ad aliud inſtans temporis noſtri fuerint in Inferno: ſimiliter reſpectivè ad vnum inſtans noſtrum fuerit in via, & reſpectivè ad aliud inſtans fuerit extra viam; vnde non eſt neceſſe multiplicare inſtantia Angelica. Sed contra eſt, nam Angelus non potuit deſerere cœlum, & adquirere locum inferni, niſi per motũ Angelicum, ad quem requiruntur duo inſtantia Angelica, id eſt, duæ operationes ſucceſsivè ſe habentes, & ſimul incompoſſibiles: ergo non ſolũ per correſpondentiã ad noſtrum tempus, ſed etiã per ordinem ad tempus Angelicum intervenerunt duo inſtantia Angelica. Dices, quod peccatum, quod commiſsit in cœlo continuavit in inferno; manſit ergo idem numero actus in via, & in termino: ergo Angelica inſtantia non fuerunt multiplicata. Sed contra eſt, nam licet idem peccatum continuaverit Dæmon vſque ad damnationem ſui incluſivè, tamen damnatio eius non fuit eius peccatum, ſed propter peccatum, quod commiſsit in cœlo detruſus eſt ad locum inferni per aliquid diſtinctum ab eius peccato: ergo fuerunt duæ actiones, vel ſaltim vna actio, qua peccavit in cœlo, & altera paſsio, qua alligatus eſt loco inferni: ſemper ergo extat campus ad deſignanda duo inſtantia, aliud pro peccato commiſſo in via, & aliud pro damnatione pro peccato habito in inferno.

Inſtabis contra concluſionem. Etenim Dæmones eodem indiviſibili inſtanti, quo peccarunt inflexibiles in ſuo peccato facti ſunt; inſuper privati ſunt in perpetuum viſione beata; obſtinatio autem in malo, & privatio viſionis beatæ pœnæ infernales ſunt, & totum pondus damnationis important: ergo in eodem inſtanti, in quo peccarunt, damnati ſunt. Ad hoc argumentum reſpondetur per ſingulas partes Maioris. Et quidem ad primam dico, quod inflexibilitas non ſpectat ad primum inſtans, quo peccatum committitur; ſed ad ſubſequentia; conſiſtit enim in eo quod peccatum retractari non poſsit, quæ negatio retractationis non incipit pro inſtanti primo peccati; nam omnis peccans in eo inſtanti, in quo actualiter peccat, ſuum peccatum non valet retractare: conſiſtit ergo in eo quod in ſubſequentibus non poſsit peccatum, quod fecit, retractare; vnde pro hac parte, nego Mai. Pro ſecunda parte dico, quod peccatum promeretur privationem gratiæ pro præſenti infligendam; privationem autem gloriæ de futuro infligendam: & ratio eſt, quia peccatum ſubtatione demeriti gloriæ ſimpliciter eſt viatoris; privatio autem viſionis eſt ſolum exiſtentis in termino ſimpliciter, & ſic non eſt peccatum demeritum privationis gloriæ de præſenti infligendæ, ſed de futuro; vnde non ſequitur quod peccatum, & damnatio inceperint in eodem inſtanti.

§. XI.

Qua via peccatum irrepſit ad Angelos?

1082 VT Omnibus modis quæſtio præſens de peccato Angelorum abſolvatur, reſtat videndum, per quas timulas ad creaturas ſic ſanctas, & bonas, quales fuerunt Angeli in inſtanti ſuæ creationis, peccatum intraverit? Et quidem peccatum ingreditur ad cubile voluntatis per ianuam intellectus, vnde ſi hæc ianua clauſa ſit, non patet peccato aditus ad voluntatem: aperit autem intellectus peccato hanc ianuam per defectum ſuæ actionis; defectus autem iſti, vel ſunt neſcientia, quæ eſt carentia cognitionis eius, quod intellectus non tenetur ſcire; vnde talis defectus nequit eſſe cauſa peccati: ſecundus defectus eſt ignorantia, quæ eſt privatio cognitionis habitualis, & actualis eorum, quæ quis tenetur ſcire; quare poteſt eſſe cauſa peccati, ſi vincibilis ſit. Dixi habitualis, & actualis; quia ſi quis ſciat actu, quamvis huius, quod ſcit, non habeat ſcientiam in habitu, iſte ignorans non erit: ſimiliter ſi ſciat habitu, & non actu, ignorans non erit, ſed tantum dicetur non conſiderans, vel inconſideratus. Tertius eſt poſitivus error intellectus conſiſtens in falſo iudicio de re aliqua. Quartus eſt defectus conſiderationis, qui duplex eſt, alter negativus, id eſt, actualis carentia conſiderationis,

quam

quando quis non tenetur actualiter attendere, alter privativus eandem carentiam involvens, ſed pro illa differentia temporis, in qua tenebatur intellectus actualiter conſiderare. Inquirimus ergo, quidnam ex his defectibus præceſſerit primum peccatum Angeli? Quod ſi invenerimus, inveniemus ianuam, per quam primum peccatum Angeli ad eius voluntatem ingreſſum ſit.

Et quidem in hoc puncto Egidius, & Peſantius vt referuntur à Nazario hic, tenent primum Angelorum peccatum proceſſiſſe ex errore, vel ignorantia. Cæterũ Schola Thomiſtica hoc negat, & affirmat ſolum proceſsiſſe ex non conſideratione in praxi eorum, quæ ad rectè eligendum tenebatur Angelus conſiderare. Itaque peccatum primum in eo ſtetit, quod nõ præhabita conſideratione eorum, quæ ad rectè eligendum debebat conſiderare, de facto elegit. Vnde ſit noſtra concluſio, quæ eſt D. Thom. quæſt. 16. de malo, art. 2. ad 5. ibi: *Semper in peccato defectus aliquis intellectus, vel rationis, & voluntatis proportionaliter ſe comitantur: unde non oportet ponere in primo peccato Dæmonis talem defectum intellectus, vt aliquid falſum exiſtimaverit, puta aliquod malum eſſe bonum, ſed in hoc quod defecit ab apprehenſione ſuæ regulæ, & ordinis.* Quod ſic explicat idem Sanctus quæſt. 1. de malo articul. 3. vbi ſic habet: *Hoc ipſum, quod non eſt attendere actu ad regulam, in ſe conſideratum non eſt malum, nec culpa, nec pœna, quia anima non tenetur, nec poteſt attendere ad huiuſmodi regulam ſemper in actu; ſed ex hoc accipit primo rationem culpæ, quod ſine actuali conſideratione regulæ procedit ad huiuſmodi electionem: ſicut artifex non peccat in eo, quod non ſemper tenet menſuram, ſed ex hoc quod non tenens menſuram procedit ad incidendum:* ſic ergo cum Angelus, ex quo potuit ex proprio dictamine deliberare, teneretur ſe convertere in Deum auctorem gratiæ, ipſumque habere pro regula ſuæ operationis, & ad ipſum omnia convertere, non conſideravit de huiuſmodi relatione ad Deum, & ſic non conſiderans proceſſit ad ſui amorem, ibique fixit terminos affectus ſui, & ſic peccavit. Neque enim in eo potuit tunc eſſe error circa naturalia agibilia, circa quæ pleniſsimam ſcientiam ſpeculativam, & practicam habebat: neque circa ſupernaturalia, nam vt docet D. Thom. quæſt. 16. de malo artic. 6. licet in bono Angelo circa ſupernaturalia potuerit eſſe neſcientia, non enim in eis potuit eſſe defectus falſæ opinionis; quia cum voluntas eorum ſit ordinata, nõ applicant intellectum ſuum ad iudicandum de illis, quę cognitionem eorum excedunt; ſed in malis Angelis propter inordinatam, & ſuperbam voluntatem poteſt eſſe reſpectu horum cognoſcibilium etiam defectus falſæ opinionis, in quantum exhibent præſumptuosè ſuum intellectum ad iudicandum de his, quæ eos excedunt: Angeli autem, ante primum peccatum ſuum, ſancti, & boni erant: non ergo potuerunt errare circa ſupernaturalia; potuerunt autem non attendere, & ſic non attendentes procedere ad electionem, & ſic ex ſola nõ conſideratione peccare potuerunt.

§. XII.

Solvuntur Argumenta.

1083 SED Eſto hæc D. Thom. & noſtra doctrina veriſsima ſit; tamen difficultatibus valde intrincata eſt, quas proponere, & ſolvere debemus. Et Primo D. Thom. videtur in his ſibi contradicere, nam in ſecundo ad Annibaldum, diſt. 5. quæſt. 1. art. 1. ſic habet: *Circa iudicium eligibilium in Angelo error eſſe potuit, quamvis non circa abſolutam cognitionem eorum, ad quæ naturalis cognitio ſe extendit.* Reſp. nomine *erroris* non intelligere errorem, qui in ſe formaliter error ſit, ſed intelligere errorem cauſativè, id eſt, non conſiderationem alicuius, quod debebat conſiderari, ex qua non conſideratione ſequutus eſt error in voluntate peccaminoſæ operationis. Do verba D. Thom. *Dicendum, quod intellectus Angeli licet in eligendis non poſsit ligari paſſione, ſicut in nobis accidit; poteſt tamen impediri à recto iudicio eligibilis per omiſsionem aliquorum, quæ conſideranda ſunt: non enim naturali cognitione omnia ſimul cognoſcit; aliquid autem ſecundum ſe conſideratum, eſt eligibile, quod conſideratis aliis eligibile non eſt; & ſic circa iudicium eligibilium in Angelo error eſſe potuit, quamvis non circa cognitionem abſolutam eorum, ad quæ naturalis cognitio ſe extendit.* Quibus, vt patet, loquitur, de non conſideratione eorũ, quæ conſideranda erant, vt rectè eligeret.

1084 Secundo Arguitur, ſi non potuiſſet eſſe error in Angelo, maximè quia

hoc eſt malum pœnæ, & malum pœnæ ſine præcedenti culpa Angelo convenire nõ potuit; at hæc ratio eſt mala: ergo. Prob. Min. ipſa actualis inconſideratio malum fuit Angelo; & tamen illi contigit ante omne peccatum: ergo & error potuit illi convenire ante omne peccatum. Ad hoc, nego Min. Ad prob. diſt. Mai. malum fuit Angelo, id eſt, defectus naturalis boni, conc. Mai. malum pœnæ, neg. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque cum Angelus ex natura ſua ſit ſubſtantia, quæ non eſt ſuus actus, ſed eſt admixta potentialitati, connaturaliter habet non ſemper actu omnia cognoſcere, ſed eſſe in actu reſpectu aliquorum, & reſpectu aliorum ſolum in potentia; vnde non attendere actu ad omnia eſt quoddam malum, veluti naturaliter ipſi Angelo conveniens; vnde non eſt malum pœnæ reſpectu Angeli, & ſic non debuit ad illud culpa præſupponi: error autem poſitivus eſt malum ſuperadditum naturæ eorum, ipſique naturæ intellectuali poſitivè diſconveniens, & ſic vt conveniret Angelo, debuit ratione culpæ Angelo infligi, atque adeò non præcedente culpà ipſi convenire non potuit.

Sed contra eſt, nam eſto actualis non conſideratio ſit defectus naturalis, ſi ſumatur per modum ſimplicis negationis, non tamen ſi ſumatur privativè, id eſt, pro carentia debitæ conſiderationis; at inconſideratio, quæ præceſſit primum peccatum, fuit privatio conſiderationis debitæ, quia Angelus non conſideravit cum deberet conſiderare: ergo fuit malum pœnæ naturæ Angeli ſuperadditum, & tamen evenit in Angelo ante peccatum: ergo eſto error ſit malum pœnæ, potuit contingere in Angelo ante omne peccatum. Ad hoc, nego Min. & ad Probationem dico, Angelum non habuiſſe debitum conſiderandi, ſed tantum habuiſſe debitum non operandi ſine conſideratione eorum, quæ circa agibilia conducebant: vnde ſtando in terminis inconſiderationis tantum fuit ſimplex negatio conſiderationis; non verò privatio: poſtquam autem Angelus voluit procedere ad opus cum illa, fecit ſibi illam voluntariam, & tranſivit de negatione ad privationem; cæterum iſte tranſitus iam præſuppoſuit voluntatem peccaminoſam, & ſic non fuit mala privativè ante peccatum.

Sed inſtabis, Angelus accedens ad inſtans, in quo primo potuit ex proprio dictamine ſe movere, tenebatur converti in Deum auctorem ſupernaturalem, illumque habere pro regula, & menſura ſuæ operationis: ergo tenebatur ad apponenda omnia requiſita ad talem converſionem in illo inſtanti eliciendam: aliud autem ex requiſitis erat conſideratio regulæ, & menſuræ ſuæ rectæ operationis: ergo tenebatur ad actualem conſiderationem eius: ergo carentia talis conſiderationis erat ei non ſimplex negatio, ſed privatio. Secundo, quidquid ſit de ipſa non conſideratione, ſaltim voluntatem peccaminoſam, qua voluit ſine conſideratione propriæ regulæ, & menſuræ propriam excellentiam appetere, ex parte intellectus debuit præſupponere iudicium de ſic operando ſine conſideratione; at illud iudicium fuit practicè falſum: ergo iam ad primum peccatum præceſſit falſum, & error. Diſcurſus eſt bonus. Mai. videtur certa, nam nihil volitum, quin præcognitum: ergo ſi voluit eligere ſine conſideratione ad regulam, de hoc adfuit iudicium practicum dictans ei talem volitionem. Min. verò Prob. nam falſitas iudicij practici probatur per hoc, quod ſit iudicium diſſonum rationi; non fuit autem conſonum, ſed diſſonum rationi iudicare de convenientia amoris propriæ excellentiæ ſine menſuræ, & regulæ conſideratione: ergo tale iudicium fuit falſum, & erroneum practicè: præceſſit ergo primum Angeli peccatum error practicus ex parte intellectus.

Ad primum, diſt. Conſeq. ergo tenebatur ad apponenda omnia requiſita ad talem converſionem; ſub munere requiſiti, conc. Conſeq. abſolutè ſumpta, nego Conſeq. & conc. Min. diſt. Conſ. ergo tenebatur ad actualem conſiderationem regulæ, & menſuræ abſolutè, nego Conſ. ratione operationis bonæ, cuius præceptum inſtabat, conc. Conſ. & diſtinguo ſecundũ Conſ. non erat ei ſimplex negatio, ſed privatio, abſolutè, & ratione ſui, nego Conſ. reſpectivè ad rectam operationem, cuius præceptum inſtabat, conc. Conſeq. Itaque hoc eſt diſcrimen inter errorẽ, & non conſiderationẽ: quod error abſolutè eſt malũ naturæ completè intellectualis, & ſic abſolutè nequibat convenire Angelo niſi in peccati ſui pœnam: at carentia conſiderationis ratione ſui non erat malum pœnæ, ſed defectus naturæ potentialis, ſolum

ag-

Digitized by Google

autem, in quantum voluntaria, erit malum voluntarium; vnde non fuit neceſſe, quod in pœnam peccati Angelo conveniret, ſed ſufficit, quod ab ipſa vt voluntaria ſaltim interpretativè peccatum inciperet. Ad ſecundum, concedo quod iudicium inconſideratum fuit practicè falſum, quia vt bene probatur, fuit rationi diſſonum: cæterum illa falſitas practica ortum habuit ex illa voluntate interpretativa non conſiderandi, & ſic non fuit in Angelo falſitas neque ſpeculativa, neque practica antecedenter ad peccatum.

QVÆSTIO XVIII.

De pœna Dæmonum.

POST Culpam ſequitur pœna, quam ſibi facit peccatum debitam. Vnde rectus ordo poſtulat vt poſt culpam malorum Angelorum exactè cognitam agamus de eorum pœna.

§. I.

An in Dæmonibus manſerit integra cognitio eorum, quæ per ſola naturalia cognoſcebat?

1085 DVPLEX Eſt cognitio veritatis; alia, quæ habetur per vires naturales, & alia, quæ habetur per lumen gratiæ. Rurſus hæc ſubdiſtinguitur in eam, quæ ſolum ſpeculativa eſt, ſicut cum alicui aliqua ſecreta divina revelantur, & in eam, quæ affectiva eſt producens Dei amorem in voluntate, quæ proprie pertinet ad donum ſapientiæ. Vtramque hanc cognitionem perfectiſsimè Dæmon habuit ante peccatum; deinde per culpam obtenebratus eſt. Quæritur ergo primo, an circa naturalia per culpam obtenebratus ſit, ſic, quod non remanſerit in eo integra cognitio eorum, quæ per ſolas vires naturæ cognoſcebat? Quod duplicem ſenſum facere poteſt; alterum quoad actum, videlicet, an de facto cognoſcant omnia ea, quæ ante lapſum per vires naturæ cognoſcebant? alterum quoad potentiam, videlicet, vtrum poſt lapſum per ſua naturalia poſsint cognoſcere omnia ea, quæ licet ante lapſum actu non cognoſcerent, poterant tamen per vires ſolas naturæ cognoſcere? Diximus enim in principio huius tractatus, quod cum Angelus ſit natura completè intellectualis, ab initio habuit congenitas ſpecies omnium naturalium ſpectantium ad hoc vniverſum, per quas hoc ipſo quod res in ſe ipſis exiſterent cognoſcere poterat. In vtroque ergo ſenſu procedit quæſitum.

Cui reſpondeo affirmativè. In Angelis poſt peccatum manſit integra cognitio naturalis. Ita tenet D. Thom. hic quæſt. 64. art. 1. & Prob. Etenim hæc ablatio, vel diminutio in Angelo ſolum fieri potuit per hoc quod vis naturalis intelligendi, quæ intellectus eſt, per peccatum fuerit ablata à Dæmone, vel ſaltem fuerit in partem diminuta, vel per hoc quod ſpecies impreſſæ rerum vniverſi conceſſæ Angelo ab inſtanti ſuæ conditionis fuerint ablatæ ab Angelo, vel in ſui repræſentione activa diminutæ; at nihil horum evenit in Angelo per peccatum; igitur cognitio veritatis, quam habere potuit per naturam, non fuit eis ablata, vel diminuta. Conſeq. eſt bona, & Probo præmiſſas. Mai. quidem ſic, nam ſcientia habitualis naturalis Angeli tantum conſiſtit in ſuo intellectu, & in ſpeciebus ei congenitis: ergo non alio modo potuit auferri, vel diminui niſi per hoc, quod vis intellectiva naturalis deſtrueretur in totum, vel in partem, vel ſpecies obiectorum vniverſi repræſentativæ auferrentur ab eo, vel in ſui repræſentatione diminuerentur. Min. verò Prob. In primis intellectus de facto à Dæmone ablatus non eſt in totum, cum videamus illum paſsim intelligere, neque etiam eſt diminutus, quia cum ſit ſimpliciſsima potentia incapax augmenti, & decrementi non potuit diminui ſecundum aliquam ſui partem, vel aliquem ſui gradum: ſimiliter ſpecies impreſſæ Angelo ablatæ non ſunt, neque in totum, neque in partem, quia ſunt proprietates eius, ſi non ortæ ab eius eſſentia, ſaltim naturaliter exactæ, non ſolũ quoad ſubſtantiã, ſed etiã quoad modũ repræſentationis proportionatũ naturæ intellectus Angeli: in pœnam autem peccati non auferuntur proprietates naturales à peccatore propter peccatũ, neque enim ab homine propter peccatũ aliqua proprietas naturalis ablata eſt, ſed tantum ſpoliatus eſt in gratuitis, non vero in naturalibus. Similiter neque prædictæ ſpecies in ſui naturali repræſentatione diminutæ ſunt, quia natura Angeli ab intrinſeco exigit tales ſpecies, quod per eas poſsit om-

omne ens naturale comprehendere; vnde tanta, vel tanta repræſentatio ſpecierum etiam eſt naturaliter debita Angelo, & ſic per peccatum diminui non potuit: non ergo Dæmon in his, quæ ad ſuam ſcientiam naturalem ſpectant, vel ablationem, vel diminutionem paſſus eſt.

§. II.

Solvuntur obiecta contra hanc doctrinam.

1086 OBIICIES Primo contra hanc rationẽ. Nam Angelus ob peccatum ſuum potuit promereri, imò de facto promeruit ablationem perpetuam ſui intellectus, & voluntatis: ergo & potuit Deus illum punire ablatione prædictarum potentiarum. Prob. Antec. Angelus de facto promeruit per peccatum ſui annihilationem: ergo & promeruit ablationem, ſeu amiſsionẽ proprij intellectus, & voluntatis. Antec. patet, nam non fuit minus demeritorium peccatum Angeli, quàm peccatum hominis; ſed hominis peccatum, D. Thom. atteſtante, promeruit de condigno ſui annihilationẽ, eſtò de facto Deus hanc pœnam ei commutaverit in eam, quæ damnatio perpetua eſt: ergo ſimiliter peccatum Angeli promeruit ei ſui annihilationem. Ad hoc dico, quod ſi attendatur infinitas peccati Angeli, & ſufficientia gravitatis eius, ſic verum eſt, quod ſub merito eius cadere potuit annihilatio ipſius Angeli, ſicut & ſub merito peccati hominis cadit annihilatio eius: vnde perdere intellectum, & voluntatem adhuc non eſſet pœna adæquata demeriti peccati Angeli: Vnde Deus ſua iuſtitia rigoroſa vtens, iuſtè potuiſſet Angelum in pœnam ſui peccati annihilare. Cæterum hoc rigore iuſtitiæ Deus non vtitur, qui ſemper ſuam iuſtitiã temperat ſua miſericordia: vnde pueri in Lymbo ſemper canunt: *Miſericordia Domini, quod non ſumus conſumpti*: temperavit ergo hanc ſuam iuſtitiam, dum in vindictam peccati hominis, nec illum annihilavit, neque de proprietatibus ſibi naturaliter debitis aliquid abſtulit, & ſic credimus feciſſe in Angelis: vnde cum ſcientia naturalis habitualis eius ſit ei connaturalis proprietas, credimus nec Angelos peccantes annihilaſſe, nec ſcientiã naturalem ab eis abſtuliſſe.

Sed inſtas; nam D. Tho. probat, quod Dæmoni propter peccatum non ſit ablata ſcientia naturalis, neque diminuta, quia cognitio veritatis, quæ habetur per naturam, conſequitur ipſam naturam Angeli, qui ſecundum ſuam naturam eſt quidam intellectus, & mens; propter ſimplicitatem autem ſuæ ſubſtantiæ à natura eius aliquid ſubſtrahi non poteſt, vt ſic per ſubſtractionem naturalium puniatur: ſicut homo punitur per ſubſtractionem manus, aut pedis: vnde D. Th. videtur reducere ad impoſsibile, quod Angelus puniatur per ablationem, vel diminutionem ſcientiæ naturalis: ſi ergo nos admittimus, quod ſi Deus voluiſſet punire peccatum Angeli ex rigoroſa iuſtitia, poſſet annihilare Angelum, vel poſſet eum relinquere truncum intellectu, & voluntate, non defendamus rationem D. Th. quæ ex eo procedit, quod à natura ſimplici nihil poteſt ſubtrahi.

Ad hoc dico, rationem D. Thom. non procedere eò eo, quod ſcientia habitualis veritatis, quæ habetur per naturam, nõ poſſit auferri ab Angelo de potentia abſoluta: poſſet vtique Deus ſeparare intellectum ab Angelo ſua potentia abſoluta vtens, & in hoc Angeli peccatum punire; ſed procedit de lege ordinaria, & accommodando ſe naturis rerum, & aſsignando congruentiã, per quam de facto Angelus non ſit punitus ipſa ablatione, vel diminutione ſcientiæ naturalis, quaſi dicat; Deus puniens ipſa peccata hominum, & Angelorum ſe accomodat naturis peccantium, hoc eſt, non invertit proprietates naturales eorum auferendo, vel diminuendo illas; ſed ſic eſt, quod ſciẽtia naturalis habitualis Angelis eſt proprietas: ergo non debuit punire illos per ablationem ſcientiæ naturalis.

Sed inſtas, Deus puniendo peccata non ſemper ſe accomodat naturis rerum: nam cum omnis natura inclinetur ad eſſe, & vivere, multoties Deus in pœnam peccati mortem infert: ergo poſſet ſimiliter punire peccatum Angeli auferendo ab eo ſcientiam habitualem naturalem. Ad hoc dico, quod cum Deus in pœnam peccati infert homini mortem, non facit contra prædicata eſſentialia, vel propria hominis: eſt enim homo ex natura ſua mortalis; vnde auferendo ab eo vitam nõ ſe opponit exigentiæ prædicatorum eſſentialium, vel propriorum hominis; facit tamen contra naturam hominis, quia aufert ab ea accidens commune, quod eſt eſſe integris remanentibus proprijs, & eſſentialibus hominis: ſi autem ſcientiam habitualem na-

tu-

Digitized by Google

turalem auferret ab Angelo, auferret ab eo proprietatem quarto modo exactam ab eo, vnde evolueret propria naturalia Angeli.

1087 Obiicies ſecundo, datur aliquod obiectum, quod Angelus malus per ſua naturalia non cognoſcit certo, & evidenter; cognoſceret autem certo, & evidenter, ſi non peccaſſet: ergo per peccatum diminuta eſt Dæmoni cognitio veritatis naturalis. Prob. Antec. nam B. V. M. fuiſſe poſt partum Virginem diabolus per ſua naturalia non cognovit; & tamen ſi non peccaſſet illud per ſua naturalia cognoviſſet: ergo. Confirm. Martyr Ignatius, vt refert Hieronymus ad illud Math. *cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria*, aſsignans cauſam deſponſationis Mariæ, ait; *vt partus eius celaretur diabolo, dum eum putat, non de Virgine, ſed de vxore generatum*: ergo habet Deus modum diminuendi ſcientiam naturalem Dæmonis, ſine eo quod auferat in totum, vel in partem eius naturalem proprietatẽ. Prob. Conſeq. nam ſine ablatione intellectus, vel ſpecierum poteſt ſic celare obiectum ad ordinem naturæ ſpectãs, quod Angelus illud cognoſcere non valeat, vt contigit circa Virginitatem Mariæ deſponſatæ: ergo eſt potens diminuere eius ſcientiam.

Ad hoc, nego Conſ. nam ex hoc quod diabolus nõ cognoverit Mariam fuiſſe Virginem poſt partũ, non infertur eius ſcientiam habitualem fuiſſe diminutam, ſiquidem quamvis de facto non cognoverit, poterat tamẽ perfectè cognoſcere: ſed Deus ob fines ſuos prohibuit, ne diabolus præfata ſcientia vteretur ſecundum poſſe eius: dicit enim Auguſtinus tertio de Trinitate, quod *diabolus multa poteſt virtute ſua naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute divina*, nec tamen per hoc diminuit eius poſſe, ſed tantum impedit, nè in actum exeat. Sic diabolus virtute ſuę naturæ cognoſcere poterat Matrem Dei non fuiſſe corruptã, ſed Virginem, prohibitus tamen eſt, ne cognoſceret, ne perciperet modum partus divini: vnde non ſequitur, eius cognitionem habitualem fuiſſe diminutã. Ex his ad confirm. nego Conſeq. Etenim Deum celaſſe Virginitatem Mariæ, ne ab Angelo malo certo cognoſceretur, non fuit eius ſcientiã naturalem habitualem diminuere, ſed ſolum impedire, ne in actum illius obiecti exiret: ſicut cum Deus prohibuit ignẽ Babilonium, ne combureret pueros in fornacem miſſos, non diminuit vires ignis cõbuſtivas, ſed miraculum in eo fecit, quod manente in igne fornacis integra vi combuſtiva, de facto non combureret.

1088 Obiicies tertio, ſi Dæmones nõ eſſent privati cognitione habituali veritatis, verè cognoſcerent Dæmones ſe ipſos, quod eſſet perfectè cognoſcere ſubſtantias ſeparatas; hoc autem non eſt dicendum: ergo. Prob. Min. nam cognoſcere ſubſtantias ſeparatas pertinet ad magnam eorum beatitudinem: ergo nequit Dæmonibus convenire, qui in maxima miſeria ſunt conſtituti. Ad hoc reſpondet Div. Thom. nego Min. ad Prob. negat Mai. Etenim fœlicitas naturalis conſiſtit in cognoſcendo perfectè aliquod obiectum, quod eſt ſupra illum, qui fœlicitatur: vnde magna fœlicitas hominis eſt cognoſcere naturaliter ſubſtantias ſeparatas, quia iſtæ ſunt ſupra eius naturam, ſed cognoſcere alias naturas ſenſibiles non ſpectat ad hominis fœlicitatẽ, quia obiectum eius connaturale ſunt: ſic cũ Angelis obiectum connaturale ſint ſubſtãtiæ ſeparatæ, cognoſcere illas non ſpectat ad fœlicitatem naturalem Angelorum.

Sed inſtas, ſaltim negari non poteſt, quod cognitio naturalis Dei ſpectet ad beatitudinem naturalem Angelorum: ergo ne componamus maximam beatitudinẽ naturalem cum maxima infœlicitate, & miſeria Dæmonum, debebimus aſſeverare, Dæmones cognitione naturali Deum perfectè non cognoſcere, ea vtique cognitione, qua ante peccatum Deum cognoſcebant: ergo & debemus affirmare eorũ cognitionem naturalem eſſe diminutam per lapſum. Ad hoc dico, quod cognitio naturalis Dei in eo, qui eam refert ad laudem creatoris, maximè ſpectat ad beatitudinem naturalem Angeli; ſi autem ad laudẽ creatoris eam referre non poſsit, beatitudinis nomine fit indigna: vnde etſi in Dæmone ponamus cognitionem de Deo, quam habebat per ſuam naturam, antequam peccaret; non ſequitur, quod coniungamus in eo beatitudinem cum ſumma miſeria, quia prædictam cognitionem ad Deum nec referunt, nec referre poſſunt, cum non poſsint operari niſi ex fine pravo, ad quem obſtinati adhærent.

Sed inſtas, Dæmon ex hac cognitione Dei movetur ad amandũ Deum auctorem naturæ: igitur per talem amorem referre poterit ſe ipſum, & omnia ſua in laudem creatoris, & conſequenter referret ip-

ſam

Digitized by Google

ſuam cognitionem, quam habet de Deo in ipſum Deum vltimum finem naturalem, vnde ex defectu huius relationis in Deum non amitteret rationem beatitudinis naturalis præfata cognitio Dei. Secundo, ſi ponamus quod videns Deum in ſe ipſo non poſſit referre in Deum vltimum finem ipſum actū viſionis, eo quod Deus non det ei charitatem, vel auxilium charitativum, quo ad Deum vltimum finem ſupernaturalem ſe ordinet, adhuc tamen per prædictam viſionem erit beatus eſſentialiter: ergo etiam ſi Dæmon cognitionem perfectam, quam habet de Deo auctore naturæ, non referret, neque referre poſsit ad Deum vltimum finem, adhuc beabitur tali cognitione beatitudine naturali. Tertio, Dæmones habent mundum cor mundicia naturæ, quamvis non munditia gratiæ, ſic docet Div. Thom. hic q. 64. art. 1. ad 2. illis verbis; *licet enim non habeant puritatem, quæ eſt per gratiam, habent tamen puritatem naturæ, quæ ſufficit ad cognitionem Dei, quæ eis convenit ex natura*: igitur intra ordinem naturę poſſunt referre ad laudem creatoris opera ſua naturalia, & ſic poterũt referre ad Deum ipſam ſuam cognitionem.

Ad primam diſt. Conſeq. reductione phyſica, & morali, nego Conſ. ſolum phyſica tranſ. Conſe. & nego aliam Conſeq. quæ ſubinfertur. Itaque ad beatitudinem naturalẽ non ſufficit cognitio Dei, & amor eius vt auctor naturæ eſt phyſicè, ſed etiã moraliter requiritur quòd quis ſe in illum referat habendo illum pro regula, & menſura ſuarum operationum: porrò Dæmon primum habet, in ſecundo deficit, quia pro regula ſuarum operationũ non Deum habet, ſed ſe ipſum, vel ipſum bonum, cuius appetitu peccavit: eſt enim obſtinatus in peccato ſuo, & omnia, quæ operatur, ex illo pravo fine operatur, & ſic quamvis cognoſcat, & diligat Deum auctorem naturæ, non tamen beatitudine fruitur naturali. Ad ſecundam, nego Conſ. etenim videns Deum, ſic ipſa Dei viſione rectificatur, quod quamvis defectu charitatis ſe ipſum, & viſionem ad Deum vltimum finem referre non poſsit, tamen ſic eſt diſpoſitus, quod eſt neceſſitatus quo ad ſpeciem actus ad referendum ad Deum ſe ipſum, & omnia ſua: vnde prædicta viſio, etiam charitate deſtituta, fœlicitare poteſt fœlicitate eſſentiali, & radicali; è contra verò Dæmon ſic propriæ excellentiæ adhæret, quod non niſi ex fine illius aliquid vales operari, ſic què moraliter opus ſuũ in laudem creatoris referre non poteſt, ſic, quod in ipſo ſiſtat creatore. Ad tertiam dico, Dæmones habere eam puritatẽ naturæ, quæ ſufficiat ad habendum altiorem cognitionem de Deo ea, quàm habet homo per vires naturę; non tamen quæ ſufficiat ad ſe referendum in Deum vltimum finem phyſicum, & moralem: vnde talis puritas illum fœlicitare beatitudine naturali non ſufficit.

§. III.

Quomodo cognitio veritatis, quæ eſt per gratiam in ſola ſpeculatione conſiſtens, non ſit in Dæmonibus totaliter ablata, ſed ſolum diminuta?

1089 De ſecunda cognitione, quę eſt per gratiam in ſola ſpeculatione conſiſtens, docet Div. Thom. hic quæſt. 64. artic. 1. non eſſe in Dæmonibus totaliter ablatam; eſſe tamen diminutam: *quia de huiuſmodi ſecretis divinis tantùm revelatur eis, quantũ oportet vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divinæ virtutis effecta; nõ autem ſicut ipſis Sanctis Angelis, quibus plura, & clarius revelantur in ipſo verbo.* Sic Div. Thom. quomodo autẽ hæc vera ſint, prætendo in hoc §. examinare. Et quidẽ valde apparet difficile, quod Dæmones habeãt aliquam veritatis cognitionem ex his, quę ſolum per gratiam haberi poſſunt, omnis enim cognitio veritatis, quæ ſolũ per gratiam haberi poteſt vel eſt ſcientiæ beatæ, vel ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis, vel fidei divinæ: cum ergo Dæmon his tribus careat, non videtur quomodo poſsit habere cognitionem veritatis, quæ ſolùm per gratiam haberi poteſt.

Neque his fiet ſatis ſi cum Bañez, & Dominicus de Marinis dicas, Div. Thom. hic nomine cognitionis ſupernaturalis, vel quæ habetur per gratiam non intelligere eam cognitionem, ad quam Deus aliquo concurſu ſupernaturali concurrat, ſic, quod Dæmon aliquo auxilio ſupernaturali adiutus in cognitionem alicuius veritatis ſupernaturalis deveniat; ſed intelligi eam cognitionem, quæ de aliquo obiecto ſupernaturali ſit, non tamen ex motivo ſupernaturali v. g. Deus revelat aliquod myſterium fidei Dæmoni, quod quidem ex terminis ad ordinem gratiæ pertinet; Dæmon autem nõ aſſentitur tali revelationi ex eo quod Deus di-

dicit, qui prima veritas eſt, ſed aſſentitur, quia vult credere id, quod ei proponitur: vnde non fide ſupernaturali, ſed naturali adquiſita credit, vel aſſentitur, quia aliqua ratione naturali ad aſſentiendum convincitur.

Non (inquam) per hæc fit ſatis difficultati propoſitæ, nam D. Thom. cognitionem earum veritatum, quæ tantum habentur per gratiam dividit in eam; quæ in ſola ſpeculatione conſiſtit, & in eam, quæ affectum inflamat; & de ſecunda dicit eſſe totaliter ablatam, de prima dicit non eſſe prorſus ablatam, ſed diminutam: ſi autem Dæmon nullam cognitionem veritatis habeat, ad quam habendam gratiam requirat, videtur, quod cognitio, quæ non habetur niſi per gratiam, prorſus à Dæmone ablata ſit. Confir. ſi enim Dæmon, propoſito ſibi aliquo myſterio de ordine gratiæ, ſolum per naturam aſſentiat, & ex motivo pure naturali, eſtò poſsit verificari quod habet cognitionem veritatis ſupernaturalis, non tamen verificari poteſt quod habet cognitionem per gratiam: ſiquidem illam habet per naturam omni gratia intrinſeca ad efficientiam talis cognitionis ſecluſa: ergo per doctrinam datam non ſatisfit literæ Divi Thom. Confirm. ſecundo, nam D. Thom. loquens de cognitione hac, quæ habetur per gratiam, probat in Dæmonibus eſſe diminutam; non vero prorſus ablatam, quia *de huiuſmodi ſecretis divinis tantùm revelatur eis, quantũ oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divina virtutis effecta*: revelatio autem divina non fit ſolum per propoſitionem ſolam credibilis, ſed etiam per aliquam illuſtrationem tenentem ſe ex parte intellectus coadiuvantem illum ad aſſentiendum rei, quę credenda proponitur: ergo.

1090 His moveor ad aſſerendum in Dæmonibus dari aliquam fidem privatã, qua non ex affectu ad divina credunt, ſed credere coguntur Deo, ſic efficaciter movente eos, vt credant his, quæ oportet. Ex quo fit quod prædicta fides nullo modo ſit affectiva, ſed pure ſpeculativa, nec eiuſdẽ rationis cum fide noſtra, qua ex pio affectu credimus myſterijs divinis, quia Deus revelat. Solum in hoc poteſt eſſe difficultas quantum ad illud verbum *cogitur*, quomodo enim cogi poſſunt ad aſſentiendũ his, quæ nõ vident? Et ſecundò, quomodo poteſt dari gratia illuſtrativa intellectus, quæ nullo modo ſit inductiva affectus voluntatis ad bonum? Ad quorũ primo dico, poſſe cogi ad credendum non ex meritis obiecti propoſiti, ſed timore ſervili pœnarum, nempe, ne ſi non credãt, pœnas diriſsimas incurrant, ideoque dicitur, *credunt, & contremiſcunt*, quia prædicto timore conterriti aſſentiuntur his, quæ oportet vt credant, & quantum ad hoc dico, quod credere coguntur. Quo ad ſecundum dico, quod cum gratia illuſtrativa intellectus ex eo ſit affectiva ad bonũ, quia illa quis credit ex pio, & ſancto affectu ad divina, non habeo pro inconvenienti, quod cum Dœmones credant non ex affectu ad divina, ſic illuſtrentur ad aſſentiẽdum his, quæ eis revelantur, quod ex vi talis illuſtrationis non inducantur ad operandum bonum: & ſicut Deo nõ eſt impoſsibile ab igne inferni auferre lucem relinquendo in eo ardorem, ſic nõ eſt impoſsibile Deo immittere gratiam dantem lucem ad aſſenſum, non vero dantem ardorem ad bene operandũ. Similiter Angelus per ſuam cogitationem inclinatam per voluntatem ad opus poteſt extra ſe operari, & locare ſe in loco, quo voluerit; & nihilominus Deus alligat damnatos Angelos, ſic, quod cogitare poſsint, non tamen operari poſsint, vbi voluerint, dividendo operationem à ſua efficacia operativa ad extra: poterit ergo pariter à gratia illuſtrationis intellectus ſeparare vim affectivam voluntatis, & facere quod ſolum inſerviat Dæmonibus ad aſſenſum purè ſpeculativum.

Ex his ergo ad rationem dubitandi dico, quod fides illa, qua Dæmones aſſentiunt his, quæ eis divinitus revelantur, eſt fides privata ſupernaturalis, purè ſpeculativa, & nullatenus affectivâ diſtinctæ rationis etiam à fide informi, quæ reperitur in peccatoribus, in quibus eſtò de facto non inflammet affectum, neque alliciat voluntatem ad bene operandum, tamen quantum eſt ex ſe, & veluti per modum actus primi affectiva, & inflãmativa eſt affectus voluntatis.

§. IV.

Vtrùm voluntas Dæmonis ſit obſtinata in malo?

1091 SENTENTIA fuit Originis, vt docet D. Thom. in hoc artic. quod omnis voluntas creaturæ propter libertatem arbitrij poteſt

teſt flecti, & in bonum, & in malum, excepta anima Chriſti propter vnionẽ ad Verbum; de qua poſitione ſic docet D. Thom. *quæ poſitio tollit veritatem beatitudinis à Sanctis Angelis, & hominibus, quia ſtabilitas ſempiterna eſt de ratione veræ beatitudinis: unde vita æterna nominatur. Repugnat etiam auctoritati ſcripturæ ſacræ, quæ Dæmones, & homines malos in ſupplicium æternum mittendos; bonos autem in vitam æternam transferendos pronunciat. Vnde hæc poſitio eſt tanquam erronea reputanda, & tenendum eſt firmiter ſecundum fidem catholicam, quod & voluntas bonorum Angelorum confirmata eſt in bono, & voluntas Dæmonum obſtinata eſt in malo.* Quod confirmat in argumento *ſed contra* ex illo Pſal. 73. *ſuperbia eorũ qui te oderũt, aſcendit ſemper.* Et poteſt etiam probari ex illo Iſaiæ 8. *quod ſi non dixerint iuxta Verbum hoc, non erit eis matutina lux, & tranſibit per eam, corruet, & eſuriet, & cum eſurierit, iraſcetur, & maledicet Regi ſuo, & Deo ſuo, & ſuſpiciet ſurſum, & ad terram intuebitur, & ecce tribulatio, & tenebræ, diſſolutio, & anguſtia, & caligo perſequens, & non poterit avolare de anguſtia ſua.* In qua auctoritate ſtatus damnatorum deſcribitur; qui iuxta verbum ſuum, & præceptum nõ direxerunt vias ſuas: & conſiſtit primo in eo quod denegabitur illis matutina lux, & divina illuſtratio, vt poſsint videre, & reſipiſcere; denegabitur etiam ſaturitas, dum eſurient, ex quo in rabiem, maledictionẽ, & blaſphemiam in Regem ſuum proſilient, quem ſic ſevere agnoſcent punitorem: in quo ſtatu in perpetuum erunt non valentes avolare, vel exire de anguſtia ſua. Marci etiam 9. habetur, *et ſi ſcandalizaverit te manus tua abſcinde illam, bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem mitti in ignem æternum, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Et de hac veritate innumera habentur loca in ſacra ſcriptura; quæ videri poſſunt apud expoſitores Div. Thom. ex quibus conſtare poterit concluſionem Div. Thom. de obſtinatione Dæmonum in malo, ſic eſſe apud catholicos certam, quod nullus auſus ſit dicere oppoſitum. Vnde quantũ ad hoc non eſt in præſenti difficultas.

Eſt tamen magnum diſſidium inter Scholaſticos in aſsignanda ratione hujus obſtinationis. Cum enim obſtinatio in malo conſiſtat in eo quod Dæmones non poſsint converti ad bonum, hinc aliqui dixerunt, hoc convenire Dæmonibus non quia ex rei natura ipſi ſint inflexibiles, ſed extrinſecè præciſè ex eo quod tali ſtatui damnationis Deus in perpetuum denegat auxilia, quo fit vt ipſi ad bonum converti non poſſint. Quam ſententiam tenuere Scotus, Durandus, & alios, qui conveniunt in eo quod Dæmones non poſſe converti ad bonum non oritur ex ipſa eorum natura: diſtinguuntur autem in eo, quod Scotus, & Durandus recurrunt ad decretum extrinſecum Dei de nunquam danda gratia, vt cõvertantur. Alij reducunt hoc ad magnam difficultatem, quam habent Angeli in reſipiſcendo ab eo, quod ſemel ex plena electione elegerũt quo fit vt moraliter ſit impoſsibile, vt à malo, cui adhærent per plenam electionem, reſipiſcant, & ad bonum oppoſitum convertãtur. Sic tenent communiter Ieſuitæ, Suarez lib. 8. de Angelis cap. 11. Valentia quæſt. 15. p. 5. Vazquez diſp. 239. & Granados tract. 14. diſp. 3. ſect. 2. & noviſsime Pater Eſparça hic q. 28. artic. 6. E contra Angelicus Doctor perpetuus eſt in aſsignanda cauſa obſtinationis Dæmonum ex ipſa intrinſeca natura Angelorum, quorum intellectus, quando ex plena advertẽtia iudicat, & ad aliquid ſe determinat, ſic immobilis eſt in ſua ſententia, quod naturaliter oppoſitum ſentire non valet, quo fit quod cum voluntas eorum ex intellectu oriatur, eadem ornetur naturali conditione, videlicet, quod poſtquam plene deliberate alicui obiecto adhæret, ei ſic immobiliter adhæreat, quod non poſsit illud deſerere: vnde fit quod non ſint mutabiles de malo ad bonum, & ſic ſunt obſtinati in malo. Sequuntur Div. Thom. ferè omnes Thomiſtæ, vno, vel altero excepto.

§. V.

Reſolvitur quæſitum.

1092 DICO primò. Ad obſtinationem in malo requiritur indiſpenſabiliter denegatio omnis auxilij tàm efficacis, quã ſufficientis ad bonum. In hac concluſione debent convenire omnes Theologi. Etenim ſicut non datur peccatum ſine eo quod Deus ſubtrahat gratiam requiſitã ad operandum bonum, vel ad non amittendum bonum; ſic nequit dari impotentia perpetua vt aliqua creatura convertatur ad bonum, & retractet malum; ſine eo quod

Deus

Deus auferat ab illa, vel illi non concedat gratiam ſufficientem, & efficacem ad prædictam converſionem: ſi enim Deus Dæmoni daret gratiam ſufficientem ad ſe cõvertendum ad bonum, & ſi vltra adderet etiam gratiam efficacem ad idem, ille & retractare poſſet malum, & de facto converteretur ad bonum: cum ergo obſtinatio in malo requirat impotentiam ad retractandum malum, & convertendum ſe ad bonum, neceſſariò fatẽdum erit, ad obſtinationem requiri negationem omnis auxilij ſufficientis, & efficacis ad retractandũ malum, & convertendum ſe ad bonum oppoſitum. Quomodo autem ſtare poſſit quod Dæmones deſtituti ſint in perpetuum omni auxilio ſufficienti, & efficaci ad bonum, & nihilominus poſſint peccare, & de facto peccet, cum ad peccatum requiratur voluntas indifferens ad bonum, & ad malum, ideſt, potens ad vtrumque; poſſe autem ad bonum habetur ab auxilijs ſufficiẽtibus, ex quo videtur inferri, quod ſi Dæmones omni auxilio ſufficienti ad bonum privati ſunt, impotentes ad bonum ſint, ex quo ſequitur eſſe inhabiles ad peccandum, quod admitti non poteſt.

Ad hanc difficultatem reſp. Ioannes à S. Thom. hic diſp. 24. art. 2. Dæmonibus, quamvis denegetur omne auxilium ſufficiens incitativum, & inductivum ad bonum; concedi tamen auxilium ſufficiens ex parte intellectus conſiſtens in quadam illuſtratione, quã etiam bonum ſupernaturale cognoſcunt; ſiccum tamen, & aridum, & nullatenus inductivũ voluntatis ad bonum, cùm tantum conſiſtat in ſpeculatione boni ſecundum ſe, & quaſi in abſtracto; quæ cõſideratio boni etiam conſiderati vt convenientis, ſic eſt ſicca & arida, quod nõ ſufficiat ad excitandam aliquomodo volũtatem ad benè operandum; quo auxilio cũ cognoſcant bonum, & obligationem ad bene operandum, voluntas ſit ſufficienter potens peccare.

Sed contra ſolutionem inſto, nam ex vi talis auxilij ſolum Dæmon cognoſcit bonum, & obligationem ad bene operandum: ergo nullo modo potens ſit ad operandum bonum: non ergo manet indifferens ad bonum, & ad malum operandum: ergo ſi ſemel conceditur ad peccandum requiri potentiam ad bene, & ad male operandum; adhuc poſito tali auxilio ex parte intellectus; non dabitur, quod Dæmon poſſit peccare. Prob. prima Conſeq. nam Auguſtinus, & Patres contra Pelagium dicunt, quod ſine gratia nõ ſolum difficile, ſed etiã ſimpliciter homo converti non poteſt, & bonum operari; at nomine gratiæ non intelligunt ſolum ipſam voluntatem, ſeu potentiam liberam, quæ phyſice eſt indifferens ad velle, & non velle, nec etiam intelligunt ſolam legem, aut etiam prædicationem externam, vel internam, qua homo accipit cognitionem obiecti boni, & cognoſcit obligationẽ ſuam ad bene operandum; nam hæc omnia admittebat Pelagius: ergo illa cognitio purè ſpeculativa boni, & obligationis ad operandum nullas dat vires ad bene operandum: ergo ſi ad hoc vt peccet, requiritur quod poſſit bene operari, non poterimus aſſerere, Dæmones poſſe peccare, & peccare de facto.

1093 Aliter ergo reſp. ad difficultatẽ propoſitam, dicendo, quod ad poſſe peccare, & peccandum de facto non requiritur indifferentia ad bonum, & ad malum: ſicut neque ad bene operandum moraliter, & meritoriè requiritur indifferẽtia ad bonum, & ad malum, vti videmus in Chriſto, & in Angelis in primo inſtanti ſuę cõditionis, in quo de facto meruerunt, & nulla via peccare potuerunt: vnde ſicut ſola libertate cõtradictionis bene moraliter operabantur cum impotentia ad malum, ſic & Dæmones cum impotentia ad bonum ſola libertate cõtradictionis poſſunt, & de facto faciunt malum.

Sed inſtas contra hanc doctrinam. Si homini viatori Deus auferat in pœnam ſuorum peccatorum omne auxilium gratiæ ſufficientis, iſte non peccabit, quantũvis liber maneat ad peccatum libertate cõtradictionis: quomodo enim qui legem ſervare nullo modo poteſt, peccabit legem non ſervando? Ergo ſimiliter ſi à Dæmonibus Deus omne auxilium ſufficiens auferat, quo legem, ad quam tenentur, ſervare non poſſint, non ſervando legem nõ peccabunt, quantumvis libertatem contradictionis habeant. Etenim ſi hæc non ſufficit in viatoribus ad peccatum, pariter non ſufficiet ad peccatum in Dæmonibus. Ad hoc nego Conſ. & aſſigno diſcrimẽ in eo, quod cum Deus in pœnã alterius peccati auferret auxilia ſufficientia ad bene operandum, & ſervandam legem, impotentia ad bene operandum hinc contracta non fuiſſet per ſe volita ab ipſo peccante, ſiquidem peccans ignoraret, quod Deus in pœnam peccati auferret ei auxilia ſufficientia ad

deinde

Digitized by Google

deinde benè operandum, & legem ſervandam: vnde non ſervare legem non eſſet in eo novum peccatum, ſed tantum eſſet ſequela peccati: peccatores autem, dum peccant in via, ſciunt bene, quod propter talia peccata merentur damnationem, quæ partim conſiſtit in carentia omnium auxiliorum ad bene operandum, vnde omni mortaliter peccanti per ſe eſt voluntaria, & per ſe præciſa prædicta pœna: vnde cum ſua culpa per ſe, & directè talem pœnam impotentiæ incurrant, non ſervando legem peccant: vnde quod viatores talibus auxiliis privati non peccēt non ſervando legē, non eſt, quia non habent ſufficientē libertatem ad peccandum, ſed quia non prævi derunt prædictam ablationem auxiliorum in pœnam ſui peccati illis eſſe affuturam; cum ergo Dæmones, & homines prævident in pœnam peccati mortalis conſignari damnationem, cuius magna pars eſt deſtitui auxiliis ſufficientibus ad bene operandum, ipſum non ſervare legem in ſtatu damnationis illis ſimpliciter eſt voluntarium, ac per Conſequens à peccato inexcuſabile.

§. VI.

Statuitur ſecunda concluſio.

1093 DICO ſecundo, cauſa intrinſeca obſtinationis tenens ſe ex parte Angeli conſiſtit in natura ipſius Angeli, quæ talis eſt, quod naturaliter poſtquam plene aliquid elegit non poteſt ſuam electionem retractare, & oppoſitum eligere. Ita Thomiſtæ, Caiet. hic in art. 2. huius q. 64. Nazarius ibidem Controverſ. 1. Bañez dubio 1. Ferrara 4. contra g. cap. 95. Capreolus in 2. d. 7. Salmantic. tractatu 7. de Angelis diſp. 13. dub. 1. Navarrete tom. 3. Controv. 84. Ioannes à S. Thom. hic diſp. 24. art. 2. Gonet hic art. 2. Dixi in concluſione naturaliter, nam ſupernaturaliter, & loquendo de potentia abſoluta, bene poſſet facere Deus quod Dæmon retractaret id, quod elegit malum, & converteretur ad bonum. Sic colligitur ex doctrina Div. Thom. q. 16. de malo art. 5. ad 13. ibi; *movere voluntatē ſolus Deus poteſt, qui etiam ſecundum abſolutam potentiam poſſet mutare voluntatem Dæmonis in bonum; ſed tamen hoc non congruit naturæ ipſius, vt dictum eſt.* Et ratio huius poteſt deſumi ex illo vulgari dicto Parentis Auguſtini, *magis ſunt in poteſtate Dei voluntates noſtræ, quam ſint in noſtra poteſtate:* ergo ex hoc quod Angeli, poſtquam plene ſe determinarunt ad aliquod volibile, non poſſint, natura eorum, & modo connaturali operandi attento, eligere oppoſitum, non ſequitur, quod Deus eorum voluntates ad oppoſitum eligendum mutare non poſſit. Dixi etiam poſtquam plene aliquid elegit: nam ſicut Angelus aliquando per intellectū non plene ſe determinat ad iudiciū de aliqua re formandum, puta, cum tantum ex aliqua coniectura procedit ad rei cognitionem, ita aliquando non plene ſe determinat ad aliquod volibile; nequit enim adeſſe plena determinatio ex parte voluntatis, quando non adeſt plena determinatio ex parte intellectus; in quo caſu non loquitur noſtra concluſio: tunc enim ſicut poſſunt mutare iudicium ex parte intellectus, quia plene illi rei non adhæſerunt, ita & poſſunt mutare electionē, quia etiam tunc voluntas eorum non firmiter adhæſit bono electo.

1094 His poſitis, Prob. Concluſio ratione D. Thom. ad hanc formam reducta. Angelus apprehēdit immobiliter: ergo appetit immobiliter, & ſic poſtquam plenè elegit, nequit retractare naturaliter ſuam electionem. Antec. patet ex eo, quod Angelus apprehendit omnia ſine diſcurſu, ſicut nos apprehendimus prima principia; ſed nos immobiliter apprehēdim⁹ prima principia: igitur, & Angelus apprehendit immobiliter omnia, quæ cognoſcit. Conſeq. vero Prob. tum quia vniverſaliter appetitus proportionatur apprehenſivę virtuti, ſicut mobile ſuo motori: vnde videmus in nobis, quod quia intellectus eſt vniverſalium, etiam voluntas eſt vniverſalium, & quia ſenſus eſt particularium, appetitus ſenſitivus nequit appetere niſi res in ſingulari; Tunc etiam Prob. quia apprehenſionē mobilem ſequitur appetere mobile, vt patet in nobis, quorum electio eſt mobilis, quia apprehenſio eſt mobilis, cum procedat ex diſcurſu, & diſcurſus ad vtrumque oppoſitorum ſit. Hæc ratio D. Thom. ſatis eſt efficax, ſed eſt valde difficilis: nam ex pluribus capitibus difficultatem patitur. Proponam difficultates per ſingula capita; & ſigillatim ſolvam.

1095 Primo enim difficile eſt intelligere, quomodo ex hoc quod Angelus intelligat ſine diſcurſu, ſequatur, quod immobiliter apprehendat veritatem. Etenim An-

Digitized by Google

gelos in omnibus, quæ cognoſcit, ſemper ſine diſcurſu procedit, & tamen non ſemper veritatem immobiliter apprehendit, vt diximus paulò ſupra de Angelo ex ſola cõiectura aliquid cognoſcente. Secundo, nam Angelus, antequàm peccaret, veritatem ſine diſcurſu apprehendit, & tamen nõ immobiliter eam apprehendit; ſiquidem hæc, quæ elegit primò, deinde retractavit, ex quo evidenter infertur illum mutaſſe iudicium: nam non poteſt eſſe retractatio electionis in voluntate ſine mutatione iudicij ex parte intellectus. Tertio, quia homo nõ ideo immobiliter apprehendit prima principia, quia ea ſine diſcurſu cognoſcat, ſed quia lumẽ, quo prima principia cognoſcit, eſt homini à natura inditum, & immutabile, & ideò apprehenſio primorum principiorum eſt immutabilis: ergo immutabilitas iudicij Angeli non debebat probari ex carẽtia diſcurſus, ſed debebat probari ex eo quod Angelo cognitio omnium, quæ cognoſcit, eſſet à Deo auctore indita, & ſic naturalis: quod licet poſſet habere verum reſpectu naturaliũ, nullo tamen modo verum habere poteſt reſpectu obiectorum ſupernaturalium, circa quæ peccatum Angeli contigit: vnde probatio Div. Thom. non videtur efficax.

Quarto, nam iudicium eſſe mutabile nõn debet reduci ad hoc, quod ſit habitũ per diſcurſum: ergo & quod iudiciũ ſit immutabile non debet reduci ad hoc, quod ſit habitum ſine diſcurſu per ſimplicem apprehenſionem. Conſeq. videtur bona, nam vbi affirmatio non eſt cauſa adæquata affirmationis, neq; negatio eſt cauſa adæquata negationis: ergo ſi diſcurſus non eſt cauſa adæquata mutabilitatis iudicij, neque carentiã diſcurſus debebit eſſe cauſa adæquata immutabilitatis iudicij. Et Antec. Prob. nam cognitio concluſionis Geometriæ habetur per diſcurſum; & tamen eſt omnino immutabilis: ergo diſcurſus nõ eſt cauſa adæquata mutabilitatis iudicij. Quinto, ſtat cũ ſimplici cognitione veritatis, & ſine diſcurſu mutabilitas iudicij, vt ſi quis de aliqua concluſione apprehendat aliquam veritatem, ſi poſtmodum oppoſitum eius appareat probabilius, tunc ille poterit mutare iudicium: ergo ex hoc quod Angeli ſine diſcurſu apprehendant veritatem, non ſequitur, quod illam immutabiliter apprehendant.

1096 Pro ſolutione harum difficultatum advertit Caietanus, quod ſtando in ordine naturæ, cognitio illa, ad quam natura negavit diſcurſum, ſic, quod cognoſcens nõ poteſt per diſcurſum, ſed ſimplici intuitu illam cognoſcere, eſt intelligenti naturalis; ſicut & hominibus naturale eſt cognoſcere prima principia: quod colligit Caietanus ex eo, quod quia homini non eſt naturale cognoſcere omnia, quæ ad ordinem naturæ ſpectant, ideo ad omnia ei natura non negavit diſcurſum: & quia cognoſcere aliqua eſt ei naturale, ad iſtorum cognitionem ei diſcurſum negavit: vnde quia cognoſcere prima principia eſt homini naturale, ideo ad illa cognoſcenda diſcurſum denegavit: vnde illa tãtum ſimplici intuitu valet cognoſcere: cum ergo Angelo natura negaverit diſcurſum circa cuiuſcumque obiecti ordinis naturę cognitionem, ſic, quod nullũ per diſcurſum cognoſcere valet: inde infertur, quod ſicut cognoſcere principia eſt homini à natura; & cognoſcere omnia, quæ ſpectant ad ordinem naturæ in Angelo eſt ei à natura: vnde ſi propter hanc rationẽ cognitio hominis reſpectu primorum principiorum eſt immutabilis, ita & cognoſcere omnia naturalia eſt Angelo immutabile; optime ergo ex carentia diſcurſus in cognoſcendo infert D. Thom. carentiam mutabilitatis in Angelico iudicio: vnde hæc veritas Prob. ſic. Omnis cognitio veritatis, quæ tantum poteſt haberi per ſimplicẽ apprehenſionẽ eſt ab ipſa natura; omnis cognitio, quæ eſt à natura eſt immutabilis: ergo omnis cognitio, quæ tantum per ſimplicem apprehenſionem haberi poteſt, erit immutabilis. Sed Angelus nihil ſpectans ad ordinem naturæ poteſt intelligere per diſcurſum, ſed neceſſe eſt, quod intelligat per ſimplicem apprehenſionem: ergo omnis eius cognitio circa naturalia eſt ei naturalis: ergo & immutabilis, ſic, quòd immutabilitas cognitionis tanquam ad radicem non reducitur in carentiam diſcurſus tam actualis, quã potẽtialis, ſed reducitur ad id, quod eſt, quod talis cognitio, quæ per diſcurſum haberi non poteſt, eſt neceſſariò indita à natura. Secundo advertit idem Caietanus, quod cognitio ſupernaturalis eſt in Angelis ad modum naturalis, nam vnumquodque recipitur in aliquo per modũ recipientis, & gratia non deſtruit, ſed potius perficit naturam modo conformi illi naturæ: experimur enim quod eo modo, quãvis non eadem evidentia, cognoſcimus, & iudicamus de ſupernaturalibus, quo de naturalibus; fit inde, quod ſicut in cognitione

ne naturalium Angelus nõ diſcurrit, ſic neque diſcurrere poſsit in cognitione ſupernaturalium, & per Conſeq. ſicut cognitio naturalis in Angelis eſt immutabilis, ita & ſupernaturalis ſit immutabilis in illis.

1097 Ex his patet ad primam difficultatem. Conſtat enim iam quomodo ex carentia diſcurſus actualis, & potentialis ſequatur immutabilitas iudicij plene determinati: vbi enim natura negavit diſcurſum, qui eſt via ad oppoſita, nempe à principijs ad cõcluſiones, ſignum eſt, quod immutabiliter determinavit ad vnum. Ad ſecundam dicitur, quod illud iudicium de ſupernaturalibus, quo Angelus iudicavit in primo inſtanti Deum eſſe amandum ſuper omnia, non fuit plene liberum; quia Angelus ad ſic iudicandum non ſe determinavit ex plena libertate: plena enim libertas in puro viatore requirit indifferentiam ad bonum, & ad malum: vnde omnes in primo inſtanti iudicarunt Deum eſſe amandum, quia non poterant tunc niſi ad bonũ: vnde prædictum iudicium, quamvis ſit ſine diſcurſu habitum, quia tamen ex plena libertate Angelus non ſe determinavit ad illud, non eſt aſsimilatum iudicio naturali quoad immobilitatem: iudicavit enim Angelus tunc Deum eſſe amandum non iudicio abſoluto, ſed tantum attenta diſpoſitione, in qua in illo inſtanti inveniebatur: vnde potuit in inſtanti ſequenti retractare tale iudicium.

Etſi inſtes, in naturalibus omne iudicium Angeli, ſive ex plena libertate procedat, ſive non, eſt naturaliter immutabile: videmus enim quod circa naturalia eodem modo, quo iudicarunt in primo inſtanti, iudicarunt in ſecundo, & in tertio etiam: ergo ſi iudicium ſupernaturaliũ debet in Angelis eſſe immobile ad imitationem, & modum iudicij naturalis, ſive ex plena libertate procedat, ſive ex non plena, debebit eſſe immobile: ergo ſi ponamus iudicium hoc non aſsimilatum naturali, falsò dicemus, Angeli iudicium circa ſupernaturalia ſic eſſe immobile, ſicut iudicium naturalium. Confirm. illud iudicium circa naturalia non procedens ex plena libertate, ideo cognoſcitur immutabile, quia ad illud natura negavit diſcurſũ actualem, & potentialem; ſed etiam ad iudiciũ de ſupernaturalibus non ex plena libertate procedens natura negavit diſcurſum: ergo vel aſſerendum erit prędictum iudicium de ſupernaturalibus eſſe immutabile, vel aſſerendum erit, carentiam diſcurſus actualis, & potentialis non eſſe evidens ſignũ, quod iudicium ſit immutabile; at primum dici non poteſt: ergo aſſerendum erit ſecundum.

Reſpond. nego Conſeq. primam, & aſsignando rationem. Etenim iudiciũ Angelicum circa naturalia eodẽ prorſus modo fuit plenum in primo, & in ſecundo, & in alijs inſtantibus. Tum quia Angelus circa naturalia nunquam habuit indifferentiã ad bonum, & ad malum, cùm contra illa directe in nullo inſtanti peccare poſsit. Tũ, quia circa naturalia, circa quæ ex evidentia rei cognoſcibilis proceſsit, plenè in primo inſtanti fuit convictus: vnde non manſit in eo aliqua diſpoſitio, quæ per plenã libertatem, nempe per dictamen proprium in ſecundo inſtanti mutationi ſubeſſe poſſet: non ſic res habuit circa ſupernaturalia, nã de impotentia peccandi, quam habuit in primo inſtanti, tranſivit ad poſſe peccare pro ſecundo: vnde non potuit plene determinare in primo, & ſic iudicium de ſupernaturalibus habitum in primo inſtanti non potuit imitari quoad immutabilitatem iudicium naturale habitum in primo inſtanti: cum enim circa naturalia eiuſdem prorſus diſpoſitionis eſſet Angelus in primo, & in ſecundo inſtanti, abſolutè, & pro ſemper ſe determinavit in primo; cùm autem circa ſupernaturalia diverſam diſpoſitionẽ habuerit in primo ab ea, quam habuit in ſecundo, tantum iudicavit de ſupernaturalibus in primo inſtanti iuxta diſpoſitionẽ, & modum, quo circa ſupernaturalia ſe habebat in primo: vnde potuit retractare prædictum iudicium in ſecundo. Ad Confirm. dico, quod illud ſignum circa naturalia in Angelis eſt infallibile, quia coniungitur cum mutabilitate Angeli circa naturalia, circa quæ, ſicut in primo inſtãti peccare non potuit, ita neque in ſecundo, nõ autem habet infallibilitatem in Angelis circa ſupernaturalia, circa quæ mutatus eſt, ſiquidem in primo nullus potuit peccare, ſed omnes erant neceſsitati ad bonum neceſsitate quoad ſpeciem: in ſecundo autem circa ſupernaturalia omnes potuerunt peccare, & ſic illud ſignum apprehenſionis ſine diſcurſu in primo inſtanti non fuit infallibile ſignum immobilitatis iudicij.

Ad tertiã iam vidimus, quod immutabilitas iudicij circa naturalia tanquam ad propriam radicem reducta eſt ad naturalitatem prædicti iudicij; at tanquam ad ca-

ren-

rentiam medij; per quod Angelus mutari poſſet ad iudicandum oppoſitũ, reducãi eſt ad carentiam actualis, & potentialis diſcurſus: ſiquidem cui natura ad cognoſcendum vim dedit diſcurſivã, dedit quoque poſſe mutare iudiciũ: & quia natura Angelis circa ſupernaturalia etiam negavit diſcurſum, creditur, quod circa ſupernaturalia Angelũ etiã ſtatuerit in ſuo pleno iudicio immobilem; quamvis enim cognitio ſupernaturalium in Angelo non ſit à natura, id eſt, à lumine à natura indito, eſt tamen à natura; quo ad modũ, quo fit, nam fit ſine diſcurſu per ſimplicẽ intuitum, qui modus intelligendi Angelo connaturalis eſt, vnde creditur quod quantum ad immutabilitatẽ, etiã cognitionem naturalem imitetur, alias permitteretur Angelo circa ſupernaturalia diſcurrere. Ad quartam dico, quod omne iudicium, quod ſolum haberi poteſt à nobis per diſcurſum, poteſt retractari: nam cum in diſcurſu diſtinctis actibus aſſentiatur præmiſsis ab eo, quo aſſentitur concluſioni, & tota vis aſſentiendi concluſioni ſit ex præmiſsis, contingere planè poteſt, quod quis obliviſcatur præmiſſarũ, & tunc deſtitutus vi probativa concluſionis, illam relinquat, & oppoſitæ aſſenſum præbeat; cui contingentiæ etiam ſubduntur concluſiones geometricæ, nam licet evidentiſsimæ ſint, & evidenter è ſuis principijs deducãtur; ſi tamẽ quis obliviſcatur principiorũ vel præmiſſæ, ex qua inferuntur, poteſt inſtante ratione aliqua in oppoſitum mutari iudicium.

Ad quintam dico, quod ſine diſcurſu actuali poteſt ſtare mutabilitas, non tamen ſine diſcurſu actuali, & potentiali: nam qui diſcurrere non poteſt, & tamen poteſt cognoſcere per ipſam ſimplicem apprehenſionem rei penetrat, & comprehendit omnia illa, quæ circa tale obiectum veritatẽ habere poſſunt: vnde poſtquam plenè ſic videt omnia in vno primo viſo, nequit circa aliquid ſemel plenè iudicatum mutare iudicium. Etenim cum in principio omnia alia videat eodem indiviſibili actu, & ea non in ſe ipſis, ſed in principio videre poſſit, ſicut circa principium iudicium mutare non valet, neque circa ea, quæ in tali principio videt, valet mutare iudicium: poteſt autem homo ſimplici apprehenſione rem aliquam cognoſcere, ſed quia non neceſsitatur illam in ſua cauſa cognoſcere, quia hoc tantum eſt eorum, quæ nullo modo diſcurrere valent, quales ſunt Angeli, poteſt ignorando cauſam rei cognitæ, alia ratione duci ad oppoſitum, & ſic iudicium retractare: quod Angelus non poteſt, quia cum diſcurſivus non ſit, res in ſua cauſa, & in principio neceſsitatur cognoſcere; vnde cum circa prima principia mutari non valeat, circa nullius rei cognitionem plenam, vt dixi, mutari valet.

§. VII.

Solvuntur aliæ difficultates contra rationem D. Thom.

1098 PROBAVIT D. Tho. Angelum appetere immobiliter; quia apprehẽdit immobiliter. Et pro huius cauſa aſsignavit, quod appetitus ſequitur apprehenſionẽ quoad modũ; quia ad illũ comparatur vt mobile ad motorẽ: vnde oportet in hoc proportionari ſuo motori. Quæ probatio inefficax apparuit Scoto in 2. diſt. 7. ideoque contra hoc arguit ſic. Nam aut intendit de motore ſufficiente, aut inſufficiente; ſi de inſufficiente; manifeſtè falſum eſt, quod oportet mobile proportionari tali motori: vnde dato quod voluntas moveatur ab intellectu, non ſequitur, quod neceſſe ſit ei proportionari in eo quod ſicut ipſe immobiliter apprehẽdit, ita & voluntas appetat immobiliter: ſi de ſufficiente; quamvis verum ſit mobile debere proportionari motori, falſum tamen eſt; & repugnans dictis D. Thom. intellectum eſſe motorem ſufficientem reſpectu voluntatis. Quod ſit falſum, dicit ſe probaturum in 2. diſt. Quod ſit repugnans dictis, ex eo probat, quia ex hoc ſequitur quod Angelus non potuerit peccare, quod eſt contra Div. Thom. Secundò, quia ex hoc ſequitur etiã, quod in prima ſui electione Angelus ſit immobilis; quod eſt contra Div. Thomam. Primum deducit ſic. Quia intellectus ante peccatum immobiliter, & rectè apprehendit, & movit voluntatem, quia pœna non præceſsit culpam, & ſicut eſt, ita movet: ergo voluntas à recto, & immobili immobiliter mota ad rectum immobiliter tendit: ergo nunquam potuit peccare. Secundum vero ex eo deducit, quia par ratio eſt de prima apprehenſione, & de conſequentibus, cum omnes æquè immobiles ſint: ergo. Sic Scotus.

1099 Sed placet alijs hoc ipſum impugnare. Etenim ſi voluntas vt mobilis ab intellectu deberet in Angelis ſuo intellectui,

Digitized by Google

à quo movetur conformari, & proportionari, inde ſequeretur, quod ſicut in Angelis ſolum datur cognitio naturalis, & non ratiocinativa; ita in eis ſolum deberet dari dilectio naturalis, & non electiva; Conſ. autem eſt contra dicta ſupra ex D. Tho. q. 60. art. 2. ergo Prob. Maj. etenim pars electiva in voluntate correſpondet parti ratiocinativæ ex parte intellectus, ſicut & pars naturaliter dilectiva correſpondet naturali cognitioni principiorum: ergo ſi voluntas Angeli deberet conformari ſuo intellectui vt mobile ſuo motori, ſicut in intellectu Angeli non datur pars ratiocinativa, pariter neque in voluntate Angeli deberet dari pars electiva. Min. Prob. nam loco citato ſic habet D. Th. *Quia igitur natura intellectualis in Angelis perfecta eſt, invenitur in eis ſola cognitio naturalis, nõ autẽ ratiocinativa, ſed invenitur in eis dilectio, & naturalis, & electiva:* ergo.

Vrgetur hoc ipſum. Nam ſi admittitur electio in voluntate Angeli, & non invenitur ratiocinatio ex parte intellectus, facile intelligitur quod voluntas Angeli non debeat ſe conformare cũ intellectu ſuo quoad prædicatum immobilitatis: ergo. Prob. Ant. tunc ratio, ob quã iudiciũ intellectus Angeli eſt immobile, non militabit in electione: ergo. Prob. Ant. iudicium ſine diſcurſu habitũ iudicatur immobile, quia eſt à natura inditũ, & nõ habetur per inventionẽ, & propriã induſtriã intelligentis; at electio nõ eſt mere à natura, ſed tãtũ eſt à natura in dilectione naturali finis, ex quo ex propria libertate Angelus procedit ad eligendũ: ergo ratio, ob quã iudiciũ intellectus Angeli eſt immobile, non militat in eius electione, vt ſit immobilis. Vrgetur amplius. Iudiciũ habitũ per diſcurſum iudicatur mobile, quia cũ ad ipſum requirantur diverſi actus, nempe cognitio principiorum, & cognitio concluſionis, poteſt quis oblivisci principiorũ, & ſic poteſt retractare concluſionẽ; ſed ad electionẽ diſtinctam à dilectione naturali etiã dantur diſtincti actus, nempe dilectio finis, & electio mediorum cauſata ex amore finis: ergo poterit etiam dari in prædicta electione mobilitas.

Tertio impugnatur præfata doctrina D. Tho. nam ſi intellectus eſt ſufficiens motor voluntatis, ſic, quod voluntas debeat conformari cũ illo, ſequitur, quod charitas viæ, & charitas patriæ debeant inter ſe realiter eſſe diſtinctæ; Conſeq. admitti nequit: ergo. Prob. Sequela, nam iuxta diſtinctionem motorum ſufficientium oportet diſtingui mobilia; at ad movendum ad actum charitatis voluntatem dantur ex parte intellectus duo habitus ſupernaturales, nempe fidei in via, & luminis gloriæ in patria: ergo etiam dabuntur duæ charitates realiter inter ſe diſtinctæ, quarum altera conformetur cum intellectu movente per fidem, & altera conformetur cum intellectu movente per lumen gloriæ.

Præterea, dato quod voluntas debeat conformari intellectui, non bene arguitur, quod debeat eſſe in ſui electione immobilis, ſicut intellectus Angeli in ſui apprehenſione immobilis eſt: nam ex hoc quod voluntas debeat conformari cũ intellectu, nõ ſequitur, quod ſi intellectus intelligit trahẽdo res ad ſe, etiam voluntas debeat amare trahendo res ad ſe: ergo pariter non ſequetur, voluntas debet ſe conformari intellectui vt mobile ſuo motori: ergo ſi intellectus eſt in ſui apprehenſione immobilis, etiam voluntas in ſui electione erit immobilis.

1010 Ad primum horum ex Scoto dico, quod loquatur D. Thom. de motore ſufficiente ex parte obiecti: neque enim alius movet voluntatẽ ex parte obiecti, niſi ſolus intellectus; ipſe enim ſolus eſt, qui illi obiectum amandum proponit, & ſic proponẽdo allicit ad amandum; neque poſsibile eſt, quod voluntas exeat in actum niſi ab intellectu inclinata; vnde ſolum libere exit, quãdo intellectus bonum ſub indifferentia ei proponit, & ſic proponendo allicit ad amãdum. Vnde ſi intellectus in ſuo iudicio, quo iudicat de obiecti amabilitate, ſit immobilis, impoſsibile eſt, quod voluntas in ſui electione mobilis ſit. Neque oppoſitum huius vnquam probavit Scotus, imò vt hanc neceſsitatem impugnaret in philoſophiam ſatis extraneam à dictis Ariſtotelis lapſus eſt: ſiquidem ſenſit poſſe voluntatem amare malum ſub expreſſa ratione mali, & poſſe pariter odio habere bonum propoſitum ſub expreſſa ratione boni, quæ Scholaſticis ſanæ mentis apparere deliria. Neque hoc etiam pugnat cum doctrina D. Tho. vt falſo Scotus exiſtimavit, nam eſto intellectus ante peccatum immobiliter verũ apprehenderit, tamen voluntatẽ ſuã deficienter movit, ſiquidẽ Angelus ex nõ plena conſideratione practica omniũ eorum, quæ conſiderare debebat, ad eligendum eſt motus: vnde prima electio inordinatã fuit, quia ex parte intellectus defectus cõſiderationis præceſsit (de quo in-

infra dicam plura) vnde non ſequitur, quod Angelus nunquam peccare potuerit. Quod autē ſecundo dictat, nempe ſequi primā electionē Angeli pariter eſſe immutabilē, non negamus, ad iſtum tamen ſenſum intelligēdo hoc dictum; nempe, quod poſtquā iam in re fuit poſita libere, ſic, quod potuerit non poni, iam vltra non potuit ab Angelo retractari; pari modo, quo iudicium intellectus, ex quo mota eſt primo voluntas ad eligendū: libere enim Angelus habuit prędictū iudiciū practicū, ſed poſtquam iam ſic iudicavit, tale iudicium nullatenus retractare potuit, & ſic libere elegit, & facta electione, iam vltra quod elegit, retractare non potuit.

1101 Ad ſecundam obiectionem, nego Mai. Ad Prob. diſt. Ant. pars electiva in voluntate correſpondet parti ratiocinativæ ex parte intellectus, in homine, conc. Ant. vniverſaliter loquendo, ſic, quod comprehendat hominē, Angelū, & Deū, nego Ant. & Conſ. quæ doctrina eſt D. Thom. hic q.60. art.2. ad 1. vbi habet: *Dicendum, quod non omnis dilectio electiva eſt rationalis amor, ſecundum quod rationalis amor dividitur contra intellectualem: dicitur enim ſic amor rationalis, qui ſequitur cognitionem ratiocinativam; non autem omnis electio conſequitur diſcurſum rationis, ſed ſolum electio hominis.* Cuius doctrinæ rationē dederat S. Doctor in q.59. art.3. ad 1. vbi explicans Philoſophum, qui in tertio Ethicorum dixerat, *quod electio eſt actus appetitus præconſiliati.* Et cum conſilium inquiſitio quædam ſit, & hæc non habeatur niſi per diſcurſum, videbatur inde; quod in Angelis, dum non ponitur diſcurſus, non deberet etiā dari electio ex parte voluntatis: vt ergo hoc diſſolvat ſic D. Thom. dictat: *Dicendum, quod philoſophus loquitur de electione ſecundum quod eſt hominis: ſicut autem exiſtimatio hominis in ſpeculativis differt ab exiſtimatione Angeli in hoc, quod vna eſt abſque inquiſitione, alia vero per inquiſitionem: ita & in operativis: vnde in Angelis eſt electio, non tamen cum inquiſitiva deliberatione conſilij, ſed per ſubitam acceptionem veritatis.* Ex quibus, vt apparet, pars electiva ſolum in homine correſpondet diſcurſivæ ex parte intellectus. Itaque cum voluntas poſsit eligere dupliciter, vel perveniēdo per diſcurſum ad veritatem de re eligibili, vel per ſubitā acceptionē veritatis, non eſt neceſſe, vt voluntas Angeli moveatur ab eius intellectu ad eligendū, quod ponatur diſcurſus in Angelo, & ſic ſtat conformari illi voluntatem vt mobile motori, etiam ſi in Angelis diſcurſus eſſe non poſsit.

Ad Confirm. nego Ant. Ad Prob. nego Ant. Ad Prob. dico, quod eſto ratio illa, ob quā iudiciū dicimus immobile, non inſiſtet ad dicendum electionē Angeli eſſe immobilem, tamen neceſſario aſſeverandum eſt, quod ſi iudicium intellectus eſt immobile, quod ipſa electio ſit immobilis: nam volūtas nequit retractare ſuā electionē niſi intellectus mutet iudiciū: vnde ſi nō eſt poſsibile quod intellectus iudiciū mutet, nō erit etiā poſsibile, quod volūtas retractet electionē: vnde eſto ex illa ratione, ex qua iudicium iudicatur immobile, non iudicetur immobilis electio voluntatis; iudicatur tamen ex alio capite, nempe ex immobilitate iudicij. Ad ſecundam Confirm. dico, quod eſto ad electionem requiratur amor finis, & amor mediorum diſtinctus à primo, non tamen ſequitur, quod electio in Angelo ſit mobilis, quia Angelus elegit ex iudicio immobili, & ſic eſt impoſsibile, quod voluntas id, quod ſemel elegit, retractet.

1102 Ad tertiam, nego Mai. Ad Prob. dico, quod ad diſtinctionem motorum debent diſtingui mobilia, quando motores in movendo diſtinguuntur, vel quando mobile, vt moveatur, prædictam diſtinctionem requirit in motoribus: ſi autem nihil horum contingat, non eſt neceſſe, quod mobilia ad diſtinctionem motorum diſtinguātur. Et quia voluntas per charitatem ſolum movetur ad amandum bonum divinū, quia divinum, ſub qua ratione illi vt amandum in via proponitur à fide, & deinde vt amandum in patria proponitur à lumine gloriæ, non eſt neceſſe, quod ſi ex parte intellectus datur diſtinctum movens in via ab eo, per quod movet in patria, pariter ex parte voluntatis detur diſtinctum mobile in via ab eo, quod habetur in patria. Ad vltimam dico, non deberi voluntatem conformari cum intellectu quoad illa prædicata, quæ ſunt propria intellectus, prout diſtinguitur à voluntate: trahere autem res ad ſe eſt proprium intellectus, prout hic à voluntate diſtinguitur, quæ cum ſit inclinatio ad res, quas amat, eſt neceſſe, quod ad res trahatur; terminus enim inclinationis ad ſe trahit id, quod ad illum inclinatur: vnde non eſt neceſſe, vt voluntas conformetur intellectui, quod amet trahendo amabile ad ſe, quia per hoc habet diſtingui ab intellectu: per immobilitatem autem ab intellectu voluntas non diſtinguitur,

Digitized by Google

imo vt probavi, eſt impoſsibile intellectū in ſui iudicio eſſe immobilem, quin ſuam immobilitatem communicet voluntati, & ſic exemplo addŭcto in obiectione nulla paritas ſit, nec noſtra doctrina infringitur.

§. VIII.

Solvuntur aliæ difficultates contra rationem D. Thomæ.

1103 PROBAVERAT ſecundo idem aſſumptum D. Th. ex eo quod apprehenſionem mobilē ſequitur appetere mobiliter, vt patet in homine, cuius apprehenſio, quia eſt mobilis, etiam appetitus eſt mobilis: ergo è contra apprehenſionem immobilē, qualis eſt Angelica, ſequetur appetitus immobilis. Quæ probatio difficilis apparet. Nam videmus in homine certo de aliqua concluſione quod habet iudicium immobile, & tamen ad hoc non ſequitur quod in electione circa tale obiectum ſit immobilis: ergo falſum erit, quod iudiciū immobile ſequatur electio immobilis. Vndè fit argumentum. Cum immobilitate apprehenſionis ſtat mobilitas electionis: ergo nō ſemper iudicium immobile ſequitur electio immobilis, & ſic cum immobilitate apprehenſionis Angeli ſtabit mobilitas electionis eius. Secundo oritur difficultas ex eo, quod cum obſtinatio in malo ſit communis homini, & Angelo, oportet illius aliquam aſsignare cauſam communem homini, & Angelo; ſed immobilitas apprehenſionis non eſt cōmunis homini, & Angelo: ergo non aptè aſsignatur in Angelo pro cauſa communi obſtinationis. Prob. Min. nā anima ſeparata obſtinatur in malo abſque prævia apprehenſione immobili; ſimiliter firmatur in bono, videlicet in purgatorio, abſq; prævia apprehenſione immobili, vt patet de anima Lazari, quæ ſeparata à corpore nec fuit immobilitata in bono, neque in malo: ergo.

Ad hoc reſp. facile. Ad primū dico, hominē certum de aliqua concluſione, dato quod habeat iudicium ſpeculativū immobile; in iudicio tamen practico, & affectivo in particulari cū cæteris circunſtantijs ſingularibus per diſcursū practicū habito, ſēper eſt mobilis naturaliter loquendo, quia iudiciū in particulari, nūc, hic, in homine ad hæc q̄tia poteſt ſēper variari, vel ex aliquo paſsionis motu inſurgenti, vel ex aliquo medio probabiliori nunc ſecundū apparētiā, vel ex oblivione prioris medij, aut in cōſideratione eiuſdē, quæ omnia ad diſcurſum pertinent: non ſic autē eſt in Angelo, in quo ſemper cōcluſio cū ſuo medio offertur, quia nō eſt ibi diſcurſus: vndè patet quod differētia penes diſcurrere, & nō diſcurrere, mobilitatē, & immobilitatē inducit. Ad ſecundū, nego Min. etenim eſto ſit diſcrimen in cauſa obſtinationis, quæ datur in via inter hominē, & Angelū quantū ad hoc, quod iudiciū Angeli adhuc prout in via fuit immobile; non verò iudiciū hominis; tamen in primo inſtanti, in quo de anima verificatur ſeparatio à corpore, ſic, quod extra viā ponatur, habet actū, quo ſe immobilitat in malo, ſicut & Angelus; in quo actu peccat peccato irremiſsibili, & irretractabili; vndè obſtinationi communi homini, & Angelo iam aſſignatur aliqua cauſa communis: quod vtrū verū, vel falſum ſit, poſtea examinabitur.

§. IX.

Solvuntur obiectiones contra Concluſionem.

1104 SOLVTIS Difficultatibus, quæ militare poterant contra rationē probativā noſtræ cōcluſionis, reſtat nobis ſolvere obiecta, quæ militare poſſunt contra noſtram concluſionem, in qua defendamus, quod Angelus ſit inflexibilis, & quod nō poteſt retractare id, quod ſemel ex plena deliberatione elegit. Primò arguitur, quādo Angelus nō procedit ex principijs naturaliter notis, vel ſaltim certitudine infallibili, poteſt retractare ſuam electionem; ſed Angelus ad peccandū non procedit ex principijs naturaliter notis: ergo potuit retractare id, quod peccando elegit. Conſ. eſt bona, & Prob. præmiſſas. Mai. quidē, nam quādo Angelus nō procedit ex evidenter notis, vel ſaltim certis infallibiliter, tantū procedit ex cōiectura, & ex ſignis, quę fallibilia ſunt: ergo quando nō procedit ex evidēter notis, vel ſaltim ex certis certitudine infallibili, poteſt retractare ſuā electionē. Prob. Conſ. ex pugna bonorū Angelorum apud Danielē, ex qua cōſtat, duos bonos Angelos diverſa iudicaſſe, & elegiſſe, & tandē veritate inſpecta, ceſſaſſe à pugna, retractaſſeque alterū eorū id, quod antea verū iudicaverat. Conſtat etiā ex Dæmone, qui primo ſuaſit mortē Chriſti Iudæis, & poſtmodum hoc ipſum retractans hoc ipſum diſuaſit per vxorem Pilati: quod non alia ratione probatur verum, niſi quia tam iſti, quàm pri-

Digitized by Google

primi in hoc negotio non proceſſerunt ex naturaliter notis, vel certis certitudine infallibili, ſed ex ſola conjectura, & ex aliis ſignis nullatenus infallibilibus: ergo. Min. ſic Prob. Nam circa principia naturaliter nota, vel certa certitudine infallibili, & omnia ea, quæ in illis ab Angelis inſpiciuntur, omnes Angeli eodem modo judicant, ſicut & nos omnes eodem prorſus modo de primis rerum principiis nobis naturaliter notis judicamus; at in proceſſu circa peccatũ aliter judicaverunt, qui peccarunt ab his, qui in bono perſeverarunt: ergo cum ſe determinarunt ad peccandum, non proceſſerunt ex principiis naturaliter notis, nec etiã proceſſerũt ex principiis certis certitudine infallibili; nam ad hoc debuiſſent uti lumine fidei, per quod tantum certitudinẽ rerum infallibilem habere poterant; ſed ad peccandum lumine fidei uſi non ſunt, nã ſi uſi fuiſſent, non aliter judicaſſent mali, ac boni judicarunt: igitur ad peccandũ non proceſſerunt adhuc ex certis certitudine infallibili.

1104 Ad hoc, diſt. Mai. ſi non procedere ex certitudine infallibili oriatur ex propria voluntate Angelorum, nego Mai. ſi non oriatur ex voluntate deliberata eorum, ſed ex carentia luminis certi, & infallibilis, Conc. Mai. & Conc. Min. nego Conſ. Itaque Angelum non procedere ex lumine certo, & infallibili ſtat dupliciter: vel quia tali lumine caret, vel quia etſi illud habeat, ipſe tamen tali lumine certo non vult uti, ſed tantũ ducitur proprio dictamine. Si primo modo res contingat, tunc Angelus nõ plenè ſe determinat ad alteram partem negotii peragendi, ſed expectat quouſque veritas magis ei eluceat, ſicque poteſt retractare id, quod videtur prius elegiſſe: quod accidit bonis Angelis circa præfatam pugnã, & Dæmoni circa mortem Chriſti: ſi ſecũdo modo res contingat, jam ultrà non poteſt id, quod elegit retractare, quia tunc ex ignorantia non proceſsit, ſed ſciens, & prudens lumine illo infallibili noluit uti, ſolo lumine naturali volens gubernari: unde cũ omnibus penſatis uſum luminis certi recuſaverit; jam ultrà id, quod elegit, retractare non valet, ſicque contingit Angelis malis: licet enim lumina habeant, quibus dum in primo inſtãti uſi ſunt, benè omnes ope- [illegible] in ſecundo autem inſtanti ex his duobus, quorum alterum docebat in pulchritudinem propriæ ſubſtantiæ, & alterũ elevabat præcipuã ſubſtantiam ad Deum auctorem gratiæ debere ordinari, primo tantum uti voluerunt, & uti ſecundo recuſarunt, poſtquam ſpeculatione omnia benè inſpexerunt: unde ſteterunt in illo eſſe naturali, & recuſarunt aliam beatitudinem, quæ eis ex Deo auctore gratiæ poterat evenire: unde cum ad hoc ex nulla ignorantia, vel dubietate proceſſerint, ſed tantum ex proprio dictamine, & omnibus inſpectis, quæ illos ad hoc retardare poterant, ſic in elatione ſua firmati sũt, quod id, quod tũc elegerunt, ulterius retractare nequiverint.

1105 Sed inſtas. Angelus, dum peccavit, non benè omnia, quæ inſpicere debuit, inſpexit: ergo nõ ſic ſe determinavit, quod poſtea factum ſuũ retractare non potuerit. Prob. Ant. ex D. Th. hic art. 2. ad 3. ubi habet; *dicendum, quod adhuc manet in Diabolo peccatum, quo primo peccavit quantum ad appetitum, licet non quantũ ad hoc, quod credat ſe poſſe obtinere; ſicut ſi aliquis credat ſe poſſe facere homicidium, & velit facere, & poſtea adimatur ei poteſtas, nihilominus voluntas homicidii in eo manere poteſt, ut vellit facere, ſi poſſet*: ergo dum Angelus peccavit aliquid credidit, quod nõ judicat eſſe falſum, & quia ſic judicat, non credidit: ergo dum peccavit, benè omnia inſpexit.

1106 Nec ſit ſatis huic inſtantiæ; ſi cum Cajetano explicemus D. Th. dicendo, quod Angelus non peccavit ex hoc, quod judicaverit ſe poſſe ultimam beatitudinem per naturam independenter à gratia Dei habere; quia de hoc nunquam poſitivum formavit judicium, ſed tantum circa hoc negativè ſe habuit, id eſt, nõ reputavit hoc eſſe impoſſibile: unde cum hoc modo judicat eſſe impoſſibile, non mutatur de uno judicio in oppoſitum. Et ſi quæras ab illo, ex quo judicio peccaverit? Reſpondet, peccaſſe ex hoc, quod poſitivè judicavit ſuam propriã excellentiam eſſe ultimo appetendam: in quo judicio modo perſeverat, ſicut & perſeverat in peccato fundato, & orto ex illo. Non (inquam) hæc explicatio enervat vim objectionis factæ. Nam præterquam quod videtur pugnare cũ doctrina D. Tho. in illa ſolutione ad 3. adducta, ubi dicit quod *peccatum, quo primo peccavit Diabolus manet quoad appetitum, licet non quoad hoc, quod credat ſe poſſe obtinere*: Quibus videtur ſentire primo Diabolum credidiſſe eſſe poſſibile ſe ultimam beatitudinem obtinere per naturam, & non per gratiã; hoc enim videtur ſonare illa verba *nõ tamẽ manet quoad hoc quod credat*: Quod confirmat exẽplum, quod

Digitized by Google

quod adducit de illo, qui cum poſſet, & crederet ſe facere homicidiũ poſſe, voluit illud facere, & ſi poſtea illi adimatur poteſtas, manet in eo voluntas homicidij, quamvis nõ maneat credere quod poſsit illud facere. In quo exẽplo de poſitivo iudicio habetur doctrina, quod mutatũ eſt per trãſitũ de vno iudicio ad alterũ iudiciũ poſitivè oppoſitũ. Quæ doctrina nõ bene adduceretur, ſi Angelus non habuiſſet primò iudiciũ poſitivũ de poſsibilitate, ſed merè negativè ſe habuiſſet non reputando impoſsibilẽ tantæ beatitudinis poſſeſsionẽ; tunc enim non vnũ primo credidiſſet, & oppoſitũ poſtea iudicaſſet; ſicut contingit in exemplo adducto à D. Tho. Vnde videtur quod interpretatio Caietani non ſit ad mentem Sancti Doctoris.

Sed dato quod interpretatio Caietani iuxta mentẽ S. Doctoris ſit, obiectio tamen facta per talem interpretationẽ non ſolvitur, imò maiores accipit vires. Nam ſi quãdo Angelus peccavit vltimò appetendo ſuã propriã excellentiã, non reputavit impoſsibile obtinere ſuam vltimã beatitudinẽ independenter à gratia Dei: igitur non bene inſpexit ea omnia, quæ debebat inſpicere, nã non cognovit talem obtentionem eſſe impoſsibilem, quod ſi cognoſceret, forſan nõ peccaret; ergo poſtmodum poteſt, & poterit, quantum eſt ex ſe, retractare id, quod peccando elegit.

Ad obiectionem ergo aliter reſpondetur in forma, diſt. Ant. Angelus, dum peccavit, non bene inſpexit omnia, quæ debuit inſpicere, quia non potuit inſpicere, nego Ant. quia potuit, ſed deliberate inſpicere nõ voluit, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque Angelus, dũ peccavit, noluit vti lumine ſupernaturali fidei, quo ſi vſus eſſet, cognoviſſet aliã adeſſe beatitudinẽ vltimam in mera Dei gratia conſiſtentẽ: vnde tantũ vſus eſt lumine ſuo naturali, ex cuius virtute, dum aliam beatitudinẽ cognoſcere non potuit, facile potuit ſibi perſuadere beatitudinem vltimo appetendam illi competere per naturam, & ſic potuit formare dictamen de eo, quod ſola ipſius excellentia eſſet illi vltimo appetenda. Quia autem poſtmodum ſignis evidẽtibus compulſus eſt credere oppoſitum, hic D. Th. dicit, quod peccatũ, quo primo peccavit dæmon, manet quoad appetitũ propriæ excellentię vt vltimi appetibilis, quamvis non maneat quoad hoc, quod eſt credere ſe poſſe obtinere vltimã beatitudinẽ per naturã independẽter à gratia. Vnde in negotio peccati Angeli interfuerunt duo iudicia: aliud, quod fuit immediata regula peccati, videlicet excellẽtia, quæ mihi competit per naturam, vltimo appetẽda eſt; & aliud, quod ad peccatũ ſe habuit remote, & veluti pure ſpeculativè, nempe obtinere vltimã beatitudinẽ non eſt mihi impoſsibile. Primũ iudiciũ, quia plena deliberatione ab ipſo habitum fuit, modo adhuc manet, ſicut & peccatum, quod illo regulatur; ſecundũ autem iudicium mutatum eſt, non quia ipſe mutare illud voluerit, ſed quia compellitur ſignis, quæ videt, & effectibus, quos experitur, ad iudicandum aliã beatitudinem adeſſe præter illam, quæ ei competebat per naturam.

Et ſi inſtes, quod ſi Angelus iudicavit beatitudinem, quæ illi competebat per naturã eſſe vltimã, ſequitur erraſſe Angelum, cùm peccavit; quod eſt contra D. Th. Dico, D. Th. ſolũ velle Angelũ antequam peccare inciperet, non erraſſe; non autẽ velle, quod ante, vel poſt non erraverit: incœpit ergo peccatum ab illa voluntate, qua noluit vti regula fidei, ex qua deinde ſequutus eſt pręfatus error, à quo poſtmodũ ſignis evidentibus recedere compulſus eſt: potuit ergo bene Angelus omnia inſpicere, quæ deſiderabantur ad nõ peccandũ, quia in manu cõſilij ſui habuit vti lumine ſupernaturali fidei; ſed dum deliberate noluit, ſic ſuã voluntatẽ in propria excellentia, vt in vltimo bono, firmavit, quod poſtmodũ adhuc exploſo errore circa poſsibilitatem obtinendi vltimam beatitudinẽ per naturã, id, quod elegit, retractare non potuit.

1106 Inſtas, iudicium hoc practicum, *propria excellentia vltimò appetenda eſt*, quo regulatur peccatum, in quo Angelus manere dicitur, non potuit manere in Angelo excluſo errore circa poſsibilitatẽ vltimæ beatitudinis per naturã poſsidendã: ergo ſi de facto talis error ab Angelo receſsit, & cognoſcit talẽ beatitudinẽ ſibi eſſe impoſsibilem, tale iudicium circa propriam excellẽtiã in Angelo manere non poterit; illo autẽ nõ manente, nec peccatũ quoad appetitũ potuit perſeverare: ergo dicendũ erit talẽ appetitum, quo primò peccavit, in Angelo non manere. Conſequentiæ iſtę ſunt bonæ; & Ant. Prob. præfatũ iudiciũ fundabatur in prædicto errore; ex hoc enim quod vtens ſolis principijs naturalibus non invenit aliam beatitudinem poſsibilem pręter eam, quæ ei competebat per naturã, practicè iudicavit propriã excellentiã vltimò eſſe appetendam: ergo excluſo tali errore, peribit

Digitized by Google

tale iudicium practicum, quod in eo fundatur. Explicatur hoc, ſi Angelus malus ante peccatum ſuum cognoviſſet plenè ſibi eſſe impoſsibile omnino vltimam beatitudinem habere per naturam independenter à Dei gratia, non formaſſet illud iudicium, *mea propria excellentia vt vltimum bonum appetenda eſt*: ergo hoc iudicium nititur præfato errori circa poſsibilitatem vltimæ beatitudinis per naturam habendam: ergo exploſo tali errore præfatum iudicium nõ valet conſervari.

Reſpondeo, quod ſicut ille, qui credit ſe poſſe occidere inimicum, & vult occidere, non fundat iudicium practicum regulans occiſsionem inimici in fide, quam habet de eo, quod poteſt illum occidere, ſed in alijs principijs, ſcilicet vindictæ, recuperationis honoris ab inimico ablati, vel alijs huiuſmodi; ita pariter diabolus, dum credens ſe poſſe per naturã vltimã beatitudinẽ habere, voluit illã ſic independenter à gratia habere, non fundavit iudicium illud, *mea excellentia vt vltimum bonum appetenda eſt* in fide, qua credidit, ſe obtinere poſſe id, quod deſiderabat; ſed fundavit illud forſan in cognitione naturali, qua propriam excellentiam cognovit, quæ viſa eſt ei tanta, & tam magna, vt iudicaverit vt vltimum bonum eſſe appetendam. Vnde ad inſtantiam, nego Ant. Ad Prob. nego Antec. fides enim de eo, quod poſſet obtinere, nõ regulavit præfatum iudiciũ; ſed tantũ dedit Angelo aliquam ſpẽ circa conſequutionẽ finis intẽti: vnde modo manet appetitus propriæ excellentiæ vt vltimi boni, quamvis non ſperet vltimam beatitudinẽ per naturã poſsidere. Quæ doctrina patet in exemplo adducto. Etenim credere poſſe occidere inimicũ nõ fundat iudiciũ regulativũ voluntatis occidendi illũ, ſed tantũ generat ſpem circa cõſequutionẽ finis deſiderati: vnde quãdo adimitur poteſtas occidẽdi, & talis fides amittitur, reſtat voluntas occidendi ſine ſpe tamen occiſsionis. Ad explicationem, nego Conſ. Etenim cũ impoſsibile, vt tale cognitũ, non poſsit terminare efficax ſui deſiderium, neceſſe eſt, vt deſideretur, quod apprehendatur vt non impoſsibile, etſi ratio formalis, ob quã appetitũ terminat, nõ ſit talis apprehenſio, ſed ſola bonitas apprehẽſa: vnde ratio formalis, quæ movit Angelũ ad prædictũ dictamen formandũ, ſolũ fuit bonitas propriæ excellẽtiæ; nõ vero apprehenſio poſsibilitatis habendi vltimã beatitudinem per naturã independenter à gratia Dei: cumque talis apprehenſio propriæ excellentiæ modo maneat in Angelo ex vi luminis naturalis habita, ſicut primo habita fuit; iudicium præfatum de appetitu propriæ excellentiæ vltimi boni, de facto manet, quamvis ſine fide, & ſine ſpe adquirendi vltimam beatitudinem per naturam independenter à Dei gratia.

1107 Adhuc inſtas. Circa rem impoſsibilem vt talẽ apprehenſam, ſicut nequit primo aſſurgere appetitus efficax, ita nec poteſt iam habitus cõſervari: ergo cum modo diabolus cognoſcat beatitudinẽ vltimam, vt per naturam, & independenter à gratia Dei habendam, eſſe impoſsibilem, non poterit conſervare appetitum efficacẽ propriæ excellentiæ vt boni ſimpliciter vltimi; ſed tantũ conſervare poterit appetitũ conditionatũ, id eſt, velleitatẽ huius obiecti, ſi poſsibile eſſet; hæc autẽ velleitas non eſt primũ peccatum, quo peccarunt Angeli mali, nam peccarunt abſolute, & efficaciter volendo vltimã beatitudinem habere per propriam ſibi innatam excellentiã: ergo ſi modo tantum reſtat velleitas, & non efficax appetitus, nõ conſervant etiã quoad appetitũ peccatũ, quo primo peccaverunt.

Reſpondeo, quod cognita impoſsibilitate conſequutionis effectus prætenſi non reſtat appetitus efficax effectivè, reſtare tamẽ poteſt appetitus efficax affectivè; ſimili modo, quo peccans mortaliter ſciens quod à Deo quoad effectũ rationẽ vltimi finis auferre non valet, rationẽ vltimi finis aufert quoad affectum: ſic enim afficitur circa Deũ, quod ſi ab illo ratio vltimi finis auferibilis eſſet, de facto à Deo eam auferret: ſic ſimiliter diabolus cognita impoſsibilitate obtinendi beatitudinem vltimam per naturam, & independenter à gratia, ſic reſtat affectus circa hoc obiectum, quod licet ſciat eſſe ei impoſsibile conſequi id, quod amat, tamen vellit ſemper conſequi, ſi ei impoſsibile nõ eſſet: vnde ſemper reſtat in diabolo peccatum, quo primo peccavit quoad affectũ, licet iam nõ credat talẽ affectũ poſſe cõiungi cũ effectu cõſequutionis, & licet talis appetitus reſpectivè ad conſequutionẽ ſit cõditionatus, tamẽ reſpectivè ad rem amatã abſolutus eſt, quia abſolutè amat propriam excellentiam vt bonũ vltimũ, dum in ea ſiſtit, & non ordinat illam, & ſe ipſum ad Deum auctorem gratiæ.

Neque ex his inferas, quod ſi Angelus malus, cũ primo peccavit, habuit appetitũ abſolutum reſpectivè ad conſequutionem præ-

præfatam, & modo tantum manet in eo conditionatus circa illam, retractaverit aliquomodo peccatum ſuum. Non (inquã) inferas, nam ille tranſitus appetitus de efficaci ad conditionatum nullo modo factus eſt per retractationẽ aliqualẽ primi actus, de quo numquam dolorem habuit Dæmõ, ſed tantum factus eſt per amiſsionem exiſtimationis poſsibilitatis conſequutionis finis primo intenti, & primo prætenſi.

§. X.

Solvitur aliud argumentum difficile.

110 SECVNDO principaliter arguitur. Peccatum, quo primo Angelus peccavit, non fuit peccatum irremiſsibile ex genere ſuo: ergo neque fuit inflexibile. Prob. Antec. ex D. Thom. in 2. diſt. 43. q. 1. art. 6. vbi Div. Thom. docet primum peccatum Angeli non fuiſſe in Spiritum Sanctum, ſed magis fuiſſe peccatum in filium, quia fuit ex neſcientia, ſeu inconſideratione, quæ opponuntur ſapientiæ Filij: ergo non fuit ex genere ſuo irremiſsibile. Secundo Prob. hoc ipſum, nam tunc Angelus in ſuo iudicio procedit comprehenſivè, & irrevocabiliter, quando in principijs attingit ea, quæ per neceſſariam connexionem cum talibus principijs connectuntur; quæ autem contingenter, & liberè connectuntur, non evidenter, nec per ſe attinguntur in talibus principijs: ergo nec attinguntur comprehenſivè, nec immobiliter: finis autem, quem Angelus elegit, non habet neceſſariam connexionem cum ratione finis in communi accepti: ergo non potuit illi firmiter adhærere ex illo principio communi: ergo neque per voluntatem ſic illi firmiter adhæſit, quod non potuerit poſt eius electionem retractare id, quod elegit. Ant. patet ex eo, quod antequam illi particulari fini adhæſiſſet, adhuc erat liberum Angelo attingere illam rationem communem finis, ſine eo quod finem illum in particulari attingeret; ergo finis talis particularis nõ habebat neceſſariam connexionem cum fine illo in communi.

Ad hoc, Conc. Ant. & nego Conſeq. nam vt peccatum ſit inflexibile, non requiritur, quod ex genere ſuo ſit irrimiſsibile, ſed ſufficit, quod ex parte ſubiecti peccantis, & modo operandi illius irremiſsibile ſit. Itaque Angelus primò peccavit, ex hoc quod in propriam excellentiam nimis effuſus eſt: vnde ex parte obiecti primò appetiti ſuperbia fuit; non vero peccatum in Spiritum Sanctũ, quod dicitur ex ſuo obiecto irremiſsibile. Nam peccatum in Spiritum Sanctum illud dicitur, quando ex obiecto ipſo, quod intenditur, ſpecialem renitentiam facit peccans ad gratiam Dei, vti eſt propoſitum non pœnitendi, deſperare de Deo, præſumere, & alia huiuſmodi, quæ peccata ex obiecto ſuo irremiſsibilia dicuntur, quia peccans primò, & per ſe retrahitur ab his, quæ per ſe conducunt ad extrahendum illum à peccato ſuo. Fuit autem illud primum peccatum irremiſsibile ex ſubiecto peccante, & modo operandi eius; ſiquidem ſic operatur, quod cũ plenè ſe determinat, in eo, quod eligit, firmatur, & immobilitatur circa illud, ſic, quod illud retractare non poſsit: vnde per primum peccatum viam terminavit, quod non ſic contingeret, ſi retractare peccatum ſuum poſſet; vnde poſſum' dicere quod eſſet peccatum in Spiritum Sanctum iuxtà ſententiam Auguſtini, qui impœnitentiam finalem, vel peccatum, cum quo quis moritur, & ſtatum viæ finit, peccatum dixit in Spiritum Sanctum. Neque in hoc contradicimus D. Thom. in auctoritate adducta qui negat primum peccatum Angeli eſſe in Spiritum Sanctum, eo quod ex obiecto, ex quo ſpeciem accipit, peccatum in Spiritum Sãctum non eſt; non vero hoc negat in ea acceptione, in qua Auguſtinus peccatum, quo quis ſtatum viæ finit, peccatum in Spiritum Sanctum dixit, eo quod ſic ſit irremiſsibile, quod neque in hac, neque in alia vita remittetur, nec de lege ordinaria remitti poſsit.

Ad ſecundam Prob. nego Antec. Angelus enim cum comprehenſivè rem attingat, non ſolum in primis principijs cognoſcit ea, quæ neceſſariò cum re connectuntur, ſed etiam omnia accidentia rei cõmunia; eſtò ſic cognoſcendo diſtinguat inter prædicata, quæ neceſſariò cũ re connectuntur, & ea, quæ contingenter ei conveniunt: vnde ille particularis finis ſic propoſitus fuit Angelo vt primo amãdus, quòd potuerit Angelus nõ amare illum, ſed poſtquam reſolutoriè prædictũ finem in principijs communibus determinatè cognovit, & omnibus penſatis amandum iudicavit, mutare iudicium non potuit, quia in eiſdẽ principijs, in quo ſemel de amabilitate eius iudicavit, ſemper debet illud cognoſcere

Digitized by Google

cere, & de amabilitate eius iudicare: cum quo circa illa prima principia iudiciũ Angeli ſit immobile, ſi ſemel ex eiſdem reſolutoriè motus eſt ad formandum iudiciũ de eius amabilitate, iudicium oppoſitum vltra formare non poteſt: & ſic voluntas, poſtquam ſemel illud eligit, nequit poſtea id, quod eligit, retractare.

1109 Inſtas, Angelus ex eiſdem principijs, ex quibus ſe determinavit ad iudicãdum de amabilitate finis particularis, quem eligit, potuit ſe determinare ad oppoſitum iudicium: ergo & poſtquã ſemel ſe determinavit ad tale iudicium, poterit ex eiſdem principijs ſe determinare ad oppoſitum, ac per Conſeq. poterit retractare quod elegit. Prob. prima Conſeq. nam poſtquã ex illis principijs ſe determinavit ad formandum iudicium de amabilitate illius finis in particulari, iſte finis non magis connectitur cum illis principijs, ac connectetur antequam Angelus ſe determinaret: ergo ſi ante determinationem ad iudicandum potuit ex eiſdem principijs iudicare oppoſitum, poterit poſt determinationem ex eiſdem principijs mutare iudicium. Ad hoc, nego Conſeq. quia naturæ Angeli eſt immobiliter apprehendere, & immobiliter iudicare: vnde quamvis ante apprehenſionem fuerit liber ad ſic iudicandum, vel oppoſitum, eiſdem principijs vtens nequit variare iudicium. Et ad Prob. Conſ. dico, quod eſtò non habeat iudicium, poſtquam plene factum eſt, maiorem connexionem, quam haberet cum illis principijs, antequã fieret; tamen quia Angelus talis naturæ eſt quod immobiliter adhæret huic, quod ſemel plene iudicavit, non poteſt ex eiſdem principijs oppoſitum iudicare. Itaque Angelum non poſſe mutare iudicium, poſtquã ſemel ſe determinavit, non reducimus ad naturam obiecti, cui adhæret: hoc enim cum contingenter connectatur cum principijs, ex quibus apprehenditur, variationem poſſet adducere; ſed reducimus ad naturam ipſius Angeli, qui ſic firmatur in ſui determinatione, quod non ſit variabilis circa illam: in quo imitatur Dei liberas determinationes. Etenim antequam Deus iudicaret eſſe conveniens hunc mundum facere, potuit non ſe determinare, quia principia, ex quibus ad hoc iudicium ſe determinavit, non erant neceſſariò connexa cum tali iudicio: poſtquam autem ſe determinavit, iam iudiciũ mutare non poteſt, quia quamvis obiectum, cui adhæſit, ſit contingens, tamen natura Dei talis eſt, quod etiã circa contingentia poſt ſui determinationẽ invariabilis ſit: quam immutabilitatẽ aliqualiter Angelus participat, quia creatura magis Deo aſsimilata eſt, ſicut & aſsimilatur in ipſo eſſe, in quo nunquam mutatur, poſtquam productum eſt: vnde ſicut Angelus antequam produceretur potuit fieri, & potuit non fieri, & ſemel productus ex natura rei immutabilis eſt: ita circa operationes ſe habet, nam antequam ſe determinet, poteſt non ſe determinare; poſtquã autem plene ſe determinavit, iam invariabilis eſt.

Dices, quia poſtquam Angelus productus eſt, natura ſua phyſice invariabilis eſt in ſuo eſſe, natura dedit Angelo ſuæ invariabilitatis principia: abſtulit enim ab ipſo omnia principia corruptionis, & variationis, fecit illum puram formam, quæ cũ exiſtentia neceſſariò connectitur, ſiquidem tota variatio in eſſe oritur ex compoſitione ex materia non ſatiata forma, quã habet, ſiquidem ex hoc aliam inquirit, & naturaliter appetit; ex hoc autem quod Angelus pura forma eſt, neceſſariò in ſuo eſſe permanet in perpetuum: & ſic ex hoc quod ſemel productus eſt, neceſſariò in ſuo eſſe perpetuatur: Angelo autem poſtquam ſe determinavit per liberam electionem nullum principium ad perſeverandum in ea dedit; ſiquidem reliquit liberum arbitrium in illo, & hoc non ex obiecto neceſsitatũ, ſed liberum: ergo non erit fatendum, illũ, poſtquam plene elegit, fore immobilem in ſua electione. Ad hoc reſpondeo, negando quod natura Angelo non dederit principia ad neceſſariò perſeverandũ in eo, quod ſemel plenè, & deliberatè elegit, ſiquidem natura abſtulit ab Angelo vim diſcurrendi, & dedit ei intelligere obiecta etiam cõtingentia in principijs naturalibus, & neceſſarijs: vnde ſicut manet ſemper quoad ſpeciẽ determinatus ad iudicandum ſemper idem de principijs, ita manet determinatus ad iudicandum ſemper idem de eo, quod ſemel in principijs inſpexit: nam in Angelo nulla eſt paſsionum inſtantia, principia inſuper, quibus intelligit, ſemper ſunt eadem, modus ſimpliciter intelligendi ſemper eſt idẽ: ergo de eo, quod ſemel in virtute eorundem principiorum iudicavit, neceſſe eſt quod ſemper idem iudicet. Etenim homines, qui maturè res conſiderant, perſeverantibus eiſdem cauſis iudicandi de aliqua re magni ponderis, ſemper firmantur in eo iudicio, ad quod ſe plene determinarunt, ſic, quod vix invenitur eos mutaſſe ſentẽ-

tiam,

Digitized by Google

tiam, niſi vrgentiſſima aliqua ratio pro oppoſito occurrat: ergo cum Angeli elevatioris naturæ ſint, quam homines, aſſeverandum erit, eos nunquam mutare ſententiam, poſtquam plene aliquid determinarunt, cum ſemper in eiſdem principijs videant id, quod ſemel iudicarunt. Neque ratio ad oppoſitum illos movere valet, ſiquidem id, ad quod ſemel ſe determinarũt, non poſſunt diſcurrere ex alijs cauſis, ſed quoad ſpeciẽ determinantur ad cognoſcẽdũ illud in principijs, in quibus ſemel cognoverunt illud: cum ergo ad retractandum actum electum requiratur mutatio iudicij ex parte intellectus, dum Angeli immobiliter iudicant, pariter immobiliter eligunt: vnde quamvis in eis reſtet liberum arbitrium, poſtquam ſemel elegerunt; non tamen reſtat mutabile, quia iudicium, quo regulatur in ſui electione, reſtat immobile.

Inſtas. Angelus in negotio ſui peccati proceſsit ex inconſideratione aliquorum ſpectantium ad ordinem gratiæ: ergo non erit contra eius naturã, ſi ea, quæ non conſideravit, modo conſideret, retractare id, quod ex inconſideratione primò elegit. Reſpondeo, quod Angelus proceſsit ex inconſideratione volita: voluit enim deliberate nõ conſiderare, ne retraheretur à peccato ſuo per conſiderationem; vndè ſic adhæſit non conſiderationi, ſicut & adhæſit fini particulari, ad quem eſt converſus: vnde nequit iteratò velle cõſiderare id, quod de facto non conſideravit, & ſic ex nullo capite poteſt retractare id, quod ſemel elegit.

Inſtas contra hoc. Angelus credidit dum peccavit ſe poſſe obtinere beatitudinem vltimam per ſua naturalia, & modo iudicat oppoſitum: ergo & potuit primò nolle conſiderare, & modo poterit velle conſiderare ea, quæ non conſideravit. Ant. admiſſum fuit à nobis ſuprà contra Caietanum. Et Conſ. Prob. quia ſicut non conſiderare fuit volitum ab Angelo, ita & credere ſe poſſe obtinere: ergo ſi modò credit oppoſitum, & circa illud variavit iudicium, ita circa non conſiderationem potuit variare iudicium. Reſp. nego Conſ. nam voluntas, qua primo credere voluit ſe poſſe obtinere, non fuit plena, quia non fuit iudicium illud abſolutum, ſed credidit, quia in principijs naturalibus non potuit iudicare eſſe impoſsibilem talẽ obtentionẽ beatitudinis, quia principia naturalia illam impoſsibilitatẽ demonſtrare non poſſunt: credidit ergo ſe poſſe obtinere, quia quantum erat ex vi principiorum naturaliũ non aderat notitia impoſsibilitatis; vnde non plene ſe determinavit ad credendum, & ſic potuit poſtea alijs ſignis, & effectibus expertis ducentibus ad oppoſitum, oppoſitũ iudicare verum. Circa non conſideratione vero eorum, quæ requirebantur ad nõ peccandum, plenè ſe determinavit, quia omnibus peniatis, noluit vti lumine ſupernaturali, quo ſi vſus eſſet, non peccaret: & ita modo non poteſt retractare illam voluntatem non conſiderandi.

§. XI.

Solvuntur alia argumenta.

1110 TERTIO principaliter arguitur. Angelus facta electione circa aliquod obiectum manet liber, & non neceſsitatus ad malum: ergo non manet immobilis, & inflexibilis. Patet Conſ. quia non ſtat illa immobilitas, & inflexibilitas ſine aliqua neceſsitate voluntatis; ſi enim Angelus neceſsitatus non manet, nihil prohibet reſilire. Et Ant. Prob. Tum quia eodem modo ſe habet voluntas Angeli poſt electionem, & determinationem, atque antea tàm ex parte obiecti, quàm ex parte ſubiecti, ſeu potentiæ: nihil enim immutatum eſt, ſeu ablatum: ergo manet eadem libertas. Tum etiam, quia circa eadem obiecta peccat, ſicut antea, tenetúrque converti ad Deum, ſicut ante electionem: ergo manet eodem modo liber. Tum, quia non eſt vnde proveniat iſta immutabilitas, & inflexibilitas poſt deliberatam determinationem: neque enim provenit ex actu præterito, aut ex aliqua naturali proprietate, aut ex habitu ſupervenienTe, quorum nihil immobilitat, quia nihil horum libertatem tollit. Tum etiam, quia ideo poſſunt Angeli eligere indifferẽter, & libere à principio, quia habent perfectionem cognoſcendi obiecta cum indifferentia; hæc autem perfectio eodem modo manet antè, & poſt elevationẽ in eis: ergo æque liberè poſſunt ante, & poſt operari circa talia obiecta. Confirm. nam totum fundamentum D. Thom. ſtat in hoc, quod Angelus immobiliter, & ſine diſcurſu procedit in his, quæ intelligit, & ſic æquè immobilitatur circa principia, & circa concluſiones, circa finẽ, & circa me-

dia,

dia; at hoc ſolum eſt verum circa naturalia, nam ſupernaturalia non comprehendit Angelus, & ſic non procedit immobiliter circa illa, ſed diſcurſivè: cum ergo peccatũ Angeli fuerit circa ſupernaturalem finem recuſando illum, nec potuit circa legẽ naturalem, & ſecundum ſe peccare primò: ergo ruit totum fundamentum D. Thom. Confir. ſecundo, nam Angeli ante finitam viam ſemper poterant mutari, aliàs ante terminum viæ eſſent plenè obſtinati, cum tamen obſtinatio ſit pœna damnationis; ſed ante viam finitam plura peccata commiſſerunt: ergo immediatè poſt primum peccatum non ſunt facti inflexibiles; & tamen primum peccatum ex plena deliberatione commiſſerunt: ergo.

Ad hoc diſting. Ant. Angelus facta electione circa aliquod obiectũ manet liber, liber ad retractandum id, quod elegit, nego Ant. liber in permanentia illius, quod elegit, Conc. Ant. & nego Conſeq. Manet enim Angelus liber in permanendo, quia ſemper conſervat illam libertatem, qua primo ad obiectũ aliquod ſe convertit: vnde id, quod ſemper vult, ſẽper libere vult: non tamen manet liber, quia poſsit retractare id, quod plenè elegit. Ad primã Prob. Ant. nego Ant. nam vt ſupra vidimus, natura Angeli eſt talis quòd firmatur immobiliter in eo, quod ſemel plenè elegit; ſiquidem illud bonum, quod plenè elegit, non poteſt apprehendere niſi ex principijs, ex quibus, vt illud eligeret, ſe movit: nam ex eiſdem principijs ſemper eodem modo Intellectus nequit aliud iudicare præter id, quod ſemel iudicavit: vnde mutatus eſt, ſiquidem circa velle, & nolle talis obiecti ante electionem erat liber, & poſt nõ manet liber circa velle, & nolle, ſed tantum id, quod vult, libere vult, quia libere ad volendum ſe determinavit, & licet maneat in eis poſt electionẽ liberum arbitriũ, manet tamen ſecundum conditionem ſuæ naturæ, vt dicit D. Thom. hic art. 2. ad 1. quod eſt valde ponderãdum, quia in eo tota vis efficaciæ doctrinæ D. Thom. conſiſtit: ſicut enim Deus poſtquam libere aliquid voluit, nequit illud non velle, ita & Angelus quantum ad hoc ſapit Dei naturã: Vnde ſicut nõ ſit bonum argumentũ. Poſtquam Deus voluit vnum, adhuc in eo manet liberũ arbitrium: ergo poteſt velle oppoſitũ. Ita non valet in Angelo, qui quantum ad hoc immutabilitatem Dei participat in volitis ſuis, licet non cum ea plenitudine, qua Deus; quia hic nulla potentia poteſt aliud velle, Angelus autem tantum ex natura ſua, ſicut enim eſſe, cum quo habet neceſſariam connexionem, poteſt abſoluta Dei potentia perdere, ita & præfatam immutabilitatẽ attenta Dei potentia amittere non repugnat.

Neque argumentum hoc eſt novum, & inviſum: illud enim propoſuit, & ſolvit D. Th. q. 24 de ver. art. 10. vbi quarto decimo ſic arguit. *ſi peccatũ non cauſat obſtinationem, vel hoc facit ſubtrahendo, vel ſuperaddendo; non ſubtrahendo, quia naturalia in Dæmonibus manẽt integra; non ſuperaddendo, quia illud, quod ſuperadditur, cum ſit accidens, oportet, quod inſit per modum recipientis, & ſic cum liberum arbitrium ſit flexibile ad vtrũque, non redditur per hoc immobiliter inhærens in malo.* Ecce argumentum maiori cum vi propoſitum, quam illud proponit Suarez. Sed ecce ſolutionem. *Dicendum, quod peccatum libero arbitrio adveniens non adimit aliquod eſſentialium, quia ſic ſpecies liberi arbitrij non remaneret, ſed per peccatum aliquid additur, ſcilicet vnitio quædam liberi arbitrij cum fine malo, quæ ei quodammodo naturalis eſt, & ex hoc neceſſitatem habet, ſicut & alia, quæ ſunt libero arbitrio naturalia.* Quibus dillucide doctrinam à nobis traditam docet.

Ad ſecundam Prob. eiuſdem Antec. diſt. Conſ. ergo manet eodem modo liber ſicut antea ad retractandum, quod elegit, nego Conſeq. liber, quia libere voluit eligere, vel quia libere elegit circa tale bonum immobilitari, Conc. Conſ. Et quidem quantum ad hoc auctores oppoſiti tenentur ſolvere argumentum: nam in ſententia eorum, eſtò ab intrinſeco Angelus maneat liber ad retractandum, tamen ab extrinſeco, & ratione ſtatus Angelus non poteſt retractare. Quomodo ergo poteſt peccare, & tenetur ſe ad Deum convertere? Quod ergo ipſi dicent ad hoc argumentum, dicemus quoque nos in noſtra ſententia. Ad tertiam Prob. iam vidimus ex D. Thom. ex quo capite prædicta immutabilitas, & inflexibilitas oritur in Angelo, nẽpe ex ipſa natura Angeli, quæ per plenam adhæſionem ad obiectum, quod eligit, facit ſibi tale obiectum quaſi connaturale, ſic quod quoad ſpeciem actus maneat neceſſitatus ad volendum prædictum obiectum; eſtò non quoad exercitium: vnde quoties de tali obiecto occurrit tractatio, ſemper eodem modo, quo ſemel iudicavit, iudi-

ſcat,

car, & eodem modo in illius amore perſeverare vult. Ad quartam nego Min. ante electionē erat obiectum indifferens quoad ſpeciem, & exercitium, facta autem electione, illud obiectum ſic congruit naturæ Angeli, & ſic connaturalizatur ei, quod ſicut Angelus determinatur quoad ſpeciem ad ſui dilectionem ob connaturalitatem, quam habet cum ſuo libero arbitrio, ita & poſt electionem plenam obiectum electū ſic congruit, & connaturalizatur cū libero arbitrio Angeli, quod quoad ſpecificationē actus neceſsitatus maneat ad illius amorē.

Ad primam Confirm. nego Min. eſtò enim Angelus circa ſupernaturalia nō procedat comprehenſivè ex parte rei cognitæ, quia non evidenter, ſed obſcure, & per fidem res ſupernaturales cognovit, dum erat in via, tamen procedit ſine diſcurſu, eodemque actu attingit omnia, quæ de illis ſibi permittitur cognoſcere: perficit enim fides intellectum Angeli iuxta modū ſibi connaturalem: nam gratia non deſtruit naturam, ſed perficit modo proprio naturæ: & cum modus connaturalis ſit intelligere ſine diſcurſu, etiam fides dat intelligere, & iudicare Angelo de omnibus, quæ ei permittuntur cognoſcere, & intelligere ſine diſcurſu; ad hoc autem ſequitur immobiliter apprehendere, & ſic circa ſupernaturalia eciā immobiliter apprehendit: unde etiam eſt inflexibilis circa illa.

1111 Sed inſtas: ergo fides in Angelo non eſt eiuſdem rationis cum noſtra fide; Conſ. eſt falſum: ergo. Prob. ſequela, fides Angelica iuxta hanc doctrinam non tantū attingit prima credibilia, ſed attingit in eis omnia ea, quæ nos per ſcientiam Theologiam ex principijs fidei diſcurrimus: ſiquidem per lumen fidei in principijs cognoſcit omne illud, quod per diſcurſum poteſt ex illis inferri; at noſtra fides tantum poteſt attingere ea, quæ immediatè per divinam revelationem cognoſcuntur, ad cognoſcendum autem alia datur in nobis habitus Theologiæ: igitur fides Angelica, & noſtra non ſunt eiuſdem ſpecificæ rationis. Inſtans ſecundo: ergo confirmatio in bono plenè electo, & perſeverantia in illo non eſt gratia Dei, ſed debet reduci ad ipſam naturam Angeli, & modum connaturalem operandi eius; aut ſi eſt gratia, non eſt diſtincta à gratia data ad plenè eligendum; quod patet eſſe falſum, quia perſeverantia in bono eſt donum ſpecialiſsimum diſtinctū à gratia, quæ datur ad primò benè operandum.

Ad primam Inſtantiam, nego ſequelam; ad Prob. nego Mai. per fidem enim Angelus tantum attingit credibilia; concluſiones autem ſcibiles attingit per ſcientiam ſupernaturalem ſibi inditam; non tamen attingit eas diſcurrendo ex principijs, quæ per fidem credit; per ſuā enim Theologiam inditam cognoſcit omnia ea, & plura alia, quæ homo per Theologiam diſcurſivam cognoſcit: unde nō ſequitur quod fides Angeli ſit diverſæ rationis à noſtra.

Sed inſtat, hoc ipſo quod Angelus diſtincto lumine principia cognoſcat ab eo, quo concluſiones, neceſſario diverſis actibus debet attingere principia, & concluſiones: ergo cum illi actus ſic ſe habeāt, quod actus, quo attingit concluſiones, producatur virtute actus, quo attinguntur principia, ſequitur, quod Angelus in cognitione ſaltum ſcibiliū procedat per diſcurſum; hoc autem non poſſumus admittere: ergo. Confirm. hoc ipſo quod lumen ſcientificū in principijs attingat concluſiones, hoc ipſo erit habitus principiorum, & concluſionum: ergo erit fides & ſcientia, & ſic ſemper habetur intentum, videlicet quod eodem lumine Angelus attingat principia ſupernaturalia, & concluſiones, ac per Conſ. quod fides Angeli non ſit eiuſdem rationis ſpecificæ cum fide noſtra. Confirm. ſecundo, nam ſi Angelus lumine fidei cognoſcit principia credibilia, & deinde lumine ſciētiæ infuſæ in principijs creditis videt concluſiones: ergo in cognitione ſcibiliū procedit de potentia ad actum, & de prius noto ad ignotum; qui eſt proceſſus diſcurſivus, vel habens imperfectiones eius.

Ad hoc, nego ſuppoſitum Conſ. videlicet quod actus, quo attingitur concluſio producatur virtute actus, quo attinguntur principia: non enim res ſic habet; nam ad hoc requireretur, quod Angelus non in principijs, ſed ex cognitione principiorum concluſionem cognoſceret, quod quidem verum non eſt: tantum ergo habētur duæ actiones, quarum una ſuccedit alteri; non tamen ex illa cauſatur cum utraque ſit viſio, prima principiorum, & ſecunda concluſionū in principijs: unde non ſequitur quod Angelus diſcurrat. Ad Confirm. nego Ant. nam ut eſſet habitus principiorum, & cōcluſionum, erat neceſſe, quod *ut quod* attingeret principia, & concluſiones; non autem ſic res habet, ſed per fidem *ut quod* attinguntur principia, & in ipſis ut *in quo* videt Theologia concluſiones: & ſicut in

qq

nobis ex eo quod ſcientia attingat principia vt *ex quibus* non ſequitur, quod ſit habitus principiorum, & concluſionum, ita ex hoc quod Theologia Angeli attingat principia ſolum vt *in quibus*, non ſequitur, quod ſit idem habitus principiorum, & cõcluſionum. Ad ſecundam nego Conſeq. nã proceſſus ſecundum ordinem tantum duarum cognitionum non eſt proceſſus de potentia ad actum, qualis requiritur ad diſcurſum; porrò in caſu præſenti, actus, quo in principijs cognoſcuntur concluſiones, ſolum ſecundum ordinem ſuccedit ad actum, quo *vt quod* creduntur principia; non vero ſecundum cauſalitatem: nam per ſcientiam inditam non partim cognoſcuntur concluſiones in principijs, & partim in ſeipſis, ſed plene cognoſcuntur in principijs; vnde non fit tranſitus de minus noto in principijs ad magis notum in ſe ipſo, & ſic nulla via patet aditus ad diſcurſum.

Ad ſecundam inſtantiam, nego Conſeq. Etenim perſeverantia in bono, & confirmatio in illo fuerunt effectus gratiæ efficacis datæ bonis ad plene eligendum, & denegatæ malis, qui nõ perſeverarunt in bono, ſed quia Angelus poſt plenam electionem boni nequit converti ad malum, gratia data illi ad plenè eligendum perficiendo naturam iuxta ſuum modum, etiam ſic firmata eſt, quòd non ſit relictum in poteſtate liberi arbitrij ampliùs illam amittere: vnde perſeverantia finalis, & confirmatio in bono, non reducuntur ad naturam Angeli tanquam ad cauſam, ſed ad gratiã ſpecialem, qua plenè elegerunt perſeverare in bono incœpto, quæ accomodando ſe eum modo naturali operandi Angeli, firmiter dedit illi ſemper in bono perſeverare.

Ad ſecundam Confirm. principalis argumenti, nego quod ante finitam viam Angeli potuerint mutari, loquẽdo poſt ſecundum inſtans, in quo peccarunt: quia licet tunc non eſſet inflexibilitas eorum infacto eſſe completa, erat tamen in fieri; nam tunc fiebat, quandò Angelus plene ad peccandum ſe determinabat: nec tunc erãt obſtinati in malo obſtinatione in facto eſſe, ſed in fieri: quia fieri obſtinationis fuit plene ſe determinare ad malum: vnde ſolum in tranſitu de primo inſtanti ad ſecundum mutari potuerunt; in ſecundo autem non potuerunt, quia tunc plene ſe determinabant ad malum, cum quo non componebatur converti ad bonũ. Nec ex hoc quod plura peccata fuerint antequam infacto eſſe viam terminarẽt, ſequitur, quod aliquod eorum retractare potuerint, quia cum omnia illa procederent ex plena deliberatione, quodlibet eorum Angelũ reddebat immutabiliter inflexibilem, ſaltim quoad ſufficientiam, ſic, quod ſi tantum vnum eorum fuiſſet, vi illius inflexibilite r obſtinatus in malo Angelus permaneret, defacto autem non vno tantum peccato obſtinatio cauſata eſt, ſed pluribus ex eodẽ tamen fine, & ratione formali procedentibus; vnde omnia illa vnum integrarunt peccatum, quod cauſa adæquata obſtinationis fuit.

1112 Tandem arguitur, de facto Diabolus retractavit vnum ex peccatis, quæ fecit: ergo ea, ad quæ plenè ſe determina t, retractare poteſt. Patet Conſ. quia ad peccandum Dæmon ſemper procedit ex plena deliberatione: ergo ſi alterum ex peccatis, quæ fecit, retractavit, ea, ad quæ plene ſe determinat, retractare poteſt. Antec. Prob. nam Angelus peccavit inſtigando Iudæos, & Iudam ad mortem Chriſti; at hoc peccatum retractaſſe cõſtat ex eo quod per vxorem Pilati curabat ne Chriſtus damnaretur ad mortem; ſi enim primum factũ non retractaſſet, non procuraſſet deinde illius deſtructionem: ergo Diabolus alterum peccatum ex his, quæ fecit, retractavit.

Ad hoc, nego Ant. ad Prob. nego quod ex illo facto colligatur Dæmon retractaſſe peccatum ſuum: Dæmoni enim nunquam diſplicet Deum offendiſſe, imo cum ſemper ſit in odio Dei, cõplacet ſemper ſibi ſuper offenſas, quas contra Deum facit. Convincitur tamen facto illo reprobaſſe quod primò fecerat; non quia faciendo peccavit, ſed quia invenit quod mors Chriſti, quam primo Iudæ, & Iudæis ſuaſſerat, non erat cõveniens reſpectivè ad aliquem finem, quem ipſe prætendebat, ideoque curabat per vxorem Pilati, quod Chriſtus non moreretur. Quomodo autem cũ eius inflexibilitate componatur primò iudicaſſe de convenientia mortis Chriſti, & deinde iudicaſſe oppoſitum? Eam aſsigno rationem. Etenim cum cõvenientia mortis Chriſti, vel eius diſconvenientia non poſsit cognoſci ex principijs naturalibus, quia in illis non præcontinetur, & inſuper ad hoc cognoſcẽdum non fuerit vſus ſupernaturali lumine, levi tãtum coniectura ductus præcipitavit iudicium; vnde non ex cauſa fixa, & immobili iudicavit conveniens

Digitized by Google

niens eſſe illum hominem, qui Chriſtus dicebatur, debere mori: & hac de cauſa induxit Iudæos, & Iudam ad mortem Chriſti; poſtmodum vero vidit alia ſigna, & effectus, ex quibus coniecturaliter etiam iudicavit, quod ſi ille homo moreretur, ingens malum futurum erat illi, & ſic iudicium mutavit: cum ergo tantum per coniecturas hoc, & oppoſitum iudicaverit, non plene ſe determinare ad primum potuit, & ſic ſine læſione ſuæ inflexibilitatis potuit mutare iudicium. Et ad id, quod in argumento tangitur, quod Dæmon non peccat niſi ex plena deliberatione, & inducendo Iudæos ad mortem Chriſti peccavit: ergo ex plena deliberatione elegit illud obiectum, circa quod peccavit. Reſp. quod plena deliberatio poteſt oriri ex duplici principio, vel ex iudicio firmo intellectus, vel ex iudicio ſolum coniecturali: quando in Angelo primo modo procedit, tunc ſic eſt plena, quod retractari non poteſt, quando autem ſecundo modo contingit, poteſt contingere retractatio, quia ſicut ex parte intellectus non adeſt apprehenſio immobilis, ſic neque ex parte voluntatis habetur firma, & ſemper ſtabilis adhæſio ad obiectum. Circa convenientiam ergo mortis Chriſti nõ proceſsit Dæmon ex principio firmo, ſed tantum ex levi coniectura, & ſic quamvis deliberatè elegerit, non ſic tamen firmatus eſt in ſui electione, quod non potuerit illam retractare.

Sed contra inſtabis. Nam iuxta ſolutionem iam admittimus, quod Angelus poſt plenam deliberationem eligens poſsit poſtea retractare id, quod elegit; Conſ. videtur eſſe contra noſtram doctrinam: ergo. Reſp. quod plena deliberatio adhuc dupliciter contingere poteſt; vno modo prout ſufficit ad peccandum mortaliter, hoc eſt ex advertentia plena ad legem, & præcepti inſtantiam cum potentia ad male operandum, & cognitione eorum, quorum ignorantia excuſare poterat à peccato, & iſto modo Dæmon, cum induceret Iudæos, & Iudam ad mortem Chriſti, ex plena deliberatione operatus eſt: alio modo contingit plena deliberatio in Angelo, quando procedit ad operandum ex iudicio firmo, & fixo, vtpote habito per principia immobilia, & fixa; & ſic plene deliberavit, cum primo peccavit, quia obiectum, ad quod converſus eſt, cognovit in principijs naturalibus comprehenſive cognitis: quando ergo dicimus, quod Angelus poſt plenam deliberationem aliquid eligens poſsit poſtea retractare id, quod elegit, loquimur de plena deliberatione hoc ſecundo modo accepta, non primo. Vnde in forma diſt. Mai. iam admittimus, quod Angelus poſt plenam deliberationem aliquid eligens poſsit poſtea retractare id, quod elegit, poſt plenam ſola plenitudine, quæ ſufficit ad peccandum, Conc. Mai. poſt plenã, quæ innititur principio fixo, & firmo, negamus Mai. & nego Min. quia cum Angelus ad iudicandum de convenientia mortis Chriſti non ſit innixus principio immobili, ſed levi coniectura, non potuit iudiciũ formare fixum, & immobile, & ſic electio ſubſequuta non potuit eſſe immobilis. Ex dictis colligo, cauſam obſtinationis in Dæmone nõ ſolum eſſe Dei decretum extrinſecum de non dando auxilium Dæmoni ad converſionem, nec eſſe cõditionem tantum ſtatus damnationis, ſed etiam eſſe inflexibilitatem liberi arbitrij in malo, quod elegit: quam immediate ſequutus eſt ſtatus damnationis, ratione cuius Dæmoni denegantur auxilia ad ſui peccati retractationẽ.

§. XII.

Vtrùm Dæmones poſsint facere aliquod opus bonum morale nulla circumſtantia vitiatum?

1113 VIDIMVS quæſtione præcedenti Dæmonem ſic eſſe obſtinatum in malo, quod non poſsit convertere ſe ad verum bonum retractando peccatum, quod fecit: reſtat nobis videndum, vtrùm hæc obſtinatio in malo tanta ſit quod non poſsit elicere aliquod opus morale ſic bonum, quod nulla circumſtantia vitiatum ſit. In quo pũcto elucidando Scotus, qui tenet, vt vidimus, Dæmonem non eſſe obſtinatum ab intrinſeco, ſed ex mera auxiliorum denegatione, affirmat, Dæmones opera bona facilia nullo ex capite vitiata facere poſſe. Scotum ſequitur eius ſchola, & ex Ieſuitis omnes, qui negant intrinſecam inflexibilitatem in malo: ſchola autem Thomiſtica partem tenet negantem cum ſuo Angelico Doctore hic q. 64. art. 2. ad 5. & Caietano ibidem §. *ad evidentiam horum*.

Sit concluſio. Dæmon nullum opus bonum morale facere poteſt, quin illud vitiet aliqua circunſtantia mala. Prob. 1. auctoritate Div. Thom. hic art. 2. ad 5. *Di-*

cit,

Digitized by Google

cendum, quod actus dæmonis eſt duplex, quidam ſcilicet ex voluntate deliberata procedens, & is propriè poteſt dici actus eius, & talis actus dæmonis ſemper eſt malus, quia etſi aliquod bonum faciat, non tamen benè facit, ſicut cum veritatem dicit, vt decipiat, & dum non voluntariè credit, & confitetur, ſed rerũ evidentia coactus: alias autem Dæmonis actus eſt naturalis, qui bonus eſſe poteſt, & atteſtabatur bonitati naturæ, & tamen tali bono actu abvtuntur ad malum. Sic D. Thom. Sed dices, ex hac authoritate ſolum convinci de facto Dæmonem nullum bonum opus morale facere; non tamen convinci non poſſe facere: nam in doctrina relata de facto tantùm habetur omnem actum dæmonis eſſe malum, vel aliqua viciatum circunſtantia: vtrùm autem poſsit, vel non poſsit facere aliquod opus bonum morale? de hoc nihil dictat D. Th. Sed contra eſt, nam ſi D. Th. non ſentiret Dæmonem non poſſe operari aliquod bonum morale? non dixiſſet, omnes actus eius ſemper eſſe malos: ergo cum hoc aſſerat, ſentit Dæmonem non poſſe facere aliquod bonum morale. Prob. Antec. nam iſta propoſitio: *Nullus actus Dæmonis eſt bonus moraliter*, in nullo principio cognoſci poteſt niſi in carentiâ potentiæ proximæ ad bene moraliter operandum. Etenim D. Thom. non eſt expertus omnes, & ſingulos actus Dæmonis, quos hucuſque fecit, & quos facturus eſt, vt virtute huius docere potuerit, nullum actum facere bonum: ergo ſolum illud ſcire potuit in eo principio, videlicet, quod Dæmones non habent potentiam ad bene moraliter operandum.

1113 Dices; hoc potuiſſe cognoſcere in eo, quod ſtatus damnationis hoc poſtulat, videlicet quod damnatus nullum bonũ opus morale operetur, ſicut & de facto Scotus, & ſequaces dicunt, Dæmonem nunquam retractaturum ſuum peccatum; non quia ex natura ſua ſit inflexibilis, ſed quia ſtatus damnationis hoc poſtulat, videlicet quod ſemper in malo electo perſeveret. Sed contra eſt, & iſto exemplo adducto. Qui dicunt Dæmonem nunquam retractaturum ſuum peccatum, omnes conveniunt in eo, quod ideo Dæmon nec retractavit, nec retractabit, quia retractare non poteſt; eſto alij cum D. Th. hoc reducant ad non poſſe phyſicum, alij ſolum ad impotentiam moralem: ergo pariter Dæmonem nunquam benè, ex quo peccavit, fuiſſe operatũ, nec operaturum, debebit reduci ad impotentiam moralem ad operandum benè ex omni capite; cum ergo D. Thom. dicat omnes actus Dæmonis eſſe moraliter malos, ſignum manifeſtum eſt, ſentire quod ideo ſunt de facto, & erunt omnes mali, quia non poteſt Dæmon bene operari moraliter.

1114 Sed quidquid ſit de hac authoritate, adduco aliam irrefragabilem ex 2. diſt. 7. q. 1. art. 2. vbi ex profeſſo inquirit, vtrùm Dæmones poſsint bonum facere? Et reſpondet, poſſunt ergo Dæmones aliquẽ bonũ actum ex genere facere, nullo tamen modo bona voluntate. Cuius rationem aſsignat ex obſtinatione in malo, cuius obſtinationis varias cauſas aſsignat, & refutat, & propriam eligens ſic explicat. *Et ideo oportet aliter dicere, vt inveniatur eadem ratio in omnibus damnatis, & in Angelis peccantibus, quia ſecundum Damaſcenum, quod eſt in Angelis caſus, hoc eſt in hominibus mors: dicendum eſt ergo, quòd ſicut impoſsibile eſt à voluntate indeclinabiliter adhærente fini bono procedere opus peccati; ita è contrario impoſsibile eſt à voluntate adhærente inconvertibiliter perverſo fini aliquod rectum opus provenire; ſed voluntas dæmonis adhæret perverſo fini inconvertibiliter: non ergo ab illa aliquod opus vndequaque bonum poteſt procedere.* Probat Min. ex eo quod *pænitere provenire poteſt ex duplici capite. Primò* (inquit) *quis peccavit ex inſtantia paſsionis, & ſic ceſſante paſsione poteſt pœnitere de ſuo peccato; vel quia peccavit ex malitia, hoc eſt ex habitu, quia ſecundum quod quis affectus eſt habitualiter, talis & finis videtur ei; qua de cauſa, qui habet habitum luxuriæ delectationem veneream ſibi ponit finem, & cum error circa finem in operabilibus ſit ſicut error circa prima principia in ſpeculativis, oportet, quod ſic peccans ſit impœnitens: ergo de peccato nullus poteſt pœnitere niſi vel ex paſsione ceſſante, vel habitu remoto, quo malum finem eligebat; Primum locum non habet in dæmone, qui ex paſsione non peccavit; ſecundum fieri non poteſt, quia ſtatus damnationis eſt ſtatus immutabilitatis: vnde habitus ex quo quis peccavit ab eo removeri nequit, aſſerendum ergo Dæmonem inconvertibiliter adhærere fini perverſo, & ſic nullum opus bonum ab eo prodire poſſe.* Hæc litera D. Thom. ergo noſtra concluſio eſt litera D. Thom.

1115 Sed ratione probatur alia, quæ convincat impotentiam phyſicam. Prima deducitur ex ſtatu damnationis, de cuius conceptu eſt nõ ſolum quod damnati ca-

Digitized by Google

careant in perpetuum auxiliis divinæ gratiæ ad opera bona ſalutaria facienda, ſed etiam eſt quod careant omni auxilio ſufficienti, & efficaci etiã in ordine ad aliquod bonum morale ordinis naturæ benè, & laudabiliter faciendum: eſt enim ſtatus damnationis ſic obſtinationis in malo, ſaltim ſicut ſtatus purgatorii, in quo ſunt animæ, quæ moriuntur in Dei gratia, eſt ſtatus confirmationis in bono; at ab anima purgatorii nullum opus poteſt exire malum: ergo neque ab anima damnati aliquod opus poteſt exire adæquatè bonum. Patet Conſeq. à paritate rationis. Si enim nõ repugnat animam non videntem Deum ſic adhærere bono, quod nullum opus poſsit facere malum, quare repugnabit quod anima damnati ſic adhæreat malo, quod nullum bonum facere poſsit? Similiter ſi mori in gratia, & pœnitentia finali in cauſa eſt quod anima in purgatorio adhuc exiſtens non ſolũ non poſsit per peccatum mortale perdere gratiam, ſed etiam quod nec leviſsimum veniale gratiæ non ablativum facere poſsit, cur ſimiliter mori in voluntaria privatione gratiæ, & in peccato mortali non è contra efficiet quod anima damnati non ſolũ non poſsit facere opus ſic bonum, quod retractet, & excludat à ſe peccatum, in quo moritur, verùm etiam neque leviſsimum bonum, quale eſt bonum morale ordinis naturæ nulla ex parte vitiatum? Certè hujus nullum poterit aſsignari diſcrimen: aſſerendum ergo erit quod Dæmon, vel quilibet alius damnatus ex conditione ſtatus damnationis contrahant impotentiam ad faciendum aliquod opus bonum etiam leviſsimum nulla circunſtantia vitiatum.

Sed iam Dæmonem eſſe phyſicè impotentem ad faciendum aliquod bonum opus nulla circunſtantia vitiatum ex alio probemus capite. Etenim Dæmones poſtquam ad ſuam propriam excellentiam tanquam ad finem ultimum converſi ſunt immobiliter, & inſtranſmutabiliter, illud objectum factum eſt voluntati eorum ſic connaturale, quod nihil poſsint velle, niſi ſemper vellint illud primum objectum, ad quod immutabiliter converſi ſunt: ergo cum omnis dæmonum volitio debeat eſſe volitio illius objecti pravi, nulla eorum volitio eſſe poterit unequaque bona, ſed omnis evadet vitiata tali circunſtantia pravi finis, & ſic nullum opus eorum poterit eſſe undequaque bonum. Prob. Antec. etenim quia ratio beatitudinis, vel ipſa ratio boni eſt voluntati noſtræ pro hoc ſtatu connaturaliter proportionata, nullum opus ſive bonum, ſive malum facere poſſumus, quod non ſit volitio ſaltim virtualiter, & participative ipſius beatitudinis, vel rationis ipſius boni, vel in quo non quæramus ipſam beatitudinem, vel rationem ſummi boni: ergo cum Dæmon in propria excellentia ſibi immobiliter fixerit ſuam ultimam beatitudinẽ, nullum opus facere poterit, in quo nõ quærat ſuam excellentiam propriam tanquam ultimam beatitudinem: omne ergo opus eius, quamvis ex genere ſuo ſit bonum, vitiabitur appetitu propriæ excellentiæ: ergo impotentiam phyſicam habet ad faciendum aliquod opus bonum nulla ex parte vitiatum.

Explicatur hoc. Proportio voluntatis noſtræ perfectæ extra viam ad finem ſuum eſt, quemadmodum proportio voluntatis noſtræ ad beatitudinem in communi; volo dicere, quod ſic ſe habet ille finis ad voluntatem ſic completè affectam, quemadmodum beatitudo nunc ſe habet ad nos, quoniam voluntas in naturam illius affectionis tranſit, & perinde voluntas illa affectione determinatur ad unum talem finẽ, quemadmodum voluntas determinata eſt ad ipſius boni rationem. Inſuper finis ille, ad quem Dæmonis voluntas affecta eſt, non eſt ipſi voluntati Dæmonis finis particularis, ſed eſt finis univerſaliſsimus, utpote ultimus, ad quem omnia diriguntur, & in ordine ad quem omnia menſurantur: ergo ſicut noſtra voluntas in nullum actum exire poteſt, quin in illo velit, & quærat beatitudinem, vel ipſam rationem boni, ſic nec voluntas Dæmonis poterit exire in aliquẽ actum ſuũ, quin illo actu velit virtualiter, vel participativè illum ultimũ finem pravum, ad quem immobiliter converſa eſt: non ergo elicere poterit aliquod opus, quin illud vitiet ſaltim voluntate pravi ultimi finis.

§. XIII.

Solvuntur argumenta contra hanc rationem.

1116 SED Contra hanc rationem objicies primò. Peccãs mortaliter in via manet habitualiter converſus ad malum finẽ per præcedens peccatum mortale; & nihilominus poteſt habere aliquam operationem ſic

bo-

bonam, quod nullo modo vitietur ex illo pravo fine, ad quem habitualiter converſus eſt: ergo ex hoc quod diabolus habitualiter ſit converſus in malũ tanquã in vltimũ finẽ, nõ ſequitur, quod omnia opera, quæ facit, debeant vitiari illo malo fine. Confir. D.Th. dum in hoc, art.5. docet omnes actus Dæmonis eſſe malos, etiã quando operatur aliquid, quod ex genere ſuo eſt bonũ, non recurrit ad ei circumſtantiã pravi finis, ad quẽ ſunt converſi, ſed dicit: *quia etſi aliquod bonum faciat, non tamen bene facit, ſicut dum veritatem dicit, vt decipiat, & dum non voluntariè credit, & confitetur, ſed rerum evidentia coactus;* in quibus nullam mentionẽ facit de circumſtãtia illius pravi finis, ad quẽ per primum peccatum converſus eſt: ergo perperam nos dicimus omnes actus dæmonis eſſe malos, quia neceſſario debent vitiari circumſtantia vltimi pravi finis, ad quem converſus eſt.

Ad hoc, concedo totum, quia nihil facit contra rationẽ noſtrã quæ non probat Dæmonẽ in omni ſuo actu debere velle finem illum vltimũ, ad quẽ eſt converſus ex hoc præciſè quod habitualiter maneat in illo converſio ad talẽ finem; hoc enim nõ ſufficit ad intentũ noſtrũ, quia habitibus vtimur cũ volumus & quando volumus: etſi illa converſio in Dæmone tantũ haberet rationẽ habitus, nõ neceſſitaretur Dæmon ad ſemper operandũ ex illo fine, ſed probamus noſtrũ intentũ ex eo quod volitio illa finis pravi vltimi verſa eſt in naturã, vnde remanet neceſſitatus ad ſemper operandũ ex illo malo fine, quia cũ finis ille, vtpote vltimus, ipſi Dæmoni vniverſaliſſimus ſit, dum naturaliter inclinatur in illud, nequit Dæmon in aliquam operationẽ exire niſi ex illo fine operetur, & niſi ad illũ finẽ illam ordinet. Quæ doctrina fundatur in D.Th. q.24. de verit. art.10. ad 14. vbi ait, quod *peccatũ libero arbitrio adveniens non adimit aliquid eſſentialium, quia ſic ſpecies liberi arbitrij non remaneret, ſed per peccatum aliquid additur, ſcilicet vnitio liberi arbitrij cum fine perverſo, quæ ei quodammodo naturalis efficitur, & ex hoc neceſſitatem habet, ſicut & alia, quæ ſunt libero arbitrio naturalia.* In quibus D.Thom. loquitur de Dæmone obſtinato per ſuum peccatum in malo, & docet finẽ illum, ad quẽ primo converſus eſt Dæmon, fieri ei connaturalem, & inducere neceſſitatem in illo, ſimilem ei, quam habet liberum arbitrium in ordine ad alia ſibi naturalia; ſicut ergo in ordine ad ipſam rationem boni liberum arbitrium ſic connaturalizatur, quòd quotieſcumque operatur, ſemper velit ipſam rationem boni: ſic Dæmonis arbitrium, quotieſcumque operatur, neceſſitatur ad volendũ ipſum finẽ vltimũ, ad quẽ immobiliter cõverſus eſt. Quæ doctrina nõ tenet in peccante mortaliter, quia ad vltimũ finẽ, ad quẽ convertitur, nõ manet naturaliter converſus, & determinatus, ſed tantũ habitualiter: & ſic nõ eſt neceſſe, quod quotieſcumque operatur, malũ finẽ, ad quẽ habitualiter converſus eſt, velit, neque formaliter, neque participativè virtualiter, quia habitibus vtimur cum volumus, & quando volumus.

1117 Sed inſtas, non videtur verum quod liberum arbitrium Dæmonis poſt primum peccatum ſuum connaturalizetur ſic cum ſua prava electione, ſicut liberum arbitrium hominis cum ipſa ratione beatitudinis, vel cum ipſa ratione boni: ergo neque verum erit quod maneat neceſſitatum ad volendum in quocumque actu ſuo pravum finem, quem peccando elegit, ſicut nos neceſſitamur ad volendũ beatitudinẽ, vel ipſam rationem boni in omni operatione noſtra. Prob. Ant. quia inter peccatũ hominis viatoris, & peccatum Dæmonis ſolum videtur eſſe diſcrimen in eo, quod peccator mobiliter adhæret ſuo peccato habituali, Dæmon autem immobiliter, quia illud non valet retractare: ſtat autem bene immobiliter habitualiter adhærere alicui fini, ſine eo quod talis finis fiat terminus inclinationis naturalis vniverſalis voluntatis: ergo non eſt verum quod liberum arbitrium Dæmonis ſic connaturalizetur primo peccato ſuo, ſicut liberum arbitrium hominis connaturalizatur cum ipſa beatitudine, vel cum ipſa ratione boni. Secundò Prob. idem Ant. nam ſi illa electio pravi finis in ipſam tranſiſſet naturam Angeli, in poteſtate libera Angeli fuiſſet addere aliquid ad naturam ſuam, quod ei eſſet naturale; at hoc non videtur dicendum: ergo. Conſ. eſt bona, Min. videtur certa. Tũ quia Angelus nihil poteſt adimere de naturalibus ſuis: ergo neq; poteſt addere. Tum etiã, quia ſolus Deus, qui eſt auctor naturæ Angeli, poteſt addere, vel adimere aliquid à naturalibus eius; neque enim naturalia quoad augmentum, vel decrementũ ſubduntur libero arbitrio, vel poteſtati Angeli: ergo. Mai. autẽ Prob. per nos electio vltimi pravi finis verſa eſt in naturam Angeli peccantis; at ſic eligere fuit plene in poteſtate Angeli

Digitized by Google

peccantis: ergo in poteſtatẽ Angeli fuit addere naturalia naturalibus ſuis.

Tertio Prob. idem Ant. nequit alicui naturaliter convenire id, quod convenit ei dependenter à propria libera voluntate; ſed affectio ad illũ pravum finem convenit Dæmoni dependenter à propria libera voluntate: ergo prædicta affectio ad pravum finẽ nequit Dæmoni naturaliter cõvenire. Prob. Mai. id, quod convenit alicui dependenter à propria voluntate libera, ſemper convenit ei libere, ſaltim libertate, qua libere voluit illud in ſe cauſare: ergo nõ poteſt ei cõvenire naturaliter, ſicut cõveniunt alia prædicata naturalia. Quarto Prob. idẽ Ant. nã iuxta noſtram doctrinã, ſi de potentia abſoluta, & non iuxta curſum ordinarium Deus dediſſet Angelo malo auxilia ſufficiencia, & efficacia ad retractandum ſuum peccatũ, vere Dæmon retractaret illud, & converteretur, & amoveretur à ſe prædictam affectionem ad pravum finem: ergo illa affectio ad pravum finem non eſt verſa in naturam. Prob. Conſeq. nam Angelus adhuc de potentia abſoluta nequit adimere à ſe naturalia: ergo ſi per ſuam retractationem de potentia abſoluta poteſt à ſe adimere prædictam affectionem, talis affectio non erit converſa in naturam Angeli mali. Quintò Prob. idem Antec. ſi motus eſt naturalis, ſequitur, quod quies naturalis ſit, quia per naturam, per quã aliquid movetur ad locũ, per eam quieſcit in loco: ergo pari ratione, ſi motus eſt voluntarius, etiã quies in volito erit voluntaria; ſed diabolus voluntariè, & non naturaliter motus eſt ad malũ: ergo voluntariè, & non naturaliter quieſcit in malo: non ergo prædicta affectio ad pravum finem verſa eſt in naturam Angeli mali.

1118 Ad hanc inſtantiam, nego Ant. Ad Prob. dico, liberum arbitrium nõ poſſe immobiliter adhærere alicui obiecto, niſi per modũ naturæ ſe habeat ad illud: etenim voluntas, quæ immobiliter adhæret alicui obiecto, non poteſt in oppoſitum; liberum autem arbitrium vt tale, poteſt in oppoſitũ illius, quod voluit: cũ ergo contingat volũtatẽ immobiliter adhærere alicui obiecto, hoc debet ei convenire ſecundũ quod quædã natura eſt, non vero ſecundũ quod libera eſt: hinc D. Th. q. 16. de malo, art. 5. ad 8. dicit, quod immobiliter permanere in malo non convenit diabolo ex vna cauſa, ſed ex duabus: nam eſſe in malo competit ei ex propria voluntate, ſed immobiliter adhærere ei convenit ex propria natura; eſt ergo natura Angeli talis qualitatis, & conditionis, quod licet liberè convertatur ad aliquẽ finẽ, immobiliter tamen firmari in eo non convenit illi ex principio libertatis, ſed ex voluntate, vt quædã natura eſt, ſicquè ineſt ei naturalis quædam neceſsitas adhærendi ſemper fini plenè electo: inclinatur ergo neceſſario voluntas Dæmonis ad finem electũ, ſicut voluntas noſtra neceſſario inclinatur ad obiecta ſibi connaturalia, & ſi talis finis electus ſit vt vltimus ſimpliciter, ad quẽ omnia diriguntur, & per quem omnia agibilia menſurantur, & regulantur; fiet inde, quod ſimili neceſsitate, qua nos inclinamur in beatitudinẽ neceſſariò, vel in ipſam rationẽ boni, pariter & Dæmon nihil velle poſsit, niſi in eo quærat finẽ vt vltimũ à ſe electũ; at qui Dæmon primo peccato ſuo propriam excellentiã vt vltimũ finẽ ſimpliciter talẽ elegit: ergo ipſo naturæ Angelicæ foro neceſsitatur ad volitionẽ ſuæ propriæ excellentiæ in omni actu ſuo, vel formaliter, vel virtualiter, & participativè, & ſic nullus erit actus Dæmonis, qui tali volũtate nõ vitietur. Datur ergo magnũ diſcrimen inter Dæmonẽ, & hominẽ quoad hoc, quod homo in ſtatu viæ habituatur circa finẽ pravũ, ad quẽ convertitur; ſed non naturalizatur circa ipſum, & ſic poteſt operari nõ volendo finẽ peccati ſui: at vero Dæmõ, vt dixi, naturalizatur circa finẽ ſibi electũ, & cum aliàs illũ vellit vt ſuum vltimũ finẽ, omnia, quæ agit, per ipſum menſurat, & ex voluntate illius operatur, & ſic omnis actus eius eſt malus, ſic, quod nullus poteſt eſſe vndequaque bonus.

Ad ſecundã Prob. Ant. diſt. Mai. in poteſtate Angeli eſſet addere aliquid ad naturã ſuã, quod eſſet ei naturale, addere per modũ efficiẽtis in ſe ipſo ipſũ prædicatũ naturale, nego Mai. addere per modũ determinantis materiã, circa quã naturaliter ſe habeat ipſa voluntas, conc. Mai. & nego Min. Ad Prob. dico, quod eo modo, quo poteſt addere, poteſt adimere: nam ſi addit, quia eligit determinate aliquod obiectũ, etiã poterit adimere per hoc, quod nõ eligat illud; nã ſicut volũtas Angeli ad à ſe electũ naturalizatur, ita nõ naturalizatur circa nõ electũ; vnde ſicut poteſt naturalizare, quia eligendo determinat materiã, circa quã eius volũtas naturaliter ſe habet, ita nõ eligẽdo poteſt nõ naturalizare, quia nõ determinet materiam, circa quam voluntas naturalizatur. Ad ſecundam Prob. dico, quod per modum cauſæ effi-

efficientis ſolus Deus, qui Angeli naturam conſtituit, poteſt aliquid naturale adimere, & addere Angelo; per modum autem determinantis materiam, ad quam voluntas naturaliter ſe habet, non eſt inconveniens admittere, quod poſsit Angelus in ſe ipſo aliquid naturale cauſare.

Ad tertiam Prob. primi Ant. diſt. Mai. nequit alicui naturaliter convenire id, quod convenit ei dependenter à proprio libero arbitrio, effectivè, conc. Mai. per modum determinantis materiam, ad quam voluntas naturaliter ſe habet, nego Mai. & diſt. Min. ſed affectio ad pravum finẽ convenit Dæmoni dependenter à propria libera voluntate, quoad hoc quod eſt eſſe affectionẽ talis obiecti, vel circa tale obiectum, conc. Min. quoad hoc quod eſt immobiliter affici circa tale obiectum electum, nego Min. & diſt. Conſeq. quoad eſſe affectionis circa tale obiectum, conc. Conſ. quoad hoc quod eſt immobiliter affici circa finẽ electum, nego Conſeq. Ad Prob. Mai. diſt. Ant. id, quod convenit alicui dependenter à propria voluntate libera, ſemper convenit ei liberè, ſaltim ea libertate, qua liberè voluit illud in ſe cauſare, quoad hoc quod eſt eſſe illius affectionẽ, conc. Ant. quoad hoc quod eſt immobiliter ſe habere circa illud, nego Ant. & diſt. Conſ. nõ poteſt ei cõvenire naturaliter, ſicut conveniunt ei alia prædicata naturalia, quoad hoc quod eſt affect⁹ libertatis, conc. Cõſ. quoad hoc quod reducitur in naturam voluntatis per modũ naturæ, nego Conſ. Itaq; iam vidimus ex D. Th. quod hoc quod eſt voluntatẽ immobiliter adhærere obiecto à ſe electo pendet à duobus cauſis, nempe à libero arbitrio, & à natura voluntatis Angeli, quoad hoc quod eſt eſſe affectionẽ huius vel illius obiecti ſpectat ad libertatẽ: vnde poſt electionẽ alicuius obiecti liberè vult illud obiectũ: quoad hoc vero quod eſt immobiliter adhærere obiecto electo, non ſpectat ad libertatẽ, ſed ad Angeli naturam, quæ talis eſt, quod circa electũ à ſe, immobiliter ſe habet; vnde poſt electionẽ talis affectio ad finẽ pravũ & eſt libera, & eſt naturalis: quoad primũ reducitur in liberũ arbitrium, quoad ſecundum in naturam voluntatis Angeli.

1119 Ad quartam, Prob. Ant. nego Conſ. Ad Prob. diſt. Ant. Angelus adhuc de potentia abſoluta nequit à ſe amovere naturalia, ex vi terminorũ, conc. Antec. naturalia ex aliqua libera ſuppoſitione, nego Ant. & Conſ. Itaq; naturalia Angeli ſunt in duplici differentia: alia, quæ ex vi terminorũ naturaliter ei conveniunt, & circa illa Angelus nulla potentia attenta aliquid à ſe adimere poteſt; ſunt alia naturalia Angelo ſolum naturalitate phyſica, non logica, id eſt, naturalia ex aliqua ſuppoſitione, quæ potuit non poni, ſicut exiſtere naturale eſt Angelo, quia poſtquã ſemel productus eſt, non habet in ſe potentiam, vt non ſit, & iſta prædicata poſſunt auferri ab Angelo, quia cum fundentur in aliqua ſuppoſitione, quæ licet naturaliter deſtrui non poteſt, de potentia tamen abſoluta Dei deſtrui valet, ſit inde, quod licet naturaliter auferri non valeant, de potentia tamen abſoluta Dei auferri poſſunt, vt patet in eſſe Angeli, quod Dei potentia abſoluta attenta deſtrui valet, cum tamen Angelo connaturale ſit. Cumq; immobilitas Angeli circa rem electã ſit naturalis Angelo nõ ex vi terminorũ, ſed aliqua ſuppoſitione facta, nẽpe quod Angelus plenè liberè elegerit id, circa quod immobilitatur, ſit inde, quod ſi per potentiã Dei prædictã ſuppoſitionem electionis Angelus auferat, pariter & naturalitatem erga rem à ſe electã auferet: poteſt autẽ de potẽtia abſoluta Angelus ſuam pravam electionẽ retractare, & ſic eadem potentia poteſt prædictam naturalitatem erga rem à ſe electam à ſe adimere.

Ad quintam dico, quod quieſcere in bono electo ſemper eſt liberũ Angelo libertate, qua voluit eligere: huic autẽ libertati nõ ſe opponit naturaliter quieſcere, id eſt, immobiliter quieſcere in bono electo, ſic, quod nõ poſsit dimoveri ab illa quiete; eſt enim hæc quies naturalis, non ex vi terminorũ, ſed ex ſuppoſitione liberæ electionis: vnde & eſt libera quies in bono electo, & etiam naturalis iuxta diſtincta principia, ad quæ cõparatur: de quo iam dedimus doctrinam D. Th. q. 24. de verit. art. 5. ad 8.

Ad Confir. principalis argumenti dico, quod licet D. Th. in loco adducto nõ aſsignaverit actibus Dæmonis malitiã & circũſtantiã finis pravi, ad quẽ Dæmon converſus eſt, quia cũ illi actus, quos ibi aſsignat ex aliis capitibus ſint vitiati, non opus fuit recurrere ad vitiũ vniverſaliter conveniens actibus Dæmonis, vt explicaret illos eſſe de facto malos; tamẽ in aliis partibus noſtram doctrinã docuit: nam q. 16. de malo, art. 5. ſic docet, & ideo quamvis diverſa eligant per liberũ arbitriũ, in omnibus tamen peccant, quia in omni eorũ electione permanet vis primæ electionis ipſorum.

§. XIIII.

Digitized by Google

§. XIIII.

Soluuntur argumenta contra Concluſionem.

1120 DEFENSATIS Rationibus noſtris, reſtat ſolvere argumenta, quæ militant cõtra concluſionem. Primo arguitur, efficere aliquod opus ordinis naturæ moraliter bonum non excedit facultatem liberi arbitrij dæmonis: ergo poſſunt Dæmones facere illud. Prob. Ant. nam naturalia permãſerunt in Dæmone integra; at ante peccatũ poterat aliquod bonum opus morale naturale efficere: ergo & poſt peccatũ poterit. Ad hoc, nego Ant. Ad Prob. diſt. Mai. dona naturalia manſerũt integra, integritate phyſica, & morali, nego Mai. integritate tantũ phyſica, conc. Mai. & conc. Min. nego Cõſ. Itaq; linea moralis ſimpliciter dependet ex intentione vltimi finis; intentio autẽ circa bonũ finem vltimũ in Dæmonibus prorſus extincta eſt, cũ immobiliter adhæreant fini vltimo pravo, & ſic nullæ vires morales ad bonum in eis remanſerunt: vndè nullum opus bonũ morale poſſunt efficere.

Inſtas, in Dæmone reſtat ſynderesis ſemper remurmurans malo; at remurmurare malo nequit oriri ex intentione finis mali: ergo oritur ex intentione finis boni: remanet ergo in Dæmonibus aliqua bona intentio circa bonũ. Mai. patet ex D. Th. in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2. ad 3. ibi: *Dicendum, quod ſecundũ quoſdam ſynderesis in Dæmonibus non remurmurat culpæ, ſed pœnæ, & in hoc magis peccant ordinationi divinæ iuſtitiæ renitentes.* Sed hoc non videtur verum, quia impoſſibile eſt, quod aliquid non renitatur ſuo cõtrario; in ſynderesi autem ſunt principia iuris naturalis: vnde oportet quod remurmuret omni ei, quod contra ius naturale fit: datur ergo in Dæmonibus ſynderesis malo remurmurans. Ad hoc, diſt. Mai. reſtat ſynderesis ſemper remurmurãs malo, per actũ pure naturalem, conc. Mai. per actum moralem, nego Mai. & conc. Min. diſt. Conſ. ergo oritur ex intentione finis boni, quæ ſit intentio dæmonis, nego Conſ. quæ ſit auctoris naturę eorũ, conc. Conſ. Itaque illa remurmuratio, quæ in dæmonibus reperitur, nõ eſt actus liber voluntatis dæmonis, ſed eſt quidã naturalis diſſenſus naturæ intellectualis, cui connaturalia ſunt principia vniverſalia iuris naturalis, ſicut & intellectui ſunt connaturalia prima principia: vnde non contingit in dæmonibus ex hoc quod ipſi intendant aliquod bonum, ſed contingit ex bono fine, quem intendebat auctor naturæ eorum, dum eorum ſynderesim naturaliter inclinavit ad bonum iuris naturalis; huic autem remurmurationi ſemper Dæmon repugnat ſua perverſa voluntate, qua claudit ſuas virtutes inſpectivas ab omni boni conſideratione: ita ſolvit argumentum D. Thom. loco adducto ex 2. vbi ait: *In ſynderesi autem ſunt vniverſalia principia iuris naturalis: vnde oportet quod remurmuret omni ei, quod contra ius naturale ſit, ſed tamen iſtud murmur eſt actus naturæ: in Dæmonibus enim voluntas perverſa repugnat, ſecundum quam claudunt virtutes inſpectivas ab omni conſideratione, vt dicit Dionyſius in 4. cap. de divinis nominibus.*

Inſtabis ſecundo, contra ſolut. nam inclinatio ad beatitudinem ex terminis beatitudinis, ex terminis eſt Dæmoni cõnaturalis; at hæc intentio eſt bona, & ſimiliter inclinatio: ergo in Dæmone adhuc perſeverat bona intẽtio finis, & ſic ex illa poterunt aliquod bonũ opus facere. Reſp. quod Dæmon, poſtquam convertit ſe ad propriam excellentiam tanquam ad vltimum finem, iam ſibi determinavit vltimam beatitudinem in fine pravo, cui cũ immobiliter adhęreat, non operatur vltra ex intentione beatitudinis ex terminis, ſed operatur ex intentione illius pravi finis, in quo ſibi vltimam beatitudinem determinavit: ſicut & beati, quia immobiliter adhærent ſummo bono, in quo ſuam beatitudinem determinate volunt, iam vltra nõ operantur ex intentione beatitudinis ex terminis, ſed operantur ex intentione finis vltimi, in quo ſuam beatitudinem immobiliter amant; vnde nullius boni finis intentio remanet in Dæmonibus. Et ad id, quod dicitur, quod intendere beatitudinem ex terminis eſt naturale creaturæ intellectuali, prout in ſtatu viæ exiſtenti, conc. Antec. prout ſimpliciter eſt extra viam, nego Antec. & Conſeq. Etenim antequam creatura intellectualis immobiliter quærat in aliquo bono vero, vel ficto ſuam beatitudinem, poteſt operari ex intentione ſuæ beatitudinis ex terminis, quod contingit in ſtatu viæ, in quo creatura intellectualis in nullo bono determinato firmatur, & immobilitatur tanquam in vltimo; poſtquam vero immobiliter in aliquo bono determinato ſuam amat vltimam beatitudinem, vt con-

contingit quando ſimpliciter ponitur extra viam, non iam vltra ex intentione beatitudinis ex terminis, vel abſtractivè ſumptæ operari poteſt, ſed neceſſe eſt vt operetur ex illo fine pravo, cui immobiliter inhæret, & quod vt vltimā beatitudinē ſimpliciter elegit. Vnde cum Dæmon elegerit pro vltima beatitudine ſuam propriam excellentiam, & huic electioni immobiliter adhæreat, nō iam vltra poteſt ex intentione beatitudinis abſtractivè ſumptę operari, ſed neceſſe eſt, quod operetur ex intētione illius finis, cui vt vltimæ beatitudini immobiliter adhæret.

1121 Secundo arguitur, omni actu peccati quis creſcit in malitia, & in merito maioris pœnæ; ſi ergo dæmones in omni actu ſuo peccant, videtur, quod pœna eorū in infinitū creſcat, quod eſt inconveniens: nō ergo eſt dicendū, omnē actum eorū eſſe moraliter malū. Præterea, Dæmones multa bona appetunt, vt ſunt eſſe, vivere, & intelligere, vt dicit Dionyſ. 4. cap. de divinis nominibus: at appetitus boni eſt moraliter bonus: ergo Dæmones poſſunt habere actū moraliter bonū. Ad primū, aliqui nō reputāt pro incōvenienti, quod Dæmones in culpa, & pęna creſcant vſque ad diē iudicij. Sed hoc impugnat D. Th. in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2. ad 5. ex eo, quia cū nō ſint in ſtatu viæ, ſicut in bono mutari nō poſſunt, ita neq; in peius. Vnde reſp. diſt. Ant. omni actu peccati quis in malitia creſcit; ſi ſit in ſtatu viæ, conc. Ant. ſi ſit ſimpliciter extra viā, nego Ant. & Conſ. Itaque Dæmones, & cæteri damnati in malitia quoad intentionē non creſcunt, ſed perſeverant in ea quantitate malitiæ, quam adduxerunt ex ſtatu viæ: vnde quantumvis multiplicent peccata, non intendunt per hoc malitiam ſuam: eſt enim ſtatus extra viā ſtatus in termino ſimpliciter: vnde malitia, vel bonitas exiſtentis extra viā immutabilis eſt. Sed hæc immutabilitas debet intelligi in ordine ad præmium, vel ad ſupplicium eſſentiale; quoad accidentale tamen creſcere poſſunt tām culpa, quàm pœna: vnde beatis dantur multa gaudia accidētalia de novo, & Dæmoni accidentalia ſupplitia ex multitudine damnatorum, qui eius ſuggeſtioni ſuccumbentes damnati ſunt. Ad Confir. dico, quod appetitus, quo Dæmones appetūt eſſe, vivere, & intelligere, ex quo ortum habet ex natura eorū, bonus eſt, ſed vitiatur ex perverſa voluntate deliberata; vtpote quæ vult eſſe vivere, & intelligere ſub deformitate peccati, ſicut & luxurioſus deſiderat vivere in ſua turpi delectatione: vnde Dæmones appetēdo eſſe, vivere, & intelligere bonā appetunt, ſed malè, & ſic bonum ſine vitio nō faciunt.

1122 Tertio arguitur, dilectio Dei naturalis eſt actus moraliter bonus; at Dæmones naturaliter diligunt Deum auctorē naturę, & ſe ipſos: igitur aliques bonos actus faciunt. Conſeq. eſt bona, Min. certa, quia naturalia non ſunt in Angelis diminuta: cū ergo naturaliter habeant diligere Deū auctorē naturæ, videtur, quod huiuſmodi dilectio poſt peccatū remaneat in Dæmonibus. Confir. auctoritate S. Doctoris q. 16. de malo, artic. 5. ad 1. ibi: *Bona naturalia in Angelis ſunt integra quantum pertinet ad naturæ ordinem, ſunt tamen corrupta, vel depravata, ſeu diminuta per comparationem ad capacitatē gratiæ, vel gloriæ.* Ex quibus ſic argumentor. Bona naturalia Angeli ſolum ſunt diminuta quoad ordinē gratiæ, & non quoad ordinem naturæ; ſed ante peccatū poterant bona opera naturalia nullo ex capite vitiata operari: ergo & poſt peccatum ſimiliter poterunt eadem opera bona naturalia moralia operari.

Huic argumento reſpondent Salmant. hic dub. 2. actus dilectionis Dei auctoris naturæ in Dæmonibus poſſe dupliciter conſiderari: primò, vt antecedunt omnem actū liberū Dæmonis, & ſic eſſe bonos bonitate naturali, vt diſtinguitur à bonitatē morali; vel vt ingrediuntur ordinē moralē per actū liberū Dæmonis referentis eos in finē, & illo modo (dicunt) vitiari circunſtātia pravi finis. Vnde ad argumentum in forma reſpondent, negando Maiorem: nam in Angelis actus dilectionis Dei auctoris naturæ, cum non ſit ex ſe liber, tantū eſt bonus bonitate naturali, non morali.

Sed contra inſto, nam Angelus licet neceſſario diligat Deum auctorē naturæ neceſſitate quoad ſpeciem actus, non tamen neceſſitate quoad exercitiū: ergo prædicta dilectio Dei auctoris naturæ ſufficientē libertatē habet, vt ſit bona moraliter. Prob. Antec. Angelus nequit neceſſitari quoad exercitium alicuius boni, etiam ſi infinitū ſit, niſi videat illud; at Angeli non vident Deum naturæ auctorem, dum ſunt in via, vel in ſtatu damnationis; igitur nequeunt quoad exercitium neceſſitari ad amorem Dei auctoris naturæ. Secundo: nam amor Dei neceſſarius quoad exercitium nequit vitiari circunſtantia pravæ intentionis

Digitized by Google

ergo ſi Dæmones neceſſario quoad exercitium Deum auctorem naturæ diligunt, non poterunt talem amorem vitiare circunſtantia pravæ intentionis. Prob. Antec. vt prædictus amor vitiaretur pravo fine, eſſet neceſſe, quod amans ſe, & actum ſuum referret ad pravum finem; at hoc ipſo quod amans referat ſe, & actum ſuum ad pravũ finẽ, iam nequit Deũ ſuper omnia amare, ſiquidẽ præfert Deo amato illum pravũ finem, ad quẽ ſe, & actũ ſuũ refert: igitur verus amor Dei ſuper omnia neceſſarius quoad exercitium nequit pravi finis circunſtantiã vitiari. Tertio, Dæmon amat ſe ipſum, & propriã excellentiam vt vltimum finem ſuper omnia, ideoque ad ſe ipſum omnia dirigit, habetque ſe ipſum pro regula, & mẽſura omnium, quæ operatur: Deum ergo auctorem naturæ ſuper omnia diligere non valet, alias haberet duos vltimos fines.

Ad hoc, nego Ant. Prob. nego Min. duplicitèr enim contingit Angelum neceſsitari quoad exercitiũ ad amorem alicuius boni infiniti. Primò, per actum, qui nõ ſit neceſſario cõnnexus cum principijs naturæ, & iſto modo non poteſt neceſſitari ad amorẽ etiam boni infiniti, niſi videat illud, prout eſt in ſe; quia obiectum etiã ſi infinitũ ſit, non valet adæquatẽ movere voluntatẽ ad ſui amorem, niſi eius infinitas videatur in ſe, & prout in ſe ipſa eſt: alio modo contingit Angelum neceſsitari ad amorem obiecti infiniti per actum neceſſario connexum cum natura Angeli, ſic, quod ex principijs ipſius Angeli oriatur talis neceſsitas; & iſto modo nõ eſt neceſſe, quod ad hoc vt Angelus neceſſario quoad exercitium Deum diligat naturæ auctorem, Deum videat: Angelus ergo neceſſario quoad exercitium diligit Deum hoc ſecundo modo, nõ primo; ſic non eſt neceſſe, quod Deum videat, vt illũ quoad exercitium neceſſario amet. Ad ſecundam diſt. Antec: amor Dei neceſſarius quoad exercitium nequit vitiari ex circũſtantia pravę intentionis, prout elicitive eſt ab Angelo, Conc. Ant. obiectivè ſumptus, nego Ant. & diſt. Conſ. eadem diſtinctione. Itaque actus ille amoris ſumptus elicitivè, & prout tantum ſpectat ad lineam naturæ, vitiari non valet, ſic, quod dicatur de illo, quod actus moraliter malus ſit: ſi enim moralis non eſt, cum libertate careat, malus moraliter eſſe non poterit; poteſt tamẽ Angelus perverſa ſua voluntate libera circa illũ actũ bonũ bonitate naturę habere vitiũ ſimili modo, quo virtute elicitive ſumpta nullus abuti poteſt, poteſt tamẽ quis ipſa virtute abuti, quatenus poteſt eſſe materia ſuperbiæ, vt dũ virgo ſua virginitate ſuperbit.

Ad Tertiũ, diſt. Conſ. ergo auctorẽ naturæ ſuper omnia diligere nõ valet, actu libero, Conc. Conſ. actu verè neceſſario, nego Conſ. Itaque cũ omnis actus liber Dæmonis perverſus ſit, & propriã excellentiã pro fine vltimo habeat, liberè Deũ auctorẽ naturę ſuper omnia diligere non valet: imo ſic libera volũtate circa Deũ malè afficitur, quod diſpliceat ei de eo, quod non poſsit ceſſare ab amore neceſſario, quo Deũ amat: poteſt tamẽ actu neceſſario Deũ diligere, & propria voluntate libera Deũ odio habere, & propriã excellentiã vt vltimũ finẽ amare, eo quod alia apprehenſione regulatur amor neceſſarius Dei ab ea, quã regulatur Dei odiũ: ille enim regulatur apprehenſione ſola Dei, ex quo bonum creaturæ eſt, & eius auctor; odiũ autẽ Dei regulatur apprehenſione Dei cauſantis aliquos effectus perverſæ voluntati Angeli diſconvenientes, ex quibus Deũ apprehẽdit vt ſibi nocivũ, & ſic illũ odit, & ad propriã excellentiã refertur. Quomodò autẽ hæc cõponantur in Angelo dilucide tradit D. Th. ſupra q 6. ar. 5. ad 5. vbi dicat ſic; quod *cum in Deo ſit vnum, & idẽ eius ſubſtantia, & bonũ cõmune, omnes, qui vidẽt eius ſubſtantiã, eodẽ motu dilectionis moventur in ipſã Dei eſſentiã prout eſt ab alijs diſtincta, & ſecundum quod eſt quoddam bonum commune, & quia in quantum eſt bonum commune naturaliter amatur ab omnibus, quicumque videt Deum per eſſentiam, impoſsibile eſt, quin diligat ipſũ. Sed illi qui nõ vident eſſentiã eius, cognoſcunt eũ per aliquos particulares effectus, qui interdũ eorũ voluntati contrariantur; & ſic hoc modo dicuntur odio habere Deũ, cum tamen in quantum eſt bonum commune omnium, vnumquodque naturaliter diligat plus Deum, quàm ſeipſum.* Quibus ſolvit argumentum 5. quod propoſuerat; videlicet, *dilectio naturalis ſemper manet manente natura; ſed diligere Deum plusquam ſeipſum non manet in peccãte Angelo, quia vt Auguſtinus dicit 14. de civitat. Dei, fecerunt ſibi civitates duas, amores duo, terrenam ſcilicet, amor ſui vſque ad Dei contemptum, cæleſtem vero, amor Dei vſque ad ſui contemptum: ergo diligere Deum ſupra ſe ipſum non eſt naturale Angelo.* Quod argumẽtũ præſentẽ difficultatẽ tangit, & ſolvitur à D. Thom. per doctrinã adductã: patet ergo quod Dęmõ Deũ actorẽ naturę ſẽper diligit amore naturali, quia à Deo ipſi proponitur

vt

Digitized by Google

vt bonũ quoddã cõmune, & cauſa totius eſſe, & quod a Deo auctore ſupernaturali fugiat per odiũ, & ad propriã excellẽtiã ſe cõvertat ex apprehenſione aliquorũ effectuũ Dei, qui diſſoni ſunt perverſæ Dæmonis voluntati. & quia amor ille naturalis eſt, & nullo modo liber: patet etiam quod bonus moraliter nõ ſit. Vnde & patet Dæmonem nullum bonum opus morale facere.

QVÆSTIO XIX.
De Pœna ſenſus.

DISTINGVVNT Theologi in damnatis pœnam damni, & ſenſus: illam dicunt conſiſtere in perpetua carentia viſionis beatæ cum alijs adhærentibus; pœnam vero ſenſus (dicunt) cruciatus, & tormenta, & alia, quę patiuntur damnati vltra hoc quod eſt non videre Deũ. De his oportet agere; & primò de pœna ſenſus.

§. I.
Vtrùm dolor ſit in Dæmonibus?

1123 HVIC Quæſtio reſp. D. Thom. hic quæſt 64. articul 3. ſub diſtinctione dicens: *Timor, dolor, gaudium, & huiuſmodi ſecundum quod paſſiones ſunt, in Dæmonibus eſſe non poſſunt, ſic enim ſunt propriè appetitus ſenſitivi, qui eſt virtus in organo corporali; ſed ſecundũ quod nominant ſimplices actus voluntatis, ſic poſſunt eſſe in Dæmonibus, & neceſſe eſt dicere, quod in eis ſit dolor; quia dolor ſecundum quod ſignificat actũ voluntatis nihil eſt aliud, quam reniſus voluntatis ad id, quod eſt, vel non eſt. Patet autem quod Dæmones multa vellent non eſſe, quæ ſunt, & eſſe, quæ non ſunt, vellent enim, cũ ſint invidi, damnari eos, qui ſalvantur: vnde oportet dicere, quod in eis ſit dolor.* Sic D. Thom.

Cui doctrinæ videtur ſe opponere Scotus in 4. diſt 4. quæſt. 7 §. *dico ergo.* vbi ponit paſsiones propriè dictas in voluntate: diſtinguit enim in voluntate duas velut formalitates, aliã operativã, quæ perficitur ipſa operatione, aliã purè receptivã, quæ perficitur ipſa paſsione ſupernaturali in patria, vti eſt delectatio, & gaudiũ, ex quibus evidenter colligitur apud doctrinam Scoti, delectationem, & gaudium non eſſe actus ſimplices volũtatis, vti dicit D. Th. ſed meras paſsiones: vnde de eis oppoſitis, nempe dolore, & triſtitia idẽ prorſus ſentit: nã in ſolut. ad 3. de pœna, & triſtitia intellectualis naturæ dicit, nõ poſſe eſſe actus voluntatis, quia omnis actus voluntatis, ſive ſit velle, ſive ſit nolle, eſt voluntarius indiſpenſabiliter: pœna autem, & triſtitia voluntaria non ſunt, & ſic actus voluntatis eſſe nullo modo poſſunt: vnde tantũ eſſe poſſunt paſſiones voluntatis.

Cæterum doctrina D. Th. tenenda eſt, & reijcienda doctrina relata ex Scoto. Primũ quidẽ tenendũ eſt, quia paſsio propriè invenitur vbi eſt tranſmutatio corporalis: in appetitu autẽ intellectivo nõ invenitur aliqua tranſmutatio corporalis, quia nõ eſt virtus alicuius organi: ergo ratio paſsionis propriè loquẽdo nequit inveniri in voluntate. Maior huius diſcurſus demonſtrat D. Th. 1. 2. q. 22. art. 1. vbi habet, quod pati ſtat tripliciter vno modo communiter ſecundum quod omne recipere eſt pati, etiam ſi nihil abijciatur à re: ſicut ſi dicatur aerem pati, quando illuminatur, quod magis eſt perfici, quã pati; alio modo dicitur propriè pati, quando aliquid recipitur cũ alterius abiectione: ſed hoc contingit dupliciter, quandoq; enim abijcitur id, quod nõ eſt conveniens, ſicut cũ corpus animalis ſanatur dicitur pati, quia recipit ſanitatẽ ægritudine abiecta; alio modo, quando è converſo contingit, ſicut ægrotare dicitur pati, quia recipitur infirmitas ſanitate abiecta; & hic eſt propriſsimus modus paſsionis: nã pati dicitur ex eo quod aliquid trahitur ad agentẽ; quod autẽ recedit ab eo, quod eſt ſibi cõveniens, maximè videtur ad aliud trahi. Et ſimiliter in primo de generatione dicitur, quod quando ex ignobiliori generatur nobilius, eſt generatio ſimpliciter, & corruptio ſecundũ quid; è converſo autẽ quãdo ex nobiliori ignobilius generatur. Et his tribus modis contingit eſſe in anima paſsionẽ. Nã ſecundum receptionẽ tantũ dicitur quod ſentire, & intelligere eſt quoddam pati; paſſio autẽ cum abiectione non eſt niſi ſecundum tranſmutationẽ corporalem; vnde paſſio propriè dicta non poteſt competere animæ niſi per accidens, in quantũ ſcilicet cõpoſitũ patitur. ſed in hoc eſt diverſitas, nam quando huiuſmodi tranſmutatio fit in deterius, magis propriè habet rationẽ paſsionis, quam quando fit in melius: vnde triſtitia magis propriè eſt paſsio, quam lætitia: ergo iuxta D. Th. paſsio propriè dicta tantũ invenitur vbi eſt tranſmutatio corporalis; cũ ergo in Dæmonũ voluntate tranſmutatio corporalis locum habere non poſsit, fiet conſequens, quod dolor, triſtitia, & gaudium

voluntatis neceſſariò voluntarius eſt, volũtarietate proſequutionis, & volitionis, nego Min. voluntarietate elicientiæ à voluntate. Conc. Min. & nego Conſeq. Itaque ad rationem pœnæ ſufficit aliquam operationem ſic eſſe voluntariam, quod ſit nolitio alicuius obiecti diſconvenientis, vel de eo, quod ſit, adhuc ipſa nolente, quod non exiſtat, vel de eo, quod non ſit, ipſa voluntate volente, quod exiſtat: hoc enim ipſo, quod aliquod obiectum contra ipſam voluntatẽ neceſſariò ſit, vel non ſit, hoc ipſo eſt tentatus quidam voluntatis, qui dicitur nolitio, & obtinet rationem actus involuntarij, etiã ſi actus voluntatis ſit, & hoc ſufficit ad rationem pœnæ: eſt enim maxima pœna ſemper habere præſens obiectum, quod nollis, ſicut eſt maxima gloria ſemper habere præſens obiectum, quod diligis: unde cum Dæmones multa habeant obiectivè præſentia, quæ nolunt, & non habeant præſentia ea, quæ vellent; hinc dolent, & cruciantur per actus voluntatis, qui licet voluntarij ſint ex eo quod à voluntate elicitive procedũt, tamen involuntarij ſunt, quatenus circa ea verſantur, quas eſſe nollunt.

1127. Tertio arguitur, & Prob. dolorem in Dæmonibus verãm habere rationẽ paſsionis: Tunc actus appetitus verã & propriam obtinet rationem paſsionis, quando admiſcetur cum aliqua abiectione alicuius formæ ſubiecto convenientis; ſed dolor in Dæmonibus admiſcetur cũ abiectione alicuius formæ Dæmonibus convenientis; igitur obtinet veram, & propriam rationem paſsionis. Prob. Min. etenim ignis infernus torquet Dæmones, ut poſtea videbimus, producendo formas, vel qualitates intra intellectum, & voluntatem Dæmonum, quibus neceſsitantur eſſe in inferno, & perdunt libertatem, ſeu innatam efficaciam ad eſſendum extra illum pœnalem locũ: ergo dolor, qui in illis originatur, admiſcetur cum eiectione formæ convenientis, nempe innatæ libertatis, & efficaciæ ad eſſendum ubi voluerint per ſuam innatam efficaciam.

Confirm. in voluntate vere poſſunt dari tranſmutationes ſpirituales per generationem alicuius formæ ſpiritualis diſconvenientis, & corruptionem formæ ſpiritualis convenientis: ergo actus voluntatis poterunt admiſceri cum his tranſmutationibus, ac per Conſ. poterunt habere rationem veræ paſsionis ſpiritualis: ſicut actus appetitus ſenſitivi, qui admiſcentur paſsioni corporali, propriam obtinent rationem paſsionis corporalis. Patet Conſeq. à pari. Et Antec. Prob. etenim in voluntate datur generatio charitatis cum deſtructione peccati, & è contra generatio peccati cum abiectione formæ convenientis, qualis eſt charitas; datur inſuper generatio virtutum cum deſtructione vitiorum, & è contra deſtructio virtutum cum generatione vitiorum: ergo vere dantur in voluntate tranſmutationes ſpirituales per generationem formæ convenientis, & abiectionem formæ diſconvenientis, & è contra. Confirm. ſeu explicatur hoc, omnis generatio eſt alterius corruptio, & per Conſ. abiectio formæ à ſubiecto; at, dum homo iuſtificatur, gratia verè, & propriè generatur in anima: igitur vera tunc datur peccati corruptio, & abiectio à ſubiecto, in quo gignitur gratia: dantur ergo in purè ſpiritualibus veræ ſpirituales tranſmutationes, & ſic poterunt actus voluntatis illis commiſceri, ſicut actus appetitus ſenſitivi verè commiſcentur corporalibus tranſmutationibus, & ſic veram poterunt habere rationem paſsionum.

Ad hoc argumentum, nego Min. Ad Prob. dico, quod per illas qualitates, quas ignis inferni producit in voluntatibus Dæmonum, nihil phyſicum Dæmonum corrũpitur, ſed ſolum impediuntur voluntates eorũ, ne operentur, ubi poſſent operari, ſi non cogerentur ad oppoſitum. Itaque illæ qualitates ſunt merè impeditivæ, nullatenus autem corruptivæ: ſicut columna, quæ nihil corrumpit domus, & tamen impedit eam, ne corruat, ſic illæ qualitates impediunt virtutes operativas, ne operentur ubi vellent, nihil tamen phyſice corrumpunt in Dæmonibus: unde non habetur per illas vera, & propria paſsio.

Ad Confirm. diſt. Ant. in voluntate benè poſſunt dari tranſmutationes ſpirituales corruptivæ ſubiecti ſpiritualis, vel ſaltim diſponentes ad corruptionem eius ſecundũ eſſe ſuum naturale, nego Ant. nullo modo corruptivè ſubiecti ſecundum ſuum eſſe naturale, Conc. Ant. Et ad Conſ. nego quod actus permixti prædictis tranſmutationibus verè, & propriè paſsiones dici poſsint. Etenim, tunc ſubiectum tantum propriè patitur, quando ab ipſo abijcitur aliqua forma, quæ conſervabat ſaltim diſpoſitive illud ſecundum ſuum eſſe naturale, ut cum amittitur ſanitas, quæ per ſe conducit ad bene ſe habere animalis in ſuo eſſe naturali: ſic omnis paſsio, quæ corporaliter ſubiectum alterat, propriè paſsio dicitur, quia per talem

alte-

alterationem corporalem ſubiectum à ſuo eſſe naturali dimovetur, vel in melius, vel in peius: porrò adventus gratiæ, & deſtructio peccati ſubiectum, nempe voluntatem, non amovet à ſuo eſſe naturali: vnde ſecundum illa ſubiectum pati non dicitur. Et ſi dicas, quod peccatum eſt contra naturam: igitur per adventum peccati advenit peccatori forma eius naturæ deſtructiva; & ſic verè patietur per deſtructionem gratiæ, & generationem peccati. Reſp. peccatum eſſe contra naturam rationalem, id eſt, contra dictamen rectum naturæ rationalis, non autem eſt contra naturam, quaſi naturæ phyſicè deſtructivũ ſit. Etenim Deus in peccatore naturam conſervat ita perfectè, ſicut & naturam iuſti quantum ad eſſe naturale eius: vnde non ſequitur, quod adventu peccati homo verè patiatur. Ad explicationem, diſt. vltimum Conſeq. ergo in purè ſpiritualibus verè dantur tranſmutationes, dimoventes ſubiectum à ſuo eſſe naturali, ſive in bonum, ſive in peius, nego Conſeq. cum conſervatione ſubiecti eodem modo ſecundum ſuum eſſe naturale, Conc. Conſ. ex quo fit quòd actus voluntatis illis admixti propriè paſsiones non ſint.

Sed contradicta inſtabis. Dæmones verè, & propriè patiuntur ab igne inferni: ergo dolor eorum cõmiſcetur verè, & propriæ paſsioni: ergo erit vera, & propria paſſio. Antec. videtur verum, nam Dæmones non patiuntur metaphoricè, neque ſimilitudinariè ab igne inferni: ergo verè, & propriè patiuntur ab illo: Conſ. autem patet ex doctrina data. Ad hoc primo reſp. negando Ant. ad Prob. dico, quod patiuntur ſimilitudinariè, vt vidimus ſupra ex D. Thom. & D. Auguſtino. Ex quibus conſtat ſolum in Dæmonibus eſſe paſsiones ſimilitudinariè. Secundo dico, quod verè patiuntur quoad effectum, quem infert paſsio: etenim dolorem atrociſsimum ſentiunt, qui in corporali tranſmutatione, ſeu paſsione eſt effectus paſsionis; in Dæmonibus vero eſt dolor, ſed non ex propriè dicta paſsione cauſatus, ſicut dicit Auguſtinus quod *puniunt, ſed ſine ira paſsione, & ſubveniunt, ſed ſine miſeria compaſsione*, ita & dolent, ſed ſine propria paſſione. Etenim qualitates, quas ab igne recipiunt, non ſunt corruptivæ eſſe naturalis Dæmonum, ſed tantum ſunt impeditivæ operationum eorum: vnde propriè pati ab igne non dicuntur.

Inſtas, non obſtante quod propriè eſſe in loco conveniat corpori ratione ſuæ quantitatis molis, tamen Angelus propriè eſt in loco ratione ſuæ quantitatis virtutis, eſtò æquivocè cum corporibus, vt docet D. Thom. ſupra cùm agit de loco Angelorũ: ergo ſimiliter propriè patientur ab igne, quamvis eorum paſsio æquivocè dicatur de eorũ dolore, & de dolore, qui eſt paſsio appetitus ſenſitivi. Ad hoc nego Conſeq. nam Angelus eſto non circumſcribatur loco, verè tamen à loco propriè diffinitur, ſic, quod dum eſt in aliquo loco diffinitivè, nequeat eſſe in alio: vnde propriè habet Angelus exiſtere in loco, & alligari loco, quamvis eſſe in loco æquivocè dicatur de Angelo, & de corpore. Cæterum pati Angelo propriè nullo modo convenit, quia pati propriè nõ eſt vtcumquè recipere, ſed eſt recipere corruptivum eſſe naturalis formaliter, vel diſpoſitivè: hoc autem nullo modo convenire poteſt Angelis, & ſic ratio propriæ paſsionis etiam æquivocè cum corporibus eis negeſt adaptari.

§. VIII.

Vtrùm dolor Dæmonum ſit tantus, quòd nullam ſecum compatiatur delectationem?

1128 AD hoc quæſitum Divi Th. hic reſpõdens ad auctoritatẽ Auguſtini lib. 2. contra Manichæos cap. 17. in 1. tom. aſſerentis diabolum poteſtatẽ habere in eos, qui Dei præcepta contemnunt, & de hac tam infœlici poteſtate lætari, ſic ait. *Dicendum, quod gaudium, & dolor de eodẽ ſunt oppoſita, non autẽ de diverſis: vnde nihil prohibet vnum ſimul dolere de vno, & gaudere de alio, & maximè ſecundum quod dolor, & gaudiũ important ſimplicis voluntatis actus, quia non ſolum in diverſis, ſed etiam in vno, & eadẽ re poteſt eſſe aliquid, quod volumus, & aliquid, quod nolumus.* Quibus expreſſe videtur ſentire D. Thom. quod in Dæmonibus aliquod ſit gaudium. Cæterum ipſemet D. Th. in 4. ſent. diſt. 45. q. 2. artic. 2. ad 4. reſpondens argumento, quo nitebatur probare ſuffragia iuvare etiam exiſtentibus in inferno huius tenoris. *In vitis Patrũ legitur, quod Macharius inventa in via calvaria cuiuſdam defuncti oratione præmiſſa, quæſivit cuius caput eſſet? Et caput dedit reſponſum, quod fuerat ſacerdotis gentilis, qui in inferno erat damnatus, & tamen confeſſus eſt oratione Macharij ſe, & alios iuvari: ergo ſuffragia Eccleſiæ proſunt etiam exiſtentibus in inferno.* Ad quod, argu-

Digitized by Google

argumentum ſic reſp. D. Thom. *Dicendum, quod illud adiutorium non erat quod pœna eorum diminueretur, ſed in hoc ſolo, vt ibidem dicitur quod eo orante concedebatur eis, vt mutuo ſe viderent, & in hoc aliquod gaudiũ non verum, ſed phantaſticum habebant, dum implebatur hoc quod deſiderabant: ſicut & Dæmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccata pertrahunt, quamuis per hoc totum pœna nullatenus minuatur, ſicut nec minuitur gaudium Angelorum per hoc quod malis noſtris compati dicuntur.* Quibus D. Thom. & dicit dari in Dæmonibus aliquod gaudium, & dicit etiã quod tale gaudium non eſt verum, ſed phãtaſticum.

Propter hanc oppoſitionem, quam videntur habere inter ſe iſti duo textus Div. Thom. Vazquez hic diſp. 242. cap. 3. tria dicit. Primum, nullam eſſe in Dæmone talem delectationem, quæ dolorem, & cruciatum, quem patitur pro ſuo peccato, aliquomodo leviet, & mitiorẽ reddat. Quod probat, quia ſicut pœna ſenſus in Dæmonibus eſt æterna; ita etiam eodem modo perſeverat ſemper. Secundo dixit, nullam veram delectationẽ ex aliquo eventu Dæmonibus provenire, tametſi flagrans habeãt deſiderium alicuius futuri, quod tanquam bonum ſuum apprehendunt, quare (inquit) etiam ſi ardenter deſiderent vincere homines tentatione peccati, tamen exiſtimo obtenta victoriã, vere de ea non lætari, quod probat ex Ariſt. lib. 7. Æthicorum cap. 14. ibi; *voluptas aut contraria, & quævis modo ſit vehemens, pellit dolorem,* hoc eſt, non ſolum voluptas, quæ eſt de obiecto ſub vna ratione conſiderato pellit neceſſario dolorẽ de tali obiecto ſub eadem ratione apprehẽſo (hæc enim contraria ſunt) verũ etiam quævis voluptas; nempe aut de eodem obiecto, aut de alio quocumque, ſi tamen ſit vehemens, non patitur ſecum vllã triſtitiam: nam quò magis aliquis de vna re delectatur, eò minus triſtatur de quacũque alia re, quia eò minus æſtimat vt malum, quodcumque aliud, quod evenit, quò magis apparet bonum id, quod poſſidet; vt ipſa experientia probat: ergo tanta poteſt eſſe delectatio, vt omnem pellat dolorem: eademque omnino ratio eſt triſtitiæ, & doloris; vt ſi maximus ſit, pellat omnem lætitiam, præſertim ſi lætitia non ſit vehementis obiecti: cum igitur triſtitia Dæmonum vehementiſſima ſit, quæ ipſis afferre poſſunt lætitiam, minoris ſunt momenti, & nihil boni habeant niſi ſola cogitatione apprehenſum, quale eſt vincere homines tentatione peccati: dicendum eſt, nullam omnino Dæmones capere delectationem, etiã ſi id, quod accidere deſiderabãt, conſequantur. Tertio dicit, doctrinam Div. Thom. in hoc articulo tradditam eſſe veram, ſed iuxta ſenſum, quem expreſsit in ſententijs, nẽpe in Dæmonibus eſſe aliquod gaudium nõ verum, ſed phantaſticum; non quia Dæmones videantur ſibi delectari, cum re vera nõ delectentur: neque enim (inquit) hæc deceptio illis contingere poteſt; ſed quia ita ſe habent in tentatione hominum, ac ſi verè obtenta victoria delectentur: licet enim ſemel, atquè iterum vincant hominẽ, nullã que inde capiant voluptatem, nihilominus ita pravè affecti ſunt, vt iterũ ipſum, aut alium hominem aggrediantur apprehendentes ſibi in futura victoria novam cauſam lætitiæ, quam in præcedenti victoria non invenerunt, in quo ſe habent inſtar eorum, qui lætantur. Hæc Vazquez.

Dominicus de Marinis Vazquez in omnibus hic ſequitur, præterquam in explicatione literæ D. Thom. Inquit ergo, quod Dæmones lætari dicuntur non formaliter, ſed cauſaliter, hoc eſt, lætantur de victoria, quã conſequuntur adverſus homines; quia victoria illa implet eorum deſiderium, quo ex zelo invidiæ deſiderant deturbare homines à conſequutione regni cœleſtis, & huiuſmodi impletio deſiderij appellatur gaudium, & lætitia, non formaliter, ſed cauſaliter: quia ſua natura cauſativa eſt delectationis, & gaudij, & de facto cauſaret, ſi Dæmonum voluntas ab exceſsivo quo afficiuntur dolore non eſſet præventa. Quam ſolutionem fundat in D. Thom. ex loco 4. ſent. vbi habet, Dæmones eo modo lætari de malis noſtris, quo Angeli beati compatiuntur, & dolent ſuper noſtra damna.

1129 Sed vt verũ fateor, omnes iſti manifeſte pugnant cum doctrina D. Thom. Nam tam Vazquez, quàm Marinis negant Dæmones aliquod habere gaudium; quia vehemens dolor eorum pellit omne gaudium, non ſolum de eodem obiecto, ſed etiam de quocumque alio etiam diſparatè ſe habente ad illud; de quo dolent, & triſtantur; at D. Thom. expreſſe in ſolutione ad 1. huic doctrinæ ſe opponit, nam loquens de hoc gaudio Dæmonum, vt illud cu Auguſtino fundet in Dæmonibus, dicit, quod *gaudium, & dolor de eodem ſunt oppoſita; non autem de diverſis: vnde nihil prohibet vnum ſimul dolere de vno, & gaudere de alio, & maximo*

ximè ſecūdum quod dolor, & gaudium important ſimplices voluntatis actus, quia non ſolum in diverſis, ſed etiam in vna, & eadem re poteſt eſſe aliquid, quod volumus, & aliquid quod nolumus. Quæ doctrina expreſſe deſtruit rationem, qua iſti auctores vtuntur ad negādum omne gaudium in Dæmonibus. Neque ſolutiones, quas aſsignant, locum habent. Nam D. Thom. probat. gaudiū poſſe eſſe in Dæmonibus non de eodem obiecto, ſed de diverſo, quia prout ſic nullam habēt oppoſitionem; hoc autem tantum verum habere poteſt de gaudio, & triſtitia formaliter ſumptis, non vero de triſtitia formaliter, & gaudio ſolum cauſaliter: nam gaudium tantum cauſaliter ſumptum non ſolum in eodem circa diverſa obiecta eſſe poteſt cum dolore, & triſtitia formali, ſed etiam poteſt eſſe in eodem de eodem obiecto etiam ſub eadem ratione: ergo cum D. Thom. dicat Dæmones lætari; quia licet lætitia in eodem de eodem obiecto opponatur cum triſtitia de eodem, non tamē oppoſitionem habet; ſi eiuſdem obiecti non ſint, plane loquitur de lætitia, & triſtitia formaliter ſumptis, non autem de triſtitia formaliter, & de lætitia ſolum cauſative. Ant. ſic Prob. habere lætitiam tantum cauſative iuxta hos auctores non eſt actu lætari, ſed tantum eſt habere in ſe aliquid, quod de facto lętitiam cauſaret, ſi ſubiectum pręoccupatum non eſſet vehemētiſſimo dolore; hoc autem non ſolum contingere poteſt circa diſtincta obiecta, ſed etiam circa idē: nam dum lætitia non habet actu eſſe in ſe, non pugnat cum dolore etiam circa idē obiectum, vt patet in illo, qui habet ſcientiam evidentem de aliqua propoſitione in actu, & formaliter, qui ſimul poteſt habere opinionem, imò & fidem cauſativè: nam poteſt probare eandem cōcluſionem, quam ſcit aliquo medio, quod de facto induceret in eo opinionem formaliter, ſi ſcientia careret: & ſi alicui ſcienti aliquam concluſionem, Deus ei eam revelet, tunc etiā cum ſcientia evidenti formali, habet fidem cauſativè, quia ſi non videret de facto, id crederet: ergo circa idem obiectum nullam habent oppoſitionem dolor formalis, & lętitia cauſativè.

1130 Vnde in hoc puncto valde difficili, primo exiſtimo cum D. Thom. in loco ex 4. ſent. quod gaudium, quod Dæmones habent de victoria hominum per tentationem peccati, non ſit talis qualitatis, & conditionis, quod diminuat pœnam, & dolorem, quem Dæmones patiuntur pro ſuo peccato: nam illa pœna eſt æterna, & ſemper in eodē ſtatu permanens: ergo nequeūt habere gaudium, quod prædictam pœnam liniat, & ſublevet, ſeu diminuat. Exiſtimo ſecundò, Dæmones aliquod habere gaudium in ea acceptione, qua D. Thom. gaudium ponit in eis: nam nomine *gaudij* tantum intelligit illum actum voluntatis, quo volumus id, quod de facto evenit, ſicut & dolorem dicit illum ſimplicem actum voluntatis, quo nolumus id, quod evenit. Sic enim habet in illa ſolutione ad primū. Et maxime ſecundum quod dolor, & gaudiū important ſimplices voluntatis actus, quia non ſolum in diverſis, ſed etiam in vna, & eadem re poteſt eſſe aliquid, quod volum⁹, & aliquid, quod nolumus: ſic ergo diſcurrēdo de gaudio, dico in Dæmonibus reperiri: nam cum deſiderant iuſtos vincere tētatione peccati, & de facto vincunt, in ea victoria implent deſiderium ſuum: ergo de facto ibi complacent in eventu victoriæ. Nec enim dum evenit, circa illam ſe habent vt nolentes, ſed vt volentes: ergo ſi in hac voluntate ſtat gaudium, in via D. Thom. dicere poſſumus quod in Dæmonibus ſit aliquale gaudium. Et ſi dicas, quod pro ipſa victoria ſpecialiter torquentur: ergo de adventu talis victoriæ non lætātur. In contra eſt, quod Div. Thom. inſinuat, quia ſemper in eodē obiecto victoriæ reſtat aliquid, quod volunt; nempe viciſſe, & aliquid, quod nolunt, nempe torturam, quæ eis ſuperadditur; ſemper ergo reſtat aliquod gaudium, licet non plenum, vtpote dolori torturæ admixtum: ob quam rationem crediderim D. Thom. in ſent. loco adducto dixiſſe, tale gaudium non eſſe verum, ſed phantaſticum; non quia exiſtiment ſe lætari, & de facto non lætentur, ſed quia in eo, in quo putabat ſe plene gaudere, de facto plene non lætantur, cum de eodem, de quo gaudent, doleant.

1131 Sed inſtas in contra. Cum ſumma lætitia beatorum non compatitur dolor: ergo cum ſumma triſtitia, & dolore Dæmonum non compatitur gaudium. Prob. Conſ. nam dolor Dæmonum, qui eſt pœna proprij peccati, ita eſt vehemens, ſicut gaudiū beatorum, quod habent in pręmium ſuorū meritorū, vehemens eſt: ergo ſi hoc ob ſui vehementiam nullum permittit ſecum dolorem, etiam & dolor Dæmonum ob ſui vehementiam nullum ſecum cōpatietur gaudium. Confirm. auctoritate Philoſophi 7. Æthi-

Digitized by Google

Æthicorum cap. 14. vbi ſic habet: *voluptas aut cõtraria, & quævis modo vehemẽs ſit, pellit dolorem*, hoc eſt, non ſolũ voluptas, quæ eſt de obiecto ſub vna ratione conſiderato, pellit neceſſariò dolorẽ de tali obiecto ſub eadem ratione apprehenſo, verùm etiam quævis voluptas aut de eodem obiecto, aut de diverſo, ſi tamen ſit vehemens, non patitur ſecum vllam triſtitiam: nam quò magis aliquis de vna re lætatur, eò minus triſtatur de alia quacumque re, quia eo minus æſtimat vt malum quodcumq; aliud, quod evenit, quò magis apparet bonum id, quod poſsidet: ergo è contra vehemens dolor de vno obiecto pellet triſtitiam de alio quocũque obiecto: cum ergo Dæmones vehemẽtiſsimè doleant in pœnam proprij peccati, nullum gaudium habere poterunt.

Ad hoc, nego Conſ. Ad Prob. poſſumus negare Antec. Etenim Deus punit citrà condignum, & pręmiat vltrà condignum: vnde cum gaudium beatorum ſit præmium eorum, & dolor Dæmonum ſit eorũ pœna pro peccatis exhibita, facilè poſſem dicere, non eſſe dolorem Dæmonum ita vehementem, ſicut eſt gaudium beatorum. Secundò, gaudium beatorum eſt de bono vniverſaliſſimo, in quo beatus omnem invenit rationem boni, quam deſiderare poteſt, & carẽtiam omnis mali, quod poteſt odio habere vel nolle: nulla ergo ratione dolere, vel triſtari poteſt: dolor autẽ Dæmonũ non eſt de aliquo malo vniverſaliter præcontinente omnem rationem mali, nam licet ſit de carentia viſionis beatæ, tamen in illa carentia ipſi non apprehendunt omnem rationẽ mali, ſicut beati in Deo viſo apprehendunt omnem rationem boni: nam privatio alicuius boni in eo, qui nondum expertus eſt quantum bonitatis habeat, non offert tantum malum, quantum bonum offert viſio clara ipſius boni: qui enim nunquam viſum habuit, non ità cruciatur ipſa cæcitate, quã cruciatur ille, qui vidit, quia primus non apprehendit quantùm bonum ſit videre, ſicut apprehendit ille, qui vidit: hinc ergo nõ ita cruciatur, nec triſtatur Dæmon de carentia beatitudinis, quan ùm gaudet beatus de eo quod Deum videat: & ſic non ſit bonum argumentum, quod ſi gaudium beatorum non permittit ſecum de aliquo obiecto dolorem, etiam pœna, & dolor Dæmonũ non permittat ſecum aliquod gaudium ſaltim de aliquo obiecto diſtincto ab eo, de quo dolet.

Poteramus etiam admittere in beatis, licet non dolorem, qui ſit paſsio, tamẽ dolorem, qui ſit ſimplex nolitio, qua dolent ſuper nos, & ſuper noſtra damna, nollent enim Angeli beati nos perire, & à gloriæ conſequutione deficere, quod & admittit D. Thom. in illa ſolut. ad 4. ex ſenent. d. 45. illis verbis; *ſicut nec minuitur gaudium Angelorum per hoc, quod malis noſtris compati dicuntur*, quæ compaſsio, eſtò non ſit in præfatis Angelis dolor cum paſsione, eſt tamen dolor, prout dicit actum ſimplicem voluntatis, quo nollent mala nobis evenire. Vnde iuxta hanc doctrinam ad inſtantiam, nego Ant. loquendo de dolore, prout dicit ſimplicem actum volitionis alicuius eventus. Et certè dum beati ſpiritus Deum perfectiſsimè amant, negari no poteſt, quin doleant de eo quod homines Deum ſic bonum, ſicque ab ipſis dilectum, offendant: quia tamen hic dolor oritur ex amore, quo Deum amant, & eius præſentia delectantur, eorum gaudium nulla via diminuit: ſicque poterimus philoſophari de gaudio Dæmonum de eo quod homines peccent, & Deũ offendant, & dicere, quod eorum pœnam non minuit, quia naſcitur ex odio, quo Deum odio habent; qui enim odio alterũ haber, naturaliter lætatur de eo quod odio habitus, malè ab alijs tractetur, & graviter offendatur.

Ad confirm. dico, quod vehemens voluptas de aliquo obiecto pellit dolorem de alio quocumque obiecto, non qualemcumque, ſed illũ, qui non oritur ex voluptate vehementi, ſed aliunde: porrò dolor, quem habent beati Angeli de noſtris malis, & de offenſis, quę fiũ. cõtra Deũ, oritur naturaliter ex voluptate vehementi, qua Deũ amant, & Deo ſummo bono perfruuntur, quem vellent omnes homines honorare, & nollent quod ipſum offendant: vnde cõpatibilis eſt cum vehementi voluptate de Deo viſo. Et ſimiliter gaudium Dæmonum de eo quod homines per peccata Deum offendant, cum oriatur ex odio, quo Deũ inceſſanter odio habent, optime compatitur cum eorum dolore, eſto vehementiſsimus ſit.

1132 Inquires in calce huius §. Vtrùm Dæmones ſic triſtentur, quod non poſsint non triſtari? Reſp. affirmativè. Nam Dæmones coguntur perſeverare in cogitatione mali præſentis eos contriſtantis, ſic, quod in poteſtate eorum non eſt à ſe divertere talem mali cogitatione, ergo non poſsunt non elicere actum triſtitiæ. Conſ. videtur bona,

bona, nam ſicut voluntas quando non poteſt divertere à ſe cogitationem boni amabilis, non poteſt non amare, ita dum non poteſt à ſe divertere cogitationem mali vehementer nocentis, nõ poteſt nõ dolere, & triſtari de malo præſenti Ant. autem Prob. nam ad ſtatum damnationis ſpectat ſemper cogitare de malo præſente contriſtante, ſicut ad ſtatũ beatitudinis ſpectat ſemper cogitare de bono præſenti delectante: ſicut ergo beati ſemper ſunt in cogitatione boni præſentis delectantis, ſic dãnati ſemper ſunt in cogitatione mali præſentis contriſtantis. Eſt autem diſcrimen, quod beati duplici titulo non poſſunt à ſe divertere boni præſentis cogitationem; damnati verò vno ſolo titulo, iſti enim vno ſolo titulo, nempe æternæ damnationis, beati vero duplici, nempe quia hoc exigit ſtatus beatitudinis, & quia viſio ſummi boni ex terminis ſuis æterna eſt, nã licet volũtas à viſione huius, vel illius boni in particulari divertere poſſit, à viſione tamen ſummi boni divertere non valet: cum hæc ab intrinſeco neceſſaria ſit quoad ſpeciem, & quoad exercitiũ.

§. IV.

De modo, quo Dæmones torquentur ab igne inferni.

1133 VNVM tanquam omnino certum præſupponit quæſitum præſens, nempe quod ignis, quo Dęmones in inferno cruciantur, verus, & phyſicus ignis ſit, etenim Eccleſiaſt. 9. habetur, *vindicta carnis ignis, & vermis*. Iudith 16. *dabit ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum*. De quo igne explicatur in præfatis locis Chriſtus in vltima ſententia, vt refertur Math. 24. dicet; *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*. Et de eodem dicitur Apocalyp 20. *Diabolus miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi erit beſtia; & Pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſecula ſeculorum*. De hoc etiam igne dicebat dives conſtitutus in tormentis, *crucior in hac flamma*. Itaque ſicut Angeli, & homines eadem ſpecie fruuntur beatitudine in Empireo, ita Dæmones, & homines damnati in inferno eodem cruciabuntur igne, dicente Gregorio 4. libro Dialogorum cap. 29. *& quamvis Angelorum, & hominum longè ſit natura diſſimilis, vnos tamen pœna implicat, quos vno in crimine reatus ligat*. Modo ſubſumo; ſed hic ignis eſt verus, & proprius, qualis in proprietate ſermonis per hoc nomen *ignis* ſignificatur: ergo ignis, quo Dæmones cruciantur, verus, & proprius ignis eſt. Min. ſic Prob. Verba S. Scripturę ex cõmuni regula Auguſtini, nunquam metaphoricè, ſed in proprio ſenſu intelligenda ſunt, niſi ex tali intelligẽtia aliquid ſequatur abſurdi, aut niſi Scriptura ipſa aliquid in oppoſitum dicat alibi, aut manifeſtæ rationi ſe opponat; nihil autẽ horum habet veritatẽ, vt manifeſtum eſt, quia hucuſque non eſt inventus locus, in quo Scriptura oppoſitum dicat, neque abſurdum ſequendum declaratum eſt, nec evidens ratio in oppoſitum adducta eſt: ergo præfata loca debent intelligi de verò, & propriò igne. Secũdo Prob. eadem Min. Nam ſancti, per quorum ora vera Sacræ Scripturæ habetur intelligentia, prędictum ignem verum, & proprium eſſe & non metaphoricum atteſtantur: igitur de verò igne in prædictis locis habetur ſermo. Prob. Ant. nam Auguſtinus 21. de civitate Dei cap. 10. loquens de Dæmonibus ait; *adhærebant ſpiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi*. Gregorius 4. Dialog. cap. 29. reſpondet, *corporeum eſſe non ambigo*. Hieronymus in cap. 66. Iſaiæ, & Epiſt. 35. c. 2. inter errores Origenis refert, quod *ignem inferni peccatorum conſcientiam eſſe voluerit*. Cyprianus etiam lib. de laudibus martyrij cap. 22. ſic habet, *ſæviens locus, cui gehenna nomen eſt, magno plangentium murmure, & gemitu, & eructantibus flammis per horrendam ſpiſſæ caliginis noctem, ſæva ſemper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obſtruitur, & in varios pœna exitus relaxatur, tunc ſævientis plurima genera, tunc in ſe ipſo convoluit quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciarit*. Tandem D. Thom. opus 2. c. 79. ſic habet; *pœna iſta ignis corporalis eſt, & omnia, quæ in Scriptura de hoc igne inferni dicuntur, ad literam, & nõ per metaphoram ſunt intelligenda*: cũ ergo ex Scriptura, & Patribus conſtet, ignem, quo Dæmones cruciantur, eſſe verum, & propriũ ignem, hoc tanquam certum, & indubitatum in principio huius §. ſupponendũ eſt, & inquirendum, quomodo hic verus, & materialis ignis ſpiritus Dęmonum cruciet? Circa quod varij ſunt modi dicendi.

Prima igitur ſententia affirmat Dæmones torqueri cogitatione, ſive apprehẽſione non alicuius contrarij, ſeu diſconvenientis, quod reipſa patiantur, ſed ex appre-

hen-

Digitized by Google

henſione tantum apparentis mali, ſicut homines in ſomnijs ex ſola imaginatione vehementer contriſtari ſolent. Dicit ergo hæc ſententia, Dæmones ab igne torqueri, non quia re vera ignis illis contrarius, aut nocivus ſit, ſed quia Dæmones eum vt ſibi inconvenientem apprehendunt. Hanc opinionem refert D. Th. in addit. ad 3. p. q. 70. artic. 3. & eam refutat ſic. *ſed hoc non videtur ſufficiens. quia ſecundum hoc paſsio animæ ab igne non eſſet ſecũdum rei veritatem, ſed ſecundum apparentiam tantum: quamvis enim poſſit eſſe vera paſsio triſtitiæ, vel doloris ex falſa meditatione, vt Auguſtinus dicit 12. ſuper Geneſim ad literam, non poteſt tamen dici, quod ſecundum illam paſsionem vere patiatur à re, ſed à rei ſimilitudine, quam conſpicit. Et iterum iſte modus paſsionis magis recederet à reali paſsione, quam ille, qui ponitur per imaginarias viſiones, cum ille dicatur per veras imagines rerum eſſe, quas anima ſecum defert, iſte autem per falſas conceptiones, quas anima errans fingit.* Et iterum non eſt probabile, quod animæ ſeparatæ, vel Dæmones, qui ſubtilitate ingenij pollent, putarent ignem corporeum ſibi nocere poſſe, ſi ab eo nullatenus gravarentur. Quę omnia confirmari poſſunt, quia iuxta hanc ſententiam de facto ignis verus non nocet ſpiritibus, neque eos vere torquet, ſiquidem illi ex ſola falſa opinione, quod torqueat, de facto torqueantur; hoc autem componi nequit cum dictis ſanctorum: ergo.

1134 Sed inquiris, vtrum hæc ſententia aperte pugnet cum locis ſcripturæ ſupra adductis? Crediderim quod ſic, nam in prędictis locis habetur quod verus ignis inferni ſit deputatus in pœnam damnatorũ: ergo ſententia, quæ affirmat, talem ignem de facto non torquere ſpiritus, ſed ſola falſa æſtimatione de eo, quod eos torqueat, damnatos torqueri, aperte opponitur præfatis ſcripturæ locis. Conſ. eſt bona, & Ant. patebit, ſi attentur legãtur præfata loca adducta. Inſtas, ille locus de divite, *quia crucior in hac flamma*, ſufficienter exponi poteſt ad literam, etiam ſi flamma de facto vere non torqueat: ergo. Prob. Ant. nam illa loquutio veriſsima erit per hoc quod intelligatur de loco cruciatus, quaſi faciat ſenſum, quod ſpiritus exiſtẽs in flamma ignis torqueatur ſua imaginatione, non autem à flamma active torquente. Sed reſpondeo, quod cum hoc ipſum quod eſt ſpiritum alligari flammæ ſit effectus ipſius ignis, dũ dicit, ſe cruciari in flamma, explicat tormentum alli-gationis ad ignem provenire ab ipſo igne: vnde non relinquit locum præfatę explicationi, & ſic non componitur ſentẽtia à nobis impugnata cum hoc, quod Scriptura in præfato loco dicit.

Huic ſententiæ affinis eſt altera, quę affirmat, ſpiritus torqueri ſola ignis apprehenſione, quæ explicatur per hoc, quod ignis producat in ſpiritus per modum obiecti quandam ſpeciem contriſtantis obiecti, virtute cuius ſpiritus apprehendit ignem vt ſibi nocivum, & ab ipſa ſola ignis apprehenſione cruciari dicitur ab igne. Quæ ſententia fundari poteſt in quibuſdam verbis Gregorij in 4. Dialog. vbi loquens de pœna Dæmonis inquit, *ignem namque eo ipſo patitur, quod videtur, & quia cremari ſe aſpicit, crematur.* Quem etiam modum dicendi refert D. Thom. loco citato, & refutat ſic: *quia quodlibet viſum ex hoc quod videtur eſt perfectio videntis: vnde non poteſt in eius pœnam cedere in quantum eſt viſum, ſed quandoque eſt punitivum, vel contriſtans per accidens, in quantum ſcilicet apprehenditur vt nocivum: Vnde oportet quod præter hoc quod anima ignẽ illum videt, ſit aliqua comparatio animæ ad ignem, ſecundum quam anima ignis noceat.* Explicatur hæc ratio D. Thom. cum enim viſum, vel apprehenſum, ex quo viſum, & apprehenſum eſt, ſit perfectio videntis, ipſa viſio, vel apprehenſio nequit animam affligere, niſi de eo quod apprehenditur, apprehendatur quod ſit nocivum, alias ipſi animæ: vel ergo ignis viſus ab anima apprehenditur verè vt nocivus animæ, vel falsè, & deceptoriè; ſi hoc ſecundum dicatur, hic modus dicendi coincidet cum primo à nobis impugnato; ſi primum, igitur ignis non quia videtur animam affligit, ſed quia cum alias verè noceat, & torqueat, viſus vel apprehenſio ignis alias nocentis animam affligit.

1135 Sed in favorem huiuſmodi dicẽdi inſtas argumento ſatis difficili. Ignis per hoc ſolum quod videatur à viſu corporeo poteſt torquere oculum corporeum: ergo etiam virtute divina per hoc ſolum quod à ſpiritu videatur poterit torquere ſpiritũ. Conſ. videtur bona, & Ant. Prob. poſt diẽ iudicij ignis inferni in corpora damnatorũ tantum habebit motum Intẽtionalem, neque enim actionem realiter alterativã habere poterit in illa corpora, quia actio alterativa realiter phyſicè eſt corruptiva, & corpora damnatorum poſt diem iudicij incorruptibilia erunt: ergo non habebit prædi-

Digitized by Google

ctus ignis actionem realiter alterativam in prædicta corpora: ſolum ergo motum purè intentionalem, id eſt, immiſsionem ſpecierum ſenſibilium cauſabit in damnatos: ergo torquebit illos per hoc ſolum quod videbitur ab illis.

Reſp. ad hoc Ioannes à Sanct. Thoma, quod ignis ille tunc immittet ſpeciem repræſentativam vehementiſsimi caloris phyſicè coniuncti cũ prædictis corporibus damnatorum, qui calor, quamvis non corrumpat prædicta corpora, erit tamen valde diſconveniens temperamento eorum, ſiquidẽ impediet damnatos, ne functiones ſenſibilium facultatum modo eis connaturali, & convenienti exercere valeant: vnde reſpectu corporum damnatorum iam aſsignatur in igne, præter hoc quod eſt videri, alia ratio afflictivi phyſici, & realis prædictorum corporum. Cæterum doctrina hæc videtur pugnare cum ea, quam tradit D. Th. in addit. ad 3. p. q. 86. art. 3. vbi inquirit, verùm corpora damnatorum ſint futura impaſsibilia? Cui quæſitò reſp. *Dicendũ, quod principalis cauſa quare corpora damnatorum ab igne non conſummentur, erit divina iuſtitia, qua eorum corpora ad pœnam perpetuam ſunt addicta, ſed divinæ iuſtitiæ ſervit naturalis diſpoſitio ex parte corporis patientis, & ex parte agentium, quia cum pati ſit recipere quoddam: duplex eſt modus paſsionis, ſecundum quod aliquid in aliquo recipi poteſt dupliciter: poteſt enim aliqua forma recipi in aliquo ſubiecto ſecundum eſſe naturale materialiter, ſicut calor ab igne recipitur in aere, & ſecundũ hunc modum receptionis eſt unus modus paſsionis: alio modo aliquid recipitur ab alio ſpiritualiter per modum intentionis cuiuſdam, ſicut ſimilitudo albedinis recipitur in aere, & in pupilla, & hæc receptio ſimilatur illi receptioni, qua anima recipit ſimilitudines: vnde ſecundum hunc modũ receptionis eſt alius modus paſsionis, qui vocatur paſsio animæ: quia igitur poſt reſurrectionem, motu cœli ceſſante, non poterit aliquod corpus alterari à ſua naturali æqualitate vt dictum eſt, nullum corpus pati poterit paſsione naturæ: vnde quantum ad hunc modũ paſsionis corpora damnatorum impaſsibilia erunt, ſicut & incorruptibilia; ſed ceſſante motu cœli adhuc remanebit paſsio, quæ eſt per modum animæ, quia & aer à ſole illuminabitur, & colorum referet differentias ad viſum: vnde & ſecundum hunc modum paſsionis corpora damnatorum paſsibilia erunt, & quia in tali paſsione ſenſus perficitur, ideò in corporibus damnatorum ſenſus penè erunt ſine naturali diſpoſitionis mutatione.* Hæc Div. Thom. non ergo corpora damnatorum patientur ab igne, niſi per modum quo anima patitur, dum à rebus recipit ſimilitudinem: tota ergo paſsio corporum damnatorum ab igne cõſiſtet in eo, quod ſui ſpeciem immittat in oculos eorum, ratione cuius videatur ab illis.

Deinde impugno eandem ſolutionem in eo quod dicit, quod exceſsivus calor nimis corporibus damnatis coniunctus erit valde diſcõveniens temperamento eorum, & ſic impediet corpora à functionibus ſuis modo connaturali faciendis; hoc enim videtur falſum: nam corpus damnati non obſtante tali exceſſu caloris manebit in ſuo temperamento naturali, neque enim infirmabitur, ſed manebit corpus in ſua perfecta ſanitate: poterit ergo modo ſibi naturali exercere ſuas ſenſibiles functiones, etiã ſi coniunctum ſit tali calori exceſsivo. Tum etiam, nam hoc impedimentum per diſcõvenientiam caloris ad temperamentũ naturale corporis, cùm phyſicum ſit, & phyſicè impediat, neceſſe erit quod ab igne phyſicè agente in corpus proveniat, & in phyſice patiente fiat; at iuxta doctrinam D. Thom. corpus tantum ab igne patietur paſsione animæ, id eſt, purè intentionaliter, eo modo, quo anima patitur, dum rerum ſimilitudines recipit: ergo contra doctrinam D. Thom. videtur procedere præfata ſolutio. Tum etiam, nã qualitates corporeæ, vt conſtat ex doctrina D. Thom. in artic. adducto, tantum poſſunt agere in corpus, vel actione identificata cum motu naturali, vel actione, quæ ſit pura motio intentionalis; ceſſante motu cœli non poterunt habere actionem naturalem identificatam cum motu naturali, nam cum naturaliter agant virtute motus cœli, fit inde, quod ceſſante præfato motu cœli naturaliter agere non poſsint in corpora: reſtat ergo quod tantum poſsint agere in illa actione identificata cum motu purè intentionali: falſum ergo erit quod phyſicè prædicta corpora patientur ab igne inferni.

Reſtat vt iam ſolvamus argumentum alia doctrina, quam habet D. Thom. in art. adducto, ſolutione ad 3. vbi poſtquam determinat, quod corpora damnatorum non patientur ab igne inferni paſsione naturali, ſed purè intentionali, dicit: *neq; tamen oportet quod quia corpora damnatorum ab igne inferni per corruptionem aliquam non læduntur quod propter hoc ab igne non affligantur, quia ſenſibile non ſolum natum eſt delectare, vel af-*

fliga-

Digitized by Google

ſtigere ſenſum ſecundum quod agit actione naturæ, ſed etiam ſecundum quod agit actione ſpirituali, quia quando ſenſibile eſt in debita proportione ad ſentiendum delectat, è contrario autem quandò ſe habet inſuper abundantia, vel defectu: unde & colores medij, & voces conſonantes ſunt delectabiles; in conſonantes autem offendunt auditum. Hæc D. Thom. ex quibus ad argumentum factum, nego Antec. Ad Prob. conc. prima Conſeq. nego ſecundam, nam ignis affligit corpora damnatorum non ſolum per hoc, quod videbitur ab illis, ſed per hoc, quod in tanta abũdantia, & exceſſu videbitur, quod valde offendet.

1136 Secundo reſp. ex alia doctrina, quã habet ibidẽ D.Th. ad 2 quã placet referre, quia valde notatu digna eſt: dicit ergo quod ſimilitudo agentis dupliciter in patiente eſt: vno modo, per modũ eundẽ, quo eſt in agente ſicut in omnibus agentibus vnivocis, vt calidũ facit calidũ, & ignis generat ignẽ: alio modo, per modũ diverſum ab eo, qui eſt in agente, ſicut eſt in omnibus æquivocis, in quibus quandoq; contingit quod in agẽte eſt forma ſpiritualiter, quæ in patiẽte materialiter recipitur, ſicut forma, quæ eſt in domo facta per artificẽ, eſt materialiter in ſe ipſa, & in mente artificis ſpiritualiter; quandoque vero è cõtrario eſt materialiter in agente, & recipitur ſpiritualiter in paſſo, ſicut albedo materialiter eſt in pariete; & recipitur ſpiritualiter in pupilla, & in medio deferente. Et ſimiliter eſt in propoſito, quia ſpecies, qua materialiter eſt in igne, recipitur ſpiritualiter in corporibus damnatorum, & ſic ignis ſibi aſſimilabit eorũ corpora, nec tamen ea conſummet. Ex qua doctrina habetur, quod ignis præteream actionẽ, quam habebit in pupillas corporum damnatorũ, vt ipſum videant, modo ſpirituali igniet prædicta corpora, & ſibi aſſimilabit: vnde damnati videbunt ſe igniri, ex quo maximã accipient afflictionẽ: non ergo ignis torquebit corpora per hoc, quod videatur, ſed ipſi damnati inſuper torquebuntur per hoc quod videbunt ſe vndequaque ignitos. Itaque ſi ignis in ſpeculo ſui producat ſimilitudinem adæquantem ſpeculũ, in ſpeculo non videbitur aliud quã ignis, ita cum ignis Inferni in corpora damnatorũ adæquantẽ ſui producat ſimilitudinem, damnati videntes ſe, ſe vndequaque videbunt ignitos, & veluti in ignem verſos; quod vt principaliter noto, quod non ſolum ignis v.g. potens eſt ſui immittere ſpeciem in pupillam, ſic, quod id, quod videtur non ſit ignis, ſed ſimilitudo eius, ſed hoc diſcurrere non pertinet ad viſum, etenim in doctrina Thomiſtarum, dum quis non habet rem in ſui proſpectu, ſed tantum ſpeculum, in quod res ſui immittit ſpeciem, oculus eius rem non videt, ſed tantum rei ſimilitudinem quia non rei, ſed ſimilitudinis rei ſpecie informatur oculus: ſic ergo ignis ſui ſpeciem multiplicabit in corpora damnatorum, & ipſa ſpecies recepta in damnatis multiplicabit ſui ſpeciem in oculos eorum: vnde oculus corporalis damnati ſe ipſum videbit ignem, & quia non diſcernet oculus corporalis inter ignem, & ignis ſimilitudinem, dum ſe videbit adæquatè ignitum, vehementer contriſtabitur.

§. V.

Impugnantur alij modi dicendi.

1137 SECVNDA Sententia affirmat, animas ſeparatas, & Dæmones in inferno torqueri quidẽ cogitatiõne alicuius mali, quod revera patiũtur, quod nõ eſt aliud quã privatio deſiderati boni. Itaque in hac ſententia Dæmones, & animæ ſeparatæ vnũ tantum malũ habent, nempe privationẽ beatitudinis, quæ pœna damni dicitur, ſed dum hoc tantũ conſiderant, ipſa cogitatione affligũtur, & in hoc cogitatione pœna ſenſus habetur. Pro hoc ſententia citatur Algazel 5. phyſicorũ, c.5. citatur etiam à Vazquez D. Ambroſius lib.7. in Lucẽ, c.14. dum dicit: *Ergo nec corporalium ſtridor aliquis dentiũ, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporaliũ, neque vermis eſt corporalis, ſed hæc ideo, quia ſicut ex multa cruditate, & febres naſcũtur, & vermes, ita ſiquis non decoquat peccata ſua, velut quadã interpoſita ſobrietate abſtinentia, ſed miſcendo peccata peccatis tanquã cruditatẽ quandã contrahat veterum, & recentiũ delictorũ, igne aduretur proprio, & ſuis vermibus conſummetur. Et poſt pauca, ignis ergo eſt, quem generat mæſtitia delictorũ, vermis eſt eo quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, ſenſumque compugnant, & quadam exedunt viſcera conſcientiæ.* Sed vt verum fatear, hoc dictum Ambroſij potius videtur ſpectare ad eam ſententiam, quę affirmat Dæmones nõ cruciari vero igne Inferni, quã ſpectet ad eam, quæ aſſerit Dæmones ſolum puniri à cogitatione privationis boni deſiderati, de quo Ambroſius nullum

verbum facit in auctoritate adducta. Clarius pro hac ſententia citari poteſt Arrubal, qui hic diſp. 171. ait dolorem illũ illatum ab igne non eſſe diſtinctum à dolore, quem ſentiunt ſpiritus ob amiſsionem beatitudinis, ſolumque dici pati ab igne corporeo, quatenus virtute divina fit, vt actus ille vitalis, quo apprehenditur, & ſentitur illa pœna, ſeu amiſsio beatitudinis, dependeat ab igne non vt à cauſa principali, quia vitalis non eſt, ſed tanquam à cauſa inſtrumentali.

1138 Hanc ſententiam impugnat Vazquz. Primò, quia ſe opponit Scripturæ, & Patribus aſſerentibus Dæmones torqueri ab igne inferni, & non ſola cogitatione ſui damni. Secundo, quia licet illa cogitatio amiſſæ beatitudinis pœna ſenſus ſit, diſtinctaq; ſit ab ipſa pœna damni, quæ cruciat independenter à cogitatione ſui, tamen præter iſtam pœnam ſenſus, Sancti aliam aſsignant, quæ oritur ſpecialiter ab igne, quam cum neget hæc ſententia, omnino reijcienda eſt.

Cæterum conſentio cum Vazquez in prima probatione: vere enim illa ſententia aufert dolorem cauſatum ex igne, ſiquidem tantum ponit dolorem cauſatum ex damno amiſſæ beatitudinis: vnde ſe opponit Scripturæ, & Patribus ſupra relatis. Quantum autem ad id, quod dictat, quod dolor cauſatus ex cogitatione amiſſę beatitudinis ſit pœna ſenſus, loquendo vt ſolent Theologi de pœna ſenſus diſtinctivè à pœna damni, non convenio cum Vazquez: nam licet damnatus damnũ cõtrahat per ipſam amiſſionẽ beatitudinis, tamen ipſa amiſsio beatitudinis ratione ſui non eſt dolor, neque pœna, ſed tantũ eſt obiectũ doloris, & pœnæ: dolor enim de tali damno non habetur niſi per cogitationẽ talis damni; dicit enim D. Th. 1. 2. q. 35. quod ad dolorẽ duo requirũtur, ſcilicet coniunctio alicus mali, & perceptio huiuſmodi cogitationis: vnde nomine *pœnæ damni* intelligunt Theologi nõ ſolum ipſam amiſsionem beatitudinis, ſed etiam dolorem, qui habet pro obiecto illã: vnde cum diſtinguunt pœnam damni à pęna ſenſus, ſub nomine *pœna damni* includunt dolorem, qui media cogitatione de tali damno habetur: vnde falsò Vazquez dolorem de tali damno pœnam ſenſus vocat. Quod Confirmo, nam pueri, qui ſunt in Lymbo tantum habent pœnam damni, & non ſenſus; & tamen ex cogitatione ſuæ amiſſæ beatitudinis dolent: ergo talis dolor non eſt pœna ſenſus, ſed damni. Confirmo ſecundo, omnis dolor, & pœna eſt de aliquo nocivo contriſtante, & iuxta qualitatem contriſtantis habetur diſtinctio pœnæ, & doloris; ergo cum dicunt Theologi pœnã damni diſtingui à pœna ſenſus, intelligunt dolorẽ damni, qui eſt de beatitudine amiſſa, diſtingui à pœna ſenſus, qui eſt dolor cauſatus ex igne, & alijs activitate ſua ſpiritibus nocẽtibus. Et amplius Confirmo. Omnis dolor, & pœna eſt actus, vel appetitus ſenſitivi, vel voluntas: ergo ipſa amiſsio, vel privatio beatitudinis ratione ſui nequit eſſe dolor, aut pœna, ſed ad magis erit pœna, vel dolor obiectivè.

Nec valet dicere cum Vazquez, quod ipſa privatio beatitudinis ratione ſui eſt malum; non culpæ: ergo pœnæ. Non (inquam) valet, nam Vazquez æquivocat nomen *pœnæ*: nam ſi attendamus ad hoc quod talis privatio beatitudinis obtinet rationẽ damni illati propter averſionẽ à Deo, quam habet peccatum mortale, ſic poteſt dici pęna: nam verè Deus punit peccatorẽ auferendo ab eo in perpetuum beatitudinem; ſicut & præmiat iuſtum dando ei viſionem æternam: ſi autem nomine *pœna* intelligamus dolorem animæ, cum hic ſit actus voluntatis in puris ſpiritibus, ſic illa beatitudinis privatio pœna dici non valet: quando ergo Theologi dicunt pœnam damni, nomine *pœna* non accipiunt ipſum malũ, vel damnum inflictũ pro peccatis, ſed accipiunt dolorem de tali damno, & hunc dicunt eſſe pœnam damni. Quod amplius vrgeo, quia iuxta commune placitũ Theologorũ pœna damni correſpondet peccato mortali ex parte auerſionis à bono incommutabili, & pœna ſenſus correſpondet peccato ex parte converſionis ad bonum commutabile: vnde quia in peccato puerorum, qui ſunt in Lymbo reperitur averſio à bono incõmutabili, & non reperitur converſio ad creaturam, in eis ſolum datur pœna damni, & non ſenſus: cum ergo peccatũ ex parte averſionis ſit culpa magis quã ex parte converſionis, & culpa ſit voluntaria, fit Conſ. quod ei in pœnã non ſolũ debeat cõſignari damnũ amiſsionis beatitudinis, ſed etiam dolor de tali amiſsione, ſicut & ex parte converſionis non ſolum ei correſpondet nocumentũ cauſatũ ab igne, ſed etiã correſpondet dolor de tali nocumento: dolor ergo de amiſſa beatitudine pęna erit damni, & dolor cauſatus ex nocumento ignis pœna erit ſenſus.

Et ſi inſtes, quod cum hic nomine ſen-

ſus

Digitized by Google

ſos intelligatur voluntas, quia purus ſpiritus non habet ſenſum, & omnis dolor ſit actus voluntatis, omnis dolor ſive de amiſſa beatitudine, ſive de alio quovis nocumēto diceretur dolor ſenſus, ac per Conſ. pœna ſenſus. Reſp. convinci inſtātia facta omnem dolorem eſſe ſenſus elicitivè, & ſubiectivè, quia eſt actus elicitus, & ſubiectatus in voluntate: cæterum pœna ſenſus non hac ratione dicitur, ſed ideo quia correſpondet peccato ex parte converſionis ad bonum commutabile, circa quod ſenſibiliter peccator delectatur, iuxta illud *quantū ſe glorificavit in delitijs, tantùm date ei tormenti, & luctus*. Vnde concedo, inſtantiæ factæ, quod omnis dolor ſit ſenſus elicitivè, nego autem quod ſit pœna ſenſus, quia non omnis dolor correſpondet peccato ex parte converſionis.

1139 Vera ergo impugnatio præfatæ ſententiæ ea eſt, quod iuxta illam non ſalvatur in damnatis niſi pœna damni, quod opponitur communi ſenſui Theologorum diſtinguentiū in eis pœnam damni, & ſenſus: ergo. Prob. aſſumptum, illa ſententia in damnatis nullam aliam pœnam ponit, quam dolorem cauſatum ex cogitatione amiſſæ beatitudinis; at de hoc probavimus tantum ſpectare ad pœnam damni: ergo illa ſententia non agnoſcit in damnatis niſi pœnam damni.

His etiam manet impugnatus modus dicendi Arrubalis, nam ille actus vitalis doloris de amiſſa beatitudine prout inſtrumētaliter cauſatus ab igne non eſt maior dolor, quàm eſſet ſi à ſola cogitatione amiſſæ beatitudinis cauſaretur: ergo tantum eſt dolor, & pœna damni: vel eſt maior dolor per hoc quod inſtrumentaliter ab igne cauſetur; & ſi hoc dicatur: ergo præter dolorē, quo anima affligitur ex conſideratione amiſſæ beatitudinis, eſt alius dolor cauſatus ex cogitatione nocumenti ignis, & ſic iam dabitur in Dæmonibus pœna damni, & pœna ſenſus in eodem indiviſibili actu doloris: vnde hic auctor non ſe opponet communi ſenſui in eo, quod non aſsignet pœnam damni, & ſenſus, ſed ſe opponet in eo, quod non diſtinguat illas ex parte doloris. Quidquid autem horū ſentiat Arrubal, ſemper reijciendus venit. Si primū, quia non aſſignat pœnam ſenſus cauſatam ex nocumēto ignis, in quo ſe opponet Scripturę, & Patribus. Si ſecundum dicat, reijci debet, quia identificat dolorē damni cum dolore cauſato ex cogitatione nocumenti ignis.

§. VI.

Statuitur tertia ſententia.

1140 TERTIA Sententia affirmat, Dæmones torqueri ab igne per hoc, quod tanquam inſtrumentum divinæ iuſtitiæ illos alligat ſibi ipſi, ſic, quod non relinquat in eis libertatē exeundi ab illo tenebroſo loco. Sic tenet D. Th. 4. Contrag. c. 90. illis verbis: *Patiuntur igitur ab igne corporeo ſubſtantiæ incorporeæ per modum alligationis cuiuſdam: poſſunt enim obligari ſpiritus corporibus, vel per modum formæ, ſicut anima corpori humano alligatur, vt det ei vitā, vel etiam abſque eo quod ſit eius forma, ſicut Negromantici virtute Dæmonum ſpiritus alligant imaginibus, aut huiuſmodi rebus: multo igitur magis virtute divina ſpiritus damnandi igni corporeo alligari poſſunt, & hoc ipſum eſt eis in afflictionem, quod ſciant ſe rebus infimis alligatos in pœnam.* Quo modo autē fiat hæc alligatio: diverſimodè explicatur à Theologis. Vazquez enim loco citato, c. 6. ſic ait: *verùm hanc ſententiā defendere debemus, vt non negemus Dæmones alio modo ab igne cruciari: quam per alligationem, ſed ſolum aſſeremus aliū modū cruciatus nobis eſſe ignotū, & cum Auguſtino dicamus, miris, veris tamen modis*; hoc eſt veris modis, nobis tamen ignotis, *Dæmones ab igne torqueri*, nam ex his modis cruciatus, quos actenus enumeravimus, nullus abſq; vllo incommodo defendi poteſt; & ita ſatius in hac re erit noſtram fateri ignorantiam, quam abſque firmo fundamento aliquid affirmare. In quo dicto ferè conveniunt recentes Ieſuitæ, dum tantū dicunt ignem alligare Dæmones, & alligando torquere; nullus tamen explicat, an illa alligatio fiat ſolum per extrinſecam vnionē ignis ad ſpiritum, an per hoc quod ignis producat aliquas qualitates in Dæmonibus, quibus intrinſecè impediat eorum operationes, quibus poſſent exire ab illo loco, ſic, quod cogantur in illo remanere in perpetuum. Thomiſtæ autem fere omnes, qui hoc noſtro ſæculo ſcripſerunt, dicunt, ignem alligare Dæmones ſibi ipſi producendo aliquam qualitatem phyſicam non corrumpentem, ſed retardantem ſpiritus à ſua operatione, id eſt, nō ſinentem extra ignē, vel extra locum inferni operari. Sic Salmanticēſes, Ioannes à S. Thoma, Serra, Gonet, & Dominicus de Marinis. Vnde pro veritate ſit concluſio.

1141 Dæmones torquentur ab igne inferni per hoc quod vt inſtrumentũ divinæ virtutis alligat phyſicè illos ad loca pœnalia. Hæc concluſio pluribus in locis habetur à D. Thom. pro nunc ſufficiat adducta auctoritas ex 4. Contrag. Eſt etiam concluſio valde conſona Sacræ Scripturæ, nam in 2. epiſt. D. Petri cap. 2. habetur: *Angelis peccantibus Deus non pepercit, ſed rudẽtibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Similiter Iudas in ſua Canonica ait: *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatũ, vinculis æternis ſub caligine reſervavit*. Threnorum 3. *In tenebroſis collocavit me quaſi mortuos ſempiternos, circũ ædificavit adverſum me vt non egrediar, aggravavit cõpedem meũ*. Et Lucæ 16. *Crucior in hac flamma*. Quibus voluit dives explicare cruciatũ ſuũ oriri ex hoc quod detinebatur in flamma. Vnde Gregorius myſteriũ agnoſcens dicit, 4. Dialogi: *Cum veritas peccatorem divitem in igne perhibeat, quiſnam ſapiens reproborum animas teneri ignibus neget?* Eſt etiã concluſio D. Auguſtini 21. de Civit. Dei vbi habet: *Sicut animæ in hominis conditione iungitur corpori, vt dans ei vitam, quamvis illud ſit ſpirituale, & hoc corporale, & ex illa coniunctione vehementem concipit amorem ad corpus, ſic ligatur igni, vt accipiens ab eo pœnam, & ex illa coniunctione concipit terrorem*.

Ratio pro concluſione ea eſſe poteſt, nam in Scriptura Sacra explicatur Dæmones torqueri ab igne inferni, & non explicatur, quod ignis alio modo torqueat, quã alligãdo prædictos ſpiritus: igitur fateri debemus, quod torquentur per alligationẽ, & detentionem in pœnalibus locis. Præterea, hæc alligatio eſt valde moleſta, & vehemẽter contriſtativa reſpectu Dæmonũ duplici ex cauſa: primo, quia valde ſe opponit naturali libertati, & amplæ indifferentiæ vt abſolvatur ab omni corpore, vel ſe locet pro libito, vbi voluerit dominando ſemper corpori, nullamq; ab eo patiendo inevitabilem ſervitutẽ; altera cauſa eſt, quia præfata alligatio valde contradicit naturali Dæmonum excellentiæ, qua ſunt vſque adeò corporibus ſuperiores; contradicit etiã maximæ ſuperbiæ eorundẽ, qua efferuntur ab initio; cũ enim idem ipſe ignis ſit inſtrumẽtum Dei ad puniendos homines peccatores, & inimicos Dei adeò viliſsimos, ſummaque infirmia, ſummè contẽptibiles, nequit non eſſe permoleſtũ ſublimitati ſpirituũ, eorumq; arrogantiæ, quod inſeparabiliter alligentur eidẽ igni, nec poſsint diſſolvi ab inſtrumento tortore hominum peſsimorũ: & quod iiſdem ſint in perpetuum adfuturi cum ſocietate eiuſdem flammæ vtroſque indiſcriminatim tenentis, atque vinculis indiſſolubilibus apprehendẽtis æternis. Cum ergo hæc ita ſint, & hoc genus torturæ à ſcriptura, & Patribus aſſeratur, affirmandum eſt, Dæmones torqueri ab igne per hoc quod phyſicè alligentur, vt detineantur ab illo.

§. VII.

Per quid fiat hæc phyſica alligatio?

1142 DICO Quod fit igne per hoc quod producit inſtrumentaliter quaſdam qualitates in Dæmonibus retardantes, & impedientes potentias eorum operativas, nempe intellectum, & voluntatem, ne per operationẽ ſuam poſsint ſe ab igne abſolvi, & alibi pro ſua libertate locari. Hæc concluſio non habetur expreſsè in D. Th. colligitur tamẽ ex doctrina illius. Etenim in addit, q. 71. art. 3. ſic habet: *Sed hoc ſuperadditur igni corporeo in quantũ inſtrumentũ divinæ iuſtitiæ vindicãtis; quod ſic detinet ſpiritum, & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab exequutione propriæ voluntatis, ne ſcilicet poſſit operari vbi vult, & ſecundum quod vult*. Hæc D. Th. non autem poteſt ignis phyſicè retardare ab exequutione propriæ volũtatis, ne ſcilicet poſſit operari vbi vult, & ſecundũ quod vult, niſi aliquid phyſicum producat in ipſa voluntate, quo phyſicè impediatur voluntas à ſui operatione exequutiva: ergo ex doctrina D. Th. apertè colligitur, quod ignis alligat ſpiritus per productionem alicuius phyſicæ qualitatis in ipſis. Quam doctrinã tenet D. Th. quæſt. vnica de anima, art. 21. ibi: *Impeditur aliquid vno modo à ſuo contrario quãtum ad eſſe ſuum, quod habet ex aliqua forma inhærente, & ſic patitur aliquid à ſuo contrario per alterationem, & corruptionẽ, ſicut lignum ab igne comburitur: aliquid autem impeditur ab aliquo obſtante, vel contrariãte quãtum ad ſuam inclinationem, ſicut naturalis inclinatio lapidis eſt vt feratur deorſum; impeditur autem ab aliquo obſtante, & vim inferẽte vt per violentiã quieſcat, vel per violentiã moveatur, & hoc ſecundo modo, nõ primo patitur anima ab igne*. Quod ipſum repetit in quæſt. 26. de verit. art. 1. ibi: *Patitur anima ab igne corporeo, prout dicimus pati quod impeditur à propria actione, vel ab alio ſibi competenti*. Ex quibus locis fit idem argu-

Digitized by Google

mentum, quod facimus ex primo.

1143 Ratione Prob. Concluſio. Etenim, vt dixi, ignis phyſicè alligat ſpiritus loco, & phyſicè detinet in illo per hoc, quod phyſicè retardat, & impedit potentias eorum operativas, ne alibi operentur, quàm in illo loco, vbi alligantur: ergo phyſicè producit in ſpiritibus qualitates ſic ſpiritus in genere cauſæ formalis alligantes. Prob. Conſ. nam effectus phyſicus formalis in aliquo ſubiecto nequit effectivè producere ab aliqua cauſa efficiente, niſi media productione alicuius formæ, quæ phyſicè recepta in tali ſubiecto in genere cauſæ formalis talem effectum tribuat: ergo ignis nequit phyſicè alligare niſi producat in ſpiritibus qualitatem formaliter alligantem.

Dices, ad iſtum effectũ alligationis non requiri productionem præfatæ qualitatis, ſed poſſe optimè ſine illa fieri. Etenim dũ per artem Magicam Magus virtute Dæmonum ſuperiorum alligat anulis, vel imaginibus Dæmonem inferiorem, tunc nihil producit in illum, ſiquidem neque Magus, neque Dæmones ſuperiores poſſunt qualitates phyſicas producere in Dæmonibus, in quos ſolus Deus, qui creavit illos, vel inſtrumentum, quod ipſe aſſumit, operari poſſunt: datur ergo iam vera alligatio ad locum ſpiritus ſine productione alicuius qualitatis in illo. Sed contra eſt, nam exemplum, quod adducitur in ſolutione, non facit ad caſum, ſiquidem Dæmones inferiores virtute ſuperiorum non alligantur phyſicè anulis, vel imaginibus, ſed tantum alligantur moraliter, id eſt, ex imperio, & iuſſu Dæmonum ſuperiorum minantiũ eos niſi ad talia loca vadant, & ibi immobiliter permaneant, diriſsima ſe experturos tormenta: vnde ipſo timore, quo timent poteſtatem ſuperiorum Dæmonem obediunt, & perſeverant in anulis, & imaginibus, vel in illis locis, in quibus iuventur permanere: Vnde hæc alligatio non eſt phyſica, ſed tantum moralis, & ſic ad illam non requiritur, quod Dæmon ſuperior aliquã phyſicã qualitatẽ producat in inferiori; at ignis inferni alligat Dæmones phyſicè, ſic, quod ipſi phyſicè non poſsint exire infernũ, niſi ceſſet vis alligativa ignis: impediuntur enim, & retardantur phyſicè eorũ potentiæ, ſic, quod in poteſtate phyſica eorũ non ſit ſe alibi locare; hoc autem impedimentũ, cum ſit quid phyſicum, & intrinſecum Dæmonibus requirit qualitatem intrinſecam illis productam principaliter à Deo, & inſtrumentaliter ab igne.

Dices ſecundo ratione factæ, ad huiuſmodi phyſicam alligationẽ ſufficere quod Deus deneget Dæmonibus omnes cõcurſus prævios, & ſimultaneos, quibus ipſi poſſunt ſe alibi locare, & prædictum locum exire: hæc enim ſolũ, ſi Deus faceret, illi phyſicè remanerent alligati prædicto igni. Sed cõtra eſt, nam ſi per ſolã ſuſpenſionẽ concurſus divini hæc alligatio fieret, ignis effectivè ſpiritus non alligaret, neque enim talẽ denegationẽ auxiliorũ phyſicè inſtrumentaliter cauſare poſſet, cum non fiat per Dei actionẽ, ſed potius per ſuſpenſionẽ actionis; videtur autẽ in ſcripturis, & Patribus magis conſonũ quòd talis alligatio ab igne fiat effectivè: ergo. Secundo, nã ſi Dæmones non poſſunt exire locũ Inferni eo ſolũ quia Deus ſuſpenderet concurſum ad omnẽ actionem, qua poſſent ſe alibi locare, & prædictũ locũ exire, nullũ ex hoc ſentirent dolorem, aut triſtitiã conciperent; quod admitti nõ valet: ergo. Prob. Sequela, nã ſi quis manũ non moveat ex ſola ſuſpenſione divini concurſus, vt moveatur, nullũ ſentit dolorẽ: ergo ſimiliter, ſi Dæmones alibi nõ ſe locarent, quia Deus nollet cõcurrere cũ illis, per hoc nullũ ſentirent dolorẽ, aut animi afflictionẽ: etenim ad hoc vt ſentiatur dolor, requiritur, quod fiat violentia, & repugnãtia naturæ; cumque natura nõ inclinetur ad operandũ niſi dependenter à concurſu Dei, nulla ei violentia fieret, ſi extra ignẽ operari nõ poſſet ex defectu ſolo concurſus divini; ne ergo dicamus quod ex alligatione ad ignẽ animæ nullũ dolorẽ ſentiunt, dicendum erit, prædictam alligationẽ fieri per quandam qualitatem intrinſecè receptam in ſpiritibus, principaliter à Deo cauſatam, & inſtrumentaliter ab igne.

Dices tertio, prædictas qualitates, quæ dicuntur produci ab igne, nõ poſſe retardare intellectũ Angeli, ne in ordine naturæ intelligat id, quod ſibi placet, neque poſſe retardare voluntatẽ, ne ſimiliter ex volibilibus de ordine naturæ vellit id, quod ſibi placuerit: ergo neque poterit retardare phyſicè ſpiritus impediendo eorum actiones, quibus ſe locent pro nutu ſuo. Prob. Conſeq. nam Angelus in doctrina D. Th. magis conformi, extra ſe ſolum operatur per intellectum, & voluntatem; igitur ſi horum potentiarũ actus retardare non valet, neque potentiã extra ſe operativã à ſui exequutione impedient. Confirmabis ſolutionẽ. Etenim ſic eſt eſſentiale intellectui, &

& voluntati Angeli eſſe extra ſe potentiam operativam, ſicut & eſt eſſentiale eſſe intra ſe operativam actuum intellectionis, & volitionis; at Deus nequit producere qualitatem impeditivam intellectus, & voluntatis quoad ſuos actus intellectionis, & volitionis ad intra: ergo neque poterit producere qualitatē intrinſecè impeditivā, ne operentur ad extra. Quod Confir. 2. illa qualitas, cum nullo modo ſit corruptiva naturaliū Angeli, componatur ſimul cum eorū naturali perfectione: ergo relinquit illos potētes operari extra ſe, prout ipſi volunt. Prob. Conſ. eſto homo ſanus, & perfectus in ſuis potentijs operativis, & cū organis debitis ad operandū poſsit ab extrinſeco impediri ab exequutione ſuarū operationū, purà, ſi ligetur aliqua catena, vel fune, tamen ab intrinſeco impediri non poteſt, ſi ſuā perfectam conſervet ſanitatē, & organa ad motum habeat in debita diſpoſitione: ergo cū Dæmō etiā cū illa qualitate cōpoſitus ſuorū naturalium perfectiſsimā conſervet ſanitatem, & integritatem, poterit ab extrinſeco impediri à ſuarum operationem exequutione, non tamen ab intrinſeco.

Confirm. tertio, præfata qualitas non aufert ab Angelo, quin quantū eſt ex ſe efficaciter vellit aliquid facere eo modo, quo quantum eſt ex ſe illud facere vellet, ſi prędictā qualitatē nō haberet: ergo talis qualitas nō habet retardare ab intrinſeco potētiā exequutivā Angeli. Prob. Ant. nam illa qualitas non aufert libertatē in cogitando, vel volēdo, neque quoad ſubſtantiā, neque quoad modū illarū operationū: ergo ſi ſine illa qualitate poterat Angelus velle efficaciter operari hoc, vel illud, etiam cum illa hoc ipſum poterit. Etſi dicas, quod ipſe, quantum eſt ex ſe, vult quod aliquid efficaciter fiat; ſed in hoc ſtat tortura illius qualitatis, quod non ſinit fieri id, quod Angelus efficaciter vult, quod fiat; ex quo maximus dolor evenit Dæmoni; nam ſi ipſe tantum vellet inefficaciter, quod aliquid fieret, nullus eſſet dolor in eo, quod non fieret. In contra ſic inſto. Angelus hoc ipſo quod vult aliquid efficaciter fieri, vtitur ſua innata efficacia, qua ex ſe eſt potens efficaciter facere: ergo ſi de facto non fit id, quod Angelus efficaciter fieri vult, non erit hoc quia ab intrinſeco Angeli operatio ſufficienſque efficax non ſit, ſed quia Deus ab extrinſeco impedit, quod effectus nō ſequatur impedimentū ergo ad hoc vt Angelus non operetur de facto vbi vult, nō eſt ab intrinſeco, quaſi tenens ſe ex parte Angeli, ſed merè ab extrinſeco tenens ſe ex parte effectus, ac per Conſeq. illa qualitas ſuperfluè produceretur in Angelo, ne ſequatur effectus ab eo prætenſus.

1144 Sed hæc ſolutio non infringit rationem noſtram, vt patebit per reſponſionem ad ea, quæ in ea adducuntur. Ad primam ergo, nego Conſ. Ad Prob. nego ſimiliter Conſ. Etenim cum voluntas non poſsit violentiā pati in ſuis actibus elicitis, neque in ceſsatione ab illis non poteſt Deus producere in ea qualitatē ab intrinſeco retardantē, & impedientē eam, ne vellit pro nutu ſuo id, quod poteſt velle: in actibus autē imperatis voluntas violentiā pati poteſt; & quia volitio non prout cōparatur ad volitū, ſed prout comparatur ſub munere exequutionis ad effectū, obtinet rationē actus imperati, ſit Conſ. quod eſto Deus nequeat impedire per aliquā qualitatē voluntatem Angeli, ne vellit, poteſt tamen per eandem impedire, ne illa volitio rationem habeat exequutionis operis. Ad primā Confir. trā. Mai. & conc. Min. nego Conſ. quia eſto voluntas eſſentialiter ſit operativa ad intra, & ad extra, tamen actus eius prout ad intra cōparatur ad voluntatē vt elicitus, & vt exequutio eſt ad extra, comparatur vt imperatus, & ſic eſto nō poſsit Deus violētare voluntatē per illam qualitatē impedīēdo illā ab actu ad intra, qui eſt volitio, poteſt tamē violentare illā in ordine ad exequutionem ad extra, quia prout ſic ille actus volūtatis obtinet rationē actus imperati, & pati violentiā. vt dixi, in actibus imperatis, vel circa ceſſationem ab illis non repugnat volūtati, eſto repugnat circa actus elicitos, vel circa ceſſationem ab illis.

Ad Secundam, nego Conſ. Ad Prob. dico, quod dato quod naturaliter loquēdo cū perfecta ſanitate hominis, & debita diſpoſitione organorum ad operandū homo nequeat ab intrinſeco impediri à functione ſuarū operationū; tamē divinitus poteſt ab intrinſeco impediri per aliquā qualitatē nō corruptivā, ſed purè impeditivā, & ſic cōtinget poſt diē iudicij in corporibus damnatis, quæ licet ab igne vt principaliter agēte, & naturaliter operante tantū ſpiritualiter patientur, vt ſupra vidimus ex D. Th. tamen ſupernaturaliter ab igne vt inſtrumēto divinæ iuſtitiæ accipiēt qualitates, nō corrūpētes, ſed impediētes ea a ſuis functionibus naturalibus: vnde etiā nō poterunt ſe movere localiter de vno loco ad alterū, neq; pro nu-

Digitized by Google

tu ſuo poterunt elevare pedes, nec manus, ſed ſe habebunt quaſi homines, quorũ mẽbra perverſis humoribus ſic lãguerunt, quod pro nutu hominum moveri non poſſunt. Nec hoc alicui videatur impoſsibile, quia ſicut in divinæ omnipotentiæ theſauro latent miri modi, quibus non potentes operari fiant potentes, ita & latent miri modi, quibus potentes impediantur ab intrinſeco ab exequutione ſuarum operationum. Vnde homo perfectè ſanus non tantum poteſt ab extrinſeco impediri à ſua operatione, putà, ſi fune, vel cathena ligetur (hoc enim vnus homo poteſt naturaliter in alio facere) ſed etiam ab intrinſeco per qualitatẽ, non corrumpentem, ſed mere obſtantem, ſic Deo operante per inſtrumenta ab ipſo voluntariè aſſumpta.

Ad tertiam Confirm. nego Ant. Etenim ſi Dæmon non haberet intra ſe prædictam qualitatẽ retardativam, non tantum vellet efficaciter operari, ſed de facto efficaciter operaretur: poſita autem in ipſo præfata qualitate, quamvis ipſe vellit efficaciter operari, non tamen de facto efficaciter operabitur, quia efficax vis ad operandũ, quam habet impedita à præfata qualitate non obedit dominio voluntatis ſuæ. Et quãvis videatur illi ſua innata efficacia vti, de facto tamen non vtitur, quia talis qualitas retardans impedit ne Dæmon vtatur ſua facultate operativa, ſic, quod fiat id, quod vellet fieri.

§. VIII.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

1145 PRIMO Arguitur auctoritate D.Thom. in 4. diſt. 44. q. 3. art. 3. q. 3. ad 4. vbi ſic habet; *Dicendum, quod ignis non agit in animam per modum influentis, ſed per modum detinentis*; at ſi alligatio Dæmonis fieret ab igne per productionẽ qualitatũ ſimpliciter retardantiũ Dæmonem à ſua operatione, fieret ab igne per modũ influentis: ergo concluſio noſtra contra D.Th. eſt. Ad hoc dico, D.Th. in adducto loco nolle ignẽ corporeũ non agere in animã producendo præfatas qualitates, ſiquidẽ cõcedit quod agit in animã per modum detinentis; agere autẽ non poteſt niſi producat effectivè aliquid, quod in genere cauſæ formalis effectũ detentionis præſtet; ſed quia producendo illas qualitates nõ prætendit animã perficere, ſed tantũ detinere, & retardare, ideo dicit, quod agit in animã non per modum influentis, ſed per modum detinentis. Inſtas, de columna detinente domum, ne ruat, vere dicimus, quod agit in domum ne ruat; non per modum influentis, ſed per modum detinentis, vel ſuſtentantis domum; & tamen nihil ſua actione columna agit in domum, quam ſuſtentat: ergo eſto ignis nihil effectivè producat in Dæmones, poterit dici, quod agat in illos, non per modum influentis, ſed per modum detinentis. Ad hoc, conc. Ant. nego Conſ. etenim columna non impedit domũ media aliqua virtute, quam ex ſe in domum derivet, ſed per ſolam iuxta poſitionẽ immediatam ſui ipſius ad domũ, obſtat, vel impedit, ne domus ruat: vnde illud obſtare non eſt verũ efficere ſecundũ rem, ſed tantum ſecundũ dici, quia illud explicare non poſſumus niſi per modum actionis; at ignis non ligat, vel detinet Dæmones ſe ipſo immediatè, ſic, quod per ſolã iuxta poſitionẽ ignis ad Dæmonẽ habeatur huiuſmodi alligatio, ſed vere alligat, & detinet vt inſtrumentũ phyſicũ divinæ iuſtitiæ, ſic, quod nõ ſe ipſo, ſed media activitate ſua hanc detentionẽ cauſet: vnde prædicta effectiva detẽtio neceſſario debet fieri per aliquid ab igne productum, quod nos dicimus eſſe qualitatẽ non perfectivam, ſed afflictivam.

Sed inſtas, ignis ex D. Th. cit. ſe ipſo immediatè vt inſtrumento divinæ iuſtitiæ habet alligare Dæmones: ergo contra Div. Thom. ponimus per huiuſmodi qualitates à ſe productas præfatam alligationem efficere. Prob. Ant. D.Th. loco citato in corp. art. dicit, quod ignis ex ſua natura habet diffinire ſpiritum, vt locus locatum; ſed quod ſpiritum ſic loco diffinitum detineat, hoc ſuperadditur ei ex hoc quod eſt inſtrumentũ divinæ iuſtitiæ; ſed ignis diffinit ſpiritũ, non agendo in illum, ſed ſe ipſo: ergo detinet in loco ſpiritum iam diffinitum ſe ipſo, & non media aliqua qualitate, quam producat in ſpiritum. Ad hoc, nego Ant. Ad Prob. nego Conſ. nam ad diffiniendum ſpiritum ignis ſe habet merè paſsivè, id eſt, vt motus ab ipſo ſpiritu locante ſe in igne per ſuam operationem tanquam in loco ſibi adæquato; alligatio autem fit à Deo vt cauſa principali effectiva, & ab ipſo igne vt inſtrumento phyſico eius: vnde eſt neceſſe quod conveniat igni media vi activa, ac per Conſequens media productione alicuius qualitatis formaliter detentivæ.

1146 Secundo arguitur, ſi ignis produceret huiuſmodi qualitates ſpirituales in potentijs Dæmonum, vere elevaretur ad ſic agendum per aliquam qualitatem ſimiliter ſpiritualem; at hoc non eſt poſsibile: ergo. Prob. Min. nequit oculus corporeus iuxta commune Theologorum elevari ad videndum Deum, vel ad videndum Angelum: ergo nequibit ignis, cum magis materialis ſit, elevari ad producendum huiuſmodi qualitates ſpirituales Prob. Conſeq. nam non magis viſio rei ſpiritualis excedit proportionem oculi corporei, quàm productio qualitatis ſpiritualis in Dæmone excedat proportionem ignis materialis: ergo ſi primum non eſt poſsibile in oculo corporeo, ſecundũ non erit poſsibile in igne. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. nego Antec. etenim viſio, cum ſit actio vitalis, nequit oriri ab oculo niſi tanquam à cauſa principaliter vidente: cauſa autem principalis nequit elevari niſi intra rationem formalem ſui obiecti adæquati: cumque obiectum adæquatum potentiæ viſivæ ſit lucidum coloratum, & Deus, & Angelus rationem lucidi colorati nequeant participare, fit inde, quod oculus corporeus nequeat elevari, vel ad videndum Deum, vel ad videndum Angelũ: cauſa autem inſtrumentalis vt talis nullum habet obiectum determinatum, circa quod agat, quia cum tantũ inſerviat agenti principali, & agat virtute eius, & aſsimilet effectum, non ſibi, ſed agenti principali, obiectum eius eſt ipſummet obiectũ cauſæ principalis, & ſic eſto materialis ſit, poteſt virtute agentis principalis effectum ſpiritualẽ producere; cumque ignis in Dæmones tantum agat vt Inſtrumentum divinæ iuſtitiæ, quamvis materialis ſit, virtute tamen agentis principalis, quod Deus eſt, poteſt ſpirituales qualitates in Dæmonibus producere.

Sed inſtas, implicat quod Angelus induat rationẽ lucidi colorati, ratione cuius poſsit oculus corporeus elevari ad videndũ illum: ergo ſimiliter implicabit quod ignis materialis afficiatur qualitate ſpirituali, ratione cuius fiat in actu potens producere qualitatem ſpiritualem in Dæmone. Prob. Conſeq. ſic repugnat forma materialis lucidi colorati ſubiecto ſpirituali, ſicut qualitas ſpiritualis repugnat igni materiali: ergo ſi Angelus nequit veſtiri intrinſecè forma materiali lucidi colorati, neque ignis poterit intrinſecè actuari qualitate ſpirituali. Ad hoc, nego Conſ. Ad Prob. nego Ant. etenim inter ſubiectum materiale, & formam ſpiritualem eſt proportio, & habitudo elevabilis, & perfectibilis ad formã perficientem, & ſic poteſt ignis materialis elevari ad participium formæ ſpiritualis, qua de cauſa natura recipit gratiam, quæ de ordine ſupernaturali eſt: inter ſubiectum autem purè ſpirituale, & formam corporalem non eſt habitudo perfectibilis ad perfectionem, quia purè ſpirituale nequit perfici per formam purè corporalem: vnde quamvis Angelus nequeat fieri coloratus per colorem, poteſt tamen ignis recipere in ſe qualitatem ſpiritualem, vt agat inſtrumentaliter.

Radicem huius diſcriminis colligo etiã ex alio capite, videlicet quod inferius habet potentiam obedientialem reſpectu ſuperioris; non vero ſuperius habet potentiã obedientialem reſpectu inferioris: obediẽtia enim ſemper reſpicit ſuperius, vnde ſpiritus ab igne non poteſt recipere qualitates corporeas, vti ſunt color, & ardor, neque ſimiliter ab alio agente poteſt recipere frigus; & ſic nequit etiam ab alio agente recipere colorem: poteſt autẽ ignis recipere formam ſpiritualem, quæ ſuperior eſt ipſa qualitate ignis materialis. Etſi inſtes, quod ſi Angelus reciperet colorem à Deo principaliter, non haberet obedientiã ad agens ſibi inferius, ſed ad ſuperius, quale eſt Deus: ruit ergo noſtra doctrina. Reſp. quod ſi acciperet colorem à Deo, non haberet obedientiã ad ſuperius effectivè, quia non obediret in recipiendo formam ſibi ſuperiorẽ, ſed ordine ſimpliciter inferiorem, nempe colorem, qui cum corporalis ſit, in genere cauſæ formalis Angelũ inferiorizaret: vnde extra obedientiam Angeli ad Deum eſſet colorari ab ipſo Deo. Præter hæc dico, quod calor nequit convenire niſi enti quãto, ſicut neque exiſtere poteſt convenire materiæ niſi media forma ſubſtantiali: Angelus autem neque eſt ens quantum, neque poteſt eſſe quantum: nàm quantitas tantum poteſt convenire ſubſtantiæ corporeæ, in qua præcontinetur, & ſic Angelus colorari non poteſt; forma autem ſpiritualis poteſt recipi in corpore, vt apparet in anima rationali, quæ ſpiritualis cum ſit, corpus informat: vnde etiam ſi Angelus colorari nõ poſsit, poteſt tamen ignis qualitatem ſpiritualem recipere.

1147 Tertio arguitur, ignis non agit in ſpiritum vt inſtrumentum phyſicũ: ergo non cauſat in ſpiritu phyſicas qualitates.

ter. Prob. Ant. ſi ignis ageret in ſpiritum vt inſtrumentum phyſicum, deberet elevari per qualitatem permanentem; at hoc eſt contra rationem inſtrumenti, vt demonſtrant noſtri Theologi, qui adhuc humanitati Chriſti negant qualitatem permanentem ad patrandum miracula: ergo. Prob. Maj. ignis inferni perpetuò, & in æternum agit in ſpiritum cruciando illũ: ergo ſi phyſice ageret, requireret elevari per qualitatẽ permanentem. Confirm. actio ignis in ſpiritum non minus eſt æterna, quàm ſit æterna beatitudo; ſed beatitudo æterna nequit haberi niſi per qualitatem permanentem: ergo neque activitas ignis in ſpiritum haberi poterit niſi per qualitatem æternam, & per Conſ. permanentem. Ad hoc, nego Ant. ad Prob. diſt. Maj. ſi ignis ageret in ſpiritum deberet elevari per qualitatem permanentem, permanentia habitus, nego, permanẽtia ad hunc ſenſum, quod ſemper duraret, quandiu ignis ageret, Conc. Maj. & nego Min. Itaque Thomiſtæ negant inſtrumentum elevari per habitum, qui remaneat in inſtrumento adhuc ceſſante actione inſtrumentali; cum enim illa qualitas tantum ſit motio agentis principalis inſtrumenti vt agat, hoc ipſo quod inſtrumento nõ movetur ad agendum, hoc ipſo caret qualitate elevante, & ſic concluditur, quod qualitas inſtrumenti elevativa nequit eſſe permanẽs permanentia habitus: nam hic etiam dum non operamur, manet, cum habitibus vtamur prout volumus, cum, & quando volumus: non autem negant Thomiſtæ elevari inſtrumentum formâ permanenti in illo quandiu movetur ad operandum: vnde ſi in æternum moveatur, vt in æternũ agat, perpetuò, & in æternum habebit motionem agentis principalis, & conſequenter qualitatem elevantem. Ad confirm. nego Ant. beatitudo enim non eſt æterna eo ſolum quod in æternum duret, ſed quia ex natura ſua exigit durare in ęternum; vnde requirit procedere ab habitu, qui ex natura ſua eſt permanens: actio autem ignis in ſpiritus iſtarum eſt æterna, quia in æternum ignis movetur ad agendum ex decreto iuſtitię vindicativæ Dei. vnde non requiritur quod ignis elevetur per habitũ, ſed ſufficit quod elevetur per qualitatem in tantum durantem, in quantum durat actio alligationis activæ. Præterquamquod ignis non ſemper agit alligando Dæmones in inferno, ſed multoties permittuntur à Deo exire infernum, & ſic non ſemper ignis habet illam qualitatem elevantem illum ad præfatam productionem qualitatum ſpiritualium.

1148 Quartò arguitur, ad alligandum Dęmonem in inferno, vel ne de vno loco exeat in aliũ, non eſt neceſſe producere aliquã qualitatẽ in potentijs eius: ergo falſa eſt concluſio. Prob. Ant. videmus enim quod manus lapidem in aere ſuſpenſum tenet, illumquè impedit, ne de vno loco deſcendat ad alium per ſibi connaturalem operationem: ergo non eſt neceſſe ad alligandũ Dęmones in inferno in illis producere aliquã qualitatem. Dices, quod ſi id, quod impeditur, habeat ſe movere de vno loco ad alterum per ſolam externam operationem, vt contingit in exemplo de lapide, ad impediendum illum, ne ſe moveat, ſufficit obſtans extrinſecum: ſi autem illud, quod impeditur, ne de vno loco ad aliũ ſe moveat, habeat ſe movere per actus formaliter internos, & immanentes, nõ ſufficiet extrinſecum obſtans, ſed requiretur aliqua cauſa intrinſeca impediens illum, ne actionem internam eliciat, quâ de vno ad alterum locum ſe moveat. Et quia Dæmon ex natura ſua per actus immanentes intellectus, & voluntatis habet ſe movere de vno loco ad alterum, ideò ne ſe moveat, neceſſe erit producere aliquam qualitatem in eius potentijs motivis, vt cuius impediantur ab efficientia actuum, quibus ſi non impedirentur, locum mutare poſſent. Sed contra eſt, nàm Dæmones non locantur per actus intellectus, & voluntatis vt formaliter immanentes ſunt, ſed in quantum ſunt virtualiter tranſeuntes, hoc eſt, quatenus virtute ipſorum aliqui effectus producuntur in corporibus, in quibus locantur; ſed ad impediendum, ne prædicti actus, eſtò exiſtant in re, effectus tamen extra ſe habeant, nõ requiritur producere in Dæmonibus præfatas qualitates intrinſecꝰ impeditivas: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. Min. poſito externo impedimẽto ad ſequelam alicuius effectus, ſtat actionem quantum eſt ex ſe efficacem ad productionem illius, de facto in re effectum non ponere: actio enim illuminativa ſolis, quantum eſt ex ſe, efficax eſt ad introducendam lucem in cubili, & per hoc quod quis claudat oſtium cubilis non ponitur cubilis illuminatio: calor ſolis efficax eſt ad generandum fructus in planta; ſi tamen in planta non adſit debita diſpoſitio, calor ſolis in ſe manebit efficax, ſed fructus nõ generabitur in planta: ergo ſimiliter ad impediendum externam poſitionem effectuum

cau-

Digitized by Google

cauſandorũ in corporibus per actus Dæmonum, ſufficiet impedire exterius, ne in re ponantur externi effectus, & ſic non requireretur internæ qualitates in mentibus Dæmonum.

Confirm. actus intellectus, & voluntatis Angelorum non ſunt, ſic vniverſales cauſæ ſuorum effectuũ, quod non ſint cauſæ exterius impedibiles: ſolus enim Deus, quia omnium, quę requiruntur ad effectum ponendum in re, cauſa vniverſaliſsima eſt, inimpedibilis eſt, ſuoſque effectus inimpedibiliter operatur; omnes autem aliæ cauſæ contingentes, impedibiliter operantur: ergo vt non ſequantur effectus prætenſi ab Angelis per ſuas actiones, ſufficiet externum impedimentum apponere, & non requiretur ab intrinſeco impedire, ne eliciãt actus, quantum eſt ex ſe, operativos effectuum.

Ad hoc, nego Min. ad Prob. Conc. primã Conſeq. nego quod non requirantur prædictæ qualitates in mentibus Dæmonũ productæ. Etenim vt effectus alicuius actionis in re non ponatur, ſufficit, & requiritur apponere impedimentum actioni productivę, vt contingit in exemplis adductis; qui enim ſole illuminante claudit feneſtrã, impedit ſolem, ne activè cubile illuminet, vnde quamvis actio ſolis in totum non ceſſet, quantum autem ad hoc quod eſt illuminare cubile, ceſſat: & idem dico de calefactione ſolis ad plãtam indiſpoſitam ad generandum fructum; ceſſat enim in ratione actionis generativæ fructus: & ſimiliter ſi impediretur effectus actionis Angelicæ, eſſet neceſſe, quod ceſſaret actio Angelica; hoc autem eſt diſcrimen inter exempla adducta, & actionẽ Angeli, quod cum actiones ſolis externæ ſint, poſſunt per aliquid exterius impediri: actiones autem Angeli, cùm in ſe purè immanentes ſint, & ab intrinſeca virtute Angeli efficaciam habeant, per poſitionem externi impedimenti ceſſare non poſſunt: vnde non ſtat illas eſſe in actu efficaces, & effectum non poni in actu, vnde requiritur vt effectus earum nõ ſequatur, quod Angelus de facto non applicet virtutem ſuam ad operandum: nam ſi ſemel Angelus virtutem ſuam applicet, in re effectus nequit non poni: nam inter actionẽ Angeli, & eius effectum, nihil mediat, & ſic ſi datur actio Angelica in actu, debet dari effectus in actu; vnde requiritur impedire ab intrinſeco Angelum, ne ſe explicet ad operandum, & ſic requiruntur in mentibus Angelicis produci ſpirituales qualitates impeditivas prædictæ applicationis.

Ad Confirm. dico, actiones Angelicas poſſe impediri à Deo ſuſpendente concurſum, vel non dante concurſum ad earũ elicientiam requiſitum; poſſe etiam impediri à cauſis externis, non tantum exterius obſtantibus: nam omnis natura corporalis quoad motum localem plenè ſubditur Angelis, ſed operantibus virtute agentis principalis Dei inſtrumentaliter in ſpiritus: vnde ad hoc quod impediantur in ſuis operationibus ab igne inferni, neceſſariò requiritur, quod ignis agat in Angelum producendo in illo qualitatem intrinſecus impedientem. Vnde in forma, nego Conſ. nam eſtò Angeli in ſuis operationibus impedibiles ſint, & impedibiliter operentur, cũ tamen operationes eorum externæ non ſint, ſed purè internæ, & formaliter in potentijs eorum maneant, ſolum per aliquid illis intrinſecum impediri poſſunt.

1149 Secundo poſſumus reſp. argumẽto principali, negando Conſ. nam eſtò poſſit Deus de potentia abſoluta per impedimentum exterius oppoſitum Angelum impedire, ne mutet locum, vt patet ſi Angelus vellit movere ſaxum, poteſt illum impedire, ne illud moveat apponendo tantum pondus in ſaxo, quod ſuperet virtutẽ motivam Angeli; tamen non eſt congruũ ſic impedire, quia requireretur ad ſic impediendum Angelum, ne ex loco inferni ſe locaret in aliqua alia re mundi, apponere impedimentum in toto vniverſo viſibili; nam ſi aliqua alia res reſtaret non impedita, Angelus in illa ſe locaret: impedire autem Angelum per appoſitionem vniverſalem impedimenti in omni re mundi, non videtúr bona providentia: congruentius ergo fit huiuſmodi vniverſale impedimẽtũ per hoc quod ignis agat in illum producendo qualitatem vniverſaliter impedientem illum, ne ex igne ad alium locum vadat.

1150 Quinto arguitur, omne inſtrumẽtum phyſicum debet habere ex proprijs aliquam actionem prævıã, quæ poſsit elevari divina virtute ad producendum effectum principalis agentis in paſſo; ſed ignis nequit habere ex proprijs actionem prævıã in Dæmonem: ergo nequit elevari ad producendum in illo prædictas qualitates vt inſtrumentum Dei principalis agẽtis. Prob. Min. etenim ignis ex proprijs tantum habet calefacere, & ignire; at illa nequit exercere in Dæmonem, qui omnino incapax

eſt caloris, & ignis : ergo nequit habere actionem, qua prævie agat in Dæmonem. Hoc argumentum in terminis proponit D. Thom. quæſt. vnica de anima art. 21. & eſt 14. in ordine ad quod ſic reſpondet; *dicendum, quod ignis corporeus, & ſi non calefaciat animam, habet tamen aliam operationem, vel habitudinem ad animam, quam corpora nata ſunt habere ad ſpiritum, vt ſcilicet eis aliqualiter vniantur.*

Sed contra inſto, non eſt aſsignabilis actio propria ignis niſi calefactio, & ignitio, vel productio ſpecierum intentionalium; illa etiam habitudo, qua aptus natus eſt ignis vniri ſpiritui, non eſt habitudo agentis ad paſſum, ſed potius paſsi ad agentem: ergo nunquã aſsignatur actio, qua ignis prævie agat in Dæmonem, & ſic non poterit inſtrumentaliter agere in illum. Ad hoc argumentum Reſp. ex doctrina D. Th. adducta, diſt. Mai. debet habere actionem præviam, quæ neceſſario ſit vera actio, nego Mai. quæ ſit vera actio, vel ſecundum eſſe; vel ſaltem ſecundũ dici, conc. Mai. & diſt. Min. ſed ignis nequit habere ex proprijs actionem præviam, quæ ſit actio ſecundũ eſſe, conc. Min. quæ ſit actio ſecundũ dici, nego Min. & Conſ. Itaque vt aliquid aſſumatur vt inſtrumentum divinæ virtutis, nõ requiritur, quod propriè agat prævie in paſſum, ſed ſufficit habeat ex proprijs aliquid, per quod poſsit immediatè vniri paſſo, ſivè vnione per quantitatem molis, ſivè per contactum virtutis: ignis ergo quãvis nequeat agere prævie in ſpiritum, poteſt tamen vniri illi, quia aptus natus eſt moveri à ſpiritu; vnde ratione illius contactus prævij, quem poteſt habere ad ſpiritum, poteſt elevari ad agendum phyſicè in illum. Et hæc eſt quod dicit D. Thom. in illa ſolutione adducta, dùm dicit, *ignem ex ſe habere operationem, vel habitudinem ad ſpiritum,* nempe vnibilis ad id, quod vnitur ei per propriam operationem. Ex qua doctrina apparebit, quod ignis primò vnitur ſpiritui per hoc, quod movetur à ſpiritu, & deinde ignis actionem inſtrumentariã habet in ſpiritum, qua activè alligat illum loco inferni.

Sed inſtas, ſi actio prævia inſtrumenti non ſit vera actio, ſed merus paſsivus contactus virtutis, ſequitur, quod etiam vt inſtrumentum non agit per actionem, quæ ſit vera actio; at hoc nequit admitti: ergo. Prob. ſequela, actio, qua aliquid operatur vt inſtrumentum, non eſt diſtincta ab actione prævia, ſed eſt eadem, elevata tamen, vt patet in ſerra, in qua productio ſcamni non eſt aliud, quam ſecatio artificioſa: ſic, quod non ſint duæ actiones in ſerra alia, qua prius ſecet ligna, & alia, qua deinde ſcamnum faciat: ergo ſi actio prævia nequit eſſe propriè actio, neque inſtrumẽtalis propriè actio erit. Secundo inſtas, in igne animam alligante adhuc ad alligationem non præſupponitur vnitio ignis ad animam: ergo neque habet in animam actionem præviam, quæ adhuc ſecundum dici ſit actio. Prob. Ant. anima non movet ignem, nam nequit movere niſi corpus, quod informat: ergo ignis non vnitur animæ ante alligationem. Et præterea hoc ipſum Prob. expreſſa doctrina D. Th. ex quæſt. de anima, art. 21. ad 13. vbi habet: *Dicendum, quod anima non vnitur igni punienti vt forma, quia non dat ei vitam, ſed vnitur ei eo modo, quo ſpiritus vniuntur locis corporeis per contactũ virtutis, quamvis non ſint ipſorum motores.* Igitur ex D. Thom. anima alligatur ab igne, ſine eo quod moveat ignem.

Ad primum, nego Mai. Ad Prob. nego Antec. vniverſaliter loquendo: cum enim actio ex proprijs conveniens inſtrumento eſt propria actio, tunc ipſa poteſt elevari ad producendum effectum principalis agentis; & ſic poteſt non diſtingui actio prævia ab actione convenienti inſtrumento vt tali; quando autem actio prævia non eſt propriè actio; tunc præter illam oportet diſtinguere aliam, quæ propriè actio ſit, & vera activa productio effectus principalis agentis, vt licet videre in aqua, quæ lavando corpus actione corporali, lavat animam actione purè ſpirituali; actio autem corporalis, & ſpiritualis nequit eſſe vna actio: vnde non eſt vniverſaliter verum, quod ipſa actio prævia ſit quæ elevatur ad producendum effectum principalis agentis; non enim hoc requiritur, ſed ſufficit ſi ipſum inſtrumentum elevetur, vt virtute elevationis actionem eliciat factivam effectus principalis agentis. Ad ſecundum, neg. Antec. Ad Prob. anima non movet ignem, neque producit aliquid in igne, neg. Ant. non movet, ſed producit aliquid in igne, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque ad hoc vt anima contactu virtutis tangat activè ignem, debet neceſſariò aliquid producere in illo: nam in via D. Thom. nequit per ſuam ſubſtantiam immediatè locari ab igne, vnde requiritur vt ſit in igne tanquam in loco, quod aliquid producat in igne. Neque poteſt hic haberi

recurſus ad hoc quod poſſit in igne locari per ſuam paſsionem, quia ignis locus violentus eſt. Non (inquam) hic recurſus haberi poteſt, nam antequam anima intelligatur alligari igni, debet intelligi ignis vnitus animæ, & non vnitus per operationem ignis in animam, quia in illam non intelligitur agere niſi vt inſtrumentum divinæ iuſtitiæ, & prima vnio cum anima eſt ab igne vt à cauſa principali: ergo nequit anima pro tunc vniri igni per paſsionem cauſatam ex activitate ignis: ergo ſolum poteſt intelligi vniri igni per actionem animæ in ignem. Ad ſecundam Prob. ex Div. Thom. fateor, quod anima non vniatur igni per modũ motoris, nego tamen quod non agat in ignem media aliqua propria operatione, ſicut animæ beatæ ſunt in Empyreo tanquam in loco, & tamen non movent Empyreum, quod immobile eſt; ſunt tamen in eo per aliquam operationem, quam ibi exercent: ita pariter locantur in igne, non per hoc quod moveant illum localiter, ſed per hoc quod aliquid in ipſo producant.

§. IX.

Vtrùm vt Angelus localiter alligetur igni ſufficiat quod ignis agat in Angelicum?

1151 RESPONDEO Ad hoc vt Angelus alligetur igni inferni, ſic, quod detineatur localiter in illo, non ſufficit actio ignis in Dæmonem, vi cuius impediatur Dæmon ad non deſerendum illum locum, ſed vltrà requiritur, quod Dæmon ſit in igne inferni operando aliquid in illo: vnde alligatio præfata duo includit, quæ violẽtiam faciunt Dæmoni; alterum eſt, quod cogatur ſemper Dæmon aliquid operari in Inferno, & aliud eſt, quod impediatur ad operandum alibi. Hanc reſponſionem deſumo ex D. Thom. in 4. diſt. 44 quæſt. 3. artic. 3. quæſt. 3. ibi: *Ignis ſecundum naturam ſuam habet quod ſpiritus incorporeus ei coniungi poſsit vt loco locatum, ſed in quantum eſt inſtrumentum divina iuſtitia habet vt ipſum quodammodo retineat alligatum.* Quibus igni vt inſtrumento tantum concedit retinere alligatum ſpiritum iam exiſtentem in loco. Sed clarius hoc ipſum dictat illis verbis: *Quamvis autem res corporea ex ſua natura habeat quod ſpiritum incorporeum loco definiat; non tamen habet ex natura ſua quod ſpiritum incorporeum loco defin tum detineat, vt ita ligetur illi loco, quod ad alia divertere non poſsit, cum ſpiritus non ita ſit in loco quod ſubdatur loco, ſed hoc ſuperadditur igni corporeo, in quantum eſt inſtrumentum divinæ iuſtitiæ vindicantis, quod ſic detineat ſpiritum, & ita efficitur ipſi pœnalis retardans eum ab exequutione propria voluntatis, ne ſcilicet poſſit operari vbi vult, & ſecundum quod vult.* In quibus, vt vides, ex duobus, quæ requiruntur vt Dæmon in inferno alligatus ſit igni vt inſtrumento, tantum ſuperadditur quod non ſinat ſpiritum extra infernũ operari; non autem quod ſpiritum in inferno locet. Sed adhuc clarius noſtram doctrinã dictat in 2. diſt. 6. quæſt. 1. art. 3. ad 1. ad 1. vbi loquens de Angelis poſt caſum ſic habet: *Non dicuntur eſſe in loco quaſi ex loco corporali aliquid recipientes, ſed quaſi circa locum operantes aliquid proprietatibus loci conſonum:* ſunt ergo Dæmones in inferno ſicut locatum in loco, per hoc quod aliquid circa infernum operantur: & alligantur loco per hoc quod accipiunt ab igne vt inſtrumento divinæ iuſtitiæ.

1152 Ratione Prob. Concluſio: Angelus nullibi operans, nullibi eſt tanquã locatum in loco: ergo vt alligetur alicui vt locatum loco, non ſufficit impedire eum, ne operetur extra illum locum. Prob. hæc Conſeq. nam ſi impeditur ne operetur extra illum locum. Prob. hæc Conſeq. nam ſi impeditur ne operetur extra aliquem locum, & inſuper ipſe pro ſua voluntate ceſſet ab operando in illo loco, nullibi erit: vt ergo ſit alligatus alicui loco vt locatum loco, requiritur, quod in illo loco operetur, & extra illum non poſsit operari. Dices, Antec. huius rationis habere veritatem naturaliter loquendo, & in caſu quod aliquod agens non agat in ipſum: vnde ſi Angelus nullibi operetur, & aliquod agens divina virtute in illum non agat, vere tunc erit nullibi; cum ergo eſto Angelus in igne nihil agat, ignis tamen agat in ipſum, non fit quod Angelus ſit localiter extra ignem. Sed contra eſt, nam ſi ſupponatur ignem inferni agere in Dæmonem nullibi operantem, Dæmon ex hoc non vnietur igni tanquam locatum loco: ergo nulla ſolutio. Prob. Antec. quod agit in aliud, ex hoc comparatur ad paſſum vt locatum ad locum: ergo ex vi actionis in aliud nequit paſſum comparari ad agens vt locatum ad locum: ergo ignis ſi ageret in Dæmonem nullibi operans;

Digitized by Google

rantem compararetur vt locatum ad locum; non ergo ex vi huius Angelus exiſteret in igne vt locatum in loco. Ant. ſic demonſtro, Deus, ex quò operatur in creaturis, ponitur in eis vt locatum in loco, Angelus ſimiliter, ex quò agit in corpus, ponitur in corpore vt locatum in loco: ergo corpus ex vi ſuæ actionis ponetur in paſſo vt locatum in loco: ergo ſi paſſum vt prævenit actionem agentis non eſt in loco, ex hoc ſolum quod patitur ab agente nequit exiſtere in agente tanquam locatum in loco.

Dices, ad hoc vt Angelus ſit in loco, ſufficere quod quomodocumque vniatur loco, ſic, quod locum tangat: cumque per hoc quod patiatur ab igne, vniatur igni, ignemque tangat, verè per hoc quod patiatur ab igne, erit in eo tanquam locatum in loco. Sed contra eſt, primò, nam Angelus per hoc quod patiatur ab igne, ignem non tangit, ſed tantum ab igne tangitur. Etenim ſi ſit paſſum, quod nō reagat in ſuum agens, illud tantum tangetur ab agente, ſed non tanget actiue agentem; at Dæmon, dùm patitur ab igne, non reagit in ignem, nam hoc ſupponitur, videlicet quod Angelus non agat in ignem: ergo tantum tangetur ab igne, non vero ignem tanget: non ergo per hoc quod merè paſſiuè ſe habeat ad ignem, locabitur in igne. Secundo, etenim ignis per hoc quod agat in Angelum non coniungitur illi immediatè immediatione ſuppoſiti: ergo ſi Angelus non ſupponitur eſſe in igne per propriam ſuam operationem, per hoc quod ab igne patiatur, non vnietur immediatè igni. Prob. Antec. ſi ignis immediatè immediatione ſuppoſiti vniretur Angelo, per hoc quod ageret in illum, deberet habere illapſum in Angelo: non enim valet intelligi vniri immediatè immediatione ſuppoſiti Angelo, niſi vel Angelus illabatur igni, vel ignis illabatur Angelo; ſed ignis nequit illabi Angelo: ergo. Prob. Min. ignis tantum agit in Angelum vt cauſa inſtrumentalis; ſed cauſa inſtrumentalis non illabitur in paſſum, neque enim ſacramenta, quæ gratiam phyſicè producunt in anima, illapſum habent in illam: ergo cum ignis tantū inſtrumentaliter agat in Angelum, nequibit illapſum habere in illum: non ergo per actionem, qua agit in Angelum, ſibi phyſicè vnit Angelum; vt ergo ignis Dæmonem alliget, requiritur indiſpenſabiliter, quod Dæmon agat in ignem, & ſic locetur in igne, & deinde ſic locatum ignis detineat per hoc, quod impediat eum, ne extra ignem operetur.

Confirm. de ratione inſtrumenti diuinitus aſſumpti non eſt quod contingat paſſum immediatè immediatione ſuppoſiti, ſed ſufficit ſi contingat illud immediatè immediatione virtutis: Sacramenta enim; vt dixi, cauſant gratiam in anima, nec tamen immediatè immediatione ſuppoſiti tangunt animam: humanitas etiam Chriſti innumera faciebat miracula vt inſtrumentum coniunctum diuinitatis, & tamē non vniebatur immediatè immediatione ſuppoſiti cum ſubiectis, in quibus miracula patrabat: multoties enim curabat abſentes, vt patet de filia Centurionis, & alijs: ergo ignis inferni, cum agat in Dæmonem vt inſtrumentum Dei, non erit neceſſe, quod Dæmonem tangat immediatè immediatione ſuppoſiti, ſed ſufficiet, ſi Dæmonem tangat immediatè immediatione virtutis: non ergo ex actione ignis in Dæmonē conuinci poterit, quod ignis Dæmonem ſibi immediatè ſic vniat, quod illum locet in ipſo igne: recurrere ergo debemus ad aliud principium firmum, videlicet quod Angelus locari non poſſit niſi per ſuam operationem, & dicere, quod primo Dæmō aliquid cogitur operari circa ignē inferni, & in ſic operari ignis vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ in ipſum agit duo, alterum, quod non ceſſat ab operatione circa ignem; alterum, quod non poſſit extra ignem amplius operari, & ſic Dæmon phyſicè igne alligatur.

Sed dices, ignis tantum agit in Dæmonem iam locatum per propriam actionem in ipſo igne: ergo Dæmones non trahuntur ad ignem inferni ex ipſa actiuitate ignis: ergo ipſi Dæmones ſe locant in igne, & non locantur ab inſtrumento diuinæ iuſtitiæ, & ſic eſſe in igne non erit pœna Dæmonum, ſed tantum pœna erit non poſſe exire ab igne. Reſp. concedendo primam, & ſecūdam Conſequentiam. Itaque eſſe in igne oritur ex imperio diuino deputante Dæmonem ad ignem in pœnam ſui præcedentis peccati, ſimili modo, quo iuſti ob ſua merita adducuntur ad Paradiſum, vt ibi accipiant præmium ſuorum bonorum operum: vnde ſolos cruciatus, quos patiuntur in ipſo igne locati reducuntur ad ignē vt ad ad inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ. Nec indices illud imperium ſolum agere moraliter in Dæmonem: agit vtique phyſicè, imò & cogit operari aliquid in igne, ſicque eſt

du-

Digitized by Google

duplex coactio, & violentia; alia vt ſemper operetur Dæmon in igne, alia ne poſsit alibi, quàm in igne operari. Vtrùm autem primum fiat per productionē alicuius qualitatis in Dæmone, ſicut diximus fieri ſecūdum? Reſp. quod ſic, nam diuinum imperiū nequit eſſe efficax, niſi producat in Dæmonē aliquam qualitatem, quæ cogat Dæmones ſemper in igne operari: vnde, cū diuino imperio agantur ad ignem, vt in eo operentur in æternum, fit inde, quod producitur in Dæmone qualitas phyſica cogens Dęmonem ſemper in igne operari.

Dices, illud operari in igne fit per actū voluntatis ipſius Angeli, quo vult ſuam virtutem operatiuam applicare ad ignem; at voluntas Angeli à Deo nequit cogi in ſuis actibus: igitur virtute diuina Dæmon non cogitur operari in igne. Reſpondeo, quod Dæmon neceſsitatur ad volendum, ſeu cogitur ad operandum. Itaque, vt dixi, quoad actus imperatos voluntas poteſt pati coactionem, eſto non quoad actus prout elicitos, ad quos Deus poteſt neceſsitare, ſed nequit cogere, quia cum ſint actus voluntatis, nequeunt nō eſſe voluntarij: vnde neque ſic eſſe coacti; Deus ergo neceſsitat voluntatem Dæmonis ad operandum in igne. Sed ipſa Dæmonis voluntas non ſemper vellet coniungi de facto cum ipſa operatione, & ad hoc vt ſemper coniungatur, & nunquam ceſſet operari aliquid in igne, cogitur, & violentatur ab illa qualitate.

Sed dices, ſi iſta qualitas cogit Dæmonem, vt ſemper operetur in ignem, vt quid ponuntur aliæ qualitates ab igne cauſatæ impedientes eum, ne operetur extra ignem? Etenim Dæmon nequit operari ſimul in igne, & extra ignem, quia nequit eſſe in duobus locis adæquatis ſimul: ergo vt non operetur extra ignem, ſufficiet illa qualitas, quæ cogit illum intra ignem operari, & ſic illę aliæ, quę retardant, vel impediunt eum, ne extra ignem operetur, ſuperfluæ erunt. Reſpondeo, ex hoc quod illa qualitas neceſsitet Dæmonem ad ſemper operandum in ignem, indirectè, & ſolum ex conſequenti, hoc eſt, quia nequit eſſe in duobus locis adæquatis ſimul: vnde ſi neceſſariò eſt in vno, nequit ſimul eſſe in alio, ſequi non poſſe operari, vel eſſe extra ignē: oportet autem ad maiorem torturam ipſius, quod hoc ipſum conueniat ei directè, & ex actione creaturæ, nempe ignis: ſicut enim dicunt Theologi quod ad maiorem dignitatem Chriſti attinebat non ſolum habere gloriam corporis ex reſultantia glorię animæ, ſed etiam habere illam vt pręmium ſuorum meritorum; ſic ad maiorem torturam Dæmonis attinet non ſolum non poſſe exire infernum, quia ibi neceſſariò operatur, & in perpetuum operabitur, ſed etiam quod non poſsit exire infernum, quia ipſa ignis actiuitate, ibi, vt in perpetuum maneat, alligatur.

Secundo, non ſolum attinet ad Dæmonis torturam non poſſe eſſe extra infernum, quia hoc eſt incompoſsibile cum hoc, quod eſt eſſe neceſſario per propriam operationem in inferno tanquam in loco adæquato, ſed etiam attinet ad torturam, quod eſſe extra infernum non ſit eis poſsibile ratione qualitatum contra propriam voluntatē cauſatarum ab igne, quæ velati quendam languorem directè cauſant in potentijs Dæmonis, ratione cuius, ſicut valde infirmus ratione ſuę ægritudinis nequit exercere ſuas operationes, ita & ipſi nequeunt exercere functiones ſibi connaturales: vnde prædictæ qualitates cauſatæ ab igne non ſunt ſuperfluæ, ſed quoddam genus torturæ ſuper addunt ad illud, quod per ſe inducit qualitas illa neceſſariò locatiua Dæmonis in inferno.

§. X.

Soluuntur argumenta contra concluſionem.

1154 PRIMO Arguitur. Etenim per hoc quod Dæmon paſsiuè tangatur à loco inferni, ſufficienter intelligitur exiſtere in inferno tanquam in loco: ergo fruſtra vltra hoc requirimus, quod Dæmō propria operatione tangat ignem ad hoc quod locetur in igne. Prob. Ant. hoc ipſo quod Dæmon paſsiuè tangatur à loco, habet vbi, & præſentiam localem ad prædictum locum: ergo hoc ipſo quòd paſsiuè tangitur à loco, erit in eo vt locatum in loco. Confirm. per hoc dicimus Angelum per ſuam operationē eſſe in loco, quia per illam, cum tangat locum, vnitur loco; ſed etiam per hoc quod patitur à loco, & tangitur ab illo, habet vniri loco: ergo dicetur per hoc eſſe in loco.

Ad hoc, nego Ant. ad Prob. nego ſimiliter Ant. etenim ignis per actiuitatem, quam exercet in Dęmonē, non tangit Dæmonem immediatè immediatione ſuppoſiti, ſed tantum immediatione virtutis: vnde per ſuam actionem non vnitur immedia-

te

Digitized by Google

ſè Dæmoni, & ſic non producit præſentiam localem ad ignem agentem. Huius eam aſſigno rationem, nam ignis vt agens nequit immediatione ſuppoſiti vniri cum Dæmone, niſi vel Dæmon illabatur illi, vel ignis illabatur Dæmoni; hoc ſecundum eſt impoſsibile. Tum quia res materialis nequit habere illapſum intra ſpiritum, imo neque aliqua alia creatura, ſolus enim Deus, qui illum creavit, illabi intra ipſum poteſt: primum autē non convenit Dæmoni per hoc quod patitur, ſed per hoc quod agit, & operatur in ignem. Vnde ſi ponatur quod Dæmon non operetur aliquid in ignem, nequit poni quod immediatè immediatione ſuppoſiti tangat ignem, & ſic nequibit poni quod habeat præſentiā localem ad ignem. Ad Confir. nego Min. Iam enim dixi quod cum ignis non agat immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti in Dæmonem, nequit localiter per ſuam actionem ſpiritui immediatè vniri.

Inſtas, ignis inferni effectivè alligat Dæmonem ſibi ipſi immediatè immediatione ſuppoſiti: ergo agit in Dæmonem vtraque immediatione. Ad hoc, diſt. Conſ. in Dæmonem vtraque immediatione, per ſe, nego, per accidens, & ratione alterius præſuppoſiti, tranſ. Conſ. Itaque cum actio alligativa ſupponat iam Dæmonem immediatè vnitum igni immediatione ſuppoſiti per illapſum Dæmonis in illum habitū, per ipſius Dæmonis operationem poteſt ſibi ipſi alligare Dæmonē immediatè vtraque immediatione; per ſe autem non poteſt, quia per ſuam operationem nequit ignis immediatè coniungi cum ſpiritu ratione iam dicta.

1155 Secundo arguitur, Dæmones non ſolum patiuntur pœnam ſenſus in eo quod non poſsint exire inferni locum, ſed etiam ex eo quod ſunt in inferno: ergo vtrumquè habent ab igne, nempe & eſſe in inferno, & detineri in illo. Prob. Conſeq. nam omnem pœnam ſenſus patiuntur ex ignis activitate: ergo ſi patiuntur pœnam ſenſus ex hoc quod ſunt in inferno tanquam in loco, verè ab ipſo igne inferni locantur in inferno. Confirm. non eſt aſsignabilis operatio, qua Dæmones in inferno operentur, & aliquid producant: etenim illud, quod producerent, neque eſſet motus localis, quia ignis inferni manet immobilis; non eſt aliqua qualitas ignem alterans, corrumpens, augens, vel diminuens: quia ignis inferni neque alteratur, neque corrumpitur, neque augetur, neque diminuitur, ſed ſemper in eodem ſtatu permanet: lucem etiam in inferno Dæmon producere non valet, quia Deus miraculoſe ſeparavit à præfato igne lucem ab ardore; obſcuritatem etiam cauſare non valent, quia hæc cauſatur ex privatione lucis, & dum independēter à Dæmone locus ille eſt orbatus luce, etiam independenter à Dæmone habebit ſuam obſcuritatem: nihil ergo Dæmon circa inferni ignem producit, & ſic non locabitur in igne, ex hoc quod aliquid operetur circa ignem.

Confirm. non facile percipitur, quo modo Dæmon ſemper operetur circa ignē inferni. In primis liberè non operatur in illo, alias nō ſentiret pœnam de eo, quod eſt eſſe in illo; non etiā cogitur à Deo ad operandum in inferno. Tum quia hæc coactio nequiret immediatè eſſe à Deo, eo quod Deus pœna ſenſus Dæmones immediatè non punit, & præfata coactio pœnam ſenſus inferret, neque fit prædicta coactio media creaturā inſtrumentaliter phyſicè operante, & cogente ad operandum; nam hæc eſſet ignis, quod eſt cōtradicta à nobis, qui negamus ignem habere actionem in Dæmonem, quæ præcedat ipſam alligationem Dæmonis. Tum etiam, quia cum illa operatio debeat eſſe actus practicus intellectus, & voluntatis Dæmonis, non videtur quod Deus poſsit cogere Dæmonis voluntatem ad ſemper operandum in igne inferni: non ergo aſſeverandum erit, quod Dæmon locetur in inferno per propriam operationē.

Ad hoc argumentum, diſt. Conſ. ergo vtrumquè habent ab igne, eodem modo concurrente ad vtrumquè, nego Conſ. diverſo modo concurrente, Conc. Conſeq. Itaque Deus in pœnam peccati primò deputavit Dæmones ad ſemper operandum, & ſemper eſſendum localiter in inferno, ſicut in præmium meritorum deputavit bonos ſpiritus, vt eſſent localiter in paradyſo, & ſicut ex hoc quod boni ſpiritus vident ſe eſſe in paradyſo, ex quo ſibi promittunt habere omnes delitias, vehementer gaudent: ita & Dæmones, ex quo ſe eſſe in inferno experiuntur loco tormentorum ſuorum, magnam pœnam ſenſus concipiunt: vnde ad iſtā pœnam concurrit ignis inferni tāquam locus diffiniens perpetuum Dæmonis in eo exiſtentiam per propriam operationem: ad alligationis autem pœnam concurrit ignis activè vt inſtrumentum divinæ iuſtitiæ: vnde omnis pœna ſenſus Dæmonum eſt ab igne,

Digitized by Google

ne, aliter tamen, & aliter, vt dixi.

Ad primam Confirm. poſſem dicere eſſe certum, quod Dæmones aliquid producunt in Inferno, nam ſic atteſtatur nobis D.Thom. in 2. diſt.6. quæſt.1. art.3. ad 1. vbi loquens de Angelis poſt cælum ait: *Non dicuntur eſſe in loco quaſi ex loco corporali aliquid recipientes, ſed quaſi circa locum operãtes aliquid proprietati loci conſonum.* Sed quia non innoteſcit nobis quid illud ſit, quod in igne inferni producunt, ſicut neque explicavit D.Thom. ita nec nos cogimur explicare. Cæterum liceat vti illis verbis Div. Thom. *operantes aliquid proprietati loci conſonum*, & dicamus, quod ſicut Angeli boni locantur in Empyreo per propriam operationem operantes aliquid proprietati Empyrei conſonum, quod aliqui dicunt eſſe ipſam ſtabilitatem Empyrei, ita & Dæmones operantur circa inferni ignem ipſam ſtabilitatem ignis; ſicut enim ſtabilitas conſonat Empyreo, quia eſt locus determinatus perpetuæ quieti beatorum, ita eſt conſona inferno, qui eſt locus deputatus ad perpetuum ſupplicium damnatorum.

Ad ſecundam Confirm. nego Antec. Ad primã Prob. de libertate, concedo quod non liberè operantur in inferno, ſed coguntur ſemper operari in illo, divino imperio efficaciſsimo, cui ad nutum obediunt omnes creaturæ. Itaque Deus obligat illos ad ſemper operandum in inferno obligatione inducente in eos phyſicam neceſsitatẽ proponendo illis præviſum operari in inferno ſub tali modo, quod neceſsitentur ad operandum in illo; nec tamen pœnam ſenſus cauſat in eis ſine ignis cooperatione diffinitiva, eſto non effectiva modo explicato.

Sed inſtas, ſi neceſſario volunt eſſe in Inferno: ergo eſſe in inferno non erit illis pœnale. Prob. Conſeq. nam effectus propriæ voluntatis volitus, & amatus nequit eſſe pœnalis ipſi voluntati: ergo. Ad hoc dico, neg. Conſequentiam. Ad Prob. effectus propriæ voluntatis volitus, & amatus nequit eſſe pœnalis ipſi voluntati, diſt. Antec. ſi talis effectus fiat ad fugiendum maius malum, quod timetur, nego Antec. ſi non fiat ex timore, conc. Antec. & nego Conſ. Itaque Dæmones coguntur velle operari in igne inferni timore ſervili maioris mali: timent enim ſupremam Dei maieſtatem, quæ poteſt eos ad nihilum reducere, & atrocioribus ſupplicijs eos afficere, ſi imperio Dei non obediant; & ſic hoc ipſum, quod volunt eſſe in inferno, illis eſt valdè pœnale; ſicut & proiectio mercium in mare pœnale valdè eſt mercatori, etiã ſi propria voluntate fiat, quia ex metu tempeſtatis fit: ſic dum ex metu atrociorum tormẽtorum, vel anihilationis volunt Dæmones operari in igne inferni, illud operari illis eſt valdè pœnale, quamvis propria voluntate fiat.

§. XI.

Vtrùm iſtæ qualitates locativæ, vel detentivæ in loco, ſubiectentur in ſubſtantia, an in potentijs Dæmonum?

1156 PARTEM Affirmantem tenent Salmanticenſes hic, dũ dicunt præfatas qualitates ſubiectari tàm in ſubſtantia, quàm in potẽtijs operativis Dæmonum. Sic tenent hic tract. 7. diſp.2. dub.4. §.2. Illas autem tantum ſubiectari in potentijs operativis Dæmonum tenet communiter Schola Thomiſtica. Pro cuius defenſione ſit concluſio: Præfatæ qualitates ſive locativæ, ſive detentivæ in loco non ſubiectantur in ſubſtãtia, ſed in potentijs proximè operativis Dæmonum. Prob. nam in ſubſtantia prout eſt radix ſuarum potentiarum ſolum poſſunt ſubiectari ea accidentia, quæ obtinent rationem naturæ, qualis eſt gratia, & peccatum habituale conſiſtens in privatione nitoris gratiæ, cætera autem alia accidentia omnia ſubiectantur in potentijs proximè operativis; nulla autem iſtarum qualitatum rationem naturæ habere poteſt: ergo nulla earum debebit ſubiectari in ſubſtantia, ſed omnes ſubiectabuntur in potentijs proximè operativis Dæmonum. Prob. Min. in primis qualitas locativa Angeli in igne tanquam in loco adæquato non obtinet rationem naturæ, quia illa non eſt locativa Angeli per modum virtutis, vi cuius Angelus operatur in igne, ſed tantum eſt neceſſario applicativa virtutis Angeli ad operandum in igne: ergo non habet rationem naturæ, nam ad hanc requiritur quod ſaltem ſit radix operationis. De alijs porè detentivis clarius hoc ipſum patet, nam illæ tantum habent in genere cauſæ formalis obſtare, & impedire, ne Angelus exeat in actus ſuarũ potentiarũ; hoc autẽ non eſt eſſe principium radicale, vel proximum operationum: non ergo accidens ſic obſtans poteſt habere rationem naturæ.

Digitized by Google

1157 Secũdo Prob. anima ſufficienter excæcatur per hoc quod lædantur organa, vel obturentur viæ, in quibus reſidet vis proximè viſiva: ergo ſimiliter Dæmon ſufficientiſsimè impedietur, & retardabitur à ſuis operationibus per hoc, quod qualitates impediẽtes ſubiectentur in eã potentia proximè, ex qua poterat proximè exire operatio: non ergo requiritur quod ſubiectentur in ſubſtãtia Dæmonis. Confir. in via D.Th. ſubſtantia Angeli per ſe ipſam non poteſt occupare locum, ſed tantũ poteſt illũ occupare per operationẽ ſuæ virtutis proximæ: ergo ſi hæc virtus proxima ligetur, & ſimpliciter impediatur à ſua operatione, ſubſtantia, etiam ſi in ſe immediatè non habeat aliam ligaturam, adæquatè impedietur, ne poſsit extra ignem aliud locum occupare.

Dices, quod eſto ſubſtantia Angeli non poſsit locari immediatè modo ſibi connaturali, hoc eſt, per operationem, vel applicationem ſuæ virtutis, violentèr tamen, & præternaturaliter, & per puram paſsionem benè poterit immediatè locari per ſe ipſam: ergo vt ſic ſit in igne, quod nullo modo poſsit eſſe extra ignem in alio loco etiam per paſsionem, erit neceſſe producere immediatè in ipſa ſubſtantia aliquã qualitatem plenè alligantem eum vni loco, ſic, quod nulla via, neque per operationem, neque per paſsionem poſsit alium occupare locum. Sed contra eſt, nam in noſtra ſententia, quæ affirmat Angelos nullo modo poſſe eſſe in loco niſi per ſuam operationẽ, ſeu applicationem virtutis, hæc ſolutio locum habere non poteſt, nam ſi Angelus nequit eſſe in loco niſi per operationẽ, ſi virtus eius proxima operativa ſimpliciter ſit impedita à ſua operatione, ſimpliciter impedietur, ne per ſuam ſubſtantiam alium poſsit occupare locum. Secundo, dato caſu quod Angelus per ſuam paſsionem poſsit eſſe in loco, ſi tamen patitur per ſuas potentias per qualitates immediatè receptas in illis, locabitur in eo, à quo patitur: ergo non poterit per paſsionẽ convenientẽ illi immediatè locari ab alio loco diſtincto à primo. Patet hæc Conſ. nam aliàs poſſet locari ſimul in duobus locis adæquatis, in altero per paſsionẽ immediatè receptam in potentijs, & in altero per paſsionem immediatè ſubſtantiæ convenientem: hæc autem admitti non poteſt: ergo.

1158 Tertio prob. Concluſio. Si requiritur vltra qualitates proximè detentivas potentiarũ Angeli alia qualitas recepta in eius ſubſtantia, hoc planè eſſet vt ſubſtantia Angeli mali ratione ſui ſubderetur loco: hanc enim rationem aſsignant Salmanticenſes, qui tenent oppoſitum; at hæc ratio nulla eſt: ergo. Prob. Min. ſubſtantia Angeli mali eo ſubditur loco inferni, quia per activitatem eius ſimpliciter impeditur ad exiſtendum in alio loco; at per hoc ſolum quod eius potentiæ operativæ impediuntur à proprijs operationibus, illa ſimpliciter impeditur ad locandum ſe in alio loco: ergo. Prob. Min. nam Dæmonis ſubſtantia non eſt libera ad ſe locandũ in loco niſi per propriæ virtutis operationẽ: ergo per hoc quod ſimpliciter impediatur ad operandum extra ignẽ, ſimpliciter ſubijcietur illi: cũ ergo ad hoc impedimentũ ſufficiat qualitas recepta in potentijs proximè operativis, ſinè ſufficienti ratione deſiderabitur alia qualitas immediatè recepta in ipſa ſubſtantia Dæmonis.

§. XII.

Solvuntur argumenta contra concluſionem.

1156 PRIMO Arguitur, nõ repugnat Dæmonum ſubſtantiam affici immediatè qualitate eos alligante, conduceretque hoc non parũ ad eorum tormentũ: ergo aſſerendũ eſt ita de facto contingere. Prob. Ant. pro prima parte, primò, ex eo quod in hoc quod ſubſtãtia Dæmonum immediatè afficiatur qualitate alligãte, nulla apparet repugnãtia. Secundo, quia ſi Deus produceret ſubſtantiã Angeli ſine vllis potentijs, poſſet nihilominus, huiuſmodi ſubſtantiã alicubi detinere per hoc quod merè ſe haberet paſsivè, ſubindeq; eã qualitate alligante afficere: ergo. Quoad ſecundã partẽ Prob. nam non ſolũ potentiæ Angeli, ſed etiã eius ſubſtãtia ex natura ſua abſolutiſsima eſt, & independens ab omni loco, & ab omni corpore: ergo malus recipiet tormentum, ſi non ſolũ alligetur mediantibus potentijs ligatis per qualitates ſubiectatas in eis, ſed etiam immediatè per qualitates in ipſa immediatè receptas.

Ad hoc, nego Ant. pro vtraque parte, & ad Prob. pro prima, nego Ant. iam enim ſupra oſtẽdi rationes, ob quas repugnet ſubſtantiam Angeli non poſſe immediatè alligari loco. Etenim quod eſt in loco alligatũ, oportet, quod exiſtat localiter in illo; at probatũ eſt Angelũ per ſuã ſubſtãtiã imme-

Digitized by Google

diatè non poſſe locari: ergo & probatur evidentèr per ſuam ſubſtantiam non poſſe alligari loco. Ad ſecundam. Prob. nego Antec. ſi enim Deus auferret à ſubſtantia corporea quantitatem, per quam tantum locari poteſt, non poſſet Deus illam illigare alicui loco: ita cum Angeli ſubſtantia per ſe ipſam nequeat locari, etiam per ſe ipſam nequit immediatè loco alligari, vnde ſi ſine potentijs à Deo crearetur, in ordine ad locum compareretur ſicut ſubſtantia corporea ſine quantitate, & ſic Deus illam immediatè locare, vel alligare loco non poſſet. Ad Prob. pro ſecunda parte, nego Conſeq. quia cum ſubſtantia Angeli per ſe ipſam nō poſsit neque eſſe in loco, neque abſolvi à loco, ſed hoc totum habeat ei convenire, vel quia poteſt ceſſare ab operando in loco, vel quia poteſt operari circa locū, fit inde, quod dum eius potentiæ ſimpliciter impediuntur ab occupatione aliorum locorum, ipſa humilietur omni modo, quo humiliabilis eſt. Vnde per hoc quod per ſe ipſam afficeretur illa qualitate alligante, non reciperet maius tormentum, quam recipiat per hoc, quod eius potentię ſimpliciter impediantur ab operatione circa alia loca: ſi enim Angeli ſubſtantia per ſe ipſam nō eſt locabilis, ex hoc quod ab extrinſeco recipiat qualitatem impedientem eam, ne per ſe ipſam ſe locet in aliquo loco, nullā pœnam recipiet, ſicut neque ego, qui negativè me habeo ad eſſe Angelicum, pœnam aliquam habeo ex hoc quod non poſsim eſſe Angelus: quia tamen locari poteſt Angelus per ſuas potentias maximam pœnam ſentit, ſi eius potentiæ alligentur, ſic, quod vſus earum in ordine ad locum Angelum penitus impediantur: non ergo maius tormentum ſentiret Angelus ex hoc quod eius ſubſtantia immediatè afficeretur qualitate alligante, quàm accipit ex hoc quod eius potentiæ à ſuis operationibus circa alia loca impediantur.

1160 Secundo arguitur; in Dæmonibus debemus conſtituere alligationem independentem ab eorum operationibus; ſed talis alligatio ſic independens poteſt immediatè afficere ſubſtantiam Angeli: ergo de facto ſic eam afficit. Prob. Mai. ex eo quod neque in animabus damnatorū exiſtētibus in inferno, neq; in his, quæ exiſtunt in purgatorio aſsignabilis eſt actio tranſiens, per quam in illis locis aliquē effectum operentur; & tamen manent ibi alligatæ, & detentæ; ergo independenter ab eorum operatione alligantur in præfatis locis. Ad hoc, reſp. Gonet diſt. Mai. debemus conſtituere alligationem in Dæmonibus independenter ab eorum operationibus elicitis, conc. Mai. ab eorum operationibus impeditis, negat Mai. & Min. Etenim (inquit) quod alligatio Dæmonum ſit per hoc quod Dæmones nequeunt ſe movere ab igne operando circa alia loca: hoc autē adæquatè fit dependenter ab operationibus impeditis, & ſic non eſt neceſſe, quod talis alligatio fiat per qualitatem immediatè afficientem ſubſtantiā Dæmonum, ſed fit per qualitatem immediatè impedientem vſum potentiarum. Sed contra inſto, nam vel illæ qualitates impediunt omnem operationem Dæmonum, ſic, quod neque ſinant operari circa ignem, neque alium locum, vel tantum impediunt, ne operentur circa alia loca ab igne; ſi primum aſſeratur: ergo illæ qualitates non alligant Dæmōnes localiter igni, nam vt probavimus, ad alligationem in igne requiritur eſſe prius in igne per operationem Dæmonum circa illum; ſi ſecundum: ergo alligatio ad ignem fit dependenter ab operationibus Dæmonum circa ignem elicitas, & non impeditas: falſa ergo eſt doctrina ſolutionis. Ad argumentum ergo, nego Mai. Ad prob. nego Antec. iam enim ſupra aſsignavi operationem, quam poſſunt habere damnati circa ignem.

§. XIII.

Vtrùm præter pœnam alligationis Dæmones patiantur in inferno alia tormenta?

1161 SVPPONIT Quæſitum ex alligatione ad inferni ignem Dæmones maximum pati dolorem, & diriſsimum tormentum: nam ſpiritus diffinitus loco non naturaliter, ſed vi detentus, naturalem dignitatem, ac libertatem, qua nullibi ſubijcitur corpori, quaquè omne corpus evincit, omni corpori præeminet, atque præſidet, infœliciſsimus perdit, & dum ſe perdidiſſe conſiderat, miſerrime mæret, atque mærendo ineffabiliter cruciatur, & dum ſemper ad cogitandū circa hanc ſuæ captivationis pœnam cogitur, ſemper diriſsimo cruciatu afficitur. Hoc ergo ſuppoſito quæritur, an Dæmones in inferno alias pęnas patiātur ab igne? Suarez 3. p. tom. 5. diſt. 46. ſect. 2. aſſert. 3. affirmat

is;

ignem vi ſuâ nativâ obedientiali producere in Dæmones aliquam qualitatem fœdantem, & deturpantem eos, eo modo, quo per oppoſitum gratia habitualis habet nitorem, & pulchritudinem ſpiritibus iuſtorũ inducere; alij vt ſunt Egidius, Richardus, & Gabriel dicunt, Dæmones torqueri ab igne per immiſſionem ſpeciei repræſentativæ ipſius ignis vt tortoris, vel per intellectionem ſuæ miſeriæ immediatè ab igne inferni cauſatam. Pro veritate ſit concluſio.

Dico ergo, loquendo de pœna ſenſus cauſata ab igne, hæc non eſt alia, quàm pœna alligationis: ex hac enim omnis dolor, vel pœna ſenſus originatur, & in hac radicatur. Colligitur hoc ex D.Th. apud quem non invenitur quod ignis inferni aliud efficiat in Dæmones præter hoc quod eſt alligare eos ſibi ipſi; ex hoc enim oritur quod ſpiritus alligatus torqueatur in intellectu, & voluntate; in illo quidem perpetua cogitatione amiſſæ innatæ libertatis, & incurſæ ſervitutis ad creaturam vilem, qualis ignis eſt, reſpectu cuius Angelus ex natura ſua habebat plenum dominium: in voluntate etiam torquetur dolore inexplicabili libertatis amiſſæ, & ſervitutis incurſæ, dum cogitur operari, vbi non vult, & impeditur operari, vbi vult. Prob. ergo cõcluſio ratione. Primò, nã ignis nequit producere qualitates alterantes, vel corrumpentes ſpiritũ, qui incorruptibilis eſt: ergo tantũ poteſt inducere qualitates nocivas ſpiritui ea parte, qua ſpiritus ad locũ eſt comparabilis; hæc autẽ in nullo ſpiritui nocere poſſunt, niſi in hoc quod contra innatam libertatẽ ſuam ipſum alligent loco, ſic, quod nõ ſinant exire ab illo, niſi iuxta permiſſum ignis: ergo non alia via ignis nocivus eſt ſpiritibus, niſi quia illos alligat ſibi. Prob. Conſ. nam cum eſſe rei tantum ſit duplex, aliud in ordine ad ſe, aliud in ordine ad locum, tantum poteſt offendi, vel qualitatibus deſtruentibus eius eſſe naturale, quo eſt in ſe, vel deſtruentibus eſſe ipſius in ordine ad locum; primum fieri nequit in ſpiritibus, quia incorruptibiles ſunt: reſtat ergo quod offenſio ſpiritus ſolum ſecundo modo contingat, hoc eſt, auferendo à ſpiritu locum, in quo eſſe vellet, & cogendo eſſe illum in loco, vbi eſſe nollet, quod eſt illum alligari loco.

1162 Secundo prob. deſtruendo illam qualitatem fœdantem, & deturpantem ſpiritũ, quam aſſtruit Suarez, etenim nulla qualitas exiſtens in aliquo ſubiecto eſt ei nociva, niſi vel quia ſe opponit diſpoſitioni ſubiecti, ſic, quod deſtruat illũ, vel diſponat ad eius deſtructionẽ, vel quia retardat inclinationem naturalẽ eius ad aliquam operationem ipſi ſubiecto connaturalem; ſed qualitas, quam aſſtruit Suarez; neque facit primum; neque operatur ſecundum: ſiquidem hoc ſecundum eſt Dæmonem alligare loco, & Suarez dicit, quod effectus illius qualitatis non eſt loco alligare, ſed eſt fœdare, & deturpare ſpiritum: ergo fictitia eſt illa qualitas.

Reſp. Suarez, diſconvenientiam illius qualitatis ad Dæmonem non eſſe aliquem effectum ex enumeratis, ſed eſſe deturpare, & veluti maculare ipſam Dæmonis naturam. Sed contra eſt; nam quod aliud fœdat, deturpat, & maculat, hoc ideo facit, quia innatam pulchritudinem aufert; at huiuſmodi qualitas nullo modo aufert pulchritudinem innatam Dæmonis, nam in ipſo manſerunt omnia naturalia poſt peccatum perfectiſſimè integra, naturalia enim Dæmonis ſunt eius ſubſtantia, intellectus, & voluntas: hæc autem omnia in ſuo eſſe naturali ſic manent integra poſt peccatum, ac erant ante peccatum: non ergo per illam qualitatem fœdatur natura Dæmonis, vel deturpatur. Antec. Prob. etenim peccatum mortale ideo dicitur animam maculare, quia aufert ab anima gratiam, quæ dabat ei nitorem, & pulchritudinem ſupernaturalem: ergo quod naturam verè deturpat, & maculat in ſuo eſſe naturali, verè debet auferre à natura innatam pulchritudinem.

1163 Tertiò Prob. concluſio deſtruendo modum dicendi Richardi, Egidij, & Gabrielis eſto enim concedamus igni quod de potentia abſoluta poſſit immittere ſpeciem ſui repræſentativam in Dæmonem, quod iudico falſiſſimum, quia talis ſpecies, vtpotè ab obiecto per ſe ſenſibili immiſſa, deberet eſſe ſenſibilis, & per Conſ. improportionata vt Dæmõ per illam ſpiritualiter ignem videret, tamẽ hoc admiſſo, adhuc prædictam ſpeciem in Dæmonẽ de facto non immitteret: ergo per hoc pœna ſpeciali Dæmonẽ non torqueret. Prob. Antec. Dæmon habet ab initio ſuæ conditionis ſpeciem repræſentantem illi ignem vt tortorem, nam habet ſpecies omnium ſpectantium ad hoc vniverſum: ergo & habet ſpeciem illius ignis repræſen-

tativam: cùm ergo intùs exiſtens prohibeat extraneum, non dabitur locus ad hoc, quod ignis immittat ſui ſpeciem repræſentativam in Dæmonem. Secundo, illa ſpecies repræſentaret ignem vt tortorem, non per ipſam immiſsionem ſpeciei ſui repræſentativam: ergo ignis non torqueret Dæmonē per ipſam immiſsionem ſpeciei ſui repræſentativæ. Prob. Min. ſpecies immiſſa ab aliquo obiecto non repræſentat illud ſub munere immittentis ſpeciem, ſed repræſentat illud ſecundum ſe, id eſt, ſecundum ea prædicata, quæ habet ante immiſsionem ſpeciei: ergo neque repræſentaret ignem vt tortorem per ipſam immiſsionem ſpeciei repræſentativæ ignis: repræſentaret ergo ignem vt tortorem Dæmonis per aliquem effectum, quem cauſaret ignis in Dæmonem, qui non eſt alius niſi alligare Dæmonem ſibi.

Quod autem iſti Auctores dicunt, quod ignis torquet per immiſsionem intellectionis propriæ miſeriæ cauſatæ ab igne, à bona philoſophia eſt extraneum. Etenim intellectio eſt actio vitalis, quæ tantum poteſt cauſari ab ipſo vivente: vivere enim operativè nihil eſt aliud quam vitaliter agere, & vitaliter pati; eſt enim vivens ſe movens, id eſt, activum, & paſsivum principium proprij motus; chymera ergo eſt quod ignis poſsit cauſare in Dæmonem intellectionem, qua ſuam propriam miſeriam intelligit.

§. XIV.

Solvuntur Argumenta.

1164 PRIMO Arguitur, & Prob. quod per ipſam alligationem non poſsit explicari pœna, quam cauſat ignis in Dæmonibus. Etenim animæ puerorum, qui deceſſerunt de hac vita cum ſolo originali verè alligātur ab ipſo loco Lymbi per immiſsionem qualitatum impedientium prædictas animas ab operationibus, quibus poſſent eſſe extra Lymbum; & tamen ex hoc prædictæ animæ nullam pœnam, ſeu dolorem ſentiunt, alias non tantum haberent pœnam damni, ſed etiam pœnam ſenſus cauſatam ex activitate loci: ergo præfata alligatio ad locum cum ablatione libertatis, & impedimento propriæ innatæ inclinationis non benè explicat pœnam ſenſus in Dæmonibus.

Ad hoc Reſp. Conc. animas puerorum ſemper eſſe præſentes loco Lymbi, non tamen eſſe alligatas, & detentas: hoc enim non tantum dicit nudam præſentiam ad locum, ſed inſuper addit quod hoc ſit cum violentia, & cum plena ſubiectione ad locum, ex quo ſpiritus dolorem concipit, quod cum non habeant animæ puerorum in Lymbo, non habent pœnam ſenſus; ſed cum Dæmones ſint in igne illi plenè ſubiecti, & ad illum obligati, & cum violentia ablativa libertatis, ex tali alligatione pœnam ſenſus patiuntur.

Sed contra inſto, animæ puerorum ſic ſunt in Lymbo, quod per propriam operationem nequeunt locare ſe extra Lymbum, hoc cauſante in eis Lymbi loco per ſuam operationem: ergo habent plenam ſubiectionem ad Lymbum, & obligantur ad illum, & coguntur eſſe ibi contra propriam voluntatem: ergo proprijſsimè alligantur Lymbo. Prob. Antec. ignis in tantum ſubjicit ſibi plenè Dæmones, & violentat illos, in quantum ſua activitate impedit, ne Dæmones ſe locent, vbi voluerint per ſibi innatam libertatem impediendo eorum operationes, quibus poſſent extra ignem; ſed hoc ipſum ſua activitate facit Lymbus in puerorum animas, nam etiam aufert libertatem ad operandū extra Lymbum: ergo ſimiliter violentabit, alligabit, & propriè detinebit prædictas puerorum animas.

1165 Aliter reſp. Salmanticenſes tract. 7. de Angelis, diſput. 2. dub. 4. admittunt enim verè alligari præfatas puerorum animas in Lymbo per activitatem ipſius loci in illas, & productionem ſimilium qualitatum, ſicut producit ignis inferni in Dæmones: cæterum ex hoc nullam pœnam ſentire, quia divina providentia ſic diſponit, quod præfatum locum non apprehendant vt ſibi diſconvenientem, nec ei reluctentur; aut de detentione in illo triſtentur, cuius providentiæ rationem in eo fundant, quia pœna ſenſus iuxta ſuavem modum divinæ providentiæ tantum infligitur propter delectationem captam per propriam voluntatem ex peccato, ſeu propter converſionem propriæ voluntatis ad bonum commutabile relicto incommutabili, quam cum pueri præfati non habuerint, pœna ſenſus non puniuntur.

Sed contra ſolutionem inſto, nam divina providentia non tollit, quin animæ pue-

puerorum cognoſcant ſe ex natura ſua eſſe liberas, & independentes à loco corporeo, illique non eſſe obligatas, aut ſubditas: ergo cum hanc ſubiectionem, & carentiam libertatis agnoſcant in illis derivari ex activitate loci, non poterunt non ſentire maximum tormentum: ſicut & ex hoc maxime torquentur animæ damnatorũ. Deinde, ſi alligari, & detineri ad locum ipſa activitate loci eſt valde nocivum animabus, quomodo erit poſsibile, quod hoc animæ puerorum cognoſcant, & non apprehendant vt maximè illis nocivũ? vel ergo dicendum erit, quod ſic alligari ab ipſo loco non eſt nocivum animabus, & ſic argumentum propoſitum habebit intentum; vel ſi nocivũm, & pœnale eſt, erit aſſerendum, puerorum animas apprehenſione huius nocivi torqueri.

1166 Tertio poſſumus reſpondere; animas puerorum vere detineri, & alligari loco lymbi; non tamen ipſa activitate loci, ſed immediatè à Deo ſemper movẽte illas in illo loco, & nunquam concurrẽte ad hoc, vt extra illum locum operentur: vnde quantumvis videant ſe alligatas illi loco, non apprehendunt ſe humiliari loco corporeo, vel ab eo ſubiici, ſed tantum à Deo, & ſic ex tali alligatione nullum ſentiunt dolorem: nam creatura naturaliter ſubditur creatori. Vnde non ægrè fert talem ſubiectionem. Præterea amiſsio libertatis ad exeundum à tali loco, cum non ſit violenta, ſed tantum contingat eis per ſubtractionem concurſus divini, nullam pœnam, aut dolorem inducit, quia non eſt voluntas creata, quæ vellet exire in actus ſuos Deo non concurrente cum illa auxilio prævio, & ſimultaneo: vnde imaginantur prædictam alligationem ad locum Lymbi eſſe quoddam malum illis naturaliter poſt ſeparationem à corpore debitum, ſicut avibus aer, animalibus terra, & ſalamandræ ignis, & ſic de hoc nullo modo triſtantur, & dolent: è contra verò in damnatis omnia iſta eveniunt: nam alligantur loco corporeo, & ab ipſo loco ſuâ activitate illos ſibi ſubiiciente, & plenè humiliante: inſuper perdunt libertatem per maximam violentiã; nempe per præfatas qualitates activè ab igne cauſantes retardantes naturalem inclinationem propriæ voluntatis; inſuper agnoſcunt hoc non eſſe eis naturaliter debitum, ſed evenire eis in pœnam peccatorum ſuorum, ex quibus non poſſunt non in maximum venire dolorem.

1167 Secundo arguitur; Dæmones, qui ſunt in hoc aerè caliginoſo cruciantur per alligationem ad inferni locum, cum extra infernum ſint: igitur pœna ſenſus, quam ignis cauſat in Dæmones, non benè explicatur per ſolam alligationem. Confirm. ex D. Thom. hic, art. 4. ſolutione ad 3. ibi: *Similiter dicendum eſt, quod Dæmones licet non actu alligentur gehennali igni, dum ſunt in aere iſto caliginoſo, tamen ex hoc ipſo quod ſciunt illam alligationem ſibi deberi; eorum pœna non diminuitur: vnde dicitur in quodam gloſſa Iacobi 3. quod portant ſecum ignem gehennæ quocumque vadunt.* Et in addit ad 3. part. quæſt. 70. articul. 3. ad 6. *Sic* (inquit) *ſpiritus damnati nunquam ſunt extra infernum niſi ex diſpenſatione divina, vel ad inſtructionem, vel ad exercitium electorum: vbicumque autem extra infernum ſint, ſemper tamen vident ignem inferni vt eis in pœnam præparatum, vnde cum iſta viſio ſit immediatè affligens vbicumque ſunt, ab igne inferni affliguntur, dum vident ſe ad carcerem damnatos:* in quibus apparet ignem inferni cruciare Dæmones in hoc aere caliginoſo exiſtentes, & non cruciare illos per alligationem.

Aliqui, vt hoc argumentum ſolvant, dicunt, ignem inferni virtute divina agere in diſtans, & alligare Dæmones exiſtentes in aere caliginoſo ipſimet aeri auferendo etiam libertatem operandi extra illum; ſicque verificari quod ignis ſemper cruciet alligando, aliquando ſibi ipſi, aliquando alteri loco iuxta diſpoſitionẽ divinæ providentiæ. Cæterum hæc ſolutio eſt contra D. Th. proximè adductum, qui docet Dæmones cruciari ab igne inferni, etiã dum ſunt extra infernũ per hoc ſolum quod vident ignem inferni eſſe carcerem perpetuũ illis debitum propter ſua peccata: non ergo dum ſunt extra infernũ patiuntur ab igne agente in ipſos, ſed tantum patiuntur ab eo in eſſe obiecti, id eſt, quia viſio inferni non agentis in illos, ſed in perpetuum actuet torquet de facto illos.

Alii reſpondent, quod Dæmones extra infernum patiuntur ab igne inferni dupliciter, primo æquivalenter, quia aer ille caliginoſus alligat eos ſibi, & eodem modo aggravat potentias eorũ, ac aggravat eos, qui ſunt in inferno, ignis inferni: portant ergo ſemper ſecum pœnas inferni, quiã eſto non patiantur ab igne, patiuntur tamẽ ab

Digitized by Google

ab aere caliginoſo, eandem pœnam, quam paterentur in inferno ab ipſo igne; & inſuper patiuntur formaliter ab igne inferni, nō quia de facto alliget, ſed quia vident quod ab illo in perpetuum incarcerandi ſunt. Sic tenet Dominus de Marinis. Cæterum ex hac ſolutione manifeſtè ſequitur, quod Dæmones extra infernum exiſtentes plura tormenta patiantur, quam illi, qui in inferno de facto puniuntur, quod non videtur admitti poſſe. Prob. aſſumptum, qui ſunt extra infernum eandem patiuntur pœnam, ac illi, qui ſunt in inferno, quia tantum, & eodem modo cruciantur ab aere, ac illi, qui ſunt in inferno cruciantur ab igne; & inſuper, qui ſunt extra infernum cruciantur ab ipſo igne inferni, quia vident eſſe deputatos ad illum vt ad carcerē perpetuum; atqui in inferno actu ſunt, ſolum cruciantur, quia actu ab igne inferni alligantur: ergo maiori pœna, & pluribus tormentis affliguntur, qui ſunt extra infernum, ac affliguntur illi, qui actu in inferno ſunt. Ad hoc poſſumus concedere ſequelam in gratiam huius illuſtriſsimi Doctoris, nam ad maiorem cruciatum Dæmonum permittitur illis egreſſus, vel manſio extra gehennam: nam tantum permittuntur egredi infernum in ordine ad tentandum fideles, in cuius tentationis exequutione maior tentatoribus accreſcit pœna: nam ſi homo tentationi ſucumbat, nova tentatori accidentalis advenit pœna; ſi vero reſiſtat, eius rabies, & invidia magis exardeſcit, & torquet: ſi ergo ab inferno permittitur exire Dæmon in maiorem eius pœnam, quodnam inconveniens erit affirmare, quod extra infernū aliquod tormentum in plus habeat, quam exiſtens in inferno?

Reſp. ſecundo, negando ſequelam, nam dum eſt in igne inferni, duas pœnas experitur Dæmon; alteram alligationis de præſenti, & alteram, videre quod illa alligatio erit perpetua: ſicut & Beatus duo gaudia habet, & de eo quod Deum ſemper videt, & de eo quod ſemper illum videbit: extra infernum autem, dum alligatur ab aere, ſentit primam pœnam, ſed quia illa alligatio eſt tantum temporalis, datur ei alia pœna de eo quod videat quod in inferno in perpetuum alligandus eſt; vnde non plura tormēta quoad hoc patitur extra infernum, quam patiatur in inferno.

Sed ad argumentum aliter placet reſpondere, conc. præmiſsis, diſtinguendo Cōſeq. igitur pœna ſenſus, quam ignis cauſat in Dæmones non bene explicatur per alligationem, quam cauſat in his, qui ſunt in inferno, nego Conſ. quā cauſat in his, qui extra infernum ab alio loco patiuntur, conc. Conſ. Itaque ignis dupliciter cruciat damnatos; vno modo effectivè de præſenti, alio modo effectivè de futuro: primum, & ſecūdum exerceat in eos, qui de facto in inferno incarcerati ſunt, qui & cruciantur de eo, quod alligantur igni, & de eo quod in perpetuum alligandi ſunt ab eodem igne; reſpectivè autē ad eos, qui extra infernū patiuntur, Dæmones cruciat, nō quia de facto alliget, ſed quia præuidetur in futurum alligaturus: nos ergo quando in concluſione diximus, non aliam pœnā cauſare niſi alligationis, loquuti ſumus de pœna, quā exercet reſpectu illorum, qui de facto in inferno tanquam in loco patiuntur.

Ad auctoritates D. Th. dico, illa verba *tamen ex hoc quod ſciunt illam alligationem ſibi deberi, eorum pœna non diminuitur.* Non debere ſic intelligi, quaſi vellit, quod ſola viſio futuræ perpetuæ alligationis cauſet in Dæmonibus tantam pœnam, quantam actu patiuntur in inferno: hoc enim non videtur verum, quia, vt dixi, in inferno poſiti torquentur, quia de facto alligantur, & torquentur, quia vident quod in perpetuum tali carceri addicti ſunt: ſed debere intelligi ſic, quod quia dum extra infernum ſunt in aere caliginoſo, etiam alligantur ab aere, & aliàs ſemper vident ſe in perpetuum addictos igni inferni, etiam extra infernum, dum ſunt, minus de pœna non habēt, quam in inferno haberent. Per quod patet ad ſecundam auctoritatē, quæ non addit difficultatem ad primam.

1168 Tertio Arguitur, ignis eandem pœnam cauſat in Dæmone, quam cauſat in animabus damnatis; at reſpectu illarū non exercet illam pœnam alligationis per hoc quod retardet earum potentias loco motivas: ergo neque illam exercent in Dæmones. Prob. Min. nam anima ſeparata non eſt potens ſe movere de vno loco ad alium, ſiquidē hoc faceret movendo vnū, & alterū corpus, non autem poteſt movere aliud corpus ab eo, quod informat, vt patet ex D. Thom. infra quæſt. 177. art. 4. in corpore, & Caietano ibidem: ergo neque poteſt illi in pœnam dari quod pro ſua libertate de vno loco ad alium non ſe movere poſsit.

Ad hoc dico, ita eſſe, quod anima rationalis nequeat movere aliud corpus præ-

ter

Digitized by Google

ter illud, quod vivificat, quia determinata eſt ex natura ſua ad ſolum movendum corpus vivificando illud; & cum tantum poſſit vivificare proprium corpus, ſic tantum valet movere proprium corpus, in cuius ſignum membrum proprij corporis emortuum nullo modo localiter movere poteſt: cæterum cum ad hoc vt ſe moveat de vno loco ad alterum, non requirat movere aliquod corpus motu locali, fit inde, quod quamvis nequeat localiter movere aliquod corpus, dum ſeparata eſt, ſe tamen movere poſſit de vno loco ad alterum: videmus enim quod Angeli de vno loco ad alium ſe movent, per hoc ſolum quod poſtquam operantur in vno loco, immediatè poſt hoc operentur in alio, quod faciunt conceptione ſua efficaci. Sic etiam & anima conceptione ſua efficaci, dum eſt in ſtatu ſeparationis, hoc ipſum facere poteſt. Quæ doctrina conſonat D. Tho. quæſt. vnica de anima, art. 21. ibi: *Poteſt autem pati anima ab igne corporeo ſecundo modo paſſionis, in quantum per huiuſmodi ignem impeditur à ſua inclinatione, vel voluntate. Quod ſic patet; anima enim, & qualibet ſpiritualis ſubſtantia, quantum eſt de ſui natura, non eſt obligata alicui loco, ſed tranſcendit totum ordinem corporalium; quod autem alligetur alicui, & determinetur ad aliquem locum per quandam neceſſitatem eſt contra eius naturam, & contrariam appetui naturali.* Sic S. Doctor, quæ nõ diceret, ſi anima ex natura ſua immobilis eſſet, ſic, quod non poſſet de vno loco movere ſe in alium: non enim contra eius naturam, & naturalem inclinationẽ voluntatis eſſet eam vni loco alligare retardando eam, ne per voluntatẽ ſuam à loco præfato exiret. Dicendũ ergo eſt animam rationalẽ, quantum ad hoc quod eſt movere ſe localiter, convenire cum Dæmone, & ſic poſſe alligari, ſicut Dæmon, per qualitates intrinſecus impedientes eam, ne ſe in alio loco locet per propriam operationem. Vnde ad argumẽtũ in forma, nego Min. Ad Prob. nego Ant. Ad Prob. concedo quod nõ poſſit anima ſeparata movere localiter aliquod corpus ex ſola ſibi innata virtute, ſed nego quod ipſa nõ poſſit ſe movere de vno loco ad alterũ, quia ad hoc ſufficit poſſe producere aliquid in corpore, etiam ſi motus localis non ſit.

Sed inſtas, hoc ipſo quod anima non poſſit movere localiter aliquod corpus, niſi illud, quod vivificat, nequibit etiã tranſmutare corpus, niſi illud, quod vivificat, ad ad operandum in corpore requiritur aliqua tranſmutatio ſaltim accidentalis ipſius corporis activè cauſata ab anima: ergo ſi hanc anima exercere non valet, non poterit per ſuam operationẽ ſe locare, vbi voluerit. Ad hoc, nego Min. non enim vt anima ſe locet in corpore per ſuã operationẽ, requiritur, quod phyſicè corpus tranſmutet; ſed ſufficit ſi in eo producat aliquã qualitatem intentionalem, putà lucẽ, vel aliquid huiuſmodi, quo phyſicè non tranſmutatur corpus.

1169 Quarto Arguitur, pœna ſenſus debet poni inæqualis in Dæmonibus, & minor in animabus, quę in purgatorio ſunt, quã in illis, quæ in inferno captivantur; ſed hoc nequit admitti abſque eo quod in Dæmonibus, & animabus illis conſtituatur aliqua pœna ſenſus ab eorũ alligatione diſtincta: ergo hæc neceſſario admitti debet. Maior eſt certa, nã pœna ſenſus debet proportionari culpis patientiũ; ſed in Dęmonibus, & animabus damnatis culpa non eſt æqualis cum ea, quæ eſt in animabus purgatorij; quæ ad magis poteſt eſſe pro venialibus, vel ſit pœna pro mortalibus eſt pro illis iam ſi quoad culpã dimiſſus. Inſuper culpæ Dæmonum inter ſe inæquales ſunt, & ſimiliter animarum damnatarũ: ergo. Min. probat Suarez, quia pœna alligationis eſt omnino eadem, cum ſit poſitiva præſentia in loco indiviſibilis, & totalis in omnibus: ergo.

[illegible] Ad hoc, nego Min. non enim pœna alligationis conſiſtit in ſola præſentia ad ignẽ, ſed vlterius addit violentiam, & ſubiectionem ipſi igni per ablationem libertatis, & impedimentum innatæ inclinationis, quæ quidẽ magis, & minus ſuſcipere poſſunt: ſiquidem poſſunt ſpiritus magis, & minus à proprijs operationibus impediri. Inſuper poſſunt pluribus, & paucioribus corporibus alligari: inſuper corpora alligantia poſſunt eſſe magis, & minus tenebroſa, & vilia, ex quibus anima, vel Dæmon pro peccatorum qualitate maiorẽ incomparabiliter pœnã ſuſcipere valet: animę etiã, quæ in purgatorio ſunt, maiorẽ libertatẽ habent in ſuis operationibus, quã illę, quę in inferno ſunt; & minorẽ ſubiectionẽ ad corpora, à quibus ligantur, quã habeant animæ, quæ in inferno ſunt, vel quia iſtæ, præ alijs, pluribus corporibus alligantur, vt maiorẽ pœnã percipiant. Tandẽ concludo, quod ſicut in materiali carcere omnes quòtquòt incarcerati ſunt, in pœna incarcerationis conveniunt, & nihilominus qui pro atrocioribus delictis detinentur, carcere atrociori puniuntur,

& maiori catenarum vinculo alligantur; ita & hi, qui in inferno poſiti ſunt, eſto cõveniant in eo, quod infernum exire nõ valent, tamen in pœna correſpondente proprijs delictis inæquales ſunt; tum quia dum minus permittuntur operari, vel quia operari coguntur in locis magis vilibus, & abiectis, magiſque illis ſubijciuntur iuxta divinæ providentiæ diſpoſitionem vindicantis peccata, magis incomparabiliter puniũtur, & affliguntur.

1170 Quinto arguitur, nam in Scriptura Sacra præter pœnam alligationis aliæ plures explicantur pœnæ ſenſus, vt patet in anima epulonis Lucæ 16. quæ non ſolum conquerebatur de eo, quod in ignis flamma eſſet, ſed etiam de eo quod ibidem vreretur: vnde Tertullianus lib. de anima, cap. 7. ſic dictabat: *Dolet apud inferos anima cuiuſdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digitis animæ fœlicioris implorat auxilium roris.* Inſuper Auguſt. 21. de civit. Dei, cap. 10. ait: *Miris, ac ineffabilibus modis ſpiritus incorporeos pœna corporalis ignis affligi*, non autem cruciatus eſſent miri, & ineffabiles, ſi tantum in alligatione ad ignem conſiſterent: ergo præter pœnam alligationis aliam debemus aſsignare pœnam.

Ad hoc dico, quod omnia, quæ in Sacra Scriptura circa pœnam ſenſus explicãtur, ad pœnam alligationis reducuntur; hæc enim alligatio, vt dixi, plures habet effectus violentos ſupra à nobis explicatos, quorũ aliqui nomine vſtionis explicantur, non quia vere vſtio ſit; hæc enim paſsio corporea eſt, & ſpiritibus ſecundum proprietatẽ nequit convenire, ſed quia illo effectu ſic ſpiritus affliguntur, ſicut ex vſtione materiali affliguntur corpora: hincque ignis, dum vrit, exſiccat linguam, quæ exſiccatio non invenit levamen niſi in aqua corporali: ille ſpiritus epulonis, qui ſic affligebatur ſpiritualiter, ſicut illi, qui igne corporali affliguntur, aquam metaphoricè dictam deſiderabat in levamen ſui tormenti, ad quod attendens Tertullianus dixit ea, quæ in argumento adducta ſunt. Auguſtinus etiã dixit miris, & ineffabilibus modis torqueri ſpiritus ab igne, quod non opponitur doctrinæ de alligatione, quia hæc innumeros effectus in Dæmonibus cauſat, quos exacte explicare non poſſumus, ſed illos per alligationem perpetuam explicamus, vbi enim in hac vita pro atrociſsimis delictis quis nõ punitur pœna capitis, nec pœna mutilationis, pœna perpetuæ incarcerationis affligitur, quę ſalva integritate illius, qui punitur, affligit, & cruciat. Sic & in alia vita cum ſpiritus pro atrociſsimis delictis pœnas luant, & non moriantur, neque mutilentur, ſed ſemper in ſuo eſſe naturali remaneant, merito eos perpetua incarceratione puniri dicimus; & ſicut illi, qui perpetuo carceri addicti ſunt, pro qualitate delictorum ſuorũ ſtrictiori carcere, & maioribus vinculis detinentur, ita & de ſpiritibus damnatorum iudico philoſophandum; vt ex his ſenſibilibus, quæ experimur, aliqualem de illis ſpiritualibus cruciatibus notitiam habeamus.

1171 Sexto Arguitur, & probatur ſententia Suarez de illa ſua qualitate fœdante, & maculante ſpiritus iuxta quantitatem delictorum ſuorum. Etenim ſi non daretur prædicta qualitas maculans, eo eſſet, quia non auferret pulchritudinem naturalem ſpirituum; hæc autem ratio non convincit: ergo. Prob. Min. etenim in corporibus videmus plures adeſſe maculas, quæ non auferunt innatam pulchritudinem, ſed tantum impediunt nitorem, & refulgentiã, cum enim facies alba, vel manus luto inficitur, vere maculatur, & tamen macula illa non aufert innatam pulchritudinem faciei, vel manus, ſed tantum impedit, ne nitor innatus fulgeat, vel appareat: ſic etiam in ordine ſupernaturali, peccatum mortale maculat animam, quia aufert ab ea gratiam, quæ eſt animæ ſupernaturalis pulchritudo; veniale autem peccatum animã maculat, non quia gratiam, vel aliquid ſupernaturale ab anima tollat, ſed ſolum quia impedit fervorem actualem charitatis: ergo ſimiliter poterimus in Dæmonibus dare qualitates fœdantes, & maculantes eos, etiam ſi nihil auferant ab eis de ſuis naturalibus. Explicatur hoc. Etenim nullus negare poteſt ad pulchritudinem naturalem ſpiritus ſpectare libertatem, qua viribus proprijs omni corpori dominatur, & qua vbi vult ſe locare poteſt, & quodcumque corpus pro ſuo innato nutu localiter movere; at in noſtra ſententia damus ab igne cauſari in Dæmonibus qualitates, quæ impediunt, & retardant prorſus hanc innatam libertatẽ: ergo debebimus concedere quod ignis agit in Dæmones cauſando in eis qualitates fœdantes, & maculantes, & ex alia parte nihil de innata integritate Dæmonum auferentes.

Ad hoc argumentum, nego Min. Ad Prob. dist. Conſeq. ergo ſimiliter poterimus

Digitized by Google

mus in Dæmonibus dare qualitates fœdantes, & maculantes eos, etiam ſi nihil auferant ab eis de ſuis naturalibus, diſtinctas à qualitatibus alligantibus intrinſecè, nego Conſeq. qualitates per ſe alligativas, & ſecundariò fœdantes, concedo Conſeq. qua ſimili diſtinctione vtentes reſpondemus explicationi factæ. Etenim nos contra Suarez non negamus qualitates impedientes cum violentia Dæmones à ſuis operationibus innatis non fœdare, & maculare aliquomodo Dæmones, neque enim intellectus practicus Dæmonis ita videtur pulcher, dum impeditus eſt per intrinſecas qualitates alligantes eum, quam videretur pulcher, ſi in ſuo ſtatu naturali innatæ libertatis perſeveraret: vnde neceſſe eſt fateri, quod aliquo modo fœdatur, & maculatur in naturalibus, dum ſic impeditur: ſed negamus dari alias qualitates cauſatas ab igne primo, & per ſe fœdantes, & maculantes Dæmonem, ſine eo quod aliquid innatæ pulchritudinis auferant à Dæmone, & ſine eo quod illum à ſuis innatis operationibus impediant, quod eſt intentum Suarez, qui affirmat ignem producere in Dæmonibus qualitates, quę non habeāt intrinſecè alligare illos, eorum operationes impediendo, ſed habent purè maculare illos: has enim nos impoſſibiles dicimus, nam macula naturalis, vel penſari poſſet in Dæmone per hoc quod aliquod naturale auferret ab illo, vel per hoc quod impediret actus ſibi naturales: at nihil horum facit illa qualitas à Suarez poſita; non primum vt compertum eſt, non ſecundum, quia ipſe dicit illam qualitatem non eſſe Dæmonum alligativam: chymerica ergo eſt prædicta qualitas ſolum maculans, nihil auferens, nec in vllo impediens.

QVÆSTIO XX.

De illuminatione Angelorum.

POST Tenebras ſpero lucem dixit patientiſsimus Iob. Vnde poſtquam vidimus Dæmones tenebroſis carceribus perpetuò addictos in pœnam peccatorum ſuorum, iam venire oportet ad lucem ſanctorum Angelorum: vnde quæſtionem hanc de illuminatione Angelorū poſt eam, quæ de pœna Dæmonum eſt, inſerimus, quamvis non ita apud D.Thom. inveniatur, nam cum 64. ſit de pœna Dæmonum, ea, quæ eſt de illuminatione Angelorum 106. invenitur.

§. I.

Vtrùm vnus Angelus alium illuminet?

1172 CIRCA Quod quæſitum Durandus in 2. diſt. 11. q. 3. num. 19. explicans ſuā propriam ſententiam ſic habet: *Alius modus eſt, quo omnes Angeli illuminantur immediatè à Deo, & non vnus ab alio cauſaliter, ſed ſolū per quandam conſequentiam*: negat ergo veram actionem illuminativam vnius Angeli in alium, quid autem ſit illuminare ſolum per quandam conſequentiam, explicat paulò infrà dicens: *Cum enim illa, de quibus illuminantur Angeli non ſint ſecundum ſe præſentia cognitioni Angelicæ, nunc et præſentia ſiunt, per hoc quod Deus eis talem cognitionem traddidit, & quia omnes Angeli continuantur in irradiatione divini luminis ſive naturalis, ſive ſuperadditi, ideo quod repræſentatur primo Angelo ordine cuiuſdam conſequētia præſentatur omnibus, & ita à Deo omnes illuminantur, & ſimul tempore, ſed prius vnus quam alius natura, vel dignitate, & ita vnus mediante alio meditatione cuiuſdam conſequentiæ.* Sic Durandus: vnde apud illum omnes Angeli à ſolo Deo illuminantur, & ſolum vnus dicitur illuminare alium, quia prioritate naturæ, & dignitate prius illuminatur à Deo quàm alius. Vnde ſecundum rei veritatem apud Durandum falſum eſt quod vnus Angelus illuminet alium. Cæterum communiter tenent Theologi oppoſitum affirmantes verè, & propriè vnum Angelum illuminare alium.

Sic concluſio. Vnus Angelus verè, & propriè alium illuminat. Prob. primò ex Dionyſio 8. cap. de cœleſti Hierarchia, *Angeli ſecundæ Hierarchiæ purgantur* (inquit) *illuminantur, & perficiuntur per Angelos primæ Hierarchiæ.* Et cap. 7. *Hoc Theologi planè traddunt, inferiores cœleſtium naturarum ordines à ſuperioribus rite divina opera explicantibus, ſcientias diſcere ſummos autē à Deo doceri myſteria.* Sed Durandus explicat Dionyſium de illuminatione per conſequentiā; non vero per cauſalitatem. Sed nulla eſt explicatio. Nam Dionyſius expreſsè diſtinguit inter Angelos ſummos, & inferiores per hoc, quod ſummi à Deo edocentur myſteria, inferiores verò à ſuperioribus ritè divina explicantibus ſcientias addiſcere:

er-

ergo non tantum illuminantur inferiores à ſuperioribus per hoc quod Deus omnes illuminet, ſed prius ſuperiores, & deinde inferiores; ſed per hoc quod ſummi ritè explicent divina, quæ immediatè à Deo acceperunt, & inferioribus ea communicent. Præterea, idem Dionyſius cap. 4. ſic dicit: *Hæc lex à Deo ſancita eſt, ut in quacumque Hierarchiâ & primi ſint, & medij, & poſtremi ordinis, inferiorumque ſuperiores ſint, eiſque quaſi digito viam moſtrent, aditumque oſtendant ad divinitatem, illuſtrationem, atque conſolationem.* Quibus docemur à Dionyſio ſuperiores Angelos eſſe Doctores inferiorum: inter Doctores autem, & diſcipulos non ſolum eſt ordo conſequentiæ, nempe dignitatis, vel ſuperioritatis, ſed adeſt verus ordo cauſalitatis.

Etſi dicas, illum ordinem conſequentiæ non eſſe omnino liberum à cauſalitate; ſiquidem non conſiſtit in eo ſolum quod ordine quodam naturæ, vel dignitatis priùs illuminentur ſuperiores, quàm inferiores; ſed ulterius addere aliquam cauſalitatem in eo, quod inferiores illuminãtur à Deo, quia ex quo Deus ſuperiores illuminat, conſequens fit, quod de eiſdem deinde illuminet inferiores. In contra inſurgo, nam cauſalitas, quam adſtruit Dionyſius eſt cauſalitas, qua doctor agit in diſcipulum demonſtrando, & explicando ei veritatem, quam ipſe novit, & diſcipulus ignorat; hæc autem cauſalitas nõ eſt illa ſola conſequentia, qua ex quo ſupremus à Deo illuminatur, conſequens eſt illuminari deinde inferiorem: in hoc enim ſecundo nullus habetur ordo Doctoratus unius Angeli erga alios, ſed tantum eſt ordo Doctoratus Dei ad omnes primò illuminantis ſupremos, & ex hoc volẽtis poſtea illuminare inferiores.

1173 Ratione Prob. concluſio. Nam illuminare nihil aliud eſt, quàm manifeſtationem agnitæ veritatis alijs tradere, ſecundum quem modum Apoſtolus dicit ad Epheſ. 3. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo*; ſed Angelus ſuperior manifeſtationem veritatis agnitæ, & ab ipſo bene notæ tradit inferioribus: ergo illuminat inferiores. Min. Probat D. Thom. auctoritate Dionyſij, cap. 7. cœleſtis Hierarchiæ ibi: *Cæleſtium ſubſtantiarum ornatus à ſupremis mentibus doceri Deificas ſcientias.* Sed ratione Prob. nam rectus ordo poſtulat quod ſuprema intelligentia, qualis Deus eſt, ſupremæ intelligentiæ inter creatas primò veritatem, quam plenè cognoſcit modo illi intelligentiæ creatæ proportionato communicet, eo autem modo, quo Deus ſupremo Angelo veritatem communicat, Angelus inferior illam percipere non valet, cum conceptione ita univerſali, ſicut ſupremus Angelus utitur, uti non valeat: ergo eſt neceſſe neceſſitate bonæ gubernationis, quod ſupremus Angelus veritatem, quam ſuperiori modo à Deo accepit, particularizet, & diſtinguat, & ſic particularizatam, & diſtinctam inferiori modo ſibi proportionato tradat: ergo eadem neceſſitate oportet quod ſupremus inferiores illuminet.

Confirm. inter Angelos eſt ordo ſuperioritatis, & dignitatis, quo inferiores exceduntur à ſuperioribus; hic autem ordo maximè elucet, ſi ſupremus Angelus immediatè à Deo veritatem addiſcat, & Angelus ſupremo immediatè inferior ſubordinetur ut diſcipulus Doctori, & ſic deinceps: ſic enim datur ordo intelligibilis iuxta ordinem ſuperioritatis, & inferioritatis, qui inter Angelos reperitur: ergo congruẽtiſsimè dicitur, & valde conſonanter ad ordinem, qui inter Angelos reperitur, quod Angelus ſuperior inferiorem illuminet. Secundo Prob. hoc ipſum, nam videmus quod Medicus, quia conſiderat res valde in particulari, non deſumit ſua principia à Metaphyſico, quia hic cõſiderat res valde in univerſali, ſed accipit à Phyſico, qui non habet principia ſic univerſalia ſicut Metaphyſicus, nec ſic particularia ſicut Medicus: ergo & Angelus inferior non debet illuminari immediatè à Deo habente univerſaliſsimam cognitionem, ſed ab Angelo ſibi vicino, qui non habet cognitionem ita univerſalem, ſicut Deus, nec ita particularizatam ſicut ipſe Angelus inferior.

Dices, iſtas conſequentias pati inſtantias, nam Deus intelligit per lumen univerſaliſsimum, & per ſpeciem univerſaliſsimam, nempe per ſuam eſſentiam; & nihilominus virtutem ad intelligendum, & ſpecies minus, & magis univerſales pro qualitate, & perfectione Angelorum ſe ipſo immediatè omnibus Angelis communicat, ſine eo quod inferior à ſuo ſuperiori proximè vicino lumen, vel ſpecies ad intelligendum accipiat: ſimiliter lumen corporale cunctis viſibilibus immediatè ſe communicat, eſto inter illa alia ſint magis

ca-

Digitized by Google

capacia lucis, & alia minus: ergo eſto in percipiendo veritatem non omnes Angeli ſint æquales, ſed alij alijs vniverſaliori modo eam percipiant, quo modo eam alij percipere non poſsint, poterunt tamen omnes æquè immediatè à Deo illuminari.

Sed contra eſt, nam quod attinet ad lumen, & ad ſpecies, ſi naturales ſint, cum ſint proprietates, vel dimanantes ab eſſentia Angeli, vel exactæ per modum complementi naturæ intellectualis, neceſſe eſt, quod à Deo, qui condidit naturam Angeli, efficiantur in Angelo: attinet enim per ſe ad auctorē formæ dare proprietates per ſe ſequutas, vel exactas ad illam, & ab illa, & ſic quantum ad hoc, eſto inæqualia ſint lumina, & ſpecies in vniverſalitate ſint inæquales, rectus ordo naturæ poſtulat, quod à Deo efficiantur immediatè, ſicut & Angelorum naturæ, ſive ſuperiores, ſive inferiores à Deo immediatè efficiuntur, ſi autē ſit loquutio de lumine ſupernaturali, & de ſpeciebus ſupernaturalibus, ſic etiam eſt neceſſe, quod à Deo immediatè fiant, quia, vt infra videbimus, nulla creatura ſpiritualis poteſt intra intellectum, vel voluntatem alterius aliquid producere, cum nequeat in illam habere illapſum, niſi ſolus Deus, qui fecit illam. Ex quo principio Prob. quod Angeli non poſſunt adhuc ab alijs Angelis accipere ſpecies ſui repræſentativas, ad Magiſterium autem, ſeu Doctoratum Angeli ſuperioris in inferiorem horum nihil requiritur, vt infra videbitur, & ſic quamvis ſit neceſſe quod omnes Angeli lumen, & ſpecies immediatè accipiant à Deo: non tamen eſt neceſſe quod à Deo omnes immediatè doceantur: etenim primū eſt impoſsibile, poſsibile vero ſecundum, & alias conducit ad explicandum ſuperioritatem, & inferioritatem in intelligendo, qualis eſt ea, quæ habetur inter Doctorem, & diſcipulum: ergo non eſt deneganda prædicta ſuperioris ad inferiorē illuminatio. Quod attinet ad exemplum de lumine corporeo, dico, non fieri paritatem: nam luminis corporalis omne corpus coloratum æque eſt immediatè capax: vnde omne corpus immediatè, illuminante ſole, illuminatur: at perceptionis divinæ illuſtrationis non eſt capax immediatè omnis natura intellectualis, quia ſpecies magis partitæ, & magis divitæ, quales reperiuntur in Angelis inferioribus reſpectivè ad ſuperiores, non habent proportionem cum lumine vniverſaliſsimo Dei; & ſic oportet quod non à Deo immediatè illuſtrentur, ſed à lumine illis magis vicino, quod magis illis attemperari poteſt.

Sed inſtas contra hanc rationem. Suprema intelligentia, qualis eſt Deus, non eſt immediatè ſuperior ad Angelum, qui de facto ſupremus eſt, & tamen illum immediatè illuminat, & cum modo intelligēdi eius valde inferiori ſe attemperat: ergo eſto nō ſit ſuperior proximè, & immediatè ad alios Angelos inferiores, poterit tamen immediatè illuminare illos, & ſe illis attemperare. Prob. Ant. nam inter Deum, & Angelum, qui de facto ſupremus eſt, mediant infiniti Angeli ſincathegorematicè inferiores Deo, & ſuperiores Angelo, qui de facto eſt ſupremus: ergo ſuprema intelligentia, qualis eſt Deus, non eſt immediatè ſuperior ad Angelum, qui de facto ſupremus eſt. Confir. omnes Angeli, & omnes homines, quamvis ſint natura inæquales, & inter illos ſit ordo inferiorum, & ſuperiorum, immediatè à Deo illuminantur per fidem, & inſtruuntur: ergo ſimiliter non obſtante inferioritate, & ſuperioritate Angelorum, poterunt congruentèr omnes immediatè à Deo illuminari.

Ad hoc, diſt. Mai. ſuprema intelligentia non eſt immediatè ſuperior ad Angelū, qui de facto ſupremus eſt, in linea illuminantium, & illuminabiliū, nego Mai. à toto genere entis, tranſ. Mai. & conc. Min. nego Conſeq. loquendo de congrua illuminatione. Itaque veriſsimum eſt, quod inter Angelum, qui de facto ſupremus eſt, & Deū mediant alij Angeli poſsibiles ſuperiores iſto, & inferiores Deo. Cæterum quia prædicti poſsibiles non ſunt capaces, neque activæ, neque paſsivæ illuminationis, reſtat neceſſario, quod Angelus ſupremus inter creatos à Deo debeat immediatè illuminari, quia cum illuminatio debeat fieri à ſuperiori, dum non eſt ſuperior illuminare potens niſi Deus, neceſſe eſt, quod Deus ſe attemperet Angelo, qui de facto ſupremus eſt inter creatos, & illum illuminet, ad inter ſupremum, & infimum ſunt Angeli potentes illuminare, & illuminari, & ſic non eſt neceſſe, quod omnes à Deo immediatè illuminentur.

Ad Confirm. dico, quod circa fidem quantum attinet ad infuſionem luminis, & ſpecierum, omnes Angeli à Deo immediatè illuminati ſunt, ſed quantum attinet ad propoſitionem credibilium, doctoratumquè,

Digitized by Google

quē, & inſtructionem, quæ circa fidem inveniuntur, forſam ſervatus eſt ordo, quem in præſenti materia ſervari requirimus: videmus enim, quod Deus per Angelos inſtruxit Prophetas, & iſti inſtruxerunt populos, & de facto ſemper fuit inter homines doctoratus, & diſcipulatus, ſicquè omnes credimus Eccleſiæ dictis, vel illis, qui ab Eccleſia deſignantur doctores, inter quos eſt vnus ſupremus, qui eſt Summus Pōtifex, vel quem attinet decidere de credendis, qui ordo inſtructionis forſam in Angelis ſervatus eſt. Et quidem ad credendū requiritur evidentia credibilitatis, quā primus Angelus immediatè habuit à Deo, forſam quia ipſe ſolus habuit evidentiā divinæ atteſtationis, vt valde probabiliter tenent multi, & hāc evidentiā immediatè participavit ſibi immediatè inferior, & ſic deinceps ad omnes propagata deſervit ad hoc, vt omnes crederent: in quo non iudico haberi aliquod inconveniens, ſi ſequatur illa ſententia, vel ſi ſequatur noſtra, quam docuimus in tracta- tractatu de fide, nempe quod cum evidentia divinæ atteſtationis non compatiatur fides: vnde ſi ponamus Angelum fidem habere, evidentia divinæ atteſtationis caruiſſe neceſſarium fuit. Angelus ſupremus ex ſpeciali inſtinctu Dei inſtructus, evidentiam moralem potuit alijs efficere myſteriorum fidei, & ſic potuit quoad hoc ſervari inter Angelos Magiſterium, & diſcipulatum.

1174 Tertiò prob. Concluſio. Nam cum bonum ſit diffuſivum ſui, & in Angelis quò ſuperiores ſunt, ratio boni magis effulgeat, oportet, quod ſuperiores illud bonum, in quo inferiores excedūt, quoad poſſibile eſt, in inferiores diffundant: ſimili modo, quo agentia corporalia ſimilitudinem ſuam alijs tradunt, quantum poſſibile eſt; non autem eſt poſſibile, quod bonum naturæ, in quo ſuperiores excedunt inferiores, inferioribus communicent, quia hoc deberet fieri per generationem, vel per creationem, quorum nulla Angelis poſſibilis eſt; inſuper neque poteſt fieri per productionem luminis, vel ſpecierum, quia, vt dixi, vnus Angelus non valet intra alterum aliquid producere: ergo debet fieri per Magiſterium, & inſtructionem, quæ tantum in Angelis locum habere poteſt: conveniens ergo eſt vt Angelus ſupremus immediatè à Deo inſtruatur, & ipſe illa bona, de quibus inſtructus eſt, & in quibus ſibi inferiores excedit, ſibi proximè vicino, quoad poſſibile eſt, communicet inſtruendo, & illuminando illum, ſicut & ipſe inſtructus, & illuminatus à Deo eſt, & ſic deinceps vſque ad alios omnes huiuſmodi illuminatio fiat.

Dices, rationem iſtam nihil convenire: nam ſupponit Deum Angelo ſupremo ſemper aliquam veritatem revelare, quam alijs ipſe Deus non communicet; quo ſuppoſito, bona eſt congruentia deſumpta ex natura bonitatis, de cuius conceptu eſt, quod ſe alijs modo poſſibili communicet; illud autem, quod ſupponitur, debebat probari, quia Durandus, qui contra nos ſentit, ſuam ſententiam in eo fundat, quod cum illuminatio ſit de his, quæ ſpectant ad ordinem gratię, quidquid Deus ſuperioribus immediatè largitur, pariter & immediatè inferioribus communicat, & ſic non eſt aliquod bonum in ſuperioribus, quod poſſit ſe diffundere ad inferiores per actionem ſuperiorum in illos, cum à Deo immediatè omnes idem bonum accipiant, & poſſideant, licèt cum maiori excellentia ſuperiores quàm inferiores. Præterea, cum illuminatio iſta libere fiat à ſuperioribus ad inferiores, ratio deſumpta ex eo quod de natura boni eſt quod ſe ad alios, quantum poſſibile eſt, diffundat, non poteſt efficaciter probare de facto dari illuminationē inter Angelos, ſed ipſa iā ſuppoſita ex ſcriptura poterit præfata ratione, facti, nobilis aſſignari congruentia; at ex ſcriptura non conſtat de facto dari inter Angelos illuminationem: ergo ex vi rationis factæ non poteſt cōvinci de facto prędictam illuminationem dari. Mal. huius diſcurſus ex eo convincitur, nam ex ratione ſummi boni, quæ conſiſtit in eo, quod ſummo modo alijs à ſe ſe communicet, non convincitur de facto dari incarnationem, quæ eſt ſumma ſummi boni ad extra communicatio, quia hæc ſummi boni ſumma communicatio non fit neceſſario, ſed liberè, ſed tantum convincitur, quod Incarnatio, quæ in ſcripturis revelata eſt, congrue facta ſit: ergo ſimiliter cum illuminatio Angelorum ſuperiorum ad inferiores non fiat neceſſariò, ſed merè liberè, ratione facta non convincetur de facto dari præfatam illuminationem.

Cæterum hæc non enervant vim rationis factæ. Non quidem primum infringit factam rationē, quæ in eo conſiſtit, quod cum Angeli quo ſuperiores ſunt, excedant in bonitate inferiores, & bonum ſit diffuſivum ſui, debuit Deus ſic diſponere, & ſic providere de Angelis, quod appareat etiam

in

Digitized by Google

in illis natura bonitatis in eo, quod eſt ſe diffundere ad alios aliquo modo; cumque non reſtet alius modus, quo hæc apparere, & affulgere poteſt in illis, niſi ponamus illuminationem ſuperiorum ad inferiores, Deus non debuit ſe omnibus immediatè communicari, ſed tantum ſibi magis vicino, vt ille quod à Deo accepit, ſibi proximè inferiori tradat, & hic alteri, & ſic deinceps. Vnde ratione facta non ſupponitur quod probandum erat contra Durandum, ſed potius efficaciter convincitur. Non etiã infringit rationem factam ſecundum: nam dari illuminationem de facto conſtare poteſt ex illo Iſaiæ 63. & Pſal. 23. vbi refertur, quod quidam Angeli Chriſti aſcendentis in Cœlum triumphum admirantes ſciſcitabãtur à ſuperioribus Angelis, *quis eſt iſte, qui venit de Edon tinctis veſtibus de Boſra?* vbi Hieronymus. *Eſt verbum Angelorum inferiorũ quærentium doceri à ſuperioribus.* Cui ex poſitioni non ſe opponit quod Auguſtinus dicit. 5. ſuper Geneſ. ad literã, videlicet quod *Angeli à principio cognoverunt omnia myſteria gratiæ fienda.* Non quidem ſe opponit; nam licet cognoverint dicta myſteria in generali, non tamen quantũ ad omnes conditiones in particulari, de quibus magis edocti ſunt ſuperiores, & ſic de iſtis, vt edoceantur, quærunt inferiores Angeli à ſuperioribus: conſtat ergo ex ſcriptura ſaltim probabiliter, quod detur inter Angelos illuminatio, quæ probabilitas ratione facta roboratur. Et licet de his, quæ dependent ex ſola libera voluntate Dei, quorum nullum exemplum habere poſſumus ex creaturis, quale eſt opus incarnationis, vbi ratio facti eſt ſola voluntas facientis, nihil poſsimus aſſeverare factum niſi ex revelatione ipſius Dei; & ſic nulla ratio noſtra ea abſolutè probare valeat; non tamen hoc debemus ampliare ad ea, quæ liberè fiunt ab Angelis: ſed plura non revelata poſſumus in ipſis diſcurrere ex his, quæ in creaturis alijs contingunt, vti facimus in hac ratione, in qua ex eo quod in creaturis corporalibus videmus quod conditio boni effulget per ſui diffuſionem poſsibilem, inferimus, quod etiã conditio boni in Angelis reperta, etiam effulgere debeat in ſui ad alios diffuſione, quoad poſsibilis eſt talis diffuſio; & ſic cùm ſit diffuſio poſsibilis per magiſterium ſuperiorum Angelorum ad inferiores, debemus Angelis illud concedere, & per conſequens illuminationem.

§. II.

Soluuntur Argumenta.

1175 PRIMO Arguitur, Angeli eandem beatitudinem poſſidet nunc, quam nos in futurum expectamus; ſed tunc vnus homo nõ illuminabit alium ſecundũ illud Hieremiæ 31. *Non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum:* ergo etiam nunc vnus Angelus non illuminat aliũ. Ad hoc argumentum reſp. D. Tho. ſic: *Dicendum, quod omnes Angeli tàm ſuperiores, quàm inferiores immediatè vident Dei eſſentiam, & quantum ad hoc vnus non docet alium. Vnde dicitur non docebit vir fratrem ſuum, dicẽs, cognoſce dominum; omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum: ſed rationes divinorum operũ, quæ in Deo cognoſcunt ſicut in cauſa, omnes quidem Deus in ſeipſo cognoſcit, quia ſeipſum comprehendit: aliorum verò Deum videntium tantò vnuſquiſque in Deo plures rationes cognoſcit, quãtò eum perfectius videt. Vnde ſuperior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoſcit, quam inferior, & de his eum illuminat. Et hoc eſt quod dicit Dionyſius 4. cœleſtis Hierarchia, quod Angeli exiſtentium illuminantur rationibus.* Hæc D. Tho. Quæ, vt intelligãtur, debetis advertere, quod Angeli quò ſuperiores ſunt natura alijs, eò ſunt quoque ſuperiores in gratia, & gloria; gratia quidem, quia illã conſequuti ſunt in ea proportione, quã ſuperiores erant: nam licet eis non ſit data ex debito naturæ, eſt tamen data attentã præſtantia naturæ, ſic, quod cui natura erat nobilior, intenſior gratia data ſit, Deo ſic diſponente pro ſua gratuita voluntate: in gloria ſimiliter, quia quò ſuperiores fuerunt in gratia, eò magis meruerunt de gloria. Vnde fit, quod quò ſuperiores ſunt alijs in natura, eò ſuperiores ſunt in intenſione gloriæ. Nobilior autem viſio Dei, in qua nobilior conſiſtit gloria, eſtò de his, quæ formaliter in Deo ſunt, nihil videat præter ea, quæ videntur infima viſione; tamen dum magis penetrat Deum, quem formaliter videt, magis de effectibus in Deo vt in cauſa cõtentis videt: iſti autem vel ſunt poſsibiles, vel ſunt exiſtẽtes: ſi poſſibiles, quò perfectior eſt viſio, plura poſſibilia cognoſcit: ſi exiſtẽtes, eſtò eoſdem videat cum alijs videntibus, perfectius tamen eos videt, & ſic de eis plures rationes cognoſcit. Supremus ergo Angelus, cùm longe omnes alios Angelos in viſione excedat, in ipſa

ipſo Deitat[illegible] ſuntè de divinis operibus quæ vel ſpectant ad mundi gubernationem, vel ad ſtatum electorū plures rationes in Deo videt, quam inferior ſibi vicinus, & de his immediatè illum illuminat: porrò inferior vicinior ſupremo magis Deum penetrat, quàm ſibi inferior vicinior; vnde illuminat illum, & de his, quæ accipit à ſupremo, & de his, quæ videt in Deo ex vi luminis gloriæ ſui, & ſic deinceps fit communicatio veritatis agnitæ, ſic, quod nihil videat ſupremus de rationibus divinorum operum, quod non videat infimus; cum hoc ſolo diſcrimine, quod illuminans ſemper ſcit veritatem, quam communicat excellentiori modo, quam illuminatus ab ipſo.

Cæterum ſi hæc ita ſunt, videlicet quod de omnibus, quæ in verbo præ alijs agnoſcit ſupremus Angelus illuminatio fiat ad omnes, ſic, quod omnes Angeli idem ſciāt, ſequitur, quod ab initio quò Angeli cœperunt eſſe beati, hæc illuminatio de omnibus his ſit facta, & cum Angelus ſupremus ex vi penetrationis Dei nihil plus modò cognoſcat, quàm cognovit, cum primò Deum vidit, ſequitur etiam, quod modo nō fiat illuminatio; hoc autem non videtur verum, quia communiter Theologi docent quod numquam ceſſat illuminatio Angelorum: ergo doctrina data non eſt vera. Ad hoc reſp. D. Tho. hic ar. 4. ſolut. ad 3. his verbis: *Dicendum, quod vſque ad diem iudicij ſemper noua aliqua ſupremis Angelis revelantur divinitùs de his, quæ pertinent ad diſpoſitionem mundi, & præcipuè ad ſalutem electorum. Vnde ſemper remanet vnde ſuperiores Angeli inferiores illuminent.*

Sed iſta videntur opponi his, quæ tradita ſunt ab ipſo D. Tho. in ſolut. præcedentis argumenti. Etenim ibi dictum eſt, quod Angelus ſupremus ex vi penetrationis Dei plures rationes de divinis operibus cognoſcit, & de his illuminat ſibi inferiorem; at Angelus ſupremus non penetrat modo magis Deum, quàm penetravit cum primo cœpit eſſe beatus, quia maior penetratio requirit intenſius lumen, & lumen gloriæ nō ſuſcipit augmentum, ſed ſemper in eodem ſtatu permanet: falſum ergo eſt quod Angelus ſupremus in dies nova cognoſcat, de quibus in dies ſibi vicinum inferiorem illuminet. Ad hoc neceſſario dicendum eſt, Angelum ſupremū dupliciter illuminari à Deo: primò intra Verbum, per hoc quod ex vi ſui ſupremi luminis magis Deum penetret, & ſic penetrādo plures rationes de divinis operibus videat; Secundo illuminari à Deo extra Verbum de pluribus alijs ad ſtatum mundi, & electorum ſalute ſpectantibus: in prima illuminatione ſupremus Angelus non proficit, ſed ſemper in eodem ſtatu permanet, in quo cœpit Deum videre, & quoad iſta non proficiunt etiam Angeli ſupremo inferiores: quoad ſecundam, & ſupremus in dies magis proficit, & inferiores etiam in dies magis proficiunt, & ſic ſemper durat & ſcientia ſuperiorum, & neſcientia inferiorum: vnde ſemper durat, & durabit vſque ad diem iudicij magiſterium, & diſcipulatus, ac per conſ. illuminatio.

1176 Secundo arguitur, quilibet Angelus inferior cognoſcit comprehēſivè viſionem beatam Angeli ſibi ſuperioris: ergo cognoſcit omnia ea, quæ ſuperior per viſionem beatam cognoſcit: non ergo de his illuminabitur à ſuperiori. Aliqui, vt hoc diſſolvant, dant tranſ. ad Ant. & negant Conſ. quia ad cognitionem comprehēſivam virtutis, aut actus non requiritur, quod diſtinctè cognoſcantur omnia obiecta materialia, aut ſecundaria, ad quæ ſe extendit, ſed ſufficit cognitio confuſa illorum: præcipuè cum virtus, vel actus non præcontinent ea per modum cauſæ ſecundum ſuas ſpeciales rationes. Sed contra ſolutionem iſtam, etenim actus, qui cognitio eſt pluriùm diſtincta, & clara, dicit habitudines particulares, vel ſpeciales activas terminationes ad omnia obiecta materialia, quorum ſpecialis notitia eſt: ergo vt perfectè comprehendatur, requiritur indiſpenſabiliter, quod cognoſcatur ſecūdum omnes illas habitudines; nam ſi aliqua habitudo eius ignoretur, iam prædictus actus latebit cognoſcentem ſecundum aliquod prædicatum, quod ei naturaliter ineſt, & ſic comprehenſio eius non habebitur à tali cognoſcēte; quod ſi actus cognoſcatur ſecundum omnem habitudinem, quam in particulari dicit ad hæc, vel illa obiecta materialia, neceſſe erit cognoſcere prædicta obiecta, nā illæ habitudines prout inter ſe diſtinctæ cognoſci nequeunt niſi termini earum diſtinctè cognoſcantur, & ſic de primo ad vltimum erit neceſſe ad cōprehendendum aliquam viſionem Dei videre omnia obiecta, ad quæ talis viſio terminatur.

Nec valet dicere, quod talia obiecta non præcontinentur ſecundum ſuas rationes ſpeciales in viſione, qua videntur tanquam effectus in cauſa, ſicquè poterit cōprehendi viſio, etiam ſi illa ſecundum ſuas ra-

rationes in particulari non videantur. Nō (inquam) valet, nam eſto præfata objecta non præcontineantur in viſione ſui tanquā in cauſa effectiva ſuarum perfectionum in particulari, tamen ſecundum omnes rationes particulares ſuas de facto à tali viſione in particulari cum diſtinctione, & claritate attinguntur, ad illaſque peculiares habitudines actus dicit: ergo cum ad comprehenſionem præfati actus requiratur indiſpenſabiliter, quod ſecundū omnes habitudines cognoſcatur, etiam ſi obiecta nō præcontineat vt cauſa, requiretur tamen indiſpenſabiliter quod præfata obiecta materialia ſecundum omnes rationes particulares ſub quibus videntur à comprehendente viſionem cognoſcantur.

Vnde relicta hac ſolutione in ſua probabilitate, melius reſp. ad argumentum factum, negando Ant. nam eſto admittamus quod Angelus inferior comprehenſive cognoſcat ſuperiorem quoad ea, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, non tamen neceſſe eſt, quod comprehenſive illum cognoſcat quoad ea, quæ ſpectant ad ordinē gratiæ, quia eſto cognitio comprehenſiva omnium naturalium ſit debita omni habenti completā naturam intellectualem, & ſic ſit neceſſe, quod inferior Angelus ſuperiorem quoad ſuum eſſe naturale comprehendat, tamen cognitio ſupernaturalium, & gratuitorum plena, & comprehenſiva, illis debita nō eſt: nam lumini gloriæ ſolum debetur cognitio Dei quoad omnia, quæ formaliter Deo conveniunt; non vero quoad omnia, quæ in Deo tanquam in cauſa cognoſcuntur.

1177 Tertio arguitur, triplex eſt lumen in Angelis, naturæ, gratiæ, & gloriæ; ſed Angelus illuminatur lumine naturæ à creante, lumine gratiæ à Deo iuſtificante, lumine gloriæ à Deo beante: igitur vnus Angelus alterum non illuminat. Ad hoc reſpondet D. Tho. *Dicendum, quod vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ, ſed confortando lumen naturale ipſius, & manifeſtando veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.*

Sed contra inſto, nam ex hac doctrina videtur ſequi, quod Angelus inferior illuminetur de his, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ, & gloriæ per ſolam confortationē luminis naturalis; hoc autem credi non valet, ſiquidem inferior de his, quæ ſpectant ad gratiā, & gloriam illuminatus nihil percipit per lumen ſuum naturale, quod ad ſola naturalia ſe valet extendere: ergo doctrina data vera non eſt. Prob. Sequela, nam D. Tho. cum tria numeraſſet lumina, naturæ, gratiæ, & gloriæ, dicit, quod illuminatio de his, quæ ſpectant ad illum triplicem ordinem, ſolum fit per confortationem luminis naturalis, & manifeſtando ei veritatem de his, quæ ſpectant ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ: ergo in illuminatione præfata ſentit quod ſolum confortatur lumen naturale. Ad hoc dico, optimam eſſe ſolutionem D. Tho. Ad Inſtantiam in contra, nego Min. Ad Prob. dico, quod lumen naturale, quod ipſe intellectus Angelicus eſt, ea, quæ ſpectant ad gratiam, & ad gloriam, percipit per vires gratiæ: vnde cum ille, qui edocetur, ſit intellectus, & non gratia, neque gloria, ſolus ille eſt, qui cōfortatur vt addiſcat, alia autem lumina, quia nō agunt *vt quod*, ſed tantum *vt quo* non eſt neceſſe, vt cōfortentur; etenim tantum oportet confortare eum, cui fit manifeſtatio veritatis, hic autē ſolum lumen naturale eſt, quod eſt intellectus, & ſic quamvis hic ea, quæ ſunt gratiæ, & gloriæ percipiat per gratiam, tamen optime dicit D. Thom. quod lumen naturale confortatur, vt addiſcat ea, quæ ſpectant ad dictum triplicem ordinem.

§. III.

Quomodo vnus Angelus alium illuminet?

1179 VIDIMVS illuminationem quoad ſubſtantiam; oportet iam inveſtigare quomodo fiat hæc illuminatio. In quo puncto enodando duplex videtur eſſe oppoſita ſententia, quarum prima affirmat huiuſmodi illuminationem fieri per hoc, quod Angelus illuminans imprimat aliquid intra intellectum illius, qui illuminatur. Sic Scotus in 2. diſt. 9. quæſt. 2. §. *ad aliam quæſtionem*. Ibidē Baſol. q. 1. ar. 2. §. *ideo dicit*. Gabriel ibidem q. 2. ar. 4. concl. 4. Ocham ibidem q. 20. art. 2. Herbæus q. 1. ar. 2. citatquè Vazquez D. Tho. pro hac ſententia hic ar. 1. & Capreolum in 2. diſt. 11. q. 2. ar. 1. ſed male citat, & abſque fundamento, vt videbimus. Horum aſecla eſt Suarez lib. 9. de Angelis art. 18. qui omnes in eo conveniunt, quod vnus Angelus alium illuminat per hoc, quod producit in intellectu Angeli illuminati quandam notitiam veritatis, quam ipſe agnoſcit, & alter ignorabat. Secunda ſentētia huic opponitur, dum negat in illuminatio-

ne intervenire aliquam productionem alicuius notitiæ, ſpeciei, luminis, vel conceptus ab Angelo illuminante in eum, qui illuminatur; & affirmat illuminationem ſolum fieri per externam obiecti propoſitionem. Sic Caiet. hic ar. 1. eamquè ſequitur Vazquez forſam quia exiſtimat, quod non loquatur iuxta ſenſum D. Tho. in hoc art. in quo, ſi ita eſt, decipitur: nam Caietanus non aliam ſequitur doctrinam, niſi ipſam D. Tho. mentem expreſſam in litera articuli. Tenent etiam hanc ſententiam ex antiquis Bonaventura, Alenſis, Egidius, & alij, & ex recentioribus Annibal. Granados. Turrianus. Salmanticenſ. tract. 7. de Angelis diſp. 14. dub. 2. Ioannes à S. Thom. hic ar. 2. diſp. 25. Gonet diſp. 13. art. 2. Marcus de la Serna hic ar. 1. dubio unico.

1179 Sit concluſio. Illuminatio non fit per hoc, quod Angelus illuminans phyſicè producat, vel cauſet aliquid in intellectu Angeli, qui illuminatur. Prob. concluſio ex Parente Auguſtino, qui in Pſal. 118. concione 18. circa finem, cum docuiſſet à Deo dari nobis intellectum divinorum, inquit: *Sed ſi ad hoc miniſterio vtitur Angelo, poteſt quidē aliquid agere in mentem hominis, vt capiat lucem Dei, & per hanc intelligat: ſed ita dicitur intellectum dare homini (vt ita dicamus) intellectuare hominem; quemadmodum quiſque dicitur lucem dare domui, vel domum illuminare, cui feneſtram facit; Deus autem & mentem hominis rationalem, atque intellectualem fecit, quod poſſet capere lumen eius, & Angelum talem fecit, qui operari poſſit aliquid: vnde ad capiendum lumē Dei mens adiuvaretur humana.* Quibus apertè docet, Angelum ſic hominem illuminantem nullo modo illum immutare, ſed tantum exterius ei explicare veritatem, quaſi exteriori ſolum vtens munere Magiſtri: ait enim Auguſtinus, Angelū illuminare eo prorſus modo, quo illuminare domum dicitur ille, qui in eam feneſtram facit, vel factam aperit, vt domus lumen recipiat corporeum; hic autem nihil operatur interius in domo, nec lumen producit, ſed ſolum aperit viam externa auferendo impedimenta: ſic & Angelus hominē illuminat nihil interius producendo, nec lumē, nec ſpeciem dando, ſed ſolum exterius explicando doctrinam, ſic, quod illuminandus homo eam capere poſſit per lumen ſibi intrinſecum à Deo datum, vel aliàs acquiſitū. Quod & non aliud vult D. Tho. hic ad 2. dum dicit: *Quod vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ; ſed confortando lumen naturale ipſius, & manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.* Vbi pondero, quod negando illuminationē fieri per luminis productionē, admittit fieri per confortationem luminis naturalis Angeli illuminandi; & infero: igitur talis confortatio non eſt per intrinſecum augmentum luminis confortati; nam ſi eſſet, deberet fieri per additionem luminis ad lumen, neque enim lumen intrinſecus augeri poteſt, niſi per additionem luminis ad lumen: ergo cum neget Angelum illuminātem illuminare producendo aliquod lumē, conſtare poteſt evidenter, quod talis cōfortatio non cōſiſtat in aliquo intrinſeco augmento luminis eius, qui illuminatur: debet ergo intelligi prædicta confortatio ad modum, quo diximus ex Auguſtino, quatenus Angelus illuminans ſua externa explicatione veritatis aufert impedimēta, vi quorum illuminandus non poterat præfatam veritatem percipere.

Quam doctrinam apertè tradidit q. 9. de verit. ar. 1. ad 2. vbi dicit: *Ab Angelo illuminante non fit novum lumen naturæ, vel gratiæ, niſi vt participatum, cum enim omne, quod intelligitur, ex vi intellectualis luminis cognoſcatur, ipſum cognitum, in quantum huiuſmodi, includit intellectuale lumen vt participatum, ex cuius virtute habet intellectum cōfortare ſicut patet quando magiſter tradit diſcipulo aliquod medium alicuius demonſtrationis, in quo participatur lumen intellectus agētis.* Ex quibus patet iuxta D. Tho. in illuminatione non intervenire productionem luminis ab Angelo illuminante in illuminatum, ſed ſolam externam propoſitionem obiecti, illuminatam tamen ipſo lumine Angeli illuminantis. Quod & repetit q. 11. de verit. ar. 3. ad 4. vbi habet, *Angelus neque lumen in intellectu humano creat, neque ſpecies in vi imaginativa; ſed operatione Angeli lumen naturale in intellectu humano divinitus confortatur, & ſecundum hoc hominem Angelus illuminare dicitur.*

1180 Ratione ſic Prob. concluſio. Si Angelus illuminans aliquid effectivè produceret intra intellectum illuminati, verè eſſet intra intellectum illius; ſed hoc dici nequit: ergo Prob. Sequela, talis Angelus ſic producens non ageret in diſtans, quia productum eſſet quid ſpirituale, vnde non poſſet diffundi per mediū ſenſibile, ſicut obiectum corporale diffundit ſpecies ſuas viſivas per medium aeris; ergo vt operaretur intra

in

intellectum Angeli illum inari, deberet eſſe intra illum per ſuam ſubſtantiam, & per ſuam virtutē. Quod autem hoc ſit falſum, ex eo deduco, quia ſic illaberetur vnus Angelus menti alterius, quod eſt contra Auguſtinum libro de Dogmat. Eccleſiaſt. cap. 83. vbi habet: *Illabi menti illi ſoli poſsibile eſt, qui creavit*. Et contra illud Bernardi Ser. 5. in Cantica, vbi loquens de illapſu, dicit: *Hæc enim prærogativa ſummo, & incircumſcripto ſpiritui reſervatur*. Et contra D. Thom. 3. part. quæſt. 8. art. 8. ad 1. vbi oſtēdit, quod diabolus non erit in Antichriſto per intrinſecam habitationem animæ eius, quia ſola Trinitas menti illabitur, & q. 64. art. 1. probat, quod ſolus Deus per modum principalis agentis operatur interiorem effectum Sacramenti, qui eſt gratia, quia ſolus Deus illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus exiſtit.

Ex quibus conſtat, quam falſa ſit ſolutio Suarez adhibita rationi noſtrę dicenti à S. Patribus ſolum negari illapſum vnius creaturæ in aliam, per quem plenè contineat eam, & plenè ei dominetur, quod fieri nequit, niſi vel cauſando eſſe eius, vel conſervando illud, quod nulla creatura facere poteſt: cum enim à ſolo Deo fiat, & à ſolo Deo conſervetur: illabi enim (inquit) quod negant S. Patres convenire creaturæ, & ſoli Deo attribuunt, eſt illud, per quod res intra eſſentiā, & intra exiſtentiam rei ponitur: per hoc autem quod vnus Angelus ſpeciem impreſſam, aut aliquid aliud intra intellectum alterius producat, nō propterea operatur intra terminos eſſe, ſed ſupra illos: quia ſpecies impreſſa habet ſe per modum circunſtantis Angeli exiſtentiam, & recipitur in eius intellectu prius exiſtente: vnde ad ſummum poteſt inferri, quod Angelus illabatur in effectū illū, non verò in ſubſtantiā, & intellectum Angeli.

Quàm autem falſa ſit hæc doctrina, patet adducendo ad longum verba Auguſtini in libro de Eccleſiaſt. Dogmat. cap. 83. vbi ſic habet: *Dæmones per energicam operationem non credimus ſubſtantialiter illabi animæ humanæ, ſed applicatione, & oppreſsione vniri*. Cuius aſsignat rationem: *Illabi autem menti ſoli poſsibile eſt, qui creavit*. Ex qua doctrina D. Thom. ſupra adductus probat, quod diabolus non erit in Antichriſto per intrinſecam inhabitationem animæ eius. Et probat in alio loco, quod nulla creatura poteſt vt cauſa principalis operari gratiam in anima, quia deberet illabi illi: ergo Sanct. Patres non ſolum negant illapſum creaturæ in creaturam per productionem eſſe ipſius creaturæ, vel conſervationem eius: ſed etiam negant omnem illapſum vnius creaturæ intra animam alterius, qui poſſet convenire ei per productionem alicuius accidentis intra illam, qualis eſſet illapſus Dæmonis intra Antichriſtum per aliquam energicam operationem, quam haberet in illius anima: vel qualis eſſet illapſus, quam haberet intra animam creatura, quæ vt cauſa principalis operaretur gratiam in ea. Legatur Bernar. ſermon. 5. in Cantica, qui hoc ad longum proſequitur argumentum. Sed & illud apparet ridiculum, quod Suarez dictat, quod ſi produceret intra intellectum lumen, vel ſpeciem impreſſam, non illaberetur in ſubſtantiam intellectus, ſed tantum illaberetur effectui, quem produceret. Ridiculum eſt ſane hoc: etenim vt Angelus tale lumen, vel ſpeciem phyſicè produceret intra intellectum poſsibilem, deberet illam educere ex potentia paſſiva ipſius intellectus: ergo illi immediatè quoad virtutem, & quoad ſubſtantiam deberet vniri: non ergo tantum eſſet in ſpecie, ſed etiam intra viſcera ipſius intellectus: Præterea, illud lumen, vel ſpecies, cùm eſſet accidens, non haberet eſſe in ſe, ſed in intellectu, cui inhæreret: ergo neque Angelus illaberetur illi, ſed intellectui, in quo talis effectus eſſet.

1181 Sed deſcendamus in particulari, & probemus non poſſe vnum Angelum in alio phyſicè lumen producere. Nam hoc lumen neque eſſet naturale, neque ſupernaturale: ergo. Prob. quoad primam partem, lumen naturale Angeli eſt ipſe intellectus Angelicus, qui per modum potentiæ ſequitur ad eſſentiam Angeli: ergo neque poterit effici ab altero Angelo, ſed tantum à Deo, qui Angelum creavit. Nec valet dicere, quod licet quoad ſubſtantiam tale lumen effici non poſsit, quoad ſuum autem augmentum, & intrinſecam perfectionem benè poterit effici ab altero Angelo. Non (inquam) valet, nam intellectus non eſt intenſibilis, nec remiſſibilis. Inſuper, cum ſit virtus ipſius ſubſtantiæ Angeli totam perfectionem exigit habere à Deo, qui facit Angelum: nam ad producentem ſubſtantiam attinet dare virtutes, quæ in illa radicantur: non ergo poterit perfici, & intendi per actionem Angeli illuminantis.

Digitized by Google

Sed reſpondebis; quod licet intellectus Angeli eſſentialiter perfici non poſsit, quia in ſe ipſo entitativè intenſibilis non eſt, & quia à ſubſtantia Angeli ſecundum omnem perfectionẽ ſuam oritur, tamen eſt perfectibilis per qualitates ſuperadditas, ſive habituales, ſive tranſeuntes, ſicut noſter intellectus de facto perficitur per varios habitus in ordine ad elicientiam ſuorum actuum: vnde quamvis Angelus illuminans non poſsit producere lumen, quo intellectus illuminati intendatur, poterit tamen in eo producere aliquod comprincipium, quod ſit qualitas habitualis, vel tranſiens, quo iuvetur per modum comprincipij ad percipiendum veritates, de quibus illuminatur. Sed contra eſt, nam intellectus Angeli in hoc diſtinguitur ab intellectu noſtro, quod cum hic ſit virtus ſubſtantiæ incompletè intellectualis, non eſt etiam ipſa virtus proximè completa in ordine ad attingentiam cuiuſcumque entis naturalis: vnde eſt perfectibilis per habitus naturales, vel per alias qualitates proximè operativas: intellectus verò Angelicus, cum ſit virtus proxima ſubſtantiæ completè intellectualis, ſe ipſa intranſitivè eſt proximè potens attingere ens naturale quodcumque ſit illud, dummodo ad ipſum pertineat, in cuius ſignum ab inſtanti conditionis exigit ſpecies cõprehenſivas totius entis naturalis, & illi à Deo de facto infunduntur: ergo nõ eſt perfectibilis per habitus naturales ipſum coadiuvãtes in ordine ad attingentiã alicuius entis naturalis: non ergo ad percipiendũ ea, de quibus illuminatur, indiget perfectione alicuius luminis habitualis, vel tranſeuntis.

Explico hoc, etenim ſpecies non actuat intellectum niſi proximè potentem per modum virtutis intelligere obiectum per illam repræſentatum, qua de cauſa Theologi ſupra quæſt. 12. artic. 2. dicunt, quod divina eſſentia non vnitur intellectui per modum ſpeciei impreſſæ niſi mediante lumine gloriæ, quia intellectus ſine lumine gloriæ non eſt proximè potens, quantum eſt ex parte virtutis, ad videndum Deum, & quia intellectus noſter ex ſe non eſt proximè potens completè ad intelligendum, ideo eſt tanquam tabula raſa abſque aliqua intelligibili pictura, hoc eſt, ſine ſpeciebus; cum ergò intellectus Angeli à principio ſuæ conditionis, vel habeat omnium entium ordinis naturæ ſpecies congenitas, vel illas ſtatim, ſimulque habere exigat, & de facto habeat, ſignum erit evidens, quod ab inſtanti conditionis ſuæ in ordine ad attingentiam omnium naturalium habet proximam virtutẽ completam, ſic, quod ſicut non eſt perfectibilis ex parte obiecti, ita non ſit perfectibilis ex parte virtutis in ordine ad naturalia.

Quoad ſecundam partem, nempe quod illud lumen non ſit ſupernaturale, ſic diſcurro. Nam vt docent communiter Theologi 1. 2. ſolus Deus poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ, ſive quoad primum eſſe ſui, ſive quoad augmentum, vel intenſionem: ergo cum illuminatio fiat ab Angelo in genere cauſæ principalis, nequibit vnus Angelus aliũ illuminare producendo in eo lumen ſupernaturale, & gratuitum, ſive primò producendo, ſive augendo, vel intendendo illud.

Dices, illuminationem de his, quæ ſpectant ad lumen gratiæ, poſſe fieri per hoc, quod Angelus illuminans inſtrumentaliter producat gratiam novam, vel augmentũ præexiſtentis: neque enim illuminatio de his, quæ ſpectant ad ordinẽ gratiæ, poteſt fieri per ſolã propoſitionẽ obiecti, ſed requirit augmentum gratiæ præexiſtentis, ad quod poteſt Deus concurrere principaliter, & Angelus illuminans inſtrumentaliter. Sed contra eſt, nam eſto nulla ſit repugnantia in eo, quod Angelus illuminans producat inſtrumentaliter novum lumen gratiæ, vel augmentum præexiſtentis in Angelo, qui illuminatur; tamen hoc non requiritur ad illuminationem prout regulariter fit: vnde D.Th. hic art. 1. ad 2. aperte docet, quod Angelus non illuminat Angelum tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ: ergo inutiliter recurritur ad hoc quod Angelus illuminans inſtrumentaliter lumen gratię in illuminato producat. Prob. Antec. nam illuminatio prout regulariter fit, fit Angelo ſuperiori in genere cauſæ principalis concurrente ad illuminandum, vt compertum eſt apud omnes; vt cauſa autem principalis nequit gratiam producere in alio Angelo: ergo ad illuminationem, prout regulariter fit, non requiritur, quod illuminans lumen gratiæ producat in illuminato.

1182 Sed iam probemus contra Suarez, quod illuminatio non fit per hoc, quod illuminans producat ſpeciem impreſſam in Angelo, qui illuminatur. Et quidem ſi illuminatio fiat de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, hoc patet ex

Digitized by Google

ex eo, quod ab initio conditionis Angelicæ vnicuique Angelo datæ ſunt ſpecies omnium rerum ſpectantium ad ordinem vniverſi: non ergo ad cognitionē alicuius veritatis naturalis requiritur productio novæ ſpeciei illius repræſentativæ. Præterea, Angelus in ordine naturali non eſt mutabilis ſecundum eſſe, ſed totum ſuum eſſe habet ſimul; eſt autem tantum mutabilis ſecundum operationē, quatenus de vna operatione poteſt tranſire ad aliam: ergo requiritur quod omnia ea, quæ ſpectant ad actum primum intelligendi, ea, quæ ſunt de ordine naturæ ſimul habeat, ex quo cœpit ſimul habere eſſe, & non paulatim perficiatur per ſucceſſivam receptionem novarum ſpecierum: cum ergo in dies de novo illuminetur ab Angelo ſuperiori, non fiet hæc illuminatio per productionem novæ ſpeciei. Prima Conſeq. Prob. nam ſi de de novo in dies ſpecies reciperet naturalium obiectorum repræſentativas, iam naturaliter non ſolum mutaretur ſecundum operationem, ſed etiam ſecundum eſſe actus primi, quem in dies de novo reciperet. Præterea, licet non omnis loquutio ſit illuminatio, eſt tamen omnis illuminatio loquutio; ad hoc autem vt vnus Angelus loquatur alteri, non requiritur, quod in illo ſpeciem impreſſam producat, aliàs ad loquendum requireretur quod loquens eſſet indiſtans ab ipſo loquente; ſiquidem cum illa ſpecies eſſet purè ſpiritualis, non poſſet per medium, quod ſenſibile eſt, pervenire ad mentem audientis: vnde requireretur indiſpenſabiliter quod loquens eſſet indiſtans ab audiente: falſiſsimum autem eſt, quod vt vnus Angelus alteri loquatur requiratur quod ſit indiſtans ab illo: nam de anima divitis exiſtentis in inferno dicit Scriptura, quod loquebatur cum Abraham exiſtente in loco valde diſtanti ab anima divitis, vnde dicit ſcriptura quod *cum eſſet in tormentis elevans oculos vidit à longe Abraham*, & etiam dicitur, *inter vos, & nos chaos magnum firmatum eſt*: non ergo ad loquutionem requiritur indiſtantia inter loquentem, & audientem, & per Conſeq. non requiretur productio prædictæ ſpeciei impreſſæ: vnde D.Thom. quæſt. 9. de verit. artic. 1. ad 10. ita docet; quod *quando vnus Angelus ab altero illuminatur non infunduntur ei novæ ſpecies, ſed ex eiſdem ſpeciebus, quas prius habebat intellectus eius confortatus per lucem ſuperioris, efficitur plurium cognoſcitivus*;

Quod ſi illuminatio fiat de rebus ſupernaturalibus, & illuminandus non habeat ſpecies illarum repræſentativas, attinebit ad Deum de novo infundere ei ſpeciem ſupernaturalem, vt poſſit percipere ea, de quibus edocetur ab Angelo ſuperiori; non tamen Angelus illuminans talem ſpeciem in illuminando producet: Tum, quia ſicut Angelus vt cauſa principalis nequit producere lumen gratiæ; ita neque poteſt in alio Angelo producere ſpeciem ſupernaturalem. Tum etiam, quia illuminatio creaturæ in hoc diſtinguitur à Dei illuminatione, quod prima ſupponit in illuminando principia ſufficientia, quibus poſſit percipere ea, de quibus illuminandus eſt, quod non præſupponit illuminatio, quæ immediatè à Deo fit, qui ſic illuminat, quod etiā principia ſufficientia ad percipiendam lucem ſuam, & veritatem ſuam tribuat: ergo.

1183 Vlterius Prob. Concluſio impugnando modum dicendi Capreoli, vbi ſupra: aſſerit enim, quod ſicut agens intellectus dicitur illuminare phantaſmata per hoc quod ex ſe ad illa diffundat quandam lucem, quæ eſt qualitas intentionalis, vi cuius phantaſma redditur potens producere ſpeciem repræſentativam naturæ vniverſalis in intellectu poſſibili: ita Angelus ſuperior, cùm inferiorem illuminat, communicat ei quoddam lumen intentionale eſſe habens, & per modum tranſeuntis, quo perfuſus intellectus inferioris Angeli fit potens non potentia intenſibilitatis, ſed purè confortationis percipere ea, de quibus illuminatur.

Hic modus dicendi impugnatur à Gonet ex eo, quod contra naturalem perfectionem Angeli inferioris eſt quod intelligat vt inſtrumentum Angeli ſibi ſuperioris; ſed ſi perceptionem talis qualitatis intentionalis cauſatam à ſuperiori illuminaretur, Angelus inferior intelligeret vt inſtrumentum Angeli ſuperioris: ergo per præfatam productionem luminis non illuminatur inferior à ſuperiori. Min. Probat, nam phantaſma ex eo quod recipit ab intellectu agente qualitatem intentionalem ad producendam ſpeciem rei vniverſalis, producit talem ſpeciem vt inſtrumentū intellectus agentis: ergo ſi Angelus inferior fieret potens intelligere ea, de quibus illuminatur per qualitatē intentionalē cauſatam ab Angelo ſuperiori, intelligeret

Digitized by Google

ea, de quibus illuminatur vt inſtrumentum Angeli ſuperioris. Hæc tamen impugnatio nihil valet, nam facile ſolveretur à Capreolo, negando Min. Et ad Prob. negando Conſ. nam cum phantaſma ſit materiale, & ſpecies intelligibilis rei vniverſalis ſit purè ſpiritualis, hinc evidens fit, quod phãtaſma ad productionem talis ſpeciei ex vi qualitatis intentionalis cauſatæ ab intellectu agente tantum concurrat inſtrumentaliter, cum elevetur phantaſma ad operandum extra ſuum obiectum adæquatũ; nam operatio pure ſpiritualis extra obiectum adæquatum rei materialis eſt: at perceptio eorum, de quibus Angelus inferior illuminatur à ſuperiori, eſto ſit extra obiectum proportionatum, non tamen extra obiectum adæquatum: vnde non ſequitur quod ſi inferior ad ſic percipiendum recipit qualitatem intentionalem ab Angelo illuminante, percipiat ea, de quibus illuminatur, vt inſtrumentum ipſius Angeli ſuperioris. Eſt etiam aliud diſcrimen, quod actio phantaſmatis, productiva ſpeciei naturæ vniverſalis, cum non ſit vitalis, poteſt eſſe inſtrumentaliter ab ipſo phantaſmate: intellectio autem eorum, quæ ab Angelo ſuperiori edocentur, eſt actio vitalis, ad quam eſt neceſſe, quod inferior concurrat applicativè elicitivè, & ſic quamvis ex qualitate recepta à ſuperiori conſtituatur potens intelligere, non ſequitur quod vt inſtrumentum Angeli ſuperioris intelligat.

1184 Vnde relicta hac impugnatione vt minus efficaci, aliter placet impugnare modum dicendi Capreoli. Et prima impugnatio eſt, quia eſt contra D. Th. aſſerentem hic articul. 1. ad 2. quod dum Angelus ſuperior illuminat inferiorem, non dat ei aliquod lumen, vel naturale, vel gratiæ, vel gloriæ. Cui doctrinæ immediatè opponitur illa Capreoli, dum dicit, quod illuminatio fit per hoc quod Angelus illuminans producit quandam qualitatem intentionalem in intellectu Angeli illuminati. Secundo impugnatur, quia ex hoc ſequitur, Angelum ſuperiorem illabi menti Angeli inferioris, quod eſt contra dicta ſanctorum ſupra à nobis adducta: ergo. Prob. Sequela, nam cum illa qualitas intentionalis ſit purè ſpiritualis, nequit ab Angelo diſtante diffundi per medium aliquod ſenſibile quouſque perveniat ad mentem Angeli illuminandi: ergo requiritur quod Angelus ſuperior illabatur menti inferioris, & ex illo immediatè prædictam qualitatem educat. Tertio impugnatur, nam cum Angelus inferior ſucceſsivè in dies illuminetur à ſuperiori, ſi talis illuminatio fiat per receptionem novæ qualitatis, ſequitur, quod inferior non habeat totam ſuam perfectionem naturalem ſpectantem ad actum primum ſimul, ſed paulatim perficiatur, ſicut noſter intellectus imperfectus paulatim perficitur, quod ſupra vidimus eſſe contra naturam Angeli, qui ordine naturali tantum poteſt habere varietatem operationum, non vero perfectionum, quæ perficiant ipſum per modum actus primi: non ergo eſt poſsibilis ille modus illuminationis aſsignatus à Capreolo.

1185 Tandem Prob. Concluſio contra Scotum. Vult enim Scotus, quod illuminatio fiat per hoc quod Angelus illuminans producit in mente illuminati ipſam notitiam formalem rei, de qua illuminat, repræſentativam, qua Angelus illuminatus formaliter cognoſcit ea, de quibus illuminatur merè paſsivè ſe habendo. Hic autem modus dicendi extraneus eſt à bona metaphyſica. Etenim notitia formalis, vel eſt ipſe actus vitalis intellectus, vel conceptus formalis productus per ipſum actum vitalem, & quodcumque illud ſit, debet effectivè procedere ab ipſo intelligente: nam actus vitalis eſt, quo ſe movet actualiter vivens; ad hoc autem vt ſe moveat non ſufficit recipere motum, ſed etiam requiritur efficere illum; & ſic ad hoc vt Angelus illuminatus intelligat ea, de quibus illuminatur, requiritur indiſpenſabiliter non ſolum quod recipiat ipſum actum intellectionis, ſed etiam quod efficiat illum: chymera ergo eſt dicere quod illuminatio fit per hoc quod illuminans producit in illuminato ipſam notitiam formalem, qua illuminatus formaliter intelligit.

Dices ex Scoto, quod intelligere ſiat dupliciter, vel purè operativè, vel factivè: primo modo, tantum dicit genus cauſæ formalis: ſecundo modo, dicit genus cauſæ effectivæ: vnde ad primum ſufficit intellectionem actuare formaliter intellectum, ad ſecundum requiritur effici ab illo: vnde in caſu illuminationis Angelus illuminatus intelliget operativè per intellectionem ſibi communicatã ab illuminante, non tamen intelliget effectivè. Sed contra eſt, nam licet detur duplex intelligere

aliud

aliud factivum ; quod verbum format; aliud purè contemplativum, quod pura obiecti contemplatio eſt; quodcumque tamen ſit illud, debet eſſe forma, qua vivit intelligens : ergo debet ſe movere per illam; at nequit ſe movere per illam, ſi merè paſsivè, & purè receptivè ſe habeat ad illam; quod enim non efficit motum ſuum, movetur quidem, ſed non ſe movet, quia ad motum vt purum ſubiectum comparatur ; ad vitam autem indiſpenſabiliter requiritur ſe movere, & non ſufficit moveri: ergo nulla eſt diſtinctio aſsignata à Scoto de intelligente operativè, & de intelligente factivè.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra concluſionem.

1186 CONTRA Noſtram reſolutionem maximam videtur facere difficultatem litera D. Thom. in hoc artic. 1. in quo videtur ſentire Angelum illuminantem producere aliquod lumen confortans lumen illius, qui illuminatur. Sic enim habet in corp. art. *Cũ autem ad intelligendum duo concurrant, ſcilicet virtus intellectiva, & ſimilitudo rei intellectæ: ſecundum hæc duo vnus Angelus alteri veritatem notam nõtificare poteſt, primò fortificando virtutẽ intellectus eius; ſicut enim virtus imperfectioris corporis confortatur ex ſituali propinquitate perfectioris corporis, ſicut minus calidum creſcit in calore ex præſentia magis calidi, ita virtus intellectiva inferioris Angeli confortatur ex converſione ſuperioris Angeli ad ipſum: hoc enim facit in ſpiritualibus ordo converſionis, quod facit in corporalibus ordo ſitualis propinquitatis. Secundo autem vnus Angelus alteri manifeſtat veritatẽ ex parte ſimilitudinis intellectæ; ſuperior enim Angelus notitiam rei accipit in univerſali quadam conceptione, ad quam capiendã inferioris Angeli intellectus non eſſet ſufficiens, ſed eſt ei connaturale vt magis particulariter veritatem accipiat; ſuperior verò Angelus veritatem, quam concipit quodammodo diſtinguit, vt ab inferiori capi poſsit, & ſic eam cognoſcendam illi proponit: ſicut etiam apud nos, Doctores quod in ſumma capiunt, multipliciter diſtinguunt providentes capacitati aliorum.* Hæc D. Th. In quibus videtur expreſſè, quod ſicut ex ſituali propinquitate magis calidi ad minus calidũ creſcit minus calidum in calore, ita pariter ex hoc quod Angelus ſuperior convertatur ad inferiorem, magis confortatur virtus intellectiva Angeli inferioris: ſed ſic eſt, quod minus calidum creſcit in præſentia magis calidi, quia hoc agit in minus calidũ producendo in eo calorẽ: ergo ſimiliter confortabitur inferior intellectus per converſionem ſuperioris ad illum, quia per talem converſionem producet aliquod lumen in illo.

Quæ difficultas augetur ex eo, quod diſtinguit D. Thom. duplicem notificationem veritatis; aliã ex parte virtutis, & hoc fit confortando virtutem debilem ad intelligendum ; & aliam ex parte obiecti, dividendo, & particularizando conceptiones ſuas, vt poſsint ab Angelo inferiori capi. Ex quibus datur evidenter intelligi, quod confortatio virtutis non fit tantum ex parte obiecti proponendo illud ſic, vel ſic pro captu inferioris, ſed fit ex parte principij ad intelligendum addendo virtutem virtuti præexiſtenti : ergo ſentit in illuminatione Angelum ſuperiorem producere aliquod lumen in mente inferioris.

Quæ omnia confirmantur alio difficili texto D. Thom. infra quæſt. 117. art. 1. vbi in fine corporis docens modũ, quo inter homines Magiſter docet, & illuminet diſcipulum, ſic habet: *Alio modo confortat intellectum addiſcentis, non quidẽ aliqua virtute activa, quaſi ſuperioris naturæ, ſicut ſupra dictum eſt de Angelis illuminantibus, quia omnes humani intellectus ſunt vnius gradus in ordine naturæ; ſed in quantum proponit diſcipulo ordinẽ principiorum ad concluſiones, qui fortè per ſe ipſum non haberet tantam virtutem collativã, vt ex principijs poſſet concluſiones deducere.* Hæc D. Th. Quibus ſentit aliter inter homines illuminari diſcipulos à Magiſtris, aliter verò inferiores Angelos à ſuperioribus: nam inter homines diſcipulus docetur à Magiſtro ſola veritatis propoſitione abſque aliqua virtute, quæ agat in ipſum: inter Angelos verò, inferiores illuminantur à ſuperioribus virtute aliqua agente in ipſos : ſentit ergo quod Angelus illuminans producit aliquod lumen in intellectu Angeli illuminati, quo eũ confortet. Quod diſcrimẽ videtur probare ex eo, quod Angelus illuminans ſuperioris naturę eſt reſpectivè ad illuminatũ, & ſic poteſt agere in illũ: homines autem eiuſdem omnino gradus ſunt, & ſic vnus in alium agere non valet producendo intra intellectum eius aliquod lumen. In quo Capreolus vel ſupra fundavit ſententiam à nobis impugnatam

de productione qualitatis intentionalis in mente illuminati ab Angelo illuminante: dicit enim, illud eſſe poſsibile Angelo ſuperiori, quia ſuperioris naturæ eſt Angelo illuminato.

1187 Ad hæc ſuo ordine reſpondetur. Ad primum admiſſa auctoritate D. Thom. Ad argumentum quod ex ea confirmatur, conc. prima Conſ. nego ſecundã, nã D. Th. conſulto loquens de calidis dixit, *creſcere in calore minus calidum ex præſentia magis calidi*, quia ibi non ſolum adeſt propinquitas ſitualis, ſed adeſt actio magis calidi in minus calidũ ſibi propinquum, & non dixit, quod *ex converſione Angeli ſuperioris ad inferiorem creſcat virtus intellectiva Angeli inferioris*, ſed dixit, *confortatur*, ad quam confortationem ſalvandam non indigemus ponere de novo aliquod lumen intrinſecè inhærens inferiori cauſatum ab Angelo illuminante: vidimus enim quod lumen potentiæ viſivæ confortatur ad videndum colores per lumen Solis, & candelæ; & tamen ex Sole illuminante non creſcit in activitate lumen intrinſecum potentiæ viſivæ; ſicque ad confortationem ſalvandam non eſt neceſſe ponere augmentum intrinſecum, vel potentiale, vel habituale in Angelo inferiori ex activitate ſuperioris illuminantis, ſed ſufficit præbere lumen externum, id eſt, effectivè illuminare obiectum, & illuſtrare ad hoc quod intellectus Angeli illuminandi poſsit percipere illud. Pro quo accipito doctrinam D. Thom. in 2. diſt. 9. quæſt. 1. articul 2. ad 4. ibi: *Vel dicendum, quod docere propriè dicitur, qui in cognitionem rei ducit, ſicut enim in cognitionem ſenſibilem coloris pervenit homo ex duobus, ſcilicet ex viſibili obiecto, & ex lumine, ſub quo videtur (unde & uterque dicitur demonmonſtrare rem, ſcilicet qui lumen præparat, & qui obiectum repræſentat) ita etiam ad cognitionem intellectualem duo exiguntur, ſcilicet ipſum intelligibile, & lumen, per quod videtur, & ideo dupliciter dicitur aliquis docere, vel ſicut proponens intelligibile, vel ſicut præbens lumen ad intelligendum: hoc autem lumen eſt duplex, unum intrinſecum, ſeu connaturale intellectui, cui ſimilatur lumen, quod eſt de compoſitione oculi, & per collationem huius lucis ſolus Deus docere dicitur. Secundum lumen, quod ſupervenit ad confortationem connaturalis luminis, cui ſimilatur in viſu corporali lumen Solis, vel candelæ, & ſic poteſt Angelus alium Angelum, vel etiam hominem illuminare ad aliquid cognoſcendum; non autem homo ſic docere poteſt, cum in eo lumen intellectuale debiliſsimè recipiatur. Similiter etiam intelligibile duplex eſt, unum ad quod intelligendum ſufficit intellectus alicuius hominis, dummodo ſibi conſiderandum proponatur, unde & ipſe proponens docere dicitur, quaſi in cognitionem ducens, ſicut in viſu corporali monſtrat rem, qui eam coram oculis ponit: aliud eſt ad cuius cognitionem non ſufficit intellectus diſcipuli, niſi in hoc manu ducatur per aliquid ſibi notum: unde & qui hoc magis notum ſibi proponit, docere eum dicitur: huius ſimile eſt in viſu corporali in hoc quod aliquis alicui rem à longe apparentem digito demonſtrat, & his duobus modis homo docere dicitur, & hæc doctrina eſt non per modum illuminationis, ſed per modum loquutionis.* Hæc D. Thom.

Ex quibus deſumo claram intelligentiam doctrinæ, quam docet hic in art. 1. & quam docet infra quæſt. 117. artic. 1. Etenim difficile apparebat, quod Angelus illuminaret activè præbendo lumen, & confortando lumen Angeli illuminati ſine eo quod produceret aliquod lumen intra intellectum illuminati; ſed hoc ex litera adducta iam apparet facilè; ſiquidem illud activè illuminare non eſt agere activè in illuminatum præbendo ei lumen, quo ipſe activè percipiat ea, de quibus illuminatur, ſed tantum eſt agere in obiectum intelligibile illuſtrando illud, ſicut Sol dicitur illuminare oculum, non quia det ei intrinſecum lumen, quo oculus activè eliciat viſionem, ſed tantum dando lumen coloribus, & illuſtrando medium, qua illuſtratione oculus confortatus videat. Similiter apparebat difficile id, quod Div. Thom. dicebat, videlicet quod Angelus illuminabat dupliciter; & ex parte potentiæ intellectivæ activè confortando eam, & ex parte obiecti proponendo veritatem ſic, & ſic partitam ut poſſet capi ab Angelo illuminando; hoc enim videbatur difficile contingere poſſe, niſi Angelus illuminans aliquod lumen produceret in intellectu illuminati. Sed hoc iam redditur facile, nam ponendo quod illuminatio Angeli non ſit ſola propoſitio obiecti partita, & particulariżata; ſed ſit etiam illuſtratio, ſeu propoſitio obiecti intelligibilis ſub lumine Angeli ſuperioris, prout dicit D. Thom. inveniri in illuminatione, qua Angelus Angelum, vel hominem illu-

illuminat, fit inde, quod dum ſic activè obiectum cognoſcibile illuſtrat, potentiam intellectivam Angeli illuminandi confortet, & non ſolum ſe habeat ad illum, ſicut qui manifeſtat veritatem proponendo obiectum intelligibile. Itaque ſicut ex illuminatione activa ſolis, qua illuminantur viſibilia activè confortatur potentia viſiva, & elicit viſionem, quam non poterat elicere deficiente luce: ita ex hoc quod Angelus ſuperior non ſolum conceptus ſuos vniverſales temperat, & partitur modo proportionato inferiori, ſed etiam illos illuſtrat, & facit intelligibiles ſub lumine ſuo ſuperiori, ſicut lux ſolis facit viſibiles colores, habet confortare vim intellectivam Angeli inferioris; ita vt poſſit percipere, quod non poſſet ſi talia obiecta ſub prædicto lumine illuſtrata ei non proponerentur: vnde bene intelligitur confortatio ex parte luminis ſive additione intrinſeca luminis inhærentis intellectui Angeli illuminati.

Intelligitur etiam diſtincta manifeſtatio veritatis ex parte luminis, & ex parte obiecti; nam prima conſiſtit in illa activa illuſtratione, qua prædictæ veritates illuſtrantur à lumine ſuperioris Angeli: ſecunda conſiſtit in illa propoſitione activa, qua proponit hos, vel illos conceptus ſic, & ſic diviſos, & partitos, quibus res diviſim, & particulatim repræſentantur, vt capi poſſint ab inferiori Angelo. Itaque res, de quibus illuminatur inferior Angelus, duplici ex capite non poſſunt percipi ab inferiori ſtando in terminis ſuæ inferioritatis: primum caput eſt ex parte obiecti, quia nempe ſub conceptu ſic vniverſali, ſub quo ſuperior intelligit, inferior res apprehendere non valet, & ad hoc iuvatur per hoc quod ſuperior ſuos conceptus temperat, dividit, &c. modo, quo proportionentur res cum intellectu inferioris; aliud caput eſt, quia res illæ, de quibus illuminatur, non ſunt intelligibiles niſi per lumen ſuperioris Angeli, ſic, quod tantum habeant proportionem cum illo: vnde ſi Angelus inferior debet eas percipere, neceſſe eſt, quod iuvetur ad intelligendum lumine ſuperioris; hoc autem adiutorium probatum eſt ex D. Thom. non eſſe participationem intrinſecam luminis ſuperioris: vnde reſtat quod ſit participatio obiectiva, quatenus ſuperior proponit inferiori obiectum ſub lumine, ſub quo illud cognoſcit, & inferior ſic ex parte obiecti illuſtratus de facili illud percipit, & ſic completur illuminatio. Cum autem omnes intellectus humani eiuſdem athomæ ſpeciei ſint, lumina eorum æqualia ſunt, & ſic vnus homo alium docere non valet præbendo ei lumen etiam obiectivè, quia diſcipulus non indiget addiſcere ad homine Magiſtro ea, ad quæ lumen diſcipuli non ſufficiat. Nam cum intellectus diſcipuli, & Magiſtri eiuſdem inferioritatis athomæ ſint, ſi indigeret ab homine diſcere ea, ad quæ lumen proprium non ſufficeret, vellet addiſcere impoſſibile, quia ſi proprium non ſufficeret, neque Magiſtri ſufficeret: indiget autem addiſcere ab homine Magiſtro, quia ad ignota nequit venire, niſi per nota, & ad minus nota per magis nota: vnde Magiſter proponens ei notum ducit ad cognitionem minus noti: vnde proponit ei primò prima principia, quæ diſcipulo magis nota ſunt, vt ex cognitione eorumdem ducet illum in cognitionem concluſionum, & ſic abſque eo quod aliquod lumen etiam obiectivè ei præbeat, homo hominem docet, quod Div. Thom. tradit in hoc loco ex 2. ſentent.

1188 Ex quo lucem habent ea, quæ docuit infra quæſt. 117. articul. 1. vbi dicit de modo inter homines, quod vnus alium docet, quod *non confortat intellectum addiſcentis aliqua virtute activa, quaſi ſuperioris natura, ſicut ſupra dictum eſt de Angelis illuminantibus, quia omnes humani intellectus ſunt vnius gradus in ordine naturæ.* Lucem quidem habent ex adducta doctrina, quia homo docens non cauſat activè lumen in diſcipulo, neque producendo intra eius intellectum lumen, neque activè illuminando obiectum, vt illuſtratum lumine ſuperioris naturæ de facili percipiatur à diſcipulo. Angelus autem quamvis intra intellectum Angeli inferioris lumen non producat, tamen activè illuminat, & illuſtrat intelligibilia ab Angelo inferiori, & ponit ea ſub luce, ſub qua Angelus ſuperior intellexit ea: vnde vere dicitur præbere lumen diſcipulo, ſi non intrinſecum, quale eſt illud, quo diſcipulus intelligit, extrinſecum tamen, & aſſimilatum luci, qua ſol dicitur oculum illuminare, ſicque omnia conſonant, & liberatur D. Thom. à calumnia Vazquez, qua illum enu-

Digitized by Google

merat inter eos auctores, qui tenent Angelum illuminare aliũ producendo intra eius intellectum aliquod lumen intrinſecum, quo iuvetur ad intelligendum.

§. V.

Explicatur modus, quo fit illuminatio.

1189 VIDIMVS §. præcedenti quomodo illuminatio non fiat, reſtat nobis videndum, quomodo fiat. Dico ergo, Angelus ſuperior illuminat inferiorem ordinando ad illum conceptus ſuos partitos, & particularizatos iuxta proportionem, & captum Angeli inferioris, & inſuper illuſtratos lumine ipſo, quo ipſe Angelus ſuperior res, de quibus alium illuminat, intelligit. Hæc concluſio ſic explicata eſt domini Caietani hic art. 1. cujus doctrinam placet referre, quia in hoc puncto nullus poſt ipſum melius loquutus eſt, nec magis mentem percaluit D. Thom. dicit ergo ſic: *Scito, quod actio docentis vt ſic non eſt præbere prius aliquod lumen, & deinde offerre veritatem cognitam, ſed eſt primo offerre veritatem cognitam vt illuminatam; ſic enim illuminatur intellectus ad videndam veritatem illam, & conſequenter fortificatur ex participatione luminis ſuperioris participati per receptionem illius veritatis illuminatæ. Veritas autem illuſtrata eſt, cùm lumine intellectuali claret, claret autem, cùm intellectuali lumine penetratur, & ſic de primo ad ultimũ, cum aliquod occultum nõ per ſolam abſentiam, ſed propter difficultatem, vel excellentiam vt cognitum proponitur, vt illuſtratum profertur, & quamvis contingat illud non videri ab eo, cui offertur propter debilitatem intellectualis viſus, tamen quantum in ſe eſt, vt illuſtratum proponitur. Et hæc eſt prima radix illuminationis in Angelis. Profert enim quiſquam ſuperior inferiori obiectum vt cognitum, & illuſtratum, & quoniam ex hoc ſolo non ſequitur. ergo profertur obiectum vt illuſtratum huic inferiori, eo quod cognitum à ſuperiori claret vt obiectum ipſius, non vt obiectum cuiuſcumque: ſicut cognitum à magiſtro claret vt obiectum ipſius, & non vt obiectum addiſcentis plerumquè: ideo cum hac prima radice concurrit ſecunda, ſcilicet particularizatio conceptuum habilium vt percipiatur à tali inferiori, vt etiam apud nos contingit. & ſic dum Angelus illuminat alium regulariter vterque modus illuminationis contingit; quoniam & obiectum proponitur illuminatum, & proportionatum inferiori vt participanti hoc novum lumen; ſed prius natura eſt lumẽ, quam diviſio, & illud ſe tenet ex parte vis intellectivæ: eſt enim intellectus ex illo non ſolum potens ad hoc percipiendum, ſed & ad alia, ad quæ prius non ſe extendebat: diviſio autem ſe tenet ex parte ſpeciei, ſcilicet conceptus.* Hæc Caietanus, quibus dilucide noſtram tenet, & explicat concluſionem.

1190 Quam Probo, nam ad illuminandum Angelum inferiorem de his, quæ ob ſui difficultatem, vel excellentiam ſuperant captum Angeli inferioris, ea ſufficiunt, quibus in re poſitis Angelus inferior ſuo ſimplici intuitu prædictas veritates ſibi aliàs difficiles, penetrat; at per hoc quod Angelus ſuperior proponat inferiori res, ſicut ipſe eas cognoſcit ſuo lumine ſuperiori, illaſque dividat, & diſtinguat modo proportionato Angelo inferiori, Angelus inferior ſtatim ſuo intellectu illas intelligit: ergo illuminatio fiet in eo quod Angelus ſuperior ordinet ad Angelum inferiorem cõceptus, quos ipſe de re format particularizatos, & diviſos modo proportionato Angeli inferioris. Conſ. eſt evidens, Mai. certiſsima, & Min. Prob. nam per hoc quod ſuperior proferat inferiori rem ſicut ipſe eam intelligit particularizando ſuos conceptus, inferior iam invenit viam, & modum, quibus rem poſsit percipere: nam videt ſuperiorẽ eam intellexiſſe per viam, & modum, quo eam, vt intelligat, inferiori proponit: ergo.

Prob. ſecundo eadem Min. dum Angelus ſuperior ſe convertit ad inferiorẽ, offert intellectui inferioris cõceptus ipſos, quibus ſuperior ſuo lumine ſuperiori rem cognoſcit: ergo ſi illi cõceptus ſint diviſi, & diſtincti modo proportionato Angelo inferiori, nullam habebit difficultatem Angelus inferior in cognoſcendo ea, de quibus illuminatur. Prob. Conſ. nam in conceptibus Angeli ſuperioris repræſentatur res vt iã cognita, & nõ vt cognoſcibilis: ergo cum aliàs illi conceptus ſint partiti, & particularizati modo Angelo inferiori proportionato, rem in ſe videbit, ſicut & Angelus ſuperior illam videt. Confirm. ad illuminationem ſufficit fortificare vim intellectivam Angeli inferioris, & eius ſpecies impreſſas; at per hoc quod ſuperior offerat inferiori rem vt cognitam ab ipſo, & ea via cognoſcendam, qua ſuperior eam cognovit, vis intellectiva inferioris confortatur; nam ſic ad intelligendum confortatur lumine ſuperioris: per hoc autem quod dividuntur, & particularizantur

Digitized by Google

tur conceptus, confortantur ſpecies Angeli inferioris; hæc enim non poterant rem in vniverſali repræſentare, ſicut eam in vniverſali repræſentabant conceptus ſuperioris; poſtquam autem prædicti conceptus Angeli ſuperioris dividuntur, & partiuntur, jam proportionantur cum ſpeciebus Angeli inferioris: ergo per illa duo à nobis dicta habetur illuminatio.

Confir. ſecundo, Illuminans inferiorem, vt intelligat ea, quæ ſe ſolo intelligere nõ valet, non eſt cauſa perficiens intellectionẽ illuminati, ſed tantum eſt cauſa coadiuvans ad hoc vt inferior vi ſua valeat intelligere: ſicut medicus per ſuam artem ſanans infirmum non eſt cauſa perficiẽs ſanitatem, ſed coadiuvans naturam, vt ipſa ab intrinſeco ſanetur: ergo non requiritur quod illuminans inferiorem tribuat effectivè lumẽ Angelo inferiori, quo ipſe intelligat. Prob. Conſ. nam cauſa coadiuvans ex terminis nõ requirit producere vim in illam, quam adiuvat, ſed ſufficit quod ſimul agat cum illa, quamvis adiuta non agat per adiuvantem, vt licet videre in duobus portantibus lapidem, quorum neuter ſufficit ad portandum, qui tamen ſe adiuvant, ſine eo quod nullus portet per alterum, ſed tantum portet cum altero: ergo ſi illuminans non eſt cauſa perficiens intellectionem illuminati, ſed tantũ adiuvans ad illam, nõ requiretur quod producat lumen in intellectu illuminati, quo eliciat illuminatus intellectionem de rebus, de quibus illuminatur. Et Ant. Prob. nam illuminans Angelum inferiorem comparatur Soli illuminanti oculum, vel candelæ, quæ tamen non ſunt cauſæ perficientes viſionem, ſed tantum adiuvantes ad hoc vt oculus vi ſua viſiva viſionem eliciat, dum Sol illuminat: ergo illuminans Angelum inferiorem non erit cauſa perficiens intellectionem, qua illuminatus percipit ea, de quibus illuminatur. Quod ſi illuminatio nõ fit per productionem luminis intra intellectum illuminati: ergo debebit fieri per communicationem externi luminis, id eſt, per hoc quod illuſtret aliquam veritatem, quam ſine tali illuſtratione mens debilis cognoſcere non poterat.

1191 Duo tamen difficilia ſunt in hac doctrina, quam tradidimus. Primum ex parte intellectus illuminandi: ſecundũ ex parte conceptuum illuminantis. Primum quidem difficile apparet. Nam cũ ea, de quibus Angelus inferior illuminatur, ob ſui intrinſecã difficultatem, & excellentiam ſuperẽt captum, & vires Angeli inferioris; quandò ea intelligit inferior ex vi illuminationis, verè tranſit de intrinſecè impotente intelligere ad intrinſecè potentem intelligere: ergo neceſſe eſt, quod vt ea intelligat, intrinſeca ſuperadditio luminis ei fiat; nullum enim agens in via D. Tho. & Thomiſtarum tranſire poteſt de intrinſecè impotente ad potentem, niſi intrinſeca ſuperadditio virtutis ei fiat: ex hoc enim principio in tractatu de viſione probatur contra Ieſuitas, & Scotiſtas, quod intellectus noſter per ſolum auxilium extrinſecum elevari non poſsit ad videndum Deum, quia nempe nequit ſine additione intrinſeca luminis tranſire de impotente videre Deum ad potentem videre illum: cum ergo Angelus inferior illuminatus non poſsit viribus proprijs intelligere ea, de quibus illuminatur, eſt neceſſe, quod de impotente intelligere fiat potens, & ſic requiret neceſſariò lumen intrinſecum de novo ſuo intellectui ſuperadditum.

Ex ſecundo capite difficultas oritur. Nam Angelus ſuperior non poteſt intelligere formando conceptus de re ita partitos & particularizatos ſicut Angelus inferior, ergo nõ poterit partiri conceptus ſuos, eoſque particularizare iuxta modum proportionatum Angelo inferiori. Prob. Conſ. nam illa partitio, & particularizatio nequit ab Angelo ſuperiori fieri, niſi intelligẽdo rem partitè, & diviſim, ſicut eam intelligit Angelus inferior: ergo ſi rem ſic partitè intelligere non valet, non poterit dividere ſuos conceptus modo proportionato Angelo inferiori. Et Confirmatur; nam ſi Angelus ſuperior poſsit per conceptus ſic partitos rẽ intelligere, cum Angelus inferior eandem partitionem conceptuum poſsit facere, ſequitur, quod inferior rem præfatam proprijs viribus percipere poſsit; hoc non eſt admittendum: ergo. Min. patet, nam ſic non indigeret illuminatione ſuperioris: non ergo eſt verum quod Angelus ſuperior rem, de qua illuminat inferiorem, ſic partitè intelligere valeat.

Ad primam difficultatem dico, quod Angelus inferior ea, de quibus illuminatur, oblata ei vt purè intelligibilia cognoſcere non poteſt, quia illa vt tranſeant de ſtatu intelligibilitatis ad ſtatum intellecti requirũt maius lumẽ lumine Angeli inferioris: nam prout ſic ſolum habent proportionem cum lumine ſuperioris, & cum eius ſpeciebus; ſi autem ea offerantur inferiori vt jam cog-

nis

Digitized by Google

olita à ſuperiori, & ab ipſo illuſtrata, ſic cum iam non habeant eam difficultatem, quam antea habebant, quia hæc ablata eſt per illuſtrationem luminis, quo cognita ſunt à ſuperiori, ſic in ea poteſt Angelus inferior, quia ea iam non perſeverant in eodem ſtatu ſuæ difficultatis: vnde Angelus inferior cum ea intelligit per illuminationem, non tranſit de impotente intrinſece intelligere ad potentem intrinſece intelligere, quia ad hoc requirebatur, quod obiectum, dũ intelligitur, eiſdem difficultatibus eſſet implicatum, ac erat antea, quod non ita contingit: vnde non requiritur quod Angelo inferiori lumen intrinſecum ſuperaddatur, vt de facto ea intelligat, quæ ante intelligere non poterat.

Nec huic doctrinæ ſe opponunt ea, quæ adducũtur ex Thomiſtis. Etenim cum viſio Dei prout eſt in ſe ſit intrinſece ſupernaturalis, requirit in potentia illam elicIente aliquam virtutem ſupernaturalem, qua intrinſece fiat potens proxime elicere illam: vnde dicunt Thomiſtæ quod cum auxilium extrinſecum nõ det virtutem intrinſecam, per illud ſolum non poteſt intellectus cum ſolis naturalibus prædictam viſionem elicere, & ſic Deum nequit per ſolum auxilium extrinſecum videre: eſſet enim potens, & non eſſet potens, primum, quia ſupponeretur; ſecundum quia non haberet virtutem intrinſecam ad viſionem: in caſu autẽ præſenti res non occurrit ſic, quia intellectus Angeli inferioris ad cognoſcendam veritatem, de qua illuminatur, habet virtutem intrinſecam, & ſimul ſpecies, quibus poſſit cognoſcere veritatem cognitam lumine ſuperiori, & illo illuſtratam: vnde quamvis intellectus Angeli inferioris tranſeat de nõ illuminato ad illuminatum, non tamen trãſit de impotente ad potentem, quia impotentia illius ſolum eſt in ordine ad intelligendum illam rem purè ex terminis ſuis ſpectatam, non vero eſt in ordine ad illam propoſitam vt cognitam, & illuſtratam lumine Angeli ſuperioris.

Ad ſecundam difficultatem dicunt aliqui, quod Angelus ſuperior in ſui poteſtate habet illam rem, de qua illuminat inferiorem intelligere, vel conceptu vniverſali ſibi proprio, & proprio lumini adæquato, vel pluribus conceptibus, ſicut eam intelligit Angelus inferior; & ſic poteſt illam partitam, & diviſam proponere Angelo inferiori: diſtinguunt enim Angelum ſuperiorem ab inferiori in eo, quod inferior nullo modo valet rem intelligerẽ ea ſuperioritate, & vniverſalitate conceptuum, qua poteſt ſuperior: ſuperior vero & poteſt vniverſaliter rem concipere, & partitè, & diviſim ſicut inferior, ſimili modo, quo Chriſtus ſcientia indita poterat vti cum diſcurſu, & ſine diſcurſu.

Non recedam ab hac doctrina, ſed eam meo modo ſic explicabo. Dico ergo, quod de Angelis duplex habetur conſideratio: vel de illis vt addiſcentibus à ſibi ſuperioribus, vel de illis vt docẽtibus inferiores; ſi loquamur primo modo, ſic non eſt in eorum poteſtate res vniverſaliter, vel particulariter intelligere; ſed debent vti conceptibus ſic vniverſalibus, ſicut vtitur Angelus, qui docet: nam Angelus docens partitur conceptus ſuos, ſic, vt poſſint capi ab Angelo addiſcente: oportet ergo neceſſariò quod iuxta vniverſalitatem, vel particularitatẽ conceptuum Angeli docentis vt docentis Angelus, qui addiſcit, vtatur conceptibus magis, vel minus vniverſalibus in repræſentando: non ergo eſt liberum Angelo addiſcenti prout ſic vti conceptibus magis, vel minus rem in vniverſali repræſentantibus; ſed neceſſario debet ſe accomodare modo docentis: ſi autem loquamur de Angelis vt docentibus, ſic etiam, non eſt eis liberum vti conceptibus rem magis, vel minus in vniverſali repræſentantibus; ſed ſi docere volunt, debent ſic partiri conceptus eo modo, quo inferiores eos capere poſſint: poſſunt ergo Angeli res intelligere in vniverſali modo ſibi proprio, & proportionato, & intelligere eam minus vniverſaliter, hoc eſt, plures conceptus formando de ea; non tamen eis eſt liberum, vel dũm addiſcunt plures conceptus formare, quam requirantur ad diſciplinam, vel dũm docent pauciores formare, quam oporteat ad doctrinam. Cæterum præter iſtas conſiderationes Angelorum, alia haberi poteſt, qua neque docent, neque addiſcunt, & prout ſic, liberum eſt illis veritatem cognoſcere, vel formando de ea vniverſaliſſimum conceptum, quem poſſunt attenta ſua perfectione, vel formando de ea plures cõceptus, prout ipſis placuerit: in quo ſenſu vera eſt doctrina tradita in ſolutione vbi ſuprà. Vnde ad difficultatẽ propoſitam, nego Ant.

Ad Confir. nego Sequelam, nam eſto Angelus inferior partiri poſſit conceptus ſuos ſimili modo, quo ſuperior: ſine magiſtro tamen, rem, de qua illuminatur, percipere non valet; quia illa niſi illuſtretur lu-

Bis

Digitized by Google

mine Angeli docentis, ſuperat captum inferioris; ſicut eſto oculus ponatur habere ſpecies colorum, non tamen ſine illuminatione luminis externi poteſt poni quod videat colores.

1192 Sed hic alia occurrit difficultas contra concluſionem. Nam iuxta D. Tho. Angelus illuminat inferiorem aſtivè communicando lumen, ad differentiam docentis inter homines, qui tale lumen non communicat: vnde vnus homo non dicitur aliũ illuminare, eſto dicatur illum docere. Angelus vero illuminare dicitur, & docere; at hæc doctrina vera eſſe non poteſt, ſi ponamus quod Angelus illuminans ſolum illuſtret, & illuminet obiecta, & ſic illuminata offerat Angelo diſcipulo: ergo præter illud externum lumen, ad ſalvandum prædictum diſcrimen requiritur, quod Angelus illuminans lumen intrinſecum producat intra intellectum Angeli diſcipuli. Mai. eſt D. Th. Infra q. 117. ar. 1. & in 2. diſt. 11. q. 1. art. 2. ad 4. & Min. Prob. nam talis collatio luminis externi in eo tantum conſiſtit, quod docens veritatem, vt ab ipſo cognitam, & illuſtratam, proponat diſcipulo, vt addiſcat, ſine qua propoſitione diſcipulus veritatem non cognoſceret; at hoc ferè ſemper contingit inter homines, inter quos docens veritatem, quam concipit, prout ipſe eam intelligit, ſic diſcipulo addiſcendam tradit: ergo ſi illuminatio non conſiſtit in alia exhibitione luminis, niſi in iſta, verè vnus homo docendo alium illuminabit illum. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. diſt. Mai. talis collatio luminis externi in eo tantum conſiſtit, quod docens veritatem ab ipſo cognitam, & illuſtratam proponat diſcipulo, vt eam addiſcat, proponat tantum per ſigna externæ loquutionis, nego Mai. proponat per ſeipſam, ſic, quod addiſcens videat ipſoſmet conceptus, quibus docens rem intelligit, & concipit, conc. Mai. & nego Mi. Itaque homo docens hominẽ non poteſt immediatè offerre illi conceptus ſuos, quibus veritatem, quam docet, cognoſcit: nam homo addiſcens tantum poteſt audire voces, quæ ſunt ſigna conceptuum, ipſos vero conceptus vt illuſtratos lumine docentis videre non valet; & ſic nullo modo poteſt docens tradere diſcipulo lumen, quo ipſe veritatẽ cognoſcit: vnde dicitur docere per puram loquutionem propriè loquendo; at Angelus docens convertit ſe ad Angelum diſcipulum offerendo ei ipſos proprios conceptus proprio lumine illuſtratos, ſic, quod diſcipulus videat in illis veritatem vt illuminatam lumine ſuperioris Angeli, & ſic dicitur docere per modum illuminantis Angelum diſcipulum: nam vere lumen ſuum internum communicat extrinſece illi, cùm facit eum videre veritatem vt ſubeſt lumini, quo cognita eſt.

Sed inſtas, cùm Angelus docet hominem, verè illuminat illum; & tamen non oſtendit ei conceptus ſuos, nam homo ſicut non poteſt videre conceptus alterius hominis in ſeipſis, ita neque poteſt videre conceptus, quos Angelus dirigit ad ipſum in ſeipſis: ergo prædicta illuminatio nequit conſiſtere in eo, quòd docens cõceptus ſuos immediate diſcipulo offerat cognoſcendos, & diſcipulus immediatè illos in ſeipſis percipiat. Ad hoc dico, hominem non illuminari ab Angelo eo modo, quo Angelus inferior illuminatur ab eo: etenim homo nequit ab Angelo illuminari, niſi media immutatione ſenſus; illuminat ergo Angelus hominem, dùm in ſenſu eius aliquam ſpeciem format ita efficaciter alicuius obiecti repræſentativam, quod virtute illius format homo mediante lumine intellectus agentis cognitionem de aliquo obiecto, quam ſe ſolo formare non poterat. Itaque Angelus, eſtò immediatè intra intellectum hominis non agat, agit tamen in illum mediante ſenſu, quem immediatè immutat, & ſic illuminare hominem dicitur, dum non ſolum exterius proponit homini obiectum cognoſcendum, ſed interius efficacia ſui luminis intellectivi agit in hominẽ eius imaginativam ſic diſponendo, vt homo addiſcere poſſit.

Ne autem alicui videatur nova doctrina, qua hanc difficultatem explicavimus, ponderet literam D. Tho. in hoc articulo, vbi docens, quomodo Angelus ſuperior intellectum Angeli inferioris confortet, inquit: *Sicut enim virtus imperfectioris corporis confortatur ex ſituali propinquitate perfectioris corporis, vt minus calidum creſcit in calore ex præſentia magis calidi; ita virtus intellectiva inferioris Angeli confortatur ex converſione ſuperioris Angeli ad ipſum: hoc enim facit in ſpiritualibus ordo converſionis, quod facit in corporalibus ordo ſitualis propinquitatis.* Hæc D. Tho. ordo autem converſionis certè in alio non conſiſtit, niſi in eo quod Angelus ſuperior immediate oſtendat rem Angelo inferiori, eo modo, quo ipſe ſuo lumine eam cognoſcit, & in eo quod inferior immediate videat Angelum ſu-

ſuperiorem ſic, vel ſic eam cognoſcere, ſicut ab illo cognoſcendā offert; ex hoc enim videt inferior rem, vt ſubeſt lumini ſuperiori, & ex hoc confortatur, vel iuvatur ad illam cognoſcēdam ſub eo lumine, ſub quo ſuperior eam cognovit: vnde intelligitur quàm aptè adductum ſit exemplum de minus calido, & magis calido cum propinquitate locali inter ſe ad explicandum quomodo ex prædicta converſione ſuperioris ad inferiorem confortetur intellectus inferioris. Etenim dùm magis calidum calefacit aliquod lignum v. g. quod minus calidum præ debilitate caloris calefacere non poterat, ſic exſiccat, & diſponit illud, vt minus calidum, quod antea calorem in illud introducere non poterat, de facto introducat: ſic dum Angelus ſuperior rem cognoſcit ſuo ſuperiori lumine, & eam cognoſcēdam tradit Angelo inferiori, ſic eam illuminat, & illuminando diſponit, quod inferior videns illam vt tali lumini ſubeſt, eam de facto percipiat, quam aliàs percipere non poſſet: cumque hic ordo converſionis non reperiatur inter homines, fit inde, quod vnus homo alium doceat, non lumen illum illuminet.

1193 Sed adhuc circa hoc eſſe poteſt difficultas; Nam D. Tho. eſto in locis adductis ſupra doceat Angelorum magiſterium non eſſe ſicut magiſterium repertum inter homines quantum ad hoc, quod eſt illuminare, dùm docent; tamen videtur oppoſitū ſentire q. 9. de verit. art. 1. ad 2. vbi ſic habet: *Ab Angelo illuminante non fit novum lumen naturæ, vel gratiæ niſi vt participatum, ex cuius virtute habet intellectum confortare, ſicut patet quandò magiſter tradit diſcipulo aliquod medium alicuius demōſtrationis, in quo participatur lumen intellectus agentis*: ergo ſentit inter homines dari illuminationem, dum vnus alium docet, ſimilem ei, quæ datur inter Angelos. Patet Conſ. nam hæc cōſiſtit in eo, quod Angelus docens offerat veritatem cognitam, in qua participatum cernitur lumen Angeli ſuperioris; at inter homines magiſter, dùm docet, tradit diſcipulo aliquod medium alicuius demonſtrationis, in quo participatur lumen intellectus agentis, vt inquit D. Tho. ergo ſentit quod ſicut Angelus Angelum illuminet, ita & homo hominem. Reſp. negando D. Thom. ſentire in aliqua ſui parte oppoſitum illius, quod docuit hic q. 117. ar. 1. & in 2. d. 11. q. 1. ar. 2. ad 4. Et ad locum ex q. de verit. adductum dico, D. Tho. non ſentire quod homo alium doceat per modum illuminātis, ſicut Angelus Angelum illuminat; ſed tantum voluiſſe, quod ſicut, dum homo hominem docet, tradēdo ei medium demonſtrationis, in illo medio adeſt lumē intellectus agentis vt participatum, ita in veritate cognita à ſuperiori Angelo, & propoſita inferiori adeſt lumen Angeli ſuperioris vt participatum: quod autem inter homines magiſter docens diſcipulum propriè illuminet per hoc, quod illi præfatum medium tradit, in quo eſt vt participatum lumen intellectus agentis, ſicut Angelus illuminat per hoc quod veritatem vt à ſe cognitam ad Angelum diſcipulum ordinet; hoc D. Tho. non affirmat, nec de hoc aliquid loquitur.

1194 Et ſi inquiras, quare ſi homo magiſter tradit diſcipulo medium demonſtrationis, in quo eſt participatum lumen intellectus agentis, non dicatur illuminare diſcipulum? Reſp. hoc ideo eſſe, quia diſcipulus vt cognoſcat tale medium, ſufficientiſsimum habet lumen: nam habet intellectum primorum principiorum eiuſdē à homæ ſpeciei cum intellectu principiorū magiſtri, vnde tantum indiget propoſitione talis medij, & non requirit confortationem fiendam à lumine magiſtri; lumen enim principiorum diſcipuli talis qualitatis eſt, quod quolibet primo principio ſibi propoſito poſsit immediate præſtare aſſenſum; vnde non indiget illuminatione, ſed ſola propoſitione obiecti: Angelus diſcipulus nō poteſt veritatem capere, de qua docetur per ſolam veritatis propoſitionem, quia illa veritas ſolum proportionatur cum lumine Angeli docentis: vnde niſi eam attingat illuſtratam lumine ſuperioris docentis, non percipiet eam, & ſic dicitur non ſolum docere, ſed docere illuminando, id eſt, præbendo lumen vt illo Angelus diſcipulus confortatus veritatem percipiat.

QVÆSTIO XXI.

De quibus ſuperior Angelus inferiorem illuminat.

TRIA Sunt genera entium, de quibus præſens queſtio procedere poteſt. Alia ſpectant ad ordinem naturæ; alia ad ordinem gratiæ; & alia ad ſtatum gloriæ.

Cir-

Digitized by Google

Circa quæ tria placet ſuo ordine particularim diſcurrere.

§. I.

De his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ.

1195 CIRCA Hæc non vno modo D.Thom. videtur loqui: nam hic ar.1.ad 2.ait: *Angelus illuminat alium manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.* Et in 2.diſt.9.q.1.art.7.ad 4.dicit: *Quod ſi Angeli haberent naturalia tantum, adhuc lumen vnius excederet lumen alterius, & ita poſſet eſſe aliqua illuminatio, & perfectio; ſed non completè.* Huius oppoſitum videtur affirmare infra q.109.ar.3.ad 2.ibi: *Dicendum, quod ſecundum ea, quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non eſt neceſſaria manifeſtatio veritatis, neque in Angelis, neque in Dæmonibus, quia ſicut ſupra dictum eſt, ſtatim à principio ſuæ conditionis omnia cognoverunt, quæ ad naturalem cognitionem pertinent: & ideo maior plenitudo luminis, quæ eſt in ſuperioribus Dæmonijs, non poteſt eſſe ratio illuminationis.* Hinc Thomiſtas invenio inter ſe diſſidentes. Nam Salmanticenſes hic affirmant illuminationem tantum haberi poſſe circa naturalia, quæ ad hoc vniverſum non ſpectant, ſicut ſunt futura contingentia, & aliqua poſsibilia, quorum cognitio, cum nō poſsit haberi lumine naturæ Angeli, neceſſe eſt, quod fiat per illuminationem gratuitam, & ſupernaturalem. Hos ſequitur noviſsime quidam Gallus Carmelita Auguſtinus à Virgine Maria, tomo 1. ſui curſus Thomiſtici, vbi habet, illuminationem ſolum poſſe eſſe de his, quæ ſuperant captum naturæ Angelicæ, non quia in eſſe entis naturalis ordinis nō ſint, ſed quia in eſſe obiecti excedunt vires Angelicas, etiam Angeli ſupremi. Ioannes à S.Tho. hic habet, Angelos non illuminari circa quidditates rerum exiſtentium, ſecundum quod dependent à cauſis purè naturalibus inferioribus, benè verò illuminari de his, quæ pendent à cauſis purè contingentibus, etiam in ſtatu naturali, vel de his, quæ ex aliquo ſpeciali Dei beneficio fiunt, aut ab Angelis ſuperioribus adminiſtrantur, etiam ſi purè naturalia ſint; quia hæc non plenè inferiores Angeli comprehendūt, & ſic de illis illuminari poſſunt. Gonet, & Dominus de Marinis abſolutè concedunt dari illuminationem in Angelis non ſolum de his naturalibus, quæ ſola cognitione ſupernaturali cognoſci poſſunt, ſed etiam de omnibus his, in quibus inferiores ſuperant quantum ad vim naturaliter cognoſcitivā: vnde (inquit Gonet) ſuperiorem Angelum illuminare inferiorem circa cōprehenſionem, quam habet de ſeipſo ſuperior; quia niſi illam dividat, plenè eam inferior capere non poteſt.

1196 Pro explicatione huius magnæ difficultatis adverto, aliud eſſe vnum Angelum manifeſtare alteri aliquam veritatem de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ illuminando illum, vt eam cognoſcat; & aliud eſſe, vnum Angelum illuminare alium circa ea, quæ cognitione merè naturali cognoſcuntur. Ad primum ſufficit manifeſtare veritatem de rebus ordinis naturalis quomodocumque percipiendam ab illuminato, ſive ſola vi naturalis luminis, ſive vi adiutorij gratiæ, ideſt, luminis ſupernaturalis; ſi enim Deus revelaret Angelo ſupremo veritatem de futuro purè contingenti, puta de exiſtentia Anti-Chriſti tali, vel tali tempore facienda, vtique illuminaret illum de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ; non tamen Angelus illuminatus ſola vi naturalis intellectus prædictum futurum contingens cognoſceret. Ad ſecundum autem requiruntur duo, nempe quod res, de qua fit illuminatio, ſpectet ad ordinem naturæ, & quod illuminatus ſola cognitione naturali illam percipiat; ad quod diſcrimen attendens D.Tho. hic ar.1.ad 2. abſolutè docet: *Vnum Angelum alium illuminare manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.* Et infra q.109.ar.3.ad 2.docet: *Quod ſecundum ea, quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non eſt neceſſaria manifeſtatio veritatis, neque in Angelis, neque in Dæmonibus, quia ſtatim ab initio ſuæ conditionis cognoverunt omnia, quæ ad naturalem cognitionem pertinēt;* in quibus duobus dictis nulla eſt oppoſitio, ſed nobilis conſonantia; cum in prima eſt loquutio de illuminatione de re ad ſtatū naturæ pertinente, & in ſecundo eſt loquutio de re cognitione naturali cognoſcibili ab Angelo.

1197 His ſuppoſitis dico. Loquendo propriè de illuminatione circa ea, quæ omni gratia ſecluſa ab Angelis valent cognoſci, non datur inter Angelos illuminatio. Prob. expreſſa auctoritate D. Th. in 2. ſent. adducta, vbi habet: *Quod ſi in Angelis darentur naturalia tantum, adhuc daretur aliqua illuminatio, ſed non completè,* quod verbum ego intelligo idem quod *propriè*, quaſi di-

Digitized by Google

cat; quod in tali ſuppoſitione aliquo modo dari poſſet illuminatio, ſed non propriè. Probo concluſionẽ ſic. Nam de his, de quibus haberi poteſt ab Angelis plena notitia per cognitionem naturalem, omnes Angeli plenè immediatè docentur à Deo: igitur de his non datur inter Angelos illuminatio. Prob. Ant. nam cuilibet Angelo immediatè datum eſt à Deo lumen naturale comprehenſivum omnium rerum, quæ cognitione merè naturali poſſunt cognoſci. Inſuper datæ ſunt ei immediatè ſpecies repræſentativæ omnium naturalium exiſtẽtium in vniverſo: his autem duobus poteſt quilibet Angelus omne ens naturaliter cognoſcibile ſic plenè cognoſcere, quod nulla eius formalitas, nullus modus, nullaque ſubſtantia eum lateat: ergo de naturaliter cognoſcibilibus ab Angelis non datur inter eos propriè illuminatio.

Confir. non poteſt propriè Angelus ſupremus ſibi proximè inferiorem illuminare, niſi de his, de quibus ipſe propriè à Deo illuminatus eſt; nam ordo illuminationis in Angelis incipit à Deo ad ſupremum Angelum; ſed hic de his, quæ cognitione naturali cognoſcibilia ſunt, propriè loquendo de illuminatione, illuminatus non eſt: ergo de eiſdem ſibi proximè inferiorem illuminare propriè non valet. Prob. Min. nam licet ſit controverſia inter Theologos circa Angelos inferiores, vtrùm ſua vi naturali comprehendant ſuperiorem, ſic, quod non indigeant aliqua illuminatione ſuperiorũ; tamen abſque controverſia eſt, quod Angelus ſupremus vi ſui luminis naturalis, & ſuæ innatæ ſpeciei, omni illuminatione ſecluſa, perfectiſsimè comprehendat omne ens naturale naturali cognitione cognoſcibile: igitur de his, quæ cognitione naturali cognoſcibilia ſunt, Angelus ſupremus propriè à Deo illuminari non valet.

Dices, Deum illuminare tradendo lumen, & ſpecies: vnde eo ipſo quod ſupremo Angelo lumen dedit ſic ſupremum, quod perfectiſsimè omne ens naturale cognoſceret, hoc ipſo propriè illuminavit illũ: vnde ille ſic illuminatus poterit inferiorem illuminare. Sed contra eſt, nam illuminatio propriè dicta, cum eſſentialiter ſit propriè loquutio, debet ſupponere potentiam, quæ poſſit audire, & poſſit percipere loquutionem: ergo collatio intellectus, & ſpecierum nequit dici propriè illuminatio. Prob. Cõſ. nam Angelus per intellectum ſpeciebus affectum primò conſtituitur potens audire: ergo ſi loquutio debet ſupponere potentiã auditivam, ipſa collatio intellectus, & ſpecierum non erit propriè dicenda illuminatio, cum hæc eſſentialiter ſit quædam loquutio. Præterea, collatio intellectus, & ſpecierum primò facta ſupremo Angelo fuit actio creativa ipſius Angeli, per quam primo accepit ſubſtantiam, & ſecundariò proprietates quarto modo conſequutas ad illam: non ergo talis collatio intellectus, & ſpecierum poteſt dici propriè illuminatio: nullus enim idem eſſe dixit actionem creativam Angeli, & eius à Deo illuminationem.

Secundo impugnatur ſolutio. Nam illuminatio requirit indiſpenſabiliter aliquod magiſterium, & diſcipulatũ, ſic, quod alter doceat, & alter addiſcat; at Deus creãdo lumen intellectus Angelici, & dando ei ſpecies impreſſas, nullum prout ſic exercuit magiſterium, nec Angelus, qui creabatur prout ſic exercere potuit diſcipulatum; nam hic exercetur per actualem perceptionem eorum, quæ dicuntur à magiſtro: ipſum autem creari Angelum ſecũdum intellectum, & ſpecies non fuit actualiter percipere, ſed merè paſsivè ſe habere ad Deum activè creantem: non ergo Angelus ſupremus per hoc quod à Deo accepit intellectum, & ſpecies, propriè à Deo illuminatus eſt.

1198 Secundo principaliter Prob. concluſio. Nam ſi ab aliquam rationem Angelus ſupremus inferiorem propriè illuminaret de his, quæ ad cognitionem naturalem pertinent, ea eſſet, quod cum ſupremus res cognoſcat ſub vniverſaliſsima ratione, ſub qua inferior eas cognoſcere non valet, eſt neceſſe, quod inferior illuminetur à ſuperiori explicante inferiori per plura quod ipſe ſuperior vno tantum actu, & vna tantum ſpecie intelligit; hæc autem ratio eſt nulla: ergo. Prob. Min. nam ſupremus Dæmonũ, cum Angelus ſupremus ſit, vno actu, & vna ſpecie comprehendit ſeipſum, & cognoſcit etiam comprehenſivè omnia, quæ naturali cognitione poſſunt cognoſci; & cum Dæmones inferiores res prædictas non intelligant ſub ea vniverſalitate, poſſunt de facto ab eo inſtrui de his, quæ ſub ratione altiori, & maiori cum vniverſalitate Dæmon ſupremus intelligit; & tamen non poſſumus dicere Dæmonem ſupremum illuminare inferiorem: ergo ratio ab adverſarijs adducta non probat inter Angelos propriè reperiri illuminationem in ordine ad ea, quæ ratione naturali cognoſci poſſunt.

Di

Digitized by Google

Dices, in Dæmonibus non dari illuminationem, quia in ordine ad cognitionem naturalem ab initio conditionis ſuæ noverũt omnia, quæ ad cognitionem naturalem pertinent. Sed ex hoc ſumo argumentum. Omnes Angeli, includendo etiam Dæmones, ab initio cognoverunt omnia naturali cognitione attingibilia; at Dæmones non cognoverunt per illuminationem omnia prædicta, quia neque illuminati ſunt à bonis Angelis ſuperioribus, neque ab alijs Dæmonibus: nam hæc illuminatio non fuit facta in primo inſtãti, in quo ſolo omnes fuerunt boni, ſiquidem prius fuit eos creari, & habere eſſe in ordine ad ſe, quàm illuminare alios: in ſecundo inſtanti iam perdiderũt ſuum principatum, ex quo habent Angeli illuminare alios: non ergo Dæmones à Dæmonibus illuminati ſunt, neque à bonis Angelis, quia hi non illuminant niſi ordinando ad Deum diſcipulos ſuos: in ſecundo autem inſtanti Dæmones non erant iam ordinabiles in Deum, à quo actualiter per peccatum ſeparabantur: cognoverunt ergo Dæmones omnia naturaliter cognoſcibilia omni ſecluſa Angelorum illuminatione.

1199. Secundo Probo rationem illam eſſe inefficacem. Nam manifeſtatio, qua Angelus ſuperior ſuum conceptum ſupremum, vel ſuum ſimplicem actum, quo ſe comprehendit, manifeſtat, illuminatio non eſt, ſed quædam loquutio, & ad magis inſtructio: ergo ex vi huius non fit bonum argumentum ad probandum Angelos ſuperiores illuminare inferiores de his, quæ ad cognitionem naturalem ſpectãt. Prob. Ant. ex D. Tho. infra q. 109. ar. 3. ibi: *Illuminatio propriè eſt manifeſtatio veritatis ſecundum quod habet ordinem ad Deum, qui illuminat omnem intellectum: alia autem manifeſtatio veritatis poteſt eſſe loquutio, ſicut cum vnus Angelus ſuum conceptum alteri manifeſtat*: vbi nõ diſtinguit de ſuperiori manifeſtante cõceptum inferiori, vel è contra: igitur ex hoc quod ſuperior Angelus manifeſtat inferiori conceptum vniverſaliſſimum, quem de ſe format, vel de rebus ſpectantibus ad vniverſum, illa manifeſtatio veritatis erit loquutio, vel ad magis inſtructio; non tamen erit propriè illuminatio. Explicatur hoc, ille manifeſtat veritatem ſecundum quod habet ordinem ad Deum, qui manifeſtat veritatem, quam ipſe manifeſtans per revelationem accepit à Deo; at cognitio, quam habet Angelus ſuperior de ſuo vniverſaliſſimo conceptu, non eſt accepta à Deo per revelationem factam ipſi Angelo à Deo: ergo manifeſtatio illius reſpectivè ad Angelum inferiorem, cui fit, erit illuminatio propriè loquendo. Et vt hoc appareat, ſupponamus quod Angelus ſupremus conceptum vniverſaliſſimum, quo comprehendit ſeipſum, vellit manifeſtare Angelo infimo per modum purè loquutionis, & non per modum illuminationis. Tunc neceſſe eſt quod prædictum conceptum ſuum dividat, & diſtinguat, vt eum Angelus inferior perfecte comprehenſive capere poſsit; & tamẽ tunc non eſt illuminatio, ſed mera loquutio cum aliquali inſtructione: ergo ex hoc præciſe quod ſuperior Angelus ſuum vniverſaliſſimum conceptum inferiori explicat, vel ſuum actum comprehenſivum ad inferiorem dirigit, vt eum cognoſcat, non habetur illuminatio propriè loquendo.

§. II.

Solvuntur Argumenta contra Concluſionem.

1200 PRIMO Inſtatur ex multis locis D. Th. Nam hic ar. 1. ad 2. dicit: *Quod vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, gratiæ, vel gloriæ, ſed confortando lumen naturale illius, & manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ*. Ex quibus (inquit) Ioan. à S. Thoma ſuprà q. 56. diſp. 22. ar. 1. ecce manifeſtiſſime ponit D. Tho. illuminationem, & manifeſtationem fieri ab Angelo ſuperiore etiam de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ: ergo aliqua ſunt in naturalibus, quæ Angelus inferior viribus proprijs non comprehendit, & de his illuminatur à ſuperiori.

Quod ſi dicas, hic non loqui de illis naturalibus, quorum cognitio haberi poteſt per vires naturæ, ſed de alijs naturalibus, quorum cognitio excedit vires naturæ, ſicut ſunt futura contingentia, & aliqua poſſibilia ordinis naturæ, quorum cognitio nequit haberi viribus naturæ ſolis, quamvis ipſa ad ordinem naturæ ſpectent. In contra eſt, nam ſi loquutio eſſet de illis non diceretur in auctoritate adducta, *illuminationem fieri per hoc quod ſuperior Angelus cõfortet lumen naturale inferioris*; ergo dum hoc dicit D. Thomas, nõ loquitur de his naturalibus, quorum cognitio ſuperat vires naturales cognoſcitivas. Prob. Antec. nam ad hoc vt

An-

Angelus inferior illuminatur circa cognitionem futuri contingentis, vel alicuius poſsibilis, non ſufficit quod lumen naturale confortetur ſine additione luminis intrinſece inhærentis inferiori, ſiquidem prædictorum cognitio non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis, & ſic requirit in cognoſcente principium ſupernaturale: ergo. Secundo, futura contingentia, & aliqua poſsibilia, quandiu futura, & poſsibilia ſunt, ad ſtatum naturæ non pertinent, ſed aliquando pertinebunt, vel poterunt pertinere: cum ergo D. Tho. dicat prædictam illuminationem fieri de his, quæ pertinẽt ad ſtatum naturæ, non videtur loqui de futuris contingentibus, vel de aliquibus poſsibilibus

Ad hoc bene dictum eſt. Ad replicam, nego Ant. Ad Prob. diſt. Ant. ſine additione luminis ſupernaturalis intrinſece inhærentis inferiori, facta ab Angelo illuminante, nego Ant. facta à Deo ipſi Angelo inferiori, conc. Ant. & nego Conſ. Itaque in auctoritate adducta tantum dicitur quid faciat Angelus illuminans inferiorem, & dicitur hoc non eſſe producere lumen naturæ, gratiæ, vel gloriæ, ſed purè confortare intellectum Angeli inferioris, quod quidem veriſſimum eſt, quamvis hoc nõ ſufficiat ad hoc, vt inferior intelligat ea, de quibus illuminatur. Itaque cum Deus Angelo ſuperiori revelat aliquod futurum contingens, ipſi tribuit omnia neceſſaria ad hoc vt plene percipiat ea, de quibus illuminatur; & cum Angelus ſupremus, Deo ſic volente, veritatem, quam à Deo accepit, inferiori revelat, Deus tribuit immediate lumen gratiæ inferiori, vt poſsit percipere quod ei manifeſtat ſuperior: vnde ſuperior tantum habet confortare intellectum inferioris, vt percipiat ſuo modo illam veritatem, quam ſuperiori modo ſuperior intellexit. Et hoc eſt quod docet ibi D. Tho. Ad ſecundam dico, quod ſi nomine *ſtatus naturæ* accipiatur ordo naturæ; ſic futura contingẽtia, & poſſibilia aliqua ad ſtatum naturæ pertinent, de cuius conceptu eſt quod aliqua habeat in actu, & alia de futuro, & alia de poſsibili, ſi autem ſtatus naturæ tantum accipiatur pro ſtatu naturæ exiſtentis, ſic ad illam tantum ſpectant ea, de quibus actu componitur: porrò nos intelligimus primo modo loqui D. Thom. non ſecundo, & ſic ex illo dicto nullum habetur argumentum contra noſtrã doctrinam.

1201 Aliam auctoritatem producit contra nos Ioannes à S. Thom. ſupra q. 56. diſp. 22. ar. 1. ex q. 16. de malo ar. 8. vbi ſic habet: *In vnoquoque intellectu ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus ſunt vniverſaliores, & ideo non poſſunt comprehendi per ſpecies intelligibiles inferioris intellectus, & ideo inferior intellectus non poteſt eas perfectè cognoſcere.* Dices cum Araujo, hic loqui de intellectu humano tantùm, de quo concludit, quod Angeli boni, & mali ſpecies intelligibiles exiſtẽtes in anima perfectè poſſunt cognoſcere; non verò intellectus humanus valet intelligere ſpecies intelligibiles exiſtentes in Angelis ſibi ſuperioribus. Sed contra eſt, nam vt hoc concludat D. Tho. tradit doctrinam vniverſalẽ de quocumque intellectu ſuperiori, & de quibuſcumque ſpeciebus exiſtentibus in illo reſpectivè ad quemcumque intellectum inferiorem, & virtute huius vniverſalis doctrinæ ſubſumendo inferioritatem intellectus humani, concludit, non poſſe hunc perfectè cognoſcere ſpecies, quæ ſunt in Angelis, cum hi ſint ſuperiores: ſi ergo nequeunt inferiores Angeli perfectè cognoſcere intelligibiles ſpecies reſidentes in intellectu ſuperiorum: ergo poterunt inferiores à ſuperioribus illuminari.

Hoc argumentum nihil concludit contra noſtram doctrinam, nam ſolum probat, quod Angelus inferior virtute ſui luminis nequeat comprehendere ſuperiorem, & ſic indigeat de aliqua veritate, quam de ſuperiori non valet cognoſcere, inſtrui à ſuperiore; non tamen probat quod indigeat illuminatione propriè loquendo: nam hæc non eſt quælibet manifeſtatio veritatis ſuperioris ad inferiorem, ſed requirit, quod illa veritas, quæ manifeſtatur, prius fuerit à Deo manifeſtata Angelo ſuperiori, & deinde ille eam manifeſtaverit ſibi vicino, & iſte alteri, & ſic deinceps, quod iam ſuperabundanter probatum eſt: cum ergo veritas illa, quam ſcire indiget Angelus inferior, vt ſuperiorem comprehendat, non ſit veritas prius à Deo manifeſtata Angelo ſuperiori, ſit inde, quod manifeſtatio illius facta Angelo inferiori, non ſit propriè illuminatio, ſed mera loquutio inſtructiva; vnde conc. Argumento cum prima Conſ. nego ſecundam.

1202 Tertio argui poteſt ex illa auctoritate ex 2. diſt. 9. ſupra relata, in qua D. Th. docet, *quod ſi in Angelis darentur naturalia tantùm, cum adhuc vnus excederet alium, poſſet adhuc in Angelis eſſe illuminatio, & aliqua perfectio, licet non completè.* Quæ verba non

conv.

complete perperam à nobis ſupra explicata ſunt pro eodem, quod *non propriè*: nam cum regulariter illuminatio fiat de tribus, nempe de his, quæ ſpectant ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ, & tunc tantùm fieret de his, quæ ſpectarent ad ſtatum ſolius naturæ, verè quamvis propriè illuminatio fieret, non tamen completè fieret reſpectivè ad eam, quæ modo fit: ſiquidem tunc tantum eſſet de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, & modo fit de tribus, nempe natura, gratia, & gloria. Super quam auctoritatem poteſt fieri alia ponderatio non valde ſpernenda. Etenim D. Thom. ad ponendum quod in pura natura Angelica adhuc poſſet dari aliqua illuminatio, ſolum recurrit tanquam ad cauſam huius, quod videlicet adhuc in illo ſtatu darentur Angeli ſuperiores, qui in lumine, & alijs excederent inferiores; at ſi iſta illuminatio non eſſet propriè talis, ſed tantum eſſet loquutio inſtructiva, qualis habetur inter homines, dum vnus alium docet, non eſſet neceſſe recurrere ad illum exceſſum, & inferioritatem: ergo dum ad hoc recurrit, ſane credendum erit, loqui de propriè dicta illuminatione. Prob. Min. inſtructio loquutiva, dummodo illuminatio non ſit, non requirit exceſſum ſpecificum in illuminante ſupra illuminatum, cum videamus inter homines eiuſdem ſpeciei haberi Magiſterium, & diſcipulatum, qui habetur per illam inſtructionem loquutivam, qua vnus alium inſtruit; ergo.

Ad hoc argumentum dico, nos ſupra probaſſe illa verba *non tamen completè* debere eſſe idem, ac *non propriè* ex ipſo D. Thom. qui ad illuminationem requirit infra quæſt. 109. art. 3. quod ſit de his veritatibus, quarum manifeſtatio primò à Deo fit Angelo ſupremo, & deinde illo mediante fit alijs inferioribus: ſi autem Angeli tantum eſſent in pura natura, vnus Angelus communicaret alteri id ſolum, in quo eum excederet in cognitione, & ſui cognoſcibilitate; non autem ei communicaret veritatem primò à Deo ei manifeſtatam; quia cum hæc manifeſtatio ſit mere gratuita, ad ſui cognitionem requirit principium ſupernaturale, quod non componeretur cũ illo ſtatu: vnde in via Div. Thom. melius eſt illud *non completè* intelligere pro eo, quod *non propriè*, quam intelligere in ſenſu, qui habetur in argumento. Ad aliam ponderationem dico D. Thom. nihil dixiſſe de exceſſu ſpecifico, ſed tantùm dixiſſe in tali ſuppoſitione adhuc Angelos ſe excedendos in lumine, ſic, quod alij eſſent ſuperiores, & alij inferiores, ſicque poſſe adhuc inter eos aliquam dari illuminationẽ, quamvis *non completè*: vnde pro cauſa ſolum accepit exceſſum vnius ad alterum, non vero accepit pro cauſa, quod iſte exceſſus eſſet ſecundum eſſe ſpecificum: ad loquutionem autem inſtructivam, requiritur exceſſus in lumine vt contingit in humanis, vbi Magiſter ex terminis debet excedere diſcipulum in lumine ſcientifico: vnde nunquam probatur, quod prædicta illuminatio, quæ tunc daretur in Angelis, eſſet propriè illuminatio.

1203 Sed cõtra hæc ſic argumentor. Si Angeli eſſent conditi in ſolis naturalibus, adhuc Deus poſſet loqui cum illis, revelando eis ſecreta aliqua de his, quæ ad illum ſtatum pertinere poſſent; hoc autem ſecretum, qui immediatè à Deo acciperet, alijs communicare poſſet: ergo daretur in Angelis tunc illuminatio de his, quæ ſola naturali cognitione poſſunt cognoſci. Prob. Anteced. nam tunc inter Deum, & Angelos vera adeſſet amicitia naturalis; hæc autem non eſt ſine ſpeciali convictu, & mutua loquutione: vnde Chriſtus dixit ad ſuos; *iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia quæcumquè ſcivi à Patre meo, nota feci vobis*: daretur ergo in illo ſtatu loquutio Dei ad Angelos, qua eis revelaret aliquã ſecreta ſua. Ad hoc, nego Mai. Ad Prob. nego Min. mutua enim loquutio, non eſt de eſſentia amicitiæ ſpecialiter, quando hæc eſt amicitia excellentiæ ex parte vnius extremi, ſed tantum eſt de ſtatu perfectionis amicitiæ, ad quem ſtatum non perveniret illa, quæ eſſet in Angelis reſpectivè ad Deum in ſuppoſitione quod in puris naturalibus conderentur, & ſic non requireretur, quod Deus immediatè loqueretur ad Angelos revelando eis ſecreta ſua; adeſſet autem tunc aliquis convictus inter Deum, & Angelos, quatenus iſti illum vt auctorem naturæ cognoſcerent, & diligerent, & pariter à Deo diligerentur.

Sed adhuc inſtas. Deus vt auctor naturæ, prout adæquatè diſtinguitur à ſe ipſo prout auctore gratiæ, poteſt facere miracula, putà ſuſcitare mortuum, illuminare cæcum, & alia huiuſmodi, quæ tantum concernunt materiam ordinis naturæ: ergo pariter poterit vt

Digitized by Google

auctor naturalis; eſto non ſecundum curſum ordinarium, ſed extraordinarium, immediatè loqui cum Angelis, & revelare eis ſecreta ſua circa naturalia eiuſdem ſtatus, ſic, quod ipſi percipiant loquutionem cognitione purè naturali, eſto miraculoſa. Ad hoc, conceſſo Antec. nego Conſeq. & aſsigno diſcrimen. Etenim Deus vt auctor naturæ, & prout diſtinctus à ſeipſo vt auctore gratiæ, eſt omnipotens: videmus enim quod prout ſic creavit ex nihilo; quod opus creationis per ſe exigit infinitatem in creante: vnde vt auctor naturæ, & operatur ſecundum curſum ordinarium cauſarum, vel ſupra omnes cauſas naturales; quo ſecundo modo, ſi operetur, miraculoſè operabitur: revelare autem ſecreta ſua nequit niſi communicando participationem formalem luminis, quo ipſe in ſe omnia novit, quæ cum non poſsit non eſſe ſupernaturalis, cum ſtatu puræ naturæ componi non poſſet: vnde cum Angelis in ſolis naturalibus conſtitutis Deus immediatè loqui non non poſſet communicando eis ſecreta ſua.

1204 Ex his deduco, in Angelis dari propriam illuminationem de his, quæ ſpectant ad ordinem naturæ. Quæ eſt doctrina D. Thom. hic art. 1. ad 2. ibi: *Vnus Angelus illuminat alium de his, quæ ſpectant ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.* Et ratione Prob. vera illuminatio eſt quando Deus Angelo ſuperiori aliquid immediatè manifeſtat, & ille illud, quod à Deo accipit, alijs tradit cognoſcendum; ſed multa ſpectant ad ſtatum naturæ, quorum notitiam Angelus ſupremus immediatè à Deo accipit, & ille alijs Angelis illa communicat: ergo vera, & propria illuminatio dabitur in Angelis de his, quæ ſpectant ad ſtatum naturæ. Prob. Min. illorum naturalium Angelus ſupremus immediatè à Deo notitiam accepit, quæ ipſe Angelus vi ſua naturali cognoſcere non poteſt; ſed multa ſpectant ad ſtatum naturæ, quorum notitiam Angelus in ſola naturali cognoſcere non poteſt: ergo. Prob. Min. de futuris contingentibus ſpectantibus ad ordinem naturæ Angelus in ſola naturali certò cognoſcere non valet. Similiter de poſsibilibus ſpectantibus ad ordinem naturæ, vi ſola naturali cognoſcere non poteſt: ergo requiritur quòd de his à Deo illuminetur.

Dices, de his illuminari à Deo Angelum ſupremum per ſcientiam beatam: vnde non erit neceſſe, quod illa ſciat per revelationem extra Verbum. Sed contra eſt, nam per ſcientiam beatam Angelus ſupremus tantum cognoſcit modo de creaturis, ſive futuris, ſive exiſtentibus, quantum cognovit ab initio ſuæ beatitudinis, cum hæc nullam admittat variationem, ſed ſemper in eodem maneat ſtatu: ergo cum præter hoc quod Angelus ſcivit ab initio ſuæ beatitudinis in dies vſque ad diem iudicij Deus ſe communicet alijs dando notitiam eis eorum, quæ Deus, dum ſe comprehendit, cognoſcit, & alij cum Deum non comprehendant, non norunt, erit neceſſe, quod extra Verbum eis aliqua revelet, & de aliquibus contingentibus, vel poſsibilibus moneat vltrà ea, quæ Angelus ſupremus in Verbo cognoſcit.

§. III.

Explicatur illuminatio circa ea, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ.

1205 CONSIDERATA illuminatione circa ea, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, ſequitur conſideratio illuminationis circa ea, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ. Et quidem hic nomine *gratia* non intelligitur gratia pro omni ſtatu, ſed tantu pro præſenti ſtatu viæ: nam D. Thom. condiſtinguit ea, quæ ſpectant ad ſtatum gratiæ ab his, quæ ſpectant ad ſtatum gloriæ: eſt ergo loquutio de ſtatu præſenti gratiæ. Nec valet dicere, quod nos non intelleximus ea, quæ ſpectant ad ordinem naturæ, de ſtatu naturæ præſenti, ſed ampliavimus ad futurum, & ad poſſibile: ergo videtur ſimiliter debere loqui de ſtatu gratiæ, non ſolum præſenti, ſed etiam prout in futuro invenitur. Non (inquam) valet, nam D. Th. loquitur de natura prout hæc condiſtinguitur à gratia, & gloria: vnde nomine *natura* debemus intelligere ordinem naturæ: vnde non debemus coarctare illud ad naturalia, in quibus natura de facto invenitur; loquitur autem Div. Tho. de gratia prout condiſtinguitur à gloria; vnde non poſſum dictū intelligere de gratia prout comprehendit eam, quæ eſt de ſtatu viæ, & eā, quæ eſt de ſtatu patriæ, quæ dicitur gratia conſummata; ſeu tantum de gratia præſentis vitæ, ſive exiſtat de facto,

ſi,

Digitized by Google

ſive extitura ſit pro præſenti tamen via, ſub qua comprehenduntur omnia myſteria fidei, noſtræ iuſtificationes, quæ fiunt, & fient in Eccleſia; bona opera ſupernaturalia, quæ facturi ſunt fideles, vt mereantur æternam ſalutem, & alia huiuſmodi, comprehendendo etiam donum perſeverantiæ, finalis, & vt vno Verbo dicam, omnia ea, quæ nos ducunt, & ducere poſſunt ad ſalutem. Vnde D. Thom. hic art. 4. ad 3 dicit: quod *vſque ad diem iudicij ſemper nova aliqua ſupremis Angelis revelantur divinitus de his, quæ pertinent ad diſpoſitionem mundi, & præcipue ad ſalutem electorum*. Quo ſuppoſito.

1206 Dico, quod in Angelis dantur verè, & propriè illuminationes de his, quæ ſpectant ad ſtatum gratiæ. Sic D. Th. hic & cum eo communiter Theologi. Prob. Ex eo quod quamvis omnes Angeli cognoverint omnia divina opera; non tamen æqualiter noverunt illa, nam Angelus ſupremus, quamvis maiori cum perfectione ea noverit, non tamen cum ea plenitudine, qua Deus ea cognoſcit: ergo poteſt de his ſupremus Angelus immediatè à Deo illuminari, & ab ipſo alij inferiores. Conſ. eſt bona, & Ant. Prob. ex D. Th. hic art. 1. ad 1. ibi: *Sed rationes divinorum operum, quæ in Deo cognoſcunt ſicut in cauſa, omnes quidem Deus in ſe ipſo cognoſcit, quia ſe ipſum comprehendit; aliorum vero Deum videntium tanto vnuſquiſque in Deo plures rationes cognoſcit, quantò eum perfectius videt: unde ſuperior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoſcit, quam inferior, & de his eũ illuminat.* Hæc ratio fundatur in eo quod cum de ratione ſummi boni ſit ſummo modo ſe communicare alijs à ſe, hoc ipſo quod Deus, qui ſummum bonum eſt, in infinitũ excedit creaturas intellectuales in cognitione divinorum operum ſpectantium ad ordinem gratiæ, hoc ipſo prædictorum maiorum cognitionem tribuit, ſed quia in hoc non habetur plena communicatio, niſi etiam tribuat quod pro captu ſuo etiam alijs inferioribus ſe communicent, nõ illam omnibus Angelis immediatè impartitur, ſed tantum ſupremo, vt inde omnis virtus regatur ad inferiores, ſicque illuminat, vt etiam illuminãdo vellit creaturas ſummi boni comparticipes; ſicut & in linea operativa non tantum tribuit rebus eſſe, ſed etiam tribuit quod ipſæ res agant in alias. Quam doctrinam pulchrè tradit D. Thom. in 2. diſt. 9. quæſt. 1. art. 2. ad 4. ibi: *Dicendum, quod ſicut in actionibus naturalibus inferior agens non habet efficaciam in productione effectus niſi virtute agentis primi, quæ vehementius imprimit in effectum: ita etiam in intellectualibus; inferior illuminans nihil poteſt efficere niſi per virtutem primi illuminantis, & propter hoc ipſe Deus eſt, qui omnes docet, nec tamen excluditur ab alijs illuminatio: ſicut nec ab agentibus naturalibus naturalis actio.*

1207 Sed contra concluſionem inſtabis. Nam hæc illuminatio de his, quæ ſpectant ad ordinem gratiæ, eſt purè ſupernaturalis: ergo ſolũ poteſt à Deo fieri: nam gratiã Deus non elargitur mediãtibus Angelis, ſed ſe ipſo immediatè vt cauſa principalis. Confir. illuminatio propriè dicta requirit in illuminante exceſſum ſpecificũ in virtute illa, per quam alium illuminat; hac enim de cauſa probavimus ſupra inter homines verã illuminationẽ reperiri nõ poſſe, eſto reperiatur magiſteriũ, & diſcipulatus, quia in hominibus vis intellectiva magiſtri eſt eiuſdẽ athomæ ſpeciei cum vi intellectiva diſcipuli; at bona gratuita, & ſupernaturalia in omnibus Angelis ſunt eiuſdem athomæ ſpeciei: igitur inter Angelos nequit haberi illuminatio propriè dicta.

Ad hoc, nego Conſ. Ad Prob. concedo quod Deus ſe ſolo largitur gratiam per modum efficientis; non autem per modũ docentis. Itaque in illuminatione requiruntur duo, & quod diſcipulus, qui illuminatur habeat in ſe gratiam, qua poſſit percipere veritates de ordine gratiæ, & quod vt eam percipiat inſtruatur à Doctore: primũ facit Deus ſe ſolo, & immediatè; ſecundũ facit mediantibus Angelis: vnde eſto ſe ſolo immediatè gratiam omnibus Angelis elargiatur; tamen non ſe ſolo illuminat, quia hoc non fit, vt ſupra vidimus, traddendo lumen ipſi illuminato intrinſecum, ſed tãtum per illuſtrationem obiecti vt percipiatur ab illuminato.

Ad Confirm. diſt. Mai. illuminatio requirit in illuminante exceſſum ſpecificum in virtute illa, per quam alium illuminat, in virtute illa elevante, nego Mai. elevata, conc. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque ad propriè illuminandum requiritur quod illuminans eſſentialiter ſuperior ſit illuminato, quia debet ſuperiori modo, hoc eſt maiori cum vniverſalitate percipere veritatem, quam percipiat ille, cui eam traddit per illuminationem; non autem requiritur quod lumen, quo proximè elevatus eſt

Digitized by Google

participationem talis veritatis, ſit ſuperior eſſentialiter lumine elevante etiam inferiorem: & ratio huius eſt, quia gratia perficit naturam iuxta modum naturæ, vnde eadẽ gratia in ſpecie communicata inferiori facit intelligere modo inferiori, & communicata ſuperiori facit intelligere modo ſuperiori; elevat enim habentem iuxta modũ habentis. Ex quo ſequitur, quod ſupremus Angelus primò percipiens à Deo illuminationem de aliqua veritate de ordine gratię, ſupremo modo percipiat illam: vnde inferior vt illã accipiens à ſupremo, quamvis gratiæ lumen eiuſdẽ ſpeciei habeat cũ ſupremo, tamen indiget illuminatione illius, quia veritatem ſic in vniverſali, ſicut accepit ſupremus à Deo, percipere non valet: vnde eſt neceſſe, vt percipiat, quod eam dividat, & diſtinguat iuxta captum Angeli diſcipuli.

Sed inſtas, cum eodem lumine naturali ſpecie eodem non ſtat in ordine naturę intelligere res ordinis naturæ cum maiori vniverſalitate ab vno, quam ab alio: ergo cum eodem lumine gratiæ ſpecie eodẽ, non ſtabit in ordine gratiæ intelligi res cũ maiori vniverſalitate ab vno, quã ab alio. Patet Cõſ. à paritate rationis. Ad hoc, nego Cõſ. Ad Prob. nego paritatẽ. Etenim intelligere cum maiori, & cum minori vniverſalitate ſunt per ſe diſtinctiva luminis naturalis: vnde cum eodem lumine ſpecie eodem non ſtat res ſub maiori vniverſalitate intelligi ab vno, & ſub minori ab alio; non autem ſunt per ſe diſtinctiva luminis gratuiti, quia tantum ſe tenent ex parte ſubiecti elevabilis per gratiam ratione potentiæ obedientialis, in qua vnivocè athomè cõveniunt intellectus ſuperior, & inferior: & ſic non habent prædictæ differentiæ variare eſſentialiter lumen gratiæ. Adeſt huius Conſequentiæ nobilis inſtantia. Etenim nõ ſtat in ordine naturæ ex vi eiuſdem luminis ſpecie ab vno intelligente concluſiones intelligi per diſcurſum, & non ab alio vtente eodem lumine; & tamen idem lumen gratiæ, quod in homine diſcurſivè cognoſcit concluſiones, in Angelo eas intelligit ſimplici intuitu, ſic in præſenti; & hoc ideò, quia cum gratia ſit ſuperior ad naturam, & ſit elevativa naturæ iuxta modũ ſuum, poteſt cum diverſa natura diſcurrere, & non diſcurrere, intelligere cum maiori, & cum minori vniverſalitate iuxta captum habentis gratiam.

(?)

§. IV.

Explicatur illuminatio circa ea, quæ ſpectant ad ſtatum gloriæ.

1208 NON Eſt facile explicare materiam huius illuminationis. Nam illuminare de his, quæ ſpectant ad ſtatum gloriæ, vel eſt Angelum ſupremũ manifeſtare ſibi proximè vicino ea, quæ ex vi viſionis beatæ videt, quia excellentior cum ſit, plura videt per viſionem beatã, quàm inferior videat, vel eſt manifeſtare inferiori, quæ ſpectant ad ſtatum gloriæ, non prout hæc inveniunt in iſto, vel illo, ſed ex terminis glorioſi ſtatus; non autem videtur hoc verum, neque in primo, neque in ſecundo ſenſu: ergo. Quod non in primo, Prob. nam, vt vidimus ſupra, Angelus nõ illuminat alium propriè loquẽdo de illuminatione, niſi de his, de quibus illuminans prius illuminatur à Deo; at Angelus ſupremus de his, quæ videt in Verbo, non illuminatur à Deo. Tum quia illa videt omni extrinſeco Magiſterio ſecluſo ex vi ſui luminis gloriæ. Tum quia illuminatio eſt pura gratia, & non iuſtitia: videre autem Deum, & in eo creaturas eſt iuſtitia meritorum ipſius videntis: non ergo vnus Angelus propriè illuminat aliũ de his, quæ pertinent ad ſtatum gloriæ per hoc; quod manifeſtat ei ea, quæ ex vi viſionis beatæ magis videt, quam alter. Non etiam eſt verum in ſecundo ſenſu: nam ad ſtatũ cuiuslibet beati attinet videre omnia ea, quæ ſunt de conceptu ſtatus glorioſi; hoc enim ſuis meritis promeruit: non ergo de his indiget illuminari.

Nec valet dicere, quemlibet beatum meruiſſe videre in Verbo omnia, quæ pertinent ad ſtatum, quem habuit, dum fuit in via, vt ſi fuit Patriarcha alicuius religionis attinet in patria videre omnia ea, quæ circa talem religionem aguntur, ſi ſit Rex omnia, quæ aguntur in Regno, & ſic diſcurras de alijs; non autem attinet videre omnia ea, quæ ſpectant ad ſtatum glorioſum ex terminis, quia nullus beatus habet ſtatum glorioſum in tota ſua latitudine, ſed habet illum in ſingulari determinatum. Non (inquam) valet, nam ideo lumen beatificum dat notitiam vnicuique beato eorum, quæ ſpectant ad ſtatum, quem habuit in via, quia vt beatificet, debet ſatiare omne deſiderium beati; at non ſatiabitur omne deſideriũ beati, niſi ſciat omnia,

quæ ſpectant ad ſtatum præſentem gloriæ, in quo de præſenti invenitur: ergo omnia ea debet videre ex vi viſionis beatæ, & ſic de nullo illorum propriè illuminabitur.

1209 Dico ergo, Angelum ſuperiorem illuminare inferiorem de his, quæ pertinent ad ſtatum gloriæ per hoc, quod plures rationes divinorum operum, quas in Deo videt, & quos inferior non videt, ei eas manifeſtat. Concluſio eſt D. Thom. hic, art. 1 ad 1. *Dicendum, quod omnes Angeli tàm ſuperiores, quàm inferiores immediatè vident Dei eſſentiam, & quantum ad hoc unus non docebit alium, ſed rationes divinorum operum, quæ in Deo cognoſcuntur ſicut in cauſa, omnes quidem Deus in ſe ipſo cognoſcit, quia ſe ipſum comprehendit; aliorum verò videntium Deum tantò unuſquiſque in Deo plures rationes cognoſcit, quantò eum perfectius videt: unde ſuperior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoſcit, quã inferior, & de his eum illuminat.* Sic D. Th. Quibus & noſtram concluſionem tenet, & probat.

1210 Ex quibus ad rationem dubitandi, eligo primam partem dilematis, videlicet quod illuminare de his, quæ ſpectant ad ſtatum gloriæ ſit Angelum ſupremum v. g. manifeſtare ſibi proximè vicino ea, quæ ex vi viſionis beatæ præ illo in verbo videt, & hunc ſibi inferiori manifeſtare ea, quæ ex vi viſionis beatæ præ illo videt, & ea accepit ab Angelo ſupremo, & ſic deinceps. Et ad Prob. in contra, nego Min: Ad primam Prob. nego Ant. etenim Beatus, dum Deum videt, propriè a Deo illuminatur: nam ab ipſo accipit lumẽ gloriæ, quod eſt participatio formalis intellectus divini. Inſuper Deus ſe unit illi per modũ ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, & inſuper in ipſomet Verbo divino ubi ut Verbo unito videt Deum, & creaturas in Deo; hoc autem eſt adæquatè erudiri, & illuminari ab ipſo Deo; nam inferior Angelus illuminatur à ſuperiori per hoc, quod videt conceptus ſuperioris, & in ipſis veritates, quas cõcipit ſuperior: ergo ſupremus Angelus illuminabitur à Deo per viſionem beatam, eo quod & videt ipſum Dei divinum conceptum, & inſuper in ipſo veritates, quas Deus de rebus concipit. Ad ſecundam Prob. dico, quod omnis illuminatio Dei ad creaturas debet eſſe gratia, vel in ſe, vel in ſui radice: viſio autem beata, eſto in ſe formaliter ſit iuſtitia meritorum, tamen eſt gratia in radice, quia ante omnem iuſtitiam meritorum ex mera ſui liberalitate voluit Deus illuminare nos lumine ſuæ gloriæ, & ſuammet beatitudinem, quam habet communicare: unde ex defectu gratiæ non amittitur Magiſterium Dei ad Angelum per ipſam viſionem beatam.

Et ſi inſtes, quod Magiſter, ut doceat, debet exercere aliquam actionem, qua illuminet conceptus ſuos, & diſponat ſic, quòd à diſcipulo poſsint capi; at in viſione beata Deus merè paſsivè ſe habet, per modum quo ſolius termini intellecti, & per modum obiecti concurrit ad viſionem: non ergo habet illuminare, & Magiſterium exercere erga beatos. Reſpond. negando Min. Etenim eſto Deus non activè viſionem Angeli ſupremi eliciat; tamen effectivè intra eius intellectum lumen gloriæ producit. Inſuper activè ſe unit illi per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, & ſe illi ſic aptat, ut per ipſum Deum, & in ipſo veritates, quas ipſe Deus altiſsimo modo concipit, inferiori, & limitatiori Angelus beatus concipiat: hoc enim eſt vere docere, ubi eadem res eſt Magiſter, & doctrina, ſicut & illud eſt vere mederi, ubi ipſemet eſt Medicus, & medicina. Ubi notaverim, quod ſicut inſtrumentum eſt duplex; aliud coniunctum, & aliud ſeparatum; humanitas enim coniuncta Verbo eſt inſtrumentum coniunctum Verbi, & Sacramenta ſunt inſtrumenta ſeparata: ita etiam & Magiſterium eſt duplex; aliud cõiunctum, & aliud ſeparatum: Deus, qui illabitur mentibus beatorum, & Magiſter eorum, ſed coniunctus intimè diſcipulo: Angelus vero, qui, cum creatura ſit, illabi menti alterius Angeli non poteſt, Magiſterium ſeparatũ in alium Angelum exercet.

1211 Sed contra hanc veritatem ſe offert argumentum commune. Nam Angelus proximè vicinus Angelo ſupremo cognoſcit viſionem beatam, quam habet Angelus ſupremus: ergo cognoſcit omnia ea, ad quæ de facto terminatur. Sed ad hoc iam ſupradiximus, & pro nunc, nego Conſ. Nam eſto Angelus vicinus ſupremo cognoſcat præfatam viſionem beatam, nõ tamen eam comprehendit, ſed ſolum quidditativè cognoſcit: unde poteſt illuminari ab Angelo ſupremo. Maior difficultas eſt in eo, quod Angelus ſupremus nõ poteſt dividere conceptus, quibus videt rationes divinorum operum, quas non videt inferior Angelus: non ergo de illis illuminare eum poteſt. Conſ. videtur bona, quia omnis illuminatio Angelica conſiſtit in

partitione conceptuum; ſic vt diſcipulus Angelus poſsit percipere ea, de quibus illuminatur. Antec. vero Prob. nam Angelus in viſione beata non format Verbum, ſed intelligit ipſo divino Verbo, quo Deus ſe comprehendit: non ergo poteſt dividere conceptus ſuos ſic vt alium Angelū illuminare poſsit. Ad hoc dico, quod Angelus ſupremus, res, quas in Verbo videt, proprijs conceptibus extra Verbū cognoſcit, quos dividit, & partitur ſic, vt à ſibi vicino percipi poſsint.

Sed inſtas. Inferior illuminandus de rationibus divinorum operum, quas ſuperior in Verbo videt, vel habet ſpeciem clare illas repræſentantem, vel tantum obſcure; ſi obſcure: ergo de prædictis tantum habebit fidem, vtpotè quia eas ei revelat ſuperior, & firmat auctoritate ſua; ſi habet ſpeciem clare repræſentantem: ergo independenter ab illuminatione, & magiſterio extrinſeco eas cognoſcit. Ad hoc dico, quod Angelus ſuperior illuminans, & inferior illuminandus habent ſpecies infuſas ſupernaturales: alter de his, de quibus illuminat, & alter de his, de quibus illuminatur; ſed quia ſpecies illuminantis vniverſaliores ſunt ſpeciebus illuminandi, res, quas illuminans videt in Verbo, maiori cum vnitate, & vniverſalitate repræſentant, quam eas repræſentent ſpecies illuminandi; & ſic iſta vt plenè percipiat, indiget illuminatione, & magiſterio Angeli ſuperioris. Itaque ſpecies inferioris Angeli res, de quibus illuminatur, repræſentant; ſed non cum tanta claritate, & diſtinctione, cum qua eas repræſentant ſpecies illuminantis: vnde indigent confortari aliquibus medijs externis, & aliquo ſuperiori homine, vt per eas Angelus inferior prędictas rationes operum divinorum valeat percipere. Nec tamen per hoc quod præfatas rationes in conceptibus Angeli ſuperioris inferior videt, fidem de prædictis habet, quia inferior non aſſentitur prædictis, quia ſuperior ei eas revelat, ſed aſſentitur eis, quia facto magiſterio ſuperioris, inferior per ſuam ſcientiam inditam, & per ſpecies ſupernaturales infuſas eas ſcientificè cognoſcit: vnde magiſterium ſe habet vt pura conditio, non verò vt ratio formalis aſſentiendi rebus, de quibus inferior illuminatur.

(·?·)
(?)

§. V.

Vtrùm Angelus inferior illuminet ſuperiorem?

1212 RESP. Negativè. Ita D. Th. hic art. 3. & Prob. nam ad illuminationem non ſufficit manifeſtare aliquid ignotū: hoc enim per puram loquutionem fit, ſed requiritur, quod hoc fiat per modum magiſterij, hoc eſt, proportionando ſpecies, & confortando lumē, & diſtinctius rem proponendo, & perfectius quam poſsit ex ſe eas capare illuminatus; at inferior, ſtando in ordine inferioris, hoc nequit exercere in ſuperiorē, quia ſemper res concipit inferiori modo, quam eas concipiat ſuperior, vtpotè cum inferius lumē habeat, & ſpecies minus vniverſales: ergo regulariter loquendo ſuperior ſemper illuminabit inferiorē, & nunquam ab eo illuminabitur. Confir. nam ordo cauſarum, ideo aliquando non ſervatur in corporalibus, ſed aliquando Deus prętermiſſo ordine naturæ corporalis aliquid miraculoſe operatur, quia vi miraculi efficatiùs Deus homines inducit in eius cognitionem, & in fide ſua firmat, & roborat; at nō ſervare ordinē in ſubſtātijs ſpiritualibus quoad hoc quod eſt ſuperiores illuminare inferiores, & non illuminari ab eis, nequit deſervire ad inducendos homines efficaciùs in Dei cognitionem, quia operationes Angelicæ, & ordo earum hominibus manifeſtæ non ſunt, ſicut & corporales operationes è contra nobis patent ſemper: ergo regulariter loquendo ſemper ſervabitur hic ordo, quod ſuperiores illuminent inferiores, & non prætermittatur.

1213 Sed contra concluſionem inſtabis. Hierarchia Eccleſiaſtica derivata eſt à cœleſti, & eam repræſentat: vnde ſuperna Hieruſalem dicitur *mater noſtra*. Ad Galatas 4. ſed in Eccleſia etiam ſuperiores illuminantur ab inferioribus, & docentur iuxta illud 1. Ad Corinth. 14. *Poteſtis omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & omnes exhortētur*: ergo & in cœleſti Hierarchia etiā ſuperiores illuminabuntur ab inferioribus. Ad hoc, diſt. Mai. Hierarchia Eccleſiaſtica derivata eſt à cœleſti, & eā repræſentat, perfectè, & adæquatè, nego Mai. aliqualiter, conc. Mai. & conc. Min. nego Cō. Etenim Eccleſiaſtic. Hierarchia eſto in aliquibus imitetur cœleſtē, nō tamē in omnibus eius aſſequitur perfectā ſimilitudinē;

Digitized by Google

vnde argumentū factum nullā vim habet. Sed quarè ſicut in alijs imitatur Eccleſiaſtica cœleſtem, non etiam eam imitabitur quantū ad hoc, quod eſt, quod inferiores nō illuminentur à ſuperioribus, ſed aliquando illuminent illos? Dico rationē eſſe, quod in cœleſti Hierarchia tota ratio ordinis eſt ex propinquitate ad Deum, & ideo illi, qui ſunt Deo propinquiores, ſunt in gradu ſublimiores, & in ſcientia clariores, & propter hoc nunquam ſuperiores ab inferioribus illuminantur: nam illuminans in eo, in quo fungitur myſterio erga alium, debet eſſe ſuperior illi; in Eccleſiaſtica autem Hierarchia interdum qui ſunt Deo per Sanctitate propinquiores, ſunt gradu infimi, & ſcientia non eminentes; quidam etiam in vno ſecundum ſcientiam eminent, & in alio ſecundum ſcientiam deficiunt, & ſic ſuperiores doceri poſſunt ab inferioribus, quia etſi ſint ſuperiores in gradu, ſunt inferiores in ſcientia: vnde ab alijs inferioribus in gradu, & in ſcientia ſuperioribus edoceri poſſunt.

Sed inſtas; nam in cœleſti Hierarchia Seraphim, & Cherubim ſe excedunt ab invicem, nam Seraphim, cum ſit plenitudo amoris, excedit Cherubim amore, & Cherubim, cum ſit plenitudo ſcientiæ, excedit Seraphim in ſcientia: non eſt ergo verum quod in cœleſti Hierarchia quantò Angeli ſunt Deo propinquiores, tantò ſunt in gradu ſuperiores, & in ſcientia clariores. Prob. Antec. nam Seraphim dicitur ab extremo amoris, & Cherubim ab extremo ſcientiæ, id eſt, quia alter eſt maximè amans, & alter eſt maximè ſciens: ergo ſe ad invicem excedunt. Ad hoc, nego Antec. Ad Prob. dico, Seraphim dici ab ardore charitatis, vel ab exceſſu amoris, non quia alios Angelos ſibi inferiores non excedant in ſcientia, ſicut excedunt in charitate; ſed quia amor divinorum moraliter magis bonum facit habentem, quam ſcientia; ideo ab amore ſupremi Angeli dicuntur Seraphim, quamvis in ſcientia, ſicut & in amore alios excedant, & quia moraliter poſt amorem magis quis redditur bonus per ſcientiam, ideo ſecundus ordo ſupremæ Hierarchiæ non ab amore, ſed à ſcientia dicitur: vnde dicitur Cherubim plenitudo ſcientiæ, non quia in ſcientia excedat Seraphim, ſed quia ſic dicendo explicatur eminentia ſupremorum Angelorum ad eos, qui in dignitate ſibi proximè vicini ſunt: vnde ſemper ſalvatur veritas noſtræ concluſionis, videlicet quod in cœleſti Hierarchia quantò Angeli ſunt propinquiores Deo, tantò ſunt gradu ſublimiores, & in ſcientia clariores, & ſic ab inferioribus nequeunt illuminari.

1214 Inſto ſecundo contra concluſionem. Angeli primæ Hierarchiæ, nempe Seraphim, Cherubim, & Throni differunt penes ſupremum, medium, & infimū: nam in qualibet Hierarchia datur triplex ordo, nempe ſupremus, medius, & infimus; & tamen Angelus medius non illuminatur à ſupremo, neq; infimus à medio: ergo falſum eſt quod inferiores ſemper illuminantur à ſuperioribus. Prob. Min. ex D. Tho. infra q. 108. art. 8. vbi ſic habet: *Throni elevantur ad hoc, quod Deum familiariter in ſe ipſis recipiant, ſecundum quod rationes rerum in ipſo immediatè cognoſcere poſſunt, quod eſt proprium totius primæ Hierarchiæ*: ergo Angeli primæ Hierarchiæ immediatè à Deo illuminantur, & ſic infimus non illuminabitur à medio, neque medius à ſupremo. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. dico, quod Angeli omnes primæ Hierarchiæ in ipſo Deo rationes divinorum operum cognoſcere poſſunt, ſed non æqualiter, ſed inæqualiter, ſecundum quod alij alios excedunt; ſupremus enim, quia excellit omnes, plures rationes, & pleniùs in Deo cognoſcit, quam intermedius, & hic plures rationes cognoſcit, quā infimus, & ſic poteſt ſupremus illuminare intermedium, & hic infimum.

1215 Tertio inſtabis, poteſt ſecundum curſum ordinarium Angelus ſupremus illuminare infimum de his, quæ immediatè accepit à Deo non illuminando Angelos intermedios: ergo poteſt prætermitti hic ordo, videlicet, quod ſuperiores immediatè illuminent ſibi immediatè inferiores. Prob. Antec. poteſt Angelus ſupremus immediatè loqui cum infimo, ſine eo quod loquatur cum Angelis intermedijs; ſed illuminatio nihil aliud eſt, quàm loquutio quædam de his, quæ à Deo primò manifeſtata ſunt: ergo & poterit illuminare infimos non illuminatis intermedijs.

Circa materiam, quam tangit hæc inſtantia, Ioannes à S. Thom. hic aſſerit, quod illuminationes Angelorum non eſt neceſſe quod ſemper deſcendant ad inferiores per omnes intermedios, cum conſtet poſſe vnum Angelū ſimul multis loqui, & ſi ſuperior ſit, eos illuminare, & non vnum mediante alio, quia omnibus immediatè lo-

ſtionem faciunt, divinique illius operis, & pro nobis aſſumptæ carnis ſcientiam diſcunt, & eos ipſe Ieſus ſine medio docet: nulla ergo eſt repugnantia in eo quod inferior doceat ſuperiorem, dummodo in ſcientia ſit illo ſuperior; cum ergo Angelus ſuperior à ſupremo illuminatus ſit in ſcientia ſuperior illis, qui à ſupremo non illuminarentur, nulla eſſet repugnantia in eo, quod facta diſpenſatione in lege de ſervando ordine in illuminatione, Angelus inferior à ſupremo immediatè illuminatus doceret eos, qui non illuminarentur à ſuis ſuperioribus.

1217. Ex his ergo ad quæſitum dico, quod ſi Deus diſpenſet in lege de ſervãdo ordine inſtituto illuminationis, ſic, quod vel ipſe Deus immediatè illuminet Angelum infimum, non illuminatis alijs Angelis ſuperioribus, vel ipſe Angelus ſupremus à Deo immediatè illuminatus illum illuminet, nulla erit repugnantia in eo quod infimus ſibi ſuperiores doceat, & illuminet; tunc enim erit in ſcientia ſuperior illis, poteritque illis non ſolum proponere veritates, de quibus eſt illuminatus, ſed inſuper inſtruere de medijs, per quæ poſſint in talium veritatum notitiam devenire: vnde & poterit docere, & illuminare. Nec tamen hoc faciet vt inferior formaliter, ſed in quantum ſuperior in ſcientia illa, quam accipiet à Deo, vel à ſupremo Angelo; non tamen erit illuminatio completa, quia non indigebit ad ſic illuminandum ſibi ſuperiores partiri, & dividere conceptus ſuos, eo quod inferiori modo habet percipere veritatem, quã ſibi ſuperior: hoc etiam non requiritur indiſpenſabiliter ad illuminandum: nam anima Chriſti docuit Angelos de opere dominicæ incarnationis; & tamen in tali magiſterio non diviſit conceptus ſuos, quia Angeli quoad hoc ſuperiori, & vniverſaliori modo intelligunt, quam anima Chriſti: vnde ad docendum illos non oportuit dividere conceptus ſuos.

Et ſi contra hanc reſolutionem inſtes, quod D. Thom. hic in artic. 3. docet, quod nunquam prætermittitur iſto ordo, qui cõvenit ſpiritualibus ſubſtantijs de eo quod inferiora ſemper moveantur per ſuperiora, & non è converſo: ergo non eſt dandus caſus in quo ſuperior Angelus doceatur ab inferiori. Reſpondeo quod doctrina D. Th. eſt vera ſecundum curſum ordinarium rerum, iuxta quem illuminationes Angelorum incipiunt à Deo ad ſupremum Angelum, & à ſupremo ordine quodam, & gradatim deſcendũnt vſquè ad infimũ: de quo ordine ſervando cum iuxta Dionyſium ſit immobiliter firmata lex, ſicut de facto non dabitur, quod Angelus ſupremus immediatè illuminet infimos, intermedijs non illuminatis: ita non dabitur, quòd infimus illuminet ſuperiorem. Huic autem doctrinæ non ſe opponit noſtra, quæ tantum conditionata eſt, & dicit, quod ſi Deus in prædicta lege diſpenſet, & per ſe ipſum, vel mediante Angelo ſupremo infimum illuminet, tunc non repugnabit, quod infimus ſic illuminatus ſibi ſuperiorem illuminet. Nec dixi adhuc in data hypoſtaſi inferiorẽ illuminaturum ſuperiorem, quia adhuc illa diſpenſatione facta poterit Deus efficere, quod inferior ſuperiorem non illuminet, manifeſtando ſuperioribus intermedijs per alios Angelos eis ſuperioribus veritatem, de qua infimus à ſupremo edoctus fuit, vel dando eis omnia media requiſita ad cognitionem talis veritatis, ſic, quod ſola propoſitione per modum loquutionis facta ab inferiori veritatem, de qua inferior illuminatus eſt, plenè percipiat.

§. VI.

Vtrùm Dæmones ſuperiores Dæmones inferiores illuminent?

1218. RESPONDEO Negativè propriè loquendo de illuminatione. Sic D. Thom. infra quæſt. 109. art. 3. & Prob. ratione eius, Illuminatio propriè eſt manifeſtatio veritatis ſecundum quod habet ordinẽ ad Deũ, qui illuminat omnem intellectum; perverſitas autem Dæmonum hoc habet, quod vnus alium non intendit ordinare ad Deũ, ſed magis ab ordine divino abducere: Igitur Dæmones, quamvis ſuperiores ſint, non habent propriè Dæmones inferiores illuminare.

Hæc ratio, quamvis optima ſit, non tamen vno modo ab omnibus explicatur. Vazquez hic diſp. 217. cap. 2. in fine aſſerit, idem eſſe illuminationem eſſe manifeſtationem veritatis ſecundum quod habet ordinem ad Deum, ac fieri de myſterijs à Deo revelatis. Et ſubſumit; cumque hæc Deus Dæmonibus non revelet, rectè concludit S. Thomas, vnum Dæmonem alium non illuminare. In quo diſcurſu quidquid *ſit* de Maiori, in Minori tamen contra S. Doctorem dicit Vazquez. Nam quæſt. 109. art. 4.

Digitized by Google

ad 1. ſic habet: *Dicendum, quod per ſanctos Angelos multa de divinis myſterijs Dæmonibus revelantur, cum divina iuſtitia exigit vt per Dæmones aliqua fiant, vel ad punitionem malorum, vel ad exercitationem bonorum: ſicut in rebus humanis aſſeſſores iudicis revelant tortoribus eius ſcientiam.* Idem ſupra q. 64. art. 1. expreſsè dicit: *Secunda autem cognitio, quæ eſt per gratiam, in ſpeculatione conſiſtens non eſt eis totaliter ablata, ſed diminuta, quia de huiuſmodi ſecretis divinis tantum revelatur eis quantum oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divinæ virtutis officia: non autem ſicut ipſis Sanctis Angelis, quibus plura, & clarius revelantur in ipſo Verbo.* Hæc D. Thom. contra Patrem Vazquez. Facit etiam Vazquez contra S. Thom. in eo, quod ſubſumit Minorem, quam non ſomniavit adhuc D. Thom. videlicet quod Deus de divinis myſterijs nihil revelat Dæmonibus, Min. enim D. Thom. nõ eſt illa, perverſitas autẽ Dæmonum hoc habet, quod vnus aliũ non intẽdit ordinare ad Deum, ex qua concludit: ergo non habet vnus Angelus alium illuminare.

Ioannes à S. Thom. ſic explicat rem præſentem, dicens; quod licet aliqui Dæmones clarius percipiant veritatem, quam inferiores, non tamen illam ordinant ſub Deo, à quo eſt omnis lux, ſed ad ſuam nequitiam retorquent, & ita non illuminant, ſed obtenebrant: vnde hoc eſt certiſsimum ſignum ſpiritus mali, ſi quando loquitur homini, relinquat illum in aliqua confuſione, & non ordinatum ad Deum. Cæterum hic Doctiſsimus Auctor non explicat quid ſit illud ordinare ſub Deo, à quo eſt omnis lux, quod facit Angelus, dum alium illuminat, & non poteſt facere Dæmon ſupremus erga ſibi inferiores.

1219 Dices ergo, rationem adductam ex D. Th. eſſe efficaciſsimam. Quod probatur explicando Maiorem, & Minorẽ propoſitionem eius. Ex quibus evidenter ſequitur Conſequentia. Maior ergo propoſitio eſt hæc: *Illuminatio propriè eſt manifeſtatio veritatis ſecundùm quod habet ordinem ad Deum.* Quod eſt idem, ac manifeſtare veritatem eo modo, quo ab ipſo Deo veritas illa revelata eſt ſupremo Angelo: ſic, quod licet ſit diſcrimen penes hoc, quod eſt maiori, vel minori cum vniverſalitate luminis, & ſpecierum cognoſcere eam, tamen ſit convenientia in eo, quod illa veritas traddatur illuminato, ſicut à Deo primò accepta eſt. Sic enim illa veritas, de qua illuminatio fit, tradditur cum ordine ad Deum vt primò illuminantem, & ſic accipiens illam ordinatur ſub Deo, ſiquidem reſpicit illum vt primò illuminantem ſe; hoc enim propriè eſt illuminare, ſiquidem eſt communicare divinum lumen, ſicut participatum eſt ab Angelo illuminante à Deo mediantibus Angelis ſibi ſuperiobus. Et hæc de Maiori propoſitione diſcurſus D. Thom. Venio iam ad Minorem. *perverſitas autem Dæmonum hoc habet quod vnus alium non intendit ordinare ad Deum, ſed magis ab ordine divino abducere.* Quod ſic intelligo. Dæmones, vt ſupra vidimus, ſic ſunt obſtinati in malitia, quod nullum bonum opus morale poſsint facere; hoc autẽ quod eſt manifeſtare alteri veritatem cum ordinando ad Deum, id eſt, faciendo eum participem divini luminis per traddirionem ſynceram veritatis, prout à Deo per revelationem accepta eſt, eſt opus bonum morale, imò inter homines docere ignorantẽ inter opera miſericordiæ annumeratur; repugnat ergo cum obſtinatione malitiæ prædictum opus efficere: vnde rectè concludit S. Doctor, quod *vnus Dæmon non habet alium illuminare.*

Sed contra inſtas. Sancti Angeli Dæmones illuminant, ſiquidem eis plura de divinis myſterijs revelant; & tamen eos nõ ordinant ad Deum, alias Dæmones in ordine gratiæ ſub Deo eſſent ordinati, quod repugnat malitiæ habituali eorum: ergo ad illuminandum non requiritur manifeſtare veritatem ordinando ad Deum eum, cui manifeſtatio fit. Et Confirmabis, non habet oppoſitionem cum malitia Dæmonis ordinari paſsivè ſub Deo participando divinum lumen in manifeſtatione ſyncera veritatis, prout hæc traddìtur à Deo: ergo neque habebit oppoſitionem cum malitia Dæmonis activè ſic alium ordinare ad Deũ traddendo ei veritatem purè, & ſyncerè, ſicut eam accepit à Deo.

Ad hoc, nego Min. Ad Prob. dico, quod Dæmones poſſunt ordinem ſub Deo quoad attinet ad partem intellectivam purè ſpeculativam; non tantum in ordine naturæ, ſed etiam in ordine gratiæ; non verò quoad partem affectivam: illud enim tantum reſpicit Deum, iſtud reſpicit bonum: vnde primum non repugnat cum malitia Dæmonis, benè verò ſecundum. Neque enim negare debemus Dæmones in aliqua linea mediantibus Sanctis Angelis coordinari ſub Deo: ſunt enim exequutores divinæ iuſti-

Digitized by Google

iuſtitiæ, & Angeli boni aſſeſſores Dei Iudicis: inter tortores autem, aſſeſſores, & iudicem eſt ordo: nam tortores immediatè ſubijciuntur aſſeſſoribus, & iſti iudici: vndè Dæmones ſubduntur immediatè bonis Angelis, & comparantur ad illos vt ſubditi ad ſuum immediatum prælatum, & mediatè ſubijciuntur Deo, & ſic de agendis, prout oportet, à Sanctis Angelis illuminantur. Ad Confirm. nego Conſeq. nam illuminari non eſt operari aliquod bonum opus morale, ſed recipere in ſe lucem ab alio, percipiendo veritatem, de qua illuminatio fit: vnde malitiæ Dæmonis non habet repugnare; illuminare vero dicit actionem bonam, & ſanctam: vnde D. Thomas ſupra, vt vidimus, probavit adeſſe inter bonos Angelos illuminationem, quia bonum eſt diffuſivum ſui ad alios, & ſic Angeli, cum boni ſint, debent diffundere bonum ſapientiæ ſuæ in alios; vnde illuminare habet pugnare cum obſtinatione Dæmonum in malitia, ex qua probavimus, eos nullum bonũ opus morale operari poſſe.

QVÆSTIO XXII.

De loquutione Angelorum.

VNVM Certum habetur in hac quæſtione, videlicet Angelos inter ſe loqui, conſtat hoc ex illo Iſaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum.* In Canonica Iudæ dicitur: *Cum Michael Angelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore.* Et Paulus 1. ad Corinth. 13. *Si linguis loquar hominum, & Angelorum.* Cuius loquutionis hæc optima aſſignatur ratio, ſeu nobilis congruentia. Etenim Angeli cùm naturæ intellectuales ſint, modo etiam intellectuali gubernari debent, & politicam rempublicam formare; hoc autem nobile gubernium, & politica reſpublica ſubſiſtere non poteſt ſine loquutione: nam iſta ablata aufertur communicatio mutua, & ſic ceſſat gubernatio, auferturque de medio politica reſpublica: vt ergo hæc adſit, & conſervetur, neceſſaria eſt inter Angelos loquutio. Quomodo autem, & quibus inſtrumentis hæc loquutio fiat, inquirendum nobis erit per varios §§.

(·?·)

§. I.

Vtrùm loquutio Angelica fiat per aliqua ſigna, ſive corporalia, ſive ſpiritualia?

1220 ALIQVI Auctores affirmant ad loquutionem Angelicam non ſufficere quod Angelus ordinet, vel referat conceptus ſuos ad alterum, ſed requiri inſuper, quod loquens producat intra ſuum intellectum aliquam qualitatem naturaliter expreſſivam ſui proprij conceptus; ad cuius productionem excitatur Angelus audiens, ſicut & ad novam productionem alicuius entis naturalis in rerum natura excitatur quilibet Angelus, & per ſpeciem, quam habet de tali obiecto naturali, format cognitionem illius. Sed quia hæc qualitas producta in mente loquentis, ſi naturaliter repræſentativa ſit conceptuum eius, difficulter valde ſalvat ſecretum Angelicum: nam cùm omnes Angeli habeant cuiuſcumque entis naturalis ſpecies repræſentativas, hoc ipſo, quod talis qualitas ponatur in rerum natura, poterunt de facili illam cognoſcere, & per illam id, quod latet in mente loquentis, fiet Conſ. quod Angelus nequeat loqui cum vno, quin omnes poſſint intelligere eius loquutionẽ, ſicut & quia habent de quolibet ente naturali ſpecies repræſentativas, hoc ipſo quod producitur, ab omnibus naturaliter cognoſcitur. Ideo vt hæc evitent, alij dicunt prædictam qualitatem repræſentare ad placitum conceptus loquẽtis, ſicut & noſtræ voces ad placitum ſignificant conceptus noſtros: vnde ſicut nos noſtris vocibus vtentes manifeſtamus vni homini conceptus noſtros, & non omnibus, ita & Angeli vtentes ſignis ad placitũ manifeſtant quibus volunt ſuos conceptus, & non omnibus Angelis. Sed quia hæc ſignificatio ad placitum, cum debeat eſſe omnibus nota, ſicut & impoſitiones noſtrarum vocum omnibus hominibus in eadem republica exiſtentibus ſunt perviæ, hinc non videtur adhuc hæc ſententia ſalvare ſecretum Angelicum: nam in hominibus ſervatur, quia poteſt quis loqui cum præſenti ſic ſubmiſsè, quod non audiat abſens, quod in Angelis fieri non valet, quia diſtantia localis quantumcumque magna ſit, non impedit, quin vnus alteri loquatur, vt patet in anima divitis, quæ exiſtens in inferno loquebatur cum Abraham exiſtente in ſinu

Pa-

Digitized by Google

Patrum: ideo vt hoc vitent, alij auctores diſtinxerunt duo genera ſignorum ad placitum; alterum ſignificantium ex vi impoſitionis communis, & publicæ; alterum ſignificantium ex vi impoſitionis privatæ, ſic, quod quilibet Angelus habeat ſuam linguã privatam, qua loqui poſsit cum vno, ſic, quod non intelligatur ab altero. Ita tenuere aliqui ex antiquis, & plures ex modernis, quibus in partem adhæret Elparza, qui dicit in Angelis eſſe duplicem modum loquendi; alium correſpondentem vocibus noſtris, & hanc dicit ab Angelis per ſolam voluntatem revelandi ſecreta ſua huic, & non alteri, pluribus, vel paucioribus pro libito ſuo: quem modum loquendi dicit hic auctor eſſe vſitatum communiter inter Angelos, ſed quia in nobis eſt alius modus loquendi, nempe per nutus, vel per actiones naturaliter, vel ad placitum inductivas in cognitionem noſtrorum ſecretorum, ideo per correſpondentiam ad iſtum modũ loquutionis datur ſimiliter in Angelis loquutio per ſigna, vel per actiones externas ducentes in cognitionem ſecretorum cordis, ſive ad placitum, ſive naturaliter. Sic Elparza hic quæſt. 21. de Angelis, art. 8.

1221 Sed contra hos omnes ſtatuitur concluſio negativa. Loquutio Angelica non fit per aliqua ſigna, ſive hæc ſint corporalia, ſive ſint ſpiritualia. Loquimur in hac concluſione de Angelo loquente cũ altero Angelo, non in corpore aſſumpto, ſed in propria natura. Probatur concluſio quoad primã partem, nam Angeli ex quò naturæ purè ſpiritualis ſunt, exigunt mutuum inter ſe convictum, & ſocietatẽ modo purè ſpirituali, non minùs, quam homo, quia corporalis, & ſenſibilis eſt, exigit cum alijs hominibus habere comerciũ, convictum, & ſocietatem modo corporali, & ſenſibili: ergo exigunt ad invicem loqui manendo intra terminos purè ſpiritualitatis: non ergo loquuntur inter ſe per ſigna corporalia, & ſenſibilia.

Dices, hanc Conſeq. non valere, quia ſtat benè Angelos eſſe naturas in ſe purè ſpirituales, & independentes ab omni corpore; & tamen non eſſe locabiles niſi in loco corporeo: nam cum in noſtra ſententia Angelus non poſsit illabi creaturæ ſpirituali, non poterit locari in illa; vnde tantum reſtat, quod poſsit locari in corpore: ergo ſimiliter non valebit; Angeli ſunt naturæ merè intellectuales: ergo poterunt intra ſe loqui manendo intra terminos purè intellectualitatis. Probabis Conſ. nam indiſtantia localis vnius Angeli ab alio etiam ſpectat ad convictum, & ſocietatem Angelicam, ſicut & mutua loquutio: ergo ſi hoc non obſtante intra terminos purè intellectualitatis Angeli locari non poſſunt, nec inter ſe habere propinquitatẽm, non probabitur ex illo principio, quod etiam intra terminos purè ſpiritualitatis poſsint ad invicem converſari. Sed contra ſic inſurgo: Nam noſtra Conſ. non inſtatur in ea, quæ adducitur. Siquidẽ locari in loco purè ſpirituali, ſic eſt propriũ Dei, quod non poſsit convenire creaturę, etiã ſi cõpletè ſpiritualis ſit, nec etiam propinquitas, & in diſtãtia localis per ſe conducit ad convictum, & ſocietatem, cum etiam ſi diſtantes Angeli inter ſe ſint, imò etiam ſi in loco non ſint, poſsint mutuo ad invicem loqui, & convivere; at loqui purè ſpiritualiter non repugnat creaturæ: videmus enim quod verba alia ſunt vocalia, quæ proferuntur ore, alia purè ſpiritualia, quæ ſunt mentis conceptus: cum ergo loquutio fiat iuxta qualitatẽ verborum, fit inde, quod ſi dantur verba purè ſpiritualia, debeat etiam dari loquutio purè ſpiritualis: nullum ergo fit argumentum ex paritate adducta. Imò retorquetur argumentum factum. Etenim quia non eſt poſsibilis locatio creaturæ niſi in loco corporeo, creatura etiam ſi purè ſpiritualis ſit, non niſi in loco corporeo locatur: ergo quia poſsibilis eſt loquutio purè ſpiritualis, creatura completè ſpiritualis, tantùm ſpiritualiter loquetur.

Confirm. ratio noſtra. Ponamus quod nulla ſint corpora poſsibilia, adhuc inter Angelos poſsibilis reſtat amicitia, & mutua ſocietas: ergo adhuc adderit mutua, & ſpiritualis loquutio, quia ſine hac amicitia diſſolvitur, & ſocietas mutua deſtruitur. Confir. ſecundo, illa ſigna corporalia, quibus indigent Angeli in ſententia oppoſita ad loquutionẽ mutuam non ſunt ſigna, & caracteres cœlo impreſsi, vt quidam fingunt, aliàs Dæmones non poſſent inter ſe mutuo loqui, quia hi in cœlo beatorum caracteres formare non poſſunt: nec vt alij dicunt ſunt voces ſenſibiles in corporibus aſſumptis formatæ, aliàs quoties Angelus deberet alteri loqui, deberet corpus aſſumere, quod ridiculum eſt: ergo.

Dices, his probari loquutionem Angelicam poſſe eſſe purè ſpiritualem, & ſine indigentia aliquorum ſignorum corporalium; non autem probare repugnare om-

nis

nino Angelis corporalem loquutionem, ſive per ſigna corporalia naturaliter expreſsiva ſuorum conceptuum, ſive per ſigna ad placitum repræſentantia vni, & non alteri, pluribus, & paucioribus prout Angelis libuerit, prout defendit Eſparza. Fateor his non convinci contra Patrem Eſparza loquutionem per ſigna corpalia eſſe impoſsibilem, nec nos ad hoc probandum illis ſumus vti; ſed præciſè proceſsimus contra aliquos auctores, qui philoſophati ſunt quod ſicut Angelus nequit locari niſi in loco corporeo; ita nequeat loqui niſi per corporalia ſigna.

1222 Sed iam contra Eſparzam ſpecialiter procedimus, non quia iudicamus loquutionem per ſigna corporalia eſſe impoſsibilem, ſed quia iudicamus impoſsibile ſic loqui cum vno, quin ſi alij vellint, intelligant loquutionem. Etenim vel illa ſigna corporalia ſunt ſigna ad placitum cõceptuum loquentis, vel ſunt ſigna naturaliter expreſsiva eorundem; in nullo autem iſtorum modorum Angelus loquens cum vno poteſt impedire, ne alij Angeli cognoſcant, ſi voluerint, id, quod loquitur illi: ergo. Prob. Min. nam illa ſigna externa, ſi ad placitum repræſentent, debent repræſentare ex vi impoſitionis communis, quam omnes Angeli cognoſcant: ergo facta prolatione externa prædictorum ſignorũ omnes Angeli poterunt eam cognoſcere, & per eam, loquutionem, qua privatim vnus loquitur cum altero. Si autem prædicta ſigna naturaliter repræſentent conceptus loquentis, hoc ipſo quod in rerum natura producentur, entia naturalia erunt, & cum hoc vniverſo coordinabuntur naturaliter: ergo cum omnes Angeli poſsint omnia naturalia cognoſcere, dummodo exiſtentia ſint, de facto prædicta ſigna videre poterant, & in ipſis conceptus loquentis ſpeculari: non ergo Angelus alteri loquens per hæc ſigna prohibere poterit, quin alij Angeli ſciant, ſi vellint id, quod ipſe cum vno tantum loquitur.

Explicatur hoc, ſi quando inter homines vnius reipublicæ vnus alteri ſubmiſſa voce dicit v.g. Papa dormit, omnes homines, qui ſciunt impoſitionem talium vocum audire poſſent, ſi vellent, non poſſet impedire loquens quin ſecretum, quod revelat vni, ſcirent omnes; ſed hoc ipſo quod proferuntur exterius ab Angelis ſigna externa, quòtquòt ſunt Angeli cognoſcere poſſunt impoſitionem prædictorum ſignorum, vel eorum naturalem repræſentationem: nam hoc ipſo quod exterius proferũtur cum alijs partibus vniverſi coordinantur: igitur ſi Angelus alteri loquatur per ſigna externa corporalia, non poterit impedire quòd id, quod loquitur cum vno, ſciatur ab omnibus.

Dices, quod ſicut inter homines poteſt fieri arbitraria impoſitio rerum, & vocũ, ſic quod duo poſsint inter ſe etiam alijs audientibus, ſine eo quod alij intelligant quid loquantur, vt ſi Petrus dicit Paulo; ſit apud nos hæc ſpecialis vocum impoſitio, *homo* ſignificet *leonem*, *currit*, ſignificet *rugit*: vnde apud nos *homo currit*, erit idem, quod *leo rugit*; & hac conventione facta, Petrus dicit Paulo, *homo currit*, tunc eſtò omnes hoc audiant, non tamen omnes, ſed ſolus Paulus intelligit conceptum Petri loquentis: cur ergo non poterunt Angeli inter ſe convenire in huiuſmodi privatis impoſitionibus, & ſic inter ſe loqui, quòd ſoli ipſi ſe intelligant: ſi enim hoc poſſunt facere homines, quare non poterunt facere Angeli? Idem dico de aſſumptione rerum corporearum ad vſum privatum explicandi conceptus. Sed certè hic modus loquendi inter Angelos bonos, qui non poſſunt decipere ſibi conſocios, defenſari non poteſt: ſic enim fieret, quod paſsim Angeli deciperẽtur, dum enim Angelus Gabriel v. g. diceret Raphaeli, *Petrus currit*, ſi ex conventione facta intelligeret, quod *leo rugit*; alij intelligerent id, quod ex generali ſua impoſitione illa ſignificant, & ſic intelligerẽt, quod Petrus currit: vnde fallerentur, & deciperentur occaſione per ſe data ab Angelo loquente, ſicut contingit inter homines, quod non eſt admittendum in bonis Angelis.

Sed neque etiam inter Dæmones admitti debet propter rationem cunctis Angelis communem; quia talis impoſitio ſignorum ſenſibilium, quamvis privatim facta non poſſet latere alios Angelos, alias ſicut inter homines dantur diverſæ linguæ, ſic, quod homines Germani v. g. non intelligant linguam Hiſpanam, & Hiſpani Germanam, Latini non intelligunt Græcam, & Hebræi Latinam, &c. ita poſſent coniungi mille Angelij, & facere ſibi ſuam linguam, quam alij intelligere non poſſent, quod ſane ridiculum eſt. Prob. Sequela, nam ſicut privatim poſſunt convenire ſibi in aliqua privata impoſitione, quam, quia privata eſt, alij non intelligunt, ita mille poſ-

Digitized by Google

poſſent convenire in impoſitione vocum ſenſibilium illis ſolis nota, & ab alijs ignorata, & ſic poſſent dividi in innumeras linguas ſolis impoſitoribus notas. Deinde, ſcimus quod, Angeli nequeunt ſcire cordis ſecreta aliorum, quadiu manent intra cor; ſi autem exeant à corde, omnes ea ſcire poſſunt; ſed dum Angelus per ſignum ſenſibile alteri loqueretur, iam eius ſecretum exiret à corde, vtpotè cum coniungeretur cum aliquo ſenſibili ſigno: igitur poſſet iam ab omnibus Angelis ſciri: non ergo loquendo per ſigna ſenſibilia poſſent Angeli vitare, quin ab omnibus poſſent intelligi in ſuis privatis loquutionibus.

1223 Secundam partem concluſionis diſcurſo ſic. Nam fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora; ſed independenter à ſignis ſpiritualibus poteſt loquutio Angelica congruentiſsimè fieri: ergo non requiritur quod per ſigna ſpiritualia fiat. Prob. Min. nam quotieſcũque aliquod obiectũ ſe ipſo poteſt manifeſtari alicui intellectui, & intellectus poteſt intelligere illud in ſe ipſo, & ſine medio, fruſtra requiruntur ſigna, quibus manifeſtetur, & innoteſcat; at per hoc ſolum quod loquens ordinet conceptus ſuos ad audientem, audiens poteſt immediatè cognoſcere conceptus Angeli loquentis: ergo independenter ab illis ſignis ſpiritualibus loquutio Angelica fieri poteſt. Prob. Min. audiens habet ſpecies innatas repræſentativas omnium eorum, quæ quomodocumque pertinent ad ipſum; at per illam ordinationem conceptuum ad audientem vt cognoſcat, prædicti conceptus ſunt iam de pertinentibus ad audientem: ergo per ſuam ſpeciem innatam, ſicut videt loquentẽ, & alia accidentia intrinſeca illius, ſine aliquo ſigno ſupra ſuperaddito ad propriam ſubſtantiã videbit quoquè conceptus, qui ſunt in mente loquẽtis.

Dices; ad auditionem, & loquutionem non ſufficere quod conceptus ſe ipſis manifeſtari poſsint audienti, neque quod audiens per ſuam ſpeciem innatam poſsit illos intelligere; ſed vlterius requiri, quod loquẽs excitet audientem, & reducat illum de potentia ad actum cognitionis; hæc autẽ excitatio fieri non poteſt per ſolam ordinationem conceptuum ad Angelum audientem: videtur enim incredibile, quod per hoc ſolum quod loquens vellit manifeſtare cõceptus ſuos alteri, ille alter excitetur, & de potente cognoſcere in potentia, fiat actu cognoſcens. Sed contra eſt, nam dum ſigna ſpiritualia ſunt, & in ſolo loquentẽ manent, eadem videtur manere difficultas: nam ſicut videtur incredibile quod Raphael v.g. excitetur ad actu cognoſcendum conceptus liberos Gabrielis per hoc ſolum, quod Gabriel ordinet prædictos conceptus ad Raphaelẽ, ita videtur incredibile, quod per ſignum, quod manet in loquente, & nullo modo recipitur in audiente, audiens excitetur, & de cognoſcente ſolum in potentia, fiat actu cognoſcens: ergo difficultas ex parte excitationis audientis deſumpta non vincitur per appoſitionem ſignorum ſpiritualium.

Dices, hoc ſignum ſpirituale eſſe quãdam qualitatem de novo productam ab Angelo loquente, eſſeque naturaliter repræſentativam conceptuum loquentis: vnde per ſolam ſui novam productionem, & novam exiſtentiam in rerum natura habebit excitare audientem: ſicut dum aliquod futurum naturale contingens de novo producitur; ex hoc ſolum quod de novo producitur, habet excitare Angelum ad ſui actualem cognitionem: hæc autem excitatio fieri non valet per illam voluntatem ordinativam conceptuum ad audientem, quia hæc ita eſt libera, ſicut conceptus ſunt liberi: vnde ſicut conceptus ſe ipſis, quia liberi, non valent excitare audientem, ita nec voluntas, illi ordinativa valebit excitare Angelum, vt audiat: neceſſe ergo producere aliquod ſignum naturale, quod ſola ſui nova productione Angelum excitet ad audiendum.

Sed contra eſt; primò, quia ſi qualitas illa eſt naturalis, & naturaliter repræſentat ſecretum cordis loquentis, cùm non ſolum audiens, ſed omnes Angeli illius habeant ab initio ſpeciem innatam repræſentativam eius, nova productio excitabit omnes Angelos ad audiendum, ſicut quia rerum naturalium ſpectantium ad vniverſum omnes Angeli habent ſpeciem repræſentativã, productio nova eorum non vnum, vel alterum, ſed omnes excitat ad ſui naturalem cognitionem: non ergo poterit Angelus ſecretum ſuum manifeſtare vni, ſed debebit manifeſtare omnibus. Nec valet dicere, quod cum illa qualitas producatur à loquẽte, & maneat in mente eius, poterit loquens ſua voluntate efficere quod ſolũ vni repræſentet, & non omnibus: vnde dato quod illam vt *quod* omnes cognoſcant, tamen vt *quo*, & vt *ſignum* ſolum cognoſcet illam ille, cui loquens vult ſuos conceptus ma-

ma-

manifeſtare. Non (inquam) valet, nam vel illa qualitas vt *quo*, & in repræſentando eſt naturalis, vel libera; ſi naturalis implicat, quod Angelus ſua ſola libera voluntate efficiat quod tantum vni repræſentet, & non omnibus: ſi eſt libera: ergo iam per aliquid liberum tenens ſe ex parte loquentis poterit audiens excitari, & ſic voluntas manifeſtandi conceptus, & ordinandi ad Angelum audientem; eſtò libera ſit, poterit eſſe primo excitatiua audientis.

Secundo impugnatur ſolutio data. Nam id, quod producitur de nouo, ſi naturale ſit, ideo ſui ſola productione excitat ad ſui cognitionē, quia de nouo producitur id, quod pertinet ad vniuerſum, cum quo proportionem habent omnes Angeli. Itaque ipſummet produci de nouo id, quod ante productionem non proportionabatur, & facta productione proportionatur, eſt excitare omnes Angelos ad ſui cognitionem; ſed voluntas illa, qua de nouo vult Angelus loquens ſe conuertere ad alterum Angelū, & ei manifeſtare ſuos conceptus, eſt nouum obiectum proportionatum cum hoc Angelo: ergo per illam ſolam voluntatem poterit excitare Angelum, vt audiat. Prob. Min. nam hoc ipſo quod talis voluntas ponatur in rerum natura, tàm ipſa, quàm conceptus fiunt de pertinentibus ad illum Angelum, ad quem diriguntur: ergo hoc ipſo, tàm ipſa voluntas, quàm conceptus fient partes obiecti proportionati Angeli audientis, & ſic non erit neceſſe multiplicare ſigna ſpiritualia ad excitandum Angelum audientem.

§. II.

Soluuntur Argumenta.

1224 CONTRA Concluſionem non inuenio argumentū alicuius momenti præter illud, quod deſumitur ex aliquibus auctoritatibus D. Thom. Quod iam propono. Etenim D. Thom. in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. ſic ait: *In Angelis interior conceptus mentis libero arbitrio ſubiacens ab alijs videri non poteſt: quando ergo ſpeciem conceptam ordinat vt manifeſtandam alteri dicitur verbum cordis, quando vero coordinat eam alicui eorum, quæ vnus Angelus in altero naturaliter cognoſcere poteſt, illud naturaliter cognoſcibile fit ſignum expreſſiuum interioris conceptus, & talis expreſſio vocatur loquutio; non quidem vocalis, ſed intellectualibus ſignis expreſſa.* Sic D. Th. & exponens illud Apoſt. ad Corinth. 13. *Si linguis loquar hominū, & Angelorum,* ſic habet: *Eſt enim in quolibet Angelo aliquid, quod naturaliter ab altero Angelo cognoſcitur: dum ergo id, quod eſt naturaliter notum proponitur vt ſignum eius, quod eſt ignotum, manifeſtatur occultum, & talis manifeſtatio dicitur loquutio, ad ſimilitudinem hominum, qui occulta cordium manifeſtant alijs per voces ſenſibiles, aut per quodcumque aliud corporale exterius apparens; vnde & ea, quæ ſunt in Angelis naturaliter nota, in quantum aſſumuntur ad manifeſtationem occultorū dicuntur ſigna, vel nutus.* Et in 2. ad Annibaldum diſt. 10. quæſt. vnica, art. 4. inquit: *quod ſicut ad enuntiandum ea, quæ in nobis ab alio videri non poſſunt vtimur his, quæ in nobis ab alio poſſunt cognoſci, ſicut vocibus, vel quibuſlibet ſenſibilibus ſignis; ita Angeli per ea, quæ vnus de alio cognoſcere poteſt naturaliter, ſuos ſibi enuntiant conceptus.* Hæc D. Thomas: clariſſime ergo tenet quod Angelica loquutio non fiat per ordinationem conceptuum, ſed per aſſumptionem alicuius intelligibilis naturaliter noti in ſignum repræſentatiuum conceptus ignoti.

Cæterum hæc, eſtò primò inſpecta videantur conuincere D. Thomam in ea fuiſſe ſententia, quod loquutio Angelica fiat per exhibitionem alicuius ſigni intelligibilis diſtincti ab ipſis conceptibus vt ordinatis ad Angelum audientem; tamen in ùs inſpecta, & benè penetrata, nō hoc conuincunt; ſed tantum doctrinam communem hic à Thomiſtis tenendam exponunt. Pro cuius luce aduerto, quod Angelus audiens ipſa ſpecie, qua primò, & per ſe cognoſcit ſubſtantiam Angeli loquentis, in ipſa ſubſtantia loquentis priùs cognita cognoſcit accidentia eius: hæc autem accidentia in duplici differentia ſunt; nam alia ſunt naturalia, & alia ſunt libera: naturalia naturaliter ſunt cognoſcibilia ab omnibus Angelis, vnde quicumque Angelus videns Gabrielem, naturaliter videt omnia accidentia Gabrielis; libera autem iure libertatis ſolum patent Deo, & ipſi Angelo, cuius ſunt: vt ergo Angelus loquatur, & ſuos conceptus liberos manifeſtet, eſt neceſſe, quod coordinet cum propria ſubſtantia naturaliter cognoſcibile ab Angelis ſuos conceptus liberos, & tali coordinatione facta, ſicut alius Angelus in ſubſtantia Angeli loquentis naturaliter videt accidentia naturalia, pariter in eadē ſubſtantia videt accidentia libera,

quæ

Digitized by Google

quæ ſunt conceptûs, quos loquens vult manifeſtare audienti: illa autem coordinatio conceptuum occultorum cum propria ſubſtantia præciſe conſiſtit in eo, quod illi conceptus liberi, qui antea tantum pertinebant ad Angelum loquentem, modo iam pertineant ad audientem; hoc autem tantum fit per hoc, quod loquens communicet dominiũ, quod habebat ſuper proprios conceptus Angelo, cum quo loqui vult, quod eſt ordinare conceptus ſuos ad ipſum, vt poſsint ab eo cognoſci, ſervato tamen modo cognoſcendi, nempe per ſpeciem primò repræſentantem ſubſtantiam naturalẽ loquentis, & in ipſa conceptus liberos, ſuper quorum cognitionem iam audiens habet poteſtatem: hinc ſubſtantia Angeli loquentis, ſicut eſt expreſsiva ſuorum accidẽtium naturalium, eſt quoquè expreſsiva conceptuum liberorum, & ſicut eſt ſignum naturale accidentium naturalium, eſt ſignũ ad placitum accidentium liberorum, quia ſolum ex voluntate loquentis habet repræſentare illos, & hoc eſt quod D. Thom. dicit, quod loquens manifeſtat ſuos conceptus occultos per aliquid, quod ex ſe eſt naturaliter notum Angelo audienti, quod veriſsimum eſt modo explicato. Sed in hoc nihil aliud dicit ab eo, quod in alijs locis à nobis infra adducendis docuit, nam cum in illis dicat per ſolam ordinationem conceptuum ad audientẽ, audientẽ cognoſcere prædictos cõceptus, & ſic per hoc fieri loquutionẽ, non excludit modũ cognoſcibilitatis talium conceptuum, qui cum accidentia Angeli loquentis ſint, non niſi in ſubſtantia Angeli loquentis priùs cognita, ab alijs Angelis cognoſci poſſunt. Vnde tanquam in ſigno eorum expreſsivo iuxta placitum loquentis, in ipſa ſubſtantia loquentis cognita cognoſcuntur, vnde ſi iſti auctores nihil aliud velliut ſenſiſſe D. Thom. quàm id, quod nos explicamus, ab ipſis non recedimus. Cæterum hoc non eſt quod ipſi prætendunt; ſed volunt quod Angelus loquens producat intra ſe qualitatem repræſentativam naturaliter ſuorum conceptuũ occultorum, & in hac qualitate naturaliter ab audiente cognita, volunt, quod audiens tanquam in ſigno cognoſcat conceptus occultos, quod longe diſtat à doctrina D. Thom. & à noſtra concluſione.

§. III.

Vtrùm loquutio Angelica fiat per productionem ſpeciei impreſſæ in mente audientis repræſentativæ ſecreti cordis?

1225 PATER Suarez lib. 2. de Angelis, cap. 27. num. 30. refert, & ſequitur ad longum ſententiam aliorum dicentium, loquutionem fieri non per hoc quod loquens producat intra audientis mentem cognitionem, vel conceptum eorum, quæ ei manifeſtare vult; ſed fieri per hoc, quod producat intra mentem audientis aliquam ſpeciem impreſſam repræſentativam ſecreti cordis ipſius loquentis.

Sit Concluſio. Loquutio Angelica non fit per hoc quod Angelus loquens producat aliquam ſpeciem impreſſam in intellectu audientis repræſentativam ſecreti cordis. Prob. Concluſio expreſsis auctoritatibus D. Thom. quæſt. 9. de verit. art. 5. vbi habet ad ſecundum, *Angelus loquens nihil facit in Angelo, cui loquitur, ſed fit aliquid in Angelo ipſo loquente, & ex hoc ab alio cognoſcitur modo prius dicto: vnde non oportet quod loquens aliquid infundat ei.* Et artic. 6. ad 4. *Angelus, ad quem fit loquutio, non recipit aliquid à loquente, ſed per ſpeciem, quam penes ſe habet, & alium Angelum, & loquutionem eius cognoſcit.* Quibus expreſsiſsimè ſe opponit ſententiæ P. Suarez.

1226 Deinde Prob. concluſio rationibus, quibus vtuntur Thomiſtæ, quarũ prima eſt. Angelus ex quacumque diſtantia poteſt loqui cum alio Angelo; & tamen ex quacumque diſtantia phyſica operari non poteſt: ergo loquutio non fit ab Angelo per productionem ſpeciei impreſſæ in intellectu eius. Diſcurſus eſt bonus, & Maior præterquamquod eſt D. Thom. hic quæſt. 107. art. 4. & quæſt. 9. de verit. art. 6. & colligitur ſatis ex illo Lucæ 16. vbi habetur, quod anima divitis exiſtens in flamma inferni loquebatur Abrahamo, qui erat in ſinu Patrum, inter quæ duo loca maxima diſtantia, & chaos firmatum eſt. Præter hæc (inquam) ratione ſuadetur. Nam cum loquutio creaturarum purè intellectualium fieri debeat intra terminos puræ ſpiritualitatis, nequit fieri dependenter à loci corporei diſtantia illimitata, ſed independenter ab ea: ergo in quacumque diſtantia ſint duo Angeli, poterunt ad invicem loqui; neque quoad

Digitized by Google

quoad hoc indigemus alijs probationibus, quia hoc Suarez non negat. Sed probemus Minorem. Omne agens principale debet coniungi cum paſſo, in quo, & ex quo effectum producit, vel per ſe ipſum, vel per ſuam virtutem; ſed nulla creatura vt cauſa principalis poteſt diffundere ſui virtutem ex quacumque diſtantia in paſſum, ſic, quod ex quocumque loco quantumvis diſtanti poſsit per ſuam virtutem coniungi cum illo: ergo ex quacumque diſtantia phyſica operari non poterit in quodcumque diſtans. Prob. Min. omnis virtus actiua agentis creati eſt limitata, & finita, circumſcripta tempore, loco, & diſtantia: neque enim datur Angelus, qui agere poſſit in omni parte mundi, quia nequit eſſe per ſe ipſum, vel per virtutem à ſe diffuſam in omni mundi parte: igitur nulla creatura vt cauſa principalis ex quacumque diſtantia poteſt diffundere ſui virtutem in quodcumque diſtans.

Sed dicit Suarez, quod licet Angelus in productione effectus corporalis determinetur à diſtantia, quia ad productionẽ eius requiritur diffuſio virtutis corporalis, quæ non poteſt pervenire ad paſſum, niſi tranſeundo per media, & ſic eſt neceſſe, vt perveniat ad diſtans quod prius diffundat virtutem in propinquum; tamen ad productionem effectus purè ſpiritualis, qualis eſt ſpecies impreſſa purè intelligibilis, Angelus nulla impeditur diſtantia, quia cum effectus purè ſpiritualis ſit, & ſimiliter virtus eius productiva, non eſt neceſſe, vt perveniat ad paſſum, quod tranſeat per intermedia, quæ corporea ſunt.

Sed contra eſt, nam vel illa virtus, quæ coniungitur cum paſſo, ex quo producitur effectus purè ſpiritualis, eſt intranſitivè ipſa virtus agentis, vel eſt quid realiter ab illa diſtinctum, effectivè tamen ab illa procedens: ſi dicatur primum: ergo indiſpenſabiliter requiretur ad hoc vt Angelus prædictam ſpeciem intelligibilem producat in Angelo audiente, quòd loquens per ſe ipſum coniungatur audienti: vnde non dabitur loquutio inter duos Angelos localiter diſtantes; ſi ſit virtus realiter diſtincta, & effectivè à loquente diffuſa, inquiro, quomodo pervenit ad diſtans, ſine eo quod tranſeat per propinquum? Cui difficultati iuxta principia Suarez nequit fieri ſatis: ſiquidem ipſe tenet quod Angelus nequit moveri motu diſcreto de vno termino ad alterum non tranſeundo per medium: ergo neque illa virtus, quantumvis ſit intelligibilis, & ſpiritualis, poterit ab Angelo loquente pervenire ad audientem, ſine eo quod tranſeat per immediata media, & magis propinqua, vti debet dici, quod cum illa virtus ſit purè ſpiritualis eſt impoſsibile quod diffundatur per media corporalia, quæ faciunt diſtantiam inter Angelum loquentem, & audientem, & tunc dicam, quod erit neceſſe, quod loquens immediatè per ſuam virtutem, & proprium ſuppoſitum vnatur intellectui audientis, vt ex illo educere poſsit ſpeciem intelligibilem repræſentantem ſecretum cordis eius: & tunc erit neceſſe fateri quod duo Angeli inter ſe diſtantes loco non poſſint mutuò loqui, quod eſt contra Scripturam, & Patres.

1227 Secundo Prob. Concluſio. Nam iuxta ſententiam Suarez ſi loquutio Angelica fiat, ſequitur, quod non poſsit eſſe ſecreta, & ſic Angelus non poſsit loqui cum vno, quin alij poſsint intelligere loquutionem eius; hoc autem non eſt admittendum: ergo. Conſeq. eſt bona, Min. certa, & Mai. Prob. etenim ſpecies illa producta in mente audientis eſt ens naturale, & nullo modo liberum: ergo poteſt cognoſci ab omnibus Angelis, quibus omne ens naturale à libero condiſtinctum naturaliter proportionatum eſt, & omni revelatione ſecluſa cognoſci poteſt; ſed cognita illa ſpecie naturaliter repræſentante ſecretum cordis, poteſt cognoſci in ea eius obiectum repræſentatum, quod ſecretum cordis eſt: igitur Angelus non poterit loqui cum altero Angelo, quin alij, ſi velint, non cognoſcant eius loquutionem.

Hac ratione vtitur Gonet. Cui tamẽ videtur de facili reſponderi poſſe, quod quamvis illa ſpecies impreſſa ſit naturaliter repræſentativa ſecreti cordis loquentis, tamen eſt ſub dominio libertatis audientis Angeli, qui liberè cuſtodit ſecretum ei communicatum à loquente: vnde ſicut alij Angeli in ſententia Suarez non habent ſpecies repræſentativas conceptuum loquentis, quia ſub dominio loquentis ſunt, ita non habent ſpecies repræſentativas illius ſpeciei impreſſæ productæ à loquente in mente audientis, quia ſub dominio audientis eſt; & ſic ſicut non poſſunt intelligere conceptus, quia ſunt in men-

mente loquentis; ita non poterunt cognoſcere ſpeciem impreſſam repræſentativam ſecreti cordis loquentis.

Cæterum placet defendere rationem huius nobilis Thomiſtæ. Etenim illa ſpecies repræſentativa ſecreti loquentis, cum ſit primò excitativa audientis, vt audiat, & attendat Angelo loquenti, independenter à libera voluntate audientis producitur, & recipitur in intellectu eius, ſicut & in loquutione vocali ſpecies vocum recipiuntur in audiente independenter ab eius libera voluntate: ergo prout ſic primò recipitur prædicta ſpecies in audiente, non poterit impedire audiens pro ſua libertate, quin ab alijs cognoſcatur. Prob. Conſeq. nam vt audiens hoc impediret pro ſua libertate, erat neceſſe, quod talis ſpecies reciperetur in audiente media libera voluntate audientis, vel quod eſſet effectivè ab ipſo audiente libere; ſed neutrum horum intervenit: ergo nequit audiens per ſuam libertatem impedire alios Angelos ab eo, quod cognoſcant talem ſpeciem. Etſi dicas, quod illa ſpecies erit libera libertate loquentis, qui libere producit illam, vt illum Angelum in particulari excitet ad audiendum, & non alios. In contra eſt, quia vt aliquid ratione libertatis, qua fit, poſsit celari Angelis, non ſufficit quod libere fiat, ſed vlterius requiritur quod intra intellectum, & voluntatem facientis maneat, aliàs quia cœli libere à Deo facti ſunt, non poſſent naturaliter ab Angelis cognoſci; quod falſiſsimum eſt: ergo quod prædicta ſpecies liberè facta ſit à loquente, non ponit in ea talem libertatem, qualis ſufficit vt occultetur alijs Angelis: ſiquidem non manet intra facientem, & fit in mente audientis independenter à libera eius voluntate.

Hinc colliges diſcrimen inter liberas cogitationes cordis ex vna parte, & hanc ſpeciem, quam Suarez fingit ex altera. Etenim cogitiones cordis non ſolum liberè fiunt à cogitante, ſed etiam liberè recipiuntur in cogitante, & liberè conſervantur ab ipſo, & liberè manent intra ipſum cogitantem: vnde ratione talis dominij ſoli Deo patent, & cogitanti; illa autem ſpecies, quam fingit Suarez, non haberet de libertate aliud, quàm quod Angelus liberè, & non neceſſario eam efficeret, ſicut & cœlum habet de divina libertate hoc quod eſt libere, & non neceſſariò eſſe factum à Deo, qui etiam omnia alia entia naturalia liberè facit: ſicut ergo cœlum liberè factum, omnia alia entia naturalia liberè à Deo facta Angeli, omni revelatione ſecluſa, naturaliter cognoſcunt, pariter & cognoſcerent prædictam ſpeciem impreſſam, ſaltim vt primò productam, & receptam in mente Angeli audientis.

§. IV.

Solvuntur alia Argumenta.

1228 CONTRA hanc Concluſionem non video argumentum niſi quod producitur contra noſtram ſententiam, quam poſtmodum explicabimus. Sunt tamen aliqua loca Div. Thom. quæ videntur facere in contra, quibus Suarez vtitur in favorem ſuæ ſententiæ. Arguit ergo ex Div. Thom. infra quæſt. 107. articul. 1. ad 3. ibi: *Sicut ſenſus movetur à re ſenſibili, ita intellectus movitur ab intelligibili: ſicut ergo per ſignum ſenſibile excitatur ſenſus, ita per aliquam virtutem intelligibilem poteſt excitari mens Angeli ad attendendum.* Hæc Div. Thom. manifeſtum eſt autem, quod ſignum ſenſibile non excitat ſenſum niſi immittendo in illum aliquam ſpeciem ſenſibilem: ergo neque intelligibile excitabit intellectum niſi producendo in illo aliquam ſpeciem intelligibilem, & ſic loquutio Angelica fiet per hoc, quod loquens producat in mente audientis aliquam ſpeciem impreſſam intelligibilem.

Ad hoc dico, quod illud verbum *ita* non dicit paritatem in omnibus, ſed tantum in eo, pro quo explicando adductum eſt: adductum eſt autē ad explicandū quod in loquutione Angelica debeat loquens excitare audientem, & quantū ad hoc habetur paritas conſiſtens in eo, quod ſicut loquens ſenſibile excitat audientē per productionē verbi ſenſibilis, ita paritèr loquens purè intelligibiliter excitat audientem etiā intelligibiliter per verbum intelligibile, quod ordinat ad illum: eſt autem diſcrimen, quod cum audiens ſenſibile non habeat ſpeciem ſenſibilem illius verbi externi, quod producitur à loquēte, eſt neceſſe, quod verbū externum ſui immittat ſpeciem in aures audientis, vt audiens poſsit percipere verbum loquentis. reſpectu autē verbi intelligibilis, quod loquens intelligibile ordinat

ad audientem intelligibiliter, audientiam habet ſpeciem impreſſam à principio ſuæ conditionis; & ſic non eſt neceſſe, quod ſicut Verbum ſenſibile excitat producendo ſpeciem ſui in audiente; ſic & Verbum intelligibile excitat audientem producendo ſpeciem intelligibilem in mente eius. Vnde D. Thom. in authoritate adducta nihil dicit in favorem P. Suarez.

Sed inſtas. Verbum ſenſibile nullo modo habet excitare audientem niſi producendo ſpeciem ſenſibilē ſui in aure eius; ergo vt adſit aliqua paritas, debet verbū intelligibile mittere ſui ſpeciem in intellectum audientis. Reſpondeo, nego Antec. etenim verbum ſenſibile dupliciter excitat audientem: primò effectivè, producendo in eo ſpeciem ſenſibilem, qua audiens conſtituatur in actu primò potens percipere ipſum verbum externum; & deinde terminativè per proportionē, quam habet cum ſenſu auditus, ex eo videlicet quod ſenſus eſt in debitâ diſtantia, & temperamento, vt audiri poſsit. Quod vt percipiatur, fingamus quod miraculoſe Deus producat in auditu meo ſpeciem impreſſam huius vocis *homo* v.g. tunc ſi quis mihi proferat *homo*, excitabit quidem me ad audiendum; & tamen non producet ſui ſpeciem in auditu meo, quia ſpecies huius vocis *homo* exiſtens in auditu prohiberet ſpeciem productam ab obiecto; excitaret ergo me tunc illa vox *homo* purè terminativè, & non productivè: ſic ergo cum Angelus audiens habeat in ſe ſpecies conceptuum loquentis, dum hic ordinat conceptum ſuum ad Angelum audientem, habet excitare eum terminativè; & non productivè, & quantum ad hoc tenet paritas à D. Thom. adducta.

§. V.

Vtrùm loquutio Angelica fiat per hoc quod Angelus loquens dirigat conceptum ſuum ad Angelum audientem?

1229 MODERNI Extra Scholam D. Thom. communiter tenent oppoſitum; ſed pars affirmativa tenenda eſt cum Thomiſtis. Vnde ſit concluſio. Vnus Angelus loquitur alteri per hoc quod voluntariè dirigit ad alterum Angelum conceptus ſuos. In hac cõcluſione perpetuus eſt D. Th. nam, quæſt. 9. de verit. art. 4. ſolut. ad 9. habet: *Ipſa ordinatio cogitationis ad alterum externa loquutio in Angelis dicitur.* Et ad vltimum dicit, quod *Angelus cogitationem alterius cognoſcit per ſpeciem innatam, per quam alium Angelum cognoſcit, quia per eandem cognoſcit omne, quod cognoſcit in alio Angelo: vnde quam cito vnus Angelus ſe ordinat ad alium ſecundum actum alicuius formæ, ille Angelus cognoſcit cogitationem eius.* Et hic, quæſt. 107. art. 1. dicit: *Angelum loqui Angelo nihil aliud eſt, quàm conceptum ſuum ordinare ad hoc vt ei innoteſcat per propriam voluntatem.* Et in 2. diſt. 11. in 2. parte textus, quæſt. 1. artic. 3. ad 4 ait: *Quam cito vnus Angelus ordinat loquutionem ſuam ad alterum efficitur loquutio eius de pertinentibus ad eum, & ita ab eo cognoſcitur.* Et ſolutione ad 2. *Non exigitur aliquod medium, per quod deferatur loquutio vnius ad alterum ſed ſufficit ad hoc ſolus ordo intentionis vnius ad manifeſtandum alteri.* Et quæſt. 9. de veritat. art. 5. ad 2. ait: *Angelus loquens nihil facit in Angelo, cui loquitur, ſed fit aliquid in Angelo ipſo loquente, & ex hoc ab alio cognoſcitur modo prius dicto: vnde non oportet etiam quod loquens aliquid infundat ei, cui loquitur.* In quibus locis ſimul in vnum collectis invenitur omne id, quod requiritur ad Angelicam loquutionem iuxta tenorem concluſionis noſtræ. Etenim vt Angelus audiens poſsit percipere loquutionem loquentis, requiritur, quod ea, de quibus eſt loquutio, pertineant ad audientem: nam audiens ſolum habet ſpecies repræſentativas eorum, quæ ad ipſum pertinent; ad hoc autem vt ſecreta Angeli loquentis pertineant ad audientem requiritur, quod non ſolum loquens habeat dominium ſuper cognitionem eorum, ſed vlterius requiritur, quod hoc dominium communicet audienti: nam facta hac communicatione, illa, quæ antea non pertinebant ad audientem, modo iam facta communicatione talis dominij pertinent ad ipſum; communicatio autem huius dominij fit per hoc quod loquens cedat iuri ſuo, cùm enim ſit dominus per ſuam libertatem cogitationū, etiā habet dominiū ſuper hoc, quod nullus præter Deū, vel cui Deus voluerit eas revelare, poſsit eas cognoſcere, niſi ipſe voluerit: vnde eſt neceſſe, vt audiēs eas cognoſcat, quod loquens vellit, & permittat: niſi enim permiſerit, nō habebit audiens dominiū ſuper earū cognitionē, & ſic nō poterit eas cognoſcere. Hæc autē omnia requiſita ſparſim in-

inveniuntur explicata in authoritatibus ex Div. Thom. adductis, vt legenti conſtabit.

Iam reduco ad formam doctrinam ex D. Thom. collectam. Et probo Concluſionem. Etenim vnum Angelum loqui cum altero nihil aliud eſt quàm ſic offerre alteri cōceptus ſuos, quod alter ſtatim poſſit cognoſcere; ſed per hoc ſolū quod Angelus velit dirigere conceptus ſuos ad alterū, vt ei innoteſcant, alter Angelus poteſt eos cognoſcere: igitur Angelus loquetur alteri Angelo per hoc ſolū, quod velit dirigere conceptus ſuos ad alterū, vt innoteſcant ei. Prob. Min. etenim quilibet Angelus eſt potens cognoſcere omnia entia ordinis naturalis, quæ pertinent ad ipſum; nā ſicut ad fœlicitatē ordinis gratiæ pertinet quod quilibet beatus videat omnia ea, quæ pertinent ad ipſum, ita ad perfectionem naturalem ſubſtantiarum completè intellectualium per ſe ſpectat, vt qualibet ſubſtantia completè intellectualis naturaliter cognoſcat omnia, quæ pertinent ad ipſam; hoc ipſo quod Angelus libera ſua voluntate dirigit conceptus ſuos ad alterum, vt ei innoteſcant, hoc ipſo, & ex hoc ipſo tales conceptus pertinent ad Angelum audientem; ergo hoc tantum poſito Angelus audiens cognoſcit præfatos cōceptus. Patet Conſ. quia tota ratio, ob quam non poterat ante prædictos cōceptus alius cognoſcere, niſi ille, cuius erant, erat, quia tantum pertinebant ad ipſum: ergo ſi facta tali directione iam pertinent ad illum, ad quē diriguntur, poterunt iam ab illo cognoſci. Et Min. Prob. nam orationes, quæ ex Eccleſia funduntur ad aliquem ſanctum, per hoc ſolū quod ad ipſum dirigantur, dicuntur eſſe de pertinentibus ad talem ſanctum: ergo hoc ipſo quod prædicti concepceptus ab vno Angelo ad alterum, vt ei innoteſcant, diriguntur, dicentur pertinere ad ipſum. Secundò Prob. eadem Min. nam per hoc quod Angelus loquens vult manifeſtare alteri ſuos conceptus, vult eum participem fieri ſecretorū ſuorū, & vult quod ea, quæ vſque tunc fuerunt ſecreta, reſpectu illius, à quo vult ea ſciri, vult non amplius eſſe ſecreta: igitur per illam voluntatem tranſeunt prædicti conceptus de non pertinentibus ad Angelum audientem ad eſſe pertinentes ad ipſum. Ex quo infertur etiā quod audiens debeat habere ius ad cognitionem eorum vtpote iam pertinentium ad ipſum.

1230 Secundò Prob. Concluſio. Quilibet Angelus ab initio ſuæ creationis habet ſpecies impreſſas repræſentativas cuiuſlibet ſubſtantiæ completè ſpiritualis, & omnium accidentiū inhærentiū illi, dummodo talia accidentia coordinentur cum tali ſubſtantia naturali coordinatione; ſed per hoc quod ſecreta Angeli loquentis diriguntur ad audientē, coordinantur naturaliter cum ſubſtantia loquentis, eſto non abſolutè, reſpectivè tamen ad eum, cum quo vult loqui: ergo hoc ipſo quod Angelus vult ea manifeſtare alteri Angelo, hoc ipſo hic per ſpeciem, per quā loquentē comprehendit, poterit cognoſcere præfata ſecreta. Prob. Min. hoc ipſo quod vult dirigere tales conceptus, vt alteri Angelo innoteſcant, hoc ipſo cedit iuri libertatis reſpectivè ad eum, ad quem diriguntur: ergo reſpectivè ad illum ingrediuntur ordinem accidentium naturalium: nam talis ingreſſus impediebatur per ius libertatis: ergo hoc de medio ablato ingrediuntur ordinē accidentium naturalium: ergo Angelus, ad quem diriguntur, vt ab eo cognoſcantur, poterit cognoſcere eos.

Confirm. quamvis Angelus loquens non poſſit per ſuam voluntatem phyſicè immutare audientem, tamen poteſt phyſicè immutare conceptus ſuos; nam voluntas eius efficax eſt ad producendum aliquid intra intellectum eius, cuius eſt voluntas: dicitur enim in tractatu de ſcientia Dei, quod ſcientia Dei, quæ ex proprijs ſcientiæ ſolum inclinatur ad verum, ex participatione voluntatis inclinatur ad opus extra ſe faciendum, quod etiam contingit in creatis in ſcientia artificis: ergo poteſt Angelus loquens vi ſuæ efficacis voluntatis producere aliquid in ſuis ſecretis occultis, vi cuius coordinentur cum ſua ſubſtantia naturali, ſic, quod ſicut alia accidentia naturalia poſſunt cognoſci ab altero Angelo cognoſcente eius ſubſtantiam, ſic ex vi illius producti in proprijs ſecretis coordinentur cum propria ſubſtantia, vt ab alio cognoſcente illam poſſint agnoſci.

Dices, quod illud naturale, quod producit voluntas in prædictis ſecretis, cùm naturale ſit, erit ab alijs Angelis cognoſcibile, & ſic non ſalvabitur quod loquutio fiat vni, & non omnibus, vnde dum vitatur vnum inconveniens, incurritur in alterum maius. Sed contra eſt, nam id, quod producit voluntas in pro-

Digitized by Google

proprijs conceptibus, non eſt naturale ſabſolutum, ſed tantum reſpectivum ad vnū Angelum, non ad omnes: ergo tantū reddet prædictos conceptus cognoſcibiles ab eo Angelo, ad quem terminatur; non ab alijs cum quibus non connectitur. Ad quod explicandum poſſumus vti doctrina communi Thomiſtarum ſupra quæſt. 36. vbi Thomiſtæ cum Caietano diſtinguunt duplex genus perſonalitatis; aliud abſolutum, & aliud reſpectivum: primum contingit in creatis, ſecundum contingit in perſonis divinis, dicuntque quod perſonalitas abſoluta redditur abſolutè incommunicabilis omnibus perſonis ſive creatis, ſive increatis, quod non contingit in perſonalitate reſpectiva; quæ tantum eſt incommunicabilis ſuo termino, ad quem dicitur: vnde ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, Filius eſſet Spiritus Sanctus: ſic ſimiliter id, quod eſt naturale abſolutè, hoc ipſo eſt ab omnibus cognoſcibile, quod autē tantum eſt naturale reſpectivè, tantum eſt cognoſcibile ab eo, ad quem dirigitur. Et hoc ideo, quia naturale abſolutè nullo modo eſt ſub dominio libertatis, naturale autem reſpectivè tantum perdit ius libertatis erga illum, ad quem ordinatur, & retinet ius libertatis erga omnes alios, ad quos non dirigitur: cum ergo quandò Angelus vult loqui cum vno, tantū vellit ſolum ad illum ordinare ſecreta ſua, vt ab ipſo tantum cognoſcantur, illa directio perdit ius libertatis erga terminum ſuum, non vero erga alios, reſpectu quorum directio non dicitur, & ſic illa ſecreta cognoſcuntur ab vno, & non ab omnibus.

1231 Tertio Prob. Concluſio. Ex doctrina D. Thom. hic art. 1. ad 1. ibi: *Dicendum, quod in nobis interior mentis conceptus quaſi duplici obſtaculo clauditur: primo quidem ipſa voluntate, qua conceptum intellectus poteſt retinere interius, vel ad extra ordinare, & quantum ad hoc menti omnis nullus alius poteſt videre, niſi ſolus Deus ſecundum illud 1. Corinth. 2. quæ ſunt hominis nemo novit niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Secundo autem clauditur mens hominis ab alio homine per groſſitiem corporis: vnde cum etiam voluntas ordinat conceptum mentis ad manifeſtandum alteri, non ſtatim cognoſcitur ab alio, ſed oportet aliquod ſignum ſenſibile adhibere: hoc autem obſtaculum non habet Angelus, & ideo quam cito vult manifeſtare alteri ſuum conceptum, ſtatim alius cognoſcit.* Ex quibus ſic formo argumentum. Angelus ad cognoſcendum ſecreta cordis alterius tantum impeditur per hoc, quod alter iure libertatis retinet ſua ſecreta interius, & non ordinat ad extra: ergo ſi hoc impedimentum ortum ex libertate diſſolvatur, ſtatim poterit cognoſcere illa; ſed hoc impedimentum ſolvitur per hoc, quod Angelus non vult amplius reſpectu huius ea retinere interius, ſed vult poſitivè ordinare ea ad extra: igitur hoc tantum poſito, alter Angelus poterit præfata ſecreta cognoſcere.

Dices: D. Thom. diminutè proceſſiſſe in numerandis obſtaculis ad loquutionem. Nam licet obſtacula ex parte loquentis tantum ſint duo, ex parte tamen audientis poteſt eſſe obſtaculum non habere ſpeciem repræſentativam ſecretorum cordis loquentis: quid enim intereſt, vt ego cognoſcam aliquid, quod illud ſit cognoſcibile, ſi ergo non habeo ſpeciem, qua illud valeam cognoſcere? Diminutè etiam numeravit requiſita ad loquutionem, quia alterum per ſe requiſitum eſt, quod loquens loquutione ſua excitet loquentem, vt attendat, & audiat: hoc autem non fit, neque fieri poteſt per hoc ſolum, quod alter velit ſuos conceptus alteri manifeſtare, vel illum ordinare, vt ab illo poſſint cognoſ[ci]: ergo ex hac auctoritate non fit efficax ratio pro noſtra concluſione.

Sed contra inſurgo ſic, impugnando ſolutionem per ſuas partes. Primam ſic, nam quod audiens non habeat ſpeciem repræſentativam ad cognoſcendum conceptus loquentis non pertinet ad obſtaculum, & ad impediens alicuius potentiæ, ſed pertinet ad carentiam potentiæ proximæ cognoſcitivæ; obſtaculum enim proprè dicitur quandò quis poteſt per vires ſuas aliquid facere, ſed exterius impeditur per appoſitionem alicuius extrinſeci obſtantis, ne tale poſſe exeat in actum: obſtantia autem ab extrinſeco, ne homo conceptus alterius hominis cognoſcat, tantum ſunt duo, nempe corporis groſſities, & ius libertatis retinens conceptus; nam defectus ſpeciei ſe tenet ex parte carentiæ proximæ potentiæ ad cognoſcendum: non ergo in enumerandis obſtaculis diminutè proceſſit Div. Thom. Quoad ſecundam partem ſic. Nam voluntas ordinativa conceptuum ad Angelum audientem verè ha-

Digitized by Google

habet excitare ipſum. Quod vt appareat aduerto. Quilibet Angelus ſemper perſeuerat in comprehenſione ſuæ ſubſtantiæ, ſui intellectus, & ſuarum ſpecierum intelligibilium: vnde ſemper actu viuet ad quæ obiecta ſpecies eius intelligibiles referantur: cum ergo facta ordinatione conceptuum loquentis ad audientem, ſpecies, quæ in audiente repræſentat naturaliter ſubſtantiam loquentis, de nouo habeat repræſentare dicta ſecreta ipſius loquentis. Angelus audiens videt nouitatem repræſentationis in propria ſpecie, & illa nouitate excitatur, & de non cognoſcente actu, fit actu cognoſcens: vnde facta ordinatione conceptuum Angelus audiens ab intrinſeco excitatur, id eſt, a nouitate repræſentationis, quam audiens, ex quo de nouo fit, actu conſiderat; non ergo diminutè numerauit D. Thom. requiſita ad loquutionem. Et ſi nihil dixit de ſpecie impreſſa repræſentatiua conceptuum loquentis, quæ requiritur ad loquutionem, in hoc diminutè non proceſſit, quia hoc ſuppoſuit tractatum ab ipſo ſupra, cùm docuit: *Angelos ab initio ſuo conditionis habere ſpecies inditas omnium eorum, quæ ad ordinem naturæ ſpectant.*

VI.

Soluuntur argumenta contra Concluſionem.

1232 CONTRA Concluſionem primo arguitur. Nam non debet manifeſtari occultum per æquè occultum; ſed ipſa voluntas manifeſtandi, cùm ſit libera, eſt æquè occulta, ac ſunt occultæ cogitationes cordium: igitur per prædictam voluntatem liberã, quæ ordinat conceptus ad audientem, non poteſt manifeſtari conceptus loquentis: ergo neque poteſt per illam loquutio fieri.

Ad hoc, nego Min. Ad Prob. illa eſt libera, diſt. Antec. eſt libera cum ordinatione ad audientem: conc. Antec. ſine tali ordinatione, nego Antec. & nego Conſeq. Itaque voluntas illa manifeſtandi conceptus, hoc ipſo quod ordinat conceptus latentes in mente loquentis, vt ex vi talis ordinationis pertineant ad audientem, hoc ipſo ordinat ſe ipſam ad audientem, & fit de pertinentibus ad ipſum, & ſic tam conceptus, quàm illa voluntas libera patent audienti: ſicut exiſtentia hoc ipſo quod naturam in genere cauſæ formalis facit exiſtere, hoc ipſo facit exiſtere ſe ipſam; ſed quia conceptus ordinatur per talem voluntatem, & voluntas ordinat ſe ipſam, hinc fit, quod conceptus ſint magis occulti, quàm illa voluntas, quia quod ratione ſui patet, magis notum eſt, quàm quod patet, & fit notum per ipſum.

Sed inſtas, voluntas non eſt ordinatiua, neque ſui, neque aliorum; ordinare enim vt vidimus t. 2. quæſt. 17. ſolum attinet ad intellectum, non ad voluntatem: ergo prædicta voluntas manifeſtandi, vt pateat Angelo audienti, debet ordinari ad illam per aliquid aliud ab ipſa voluntate diſtinctum: non ergo erit manifeſtatio ſui ipſius, & ſic erit tàm occulta quàm ipſi conceptus. Ad hoc, diſt. Antec. voluntas non eſt ordinatiua per modum efficientis ordinem, conc. Antec. per modum efficaciter inclinantis intellectum, vt ordinet tàm conceptus ſuos, quàm ipſam voluntatem manifeſtandi eos, nego Antec. & diſt. Conſeq. ergo prædicta voluntas manifeſtandi conceptus, vt pateant Angelo audienti, debet ordinari ad illam per aliquid ab ipſa voluntate diſtinctum, per modum efficientis ordinem, conc. Conſeq. per modum inclinantis efficaciter ad ordinandum tàm conceptus, quàm ipſam voluntatem, nego Conſeq. Itaque intellectus eſt, qui ordinat tàm conceptus, quàm voluntatem liberam manifeſtandi eos ad Angelum audientem, ſed voluntas eſt, quæ efficaciter inclinat intellectum, vt prædictos conceptus, & voluntatem ipſam manifeſtandi eos ordinet ad Angelum audientẽ: vnde licet indigeat aliquo à ſe diſtincto ad habendum ordinem, non tamen indiget aliquo à ſe diſtincto ad inclinandum ad ordinandum. Et hac ratione dicimus, illam voluntatem manifeſtandi prædictos conceptus eſſe ſe ipſa notam; non quia à ſe ipſa habeat ordinem ad audientem: hunc enim habet ab intellectu; ſed quia cùm eſt voluntas manifeſtandi prædictos conceptus, eſt voluntas manifeſtandi ſe ipſam, & ſic eſt notior ipſis conceptibus manifeſtatio.

Sed inſtas, ſi voluntas manifeſtandi prædictos conceptus eſſet ratio formalis manifeſtandi illos, & manifeſtandi ſe ipſam, inde ſequeretur, Angelum loqui per voluntatem, hoc autem non eſt ad-

admittendum : ergo. Conſeq. eſt bona. Minor certa ; nam ſi loquutio eſſet actus voluntatis, oratio, quæ eſt quædam mentalis loquutio, eſſet actus voluntatis contra Div. Thom. 2.2. quæſt. 80. ergo. Et Mai. Prob. nam loquutio illius potentiæ eſt actus, in qua habetur ratio formalis manifeſtandi conceptus ; ſed ſi voluntas manifeſtandi conceptus eſſet ratio formalis manifeſtandi illos, in voluntate Angeli haberetur ratio formalis manifeſtandi conceptus : ergo loquutio eſſet actus voluntatis. Ad hoc, diſt. Mai. ſi eſſet ratio formalis manifeſtandi per modum luminis, vel repræſentationis, in qua viderentur conceptus, conc. Mai. ſi eſſet ratio formalis manifeſtandi per modum auferentis obſtaculum, & prohibens repræſentationem, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque vt conceptus occulti, qui latent in mente loquentis, & ipſa voluntas libera manifeſtandi manifeſtentur audienti Angelo, duo requiruntur : alterum eſt, quod voluntas ſua libertate non retineat intra ſe tales conceptus, quia cum ſic retenti ſolum ſpectent ad loquentem, non poſſunt repræſentari audienti ; & alterum eſt lumen, vel repræſentatio ipſorum conceptuum, in qua ipſi conceptus videantur : id, quod aufert primum, propriè non eſt ratio formalis manifeſtationis, ſed eſt tantum removens prohibens ipſam manifeſtationem, & hoc dicimus eſſe illam voluntatem ordinandi conceptus, vel manifeſtandi : ſecundum eſt propriè ratio formalis manifeſtationis ; primum ſpectat ad voluntatem, ſecundum ad intellectum, & ſic non ſequitur quod Angelus loquatur per voluntatem, ſed tantum quod velit loqui per voluntatem, & loquatur per intellectum.

1233 Secundo arguitur. Ad hoc vt Angelus loquatur alteri Angelo requiritur quod excitet illum vt attendat ſuæ loquutioni ; at hoc nequit fieri per illam ordinationem conceptuum, & per ſolam voluntatem manifeſtandi illos : ergo præter illud aliquid aliud requiritur. Prob. Min. per illam voluntariam ordinationem conceptuum ſolum poteſt ad magis fieri, quod ille Angelus, ad quem diriguntur, poſſit cognoſcere illos, ſi voluerit ; non vero fieri poteſt quod de facto illos cognoſcat : ergo per ſolam illam voluntariam ordinationem conceptuum nequit excitari Angelus vt attendat loquutioni. Nec valet dicere, quod hoc ipſo quod tales conceptus ex vi ordinationis prædictæ ſiūt de pertinentibus ad audientem, hoc ipſo ſpecies, quæ eſt in audiente, actu repræſentat illos, quam novam repræſentationem videns audiens ſtatim attendit loquutioni. Non (inquam) valet, nam multa entia naturalia poteſt Angelus cognoſcere, quæ de facto non cognoſcit, & de facto videns ſe ipſum, & ſuas ſpecies videt per illas multa repræſentari, quæ tamen Angelus cognoſcere non vult, vel quia ad alia diſtractus de illis cognoſcendis non curat, vel quia ex omnibus, quæ poteſt cognoſcere ſolum vult actu cognoſcere iſta, vel illa, & non omnia, quæ poteſt : ergo per hoc quod videat ſuam ſpeciem impreſſam de novo repræſentare aliquod obiectum, non excitabitur, vt de facto attendat, vel cognoſcat illud.

Ad hoc argumentum bene dictum eſt : diximus enim ſuprà, quod quilibet Angelus ſemper actu comprehendit ſe ipſum, & ſic ſemper in actu videt ſpecies ſuas : vnde cum aliqua earum repræſentat de novo aliquod obiectum, quod antea non repræſentabat, illam novitatem videt Angelus, & illam videns excitatur ad cognoſcendam : cum ergo per hoc quod Angelus loquens ordinat conceptus ſuos ad audientem, illi conceptus vtpotè iam pertinentes ad audientem tranſeunt de non actu repræſentatis ad actu repræſentatos de novo per ſpeciem audientis, fit conſequens, quod hanc novitatem videns Angelus in ſua ſpecie excitatur ad cognoſcendum, & ſic ille, qui loquitur, dicitur excitare audientem per hoc, quod ordinat conceptus ſuos ad ipſum, vt ab eo cognoſcantur. Ad replicam concedo quod Angelus non ſemper in actu cognoſcit omnia entia naturalia, quæ poteſt cognoſcere : dico tamen, quod quotieſcumque aliquod obiectum de novo per ſpecies in eius intellectu reſidentes repræſentatur, ſemper ad cognoſcendum excitatur ; ex hoc autem non ſequitur, quod ſemper attendat, & actu cognoſcat id, ad quod cognoſcendum excitatur : hócque in noſtra politica ſocietate videmus paſsim ; vbi per voces multi excitantur ad audiendum, qui tamen audire nolunt ; ſed in Angelis oportet diſtinguere, nam ſi ea, ad quæ excitatur vt cognoſcat, non ſint de pertinentibus

ad ipſum, non eſt neceſſe vt attendat, ſi autem ſit de pertinentibus ad ipſum, quoties excitantur, attendunt, & actu cognoſcunt, quæ eſt doctrina D. Thom. in 2. diſt. 11. q. 1. art. 3 ad 4. vbi ait: *Angelus eſt ſemper in actuali conſideratione ſui, & per conſequens eorum, quæ ad ſe pertinent, quorum omnium ipſe eſt ratio cognoſcendi; quã cito autem vnus Angelus ordinat loquutionem ſuam ad alterũ, efficitur loquutio eius de pertinentibus ad illũ, & ita ab eo cognoſcitur.* Ex quibus infertur quod quamvis Angelus non omnia entia naturalia, quæ poteſt cognoſcere, actu cognoſcat, tamen cum omnes loquutiones, hoc ipſo quod ad illum diriguntur, ſint de pertinentibus ad ipſum, non ſtat Angelum loqui ad Angelum, quin actu Angelus audiat, & cognoſcat loquutionem.

Sed inſtas, quod in adducta doctrina D. Thom. videtur aliquid eſſe contrarium his, quæ ſupra docuimus, videlicet quod ipſa ſubſtantia Angeli loquẽtis ſit ratio cognoſcendi ſecreta cordis, quia loquens coordinat illa cum ſua ſubſtantia naturali, & ſic audiens per ſpeciem, quæ illi repræſentat ſubſtantiam loquentis, cognoſcit ſecreta eius cum illa coordinata: modo autem in auctoritate adducta habetur, quod ipſa ſubſtantia audientis ſit ratio cognoſcendi Angelo audienti omnia, quæ ad ipſum pertinent, & cum cogitationes directæ ad ipſum ſint de pertinentibus ad ipſum, ipſa ſubſtantia audientis erit ratio cognoſcendi eas.

Sed reſp. D. Thom. non contrariari doctrinæ noſtræ: nam doctrina à nobis ſuprà tradita data eſt de obiecto *in quo* vt in primario cognito conceptus directi ad audientem ab ipſo obiecto, cognoſcuntur, quod diximus eſſe ſubſtantiam loquentis Angeli, in cuius intellectu prædicti conceptus ſunt: doctrina autem D. Thom. intelligitur de ratione cognoſcendi prædictos conceptus inchoativè ex parte cognoſcentis ſe tenente; quod iam explico. Angelus audiens cum ſemper comprehendat actu ſe ipſum, ſemper eſt in actu reſpectu omnium eorum, quæ in ipſo ſunt, vnde & videt quandò ſpecies ſuæ de novo repræſentant aliquod obiectum, quod antea non repræſentabant, & ex hoc excitantur ad cognoſcendum illud obiectum per ſpecies, quas apud ſe retinet illius obiecti repræſentativas: cum ergo alter Angelus convertitur ad illum, & ordinat ad ipſum ſuos conceptus, illi conceptus fiunt de pertinentibus ad ipſum, & ſic de novo repræſentantur per ſpeciem, quam habet audiens de loquente: vnde cognitio prædictorum conceptuum incipit à cognitione, qua ſemper audiens ſe ipſum, & omnia ſua conſiderat, & ex illa venitur ad ſpeciem repræſentativam ſubſtantiæ Angeli loquentis, & deinde in ſua ſubſtantia vt *quod* primario cognitã cognoſcuntur prætati conceptus: vnde duplex intervenit ratio cognoſcendi, altera tenens ſe ex parte rei cognitæ, & altera tenẽs ſe ex parte cognoſcentis: quæ adhuc eſt duplex; altera ex qua excitatur Angelus ad audiendum loquutionem, & altera, qua de facto attendit, & actu cognoſcit: cum ergo D. Th. dicit ſubſtantiam Angeli audientis eſſe rationem cognoſcendi ſecreta cordis, loquitur de ratione, quæ ſe tenet ex parte cognoſcentis inchoativè, id eſt, à qua inchoatur cognitio, non verò de ratione cognoſcendi, qua fit ipſa cognitio, neque de ratione cognoſcendi, quæ ſe tenet ex parte rei cognitæ.

Vel dicatur, quod dum dicit in adducta auctoritate illa verba: *Quorum omnium ipſe eſt ratio cognoſcendi*: ibi per rationẽ cognoſcendi non intelligit rationem, in qua, vel qua ea cognoſcuntur, quæ ad ipſum audientem pertinent, ſed intelligit cauſam, ſeu rationẽ propter quam eſt neceſſe, quod quilibet Angelus ſemper actu conſideret omnia, quæ ad ipſum pertinent, quæ ratio, & cauſa eſt ipſe Angelus; nam ex quo ſubſtantia completè intellectualis eſt, neceſſario cognoſcit ſe ipſum, & ſic etiam ex quo ſubſtantia completè intellectualis eſt, attinet ad ipſum ſemper actu conſiderare omnia, quæ pertinent ad ipſum: vnde nulla habetur oppoſitio inter hoc dictum D. Th. & doctrinam ſupra à nobis traditam ex ipſo.

1234 Sed adhuc inſtas probando quod ex hoc quod conceptus directi ad audientem ſint de pertinentibus ad ipſum, nõ ſequitur quod audiens actu debeat cognoſcere illos. Etenim amor liber, quo vnus Angelus bonus alium diligit pertinet ad dilectum, & odium, quo vnus Dæmon alium odit, pertinet ad Dæmonem odio habitũ, & tamen non ſequitur ex hoc, quod Angelus dilectus poſsit cognoſcere amorem liberum, quo ab alio Angelo diligitur, neque Dæmon odio habitus poſsit cognoſcere odium, quo odio habetur: ergo ex hoc quod conceptus loquentis per ordinationẽ ad audientem fiat de pertinentibus ad audien-

dientem, non ſequitur, quod audiens poſſit cognoſcere illos. Ad hoc, diſt. Mai. pertinent ad Angelum dilectum, & odio habitum tanquam ad obiectum ſpecificativum amoris, vel odij, conc. Mai. tanquam bona poſſeſſa ab ipſo dilecto, vel odio habito, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque ad Angelum non attinet cognoſcere actu omnia ea, quæ illum pro obiecto, vel termino habent, quia non ſemper ſuper hæc omnia Angelus habet dominium, & ſic omnia ea non ſunt bona ipſius; pertinet autem ſcire omnia, quæ ſunt ipſius Angeli, id eſt, quæ ab ipſo moraliter, vel phyſicè poſsidentur: hoc autem ipſo quod vnus Angelus ordinat conceptus ſuos ad alium Angelum vt cognoſcat, communicat ei poteſtatem, quam habet ſuper ſuos conceptus, licèt non entitativam, ſaltim obiectivam, & ſic illi conceptus tranſeunt ex vi talis ordinationis in poteſtatem audientis in eſſe obiecti cognoſcibilis, & ſic fiunt bona ipſius; quod ſic intelliges. Loquens habet poteſtatem ſuper conceptus ſuos iure libertatis, quo iure ſub eius ditione ſunt, & ſub Dei poteſtate; habet inſuper poteſtatem retinendi eos interiùs, ſic, quod nullus ipſo nolente illos valeat intelligere, & habet poteſtatem ſuper eos, quatenus poteſt eos plene cognoſcere: vnde prædicti conceptus in eſſe entis, & in eſſe cognoſcibili ſunt ſub dominio loquentis: facta autem ordinatione ad audientem ſibi retinet poteſtatem eorum in eſſe entis, & tribuit audienti poteſtatem eorum in eſſe obiecti cognoſcibilis, & ſic illi conceptus in eſſe cognoſcibili ſunt bona audientis, quatenus poteſt eos cognoſcere, & etiam alijs ea occultare.

§. VII.

Solvuntur alia Argumenta.

1235 TERTIO Arguitur, loquutio Angelica per ea media debet fieri, per quæ poſſibile ſit loquentem poſſe mentiri, & fallere audientem; ſed ſi fiat per ordinationem conceptuum ad audientē nequibit loquens mentiri, nec fallere audientem Angelum: ergo nequit fieri per ſolam ordinationem conceptuum ad audientem. Prob. Min. tunc quis mentiri poteſt alteri, quando poteſt ei ſignificare oppoſitum illius, quod illi habet in mente: eſt enim mentiri contra mētem ire; ſed ſi loquutio fiat per ordinationem conceptuum, qui vere exiſtunt in mēte, ad ipſum audientem, vt eos in ſe ipſis videat, neque loquens poteſt alteri ſignificare niſi id, quod habet in mente, neque audiens poteſt cognoſcere niſi id, quod vere reſidet in mente audientis: non ergo poterit vnus Angelus loquendo cum altero illi mentiri, vel eum decipere. Reſp. ad hoc communiter, quod loquens poteſt decipere, & mentiri, ſi poſtquam veros conceptus formavit de re, vel de ſuis proprijs effectibus, alios formet de oppoſito, & illos ordinet ad audientem; primos verò occultet ei: tunc enim occultat audienti veritatem, & fatetur mendacium, & ſic in loquutione Angelica poterit dari deceptio, & mendacium.

Hæc tamen ſolutio difficilis eſt, nam videtur impoſsibile, quod dùm Dæmon cōcipit v. g. quod modo Clemens X. eſt Romæ, quod ſcit eſſe verum; ſimul concipiat quod Clemens X. non eſt Romæ, quod ſcit eſſe falſum: ergo falſa eſt ſolutio. Prob. Antec. illæ duæ conceptiones ſunt duo iudicia aſſertiva mentalia, quæ explicantur per has duas propoſitiones. *Clemens X. modò eſt Romæ, Clemens X. modò non eſt Romæ*, quæ ſunt vere contradictoriæ, & inter ſe verè repugnantes: non ergo poſſunt convenire in eodem Angelo pro eodem inſtanti, & ſic non poterit loquens duos conceptus oppoſitos ſimul formare de eadem re, & ſibi retinere illum, quem ſcit eſſe verum, & ordinare ad alium illum, quem ſcit eſſe falſum. Explicatur hoc. In Angelis non ſunt propoſitiones purè apprehenſivæ diſtinctæ à iudicativis: ſicut contingit in nobis; qua ratione poſſumus nos, poſtquam iudicamus aliquid eſſe verum, formare loquutionem internā repræſentantem oppoſitum, quia cum ex illis duabus propoſitionibus prima ſit aſſertiva, & ſecunda purè apprehenſiva de oppoſito, nullam inter ſe habent oppoſitionem, & ſic poſſunt ſimul eidem homini convenire, ob quam rationem 2. 2. in tractat. de blaſphemia diximus quod retenta vera fide de Deo, poteſt adhuc dari blaſphemia mentalis, id eſt, mentalis loquutio de oppoſito illius, quod fides dictat. V. g. poteſt quis retinendo fidem de eo quod Deus ſit omnipotens, dicere de Deo quod non ſit omnipotens purè mentaliter, quia poteſt loqui mentaliter purè apprehenſive, & non aſſertivè, id eſt, dicere de Deo id, quod dicens iudicat eſſe falſum, quia ve-

vere aſſentitur oppoſito; in Angelis autem non datur hæc diſtinctio propoſitionis iudicativæ, & purè apprehenſivæ, ſed hoc ipſo quod de re aliquid concipit, iudicat ſic eſſe, vel non eſſe: non ergo ſimul poſſunt habere de eadem re duos conceptus oppoſitos penes affirmationem; alias ſimul, & ſemel daret Angelus aſſenſum duabus contradictorijs, quod dicendum non eſt: falſa ergo eſt doctrina de formatione duorum conceptuũ oppoſitorum inter ſe, quorum alterum Angelus apud ſe retineat, & alterum Angelo audienti demonſtret. Sed demus quod prædictos conceptus oppoſitos Angelus ſimul formet, & vnum eorum, qui verè falſus eſt, Angelo audienti demonſtret; tunc ille falſum dicet Angelo audienti, non tamen mentietur; quia cum mentiri ſit contra mentem ire, & loquens audienti demonſtret ſuos conceptus, demonſtrabit ei quod habet in mente, & quod de facto concipit, nõ vero demonſtrabit, vel ſignificabit aliquid contra mentem ſuam.

Nec valet ſi dicas, quod licet abſoluta demonſtratio falſum conceptuum non ſit mendacium, tamen demonſtrare illos, in in quibus ſcit, adeſſe falſitatem occultando eos, in quibus adeſt veritas mendatium eſt, quia verè eſt dicere id, quod dicens ſcit eſſe falſum, & eſt contra mentem, ire. Non (inquam) valet, nam dum Dæmon actu concipit vtrumque oppoſitum, & ex illis alterum tantum alteri Dæmoni ſignificat, licet adæquatè circa illam materiam illi nõ loquatur, verè tamen eiicit id, quod de facto loquens in mente habet: ergo nullo modo contra mentem ſuam illi loquitur. Explicatur hoc, ponamus caſum quod ex illis duobus conceptibus oppoſitis loquens occultet audienti illum, quem ſcit eſſe falſum, & demonſtret illum, quem ſcit eſſe verum, tunc ſic; loquens non mentitur audienti, neque abſolutè, neque reſpectivè ad conceptus, quos ſibi retinet, & illi occultat: ergo quando falſum conceptum ſignificat audienti, adhuc reſpectivè ad verum, quem occultat, non mentietur illi. Prob. Conſeq. nam ſicut dum demonſtrat conceptum falſum dicit contra id, quod concipit conceptu verò, ita dum demonſtrat conceptum verum, & retinet apud ſe falſum demonſtrat audienti contra id quod loquẽs concipit conceptu falſo, quem apud ſe retinet. & audienti occultat: ergo ſicut in hoc caſu adhuc reſpectivè ad alterum conceptũ non mentitur, ſed tantum inadæquatè loquitur, ita dum occultat conceptum verũ, & demonſtrat falſum, adhuc reſpectivè ad alium conceptũ, quem apud ſe retinet, non mentietur, ſed tantum inadæquatè loquetur, non ſignificans omne id, quod de facto loquens concipit.

1236 Sed his non obſtantibus placet defendere datam ſolutionẽ, quia communis eſt. Vnde ad primum in contra dico, quod illæ duæ conceptiones, *Pontifex eſt Romæ, Pontifex non eſt Romæ*, non implicant ſimul convenire Angelo, ſi altera ſit per modum aſſertionis, & altera ſit per modum puræ loquutionis. Poteſt enim Angelus aſſentiri huic; *Deus eſt omnipotens*, & ſimul mentaliter proferre *Deus non eſt omnipotens*, non iudicando, neque aſſentiendo illi propoſitioni mentali; ſed purè proferẽdo mentaliter eam; aliud enim eſt mentaliter proferre aliquam propoſitionem, & aliud eſt mentaliter aſſentiri tali propoſitioni: neque enim negare poſſumus quod Dæmones blaſphemant Deum etiam in his, quæ ſciunt non vere dici de Deo, & cum illud blaſphemare tantum ſit mentale, debemus admittere duas propoſitiones mentales ſimul in Dæmone, quarum vna ſit aſſertiva, & iudicativa de vno divino prædicato, & alia ſit pura prolatio de oppoſito; vnde poterit Dæmon ipſam propoſitionẽ, cui aſſentitur retinere ſibi, & vt alterum decipiat, loquutionem mentalem de oppoſito ad alterum ordinare.

Ad explicationem, nego Antec. nec enim dari poteſt ratio, propter quam poſſit quis noſtrum proferre mentaliter id, quod iudicat eſſe falſum, & Angelus id non poſſit; vnde crediderim de facto Dæmones multa dicere contra Deum, vt illud blaſphement, quæ tamen ipſimet iudicant eſſe falſiſſima: ſi ergo Dæmon ea, quæ falſa eſſe iudicat, alteri Dæmoni offerat vt ea cognoſcat, verè mentietur, & illum decipiet; primum quia contra propriam mentem iudicantem, & aſſentientem vero loquetur, ſecundum quia voluntariè id, quod falſum eſt, ei manifeſtabit.

Ad aliud dico, Antec. eſſe falſum, & ad Prob. dico, quod mentiri eſt atteſtari aliquid ſive mentaliter, ſive vocaliter contra id, quod mens iudicat eſſe verum; non autem contra id, quod mens tantum concipit per modum puræ mentalis loquutionis; cum ergo Dæmon iudicat vnum eſſe verũ, & illi vt tali aſſentiatur, ſi ſine iudicio concipiat oppoſitum, & illud alteri Dæmo-

Digitized by Google

moni manifeſtet dirigendo ad illum id, quod iudicat eſſe falſum, iſte licèt non faciat contra mentem vt purè concipientē, velut purè proferentem; facit tamen contra mentem vt iudicantem verum de vero, & ſic mentitur. Vnde admitto ſolutionem ibi datam, & ad replicam dico, quod Dæmon tunc ſignificat alteri id tantum, quod eſt in mente Dæmonis ſolum per modum loquutionis mentalis, non verò ſignificat ei id, quod eſt in mente eius per modum aſſertionis, & iudicij: vnde ſic manifeſtando id, quod pure loquitur, & occultando id, cui aſſenſum dat tanquam iudicans eſſe verum, vere mentitur, quia ſuam loquutionem ad alterum nō conformat cum eo, quod verum eſſe iudicat, ſed tantum cum eo, quod iudicat eſſe falſum: vnde quamvis manifeſtet alteri mentem ſuam quoad id, quod tantum eſt in illa per modum prolationis mentalis, occultat tamen illi mentē ſuam quoad id, quod eſt in illa per modū iudicantis veritatem, vel per modum veritatis formalis, & ſic ei mentitur, & eum decipit.

Ad explicationem, nego Conſeq. Ad Prob. nego paritatem, nam quando ex illis duobus oppoſitis alteri manifeſtat veritatem, & occultat id, quod iudicat eſſe falſum, tunc non manifeſtat opponendo ſe alicui iudicio ſuo, ſed tantum opponendo ſe illi apprehenſioni, & puræ conceptioni, quam apud ſe retinet: vnde non vadit contra mentem iudicantem, ſed tantum contra mentem purè concipientem, & ſic nullo modo mentitur; quando vero manifeſtat id, quod iudicat eſſe falſum occultando id, quod iudicat eſſe verum, tunc manifeſtat alteri aliquid, quod opponitur iudicio vero, vel id, de quo putat habere verum iudicium; & ſic mentitur, & fallit.

1237 Quarto arguitur. Angelus non audit loquentem per hoc quod conceptus, qui ſunt in mente loquentis videt: ergo neque Angelus loquitur ſolum per hoc quod ſuos conceptus ad ipſum dirigit. Conſeq. eſt bona, & Antec. Prob. ſi Angelus audiret per hoc quod videret conceptus loquentis in ſe ipſis, non audiret credendo, & dando fidem dictis Angeli loquentis, ſed videndo res prout evidenter ſciuntur à loquente: videret enim ipſoſmet conceptus, quibus loquens res, quas revelat, cognoſcit; ſed hoc non eſt admittendum: nam id, quod ſcitur ex ſola loquutione, non videtur, ſed creditur: ergo Angelus non audit loquentem per hoc quod conceptus, qui ſunt in mente loquentis, videt. Confirm. Angelus videns Verbum divinum, & in ipſo res, quæ per illud repræſentantur, non dicitur credere Deo, quia res, quæ ei revelantur, cognoſcit videndo Verbum, quo Deus eas videt: ergo qui audit Angelum loquentem ſibi, per hoc quod videt verbum, ſeu conceptum, quo loquens res evidenter videt, non credet, ſed cognoſcet evidenter ea, quæ dicuntur ſibi.

Ad hoc reſp. Ioannes à Sanct. Thom. neg. Antec. ad Prob. negat Mai. aliud enim eſt videre conceptus, qui referuntur ad audientem, & aliud eſt videre evidenter res, quæ per tales conceptus repræſentantur: ſicut aliud eſt in loquutione, qua vnus homo loquitur alteri videre ipſas voces, quæ ſunt ſigna conceptuum, vel rerum; & aliud eſt videre res repræſentatas: qui enim audit, evidenter cognoſcit ſigna ſenſibilis loquutionis, non tamen evidenter videt res, quæ per talia ſigna ei repræſentantur: ſic ergo Angelus audiens evidenter videt conceptus, qui à loquente ad ipſum diriguntur; res tamen repræſentatas per tales conceptus non evidenter videt, quia tales conceptus non niſi cum obſcuritate maximâ res ei repræſentat, & ſic datur locus fidei Angelicæ. Optima quidem ſolutio. Sed reſtat explicare ex quo capite prędicti conceptus, qui multoties quidditativè rem repræſentant, imò & co oprehenſivè, Angelo audienti cum obſcuritate repræſentent, ſic, quod audiens non niſi per fidem, quam dat loquenti, eas attingat.

Reſpondeo, id oriri primò ex eo quod audiens neſcit, vtrùm conceptus, quos loquens ad illum dirigit, ſint veri, an ſint falſi; nam vt ſupra dixi, poteſt loquens apud ſe retinere veritatem, & manifeſtare falſitatem retinendo apud ſe conceptus veros, quibus ipſe aſſentitur, & aſſerendo cōceptus falſos, quibus diſſentitur: vnde quāvis audiens videat conceptus, qui ad illum diriguntur, non tamen videt quod verum ſit id, quod ei de aliqua re manifeſtat, & ſic tantum dat aſſenſum per fidem. Secundo audiens quantumvis conceptus videat loquentis, non tamen præfati conceptus ei repræſentant res cum tanta evidentia, cum quanta repræſentant ipſi loquenti: nā reſpectivè ad loquentem ſunt ſigna formalia immediatè repræſentantia obiecta; reſ-

pe

pectivè autem ad audientem ſunt ſigna inſtrumentalia, quæ ſolum vt *quod* cognita dant notitiam ſuorum ſignatorum: ſignatum autem in ſigno vt *quod* cognito nō non cognoſcitur niſi imperfectè, & cū aliqua obſcuritate; vnde per illud nequit haberi notitia intuitiva, & ſic ſemper datur locus ad aliquam fidem ſaltim nomine *fidei* accipiendo cognitionem minus perfectam ea, quam de rebus revelatis habet loquens.

Ad Confirm. nego cauſalem. Etenim Angelus beatus videns divinum Verbum vtitur ipſo divino Verbo vt ſigno formali; nam Deus vt verbum, & vt ſpecies impreſſa vnitur menti beatorum. Inſuper Deus nequit ſibi retinere veritatem, & quod falſum eſt oſtendere: vnde illa notitia beatorum in Verbo Dei omni ex parte eſt evidens reſpectu eorum, quæ in Verbo, & medio Verbo cognoſcunt; at in caſu noſtro res non contingit ſic, nam & loquens poteſt fallere, & conceptus loquentis non repræſentant audienti immediatè, & per modum ſigni formalis objecta ſua, ſed primò repræſentant ſe ipſos vt *quod*, & in ipſis vt *quod* cognitis ſua ſignificata; ex quo fit quod non ita evidenter, & perfectè repræſentant audienti: vnde datur locus ad fidem Angelicam.

Sed inſtas, eſto hæc doctrina vera ſit quoad loquutiones Dæmonum, qui poſſunt fallere, & falli, non tamen locum habere poteſt quoad Sanctos Angelos, qui nec fallere, nec falli poſſunt: ergo ſi illi audiant bonos Angelos loquentes ſibi, per hoc quod videant conceptus loquentium ſibi prout ſunt in ipſo loquente, non poterunt aſſentire revelatis per fidem, ſed per ſcientiam evidentem. Explico hoc, Angelus audiens bonum Angelum loquentem ſibi ſcit evidenti ſcientia, quod ille, qui ei loquitur, neque poteſt falli, neque alium fallere: ergo cū videt conceptū ad ſe directū, evidēter cognoſcit illum eſſe eum conceptū, quē loquens de re, quā revelat, format, & quod loquens non ſcit oppoſitum eius, quod revelat: ergo evidenti ſcientia cognoſcit ſecretum, & ſic non cognoſceret credendo. Ad hoc dico, doctrinam noſtræ ſolutionis datam eſſe pro Angelis bonis ex ſuppoſitione quod eſſent conditi in pura natura, & pro Dæmonibus: non vero datā eſſe pro Sanctis Angelis, inter quos ille, qui audit, non credit loquenti ſibi Angelo, ſed videt, licet non ita perfectè, ſicut ille, qui loquitur: quia conceptus loquentis ad audientem directi non manifeſtant ita perfectè rem, de qua eſt loquutio, ſicut repræſentant ipſi loquenti, reſpectu cuius ſunt ſigna formalia immediatè repræſentantia objecta, cum tantum inſtrumentaliter ea ſignificent audienti.

1238 Quinto tandem arguitur: Nam non videtur verum quod Angeli ab initio ſuæ conditionis habeant ſpecies repræſentativas omnium eorum objectorū, de quibus per totam æternitatem poteſt fieri loquutio in Angelis: ergo loquutio non fiet per ſolam directionē conceptuū, ſed vltra requiretur, quod Deus ſaltim infundat eis de novo ſpecies, cum inſtat loquutio. Prob. Antec. nam Angelo nō ſunt debitæ ſpecies impreſſæ niſi tantum eorū objectorum, quæ pertinent ad ipſum, & cogitationes liberæ quandiu non ordinantur ad alium Angelum non pertinent ad ipſum: igitur ab initio non habebunt ſpecies repræſentativas omnium objectorū, de quibus poſſibilis eſt loquutio.

Secundo Prob. Antec. nam ſi omnes conceptus, de quibus huculque vnus Angelus habuit notitiam, & de quibus per totam æternitatem notitiam habebit, ex vi loquutionis de facto ſimul exiſterent, abſque dubio daretur infinitum in actu, nam collectio eorum abſque dubio eſt infinita, ſed quia talis collectio quoad ſuas omnes partes non exiſtit ſimul, ſed ſucceſſivè, ideò infinitum in actu non datur: ergo ſi ſpecies repræſentativæ omnium illorum ſimul omnes exiſtunt, de facto in Angelo quolibet dabitur infinitum in actu ſpecierum. Quod argumentū ſpecialiter inſtat in Angelo, in quo ſpecies objectorum maximè multiplicantur. Tertio Thomiſtæ aliqui non habent pro inconvenienti aliquo, quod dum vnus Angelus vult loqui alteri, Deus ſpeciali concurſu excitet audientem ad attendendum loquutioni; ſic enim diſcurrunt Salmanticenſes: qui conſentientes in eo quod loquens per directionē ſolàm conceptuum non poſſit excitare audientem, affirmant, attinere ad Dei providētiam conſervantem politicam, & convictum Angelorum, excitare Angelum vt audiat, quoties alter dirigit conceptus ſuas ad ipſum, in quo conſentit noviſſimè Auguſtinus à Virgine Diſcalceatus Gallus: ergo neque debent habere pro inconvenientI, quod quoties vnus Angelus alteri loquitur Deus infundat audienti aliquam ſpeciem re-

Digitized by Google

repræſentativam illius obiecti, de quo fit loquutio. Patet Conſeq. nam primum non eſt inconveniens, quia Deus facit per ſe ipſum quod Angelus loquens facere nequit in audiente: ergo nec ſecundum habebitur pro inconvenienti, quia cum loquens nequeat infundere ſpeciem in audiente, Deus infundendo illam efficiet quod loquens facere nequit.

Sed premamus hanc excitationẽ, qua Deus excitat Angelum vt attendat ad loquutionem loquentis, & inquiramus, in quo illa conſiſtat? Et quidem illa nequit conſiſtere in alio quàm in productione alicuius cogitationis efficacis de eo, quod alter loquutur, & immiſſione bonæ voluntatis, qua ille, qui excitatur, vult audire, vel attendere loquenti; hoc autem non fit à Deo, niſi producendo aliquod lumen per modum tranſeuntis in intellectu audientis, & productione alicuius qualitatis in volũtate eius, qua piè afficitur ad attendendũ; ſicut ergo quotieſcumque vnus Angelus alteri loquitur, neceſſe eſt, quod Deus prædicta producat in Angelo audiente, quare haberi poterit pro inconvenienti quod quoties aliquis Angelus loquitur, Deus infundat audienti aliquam ſpeciem impreſſam, qua Angelus cognoſcere poſſit conceptus, qui à loquente ad ipſum diriguntur.

Ad hoc argumentum, nego Antec. Ad primam Prob. diſt. Mai. Angelo non ſunt debitæ ſpecies niſi eorum obiectorum, quæ pertinent ad ipſum, quæ pertinent ad ipſum tantum pro primo inſtanti creationis Angeli, nego Mai. quæ pertinẽt ad ipſum, vel pro primo, vel pro alijs inſtantibus, in quibus extiturus eſt Angelus, conc. Mai. & nego Conſ. Itaque Angelo debentur infundi ſpecies omnium eorum obiectorũ, quæ pro aliquo inſtanti vitæ ſuæ ad ipſum pertinebunt: oportet enim quod ſubſtantia intellectualis completa, qualis eſt Angelus, habeat ab initio ſuæ creationis lumen naturale perfectũ in actu primò reſpectu omnium obiectorum, quæ diſcurſu vitæ ſuæ occurrent illi cognoſcenda, ſi de ordine naturæ ſint; hac enim de cauſa antequam futura contingentia exiſtant in ſe ipſis, habent ſpecies repræſentativas eorum; decet enim altitudini eſſe Angelici quod nõ poſſe cognoſcere aliquod obiectum ordinis naturæ pro aliquo inſtanti non reducatur in impotentiam proximam ipſius Angeli, ſed tantum in defectum alicuius requiſiti ab extrinſeco apponendi: vnde ex quo Angelus incipit eſſe, incipiunt cum eo omnes ſpecies omnium eorum obiectorum, quæ pro aliqua differentia temporis occurrent illi cognoſcenda, dummodo de ordine naturæ ſint.

Ad ſecundam Prob. nego Conſeq. nam ſpecies impreſſæ Angelicæ non multiplicantur ad multiplicationem conceptuum loquentium: nam eſto Angelus infimus ſit, vna ſpecie per ſe primo repræſentativa Angeli v.g. Raphaelis habet cognoſcere omnes conceptus, quos Raphael in diſcurſu vitæ ſuæ ordinabit ad illum; per ſpeciem enim vnius ſubſtantiæ habet cognoſcere omnia accidentia talis ſubſtantiæ præſentia, præterita, futura, libera, & neceſſaria pro eo tempore, quo occurrent illi cognoſcenda: vnde eſto conceptus, qui per totam æternitatem dirigentur ad Angelum infimum vt ab illo cognoſcendi infiniti ſint, & ſi de facto darentur, infiniti eſſent; non inde infertur, quod ſpecies exiſtentes in Angelo infimo actu infinitæ ſint. Ad tertiam, nego Conſeq. & diſparitas eſt, quod excitationes, quæ fiunt ad hoc vt Angelus attendat loquenti, non ſpectant ad conſtituendum Angelum audientem potentem quantum eſt ex ſe cognoſcere; ſunt enim tantum requiſitæ vt cognoſcat, & ſic non eſt inconveniens quod eas ab initio ſuæ creationis non receperit, imò rectus ordo poſtulet quod ſucceſſivè excitetur, dũ ſucceſſivè alij cum eo loquuntur; ſpecies autẽ impreſſæ tenent ſe ex parte actûs primi, & ſunt habitualiter in Angelo, etiam dum non vtitur illis, & ſic eſſet inconveniens non recepiſſe eas ab initio ſuæ creationis. Et ad Prob. Conſeq. nego Ant. ratio enim ob quam non eſt inconveniens, quod Deus excitet Angelum vt audiat, quando alter cum eo loquitur, non eſt quia Deus ſupplet id, quod loquens nequit facere, ſed quia excitatio eſt de requiſitis tenentibus ſe ex parte actus ſecundi tantum: ſpecies autem impreſſæ conſtituunt intellectum potentem cognoſcere in actu primo: & eſſet maximum inconveniens, ſi in ordine ad ea, quæ de ordine naturæ ſunt, Angelus ab initio non habuiſſet poſſe perfectum, & completum. Et ad explicationem conc. primam Conſeq. cuius rationem iam aſſignavimus in ſolutione probationis immediatè præcedentis.

(∴)

Vtrùm

Digitized by Google

§. VIII.

Vtrùm Angelus inferior ſuperiori loquatur?

1239 HVIC Quæſito affirmativè reſpondet Div. Thom. & probat primò in argumēto ſed contra: *Quia Dionyſius 7. cap. cœleſtis Hierarchiæ dicit, quod inferiores Angeli ſuperiores Angeli ſuperioribus dixerunt, quis eſt iſte Rex gloriæ: ergo inferiores Angeli loquuntur ſuperioribus.* Hæc clara ſunt. Sed ad rationem, quæ D. Thom. probat concluſionem, quæ valde difficilis eſt, accedamus: *Conſiderandum eſt* (inquit) *quod omnis illuminatio eſt loquutio in Angelis; ſed non omnis loquutio eſt illuminatio.* Quod probat, *quia ſicut dictum eſt, Angelum loqui Angelo nihil aliud eſt quàm conceptum ſuum ordinare ad hoc vt ei innoteſcat per propriam voluntatē: ea vero, quæ mente concipiuntur, ad duplex principium reduci poſſunt, ſcilicet ad ipſum Deum, qui eſt prima veritas, & ad voluntatem intelligentis, per quam actu aliquid cōſideramus, quia vero veritas eſt lumen intellectus, & regula omnis veritatis eſt ipſe Deus, manifeſtatio eius quod mente concipitur ſecundum quod dependet à prima veritate & loquutio eſt, & illuminatio; putà ſi vnus homo dicit alijs, volo hoc addiſcere, volo hoc, vel illud facere.* Et huius dicti rationem aſſignat, dicens: *Cuius ea eſt ratio, quia voluntas creata non eſt lux, nec regula veritatis, ſed participans lucem: vnde communicare ea, quæ ſunt à voluntate creata in quantum huiuſmodi, non eſt illuminare: non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei quid tu velliſ, vel quid tu intelligas cognoſcere, ſed ſolum quid veritas rei habeat.* Modo ſubſumit: *Manifeſtum eſt autē quod Angeli dicuntur ſuperiores, vel inferiores per comparationem ad hoc principium, quod eſt Deus: & ideo illuminatio, quæ dependet à principio, quod eſt Deus, ſolum per ſuperiores Angelos ad inferiores deducitur, ſed in ordine ad principium, quod eſt voluntas, ipſe volens eſt primus, & ſupremus, & ideo manifeſtatio eorum, quæ ad voluntatem pertinent, per ipſum volentem deducitur ad alios quoſcumque.* Vnde concludit: *Et ideo quantum ad hoc, & ſuperiores inferioribus, & inferiores ſuperioribus loquuntur:* Hæc eſt ratio D. Thom. quæ quantò profundior eſt, tantò ſcatet difficultatibus, ita vt in ea vix inveniatur propoſitio, quæ difficultatem non habeat. Diſcurramus per ſingulas.

1240 Prima propoſitio: *Omnis illuminatio eſt loquutio, ſed non omnis loquutio eſt illuminatio.* Hæc apparet difficilis ex eo, quia ſi omnis illuminatio eſt loquutio, & non omnis loquutio eſt illuminatio, videtur quod loquutio ſit genus ad illuminationem, & cum genus non poſſit reperiri in vna tantum ſpecie; erit neceſſe, quod loquutio vt ſic dividatur in illuminationē, & in aliam ſpeciē; hæc autē ſpecies huc uſque incognita eſt: ergo. Secundo apparet difficile, quod loquutio ſit genus ad illuminationem: nam rectus ordo doctrinæ poſtulat vt prius agatur de genere, & deinde de ſpeciebus; at D. Th. prius agit de illuminatione in quæſt. 106. quam de loquutione, vtpote de qua agit quæſt. 107. non ergo apud ipſum loquutio eſt genus ad illuminationem.

Sed his non obſtantibus propoſitio D. Thom. veriſsima eſt. Nam loquendo de illuminatione, qua vnus Angelus alium illuminat, certiſsimum eſt, eam non poſſe alio modo fieri quàm loquendo: eſt enim loquutio vt ſic manifeſtatio conceptuum alteri, quod fit per ordinationem conceptuum ad alterum, vt ei innoteſcant: non poteſt autem Angelus Angelum illuminare niſi manifeſtando ei conceptus ſuos, & ordinando eos ad ipſum, vt ei innoteſcant, & ſic nequit illuminare Angelus Angelum niſi loquendo ei; non tamen omnis loquutio eſt illuminatio: nam Angelus inferior dùm interrogabat ſuperiorem, verè, & propriè loquebatur cum eo, dicens ei; *quis eſt iſte Rex gloriæ?* & tamen dùm ſic interrogabat, non illuminabat eum de tali quæſito, ſed deſiderabat ab eo illuminari: eſt ergo veriſsima propoſitio D. Thom. quod omnis illuminatio eſt loquutio, non vero omnis loquutio eſt illuminatio.

Vnde ad primam rationem dubitandi dico, quod loquutio vt ſic prout contingit in Angelis eſt genus ad illuminationē, & ad alias ſpecies loquutionum, quales ſunt interrogationes, deprecationes Angelicæ, & aliæ huiuſmodi, quæ tantum habent manifeſtare rem vt volitam; neque haberi poterit etiam pro inconvenienti quod loquutio vt ſic habeat vnam ſpeciem, quæ dicatur loquutio: etenim diſpoſitio genericè dividitur in habitum, & diſpoſitionem, ſpecies enim aliquando ſic imperfecta eſt, quod ſolo nomine generis nominatur, vt patet in exemplo adducto: vnde cum loquutio, qua Angelus manifeſtat rem prout

à ſe

à ſe volitam tantum, ſpecies imperfectior ſit illuminatione, nomine ſui generis nuncupatur. Ad ſecundam difficultatem dico, quod cauſa, propter quam D. Thom. prius agit de illuminatione, quã de loquutione, eſt, quia poſtquam in quæſt. 105. egerit de modo, quo Deus agat in creaturam, reſtabat in ſequenti agere de modo, quo vna creatura agat in aliam: vnde incipit in q. 106. agere de modo, quo nobiliſsima creatura, quæ eſt Angelica agat in aliam, & ſic agit de illuminatione, quia per illam perfectiſſimo modo Angelus agit in Angelum, & deinde agit de loquutione, quæ etiam cõducit ad gubernationem, & ad bonum regimen Angelorum: nam per illam fiunt commercia, & tractantur Angelorum negotia. Vel dicitur ſecundo, quod cum in q. 107. agit de loquutione Angelorum, non agit de loquutione Angelica prout eſt genus ad illuminationem, ſed tantum prout eſt ſpecies loquutionis vt ſic condiſtincta ab illuminatione, cumque illuminatio ſit perfectior ſpecies loquutionis, non eſt inconveniens, quod prius agat de illuminatione, quàm de loquutione.

§. IX.

Explicatur alia propoſitio D. Thom.

1241 SECVNDA Propoſitio, quæ apparet difficilis eſt: *Veritas eſt lumen intellectus.* Et difficultas ſtat in eo, nam vel iſta propoſitio eſt vniverſalis, & formalis, aut particularis, & ſolum vera in aliqua materia; ſi primum: ergo omne verum, quodcumque illud ſit, erit lumen intellectus: ergo manifeſtare quodcumque verum erit illuminare intellectum, ac per Conſeq. hoc ipſo quod quis verum loquatur, illuminabit; vnde ſi Angelus inferior loquendo cum ſuperiori verum ei dicat, illuminabit illum, & ſic concludetur oppoſitum illius, quod prætenditur: ſi autem talis propoſitio ſit particularis, oportet dicere, in qua materia propoſitio ſit vera, & in qua non; quod non facile explicabitur, quoniam ad hoc explicandum non conducit differentia inter ſingulare, & vniverſale: ſiquidem illuminationes Angelicæ fiunt de ſingularibus, nec etiam conducit ad hoc explicandum differentia inter neceſſariũ, & contingens, quia illuminationes ſunt de contingentibus: nec etiam conducit differentia inter naturale, & liberum, quoniam illuminationes ſunt de liberis, vt patet cum revelantur Angelis orationes noſtræ: non ergo facile aſsignabitur materia in qua tantum illa propoſitio verum habeat.

Secundo, apparet difficilis præfata propoſitio: nam veritas nequit eſſe lumen, quod ſe tenet ex parte intelligentis, ſed debet eſſe lumen tenens ſe ex parte obiecti cognoſcibilis; & tunc ſit ſenſus, quod intellectus nihil poteſt intelligere niſi verũ, quia ratio formalis ſub qua intellectus eſt verum; ſed ſi hoc dicatur probabitur Angelum inferiorem, cum loquitur ſuperiori, illuminare illum: ergo ex prædicta propoſitione concludetur oppoſitum illius, quod prætenditur. Prob. Min. nam Angelus inferior cum loquitur ſuperiori, non offert ei conceptus ſuos cognoſcendos niſi ſub ratione veri, neque ſuperior aliter eos intelligere poteſt: ſicut neque poteſt amare niſi ſub ratione boni: ergo ſi veritas vt ſe tenet ex parte obiecti eſt lumen intellectus, ad ſenſum quod nihil valet intelligere niſi verum, verè inferior dum ſub ratione veri offert ſuperiori ſuos conceptus cognoſcendos, dum ei loquitur, illuminabit ſuperiorem.

1242 His non obſtantibus propoſitio D. Thom. veriſsima eſt, ſi tamen rectè intelligatur. Rectam autem eius intelligentiã crediderim conſiſtere in eo, quod illa propoſitio non accipiatur vniverſaliter pro omni vero, ſed tantum particulariter: eſt enim verum manifeſtans, & eſt verum manifeſtatum: primum eſt illud, quod ratione ſui eſt magis notum, & ſic poteſt ducere in cognitionem minus noti: verum manifeſtatum eſt illud, quod probatur eſſe verum per verum manifeſtans. Patent hæc in præmiſsis reſpectu concluſionis, patet hoc in exemplis, quæ aliquando aſſumuntur ad explicandum ea, quæ ſe ipſis, quantumvis proponantur intellectui, non bene percipiuntur, quamvis apprehendantur. Dum ergo D. Thom. dicit: *Verum eſt lumen intellectus*, loquitur de illo vero, quo vtitur intellectus per modum medij efficaciter explicativi alterius; quod ſi ſolum proponatur intellectui cognoſcendum, non percipietur ab eo: vnde illa propoſitio, vt vera ſit, non debet diſtribuere pro omni vero. Quod diſcurro ſic. Id, quod manifeſtatur, non dicitur lumen, ſed dicitur illuminatum, & ſi lumen dicitur, erit tantum participativè, quatenus eſt effectus luminis, &

Digitized by Google

& quatenus omnis cauſa elucet in ſuo effectu; at verum vt ſic abſtrahit à vero manifeſtante, & à vero manifeſtato: igitur ſolum verum manifeſtans erit lumen, & manifeſtatum erit illuminatum.

Prob. ſecundo hoc ipſum, nam vt vidimus ſuprà, ideo ſuperiores Angeli dicuntur illuminare inferiores, quia veritates, quas à Deo accipiunt, explicant inferioribus proponendo eis media efficacia, & exempla, quibus inferiores poſsint ſublimes difficultates, quæ ratione ſuæ eminentiæ, & altæ profunditatis ab inferioribus capi non poſſunt, percipere & intelligere: & ideo inferiores è contra nequeunt illuminare ſuperiores, quia ex quo illæ veritates deſcendunt à Deo ad ſuperiores, etiam media probativa, & explicativa veritatis earum prius deſcendunt à Deo ad ſuperiores, quam ad inferiores: vnde iſti nequeunt illuminare ſuperiores: verum ergo, quod eſt lumen intellectus, non eſt omne verum, ſed illud tantum, quod deſervit ad explicandum veritatem aliàs ex ſe difficilem, & quæ ſola ſui propoſitione capi ab intellectu non poſsit.

Tertio hoc ipſum Probo. Quia ſic intellecta præfata propoſitio, *verum eſt lumen intellectus*, optimè deſervit ad intellectum D. Thom. quod eſt probare inferiores poſſe loqui cum ſuperioribus; non tamen poſſe illuminare ſuperiores: etenim ſi de quocumque vero illa propoſitio accipiatur, cum inferiores poſsint proponere ſuperioribus aliquod verum, quod ipſi ignorant, poterunt illuminare illos. Nec valet dicere, quod non poſſunt manifeſtare ſuperioribus verum vt verum, ſed tantum vt volitum: ad illuminandum autem requiritur manifeſtare verum vt verum. Non (inquam) valet, nam licet hoc ſit veriſsime dictum, tamen vellim ſcire, quare non poſsint manifeſtare ſuperioribus verum vt verum, ſed tantum vt libere volitum? Et quidem huius alia ratio aſsignari non poteſt, niſi quia cum verum vt verum deſcendat à Deo mediis ſuperioribus, id, quod poteſt probari formaliter vt verum, etiam deſcendit à Deo per ſuperiores: vnde inferiores verum vt verum formaliter ſuperioribus demonſtrare non poſſunt, quia in participatione medij probativi veri vt veri ſemper præcedunt ſuperiores inferiores: vnde ex ipſa doctrina ſolutionis datæ ad noſtram rationem convincitur, quod verum, quod lumen intellectus dicitur, non diſtribuat pro omni vero, ſed tãtũ pro illo, quod probat, & demonſtrat rei veritatem.

1243 Contra iſtum modum intelligendi propoſitionem D. Thom. obijcies. Nos ſupra explicantes modum, quo ſuperiores Angeli illuminant inferiores, dixiſſe cũ Caietano, illuminationẽ fieri per hoc quod proponitur intellectui illuminãdo obiectũ illuſtratũ lumine ſuperioris, id eſt, obiectũ vt explicatũ, & intellectũ à ſuperiori: ergo obiectum vt manifeſtatũ, & probatum lumine Angeli ſuperioris eſt lumen confortans intellectum Angeli inferioris, & ſic verum, quod eſt lumen intellectus, non ſupponet tantum pro vero activè manifeſtante, ſed etiam pro vero manifeſtato, quale eſt illud, quod proponitur cognoſcendum à ſuperiori inferiori. Reſp. quod ſicut reſpectivè ad potentiã viſivam color illuminatus luce externa non dicitur lumen confortans potentiam viſivam, ſed ſola lux, qua colores illuminantur, ita in illo obiecto illuſtrato, & explicato lumine ſuperioris Angeli, ipſum obiectum, quod recipit lumen, & explicationem, non dicitur confortans intellectum Angeli inferioris, ſed lumen confortans activè dicitur lumen Angelicum, & media, quibus efficaciter veritas illius obiecti probatur, & declaratur; ſed quia iſta illuminantia non habent concurſum in inferiorem niſi per modũ obiecti, ideo diximus ſuprà, confortationem intellectus Angeli illuminati ſolum fieri obiectivè per propoſitionem obiecti illuſtrati: ſemper tamen ſalvantes diſtinctionem inter verum illuminans, quod eſt illud, quod aſſumitur ad probandum verum ſub ratione veri, & verum illuminatum. Etenim dum ſuperior illuminans proponit illud obiectum vt illuſtratum, & explicatum, ſemper proponit media, & exẽpla, quibus obiectum explicat vt lucem, & ipſum materiale obiecti vt illuminatum per illam.

Ex his patet ad difficultates ſupra propoſitas contra propoſitionem Div. Thom. Dicimus enim illam non eſſe vniverſaliter intelligendam, ſed particulariter, & aſsignamus materiam, in qua verum habeat hæc propoſitio, *verum eſt lumen intellectus*. Quæ quidem eſt vera de vero manifeſtante verum vt verum, id eſt, probante, & explicante id, in quo ſiſtat veritas rei, de qua fit illuminatio: vnde non ſequitur quod Angeli inferiores dum loquuntur ſuperioribus, ſuperiores illuminent, quia licet

nia,

Digitized by Google

manifeſtent eis aliquod verum occultum, non tamen probant, vel explicant veritatem illius aſſumendo media efficaciter probativa veritatis eius, ſed tantum proponunt ante oculos eorum ſuas voluntates, vt eis innoteſcant, & ſciant quid de facto latet in cordibus ſuis. Ad ſecundam difficultatem dico, præfatam propoſitionem verificari de vero, quod ſe tenet ex parte obiecti per modum illuſtrantis, & explicantis illud: vnde illa propoſitio *verum eſt lumen intellectus*, non explicat quod intellectus nihil poſſit intelligere niſi ſub ratione veri illud intelligat, ſed explicat id, quod iam dictum eſt. Vnde non ſequitur quod ſi inferior loquens ſuperiori offert ei aliquid cognoſcendum ab eo ſub ratione veri, illum illuminet propter rationem iam dictam, quia videlicet, eſto loquens verum proponat ſuperiori, & illud à ſuperiori tantum cognoſci poſſit ſub ratione veri, hoc tamen non eſt manifeſtare verum vt verum, ſiquidem non eſt probare, ſeu efficaciter demonſtrare veritatem illius rei, quæ proponitur cognoſcenda à ſuperiori, ſed tantum eſt indicare ea, quæ latent in corde loquentis per libertatem eius, ſic retenta, quod ab alio cognoſci non poſſint, niſi loquens vellit ei illa revelare.

§. X.

Explicatur alia propoſitio difficilis in litera D. Thomæ.

1243 TERTIO Apparet difficile in litera D. Thom. id, quod dicit, quod *quia Deus eſt prima regula veritatis, omnis Dei loquutio eſt illuminatio, quia vero creatura non eſt ipſa lux, ſed participans lucem, non eſt neceſſe quod omnis creaturæ loquutio illuminatio ſit, ſed tantum illa, quæ eſt loquutio veritatis prout à Deo dependet*. Et quidem hoc apparet difficile: nam ſi Deus revelat alicui Angelo quid ipſe vellit v. g. ſi ei dicat: *Volo quod tu modo facias hoc, vel illud*, ſine eo quod explicet ei quid rei veritas habeat, tunc tantum manifeſtabit ei verum ſub ratione voliti, non vero ſub ratione veri: ergo tunc loquetur cum Angelo, ſed non illuminabit illum. Prob. Conſeq. quia illuminatio addit ſupra ſimplicem loquutionem manifeſtationem veri, vt verum eſt: ergo ſi tunc tantum ſit manifeſtatio veri vt voliti à Deo, erit loquutio, ſed non illuminatio.

Secundo hoc ipſum apparet difficile: nam licet Deus ſit prima regula veritatis, non tamen veritatem creatam regulat per voluntatem ſuam: nam veritas non ſpectat ad voluntatem, ſive creata ſit, ſive increata: ergo eſſe regulam veritatis nequit convenire Deo ratione ſuæ voluntatis: ergo quando tantum revelat id, quod de facto vult facere, vel per ſe, vel per creaturam, dicendo, *volo hoc, vel illud facere*, loquetur cum creatura, non tamen illuminabit eam. Tertio difficile apparet id, quod dicitur in litera D. Thom. videlicet, quod *ex parte creaturæ illa ſola loquutio eſt illuminatio, quæ eſt loquutio veritatis prout à Deo dependet, non vero prout dependet à voluntate creaturæ*. Difficile eſt enim explicare quid ſibi vellit illa propoſitio: *Illa ſola loquutio eſt illuminatio, quæ eſt de veritate prout à Deo dependet*. Etenim intellectus non ſolum perficitur illa veritate, quando cognoſcit eam ſecundum dependentiam, quam talis veritas habet à Deo, ſed etiam quando cognoſcit eam ſecundum dependentiam, quam habet ab alijs cauſis, nempe ab alijs principijs creatis, à quibus deducitur: ergo loquutio veritatis prout dependet à cauſis creatis erit etiam illuminatio, & ſic erit falſa propoſitio excluſiva D. Thom. Prob. prima Conſeq. nam intellectus poteſt illuminari de omni eo, per cuius notitiam poteſt perfici: vnde D. Thom. dicit, quod quia non attinet ad perfectionem intellectus ſcire quid alius vellit, vel quid alius cogitet, ideo de hoc eſt loquutio, ſed non illuminatio: ergo è contra ſi perficitur intellectus cognoſcendo veritatem prout dependet ab alijs principijs, quæ non ſunt Deus, poterit illuminari circa cognitionem veritatis, nō ſolum prout dependet à Deo, ſed etiā prout dependet ab alijs principijs creatis.

1244 His non obſtantibus, veriſſima ſunt, quæ ex litera D. Thom. relata ſunt. Diſcurro per ſingula. Primum enim patet ex eo, quod cùm Deus ſit prima veritas in dicendo, per hoc ipſum quod aliquid dicit ad extra, probat quod illud eſt verum, ſic, quod etiam ille, qui illud à Deo audit, probare poteſt illud eſſe verum, quia prima veritas in dicendo illud dictavit: non ergo datur quod Deus aliquid dicat, & quod dicendo non probet veritatem dicti ſui: ergo de quocumque loquitur

Deus, cum ſemper id, quod loquitur, probet eſſe verum, ſemper illuminabit, & ſic omnis divina loquutio erit illuminatio; non ſic hoc contingit in creatura, quæ cum non ſit prima regula veritatis non probat id, quod dicit eſſe verum, per hoc quod ipſa illud dicat, & ſic per hoc quod loquitur etiam occulta non illuminat: vnde non omnis eius loquutio illuminatio eſt. Alio modo poterat explicari quod omnis Dei loquutio ſit illuminatio. Etenim Deus nunquam Angelis loquitur niſi infundendo lumen, & ſpeciem, quibus poſſint intelligere ſecreta ſua: vnde non datur Dei loquutio ad creaturas, quæ non ſit illuminatio. Cuius etiam aſſigno rationem. Etenim Angelus non poteſt extra Verbum cognoſcere Dei ſecreta, per hoc quod videat conceptus Dei, prout ſunt in ipſo Deo: vnde eſt neceſſe, quod Deus Angelo revelet ſecreta ſua infundendo ei lumen, & ſpeciem, quibus illa valeat cognoſcere: neque enim per naturalia ſua poteſt devenire in cognitionem occultorum Dei: vnde eſt neceſſe quod loquutio Dei ad Angelum fiat per hoc quod Angelo lumen infundat, & ſpeciem repræſentativam divinorum arcanorum, & ſic omnis loquutio Dei ad Angelum illuminatio dicitur: è contra Angeli poſſunt videre in alijs Angelis conceptus, qui diriguntur ad illos, cum habeant ſpecies repræſentivas illorum, & ex alia parte poſſunt narrare alijs Angelis multa, quæ ſolum dependent à voluntate loquentium: non ergo eſt neceſſe quod omnis Angelica loquutio ſit illuminatio.

1246 Cæterum contra primam explicationem inſtabis: nam eſto Deus, quia prima veritas in dicendo eſt, quæ nec poteſt fallere, nec falli in dictis ſuis, probet ea, quæ dicit eſſe vera, non tamen illa probatio intellectum illuminat ad cognitionem veritatis rei revelatæ. Tum, quia illa eſt obſcura, & quia etiam eſt medium veritati revelatæ valde extrinſecum, & ſic non facit veritatem in ſe, & prout in ſe eſt, cognoſcere: ergo ex hoc capite non dicetur omnis loquutio Dei illuminatio; hæc enim videtur eſſe tantum illa loquutio, quæ facit videre rem in ſe ipſa. Quod Confirm. nam Angelus beatus, etſi non ſit prima regula veritatis, tamen ſic eſt verax in omnibus dictis ſuis, quod in nullo poſſit fallere, vel falli: ergo etiam per hoc quod ipſe aliquid dicit, vel revelat, probat quod illud, quod dicit, eſt verum, ſic, quod illud non poſſit ſubeſſe falſum; & tamen non ſufficit hoc vt in omni dicto ſuo illuminet eum, cum quo loquitur: ergo etiam ſi Deus dicendo aliquid probet auctoritate ſua illud eſſe verum, non ſequetur quod in omni dicto ſuo illuminet eum, cum quo loquitur.

Ad primam nego Antec. Ad Prob. concedo quod illa probatio eſt obſcura, & eſt extrinſeca, & ſic non facit veritatem cognoſcere in ſe ipſa; & nego Conſeq. & ad Prob. nego Antec. Itaque illuminatio de rebus divinis eſt duplex, alia clara, & evidens; qua rei veritas in ſe ipſa videtur, & hæc tantum habetur in viſione Verbi; alia eſt obſcura; quæ licet non faciat evidentiam rei, dat tamen certitudinem ſummè infallibilem: vnde datur duplex lumen, aliud certum, & evidens, aliud tantum certum: cum ergo Deus extra Verbum loquitur, illuminat dando lumen certiſsimum, quo res revelata certiſsimè cognoſcatur, non quo in ſe ipſa videatur.

Sed inſtas: ergo in Angelis beatis erit fides de his, de quibus à Deo extra Verbum illuminantur; Conſeq. non videtur poſſe admitti, nam videtur repugnare ſtatui perfectiſsimo beatitudinis, & etiam quia Angeli beati habent ſcientiam infuſam, qua cognoſcunt clarè ea, quæ eis revelantur, ſicut cognoſcebat Chriſtus, qui tamen nullam fidem habebat. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. dico, quod non repugnat ſtatui beatitudinis habere fidem de his, quæ in Verbo non vident, ſicut nec repugnavit Chriſto habere ſpem de ſui corporis gloria, dùm viator erat, & illam non poſſidebat.

Ad aliam Prob. dico, Angelos non habere ſcientiam infuſam ſupernaturalium, quam Chriſtus habuit. Etenim cum Chriſtus videret in Verbo omnia, quæ ſpectant ad obiectum ſcientiæ viſionis, & revelationes de his fiant; non poterat Chriſto fieri aliqua revelatio obſcura: vnde habuit ſcientiam inditam omnium eorum, quæ per revelationem ab alijs Angelis cognoſcuntur; Angeli autem beati non vident in Verbo omnia, quæ ad obiectum ſcientiæ viſionis ſpectant, & ſic poſſunt aliqua credere, vtpotè illa, quæ non vident, & à Deo eis extra Verbum revelantur.

1247 Etſi hæc doctrina non placeat, neces admittam, neg. Antec. & ad eius Prob. ſimiliter neg. Antec. non enim Deus Angelis beatis revelat aliquod obſcurum, ſed dat eis ſpecies per ſe primò repræſentativas clarè & diſtinctè rerum, quas revelat. Etſi inſtes, quod nulla ſpecies creata poteſt clarè, & evidenter repræſentare ſecretum Dei, alias poſſet dici ſpecies Dei clarè, & diſtinctè repræſentativa: ergo cum Deus voluntatem ſuam Angelo ſupremo immediatè revelat extra Verbũ, non communicabit ei ſpeciem clarè repræſentantem illum. Reſpondeo, quod ſecreti Dei non poteſt dari ſpecies immediatè, clarè, & diſtinctè repræſentativa, bene tamē quæ mediatè, clarè, & diſtinctè prædictum ſecretum repræſentet: ſicut atteſtantur multi, quod Angeli habuerunt evidentiam atteſtationis divinæ; non quia viderint illam in ſe ipſa immediatè, ſed mediante aliquo ſigno evidenter ſignificanti quod Deus erat, qui atteſtabatur illis myſteria fidei in primo inſtanti creationis eorum. In qua ſuppoſitione Angeli habuerunt ſpeciem impreſſam clarè, & diſtinctè repræſentantem quod Deus erat, qui eis atteſtabatur: ſic ergo Angeli beati, dum illis Deus revelat aliquod ſecretum ſuum, habent à Deo infuſam aliquam ſpeciem clarè repræſentantem eis prædictum ſecretum; non quia illud in ſe vident, ſed quia in aliquo ſigno evidenti primò, & per ſe repræſentato illud clarè cognoſcunt.

Ad Confirm. nego Ant. poſſunt enim Angeli loqui de multis, quorum neſcientiam habent: ſicut loquebantur illi duo Angeli ſancti, qui inter ſe contendebant ſuper exitum populi Dei de Babilone, qui cum dicerent oppoſita, non poterant omnes dicere verum; ſed erat neceſſe, quod vnus verum diceret, & alter falſum, cum duo contradictoria non poſſint eſſe vera: vnde Angeli boni ipſa ſua loquutione non probant eſſe verum id, de quo loquuntur, & ſic non omnis eorum loquutio eſt illuminatio.

1248 Ad ſecundam difficultatem in principio huius §. propoſitam dico, quod licet Deus per voluntatem ſuam non regulet veritatem dictorum ſuorum proximè, & immediatè; quia hæc regulatur per veracitatem, hoc eſt, per hoc quod ſit prima veritas in dicendo; regulat tamen illam per voluntatem præſuppoſitivè, quia ex eo quod Deus ſummè verus eſt, nequit falli, & ex eo quod ſummè bonus eſt, nequit fallere: ex quibus duobus oritur prima veritas in dicendo, quæ eſt prima regula omnium eorum, quæ procedunt de ore Dei, & qua probatur quod id, quod Deus dicit, ſit verum, ex hoc quod Deus illud revelat; quia ſicut à prima bonitate nequit oriri niſi bonum, ſic à prima veritate nequit oriri niſi verum. Ex quibus infero, quod cum Deus non poſſit velle loqui niſi quod eſt verum, & volendo loqui, probat eſſe verum id, quod loquitur, rectiſſime infertur, quod etiam dum vult manifeſtare nobis id, quod ipſe de facto vult, non ſolum loquitur, ſed etiam illuminat, quia non ſolum loquitur, ſed etiam loquendo probat eſſe verum id, quod revelat.

1249 Ad tertiam difficultatem dico, quod illa propoſitio, *illa ſola loquutio eſt illuminatio, quæ eſt loquutio veritatis prout à Deo dependet*, veriſſima eſt, & fundatur in eo, quod, vt ſupra vidimus, in Angelis non eſt illuminatio niſi de his, quæ à Deo ſupremo Angelo revelata ſunt: Vnde loqui veritatem prout à Deo dependet, eſt loqui veritatem à Deo revelatam: ſic enim veritas deſcendit à Deo per ſuperiores Angelos ad inferiores. Vnde quia ſuperiores poſſunt manifeſtare inferioribus, non ea, quæ à Deo acceperunt per revelationem, ſed ea, quæ ipſi ſua libertate vtentes manifeſtare volunt, fit inde, quod poſſint manifeſtare id, quod eſt verum, non tamen prout à Deo dependet, quia eſt verum ipſorum, non autem eſt verum habitum ab illis per revelationem divinam. Vnde ad argumentum, quod ibi fit, dico, quod quamvis ſit perfectio intellectus cognoſcere veritatem prout dependet etiam ab aliis cauſis creatis, & non ſolum prout dependet à Deo; tamen inter Angelos non fit illuminatio, niſi manifeſtetur verum prout dependet à Deo, id eſt, prout manifeſtatum eſt ab ipſo Deo ſupremo Angelo. Cuius ea eſt ratio, quia de omnibus illis veritatibus, quæ à Deo per ſpecialem revelationem non communicantur Angelis, omnes Angeli habent plenariā notitiam, plenum lumen, & ſpecies, & ſic quamvis ea cognoſcere ſit perfectio, non tamen loqui de illis eſt illuminatio: vnde ſolum reſtat quod loquutio illa, qua Angelus manifeſtat alteri Angelo id, quod à Deo deſcendit per ſpecialem revelationem illuminatio ſit.

Digitized by Google

Dices; quandò Angelus ſuperior loquens cum inferiori manifeſtat ei voluntatem ſuam, dicens, *volo defendere Petrum à tentatione Diaboli*, tunc inferior venit in cognitionem illius veritatis revelatę, quam cognitionem antea non habebat, nec habere poterat: ergo ſi cognoſcere verum prout dependet à cauſis creatis eſt perfectio, tunc inferior cognoſcens prædictũ verum prout dependet à voluntate creata ſuperioris Angeli perficietur perfectione, quam antea non habebat, & ſic illuminabitur. Reſpondeo, diſt. Antec. quoad illam partem, quam cognitionem antea non habebat, nec habere poterat, ex defectu luminis, vel ſpeciei impreſſæ illius veri repræſentativæ, nego Antec. ex hoc ſolum quod antea illud obiectum non erat de pertinentibus ad ipſum, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque illuminatio non eſt ſola ſuperadditio voluntatis, ſed eſt ſuperadditio luminis per modum confortantis lumen præcedens; quando ergo ſuperior vult ſuam voluntatem manifeſtare inferiori, tantum eſt ſuperadditio voluntatis, per quam fit quod obiectum illud fiat de pertinentibus ad inferiorem; nulla tamen eſt ſuperadditio luminis adhuc per modum extrinſecè confortantis inferiorem: vnde dato quod inferior perficiatur per actualem cognitionem alicuius obiecti, quod antea non cognoſcebat; non tamen illuminatur, quia ad illud ſic cognoſcendum, eſtò dependeat à voluntate ſuperioris, non tamen dependet à lumine eius, ſiquidem per proprium lumen, & ſpecies ſufficientiſsimè illud valet cognoſcere.

1250 Ex qua nobiliſsima doctrina intelligitur illa propoſitio D. Th. quæ habetur in litera huiuſmet articuli, videlicet, *non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei cognoſcere quid tu vellis, vel quid tu intelligas, ſed ſolũ quid rei veritas habeat.* Quæ propoſitio valde viſa eſt difficilis, nam quælibet cognitio alicuius veri perfectio eſt intellectus, in tantum quod cognitio ipſius peccati, imò & entis rationis perfectio ſit; quando autem vnus Angelus cognoſcit quod alter vellit, vel quid intelligat, verum intelligit: ergo perficitur tali intellectione: falſa ergo erit propoſitio D. Thom.

Prima explicatio huius propoſitionis eſt, quod cognoſcere quid tu vellis, vel quid tu intelligas, eſtò abſolutè me perficiat, non tamen perficit me ad hoc vt cognoſcam veritatem rei volitæ, vel intellectæ, quia te velle hoc, vel illud non iuvat me ad cognoſcendum hoc, vel illud, eo quod hoc volitum, vel hoc à te intellectum non dependet in ſuo eſſe vero ab hoc, quod eſt te velle illud, vel te cognoſcere illud. Sed præter hanc explicationem habet doctrina D. Thom. elegantem intelligentiam ex doctrina data. Etenim Div. Thom. non loquitur de quacumque perfectione, ſed de illa, quæ perficit intellectum ſuperaddendo novum lumen ſaltem extrinſecè per modum confortantis, de hoc enim loquens (inquit) quod non perficitur intellectus per hoc quod cognoſcat quid alter vellit, vel quid actu intelligat, quia ad illud cognoſcendum non indiget novo lumine, nova ſpecie, vel confortatione luminis ſuperioris, ſed ſufficit ei, quod ſuperior vellit quod ipſe cognoſcat ſuam voluntatem, vel ſuum cogitatum: vnde eſtò cognoſcere prædictam voluntatem ſit perfectio cognoſcentis, in quantum cognoſcens in potentia aliquod verum fit perfectius per hoc quod illud cognoſcat actu, quia tamen ſic cognoſcens non augetur in lumine, neque ſubiectivè; neque obiectivè non illuminatur; & ſic non perficitur in hoc determinato genere perfectionis, & hoc eſt quod Div. Thom. vult in dicta propoſitione.

1251 Sed quid dicendum de illa propoſitione Div. Thom. *Solum pertinet ad perfectionem intellectus cognoſcere quid rei veritas habeat.* Si enim cognoſcere quid alter vellit, vel quid actu cogitet perfectio illuminativa non eſt: igitur cognoſcere quid rei veritas habeat perfectio illuminativa intellectus erit. Ex quo fit argumentum: ergo ſi dum ſuperior loquitur inferiori manifeſtando ei ſuam voluntatem non ſolum manifeſtat ei ſuam voluntatem, vel ſuum cogitatum, ſed etiam manifeſtet ei in quo conſiſtat veritas ſui cogitatus, & in quo conſiſtat veritas ſuæ liberæ volitionis, illuminabit Angelum inferiorem.

Ad hoc conc. totum, cæterum non admitto quod ſuperior hoc manifeſtet inferiori, quia inferior per ſua principia intrinſeca à Deo habita cognoſcere poteſt in quo conſiſtat veritas cogitatus Angeli ſuperioris, & eius liberæ voluntatis. Etenim poſtquã ſu-

Digitized by Google

ſuperior revelat inferiori ſuos conceptus, inferior lumine ſuo cognoſcit comprehenſivè illos; vnde cognoſcit ſine aliqua confortatione ſuperioris quid rei, quæ conceptus eſt, veritas habeat: vnde de his non illuminatur, neque illuminari poteſt à ſuperiori.

§. XI.

Explicatur alia doctrina difficilis, quæ habetur in litera D. Thomæ.

1252 TANDEM apparet difficile in litera D. Thom. in quo ſenſu verum ſit id, quod dicit, videlicet, *ſed in ordine ad principium, quod eſt voluntas, ipſe volens eſt primus, & ſupremus.* Etenim eſto in linea mali moralis voluntas creata, ſeu volens creatum primũ ſit, & ſupremum, quia Deo non ſubordinatur; tamen in linea boni moralis, omnis bona voluntas eſt ſecunda voluntas, & ſecundum volens, Deo primo volenti ſubordinatum, & ſicut regula veritatis eſt prima veritas in dicendo, ita regula bonæ voluntatis creatæ eſt voluntas primi volentis. Ex quo principio probat ſchola Thomiſtica quod voluntas creata indifferens ad bonum, & ad malũ, eſto ex ſe poſſit determinari ad malũ, nullo tamen modo poteſt ſe primo determinare ad bonum, niſi à Deo determinetur, ſub cuius poteſtate ſunt magis actus noſtri liberi, quam ſint ſub poteſtate noſtra, iuxta illud, *cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit vertit illud.* Quomodo ergo verum eſſe poterit quod in ordine ad principium, quod eſt voluntas, ipſe volens eſt primus, & ſupremus?

Cæterum propoſitio D. Thom. veriſſima eſt, per quam ſolum vult explicare diſcrimen, quod verſatur inter hoc quod eſt dicere verum vt verum, & creaturam Angelicam liberè velle hoc, vel illud. Etenim licet ad hoc ſecundum Deus concurrat cũ creatura prævIè, & ſimultaneè, & dando virtutem ad volendũ, & ſimiliter moraliter conſultando, exhortando, & præcipiendo, tamen voluntas ſola eſt primũ eliciens volitionẽ, per quã actu vult hoc, vel illud, & ſic elicitivè eſt volens ſupremũ, & primũ: cæterum quantũ ad hoc quod eſt dicere veritatẽ, res nõ contingit ſic, nam eãdẽ numero veritatẽ primò Deus dicit Angelo ſupremo, & ille illã dicit ſibi vicino, & ſic fit deſcenſus vſque ad infimum, ſic, quod facile reperies eandem numero veritatem dici à Deo, & Angelis, ordine tamen quodam. Ex quo fit quod in dicendo eandem numero veritatem ſolus Deus eſt primus, deinde Angelus ſupremus eſt prior ſibi proximè vicino: & ſic intelligentia illius veritatis, prout ad Deum refertur tanquam ad primum dicens veritatẽ, non convenit inferioribus niſi medijs ſuperioribus: vnde quantum ad hoc datur ſupremũ, medium, & infimum; quia tamen voluntas in volendo elicitivè eſt prima, & ſuprema, hinc quantum ad hoc quod eſt velle cogitare hoc, vel illud, omnes volentes ſunt ſupremi, & primi, & ſic non datur deſcenſus à ſuperioribus ad inferiores quãtum ad hoc, quod eſt velle hoc, vel velle illud.

1253 Sed placet aliter explicare propoſitionem D. Thom. dicendo, quod dum docet quod in ordine ad principium, quod eſt voluntas, ipſe volens eſt primus & ſupremus, non extendit loqutionem ſuam vſque ad Deum, ſed tantum vſque ad alios Angelos: & vult dicere, quod voluntas circa elicientiam ſuorum actuum liberorum nullum inter creaturas cognoſcit ſuperiorem niſi Deum, à quo ſolo dependet in elicientia ſui actus liberi, qua ratione probavimus ſuprà, quod neque ſupremus Angelus poteſt cognoſcere cogitationes liberas, niſi voluntas liberè cogitans ei eas revelet, vel Deus. Cum ergo voluntas etiam Angeli infimi quantum ad elicientiã ſuorum actuum liberorũ non recognoſcat inter Angelos aliquem ſibi ſuperiorem, ſed ſolum Deum, hinc eſt, quod liberè volens in ſenſu formali eſt primum, & ſupremum inter omnes creaturas Angelicas: vnde non oportet quod loqutio, quæ purè loqutio eſt, deſcendat à Deo mediantibus ſuperioribus Angelis ad inferiores, & ſic quilibet, etiam ſi ſit infimus, poterit loqui ſuperiori. In linea autem cognoſcendi veritatem, prout hæc dictatur à Deo, vel prout dependet à Deo, Angeli, quò magis infimi ſunt, tantò plures ſibi ſuperiores habent. Tum quia quò ſuperiores Angeli ſunt, tantò perfectiori modo, & eminentiori veritatem eandem cognoſcunt. Tum, quia cum linea cognoſcitiva ſit naturalis, & non libera, non ſolum Deo ſubijcitur quaſi à Deo ſolo perfectibilis, ſed etiam alijs Angelis, hinc fit, quod cognitio veritatis, vt veritas eſt, deſcendat à Deo medijs ſuperioribus ad inferiores,

quia vere in linea cognoſcendi veritatem non quilibet cognoſcens eſt ſupremus, ſed ſupremus, medius, & infimus.

Ex his ad rationem dubitandi reſpondeo iuxta primam explicationem, quod probat quod volens creatũ non ſit primũ, & ſupremum; ſic, quod Deo non ſubordinetur in volendo; non vero probat quod elicitivè non ſit primũ, & ſupremũ, quia licet Deus quamlibet volitionem cauſet mediis in ratione dubitandi aſsignatis; non tamen meã numero volitionẽ Deus elicit, ſed ego ſum; qui illam elicio: quod non currit in veritate, nam eandem numero veritatem, quam ego profero, & Deus profert, & Angeli proferunt.

Iuxta ſecundam explicationem reſpondeo, illa ratione dubitandi ſolum probari quod liberè volens creatũ non ſit primus, & ſupremus reſpectivè ad Deum incluſivè; non autẽ probari quod non ſit primum, & ſupremum in ſenſu formali liberè volentis omnibus aliis Angelis, quia quantum ad hoc quod eſt liberè velle, ſolum Deo ſubditur, & ſic ſolum Deum recognoſcit ſibi priorem, & ſuperiorem. Ex quo inferes pulchrum diſcrimen inter hoc quod eſt velle liberè hoc, vel illud; & hoc quod eſt cognoſcere veritatem; quod inferior Angelus non ſic perfectè cognoſcit veritatem ſicut ſuperior: ſed quantum ad hoc datur magis, & minus; quantũ autem ad hoc quod eſt liberè dicere actus ſuos, non cum perfectiori libertate perfectione de linea libertatis ſuperior dicit actus ſuos, quàm inferior; ſed quantum ad hoc omnes ſunt æquales: omnes enim habent æquale dominium ſupra ſuos actus, quamvis actus ipſi à toto genere entis inæquales ſint. Ex his rectè intellectis colligitur quàm aptè D. Thom. concluſionem quæſito reſponſivam inferat dicens: *Et quantum ad hoc, & ſuperiores inferioribus, & inferiores ſuperioribus loquuntur.* Si enim in hoc quod eſt velle liberè manifeſtare ea, quæ iure libertatis latet in corde, æquales ſunt omnes Angeli, quia cum merè ſpectet actus libertatis; quantum ad hoc ſoli Deo ſubduntur, & nullum niſi Deum ſuperiorem cognoſcunt: ergo ſicut ſuperiores poſſunt loqui inferioribus; ita & inferiores poterunt loqui ſuperioribus.

1254 Sed contra hanc doctrinam inſtabis. Sicut enim in linea cognoſcitiva vnus Angelus aliũ illuminat non producẽdo intra intellectum illuminati aliquid, ſed tantum illuſtrando obiectum, ſic; quod vi talis illuſtrationis ille percipiat, & cognoſcat illud: ſic in linea volitiva vnus Angelus inclinat voluntatem alterius ad volendũ aliquid obiectum, non producendo aliquid intra eius voluntatẽ, ſed veſtiendo illud obiectum tot convenientiis, & rationibus cõgruis, quod ſuadeat voluntatem, vt velit illud; quod maximè poſſunt facere Angeli quò ſuperiores ſunt: ſicut & fecit Lucifer, qui ſuaſionibus ſuis ad ſuum ſenſum traxit tertiã partẽ Angelorũ; ſed ſi Angeli ſic alios illuminantes ſuperiores ſunt Angelis ab eis illuminatis in linea cognoſcitiva: ergo & Angeli alios inclinantes, vt hoc præ alio liberè vellint ſuaſionibus ſuis, etiam in linea liberè volendi ſuperiores erunt Angelis ab eis inclinatis.

Ad hoc dico, quod in linea illuminandi Angeli ſuperiores habent dominiũ, & ſuperioritatẽ ſupra inferiores; quia dum obiectum ſuperioris lumine illuſtratum proponunt, neceſsitant intellectum inferioris ad cognoſcendum veritatem illius, ſicut qui alicui videre potenti apponit aliquod obiectum ante oculos eius, & illuminat illud, neceſsitat ad vidẽdũ illud, niſi oculos claudat: at Angelus inclinans voluntatẽ alterius Angeli ſuaſionibus ſuis, non ſic voluntatem neceſsitat, quod ille oppoſitum illius, quod ei ſuadetur, amare non poſsit. Vnde multoties Angeli boni nobis ſuadent efficaciter velle facere multa opera bona, quibus conſentire nolumus, ſicque non ſubdimur ſuaſionibus eorum, dum ſequimur noſtras privatas inclinationes, & nõ bonas volũtates; ad quas exhortamur à bonis Angelis: vnde non eſt paritas inter vim cognoſcitivam, & liberam voluntatem Angelorum; cum illa poſsit per illuminationẽ neceſſariò determinari ad cognoſcendũ id, de quo illuminatur; iſta vero non poſsit niſi à ſolo Deo efficaciter moveri, vt vellit.

Dices, poteſt etiam Angelus inferior claudere oculos ſuæ attentionis, & non videre obiectum ſuperiori lumine illuſtratũ: ergo ſicut non neceſsitat perſuaſio ſuperioris voluntatem liberam, nec etiam illuminatio neceſsitabit intellectum. Reſpondeo, quod Angelo illuminante poteſt Angelus inferior non attendere, ſicut & propoſito obiecto in debita diſtantia ad viſum poteſt homo claudere oculos, & non videre: cæterum ſi attendat, & obiectum ſuperiori lumine illuſtratum proponatur, non poteſt intellectus non convinci. Poteſt au-

Digitized by Google

tur è attendere ad ſuaſiones Angelicas voluntas liberas, & nihilominus poteſt illas ſpernere, & non iuxta illas velle operari: vnde ſemper habetur diſcrimen inter vim cognoſcitivam comparatam cum illuminatione, & vim liberè volitivam comparatam cum ſuaſionibus. Vt hanc doctrinam radicitus intelligatis legite articulum ſecũdum D.Thom. hic quæſt. 106. vbi inquirit, *Vtrùm vnus Angelus moveat voluntatem alterius?*

§. XII.
Vtrùm Angelus Deo loquatur?

1255 RESPONDET D.Thom. quod ſic, & probat in argumento, ſed cõtra, *quia Zacbariæ primo dicitur, reſpondit Angelus Deo, & dixit, Domine exercituum vſque non miſereberis Hieruſalem: ergo Angelus loquitur Deo.* In corp. probat ſic: *Dicendum, quod, ſicut dictum eſt, loquutio Angeli eſt per hoc quod cõceptio mentis ordinatur ad alterum; ſed aliquid ordinatur ad alterum dupliciter: vno modo ad hoc quod cõmunicetur alteri, ſicut in rebus naturalibus agens ordinatur ad patiens, & in loquutione humana doctor ordinatur ad diſcipulum; & quantum ad hoc nullo modo Angelus loquitur Deo, neque de his, quæ ad rerum veritatem pertinent, neque de his, quæ dependent à voluntate creata; quia Deus eſt omnis veritatis, & omnis voluntatis primus conditor. Alio modo ordinatur aliquod ad alterum, vt ab eo aliquid accipiat, ſicut in rebus naturalibus paſſivum ad agens, & in loquutione humana diſcipulus ad Magiſtrum. Et hoc modo Angelus loquitur Deo, vel conſultando divinam voluntatem de agendis, vel eius excellentiam, quam nunquam comprehendit, admirando, ſicut Gregorius dicit ſecundo Moralium, quod Angeli loquuntur Deo, cum per hoc quod dum ſuper ſemetipſos reſpiciunt, in motũ admirationis ſurgunt.* Sic D.Thom. Et ſic tenet veritas.

1256 Contra quam primo habetur difficultas, quod videtur quod diſtinctio appoſita adæquata non ſit quantũ requiritur ad propoſitum præſentis quæſiti. Nam datur tertius modus ordinis, quo conceptus ordinatur ad alterũ, quandò ſcilicèt ordinatur ad alterũ ſolũ vt innoteſcat, vt diximus fieri in ſimplici loquutione vnius Angeli ad alterũ: loquens enim vt ſic nihil cauſat in audiente ſecundum S.Thomam, & ſecundũ veritatem: igitur diſtinctio D.Thom. eſto bona ſit, tamen quoad attinet ad propoſitũ adæquata non eſt. Sed ad hoc dico, diſtinctionem eſſe adæquatã: nam in illo primo diſtinctionis membro ex induſtria D.Th. vſus eſt illo verbo *vt cõmunicet alteri*, quod ſub ſe comprehendit & communicationẽ, ſecundum quam agens vere agit in alterũ, & communicationem, in qua eſto ille, qui communicat alteri, nihil agat in illum, tamen dum revelat ei id, quod ignorat, participem facit eum ſuæ notitiæ, & ſic dicitur alteri communicare: neque enim alter cognoſceret conceptum alterius, niſi loquens illum eius intellectui præſens faceret; & cum repugnet Deo, quod creatura ſe illi communicet aliquo ex his modis duobus, quia neque poteſt agere in Deum, neque poteſt aliquid Deo præſentare, vt de occulto fiat ei patens, ſit inde, adæquatè probari Angelum non poſſe loqui Deo iuxta primã acceptionem loquutionis.

1257 Secundo habetur difficultas; nam qui dirigit conceptus ſuos ad Deũ, non vt ei innoteſcant, nequit per prædictam directionem loqui cum Deo: ergo falſa eſt ſecunda pars concluſionis. Prob. Ant. nam loquutio, ſi exterior ſit, debet eſſe communicatio interioris conceptus per expreſſionẽ ſenſibilẽ ſignorũ, & ſi quis interius ſibi ipſi loquatur, neceſſe eſt, quod ſibi ipſi dicat, & ſibi ipſi exprimat id, de quo loquitur: ergo ſi ſit loquutio cum Deo, debet eſſe per hoc quod quis Deo manifeſtet ſuam voluntatẽ, vel ſuum conceptũ: ergo ſi quis Angelus nõ dirigit ad Deum ſuos conceptus, vt ei innoteſcant, non videtur, quod per talẽ directionem Deo loquatur. Confir. in omni loquutione debet reperiri loquẽs, & audiens, excitans, & excitatus, ſic, quod ſicut loquens per hoc, quod de novo dirigit conceptus ſuos ad audientẽ, tranſit de nõ loquente ad loquentẽ, ita audiens virtute talis directionis tranſeat de nõ audiente ad actu audientem, & de non excitato in excitatum; ſed virtute illius directionis conceptuum ad Deũ, Deus non tranſit de non audiente in audientem, & de non excitato in excitatũ: ergo ex vi directionis talium conceptuum Angelus non loquitur Deo. Prob. Min. nam audire loquentem eſt actu cognoſcere conceptus loquentis, & excitari ad audiendum eſt moveri ad cognoſcendum quod ante non cognoſcebatur; ſed ante illam directionem conceptuum ad illum, Deus iam antea cognoſcebat conceptus, & voluntatem loquentis: igitur ex vi talis

Digitized by Google

directionis non tranſibit Deus de non audiente in audientem, & de non excitato in excitatum. Explicatur hoc, ponamus quod Raphael cogitat intra ſe, imò poſitivè vult quod Deus inſtruat illum de agendis circa aliquod negotium, & deinde dirigat huiuſmodi conceptum ad Deum: tunc ſic argumentor. Ante huiuſmodi directionem cõceptus Deus iam actu cognoſcit quod Angelus Raphael vult inſtrui de agendis circa aliquod negotium: ergo ex vi directionis ſubſequutæ talium conceptum Deus non tranſit de non audiente in audientem, & de non excitato in excitatum.

Confirm. ſecundo, illa directio conceptuum ad Deum nec facit quod illi conceptus innoteſcant Deo, nec facit quod illi conceptus ſint de pertinentibus ad Deum: nullo ergo modo per talem directionem conceptuum ad Deum Angelus loquitur cum Deo. Prob. Antec. Nam ante talem directionem, & conceptus illi noti erant Deo, & etiam erant de pertinentibus ad Deum: ergo illa directio nec facit quod illi conceptus innoteſcant Deo, nec facit quod ſint de pertinentibus ad Deum. Conf. etiam prima Prob. quia ideo diximus loquutionẽ vnius Angeli cum alio fieri per illam directionem conceptuum, quatenus ex vi illius conceptus ſiunt de pertinentibus ad audiẽtẽ, ex quo habetur quod audiẽs poſsit intelligere illos: ergo ſi per talem directionẽ cõceptuũ prædicti cõceptus, neque Deo innoteſcunt, neq; ſiunt de pertinẽtibus ad ipſum, per illam non loquetur Angelus cum Deo.

Ad hanc ſecundam difficultatem, nego Antec. Ad Prob. diſt. Conſeq. ergo ſi ſit loquutio cũ Deo, debet eſſe per hoc quod loquens manifeſtet Deo ſuã voluntatẽ, vel ſuum conceptum, prima manifeſtatione, nego Conſeq. manifeſtatione per modum loquutionis cum Deo, conc. Conſeq. ſub qua diſtinctione diſtinguatur Conſeq. ſecundo illatum. Itaque hoc ipſo quod Angelus loquitur ſibi ipſi exprimendo ſibi res per conceptus, Deus cognoſcit illos conceptus, & voluntatem liberam illius Angeli, qui ſibi ipſi loquitur; ſed non cognoſcit iſtũ loqui cum Deo, quia ille non ad Deum, ſed ante ipſum dirigit conceptus ſuos: vnde vt Deus cognoſcat Angelum loqui non ſibi, ſed Deo, neceſſe eſt, quod dirigat ad Deum illoſmet conceptus, quos dirigebat ad ſe: vnde ex vi directionis ad Deum non prætendit Angelus ſuos conceptus manifeſtare Deo, ſed prætẽdit quod ſciat, quod per illos conceptus, quos alias iam Deus ſcit, Angelus loquitur Deo, vt inſtruatur ab illo de agendis, &c. Itaque de eiſdemmet conceptibus Angelus loquitur ſibi, & deinde loquitur cum Deo, & Deus habet quaſi duplicem notitiam illorum, alterã, qua ſcit quid ſibi Angelus dicat, alteram, qua ſcit quod id ipſum, quod Angelus ſibi dicit, hoc ipſum Deo dicit, quia hoc ipſum ad Deũ ordinat: vnde Angelus per talem ordinationẽ conceptuum ad Deum, cũ Deo loquitur.

Ad Confirm. nego Min. Ad Prob. diſt. Min. ſed ante illam directionem Deus iam cognoſcebat conceptum, & voluntatẽ loquentis, in quantum erat loquutio loquentis cum ſe ipſo, concedo Min. in quantum erat loquutio Angeli loquentis cum Deo, nego ſuppoſitum; quia ante talem directionem conceptuum ad Deum Angelus adhuc non loquebatur cum Deo, ſed tantum loquebatur ſibi ipſi: vnde eſto Deus cognoſceret totum id, quod poſtmodum Angelus ad Deum dirigit, non tamen cognoſcebat quod per illos Angelus loqueretur cũ Deo, quod cognoſcit quando videt directionem conceptuum ad ipſum. Vnde poſſumus dicere quod illud primum cognoſcere Dei, quo videbat conceptus reſidentes in mente Angeli, non erat audire, quia audire non eſt vtcumque conceptum alterius cognoſcere, ſed eſt cognoſcere ex vi directionis conceptus ad audientem.

Ad explicationem, diſt. Antec. iam Deus cognoſcit quod Angelus vult inſtrui de agendis, cognoſcit vt audiens, nego, cognoſcit quia ſummè ſapiens eſt, & omnia quomodocumque ſint novit, conc. Antec. & diſt. Conſeq. ergo ex vi directionis conceptuum Deus non tranſit de non audiente in audientem, & de non excitato in excitatum, tranſitu formali, conc. Conſeq. tranſitu virtuali, & ſolum obiectivo, nego Cõſeq. Itaque Deus non tranſit realiter de nõ audiente in audientẽ, quaſi prius fuerit ſolũ in potentia audiens, & deinde fiat audiens in actu; ſed dicitur tranſire obiectivè, quia ex diſtinctione obiecti diſtinguimus in Deo per noſtros cõceptus diſtinctas rationes formales notitiæ divinæ: & ſic dicimus, quod ex quo tales conceptus incipiunt eſſe in rerum natura, Deus quia ſummè ſapiens tenetur cognoſcere illos, & de facto cognoſcit; ſed prout ſic in hac notitia, vel ex vi formalitatis huius notitiæ Deus non dicitur prædictos conceptus cognoſcere vt audiens, quia prædicti conceptus ex vi ſuæ primæ

exi-

Digitized by Google

exiſtentiæ non obtinent rationem loquutionis, qua Angelus cũ Deo loquatur, quia non intelligitur directio prædictorum conceptuum ad Deum; deinde Angelus dirigit ad Deum, & Deus hanc directionẽ cognoſcens dicitur præfatos conceptus audire, id eſt, taliter audientis cognoſcere, & ſic virtualiter, & ex parte obiecti tantum dicitur tranſire de non audiente in audientem.

Ad ſecundam Confirmationem dico, quod illa directio conceptuum ad Deum non facit quod illi conceptus innoteſcant Deo ſub ea formalitate, ſub qua Angelus per illos ſibi ipſi loquitur: facit tamen vt innoteſcant Deo ſub formalitate, ſub qua ſunt loquutio Angeli cũ Deo, & ſimiliter non facit illa directio quod illi conceptus abſolutè ad Deũ pertineant, cum omnia entia, ex quo exiſtunt, ſint Dei tàm in eſſe entis, quàm in eſſe cognoſcibilis; facit tamen vt pertineant ad Deum ſub munere audientis. Neque hoc ſic intelligas, vt vellim dicere quod Angelus loquens ex vi directionis conceptuum ad Deũ, det Deo facultatẽ, vt poſsit illos cognoſcere, vel communicet dominiũ, quod habet ſuper ſuos conceptus, Deo. Hæc enim falſiſsima ſunt, nam illi conceptus titulo creationis, & conſeruationis magis ſunt in poteſtate Dei, quàm ſint in poteſtate Angeli loquentis, & ſic independenter ab Angelo loquente, & ab ordinatione eius poteſt prædictos conceptus perfectiſsimè cognoſcere, ſed quia niſi Angelus dirigat ad Deum ſuos conceptus, ipſe non dicetur loquens cum Deo, neque Deus dicetur audiens Angelum; ideo dixi, quod illa directio facit quod illi conceptus pertineant ad Deum ſub munere audientis: eſt enim illa formalitas audientis formalitas connotatiua loquutionis, ſicut & formalitas præmiãtis eſt connotatiua meriti: vnde ſicut merens ſuo merito facit quod Deus ſit ſub formalitate præmiantis; ſic & loquens cũ Deo ſua loquutione, ſeu directione conceptuũ ad Deum facit, quod Deus ſtet ſub formalitate audientis, & ad iſtum ſenſum dicimus quod per illam directionẽ fit quod præfati conceptus pertineant ad Deum vt audientem.

1258 Cæterum contra dicta obijcies. Nam ſi per directionem, qua Angelus ſuos conceptus dirigit ad Deum, conceptus, qui diriguntur ſub aliqua formalitate, ſeu ratione fiunt Deo manifeſti, ſub qua antea manifeſti non erant, nempe ſub ratione loquutionis Angelicæ cum Deo: ergo Angelus actiuè manifeſtat Deo aliquid, quod Deus non cognoſceret, niſi Angelus actiuè illud ei manifeſtaret: ergo poterit Angelus loqui cum Deo, eo fine, vt Deo innoteſcat eius loquutio; hoc autem videtur eſſe contra D. Thom. hic in art. 3. vbi D. Thom. negat Angelum loqui cum Deo, vt communicet ei, ſic, quod ſe habeat actiuè in tali communicatione: vnde dicit quod in loquutione ad Deum ſe habet Angelus vt paſsiuum ad agens: non ergo in doctrina D. Thom. poteſt admitti quod Angelus actiuè manifeſtet ſuos conceptus Deo ſub aliqua ratione.

Reſpondeo ad hoc, conc. prima Conſeq. neg. ſecundam. Nam cum loquutio Angelica cum Deo, hoc ipſo quod actiuè ab Angelo fit, per illam actiuam ordinationem conceptuũ ad Deum, Deo pateat; non quia loquens Deo manifeſtet illam, quaſi ei occulta fierit, ſi loquens eam Deo non manifeſtaret; ſed quia iure ſummæ ſapientiæ exigit cognoſcere quodcumque exiſtens, ex quo exiſtit; ſit inde, quod Angelus non loquatur Deo, vt ſuam loquutionem ei manifeſtet; ſed loquitur, vt Deus ſuam loquutionem cognoſcens illũ, inſtruat de agendis. Itaque Angelus cum Deo loquitur, non vt manifeſtans Deo loquutionem ſuam, ſed quia ſcit, quod hoc ipſo quod Angelus in re ponat loquutionem ſuam, Deus cognoſcet illam: vnde non habet pro fine manifeſtare aliquid Deo; ſed finis loquutionis eſt, quod Deus ei reſpondeat iuxta id, quod cognoſcit expeti in loquutione Angeli. Et hoc eſt, quod D. Thom. dicit in adducta auctoritate, videlicet, quod Angelus non loquitur Deo, vt communicet ei ſcientiam ſecretorum ſuorum, quia optimè ſcit, ſua ſecreta Deo eſſe perfectiſsimè nota, & ſic nequit habere pro fine loquutionis ſuæ manifeſtationem ſecretorum ſuorum, neque ſub formalitate loquutionis, qua Angelus loquitur ſibi, neque ſub formalitate loquutionis, qua Angelus loquitur Deo.

1259 Sed obijcies contra hæc. Etenim ipſum loqui Angeli cum Deo eſt ipſi manifeſtare ſuam loquutionem: ergo ſi Angelus loquitur cum Deo, verè manifeſtabit ei ſuam loquutionem: ergo ſe habebit actiuè in manifeſtando Deo, & non merè paſsiuè. Prob. primum Antec. nam loquutio, ſiue mentalis, ſiue vocalis fit per productionem verborum ſignificantium aliquid: ergo ſi Angelus actiuè Deo loquitur,

Digitized by Google

tur, activè profert verba mentalia ſignificativa Deo: ergo verè activè manifeſtabit Deo ſuam loquutionem.

Ad hoc, nego Ant. Ad Prob. diſt. Ant. loquutio fit per productionem verborum ſignificantium aliquid, ignoranti, & neſcienti, conc. Ant. perfectè omnia ſcienti, nego Antec. & Conſeq. Itaque activè manifeſtare aliquid alteri eſt ei communicare ſcientiam alicuius, quam ex ſe non habet: cumque Deus ex ſe perfectiſsimè omnia noverit, non poteſt Angelus activè ei aliquid ſignificare. Quid ergo erit activè Angelum loqui cum Deo? Erit proferre illi verba mentalia quantum eſt ex ſe ſignificativa eorum, quæ ſunt in corde, quamvis nō ſignificent de facto Deo, ex hoc quod ipſe, cum ex ſe omnia noſcat perfectiſsimè, non eſt capax recipiendi notitiā ab aliquo creato tanquam ab activè ei aliquid ſignificāte: ſimili modo, quo cum quis abſolvitur de peccato iam verè dimiſſo, forma abſolutionis, *ego te abſolvo à peccatis tuis* verificatur nō in eo ſenſu quod de facto exerceat id, quod ſignificat; quia ſi peccatum ſemel dimiſſum eſt, iterum non dimittitur, ſed ad hunc ſenſum *ego impendo tibi Sacramentum remiſsivum peccatorum quantum eſt ex ſe.* Sic ſimiliter quia Deus nihil ignorat, nihilque eſt ei occultum, loquutio Angelica, quā Angelus ei loquitur, de facto nihil ei manifeſtat activè, manifeſtaret tamen ſi ei occulta fuiſſet: Vide D. Thom. in hoc art. 3. ad 1. dicit, quod *loquutio non ſemper eſt ad manifeſtandum alteri ſed quandoque eſt vt loquenti aliquid manifeſtetur.*

1200 Ex dictis colligo primò, diſtantiam localem, qua vnus Angelus ab alio diſtat, maxima quantumvis ſit, non impedire loquutionem à ſui perceptione. Nam hæc loquutio eſt pure intellectualis: operatio autem pure intellectualis à loco, & tempore omnino abſtracta eſt, & ſic in eam nihil operatur vel temporis, vel loci diſtantia: ergo in loquutione Angelica nullum habetur impedimentum per loci diſtātiam. Secundo, nam loquutio Angelica, vt dictum eſt, eſt in Angelo loquente: nam eſt loquutio interior, quæ ab alio percipitur; ſed nulla diſtātia localis facere poteſt, quod Angelus alium Angelum non videat: ergo neque poteſt facere quod eius loquutionē ad ipſum directam non cognoſcat.

Et ſi inſtes, quod Iſaiæ 6. dicitur, quod *Seraphim clamabat alter ad alterum*; ſed clamor loquentis non fit niſi ad vincendam difficultatem, quæ oritur ex diſtantia, quæ eſt inter loquentem, & audientem: ergo localis diſtantia poteſt aliquid operari circa Angelicam loquutionem, & ſic poterit impedire eam. Reſpondeo, illum clamorem non fuiſſe per vocem corpoream, quæ vt à diſtanti localiter audiatur, ſui elevatione, quæ per clamorem fit, indiget; ſed dicitur clamor ad ſignificandum magnitudinem rei, quæ dicebatur, vel magnitudinem affectus dicentis, iuxta id, quod dicit Gregorius 2. Moral. *tantò quiſque minus clamat, quantò minus deſiderat.* Et ſi ſecundo inſtes, quod diverſitas temporis impedit intellectualem cognitionem: ergo & diſtantia loci impediet illam. Prob. Antec. Angelus nequit modo intelligere ea, quæ erunt in tempore futuro, ſed tantum poteſt intelligere ea, quæ ſunt in tempore præſenti: ergo diverſitas temporis impedit Angelicam cognitionem. Reſp. negando Antec. Ad Prob. diſt. Antec. quia tempus ad hoc impediat, nego Antec. quia illa non ſunt cognoſcibilia, conc. Antec. & nego Conſeq. Itaque Angelus de iis, quæ non dum ſunt, ſed aliquando erunt, aliqua de facto cognoſcit, & aliqua non: cognoſcit enim futura, quæ habent oriri ex cauſa præſenti, quia licet non habeant eſſe in ſe, habent tamen eſſe determinatum in ſua cauſa; futura autem purè contingentia, quia non habent de præſenti neque eſſe in ſe, neque determinatum in cauſa, Angelus non cognoſcit, non quia tempus ſit impedimentum ad nō cognoſcendum, ſed quia cum illa in tempore determinato ſint, dum non occurrit illa differentia temporis, pro qua erunt, illa nullo modo ſunt, & ſic non poſſunt certò ab Angelis cognoſci.

Sed adhuc inſtas, ſi dum vnus Angelus eſt in vno loco loqueretur cum alio maximè diſtanti, ſic, quod non perciperetur ab eo, verè diceremus diſtantiam localē impedire loquutionem: ergo ſi dum vnus Angelus eſt in tempore præſenti, non poteſt videre futurum, quod erit in tempore ſequēti, dicendum erit, diſtantiam temporis, quæ intervenit inter præſens, & futurum, impedire præfatam cognitionem. Ad hoc, nego ſuppoſitum Conſequentis, Angelus enim cum non ſit in tempore, non eſt quoquè in tempore præſenti, eſt enim in ævo, & eius operatio æviterna eſt: æviternitas autem non eſt quid materiale, ſeu eſt quid pure ſpirituale, nempe duratio ſubſtantiæ purè ſpiritualis; hæc autem diſtinguitur à tempo-

po-

Digitized by Google

pore, tum quia hoc materiale cum ſit, tantum menſurat res materiales; æuum autē ſpirituale eſt, & res purè ſpirituales creatas tamen menſurat. Tum etiam, quia tempus eſt quantum ſucceſsiuum: vnde non habet ſuum eſſe totum ſimul; æuum autem totū ſimul eſt, quia inſtans indiuiſibile eſt: ſed quia finitum eſt, ideo ſolum menſurat res, quæ de præſenti ſunt, quia durationem de futuro actu non præcontinet, neque illis coexiſtit, donec illæ de præſenti ſint. Hinc actio illa Angelica non impeditur eſſe cognitionem rei futuræ, quia à tempore, quod quid materiale eſt, obſtaculum accipiat, ſed quia æuiterna cum ſit, ab æuo limitatur. Vnde ſicut æuum ſolum poteſt res contingere ſucceſsiuè, ſicut baculus, qui eſt in medio fluuij, non ſimul, ſed ſucceſsiuè, quandò ſcilicet perueniunt ad ſitum baculi, tangit omnes aquas fluuij: ita & cognitio Angelica, quia æuiterna eſt, ſolum poteſt res pro tempore præſenti attingere, & non pro futuro: vnde ad hoc non limitatur, vel impeditur ab aliquo materiali, à quo ipſa abſoluta eſt, ſed aliquo ſpirituali, cui ipſa concreta eſt.

1261 Colligo ſecundo, loquutionem Angelicā poſſe fieri ſecretò, ſic, quod vnus tantū illam percipiat, & alij eam prorſus ignorent. Patet hoc; nam diximus ſuprà, loquutionem Angelicam fieri per hoc, quod Angelus conceptus ſuos ordinet ad alterum: poteſt autem loquens ſuum conceptum ordinare ad vnum, & non ad alios: ergo poterit ſic loqui cum vno, quod prorſus ignorent alij quod cum eo loquatur. Hinc etiā colligo, poſſe de eiſdem rebus loqui cum duobus, ſine eo quod vnus ſciat de alio. Prob. nam ſicut cum loquitur cum vno ordinat conceptum ad vnū, & non ad alios, ex quo fit quod alij ignorent prædictam ordinationem, & conceptus, qui per illam ordinantur: ita poſtquam eoſdē conceptus ad duos ordinat, poterit occultare vni ſe prædictos conceptus ordinare ad alterum, & ſic poterit loqui cum duobus de eiſdem rebus inſcio vno de altero. Secundo. Prob. cum Angelus dirigit conceptus ſuos ad vnum, iſte tantum cognoſcit iſtos conceptus vt diriguntur ad ipſum: ergo ſi eoſdem conceptus ordinet ad alterum, poterit ignorare præfatos conceptus vt ordinatos ad alterū, & ſic poterit ignorare quod loquatur cum altero.

Sed inquiris, quomodo poterit vnus Angelus loqui cum duobus, ſic, quod vnuſquiſque eorum ſciat quod loquitur cū illis? Dico, hoc fieri per hoc, quod loquens non ſolum ordinet conceptus ſuos ad vnūquemque, ſed etiam ordinet ad vnumquēque præfatos conceptus cum ordinatione ad alterum, ſic, quod manifeſtet vnicuique ſe ordinare conceptus ſuos ad alium. Latet enim in corde loquentis ordinatio conceptuum, qua vnus Angelus alteri loquitur, & ſolum manifeſtatur ei, ad quem conceptus ordinantur: vnde fit, quod ſi dum vnus loquitur duobus, vnicuique offerat conceptus ſuos, & etiam ordinationem, qua media loquitur cum altero, fiet inde, quod vnuſquiſque cognoſcet illum, qui ſibi loquitur; non tantum ſecum loqui, ſed loqui etiam cum altero. Et hæc de iſta quæſtione.

QVÆSTIO XXIII.

De Hierarchijs, & ordinibus Angelorum.

§. I.

Examinatur vtrùm omnes Angeli ſint vnius Hierarchiæ?

1262 HVIC Quæſito Reſp. Diu. Thom. ſub diſtinctione, ex parte Principis, vel ex parte multitudinis. Ex parte Principis dicit, eſſe vnam Hierarchiam omnium creaturarum intellectualium, non ſolū Angelorū, ſed & hominum. Et probat, quia Princeps eſt vnus, ſub cuius ditione ſunt omnes creaturæ intellectuales, quæ ſacrorum ſunt participes: igitur ex parte Principis vna eſt tātum Hierarchia Angelorum, & hominum. Ad quod corroborandum adducit Auguſtinum 12. de Ciuit. Dei dicentem; *duas eſſe Ciuitates*, hoc eſt ſocietates, *vnam in Angelis bonis, & hominibus, alteram in malis.* Quæ quidem confirmatio nō videtur probare intentum: nam adducta eſt hæc auctoritas ad probandum vnitatem ſocietatis; & tamen auctoritas ipſa duas deſignat ſocietates: ergo. Ad hoc dicit Caietanus in Commentario huius articuli, aptiſsimè adduci prædictam auctoritatem ad probandum intentum: nam D. Thom. has duas inſinuat ſocietates, dum vnam conſtituit ex Angelis, & hominibus, qui ſacrorum ſunt par-

Digitized by Google

participes, qui ſunt Angeli, & boni homines, & aliam conſtruit ex malis Angelis, & malis hominibus, qui à communicatione ſacrorum deficiunt: quas eſto expreſsè non diſtinguat, dùm tamen primam dicat eſſe ex Angelis, & hominibus, qui ſacrorum ſunt participes, planè inſinuat eſſe aliam ſocietatem eorum, qui à ſacris deficiunt.

Dices inſuper, quod D. Thom. præfata auctoritate non vititur adæquatè, ſed inadæquatè, nempe pro illa parte, qua vnā inſinuat ſocietatam ex bonis Angelis, & bonis hominibus: aliam autem adducit ad complementum auctoritatis. Quæ quidem aptiſsimè dicta ſunt. Nam D. Thom. tantū quærit de vnitate Hierarchiæ, quæ quidem non eſt quomodocumque principatus, ſed eſt ſacer principatus, id eſt, eorum, qui in ſacris communicant, id eſt, qui à Deo ſpecialibus illuminationibus reguntur: iſti autem tantum ſunt boni Angeli, & boni homines, quibus vnus tantum ſupremus eſt Princeps, ſcilicet Deus. Mens ergo D. Th. ea tantum eſt, quod ſi ſocietas bonorū hominum, & Angelorum attendatur ex parte Principis, tantum eſt vna. Ad quod probandū aptiſsimè adducitur auctoritas Auguſtini de duabus ſocietatibus: nam ad intentum D. Thom. facit quod loquendo de bona ſocietate, nempe de illa, quæ ex bonis hominibus, & Angelis conſtat, illa tantum ſit vna ſpectata ex parte Principis. Vbi pondero artem D. Thom. quod quia in ſequenti concluſione erat docturus, quod Hierarchiæ ex parte multitudinis ſunt tres, cui dicto videbatur opponi auctoritas illa Auguſtini aſſerentis vnam eſſe ſocietatem ex bonis Angelis, & hominibus; probando ex hac auctoritate primam ſuam concluſionem, probat Auguſtinum in illa auctoritate non opponi ſuæ ſecundæ concluſioni, quia ibi loquitur de vnitate ex parte Principis, & Div. Thom. in ſecunda concluſione loquuturus erat de pluralitate Hierarchiæ ex parte multitudinis gubernatæ.

1263 Ex parte multitudinis conſiderando Hierarchiam ſecundū quod multitudo ſub vno Principe gubernatur, ſic dicit D. Thom. *Aliam eſſe Hierarchiam humanam, aliam Angelicam. Nam vnus principatus dicitur ſecundum quod multitudo vno, & eodem modo poteſt Principis gubernationem percipere, quæ vero non poſſunt ab vno, & eodem Principe vno modo gubernationem recipere, ad diverſos pertinent Principatus. Sicut ſub vno Rege ſunt diverſæ Civitates, quæ diverſis reguntur legibus, & miniſtris: manifeſtum eſt autem quod homines alio modo divinas illuminationes percipiunt, quam Angeli, nam Angeli percipiunt eas in intelligibili puritate; homines vero percipiunt eas ſenſibilium ſimilitudinibus, & ideo oportet diſtingui humanam Hierarchiam ab Angelica. Per hunc etiam modum oportet dividere Hierarchias Angelorum in tres: nam Angeli ſuperiores habent univerſaliorem cognitionem veritatis, quam inferiores: huiuſmodi autem acceptio cognitionis ſecundum tres gradus in Angelis diſtingui poteſt. Poſſunt enim rationes, de quibus Angeli illuminantur, conſiderari tripliciter. Primò quidem, ſecundum quod procedunt à principio univerſali, quod eſt Deus; & iſte modus convenit primæ Hierarchiæ, quæ immediatè ad Deum extenditur, & quaſi in veſtibulis Dei collocatur. Secundo vero, prout huiuſmodi rationes dependent ab univerſalibus cauſis creatis, quæ iam aliquo modo multiplicantur: & hic modus convenit ſecundæ Hierarchiæ. Tertio autem modo ſecundum quod huiuſmodi rationes applicantur ſingulis rebus, prout dependent à proprijs cauſis: & hic modus convenit infimæ Hierarchiæ. Vnde accipiendo Hierarchiam ex parte multitudinis Principi ſupremo ſubiectæ, debemus aſſignare in Angelis tres Hierarchias.*

1264 In hoc diſcurſo difficultatem facit primò, quod D. Th. tantum ponit vnam Hierarchiam humanam, quod videtur falſum. Nam homines Deo ſacri, & in ſacris communicantes, vel ſpectant ad hanc Eccleſiam militantem; & de iſtis loquendo verum eſt, quod percipiunt illuminationes divinas vno modo, nempe ſub ſenſibilium ſimilitudinibus: vel loquutio eſt de hominibus ad Eccleſiā Triumphantē ſpectantibus; & iſti non percipiant illuminationes divinas ſub ſenſibilium ſimilitudinibus, ſed eas percipiūt in intelligibili puritate: videtur ergo quod humana Hierarchia dividenda ſit in duas, aliam ſpectantē ad Eccleſiam Militantem, & aliam ſpectātem ad Eccleſiam Triumphantem.

Ad hoc dico. Hierarchiam non dividi per quemcumque modum percipiendi divinas illuminationes; ſed tantum penes illum, qui facit diverſitatem intra modum connaturalem intelligendi, & quia hic in Angelis dividitur in tres modos dictos, & in homine non dividitur, ideo vna tantum Hierarchia ſit de hominibus, & tres de Angelis. Vnde hic tantum enumerantur ho-

homines Eccleſiæ Militantis, ex quibus vna Eccleſia fit, & vna Hierarchia, quia omnes conveniunt in vno modo eis connaturali percipiendi illuminationes divinas, ſcilicet ſub ſenſibilium ſimilitudinibus: ille autem modus, quo intelligunt in patria non enumeratur inter modos connaturales homini intelligendi divina, & ſic non facit diverſam humanam Hierarchiam. Colligo hanc doctrinam ex ſolutione ad 3. vbi D. Thom. docet, vnam tantum eſſe humanam Hierarchiam, quia omnes ſunt eiuſdẽ ſpeciei, & quia vnus modus intelligendi eſt eis connaturalis.

Sed ex hac doctrina formo argumentum ad probandum Angelicas Hierarchias non eſſe tantum tres. Etenim ex D. Thom. omnes homines faciunt vnam Hierarchiã, quia vnius ſunt ſpeciei athomæ, & quia illis convenit vnus tantum modus percipiendi illuminationes divinas; ſed omnes Angeli ſunt diverſæ ſpeciei, & diverſi modi connaturalis percipiendi illuminationes divinas: ergo tot erunt Hierarchiæ, quot Angeli: non ergo erunt tantum tres Angelicæ Hierarchiæ. Prob. Min. diverſitas in modo connaturali intelligendi Angelico habetur per hoc, quod ſuperiores Angeli habeant ſuperiorem, & vniverſaliorem modum intelligendi veritatem, quàm inferiores; ſed aſcendendo ab infimo Angelo ad ſupremum ſemper Angelus ſuperior reſpectivè ad ſibi inferiorem habet vniverſaliorem modum præcipiendi veritatem: ergo & habebit diverſum modum connaturalem intelligendi divinas illuminationes.

Ad hoc argumentum, diſt. Min. & diverſi modi connaturales percipiendi illuminationes divinas, diverſitate ſufficienti ad varietatem ſpecificam Angelorũ, conc. Min. diverſitate ſufficienti ad variandum Hierarchias, nego Min. & Conſeq. Itaque Hierarchia cum dicat multitudinem ſub vno Principe, & multitudo componatur ex pluribus: quod ſufficit ad variandum illa plura inter ſe, non ſufficit ad variandum vnam multitudinem ab alia. Vnde alia eſt ſuperioritas ſpecifica, per quam vnus Angelus ſpeciei differt ab alio, & alia eſt ſuperioritas, qua vna Hierarchia excedit aliam ſibi inferiorem. Prima eſt, intelligere vniverſaliori modo, hoc eſt, per pauciores ſpecies, in qua ratione, cum non dentur duo Angeli æquales, non dantur duo Angeli eiuſdem ſpeciei. Secunda eſt, intelligere res ſecundum quod dependent à principijs vniverſalibus; & quia in hoc datur inter Angelos triplex diſcrimen; nam primates eorum cognoſcunt ea, de quibus illuminantur ſecundum quod dependent, & procedunt à prima cauſa, quæ Deus eſt; in quo multi conveniunt: Alij multi ab hoc deficiunt, quia tantum cognoſcunt rationes divinorum ſecundum quod dependent à cauſis vniverſalibus creatis, quæ iam multiplicantur, & non gaudent ea vnitate, qua Deus gaudet, ideo ſecundam Hierarchiam ſtatuunt. Alij multi etiam ab hoc deficiunt, quia tantum cognoſcunt rationes divinorũ ſecundum quod in ſingulari rebus applicantur prout à proprijs cauſis dependent: vnde infimam Hierarchiam conſtituunt, ſicque tres Hierarchiæ diſtinguuntur. Rem duco ad praxim. Salus Petri v.g. eſt opus divinũ: huius prima cauſa eſt Dei voluntas; cauſa vniverſaliſſima creata eſt paſſio Chriſti: cauſa particularis, per quam hęc ſalus eſt adquiſita, eſt ipſum Petri martyrium: cum ergo circa hoc opus divinum illuminantur Angeli, prima Hierarchia cognoſcit rationes huius operis in ipſa divina voluntate. Secunda cognoſcit eas in Chriſti paſſione, & tertia cognoſcit eas in martyrio ipſius Petri: ſi autem homines de huiuſmodi illuminentur, vno tantum modo omnes illuminantur, nempe percipiendo rationes divinorum operum per ſenſibilium ſimilitudines. Vnde Hierarchia humana eſt vna, & Angeli dividitur in tres.

1265 Cæterum licet hæc vera ſint, tamen difficilia ſunt. Etenim ſi omnes Angeli primæ Hierarchiæ percipiunt rationes divinorum operum in prima eorum cauſa, nempe divina voluntate: ergo omnes Angeli primę Hierarchię à Deo immediatè illuminantur; quod eſt contra dicta à nobis ſuperius, vbi diximus pluries quod Angelus omnium ſupremus immediatè illuminat inferiorem ſibi proximè vicinum, & hic pariter inferiorem ſibi immediatè vicinum; & ſic fit illuminationis deſcenſus vſque ad infimum Angelum: ergo. Prob. prima Conſeq. nam Angeli, ideo illuminant alios Angelos, quia illuminationes prius ipſi percipiunt ſub vniverſaliori ratione, quam illi, qui illuminantur poſſint eas percipere: ergo ſi omnes Angeli primæ Hierarchiæ percipiunt illuminationes ſub ratione æqualiter vniverſali, vnus non illuminabit alium: ſed hoc ipſo quod Angeli primæ Hierarchiæ percipiant illu-

mi-

minationes in ipſa divina voluntate, quæ eſt cauſa vniverſaliſsima earum, omnes percipient ſub ratione æqualiter vniverſali: ergo vnus Angelus primæ Hierarchiæ non illuminabit alium eiuſdem Hierarchiæ.

Secundo Prob. hoc ipſum, quia videre rationes divinorum operum in ipſa divina voluntate omnes nō poſſunt, niſi omnes ipſam divinam voluntatem videant, quod non poteſt fieri niſi in viſione beata; ſed in viſione beata vnus Angelus ab alio non illuminatur, ſed omnes beati per viſionem beatam docentur ab ipſo Deo immediatè: igitur ſi omnes Angeli primæ Hierarchiæ rationes divinorum operum videant in ipſa divina voluntate, vnus non illuminabit alium eiuſdem Hierarchiæ.

Ad primam dico, quod dato caſu quod omnes Angeli primæ Hierarchiæ à Deo immediatè illuminentur, tamen quia de pluribus illuminaretur ſupremus gradus quàm medius, & hic quàm infimus, poſſet adhuc ſuperior illuminare inferiorem de his, à quibus inferior non illuminaretur. Quæ doctrina videtur eſſe D. Thom. ſupra quæſt. 106. art. 1. ad 1. vbi habet: *Dicendum, quod omnes Angeli tam ſuperiores, quàm inferiores immediatè vident divinam eſſentiam, & quantum ad hoc vnus non docet alium: de hac enim doctrina Propheta loquitur vbi dicit, non docebit vir fratrem ſuum, dicens, cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum, ſed rationes divinorum operum, quæ in Deo cognoſcuntur ſicut in cauſa, omnes quidem Deus cognoſcit, quia ſe ipſum comprehendit; aliorum vero Deum videntium tantò vnuſquiſque in Deo plures rationes cognoſcit, quantò eum perfectius videt: vnde ſuperior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum in Deo cognoſcit quam inferior, & de his eum illuminat*: quāvis ergo ponatur quod prima Hierarchia rationes divinorum operum in Deo tanquam in cauſa cognoſcat, quia tamen ſuperior Angelus illius Hierarchiæ plures rationes in ipſa divina voluntate videt, quàm inferior; poterit tamen poni quod poſsit illuminare inferiorem ſuæ Hierarchiæ. Ex quo patet ad ſecundam Prob. dando tranſ. ad Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Nam eſto omnes illuminentur à Deo, dum Deū vident, tamen quia in Deo tanquam in cauſa non omnes eadem vident, ſed ſuperiores plura quàm inferiores, poterunt ſuperiores ſibi in eadem Hierarchia inferiores illuminare.

Cæterum licet hac via defendi poſſet, quod adhuc intra primam Hierarchiā detur ordo illuminationis; tamen quia exiſtimo quod Angelus etiam ſupremus non illuminatur à Deo per ipſam viſionem beatam de his, de quibus ſucceſsivè in dies à Deo illuminatur iuxta id, quod dicit Div. Thom. ſupra quæſt. 106. art. 4. ad vltimum; ibi: *Dicendum, quod vſque ad diem iudicij ſemper nova aliqua ſupremis Angelis revelantur divinitus de his, quæ pertinent ad diſpoſitionem mundi, & præcipuè ad ſalutem electorum.* Ex quo ſemper remanet vnde ſuperiores Angeli inferiores illuminent: oportet aliter ſolvere præſentem difficultatem, dicendo, primam Hierarchiam ea, de quibus illuminatur, cognoſcere ſecundum quod procedunt à primo principio, ſcilicet à divina voluntate, non ſic, quod illuminentur formaliter ipſa viſione, qua Deum vident; ſed quia datur illis cognoſcere rationes divinorum operum, extra Verbum tamen, ſub ratione altiſsima, nempe ſub eo reſpectu, ſub quo à prima cauſa procedunt, quæ cognitio difficilior eſt, & magis captu difficilis. Sed quia in hac cognitione rationem operum divinorum ſupremus Angelus ſuperiori, & eminentiori modo procedit, quàm inferior ſibi proximè vicinus, fit inde, quod eum illuminare poſsit. Itaque omnes Angeli primæ Hierarchiæ illuminantur circa rationes divinorum operū ſub eo reſpectu, quo à Deo prima vniverſaliſsima cauſa procedunt: cæterum quia in hac cognitione non ſunt æquales, quo intra eandem Hierarchiam quis eſt ſuperior, ſibi inferiorem illuminat de prædictis rationibus prout à prima cauſa vniverſaliſsima procedunt.

Vnde ad difficultatem propoſitam, nego Conſeq. Ad Prob. conc. prima Conſeq. nego Min. ſubſumptam. Nam intra hoc quod eſt cognoſcere extra verbum rationes divinorum operum ſub eo reſpectu, ſub quo à prima cauſa dependent, datur magis, & minus ſecundum perfectionem: nam qui ſupremus eſt, magis penetrat ex illo principio, quam ſibi immediatè inferior, ſicut duo ingenia inæqualia cognoſcendo eandem concluſionē ex eodem principio, nō æqualiter eam penetrant, ſed qui maiori ingenio pollet, perfectius eam videt, & ſic poteſt vnus alium illuminare, etiā ſi eiuſdem Hierarchiæ ſint, & rationes di-

vi-

Digitized by Google

vinorum operum prout à prima cauſa dependent cognoſcant, ſicque poterit eandem Hierarchiam vnus Angelus ſibi intra eam inferiorem illuminare.

Ad ſecundam Prob. nego Mai. non enim percipere rationes diuinorum operum in prima cauſa, vel prout dependent ab vno primo principio eſt videre eas in Dei voluntate immediatè viſâ viſione beata, ſed eſt percipere extra Verbum ſub illa tamen ratione vniverſaliſſima, ſub qua cōparantur ad diuinam voluntatem, vel ad principium ſimpliciter primum, & prout ab ipſo procedunt. Et quidem primum patere poteſt ex eo, quod per ſingulas dies noviter Angeli primæ Hierarchiæ illuminantur, ſic, quod hodie percipiunt vnū, & mane alterum: at hæc ſucceſſiva perfectio non habet locum in viſione beata, quæ immutabiliter ſubiectivè, & terminativè beatis convenit: igitur percipere divina prout à prima cauſa dependent non eſt videre ea in divina voluntate immediatè in ſe ipſa viſa viſione beata.

Sed inquiris, ſi illuminari de prædictis ſub præfata vniverſaliſsima ratione non eſt videre eas in ipſa divina voluntate, quid ergo erit? Reſpondeo, quod eſt cognoſcere rationes divinorum operum per altiſsimā cauſam non cognoſcendo ipſam altiſsimā cauſam faciali viſione, ſed cognitione abſtractiva, & extra Verbum; neque etiam abſtractiva immediata, vt vult Scotus, ſed tantùm mediata, & per aliquos effectus, per quos miris modis Deus ſe ipſum extra Verbum manifeſtat beatis Angelis, dùm illis revelat ſecreta ſua circa regimen mundi, vel ſalutem electorum.

1266 Ex quibus infero contra Gonet, illas tres Hierarchias diſtingui inter ſe per hoc, quod prima Hierarchia conſtet ex his Angelis, qui à nullis alijs Angelis purgantur, illuminantur, & perficiuntur. Secunda vero conſtat ex his Angelis, qui purgantur ab alijs, illuminantur, & perficiuntur, ſic, quod etiam alios Angelos purgent, & illuminent. Tertia vero conſtat ex his Angelis, qui ſolum purgantur, illuminantur, & perficiuntur. Prob. hoc. Nam, vt vidimus, cum veritas à Deo deſcendat, primò à Deo ſupremo Angelo communicatur, & iſte à Deo immediatè illuminatus ſibi vicinum inferiorem illuminat, & ſic veritas deſcendit à Deo vſque ad infimum Angelū: vnde ſolus ſupremus à Deo illuminatur; cæteri vero non à Deo, ſed à ſibi ſuperioribus Angelis: non ergo prima Hierarchia conſtat ex Angelis non purgatis, nec illuminatis ab alijs Angelis: vnde per hoc non poterit diſtingui à ſecunda Hierarchia.

Nec valet dicere, quod Angeli primæ Hierarchiæ omnes ſunt aſsiſtentes Deo: ergo videtur quod iſti omnes immediatè à Deo illuminentur. Non (inquam) valet, nam licet omnes aſsiſtentes ſint, non tamē omnes æqualiter ad Deum accedunt. Vnde cum ſupremus inter illos præ omnibus magis ad Deum accedat, ille præ omnibus à Deo immediatè illuminatur: ſicut in curia Regia, quamvis Rex plurimos Principes aſsiſtentes habeat, non tamen omnibus ſuam voluntatem immediatè manifeſtat, ſed tantum vni, qui ex hoc Privatus dicitur. Nec valet ſi ſecundò dicas, D. Dionyſium 3. cap. cœleſt. Hierarchiæ aſſerere, quod *ordo Hierarchiæ eſt alios quidem purgari, & perfici, alios autem purgare, & perficere*: quam auctoritatem adducit D. Thom. hic, art. 1. ergo ſentit quod diſtinctio vnius Hierarchiæ ab alia conſiſtit in eo, quod Angeli primæ Hierarchiæ purgant, & illuminant eos, qui ſunt in ſecunda Hierarchia; non vero ipſi purgantur, & illuminantur. Non quidem valet, nam Dionyſius non adducit illam doctrinam ad coordinandum vnam Hierarchiam cum altera, ſed adducit ad coordinandum inter ſe Angelos vnius Hierarchiæ. Vnde vt videbimus D. Thom. adducit hanc auctoritatem ad probandum quod inter divinas perſonas non ſit ordo Hierarchiæ, ſed tantum ſit ordo originis, eo quod vna perſona non purgat aliam, neque illuminat, nec perficit illam. Ex quo retorqueo argumentū contra Gonet. Etenim intra quamlibet Hierarchiam datur talis ordo, quod videlicet alij purgent, illuminent, & perficiant alios, alij autem illuminentur: igitur non omnes Angeli primæ Hierarchiæ ſic purgant, illuminant, & perficiunt alios, quod ipſi etiam ab alijs Angelis non purgentur, illuminentur, & perficiantur.

Ex his concludit D. Thom. corpus articuli dicendo: *Manifeſtum eſſe eos errare, & contra intentionem Dionyſij loqui, qui ponunt in divinis perſonis Hierarchiam, quam vocant ſupercœleſtem. Nam in divinis perſonis eſt quidem ordo naturæ, ſed non Hierarchia*, quod non probat: *Qui ſecundum Dionyſium ordo Hierarchiæ eſt alios purgari, & illuminari, alios vero purgare, & illuminare, & perficere, quod abſit vt in divinis perſonis*

po-

Digitized by Google

ponamus. Poteſtque hoc ipſum probari ex diffinitione Hierarchiæ, *eſt enim ordo ſacer multorum ſub vno Principe*, in quo indiſpenſabiliter importatur ſubiectio multitudinis ad vnum Principantem Dominum; ordo autem ſubiectionis non habetur in divinis, vnde & dicitur, *dixit Dñs Domino meo*, id eſt, Dominus Pater dictione ſua producit ſibi filium çqualiter Dominantẽ cum ipſo: non ergo inter divinas perſonas ordo habetur Hierarchiæ.

§. II.

Vtrùm Hierarchia ex hominibus conſtans dividatur in plures Hierarchias?

1267 ANTE Omnia ſupponere debemus ex hominibus veram conſtrui Hierarchiam. Nam verè ſit ex illis multitudo ſacra ſub vno Principe Deo ordinata, nam verè dantur varij gradus hominum inter ſe ordinati circa miniſterium eorũ, quæ pertinent ad ſalutem æternã: dicit enim Paulus ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti.* Vtrùm autem Princeps huius humanæ Hierarchiæ ſit Chriſtus vt homo, an vero tantum ſit membrum coordinatum in illa? videtur explicatu difficile. Nam ex vna parte Chriſtus vt homo verè eſt ſervus Dei, ſicque cum alijs hominibus ſervis Dei coordinatur ſub Deo: ergo videtur quod Chriſtus vt homo ingrediatur hanc Hierarchiam, non vt Princeps, ſed vt à Deo principatus. Ex alia parte videtur quod ipſe ſit ſupremus Princeps, primo quia ipſe eſt caput omnium hominum: ergo & humanæ ſocietatis ipſe eſt ſupremus Princeps. Tum etiam, quia Chriſtus etiam vt homo eſt Filius Dei naturalis: ergo prout ſic eſt hæres naturalis Dei, & ſic etiam vt homo eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium: vnde ei dicitur, *poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Tum etiam, quia Princeps alicuius multitudinis debet eſſe homogeneus cum tali multitudine; at Deus non eſt homogeneus cum hominibus, bene vero Chriſtus, ex quo eſt homo: videtur ergo quod humanę Hierarchię Chriſtus ſit Princeps vt homo.

1268 Cæterùm abſque dubio tenendum eſt ex Chriſto homine & membris eius, nempe alijs hominibus in ſacris communicantibus fieri vnam multitudinẽ ſub vno ſupremo Principe, qui Deus eſt. Loquens enim Paulus cum prædeſtinatis inquit: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*: ſub vno ergo Deo poſſeſſore coordinatur ſacra multitudo conſtans ex Deo homine, & alijs puris hominibus. Quod ratione Prob. Cum enim ordo Hierarchiæ ſit penes illuminare, purgare, & perficere, ille erit Princeps ſupremus humanæ, qui ſic purgabit, illuminabit, & perficiet humanam multitudinẽ, quod ipſe à nullo purgabitur, illuminabitur, & perficietur; ſed ſoli Deo in natura divina hæc convenit, nam Chriſtus vt homo illuminatur, perficitur, & purgatur à Deo, eſto ex eius meritis purgationes, illuminationes, & perfectiones ad homines deſcendant; multitudo ergo conſtans ex Chriſto, & alijs hominibus cum ſubiectione ad Deũ tanquam ad ſupremum Principem erit humanana Hierarchia. Quod confirmat ratio ſupra adducta. Nam Chriſtus vt homo vere eſt ſervus Dei, vereque ad Deum vt ad ſupremum Principem orat, & exauditur à Deo pro reverentia ſua inſuper coordinatur cum alijs hominibus, cum quibus vnum corpus perfectum conſtans ex capite, & membris conſtituitur: ſi ergo Chriſtus vt homo eſt ſervus Dei, & nos quoque ſervi Dei ſumus, Chriſtus & non erimus conſervi: ergo reſpectivè ad vnum ſupremũ Dominum, qui Deus eſt, ex Chriſto, & nobis fiet humana Hierarchia.

Sed inſtas nam vt inquit Paulus ad Epheſ. 1. Deus conſtituit Chriſtum hominem ſupra omnem Principatũ, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, qui ſunt diverſi ordines Angelorũ: ergo Chriſtus vt homo non eſt intra humanam Hierarchiam. Prob. Conſeq. nam Angeli ſunt ſupra homines, & extra illorũ Hierarchiã: ergo ſi Chriſtus conſtitutus eſt ſupra omnes Angelos non erit intra Hierarchiã hominum. Reſpondeo, de Chriſto homine dupliciter loqui poſſe: vel ſecundum quod eſt homo vnivoce cũ alijs hominibus, quia habet naturam humanam eiuſdẽ athomæ ſpeciei cum illis, & iſto modo ſicut ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, ſicut alia individua humana, ita ipſe ponitur intra Hierarchiam Eccleſiaſticam vt caput corporis myſtici; nam eſt eiuſdem ſpeciei cum

alijs

alijs hominibus, & modus connaturalis intelligendi etiam eſt idem. Aliomodo poſſumus loqui de Chriſto non præciſe prout explicat eſſe hominem, ſed prout explicat eſſe hominem Deum, & iſto modo non eſt in aliqua Hierarchia, ſed eſt ſuper omnes Hierarchias, nec cũ alia creatura coordinatur, quia in ordine hypoſtatico ipſe eſt ſolus: vt autem non eſt multorum ſocietas, Hierarchia non eſt, & iuxta hanc acceptionem loquitur Paulus; non iuxta primam, quia iuxta illam *paulominus ab Angelis minoratus eſt*:

Ad primum ergo in contra, Concedo quod Chriſtus eſt caput omnium hominum, nego tamen quod ipſe vt homo ſit ſupremus Princeps, quia ille talis dicitur, qui ſupra ſe non habet alium Principem: conſtat autem Chriſtum ratione humanitatis à Deo principari. Nec eſt etiam eadē ratio de capite, & de ſupremo Principe quoad præſens attinet, quia ad rationem capitis ſufficit quod meritoriè influat in omnia membra gratiā, & auxilia, & quod per meritum ipſius ad patriam veniamus cœleſtem: ad ſupremum autem Principem multitudinis Hierarchiæ attinet quod vt cauſa principalis phyſica purget, illuminet, & perficiat multitudinem ſibi ſubiectam, quod ſoli Deo convenit: vnde ex quo ex plenitudine Chriſti omnes accepimus gratiam, auxilia, illuſtrationes, & per eius meritum ad patriam pervenimus cœleſtem; verè Chriſtus vt homo caput noſtrum erit, ex quo autem gratiam, & alia prædicta vt principalis cauſa non producit; ſed ſolum vt inſtrumentum divinitatis, fit inde, quod Princeps ſupremus humanæ Hierarchiæ non ſit.

Ad ſecundum, Conc. quod vt homo eſt filius naturalis per gratiam Vnionis factam ipſi humanitati iuxta dictum Pauli, *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, ex quo etiam habet quod ſit hæres naturalis Dei, non per eſſentiam, ſed per communicationem, quæ facta eſt per gratiam. Ex quo etiam habet quod ſit Rex Regum, & Dominus Dominantium; non tamen habet dominium ſupremum vt homo, quia his non obſtantibus ipſe vt homo eſt ſervus Dei, & ratione humanitatis eſt minor Patre iuxta Athanaſij dictum *minor Patre ſecundum humanitatem*; nec habet etiam vt cauſa principalis purgare, illuminare, & perficere, ſed tantum miniſterialiter permodum inſtrumenti excellentiæ divinitatis ſibi per gratiam vnionis coniunctæ, non per eſſentiam ſecum identificatæ: non ergo habet requiſita ad ſupremum Principem humanæ Hierarchiæ.

Ad tertium, nego Mai. ſicut enim non requiritur quod multitudo Hierarchica ſit conſtans ex vnitatibus ſpecificè homogeneis, vt patet in Angelis, qui omnes ſpecie diſtinguuntur, ſic loquendo de Principe ſupremo, ſupra quem non datur alius Princeps, non requiritur quod ſit homogeneus multitudini Hierarchiæ: vnde ex defectu homogeneitatis cum hominibus non probatur, quod Deus non ſit humanæ Hierarchiæ ſupremus Princeps.

1269 Circa diviſionem autem humanæ Hierarchiæ Gonet videtur dicere, quod ſicut Angelica eſt triplex, ſuprema, media, & infima: ſic & humana eſt triplex, ſuprema, media, & infima, nempe naturalis, Moſayca, & Evangelica, quæ, duabus prioribus antiquatis, ſola ſupereſt. Cæterum D. Tho. in hoc expreſſe deſerit Gonet. Etenim cum in hoc ar. 1. p. q. 108. art. 3. ſic argueret: *Sacer Principatus, qui dicitur Hierarchia in hominibus, & Angelis invenitur; ſed omnes homines ſunt vnius Hierarchiæ: ergo etiam omnes Angeli ſunt vnius Hierarchiæ.* Reſp. *Dicendum, quod omnes homines ſunt vnius ſpeciei, & vnus modus intelligendi eſt eis connaturalis; non ſic autem eſt in Angelis: vnde non eſt ſimilis ratio.* Ergo affirmat Div. Tho. humanam Hierarchiam tantum eſſe vnam, Angelicam autem dicit eſſe triplicem, & ſic contradicit D. Tho. Gonet, dum ſicut Angelicam, ſic docet humanam eſſe triplicem. Nec triplex illa lex, naturalis, Moſayca, & Evangelica eſt ſufficiēs ad multiplicandas tres Hierarchias: nam dum homines his tribus legibus ſubiecti eiuſdem athomæ ſpeciei ſunt; & ſemper ſub ſenſibilium ſimilitudinibus illuminationes cœleſtes præceperunt, per illam triplicem legem in illas tres Hierarchias dividi non potuerunt; ſolū ergo fuit, & eſt vna Hirarchia, ſub diverſo tamen ſtatu, & gradu perfectionis. Nam primo fuit ſub ſtatu imperfecto legis naturalis; deinde ſub ſtatu perfectiori legis Moſaycæ, & tandem ſub ſtatu perfectiſsimo legis Evangelicæ, ſicut & Eccleſia vna fuit ſemper, nec diviſa eſt per tres dictas leges, ſed paulatim crevit iuxta maiorem perfectionem legis.

Nec ratio, qua movetur Gonet, alicuius eſt roboris. Arguit enim ſic. Humana, ſeu Eccleſiaſtica Hierarchia derivata eſt à cœ-

Digitized by Google

leſti, illamque imitetur; & eius expreſſa eſt effigies iuxta Dionyſium: ergo ſi cœleſtis Angelica eſt triplex, hæc quoque, quæ illam effigiatur, erit triplex. Nullius enim eſt roboris; nam vt docet Div. Thom. ſupra quæſt.106.art.3.ad 1. Eccleſiſtica Hierarchia imitatur cœleſtem aliqualiter, ſed non perfectè conſequitur eius ſimilitudinem: vnde non ſequitur quod ſi cœleſtis eſt triplex, Eccleſiaſtica Hierarchia, quæ humana eſt, debeat eſſe triplex. Sicut non ſequitur anima rationalis eſt ad imaginem Trinitatis: ergo ſicut Deus eſt vnus in eſſentia, & Trinus in perſonis; ita anima rationalis erit vna in eſſentia, & Trina in ſubſiſtentijs, ſed quid ſequitur? quod in anima rationali ſit aliquod ſignum Trinitatis, videlicet intellectus, memoria, & voluntas tres potentiæ in vna eſſentia: ſic ſimiliter Hierarchia Eccleſiaſtica ad imaginem cœleſtis facta eſt, per hoc quod in illa habetur aliquod ſignum cœleſtis Hierarchiæ: ſiquidem cum hæc dividatur entitativè in ſupremam, mediam, & infimam; ita Eccleſiaſtica ſit in triplici ſtatu legis, nempe naturalis, Moſaicæ, & Evangelicæ, quarum vltima ſuprema eſt, deinde Moſaica, quæ minus diſtavit à Chriſto, & tandē naturalis, quæ magis ad Chriſtum remotè ſe habuit.

Sed inſtas, vna Hierarchia eſt vnus Principatus, id eſt, vna multitudo ordinata vno modo ſub vna Principis gubernatione; ſed multitudo hominum, quæ attinuit ad legem naturalem, diverſo modo gubernata eſt ab eo, quo gubernatur multitudo ſpectans ad legem Moyſi, & hæc diverſo modo gubernata eſt ab eo, quo gubernatur multitudo ſpectans ad legem Evangelicam: igitur dabuntur tres humanæ Hierarchiæ. Ad hoc, diſt. Min. diverſo modo, &c. diverſitate materialiter ſe habente ad variandum Hierarchiam, conc. Min. formaliter ſe habente, nego Min. & Conſeq. Itaque vt vidimus ex D. Thom. ſuprà, ad variandam Hierarchiam per ſe requiritur variatio ſpeciei, & variatio modi connaturalis percipiendi divinas illuminationes: omnis autem alia variatio accidentalis eſt: leges enim ſola temporum varietate variari poſſunt: Hierarchia autem non ſic; vnde ex variatione legis penes naturalem, Moſaicam, & Evangelicam habetur variatio accidentalis, quia in his, quæ per ſe requiruntur ad variandam Hierarchiam non habetur diſtinctio, cum omnes homines eiuſdem ſpeciei ſint, & eodem modo ſibi ipſis connaturali divina percipiant.

§. III.

Explicantur ordines Angelorum.

1270 DICIT Enim D. Thom. quod in qualibet Hierarchia ſunt tres ordines. Et Probat: nam *Hierarchia vna eſt vnus Principatus, id eſt, vna multitudo ordinata vno modo ſub vna Principis gubernatione, non autem eſſet multitudo ordinata, ſed confuſa, ſi in ea diverſi ordines non eſſent: requirit ergo ratio ipſa Hierarchiæ diverſitatem ordinum. Hæc autem diverſitas ſecundum diverſa officia, & actus conſideratur, ſicut patet quod in vna Civitate ſunt diverſi ordines ſecundum diverſos actus: nam alius eſt ordo iudicantium, alius ordo pugnantium, & alius laborantium in agris, & ſic de alijs, ſed quamvis plures ſint eiuſdem Civitatis ordines, omnes tamen ad tres poſſunt reduci ſecundum quod qualibet multitudo perfecta habet principium, medium, & finem: vnde in Civitatibus triplex ordo hominum invenitur, quidam enim ſunt ſupremi, vt optimates; quidam autem ſunt infimi, vt vilis populus; quidem autem ſunt medij vt populus honorabilis: ſic igitur in qualibet Hierarchia Angelica ordines diſtinguuntur ſecundum diverſos actus, & officia, & omnis iſta diverſitas ad tria reducitur, ſcilicet ad ſummum, medium, & infimum.*

1271 Cæterum in hac litera aliqua ſunt difficilia. Primum eſt, nam ex hoc quod multitudo Hierarchiæ ordinata ſit, & non confuſa infert quod in qualibet Hierarchia varij ordines ſint, quod non videtur verum, neque bene illatum: non quidem verum, nam vna multitudo conſiſtit in vno ordine plurium: ergo dum vna Hierarchia eſt vna multitudo: eſt in ea vnus ordo plurium, non autē plures ordines. Non etiam videtur bene illatum; nam vt tollatur confuſio ab aliqua multitudine ſufficit quod omnes vnitates talis multitudinis ordinatæ ſint, non autem requiritur quod pluribus ordinibus ſint ordinatæ. Reſp. Caietanus, bene ſequi ex ordine multitudinis, quod ſint

Digitized by Google

ſint plures ordines in tali multitudine, pro quanto ſequitur diverſus ordinatorum gradus: nam oportet in ordine aliud eſſe prius, aliud poſterius, vnde neceſſe eſt quod addit, & ordo priorum, & ordo poſteriorum. Sed clarius videtur reſpondere Div. Thom. hic articul. 2. ad 1. quod tangebat hanc difficultatem ſub hac forma. *Multiplicata enim diffinitione, multiplicatur diffinitum; ſed Hierarchia vt Dionyſius dicit eſt ordo; ſi ergo ſunt multi ordines non erit vna Hierarchia, ſed multa.* Ad quod reſpond. *Dicendum, quod ordo dupliciter dicitur: vno modo ipſa ordinatio comprehendens ſub ſe diverſos gradus, & hoc modo Hierarchia dicitur ordo; alio modo dicitur ordo gradus vnus, & ſic dicuntur plures ordines eiuſdem Hierarchiæ.* Quod placet explicare ſic. Etenim in omni toto compoſito ex partibus eſt ordo totius, & ordo partium: ille eſt vnus, quia totum in illo conſiſtens eſt vnum: iſte autem eſt multiplex, quia partes multæ ſunt. Pono exemplum. In hac propoſitione cathegorica *homo eſt albus* eſt ordo totius, in quo propoſitio conſiſtit, qui tantum eſt vnus, quia propoſitio tantum eſt vna: eſt ordo partium, ſed hic eſt multiplex; quia partes multæ ſunt: nam ſubiectum per ordinem, quam dicit ad prædicatum vt id de quo dicitur, conſtituitur, prædicatum etiam per ordinem, quem dicit ad ſubiectum vt id quod de ſubiecto dicitur, conſtituitur. Vnde ſit quod ex quo propoſitio eſt quoddam totum conſtans ex ſubiecto, copula, & prædicato, & ratio talis totius conſiſtit in quadam ordinatione ſubiecti, copulæ, & prædicati, ſit inde, quod in vna propoſitione ſint varij ordines, nempe ſubiecti, copulæ, prædicati, & ſic diſcurre de omnibus alijs compoſitis. Porrò Hierarchia eſt quid compoſitũ, intra quod variæ partes ordinãtur inter ſe in ordine ad vnum finem: vnde neceſſe eſt, quod intra vnum ordinẽ totius ſint varij ordines partium: & ſic aptiſsimè infert D. Thom. quod in vno ordine vnius Hierarchiæ ſunt multi ordines, quia vbi eſt ordo totius, neceſſe eſt multos adeſſe ordines partium.

Sed alio modo poſſumus hoc ipſum explicare ſtando in litera D. Thom. qui in vna ordinatione Hierarchiæ ponit multitudinem graduum, quos dicit ordines. Etenim gradus ſacri eorum, qui deputantur, & conſecrantur ad aliquod ſacrum, vocantur ordines: hac enim de cauſa Subdiachonatus, Diachonatus, & Sacerdotiũ ordines dicuntur, quia ad conſecrandum corpus Chriſti ordine quodam deputantur; & tamen gradus ſunt, quia non omnes immediatè conſecrationi corporis Chriſti inſerviunt, ſed gradatim: nam Subdiachonus immediatè miniſtrat Diachono, & hic Sacerdoti. Similiter in qualibet Hierarchia, quæ Sacer Principatus dicitur, adſunt varij gradus, nam vt infra videbimus datur ſupremus, medius, & infimus; hic immediatè ſubditur medio, medius ſupremo, & hic Principi; vnde ea proprietate, qua Subdiachonatum, Diachonatum, & Sacerdotium ordines dicimus, pariter dignitates, & officia, quæ intra vnam Hierarchiam continentur, ordines dicimus ſacros, & ſicut vnum Sacramentum ordinis, quia continet tres gradus, dicitur continere tres ordines, pariter & vna Hierarchia, quia continet tres gradus, dicitur continere tres ordines ſacros.

1272 Secundò difficile apparet in litera, quod quælibet Hierarchia habeat tres ordines, quorum alij ſint ſupremi, alij medij, & alij infimi. Et vt appareat difficultas, accedamus ad primam Hierarchiam. In ea enim eſto detur vnus Angelus ſupremus, non tamen dantur plures ſupremi, nam non dantur duo Angeli in perfectione æquales, ſed quibuslibet ſignatis neceſſe eſt quod cõparentur per modum ſuperioris, & inferioris, cum omnes ſpecie differant, & non ſint dabiles duæ ſpecies in perfectione æquales: non ergo dantur plures Angeli ſupremi in prima Hierarchia. Confirm. hoc, prima Hierarchia conſtat ex ſupremis, nempe Seraphinis, ex medijs nempe Cherubinis, & ex infimis nẽpè Thronis. Iam accedo ad Seraphinos. ſi iſti ſupremi ſunt: igitur inter illos non datur ordo ſupremi, medij, & infimi: nam ſupremum non dividitur in ſupremum, mediũ, & infimũ: ergo Seraphim ſunt in perfectione æquales: ergo nõ diſtinguũtur ſpecie contra D. Th. & eius Scholã: non ergo affirmare poſſumus, quod in prima Hierarchia plures ſupremi Angeli ſint.

Ad hoc dico, ordines iſtos dici ſupremos, non quia ſpiritus eorum in natura ſint æquales, ſed quia in officio, & miniſterio æquales ſunt: dicuntur ergo ſupremi, quia ad officia ſuprema, id eſt, excellentiſsima deputati ſunt. Vnde D. Th. in fine articuli poſtquam hos ordines diſtinguit per actus, & officia, deinde ipſa officia diſtinguit per

ſumma, media, & infima, ſicque illi, qui ſuprema officia tenent, ſupremi dicuntur reſpectivè ad illos, qui officia tenent media, & reſpectu eorum, qui officia tenent infima: medij autem dicuntur, qui exceduntur ab alijs in officio, & ipſi alios excedunt: infimi autem dicuntur, qui exceduntur ab omnibus, qui intra eorum Hierarchiam ſunt. Ex quibus patet ad Confir. fatemur enim, quod inter duo Seraphim non ſit æqualitas in natura ſpecifica, & quod loquendo ſic, non dentur plures ſupremi, ſicut nec dantur plures in natura æquales: nego tamen quod non dentur plures ſupremi æquales in officio, id eſt, habentes officia ſumma.

§. IV.

Vtrùm in quolibet ordine ſint plures Angeli?

1273 RESP. Affirmativè cum D. Thom. hic, articul. 3. & Prob. quia Seraphim eiuſdem ordinis ſunt; ſed dantur plura Seraphim: ergo dantur plures Angeli intra eundem ordinem. Prob. Min. ex illo Iſaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum*: ergo dantur plura Seraphim. Secundo Prob. quia cum nos diſtinguimus in qualibet Hierarchia plures ordines, diſtinguimus eos ſecundum rationem communem ordinis, ſub qua eos intelligimus, non ſecundum perſonas Angelicas in ſingulari, & actus, & officia eorum, quæ in particulari exercent, quia hæc nos non cognoſcimus; at ordo ſecundum rationem ordinis communiter intellecti comprehendit ſub ſe plures, quorum ſit ordo: ergo in quolibet ordine prout à nobis cognoſcitur ſunt Angeli plures. Sic diſcurrit Caietanus literam artic. 3. D. Thom.

Sed videtur non eſſe ad mentem Div. Thom. nam ſi nomine *ordinis* intelligeremus ordinationem comprehendentem ſub ſe plures ordinatos; hoc autem videtur eſſe contra D. Thom. qui ſolutione ad 1. art. 2. ſic habet: *Dicendum quod ordo dupliciter dicitur: vno modo ipſa ordinatio comprehendens ſub ſe diverſos gradus, & hoc modo Hierarchia dicitur ordo: alio modo dicitur ordo gradus vnus, & ſic dicuntur plures ordines eiuſdem Hierarchiæ:* igitur nos nomine *ordinis* vt diſtinguitur ordo à Hierarchia non debemus intelligere ordinationem comprehendentem ſub ſe plures ordinatos. Sed Reſp. Caietanum ſatis ad mentem D. Th. literã interpretaſſe: nam diſcrimen aſſignatum à Thom. inter Hierarchiam, & ordinẽ non eſt in eo, quod Hierarchia ſit ordinatio cõprehendens ſub ſe plures ordinatos, ſed cõſiſtit in hoc, quod Hierarchia eſt ordinatio graduum, & gradus, qui & dicitur ordo, eſt ordinatio perſonarũ eiuſdem gradus. Quibus Caietanus non ſe opponit, ſed potius ſe conformat: nam gradus, qui ſub vna Hierarchia ordinantur, non ſunt ſingulares perſonæ, ſed ſunt multitudines earum perſonarũ, quæ aſſimilantur in officijs ſuis: hæc autem multitudo cum non ſit confuſa, neceſſe eſt, quod ſit ordinata, ac per conſequẽs neceſſe eſt quod ſit ordinatio comprehendens ſub ſe plures, qui tali ordinationi ſubduntur. Vnde dum à nobis ſic cognoſcitur, neceſſe eſt in quolibet ordine intelligere plures, qui tali ordinationi ſubdantur.

1274 Inſtabis contra concluſionem. Quæ eiuſdem ordinis ſunt, æqualitatem habent, ſi plura ſint: ergo ſi in vno ordine plures Angeli ſint, æquales erunt; hoc autem nequit dici, cũ non dentur duo Angeli eiuſdem ſpeciei, & ſpecies ſint ſicut numeri inæquales: ergo. Ad hoc dicit D. Thom. quod omnes Angeli vnius ordinis ſunt in aliquo æquales, quantũ ad communem ſimilitudinem; ſecundum quam conſtituuntur in ſuo ordine; ſed ſimpliciter non ſunt æquales: vnde D. Dionyſius dicit 10. cap. cœleſt. Hierarchiæ, quod *in vno, & eodem ordine Angelorum eſt accipere primos, medios, & vltimos.* Sed contra ſolut. inſto. Nam Angeli ordinantur intra eundem gradum, ſeu ordinem, & ſecundũ reſpectum ad finem eorum naturalem, qui eſt cognoſcere Deum, & naturaliter amare, & ſecundum reſpectum ad finem ſupernaturalem, qui eſt videre Deũ, & frui illo: primum penſatur ſecundum diſtinctionẽ donorum naturalium, ſecundum verò, ſecundum diſtinctionem donorum gratuitorum, quæ dona gratuita cum diſtributa ſint Angelis iuxta capacitatem ſuorum naturalium, fit inde, quod ſecundum quod in naturalibus diſtinguuntur, etiam diſtinguuntur in gratuitis, ac per conſequens ſicut in naturalibus non ſunt æquales, pariter neque in gratuitis: falſum ergo erit quod Angeli, qui collocantur in vno ordine, eſto ſint ſimpliciter inæquales, ſunt tamen æquales quantum ad communem ſimilitudinem, ſecundũ quã conſtituuntur

in

Digitized by Google

in ſuo ordine. Inſtabis ſecundo, nam ſi in quolibet ſunt ſupremi, medij, & infimi: ergo quilibet ordo conſtat ex diverſis gradibus, & ſic erit Hierarchia. Prima Conſeq. patet, nam ſupremitas, mediocritas, & infimitas ſunt gradus diſtincti. Et ſecunda Conſeq. Prob. quia Hierarchia eſt ordinatio graduum iuxta Div. Thom. ſupra adductum ſolutione ad 1.2. artic. ergo ſi in quolibet ordine eſt diſtinctio penes ſupremum, medium, & infimum, quilibet ordo erit Hierarchia.

Ad primam dico, quod diſtinctio ordinum, penes quam penſatur inæqualitas, ſumitur, & ex diverſitate donorum naturalium, & ex diverſitate donorum gratuitorum: cæterum; quia cum hac diſtinctione ſtat convenientia in eiſdem officijs, ad quam iſti ordinantur, & non illi, ideo, qui ſunt eiuſdem ordinis ſimpliciter inæquales ſunt, ſed aliquomodo ſunt æquales, & ſimiles, nempe in officijs, & actibus, ad quos deputantur. Ad ſecundam inſtantiam, nego ſecundam Conſeq. in qua infertur, quod quilibet ordo erit Hierarchia: hęc enim non componitur ex gradibus vtcumquè, ſed ex gradibus vniverſalioribus: ordines autem componuntur ex gradibus minus vniverſalibus, & magis determinatis noſtro modo intelligendi: vnde non ſequitur quod ſi in quolibet ordine ſunt ſupremi, medij, & infimi, ordo Hierarchia ſit.

Inſtabis tertiò, ordines diſtinguuntur ſecundum officia; ſed ad quodlibet officium Angelicum peragendum ſufficit vnus Angelus: igitur ſuperflui erunt in quodam ordine plures Angeli. Prob. Min. perfectior eſt quilibet Angelus in ſuo ordine Sole materiali in ſuo; ſed ad omnia officia ſolaria peragenda ſufficit vnus ſol: ergo ad omnia officia Angelica peragenda ſufficiet vnus Angelus. Ad hoc reſp. Sanct. Thomas, quod illa ſpecialis diſtinctio ordinum & officiorum, ſecundum quam quilibet Angelus habet proprium officium, & ordinem, eſt nobis ignota.

Sed contra inſto. Nam ſi ratio diſtinguendi in quolibet ordine plures Angelos eſt nobis ignota: ergo & quod plures Angeli ſint in quolibet ordine erit nobis ignotum. Prob. Conſeq. nam vbi ratio formalis alicuius effectus eſt nobis ignota, etiam & effectus formalis erit nobis ignotus, ſiquidem effectus formalis nihil aliud eſt quàm cauſa intrinſece communicata: ergo ſi diſtinctivum formale plurium Angelorum in eodem ordine eſt nobis ignotum, pariter & quod plures Angeli in quolibet ordine diſtinguantur erit nobis ignotum. Ad hoc, optima eſt ſolutio D. Thom. iuxta quàm in forma, nego Min. Ad Prob. nego Mai. conſtat enim nobis de ſole, & quod ſit vnus, & quod ſit cauſa vniverſalis omnium ſolarium effectuum; vnde & conſtat in ordine ſolari totam adæquatam habere perfectionem: de Angelis autem quod vnus non præcontineat totam perfectionem ſui ordinis etiam conſtat, dum ex ſcriptura ſcimus quod Seraphim, qui eiuſdem ordinis ſunt, plures ſunt. Nam ſi plures ſunt, vnus tantum totam ordinis Seraphici perfectionem non præcontinet: vnde & conſtat quod in ſuo ordine vnus Seraphim non eſt ita perfectus, ſicut eſt in ſuo ordine perfectus ſol. Nam hic ſic eſt perfectus, quod in linea ſolari ſit tantum vnus, & Seraphim non eſt ſic in ſuo ordine perfectus, quod vnus ſolus totam ſui ordinis præcontineat perfectionem. Sed quoad nos in aſſignanda ratione, ob quam ad omnia officia ordinis ſolaris vnus ſufficiat ſol, & ad omnia officia ordinis Seraphici non ſufficiat vnus Seraphim, eſt magnum diſcrimen. Nam ſolem cognoſcimus ſcientifice, & ſic de illo quoad omnia in particulari poſſumus diſcurrere: Seraphim autem, vel alios Angelos non cognoſcimus perfecte, & in particulari, & ſecundum propria individualia vniuſcuiuſque: vnde non poſſumus deſignare rationes in particulari & officia, & actus eorum, ſic, quod per eorum deſignationes oſtendamus eos eſſe in quolibet ordine plures. Convenimus ergo omnes in eo quod ſint plures, quia hoc ex ſcriptura habemus: rationes autem peculiariter diſtinctas ignoramus, quia ſupra noſtrum captum, & perfectam cognitionem ſunt. Et hoc eſt quod in dicta ſolutione dicit D. Th. Vnde ad replicam contra illam dico, quod ratio diſtinguendi in particulari eſt nobis ignota: vnde non poſſumus diſtinguere, ſic, quod dicamus Angeli vnius ordinis ſunt plures propter hoc, vel propter hoc: ſcimus tamen illos eſſe plures, & illos eſſe diſtinctos, quia hoc ex ſcriptura habemus: vnde in forma diſt. Conſ. ſi ratio diſtinguendi eſſet nobis ignota, etiam quod plures ſint, erit nobis ignotum, ſi ſit ignota in communi, & in particulari, conc. Conſ. ſi ſit ignota in particulari, non autem in communi, nego Conſ. Et ad Prob. vbi ratio formalis eſt nobis ignota, etiam effectus formalis eſt nobis ig-

Digitized by Google

ignotus, eo modo, quo ratio formalis eſt ignota, Conced. Antec. alio modo, nego Ant. & diſt. Conſ. erit nobis ignotum, ſic, quod poſsimus in particulari reddere rationem illius pluralitatis, conc. Conſ. ſic, quod non poſsimus dicere, quod ſint plures in quolibet ordine, nego Conſ.

§. V.

Vtrùm diſtinctio Hierarchiarum, & ordinum in Angelis ſit à natura?

1273 HVIC quæſito, reſp. D. Thom. in art. 4. huiuſmodi diſtinctionem eſſe à natura. Quod probat primò auctoritate Magiſtri in 2. diſt. 9. vbi habet: *Quod ordo Angelorum dicitur multitudo cœleſtium ſpirituum, qui inter ſe aliquo munere gratiæ aſsimilantur, ſicut & naturalium datorum participatione conveniunt: ergo* (inquit D. Thom.) *diſtinctio ordinum in Angelis eſt non ſolum ſecundum gratuita, ſed etiã ſecundum naturalia.* In corp. art. ſuam reſponſionem probat dividendo illam per duas concluſiones, quarum prima eſt: *Si ordo in Angelis attendatur penes reſpectum ad finẽ naturalem, diſtinctio adæquatè attenditur ſecundum dona naturalia.* Secunda concluſio: *Si ordo attendatur per reſpectum ad finem ſupernaturalem, qui eſt viſio beata, ſic diſpoſitivè attenditur ſecundum naturalia, & completivè ſecundum gratuita.* Quæ duæ concluſiones vnum ſupponunt, ſcilicet quod ordines Angelici attendantur, & diſtinguantur ex ordine ad finem. Quod ſuppoſitum D. Thom. ſic probat: *Ordo multitudinis ſub principatu exiſtentis eſt ordo gubernationis paſsiva: ergo eſt per reſpectum ad finem.* Sic probat Conſ. *Quia de ratione gubernationis eſt reſpicere finem:* ergo. Quo ſuppoſito probato, prima concluſio eſt ex ſe nota: vnde à D. Thom. non probatur. Secunda autem Prob. ſic, Angelis data ſunt gratuita ſecundum capacitatem naturalium: ergo ordo Angelorum penes reſpectum ad finem ſupernaturalem, qui eſt viſio Dei attendetur diſpoſitivè ſecundum naturalia dona, & completivè ſecundum dona gratuita.

Omnia iſta facilè intelliguntur præter hoc vltimum, videlicet: *Quod ordo Angelorum per reſpectum ad finem ſupernaturalem, qui eſt Dei viſio, diſpoſitive attendatur ſecũdum dona naturalia, & completivè ſecundum dona gratuita.* Quæ doctrina redditur difficilis ex eo, quod ordo Angelorum penes reſpectum ad finem ſupernaturalem, qui eſt Dei viſio, eſt adæquate ſupernaturalis: ergo & ordo penes reſpectum ad finem ſupernaturalem, qui eſt viſio Dei, erit adæquatè ſupernaturalis. Prob. Conſ. nam vt habetur certum de fide, ad gratiam ſupernaturalem nulla datur diſpoſitio in natura: ergo cum ille ordo ad finem ſupernaturalem ſit gratia ſupernaturalis, ad illum non ſe habebit diſpoſitivè natura. Confir. hoc, nam ſi ordo naturalium diſpoſitivè ſe haberet ad ordinem ad finem ſupernaturalem, verè hoc eſſet, quia iuxta exigentiam ordinis naturalis Deus ordinaret Angelos in ordine ad finem ſupernaturalem, ſic, quod nobilior Angelus in ordine naturæ exigeret eſſe nobilius in ordine gratiæ, & minus nobilis in ordine naturæ exigeret eſſe minus nobile in ordine gratiæ; hoc autem admitti non poteſt, quia ſicut gratia eſt extra omnem exigentiam naturæ, ita & nobilior gratia eſt extra exigentiam nobilioris naturæ, & minus nobilis gratia eſt extra exigentiam minus nobilis naturæ: ergo nequit admitti quod ordo Angelorum in ordine ad finem ſupernaturalem, qui eſt viſio beata, attendatur diſpoſitivè penes ordinem naturalium. Conſeq. eſt bona, Min. certa, & Mai. Prob. nam ſi ex parte ordinis naturalis ad ordinem ad finem ſupernaturalem non eſſet exigentia præfata, tantum adeſſet quædam non repugnantia in principijs naturalibus Angelicis ad ordinem penes reſpectum ad finem ſupernaturalem; ſola autem non repugnantia non poteſt verificare quod ordo naturalis diſpoſitivè ſe habeat ad ordinem penes reſpectum ad finem ſupernaturalem; ergo ſi ordo naturalis iuxta Div. Thom. diſpoſitivè ſe habet ad ſupernaturalem ordinem, ideo erit, quia ordo naturalis Angelorum exigit poſitivè ſimilem ordinem in linea ſupernaturali.

Sed quamvis iſta difficilia ſint, litera Sanct. Thomæ ſanam doctrinam continet, nam dum dicit ordinem Angelorum penes reſpectum ad finem ſupernaturalem, qui eſt Dei viſio, ſumi diſpoſitive ex principijs naturalibus Angeli, non debet ſumi in rigore, quaſi principia naturalia diſpoſitivè influant in gratiam, vel quaſi exactivè, ad hunc ſenſum, quod ordo Angelorum in eſſe naturæ exigat ordinari ſimiliter in ordine gratiæ: hoc enim

Digitized by Google

enim alienum eſt à mente S. Doctoris: ſed debet ſumi largè, ſic, quod velit dicere, quod ille ordo, quem habent Angeli in linea gratiæ, inchoatur ab ordine naturæ eorum, quatenus Deus voluit illis elargiri gratiam iuxta quantitatem ſuorum naturalium, ſic, quod nobiliori Angelo in ordine naturæ gratioſè voluerit nobiliorem concedere gradum gratiæ. Ex quo fit quod diverſitas graduũ gratiæ Angelicæ naturæ incœperit à diverſitate ordinis naturæ; non quia hæc illam exegerit, ſed quia gratioſè voluerit Angelos ordinare in linea gratiæ iuxta ordinem, quem eis dederat in linea naturæ. Quam doctrinam tradidit ipſe Div. Thom. ſupra quæſt. 62. articul. 6. vbi inquirit: *Vtrùm Angeli ſint conſequuti gratiam, & gloriam iuxta quantitatem ſuorum naturalium?* Et reſpond. quod ſic: *Primò quidem ex parte ipſius Dei, qui per ordinem ſuæ ſapientiæ diverſos gradus in natura Angelica conſtituit: ſicut autem natura Angelica facta eſt à Deo ad gratiam, & beatitudinem conſequendam, ita etiam gradus naturæ Angelicæ ad diverſos gradus gratiæ, & gloriæ ordinari videntur; vt puta ſi ædificator lapides polit ad conſtruendam domum, ex hoc ipſo quod aliquos pulchrius, & decentiùs aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare: ſic igitur videtur, quod Deus Angelos, quos altioris naturæ effecit, ad maiora gratiarũ dona, & beatitudinem ordinaverit.* Hæc D. Thom. Itaque cum Deus naturam Angelicam effecerit propter gratiam, & beatitudinem conſequendam, videtur quod nobiliorem naturam ſecundum gradum effecerit propter nobiliorem gradum gratiæ, & gloriæ conſequendum: vnde diverſitas iſta nobilioris gratiæ, & gloriæ exequutivè incipit à naturæ diverſitate, & ordine, & completur per dona gratiæ. Et hoc eſt diſpoſitivè ordinem gratiæ in Angelis attendi ſecundum principia naturæ. Vel ſi verbum illud *diſpoſitivè* velis in rigore accipere, debes philoſophari ſic, quod ordo gratiæ in Angelis ſumatur diſpoſitivè ex ordine naturæ, non ex ordine naturæ ex ſolis viribus naturæ ſe diſponentis, ſed ex ordine naturæ adiuto viribus gratiæ. Etenim gratia collata eſt Angelis iuxta quantitatem diſpoſitionis, qua ſe diſpoſuerunt ad illam; hæc autem diſpoſitio non fuit ex viribus naturæ, vt ipſe Div. Thom. probat in quæſt. 62. citata articul. 2. ſed ex vi auxiliorum gratiæ, ſic, que ordo gratiæ attenditur diſpoſitivè penes ordinem naturæ Angelorum per Dei auxilia ſupernaturalia diverſo modo diſponentium ſe ad gratiam, & gloriam.

Etſi inſtes, quod D. Thom. dicit ordinem Angelorum penes reſpectum ad finem ſupernaturalem diſpoſitivè attendi penes naturalia dona, & completivè penes dona gratuita. Quibus videtur ſentire quod ordo gratiæ debet attendi diſpoſitivè penes ordinem naturalium ex viribus naturæ diſponentium ſe ad dona gratuita. Reſpond. Div. Thom. loqui de donis naturalibus contrapoſitivè ad dona gratuita, non quæcumque, ſed illa, quæ ſunt gratuita per modum formæ, ad quæ gratuita auxilia diſponunt, ſic, quod vult dicere, quod natura adiuta auxilijs gratuitis diſpoſitivè ſe habet ad dona gratuita habitualia.

1276 Sed contra huiuſmodi explicationem Inſtabis ex litera Div. Thom. Nam poſtquam dixit: *Vnde ſecundum reſpectum ad hunc finem ordines diſtinguuntur in Angelis, completivè quidem ſecundum dona gratuita, diſpoſitivè autem ſecundum dona naturalia,* ſubdit, *quod non eſt in hominibus, vt ſupra dictum eſt: vnde in hominibus diſtinguuntur ordines ſecundum dona gratuita tantum, & non ſecundum naturam.* Hæc Div. Thom. ſi autem illud *diſpoſitivè* accipiatur ex viribus gratiæ auxiliantis, cum hominibus etiam detur gratia iuſtificans iuxta diſpoſitionem liberi arbitrij adiuti gratiæ auxilio, non potuiſſet dicere Div. Thom. in Angelis accipi ſecundum principia naturalia diſpoſitivè ordines, non vero in hominibus, in quibus ordo tantum attenditur ſecundum gratuita dona. Reſp. quod Angeli, & homines quoad hoc, quod eſt ordinari in ordine gratiæ, in vno conveniunt, & in alio diſtinguuntur: conveniunt quidem in eo, quod vtrique gratiam accipiunt iuxta quantitatem diſpoſitionum ſuarum non procedentium ex viribus naturæ, ſed ex viribus gratiæ. Quod docet D. Thom. ſupra quæſt. 62. artic. 6. illis verbis: *Et ideo rationabile eſt, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt fortius, & efficacius ad Deum ſint converſi*; hoc autem etiam in hominibus contingit, quia ſecundum intentionem converſionis in Deum datur maior gratia, & gloria: diſtinguuntur autem homines ab Angelis, quod iſti cum non ſint compoſiti ex diverſis naturis, ſic, quod inclinatio vnius na-

turæ impeditum alterius impediat, aut retardet, fit inde, quod natura in illis ſecundum vltimum poſſe ſuum in Deum, fit inde, quod dum ex viribus gratiæ auxiliantis ſe diſponunt ad gratiam habitualem, ſecũdum vltimũ ſuæ virtutis auxiliatæ, tamen per gratiam ad illam ſe diſponant, & quia dona naturalia ſunt inæqualia, gratiæ auxiliantes iuxta quantitatem naturaliũ eis diſtributæ, etiam ſunt inæquales, & ſic in ordine ſupernaturali datur maior, & minor diſpoſitio ad gratiam habitualem: vnde veluti remotè ordo gratiæ in Angelis reducitur ad ordinem naturæ, non quia ſit influxus etiam remotus naturæ in gratiam, ſed quia in natura Angelica non eſt obex, vel retardans naturam intellectivam eius; ſed liberè poteſt ſecundum adæquatum poſſe ſuum ſe ad Deũ convertere, & diſponi ad gratiam. Hoc autem non ſic apparet in hominibus, in quibus cùm ex diverſis naturis componantur, vna natura impedit, & retardat motum alterius, & non ſinit eam iuxta totam & adæquatam virtutem eius ſe ad Deum convertere, & diſponi ad gratiam: vnde ordo gratiæ in illis tantum attenditur ſecundum dona gratuita, & non ſecundum naturalia: vnde illud verbum *diſpoſitivè* intelligitur negativè in Angelis per carentiam obijcis, non poſitivè per influxum actionis diſpoſitivæ: & cum obex, quod nõ eſt in Angelis, detur è cõtra in hominibus, fit inde, quod nullo modo ordo gratiæ in iſtis attendi debeat ſecundum dona naturalia. Ex his patet ad inſtantiã formatam ex doctrina D. Thom. Dico enim, S. Doctorẽ accipiendo illud verbum *diſpoſitivè* influxivè, & poſitivè non aſsignaſſe diſcrimen inter homines, & Angelos, cum omnibus data ſit gratia habitualis iuxta quantitatem ſuarum diſpoſitionum: accipiendo autem illud verbum *diſpoſitivè* negativè pro carentia obijcis naturalis, dediſſe diſcrimen inter Angelos, & homines quoad hoc, quod eſt ordinem gratiæ in hominibus tantum attendi ſecundum dona gratuita: Angelis autem attendi etiam ſecundum dona naturalia.

Ex his etiam reſp. ad difficultatem à principio appoſitam contra doctrinam D. Thom. In forma enim diſt. Conſeq. ergo non poteſt diſpoſitivè provenire à natura, influxivè, ſeu poſitivè, concedo Conſeq. negativè per carentiam obijcis innati, nego Conſeq. Ad Prob. ad gratiam ſupernaturalem nulla datur diſpoſitio in natura, per influxum poſitivum, ſeu exigentiã poſitivam gratiæ, conc. Antec. per carentiam removentis, vel retardantis, nego Antec. & diſt. Conſeq. non ſe habebit natura diſpoſitivè influxivè, ſeu exactivè, conc. Conſeq. per carentiam obijcis, vel retardantis, nego Conſeq.

Ad Confirm. nego Mai. Ad Prob. nego ſimiliter Mai. Etenim in Angelis præter non repugnantiam ad gratiam, in qua etiam communicant homines cum Angelis, datur in eis illa carentia innati obijcis, vi cuius non habent intrinſecum retardans naturam intellectivam eorum, ne ſecundũ vltimum ſuum poſſe feratur in Deum, ſic, quod ſe diſponat ad gradum gratiæ ſimilẽ in quantitate gradui naturæ; non habere autem hoc retardans intrinſecum poteſt dici diſpoſitivè ſe habere ſaltim negativè dona naturalia Angelica ad ordinem gratiæ, ſic, quod poſsit verificari illa propoſitio D. Thom. quod *ordo Angelorum penes reſpectum ad finem, qui eſt Dei viſio completivè attenditur ſecundum dona gratuita, ſed diſpoſitivè attenditur ſecundum dona naturalia.*

§. VI.

Vtrùm ordines Angelorum convenienter nominentur?

1277 EX Sacra Scriptura conſtant nomina ordinum Angelorum. Nam Iſaiæ 6. revelatum eſt nomen *Seraphim*. Ezechiel. 1. nomen *Cherubim*. Nomen Throni habetur ad Coloſſenſ. 1. Dominationes, Virtutes, Poteſtas, & Principatus referuntur ad Epheſ. 1. nomen Angelorum habentur paſsim in pluribus Scripturæ locis, & nomen Archãgelis habetur in 1. Canonica Iudæ. Hæc cũ ita ſint, quæritur in præſenti, vtrùm convenientèr præfati ordines prædictis nominibus nominentur? Cui quæſtio reſp. affirmativè D. Thom. tam ſtando in expoſitione Dionyſii, quàm ſtando in expoſitione D. Gregorij. Pro cuius intelligentia adverto, Div. Dionyſium expoſuiſſe huiuſmodi nomina ſecundum proprietates ſpirituales Angelorum. Gregorium autem expoſuiſſe illa iuxta eorum exteriora miniſteria: vnde dixit, *quod Angeli dicuntur, qui minima nuntiant, Archangeli, qui ſumma, Virtutes, per quas miracula fiunt, Poteſtates, quibus diaboli arcentur, & repellantur, Principatus, qui ipſis bonis ſpiritibus præſunt, Domina-*

nationes, qui de agendis ſibi ſubiectis præcipiunt, Throni Deiſides ſunt, Cherubim à Magiſterio dicitur, & Seraphim ab ardore charitatis, quo alios inflammat, nuncupatur.

Convenientiam autem huiuſmodi nominationis, vt probet D. Thom. ſupponit illa propria eſſe huiuſmodi ordinũ nomina, quæ eorum deſignant proprietates: vnde ad cognoſcendam convenientiã horum nominum oportet præſcire quæ ſint proprietates ordinum: Ad hoc autem cognoſcendum dicit: *Quod in rebus ordinatis tripliciter aliquid eſſe contingit, ſcilicet per proprietatem, per exceſſum, & per participationem. Per proprietatem aliquid dicitur eſſe in re aliqua, quod adequatur, & proportionatur naturæ ipſius. Per exceſſum, quando illud, quod attribuitur alicui eſt minus, quàm res cui attribuitur, ſed tamen convenit prædictæ rei per quendam exceſſum; per participationem autem, quando illud, quod attribuitur alicui non plenariè invenitur in eo, ſed deficienter.* Exemplum primi habetur, cum prędico de homine quod ſit rationale, exẽplum ſecundi, cum dico de illo, quod ſit ſubſtantia ſenſibilis, quia licet homo ſenſibilis ſit, excedit tamen per propria ſua ipſam ſenſibilitatem, exemplum tertij, cum prædico homo eſt ſubſtantia intellectualis, quia intellectualitas propriè, & completè invenitur in Angelo; in homine autem tãtũ eſt participativè: illa ergo nomina propria erunt rerum nomina, quę ſignificabant earum rerum proprietates: vnde ex his tribus, ſubſtantia rationalis, ſubſtantia ſenſibilis, ſubſtantia intellectualis, ſolum primum eſt proprium nomen hominis, quia illud ſolum explicat id, quod adæquatur cũ eſſe hominis, & proportionatur naturæ eius, propria ergo nomina ordinum Angelorum erunt quæ eorum deſignant proprietatem; atqui ſecundum Dionyſium hæc nomina deſignant proprietatem ordinum Angelorum quoad perfectiones ſpirituales: & ſecundum Gregorium ſignificant illa miniſteria, in quibus vnus ordo ab alio diſtinguitur: igitur hæc nomina ſecundum vtrumque erunt convenienter his ordinibus adaptata.

1278 Quomodo autem ſecundum Dionyſiũ illa nomina ſignificent proprietates ordinum Angelorum explicat D. Th. ſic: *Etenim in omnibus perfectionibus ſpiritualibus communicant omnes ordines Angelorum, & omnes abundantius exiſtunt in ſuperioribus, quam in inferioribus, & cum in ipſis perfectionibus ſint quidem gradus, fit inde, quod perfectis in gradu ſuperiori attribuatur ordini ſuperiori per proprietatem, & illa met attribuantur inferiori per participationem: è converſo inferior gradus perfectionis attribuatur inferiori per proprietatem, ſuperiori autem per exceſſum: vnde ſuperior ordo à ſuperiore perfectione nominatur.* Veniamus ad praxim. Charitas, & ſcientia ſunt perfectiones ſpirituales, in quibus omnes ordines Angelorũ communicant; ſed charitas viæ excedit ſcientiã in præſtantia, & perfectione: vnde ſupremus ordo non nominatur à ſcientia, ſed à charitate; & quia charitas habet gradus, non nominatur à charitate in quocũque gradu, ſed tantum nominatur ab exceſſu charitatis: vnde convenienter dicitur Seraphim. Poſt perfectionem charitatis ſequitur ſcientia, & ideo ordo, qui ſequitur ad Seraphim, debet nominari à ſcientia, ſed quia ſcientia participatur ab omnibus, eſt neceſſe, quod ſecundus ordo, qui alios ſeptem excedit, non denominetur à quocumque gradu ſcientiæ, ſed à plenitudine, & exceſſu, & ſic appellatur Cherubim. Poſt iſtas duas perfectiones eſt alia perfectio ſpiritualis, quæ eſt recipere ſecreta cœleſtia ab ipſo Deo immediatè; hæc autem ſupremo modo convenit Seraphinis, & inferiori modo reſpectivè ad illos, Cherubinis, & infimo modo Angelis tertij ordinis, & quia in ipſis finitur, ideo quaſi Deus in eis requieſcat ab opere ſuo, ideo tertius ordo primæ Hierarchiæ appellatur Throni, quia licet in hoc excedantur Throni à duobus primis ordinibus, tamen in hoc excedunt omnes ſex alios, qui ſequuntur poſt ipſos: vnde accipiunt divinas illuminationes per convenientiam ad illuminandum immediatè ſecundam Hierarchiam. Poſt tres prędictas perfectiones ſpirituales ſequitur ordo gubernationis, qui ſpectat ad ſecundã Hierarchiam, & in ipſo primo occurrit diſtinctio eorum, quæ agenda ſunt, quod ſpectat ad Dominationes: Deinde ſequitur præbere facultatem ad implendum, quod ſpectat ad Virtutes. Tertio occurrit ordinare qualiter ea, quæ præcepta, ſeu diffinita ſunt, impleri poſſint, vt aliqui exequantur, & hoc pertinet ad Poteſtates. Poſt iſtum ordinem gubernationis, ſequitur ipſa exequutio, quæ conſiſtit in annuntiando divina. In exequutione autem cuiuſlibet actus ſunt aliqui quaſi incipientes actionem, & ducentes alios; ſicut in cantu præcentores, & in bello illi, qui alios ducunt, ſeu dirigunt,

Digitized by Google

gunt, & hoc pertinet ad Principatus. Alij ſunt, qui ſimpliciter exequuntur, & hoc pertinet ad Angelos. Alij vero medio modo ſe habent, & hoc pertinet ad Archangelos.

§. VII.

Soluuntur argumenta contra præcedentem doctrinam.

1279 CONTRA hanc reſolutionem arguitur primò. Etenim omnes cœleſtes ſpiritus dicuntur Angeli, dicuntur Virtutes, dicuntur Poteſtates cœleſtes: ergo inconvenienter nominatur vnus ordo Angelorum, alter Virtutum, alter Poteſtatum. Patet Conſeq. nam nihil convenienter nominatur per id, quod eum ab alijs non diſtinguit; cum nomen ſit notamen rei certæ, & determinatæ. Ad hoc, reſp. per ſingula. Etenim omnes ſpiritus cœleſtes Angeli dicũtur per exceſſum, non per proprietatem: infimus autem ordo Angelorum ſecundũ proprietatem nominatur; Angelus enim eſt, qui & nuncius: cum ergo omnes cœleſtes ſpiritus manifeſtent alijs ſecreta cœleſtia, omnes hac ratione dicuntur Angeli, ſed per exceſſum, non per proprietatem, quia nunciare ſecreta cœleſtia reperitur in illis, ſed non explicat propriam, & adæquatam rationem eorum, ſicut & ſenſibilitas dicitur de homine per exceſſum, quia eſto ſit ſenſibilis, non tamen in hoc ſiſtit eius maior perfectio, quæ eſt ratiocinari: ſic ordines Angelorum Angeli dicuntur, id eſt, manifeſtatores divinorum, ſed quia ſupra hoc addunt excellentius quid, ideo per exceſſum Angeli dicuntur; infimus autem ordo per proprietatem ordo Angelorum dicitur, quia in hoc maxima eorum ſiſtit ſpiritualis perfectio. Vnde ad argumentum dico, quod infimus ordo dicitur Angelorum ſecundum proprietatem, alij ſpiritus cœleſtes per exceſſum, & ſic nulla datur confuſio, ſed conveniens nominatio.

Ad illud de virtutibus dico, quod Virtus poteſt accipi communiter ſecundum quod eſt medium inter eſſentiam, & operationem; & ſic ſumendo virtutem, omnes ſpiritus cœleſtes dicuntur Virtutes, ſicut & cœleſtes eſſentiæ: alio modo ſpecialis virtus ſignificat quendam exceſſum fortitudinis, & ſic eſt proprium nomen ordinis: vnde Dionyſius dicit: *Quod nomen Virtutis ſignificat quandam virilem, & inconcuſſam fortitudinem*, primo quidem ad omnes operationes divinas eis convenientes. Secundo ad ſuſcipiendum divina, & ita ſignificat, quod ſine aliquo timore aggrediuntur divina, quæ ad eos pertinent, quod videtur ad fortitudinem maximè pertinere.

Sed inſtas, ea, quæ conveniunt inferioribus ordinibus, cum maiori excellentia dicuntur de ſuperioribus: ergo cũ Virtutum ordo ſignificet exceſſum fortitudinis, ordines ſuperiores huic ordini dicentur etiam Virtutes, non tantum communiter prout virtus ſignificat quid medium inter eſſentiam, & operationem, ſed etiam prout ſignificat exceſſum in fortitudine. Ad hoc diſt. Conſeq. dicentur per proprietatem, nego Conſeq. per exceſſum, conc. Conſeq. Itaque, vt dixi, ea, quæ reperiuntur in ordinibus inferioribus, maiori cum excellentia reperiuntur in ſuperioribus, nõ tamen ab illis ſuperiores denominantur ſecundum proprietates, quia non ſunt illæ perfectiones id, quod magis excellens eſt in ſuperioribus, & quò ſuperiores ſunt, tantò ab excellentioribus nominantur: poſſunt ergo ordines ſuperiores ordine Virtutum Virtutes dici etiam in ſingulari illa ſignificatione, quia exceſſus ille fortitudinis maiori cum excellẽtia reperitur in illis, ſed non ſecundum proprietatem Virtutes ſic nominantur, quia hæc perfectio non eſt id, quod magis in eis perfectum eſt. Ordo autem Virtutum ſic dicitur, quia hoc eſt quod magis excellit in eis, & ratione cuius alijs ſibi ordinibus inferioribus ſuperiores ſunt. Iuxta quam doctrinam dicatur ad illud de Poteſtatibus. Nam ſimili modo, quo omnes cœleſtes ſpiritus dicuntur Virtutes communiter, etiam communiter dicuntur Poteſtates, etſi ſpecialiter Poteſtates dicantur, hoc tamen nomen non convenit eis ſecundum proprietatem, ſed tantum per exceſſum: vnde nulla eſt confuſio in nominibus.

1280 Secundo arguitur. Eſſe Dominum eſt proprium Dei ſecundum illud, *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus*: ergo inconvenienter vnus ordo Angelorũ Dominationes dicitur. Præterea, nomen Dominationis ad gubernationem pertinere videtur, ſimiliter & nomen Principatus, & Poteſtatis: inconvenienter ergo hæc tria nomina tribus ordinibus imponuntur. Præterea, Archangeli dicuntur quaſi Principes Angeli: ergo non debet poni ordo diſtinctus

ctus

Digitized by Google

ctus à principatibus. Ad hoc dico, quòd Dominatio laudatur in Deo per quendam exceſſum, ſed in Angelis laudatur per quandam participationem: vnde, ergo Conſ. Ad ſecundum verum eſt, quod illa tria ſpectãt ad gubernationem, ſed ſpectant ſecundum aliam, & aliam rationem: nam Domini eſt ſolum præcipere de agendis: vnde Gregorius dicit: *Quod quadam Angelorum agmina, pro eo quod eis cætera ad obediendum ſubiecta ſunt, Dominationes vocantur.* Nomen etiam Poteſtatis ordinationem quandam ſignificat: vnde & dicitur: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Vnde Dionyſius dicit: *Quod nomen Poteſtatis ſignificat quandam ordinationem, & circa ſuſceptionem diuinorum, & circa actiones diuinas, quas ſuperiores in inferiores agunt, eos ſurſum ducendo.* Principati ſimiliter ſignificat idem, quod inter alios priorem exiſtere: vnde Dionyſius dicit: *Quod Principatus eſt idem, quod ductiuum cum ordine ſacro*; illi enim, qui alios ducunt, primi inter eos exiſtentes Principes propriè vocantur: vnde eſto omnia iſta tria nomina ad gubernationem pertineant, conuenienter tamen per illa illi tres ordines deſignantur, vtpote alia, & alia ratione ad gubernationem ſpectantes. Ad vltimum dico, quod Archangeli ſic conuenientiſsime nominati ſunt: ſunt enim medij inter Principatus, & Angelos: vnde & dicuntur quaſi Principes; comparati autem cũ Principatibus ſunt Angeli: vndè & dicuntur Archangeli.

1281 Tertio arguitur. Nomen Seraphim imponitur ab ardore, qui ad charitatem pertinet: nomen autem Cherubin imponitur à ſcientia: charitas autem & ſcientia ſunt dona communia omnibus Angelis; non ergo apte impoſita ſunt ad ſignificandum ordines ſpeciales. Ad hoc dicitur, quod nomen Seraphim non imponitur ad ſignificandum charitatem, vel eius ardorẽ vtcumquè, ſed ad ſignificandum eum cum quodam exceſſu ſuper omnes, & ſimiliter Cherubim non ſignificat ſcientiam vtcumquè, ſed cum quodam ſingulari exceſſu, cum quo nulli Angelorum inferiorũ Cherubim cõuenit. Exceſsũ Seraphim in ardore explicat Dionyſius ſecundum proprietates ignis, in quo eſt exceſſus caliditatis: in igne ergo primo conſideramus motum, & in eo conſideramus, quod ſit ſurſum, & deinde quod ſit motus continuus, & ſic per hoc nomen Seraphim primò deſignamus, quod iſte ordo Angelorum indeclinabiliter ſemper fertur in Deum, ſecundò conſideramus in igne virtutẽ eius actiuam, quæ calor eſt, circa quem calorem, attendimus quod ſit calor cum quadam actiuitate, quia ignis in agendo maximè penetratiuus eſt, & pertingit vſque ad minima, & cum quodam ſuperexcedenti feruore, & per hoc Seraphim ſignificat, quod ordo iſte primus potenter actiones ſuas exercet in ſibi ſubditos, eos in ſublimen feruorem excitantes, & totaliter eos per incendium purgantes. Tertio conſideratur in igne claritas eius, & hoc ſignificat, quod huiuſmodi Angeli habent in ſeipſis inextinguibilem lucem, & quod alios perfectè illuminent. Similiter etiam nomen Cherubim imponitur à quodam exceſſu ſcientiæ; vnde interpretatur plenitudo ſcientiæ: quod interpretatur à Dionyſio iuxta quatuor, primò quidem, quantum ad perfectam Dei viſionem. Secundo, quantum ad plenam ſuſceptionem diuini luminis. Tertio quantum ad hoc quod in ipſo Deo contemplantur pulchritudinem ordinis rerum à Deo ordinatam, & deriuatam. Quarto quantum ad hoc quod ipſi pleni exiſtentes huiuſmodi cognitione, eam copioſe in alios effundunt. Sed nota. Quod hic exceſſus non debet intelligi reſpectiue ad omnes ordines Angelorum, nam Seraphim, qui illis ſuperiores ſunt, maiori ſcientiæ plenitudine, & exceſſu gaudent: intelligitur ergo tantum reſpectiue ad ordines ſibi inferiores: vnde in expoſitione nominis Seraphim vidimus, quod tanta ſcientiæ claritate gaudent Seraphim, quod omnes alios potenter illuminant.

1282 In calce huius §. poteſt inquiri. Si in Seraphim inuenitur maior plenitudo ſcientiæ quàm in Cherubim? & hæc plenitudo ſcientiæ includit viſionem beatam, quæ perfectior eſt amore beatorum, quare primus ordo non eſt dictus à plenitudine ſcientiæ, ſed eſt dictus à plenitudine amoris? Neque enim ſufficit reſpondere cum D. Tho. hic art. 6. ad 3. *Quod cognitio eſt ſecundum quod cognita ſunt in cognoſcente, amor autem ſecundum quod amans vnitur rei amatæ: ſuperiora autem nobiliori modo ſunt in ſeipſis quàm in inferioribus, inferiora autem nobiliori modo ſunt in ſuperioribus quam in ſeipſis: vnde cognitio inferiorum præeminet eorum dilectioni: ſuperiorum autem dilectio præeminet cognitioni, præcipue ſi ſit cognitio Dei.* Non enim per hoc ſatisfiet quæſito. Nam apud Thom iſtas viſio beata perfectior eſt amo-

re

re beato: ſiquidem beatitudo noſtra eſſentialiter conſiſtere debet in perfectiſsima operatione animæ; & conſiſtit in viſione Dei: igitur viſio Dei debet excedere in perfectione amorem Dei: vnde doctrina Divi Tho. adducta vera eſt loquendo de cognitione Dei, & amore viatorũ; non vero beatorum: modo ſub ſumo, ſed Cherubim non dicit ſolum plenitudinem ſcientiæ, ſeu exceſſum in ſcientia loquẽdo de ſcientia viatorum, ſed etiam loquendo de ſcientia beata: ergo videtur quod primus ordo debeat eſſe Cherubim.

Ad hoc dico, quod quamvis plenitudo ſcientiæ Cherubim, conſtetur ex viſione beata, & alijs ſcientijs enumeratis à Dionyſio; tamen ſecundum ſcientiam beatam non attenditur ordo Angelorum, neque diſtinctio Hierarchiarum, vt docet D.Tho. hic quæſt.108. ar.1. ad 2. ibi: *Dicendum, quod quantum ad cognitionem ipſius Dei, quam omnes vno modo, ſcilicet per eſſentiam vident, non diſtinguuntur in Angelis Hierarchia, ſed quantum ad rationes rerum creatarum, vt dictum eſt.* Quibus vt apparet ſcientia beata non facit diſtinctionem Ordinum, vel Hierarchiarum. Et ratio ea eſt, quia quoad ſcientiam beatam omnes conveniũt in vno modo intelligendi divina, quo omnes Deum vident per ipſum Deum: vbi autem eſt omnimoda convenientia in modo intelligendi, nequit eſſe diſtinctio Hierarchiæ: vnde in Seraphim quamvis ſcientia beata ſit perfectior ipſo amore; quia tamen ſecundum ſcientiam beatam non diſtinguuntur Hierarchiæ, ideo non ab illa habetur primus Ordo: amor autem comparatus cum ſcientia extra Verbum; ſi amor, & cognitio Dei ſit, vel de his, quæ ſpectant ad Deum, perfectior eſt ipſa ſcientia, & ſic primus Ordo rectè nominatur ab amore, & non à ſciẽtia. Quę eſt doctrina D.Tho. hic art.6. ad 3. optime adducta ab ipſo ad ſolvendam præſentem difficultatem.

Sed inſtas. Sicut omnes Angeli beati vno modo Deum vident, ita & amore beatifico Deum vno modo amant: nam ſicut omnes viſiones Dei ſunt eiuſdem ſpeciei, ita & omnes amores Dei beatifici eiuſdem ſpeciei athomæ ſunt: ergo ſi quia viſiones beatæ vno modo habentur à beatis, non diſtinguuntur Hierarchiæ, & Ordines ſecũdum illas, ita quia beati omnes vno modo Deum amant penes amorem beatificum nõ habebitur diſtinctio Hierarchiarum, & Ordinum, & ſic primus Ordo non diſtinguatur per amorem. Ad hoc, concedo totum; non enim primus Ordo inſtituitur ab amore beatifico ſecundum quod Dei amor eſt, ſed ſecundum quod ſignificat quendam exceſſum in charitate in ordine ad ſibi proximos Angelos, ſecundum quod facit illos ardere in amore Dei ſui: vnde Seraphim dicuntur incendentes; quia ſibi ſubditos potenter in ſui Dei fervorem excitant, & totaliter eos per incendium purgant. Quæ eſt doctrina D.Thom. hic ad 5.

§. VIII.

Vtrùm ordines remanebunt poſt diem iudicij.

1283 RESP. D.Tho. quod poſt diem iudicij remanebunt ordines Angelorum quoad diverſitatem graduum naturæ, & gratiæ; quoad executionem autem offitiorum Angelicorum partim ceſſavit, & partim remanebit: ceſſabit quidem ſecundum quod eorum officia ordinantur ad perducendum aliquos ad finem; remanebit autẽ ſecundum quod convenit in vltima finis conſequutione. Primum probat ſic, diſtinctio graduum provenit à differenti natura, & à differenti gratia, hæc autem duo ſemper manebunt in Angelis: ergo ordines Angelorum quoad diverſitatem graduum naturæ, & gratiæ ſemper erunt. Prob. Mi. diverſitas graduum quoad naturam non aufertur niſi corruptis naturis; diverſitas etiam graduum gratiæ correſpondet meritis, quæ præceſſerunt in via: ergo cum nec naturæ Angelicæ ſint corrumpendæ, nec merita præterita potuerint non eſſe præterita, aſſeverandum erit quod ſemper erunt. Secundam partem probat, ſeu potius declarat exemplo officiorum militum, quæ remanent vt in triumpho, & ceſſant vt in acie: ſic ceſſabunt officia ordinum quantum ad hoc, quod eſt perducere electos in finem vltimum ſalutis æternæ, Et quantũ ad hoc intelligendus venit Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. dum dicit: *Cum tradiderit Chriſtus regnum Deo, & Patri evacuabit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem*, quia horum omnium ceſſabunt officia quoad hoc, quod eſt perducere electos in vitam æternam; cum iam tunc cõpletus fuerit numerus electorum. Hæc clara ſunt.

1284 Difficultatem tamen habet, quod docet D.Tho. ad 2. contra doctrinam cor-

po-

Digitized by Google

poris propoſitum, quod tale eſt. *Ad officium Angelorum pertinet purgare, & illuminare, & perficere; ſed poſt diem iudicij unus Angelus non purgabit, aut illuminabit, aut perficiet alium, quia non proficient amplius in ſcientia: ergo fruſtra ordines Angelici remanerent.* Ad quod ſic reſp. *Dicendum, quod actiones Angelorum ſuper alios Angelos conſiderandæ ſunt ſecundum ſimilitudinem actionum intelligibilium, quæ ſunt in nobis: inveniuntur autem in nobis multæ intelligibiles actiones, quæ ſunt ordinatæ ſecundum rationem cauſæ, & cauſati: ſicut cum per multa media gradatim in unam concluſionem devenimus; manifeſtum eſt autem quod cognitio concluſionis dependet ex omnibus medijs præcedentibus, non ſolum quantum ad novam adquiſitionem ſcientiæ, ſed etiam quantum ad ſcientiæ conſervationem: cuius ſignum eſt, quod ſiquis oblivi ſceretur aliquod præcedentiũ mediorum, opinionem quidem, vel fidem poſſet habere de concluſione, ſed non ſcientiam, ordine cauſarum ignorato. Sic igitur cum inferiores Angeli rationem divinorum operum cognoſcant per lumen ſuperiorum Angelorum, dependet eorum cognitio ex lumine ſuperiorum, non ſolum quantum ad novam adquiſitionem ſcientiæ, ſed etiam quantum ad cognitionis conſervationem: licet ergo poſt iudicium non proficiant inferiores in cognitione aliquorum rerum, nõ tamen propter hoc excluditur quin à ſuperioribus illuminentur.*

Doctrina hæc ita viſa eſt difficilis Caietano, quod loquens de illa compulſus ſit ſic dicere: *Reſponſionem ad 2. notate diligenter, quoniam mirabile quid dicit de dependentia luminis Angelici, quod quia non de naturali, ſed de gratuito dicitur, de quo ſola fides ſuſcipit, cum veneratione ſuſcipiendum eſt: præſtat namque in his ab excellentioribus ſuaderi, quã temere ſecundum vires iudicare ingenij proprij.* Hæc ille. Magiſter Bañez hic q. 106. art. 1. ad 2. ex hac doctrina D. Thom. probat contra Caietanum, quod illuminatio, qua Angelus inferior illuminatur à ſuperiori non fiat tantum per modum Magiſterij proponendo rem, de qua fit illuminatio ſub aliquo medio probativo eius, quod lumen intelligibile dicitur tenens ſe ex parte obiecti, & prout ſic confortantis illum: quia ſi in hoc illuminatio conſiſteret, cognitio illius veritatis, de qua fit illuminatio, non penderet ab Angelo illuminante in conſervari, ſed tantum in fieri: ſicut poſtquam Magiſter docet diſcipulum dando ei aliquod medium, quo poſſit intelligere id, quod eum docet, diſcipulus conſervans in memoria tale medium independenter à Magiſtro, rem, de qua fuit edoctus, cognoſcit: unde circa cognitionem talis veritatis diſcipulus tantum in fieri, non vero in conſervari dependet à ſuo Magiſtro: cum ergo Div. Thom. doceat in hac ſolutione ad 2. quod Angelus, qui illuminatur, in fieri, & conſervari ſcientiæ, quam adquirit per illuminationem, dependeat ab Angelo illuminante, certiſſimum erit, quod illuminatio non fiat tantum per hoc, quod illuminans ex parte obiecti illuminatum confortet dando ei medium efficax, quo poſſit penetrare id, de quo illuminatur: unde inquit Bañez ad verificandam doctrinam D. Thom. in hac ſolutione ad 2. ultra hoc requiretur, quod lumen Angeli ſuperioris verè intelligibiliter uniatur, & coniungatur cum lumine Angeli inferioris, ſic, quod efficiatur unum principium ex illis duobus luminibus ad cognitionem veritatis revelatæ: nam ſi ad hoc quod Angelus inferior percipiat ea, quæ ei edocentur à ſuperiori requiritur adiuvari à lumine ſuperioris, non ſolum ex parte obiecti illuſtrati, ſed etiam ex parte principij illuſtrantis, fiet inde, quod etiam poſtquam ſcientiam adquiſitam habet de tali veritate, non poſſit exire in actum talis ſcientiæ niſi confortetur, & adiuvetur à lumine ſuperioris; & ſic in fieri, & conſervari talis notitiæ Angelus inferior dependebit ab illuminatione Angeli ſuperioris.

1285 Sed quidquid ſit de dictis Caietani, & de modo dicendi M. Bañez, doctrina D. Thom. in illa ſolutione ad 2. non eſt ita difficilis, quod non poſſit intelligi, ſed tantum credi, ut perperam vult Caietanus. Etenim videmus in materialibus aliquas cauſas in operando ſic alijs ſubordinari, quod non poſſint exire in actus ſuos, niſi illæ, quibus per ſe ſubordinantur actu concurrant ad actus earum: ſic enim omnia generabilia, & corruptibilia per ſe ſubordinantur Soli, quod nequeant generare, neque corrumpere niſi ex Solis actuali concurſu: ſic ſimiliter videmus quod intellectus noſter pro hoc ſtatu ſic dependeat à phantaſmatibus, quod non ſolum, dum ſcientiam primò adquirit, ab illis dependeat, ſed etiam dum ſcientia adquiſita vult uti, neceſſe ſit converſione ad phantaſmata: ſic etiam videmus quod ſunt aliquæ veritates ſic per ſe connexæ cum alijs veritatibus, quod non poſſint penetrari, niſi aliæ ve-

veritates, à quibus dependent cognoſcantur: ſic etiam videmus quod potentia viſiva ſic depẽdet in exercitio ſui actus à luce materiali, quod niſi ei lux materialis aſsiſtat, & colores actu illuminet, videre nullo modo poteſt: ſic ſimiliter videmus quod intellectiva potentia ſic in intelligendo dependet à ſpecie impreſſa objecti, quod neque in prima adquiſitione ſcientiæ, neque in cõſervatione ſciẽtiæ adquiſitæ poteſt exire in actum, niſi adjuvetur concurſu ſpeciei: quid ergo mirum erit quod circa veritates, quæ à Deo deſcendunt medijs ſuperioribus Angelis ad inferiores, & inter lumina, quibus percipiuntur talem Deus per ſe appoſuerit ordinem, quod inferior Angelus neque in ſui prima adquiſitione ſcientiæ poſſit aliquid adquirere, ſine eo quod confortetur à lumine ſuperioris, neque etiã poſtquam ſcientiam adquiſivit poſſit perfectè prædicta ſcientia vti, ſine eo quod convertatur ad ſuperiorem, ſimili modo, quo non valet intellectus pro hoc ſtatu aliquid intelligere niſi ad phantaſmata convertatur.

Sed deſcendamus magis in particulari. Etenim cognitio perfecta veritatis, de qua fit illuminatio, per ſe dependet à duplici lumine: à lumine illius, qui illuminatur tanquam à percipiente, & eliciente veritatis cognitionem, & à lumine illius, qui illuminat tanquam à confortante lumen alterius, & adjuvante illud, vt poſsit exire in actum cognitionis talis veritatis: ſicut & viſio externa per ſe dependet à duobus luminibus, nempe à vi viſiva, & à luce externa confortante vim viſivam: vnde ſicut non eſt poſsibile, quod fiat viſio, niſi adſit concurſus horum duorum luminum, etiam non erit poſsibilis cognitio talis veritatis, niſi adſit concurſus præfati duplicis luminis. Explicatur, illuminatio fit per hoc, quod Angelus, qui illuminatur, videt in ſuperiori Angelo illuminante veritatem aliquam illuſtratam lumine ſuperioris, ad modum, quò potentia viſiva videt colores prout illuſtrantur luce: ſicut ergo deficiente luce remanent colores in conſpectu potentiæ viſivæ, non tamen ſic remanent, quod videri poſsint; ſic abſente illuſtratione Angeli ſuperioris remanere poterunt tales veritates, vt aliquo modo cognitæ, ſed dum deſtituuntur lumine agentis ſuperioris, perfectè cognoſci non poterunt.

1286 Sed inſtas contra hæc. Etenim videmus quod diſcipulus quamvis vt primo addiſcat veritatem, Magiſtro indigeat, tamen poſtquam illam perfectè didicit à Magiſtro ad cognitionem actualem illius, vel ad conſervationem ſcientiæ adquiſitæ, jam vlterius Magiſtro non indiget: ergo ſimiliter poſtquam Angelus inferior perfectè didicit ab altero Angelo Magiſtro ſuo aliquam veritatem, vt exeat in actum cognitionis talis veritatis, non indigebit alterius magiſterio. Prob. Conſeq. à pari. Confirm. Angelus, qui illuminatur à ſuo ſuperiori de aliqua veritate, ſic perfectè cognoſcit illam, quod poteſt docere illam, imò de facto doceat Angelum ſibi inferiorẽ illam: ergo ſi per ſe ipſum, poſtquã edoctus eſt, poteſt docere alium, poterit pariter docere ſe ipſum.

Ad hoc, nego Conſeq. & diſparitas eſt, quod in humanis diſcipulus in cognitione alicuius veritatis non dependet à Magiſtro tanquam à cauſa per ſe, ſed ſolum tanquam à cauſa per accidens: vnde Magiſter eſt generans vnivocum ſcientiæ in diſcipulo, & ſic diſcipulus tantum in prima acquiſitione ſcientiæ dependet à Magiſtro, non non autem in conſervari: ſicut neque genitum in naturalibus ab vnivoco generante dependet in conſervari, bene verò à ſolo generante æquivoco. Cujus eam aſsigno rationem, quia nempe Magiſter, & diſcipulus ejuſdem athomæ ſpeciei ſunt: vnde & lumina intellectuum eorum ejuſdem athomæ ſpeciei ſunt, & ſic nequit eſſe inter illos ſubordinatio per ſe: nam id, quod ejuſdem ſpeciei cum altero eſt, per ſe ab illo dependere non poteſt, ac per conſequens neque poteſt illi per ſe ſubordinari, vt effectus ſuæ cauſæ per ſe, & ſic in humanis ſcientia diſcipuli tantum in fieri dependet à Magiſtro, non verò in conſervari; non ſic autem contingit in illuminatione Angelorũ: etenim cum Angeli ſpecie inter ſe differant, intellectus quoque eorum etiã ſpecie differunt: vnde inter eos eſt ordo ſuperioris per ſe, & inferioris per ſe; neque illuminans eſt generans vnivocum ſcientiæ, ſed æquivocum, ac per conſequens talis qualitatis quod genitum in fieri, & in conſervari à generante dependeat: vnde fit, quod illuminatio ad perfectam notitiã veritatis, de qua illuminatur, ſemper indigeat à ſuperiori lumine confortari.

Sed inſtat Caietanus, poſſe hanc doctrinam admitti, ſi fieret loquutio de illuminatione in ordine naturali, cæterum loquendo de illuminatione in ordine gratiæ,

non

Digitized by Google

non apparere quod habeat verum: nam licet lumina Angelica in ordine naturæ ſpecie differant, & ſic poſsit inter illa ſtare illa dependentia per ſe, tamen in ordine gratiæ hoc verũ habere non poteſt, ſiquidē lumē gratuitum illuminans eiuſdem athomæ ſpeciei eſt in illuminantibus, & in illuminatis: vnde Magiſter etiam debet eſſe generans vnivocum ſcientiæ, & ſic diſcipulus in vſu ſcientiæ iam adquiſitæ non dependebit ab Angelo Magiſtro. Reſp. quod cum gratia detur Angelis iuxta capacitatē ſuorum naturalium, quò naturalia eorum ſunt ſuperiora in eſſe naturæ, eò lumina gratuita ſunt ſuperiora ſaltim ſecundum gradum intenſionis, & extenſionis ſuæ: vnde ſub eadem vniverſalitate, ſub qua Angelus in linea naturæ attingit veritatem, ſub eadem intra lineam gratiæ eam cognoſcit: ſicut quia in naturalibus non diſcurrit, etiã non diſcurrit in gratuitis: ſemper ergo ad hoc vt de aliqua veritate illuminetur inferior à ſuperiori, requiritur indiſpenſabiliter concurſus luminis ſuperioris, quo confortetur inferior, vt poſsit intelligere id, de quo illuminatur: ſemper ergo generatio illa ſcientiæ oportet quod ſit æquivoca, ſi non ſecundum ſpeciem, ſaltim ſecundum gradum ſpeciei: eſt enim neceſſe quod veritas vt capi poſsit ab inferiori illuſtretur lumine ſuperiori, etiam ſi in ordine gratiæ illuminatio fiat; vnde ſemper erit indigentia ad perfectam notitiam eiuſdem veritatis aſsiſtentiæ, & confortationis ſuperioris, quia ſine illa lumen inferioris non valet perfectè attingere.

Ad Confirm. principalis argumenti dico, quod Angelus edoctus de aliqua veritate à ſuperiori poteſt illam docere ſibi inferiori vicino, vt tamen ſtat ſub ordine Angeli, qui eum edocuit, ita vt ſimul ſit Magiſter, & diſcipulus: vnde ſicut in ordine mobilium, & moventium vt aliquod inferius moveatur neceſſe eſt aſcendere vſque ad Deum, qui ſolus eſt movens immobile, ita vt inferior illuminetur à ſuperiori, neceſſe eſt aſcendere vſque ad Deum, qui ſolus ſic illuminat, quod non ab alio illuminetur: ſicut ergo dum inferius movetur omnia movent inter media, & ſimul à ſibi ſuperioribus moventur, ita vt inferior illuminetur à ſuperiori, neceſſe eſt, vt omnes ſuperiores illuminent, & illuminentur.

(·:·)

§. IX.

Vtrùm homines aſſumantur ad ordines Angelorum?

1287 CVM Angelorum ordo diſpoſitivè ſit ab eorum diverſa natura, & completivè ſit à gratia, & cum inſuper Angelorum ordo deſumatur ſecundum diſtincta miniſteria & officia, in quibus vt Deo inſerviant emancipati, & conſecrati ſunt, certiſsimum eſt, homines non poſſe transferri ad ordinem Angelorũ adæquatè ſumptum. Siquidem in naturam Angelorum transferri nullo modo poſſunt, cum ſpecie ab illis diſtinguantur. Similiter certiſsimũ eſt homines non poſſe transferri ad ordines Angelorum quoad officia, & miniſteria eorum, ſic, quod credamus quod officia, & miniſteria Angelorum ſanctis animabus in beatitudine committenda ſint; non enim animæ rationales ſanctæ, & beatæ habent quod ſint miniſtræ Dei, ita vt mittantur ad tractandam ſalutem hominum, quod intellige de lege ordinaria; non autem ex ſpeciali diſpenſatione: nam D. Thom. hic artic. 8. ad 2. inquit: *Homines autem Sancti etiam poſt hanc vitam erunt eiuſdem naturæ nobiſcum: vnde ſecundum legem communem non adminiſtrant humana, nec rebus vivorum interſunt, vt Auguſtinus dicit in libro de cura pro mortuis; ex quadam tamen ſpeciali diſpenſatione interdum aliquibus Sanctis conceditur, vel vivis, vel mortuis huiuſmodi officia exercere, vel miracula faciendo, vel Dæmones arcendo, vel aliquid huiuſmodi.* Sic D. Thom. Difficultas ergo quæſiti noſtri eſt, vtrum homines aſſumantur ad ordinem Angelorum quoad gratiam, & gloriã; hoc eſt, vtrùm homines perveniant aliquando ad tantum gradum gratiæ, & gloriæ, quantum Angeli poſsident?

1288 Cui quæſito affirmativè reſp. D. Thom. & Probat ex illo Lucæ 20. *Filij reſurrectionis erunt æquales Angelis in cœlis.* Ratione probat ſic: *In ordine Angelico illud, quod ſe tenet ex parte naturæ habet ſe materialiter, id autem quod ſe tenet ex parte gratiæ habet ſe formaliter, & completivè, hæc autem gratia dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine naturæ, poterit ergo Deus pro ſua libertate maiorem gratiam conferre hominibus quã Angelis, & per illam promereri poterunt homines gradus gloriæ æquales cum Angelis, imò ſuperiores gloria Angelorum.*

Cre-

Digitized by Google

Crediderim præſenti quæſito ſub hac forma eſſe reſpondēdum. Omnes ſancti, & beati homines aſſumentur ad ordinē Angelorum quoad gratiam, & gloriam: ſed in hoc ordine aliqui habebūt gradus gloriæ, & gratiæ ſupra omnes Angelos, alij æquales cum illis, alij erunt eis inferiores: Prob. prima pars auctoritate Auguſtini 12. de Civit. Dei vbi docet; *quod non erunt duæ ſocietates hominum, & Angelorum, ſed vna, quia omnium beatitudo eſt adhærere vni Deo*: ergo omnes homines ſancti aſſumentur ad ordines Angelorum. Ratione Probo ſic: Etenim vbi non eſt diſtinctus modus intelligendi divina, ibi non eſt diſtincta Hierarchia, vt ſupra vidimus; ſed tàm Angeli, quàm homines habebunt in beatitudine eundem modum intelligendi divina: ergo ex hominibus, & Angelis fiet vna ſocietas, & Hierarchia vna. Prob. Min. tàm homines, quàm Angeli cognoſcent in beatitudine Deum per ipſum Deum illis vnitum per modum ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, & in ipſo Deo cognoſcent etiam creaturas: ergo pro ſtatu beatitudinis homines, & Angeli eodem modo intelligent Deum.

1289 Sed inſtas contra hanc rationem. Nos ſuprà dixiſſe ordines Angelorū non deberi attendi penes viſionem beatā, qua ratione probavimus, quod primus ordo primæ Hierarchiæ non debet convenienter nominari à ſcientia, ſed ab amore; quia eſto ſcientia beata ſit perfectior amore, tamen ſecundum illam non attenditur ordo Angelorum; at modo probamus homines aſſumi ad ordines Angelorū, quia poſſunt elevari ad gratiam, & gloriā maiorem ea, quam defacto habent Angeli, vel quia ex hominibus, & Angelis fit vna ſocietas videntium Deum in ſe ipſo per ſe ipſum: ergo vel quod modo dicimus eſt falſum, vel illud, quod ſuprà diximus non fuit verum. Reſp. de ordinibus Angelorum dupliciter poſſe loqui: primò ſecundum quod diſtinguuntur in tres Hierarchias, & quælibet earum diſtinguitur in tres ordines, qui omnes diſtinctim nominantur per illa nomina Seraphim, Cherubim &c. Secundo poſſumus loqui de illis nō prout inter ſe diſtinguuntur in varias Hierarchias, ſed ſecundum quod faciunt vnam Hierarchiam cœleſtem, ſecundum quod in vno modo intelligendi divina conveniunt, nēpe in hoc quod eſt videre Deum in ſe ipſo per ſe ipſum. Si primo modo loquamur, ſic nec Hierarchiæ, nec ordines ſecundum viſionem beatam attenduntur, ſic atteſtante D. Thom. ſupra q. 108. art. 1. ad 2. illis verbis: *Dicendum, quod quantū ad cognitionem ipſius Dei, quem omnes vno modo vident, non diſtinguuntur in Angelis Hierarchiæ, ſed quantum ad rationes rerum creatarum, vt dictum eſt*. Hæc ille. Nec etiam illo modo loquendo de ordinibus Angelorum, modo dicimus homines aſſumi ad illos: loquendo autem ſecundo modo, omnes Angeli cum in modo intelligendi divina conveniant: ſic vnam cœleſtem beatam Hierarchiam faciunt, & ad iſtam modo dicimus homines ſanctos aſſumi, quia hęc Hierarchia tantum eſt ordo videntiū Deum, ſub quo ordine, ſicut ſunt Angeli, etiam ſunt homines; ſiquidem tàm iſtis, quàm illis vnus adeſt intelligendi modus: vnde & illud, quod modo dicimus eſt verum, & illud, quod ſuprà diximus non eſt falſum.

1290 Secunda pars noſtræ reſolutionis, videlicet quod in hoc ordine videntium Deū aliqui ſuprà omnes Angelos conſtituantur. In primis patet de Chriſto vt homine, & de Beatiſsima Matre ipſius: ſic enim canit Eccleſia: *exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia Regna*. Nec iudicaverim temerarium aſſerere D. Ioſephum ſuper omnes Angelos habuiſſe gratiam, & gloriam: cui enim Angelorum aliquando Chriſtus dixit, *Pater meus es tu*? & tamen piè creditur Chriſtum multoties Ioſephum ſuum appellaſſe Patrem; ſic, vt poſsimus introducere Ioſephū dicentem: *ipſi invocatur me, Pater meus es tu*. Certe crediderim quod poſt veram Maternitatem Chriſti ordine dignitatis ſequatur Paternitas Ioſeph; ſpectat enim ad ordinem hypoſtaticum ſecundum dici, quamvis non ſecundum eſſe: vnde poſt Mariam Virginem crediderim in gratia, & gloria coordinari, vt ſic ſupra omnes Angelos detur quaſi quædam hypoſtatica Hierarchia conſtans ex ſupremo, Chriſto, medio, Maria, & infimo, Ioſeph.

1291 Tertia pars, nempe quod aliqui homines in gratia, & gloria ſint æquales alijs Angelis, patet ex illo Lucæ 20. *Filij Reſurrectionis erunt æquales Angelis in cœlis*. Et ſi loquamur de ſupremis Angelis crediderim cum Mag. Bañez, quod Apoſtoli duodecim in gratia, & gloria fuerunt æquales illis. Tum quia Paulus ait; *nos autem primitias ſpiritus habentes*, ſimiliter Apocal. 21. dicitur; *quod duodecim Apoſtoli ſunt duodecim fundamenta civitatis cœleſtis*

leſtis

Digitized by Google

leſtis Hieruſalem, & Paulus 1. ad Corinth. 6. dicit de Apoſtolis: *An neſcitis quoniam & Angelos iudicabimus?* quod de bonis Angelis D. Thom. interpretatur. Vnde concludit Bañez quod ſit ſentire de Apoſtolis ſic eſt Eccleſiæ perſuaſum; quod liceat ab hoc diſcedere. Sed quid dicemus de Domino Ioanne Baptiſta? Num quia Chriſtus dixit, *qui minor eſt in regno cœlorum maior eſt illo*, compellemur dicere, quod in gratia, & gloria non ſit æqualis etiam ſupremis Angelis? Abſit: nam licet hoc dixerit Chriſtus de infimo Angelo beato, quia tunc in cœlo non erant niſi Angeli, tamen dictum eſt comparativè ad Ioannem, dum erat in via, in qua eſto multo maiorem gratiam, & merita haberet, quàm multi Angeli: quia tamen ad conſummationem nondum pervenerat, ſed ſemper per fidem ambulabat, quantitate viatoris adhuc infimo Angelo inferior erat, ad quod Chriſtus attendens dixit: *Qui minor eſt in regno cœlorum maior eſt illo*; ait enim D. Thom. 2. 2. quæſt. 24. artic. 7. ad 3. quod *charitas viæ; & patriæ ſunt diverſæ quantitatis, ſic, quod quantumvis creſcat charitas viæ, nunquam perveniet ad quantitatem charitatis patriæ; nam prima menſuratur per fidem, & ſecunda per claram Dei viſionem.* De ipſo ergo Ioanne Baptiſta iam exiſtẽte in patria, piè crediderim eſſe æqualem in gloria, & gratia, & meritis ipſis ſupremis Angelis: nam ſi hoc diximus de Apoſtolis à fortiori dicendũ iudico de Ioanne. Etenim illud dictum; *inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, de maioritate ſpiritus, & meritorũ neceſſario intelligendum eſt; at ſub illo veniunt intelligendi Apoſtoli: ergo nullus eorum in gratia, & meritis fuit maior Ioanne Baptiſta: nullus ergo eorum ad maiorẽ gloriam promotus eſt: etſi Apoſtoli promoti ſunt ad gradum gratiæ, & gloriæ cum ſupremis Angelis à fortiori aſſeverandum erit de Ioanne Baptiſta quod in gradu gloriæ æquaverit ſupremis Angelis.

Solet hic inquiri de B. P. Franciſco de Aſſiſis. Et Franciſcani extollunt ipſum vſque ad Seraphim, eo quod Chriſto Crucifixo nullus quanto ipſe aſſimilatus ſit: vnde ad literã dicere potuit *ſtigmata Domini mei Ieſu Chriſti in corpore meo porto*; ſed ſi hac de cauſa ad gloriam Seraphim promotus Sanctus Franciſcus eſt, hoc ipſum valebit pro Senenſi Virgine Catherina, quæ etiam vſque ad ipſiuſcam coronam Chriſtum effigiat. Sed de his, & alijs magnis in Regno cœlorum, nihil certo aſſeverare poſſumus, cum de gloria eorum nihil revelatum ſit, neque ab alijs ad ipſos efficax argumentum poſſit fieri.

§. X.

An Angelus Michael ſit de ordine Seraphim?

1292 LYPOMANVS in ſermone S. Michaelis refert multos Patres, qui videntur inſinuare Michaelem eſſe de ordine Seraphim; imò ſupremum omnium Seraphim, quod probant quia vt refertur Apocalypſ. 12. Michaeli fuit commiſſum inire prælium cum Dracone tanquam duci militiæ cœleſtis, quod miniſterium ſupremo duntaxat Angelo congruebat. Alij tenent Michaelem eſſe ſecundæ Hierarchiæ, & eſſe Archangelum moti ex eo, quod Angeli ſupremæ Hierarchiæ regulariter non mittũtur ad nos; ſed conſtat ex Daniele 10. conſtitutum fuiſſe Principẽ Sinagogæ, & modo præſidere Eccleſiæ Chriſtianæ: conſtat etiam frequenter exercere miniſteria quam plurima circa nos; non ergo dicendum eſt eſſe Angelum de ſuprema Hierarchia, ſed de infima.

M. Bañez modum iſtum diſſolvit affirmans, duplicem Angelum eſſe Michaelem dictum. Alterum ſupremæ Hierarchiæ, qui fuit cœleſtis militiæ contra Draconem Dux; alterum ſecundi ordinis, qui & Archangelus dicitur, & Sinagogæ fuit Princeps, & Eccleſię Chriſtianę modo Princeps eſt, qui vterque Angeli nomine Michaelis gaudet, quoniam vterque agit cauſam honoris divini, elevans auxilium Dei adverſus illos, qui volunt exaltare nomen ſuum ſupra nomen divinum, cui miniſterio optimè conſonat interpretatio illius vocis Michael, quæ idem valet, atque *quis ſicut Deus*. Præterea (inquit Bañez) non ineptè dici poteſt, quod ille Archangelus, qui eſt ſupremus dux in Eccleſia Militante, aliquam virtutem particularem participet à ſupremo Seraphim primariò duce Eccleſiæ Triumphantis ad exercendum proprium miniſterium in ſua militia, & ideo nomen, quod primò fuit accomodatum ſupremo Seraphino tribuitur ſecundario huic Archangelo, & cum Eccleſia celebrat feſtum Michaelis

ſub illo vnico nomine factum agit vtrique Angelo, primo quidem ſupremo Seraphim, & ſecundario Archangelo. Et Eccleſia in illa celebritate multa fortaſſis tribuit Archangelo, quæ potius conveniunt Seraphino, eo quod Archangelus eſt quaſi ſubſtitutus in Eccleſia Militante illius ſupremi Seraphini, eſtque quaſi dux ſub duce. Sic diſcurrit Bañez, quem modum dicendi refert Gonet, & non refutat.

1293 Reſpondeo huic quæſito, Michaelem fuiſſe Archangelum vnum ex ſecundo ordine infimæ Hierarchiæ. Prob. primo ab authoritate D.Thom. in 2. diſt. 10. in expoſitione textus Magiſtri. Refert enim Magiſter opinionem aliquorum aſſerentium Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem de ſuperiori ordine fuiſſe, de qua opinione Div. Thom. ait: *Hoc expreſſe contradicit Scriptura, quia Michael Daniel. 10. ponitur in ordine Principum, Gabriel autem dicitur de ordine Archangelorũ, Raphael autem poſſet poni de ordine Angelorum.* Sic D.Thom. ſimiliter in 4. diſt. 43. q. 1. art. 2. q. 3. ad 2. ſic habet: *Dicendum, quod miniſterium illud erit principaliter vnius Archangeli, ſcilicet Michaelis, qui eſt Princeps Eccleſia, ſicut fuit Sinagoga, ſicut dicitur Daniel. 10.* eſt ſubdit: *Qui tamen agit ex influẽtia virtutum, & aliorum ſuperiorum ordinum: vnde quod ipſe faciet, ſuperiores quoque ordines facient quodammodo.* Sic D.Thom. Hic etiam ſimiliter q. 113. art. 3. in cor: *Vnde & Michael* (inquit) *quẽ Archangelũ dicimus, vnus de Principibus dicitur Daniel.* 10. ex quibus ſic formo argumẽtũ. Quotieſcumq; D.Th. de Michaele loquitur, ſemper dicit de eo quod ſit infimæ Hierarchiæ: nam vel dicit Principem, quia Principatur Angelis, vel vocat Archangelũ, quia Principatibus, in quibus eſt primus ordo infimæ Hierarchiæ, ſubditur. Præterea, vt vidimus in 1. teſtimonio dicit repugnare ſcripturæ quod Michael de ordine ſupremorum Angelorũ ſit; ſentit ergo fabulam eſſe dari duos Michaeles, quorum alter ſit Seraphim, & alter ſit Archangelus in ſecundo ordine infimæ Hierarchiæ conſtitutus.

1294 Ratione probo ſic nullum extat fundamentũ ad aſſerendum dari vnũ Michaelem, qui ſit ordinis ſupremi: ergo. Prob. Ant. ſi aliquod eſſet maximè illud, quod adductum eſt ſuprà de Angelo illo, qui pugnavit cum Dracone, & dux militiæ cœleſtis declaratus eſt, qui dictus eſt Michael, & non potuit eſſe Archangelus Michael, quia ille erat dux militiæ cœleſtis, & iſte eſt dux Eccleſiæ Militantis, & ſic dandi ſunt duo Michaeles, quorum alter ſit ſupremus, & alter ſit Archangelus. Hoc eſt enim vnicum fundamentum huius ſententiæ. Sed hoc fundamentum eſt nullum: ergo. Prob. Min. Eccleſia de Angelo illo Michaele, qui pugnabat cum Dracone expreſſe canit eſſe Archangelum, dicens: *Dum Michael Archangelus præliaretur cum Dracone, dum committeret bellum Michael Archangelus cum antiquo ſerpente*: ergo ex hoc quod ille Angelus, qui pugnabat cum Dracone, & cauſam Dei egit diceretur Michael, non licet inferre illum Angelum eſſe ſupremum, vel de ordine ſupremorum.

1295 Sed inſtas contra hoc, nequit eſſe idem Angelus, qui eſt Princeps militiæ cœleſtis, & qui eſt Princeps Eccleſiæ militantis; ſed ille, qui pugnabat cum dracone erat Princeps militiæ cœleſtis: ergo non poterat eſſe ille, qui eſt Princeps Eccleſiæ militantis; at iſte, & ille Michael dicuntur: ergo ſunt duo Michaeles. Quod confirmabis, non eſt novum in Scriptura Sacra Angelum ſupremum, & infimũ eodem nomine appellari: ergo non erit novum neque mirabile, quod eodem nomine Michaelis ſignificentur duo Angeli, quorũ alter ſit ſupremus, alter infimus. Prob. Antec. nam Iſaiæ 6. dicitur, quod vnus Seraphim purgavit labia Prophetæ, & tamen iſte ſic purgans non erat ſupremæ Hierarchiæ: nam ſic tenet D.Th. hic quæſt. 112. art. 2. ad 2. ibi: *Dicendum, ſecundum Dionyſium quod ille Angelus, qui miſſus eſt ad purgandum labia Propheta fuit de inferioribus Angelis, ſed dictus eſt Seraphim æquivocè propter hoc quod venerat ad incendendum labia Propheta*: igitur eodem nomine contingit nominari duos Angelos, quorum alter ſit ſupremæ, & alter infimæ Hierarchiæ.

Ad primum, neg. Ant. nam ſi omnes Hierarchias, & ordines attente conſideres, non invenies niſi vnum Principatum, à quo Princeps dicitur, idem ergo erit Princeps, qui cauſam Dei agit in cœleſti curia, & qui cauſas Dei agit in Militante Eccleſia. Ad ſecundum diſt. Anteced. non eſt novum in Scriptura Sacra Angelum ſupremum, & infimum eodem nomine appellari, nomine deſignante officium, conc. Ant. nomine deſignante perſonam, nego Antec. & Conſ. Seraphim enim dicitur ab incendendo, &

Digitized by Google

& ſic qui alios incendunt, & purgant Seraphim dici poſſunt ex convenientia in officio: Michaël autem non dicit officium, ſed perſonam in ſingulari determinat; vnde non ſequitur quod ſi ſupremus, & infimus poſſunt dici Seraphim, ſupremus, & infimus dicantur Michaël. Vel ſecundo, nego Ant. Ad prob. dico quod ille Angelus, qui purgabat labia Prophetæ dictus eſt Seraphim, non qui purgavit exequutivè, ſed qui purgavit per illum. Etenim ex duobus iſtis Seraphim qui ſtabant ante Thronum, deſcendit vnus ad purgandum labia Prophetæ, non quidem per ſe ipſum, ſed per inferiorem Angelum, & ſic ille dicitur Seraphim, non ille, qui exequutivè purgavit. Quæ doctrina eſt D. Thom. loco citato vbi habet: *Vel dicendum, quod ſuperiores Angeli communicant propria dona, à quibus denominantur mediantibus inferioribus Angelis; ſic igitur vnus Seraphim dictus eſt purgaſſe incendio labia Prophetæ, non quia hoc ipſe immediatè fecerit, ſed quia inferior Angelus virtute eius hoc facit, ſicut Papa dicitur abſoluere aliquem, etiam ſi per alium officium abſolutionis impendat.* Iuxta quam doctrinam ille, qui exequutivè labia Prophetæ purgavit, non eſt dictus Seraphim, ſed ille, cuius virtute, & imperio inferior Angelus labia Prophetæ purgavit: vnde non fuerunt duo Seraphim, quorum alter eſſet ſupremus, & alter infimus.

QVÆSTIO XXIV.

De Miſſione Angelorum.

§. I.

Vtrùm Angeli in miniſterium mittantur?

1296 HVIC Quæſito Reſp. hic quæſt. 112. art. 1. ſic: *Aliqui Angeli mittuntur à Deo in miniſterium.* Tres partes habet concluſio, nempe aliqui Angeli mittuntur à Deo, in miniſterium. Et probantur ſigillatim. Prima quidem procedens ab aliquo vt incipiat eſſe vbi, vel non erat, vel non illo modo erat, mittitur; Angelus eſt huiuſmodi: ergo mittitur. Mai. Probat remittendo ſe ad doctrinam, quã docuerat ſuprà de miſſione divinarũ perſonarum, quæ mittuntur non vt ſint vbi non erant, ſed vt ibi ſint novo quodam modo eſſendi, ſub quomodo ibi non erant: igitur miſſio alicuius eſt proceſſio ab aliquo vt ſit, vel vbi non erat vel ut ibi ſit novo modo, quo antea non erat. Min. Prob. nam ſolius Dei eſt propriũ vbiquè eſſe, quia cum ſit vniverſale agens, eius virtus attingit omnia entia, & ſic eſt vbique: vnde ita eſt hic, quod eſt alibi: ergo Angelus acturus aliquid circa creaturam corpoream de novo applicat ſuam virtutem ad illam: ergo incipit eſſe vbi non erat. Secunda pars Prob. nempe quod ſit à Deo. Nã procedere vt modo ſit hic, quod nõ alibi, provenit ex imperio divino: ergo Angelus mittitur à Deo. Quod autem mittatur in miniſterium probatur ſic, nam actio, quam Angelus miſſus exercet in creaturam corpoream, ad quam mittitur, procedit à Deo ſicut à principio primo, cuius nutu, & auctoritate Angeli operantur, & in Deum reducitur, ſicut in vltimum finem: ergo in illa Angelus habet ſe vt inſtrumentum: ergo vt miniſter: ergo actiones Angelorũ miniſteria ſunt: ergo & ipſi in miniſteriũ mittuntur. Prima Conſ. Prob. quia inſtrumentũ eſt, quod ab alio movetur, & cuius actio ad aliud ordinatur: ergo ſi vi imperij divini Angelus agit in creaturã corporeã, & eius actio ad Deũ ordinatur, vere in illa actione Angelus cõparatur vt inſtrumẽtum Dei, ac per Conſeq. vt miniſter eius.

1297 Sic diſcurrit literã huius articuli Dominus Caietanus. Sed meo videri non fœliciter. Nam prima pars, quæ eſt quod Angelus mittitur, non Probatur. Etenim miſſio dicit proceſſionẽ ab alio, vt ſit alicubi vbi nõ erat, vel vt ſit ibi aliquo modo, quo antea non erat; in probatione autẽ adducta tantũ habetur, quod cũ Angelus ſit particulare agens non applicat virtutẽ ſuam ad totũ vniverſum, ſed ad vnã partẽ vniverſi, & ſic ita eſt hic: quod nõ eſt alibi: quibus ſolum probatur, quod Angelus moveri poſſit de vno loco ad alterum, non tamen probatur, quod mittatur: nam ad hoc ſecundũ requirebatur probare, quod Angelus procedat ab alio ad hoc quod ſit de novo, vbi antea nõ erat, quod facit D. Th. ſubſumens; *& hoc totũ fit per imperiũ divinũ*, ex quibus concludit, *vnde ſequitur ſecundũ præmiſſa, quod Angelus à Deo mittatur.* Sicque partes concluſionis D. Thom. tantum ſunt duæ; prima eſt Angelus mittitur à Deo, & ſecunda in miniſterium. Quarũ prima Prob. ſic mitti dicitur quod ab alio procedit vt incipiat eſſe vbi prius nõ erat, vel vbi prius erat per alium medium; ſed Angelus procedit à Deo vt ſit ibi, vbi prius non erat: ergo

mittitur à Deo. Min. Probatur quoad duo, quia Angelus incipit eſſe de novo, vbi antea non erat, quia cum ſit agens particulare non eſt vbique, ſed ſic eſt hic, quod non alibi: ergo poteſt eſſe de novo alicubi, vbi antea non erat; ſed hoc convenit ei ex imperio Dei: igitur Angelus procedit à Deo, vt ſit alicubi, vbi antea non erat: ex quibus evidenter ſequitur quod mittitur à Deo.

Secunda pars bene probata eſt, ſed difficultate non caret. Nam Angelus, dum operatur ad extra in aliquo corpore applicando illi ſuam virtutem vt ibi ſit, hoc facit propria virtute; nam talis effectus non excedit virtutē nativā Angeli: ergo nō operatur, neque eſt vbi antea non erat vt inſtrumētū Dei: falsū ergo eſt quod Angelus vt inſtrumētū in corpore operetur, & ſit ibi vt inſtrumentū. Confir. Angelus operans ad extra nō ſemper facit miracula, ſed aliquādo operatur multa, quæ miracula nō ſunt; movere enim cœlos miraculū non eſt, cum cœli apti nati ſint ad motum circularem; ſed ſola miraculorum operatio reducitur in Angelos vti in inſtrumenta divinitatis: ergo qū alia operatur, quæ miracula nō ſunt, non operatur ea vt inſtrumentū Deitatis.

Ad hoc reſpondetur, quod inſtrumētum eſt duplex: aliud phyſicū, & aliud morale: phyſicum eſt, quod non ex nativa virtute operatur effectum principalis agentis, licet per illam prævie diſponat ad illū, ſed operatur effectum principalis agentis per virtutem, vel motum phyſicum, quo à principali agente applicatur ad operandum: inſtrumentum morale eſt illud, quod licet ſecundum ſuam virtutem nativam operetur; non tamen operatur niſi ex mandato, & virtute alterius. Huius ſecundi generis ſunt illi, qui miniſtrant Principi, qui licet virtute nativa exequi poſsint id, quod Princeps fieri per eos iubet; non tamen illud faciunt niſi ex imperio, & iuſſu Principis: vnde actio eorum moraliter incipit à Principe, & ordinatur in Principem, dum tantum ſit vt obediatur Principi. Sic ergo Angeli, licet virtute nativa, & principaliter phyſicè multa operari poſsint ad extra circà corpoream creaturam, tamen quia hæc operari nequeūt niſi ex iuſſu, & auctoritate Dei, cuius perpetuę ſervituti cōſecrati ſunt, miniſterialiter, & inſtrumentaliter moraliter circa creaturam operari dicuntur. Vnde in forma, diſt. Conſ. ergo non operatur, neque eſt vbi antea non erat, vt inſtrumentum Dei, phyſicum, conc. Conſeq. morale, nego Conſeq. Ad Confir. diſt. Mai. ſed ſola operatio miraculorū reducitur in Angelos vti in inſtrumentū divinitatis, phyſicum, conc. Conſeq. morale, nego Conſeq. Hæc enim eſt diſcrimen inter miſsionem, qua Angelus mittitur ad faciendum miracula, & qua mittitur ad operandum ea, quæ eius virtutem nativam non excedunt: quod in prima habent ſe Angeli vt inſtrumenta Deitatis phyſica, & moralia; in ſecunda tantum vt inſtrumenta moralia. Prima quia iubentur à Deo facere ea, quæ ſupra eorum facultatē ſunt, & quæ ab ipſis tantum vt inſtrumentis procedere poſſunt. Secunda autem quia non niſi iuſſu, & Dei auctoritate faciunt circa corpora ea, quæ ſecundum nativam virtutem facere poſſunt.

1298 Contra concluſionem inſtabis. Omnis enim miſsio eſt ad aliquem determinatum locum; ſed actiones intellectuales non determinant ſibi locum, quia intellectus abſtrahit ab hic, & nunc: cum igitur actiones Angelicæ ſint intellectuales; videtur, quod Angeli ad ſuas actiones agendas non mittantur. Reſpond. actiones intellectuales eſſe in duplici differentia: alias eſſe ſic intellectuales, quaſi in ſolo intellectu conſiſtentes, vt contemplatio, quæ per ſolum intelligere fit, & iſtæ operationes non determinant ſibi locum; aliæ dicuntur intellectuales, quia ab aliquo intellectu regulatæ, & imperatæ ſunt, & iſtæ poſſunt interdum ſibi determinare loca. Iuxta quam diſtinctionem, diſt. Min. & negatur Conſeq.

Sed inſtas, in Angelis non dantur actiones intellectuales niſi illæ, quæ in ſolo intelligere conſiſtunt: neque enim ponimus in Angelis potentiam exequutivam ad extra diſtinctam realiter ab intellectu, & voluntate, neque alias actiones exequutivas agnoſcimus, niſi illæ, quæ actus intellectus immanentes formaliter, & ſolū virtualiter tranſeuntes ſunt: ergo ſi iſtæ non determinant ſibi locum, non videtur dari in Angelis actiones, iuxta quas mittantur ad determinata loca. Ad hoc, nego ſuppoſitū Conſequentis, videlicet, quod actiones intellectuales, quæ virtualiter tranſeuntes ſunt nō determinent ſibi locum: determinant quidem, nam cum per illas Angeli locentur in corporibus operādo in eis aliquos effectus, quos Deus imperat, & ad quos operando in determinatis corporibus Deus ſua auctoritate movet; ſit inde, quod prędictę operationes determinent ſibi locū, phyſicè quia eli-

Digitized by Google

eliciuntur ad operandum circa determinata corpora, & moraliter, quia Deus imperio ſuo movet Angelos vt in his præ aliis locis ſint, vt in illis operando Deo miniſtrent: ſunt ergo in Angelo operationes intellectuales purè immanentes, & iſtæ non determinant ſibi locum: ſunt & aliæ, quæ ſunt virtualiter tranſeuntes, & iſtæ ſibi determinant locū iuxta regulā, & imperium intellectus, á quo regulantur, & imperātur.

1299 Inſtabis ſecundo contra Concluſionem: Cœlum Empyreum eſt locus pertinens ad dignitatem Angelorum: ſi igitur ad nos mittantur ad miniſterium, videtur, quod eorum dignitati aliquid deperear, quod eſt inconveniens. Ad hoc reſp. D.Thom.ſic: *Dicendum, quod cœlum Empyreum pertinet ad dignitatem Angeli ſecundum congruentiam quandam, quia congruum eſt vt ſupremum corporum, naturæ, quæ eſt ſuper omnia corpora, attribuatur; non tamen Angelus aliquid dignitatis accipit à cœlo Empyreo, & ideo quod actu non eſt in cœlo Empyreo, nihil eius dignitati ſubtrahitur. Sicut nec Regi quādo actu non ſedet in Regali ſolio, quod congruit ſuæ dignitati.* Sic D.Thom.

Contra quod inſto ex doctrina eius ſupra q.64. art.4. ſol.ad 3. ibi: *Vnde dicendum eſt, quod ſicut locus cœleſtis pertinet ad gloriam Angelorum, tamen gloria eorum non minuitur, quando ad nos veniunt, quia conſiderant locū illum eſſe ſuum, eo modo quo dicimus honorē Epiſcopi non minui, dum actu non ſedet in cathedra: ſimiliter dicendum eſt, quod dæmones licet non actu alligentur gehennali igni, dum ſunt in aere iſto, tamen ex hoc ipſo quod ſciunt illam alligationem ſibi deberi, eorum pœna non diminuitur.* Ex quibus argumentor ſic. Si Angeli dum veniunt ad nos, & Empyreū relinquunt, non conſiderent Empyreum eſſe locum ſuum, vere diminueretur aliquid gloriæ eorum: ergo cœlum Empyreum aliquo modo glorificat Angelos: ergo & aliquid dignitatis tribuit eis: nam id, quod beatos aliquo modo glorificat, non poteſt non aliquid dignitatis eis tribuere. Confirm. exemplo cathedræ. Nullus enim negare poteſt cathedram Epiſcopum honorare, ideoque honorē non amittere, dū actu in cathedra non ſedet, quia ſemper iudicat cathedram eſſe ſuam: ergo à fortiori Empyreum dabit dignitatem Angelo: nam iuxta D.Thom. ſic comparatur Empyreum ad Angelum: ſicut cathedra ad Epiſcopum. Confir. infernus dat ignominiam Dæmonibus, quia eſt locus paratus ad ſupplicium: ergo Empyreum dabit dignitatem Angelis, quia eſt locus per ſe dicatus ad gloriam beatorum.

Ad hoc dico D.Thom. duplici via defendere quod Angeli dum deſerunt Empyreū, & veniunt ad nos, nihil deperdere dignitatis ſuæ. Primū, quia Empyreum nō dat dignitatem Angelo, ſed potius accipit ab Angelis dignitatē: ſicut Curia non dat dignitatē Principibus, ſed potius ab incolatu eorum ſuam Curia accipit dignitatem, & ſic quantumvis Angeli, dum mittuntur ad nos, Empyreum deſerant, tamen per hoc nihil dignitatis ſuæ amittunt. Alia via hoc ipſum defendit D. Thom. quaſi admittens quod Empyreum det dignitatem Angelis: admittens dico gratia diſputationis, ſicut admittit ille, qui inter reſpondendum dat tranſ. ad aliquam propoſitionem æſtimans quod eſto illam concedat, non tamen circa Conſeq. convincetur: in quo ſenſu loquens, dicit non amittere aliquid gloriæ, vel dignitatis Angelos per hoc quod Empyreum deſerant, & veniant ad nos; quia dato quod Empyreum aliquid conduceret ad gloriam eorum, non tamen per abſentiam ab Empyreo perderent aliquid gloriæ, quia ſemper conſiderarent illum locum eſſe illis debitum. Prima via diſcurrit Div. Thom. hic articul. 1. & ſecunda ſupra quæſt. 64. articul. 4. Vnde non ſibi contrariatur. Et ſic ad argumentum factum ex eius auctoritate, diſt. Antec. ſi Angeli dum veniunt ad nos, & Empyreum relinquunt, non conſiderarent Empyreum eſſe locum ſuum, vere aliquid gloriæ ſuæ amitterent, ex ſuppoſitione quod Empyreum det aliquid gloriæ, & dignitatis Angelis, conc. Anteced. abſolute loquendo, nego Antec. & Conſeq. Itaque dum D. Thom. recurrit ad conſiderationem Angeli de eo quod Empyreum ſit locus eius, loquitur non ſecundum propriā opinionem, ſed admittendo ſententiam aliorum: vnde ex eius dictis nihil in contra convincitur.

Ad Confirm. tranſ. quod cathedra det honorem Epiſcopo, qui cum corporalis ſit, poteſt à corporibus honorem accipere, & nego Conſeq. Nam Angelus ſupra omnia corpora eſt, & illis omnibus præſidet, & ſic à nullo eorum dignitatem ſuam emendicare valet. Ad ſecundam, conc. quod infernus Dæmones ignominiet, eo quod eſt carcer eorum, & concurrit ad pœnā damnatorum, quorum magna pars pœnæ

eſt incarnatio; nego tamen quod Empireum tribuat dignitatē, quia gloria Angelorum tantum conſiſtit in hoc quod eſt videre Deum in ſe ipſo: videre autem illum in hoc, vel illo loco, licet maiorē decentiam, & congruentiam afferat, non tamen gloriā auget: eſt enim pura ſpeculatio, quæ nullum ſibi determinat locum.

1300 Inſtabis tertio, exterior occupatio impedit ſapientię contemplationem: vnde dicitur Eccleſiaſt. 29. *qui minoratur actu percipiet ſapientiam*; ſi igitur aliqui Angeli mittuntur ad externa miniſteria, videtur, quod retardentur à contemplatione; ſed tota beatitudo eorum in contemplatione Dei ſtat: ergo ſi mitterentur, minueretur eorum beatitudo. Reſp. D. Thom. *Quod in nobis exterior occupatio puritatem contemplationis impedit, quia actioni inſiſtimus ſecundum ſenſitivas virtutes, quarum actiones, cum intenduntur, retardantur actiones intellectivæ virtutis; ſed Angelus per ſolam intellectualem operationem regulat ſuas actiones exteriores: vnde actiones exteriores in nullo impediunt eius contemplationem, quia duarum actionum, quarum vnā eſt regula, & ratio alterius, vna non impedit, ſed iuvat aliam. Vnde Gregorius dicit in 2. Moral. quod Angeli non ſic foris exeunt, vt interna contemplationis gaudijs priventur.* Sic D.Tho. In cuius litera habetur difficultas; primò quia ponit in Angelo duplex genus actionum, nempe internarum, & externarum, quarum iſtas affirmat regulari ab Angelo per illas; hoc autem videtur falſum, nam iſtæ actiones externæ condiſtinctæ ab interioribus erunt abſque dubio formaliter tranſeuntes, quas non admitimus in Angelis: ergo. Secundo habetur difficultas in eo quod dicit, quod Angelus per ſolam ſuam intellectualem actionem regulat actiones exteriores, ex quo concludit, quod Angeli ex hoc quod mittantur in miniſteria non diſtrahuntur à contemplatione. Etenim vel per actionem intellectualem regulantem intelligit D. Thom. ipſam viſionem beatam, vel aliam intellectualem operationem; ſi hoc ſecundum, nihil concluditur; nam argumentum prætendit probare quod occupatio externa diſtrahat Angelum à beatitudine, quæ in viſione beata conſiſtit: ergo vt probet quod viſio beata non impeditur per externam occupationem, debet aſſumere pro medio probativo ipſammet beatam viſionem, dicendo, occupatio externa regulatur per ipſam viſionem beatam: ergo non impedit illam. Prob. Conſeq. quia duarum actionum, quarum vna eſt regula alterius, non impedit aliam illa, quæ regulatur: ergo ſi occupatio externa regulatur per actionem beatam, non impediet eam: ſi autem dicatur primum; dicemus falſum: nam miniſteria Angelorum regulantur per ſpeciales revelationes de agendis, quæ extra Verbum fiunt: non ergo verum habet doctrina D.Thom. in ſolutione adducta.

Ad primam difficultatem dico, D.Th. nomine *actionum exteriorum* intelligere ipſam actionem intellectualem vt virtualiter tranſeuntem, per quam ſupra diximus Angelum extra ſe operari, & locari in creatura corporea: vnde ex vi literæ non cogimur ponere in Angelo actiones formaliter tranſeuntes. Ad ſecundam difficultatem dico, per intellectualem actionem regulantem actiones externi miniſterij intelligere viſionem beatam. Etenim Angelus circa illas externas operationes duas habet regulas; alteram, quæ movet de agendis hic, & nunc, & hæc eſt cognitio, quam percipit Angelus ex vi illuminationis, quæ extra Verbum fit: alia eſt regula rectitudinis infallibilis, per quam Angelus beatus nec errare, nec peccare poteſt in ſuis operationibus, & hæc regula eſt viſio beata, per quam Angelus beatus nec metaphyſicè errare, vel peccare poteſt: vnde rectè concludit D. Thom. quod quia actio externi miniſterij regulatur in Angelo per viſionem beatam, non poſſit retardare, vel impedire illam, quia actio regulata nequit impedire regulantem.

§. II.

Vtrùm omnes Angeli in miniſterium mittantur?

1301 QVÆSITO Reſp. D. Th. quod ſuperiores Angeli nunquam ad exterius miniſterium mittuntur. Probat 1. ex Greg. qui referens ſententiā Dionyſij dicit: *Superiora agmina vſum exterioris miniſterij nequaquā habent.* Verba Gregorij homil. 34. in Evangelica ſic habent: *Docet autē Dionyſius quod ex minorum Angelorum agminibus foras ad explendum miniſterium, vel viſibiliter, vel inviſibiliter mittuntur, ſcilicet quia ad humana ſolatia, vel Angeli, vel Archangeli veniunt: nam ſuperiora illa agmina ab intimis nun-*

nunquam recedant, quoniam quæ præeminent, vſum exterioris miniſterij nequaquam. Ratione prob. Concluſio. Illi ſoli Angeli mittuntur in exterius miniſterium, quorum nomina externa miniſteria deſignant; at ex novem ordinibus ſolum quinque inferiores ſignificant externa miniſteria: igitur ſuperiores ordines non mittuntur. Conſeq. eſt bona, Min. etiam patet, quia nec imperiũ, quod importatur nomine Dominationũ, nec quies, ſeu tranquillitas mentis, plenitudo ſciẽtiæ, aut ardor charitatis, quæ ſignificãtur nomine Thronorũ, Cherubim, & Seraphim deſignant exterius miniſteriũ; bene vero hoc deſignant Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli, & Angeli: ergo. Mai. vero Prob. nam ordo, qui reperitur inter Angelos, & ſignificatur per eorũ nomina, nunquam prætermittitur: ergo ſi ex ordine habetur quod præfata quinque mittuntur, & alia quatuor ſuprema non mittantur, illi ſoli Angeli in exterius mittentur miniſterium, quorũ nomina externa miniſteria deſignant. Ant. probat D. Th. ſic. Etenim ab ordine, quem habent corporalia, videlicet, quod inferiora per ſuperiora adminiſtrantur, aliquando ex divina diſpenſatione receditur propter altiorẽ ordinem, ſecundũ ſcilicet quod expedit ad gratiæ manifeſtationem: quod enim cæcus natus illuminatus fuit, quod Lazarus fuit ſuſcitatus immediatè à Deo factũ eſt abſque aliquâ actione cœleſtium corporum: imò & Angeli boni, & mali poſſunt aliquid in iſtis corporibus operari præter actionẽ cœleſtium corporum condenſando nubes in pluvias, & alia huiuſmodi faciendo; at ordo Angelorum cum attendatur ſecundum ordinem gratiæ, & ordo gratiæ non habeat ſupra ſe alium altiorem ordinem, propter ſuperiorem ordinem prætermitti non poteſt. Secundo hoc ipſum Probat. Nam ordo naturæ in operatione miraculorũ prætermittitur propter fidei confirmationem; at prætermiſſio ordinis Angelorum ad hoc deſervire non poteſt, quia hæc prætermiſſio à nobis percipi non poſſet: ergo. Tertio probat, quia nihil eſt ita magnũ in miniſterijs divinis, quod per inferiores ordines exerceri non poſſit; vnde Gregorius dicit: *Quod qui ſumma annunciant vocantur Archangeli, & ad Mariam Virginem Archangelus mittitur*, quod tamen Incarnationis myſterium fuit ſummum inter myſteria: ergo ſine neceſsitate prætermitteretur talis ordo; hoc autem dici non poteſt; ergo.

1302 Circa hoc quæſitum Scotus, Durandus, Molina, Valentia, & alij multi eorum aſſeclæ tenent omnes Angelos immediatè mitti miſsione viſibili, ita tamen vt inferiores regulariter mittantur, ſuperiores vero ex ſpeciali tantum diſpenſatione, & ad aliquem effectum extraordinariũ. Alij autem inter quos adeſt Gonet hic diſp. 14. *§. pro completa* tenet, quod quandò D. Thom. dicit, quatuor primorũ ordinũ de lege ordinaria ad exteriora miniſteria non mitti, hoc intelligendum eſt de miſsione, qua Angeli mittuntur ad ſalutem hominũ, & de miniſterijs, quæ ad ſalutem hominũ ordinantur, cum quo bene ſtat, quod Angeli ſupremæ Hierarchiæ miſsi fuerint ad miniſtrandum Chriſto tanquam proprio capiti, & Domino. Quod probat quia Chriſoſt. expendens illud Lucæ 2. *Facta eſt multitudo cœleſtis canentium, & decentium gloria in altiſsimis Deo*, ſic inquit: *Supernorum Chororum, Cherubim, & Seraphim, hoc eſt munus, Deum aſſiduè laudare, & hymnis celebrare, ex his Choris etiam in terra apparuerunt cum vigilantibus paſtoribus cantantes.* Probat Secundo, nam Math. 25. dicitur: *Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo*, quæ diſtributio licet completa non ſit, aliàs ſine aliquo Angelo remaneret Deus in Empireo, ſaltim vt verificetur, debet accipi incompletè, id eſt, pro generibus ſingulorum, ſic vt fateamur, quod ſaltim ex qualibet Hierarchiâ, & quolibet ordine aliqui ſint venturi cum Chriſto ad oſtendendam maieſtatem eius: ergo. Ratione probat. Nam ordo hypoſtaticus ſuperior eſt ordine gratiæ: ergo poterit prætermitti ordo Angelicus, qui ſecundum ordinem gratiæ dicitur propter ordinem hypoſtaticum.

Tertia ſentẽtia eſt Dñi Caietani in præſenti articulo, qui tenet quod de potẽtia ordinaria non eſt poſsibile quod ſuperiores mittantur, bene autẽ de potẽtia abſoluta. Quæ ſententia eſt mens D. Th. & ideo ſit noſtra concluſio. Quam primo probo ex Div. Thom. qui refert ſententiam eorum, qui dicebant, quod ſecundum legem communẽ ſuperiores non mittuntur, ſed tantum inferiores; ex divina tamen diſpenſatione interdum etiam ſuperiores mittuntur, qua ſententia relata, inquit D. Thom. *Sed hoc non videtur rationabile, quia ordo Angelicus attenditur ſecundum dona gratiæ: ordo autem gratiæ non habet alium ſuperiorẽ ordinem, propter quam prætermitti debeat, ſicut præ-*

termittitur ordo naturæ propter ordinem gratiæ: in quibus D. Thom. non negat dari ordinem ſuperiorem ad gratiam, propter quem prætermitti poſsit, ſed negat dari ordinem ſuperiorem ad gratiam, propter quem prætermitti debeat. Verum eſt enim quod ordo hypoſtaticus eſt ordo ſuperior ordine gratiæ, verum eſt etiam quod propter illum prætermitti poteſt ordo Angelicus; ſed tamen non ſic eſt ſuperior, quod propter illum ſit neceſſe prætermitti ordinem gratiæ. Cuius rationem aſsignat in alia probatione, quia ordo hypoſtaticus, nempe incarnatio Verbi, eſto ſupremus ordo, imò & ſummum myſterium ſit, tamen quidquid miniſtrari poteſt circa illud ab Angelis, exactiſsimè fit per Angelos tertiæ Hierarchiæ: ergo ordo hypoſtaticus non eſt ſic ſuperior ad ordinem Angelorũ, quod propter illud ſit neceſſe prætermitti ordinem Angelicum.

1303 Sed quia Gonet offendit in hac probatione D. Th. quia, vt verum dicàm, eam non videtur intelligere; placet pauliſper in eius intelligentia immorari. Etenim D. Thom. non negat ordinem hypoſtaticum eſſe ſuperiorem ad ordinẽ gratiæ; vnde non negat gratiam habere ordinem ſibi ſuperiorem, ſed dicit, quod ſicut non prætermittitur ordo naturæ niſi ad faciendum aliquid, quod per vires naturæ fieri non poteſt, bene autem per vires gratiæ: ſic nequit prætermitti ordo gratiæ niſi ad faciendum aliquid, quod per vires gratiæ fieri non valet; benè verò per vires ordinis altioris fieri poteſt: nihil autem ex his, quæ Angeli exterius facere poſſunt, vel circa ſalutem fidelium, vel circa ipſam vnionem hypoſtaticam, vires gratiæ ſuperat, ſic, quod neceſſe ſit recurrere propter hoc ad ordinem altiorem: non ergo propter áliquod adminiſtrationis genus quantũvis ſupremum debet prætermitti ordo gratiæ, ac per conſequens neque ordo Angelicus, qui ſecundum dona gratiæ ſit, & inſtitutus eſt. Explicatur hoc exemplis D. Th. Etenim quia natura non habet vires ad recuperandum viſum amiſſum, vel nunquam habitũ, Deus prętermiſſo curſu naturæ illuminat cæcos natos, & quia natura non habet vires ad hoc vt mortui reſurgant ideo prętermiſſo ordine, & curſu naturę, mortui reſurgent per vires ſuperiores, quas non habet natura; ſed habet Deus, qui eſt conditor naturæ; nihil autem factibile eſt à pura creatura, qualis Angelus eſt, quod ſi ſuperat vires naturæ, ſuperet quoque vires gratiæ: quia creatura nequit per alias vires operari niſi per vires naturæ, & gratiæ: ergo non eſt aliquod miniſterium factibile per Angelos, quod per vires gratiæ non poſsit exerceri: cum ergo ordo Angelicus ſecundum dona gratiæ inſtitutus ſit, non eſt aliquid, quod neceſsitet ad eius prætermiſsionem.

Ex hac vera D. Thom. intelligentia, colligitur minus rectè dixiſſe Gonet loco citato, quod miniſterium Annunciationis, Incarnationis Dominicæ exhibitum per Gabrielem aptè fuerit illi commendatum, quia licet myſterium Incarnationis fuerit altiſsimum, tamen communicatio illius valdè remotè ſe habuit, & extrinſecè ad myſterium: vnde illud annunciare tantum fuit remotè cooperari ad myſterium Incarnationis; propinquius autem cooperatus eſt Sanctiſsimus Ioſeph, qui per excellentem gratiam, & ſanctitatem dignus miniſter eſt factus tanti myſterij. Minus rectè quidem hoc eſt dictum: nam ex illo ſequitur, quod ſi magis de propinquo miniſterium debuiſſet fieri circa Incarnationem, hoc non poſſet fieri per Archangelũ, quod expreſsè contradicit literæ D. Thom. vbi habet: *Nihil etiam eſt ita magnum in myſterijs divinis quod per inferiores ordines exerceri non poſsit*: ſentit ergo quod ſive remotè, ſive proximè miſterium fiat circa vnionem hypoſtaticam, poterit aptiſsimè fieri per Angelos inferiorum ordinum.

Ex his ad primum Gonet ex auctoritate Chriſoſt. dico, quod ex omnibus choris Angelorum apparuerunt Angeli in nativitate Domini, non per ſe ipſos immediatè apparentes, ſed per Angelos inferiores, quorum virtute Salvatori nato miniſtrarunt, ſimili modo, quo ipſe Gonet explicat illud Iſaiæ 6. & deſcendit vnus de Seraphim, & purgavit labia Prophetæ, quod dixit Gonet cum D. Thom. non debere intelligi ſic, quod ipſe Seraphim in perſona deſcenderit ad purgandum labia Prophetæ. Ad ſecundum ex illo Math. 25. *Et omnes Angeli eius cum eo*, dico, quod non eſt neceſſe ad veritatem illius vniverſalis aſſerere quod ex quacumque Hierarchia, & ex quocumque ordine Angeli deſcenduent cum Chriſto, deſcenſu immediato convenienti eis in propria perſona, ſed ſufficit dicere, quod deſcendent ſuperiores per inferiores modo iam explicato. Ad argumentum ex ratione deſumptum dico, poſſe quidẽ præter,

Digitized by Google

termitti propter vnionem hypoſtaticam de po entia abſoluta, non vero de potentia ordinaria: & ratio eſt, quia cum Scriptura, & Sancti, nempe Dionyſius, cui debemus ſtare, quia fuit diſcipulus Pauli, deſignent nomina eorum Angelorum, qui mittuntur, & nomina eorum, qui non mittuntur, & alias vt inquit D. Thom. *Nihil ita magnum ſit, quod non poſſit aptiſſimè exerceri per Angelos inferiores*, non debemus nos hunc ordinem in Scriptura, & Sanctis ſtatutum pervertere, aſſerendo, quod etiam mittătur ſuperiores. Nec valet quod Godet dicit, D. Thom. loqui in ordine ad ſalutem electorum, non vero in ordine ad vnionem hypoſtaticam. Non (inquam) valet, quia ex illo dicto infert D. Thom. ſic: *Hinc eſt quod ad Virginem Mariam Gabriel Archangelus mittitur, quod tamen fuit ſummum inter omnia myſteria*: ergo Div. Thom. non loquitur in ordine ad ſalutem electorum tantum, ſed etiam in ordine ad vnionem hypoſtaticam.

1304 Sed contra concluſionem D. Thom. argues, ex illo ad Hebræos primo: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: ergo omnes mittuntur. Ad hoc reſp. D. Thom. in comment. ad Epiſt. ad Hebræos: *Dicendum eſt, quod ſicut videmus in artificibus quod duplex eſt genus artificum, quidam enim ſunt quaſi manu exequentes; alij autem non exequuntur manu, nec operantur, ſed ſunt artifices diſponentes, & quaſi præcipientes quid agendum ſit, ita & in Angelis eſt, quia quidam ſunt quaſi exequentes quæ à divina iuſſione procedunt circa nos agenda, quidam vero quaſi præceptores præcipientes ea, quæ agenda ſunt: accipiendo ergo largo modo adminiſtratores tàm pro exequentibus, quàm pro imperantibus, ſic omnes ſunt adminiſtratores, vel adminiſtratorij, in quantum ſuperiores exequuntur Dei voluntatem circa medios, & medij circa infimos, & infimi circa nos; ſed ſi dicamus adminiſtratorios ſolum eos, qui exequũtur, alij autem, qui immediatè accipiunt à Deo, aſſiſtentes, ſic quidam miniſtrant, quidam aſſiſtunt, & tradunt alijs.* Sic D. Th. Poſt quæ obijcit ſibi: *Nam non ſolum omnes dicuntur adminiſtratorij, ſed dicuntur etiã in miniſterium miſſi: igitur omnes exequuntur.* Ad quod reſp. *Quod duplex eſt miſſio: vna, quæ motum localem importat, & ſic mittuntur ſolum inferiores: alia eſt miſſio, quæ fit per applicationem, & directionem novi effectus in creatura, & ſic mittuntur Filius, & Spiritus Sanctus & hoc modo mittuntur ſuperiores, quia virtus eorum immittitur in inferiores immittenda alijs.*

Sed inſtas: ergo propriè loquendo de miſſione ſuperiores mittuntur. Prob. Conſ. nam ſuperioribus convenit mitti eo modo, quo convenit divinis perſonis; ſed mitti propriè convenit divinis perſonis: ergo & propriè conveniet Angelis ſuperioribus. Reſp. quod perſonæ divinæ propriè convenit mitti, non verò in miniſterium, vt docet Angelicus Doctor hic, art. 2. ad 3. vnde esto concedatur ſuperiores propriè mitti eo modo, quo mittuntur perſonæ, non erit contra concluſionem, in qua dicimus ſuperiores non mitti in miniſterium. Sed melius reſp. quod perſonis divinis non convenit propriè mitti, ſed tantum æquivocè, quod docet D. Thom. loco proximè citato: vnde ſi ſuperiores eo modo, quo perſonæ divinæ mitti dicuntur, non infertur propriè eos mitti. Et quidem quæſtio noſtra procedit de miſſione eo modo, quo convenit inferioribus per mutationem loci: vnde cum hæc negetur ſuperioribus, habetur intentum.

1305 Secundo argues. Superiores ideo non mitterentur in miniſterium, quia exequuntur divina miniſteria per inferiores: ergo cum omnes Angeli ſint inæquales, ſic, quod citra infimum Angelũ ſemper datur Angelus alio ſuperior, ſequatur ſolum Angelum infimum mitti in miniſterium. Reſp. D. Thom. quod *in divinis miniſterijs eſt multiplex gradus: vnde nihil prohibet etiam inæquales Angelos ad miniſteria mitti, ita tamen quod ſuperiores mittantur ad altiora miniſteria, inferiores vero ad inferiora.* Itaque eſt ſuperioritas Hierarchiæ ad Hierarchiam in hoc, quod vna eſt Angelorum aſſiſtentiũ, & alia exequentium: inter iſta ergo ordo ſuperioris, & inferioris elucet in eo, quod aſſiſtentes exequuntur per Angelos Hierarchiæ exequentiũ, ſuperioritas autem, quam habet Hierarchia exequentium inter ſe nõ penſatur per hoc, quod ſuperiores intra Hierarchiam exequantur per inferiores ſibi intra eandem Hierarchiã: alias non eſſet Hierarchia exequentium: penſatur ergo ex alio capite intra lineam exequentiũ, nempe quod quò ſuperiores ſunt, qui exequuntur, tanto nobiliora ſunt eorũ officia, & miniſteria: vnde nunquam ſequitur quod ſolum Angelus infimus ſit, qui exequatur.

(‧I‧)

Vtrum

§. III.

Vtrùm Angeli, qui mittuntur, aſsiſtant?

1306 HVIC Quæſito volens ſatiſfacere Ioannes Scotus, qui primo commentatus eſt libros Dionyſij, videns ex vna parte quod Gregorius dicit: *Angelos aſsiſtentes eos dici, qui intima Dei contemplatione fruuntur*, & ex alia parte conſiderans quod aſsiſtentes non mittuntur ſecundũ Dionyſium, dixit; quod Angeli inferiores non vident Deum per eſſentiam, arguens ſic. Angeli, qui mittuntur, cum inferiores ſint, aſsiſtentes non ſunt; at ſolos aſsiſtentes Deum videre per eſſentiam à Gregorio dicitur: igitur Angeli inferiores cum non ſint aſsiſtentes, Deum per eſſentiam non vident. Quam opinionẽ hæreticam dicit D. Thom. in loco ad Hebræos citato. Ex eo, quod cum beatitudo perficiatur ex viſione Dei, ſequeretur quod Angeli inferiores non videntes Deum per eſſentiam, non eſſent beati: eſt etiam contra dictum Chriſti: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*, qui locus de Angelis cuſtodibus hominum intelligitur, qui inferiores ſunt. Vnde inquit Angelicus: *Dicendum, quod omnes vident Deũ per eſſentiam, non tamen omnes aſsiſtunt*. Ad cuius evidentiam notat, *quod ſicut Deus cognoſcendo eſſentiam ſuam, etiam ſe ipſum cognoſcit, & omnes res in ipſo, ita & Angeli videntes Deum per eſſentiam, & Deum cognoſcunt, & omnes res in ipſo, in qua quidem viſione, ideo ſolum ſunt beati, quia Deum vident, non ideo quia res in ipſo cognoſcunt: vnde Auguſtinus in libro confeſſ. dicit; beatus, qui te videt, etiam ſi illa non videat; qui autem te, & illa cognoſcit, non propter illa beatior, ſed propter te: viſio autem, qua Deum vident per eſſentiam, eſt omnibus beatis communis: in viſione autem, qua res cognoſcunt in Deo, vnus Angelorum præeminet alij: nam ſuperiores vtpote altioris naturæ, & intellectus plura vident in Deo, quam medij & iſti quam infimi: vnde iſti vident omnia, quæ ad eorum officia pertinent, & quæ ſunt exequenda per alios, quæ non ita perfectè vident inferiores, & ideo alijs exequenda tradduntur; & propter hoc, iſti ſolum aſsiſtunt, & tamen omnes vident Deũ. Et in huius ſignum dicit Dionyſius, quod quibuſdam Angelis quærentibus, ipſe Deus immediatè reſpondet, ſicut Iſaiæ, quis eſt iſte, qui venit de Edom? Et reſpondet ipſe. Ego, qui loquor iuſtitiam: Quibuſdam vero reſpondet per Angelos, ſicut* Pſalm. 33. *Quis eſt iſte rex gloriæ? Reſpondent Angeli, & non Deus, Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Aſsiſtentes ergo Angeli illi dicuntur, qui immediatè accipiunt illuminationes divinas ab ipſo Deo: vnde & nominibus relatis ad Deũ nũcupantur, ſicut Seraphim amantes Deum, Cherubim cognoſcentes, Throni Deũ portantes: miniſtrantes vero dicuntur, qui ab alijs, & non à Deo immediatè de agendis illuminantur. Quæ dicta ſunt ad ſimilitudinem eorum, qui alicui Regi famulantur: nã aliqui eorum ſemper aſsiſtunt, & eius præcepta immediatè audiunt; alij vero ſunt, ad quos præcepta regalia per aſsiſtentes nũciantur, ſicut illi, qui adminiſtrationi Civitatum præficiuntur, & hi dicuntur miniſtrantes, ſed non aſsiſtentes.

Ex hac doctrina apparet quæſiti reſponſio. Etenim omnes Angeli beati, ex quo divinam eſſentiam videãt, communiter Deo dicuntur aſsiſtere: vnde Gregorius dicit: quod *ſemper aſsiſtere, aut videre faciem Patris poſſunt, qui ad miniſterium exterius mittuntur pro noſtra ſalute.* Propriè autem ſoli aſsiſtere dicuntur, qui ſecreta divinorũ myſteriorum in ipſa Dei claritate cognoſcunt: hoc autem non convenit his, qui mittuntur: quia cum inferiores ſint, præfata ſecreta in ipſo Deo immediatè cognoſcere non poſſunt, vnde concluditur, quod qui mittuntur, aſsiſtentes non ſunt.

1307 Contra hanc veritatem facit illud, quod Raphael Angelus in Thobiæ miniſterium miſſus dixit; nempe, *ego ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Deum*, quibus ſe eſſe Angelum aſsiſtẽtem monſtravit: ergo aſsiſtentes mittuntur. Præterea, Iob 1. dicitur de Satham, *cum aſsiſterent Filij Dei coram Domino affuit inter illos Satham*: ex quo infertur quod ſi diabolo convenit Deo aſsiſtere, à fortiori cunctis alijs beatis convenire poterit. Ad primum dico, Raphaelem fuiſſe de infimis Angelis, vtpotè in cuſtodiam vnius pauperis Thobiæ deputatus; dixiſſe tamen ſe eſſe de aſsiſtentibus, communiter, non tamen propriè, id eſt, eſſe Angelum bonum, & beatũ de his, qui faciem Dei ſemper vident: numerus enim ſeptem vniverſitatem ſignificat teſte Gregorio. Ad ſecundum dico, Scripturam non dicere Sathan aſtitiſſe, ſed tantum dicere affuiſſe inter illos, qui aſtabant coram Domino: vnde nihil concluditur.

1308 Circa literam Div. Thom. occu-

Digitized by Google

occurrit mihi non leve dubium: dicit enim quod *aſsiſtentes ſunt, qui in ipſo Deo ſecreta divinorum myſteriorum vident.* Circa quod dubito, an loquatur D. Thom. de viſione beata? nam ex vna parte videtur quod ſic, vt clare denotat contextus. Legatur. Ex alia parte videtur quod non. Tum quia D. Thom. dicit, quod in viſione, qua Deum vident, & ſecundum quam beati ſunt, omnes communicant: in ea autem cognitione, qua res in Deo cognoſcunt, vnus præeminet alteri: hæc autẽ vera eſſe non poſſunt loquendo de cognitione, quæ ex vi penetrationis Dei occultæ rationes divinorum operum cognoſcuntur, nam niſi ſit inæqualitas circa hoc, quod eſt videre Deum magis, & minus, non ſtat inæqualitas circa hoc, quod eſt plura videre in Deo; nam hæc ſecunda inæqualitas oritur ex prima.

Secundo, nam circa ea, quæ occurrunt agenda circa ſalutẽ electorũ, Angeli indies de novo à Deo illuminantur: hæc autem ſucceſsiva illuminatio repugnat fieri per viſionem beatam, quæ neque circa primarium, neque circa ſecundarium obiectum admittit mutationem: vnde beatus, ex quo incipit ſuam beatitudinem, videt omnimodo, quo per diſcurſum æternitatis viſurus eſt ipſum, & videt etiam res omnes, quas per totam æternitatem ex vi viſionis Dei cognoſciturus eſt: non ergo eſt loquutio de viſione beata. Tertio hoc ipſum probo argumento efficacißimo, diſtinctivum Hierarchiarum attenditur ſecundum viſionem beatam, vt ſæpius vidimus; at illuminari immediatè à Deo eſt per ſe diſtinctivum primæ Hierarchiæ à ſecunda, vt patet ex diſcurſu, & doctrina D. Thom. ergo illuminari immediatè à Deo non fit per viſionem beatam.

1309 Valde difficile invenio ſtãdo in cortice literæ D. Thom. defendere, quod illuminationes iſtæ, quæ fiunt Angelis immediatè à Deo, non fiant per ipſam viſionem. Cæterum multoties non debemus hærere literæ, ſed inquirere ſpiritum eius. Vnde crediderim Angelos, de quibus habemus, quod immediatè illuminantur à Deo illuminatione, per quam conſtituunt ſibi Hierarchiam diſtinctam, non illuminari ipſa viſione beata formaliter, ſed tantum cauſaliter. Primam partem probant rationes factæ, quæ me convincunt. Secundam autem partem ſic explico. Quò enim Angeli magis per viſionem beatam Deo vniuntur, tantò Deus ſecreta ſua circa opera divina revelat eis, vtpotè magis amicis, & maiori amoris vinculo coniunctis: hæc autem revelatio non fit illis à Deo immediatè per hoc, quod Deus ſe offert illis obiectum per ſe ipſum immediatè viſum: & ſic dico non fieri huiuſmodi revelationem per ipſam Dei viſionem formaliter; bene verò cauſaliter, quia iuxta quantitatem beatitudinis magis, vel minus revelat eis faciendo, quod in aliqua ratione vniverſalißima videant rationes divinorum operum: hæc autem ipſe Deus eſt, non viſus per ſe ipſum, ſed per aliquam ſpeciem aliquorum effectuum divinorum, & in ipſo Deo ſic cognito cognoſcunt ſecreta divinæ voluntatis, eò magis, & eò plura, quò maiori beatitudine gaudent: ad hoc autem non omnes ordines pertingunt, ſed tantum illi tres, qui ideo aſsiſtentes dicuntur: vnde immediatè illuminantur à Deo, ſed non formaliter per viſionẽ Dei. Iuxta quam doctrinam intelligetur D. Th. dum in hoc art. 3, aſſerit: *Sed non omnes Angeli ſecreta divinorum myſteriorum in ipſa claritate divinæ eſſentiæ perspicere poſſunt, ſed ſoli ſuperiores, per quos inferioribus denunciantur.* Vult enim D. Thom. quod in ipſa claritate divinæ eſſentiæ non viſæ in ſe ipſa, ſed in aliquo ſui effectu perfectißimo, præfata ſecreta ſuperiores Angeli cognoſcant.

§. IV.

Vtrùm omnes Angeli ſecundæ Hierarchiæ mittuntur?

1310 SECVNDA Hierarchia importat tres ordines, nempe Dominationes, Virtutes, Poteſtates. Et de Virtutibus, & Poteſtatibus non eſt dubium, quod mittantur, ſed tantum de Dominationibus propter auctoritatem Dionyſij, qui ait: *Dominationes ſunt maiores omni ſubiectione:* & cum mitti in miniſterium ad ſubiectionem pertineat, videtur quoque dicere, Dominationes non mitti.

Reſp. ergo cum D. Thom. Dominationes, quæ ſunt primus ordo ſecundæ Hierarchiæ non mitti. Prob. Angeli illorum ordinum in miniſterium mittuntur, ex quorum nominibus aliqua exequutio datur intelligi; in nomine autem Dominationum non importatur aliqua exequutio,

ſed

ſed ſola diſpoſitio, & imperium de exequendis: ergo Dominationes non mittuntur.

1311 Inſtas, quod Principatus, qui eſt primus ordo tertiæ Hierarchiæ, nō ſignificat exequutionem operis; & tamen de illo dicitur communiter, quod mittatur: ergo eſto per nomen Dominationum non importatur aliqua exequutio, non inde debebit inferri, quod Dominationes non mittantur. Mai. Prob. nam ſtando in impoſitione nominum, ſicut Dominatio non ſignificat exequutionem, ſic nec Principatus. Ad hoc dico, quod Principatus, qui à Principe venit, tantum ſonat priorem eſſe alijs, & dum applicatur tertiæ Hierarchiæ, quæ conſtat ex miniſtrantibus, denotat eſſe priorem inter exequentes, & miniſtrantes: vnde non eſt idem de Dominatione; hæc enim ſignificat, quod omnes alij ei objiciantur, & obediant; miniſtrantes autem omnes non obediunt exequenti, ſed tantum obediunt Architecto, qui diſponit de agendis, & ipſe manu ſua nihil agit, & ſic dicere, quod Dominationes non mittuntur in miniſterium, eſt conſonum, non vero quod Principatus non mittuntur.

Sed inſtas, Dominationes ſubduntur Angelis primæ Hierarchiæ, ab ipſiſque de agendis illuminantur: ergo & poterunt ab eis mitti in miniſterium eorum: nam cum ſint primæ Hierarchiæ ordinibus ſubditi, ſi mittantur, debent obedire. Ad hoc, nego Conſeq. Nam Dominationes non tenentur obedire in ordine ad exequutionem per eos fiendam, ſed tantum tenentur obedire in ordine ad exequutionem fiendam per alios, id eſt, diſponendo architectonicè de agendis.

Secundo inſtas, ex hoc quod Dominationes ſint de ordine miniſtrantium, non ſicut exequentes, ſed ſicut diſponentes de agendis, non ſequitur, quod non mittantur in miniſterium: ergo abſque fundamento negatur mitti Dominationes. Prob. Antec. etenim Angeli miniſtrantes in duobus poſſunt miniſtrare Deo circa agenda, primò in ipſa exequutione agendorum, & ſecundò in ipſa architectonica diſpoſitione, & iudicio de agendis: poterit ergo Deus mittere quinque ordines incipiendo à Virtutibus, vt miniſtrent Deo exequendo, & mittere Dominationes, vt miniſtrent Deo in diſponendo de agendis. Ad hoc, nego Antec. Ad Prob. nego Conſeq. Etenim ad exercendū miniſterium diſponentis, & indicantis, quod veluti ſpeculativum eſt, non requiritur, quod in hoc miniſter locū mutet: nam hanc diſpoſitionem videre poſſunt exequentes ex quacumque diſtantia, & ſic ad præfatum miniſterium non eſt neceſſe, quod locum mutent aliquando, nec quod mittantur ad nos; ad exequendum autem circa nos aliqua, neceſſe eſt quod locum mutent aliquando, quia Angelus ibi eſt, vbi operatur, & ſic ratione exequutionis neceſſe eſt, quod Angeli mittantur.

QVÆSTIO XXV.

De cuſtodia bonorum Angelorum.

§. I.

Verùm homines cuſtodiantur ab Angelis?

1312 RESP. Affirmativè. Et Probo 1. ex illo Pſalm. *Angelis ſuis mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Ratione Prob. etenim omnia mobilia, & variabilia per immobilia, & invariabilia regulantur ſecundum ordinem divinæ providentiæ: hinc omnia corporalia per ſubſtantias ſpirituales, & immobiles, & corpora inferiora per ſuperiora, quæ ſunt invariabilia ſecundum ſubſtantiam, regulantur; ſed & noſmetipſi regulamur circa concluſiones, in quibus poſſumus diverſi modo opinari, per principia, quæ invariabiliter tenemus: manifeſtum eſt autem quod in rebus agendis cognitio, & affectus hominis multipliciter variari, & deficere poſſunt à bono, & ideo neceſſarium fuit Angelos bonos hominibus deputari ad cuſtodiam, per quos homines regularentur, & moverentur ad bonum.

1313 Sed inſtabis contra rationem: Etenim cognitio, & affectus hominum, quamvis deficere poſſint à bono, ſolus tamen Deus eſt, qui poteſt eos efficaciter impedire, ne deficiant à bono: ergo variabilitas cognitionis, & affectus hominis ſolū regulanda venit per Deum, & non per Angelos. Antec. eſt verum, quia homo in liberis ſoli Deo ſubditur: ergo ſolus ille eſt, qui efficaciter poteſt impedire homines, ne deficiant à bono. Conſeq. vero Prob. nam

in

Digitized by Google

In exemplis adductis in ratione probativa concluſionis, omne regulans invariabile intrinſecè efficaci et virtutem in re variabili, quæ per illud regulatur: ſic enim mobilia inferiora ab immobilibus virtutem accipiunt, qua de facto moveantur, vt patet in alterabilibus à primo alterante inalterabili, & incorporabilibus ſubſtantiis ab ſpiritualibus, à quibus ad determinatos effectus recipiunt determinatas virtutes: ergo ſi ab Angelis hominum effectus efficaciter nequeunt moveri, & determinari ad bonum, ſed hoc tantum à Deo fieri poteſt, ſolus Deus eſſe poterit cuſtos hominum, & non Angeli.

Confirm. etenim cum Angeli naturaliter ignorent cogitationes liberas cordis humani, poterit peccare homo, ſine eo quod ſui peccati conſcius ſit Angelus: non ergo poterit impedire hominem, ne deficiat à bono. Prob. Conſeq. nam hoc impedimentum debebatur adhiberi homini antequam peccaret: ergo ſi peccat homo Angelo ignorante peccatum eius, non poterit Angelus impedire. Confirm. ſecundo. Homo cum ſit ſenſitivus, debet gubernari per ſigna ſenſibilia, & per gubernatorem ſenſibilem: hac enim de cauſa, vt nos iuſtificaret more noſtro, Sacramenta ſenſibilia inſtituit, & hac de cauſa in credendis caput viſibile nempe S. Pontificem dedit; at Angelus, qui ad cuſtodiam dicitur deputari neque viſibilis gubernator eſt, neque per ſigna ſenſibilia nos dirigit: ergo ineptè cuſtos noſter deſignatur Angelus. Confirm. tertio, vt Angelus aptè cuſtodiret hominem, erat neceſſe, quod homo Angelum intelligeret ſibi loquentem, vt ſic eius directioni ſtare poſſet; at homo pro hoc ſtatu nequit diſcernere quando Angelus ei loquitur; nam cum ſe ſentit interius aliqua bona cogitatione pulſari, ipſe nequit cognoſcere, quod illa pulſatio ſit à Deo, ſit ab Angelo, vel ſit ab ipſo homine; non ergo homo aptè cuſtodietur ab Angelis.

Ad primam, nego Conſeq. ad Prob. nego Conſeq. etenim naturalia inferiora nequeunt à ſuis ſuperioribus determinari, niſi modo naturali moveantur: hoc autem nequit aliter fieri niſi per hoc quod à ſuis ſuperioribus, quibus naturalia ſubduntur, aliquam virtutem intrinſecè determinantē accipiant, qua de facto efficaciter moveantur; liberum autem hominis arbitrium eſt mobile à ſuis ſuperioribus dupliciter: vno modo ex parte ſubiecti: alio modo ex parte obiecti allicientis ſuaviter ad ſui amorē. Primo modo eſt mobile quoad efficaciam; ſecundo tantum quoad ſufficientiam; primo modo tantum à Deo eſt mobile, quia ille ſolus efficaciter poteſt illud movere, & ad bonum applicare: ſecundo modo eſt mobile ab Angelo ſive bono, ſive malo, quia eſto liberum arbitrium à creatura flecti efficaciter non poſſit, poteſt tamen ab illa moraliter moveri, & inclinari: vnde non ſequitur, quod homo à ſolo Deo debeat gubernari, & cuſtodiri.

Ad Confirm. dico, ita eſſe, quod poteſt peccare homo antequam Angelus ſciat eius peccatum, ſi peccatum in puro conſenſu libero voluntatis conſiſtat: cæterum hac de cauſa Angelus cuſtos hominem prævenit ſemper ſuggerendo illi bona communiter, & dum videt eum gravi tentatione vexatum, in particulari dirigendo eum ad bonum, & oſtendendo ei vias, quas perambulando victor evadat, vel ſi tentatio ſit levis, protegendo eum, ne de levi fiat gravis: vnde per rationem in oppoſitum non infringitur Angelorum cuſtodia.

Ad ſecundam Confirm. dico, quod licet Angelus ſit ſpiritualis, & inviſibilis, hominem tamen ſenſibiliter interius, & exterius cuſtodit: exterius quidem procuratis vnicuique hominum occurſibus obiectorum ſenſibilium, quæ pollent vi ad pertrahendum animum humanum occaſionaliter, vel cauſaliter, vt operentur honeſtè, & mereantur vitam æternam: interius verò, diſponendo phantaſiam prout expedit ad intentum benè operandi, & recedendi à malo. Ad tertiam, nego Mai. ſufficit enim homini ad bene operandum habere adiuvantem, defendentem, & ad bonum dirigentem, eſto ignoret à quo adiuvetur, & dum pulſat bona, & ſancta cogitatio inducens ad bonum, ſatis eſt homini, ſi iuxta illam rectè operetur excluſa curioſitate ſciendi, à quo talis loquutio fiat.

1314 Secundo arguitur contra hanc rationem, ſupponendo quod cuſtodia Angelorum data eſt homini eo ſolum, vt per illam deducatur ad hæreditatē ſalutis æternæ, in tantum quod ſi homo non eſſet ordinatus ad beatitudinem ſupernaturalem talis cuſtodia non daretur, vt colligitur ex illo ad Hebræos 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: Vnde Dionyſius de cœleſti Hierarchia ait: *Infimam Hierarchiam Angelorum præeſſe humanis ordi-*

dinibus, ut ferantur ad Deum, & convertantur. Hoc ſuppoſito fit argumentum. Ratio, quæ multum probat, nihil probat; at ratio adducta pro concluſione probat, quod ſi homo eſſet creatus in pura natura adhuc haberet Angelum cuſtodem, quod eſt contra ſuppoſitum: ergo non probat rebus ut nunc Angelos dari hominibus in cuſtodiã. Prob. Min. tunc homo in pura natura etiã eſſet quoad cognitionem, & effectum deficere potens à bono: ergo deberet cuſtodiri, & regulari per Angelos bonos, qui ſunt invariabiles in bono: ergo præfata ratio D. Thom. probat etiam, quod homini in pura natura conſtituto deberet deputari Angelus in cuſtodiam.

Hoc argumentum petit, ut explicemus, utrùm ſi homo eſſet creatus in pura natura haberet cuſtodem Angelum? Circa quod quæſitum communis doctrina affirmat, & videtur eſſe ſententia Div. Thom. quia ratio, qua probat hic in art. 1. neceſſarium fuiſſe aſſerere Angelos hominibus dari in cuſtodiam, utique probat de homine in pura natura exiſtente: tunc enim cognitio, & affectus eius deficere poſſunt à bono virtutis; ac per conſequens ut non deficerent indigerent cuſtode Angelo.

Sed dices, rationem Div. Thom. non probare Angelorum cuſtodiam, ſed tantum ſupponendo de fide eam dari, aſſignare cõgruentiam, ob quam convenienter datur: unde ex illa nequit inferri, quod in ſtatu puræ naturæ, & nullo habito circa hoc decreto etiam deputandos eſſe Angelos in cuſtodes hominum; adduceſque ad hoc optimum ſimile D. Thom. probat convenientiam Incarnationis ex eo, quod de natura ſummi boni eſt quod ſit diffuſivum ſui ſummo modo poſſibili, non tantum ad intra, ſed etiam ad extra, nam debet ſe cõmunicare alijs à ſe; hæc autem ſumma cõmunicatio ad extra non habetur niſi per incarnationem: igitur convenienter Deus incarnatus eſt. Hæc autem ratio eodẽ modo videtur probare Incarnationem ſuppoſito peccato Adæ, & non ſuppoſito; ſiquidẽ procedit ex natura ſummi boni, quę eadem ſemper eſſet, ſive Adamus peccaſſet, ſive non; & tamen non licet inferre iuxta Div. Thom. Deum incarnandum ſi Adamus non peccaſſet: igitur quamvis ratio D. Thom. hic facta ad probandam cuſtodiam Angelorum procedat ex naturalibus, quæ eadem eſſent, ſi homo in pura natura conditus eſſet, ac ſunt rebus ut nunc, non tamen licebit aſſerere ex vi rationis D. Thom. convinci in ſtatu puræ naturæ dandos eſſe Angelos hominibus in cuſtodiam. Prob. Conſ. ideo primum eſt verum, quia illa ratione D. Thom. non probavit dari Incarnationẽ, ſed tantum probavit convenientiam eius ſuppoſita fide Incarnationis; ſed hoc ipſum habetur in præſenti, ſiquidem D. Thom. illa ratione tantum probat convenientiam illius cuſtodiæ, quam fides revelat, & docet: ergo. Confirm. hæc, quia Incarnatio revelata eſt ut connexa cũ remedio peccati iuxta illud, *qui propter nos homines, & propter noſtrã aſcendit de cœlis*, non licet affirmare in Schola Thomiſtica, quod ſi homo non peccaret, adhuc Deus carnem ſumeret: ergo quia cuſtodia Angelorum revelata eſt ut connexa cum ſalutè ſupernaturali hominum, non licebit affirmare, quod etiã ſi homo non eſſet ordinatus ad vitam æternam, adhuc daretur Angelorum cuſtodia.

1315 His non obſtantibus, ſtandum eſt in opinione communi, quæ aſſerit, quod ſi homo in puris naturalibus conderetur, adhuc daretur ei Angelos in cuſtodiam. Pro cuius explicatione adverto, quod de Angelorum cuſtodia dupliciter loqui poſſumus: primo quoad ſubſtantiam, ſecundo quoad modum: quoad ſubſtantiam nihil habet ſupernaturalitatis, ſed ſpectat ad eã, quæ è providentiam naturalem: unde probatur à D. Thom. ex principijs providentiæ naturalis. Etenim ordo providentiæ divinæ in omnibus rebus hoc habet, nempe, quod mobilia, & variabilia per immobilia, & invariabilia moventur, & regulantur; ſed liberum arbitrium hominum eſt variabile de bono in malum: ergo ſub ordine providentiæ, quæ in omnibus rebus invenitur, cadit, quod moveatur, & reguletur per immobilia, & invariabilia: ergo per Angelos, qui ſecundum naturam, & gratiam de facto invariabiles, & immobiles ſunt. Quibus apparet, quod ſtando in principijs providentiæ naturalis, probatur Angelorum cuſtodia. Quoadmodum autem ſub quo de facto inſtituta eſt rebus ut nunc, & ſuppoſita ordinatione hominum ad vitam æternam Angelorum cuſtodia, terminativè ſupernaturalis eſt, & propter hunc modum Paulus ad Hebræos 1. dixit: *Propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Ex quo infero, quod etſi nulla adeſſet fides de cuſtodia Angelorum, adhuc convinceretur ratione naturali, & de facto Philoſo-

lo-

ſophi naturales fide deſtituti eam aſſecuti ſunt, vt docet Seneca, lib. 19. Epiſt. 111. vbi dicit, cuique hominum deſignatum eſt eſſe Angelum in cuſtodem, & pedagogum, & ſubdit, quod hic Angelus cuſtos appellatus eſt. Vide alios in Bañez hic. Vnde D. Thom. in art. non probavit convenienter fidem dictare de cuſtodia, aſſignando congruentiam aliquam illius quod fides docet, ſed probavit ratione naturali, quæ in omni rerum occurſu convincit, Angelos hominibus deputari in cuſtodiam. Vnde non eſt idem de probatione Incarnationis, quam D. Thom. adducit, non vt probet dari incarnationem, ſed vt probet Incarnationem, quam fides dari dictat, convenienter, & congruenter fuiſſe factam. Etenim Incarnationem abſolutè dari probari non poteſt, quia huius quod eſt eam de facto dari, ſolum pro ratione adduci poteſt divina voluntas; neque enim illam dari poſtulabat rerum naturalium ordo, ſicut Angelorum cuſtodiam poſtulat ordo vniverſi. Vnde concludo quod in ſtatu puræ naturæ daretur Angelorum cuſtodia. Idque convinco ratione iam adducta ex articulo D. Thom.

Ex quibus patet ad inſtantiam, iam enim aſſignatum eſt diſcrimen inter vnam, & alteram rationem D. Thom. Ad Confir. etiam patet: nam Incarnatio, cū ſit quoad ſubſtantiam extra omnem exigentiam naturæ, non poſſumus de illa aliter loqui niſi iuxta Dei revelationem: cumque Deus eam nobis ſemper revelet vt connexā cum peccato primi hominis, non licet affirmare, quod etiam ſi tale non daretur peccatum, adhuc daretur Incarnatio: at Angelorum cuſtodia quoad ſubſtantiam naturalis ordinis eſt, & ab ordine vniverſi, quo mobilia per immobilia, & variabilia per invariabilia regulantur naturaliter exigitur, & ſic de ea quoad ſubſtantiam independenter à fide loqui poſſumus, & aſſerere, quod licet de facto data ſit hominibus, vt facilius vitam æternam, ad quam ordinati ſunt, conſequantur, tamen ſi de facto ordinati ad vitam æternam non eſſent, daretur eis propter finem, quem natura intendit per illam.

Ex his ad argumentum principale contra rationem D. Thom. nego ſuppoſitum, in quo fundatur: non enim eſt verum, quod ſi homo non eſſet ordinatus ad vitam æternam, non haberet Angelorum cuſtodiam. Neque hoc probatur; nam Scriptura, & Dionyſius loquuntur de cuſtodia prout de facto inſtituta eſt per providentiam ſupernaturalē, non vero loquuntur de ea quoad ſubſtantiam, vel ſecundum ſe ſumptam, qua ratione exigitur à ratione vniverſi, vt probatum eſt.

1316 Tertio principaliter arguitur. Cuſtodes deputantur aliquibus, vel quia neſciunt, vel quia non poſſunt cuſtodire ſe ipſos ſicut ſunt pueri & infirmi; ſed homo poteſt cuſtodire ſe ipſum per liberum arbitrium, & ſcit per naturalem cognitionem legis naturalis: ergo homo non cuſtodietur ab Angelis. Confirm. vbi adeſt fortior cuſtodia, infirmior ſuperfluere videtur; ſed homines cuſtodiuntur à Deo ſecundū illud Pſalm. *Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*: ergo non eſt neceſſariū quod homo cuſtodiatur ab Angelis. Confirm. ſecundo perditio cuſtoditi redundat in negligentiam cuſtodis, vt dicitur cuidam 3. Regum 20. *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius*; ſed multi homines quotidie pereunt in peccatum cadentes, quibus Angeli ſubvenire poſſunt, vel viſibiliter operando, vel miracula faciendo, vel alio ſimili modo; eſſent ergo negligentes Angeli, ſi eorum cuſtodiæ homines eſſent commiſsi, quod patet eſſe falſum: non ergo Angeli hominum ſunt cuſtodes.

Ad hoc argumentum, diſt. Min. ſed homo poteſt cuſtodire ſe ipſum per liberū arbitrium, & ſcit per naturalem cognitionem legis naturalis, ſufficienter, nego Min. inſufficienter, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque per liberum arbitrium poteſt homo aliqualiter malum vitare; ſed hoc non ſufficit homini, quia infirmatur circa effectum boni propter multiplices animæ paſsiones. Similiter vniverſalis cognitio legis naturalis, quæ homini naturaliter adeſt, aliqualiter dirigit hominem ad bonum, ſed non ſufficienter, quia in applicatione vniverſalium principiorū iuris ad particularia opera contingit hominem multipliciter deficere: vnde dicitur Sapientiæ: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ*, & ideo præter hæc neceſſaria fuit homini cuſtodia Angeli. Ad primam Confirm. diſt. Min. ſed homines cuſtodiuntur à Deo, immediatè ſe ipſo cuſtodiente, nego Min. cuſtodiente, mediantibus Angelis, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque ad bonum operandum duo requiruntur, primum quidem, quod effectus inclinetur ad bonū, quod quidem fit in nobis per habitum vir-

tu-

Digitized by Google

tutis moralis: ſecundo autem requiritur, quod ratio inveniat congruas vias ad perficiendum bonum virtutis. Quantum ergo ad primum Deus immediatè cuſtodit hominem infundendo ei gratiam, & virtutes; quantum autem ad ſecundum Deus cuſtodit hominem vt vniverſalis inſtructor, ſed hæc inſtructio ad hominem pervenit mediantibus Angelis.

1317 Sed inſtas, poteſt Deus in particulari homines inſtruere, ſicut & poteſt in particulari infundere cuilibet homini gratiam, & virtutes, quibus inclinetur ad bonum: ergo ſicut immediatè ſe ipſo cuſtodit hominem infundendo ei gratiam, & virtutes, ita & immediatè cuſtodiet hominem cum ſe ipſo, & immediatè per ſe ipſum inſtruendo ad bonum. Ad hoc, nego Antec. ſi ly *ſicut* dicat adæquatam ſimilitudinem. Etenim infundere gratiam, & virtutes poteſt Deus ſe ipſo immediatè poſitivè, & excluſivè; quia Angeli vt cauſæ principales nequeunt gratiam in anima cauſare; & ſic Deus habet gratiam, & virtutes in anima cauſare ſolus, quod eſt ei poſitivè excluſivè convenire. Vidimus enim ſuprà, quod ſolus Deus principaliter effectivè in anima noſtra aliquid cauſare valet: inſtruere autem nos poteſt Deus ſe ipſo immediatè poſitivè, ſed nō excluſivè, quia cum hęc inſtructio fiat per propoſitionem obiecti, & oſtenſionem medij, principaliter Angelis valet convenire. Vnde probavimus ſuprà, Angelos principaliter, qui ſuperiores ſunt, illuminare inferiores: vnde fit, quod per infuſionem gratiæ, & virtutum inclinātium ad bonum ſolus Deus cuſtodit per ſe ipſum, per modum autem inſtructionis medijs Angelis homines cuſtodit.

Ad ſecundam Confir. nego Mai. vniverſaliter intellectam; eſto enim aliquando perditio cuſtoditi redundet in negligentiam cuſtodis, puta quando quod cuſtos cuſtodit oritur ex culpa cuſtodientis, non ex culpa cuſtoditi, puta cum quis cuſtodit vineam, & ſine culpa vineæ, vel patroni eius cuſtos non adeſt, ob cuius abſentiam tranſeuntes diripiant vvas, & vineam perdunt, vel quando paſtor videns lupum venientē, abſque culpa ovium dimittit oves, & fugit, & lupus venit, & diſpergit oves; tamen non ſemper perditio cuſtoditi redundat in negligentiam cuſtodis: puta ſi cuſtoditus à ſe per culpam ſuam abijcit cuſtodē; tunc enim perditio cuſtoditi oritur ex ipſo cuſtodito, qui culpa ſua promeruit abiectiam cuſtodis tempore opportuno. Et quia homines ſicut à naturali inſtinctu boni diſcedunt propter paſſionem peccati, ita etiā diſcedunt ab inſtigatione bonorum Angelorum, quæ fit inviſibiliter per hoc, quod homines illuminant ad bene agendum; vnde quod homines pereunt non eſt imputandum negligentiæ Angelorum, ſed malitiæ hominum. Quod autem præter legem communem hominibus inviſibiliter apparent ex ſpeciali Dei gratia eſt, ſicut etiam præter ordinem naturæ miracula fiunt.

§. II.

Vtrùm ſinguli homines à ſingulis Angelis cuſtodiantur?

1318 RESP. D. Thom. quod ſic. Et probat ex illo Math. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Super quæ Hieronymus, *magna dignitas animarū, vt vnaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Ratione Probat: *Quia Angelorum cuſtodia eſt quædam executio divinæ providentiæ circa homines; providentia autem Dei aliter ſe habet ad homines, & ad alias corruptibiles creaturas; quia aliter ſe habent ad incorruptibilitatem: homines enim non ſolum ſunt incorruptibiles quoad ſpeciem, ſed etiam quoad proprias, & ſingulas formas, quæ ſunt animæ rationales, quod de alijs rebus corruptibilibus dici non poteſt: manifeſtum eſt autem, quod providentia Dei principaliter circa illa, quæ perpetuo manent, eſt; circa ea vero, quæ tranſeunt, providentia Dei eſt in quantum ordinat ipſa ad res perpetuas: ſic igitur providentia comparatur ad ſingulos homines, ſicut comparatur ad ſingula genera, vel ſpecies corruptibilium rerum. Sed ſecundum Gregorium diverſi ordines deputantur diverſis generibus, puta Poteſtates ad arcendos Dæmones, Virtutes ad miracula facienda in rebus corporeis, & probabile eſt, quod diverſis ſpeciebus rerum, diverſi Angeli eiuſdem ordinis præficiuntur: ergo rationabile eſt, vt diverſis hominibus diverſi Angeli ad cuſtodiam deputentur.* Si ſtamus in vi huius rationis tantū inveniemus eſſe probabile, quod ſingulis hominibus ſinguli Angeli in cuſtodiam deputati ſint, quod patet, quia ex diſcurſo, cuius altera præmiſſa ſolum eſt probabilis, tantum poteſt inferri concluſio probabilis; ſed in hoc diſcurſu facto à D. Th. altera pręmiſſa ſolū eſt probabilis, nempe illa,

Digitized by Google

illa, *& probabile eſt; quod diverſis ſpeciebus rerum diverſi Angeli eiuſdem ordinis præficiãtur*, ex qua infert D.Thom: *ergo rationabile eſt vt diverſis hominibus diverſi Angeli deputentur ad cuſtodiam*. Sicque ſtando in vi huius rationis concluſio articuli ſolum eſt probabilis.

1319 Tamen eſto ex vi huius rationis ſolum probabilitatem habeat concluſio, ex alijs tamen capitibus ita certa eſt quod abſq; temeritate negari non poſsit. Tũ quia Gregorius Niſſenus in vita Moyſis ait: *Occultam eſſe traditionem, ſeu ſermonem fidedignũ ex paterna traditione acceptũ, ac deſcendentem Angelum quendam incorporeã natura conſtantem vnicuique in adminiculum vitæ fuiſſe à Deo conſtitutum*. Hieronymus etiã ſuper illud Math. 12. *Angeli eorum*, ſic dictat; *magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum deputatum*. Bernardus etiam lib.5. de conſideratione, cap.4. ait: *Putemus Angelos dici, qui ſinguli ſingulis hominibus dati creduntur*. Tandem Eccleſia vbique terrarum publicè, & conſtanter docet, ſingulos fideles ſuum invocare cuſtodem Angelum ad impetrandum Dei auxilium, defenſionem, & regimen, ad quod publicè vtitur officio Angeli cuſtodis. Quæ ita reddunt certum vnicuique hominum deputari à Deo Angelum cuſtodem, vt oppoſitum aſſerere videtur temerarium.

1320 Verum autem hoc ſit de fide, & colligatur ex illo Math. 13. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*. Caietan. reſpondet: *Bene nota, quod non dicit Angeli ſinguli eorum, ſed Angeli eorum: ex hoc enim textu non habetur ſingulos homines, aut etiam ſingulos puſillos credentes in Chriſtum (de quibus loquitur textus ad literam) habere ſingulos Angelos, ſed ſolum eos habere Angelos beatos; ad cuius verificationem non exigitur ſingulos ſingulorum eſſe Angelos, ſed ſufficit multos eſſe Angelos eorum, hoc eſt multos eſſe multitudinis eorum*. Quod dictum Caietani Ambroſius Chatarinus ſic improbat dicens: *Fateor, quod verba non cogunt, ſed cum non repugnent, ſed magis conſentiant, & cum ratio faveat; & hinc Theologi dogma iſtud accipiant, & cum iam omnibus perſuaſum ſit, & cum pro moveat ad ædificationem excitans charitatem in Deum, & ex nobis provocans gratiarum actiones in Deum ipſum pro tanta erga nos ipſius providentia, & in ipſos Angelos pro tanta eorum cura in nos, & non in communi, & cum faveat etiam alibi ſcriptura, quæ innuit, peculiarem Angelum Petri fuiſſe cuſtodem, quod & ipſe Caietanus concedit, non debebat Caietanus quovis modo vocare in dubium*. Bañez hic dubio 2. ait: *Quo circa exiſtimo, quod negare hanc ſententiam de iuſtis hominibus eſſet manifeſtius error; negare autem illam de fidelibus, puto non eſſe errorem, etſi ſit pluſquam temerarium, quoniam aliqui Sancti Patres videntur inſinuare, quod Angelus cuſtos recedit ab homine peccatore, quæ ſententia licet in bono ſenſu explicetur à D.Thom. in art. 6. nihilominus ille modus loquendi Sanctorum excuſat ab errore manifeſto ſententiã aſſerentem fidelibus peccatoribus non adeſſe Angelos cuſtodes*. Tandem dico in hac re quod vix poteſt dici abſque aliqua temeritate, quod in fidelibus hominibus non ſint deputati ſinguli Angeli, ſive poſt Chriſti adventum, ſive ante illum, quoniam multi Sancti Patres manifeſte loquuntur de cuſtodia Angelorum abſque diſtinctione fidelium ab infidelibus, ſeu abſolutè fatentur ſingulis hominibus ſingulos Angelos deputari.

1321 Circa hoc quæſitum liberè dicam quid ſentiam. Dico ergo, quod non ſunt eiuſdem certitudinis iſta duo, *Angeli ad cuſtodiam deputantur hominibus*, & iſta; *ſingulis hominibus ſinguli Angeli ad cuſtodiam deputantur*. Patet hoc; primò ex contextibus D.Thom. Nam de primo concludit in primo articulo, *& ideo neceſſarium fuit, quod hominibus Angeli in cuſtodiam deputentur*. De ſecundo in articul. 2. concludit: *Vnde etiam rationabile eſt, quod diverſis hominibus diverſi quoque Angeli ad cuſtodiam deputentur*: aliquid autem neceſſarium eſſe, & aliquid rationabile eſſe, quod ita ſit, non ponunt rem in eodem gradu certitudinis. Secundo apparet hoc ipſum; nam de primo ſunt multa loca ſcripturæ expreſsè hoc determinantia, vt illud Pſalmi, *Angelis ſuis mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*, & illud Math. 12. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*, & illud; *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Adſunt præter hæc plures Sanctorum auctoritates ſupra relatæ; & in contra nullus oblatrat, niſi ſolus Calvinus, qui lib. 1. Inſtitut. cap. 14. §. 7. de hac veritate dubitat, & poſtmodum ſuper Pſalm. 90. tanquam merum commentum eam exſybilat, quæ omnia illam eſſe certã de fide ma-

Digitized by Google

nifeſtè declarat. De ſecundo vero non eſt locus expreſſus in Scriptura: nam ille, qui adducitur Math. 8. *Angeli eorum*, in primis non loquitur de omnibus, ſed ſolum de credentibus in Chriſtum, & adhuc non de iſtis omnibus, ſed de iuſtis, & de iſtis adhuc non exprimit, quod ſingulis iuſtis ſinguli deſignentur Angeli in cuſtodiam, ſed tantum dicit, *Angeli eorum*. Et licet Hieronymus ex illo loco inferat illud, *magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis Angelum in cuſtodiam deputatum*; non tamen ſic infert, quaſi locus ille non admittat aliam explicationem, vel quaſi neceſſe ſit virtute illius loci fateri id, quod Hieronymus dictat. Locus etiam ille, *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, tantum loquitur de prædeſtinatis, & ſi de omnibus fidelibus in eo loquutio ſit, non tamen eo probari poteſt, quod tàm fideles, quàm infideles Angelum deputatum habeant, ſic, quod vnicuique ſuus correſpondeat Angelus cuſtos. Quod etiam in actibus Apoſtolorum exprimatur, Petrum habere cuſtodem Angelum, non exprimit ſic Theologizandum eſſe de alijs hominibus, cum dignitas capitis Eccleſiæ ſingulariter conueniat Petro, & ſuis ſucceſſoribus, ob quam multa ſunt ſingulariter ei conceſſa, quæ alijs non conceduntur; ſicque ſtando in locis ſcripturæ non habet neceſſariam certitudinem hæc veritas *ſingulis hominibus ſinguli Angeli deputati ſunt in cuſtodiam*; habet tamen pro ſe hæc veritas communem fidelium ſenſum ex ſcripturis adductis per conſequentiam deductum. Vnde iudico abſque temeritate negari non poſſe. Quæ temeritas maior erit, ſi loquutio de ſolis fidelibus fiat, & erit maxima, ſi ſolum pro iuſtis reſtringatur: qui enim per gratiam Spiritum Sanctum ſpecialiter eis aſsiſtentem accipiunt, multo magis Angelum eis in cuſtodiam præparatum inuenient.

§. III.

Soluuntur quædam obiecta contra reſolutionem principalis quæſiti.

1322 OBIICIES Primo. Angelus eſt virtuoſior quàm homo; ſed vnus homo ſufficit ad cuſtodiam multorum hominũ: ergo multo magis vnus Angelus ſufficiet ad cuſtodiam multorum hominum. Confirm. inferiora reducuntur in Deum à ſuperioribus per media; ſed inter ſuperiores Angelos, & homines, ſolus infimus Angelus mediat, cum omnes alij ſuperiores ſint: ergo ſolus infimus Angelus cuſtodiet omnes homines. Confirm. ſecundo, maiores Angeli maioribus officijs deputantur; ſed non eſt maius officium cuſtodire vnum hominem quàm alium, cum omnes homines natura ſint pares: ergo cum omnium Angelorum vnus ſit maior altero, videtur, quod diuerſi homines non cuſtodiantur à diuerſis Angelis. Ad hoc, diſt. Min. ſed vnus homo ſufficit ad cuſtodiam multorum hominum, ſecundum quod ſunt partes vnius communitatis, conc. Min. ſecundum quod primo diuerſi ſunt, nego Min. & diſt. Conſeq. ergo vnus Angelus ſufficiet ad cuſtodiendos plures homines, ſecundum quod vnius communitatis partes ſunt; conc. Conſeq. ſecundum quod vnuſquiſque quidam homo ſingularis eſt, nego Conſeq. Itaque homini cuſtos dupliciter adhibetur. Vno modo, in quantum eſt cuſtos ſingularis, & ſic vni homini debetur vnus cuſtos: alio modo, in quantum eſt pars alicuius collegij, & ſic toti collegio vnus homo ad cuſtodiam præponitur, ad quem pertinet prouidere ea, quæ pertinent ad vnum hominem in ordine ad totum collegium, ſicut ſunt ea, quæ exterius aguntur, de quibus alij ædificantur, vel ſcandalizantur: Angeli autem deputantur hominibus in cuſtodiam, etiam quantum ad inuiſibilia, & occulta, quæ pertinent ad homines, ſecundum quod primo diuerſi ſunt: requirentur ergo pro diuerſis hominibus diuerſi Angeli in cuſtodiam.

1323 Sed inſtas. Vnus homo medicus ſimul curat plures infirmos de infirmitatibus primo diuerſis, & ſimiliter vnus confeſſor, qui medicus ſpiritualis eſt, pluribus attendit animabus, ſecundum quod plures ſunt, & non ſecundum quod partes vnius collegij ſunt, ſeu communitatis: ergo ſimiliter poterit vnus Angelus cuſtodire plures homines ſecundum quod ſingulares ſunt primo diuerſi, & non ſolum ſecundum quod partes vnius communitatis ſunt. Confirmat. hoc ipſo quod pluribus hominibus vnus Angelus daretur in cuſtodiam, eo ipſo illi homines facerent vnam communitatem, cui vnus præ,

Digitized by Google

præſideret Angelus: ergo eo ipſo poſſet vnus Angelus eos adæquatiſſimè cuſtodire. Patet Conſeq. quia vnus Angelus præeſſe poteſt vni communitati: ergo ſi eo ipſo quod ab vno Angelo cuſtodirentur, facerent vnam communitatem, adæquatiſſimè ab vno Angelo cuſtodirentur.

Confirm. ſecundo, communiter defenditur à Thomiſtis, Angelum poſſe eſſe ſimul in duobus locis inadæquatis, ſine eo quod ſit in intermedijs, dûmodo ſint intra ſphœram vnius loci adæquati virtuti vnius Angeli: ponamus ergo quod duo intra locum adæquatum virtuti vnius Angeli homines exiſtant: tunc negari non poterit, quod Angelus in illis duobus hominibus tanquam in locis inadæquatis ſit: ergo & perfectè illos cuſtodire poterit.

Confirm. tertio; vnus Angelus continet totam perfectionem ſuæ ſpeciei, ſicut quod per vnum fieri poteſt, quod fieret per plures numero tantum diſtinctos, ſi darentur: vnde dicit Div. Thom. quod quilibet Angelus habet quandam infinitatem ſpecificam, eo modo, quo ſi daretur quantitas ſecundum longitudinem infinita eſſet ſecundum ſpeciem ſuam, quamvis non ſecundum genus ſuum; ſed ſi eſſent plures Angeli numero tantum diſtincti, verè poſſet quilibet eorum vnum cuſtodire hominem: ergo verè poterit vnus Angelus plures de facto cuſtodire homines.

Ad primam dico, quod vnus medicus curat de pluribus infirmis, non ſic exactè ſicut plures medici. Etenim ſi infirmitas ſit gravis, & periculoſa, & multis accidentibus expoſita, ad exactam aſſiſtentiam, & curam vnius infirmi requiritur, quod ei ſemper aſſiſtat medicus, imò vnus multoties non ſufficit; ſed vocantur multi: cura autem, quam habet Angelus de vnoquoque homine exactiſſima debet eſſe: nam fere ſemper homo impugnatus eſt cum Dæmone, cum carne, & mundo: vnde requiritur, quod ei ſemper Angelus aſſiſtat, & pro homine contra enumeratos inimicos pugnet: vnde requiritur, quod vni ſoli præſit, vt exactius hominem valeat cuſtodire. Ad primam Confirm. diſt. Conſeq. ergo poſſet eos cuſtodire ſecundum quod eſſent partes vnius communitatis, conc. Conſeq. ſecundum quod vnuſquiſque eorum quidam ſingularis homo eſt, nego Conſeq. Itaque Angelus per ſe cuſtodiens aliquam communitatem, ſolum cuſtodit individua eius ſecundum quod communicant inter ſe in aliquibus actibus, non vero ſecundum quod per ſe primò diverſi ſunt in ſuis actibus, interioribus, &c. ſic requiritur vnicuique homini vnius Angeli præſidentia, & cuſtodia. Ad ſecundam fateor, quod ſi duo homines intra locum adæquatum vnius Angeli ſint, poterit vnus Angelus in illis locari, & pariter ſimul eos cuſtodire, ſed quia homo mutabilis eſt ſecundum locum, & ſecundum tempus, oportet, quod vni vnus Angelus aſſiſtat cuſtos, ne ſi aliter mutaret locum, cogeretur Angelus ceſſare à cuſtodia eius, vel à cuſtodia alterius; quia cum extra locum adæquatum exiſterent, iam ſimul eis aſſiſtere non poſſet. Itaque cuſtodia Angeli alligatur perſonæ, non loco.

Ad tertiam dico, quod vnus Angelus poteſt facere quod plures numero tantum diſtincti facerent, quoad conſervationem ſuæ ſpeciei, non tamen quoad omnia. Etenim plures numero diſtincti poſſent eſſe in pluribus locis adæquatis virtuti ſuæ: vnde poſſent totum mundum occupare; hoc autem non poteſt vnus tantum; nam ſi ponatur in vno loco, non poteſt poni in alio diſtanti extra ſphœram ſuæ activitatis: ad hoc autem vt vnus Angelus plures homines exactè, & decenter cuſtodiret, deberet comitari illos quocunque irent, & alligari perſonis eorũ, ſic quod cũ hominibus mutantibus locum, etiam Angelus locum mutaret, quod non valet fieri, cũ Angelus diffiniatur certo, & determinato loco: vnde loquendo de exacta cuſtodia, non poteſt vnus Angelus plures cuſtodire, quãvis totam ſuæ ſpeciei contineat perfectionem.

Ad primam Confir. principalis argumenti, diſt. Min. ſed inter Angelos ſuperiores, & homines ſolus infimus Angelus mediat, inter Angelos ſuperiores ſuperioritate Hierarchiæ, ordinis, & perſonæ, conc. Min. Inter Angelos ſuperiores ſolũ ſuperioritate Hierarchiæ, nego Min. & Conſ. Itaque dum dicimus infimos per media à ſuperioribus in Deũ referri, non debet ſic intelligi, quod nomine ſuperiorum intelligamus ſuperiores quoad Hierarchias, ordines, & perſonas, ſed ſufficit intelligere, quod infima per Angelos ſuperiores quoad Hierarchiam reducuntur in Deum: inter ſupremam autem Hierarchiam, & homines mediat ſecunda, & tertia Hierarchia, medijs qui-

bus homines reducuntur in Deum, dum ab ipſis cuſtodiuntur.

1324 Sed inſtas, inter Angelos in linea illuminationis eſt ordo per ſe, quantum ad hoc quod veritas deſcendat ad inferiores per ſuperiores, & ad infimos per intermedios: cum ergo inter ſecundam Hierarchiam, & homines medient tres ordines, videtur, quod homines non poſſint immediatè cuſtodiri ab Angelis ſecundæ Hierarchiæ: nam cuſtodia hominum media illuminatione fit: ergo ſi neceſſario debent illuminari inferiores per ſuperiores, & infimi per inferiores, non poterunt Angeli ſecundæ Hierarchiæ immediatè cuſtodire homines. Reſp. quod inter Angelos eſt ordo per ſe nunquam prætcribilis quantum ad hoc, quod inferiores nunquam contingit illuminare ſuperiores, eſt etiam ordo in eo, quod ſemper de aliquibus illuminantur inferiores à ſibi immediatè ſuperioribus; non tamen eſt ordo in prætcribilis quoad hoc, quod ſuperiores non poſſint immediatè illuminare infimos de aliquibus ſibi neceſſarijs, ſine eo quod de illis illuminent ſibi immediatè inferiores. Et ratio huius eſt, quia ſuperiores poſſunt pro ſui libito ex ſibi inferioribus eligere in proprium miniſterium, quos voluerint, alijs, illis ſuperioribus non aſſumptis. V. g. Angelus ille, qui purgavit labia Prophetæ, dictus eſt Seraph, eo quod aſſumptus eſt à ſibi ſuperiori Seraphim ad incendendum: hic autem Angelus fuit infimi ordinis, inter quem, & Seraphim dantur in numeri ſuperiores inter medij: hocque ipſum dicunt Theologi de illo Cherubim, qui poſitus eſt in cuſtodiam Paradyſi, in quo erat arbor ſcientiæ boni, & mali; non enim ille Cherubim erat, quia Angelus ſupremæ Hierarchiæ, qualis eſt Cherub, non mittitur in miniſterium noſtrum; erat ergo Angelus infimi ordinis, inſerviens tamen ſupremo Cherubim, & ex ordine illius exequens cuſtodiam Paradyſi: illuminatus eſt ergo præfatus Angelus à Cherubim ſupremo de aliquo, de quo intermedij illuminati non ſunt. Ad hunc ergo modum bene poſſunt Angeli ſecundæ Hierarchiæ de aliquibus illuminare immediatè homines, non prius de illis illuminando Angelos intermedios illis inferiores, & ſuperiores hominibus, & ſic poterunt immediatè homines cuſtodire. Quæ doctrina eſt Div. Thom. hic articul. 2. ad 2. ibi: *Dicendum, quod Angeli primæ Hierarchiæ omnes quidem quantum ad aliqua illuminantur à Deo, ſed quadam ſunt de quibus illuminantur ſuperiores tantum à Deo immediatè, quæ inferioribus revelant.* Et idem etiam in inferioribus ordinibus conſiderandum eſt: nam aliquis infimus Angelus illuminatur quantum ad quædam ab aliquo ſupremo, & quantũ ad aliqua ab eo, qui immediatè ſibi præfertur, & ſic etiam poſsibile eſt, quod aliquis Angelus illuminet hominem, qui tamen habet aliquos Angelos ſub ſe, quos illuminet.

Ad ſecundam Confirm. principalis argumenti, nego Min. Ad prob. omnes homines natura ſunt pares: ergo non eſt maius officium cuſtodire vnum hominem quam alium, nego Conſequentiam. Nam quamvis homines natura ſint pares, adeſt tamen in eis inæqualitas, in eo, quod ex divina providentia quidam ordinantur ad maius, & quidam ad minus, ſecundum illud quod dicitur Eccleſiaſt. 33. *In multitudine diſciplinæ Domini ſeparavit eos, & ipſis bene dixit, & exaltavit in ipſis, maledixit & humiliavit.* Et ſic maius officium eſt cuſtodire vnum hominem quam alium.

§. IV.

Vtrùm perſonis publicis, nempe Principibus, Prælatis, & huiuſmodi præter Angelum particularem alius deputetur Angelus, qui dirigat hominem, vt perſona publica eſt.

1325 RESP. Affirmativè cum D. Thom. in 2. diſt. 11. quæſt. 1. articul. 2. ad 4. vbi loquens de officijs humanis per comparationem cum ordinibus Angelorum ſic docet: *Dicendum, quod omnia officia humana pertinentia ad ſingulares perſonas, cum quibuſcumque ordinibus ſimilitudinem habeant, diriguntur per ordinem vltimum, in quantum participant virtutes ſuperiorum, vt dictum eſt, ſed illa officia, quæ ad multitudinem pertinent, diriguntur per Principatus, vel Archangelos, & ideo homo in prælatione conſtitutus illuminatur ab Angelo inferioris ordinis de his, quæ ſpectant ad regimen multitudinis* Vtrum autem hic Angelus, qui aſsiſtit per-

Digitized by Google

perſonis publicis, ſit illemet Angelus, qui deputatur in cuſtodiam communitatis. Bañez probabile iudicat; Angelum, qui aſſiſtit Regi v.g. vt perſona publica eſt, non eſſe alium, quàm ille, qui deputatus eſt in cuſtodiam Regni. Quod videtur inſinnare D. Thom. in illis verbis auctoritatis proximè adductæ; ſed ab Angelo Principe de his, quæ ſpectant ad regimen multitudinis: Angelus autem Princeps dicitur, qui præeſt Principatui, & Regno vt conſtat ex illo Daniel. 10. *Princeps Perſarum reſtitit mihi*, qui locus de Angelo cuſtode Regni Perſarum communiter intelligitur.

Sed idem Bañez iudicat probabilius, iſtum Angelum eſſe diſtinctum ab eo, qui præeſt toti communitati. Cuius aſsignat rationem: quoniam commodius fiat gubernatio reipublicæ; ſi ſingulis perſonis publicis duo Angeli deputentur; & ex alia parte cum numerus Angelorum ad hoc ſufficiat, imò ſuper excedat; nulla ratio aſsignari poteſt, ob quam dici non poſsit, Angelum diſtinctum ab eo, qui curam Regni, vel communitatis habet, deputari in cuſtodiam perſonæ publicæ.

Certè primam ſententiam iudicaverim valde poſsibilem. Nam ſicut Angelus, qui præeſt cœleſti corpori, ſedem habet determinatam, nempe in parte orientis, ita videtur, quod Angelus, qui præeſt Regno, ſedem habeat determinatam, nempe perſonam Regis: ex cuius bono regimine bonum Regni totius reſultat. Et quia vltra Regem, quia toti regno attendit, dantur gubernatores civitatum, particulariter vnam, vel alteram regentes, etiam vltra Angelum illum dantur Angeli inferiores, ad quos attinet præſidentia ſuper vnam Civitatem; & iſti ſimiliter ſedem ſuam habent in Proregibus, ſeu Gubernatoribus ſingularum Civitatum: & ſic deſcendendo intra Civitatem ad alias inferiores communitates, & collegia, dicere non prohibemur, quod Angelus, qui cuſtodit collegium, eſt ille, qui cuſtodit Rectorem, vt publica perſona eſt. Si enim Angelus gubernans Collegium cuſtodit omnes collegas ſecundum quod partes illius Collegij ſunt, quare non gubernabit Rectorem ſecundum quod caput eorum eſt? quod ſi illum gubernat caput non indigebit alio gubernante illum, vt perſona publica eſt.

1326 Cæterum eſt difficile argumentum contra hoc. Nam inde ſequitur tot Angelos habere ſubditos alicuius communitatis in cuſtodiam, quod habent Rectores eiuſdem communitatis: hoc autem non videtur conſonum doctrinæ communi; ſolum in Prælatis, & Rectoribus ſuper addentes Angelos: ergo. Prob. ſequela, nam iuxta dicta idemmet Angelus, qui cuſtodit Collegium v.g. cuſtodit ſubditos, & cuſtodit Rectorem: ergo cum alias vnuſquiſque ſubditus, ſecundum quod perſona privata eſt, ſuum habeat peculiarem Angelum, ſicut & Rector, vt perſona privata eſt habet, ſi Angelus cuſtodiens Rectorem eſt illemet cum eo, qui cuſtodit ſubditos, vt ſunt partes collegij; ſequitur evidenter, quod *Prælati* non habeant plures Angelos in cuſtodiam quàm ſubditi. Sed ad hoc poſſumus reſpondere, neg. Min. Ad Prob. dico, quod quamvis idem Angelus gubernet communitatem, ſubditos, & Rectorem; habet tamen regulâ ſuâ ſedem in Rectore, ex cuius influxu habent regulari ſubditi in ordine ad bonum commune communitatis, & non in ſubditis; & ſic ſpeciali titulo dicitur eſſe cuſtos Rectoris, quo non dicitur cuſtos ſubditorum.

§. V.

An cuſtodire hunc, vel illum conveniat Angelis ex principijs naturalibus fuit?

1327 QVIDAM Philoſophi, de quorũ numero fuit Plotinus in libro de proprio Dæmone, cui adhæret Martinus Ficinus in præfatione ſuper illum, dicunt, Angelos ex naturali ordine deſtinatos eſſe ad hominum cuſtodiam. Commentantur enim iſti, quod Angeli ſunt corporei, præſertim inferiores; quos ipſi appellabant aereos, & ex conſequenti quod ſunt proportionati, imò & quodammodo ſubiecti influentijs cœlorum, & ſtellarum; & id colligebant ex hoc quod quis naſcitur ſub tali diſpoſitione cœli, & ſtellarum, ex ordine naturæ deputabatur illi Angelus, qui habebat naturalem proportionem, in ò & ſubordinationem ad illam cœli, & ſtellarum diſpoſitionem, & huiuſmodi Angelus non ex libertate, ſed ex neceſsitate attendebat ad

cuſtodiam, & directionem illius hominis. Hæc ſententia manifeſtum exprimit deliramentum, nam delirantium eſt Angelos ſubijcere cœlorum diſpoſitioni; & ſi bona defendit Theologia, quod corpora cœleſtia non poſſunt hominum voluntates neceſsitare, quomodo poſſent Angelorum voluntates neceſsitare, ſic, quod Angeli naturali neceſsitate hominibus inſervirent propter cœlorum influxum, & ſtellarum diſpoſitionem?

Huic errori, ſeu extraneæ philoſophiæ ſatis affinis eſt loquela Patris Martini Eſparzæ tom. de Angelis, quæſt. 5. de individuatione Angeli articul. 6. vbi probans Angelos naturaliter poſſe ſolo numero multiplicari, ſic loquitur: *Fundor in ordine, quo Angeli referuntur ad corpora ex ſua natura, nempe Angeli ex ſua natura ſunt adminiſtratorij ſpiritus circa corporalia, & præſertim circa homines, vtpote in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, quo propter vnuſquiſque Angelus ex his, quos quæſtione 4. articul. 4. in tertia Hierarchia concluſimus, refertur ad aliquod determinatum corpus, aut ad terminatam corporum collectionem, atque cum illo, aut illis peculiariter connectitur in ratione motoris, & directoris, habetque in ſe intrinſecè aliquid, per quod eſt permanenter deſtinatus ad talis determinati corporis, ſeu corporum curam, & regimen: vnde vnuſquiſque Angelus ex tertia Hierarchia eſſet diſcernibilis à reliquis, atque logicè individuatus, tametſi omnes eſſent eiuſdem ſpeciei.* Hæc Eſparza, & alia multa ibi evomit hoc ipſum concernentia.

1328 Sed falſiſsima iſta ſunt. Sunt enim Angeli naturæ completæ ſpiritualis omnino à corpore independentis; non ergo ex ipſa ſua natura, & ex intrinſecis ſuorum naturalium poſſunt ad corpora ordinari. Nec dici poteſt, ex hoc quod ſint naturæ completæ ſpiritualis, tantum ſequi non poſſe ordinari ad corpus tanquam ad receptivum eorum, non vero tanquam ad mobile per illos. Non (inquam) valet: nam hoc ipſo quod eſſent propter motum corporum, ſic, quod eſſet natura eorum, nempe movere corpora, non poſſent non naturaliter à corporibus dependere: non ergo completam haberent ſpiritualitatem, nam ſpiritualitas, quæ dependet à corpore, non habet ſuum totum complementum intra lineam ſpiritualitatis. Præterea, ſi Angeli ex natura ſua ſunt determinati ad dirigendum hunc hominem præ alio, ſicut anima rationalis ex natura ſua dicit ordinem ad informandum hanc materiam præ alia, ſequitur, quod ſicut anima rationalis non eſt in ſuo ſtatu connaturali, quamdiu non informat materiam, propter quam informandam, eſt; ita & Angelus non ſit in ſuo eſſe connaturali, quamdiu non cuſtodit illum hominem, ad quem cuſtodiendum ex natura ſua ordinatur, & ſimiliter ſubſtantialiter individuatur: & ſic cum Angelus, qui hodie puerum naſcentem cuſtodire incipit, à principio mundi vſque ad hodiernum diem non cuſtodierit illum, ſequitur, quod in ſuo eſſe connaturali non fuerit, & ſimiliter cum in ſententia D. Thom. quam Eſparza admittit, poſt mortem cuſtoditi iam non eſt amplius futura cuſtodia circa illum, ſequitur, etiam quod Angelus per æternitatem à parte poſt in eſſe ſuo connaturali remanſurus non ſit. Quæ omnia non niſi cum magna abſurditate dici poſſunt.

Præterea, ſi Angeli ex ſua intrinſeca natura ſunt vt cuſtodiant homines, ſequitur quod homines poſſint gloriari ſuper Angelos; nam homines ſuum eſſe naturale habent independenter ab Angelis; at Angeli ſuum eſſe haberent dependenter ab hominibus: ergo poſſent gloriari ſupra Angelos. Tandem, ſi Angelus individuatur ſubſtantialiter ex habitudine ad determinatum corpus, ad quod movendum ex natura ſua ordinatur, ſicut individuatur ſubſtantialiter anima ex habitudine ad corpus, quod nata eſt informare, ſequitur, quod ſicut in ſententia Div. Thom. anima nequit movere niſi corpus, à quo individuatur, ita & Angelus non poſsit movere niſi corpus illud, propter quod movendum à Deo inſtitutus eſt; hoc autem eſt falſiſsimum: ergo. Min. patet, nam non eſt Angelus, qui diviſivè non poſsit movere quodcumque corpus. Et Mai. patet à paritate.

1329 His opinionibus falſis de medio exploſis, dico, Angelos ex ſola Dei voluntate deſtinari ad cuſtodiendum hunc hominem præ alijs, nec ex vi illius divinæ voluntatis aliquid naturale intrinſecum po-

Digitized by Google

poni in Angelis cuſtodibus, ſed præfatam deputationem ad cuſtodiam eſſe ſolum ordinem intrinſecè exiſtentem in Deo proviſore, & extrinſecè in ipſis Angelis deputatis. Prob. nam Scriptura hoc explicat per mandatum Dei, & obedientiam Angelorum, vt patet ex illo Pſal. *Angelis ſuis mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*. Ecce mandatum ex parte Dei; *in manibus portabunt te*, ecce obedientiam ex parte Angelorum. Quod autem non ſit quid intrinſecum naturale, Prob. ex eo, quòd omnia naturalia convenerunt Angelis ab inſtanti ſuæ creationis: vnde cum omnes Angeli ex tertia Hierarchia, quibus committitur hominum cuſtodia, ſint conditi boni, & in gratia, ſequitur, quod etiā Angeli, qui ex tertia Hierarchia ceciderunt, & incapaces redditi ſunt ad cuſtodiendum homines in ſuis naturalibus, fuerint diminuti, hoc non eſt admittendum, quia omnia naturalia manſiſſe in Angelis integra, communis eſt Theologorum ſenſus: ergo. Prob. ſequela. Nam ſi ad naturalia Angelorum tertiæ Hierarchiæ pertinet homines cuſtodire, ſic, quod numero inter ſe diſtinguantur per hoc, quod vnus ex ſua natura habet hunc hominē cuſtodire, & non aliū: omnes Angeli tertiæ Hierarchiæ, cùm primò conditi ſunt, diviſi ſunt naturaliter inter ſe penes diſtinctas cuſtodias hominum; at per peccatum amiſerunt poſſe homines cuſtodire: igitur per peccatū diminuti, ſunt in bonis intrinſecis naturalibus. Nec poteſt dici, quod illis, qui ceciderunt, cum poſt peccatum non poſſint exercere cuſtodiam hominum, datum eſt, quod impugnent eoſdem homines, quos naturaliter debuiſſent cuſtodire, ſi tamen non peccaſſent. Non (inquam) hoc dici poteſt. Nam impugnatio hominum, cum ſit moraliter mala, nequit naturaliter Angelis convenire: ergo per hoc quod illi deputati ſint ad impugnandum homines, quos ſi non peccaſſent, cuſtodirent, non aufertur, quin diminuti ſint in naturalibus, ſi ſemel ex natura ſua ſunt determinati ad cuſtodiendum, & per peccatum facti ſicut incapaces ad cuſtodiam.

(·?·)

§. VI.

Vtrùm cuſtodire homines pertineat ſolum ad infimum ordinem Angelorum?

1330 Vt D.Thom. huic quæſito reſpondeat præſupponit, quod cuſtodia hominum eſt duplex; alia vnius hominis in particulari, alia plurium hominum in communi, quæ vocatur cuſtodia vniverſalis. Quo ſuppoſito, dicit primo: cuſtodia particularis hominum pertinet ad infimum ordinem Angelorum. Probat ſic, minima annuntiare pertinet ſecundum Gregorium ad infimum ordinem; ſed procuratio eorum, quæ pertinent ad ſalutem vnius hominis, tantū pertinet ad hoc quod eſt annuntiare minima: ergo cuſtodia particularis vnius hominis pertinet ad infimum ordinem. Dicit ſecundò, Cuſtodia vniverſalis multiplicatur ſecundum diverſos ordines. Probat, quia quantò agens eſt vniverſalius, tantò eſt ſuperius: ergo quantò cuſtodia eſt vniverſalior, tantò magis ſpectabit ad ordinem ſuperiorem. Vnde concludit, quod cuſtodia humanæ multitudinis pertinet ad ordinem Principatuum, vel fortè ad Archangelos, qui ſunt Principes Angelorum. Vnde Michael, quem Archangelum dicimus, vnus de Principibus dicitur Daniel. 10. Vlterius autem ſuper omnes naturas corporeas cuſtodia pertinet ad Virtutes. Cuſtodia ſuper Dæmones pertinet ad Poteſtates, & cuſtodia ſuper bonos ſpiritus pertinet ad Principatus, vel Dominationes.

1331 Contra hoc inſtas nam D. Chriſoſtom. explicans illud Math. 18. *Angeli eorum in cælis, &c.* dicit, *hoc intelligitur, non de quibuſcumque Angelis, ſed de ſuper eminentibus*: ergo cuſtodia hominum non ſpectat ad infimum ordinum. Confir. ad Hebræos 1. dicitur: *Omnes ſunt in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: ergo Angelorum miſſio ad cuſtodiam hominum ordinatur; ſed quinque Angelorum ordines in miniſterium exterius mittuntur: ergo omnes Angeli quinque ordinum in cuſtodiam hominum deputantur.

Confirm. ſecundo, ad cuſtodiam hominum maximè videtur eſſe neceſſariū arcere Dæmones, quod ſecundū Greg. pertinet ad Poteſtates, & miracula facere, quod per-

tinet ad virtutes: ergo Poteſtates, & Virtutes etiam deputabuntur hominibus in cuſtodiam. Confirm. tertio, ſecundum Dionyſium, cap 9. cœleſtis Hierarchiæ, tertiæ Hierarchiæ proprium eſt lumen divinum accipere proportionatum ad immediatè illuminandum nos; ſed ille Angelus custos hominis dicitur, qui immediatè illum illuminat: ergo cuſtodire homines convenit omnibus ordinibus tertiæ Hierarchiæ.

Ad hoc dico, dictum Chriſoſt. intelligi de ſuper eminentibus Angelis intra infimum ordinem, qui eſt ordo Angelorum. Etenim in quolibet ordine ſunt ſupremi, medij, & infimi, & ſic intra ordinem Angelorum, qui eſt infimus omniũ, dantur ſupremi, medij, & infimi: quanto ergo hominibus cuſtodiendis procuratur maior gradus gratię, & glorię, tãto Angelus cuſtodiẽs ſuperior eſt inter Angelos: & quia illi puſilli, de quibus loquitur Chriſtus, debebant eſſe iuſti ad altiorem gradum gloriæ procurandi, ideo dicit Chriſoſ. quod Angeli eorum erant non de quibuſcumque, ſed de ſupereminentibus, intra ordinem tamen Angelorum, qui infimus ordo eſt. Solutio eſt D. Thom. hic, ſed non videtur iuxta mentem Chriſoſtomi, quod vt appareat verba Chriſoſtomi adduco, vt ſunt in fonte: dicit enim ſic; *Hinc manifeſtum eſt, quod omnes ſancti Angelos habeant, Apoſtolus etiam habet de muliere, quoniam velamen debeat habere in capite propter Angelos, & Moiſes ſtatuit fines gentium ſecundum numerum Angelorum Dei*, & ſubdit, *hic vero non de Angelis ſimpliciter dicitur, ſed de Angelis excellentibus; atque ſupremis*. Quod probat ſic; *nihil enim aliud deſignatur cum faciem dicat Patris mei aſpiciunt, quã ſumma fiducia eorum, & honor præcipuus*. Quibus duæ probationes habentur ad probandum, quod non loquatur de Angelis infimi ordinis. Prima eſt quia dicit Chriſtum non loqui, *de Angelis ſimpliciter ſed de excellentibus, & ſupremis*; Qui enim rogo ſunt illi Angeli ſimpliciter? Vtique illi, qui tantum dicuntur Angeli, quales ſunt omnes infimi ordinis: nam alij dicuntur Archangeli, Principatus, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, &c. vnde non dicuntur Angeli ſimpliciter: ergo Chriſoſt. non loquitur de ſupremis intra infimum ordinẽ. Secunda probatio eſt ibi, *nihil aliud deſignatur cum faciem dicat Patris mei aſpiciunt, quam ſumma fiducia, & honor præcipuus*. Etenim ſi Chriſoſt. per hanc probationem non vult probare Angelos illorum eſſe ſupremos, id eſt, primæ Hierarchiæ, qui aſsiſtentes dicuntur; non etiam probare poteſt de ſupremis intra infimum ordinem, nam videre faciem Patris in cœlis, vel accipitur communiter pro hoc, quod eſt videre Deũ & hoc vnivocè convenit cunctis bonis Angelis, vel accipitur ſpecialiter ad denotandum Angelos aſsiſtentes, quomodo denotat excellentiam Angelorum primæ Hierarchiæ: ſi ergo Chriſoſt. non accipit hoc ſecundo modo, accipit primo, & cum primum ſit prædicatum commune omnibus bonis Angelis, non poteſt probare excellentiam Angelorum infimi ordinis: ergo ſi per illud medium non probat de Angelis abſolutè ſupremis, nec etiam probat de ſupremis intra infimum ordinem Angelorum.

Sed tenenda eſt ſolutio D. Thom. Et ad inſtantiam dico, quod dum Chriſoſt. dicit, non eſſe loqutionem de Angelis ſimpliciter, non fuit eius mens Chriſtum loqui de Archangelis, Principatibus, &c. ſed eius loqutionem eſſe reſtrictam ad Angelos infimi ordinis, in quo ordine, qui ſunt infimi, tantum dicuntur Angeli reſpectivè ad intermedios, & ad ſupremos ſui ordinis. Ad ſecundam dico, Chriſoſt. non probaſſe Angelos, de quibus ibi loquutus eſt Chriſtus, eſſe ſupremos, per hoc quod aſpiciunt faciem Patris, ſed probaſſe quod parvuli illi maximum honorem accipiunt, & ſummam fiduciam habent ſalutis, ex eo quod Angeli, qui illos cuſtodiunt, ſemper faciem Patris in cœlis aſpiciant: vnde nihil convincitur in contra.

1332 Cæterum præter hanc explicationem poſſemus dicere, Chriſoſt. loqui de Angelis ſupremis, qui cuſtodiunt iſtos parvulos, de quibus loquitur Chriſtus (per quos Pauperes, ignotos humiles, & abiectos intelligit) imperativè, non vero exequutivè. Etenim habent iſti convenientiam ſingularem cum tribus ordinibus primæ Hierarchiæ: nam ex quo propter Dei amorem depauperantur, Seraphinis aſsimilantur: vnde S. Franciſcus, quia Pauper, Seraphin dicitur, quia ignotus ab hominibus, ea, quæ Deus abſcondit à ſapientibus, revelat parvulis. Vnde aſsimilantur Cherubinis; quia vero per humilitatem omnibus evacuantur, ipſo Deo replentur: vnde Thronis aſsimilantur: ob hanc autem convenientiam à tribus præfatis ſupremis ordinibus imperativè cuſtodiuntur, non tamen exequutivè. Sicut à ſimili diximus de Seraphino

Digitized by Google

no purgante labia Prophetæ, & de Cherubino cuſtodiente lignum vitæ, quorũ primus dicitur Seraphin, quia virtute Seraphini purgabat, & alter Cherubin, quia virtute Cherubin lignum vitæ cuſtodiebat.

Ad primam Confirm. diſt. Conſeq. ergo Angelorum miſſio ad cuſtodiam hominum ordinatur immediatè, vel mediatè, tranſ. Conſeq. ſemper immediatè, nego Conſ. & conc. Min. ſubſumpta, nego Conſ. Itaque omnis Angelorum miſſio eſt propter electos finaliter, vt eis procuretur ſalus; ſed non omnis Angelorum miſſio eſt ad cuſtodiendum homines in particulari, ſed alij mittuntur ad hoc, alij ad cuſtodiendas communitates hominum, alij mittuntur in cuſtodiam ſuper omnem corpoream creaturam. Et ſic de alijs, quæ ſupra memoravimus: vnde non ſequitur quod ſi quinque ordines mittuntur, quod quinque ordines homines in particulari cuſtodiãt. Ad ſecundam Confir. nego Conſ. nam Angeli inferiores cuſtodientes homines in particulari virtute Poteſtatum, & vi Virtutum poſſunt arcere Dæmones, vel facere miracula circa perſonas, quas cuſtodiunt: vnde propter hanc cauſam non eſt neceſſe, quod Poteſtates, & Virtutes homines cuſtodiant. Ad tertiam dico; quod tota tertia Hierarchia habet divinum lumen accipere in ordine adminiſtrandum circa nos, ſed circa nos ſtat miniſtrare in particulari cuſtodiendo hanc, vel illam perſonam in particulari, & ad hoc tantum illuminantur Angeli, ſtat etiam miniſtrare vniverſaliter, videlicet cuſtodiendo Civitatem, Provinciam, Regnum, & ad hoc accipiunt alij ordines tertiæ Hierarchiæ proportionatum lumẽ. Vnde non ſequitur quod tota tertia Hierarchia homines cuſtodiat in particulari.

§. VII.

Vtrùm omnibus hominibus Angeli ad cuſtodiam deputentur?

1333 RESP. D. Thom. quod omni homini in ſtatu viæ deputatur Angelus cuſtos. Probat. *Nam homo in ſtatu vitæ præſentis eſt quaſi in ſtatu viæ, qua debet tendere ad patriam, in qua quidem via multa pericula homini imminent. Tum ab interiori, tum ab exteriori ſecundum illud Pſalm. in via hac, qua ambulabam; abſconderunt laqueum mihi: ergo ſicut hominibus per viam tutam non ambulantibus dantur cuſtodes; ita & cuilibet homini, quandiu viator eſt, cuſtos Angelus deputatur.*

1334 Circa hanc literam aliquæ occurrunt difficultates. Prima eſt de Chriſtô, an habuerit Angelum cuſtodem? Cui reſp. D. Thom. hic ad 1. ſub hac forma: *Dicendum quod Chriſtus ſecundum quod homo regulabatur, immediatè Verbo Dei: vnde non indigebat Angelorum cuſtodia, & iterum ſecundum animam erat comprehenſor, ſed ratione paſſibilitatis corporis erat viator, & ſecundum hoc non debebatur ei Angelus cuſtos tanquam ſuperior, ſed magis miniſter tanquam inferior: vnde dicitur Math. 4. acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Quam doctrinam videtur deſumpſiſſe ex Auguſtino in Pſal. 56. ibi: *Angeli miniſtrabant ei non tanquam miſericordes indigenti, ſed tanquam ſubiecti omnipotenti.* Quibus duo dicit D. Thom. alterum eſt, Chriſtum habuiſſe Angelum ſibi miniſtrantem vt inferiorem, alterum non habuiſſe Angelum cuſtodem, vt ſuperiorem.

Cæterum in 2. diſt. 11. q. 1. artic. 3. ad 6. expreſsè negat habuiſſe Angelum cuſtodem; ſic enim habet: *Dicendum, quod Chriſtus non habuit Angelum cuſtodem: Tum quia anima ſua omnibus Angelis ſuperior, fuit ſibi immediatè à Verbo illuminata. Tum quia erat verus comprehenſor: vnde eius bonum nec impediri, nec iuvari poterat; dicitur vero ſubdi paternis diſpoſitionibus per Angelos quodãmoda indirectè, in quantum Angeli inſtruebant Ioſeph, & Matrem eius de his, quæ circa ipſum puerum exiſtentem agenda erant, vt habetur Math. 2.* Hanc doctrinam D. Thom. veriſsimã exiſtimo, nec ab illa diſcordare hic art. 4. ad 1. quia Angelorum cuſtodia dicit quandam præſidentiam ſuper hominem cuſtoditum, & ſuperioritatem: vnde dum Div. Thom. negat Chriſtum habuiſſe Angelũm cuſtodem vt ſuperiorem, ſed tantum vt ſibi miniſtrantem, aperte negat Chriſtum habuiſſe Angelũ cuſtodẽ. Quod aſſumptum diſcurro ſic. Homo cuſtoditur ab Angelis, in quantũm illuminatur ab illis; ſed illuminare hominem dicit ſuperioritatem: probavimus enim ſupra, non poſſe Angelos inferiores illuminare ſuperiores, quamvis poſſint loqui cum illis: ad cuſtodiam ergo hominum requiritur, quod Angelus cuſtos ſuperioritatem habeat ad illos,

Digitized by Google

1335 Sed contra inſtabis primo, nam ad cuſtodiendum hominem non requiritur illuminatio: ergo neque ſuperioritas. Conſeq. eſt bona iuxta noſtram doctrinam, & Antec. Prob. Angelus cuſtodiens puerum ab ortu nativitatis verè cuſtodit illum; & tamen non illuminat, quia tunc puer eſt incapax perceptionis lucis Angelicæ: non ergo ad cuſtodiam requiritur illuminatio cuſtoditi. Secundo Prob. idem Antec. Angelus cuſtodiens genera, & ſpecies naturales verè eas cuſtodit; & tamen non ea illuminat, quia genera, & ſpecies rerum incapacia ſunt percipiendi eorum illuminationem: non ergo ad cuſtodiam requiritur illuminatio rei cuſtoditæ. Ad hoc, diſt. Antec. ad cuſtodiendum hominem non requiritur illuminatio hominis, quando homo eſt capax perceptionis illius, nego Antec. quando eſt incapax, conc. Ant. & nego Conſeq. Itaque, vt bene probat argumentum, non requiritur ad cuſtodiendum hominem pro omni ſtatu eius illuminatio, ſed requiritur quod cuſtodiens potens ſit illuminare, quando cuſtoditus illuminationem poteſt recipere: & quia potens illuminare, etſi ad tempus non illuminet, neceſſario requiritur, quod ſuperior ſit, ideo ad cuſtodiendum hominem requiritur in Angelo cuſtode ſuperioritas.

Ad ſecundam, conc. Præmiſsis, nego Conſeq. Etenim vnumquodque cuſtoditur ab Angelis modo ſibi proportionato; genera, & ſpecies cum illuminationem percipere non poſsint, per illuminationem non cuſtodiuntur; cuſtodiuntur tamẽ quoad earum perpetuam durationem, quę fit per cõtinuam generationem individuorum corruptibilium, in quam medijs corporibus cœleſtibus Angeli actionem habent; & ſic ſuperioritatem exercent, in quantum agens æquivocum ſibi per ſe effectum ſubordinat: homo autem, cum rationalis ſit, ad bonum media ratione ducitur, & ſic Angelus dirigit eum, dum cuſtodit in ordine ad bonum rationi conſonum: hæc autem directio non eſt aliud quam illuminatio; vnde hominum cuſtodia media illuminatione fit.

1336 Inſtas ſecundo; nam dato quod requiratur ſuperioritas, adhuc Angelus poterit cuſtodire Chriſtum: ergo. Prob. Antec. Chriſtus ſecundum quod homo erat inferior Angelis, iuxta illud, *minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, & etiam quia in eo, in quo Chriſtus erat minor Patre, etiam erat Angelis minor; & erat Patre minor vt homo, iuxta illud *minor Patre ſecundum humanitatem*: ergo etiam vt homo erat minor Angelis: ergo eſto ad cuſtodiendũ hominem requiratur ſuperioritas, adhuc Angelus poterat cuſtodire Chriſtum. Confirm. nam eſto ſcientia Chriſti ex parte rerum cognitarum fuerit ſuperior ſcientia Angelorum, quia plura ſcivit Chriſtus quam Angeli, tamen ex parte modi habendi ſcientiam, ſuperior fuit ſcientia Angelorũ ſciẽtia Chriſti. Tum quia Angeli per vniverſaliores ſpecies intelligebant, quam Chriſtus. Tum etiam, quia vt inquit D. Thom. 3. part. quæſt. 11. art. 4. *Scientia Chriſti quoad modum cognoſcendi, qui eſt connaturalis animæ Chriſti, ſcilicet converſionis ad phantaſmata, collationis, & diſcurſus, infra ſcientiam inditam Angelorum fuit.*; ergo Angeli habuerunt ſuperioritatem erga Chriſtum, & ſic potuerunt illuminare, & cuſtodire illum.

Ad hoc, nego Antec. Ad prob. dico, quod licet natura Chriſti abſtractivè ſumpta eſſet inferior natura Angeli, concretivè tamen propter vnionem ad ſuppoſitum divinum ſuperior erat, quia prout ſic, magis ad Deum accedebat, quam Angelus: ſiquidem ipſa Dei perſonalitate terminabatur, & ipſa Dei exiſtentia exiſtebat: vnde quod dicitur de Chriſto, *minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, intelligendum venit quaſi dictũ propter naturam humanam, quæ, ſtantibus prædicatis ſuis, inferior eſt Angelica; non autem quaſi dictũ ſit de hoc concreto *Chriſto homine*, vbi non tantum attenduntur prędicata naturæ, ſed etiam coniunctis maximè ad Deum. Nec etiam eſt verum quod in eo, in quo Chriſtus vt homo erat minor Patre, ſit minor Angelis, quia Chriſtus minor eſt Patre, non ſolum, quia natura humana inferior eſt divina, ſeu etiam minor eſt Patre ex eo, quod eius natura humana non ita accedit ad Deum, ſicut ipſa natura Patris: nam natura humana accedit ad Deũ per ſolam communicationem perſonæ divinæ ad ipſam, ſed natura divina in Patre accedit ad Deum per identitatem, & eſſentiam; non vero per gratuitam communicationem: in hac autem communicatione perſonæ divinæ ad humanitatem Chriſti, Chriſtus ſimpliciter excedit Angelos, & ſic adhuc in eo, in quo minoratus eſt à Patre, non eſt ab Angelis minoratus.

Ad Confirm. dico, ita eſſe quod Angeli per vniverſaliores ſpecies intelligebant quàm Chriſtus; cæterum hoc non ſufficiebat ad illuminandum Chriſtum, quia vt di-

Digitized by Google

dicunt Theologi 3. part. quæſt. 11. art. 4. ſpecies Chriſti, quamvis non eſſent ita vniverſales ſicut Angelicæ, erant tamen clariores in ſui repræſentatione: vnde nihil cognoverũt Angeli, quod Chriſtus clariori modo non cognoſcebat, & alias ſcientia Chriſti ex parte cognitorum longè excedebat ſcientiam Angelicam: non ergo Angeli aliqua via poterant Chriſtum illuminare.

1337 Tertiò inſtabis. Chriſtus quando erat puerulus, verè cuſtodiebatur à Parentibus ſuis, nempe Ioſeph, & Maria: ergo & poterat multo melius ab Angelis cuſtodiri, qui ſuperiores erant Parentibus eius; nam Angeli erant beati, & Parentes viatores. Deinde de Chriſto ait ſcriptura, quod erat ſubditus Mariæ, & Ioſeph; aliquod ergo genus ſuperioritatis habebant in eum; nam in eo, in quo erat ſubditus, illis, illi eo ſuperiores erant: ergo & facilius ſubdi poterat Angelis beatis, ſic, quod ipſi haberent ſuperioritatem in illum. Ad hoc dico, quod cuſtodia Parentum erat cuſtodia humana, quæ non requirit ſuperioritatem in cuſtode: Vnde ex tali cuſtodia non poterat inferri Ioſephum & Mariam eſſe ſuperiores puero cuſtodito, modo, quo alij pueruli in ordine ad nutrimentum à Parentibus cuſtodiuntur: & ſi Chriſtus Angelum cuſtodem habuiſſet, daretur intelligi Angelos eſſe ſuperiores Chriſto propter rationem aſſignatam; quia cuſtodia Angelorum fundatur in ſuperioritate, & excellentia, & in potentia ad illuminandum perſonam cuſtoditam: vnde potuit abſque inconvenienti cuſtodiri à Parentibus, & non potuit abſque inconvenienti cuſtodiri ab Angelis.

Ad illud, quod dicebatur, quod erat ſubditus Mariæ, & Ioſeph, dico, quod cum Filius iure naturæ ſub poteſtate ſit Patris, vt Chriſtus verus Filius hominis monſtraretur, voluit aſſumere præfatam ſubiectionem ad Parentes; eam autem ſubiectionẽ voluit aſſumere erga Angelos, ne crederetur pura creatura humana, ſi Angelis ſubditus eſſet; nam Angelus, homine eo ſolo titulo ſuperior eſt, nempe quia homo naturaliter, creatura inferior eſt Angelis. Vnde ſi Angelis ſubditus fuiſſet, daretur intelligi, quod creatura eſſet: hoc autem non militabat ratione Parentũ, quia per hoc tantum dabatur intelligi, quod Filius hominis eſſet, quod intendebatur à Chriſto: vnde non erubuit accipere ſubiectionem ad Parentes, renuit autem ſubiectionem aſſumere ad Angelos.

1338 Tandem inſtabis. Chriſtus erat vnivoce homo cum alijs individuis ſpeciei humanæ: ergo Angelus cuſtodiens ſpeciem humanam, vere cuſtodiebat illum ſecundum quod erat pars ſpeciei humanæ. Ad hoc poterat aliquis concedere intentum argumẽti, nec inde ſequeretur aliquid contra concluſionẽ, quæ ſolum negat Angelum cuſtodẽ Chriſto ſecundũ quod quidam homo particularis erat, non vero ſecundum quod pars ſpeciei humanæ erat. Sed melius Reſp. diſt. Antec. Chriſtus erat vnivocè homo cum alijs individuis quoad prædicata naturæ humanæ, conc. Antec. quoad prædicatã naturæ, & ſuppoſiti, nego Antec. & Conſeq. Itaque Angelus cuſtos ſpeciei humanæ ille eſt, qui cuſtodit homines quoad naturam, & ſuppoſitum; Chriſtus autem quoad hæc duo non erat individuum naturæ humanæ, quia ex hominibus tantum habebat naturam, non ſuppoſitum: vnde Angelus, qui erat cuſtos ſpeciei humanæ, non erat Chriſti cuſtos, adhuc ſecundum quod erat pars ſpeciei humanæ.

§. VIII.

Vtrùm B. V. Maria habuerit cuſtodiam Angelum?

1339 DEINDE Occurrit difficultas non levis de B. V. vtrũ habuerit cuſtodem Angelum? de quo non invenio in D. Thom. reſponſionem in particulari, tantum in communi loquens de confirmatis in gratia in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 4. ad 2. dicit quod *etiam ſi confirmati peccare non poſſint, poſſunt tamen proficere, & eorum profectus poteſt impediri, & propter hoc indigent cuſtodia Angelorum ad promovendum in bonum, & removendum impedimentum.* Ex quibus pro Virgine poteſt ſic formari argumentum. Eſto B. V. nunquam peccaverit, neque peccare potuerit mortaliter, vel venialiter, tamen in gratia, dum fuit in via, proficere potuit, & eius profectus potuit impediri, eſtò non per peccatum: ergo indiguit Angelorum cuſtodia ad profectum in bonum, & removendum impedimentum. Sed licet textus expreſſus non habeatur pro hac veritate, nec contra illam habeatur, tamen D. Bernardi eſt expreſſa ſententia in epiſt. 77. circa fi-

Digitized by Google

finem vbi ſic habet; *ſed & ipſum Virginem roga, vnde probabitur ex nomine, vel ex facie ante cognitam Angelis, quod ipſa videlicet eſſet, quam Deus elegerit in Matrem ſibi, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, cui & ſeruanda abinitio tradita fuiſſe credenda eſt*. Sic Bernardus. Cui expreſſæ ſententiæ cõtravenire non poſſumus.

1340 Affirmo ergo B. Virginem Angelum habuiſſe cuſtodem. Probat Gonet hanc veritatem, quia quamvis inſidijs Dæmonum non pateret, quæ ſerpentis caput pede contriverat, nec ab Angelis edoceri deberet, quæ Deum habebat Magiſtrũ; Angelorum tamen præſentia poterat recreari, & eorum iuvari miniſterio. Hæc tamen meo videri non concludunt in B. Virgine Angelum fuiſſe cuſtodem: nam recreari Angelorum præſentia, & eorũ iuvari miniſterio etiam in Chriſto reperta ſunt, vt patet ex illo Lucæ 22. *Apparuit Angelus confortans eum*, ſuper quæ D. Thom. in 3. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. ad 7. ait: *Dicendum, quod Angelus dicitur confortaſſe eum, non aliquid imprimendo, ſed per modum miniſterij, in quantum congratulabatur fortitudini eius ſicut homo naturaliter in tribulatione confortatur ad præſentiam amicorum*. Math. etiam 4. dicitur quod *finita tentatione acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*; & tamen Theologi cum D. Thom. negant Chriſtum Angelum habuiſſe cuſtodem: non ergo Virginem recreatam fuiſſe Angelorum præſentia, & eorum iuvatam miniſterio, probare poteſt illam Angelum habuiſſe cuſtodem.

Vnde ex alijs capitibus propoſitam debemus probare veritatem. Probamus ergo primò ex profectu in gratia. Nam B. V. eſto ex quo gratiam accepit, acceperit quoque privilegium ſingulare nunquam peccandi, neque mortaliter, neque venialiter; tamen non accepit totam gratiam, quam deinde in diſcurſu vitæ ſuæ habuit, ſed in dies illam auxit meritis ſuis: ad hoc autem Angelorum miniſterio indiguit per modum removentis impedimenta, vt mens illa omnibus mundanis curis libera, ſoli Deo ſemper vacaret, & ſic meritum ſuum ſemper intenderet. Præterea, B. V. inſtructa fuit ab Agelis, vt dicit D. Thom. loco adducto ex ſent. ad 6. ibi: *Dicitur vero ſubdi paternis diſpoſitionibus per Angelos quodammodo indirectè, in quantum Angeli inſtruebant Ioſephũ, & Mariam Matrem eius de his, quæ circa ipſum puerum exiſtentem agenda erant, vt habetur Math. 2*. Et quidem probant Theologi inter Angelos dari illuminationem, quia Chriſto aſcendente, aliqui eorum interrogarunt, *quis eſt iſte Rex gloriæ?* & alij ſuperiores reſponderunt, *Dominus Virtutum ipſe eſt rex gloriæ*: ergo dum ab Archangelo Gabriele Virginem annunciante de Incarnationis myſterio, ipſa quæſivit, *quomodo fiet iſtud, quia virũ non cognoſco?* Et Archangelus reſpondit: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei*, colligere poſſumus B. V. ab Archangelo fuiſſe inſtructam de Incarnationis myſterio: cum ergo hæc duo B. Virgo habuerit ab Angelis liberaliter conceſſa, quæ ad cuſtodiam attinent Angelorum, *credendum erit* (vt Verbis Bernardi vtar) *ipſam habuiſſe Angelum cuſtodem*.

Sed dices cum Bernardo loco citato, Angelum non docuiſſe B. V. myſterium Incarnationis, ſed illam remiſiſſe edocendam ab Spiritu Sancto: ſic enim habet Bernardus, *modum deinde illum tam incomprehenſibilem, quem & Virgo ſolicita requiſivit, vnde quæſo docere quiã Angelis fuiſſe præcognitum? mihi vero videtur, ne ipſi quidem (vt pace eius dixerim) qui nuntiabat; quod & ipſe fatetur, ſi eius verba diligenter advertimus: reſpondens quippe Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, nonne aperte mittit ad Magiſterium Spiritum Sancti? Cuius vnctione docetur de omnibus, quorum ipſe ſibi non præſumit ſcientiam, & diſcat experiendo, quod audiendo non poterat*. Hæc Bernardus: non ergo Gabriel Virginem inſtruxit, vel edocuit myſterium Incarnationis. Reſp. Bernardum intelligendum eſſe, Archangelum remiſiſſe Virginem ad Spiritum Sanctum vt ab ipſo edoceretur exactè, & perfectè, & vt tantum, & tam ineffabile myſterium requirebat; non autem velle Bernardum quod Angelus nullo modo docuerit eam de myſterio; ſed Angelus fecit quod potuit, & vt exactius Virgo erudiretur, eam ad Spiritũ Sanctum remiſit, vt ex ſuperadventu Spiritus Sancti in eam, ipſa addiſceret opere, quod plenè voce Angeli non didiſcerat. Nec aliud Bernardus Catholicè intelligere potuit, ſiquidẽ Virgini ſciſcitanti de modo Angelus reſpondit, *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Itaque Virgini difficile apparebat myſterium ex hoc, *quoniam virum non cognoſco*: quam difficultatem ſol-

Digitized by Google

ſolvit Angelus dicens; non concepturam virtute ſeminis virilis, ſed virtute altiſſimi obumbrantis illi, ex qua obumbratione ſequeretur, quod id, quod naſceretur ex ea, vocaretur Filius Dei: vnde difficultate ſoluta, illa mente paccata reſpondit, *fiat mihi ſecundum verbum tuum*: non ergo negare potuit Bernardus Virginem aliquo modo edoctam fuiſſe ab Angelo.

1341 Sed contra concluſionem inſtabis. Ad veram cuſtodiam Angelicam, vt ſupra docuimus, requiritur ſuperioritas in Angelo reſpectu eius, qui ab eo cuſtoditur; ſed hanc ſuperioritatem non habuit Gabriel ad Virginem: ergo non fuit Angelus cuſtos ipſius. Prob. Min. B. Virgo erat Regina Angelorum, & exaltata eſt ſuper choros Angelorum. Inſuper maiorem acceſſum habuit ad Deum, quam aliquis Angelus etiam ſupremus habuerit, ſiquidem de eius puriſſimo ſanguine Verbum divinum carnem ſumpſit, ſic, quod caro ipſa Virginis aliquo modo caro Chriſti dicatur: non ergo Angeli potuerunt ſuperioritatem habere ad Virginem.

Ad hoc, nego Min. Ad Prob. dico, quod B. Virgo cum eſſet pura creatura, erat in ordine naturæ inferior Angelo, & eſto maiorem gratiam quoad intentionem, dum erat in via, habuiſſet, quam Angelus, tamē excedebatur ab Angelo, quia gratia huius erat gratia comprehenſoris, & conſummata viſione Beata habituali, quam perfectionem B. V. dum viatrix erat, non habebat. Dicebatur autem Angelorum Regina, quia Mater erat Regis Angelorum, exaltata eſt etiam ſuper choros Angelorū in ſtatu beatitudinis, non in ſtatu viæ, & licet ex eius puriſſimo ſanguine formata ſit caro, quæ deinde vnita eſt Verbo Dei, Virgo tamen Maria Verbo Dei ſuppoſitaliter vnita non fuit: vnde fuit pura creatura, & ſic potuit Angelus ſuperioritatem habere ad Virginem, dum hæc erat in via, ſpecialiter quantum ad ſcientiam: nam Angeli habebant ſcientiam beatam, & per Deum eorum mentibus immediatè vnitum ipſum Deum videbant, ad quod non pervenit B. Virgo, dum erat viatrix ſaltem habitualiter, licet aliquando Deum in ſe vidiſſe tranſeunter piè credendum ſit. Vnde nullum ex requiſitis ad veram cuſtodiam defuit Angelo reſpectivè ad B. Virginem.

(*)

§. IX.

Vtrùm Antichriſtus habiturus ſit Angelum Cuſtodem?

1342 TERTIA Difficultas eſt de Antichriſto, cui reſp. Div. Thom. hic art. 4. ad 3. ſub his verbis: *Dicendum, quod ſicut præſciti, & infideles, & etiam Antichriſtus non privantur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitùs conceſſo ſcilicet cuſtodia Angelorum, per quam, & ſi non iuventur quantum ad hoc, quod vitam æternam bonis operibus mereantur, iuvantur tamen quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahuntur, quibus & ſibi ipſis, & alijs nocere poſſunt.* Quam doctrinam clarius tradit in 2. diſt. 11. q. 1. art. 3. ad 5. ibi: *Dicendum, quod Antichriſtus etiam habebit Angelum cuſtodem, quia lex communis propter vnum mutari non debet, & in hoc eius pœna iuſtior apparebit, quia beneficia toti humanæ naturæ proviſſa ſibi non ſubtrahuntur, nec tamen eſt omninò fruſtra cuſtodia, quia etſi ad bonū non convertatur, à multis tamen malis ceſſabit retractus ab Angelo cuſtode: hunc enim effectum ad minus ſemper conſequitur Angelus per cuſtodiam in quocumque obſtinato.* Sic D. Thomas. Quibus & affirmat Antichriſtum habiturum cuſtodem Angelum, & probat efficaciſſimis rationibus: vnde communiter hæc veritas tenetur à Theologis.

Eſt tamen aliquale diſſidium in eo, an Antichriſtus habiturus ſit Angelum cuſtodem ab ortu nativitatis ſuæ vſque ad mortem? circa quod Viguerius Inſtitutionum Theologicarum, cap. 21. §. 5. art. 30. exiſtimavit ſententiam eſſe S. Thomæ, Antichriſtum, mox vt vti cœperit rationis iudicio, deſerendum ab Angelo cuſtode. Eius ſunt verba: *D. Thom. tamen dicit quòd adveniente vſu rationis Angelus ei ad cuſtodiam deputatus propter eius nequitiam derelinquit eum, & ſic derelictus, amplius à Dæmonibus ſeducetur, & eorum ſuggeſtionibus adhærens proſequetur omnino diaboli voluntatem.* Sic Viguerius refert ex D. Thom. falſiſſimè tamen hic auctor hanc ſententiam D. Thom. attribuit: legimus enim accuratiſſimè Div. Thom. in omni eo loco, quo de Antichriſto loquitur, & nuſquam invenimus talia S. Doctorem docuiſſe. Videatur ſuper ſecundam ad Theſſalonicenſes vbi ad longum de Antichriſto loquitur, nec tamen hanc ſen-

ten-

tentiam, vel leviter inſinuat: imò è contra ſemper dicit, Angelum cuſtodem nunquam deſerere hominem, quem cuſtodit dū viator eſt. Sic hic in hoc art. 4. & in art. 6. & in 2. d. 11. q. 1. art. 3. in corpore, & in art. 4. Et de verit. q. 5. art. 7. ad 2. Vnde meritiſsimo hic auctor ſuggillatur à Benedicto Iuſtiniano commento, in 2. ad Theſalonicenſes verſū 9. illis verbis: *Et quidem tutelaris Angeli patrocinio privandum non ita multo poſt, quam mentis intelligentiæ lumen aſpexerit, aſſerunt nonnulli, qui quoniam ſuæ ſententiæ auctores nullos habent, graviſsimis auctoribus falſo illam imponunt.* Vnde doctiſsime noſter Maluenda lib. 3. de Anti-Christo cap. 24. ſic ait: *Et quidem nec credere, nec divinare poſſunt S. Thom. tale quippiam, quale Viguerius aſſtruit, docuiſſe.*

S. Antoninus 4. p. ſum. tit. 13. c. 4. §. 3. ſic habet: *Quamvis Angelus bonus Anti-Christo non ſubtrahatur ad cuſtodiam, tamen poſtquam incipiet malitia uti nullum effectum cuſtodiæ in eum exercebit eo obſtinato.* In quo dicto D. Thom. ſe opponit, nam loquens de Anti-Christo in 2. d. 11. q. 1. art. 3. ad 5. ſic habet: *Nec tamen eſt omnino fruſtra cuſtodia, quia etſi ad bonum non convertatur, à multis tamen malis ceſſabit retractus ab Angelo cuſtode: hunc enim effectum ad minus ſemper conſequitur Angelus per cuſtodiam in quocumque obſtinato.* Opponitur ergo S. Doctori, S. Antoninus, niſi forte dicamus, Antoninum loqui de nullo effectu converſionis ad bonū, in quo D. Thom. conſentit.

1343 Aliqui exiſtimarunt, Anti-Christū ab eo tempore, quo tam atrocem blaſphemiam proferat, vt ſe verum Deum appellet, penitus deſerendum ab Angelo Sancto. De qua ſententiā noſter Maluenda lib. 8. de Anti-Christo cap. 4. ſic dicit: *In Theologiæ compendio lib. 7. c. 7. annotatum invenio, bonum ac Sanctū Angelum cuſtodiæ Anti Chriſti deputatum nunquam illum deſerturum, niſi cum in hanc ſupremam blaſphemiam eruperit, vt ſe Deum faciat; tunc enim B. Ang. cuſtos illius prorſus ab eo ſe ſubſtrahet, omnemque opem denegabit.* Sed ego ſto in doctrina D. Thom. qui in locis adductis affirmat Angelum cuſtodem non deſerere hominē cuſtoditum, quandiu eſt viator, quantumvis in modo obſtinatus ſit, quia quamvis eum non poſsit convertere ad bonum, à multis tamen malis eum ceſſare efficere poteſt.

1344 Sed inſtas, ad cuſtodiam non ſufficere retrahere cuſtoditum ab hoc quod eſt plura, vel maiora facere mala, ſed requiri poſsibilitatem moralem ad convertendum ad bonum perſonam cuſtoditam: ergo ſi Angelus non poterit efficere in Anti-Chriſto quod convertatur ad bonum, non cuſtodiet illum. Prob. Ant. ipſi etiam Dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant, quantum volunt; & tamen boni Angeli non dicuntur cuſtodes Dæmonum: ergo illud primum non ſufficit ad cuſtodiam. Præterea, Angeli mittuntur ad cuſtodiam propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, quod nō debet intelligi ſic, quod ſolum cuſtodiant eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſed ibi tantum explicatur finis cuſtodiæ, qui univerſaliter ſit inducere hominem ad conſequutionem ſalutis; non autem homo ad finem ſalutis eſt inducibilis niſi per converſionem ad bonum: igitur dum ponimus Anti Chriſtum ſic futurum obſtinatum ad malum, quod moraliter nō ſit convertibilis ad bonum, dicendum erit, non habiturum ſemper cuſtodem Angelū.

Ad primum, nego Antec. Ad Prob. dico, Angelos bonos per vim inducere Dæmones, ne noceant, quantum volunt; Angeli autem boni perſonam obſtinatā in malo, quam cuſtodiunt per exhortationem, conſilium, & alia media moralia ad bonū inducere procurant; & dum his omnibus obſtinatus reſiſtit, ſaltim inſtādo, & pulſando ſemper conſequitur, ſi non converſionem ad bonum, ſaltim receſſum ab operatione plurium, vel maiorū malorum. Itaque Angelus cuſtos, quantum in ſe, & ex ſe eſt, ſemper obſtinatum, quantumvis magis obſtinatum ad bonum conatur inducere, ſed dum ille omnibus inductionibus ad bonum reſiſtit, ſuccumbit tamen huic, quod eſt non tot mala facere ſibi, vel aliis. Ad ſecundum, concedo id, quod in Antecedenti dicitur, quoad primam partem. Et quoad ſecundam dico, quod homo eſt ab extrinſeco dirigente inducibilis ad bonum, non per ipſam converſionē ad bonū, ſed per exhortationem, & conſilium inducentis; eſto ergo Anti-Chriſtus nunquam convertatur ad bonum, tamen Angelus eius exhortationibus ſuis curabit illum inducere, & dum ipſe illis reſiſtit, ſaltim cum effectu inducetur ad non faciendum tot mala ſibi, & aliis, quæ tamē faceret, ſi talis directio Angelica non adeſſet: vnde ex parte Angeli ſemper habetur pro fine ſalus illius hominis, quandiu eſt in ſtatu viæ: vnde verificatur ex parte finis, quod in univerſum finis cuſtodiam Angelorum

rum ſit ſalus æterna, ad quam perſona cuſtodita ordinata eſt.

§. X.

Vtrùm Angelus deputetur homini ad cuſtodiam à ſua natiuitate?

1345 RESPONDET Div. Thom. affirmativè, & probat primò auctoritate Hieronymi illo ſuo celebri dicto *vnaquæque anima ab ortu natiuitatis habet in cuſtodiam ſui Angelum deputatum.* In corpore probat: nam beneficia, quæ dantur homini divinitus ex eo quod eſt Chriſtianus incipiunt à tempore baptiſmi, ſicut perceptio Euchariſtiæ, & alia huiuſmodi, ſed ea, quæ providentur homini à Deo in quantum habet naturam rationalem ex tunc ei exhibentur, ex quo naſcendo talem naturam accipit; ſed cuſtodia Angelorum eſt beneficium commune conceſſum homini à Deo, ex quo homo habet naturam rationalem: ergo ſtatim à nativitate habet homo Angelum ſibi in cuſtodem deputatum.

Huic concluſioni videtur ſe opponere ipſe D. Thom. dum in 2. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. in corp. ait: *Et ideo omnibus hominibus ab infuſione animæ rationalis, per quam ad finem ſalutis ordinantur, cuſtodia debetur vſque ad mortem, quando terminatur via proficiendi in finem.* Et ad 3. *Dicendum, quod pueri in materno vtero non recipiunt ſacramenta Eccleſiæ, quia non ſubduntur actibus miniſtrorum, ſed operibus divinis, & Angelorum ſubduntur, & ideo eis ab infuſione animæ rationalis cuſtos Angelus deputatur, per quem prohibetur virtus Dæmonis ab eius nocumento, & propter multa impedimenta, quibus poteſt eius complexio deteriorari vt efficiatur pronior ad peccatum, vel etiam ipſa vita extingui; & in hoc etiam proſunt parvulis natis, quamvis eos non illuminent.* Quibus dicit deputari Angelos in cuſtodiam pueris ab infuſione animæ; & hic dicit tantum deſignari ab ortu nativitatis: ſibi ergo contrarius eſt.

Sed crediderim D. Thom. ſibi non contrariari. Nam in ſententijs tantum dicit ab infuſione animæ aſſignari Angelum in cuſtodiam, non tamen determinat qualitatem Angeli cuſtodis, an videlicet ſit ille, qui matrem cuſtodit, vel alius: hic autem loquitur de Angelo in particulari deputato puero, & dicit, incipere cuſtodiam eius ab ortu nativitatis; non tamen negat ab infuſione animæ puerum habere cuſtodem Angelum, imò hoc affirmat in ſolutione ad 1. quæ talis eſt: *Dicendum, quod puer, quamdiu eſt in materno vtero, non totaliter eſt à matre ſeparatus, ſed per quandam colligationem eſt quodammodo aliquid eius: ſicut & fructus pendens in arbore eſt aliquid arboris, & ideo probabiliter dici poteſt, quod Angelus, qui eſt in cuſtodiam matris, cuſtodiat prolem in matris vtero exiſtentem; ſed in nativitate quando ſeparatur à matre, Angelus ei ad cuſtodiam deputatur:* nulla ergo eſt contradictio in D. Thom.

1346 Sed contra rationem D. Th. Inſurges primò probando eam non eſſe efficacem ad intentum concluſionis. Nam intentum concluſionis eſt, quod ab ortu nativitatis, ex vtero videlicet, homini deputatur ſpecialis Angelus in cuſtodiam, & non antea; hoc autem non convincit ratio D. Thom. ergo. Prob. Min. ratio D. Thom. eſt. Beneficia, quæ conferuntur homini à Deo in quantum habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur ex quo naſcendo talem naturam accipit; ſed cuſtodia Angelorum eſt de numero horum beneficiorum: ergo homo à nativitate habet Angelum cuſtodem. At toto iſto ſyllogiſmo conceſſo non infertur intentum D. Tho. quod eſt non de nativitate, ſed nativitate ex vtero: ergo. Explicatur hoc, duplex eſt hominis nativitas, alia in vtero, quando homo concipitur, & fœtus anima rationali animatur; alia ex vtero, quando à matre ſeparatur: dum ergo ſyllogiſmo facto probatur ſolum quod homini, dum naſcitur, conceditur tutela Angelica, & non determinatur nativitas, non habetur concluſio, in qua nativitas determinatur ad nativitatem ex vtero.

Quod ſi dicas, illam Maiorem D. Th. *Beneficia, quæ conceduntur homini in quantum habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur, ex quo naſcendo talem naturam accipit*, tantum eſſe veram de nativitate ex vtero, & ſic rectè concludi, ſolum à nativitate ex vtero dari hominibus Angelos in cuſtodiam. In contra Prob. oppoſitum evidenter. Etenim quia iuſtitia originalis erat beneficium conceſſum naturæ rationali, ex quo homo naſcendo in vtero acciperet naturam rationalem, acciperet quoquè iuſtitiam originalem, & quia eius privatio eſt malum naturæ rationalis, de facto ex quo naſcendo in vtero quis accipit naturam rationalem, ex tunc quoquè accipit priva-

tio-

Digitized by Google

tionem iuſtitiæ originalis: ergo illa Maior eſt vera, loquendo de nativitate in vtero.

Pro explicatione adverto D. Thom. in corpore articuli duas retuliſſe opiniones circa huiuſmodi punctum: alteram, quæ dicebat, Angelum ſolum deputari homini ad cuſtodiam, ex quo homo baptizatur, & non antea: alteram, quæ docebat Angelum deputari homini ad cuſtodiam à nativitate: ex his duabus eligit ſecundam, & illam probat in corpore aſſumēdo medium per ſe deſtructivum illius ſententiæ, quam retulerat, videlicet quod à ſolo baptiſmo incipiat Angelorum cuſtodia: ad illam autem ſententiam deſtruendam ſufficit eſſe verum, quod beneficia, quæ conceduntur homini, ex quo habet naturam rationalem, ei tunc concedantur, quando naſcendo accipit animam rationalem, ad differentiam eorum, quæ conveniunt homini, ex eo quod eſt Chriſtianus, quæ ei dantur à tempore baptiſmi, & non antea. Et ſufficit etiam eſſe verum, quod cuſtodia Angelica ſit de numero primorum beneficiorum, non vero de ſecundo. Ex his enim veris evidenter concludit eſſe falſam illam ſententiam, quæ aſſerebat Angelum cuſtodem tantùm deputari à baptiſmo, & conſequenter erit vera illa, quam D. Thom. elegit, nempe quod conſignatur à tempore nativitatis. Vnde D. Thom. ratione adducta tantum probavit concluſionem in quantum opponebatur illi, quam retulerat in corpore articuli, & ſic non aſſumit medium, quo probaret concluſionem, etiam prout opponebatur huic, quod eſt cuſtodiam Angelorum incipere à nativitate in vtero. Quia autem tertium argumētum directe volebat probare cuſtodiam dari à nativitate in vtero, vt huic ſe opponeret, non eſt vſus ratione corporis, ſed alia diſtincta, videlicet, quod puer à nativitate in vtero naturam rationalem habet, tamen cum non ſit ſeparatus à matre, eſt aliquid matris, ſicut fructus arboris, dum pendet ab arbore, eſt aliquid arboris, & ad Angelum cuſtodientem matrem attinet cuſtodire ea, quæ ſunt matris: ideo illi, dum eſt in vtero matris, non conſignatur in cuſtodiam Angelus diſtinctus ab eo, qui cuſtodit matrem.

Ex quibus ſic præ notatis reſp. ad inſtantiam factam, concedendo illam rationem non eſſe efficacem ad probādum pueris ab ortu nativitatis ex vtero dari Angelum cuſtodem, eſſe tamē efficacem ad probandum, quod tutela illa non differatur, vſque ad baptiſmum, quod directe illa ratione probatur. Nam ſi tutela Angelorum eſt beneficium conceſſum homini, quia naturam rationalem habet, & non quia Chriſtianus eſt, ex quo naturam rationalem naſcendo accipit, præfatam tutelam habebit, & ſic falſa erit illa ſententia, quæ affirmat à ſolo baptiſmi tempore præfatam tutelam dari.

1347 Sed inſtas, probando quod ab infuſione animæ incipiat Angeli tutela. Etenim puer ille, eſto ab infuſione animæ rationalis nō ſeparetur corporaliter à matre, tamen in ordine ad Deum, & ad propriam ſalutem, hoc ipſo quod naſcitur in vtero, quid ſeparatum eſt: ergo in ordine ad beneficia divina ratione naturæ rationalis homini conceſſa habebit ſe, eo modo, ac ſi in vtero matris non eſſet. Conſeq. videtur bona, & Antec. Prob. Nam puer ille, ſi moreretur in vtero matris, dānaretur ad Lymbum, & mater iret ad purgatorium, infernum, vel Paradyſum: ergo in ordine ad propriam ſalutem ſic ſeparatus eſt à matre, ac eſſet extra vterum matris. Secundo, nam puer ille poteſt ſanctificari per gratiam iuſtificantem, non iuſtificata matre, & de facto ſi Adamus non peccaſſet, contingeret multoties matrem eſſe in peccato mortali, & filium eſſe in gratia, & iuſtitia originali: igitur in ordine ad Deum, & ea, quæ ſpectant ad ſalutem, puer ille adhuc in materno vtero habet ſe vt quid ſeparatum à matre: Tertiò, nam ex quo proles naſcitur in vtero, ex eo ad propriam ſalutem ordinatur, & quantum ad hoc non colligatur cū matre, nam in matre damnata ad inferos poteſt naſci filius electus ad ſuperos: ergo idem quod ſupra.

Ad hoc argumentum, diſt. Ant. tamen in ordine ad Deum, & ad propriam ſalutē, hoc ipſo quod naſcitur in vtero, quid ſeparatum eſt, quo ad beneficia intrinſece animæ inhærentia, conc. Antec. quo ad alia beneficia externa, nego Antec, & Conſeq. Itaque beneficia divina ratione naturæ rationalis conceſſa ſunt in duplici differentia: alia ſunt intrinſecè inhærentia animæ, & quoad hæc puer in vtero materno habet ſe, ac ſi quid ſeparatum eſſet à matre; alia ſunt beneficia externa, qualia ſunt cuſtodiæ Angelicæ, & quo ad hæc non ſe habet vt quid ſeparatum a matre: cum enim in vtero materno exiſtens ſit tanquā fructus pendens à propria arbore, adhuc eſt matris, & ſic attinet ad Angelum matris cuſtodia illius; ſi quidem attinet perfecte cuſtodire ma-

Digitized by Google

mātrem; & cūm filius in vtero exiſtens inter bona matris numeretur, iure naturali ſpectat ad Angelum cuſtodire illum, dum ſpectat perfectè cuſtodire matrem.

Sed inquiris quare, quoad beneficiā intrinſeca, quaſi quid ſeparatum eſt, non verò quoad cuſtodiā externā? Reſp. quod beneficia interna, qualia ſunt gratia, &c. ſubiectantur intrinſecè in anima, & cum puer in vtero matris habeat diſtinctam animam, ideo eſt neceſſe, quod præfata beneficia multiplicentur, & ſic quoad illa ſe habet puer; ac ſi quid ſeparatum eſſet à matre: cuſtodia autem Angelica, cum non ſubiectetur in puero, ſed extrinſecè ſe habeat ad illum; & alias puer ſit aliquid matris, non eſt neceſſe, quod multiplicetur, hoc ipſo quod puer diſtinctum individuum ſit à matre: vnde quoad perceptionem huius beneficij non ſe habet puer; ac ſi eſſet quid ſeparatum à matre.

Ad primam Prob. diſt. Conſeq. quoad ea, quæ ſunt intrinſecè inhærentia, conc. Conſeq. quoad alia beneficia externa, nego conſequentiam. Ad tertiam pariter diſt. non colligatur cū matre quoad ea, quę ſunt intrinſecè inhærentia pueris, conc. Antec. quoad aliqua externa bona, nego Antec. & Conſeq. Itaque ad hoc quod eſt puerum ordinari ad propriam ſalutem aliqua Dei beneficia poſſunt concurrere intrinſecè elevando puerum, & hæc neceſſe eſt quod ei concedantur in particulari, & cum diſtinctione à matre: alia autem concurrunt tantum extrinſecè, & cum hæc commodè fieri poſſunt media illa cauſa, per quam ſiunt in matre, ſic non requiritur ad huiuſmodi exhibitionem cauſas multiplicare.

1348 Sed ſecundo inſtas, contingere poteſt quod propter matris peccata Angelus cuſtos ſeparetur à matre; at ſic ſeparatus, filium in vtero matris exiſtentem cuſtodire non poterit: ergo non eſt dicendum filium in vtero matris non habere alium Angelum præter eum, qui cuſtodit matrem. Ad hoc dico, contingere poſſe quod propter peccata matris Angelus cuſtos eam interdum dimittat, non ſic, quod deſinat eſſe cuſtos illius, ſed ſic, quod non impediat, quin ſubdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cedat in peccatum: vnde non ſequitur, quod tunc non poſſit cuſtodire prolem, ſiquidem ſemper reſtat matris cuſtos.

1349 Tertio inſtas ad Probandum quod ab ortu nativitatis ex vtero non conſignetur Angelus in particulari ad cuſtodiā pueri. Etenim quamvis per nativitatem ex vtero corporaliter ſeparetur filius à matre; tamen quandiu ad vſum rationis non pervenit, ſemper eſt aliquid Matris, & Patris in ordine ad ſpiritualia, & hoc iure naturali, ſic, quod ſi quis puerum ante vſum rationis invitis parentibus baptizet, ille peccat contra ius naturæ: ergo quoadvſque ad vſum rationis perveniat, non debetur illi ſpecialis Angeli cuſtodia. Prob. Conſeq. nam dum eſt in matre, non debetur ei ſpecialis cuſtodia, quia ſpectat ad bona matris: ergo ſi adhuc extra matrem, quouſque non pervenit ad vſum rationis, adhuc ſpectat ad bona naturalia Parentum, adhuc non debebitur ei ſpecialis Angeli cuſtodia, ſed ſicut cuſtos Angelus matris cuſtodit puerum in matre exiſtentem, ita Angeli cuſtodes Patris, & Matris cuſtodient puerum exiſtentem extra Matrem.

Ad hoc, nego Conſeq. Ad Prob. diſt. cauſalem Antecedentis, quia ſpectat ad bona matris intrinſecè coniuncta matri, conc. Anteced. quia ſpectat ad bona matris vtcumque, nego Anteced. & Conſeq. Itaque puer quandiu eſt in vtero, matris dicitur, non tantum iure dominij, & poſſeſſionis, ſed etiam iure intrinſeceitatis, ſic, quod ſit veluti pars matris: vnde alitur, & nutritur per matrem, ſicut & aliæ partes matris nutriūtur: vnde recta ratio poſtulat, quod ſicut per os matris nutritur, ita & per Angelum matris nutritur ſpiritualiter, hoc eſt cuſtodiatur: at dum extra vterum matris eſt, eſto iure naturali etiam quoad ſpiritualia ſub dominio Parentum ſit, quia tamen individuum omnino ab illis ſeparatum eſt, & cuſtodia Angelica eſt beneficium conveniens homini, quia naturam rationalem in ſe ipſo adæquatè propriam habet, ſit inde, quod dum naſcendo ex vtero naturam rationalem accipit omnino ſeparatam à ſuis parentibus, ſic, quod iam proprio ore nutriatur, & non parentum, cuſtodem Angelum in particulari accipit, non vero Parentum Angelis gubernatur.

1350 Quarto inſtas probando quod ſolum à baptiſmo accipiatur cuſtodia Angelorum. Cuſtodia Angelorum non convenit homini, quia naturam rationalem habet, ſed convenit præcisè quia ad capiendam hęreditatem ſalutis ęternæ ordinatur; hæc autem perceptio hæreditatis accipit

Digitized by Google

à baptiſmo ; quia baptiſmus eſt ianua, per quam homines ingrediuntur ad ſupernaturalia bona capienda: igitur cuſtodia Angelorum incipit à baptiſmo. Prob. Mai. ex illo ad Hebræos 1. *In miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Quibus denotatur finem cuſtodiç eſſe perducere electos in conſequutionem hæreditatis æternæ: ergo cuſtodia Angelorum non eſt beneficium conceſſum homini, quia naturam rationalem habet, ſed quia ad vitam æternam capeſcendam ordinatus eſt. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. dico, quod in illa authoritate non fit mentio de fine cuſtodiæ Angelorum ſine quo non datur cuſtodia, ſed tantum ibi explicatur effectus vltimus, quem Angelorum cuſtodia habere poteſt, & de facto habet in prædeſtinatis: finis enim, propter quem Angelorum cuſtodia indiſpenſabiliter requiritur, eſt quem D.Thom. expreſsit ſupra in articul. 1. quæſt. 113. nempe vt variabilia, & mobilia affectus noſtri per invariabiles, & immutabiles ſubſtantias, quales ſunt Angeli, regulentur: vnde ſupra diximus, quod etiam in puris naturalibus homo conditus haberet Angelorum cuſtodiam, quia etiam tunc variabiles motus partis rationalis regularentur in ordine ad bonum conſonum rationi per ſubſtantias immateriales.

At dices, quod pueri antequam perveniant ad vſum rationis, non habent motus partis rationalis regulabiles per ſubſtantias immateriales: igitur non habebunt Angelorum cuſtodiam ante vſum rationis. Reſpondeo, quod eſto pro tunc non habeant, poſſunt pro tunc diſponi ad habendum motus rationi diſſonos poſt vſum rationis: poteſt eorum complexio determinari ſic, vt efficiatur pronior ad peccandũ virtute Dæmonis, vel alijs malis, quibus pueruli aſſuefieri poſſunt: oſtenditur ergo tunc cuſtodia Angelorum in arcendis Dæmonibus, & auferẽdis prædictis, ex quibus deteriorari poſſunt pueri, vt deinde accedente rationis vſu eos dirigant in bonum rationi conſonum.

§. XI.

Vtrùm Angelus cuſtos quandòque deſerat hominem?

1351 RESP. D. Thom. negativè. Probat in argumento ſed contra ex eo, *quod Dæmones ſemper nos impugnant iuxta illud 1. Petri 5. adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: ergo multo magis Angeli boni ſemper nos cuſtodient.* Ratione Probat ſic. Divina providentia nullam rem totaliter derelinquit, quamvis quoad aliquid deſerat permittendo: ergo cuſtodia Angelica nunquam totaliter relinquit cuſtoditum, quamvis quoad aliquid permiſsivè derelinquat. Anteced. quoad primam partem. Prob. quia vnumquodque quantum participat de eſſe, tantum de providentia divina participat; ſed implicat quod aliquid ſit, & deſeratur totaliter ab eſſe: ergo & implicabit quod aliquid ſit, & deſeratur totaliter à divina providentia. Quoad ſecundam partem patet, nam interdum divina providentia aliquos ſinit cadere in defectum culpæ, vel pœnæ. Conſeq. vero Prob. Nam cuſtodia Angelica eſt execuutio quædam divinæ providentiæ circa homines facta: ergo totaliter nunquam derelinquit cuſtoditum, eſto aliquando non impediat eius tribulationem, vel ſinat in peccatum labi.

1352 Hæc ratio aliquas patitur difficultates. Prima eſt, nam ſi ex eo quod divina providentia nunquam deſerit totaliter rem, quouſque eam ad finem debitum, vel ad quem ordinatur perducat, infertur, Angelum cuſtodem ex quo incipit cuſtodire hominem, nunquam totaliter eum relinquere, quia cuſtodia Angelica execuutio quædam eſt divinæ providentiæ; ſequitur, quod Angelus cuſtos qui incipit cuſtodire puerum in vtero matris, vt vidimus ex Div. Thom. nunquam deſerat cuſtodire illum; hoc autem eſt falſum: nam vt ibi vidimus ex Div. Thom. ille Angelus, cum ſit cuſtos matris, tantum habet puerum cuſtodire, quandiu eſt intra viſcera matris; nam ab ortu ex matre conſignatur ei Angelus ſpecialis in cuſtodiam: ergo. Prob. ſequela, providentia circa hominem incipere exequi ab infuſione animæ, ex quo homo primo eſt, dicitur: ergo ſi incipit exequutio per Angelum matris, & philoſophandum eſt de cuſtodia ſicut de providentia, quoad hoc quod eſt nunquam totaliter deſerere proviſum, ſequitur, quod Angelus ille matris, à quo incipit cuſtodia pueri, nunquam deſerat cuſtodire illum.

Secunda difficultas eſt. An, optimè ſalvetur divina providentia circa Petrum v.g. per hoc quod ſemper ſtet ſub cuſtodia alicu-

Digitized by Google

nium hominum vniverſaliter, id eſt, quã cuius Angeli: non ergo eſt neceſſe ad ſalvandam quod divina providentia nunquam deſerit hominem, quouſque illum perducat ad finem, quod vnus, & idem Angelus, cuſtos perpetuus illius ſit. Prob. Antec. nam divina providentia exequitur circa homines per cuſtodiam Angelorum, quatenus per illos diriguntur ad bonum, & defenduntur ab impugnationibus Dæmonum; at hoc ita fœliciter habetur per vnum Angelum, ac haberetur per plures ſucceſsivè, cum omnes vtique hoc poſsint efficere: ergo ſalvabitur divina providentia circa Petrum v. g. per hoc quod ſemper ſtet ſub cuſtodia alicuius Angeli, licet non ſemper ſit ſub cuſtodia eiuſdem numero.

Tertia difficultas eſt. Nam D. Thom. probat ſemper Angelos bonos nos cuſtodire, quia ſemper mali Angeli nos impugnant: ergo quia malus Angelus impugnans nos non ſemper eſt idem, ſiquidem ille, qui ſemel ſuperatur ab vno homine, non iterato revertitur ad tentandum illum: etiam bonus Angelus cuſtodiens nos non ſemper erit idem. Si enim prima Conſeq. eſt bona, quare & ſecunda non erit bona? Vnde licet argumentari ſic, Impugnatio hominum per Dæmones non minus eſt executio divinæ providentiæ circa homines, quàm ſit cuſtodia bonorum Angelorum, ſed illa fit per hoc quod Dæmones ſemper impugnent homines, non tamen per hoc quod Dæmon hominem impugnans ſemper ſit idem: ergo & cuſtodia aptiſsimè fiet per hoc quod Angelus ſemper cuſtodiat, non tamen per hoc quod ſemper ſit idem cuſtos.

Quarta difficultas eſt. Nam circa animas purgatorij Deus ſuam adhuc exercet divinam providentiam, ſiquidem nondum aſſequutæ ſunt finem, cui perpetuò adhærebunt; & tamen Angelo cuſtode prorſus deſtitutæ ſunt, nam cuſtodia ſolum durat vſque ad mortem: ergo ex eo quod divina providentia nunquam totaliter relinquat rem proviſam, non ſequitur quod Angelus cuſtos nunquam totaliter deſerat cuſtoditum.

1353 Ad hæc. Reſpondetur ſuo ordine. Ad primam dico, quod præſens articulus, & ratio eius non procedunt de quocumque cuſtode Angelo, & de quocumque homine cuſtodito. Scimus enim quod Angelus, qui aſsignatur homini, ex quo incipit prælatia, tantum durat in cuſtodia eius, quantum durat prælatia; & illa finita, amplius illum non cuſtodit. Itaque negare non poſſumus quod Angelorum cuſtodia aliquando ad tempus datur: vnde diſcutiendum reſtat, quando immutabiliter detur, ſic, quod duret vſque ad finem vitæ cuſtoditi, & quando ad tempus tantum detur? Dico ergo, quod ad hoc ſciendum attendendum eſt ad cauſam, propter quam datur: aliquando enim datur perſonæ ratione officij, vel dignitatis; & tunc durat cuſtodia, quandiu illa perſona durat in illo officio, vel dignitate, & finito officio, vel dignitate, Angelus idem, qui tali dignitati deputatus eſt, incipit cuſtodire alium, qui in prædicto ſuccedit officio; aliquando datur in regimen perſonæ ſecundum quod quidam homo ſingularis eſt, & iſto in caſu, durat per vitam illius perſonæ; aliquando datur in regimen perſonæ non ſecundum quod illa ſingularis perſona eſt diſcreta ab omni alia, ſed datur in cuſtodiam eius, quia pars alterius eſt, & ſic durat in cuſtodia eius, quandiu cuſtoditus perſeverat in hoc quod eſt eſſe pars alterius, ſic ergo circa hominem divina providentia per Angelorum cuſtodiam dupliciter expletur; dum enim eſt intra viſcera matris, providet de ipſo ſicut de aliquo bono intrinſecè colligato cum matre, & ſic cuſtodit illum per ſemetipſum Angelum, per quem matrem, & bona eius cuſtodit; quia autem hoc eſt ad tempus etiam cuſtodia; ratione huius homini data, eſt ad tempus. Cum autem ex vtero matris exit, providentia divina illum gubernat ſicut hominem ſingularem, ab omni alio diſcretum, & quia naturam rationalem habet ab omni alio diſcretam, & ſeparatam, ei huius in cauſam Angelum conſignat in cuſtodiam: cumque providentia ad hominem ſe extendat quouſque in eſſe conſervatur homo, Angelus, per quem divina providentia circa illum expletur, etiam durat in cuſtodia quouſque de prædicto verificatur, quod ſit homo: hoc autem verificatur vſque ad mortem, & ſic durat in cuſtodia Angelus vſque ad mortem.

Vnde ad primam difficultatem, nego Mai. Ad Prob. diſt. Antec. providentia circa hominem incipit expleri ab infuſione animæ hominis, vt perſona diſcreta, & ſeparata ab omni alia, nego Antec. hominis vt eſt aliquid matris, conc. Anteced.

Digitized by Google

& nego Conſeq. quia ille modus prouidentiæ, hominis reſtringitur ad illum, quandiu in vtero materno eſt, & ſic non ſequitur quod Angelus, qui illum pro tunc cuſtodit, vſque ad finem vitæ debeat cuſtodire illum.

Ad ſecundam difficultatem dico, quòd ſi Deus ſic voluiſſet prouidere de homine, quod nunquam deeſſet cuſtodia, non tamen ſemper hæc haberetur per eundem Angelum, poſſet quidem prouidere; ſed non congruenter hoc fieret; nam diuina prouidentia in tantum variat media ad finem, in quantum ex vi vnius res non poteſt perduci ad finem, ad quem ordinata eſt: poteſt autem vnus & idem Angelus vnum hominem cuſtodire, ex quo incipit eſſe particularis homo, quouſque vitam finiat; nec enim in hac prolongata cuſtodia Angelus defatigatur, non ergo congruenter diuina prouidentia mutaret cuſtodem.

1354. Ad tertiam difficultatem dico, primam Conſeq. eſſe bonam: *Semper Dæmones nos impugnant: ergò ſemper Angeli boni nos cuſtodiunt*, quia vnus ex præcipuis effectibus, ob quem dantur cuſtodes Angeli, eſt vt à Dæmonibus inuiſibiliter contra nos pugnantibus ſpiritus boni inuiſibiles nos defendant. Vnde ſi verum eſt, quod ſpiritus nequam ſemper nos impugnant, à fortiori erit verum, quod ſpiritus boni ſemper nos cuſtodiunt. Secunda autem Conſeq. nihil valet: *Impugnator non ſemper eſt idem: ergo cuſtos non ſemper erit idem*; nam quilibet Angelus bonus ſufficit ad defendendum ſuum alumnum, quem cuſtodit ab omni Dæmonum impugnatione: habet enim quilibet Angelus bonus ſuperioritatem ſuper quoſcumque ſpiritus nequam, ad quam oſtendendam quantumuis varientur Dæmones impugnantes, boni Angeli cuſtodes variari non debent. Secundo non valet ſecunda Conſeq. quia Angelus cuſtos deputatur à Deo in regimen cuſtoditi: regimen autem quod per ſolam mortem illius, qui cuſtoditur, finitur, perfectius eſt; & ideo vnus Angelus cuſtos præeſt vni homini vſque ad mortem eius: Dæmon autem non conſignatur à Deo in regimen, ſed ſua malitia, Deo tamen permittente, ſe introducit ad impugnandum hominem, & curandum quod in peccatum cadat; & ſicut ſua mala voluntate accedit ad tentandum vnum, ita & relinquit illum, & curat tentare alium. Tertio non valet Conſeq. facta, quia cum Dæmon maximè ſuperbus ſit, valde abhorret pluries ab homine ſuperari: vnde ſemel ab vno ſuperatus, nunquam vltra audet tentare illum, & ſic omnino recedit ab eo, à quo ſemel ſuperatus eſt, hoc autem non contingit in Angelo cuſtode, qui ſemper curat opus bonũ quod incepit vſque ad finem perducere: vnde non deſiſtit à cuſtodia, quantumuis cuſtoditus multoties ſuccumbat tentationi Dæmonis.

Ad quartam difficultatem dico, executionem diuinæ prouidentiæ circa hominem finiri per mortem cuſtoditi. Tum quia datur homini ex quo habet naturam rationalem completã, & ſic tantum durat, quantũ ipſa natura rationalis completa durat; hæc autem per mortem finitur; & ſic cuſtodia per mortem cuſtoditi finitur. Tum etiam, quia datur cuſtodia vt variabiles motus noſtri effectus regulentur per regimen ſubſtantiæ ſpiritualis immutabilis, qualis eſt bonus Angelus; poſt mortem autem non ſunt hominum cogitationes variabiles, vel effectus volubiles de bono in malum; vel è contra: & ſic perit cuſtodia per mortem hominis cuſtoditi. Vnde animæ purgatorij quantumuis ad vltimum terminum non venerint, quia tamen à corpore ſeparatæ ſunt, & effectus variabiles de bono in malum non habent, Angelo cuſtode deſtituuntur; quamuis enim nondum ſint in vltimo, ad quem ordinatæ ſunt, tamen ſunt in vltimo termino ad quem prætendit diuina prouidentia hominem perducere per cuſtodiam Angeli boni, qui eſt perſeuerare in bono vſque ad finem vitæ.

1355 Contra concluſionem poteſt fieri argumentum. Nam Hieremiæ 51. ex perſona Angelorum dicitur, *curauimus Babylonem, & non eſt curata, derelinquamus ergo eam*. Et Iſaiæ 5. dicitur: *Auferam ſepem eius, & erit in conculcationem*. Vbi Gloſſa: *Auferam Angelorum cuſtodiam*: ergo. Confirm. Angeli, cum ſunt hic nobiſcum, non ſunt in cœlo; ſed aliquando ſunt in cœlo; ergo tunc non ſunt nobiſcum: ergo relinquunt ſuos alumnos, quos cuſtodiunt.

Ad hoc dico, Deum, & Angelos nunquam totaliter relinquere homines, quos cuſtodiunt; ſed interdũ dicuntur relinquere eos, quatenus non impediunt, cum poſſent, mala eorum impedire, vel quatenus ſi-

Digitized by Google

ſinunt alumnos ſuos in culpas labi. Iuxtà quam doctrinam intelliguntur loca adducta, *derelinquamus eam*, id eſt, ſinamus eam in tribulationem venire, vel in peccata maiora labi; quomodo dicitur per Iſaiam Deũ auferre Angelorum cuſtodiam, non totaliter, ſed modo dicto. Quare autem non totaliter deſerant Angeli homines, cum ſinant eos in magnas venire tribulationes, & labi in maxima peccata? iam ſupra diximus, quia ſemper trahunt homines, ne in maiora mala veniant, ſive propria, ſive aliena voluntate, in quæ venirent, ſi ab Angelis quoad hoc non protegerentur.

Ad Confirm. in forma, conceſsis præmiſsis, diſt. Conſeq. ergo tunc non ſunt nobiſcum localiter, conc. Conſeq. non ſunt nobiſcum per cuſtodiam, nego Conſeq. Itaque boni Angeli ſunt in cœlo multoties, ſed tum inde vigilant ſuper alumnos ſuos obſervando ſi quid auxilij indigent; ad quod præſtandum ſemper ſunt expediti, quia ad motum localem mora temporis non indigent; dicuntur non relinquere cuſtoditos, quoad hoc quod eſt curam habere de illis: ſicut mater non derelinquit infantẽ, quando ita prope iuxta eum vigilans occupatur, quod ſtatim poteſt illi in omnibus adeſſe. Sic reſp. S. Thomas.

Sed eſt difficile quod dicit, nempe quod Angelus non indiget mora temporis ad motum localem è cœlo ad terram, vbi eſt alumnus cuſtodiendus. Hoc enim videtur eſſe contra D. Thom. qui ſupra quæſt. 53. art. 3. determinat motum localem Angeli neceſſariò fieri in tempore, in continuo, ſi ſit continuus, & in diſcreto, ſi ſit diſcretus: ſibi ergo opponitur dum hic dicit, quod Angeli ad motum localem mora temporis non indigent. Sed D. Thom. ſibi non adverſatur: nam aliud eſt, quod motus localis requirat indiſpenſabiliter tempus pro ſui menſura, & aliud eſt, quod Angeli ad motum localem indigeant mora temporis: ad primum enim ſufficiunt duo inſtantia immediata, in quorum primo Angelus vltimo ſit in cœlo, & in ſecundo ſit in terra ſubveniens alumno: ad tempus enim diſcretum ſufficiunt duo inſtantia immediatè ſe habentia; vnde poteſt eſſe modo in cœlo, & immediatè poſt hoc in terra: ad ſecundum autem requiritur quod inter inſtans, quo eſt in cœlo, & inſtans, quo eſt in terra, tempus ſic mediaret, quod Angelus nunc in cœlo exiſtens immediatè poſt hoc non poſſet eſſe in terra; hoc enim eſſet mora temporis: vnde cum Div. Thom. hic tantum dicat, Angelum ad motum localem non indigere mora temporis; non ſibi adverſatur, dum dicit motum Angeli non poſſe fieri niſi in tempore.

§. XII.

Vtrùm Angeli doleant de malis eorum, quos cuſtodiunt?

1356 QVÆSITO Reſp. D. Tho. negativè. Probat in argumento ſed contra: *Vbi eſt triſtitia, & dolor non eſt perfecta fœlicitas: vnde Apocalipſ. 21. mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor; ſed Angeli cuſtodes ſunt perfectè beati: ergo de nullo dolent.* Probat in corp. ſic. Triſtitia, & dolor ſecundum Auguſtinum non eſt niſi de his, quæ contrariantur voluntati; nihil autem accidit in mundo quod ſit contrarium voluntati Angelorum, & aliorum beatorum: igitur Angeli cuſtodes de nullo habebunt dolorem. Prob. Min. voluntas beatorum totaliter inhæret ordini divinæ iuſtitiæ; nihil autem fit in mundo, niſi quod per divinam iuſtitiam fit, aut permittitur: ergo nihil fit in mundo cõtra voluntatem beatorum. In quo autem ſenſu loquatur, explicat deinde ſic: *Vt enim Philoſophus dicit in 2. Æthicorum illud dicitur ſimpliciter voluntarium, quod aliquis vult in particulari ſecundum quod agitur conſideratis omnibus, quæ circunſtant, quamvis in vniverſali conſideratum non eſſet voluntarium: ſicut nauta non vult proiectionem mercium in mare abſolutè, & vniverſaliter conſiderando, ſed imminente periculo ſalutis hoc vult, vnde magis eſt hoc voluntarium, quam involuntarium, vt ibidem dicitur. Sic igitur Angeli peccata, & pœnas hominum vniverſaliter, & abſolute loquendo non volunt; volunt tamen quod circa hoc ordo divina providentia ſervetur, ſecundum quam quidam pœnis ſubduntur, & peccare permittitur.*

Ex quibus infero, iuxta D. Th. Angelos bonos dolere de malis eorum, quos cuſtodiunt ſecundum quid, non ſimpliciter. Vnde ſicut in Deo ponimus duas voluntates, aliam, qua vult omnes homines ſalvos fieri, quæ voluntas fertur ad ſalutem omnium hominum vniverſaliter, id eſt, qua

Digitized by Google

attenta tantùm miſericordia Dei, & capacitate hominum ad habendam ſalutẽ æternam vellet Deus quod omnes ſalvarentur; & aliam, qua vult hic, & nunc damnare aliquos propter eorum peccata: quarum voluntatum, prima dicitur ſecundum quid, & ſecunda talis ſimpliciter; ſic in cuſtode Angelo circa mala alumni ſui ſunt duæ voluntates, alia, qua abſolutè, & vniverſaliter tantum illa mala inſpiciendo, hoc eſt, ſub ratione tantum vniverſali mali illius alumni, qui cuſtoditur, nollet ei advenire: alia autem, qua omnibus penſatis vult circa alumnum ſuum ordinem divinæ Iuſtitiæ ſervari in punitione illius propter eius peccata: prima voluntas eſt dolor ſecundũ quid, quia eſt quidam remiſſus dolor voluntatis Angeli de malis ſui alumni tantum ſpectatis ſecundum quod mala eius ſunt. Secunda autem eſt voluntas ſimpliciter de exequutione ordinis divinæ Iuſtitiæ in eo, qui ab eo cuſtoditur, quia eſt voluntas de malo alumni, omnibus penſatis, quæ circunſtant.

1357 Et ſi inſtes, perfecta lætitia, qualis eſt lætitia beatorum, debet depurari adæquatè à ſuo contrario, quod eſt dolor, ſeu triſtitia; ſed ſi ponamus hunc dolorem ſecundum quid talem in beatis Angelis lætitia eorum non prorſus depurabitur à ſuo contrario; ſiquidem erit admixta cum dolore ſecundum quid: ergo non erit perfecta lætitia, vel ſi erit non debemus ponere quod Angeli beati habeant dolorem ſecundum quid. Explico hoc exemplo illius, qui vt mortem imminentem vitet, merces in mare proiicit, quas aliàs non proiiceret, ſi periculũ amittendi vitam non inſtaret: hic talis in illa proiectione ſimpliciter voluntarius eſt, ſed non voluntario ſic perfecto, quod ſit omnino depuratum à ſuo contrario, quia dum voluntas proiiciendi repugnat illi voluntati ſecundum quid, qua ſolum attendendo ad hoc, quod bona propria ſunt, nollet eas proiicere, actus ille ſecundum quid involuntarius eſt: ſic ergo ſi lætitia bonorum Angelorum admiſcetur dolori ſecundum quid de malis alumni cuſtoditi, illa lætitia ſimpliciter erit, ſed non ſic erit perfecta, quod prorſus à ſuo contrario depuretur, ac per conſequens non erit ſumma, qualis decet eſſe lætitia, & gaudium beatorum.

Ad hoc poſſumus dicere, quod lætitia, quam habent beati de Deo viſo, ex quo ſolum ſuam beatitudinem accipiunt, ſic eſt perfecta, quod prorſus eſt à ſuo contrario depurata. Etenim videnti Deum prout eſt in ſe non poteſt non appetere bonũ vndequaque, ſive ſecundum rationem communem, ſive ſecundũ rationem particularem, & cum ſit præſens, non poteſt non lætificare videntem: vnde illa lætitia prorſus eſt à ſuo contrario depurata. Non ſic philoſophandũ eſt de alijs obiectis, à quibus nõ beatificantur: hæc enim poſſunt ſecundũ aliquam rationem ſui vniverſaliter tantum inſpectam triſtare videntem; eſto omnibus penſatis, quæ rem circunſtant, habeat lætificare ſimpliciter illum: vnde hæc lætitia non erit ſic ſumma, quod prorſus ſit à ſuo contrario depurata. Et ſic contingit in præſenti: mala enim alumnorum, quos Angeli cuſtodiunt, conſiderata præciſe ſecundum quod mala alumnorum ſunt, ſic Angelos cuſtodes lætificare non poſſunt; quatenus autem per inflictionem illorum malorũ ſervatur ordo divinæ Iuſtitiæ, ſic ſimpliciter habent lætificare illos: vnde hæc lætitia, eſto ſimpliciter ſit talis, nõ tamen prorſus depurata eſt à ſuo cõtrario, ſed ſicut admittit aliquid involuntarij ſecundũ quid, ſic admittit dolorem, & triſtitiam ſecundum quid.

1358 Contra concluſionem, in qua dicitur quod Angeli cuſtodes non dolent ſimpliciter de malis eorũ, quos cuſtodiunt, inſtabis ex illo Iſaiæ 33. *Angeli pacis amare flebunt*; ſed fletus amarus, eſt ſignum doloris, & triſtitiæ ſimpliciter talis: ergo Angeli cuſtodes triſtantur ſimpliciter de malis hominum, quos cuſtodiunt. Confir. triſtitia eſt (vt inquit Auguſtinus) de his, quæ à nobis nolentibus accidunt; ſed perditio hominis cuſtoditi eſt contra voluntatem Angeli cuſtodis: ergo triſtantur ſimpliciter Angeli de malis eorum. Confirm. ſecundo, ſicut gaudio contrariatur triſtitia, ita pœnitentiæ contrariatur peccatum; ſed Angeli gaudent de peccatore pœnitentiam agente: ergo triſtantur de iuſto in peccatum cadente.

Confir. tertio, Origenes ſuper illud numerorum 13. *Quidquid offertur primitiarum, &c.* dicit, *trahuntur Angeli in iudicium, vtrum ex ipſorum negligentia, an hominum ignavia lapſi ſint*; ſed quilibet rationabiliter dolent de malis propter quæ in iudicium deductus eſt: ergo Angeli dolent de hominum peccatis. Confirm. quarto, amicorum eſt compati ſibi in neceſſitatibus; ſed Angeli ferventiſſima charitate, nos di-

li-

Digitized by Google

liguntʼ ergo videtur quod contriſtentur, hominum damnationi compatiendo. Confirm. quinto omne id, quod eſt contrarium volito, & repugnans fini eſt contriſtans; ſed damnatio eſt contraria ſaluti, quam volunt, & per officium cuſtodiæ procurant; ergo damnatio hominū Angelos cuſtodes contriſtat.

Ad hoc dico, illud ex Iſaia adductum ad literam intelligi de nuntijs Iſaiæ, quos miſsit ad pacem ab Aſsirijs quærendam, qui auditis blaſphemijs Rabſazis, ſciſsis veſtibus fleverunt. Si autem ſecundum ſenſum Analogicum exponatur de bonis Angelis, tunc metaphorica erit loquutio ad explicandum illum dolorem ſecundum quid, de quo iam diximus in explicatione literæ articuli. Ad primam Confirm. diſt. Mai. ſed perditio hominis cuſtoditi eſt cōtra voluntatem Angeli Cuſtodis, contra voluntatem ſimpliciter talem, nego Min. contra voluntatem ſolum talem ſecundum quid, conc. Min. & diſt. Conſeq. ſub eadem diſtinctione. Ad ſecundam, nego Conſeq. quia quamvis pœnitentia, & peccatum inter ſe ſint oppoſita, conveniunt tamen in vna ratione, de qua gaudium habetur ab Angelis; nempe ad impletio ordinis divinæ iuſtitiæ: nam Angeli gaudent de pœnitentia peccatoris, quia quædam ad impletio divinæ Iuſtitiæ eſt, quod peccata deteſtentur ab eo, qui ea commiſsit, & ſimiliter gaudent de lapſu iuſti in peccatum, quia eſt adimpletio ordinis divinæ iuſtitiæ, quæ ob fines ſibi cognitos permiſsit iuſtum in peccatum labi; quamvis de præfato lapſu vniverſaliter conſiderato, id eſt, ſolum attento quod ſit malum culpæ, huius doleant dolore illo ſecundum quid à nobis iam explanato. Colligo ſolutionem ex Div. Thom. hic. at dicent, quod tam in pœnitentia hominum, quam in peccato manet vna ratio gaudij Angelis, ſcilicet impletio ordinis divinæ providentiæ.

Ad tertiam explico dictum Originis ſic, quod Angeli trahuntur in iudicium pro peccato hominum, non quaſi Rei, ſed quaſi teſtes ad convincendum homines de eorum ignavia, & hac explicatione data, diſt. Min. ſed quilibet rationaliter dolet de malis, propter quæ trahitur in iudicium, diſtinguo, ſi trahatur vt reus prædictorum malorum, conc. Min. ſi tantum trahatur vt teſtis ad convincendum Reos de ignavia, nego Min. & Conſeq. Ad quartam diſt. Mai. amicorū eſt compati ſibi in neceſsitatibus, diſt. ſi amici paſsibiles ſint, conc. Mai. ſi ſint impaſsibiles, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque illius eſt compati, qui poteſt pati; Angeli autem, cum ſint beati, omnino impaſsibiles ſunt: vnde quātumvis ferventiſsima charitate gaudeant, non tamen compatiuntur, quia pati nō poſſunt. Ad vltimam diſt. Min. ſed damnatio eſt contraria ſaluti, quā volunt, & per officium cuſtodiæ procurant, quam volunt voluntate antecedenti, conc. Min. voluntate conſequenti, nego Min. & Conſ. loquendo de triſtitia ſimpliciter. Itaque ſicut ſtat Deū velle ſalutem Iudæ, & nihilominus velle damnare eum, quia primum eſt verum de voluntate antecedenti, ſecundum eſt verum de voluntate conſequenti: ita ſtat bene quod Angeli velint ſalutem alumnorum ſuorum, & nihilominus lætentur de eorum damnatione, quatenus per eam adimpletur ordo divinæ Iuſtitiæ: quia prima voluntas ſalutis tantum eſt antecedens, & ſecundum quid; ſecunda autem eſt conſequens, & penſatis omnibus, quæ rem circunſtant.

§. XIII.

Vtrùm inter Angelos poſsit eſſe pugna, ſeu diſcordia?

1359 PROCEDIT Quæſtum de Angelis bonis, qui in charitate, & viſione Dei ſunt, & movetur ad intelligendum id, quod dicitur Daniel. 10. ex perſona Gabrielis: *Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus*. Caſus enim erat, quod Daniel orabat pro libertate populi Iſraelitici à captivitate Babylonis, & preces Danielis Gabriel Deo præſentabat, & cum duraſſet in oratione per viginti & vnum dies, Gabriel miſſus eſt ad eum, vt nuntiaret ei quod exaudita erat oratio eius deliberatione populi, & cauſam diceret, ob quam per tot dies tardaverat, quę in eo ſiſtebat, quod Princeps Regni Perſarum reſtiterat Gabrieli viginti & vno diebus, & quod Michael vnus de Principibus primis veniſſet in adiutorium eius. Quis autē ſit iſte Princeps Perſarum eſt varietas inter Doctores. Nam alij dicunt eſſe Angelum malum Perſis prælatum; ſicut enim (inquiunt) vnicuique Homini datur ad exercitium vnus bonus, & malus alter Angelus: ita ſingulis gentibus duo ſpiritus præponuntur, vnus bonus, & alter ma-

Digitized by Google

malus. Hanc ſententiam tribuunt Hieronymo, ſed meo videri immeritò; vt patebit legenti verba ipſius. Sic enim habet: *Videtur mihi hic eſſe Angelus, cui Perſis credita eſt, iuxta illud quod in Deuteronomio legimus, quando dividebat altiſsimus gentes, & diſseminabat filios Adam, ſtatuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei: iſti ſunt Principes, de quibus Paulus loquitur, ſapientiam loquimur inter Perfectos, quam nullus Princeps huius ſaeculi cognovit: reſtitit autem Princeps, id eſt, Angelus Perſarum faciens pro credita ſibi providentia, ne captivorum omnis populus dimitteretur, & forſan cum prima die ex quo poſuit cor ſuum Propheta ad intelligendum exauditus ſit à Deo, id circo non ſtatim miſſus eſt Angelus, qui ei Dei indulgentiam nuntiaret, quia viginti & vno diebus reſtitit ei Princeps Perſarum enumerans peccata populi Iudaeorum quòd iuſtè tenerentur captivi, & dimitti non deberent.* Hæc Hieronymus, in quibus non invenio quod tenuerit ſententiam de eo, quod iſte Princeps Perſarum ſit Angelus malus. Vnde Lyra citat pro hac ſententia aliquos ſuppreſſo nomine, Hieronymum autem non citat. At hoc non obſtante, quia D. Thom. in 2. ſent. diſt. 12. q. 1. art. 5. expreſsè pro hac ſententia D. Hieronymum citat, & non impugnat, & hic, quæſt. 113. art. 8. nolo meæ adhærere opinioni, ſed ſtare in ſententia D. Thom. & captivare meum intellectum in obſequium eius. Communiter tamen defenditur illum Perſarum Principem, qui reſtitit Gabrieli, eſſe Angelum bonum, qui præerat Perſis, prætendebat populum detineri in Ægypto, vt ad exemplum Iudæorum verum Deum adorantium commoverentur Perſæ ad relinquendum cultum idolorum, & adorandum Deum populi Iſraelitici. In qua ſententia, quæ communis eſt, campus aperitur præſenti quæſito. Nam ſi bonus Angelus reſtitit Gabrieli: igitur inter bonos Angelos eſt pugna, & diſcordia. Quod etiam roboratur ex eo, quod Daniel. 7. habetur quod *quatuor venti cæli pugnabant*, per quos Gloſſa dictas intelligi *quatuor Angelicas poteſtates regnis principalibus prælatas*, quæ quidem pugnabant inter ſe, dum vnaquæque proprium defendebat Regnum, cui præerat.

1360 D. Thom. ergo admittit Principem Perſarum reſiſtentem Gabrieli eſſe bonum, & ſanctum Angelum: vnde etiam admittit inter ſanctos Angelos poſſe eſſe pugnam, non per diſcordiam voluntatum, ſed quia circa aliquod idem merita inter ſe contraria offerunt Deo, quorum alia merentur, vt fiat, è contra alia merentur vt non fiat, quod vt explicet notat, quod divina iudicia circa diverſa regna, & diverſos homines per Angelos exercentur; in ſuis autē actionibus Angeli per divinam ſententiam regulantur: contingit autem quandoque quod in diverſis regnis, vel in diverſis hominibus contraria merita, vel demerita inveniuntur, vt vnus alteri ſubdatur, aut præſit: quid autem ſuper hoc ordo divinæ ſapientiæ habeat cognoſcere non poſſunt, niſi Deus revelet: vnde neceſſe habent ſuper his ſapientiam Dei conſulere: ſic igitur in quantum de contrariis meritis, & ſibi repugnantibus divinam conſulunt voluntatē, reſiſtere ſibi invicem dicuntur, non quia ſint eorum contrariæ voluntates, cum in hoc omnes concordent, quod Dei ſententia impleatur, ſed quia ea, de quibus conſulunt, inter ſe repugnant. Rem duco ad praxim. Populus Dei, qui aderat ſub captivitate Babylonis ſuum habebat peculiarem Angelū, qui ei præerat, qui forſan Gabriel dicebatur, vt D. Thomas tenet in articulo: nam Michael, qui poſtmodum venit in adiutorium eius, præſidebat toti Sinagogæ vndequaque diſperſæ, ſicut & modo toti Eccleſiæ Catholicæ præeſſe dicitur: aderat etiam Princeps Perſarum, id eſt, bonus Angelus, qui præerat Perſis, ſub quorum poteſtate erat populus Dei captivus. Interim Daniel orabat Dominum pro liberatione populi Dei, & proponebat cauſas, & rationes, ob quas Deus deberet populum à tali captivitate liberare, videlicet, quia talis populus erat pronus ad idololatriam, & ſi viveret intra Perſas idolatras, de facili eorum perverſo depravaretur exemplo: quapropter oportebat illum a gente idolatra liberare; hæc merita & orationes Danielis Gabriel Deo proponebat: cum ecce Angelus Perſarum attendens ad bonum ſuæ nationis è contra Deum rogabat pro eo, quod populus Dei non liberaretur à captivitate, quia eius præſentia multum conducebat ad converſionem Perſarum ad cultum veri Dei, ſiquidem bono exemplo Iſraelitarum multi Perſæ ſuos relinquerant falſos Deos, & ad cultum veri Dei fuerant aſſociati. Dum ergo ſic contraria offerebant Deo, inter ſe pugnare videbantur; non quidem voluntate, quia concordes erant in eo, quod circa illa Dei ſententia debuiſſet impleri; & cum per ſpatium viginti & vno dierum Deus

ſuam

ſuam ſententiam ſuper hoc non revelaſſet, ideo Gabriel dixit Danieli, *Princeps Perſarum reſtitit mihi viginti & uno dierum*, poſt quos revelavit ſuam ſententiam ſuper hoc Deus Principi ſuper totam ſinagogam, nempe Michaeli, & quia ſententia fuit in favorem Gabrielis, ideo dixit Gabriel Danieli: *Et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adiutorium meum*. Hæc omnia dilucide ſatis explicavit D. Thom. in ſententiis loco citato, & placet ea, quæ docuit referre. *Contingit* (inquit) *quãdoque quod in diverſis gentibus inveniantur diverſa merita, ſecundũ quorum diverſitatem videtur, quod una gens alteri ſub eſſe debeat, vel ab eius dominio liberari, ſicut tunc in Iudæis erat, quia Danielis oratiõ, quantum in ſe erat, liberationem populi merebatur, ſed peccata populi, & etiam utilitas, quam Iudæi cauſabant in regno Perſarum, dum per eos Dei veri notitia diffundebatur, erant in contrarium. Et quia unuſquiſque Angelus ſecundum officium ſuum ad examen divinæ ſcientiæ referebat merita ſibi ſubditorum, ideo relatio contrariorum meritorum per diverſos Angelos facta ſententiam divinam expectantes pugna inter Angelos vocatur, & eorũ concordia eſt in illuminationis divinæ perceptione, per quam de divina voluntate inſtruuntur: hoc enim omnes concorditer volunt, quod percipiunt Deum velle: unde dicitur Iob 2. qui facit concordiam in ſublimibus.* Sic dilucide D. Thom.

Ex quibus infero, quod diverſitas opinionum non repugnat amicitiæ & concordiæ, ſiquidem ut vidimus, ſtat cum identitate, ſeu convenientia voluntatum, & etiã quia non ſunt iudicia abſoluta, ſed tantum ſecundum merita: unde in præfato caſu nullus ex Angelis illis iudicabat abſolute, quod hoc, vel illud fieret, ſed tantum iuxta merita cauſæ dicebat hoc, vel oppoſitum debet fieri: iudicabat tamẽ abſolute quod circa illud divina expleretur providentia. Infero ſecundo, quod poteſt dari bellum iuſtũ ex utraque parte bellantium: ſi enim hæc pugna non eſſet circa rem iuſtam, ex utraque parte non eſſet defenſata à bono Angelo, ſed alter eſſet bonus, qui, quod iuſtũ eſt, defenſaret & alter nequam, qui iniuſtam cauſam teneret.

1361 Sed in contrariũ inſtas, nam duarum opinionum contrariarum oportet quod una ſit vera, & altera falſa: ſi ergo inter illos Angelos erat pugna, neceſſariò aderat contrarietas opinionum: ergo neceſſe erat quod alter eorum falſam opinionem haberet, & alter veram; hoc autem repugnat Angelis, quia falſitas in nobis appropriatur phantaſiæ ſecundum Philoſophum 4. Metaphyſ. qua tamen Angeli carent: ergo. Ad hoc, diſt. 1. Conſeq. ergo neceſſario aderat contrarietas opinionum obiectiva, conc. Conſ. ſubiectiva, nego Conſ. & diſt. 2. Conſ. ergo neceſſe erat, quod alter eorũ falſam opinionem haberet obiective, & ex parte cauſæ meritorum, conc. Conſ. ſubiective, nego Conſ. Iam dixi quod Angeli iſti non pugnabant ex parte ſubiecti per hoc, quod abſolute alter iudicaret veram illam partẽ, quam defendebat; quia dum de vero expectabant à Deo illuminari, nulli parti abſolute adherebant: adhærebant tamen ſecundum quid, id eſt, iuxta merita cauſæ, quamquiſque defendebat, quaſi quiſque diceret, hoc eſt probabile propter hoc: unde uterque Angelus verum dicebat, quia cauſæ vere probabiles reddebant partes, quæ defenſabantur, dum tamen nullus eorum alicui parti abſolute adhærebat, opinionem non habebat; ut enim aliquis de re aliquam opinionem ex parte ſubiecti habeat, neceſſe eſt, quod ei abſolute adhæreat: nam iudicare hoc eſſe probabile propter hoc, non eſt opinari, illi enim, qui ſcientiam habent de aliqua veritate, dum ſigna ad eius veritatẽ docentia agnoſcunt, iudicant, illam eſſe probabilem reſpective ad talia ſigna, qui tamẽ opinionem non habent, cum ſcientia, & opinio de eodem, in eodem incompatibilia ſint.

1362 Hinc ſolves difficultatem, quæ maxima apparet in alia tamen materia. Eſt enim opinio S. Thom. quod Angelus in primo inſtanti ſuæ conditionis non poſſit errare, neque falſum dicere, eſt etiam opinio Scoti de oppoſito. Modo inquiritur, utrùm Angelus viribus ſolis naturæ de hoc tantum habeat opinionem? an habeat ſcientiam evidentem? nam ſi dicimus habere opinionẽ, cum opinans poſſit errare, ſequitur, quod aſſeramus illum poſſe errare, & ſic doctrina D. Thom. erit falſa: ſi dicamus quod habet ſcientiam evidentem, ſequitur, quod habeat evidentiam atteſtationis divinæ ſimul cum fide, quod eſt contra id, quod docuimus in tractatu de fide. Sequela Prob. ſic, nam hoc ipſo quod Angelus ſupremus v.g. illuminetur de credendis, ille Angelus ſcit evidenter ſe in primo inſtanti errare non poſſe: ergo ſcit evidenter, quod non loquitur à ſemetipſo, ſed loquitur à Deo, cui tribueretur error, ſi Ange-

lus

Digitized by Google

lus in primo inſtanti erraret. Nam hac ratione D. Thom. dicit, non poſſe in primo inſtanti errare, quia talis error tribueretur Deo: ergo ſcit evidenter Deum eſſe, qui loquitur in illo, & ſic habet evidentiam divinæ atteſtationis, & alias habet fidem: ergo habet fidem ſimul cum evidentia atteſtationis. Si dicatur, quod evidenter ſcit ſe circa naturalia errare non poſſe, quia evidenter cognoſcit ſua principia naturalia, quibus cum rectitudo cognitionis, & effectus ſint debita, cognoſcit evidenter ſe eſſe circa naturalia indefectibilem. Circa ſupernaturalia autē vtrùm poſsit errare, vel non, hoc evidenter non cognoſcere, quia viribus naturæ nequit ea, quę ſupernaturalia ſunt, certò, & evidenter ſcire. In contra eſt, nam ipſe evidenter ſcit ſe in primo inſtanti non poſſe peccare, neque circa naturalia, neque circa ſupernaturalia: ergo & cognoſcit ſe in primo inſtanti non poſſe errare, tam circa naturalia, quam circa ſupernaturalia: nam ſi errare poſſet, etiam poſſet peccare. Et etiam quia Angelus evidenter cognoſcit, quod ſi in primo inſtanti erraret, etiam circa ſupernaturalia talis error, cum inciperet cū eſſe Angeli, deberet Deo attribui, quod admitti non valet.

Ad hanc difficultatem dico, Angelum evidenter cognoſcere ſe eſſe in primo inſtanti indefectibilem attenta natura ipſius Angeli, nam illa rectitudo eſt ei naturaliter debita, & ſic, dum videret ſua principia naturalia evidenter cognoſceret, ſe de lege ordinaria, & ſervato ordine naturæ errare, vel peccare non poſſe: vtrum autem etiam de potentia abſoluta ipſe errare, vel peccare non poſſet, non evidenter ſciret, nec de hoc opinionem haberet, quāvis ſigna probabilia in pro, & contra cognoſceret. Probo ſingula. In primis non evidenter ſciret, vtrum de potentia abſoluta peccare poſſet, vel non; quia hoc non eſt ſcibile viribus naturæ, cum ſolæ vires naturæ comprehendere non poſsint ad quid potentia Dei abſoluta poſsit ſe extendere. Non etiam de aliqua parte quæſiti - inionem haberet, quia his, quæ ipſe evidenter non ſcit, ne ſe exponat periculo errandi, abſolute non inhæret: haberet tamen ſigna probabilia pro vtraque parte, quia cognoſceret rationes D. Th. & rationes Scoti, quæ vtramque partem reddunt probabilem: haberet ergo de tali dubio ſimplicem neſcientiam, & expectaret à Deo illuminationem: vnde nunquā haberet evidentiam divinæ atteſtationis ſimul cum fide. Hanc doctrinam de ſummo ex D. Thom. in 2. d. 11. q. 1. art. 5. ad 4. vbi ſic habet: *Angelis quamvis non poſsit eſſe falſa opinio, poteſt tamen eſſe in eis quorundam neſcientia, ex hoc quod intellectus eorum propter potentialitatem ad mixtam non omnino terminatur ad vnum, & ſecundum quod eorum, quæ neſciunt, cognitionem Deo vel à ſuperioribus Angelis expectant, interrogare dicuntur in ſcriptura: quia tamen ei, quod neſciunt, per iudicium non adhærent, ideo falli nō poſſunt.* Hæc D. Thom. & hæc noſtra doctrina.

QVÆSTIO XXVI.

De impugnatione Dæmonum.

§. I.

Vtrùm homines impugnentur à Dæmonibus?

HVIC quæſito vt reſpondeat D. Thom. præmittit quandam diſtinctionem dicens: *Duo ſunt cōſideranda in impugnatione Dæmonum, nempe ipſam impugnationem, & ordinem eius.* Quo ſuppoſito reſpondet duplici concluſione prima eſt, *impugnatio ipſa ex Dæmonum malitia procedit.* Probat, *quia Dæmones propter invidiam profectum hominum impedire nituntur. Et propter ſuperbiam; divinæ poteſtatis ſimilitudinem vſurpant, deputando ſibi miniſtros determinatos ad hominum impugnationem; ſicut & Angeli Deo miniſtrant in determinatis officijs ad hominum ſalutem: ergo.* Secunda concluſio, *ordo impugnationis à Deo eſt.* Probat, *quia Deus ordinate novit malis vti, ad bona ea ordinando, ſed ex parte Angelorum tàm ipſa cuſtodia, quàm eius ordo reducitur ad Deum ſicut ad primum auctorem.*

1364. Circa quæ ſtatim occurrit difficultas. Nam quæſito nulla datur reſponſio, quia articulus quærit, an ſit? id eſt, an detur in rerum natura impugnatio Dæmonum erga homines? & D. Thom. reſp. aſsignando cauſas impugnationis: non ergo reſp. quæſito. Huic difficultati conatur ſatisfacere Caietanus dicens: *Nam vt habetur in ſecund. Poſter. omnis quæſtio eſt quæſtio medij, & nihil aliud eſt quærere, ſi quadratura circuli eſt, quam quærere ſi eſt aliquod mediū ad ipſam: vnde nihil aliud eſt quærere, ſi Dæmones impugnent homines, quàm quærere, ſi eſt aliquod medium, ſeu cauſa quare nos impugnent. Et propterea reſponſio eſt ad propoſitum dire-*

directa ſecundum artem ſciendi, dum aſſignat cauſas, ex quibus provenit impugnatio Dæmonum contra nos: ſic enim optimè à priori oſtenſum eſt impugnationem eorum eſſe. Sic Caietanus.

Sed videtur quod non ſolvat difficultatem. Etenim eſto omnis quæſtio ſit de medio, vel de cauſa rei, ſic, quod idem ſit inquirere an quadratura circuli ſit, ac inquirere, an detur aliqua cauſa, quæ probetur de facto dari circuli quadraturam; & ſic idem ſit quærere, an detur impugnatio Dæmonum, & inquirere, an ſit aliquod medium, quo probetur eam de facto dari; & aſſignando medium, quo probetur de facto dari, optimè reſpondeatur quæſito, an detur impugnatio dæmonum: tamen D. Th. non aſſignat cauſam, quæ probat de facto dari talem impugnationem hominum: ergo non ſatisfit quæſito. Prob. Min. nam D. Thom. dicit ſic: *Si attendamus ad ipſam impugnationem, ſic impugnatio hominum reducitur in malitiam Dæmonum: ſi attendamus ad ordinem, ſic reducitur in Deum*; Iſtæ autem cauſæ, eſto probent poſſibilitatem impugnationis, non tamen probant eam de facto dari: nam ſi quis dicat in peccato hominum ſunt duo, nempe formale malitiæ, & materiale entitatis: quoad primum reducitur in defectibilitatem liberi arbitrij, quoad ſecundum in Deum, qui eſt cauſa omnis entitatis; iſte talis per hæc non aſſignabit medium probativum, quod de facto detur peccatum, eſto aſſignet cauſas, in quas reduceretur peccatum, ſi daretur: ergo ſimiliter ſi quis dicat in impugnatione Dæmonũ ſunt duo, & ipſa impugnatio, & hæc reducitur in malitiam Dæmonum, & ordo eius, & hic reducitur in Deum, non probabit dari impugnationem, ſed ſupponendo quod detur, aſſignabit cauſas, in quas debet reduci.

1365 M. Bañez ſolvit difficultatem dicendo, quod quia de fide eſt dari impugnationem hominum à Dæmonibus, quod & D. Thom. probat in argumento, *ſed contra*, ideo non curavit in corpore articuli de medio, quo probaret de facto eam dari, ſed ſupponẽdo tanquã certũ de fide eam de facto dari, totus fuit conatus in aſſignandis cauſis, ex quibus oritur, quod Dæmones homines impugnent. Sed contra hoc eſt. Nam ſicut hæc propoſitio, *homines de facto impugnantur à Dæmonibus*, eſt certa de fide, ita & hæc, *homines cuſtodiuntur ab Angelis*, eſt certa de fide, & ſicut prima prob. in argumento *ſed contra* eſſe de fide, ita & ſecunda pariter in argumẽto *ſed contra* Prob. eſſe de fide; at hoc non obſtante D. Thom. in corp. 1. art. de cuſtodia Angelorum probat de facto dari talem cuſtodiam, de qua inquiſierat: ergo hoc non obſtante, vt reſponderet quæſito, debebat D. Thom. aſſignare rationem, qua probatur de facto homines impugnari à Dæmonibus.

1366 Huic difficultati reſp. primò admittendo ſolutionem Caietani. Etenim D. Thom. non aſſignat cauſas, quæ tantum probant poſſibilitatem impugnationis, ſed aſſignat cauſas, ex quibus de facto oriatur, ſicque fit quod ſuo diſcurſu probat de facto dari impugnationem. Hoc ſic explico. Duo reperiuntur in impugnatione, nempe ipſa impugnatio, & ordo eius: ſi loquamur de ipſa impugnatione, hæc de facto datur. Tum quia Dæmones de facto hominibus invident, ex hac autem invidia actuali de facto oritur, quod Dæmones hominum profectum nituntur impedire, & ſic de facto nos impugnant. Tum etiam Dæmones de facto ſic ſuperbi ſunt, quod de facto divinæ poteſtatis ſibi vſurpant ſimilitudines, quod non alio modo contingit quam ſibi de facto deputando miniſtros determinatos ad hominum impugnationem, ſicut Deus de facto deputavit miniſtros determinatos ad hominum cuſtodiam: ergo vere datur impugnatio hominum à Dæmonibus: non ergo D. Thom. ſuo diſcurſu probat ſolũ poſſibilitatem impugnationis, ſed etiam probat eam dari de facto. Ex parte etiam ordinis etiam probat de facto dari. Nam verè de facto Deus novit ordinatè vti malis, ordinando ea ad bona: ergo impugnatione Dæmonum, quæ vt eſt à Dæmonibus mala eſt, Deus ordinatè vtitur ordinando eam ad bonum hominum, qui impugnantur, ſicut perſequutionem Martyrum, quæ prout à Tyrannis mala eſt, ordinavit Deus ad coronam Martyrij, & permiſſionem peccati ad bonum electorum: ergo de facto datur ordo impugnationis, qui à Deo cauſatur.

Nec ſimile adductum de peccato oppoſitum probat. Nam illæ non ſunt cauſæ, quæ de facto probant dari peccatũ. Et reddo rationem, quia illæ cauſæ ſpectant ad eſſentiam peccati tanquam ex quibus conſtituitur intrinſecè, non autem ſunt cauſæ extrinſecæ, ex quibus ponitur ſub exiſtentia peccatum: invidia autem Dæmonum, & eius ſuperbia actuales ſunt cauſæ extrinſecæ, à quibus ponitur ſub exiſtentia impug-

nati

natio Dæmonum, & ſic in peccato ex illis ſolum prob. poſsibilitas; hic autem convincitur exiſtentia impugnationis de facto.

1367 Reſp. ſecundo, iuxta doctrinam Bañez in corp. art. non probari dari de facto impugnationem Dæmonum, ſed hoc probare in argumento *ſed contra*, & de hoc iam de fide probato aſsignare in corpor. articul. cauſas, in quas reducitur, vel ex quibus poſsit oriri: quaſi mens D. Thom. fuerit hæc, dari impugnationem Dæmonum contra homines de fide certiſſimum eſt: nam Apoſt. dicit quod *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & Poteſtates adverſus mundi Rectores tenebrarum harum*: poterat autem eſſe difficultas ex quibus capitibus oriatur, quod Dæmones homines impugnent, & hanc difficultatē ſolvit aperiendo duo capita ex parte impugnationis, nempe invidiam, & ſuperbiam Dæmonū: ex parte vero ordinis ſtylum providentiæ divinæ, quæ novit malis ordinate uti, ordinando ea ad bona proviſa. Nec huic ſe opponit ſimile de Angelorum cuſtodia, quia pro Angelorum cuſtodia datur ratio naturalis, ut cuius probaretur dari præfatam cuſtodiam, etiam ſi non eſſet de fide certum eam dari, & ſic eam rationem adducit, & ea probat neceſſarium eſſe dari Angelorum cuſtodiam: de impugnatione autem Dæmonum, an de facto detur, nulla datur ratio naturalis, quæ probet ipſam de facto dari: ſed ſolum hoc conſtare poteſt per revelationem, & ſic D. Thom. ſolum probavit dari impugnationem Dæmonum ex loco Scripturæ, non vero hunc ſtylum ſervavit circa Angelorum cuſtodiam.

1368 Contra concluſionem obijcies. Angeli enim deputantur ad hominum cuſtodiam miſsi à Deo; ſed Dæmones non mittuntur à Deo, cum Dæmonum intentio ſit perdere animas, Dei autem ſalvare: ergo Dæmones non deputantur ad hominū impugnationem. Confirm. non eſt æqualis conditio pugnæ, ut infirmus contra fortē, ignarus contra aſtutum exponatur ad bellum; ſed homines ſunt infirmi, & ignari; Dæmones autem potentes, & aſtuti: ergo non eſt permittendum à Deo, qui eſt omnis iuſtitiæ auctor, ut homines à Dæmonibus impugnentur. Confir. ſecundo ad exercitium hominum ſufficit impugnatio carnis, & mundi; ſed Deus permittit electos ſuos impugnari propter eorum exercitium: ergo non videtur neceſſarium, quod à Dæmonibus impugnentur. Confirm. tertio, Iacobi 1. dicitur, *Deus neminem tentat*; ſed ſi Dæmones deſtinaret ad tentandum, Deus homines tentaret per Dæmones: ergo. Confirm. quarto, ſi homines inducerentur à Dæmone in peccata, haberent excuſationem ſui peccati, quatenus à fortiori ſuperarentur; non autem habent unde ſufficienter excuſentur: ergo non inducuntur à Dæmone in peccata. Tandem, homo in ſtatu innocentiæ non ſubſit Dæmonum impugnationi: ergo homo non in omni ſtatu ſubeſt impugnationi Dæmonum. Prob. permiſsio impugnationis eſt in pœnā peccati illius, qui impugnatur; at homo in ſtatu innocentiæ nullum habebat peccatum: igitur non ſuberat Dæmonum impugnationi.

Ad hoc argumentum, diſt. Min. ſed Dæmones non mittuntur à Deo, quando impugnant homines inducendo ad peccata, conc. Ant. quando impugnant homines puniendo, nego Min. & diſt. Conſeq. ergo Dæmones non deputantur ad hominū impugnationem punitivam, nego Conſeq. inductivam ad peccata, conc. Conſeq. Itaque dupliciter contingit Dæmonem hominem impugnare: uno modo puniendo, & ſic Dæmones aſſumuntur ut inſtrumenta divinæ iuſtitiæ, & mittuntur poſitivè à Deo, ſicut miſſus eſt ſpiritus mendax à Deo ad puniendum Achab Regem Iſrael ut dicitur 3. Reg. ultimo; alio modo contingit per modum inſtigationis ad peccandum, & iſto modo non mittuntur à Deo, ſed permittuntur ad impugnandum ſecundum iuſta Dei iudicia. Ad primam, diſt. Mai. ſi infirmus, & ignarus ſibi ſoli relinquatur, conc. Mai. ſi iuvetur in bello alio ſimiliter forti, nego Mai. & diſt. Min. ſed homines ſunt infirmi, & relinquuntur ſibi ipſis, nego Min. & iuvantur auxilio divinæ gratiæ, & cuſtode Angelo excellentius forti, quam Dæmon ſit fortis, conc. Min. & nego Conſeq. Itaque cum Deus permittit hominem impugnari à Dæmone, hominem iuvat auxilio ſuæ gratiæ; quæ fortior eſt omni Dæmonum potentia: unde dicebat David, *ſi conſiſtant adverſum me caſtra, nō timebit cor meum, quoniam tu mecum es*, per auxilium utique divinæ gratiæ. Inſuper dat homini Angelum Cuſtodem; qui eum defendit ab inſidiis Diaboli: unde 4. Reg. dicebat Eliſæus ad miniſtrum ſuum: *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis*.

Ad ſecundam diſt. Mai. ad exercitium hominum ſufficit impugnatio carnis, & mun-

mundi; attenta tantum infirmitate hominum, concedo Mai. attentis omnibus, quæ circa hoc debent attendi, nego Mai. & cõc. Min. nego Conſ. Itaque hominis infirmitas eſt tanta, quod ſufficeret ad hominum exercitium militare, impugnari à carne, & mũdo; ſed Deus permittens Dæmonum impugnationem, non tantum ad hoc attendit, ſed inſuper vult coronare electos ſuos trophæis, & victorijs reportatis de Dæmonijs, & ad hoc permittit impugnationem Dæmonũ; vnde & monet, *eſto te fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum.*

Ad tertiam dico, verba illa Iacobi debere intelligi de tentatione, qua tentamur; in qua tentans prætendit ruinam ſpiritualem tentati, & ſic conc. Mai. & diſt. Mi. Sed ſi Deus deſtinaret Dæmones ad tentandum diceretur quoque ipſe tentare homines, tẽtatione ex parte tentantis per ſe ordinata ad ruinam ſpiritualem hominũ, nego Min. tentatione ordinata ad experimentum, & ad manifeſtationem alicuius adhuc latentis in tentato, conc. Min. & nego Conſequentiam. Itaque tentatio eſt duplex: alia ordinata ad experimentum, & ad manifeſtationem alicuius latentis in tentato, & hoc modo Deus tentat, & mittit Dæmones ad tentandum: vnde dicitur Math. 4. *ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum*, (vtique divino) *vt tentaretur à Diabolo*; alia eſt tentatio ordinata ad ruinam tentati, eumque inducens ad peccandum ex intentione tentantis, & iſto modo, *Deus neminem tentat*, vt Iacobus dicit: permittit tamen homines ſic tentari, ſicut & permittit peccata: & ſicut iſto modo Deus neminem tentat, ſic nec Dæmones deſtinat ad tentandum.

Ad quartam, nego Mai. nam vt ſuprà dixi, quamvis Dæmones fortiores ſint homine, tamen homo habet ſemper vires gratiæ ſufficientes, quibus poteſt reſiſtere, & inſuper cuſtodem Angelum, qui eum defendit inſtigando ad bonum: vnde quamvis à Diabolo tentatur; non tamen ſui peccati habet excuſationem, quia nollens vti auxilijs divinæ gratię, neque bonis inſpirationibus Angeli cuſtodis, propria voluntate Dæmoni ſuccumbit, & peccat. Ad vltimam, nego Antec. Ad Prob. nego Mai. ſicut enim ſine præcedentia peccati Deus hominem permiſsit labi in peccatum; ſic & ſine præcedentia peccati illum à Dæmone tentari permiſsit.

§. II.

Vtrùm tentare ſit proprium Diaboli?

1369 TENTARE aliquem, propriè eſt ſumere experimentum de aliquo: experimentum autem ſumitur de aliquo, vt ſciatur aliquid circa ipſum; vnde proximus finis alicuius tentantis eſt ſcire: ſed quandoque vlterius ex ſciẽtia inquiritur aliquis alius finis, vel bonus, vel malus, bonus quidem, ſicut cum aliquis vult ſcire qualis, aliquis ſit, vel quantum ad ſcientiam, vel quãtum ad virtutem, vt eum promoveat: malus autem, quando hæc ſcire vult, vt eum decipiat, vel ſubvertat. Hinc tẽtare diverſimode attribuitur: homo enim tentare dicitur, quandoque quidem vt ſciat tantum, & propter hoc tentare Deum dicitur eſſe peccatum, quia homo quaſi incertus experiri vult, & præſumit Dei virtutẽ; quandoque vero tentat, vt iuvet, quandoque vero vt noceat: diabolus autem ſemper tentat vt noceat in peccatum præcipitando; & ſecundum hoc dicitur proprium officium eius tentare: nam & ſi homo aliquando ſic tentet hoc agit in quantum eſt miniſter diaboli: Deus autem tentare dicitur, vt ſciat eo modo loquendi, quo dicitur ſcire, quia facit alios ſcire: vnde dicitur Deuter. 13. *Tentat vos Dominus Deus veſter vt palàm ſciat vtrùm diligatis eum.* caro etiã & mundus dicuntur tentare inſtrumentaliter, ſeu materialiter, in quãtum ſcilicet poteſt cognoſci qualis ſit homo ex hoc, quod ſequitur, vel repugnat concupiſcentijs carnis, & ex hoc quod contẽnit proſpera mundi, & adverſa, quibus etiam diabolus vtitur ad tentandum.

1370 Ex his deducitur concluſio. Si tentare accipiatur pro hoc, quod eſt experimentum ſumere inclinationis hominis ad nocendum ei, & inducendum eum in peccatum, ſic proprium officium eſt diaboli tentare. Prob. nam licet homo tentet vt noceat, & ad peccatum inducat, hoc tamen facit in quantum eſt diaboli miniſter, & eſto caro, & mundus tentent vt noceant, & ad peccatum inducant, hoc tamen faciũt ſolum inſtrumentaliter, & materialiter: nã diabolus etiam vtitur illis ad tentandum: reſtat ergo quod diaboli proprium ſit tentare nocendo, & inducendo ad peccatum: nam actio propriè attribuitur cauſæ pricipali, non inſtrumento. Hinc diabolus abſolutè, & antonomaſticè *tentator* dicitur, vt pa-

Digitized by Google

à baptiſmo; quia baptiſmus eſt ianua, per quam homines ingrediuntur ad ſupernaturalia bona capienda: igitur cuſtodia Angelorum incipit à baptiſmo. Prob. Mai. ex illo ad Hebræos 1. *In miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Quibus denotatur finem cuſtodię eſſe perducere electos in conſequutionem hæreditatis æternæ: ergo cuſtodia Angelorum non eſt beneficium conceſſum homini, quia naturam rationalem habet, ſed quia ad vitam æternam capeſcendam ordinatus eſt. Ad hoc, nego Min. Ad Prob. dico, quod in illa authoritate non fit mentio de fine cuſtodiæ Angelorum ſine quo non datur cuſtodia, ſed tantum ibi explicatur effectus vltimus, quem Angelorum cuſtodia habere poteſt, & de facto habet in prædeſtinatis: finis enim, propter quem Angelorum cuſtodia indiſpenſabiliter requiritur, eſt quem D. Thom. expreſſit ſupra in articul. 1. quæſt. 113. nempe vt variabilia, & mobilia affectus noſtri per invariabiles, & immutabiles ſubſtantias, quales ſunt Angeli, regulentur: vnde ſupra diximus, quod etiam in puris naturalibus homo conditus haberet Angelorum cuſtodiam, quia etiam tunc variabiles motus partis rationalis regularentur in ordine ad bonum conſonum rationi per ſubſtantias immateriales.

At dices, quod pueri antequam perveniant ad vſum rationis, non habent motus partis rationalis regulabiles per ſubſtantias immateriales: igitur non habebunt Angelorum cuſtodiam ante vſum rationis. Reſpondeo, quod eſto pro tunc non habeant, poſſunt pro tunc diſponi ad habendum motus rationi diſſonos poſt vſum rationis: poteſt eorum complexio determinari ſic, vt efficiatur pronior ad peccandū virtute Dæmonis, vel alijs malis, quibus pueruli aſſici poſſunt: oſtenditur ergo tunc cuſtodia Angelorum in arcendis Dæmonibus, & auferēdis prædictis, ex quibus deteriorari poſſunt pueri, vt deinde accedente rationis vſu eos dirigant in bonum rationi conſonum.

§. XI.

Vtrùm Angelus cuſtos quandòque deſerat hominem?

1351 RESP. D. Thom. negativè. Probat in argumento ſed contra ex eo, *quod Dæmones ſemper nos impugnant iuxta illud* 1. *Petri* 5. *adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: ergo multo magis Angeli boni ſemper nos cuſtodiunt.* Ratione Probat ſic. Divina providentia nullam rem totaliter derelinquit, quamvis quoad aliquid deſerat permittendo: ergo cuſtodia Angelica nunquam totaliter relinquit cuſtoditum, quamvis quoad aliquid permiſſivè derelinquat. Anteced. quoad primam partem. Prob. quia vnumquodque quantum participat de eſſe, tantum de providentia divina participat; ſed implicàt quod aliquid ſit, & deſeratur totaliter ab eſſe: ergo & implicabit quod aliquid ſit, & deſeratur totaliter à divina providentia. Quoad ſecundam partem patet, nam interdum divina providentia aliquos ſinit cadere in defectum culpæ, vel pœnæ. Conſeq. vero Prob. Nam cuſtodia Angelica eſt exequutio quædam divinæ providentiæ circa homines facta: ergo totaliter nunquam derelinquit cuſtoditum, eſto aliquando non impediat eius tribulationem, vel ſinat in peccatum labi.

1352 Hæc ratio aliquas patitur difficultates. Prima eſt, nam ſi ex eo quod divina providentia nunquam deſerit totaliter rem, quouſque eam ad finem debitum, vel ad quem ordinatur perducat, infertur, Angelum cuſtodem ex quo incipit cuſtodire hominem, nunquam totaliter eum relinquere, quia cuſtodia Angelica exequutio quædam eſt divinæ providentiæ; ſequitur, quod Angelus cuſtos qui incipit cuſtodire puerum in vtero matris, vt vidimus ex Div. Thom. nunquam deſerat cuſtodire illum; hoc autem eſt falſum: nam vt ibi vidimus ex Div. Thom. ille Angelus, cum ſit cuſtos matris, tantum habet puerum cuſtodire, quandiu eſt intra viſcera matris; nam ab ortu ex matre conſignatur ei Angelus ſpecialis in cuſtodiam: ergo. Prob. ſequela, providentia circa hominem incipere exequi ab infuſione animæ, ex quo homo primo eſt, dicitur: ergo ſi incipit exequutio per Angelum matris, & philoſophandum eſt de cuſtodia ſicut de providentia, quoad hoc quod eſt nunquam totaliter deſerere proviſum, ſequitur, quod Angelus ille matris, à quo incipit cuſtodia pueri, nunquam deſerat cuſtodire illum.

Secunda difficultas eſt. An, optimè ſalvetur divina providentia circa Petrum v.g. per hoc quod ſemper ſtet ſub cuſtodia ali-

cu-

Digitized by Google

nium hominum vniverſaliter, id eſt, quã cuius Angeli: non ergo eſt neceſſe ad ſalvandam quod divina providentia nunquam deſerit hominem, quouſque illum perducat ad finem, quod vnus, & idem Angelus, cuſtos perpetuus illius ſit. Prob. Antec. nam divina providentia exequitur circa homines per cuſtodiam Angelorum, quatenus per illos diriguntur ad bonum, & defenduntur ab impugnationibus Dæmonum; at hoc ita fœliciter habetur per vnum Angelum, ac haberetur per plures ſucceſsivè, cum omnes vtique hoc poſsint efficere: ergo ſalvabitur divina providentia circa Petrum v. g. per hoc quod ſemper ſiet ſub cuſtodia alicuius Angeli, licet non ſemper ſit ſub cuſtodia eiuſdem numero.

Tertia difficultas eſt. Nam D. Thom. probat ſemper Angelos bonos nos cuſtodire, quia ſemper mali Angeli nos impugnant: ergo quia malus Angelus impugnans nos non ſemper eſt idem, ſiquidem ille, qui ſemel ſuperatur ab vno homine, non iterato revertitur ad tentandum illum: etiam bonus Angelus cuſtodiens nos non ſemper erit idem. Si enim prima Conſeq. eſt bona, quare & ſecunda non erit bona? Vnde licet argumentari ſic. Impugnatio hominum per Dæmones non minus eſt executio divinæ providentiæ circa homines, quàm ſit cuſtodia bonorum Angelorum, ſed illa fit per hoc quod Dæmones ſemper impugnent homines, non tamen per hoc quod Dæmon hominem impugnans ſemper ſit idem: ergo & cuſtodia aptiſsimè fiet per hoc quod Angelus ſemper cuſtodiat, non tamen per hoc quod ſemper ſit idem cuſtos.

Quarta difficultas eſt. Nam circa animas purgatorij Deus ſuam adhuc exercet divinam providentiam, ſiquidem nondum aſſequutæ ſunt finem, cui perpetuò adhærebunt; & tamen Angelo cuſtode prorſus deſtitutæ ſunt, nam cuſtodia ſolum durat vſque ad mortem: ergo ex eo quod divina providentia nunquam totaliter relinquat rem proviſam, non ſequitur quod Angelus cuſtos nunquam totaliter deſerat cuſtoditum.

1353 Ad hæc. Reſpondetur ſuo ordine. Ad primam dico, quod præſens articulus, & ratio eius non procedunt de quocumque cuſtode Angelo, & de quocumque homine cuſtodito. Scimus enim quod Angelus, qui aſsignatur homini, ex quo incipit prælatia, tantum durat in cuſtodia eius, quantum durat prælatia; & illa finita, amplius illum non cuſtodit. Itaque negare non poſſumus quod Angelorum cuſtodia aliquando ad tempus datur: vnde diſcutiendum reſtat, quando immutabiliter detur, ſic, quod duret vſque ad finem vitæ cuſtoditi, & quando ad tempus tantum detur? Dico ergo, quod ad hoc ſciendum attendendum eſt ad cauſam, propter quam datur: aliquando enim datur perſonæ ratione officij, vel dignitatis; & tunc durat cuſtodia, quandiu illa perſona durat in illo officio, vel dignitate, & finito officio, vel dignitate, Angelus idem, qui tali dignitati deputatus eſt, incipit cuſtodire alium, qui in prædicto ſuccedit officio; aliquando datur in regimen perſonæ ſecundum quod quidam homo ſingularis eſt, & iſto in caſu, durat per vitam illius perſonæ: aliquando datur in regimen perſonæ non ſecundum quod illa ſingularis perſona eſt diſcreta ab omni alia, ſed datur in cuſtodiam eius, quia pars alterius eſt, & ſic durat in cuſtodia eius, quandiu cuſtoditus perſeverat in hoc quod eſt eſſe parte alterius, ſic ergo circa hominem divina providentia per Angelorum cuſtodiam dupliciter expletur; dum enim eſt intra viſcera matris, providet de ipſo ſicut de aliquo bono intrinſecè colligato cum matre, & ſic cuſtodit illum per illummet Angelum, per quem matrem, & bona eius cuſtodit; quia autem hoc eſt ad tempus etiam cuſtodia, ratione huius homini data, eſt ad tempus. Cum autem ex vtero matris exit, providentia divina illum gubernat ſicut hominem ſingularem, ab omni alio diſcretum, & quia naturam rationalem habet ab omni alio diſcretam, & ſeparatam, eiuſdem in cauſam Angelum conſignat in cuſtodiam? cumque providentia ad hominem ſe extendat quouſque in eſſe conſervatur homo, Angelus, per quem divina providentia circa illum expletur, etiam durat in cuſtodia quouſque de prædicto verificatur, quod ſit homo: hoc autem verificatur vſque ad mortem; & ſic durat in cuſtodia Angelus vſque ad mortem.

Vnde ad primam difficultatem, nego Mai. Ad Prob. diſt. Antec. providentia circa hominem incipit expleri ab infuſione animæ hominis, vt perſona diſcreta, & ſeparata ab omni alia, nego Antec. hominis vt eſt aliquid matris, conc. Anteced.

Digitized by Google

& nego Conſeq. quia illic modus providentiæ, hominis reſtringitur ad illum, quandiu in vtero materno eſt, & ſic non ſequitur quod Angelus, qui illum pro tunc cuſtodit, vſque ad finem vitæ debeat cuſtodire illum.

Ad ſecundam difficultatem dico, quod ſi Deus ſic voluiſſet providere de homine, quod nunquam deeſſet cuſtodia, non tamen ſemper hæc haberetur per eundem Angelum, poſſet quidem providere, ſed non congruenter hoc fieret; nam divina providentia in tantum variat media ad finem, in quantum ex vi vnius res non poteſt perduci ad finem, ad quem ordinata eſt: poteſt autem vnus & idem Angelus vnum hominem cuſtodire, ex quo incipit eſſe particularis homo, quouſque vitam finiat; nec enim in hac prolongata cuſtodia Angelus defatigatur, non ergo congruenter divina providentia mutaret cuſtodem.

1354. Ad tertiam difficultatem dico, primam Conſeq. eſſe bonam: *Semper Dæmones nos impugnant: ergo ſemper Angeli boni nos cuſtodiunt*, quia vnus ex præcipuis effectibus, ob quem dantur cuſtodes Angeli, eſt vt à Dæmonibus inviſibiliter contra nos pugnantibus ſpiritus boni inviſibiles nos defendant. Vnde ſi verum eſt, quod ſpiritus nequam ſemper nos impugnant, à fortiori erit verum, quod ſpiritus boni ſemper nos cuſtodiunt. Secunda autem Conſeq. nihil valet: *Impugnator non ſemper eſt idem: ergo cuſtos non ſemper erit idem*; nam quilibet Angelus bonus ſufficit ad defendendum ſuum alumnum, quem cuſtodit ab omni Dæmonum impugnatione: habet enim quilibet Angelus bonus ſuperioritatem ſuper quoſcumque ſpiritus nequam, ad quam oſtendendam quantumvis varientur Dæmones impugnantes, boni Angeli cuſtodes variari non debent. Secundo non valet ſecunda Conſeq quia Angelus cuſtos deputatur à Deo in regimen cuſtoditi: regimen autem quod per ſolam mortem illius, qui cuſtoditur, finitur, perfectius eſt; & ideo vnus Angelus cuſtos præeſt vni homini vſque ad mortem eius: Dæmon autem non conſignatur à Deo in regimen, ſed ſua malitia, Deo tamen permittente, ſe introducit ad impugnandum hominem, & curandum quod in peccatum cadat; & ſicut ſua mala voluntate accedit ad tentandum vnum, ita & relinquit illum, & curat tentare alium. Tertio non valet Conſeq. facta, quia cum Dæmon maximè ſuperbus ſit, valde abhorret pluries ab homine ſuperari: vnde ſemel ab vno ſuperatus, nunquam vltra audet tentare illum, & ſic omnino recedit ab eo, à quo ſemel ſuperatus eſt, hoc autem non contingit in Angelo cuſtode, qui ſemper curat opus bonũ quod incepit vſque ad finem perducere: vnde non deſiſtit à cuſtodia, quantumvis cuſtoditus multoties ſuccumbat tentationi Dæmonis.

Ad quartam difficultatem dico, executionem divinæ providentiæ circa hominem finiri per mortem cuſtoditi. Tum quia datur homini ex quo habet naturam rationalem completã, & ſic tantum durat, quantũ ipſa natura rationalis completa durat; hæc autem per mortem finitur; & ſic cuſtodia per mortem cuſtoditi finitur. Tum etiam, quia datur cuſtodia vt variabiles motus noſtri effectus regulentur per regimen ſubſtantiæ ſpiritualis immutabilis, qualis eſt bonus Angelus; poſt mortem autem non ſunt hominum cogitationes variabiles, vel effectus volubiles de bono in malum, vel è contra: & ſic perit cuſtodia per mortem hominis cuſtoditi. Vnde animæ purgatorij quantumvis ad vltimum terminum non venirent, quia tamen à corpore ſeparatæ ſunt, & effectus variabiles de bono in malum non habent, Angelo cuſtode deſtituuntur; quamvis enim nondum ſint in vltimo, ad quem ordinatæ ſunt, tamen ſunt in vltimo termino ad quem prætendit divina providentia hominem perducere per cuſtodiam Angeli boni, qui eſt perſeverare in bono vſque ad finem vitæ.

1355 Contra concluſionem poteſt fieri argumentum. Nam Hieremiæ 51. ex perſona Angelorum dicitur, *curavimus Babylonem, & non eſt curata, derelinquamus ergo eam*. Et Iſaiæ 5. dicitur: *Auferam ſepem eius, & erit in conculcationem*. Vbi Gloſſa: *Auferam Angelorum cuſtodiam*: ergo. Confirm. Angeli, cum ſunt hic nobiſcum, non ſunt in cœlo; ſed aliquando ſunt in cœlo: ergo tunc non ſunt nobiſcum: ergo relinquunt ſuos alumnos, quos cuſtodiunt.

Ad hoc dico, Deum, & Angelos nunquam totaliter relinquere homines, quos cuſtodiunt; ſed interdũ dicuntur relinquere eos, quatenus non impediunt, cum poſſent, mala eorum impedire, vel quatenus ſi-

ſi-

Digitized by Google

ſinunt alumnos ſuos in culpas labi. Iuxtà quam doctrinam intelliguntur loca adducta, *derelinquamus eam*, id eſt, ſinamus eam in tribulationem venire, vel in peccata maiora labi; quomodo dicitur per Iſaiam Deū auferre Angelorum cuſtodiam, non totaliter, ſed modo dicto. Quare autem non totaliter deſerant Angeli homines, cum ſinant eos in magnas venire tribulationes, & labi in maxima peccata? iam ſupra diximus, quia ſemper trahunt homines, ne in maiora mala veniant, ſive propria, ſive aliena voluntate; in quæ venirent, ſi ab Angelis quoad hoc non protegerentur.

Ad Confirm. in forma, conceſsis præmiſsis, diſt. Conſeq. ergo tunc non ſunt nobiſcum localiter, conc. Conſeq. non ſunt nobiſcum per cuſtodiam, nego Conſeq. Itaque boni Angeli ſunt in cœlo multoties, ſed cum inde vigilant ſuper alumnos ſuos obſervando ſi quid auxilij indigent; ad quod præſtandum ſemper ſunt expediti, quia ad motum localem mora temporis non indigent; dicuntur non relinquere cuſtoditos, quoad hoc quod eſt curam habere de illis: ſicut mater non derelinquit infantē, quando ita prope iuxta eum vigilans occupatur, quod ſtatim poteſt illi in omnibus adeſſe. Sic reſp. S. Thomas.

Sed eſt difficile quod dicit, nempe quod Angelus non indiget mora temporis ad motum localem è cœlo ad terram, vbi eſt alumnus cuſtodiendus. Hoc enim videtur eſſe contra D. Thom. qui ſupra quæſt. 53. art. 3. determinat motum localem Angeli neceſſariò fieri in tempore, in continuo, ſi ſit continuus, & in diſcreto, ſi ſit diſcretus: ſibi ergo opponitur dum hic dicit, quod Angeli ad motum localem mora temporis non indigent. Sed D. Thom. ſibi non adverſatur: nam aliud eſt, quod motus localis requirat indiſpenſabiliter tempus pro ſui menſura, & aliud eſt, quod Angeli ad motum localem indigeant mora temporis: ad primum enim ſufficiunt duo inſtantia immediata, in quorum primo Angelus vltimo ſit in cœlo, & in ſecundo ut in terra ſubveniens alumno: ad tempus enim diſcretum ſufficiunt duo inſtantia immediatè ſe habentia; vnde poteſt eſſe modo in cœlo, & immediatè poſt hoc in terra: ad ſecundum autem requiritur quod inter inſtans, quo eſt in cœlo, & inſtans, quo eſt in terra, tempus ſic mediaret, quod Angelus nunc in cœlo exiſtens immediatè poſt hoc non poſſet eſſe in terra; hoc enim eſſet mora temporis: vnde cum Div. Thom. hic tantum dicat, Angelum ad motum localem non indigere mora temporis; non ſibi adverſatur, dum dicit motum Angeli non poſſe fieri niſi in tempore.

§. XII.

Vtrùm Angeli doleant de malis eorum, quos cuſtodiunt?

1356 QVÆSITO Reſp. D. Tho. negativè. Probat in argumento ſed contra: *Vbi eſt triſtitia, & dolor non eſt perfecta fœlicitas: vnde Apocalipſ. 21. mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor; ſed Angeli cuſtodes ſunt perfectè beati: ergo de nullo dolent.* Probat in corp. ſic. Triſtitia, & dolor ſecundum Auguſtinum non eſt niſi de his, quæ contrariantur voluntati; nihil autem accidit in mundo quod ſit contrarium voluntati Angelorum, & aliorum beatorum: igitur Angeli cuſtodes de nullo habebunt dolorem. Prob. Min. voluntas beatorum totaliter inhæret ordini divinæ iuſtitiæ; nihil autem fit in mundo, niſi quod per diviſiam iuſtitiam fit, aut permittitur: ergo nihil fit in mundo cōtra voluntatem beatorum. In quo autem ſenſu loquatur, explicat deinde ſic: *Vt enim Philoſophus dicit in 3. Æthicorum illud dicitur ſimpliciter voluntarium, quod aliquis vult in particulari ſecundum quod agitur conſideratis omnibus, quæ circunſtant, quamvis in vniverſali conſideratum non eſſet voluntarium: ſicut nauta non vult proiectionem mercium in mare abſolutè, & vniverſaliter conſiderando, ſed imminente periculo ſalutis hoc vult, vnde magis eſt hoc voluntarium, quam in voluntarium, vt ibidem dicitur. Sic igitur Angeli peccata, & pœnas hominum vniverſaliter, & abſolute loquendo non volunt; volunt tamen quod circa hoc ordo divina providentia ſervetur, ſecundum quam quidam pœnis ſubduntur, & peccare permittitur.*

Ex quibus infero, iuxta D. Th. Angelos bonos dolere de malis eorum, quos cuſtodiunt ſecundum quid, non ſimpliciter. Vnde ſicut in Deo ponimus duas voluntates, aliam, qua vult omnes homines ſalvos fieri, quæ voluntas fertur ad ſalutem omnium hominum vniverſaliter, id eſt, qua

Digitized by Google

attenta tantùm miſericordia Dei, & capacitate hominum ad habendam ſalutē æternam vellet Deus quod omnes ſalvarentur; & aliam, qua vult hic, & nunc damnare aliquos propter eorum peccata: quarum voluntatum, prima dicitur ſecundum quid, & ſecunda talis ſimpliciter; ſic in cuſtode Angelo circa mala alumni ſui ſunt duæ voluntates, alia, qua abſolutè, & vniverſaliter tantum illa mala inſpiciendo, hoc eſt, ſub ratione tantum vniverſali mali illius alumni, qui cuſtoditur, nollet ei advenire: alia autem, qua omnibus penſatis vult circa alumnum ſuum ordinem divinæ Iuſtitiæ ſervari in punitione illius propter eius peccata: prima voluntas eſt dolor ſecundū quid, quia eſt quidam remiſſus dolor volūtatis Angeli de malis ſui alumni tantum ſpectatis ſecundum quod mala ejus ſunt. Secunda autem eſt voluntas ſimpliciter de exequutione ordinis divinæ Iuſtitiæ in eo, qui ab eo cuſtoditur, quia eſt voluntas de malo alumni, omnibus penſatis, quæ circunſtant.

1357 Et ſi inſtes, perfecta lætitia, qualis eſt lætitia beatorum, debet depurari adæquatè à ſuo contrario, quod eſt dolor, ſeu triſtitia; ſed ſi ponamus hunc dolorem ſecundum quid talem in beatis Angelis lætitia eorum non prorſus depurabitur à ſuo contrario; ſiquidem erit admixta cum dolore ſecundum quid: ergo non erit perfecta lætitia, vel ſi erit non debemus ponere quod Angeli beati habeant dolorem ſecundum quid. Explico hoc exemplo illius, qui vt mortem imminentem vitet, merces in mare proijcit, quas aliàs non proijceret, ſi periculū amittendi vitam non inſtaret: hic talis in illa projectione ſimpliciter voluntarius eſt, ſed non voluntario ſic perfecto, quod ſit omnino depuratum à ſuo contrario, quia dum voluntas proijciendi repugnat illi voluntati ſecundum quid, qua ſolum attendendo ad hoc, quod bona propria ſunt, nollet eas proijcere, actus ille ſecundum quid involuntarius eſt: ſic ergo ſi lætitia bonorum Angelorum admiſcetur dolori ſecundum quid de malis alumni cuſtoditi, illa lætitia ſimpliciter erit, ſed non ſic erit perfecta, quod prorſus à ſuo contrario depuretur, ac per conſequens non erit ſumma, qualis decet eſſe lætitia, & gaudium beatorum.

Ad hoc poſſumus dicere, quod lætitia, quam habent beati de Deo viſo, ex quo ſolum ſuam beatitudinem accipiunt, ſic eſt perfecta, quod prorſus eſt à ſuo contrario depurata. Etenim videntj Deum prout eſt in ſe non poteſt non appetere bonū vndequaque, ſive ſecundum rationem communem, ſive ſecundū rationem particularem, & cum ſit præſens, non poteſt non lætificare videntem: vnde illa lætitia prorſus eſt à ſuo contrario depurata. Non ſic philoſophandū eſt de alijs objectis, à quibus nō beatificantur: hæc enim poſſunt ſecundū aliquam rationem ſui vniverſaliter tantum inſpectam triſtare videntem; eſto omnibus penſatis, quæ rem circunſtant, habeat lætificare ſimpliciter illum: vnde hæc lætitia non erit ſic ſumma, quod prorſus ſit à ſuo contrario depurata. Et ſic contingit in præſenti: mala enim alumnorum, quos Angeli cuſtodiunt, conſiderata præciſè ſecundum quod mala alumnorum ſunt, ſic Angelos cuſtodes lætificare non poſſunt, quatenus autem per inflictionem illorum malorū ſervatur ordo divinæ Iuſtitiæ, ſic ſimpliciter habent lætificare illos: vnde hæc lætitia, eſto ſimpliciter ſit talis, nō tamen prorſus depurata eſt à ſuo cōtrario, ſed ſicut admittit aliquid involuntarij ſecundū quid, ſic admittit dolorem, & triſtitiam ſecundum quid.

1358 Contra concluſionem, in qua dicitur quod Angeli cuſtodes non dolent ſimpliciter de malis eorū, quos cuſtodiunt, inſtabis ex illo Iſaiæ 33. *Angeli pacis amarè flebunt*; ſed fletus amarus, eſt ſignum doloris, & triſtitiæ ſimpliciter talis: ergo Angeli cuſtodes triſtantur ſimpliciter de malis hominum, quos cuſtodiunt. Confir. triſtitia eſt (vt inquit Auguſtinus) de his, quæ à nobis nolentibus accidunt; ſed perditio hominis cuſtoditi eſt contra voluntatem Angeli cuſtodis: ergo triſtantur ſimpliciter Angeli de malis eorum. Confirm. ſecundo, ſicut gaudio contrariatur triſtitia, ita pœnitentiæ contrariatur peccatum; ſed Angeli gaudent de peccatore pœnitentiam agente: ergo triſtantur de juſto in peccatum cadente.

Confir. tertio, Origenes ſuper illud numerorum 13. *Quidquid offertur primitiarum, &c.* dicit, *trahuntur Angeli in judicium, vtrum ex ipſorum negligentia, an hominum ignavia lapſi ſint*; ſed quilibet rationabiliter dolent de malis propter quæ in judicium deductus eſt: ergo Angeli dolent de hominum peccatis. Confirm. quarto, amicorum eſt compati ſibi in neceſſitatibus; ſed Angeli ferventiſſima charitate nos di-

li-

Digitized by Google

lugunt: ergo videtur quod contriſtentur, hominum damnationi compatiendo. Confirm. quinto omne id, quod eſt contrarium volito, & repugnans fini eſt contriſtans; ſed damnatio eſt contraria ſaluti, quam volunt, & per officium cuſtodiæ procurant; ergo damnatio hominū Angelos cuſtodes contriſtat.

Ad hoc dico, illud ex Iſaia adductum ad literam intelligi de nuntijs Iſaiæ, quos miſsit ad pacem ab Aſsirijs quærendam, qui auditis blaſphemijs Rabſazis, ſciſsis veſtibus fleverunt. Si autem ſecundum ſenſum Analogicum exponatur de bonis Angelis, tunc metaphorica erit loquutio ad explicandum illum dolorem ſecundum quid, de quo iam diximus in explicatione literæ articuli. Ad primam Confirm. diſt. Mai. ſed perditio hominis cuſtoditi eſt cō tra voluntatem Angeli cuſtodis, contra voluntatem ſimpliciter talem, nego Min. contra voluntatem ſolum talem ſecundum quid, conc. Min. & diſt. Conſeq. ſub eadem diſtinctione. Ad ſecundam, nego Conſeq. quia quamvis pœnitentia, & peccatum inter ſe ſint oppoſita, conveniunt tamen in vna ratione, de qua gaudium habetur ab Angelis, nempe ad impletio ordinis divinæ Iuſtitiæ: nam Angeli gaudent de pœnitentia peccatoris, quia quædam ad impletio divinæ Iuſtitiæ eſt, quod peccata deteſtentur ab eo, qui ea commiſsit, & ſimiliter gaudent de lapſu iuſti in peccatum, quia eſt adimpletio ordinis divinæ iuſtitiæ, quæ ob fines ſibi cognitos permiſsit iuſtum in peccatum labi; quamvis de præfato lapſu vniverſaliter conſiderato, id eſt, ſolum atento quod ſit malum culpæ, huius doleant dolore illo ſecundum quid à nobis iam explanato. Colligo ſolutionem ex Div. Thom. hic at dicent. 4 quod tam in pœnitentia hominum, quam in peccato manet vna ratio gaudij Angelis, ſcilicet impletio ordinis divinæ providentiæ.

Ad tertiam explico dictum Originis ſic, quod Angeli trahuntur in iudicium pro peccato hominum, non quaſi Rei, ſed quaſi teſtes ad convincendum homines de eorum ignavia, & hac explicatione data, diſt. Min. ſed quilibet rationaliter doles de malis, propter quæ trahitur in iudicium, diſtinguo, ſi trahatur vt reus prædictorum malorum, conc. Min. ſi tantum trahatur vt teſtis ad convincendum Reos de ignavia, nego Min. & Conſeq. Ad quartam diſt. Mai. amicorū eſt compati ſibi in neceſsitatibus, diſt. ſi amici paſsibiles ſint, conc. Mai. ſi ſint impaſsibiles, nego Mai. & conc. Min. nego Conſeq. Itaque illius eſt compati, qui poteſt pati; Angeli autem, cum ſint beati, omnino impaſsibiles ſunt: vnde quātumvis ferventiſsima charitate gaudeant, non tamen compatiuntur, quia pati nō poſſunt. Ad vltimam diſt. Min. ſed damnatio eſt contraria ſaluti, quā volunt, & per officium cuſtodiæ procurant, quam volunt voluntate antecedenti, conc. Min. voluntate conſequenti, nego Min. & Conſ. loquendo de triſtitia ſimpliciter. Itaque ſicut ſtat Deū velle ſalutem Iudæ, & nihilominus velle damnare eum, quia primum eſt verum de voluntate antecedenti, ſecundum eſt verum de voluntate conſequenti: ita ſtat bene quod Angeli velint ſalutem alumnorum ſuorum, & nihilominus lætentur de eorum damnatione, quatenus per eam adimpletur ordo divinæ Iuſtitiæ: quia prima voluntas ſalutis tantum eſt antecedens, & ſecunda autem eſt conſequens, & penſatis omnibus, quæ rem circunſtant.

§. XIII.

Vtrum inter Angelos poſsit eſſe pugna, ſeu diſcordia?

1359 **P**ROCEDIT Quæſitum de Angelis bonis, qui in charitate, & viſione Dei ſunt, & movetur ad intelligendum id, quod dicitur Daniel. 10. ex perſona Gabrielis: *Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus*. Caſus enim erat, quod Daniel orabat pro libertate populi Iſraelitici à captivitate Babylonis, & preces Danielis Gabriel Deo præſentabat, & cum duraſſet in oratione per viginti & vnum dies, Gabriel miſſus eſt ad eum, vt nuntiaret ei quod exaudita erat oratio eius deliberatione populi, & cauſam diceret, ob quam per tot dies tardaverat, quę in eo ſiſtebat, quod Princeps Regni Perſarum reſtiterat Gabrieli viginti & vno diebus, & quod Michael vnus de Principibus primis veniſſet in adiutorium eius. Quis autē ſit iſte Princeps Perſarum eſt varietas inter Doctores. Nam alij dicunt eſſe Angelum malum Perſis prælatum; ſicut enim (inquiunt) vnicuique homini datur ad exercitium vnus bonus, & malus alter Angelus: ita ſingulis gentibus duo ſpiritus præponuntur, vnus bonus, & alter ma-

malus. Hanc ſententiam tribuunt Hieronymo, ſed meo videri immeritò; vt patebit legenti verba ipſius. Sic enim habet: *Videtur mihi hic eſſe Angelus, cui Perſis credita eſt, iuxta illud quod in Deuteronomio legimus, quando dividebat altiſſimus gentes, & diſſeminabat filios Adam, ſtatuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei: iſti ſunt Principes, de quibus Paulus loquitur, ſapientiam loquimur inter Perfectos, quam nullus Princeps huius ſæculi cognovit: reſtitit autem Princeps, id eſt, Angelus Perſarum faciens pro credita ſibi providentia, ne captivorum omnis populus dimitteretur, & forſan cum prima die ex quo poſuit cor ſuum Propheta ad intelligendum exauditus ſit à Deo, id circo non ſtatim miſſus eſt Angelus, qui ei, Dei indulgentiam nuntiaret, quia viginti & vno diebus reſtitit ei Princeps Perſarum enumerans peccata populi Iudæorum quòd iuſtè tenerentur captivi, & dimitti non deberent.* Hæc Hieronymus, in quibus non invenio quod tenuerit ſententiam de eo, quod iſte Princeps Perſarum ſit Angelus malus. Vnde Lyra citat pro hac ſententia aliquos ſuppreſſo nomine, Hieronymum autem non citat. At hoc non obſtante, quia D. Thom. in 2. ſent. diſt. 12. q. 1. art. 5. expreſſè pro hac ſententia D. Hieronymum citat, & non impugnat, & hic, quæſt. 113. art. 8. nolo meæ adhærere opinioni, ſed ſtare in ſententia D. Thom. & captivare meum intellectum in obſequium eius. Communiter tamen defenditur illum Perſarum Principem, qui reſtitit Gabrieli, eſſe Angelum bonum, qui præerat Perſis, prætendebat populum detineri in Ægypto, vt ad exemplum Iudæorum verum Deum adorantium commoverentur Perſæ ad relinquendum cultum idolorum, & adorandum Deum populi Iſraelitici. In qua ſententia, quæ communis eſt, campus aperitur præſenti quæſito. Nam ſi bonus Angelus reſtitit Gabrieli: igitur inter bonos Angelos eſt pugna, & diſcordia. Quod etiam roboratur ex eo, quod Daniel. 7. habetur quod *quatuor venti cæli pugnabant*, per quos Gloſſa dictas intelligi *quatuor Angelicas poteſtates regnis principalibus prælatas*, quæ quidem pugnabant inter ſe, dum vnaquæque proprium defendebat Regnum, cui præerat.

1360 D. Thom. ergo admittit Principem Perſarum reſiſtentem Gabrieli eſſe bonum, & ſanctum Angelum: vnde etiam admittit inter ſanctos Angelos poſſe eſſe pugnam, non per diſcordiam voluntatum, ſed quia circa aliquod idem merita inter ſe contraria offerunt Deo, quorum alia merentur, vt fiat, è contra alia merentur vt non fiat, quod vt explicet notat, quod divina iudicia circa diverſa regna, & diverſos homines per Angelos exercentur; in ſuis autē actionibus Angeli per divinam ſententiam regulantur: contingit autem quandoque quod in diverſis regnis, vel in diverſis hominibus contraria merita, vel demerita inveniuntur, vt vnus alteri ſubdatur, aut præſit: quid autem ſuper hoc ordo divinæ ſapientiæ habeat cognoſcere non poſſunt, niſi Deus revelet: vnde neceſſe habent ſuper his ſapientiam Dei conſulere: ſic igitur in quantum de contrarijs meritis, & ſibi repugnantibus divinam conſulunt voluntatē, reſiſtere ſibi invicem dicuntur, non quia ſint eorum contrariæ voluntates, cum in hoc omnes concordent, quod Dei ſententia impleatur, ſed quia ea, de quibus conſulunt, inter ſe repugnant. Rem duco ad praxim. Populus Dei, qui aderat ſub captivitate Babylonis ſuum habebat peculiarem Angelū, qui ei præerat, qui forſan Gabriel dicebatur, vt D. Thomas tenet in articulo: nam Michael, qui poſtmodum venit in adiutorium eius, præſidebat toti Sinagogæ vndequaque diſperſæ, ſicut & modò toti Eccleſiæ Catholicæ præeſſe dicitur: aderat etiam Princeps Perſarum, id eſt, bonus Angelus, qui præerat Perſis, ſub quorum poteſtate erat populus Dei captivus. Interim Daniel orabat Dominum pro liberatione populi Dei, & proponebat cauſas, & rationes, ob quas Deus deberet populum à tali captivitate liberare, videlicet, quia talis populus erat pronus ad idololatriam, & ſi viveret inter Perſas idolatras, de facili eorum perverſo depravaretur exemplo: quapropter oportebat illum a gente idolatra liberare; hæc merita & orationes Danielis Gabriel Deo proponebat: cum ecce Angelus Perſarum attendens ad bonum ſuæ nationis è contra Deum rogabat pro eo, quod populus Dei non liberaretur à captivitate, quia eius præſentia multum conducebat ad converſionem Perſarum ad cultum veri Dei, ſiquidem bono exemplo Iſraelitarum multi Perſæ ſuos relinquerant falſos Deos, & ad cultum veri Dei fuerant alliciati. Dum ergo ſic contraria offerebant Deo, inter ſe pugnare videbantur; non quidem voluntate, quia concordes erant in eo, quod circa illa Dei ſententia debuiſſet impleri; & cum per ſpatium viginti & vno dierum Deus

ſuam

ſuam ſententiam ſuper hoc non revelaſſet, ideo Gabriel dixit Danieli, *Princeps Perſarum reſtitit mihi viginti & uno dierum*, poſt quos revelavit ſuam ſententiam ſuper hoc Deus Principi ſuper totam ſinagogam, nempe Michaeli, & quia ſententia fuit in favorem Gabrielis, ideo dixit Gabriel Danieli: *Et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adiutorium meum.* Hæc omnia dilucide ſatis explicavit D. Thom. in ſententijs loco citato, & placet ea, quæ docuit referre. *Contingit* (inquit) *quãdoque quod in diverſis gentibus inveniantur diverſa merita, ſecundũ quorum diverſitatem videtur, quod una gens alteri ſub eſſe debeat, vel ab eius dominio liberari, ſicut tunc in Iudæis erat, quia Danielis oratio, quantum in ſe erat, liberationem populi merebatur, ſed peccata populi, & etiam utilitas, quam Iudæi cauſabant in regno Perſarum, dum per eos Dei veri notitia diffundebatur, erant in contrarium. Et quia unuſquiſque Angelus ſecundum officium ſuum ad examen divinæ ſcientiæ referebat merita ſibi ſubditorum, ideo relatio contrariorum meritorum per diverſos Angelos facta ſententiam divinam expectantes pugna inter Angelos vocatur, & eorũ concordia eſt in illuminationis divinæ perceptione, per quam de divina voluntate inſtruuntur: hoc enim omnes concorditer volunt, quod percipiunt Deum velle: unde dicitur Iob 2. qui facit concordiam in ſublimibus.* Sic dilucide D. Thom.

Ex quibus infero, quod diverſitas opinionum non repugnat amicitiæ & concordiæ, ſiquidem ut vidimus, ſtat cum identitate, ſeu convenientia voluntatum, & etiã quia non ſunt iudicia abſoluta, ſed tantum ſecundum merita: unde in præfato caſu nullus ex Angelis illis iudicabat abſolute, quod hoc, vel illud fieret, ſed tantum iuxta merita cauſæ dicebat hoc, vel oppoſitum debet fieri: iudicabat tamẽ abſolute quod circa illud divina expleretur providentia. Infero ſecundo, quod poteſt dari bellum iuſtũ ex utraque parte bellantium: ſi enim hæc pugna non eſſet circa rem iuſtam, ex utraque parte non eſſet defenſata à bono Angelo, ſed alter eſſet bonus, qui, quod iuſtũ eſt, defenſaret & alter nequam, qui iniuſtam cauſam teneret.

1361 Sed in contrariũ inſtas, nam duarum opinionum contrariarum oportet quod una ſit vera, & altera falſa: ſi ergo inter illos Angelos erat pugna, neceſſariò aderat contrarietas opinionum: ergo neceſſe erat quod alter eorum falſam opinionem haberet, & alter veram; hoc autem repugnat Angelis, quia falſitas in nobis appropriatur phantaſiæ ſecundum Philoſophum 4. Metaphyſ. qua tamen Angeli carent: ergo. Ad hoc, diſt. 1. Conſeq. ergo neceſſario aderat contrarietas opinionum obiectiva, conc. Conſ. ſubiectiva, nego Conſ. & diſt. 2. Conſ. ergo neceſſe erat, quod alter eorũ falſam opinionem haberet obiective, & ex parte cauſæ meritorum, conc. Conſ. ſubiective, nego Conſ. Iam dixi quod Angeli iſti non pugnabant ex parte ſubiecti per hoc, quod abſolute alter iudicaret veram illam partẽ, quam defendebat; quia dum de vero expectabant à Deo illuminari, nulli parti abſolute adherebant: adhærebant tamen ſecundum quid, id eſt, iuxta merita cauſæ, quamquiſque defendebat, quaſi quiſque diceret, hoc eſt probabile propter hoc: unde uterque Angelus verum dicebat, quia cauſæ vere probabiles reddebant partes, quæ defenſabantur, dum tamen nullus eorum alicui parti abſolute adhærebat, opinionem non habebat; ut enim aliquis de re aliquam opinionem ex parte ſubiecti habeat, neceſſe eſt, quod ei abſolute adhæreat: nam iudicare hoc eſſe probabile propter hoc, non eſt opinari, illi enim, qui ſcientiam habent de aliqua veritate, dum ſigna ad eius veritatẽ ducentia agnoſcunt, iudicant, illam eſſe probabilem reſpective ad talia ſigna, qui tamẽ opinionem non habent, cum ſcientia, & opinio de eodem, in eodem incompatibilia ſint.

1362 Hinc ſolves difficultatem, quæ maxima apparet in alia tamen materia. Eſt enim opinio S. Thom. quod Angelus in primo inſtanti ſuæ conditionis non poſsit errare, neque falſum dicere, eſt etiam opinio Scoti de oppoſito. Modo inquiritur, utrùm Angelus viribus ſolis naturæ de hoc tantum habeat opinionem? an habeat ſcientiam evidentem? nam ſi dicimus habere opinionẽ, cum opinans poſsit errare, ſequitur, quod aſſeramus illum poſſe errare, & ſic doctrina D. Thom. erit falſa: ſi dicamus quod habet ſcientiam evidentem, ſequitur, quod habeat evidentiam atteſtationis divinæ ſimul cum fide, quod eſt contra id, quod docuimus in tractatu de fide. Sequela Prob. ſic, nam hoc ipſo quod Angelus ſupremus v.g. illuminetur de credendis, ille Angelus ſcit evidenter ſe in primo inſtanti errare non poſſe: ergo ſcit evidenter, quod non loquitur à ſemetipſo, ſed loquitur à Deo, cui tribueretur error, ſi Angelus

Digitized by Google

lus in primo inſtanti erraret. Nam hac ratione D. Thom. dicit, non poſſe in primo inſtanti errare, quia talis error tribueretur Deo: ergo ſcit evidenter Deum eſſe, qui loquitur in illo, & ſic habet evidentiam divinæ atteſtationis, & alias habet fidem: ergo habet fidem ſimul cum evidentia atteſtationis. Si dicatur, quod evidenter ſcit ſe circa naturalia errare non poſſe, quia evidenter cognoſcit ſua principia naturalia, quibus cum rectitudo cognitionis, & effectus ſint debita, cognoſcit evidenter ſe eſſe circa naturalia indefectibilem. Circa ſupernaturalia autē vtrùm poſsit errare, vel non, hoc evidenter non cognoſcere, quia viribus naturæ nequit ea, quę ſupernaturalia ſunt, certò, & evidenter ſcire. In contra eſt, nam ipſe evidenter ſcit ſe in primo inſtanti non poſſe peccare, neque circa naturalia, neque circa ſupernaturalia: ergo & cognoſcit ſe in primo inſtanti non poſſe errare, tam circa naturalia, quam circa ſupernaturalia: nam ſi errare poſſet, etiam poſſet peccare. Et etiam quià Angelus evidenter cognoſcit, quod ſi in primo inſtanti erraret, etiam circa ſupernaturalia talis error, cum inciperet cū eſſe Angeli, deberet Deo attribui, quod admitti non valet.

Ad hanc difficultatem dico, Angelum evidenter cognoſcere ſe eſſe in primo inſtanti indefectibilem attenta natura ipſius Angeli, nam illa rectitudo eſt ei naturaliter debita, & ſic, dum videret ſua principia naturalia evidenter cognoſceret, ſe de lege ordinaria, & ſervato ordine naturæ errare, vel peccare non poſſe: vtrum autem etiam de potentia abſoluta ipſe errare, vel peccare non poſſet, non evidenter ſciret, nec de hoc opinionem haberet, quãvis ſigna probabilia in pro, & contra cognoſceret. Probo ſingula. In primis non evidenter ſciret, vtrum de potentia abſoluta peccare poſſet, vel non; quia hoc non eſt ſcibile viribus naturæ, cum ſolæ vires naturæ comprehendere non poſsint ad quid potentia Dei abſoluta poſsit ſe extendere. Non etiam de aliqua parte quæſiti [op]inionem haberet, quia his, quæ ipſe evidenter non ſcit, ne ſe exponat periculo errandi, abſolute non inhæret: haberet tamen ſigna probabilia pro vtraque parte, quia cognoſceret rationes D. Th. & rationes Scoti, quæ vtramque partem reddunt probabilem: haberet ergo de tali dubio ſimplicem neſcientiam, & expectaret à Deo illuminationem: vnde nunquã haberet evidentiam divinæ atteſtationis ſimul cum fide. Hanc doctrinam de ſummo ex D.Thom. in 2.d.11.q.1 art.5. ad 4. vbi ſic habet: *Angelis quamvis non poſsit eſſe falſa opinio, poteſt tamen eſſe in eis quotandam neſcientia, ex hoc quod intellectus eorum propter potentialitatem ad mixtam non omnino terminatur ad vnum, & ſecundum quod eorum, quæ neſciunt, cognitionem Deo vel à ſuperioribus Angelis expectant, interrogare dicuntur in ſcriptura: quia tamen ei, quod neſciunt, per iudicium non adhærent, ideo falli nō poſſunt.* Hæc D.Thom. & hæc noſtra doctrina.

QVÆSTIO XXVI.

De impugnatione Dæmonum.

§. I.

Vtrùm homines impugnentur à Dæmonibus?

HVIC quæſito vt reſpondeat D. Thom. præmittit quandam diſtinctionem dicens: *Duo ſunt cōſideranda in impugnatione Dæmonum, nempe ipſam impugnationem, & ordinem eius.* Quo ſuppoſito reſpondet duplici concluſione prima eſt, *impugnatio ipſa ex Dæmonum malitia procedit.* Probat, *quia Dæmones propter invidiam profectum hominum impedire nituntur. Et propter ſuperbiam, divinæ poteſtatis ſimilitudinem vſurpant deputando ſibi miniſtros determinatos ad hominum impugnationem; ſicut & Angeli Deo miniſtrant in determinatis officijs ad hominum ſalutem: ergo.* Secunda concluſio, *ordo impugnationis à Deo eſt.* Probat, *quia Deus ordinate novit malis vti, ad bona ea ordinando, ſed ex parte Angelorum tàm ipſa cuſtodia, quàm eius ordo reducitur ad Deum ſicut ad primum auctorem.*

1364. Circa quæ ſtatim occurrit difficultas. Nam quæſito nulla datur reſponſio, quia articulus quærit, an ſit id eſt, an detur in rerum natura impugnatio Dæmonum erga homines? & D.Thom. reſp. aſsignando cauſas impugnationis: non ergo reſp. quæſito. Huic difficultati conatur ſatisfacere Caietanus dicens: *Nam vt habetur in ſecund. Poſter. omnis quæſtio eſt quæſtio medij, & nihil aliud eſt quærere, ſi quadratura circuli eſt, quam quærere ſi eſt aliquod mediū ad ipſam: vnde nihil aliud eſt quærere, ſi Dæmones impugnent homines, quàm quærere, ſi eſt aliquod medium, ſeu cauſa quare nos impugnent. Et propterea reſponſio eſt ad propoſitum*

dire-

Digitized by Google

directa ſecundam artem ſciendi, dum aſsignat cauſas, ex quibus provenit impugnatio Dæmonum contra nos: ſic enim optimè à priori oſtenſum eſt impugnationem eorum eſſe. Sic Caietanus.

Sed videtur quod non ſolvat difficultatem. Etenim eſto omnis quæſtio ſit de medio, vel de cauſa rei, ſic, quod idem ſit inquirere an quadratura circuli ſit, ac inquirere, an detur aliqua cauſa, quæ probetur de facto dari circuli quadraturam; & ſic idem ſit quærere, an detur impugnatio Dæmonum, & inquirere, an ſit aliquod medium, quo probetur eam de facto dari; & aſsignando medium, quo probetur de facto dari, optimè reſpondeatur quæſito, an detur impugnatio dæmonum? tamen D. Th. non aſsignat cauſam, quæ probat de facto dari talem impugnationem hominum: ergo non ſatisfit quæſito. Prob. Min. nam D. Thom. dicit ſic: *Si attendamus ad ipſam impugnationem, ſic impugnatio hominum reducitur in malitiam Dæmonum: ſi attendamus ad ordinem, ſic reducitur in Deum*; iſtæ autem cauſæ, eſto probent poſsibilitatem impugnationis, non tamen probant eam de facto dari: nam ſiquis dicat in peccato hominum ſunt duo, nempe formale malitiæ, & materiale entitatis: quoad primum reducitur in defectibilitatem liberi arbitrij, quoad ſecundum in Deum, qui eſt cauſa omnis entitatis; iſte talis per hæc non aſsignabit medium probativum, quod de facto detur peccatum, eſto aſsignet cauſas, in quas reduceretur peccatum, ſi daretur: ergo ſimiliter ſi quis dicat in impugnatione Dæmonũ ſunt duo, & ipſa impugnatio, & hæc reducitur in malitiam Dæmonum, & ordo eius, & hic reducitur in Deum, non probabit dari impugnationem, ſed ſupponendo quod detur, aſsignabit cauſas, in quas debet reduci.

1365 M. Bañez ſolvit difficultatem dicendo, quod quia de fide eſt dari impugnationem hominum à Dæmonibus, quod & D. Thom. probat in argumento, *ſed contra*, ideo non curavit in corpore articuli de medio, quo probaret de facto eam dari, ſed ſupponẽdo tanquã certũ de fide eam de facto dari, totus fuit conatus in aſsignandis cauſis, ex quibus oritur, quod Dæmones homines impugnent. Sed contra hoc eſt. Nam ſicut hæc propoſitio, *homines de facto impugnantur à Dæmonibus*, eſt certa de fide, ita & hæc, *homines cuſtodiuntur ab Angelis*, eſt certa de fide, & ſicut prima prob. in argumento *ſed contra* eſſe de fide, ita & ſecunda pariter in argumẽto *ſed contra* Prob. eſſe de fide; at hoc non obſtante D. Thom. in corp. 1. art. de cuſtodia Angelorum probat de facto dari talem cuſtodiam, de qua inquiſierat: ergo hoc non obſtante, vt reſponderet quæſito, debebat D. Thom. aſsignare rationem, qua probatur de facto homines impugnari à Dæmonibus.

1366 Huic difficultati reſp. primo admittendo ſolutionem Caietani. Etenim D. Thom. non aſsignat cauſas, quæ tantum probant poſsibilitatem impugnationis, ſed aſsignat cauſas, ex quibus de facto oritur, ſicque ſit quod ſuo diſcurſu probat de facto dari impugnationem. Hoc ſic explico. Duo reperiuntur in impugnatione, nempe ipſa impugnatio, & ordo eius: ſi loquamur de ipſa impugnatione, hęc de facto datur. Tum quia Dæmones de facto hominibus invident, ex hac autem invidia actuali de facto oritur, quod Dæmones hominum profectum nituntur impedire, & ſic de facto nos impugnant. Tum etiam Dæmones de facto ſic ſuperbi ſunt, quod de facto divinæ poteſtatis ſibi vſurpant ſimilitudines; quod non alio modo contingit quam ſibi de facto deputando miniſtros determinatos ad hominum impugnationem, ſicut Deus de facto deputavit miniſtros determinatos ad hominũm cuſtodiam: ergo verè datur impugnatio hominum à Dæmonibus: non ergo D. Thom. ſuo diſcurſu probat ſolũ poſſibilitatem impugnationis, ſed etiam probat eam dari de facto. Ex parte etiam ordinis etiam probat de facto dari. Nam verè de facto Deus novit ordinatè vti malis, ordinando ea ad bona: ergo impugnatione Dæmonum, quæ vt eſt à Dæmonibus mala eſt, Deus ordinatè vtitur ordinando eam ad bonum hominum, qui impugnantur, ſicut perſequutionem Martyrum, quæ prout à Tyrannis mala eſt, ordinavit Deus ad coronam Martyrij, & permiſsionem peccati ad bonum electorum: ergo de facto datur ordo impugnationis, qui à Deo cauſatur.

Nec ſimile adductum de peccato oppoſitum probat. Nam illæ non ſunt cauſæ, quæ de facto probant dari peccatũ. Et reddo rationem, quia illæ cauſæ ſpectant ad eſſentiam peccati tanquam ex quibus conſtituitur intrinſecè, non autem ſunt cauſæ extrinſecæ, ex quibus ponitur ſub exiſtentia peccatum: invidia autem Dæmonum, & eius ſuperbia actuales ſunt cauſæ extrinſecæ, à quibus ponitur ſub exiſtentia impug-

mundi; attenta tantum infirmitate hominum, concedo Mai. attentis omnibus, quæ circa hoc debent attendi, nego Mai. & cōc. Min. nego Conſ. Itaque hominis infirmitas eſt tanta, quod ſufficeret ad hominum exercitium militare, impugnari à carne, & mūdo; ſed Deus permitens Dęmonum impugnationem, non tantum ad hoc attendit, ſed inſuper vult coronare electos ſuos trophæis, & victorijs reportatis de Dæmonijs, & ad hoc permittit impugnationem Dæmonū; vnde & monet, *eſto te fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum.*

Ad tertiam dico, verba illa Iacobi debere intelligi de tentatione, qua tentamur; in qua tentans prætendit ruinam ſpiritualem tentati, & ſic conc. Mai. & diſt. Mi. Sed ſi Deus deſtinaret Dæmones ad tentandum diceretur quoque ipſe tentare homines, tētatione ex parte tentantis per ſe ordinata ad ruinam ſpiritualem hominū, nego Min. tentatione ordinata ad experimentum, & ad manifeſtationem alicuius adhuc latentis in tentato, conc. Min. & nego Conſequentiam. Itaque tentatio eſt duplex: alia ordinata ad experimentum, & ad manifeſtationem alicuius latentis in tentato, & hoc modo Deus tentat, & mittit Dæmones ad tentandum: vnde dicitur Math. 4. *ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum*, (vtique divino) *vt tentaretur à Diabolo*; alia eſt tentatio ordinata ad ruinam tentati, eumque inducens ad peccandum ex intentione tentantis, & iſto modo, *Deus neminem tentat*, vt Iacobus dicit: permittit tamen homines ſic tentari, ſicut & permittit peccata: & ſicut iſto modo Deus neminem tentat, ſic nec Dæmones deſtinat ad tentandum.

Ad quartam, nego Mai. nam vt ſuprà dixi, quamvis Dæmones fortiores ſint homine, tamen homo habet ſemper vires gratiæ ſufficientes, quibus poteſt reſiſtere, & inſuper cuſtodem Angelum, qui eum defendit inſtigando ad bonum: vnde quamvis à Diabolo tentatur; non tamen ſui peccati habet excuſationem, quia nollens vti auxilijs divinæ gratię, neque bonis inſpirationibus Angeli cuſtodis, propria voluntate Dæmoni ſuccumbit, & peccat. Ad vltimam, nego Antec. Ad Prob. nego Mai. ſicut enim ſine præcedentia peccati Deus hominem permiſsit labi in peccatum; ſic & ſine præcedentia peccati illum à Dæmone tentari permiſsit.

§. II.

Vtrùm tentare ſit proprium Diaboli?

1369 TENTARE aliquem, propriè eſt ſumere experimentum de aliquo: experimentum autem ſumitur de aliquo, vt ſciatur aliquid circa ipſum; vnde proximus finis alicuius tentantis eſt ſcire: ſed quandoque vlterius ex ſciētia inquiritur aliquis alius finis, vel bonus, vel malus, bonus quidem, ſicut cum aliquis vult ſcire qualis, aliquis ſit, vel quantum ad ſcientiam, vel quātum ad virtutem, vt eum promoveat: malus autem; quando hæc ſcire vult, vt eum decipiat, vel ſubvertat. Hinc tētare diverſimode attribuitur: homo enim tentare dicitur, quandoque quidem vt ſciat tantum, & propter hoc tentare Deum dicitur eſſe peccatum, quia homo quaſi incertus experiri vult, & præſumit Dei virtutē; quandoque vero tentat, vt iuvet, quandoque vero vt noceat: diabolus autem ſemper tentat vt noceat in peccatum præcipitando; & ſecundum hoc dicitur proprium officium eius tentare: nam & ſi homo aliquando ſic tentet hoc agit in quantum eſt miniſter diaboli: Deus autem tentare dicitur, vt ſciat eo modo loquendi, quo dicitur ſcire, quia facit alios ſcire: vnde dicitur Deuter. 13. *Tentat vos Dominus Deus veſter vt palàm ſciat vtrùm diligatis eum.* caro etiā & mundus dicuntur tentare inſtrumentaliter, ſeu materialiter, in quātum ſcilicet poteſt cognoſci qualis ſit homo ex hoc, quod ſequitur, vel repugnat concupiſcentijs carnis, & ex hoc quod contēnit proſpera mundi, & adverſa, quibus etiam diabolus vtitur ad tentandum.

1370 Ex his deducitur concluſio. Si tentare accipiatur pro hoc, quod eſt experimentum ſumere inclinationis hominis ad nocendum ei, & inducendum eum in peccatum, ſic proprium officium eſt diaboli tentare, Prob. nam licet homo tentet vt noceat, & ad peccatum inducat, hoc tamen facit in quantum eſt diaboli miniſter, & eſto caro, & mundus tentent vt noceant, & ad peccatum inducant, hoc tamen faciūt ſolum inſtrumentaliter, & materialiter: nā diabolus etiam vtitur illis ad tentandum: reſtat ergo quod diaboli proprium ſit tentare nocendo, & inducendo ad peccatum: nam actio propriè attribuitur cauſæ principali, non inſtrumento. Hinc diabolus abſolutè, & antonomaſticè *tentator* dicitur, vt pa-

Digitized by Google

patet Math. 4. *Et accedens tentator.* Et 1. Theſſalon. 3. *Ne forte tentet vos is, qui tentat.* Vbi Gloſſa: *Diabolus, cuius eſt officium tentare.* Hinc etiam quia Deus nunquam tentat inducendo ad peccatum, dicitur Iacobi 1. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat.*

1371 Sed inſtas. Nam tentare eſt ignorantis; Dæmones autem ſciunt quid circa homines agatur: non ergo Dæmones tentant. Præterea, tentatio eſt via in peccatum; peccatum autem eſt in voluntate: cum ergo Dæmones non poſsint immutare voluntatem, videtur quod non poſſint tentare.

Ad primam diſt. Min. Dæmones autem ſciunt quid circa homines agitur de his, quæ exterius aguntur circa homines, conc. Min. de his, quæ interius aguntur, nego Min. & Conſ. Itaque Dæmones ſciunt ea, quæ exterius aguntur circa homines, ſed interiorem hominis conditionẽ ſolus Deus novit, qui eſt ſpirituum ponderator, ex qua conditione aliqui ſunt magis proni ad vnũ vitium, quam ad aliud; & ideò diabolus tentat explorando interiorẽ hominis conditionem, vt de illo vitio tentet, ad quod homo magis eſt pronus. Ad ſecundã, conc. præmiſsis, nego Conſeq. nam Dæmon, eſto non poſsit immutare voluntatem, poteſt tamen aliqualiter immutare vires interiores, ex quibus, & ſi voluntas non cogitur, tamen inclinatur.

§. III.

Vtrùm omnia peccata, procedant ex tentatione diaboli?

1372 DVPLICITER Aliquid poteſt dici cauſa alterius: vno modo directè, alio modo indirectè: directè aliquid dicitur cauſa alicuius, quod operatur directè ad illud, indirectè verò, ſicut cum aliquod agens cauſans aliquam diſpoſitionem ad aliquem effectũ dicitur, eſſe occaſionaliter cauſa illius effectus: ſicut ſi dicatur, quod ille, qui ſecat ligna, eſt cauſa combuſtionis eorum. Hoc ſuppoſito reſpondetur ad quæſitum duplici concluſione ſic. Omnia peccata hominum cauſantur a Dæmone indirectè. Prob. nam Dæmon inſtigavit primum hominem ad peccatum, ex quo peccato conſequuta eſt in toto genere humano quædam pronitas ad omnia alia peccata: ergo Dæmon indirectè eſt cauſa omnium peccatorum. Hinc dixit Dionyſius 4. de divinis nominibus quod *multitudo Dæmonum eſt cauſa omnium malorum ſibi, & alijs*, & Damaſcenus dixit, quod *omnis malitia, & omnis immunditia à diabolo excogitata ſunt*, in quantũ Dæmon eſt cauſa indirecta omnium peccatorum modo dicto.

1373 Secunda concluſio. Non omnia peccata hominũ cauſantur à Dæmone directè. Prob. nõ enim omnia peccata committuntur diabolo inſtigante, ſed quædã ex libertate arbitrij, & carnis corruptione, quod habetur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 82. ibi: *Non omnes cogitationes noſtra mala à diabolo excitantur, ſed aliquoties ex noſtri arbitrij motu emergunt.* Dicit etiam Origines lib. 3. Periarchon cap. 2. tom. 4. etiam, *ſi diabolus non eſſet, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, & huiuſmodi circa quæ multa inordinatio contingit, niſi per rationem talis appetitus refrenetur, & maxime ſuppoſita corruptione naturæ*: refrenare autem huiuſmodi appetitum & illum ordinare ſubiacet libero arbitrio: non ergo eſt neceſſarium quod omnia peccata ex diaboli veniant inſtinctu.

1374 Contra hanc ſecundam concluſionem inſto ſic. Sicut Angeli deputantur ad cuſtodiam hominum, ita Dæmones ad impugnationem; ſed omnia bona, quæ facimus ex ſuggeſtione bonorum Angelorum procedunt, quia divina ad nos mediantibus Angelis perferuntur: ergo & omnia mala, quæ agimus proveniunt ex ſuggeſtione diaboli. Ad hoc, reſp. D. Thom. ſic: *Dicendum, quod homo poteſt per ſe ipſum ruere in peccatum, ſed ad meritum proficere non poteſt niſi auxilio divino, quod homini exhibetur mediante miniſterio Angelorum, & ideo ad omnia bona noſtra cooperantur Angeli, non tamen omnia noſtra peccata proveniunt ex Dæmonum ſuggeſtione: quamvis nullum genus peccati ſit, quod non interdum ex Dæmonum ſuggeſtione proveniat.* Sic D. Thom. In qua ſolutione magnam habent difficultatem illa verba, *& ideo ad omnia bona opera noſtra cooperantur Angeli.* Hæc enim propoſitio non videtur vera, quia multæ inſpirationes fiunt in nobis immediatè à Spiritu Sancto abſque Angelorum miniſterio: falſa eſt ergo præfata propoſitio.

1375 Reſp. Bañez quod D. Thom. non intendit aſſerere illam vniverſalem, nempe quod ad omnes actiones noſtras cõcurrat

currat Angelus ſuo miniſterio, ſed intendit negare Conſ. argumenti, & oſtendere quod non eſt eadem ratio de concurſu Dæmonis ad omnia peccata, & de concurſu Angeli ad omnia opera bona, quaſi dicat; etiam ſi Angelus cuſtos concurrat ad omnia opera bona, non ſequitur, quod Dæmon directè cõcurrat ad omnia opera noſtra mala: propter rationem diſcriminis aſsignatam, quia nempe homo poteſt à ſe ruere in peccatum, ſed proficere ad meritum non poteſt, niſi auxilio divino, quod exhibetur à Deo mediantibus Angelis. Secundo reſp. quod poteſt conſiderari quidam concurſus Angeli univerſalis ad omnia opera noſtra etiam interiora, ſcilicet moralis concurſus deſiderij, & orationis; deſiderat enim Angelus cuſtos omnia, quæ ad profectum ſalutarem animæ conducunt: cæterum in particulari plurimi inſtinctus ſunt in nobis à Spiritu Sancto ſine concurſu Angelico.

Ex his duabus ſolutionibus exiſtimo primam non eſſe ad mentem D. Tho. nam hic illam propoſitionem univerſalem, *& ideo ad omnia opera noſtra cooperantur Angeli*, infert ex hoc diſcurſu: *Homo ad meritum proficere non poteſt niſi auxilio divino, quod homini exhibetur miniſterio Angelorum*. quæ propoſitio eſt indefinita æquivalens univerſali, alias non inferret iſtam: *Et ideo ad omnia bona opera noſtra cooperantur Angeli*: non ergo huic propoſitioni dat tranſeat, ſed illam ut veram defendit. Secundo ſi illa propoſitio non profertur à D. Thom. ut univerſaliter vera, quia, ut inquit Bañez in multis homo à ſolo Spiritu Sancto regitur ſine miniſterio Angelorum, argumentum factum non ſolvitur: nam diſparitas eſt, *quia homo poteſt à ſe ſolo ruere in peccatum, non autem poteſt proficere ad meritum niſi auxilio divino, quod exhibetur à Deo Angelorum miniſterio, & ideo, &c.* at hæc diſparitas nulla eſt, ſi illa propoſitio non ſit univerſaliter vera: ergo. Prob. Min. nam ſicut homo poteſt ruere à ſe ipſo, & de facto multoties ruit in peccatum, ita ad bonum proficere poteſt, & de facto multoties proficit auxilio à ſolo Deo collato, & excluſo omni miniſterio Angelorum: ergo non eſt diſcrimen inter opera bona noſtra quoad hoc quod eſt procedere, vel non procedere omnia ab Angelo, & opera noſtra mala procedere, vel non procedere omnia à Diabolo. Nam ſicut ex hoc quod homo à ſe ruat in peccatum, infertur, quod non omnia peccata ſunt à Dæmone, ita ex hoc quod homo ad bonum iuvatur à ſolo Deo ſecluſo miniſterio Angelorum, convincitur, quod non omnia bona opera noſtra ſint ab Angelo. Tandem, nam vis argumenti ſtabat in illa Min. ſcilicet, *ſed omnia bona noſtra ſunt ab Angelo*: nam ex illa inferebatur: *ergo omnia peccata ſunt à Dæmone*: ergo faciliſſime ſolveret argumentum, neg. Min. ſi quidem ipſe ſentiret eſſe falſum: nõ autem negat, ſed concedit, imò & probat: ſentit ergo illam eſſe univerſaliter veram.

1376 Secunda ſolutio magis arridet. Nam eſto multæ bonæ cogitationes à Deo ſint ſine miniſterio Angelorũ, tamen orationibus Angelicis procurantur, quod docet S. Thom. ſupra quæſt. 111. artic. 1. ad 2. ibi: *Sed bonæ cogitationes attribuuntur altiori principio ſcilicet Deo, ſed Angelorum miniſterio procurantur*. Unde in forma ad inſtantiam; nego Ant. Ad Prob. multæ cogitationes bonæ fiunt in nobis immediatè à Spiritu Sancto; diſt. Antec. ſi ly *immediatè* excludat ſuggeſtionem Angeli, nego Antec. & Conſeq. Etenim eſto veriſsimum ſit multa bona ſuggerere nobis Spiritum Sanctum per ſemetipſum, & non per Angelum immediatè ſuggerentem, tamen nunquam ſic ſuggerit Spiritus Sanctus, quin præfata ſuggeſtio ſit nobis Angelorum miniſterio procurata: unde ad omnia bona opera noſtra ſemper cooperatur bonus Angelus. Poteſtque iuvari hæc doctrina ex his, quæ docet D. Thom. hic quæſt. 113. art. 1. ad 2. ibi: *Dicendum, quod ad bonum operandum duo requiruntur, primo quidem, quod affectus inclinetur ad bonum, quod quidem fit in nobis per habitum virtutis moralis: ſecundo autem, quod ratio inveniat bonas vias ad perficiendum bonum virtutis. Quod quidem Philoſophus attribuit prudentiæ: quantum ergo ad primum Deus immediatè cuſtodit hominem infundendo ei gratiam & virtutes: quantum autem ad ſecundum, Deus cuſtodit hominem ſicut univerſalis inſtructor, cuius inſtructio ad hominem pervenit mediantibus Angelis*. Ex quibus infero, eſt ergo ordo circa inſtructionem hominis ad bonum inter Deum, & Angelos penes rationem univerſalis inſtructoris, & particularis: at iſte ordo prætermitti non debet ſaltem regulariter: nam talis prætermiſsio eò contingeret, ut homo in fide cõſervaretur, ſeu confirmaretur, ſicut contingit, quod Deus aliquando ſine cõcurſu cauſarum creatarum miraculum operatur, ut hominem in fide confirmet; homo autem cum hanc prætermiſsionem non cognoſ-

ce-

ceret, In fide non robboraretur: ergo instruendo hominem ad bonum Deus ſemper ſe habet, vt cauſa vniverſalis, & Angelus vt particularis: igitur nunquam dirigitur homo à Deo ad bonum niſi media Angelica operatione.

§. IV.

Vtrùm Dæmones poſſint vera miracula facere ad ſeducendum?

1377 SI miracula proprie accipiantur, Dæmones miracula facere non poſſunt, nec aliqua creatura, ſed ſolus Deus. Prob. miraculum proprie dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, ſub quo ordine continetur omnis virtus creata: non ergo aliqua creatura miracula facere poteſt. Si autem miraculum large accipiatur pro eo quod excedit humanam facultatem, & operationem, ſic Dæmones miracula facere poſſunt. Prob. nam virtus innata Dæmonum longe ſuperat vires, & facultates noſtras, tàm factivas, quàm intellectivas: ergo poſſunt operari aliqua, quæ, quia noſtras vires ſuperant, miracula videantur. Etenim ſi quando vnus homo operatur aliquod magnum, quod eſt ſupra facultatem, & cognitionem alterius, illum ducit in admirationem ſui operis, quare non Dæmones operantes aliqua, quæ ſuperant facultatem, & cognitionem totius naturæ humanæ, non dicentur homines ducere in admirationem ſui operis? Ex his deduces reſolutionem huius quæſiti, nempe, non poſſunt Dæmones veris miraculis homines ſeducere; poſſunt tamen apparentibus miraculis ſeducere eos. Prima pars patet, nã vt vidimus, Dæmones vera miracula facere non poſſunt: ergo veris miraculis homines ſeducere nequeunt. Secunda pars, Prob. nam poſſunt facere opera ſic mira, & rara, quod homines iudicent ea eſſe miracula: ergo poterunt apparentibus miraculis homines ſeducere.

Hinc tamen advertas cum D. Thom. quod quamvis illa mira opera, quæ Dæmones aliquando faciunt, verà miracula non ſint, tamen non ſemper phantaſtica entia ſunt, ſed veræ res ſunt aliquando: nam per ſubitam applicationem activorum verorũ ad paſſiva fiunt: vnde Magi Pharaonis virtute Dæmonum veras ranas, & veros effecere ſerpentes, & quando ignis de cœlo cecidit, & familiam Iob cum gregibus pecorum vno impetu conſumpſit, & turbo domum deijciens, filios eius occidit, quæ opera fuere Sathanæ, phantaſtica non fuere, ſed vera.

1378 Sed inſtas. Si virtute Dæmonis Magi Pharaonis veros effecere ſerpentes, & veras ranas abſque veritate miraculi: ergo multo magis Moyſes virtute Dei abſque miraculo veros effecit ſerpentes, & veras ranas: vnde ergo colligetur Moyſem dum hæc fecit, vera effeciſſe miracula? Secundo. Si Magi veros effecere ſerpentes, & veras ranas ex virgis: ergo Moyſes ſimiliter ſerpentem faciendo ex virgis, vel ex virga ranas producendo, non fecit vera miracula. Prob. Conſ. nam ad veritatem miraculi requiritur quod ſuper virtutem totius naturæ creatæ ſit; factũ autẽ Moyſi non ſuperavit, ſiquidem virtute Dæmonis hoc ipſum effecere Magi Pharaonis: non ergo Moyſes illa faciendo vera effecit miracula. Reſpondeo, quod quia ſcriptum conſtat Moyſem virtute Dei, & in teſtimonium huius veritatis, nempe, quod miſſus eſſet à Deo ad Pharaonem ad liberandum populum, virgam in ſerpentes, & alia mira operatus eſt, conſtat quoque, quod eadem faciendo vera miracula effecerit; alias in confirmationẽ, & teſtimonium veritatis aſſerere deberemus Deum tantum apparenter, & quoad nos miracula facere, quod tolerandum non eſt. Quomodo autem hoc factum ſit, adverto, quod vna met res poteſt non eſſe miraculum ex parte rei factæ, & tamen eſſe miraculum ex parte modi faciendi illam. Etenim veri ſerpentes poſſunt fieri per hoc, quod faciens vere tranſmutet materiam corporalẽ effectivè de forma virgæ in formam ſerpentũ, & ſic facere de virga ſerpentes ſoli Deo miraculosè operanti poteſt cõvenire, quia illi ſoli materia corporalis obedit ad nutum: poſſunt etiam ſerpentes fieri per hoc, quod faciens adhibeat quædam ſemina, quæ in elementis mundi inveniuntur ad huiuſmodi effectus complendos, vt Auguſtinus dicit 3. de Trinit. cap. 8. tom. 3. hæc autem ſolum ſunt ea, quæ deſervire poſſunt ad faciendum ea, quæ ex putrefactione fiunt, qualia ſunt ſerpentes, ranæ, & huiuſmodi: hoc ergo ſecundo modo Magi fecerũt ſerpẽtes, & ranas; vnde eas ſic operando vera miracula non ſunt operati, ſed tantum apparentia, eſto veros ſerpentes, & veras ranas effecerint: vnde ad primam in forma, nego Conſ. nam cum Moyſes virtute Dei, & in confirmationem veritatis divinæ

vinæ prædicta efformaverit, credendum eſt, illa efformaſſe primo modo, id eſt, verè tranſmutando immediatè virgam in ſerpentem, non ſecundo modo, id eſt, tantum adhibendo ſemina, quæ reperiuntur in elementis mundi, ex quibus naturaliter ſerpentes generantur.

Ad ſecundam, nego Conſeq. Ad prob. diſt. Mai. ad verum miraculum requiritur, quod ſuperet vires totius naturæ creatæ, vel ex parte rei factæ, vel ex parte modi faciendi, conc. Mai. ſolum ex parte facti, nego Maiorem, & ad Min. dico, quod ſerpentes facti à Magis ex parte rei factæ non ſuperati ſunt à ſerpentibus, quos fecit Moyſes, bene verò ex parte modi faciendi, quia facti ſunt à Moyſe per puram obedientiam materiæ corporalis ad Deum in tranſmutatione de vna forma in aliam: ſerpentes autem facti ſunt per applicationem inſtantaneam ſeminalium virtutum, in quibus naturaliter præcontinebantur: vnde in illis efficiendis verum miraculum effecit Moyſes, non vero Magi.

1379 Hic quæri poteſt, an homines ſeducti per miracula Dæmonis arte facta recedentes ab auctoritate Eccleſiæ, & à vera virtute excuſari poſsint? Et ratio dubitandi pro parte affirmativa eſt, quia cum præfata miracula, eſto vera miracula non ſint, tamen vera appareant ſic, quod ſuperent totam facultatem humanam factivam, & cognoſcitivam, prudēter quis poterit iudicare ea vera eſſe miracula: miracula autem vera non fiunt niſi in confirmationem veritatis: ergo iudicare prudenter poterunt, verum eſſe id, quod talibus miraculis confirmatur: ergo ſic prudenter credentes excuſari poterunt, dum ſeducti ab auctoritate Eccleſiæ recedunt.

Reſp. non excuſari, nam Paulus monet 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id, quod poteſtis*: ergo non continget tentatio ſic efficax cōtra fidem, vel bonos mores, quod eam homo ſuperare non poſsit: ergo cum alias debeat, ſi ſuccumbat, non excuſabitur. Secundo, nam iam ſumus moniti à Chriſto de his: ſi quidem Marci 3. Chriſtus circa iſta nos cautos eſſe voluit, dum dixit, *exurgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos*: ergo iam habemus ſcientiam de eo quod ad ſeducendum nos fient ſigna, & portenta: tenemur ergo illis non credere: vnde ſi propter illa fidem relinquamus, vel à bonis moribus diſtrahamur, non excuſabimur. Quid ergo agere oportet, vt his non ſeducamus? Monet Auguſtinus lib. 8. de Civitat. Dei, dicens: *Quod tunc maximè inſiſtendum eſt fidei, qua per charitatem operamus, inſiſtendum virtuti, & fugiendum à vitijs, advertendo quod maiora ſigna illis, quæ proponentur, facta ſunt in confirmationem Angelicæ doctrinæ, nam ſi hoc non fecerimus, de facili ſeducemur: dixit enim Paulus Thimotheo, 1. ad Thimotheum 4. hoc præceptum commendo tibi Fili Thimotee ſecundum præcedentes in te prophetias, vt milites in eis bonā militiam habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.*

§. V.

Vtrùm Dæmon, qui ſuperatur ab aliquo, propter hoc ab impugnatione arceatur?

1380 QVIDAM Dixerunt, quod Dæmon ſuperatus nullū hominem poteſt deinceps tentare, nec de eodem, nec de alio peccato. Alij dicunt, quod poteſt alios tentare, ſed non eundem, *quod* (inquit Div. Thom.) *probabiliter dicitur, ſi tamen intelligatur vſque ad aliquod tempus.* Quod probat ex illo Lucæ 4. vbi dicitur: *Quod conſummata omni tentatione diabolus receſsit à Chriſto vſque ad tempus.* Huius duplex aſſignatur ratio. Vna ex parte divinæ clementiæ, quia vt Chriſoſt. dicit ſuper Math. in opere imperfecto homil. 5. ſuper illud: *Vade retro Sathana, non tandiù homines diabolus tentat, quantum vult, ſed quantum Deus permittit, quia etſi permittat paulisper tentare, tamen repellit propter infirmam naturam.* Alia ratio ſumitur ex aſtutia diaboli: vnde Ambroſius in 4. caput Lucæ ad illud: *Et reliquit eum diabolus*, dicit, *quod diabolus inſtare formidat, quia frequentius refugit triumphari.* Quod autem aliquando redeat ad eum, quem dimiſsit, patet ex illo Math. 12. *Revertar in domum meam vnde exivi.*

Aliam opinionem refert, & ſequitur D. Thom. in 2. diſt. 6. quæſt. 2. articul. 5. ibi: *Alij vero dicunt, quod ex quo aliquis perfectè de vno vitio Dæmonem tentantem vin-*

cit,

eit, nec poteſt de eodem vitio ab eo tentari, ſed de alio poteſt: alios autem tentare poteſt & de eodem vitio, & de alio. De qua opinione dicit: *Hae autem opinio habet cauſam magis manifeſtam, quia iſte dicitur diabolus vincere de aliquo vitio, in quo omnino vincuntur paſsiones ad vitium illud inclinantes, ſicut eſt in illis, in quibus adquiritur habitus virtutis conſuetudinabilis, & tunc non remanet magna pronitas ad peccatum illud, & ideò à Diabolo non tentatur de hoc peccato, qui vires eius cognoſcit.* Concludit tamen Div. Thom: corpus articuli; dicens: *Quid tamen horum verum ſit, ignotum eſt, quia nec ratione, nec authoritate multum confirmari poteſt.* Concludimus & nos tractatus ſuper primam partem D. Thom. quos, & noſmetipſos Deo Opt. Max. conſecra. cramus, cuius gloriam volumus, & eius quem miſsit Ieſum Chriſtum, cuius redemptionem credimus, cuius gloriam operamus.

(·?·)

Finis operis ſuper totam primam partem D. Thom.

IN

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

In hoc opere N. tantum deſignat numerum marginalem.

A

ABSTRACTIO.

Eſt Multiplex, alia ſecundum explicitum præciſè, alia ſecundum implicitum, & explicitum, num. 124.
Eſſentia Divina abſtrahit à relationibus præciſè ſecundum explicitum, n. 161.

ACTIO.

Eſtò actio tranſiens productiva termini ſit propter terminum productum; non tamen actio immanens productiva, n. 211
Diſcrimen inter vtramque actionem quantum ad hoc aſsignatur. Ibid.
Actio intellectus agentis nō eſt intellectio, eſto ſit productiva ſpeciei; actio vero productiva Verbi eſt vera intellectio; quia eſt mentalis loquutio, n. 22.
Actio immanens ex proprio conceptu nullam dicit imperfectionem, n. 32.
Actio productiva termini nō eſt neceſſariū quod exiſtentiam producat, ſed ſufficit, quod exiſtentiam communicet, n. 141.
Actiones intellectuales ſunt in duplici differentia: aliæ intra intellectū manent etiā productivè, aliæ terminum ad extra producunt, & ſunt virtualiter tranſeuntes; & iſtæ determinant ſibi locum, n. 1298.

ACTUS.

Actus notionales ſunt attribuendi perſonis; num. 434.
Actus notionalis ſecundum id, quod addit ad actum eſſentialem, non eſt quid diſtinctum à relatione, n. 438.
Qualiter actus notionales ſint dicendi voluntarij, exponitur, n. 439.

ACCIDENS.

Poteſt Deus efficere accidēs extra ſubiectū; nō tamē ſine ordine ad ſubiectū, n. 593.
Accidens extra ſubiectum poteſt propriè creari. Ibid.
Poteſt Deus communicare accidenti modū ſubſiſtendi per ſe. Ibidem.
In illa hypotheſi, accidenti non conveniret eſſe per ſe ſicut ſubſtātiæ, & quare n. 594.
Eſto divinitus poſsit cōmunicari accidenti eſſe per ſe, nec divinitus poteſt communicari ſubſtantiæ eſſe in alio. Ibid.

ACTIO DEI.

Actio Dei creativa poteſt conſiderari ſecūdum triplicē reſpectū, primus eſt ad terminum *ad quem*, & ſic eſt influxus agentis, ſecundus eſt ad ipſum agens, tertius ad terminum *à quo*, num. 553.
Statuitur diſcrimen inter actionem Dei, & agentis creati. Ibid.
Actio Dei eſt vltima actualitas operationis divinæ cum reſpectu rationis, ſecundum quod infert effectum in tempore, n. 554.
Si Deus ab æterno eſt coniunctus cum ſua actione creativa, cur non denominatur ab æterno creans. Reijcitur M. S. Thom. & expoſitio vera traditur. Ibid.
Cum Deus agat per actus intellectus, & voluntatis, iſti, in quantum immanentes ſunt, conveniunt Deo ab æterno, in quātum vero virtualiter tranſeuntes, & ve inferunt effectus ad extra, ab æterno non conveniunt. Ibidem.
Actionem æternā eſſe in tempore virtualiter tranſeuntem non ponit in Deo aliquā actionem in tempore, ſed ſolū dicit actionem æternam connotantem effectum in tempore, n. 554.

ANGELUS.

Dantur Angeli in rerum natura, & eorum exiſtētia ratione D. Th. oſtēditur, n. 640.
Plurimæ inſtantiæ contra illam fieri ſolitæ ſolvuntur, n. 641.
Non ſunt compoſiti ex forma, & materia eiuſdem rationis cum noſtra, n. 647.
Materia purè ſpiritualis, nec datur in Angelis, nec poſsibilis eſt ex terminis. Late à num. 654.

Angeli ſunt in aliquo magno numero, & optima congruētia oſtendit D.Th. excedere numerū rerum materialiū, n.662.
Individua Angelorū ſunt plura, quā individua ſpecierum materialium, n.664.
Angelica multitudo ſuperat multitudinem omnium hominum, n.666.
Ponere multiplicationē numericam Angelorum intra eandē ſpeciem, ex eo quod ex natura ſua ordinantur ad corpora, vel per modū cuſtodum, vel per modū motorum eſt falſiſsima poſitio, n.668.
Nec multiplicatio numerica intra eandem ſpeciem poteſt oriri ex eo, quod per eandē ſpeciē æquè vniverſalē in repræſentando alter altero perfectius cognoſcat. Latè num.672.
Iuxta mentem D.Th. non poteſt defenſari multiplicatio Angelorum intra eandem ſpeciem athomam, n.676.
Angeli naturaliter non poſſunt multiplicari intra eandem ſpeciem, n.680.
Nec de potentia abſoluta poſſunt intra eādem ſpeciem multiplicari, n.688.
Ex vi ſecundæ rationis D. Th. admittentis in Angelis materiā ſpiritualē non cōvincitur eſſe impoſsibiles duos Angelos intra eandē ſpeciē divinitus. Latè, n.699.
Cum doctrina de immultiplicabilitate Angelorū intra eandē ſpeciem, rectè cōponitur naturā Angelicā eſſe ſpeciē prædicabilem, latè, & ſubtiliter, à n.705.
Licet Angeli nō poſsint corrumpi corruptione ſimpliciter tali, bene tamen ſecundum quid, n.717.
Angelus ex natura ſua eſt immortalis, & incorruptibilis, n.718.
Non poſſunt ſibi Angeli aſſumere corpus in vnitatem perſonæ, n.727.
Si Angeli ſibi aſſumāt corpora, vide verbo. *Corpus*. Si ſint in loco, & quomodo, vide verbo *Locus*. De Angelorum motu, vide verbo *Motus*, de intelligere Angelico verbo *Intelligere*. De medio cognitionis, verbo *Species impreſſa*. De obiecto cognitionis Angelicæ, vide verbo *Obiectum*.

ANIMA.

Si Anima rationalis eſſet actus purus non poſſunt in illa diſtingui plures gradus metaphyſici, n.223.
Anima, vel Angelus nō exigunt ad ſui productionē concurſum trium perſonarū adhuc per modū cauſæ exemplaris, n.215.
Solo lumine naturali nequit cognoſci, quod anima ſit imago Trinitatis. Ibid.
Quamvis anima Chriſti nō ſubſiſtat per ſe, ſed in alio, poteſt terminare creationē, num.590.
Qualiter animæ rationali conveniat per ſe ſubſiſtere, dum vnitur corpori. Ibid.
Animæ rationales eſto formæ ſpirituales ſint, purà incompletæ, ad multiplicationem materiæ, per quantitatem diviſæ, multiplicantur, n.684.

ANTICHRISTVS.

Habiturus eſt Angelum cuſtodem, n.1347.
Idē dicendū de præſcitis, & infidelibus. Ibi.
Angelū cuſtodē Antichriſti nō perſeveraturū in cuſtodia ab ortu nativitatis vſque ad mortē, quidā falſo attribuūt D.T. ib.
Angelicam cuſtodiā non eſſe ſubtrahendā ab Antichriſto, tamen poſtquam incipiet malitia vti, nullum effectum cuſtodiæ in eum exercebit Angelus, eo obſtinato, alij autumant, & reijciuntur. Ibid.
Antichriſtum, dum ſe verum Deum appellat, penitus deſerendum ab Angelo ſancto, alij iudicant, n.1343.
Antichriſtus, eſto nunquam convertatur ad bonū, tamen Angelus eius exhortationibus curabit illum inducere, n.1344.

ADAM.

Productio Ævæ ex coſtā Adæ generatio nō fuit, eſto fuerit vivens, & quare? n.34.

ARRIVS.

Arrius, & Sabellius fide errantes in proceſſionibus divinis reijciuntur, n.5.

B

BONVM.

PERFECTVM propriè, & ſpecialiter loquendo coincidit cum bono, non tamen perfectum ſecundum quod dicit integritatem, n.169.
Relationes divinæ, nec gaudent relativa bonitate, nec perfectione relativa, n.170.
Iuxta mentem Auguſtini in Deo non dantur tres boni ſubſtantivè. Ibid.

C

CHRISTVS DOMINVS.

COnfortatus ab Angelo fuit, non aliquid ei imprimendo, ſed per modum miniſterij, in quantum congratulabatur fortitudini eius, n.1340.
Chriſtus habuit Angelum ſibi miniſtrantē, vt inferiorem, non tamen habuit Angelum cuſtodem, vt ſuperiorem, n.1334.
Angelus, nec ſuperioritatem potuit habere reſpectu Chriſti, nec illuminationē exercere, & ideo non potuit cuſtodire. Ibid.

Digitized by Google

Natura humana Chriſti abſtractivè à ſuppoſito inferior eſt Angelis, concretivè propter vnionem ad illud ſuperior eſt illis, num. 1336.

Quamvis Angeli intelligant per vniverſaliores ſpecies quàm Chriſtus, non potuerunt Chriſtum illuminare, quia ſpecies Chriſti erant clariores, & ſic nihil cognoverunt, quod perfectiori modo non cognoverit Chriſtus. Ibid.

Quamvis Chriſtus non habuerit cuſtodiam Angelicam, habuit cuſtodiam humanam Ioſephi, & Mariæ. Potuit abſque inconvenienti cuſtodiri à Parentibus, non tamen ab Angelis, n. 1337.

Neque Angelus cuſtos ſpeciei humanæ, & ſuorum individuorum ſecundum quod partes ſpeciei, Chriſtum cuſtodivit, quia etſi eſſet eiuſdem naturæ cum alijs, non tamen eiuſdem ſuppoſiti, n. 1338.

Chriſtus, an ſit Princeps humanæ Hierarchiæ? An membrum coordinatum in illa? reſolvitur, n. 1268.

Dum dicitur mortē Chriſti operatam eſſe miracula, nō debet intelligi de ipſa morte in ſe ipſa, ſed de humanitate per mortem, num. 611.

CONSTITVTIVVM.

In divinis perſonis vere dantur proprietates, quibus ipſæ conſtituuntur, & diſtinguuntur, n. 397.

Perſonæ divinæ non conſtituuntur per modus abſolutus, n. 402.

Conſtitutivum divinarum perſonarum aliquid relativum eſt, n. 409.

Origenes excluduntur à conſtitutione divinarum perſonarum, n. 414.

Etiā ſi natura divina conſtituatur per actualem intellectionem perſonæ divinæ conſtitui non poſſunt per Origines. Ibid.

Relatio Paternitatis vt concepta nō conſtituit perſonā Patris contra Caiet. n. 422.

Relatio per modum actus primi perſonam non conſtituit, n. 423.

Ratio innaſcibilitatis, & fœcunditatis ad generandum non eſt Patris æterni conſtitutivum, n. 424.

Relatio ſecundum quod forma hypoſtatica eſt perſonam conſtituit, n. 426.

Antecedenter ad generationem antecedentia ſola noſtri modi intelligendi intelligitur ratio Patris ſubſtantivè, licet non relativè, ſubtilis doctrina, n. 427.

CORPVS.

Non poſſunt Angeli aſſumere ſibi corpora in vnitatem perſonæ, n. 727.

Angeli dum aſſumunt corpora, taliter illa aſſumunt, quod per corpora repræſentantur, n. 730.

Aſſumptio corporum in Angelis ſtat in eo quod corpori vniuntur, non per modum formæ, ſed per modum motoris, n. 731.

Quando Angeli aſſumunt corpora, illa non efformant ex nihilo, aut ex materia cœleſti, ſed ex aere, aut ex alia materia, quę facilitèr inſpiſſatur, n. 733.

Sed qua virtute id faciat Angelus? reſolvitur n. 734.

Figura corporum aſſumptorum convenit eis verè, & realiter, n. 735.

In apparitionibus veteris teſtamenti, in quibus legitur Deum apparuiſſe, vel loquutum fuiſſe hominibus, Angelos vere aſſumpſiſſe illa corpora, & nō Deū, n. 736.

Angeli in corporibus aſſumptis nullū opus vitæ exercere poſſunt, n. 737.

COMPOSITIO.

Non omnis compoſitio fit ex partibus vnitis per modum potentiæ, & actus, n. 116.

Si Paternitas, & eſſe Pater realiter formaliter differunt, facerent verā compoſitionem actus, & potentiæ. Ibid.

In Deo non ſunt diverſi gradus metaphyſici facientes metaphyſicam compoſitionem, n. 122. latè.

CONCEPTVS.

Duplicem conceptum poſſumus formare de aliqua re, alterum perfectum, & adæquatum rei vt eſt in ſe, alterum imperfectum, & inadæquatum, n. 120.

In conceptu imperfecto, & inadæquato naturæ divinæ actu clauduntur relationes, quamvis non exprimantur, n. 121.

CREATVRA.

Creatura non dependet à Deo per reſpectū prædicamentalem, quem dicit ad Deū, ſed per reſpectū tranſcendentalē cū creatura identificatum, n. 561.

Relatio prædicamentalis, qua creatura refertur ad Deum eſt ſeparabilis à creatura. Ibidem.

Relatio tranſcendentalis, qua creatura dependet à Deo non eſt ad Deum. Ibid.

Deus non conſtituitur terminans relationē prædicamentalē creaturæ per relationē creaturæ extrinſecè denominantē Deū, num. 562.

Quod Deus terminet relationē prædicamē talem creaturæ ad ipſum per reſpectū rationis à nobis fictū, multi tenent. Ibid.

Relatio tranſcendentalis, qua creatura dependet à Deo, non eſt accidens creaturæ,

Digitized by Google

ſed ipſa eius ſubſtantia, n. 562.
Quamvis creatura, quæ eſt ſubſtantia, non poſsit ſpecificari ab aliquo extrinſeco, poteſt tamen ab aliquo extrinſeco dependere, num. 563.
Licet repugnet dari creaturam ſine creatione activa, quæ ipſam antecedit, non repugnat dari creaturam ſine creatione, quæ ad illam conſequitur. Ibid.

COELVM.

Cœlum Empyreum pertinet ad dignitatem Angeli ſecundum congruentiam quandam; tamen quod acto non ſit in cœlo Empyreo nihil eius dignitati ſubſtrahit, num. 1299.
Etſi Angeli cœlum Empyreum relinquant quando ad nos veniunt, gloria eorum non minuitur; quia conſiderant locum illum eſſe ſuum, eo modo, quo dicimus honorem Epiſcopi non minui, dum actu non ſedet in Cathedra. Ibid.
Cœlum Empyreum non dat dignitatem Angelo, ſed potius Angelus cœlo. Ibid.
Cœlum in principio rerum fuit factum per creationem, n. 580.
Cœli de facto non ſunt producti ex vi duplicis actionis, quarum altera terminetur ad materiam, & altera ad formam, num. 581.

CREATIO.

Strictè ſumptam eſſe productionem totius entis ex nihilo, rectè oſtendit D. Thom. num. 533.
De fide eſt Deum hunc mundum creaſſe illum producendo ex nihilo. Ibid.
Ratione naturali poteſt oſtendi Deum poſſe creare producendo aliquid ex nihilo, num. 537.
Creatio activè ſumpta pro actione Dei non eſt mutatio, nec paſsivè ſumpta, prout ſe tenet ex parte rei creatæ, n. 550.
Creatio prout ſe tenet activè ex parte Dei nihil aliud eſt, quam ipſa vltima actualitas actionis divinæ ſecundum quod relatione rationis refertur ad effectum in tempore, n. 553.
Creatio prout ſe tenet ex parte creaturæ non eſt niſi ipſamet creatura, non aliquod medium inter Deum, & ipſam, & ſic tantum eſt novitas termini cum relatione dependentiæ à Deo ad ipſam cõſequuta, n. 555.
Creari propriè ſolum convenit ſubſiſtentibus ſive ſimplicia ſint, ſive compoſita, num. 564.
Gratia nec creatur, nec concreatur etiam cũ Angelis primo collata fuit, n. 568.
Compoſita ſunt apta creari, n. 579.
Eſto materia prima poſsit fieri ſine creatione, naturaliter per creationem fit, licet non propriè creetur, n. 587.
Accidens extra ſubiectum poteſt propriè creari, n. 593.
Vis principaliter creativa nulli creaturæ poteſt communicari, n. 596.
Nulla creatura poteſt aſſumi vt inſtrumentum ad creandum, n. 604.
Creare non eſt proprium alicuius perſonæ, ſed toti Trinitati commune, n. 615.

CONFIRMATIO.

Cõfirmati in gratia etſi peccare nõ poſsint; poſſunt tamen proficere; & eorum profectus poteſt impediri, & propter hoc indigent cuſtodia Angelorum, n. 1339.

CVSTODIA ANGELORVM.

Homines cuſtodiuntur ab Angelis, n. 1312.
Aliquæ obiectiones, quibus impugnatur cuſtodia ſolvuntur, n. 1313.
In cuſtodia Angelus movet voluntatem cuſtoditi ex parte obiecti, alliciendo ſuaviter ad bonum. Ibid.
Eſto Angelus ſit inviſibilis, hominem tamen ſenſibiliter interius, & exterius cuſtodit. Ibidem.
Etiam ſi homo eſſet creatus in pura natura haberet Angelum cuſtodem iuxta Div. Thom. n. 1314.
Cuſtodia Angelorum quoad ſubſtantiam nihil habet ſupernaturalitatis, ſed ad providentiam naturalem ſpectat, quoad modum autem ſub quo de facto inſtituta eſt, ſuppoſita hominũ ordinatione ad gloriã, eſt terminativè ſupernaturalis, n. 1315.
Adhuc fide non exiſtente convinceretur cuſtodia ex principijs naturalibus. Ibid.
Homines non cuſtodiuntur à Deo immediatè, ſed mediantibus Angelis, n. 1316.
Perditio cuſtoditi non ſemper reducitur in defectum cuſtodientis, n. 1317.
Singuli homines à ſingulis Angelis cuſtodiuntur, n. 1318.
Hoc adeò certum eſt, vt abſque temeritate nequeat negari, n. 1319.
An autẽ hoc ſit de fide? reſolvitur, n. 1320. & ſequentibus.
Vnus Angelus ſufficit ad cuſtodiam multorum hominum ſecundum quod partes ſunt communitatis, non autem ſecundum quod perſonæ particulares ſunt. num. 1322.

An-

Angelus cuſtodiens communitatem ſolum cuſtodit, individua illius ſecundùm quod communicant in aliquibus actionibus, non tamen ſecundum quod primo diverſa ſunt, n.1323.

Cuſtodire hunc, vel illum individuum non convenit Angelis ex principijs individualibus, aut naturalibus ſuis, n.1328.

Notatur quædam falſiſsima exiſtimatio. P. Eſparza. Ibid.

Cuſtodia Angelorum dicit ſuperioritatem, & illuminationem in ſubiecto capaci, non tamen in omni cuſtodito, n.1335.

Cuſtodia particularis hominum pertinet ad Angelos, cuſtodia univerſalis multitudinis ſecundum diverſos ordines humanæ multitudinis ad Principatus, vel Archangelos, ſuper omnes naturas corporeas ad Virtutes, ſuper Dæmones ad Poteſtates, ſuper bonos ſpiritus ad Principatus, n.1330.

D

DEVS.

DEVS eſſens à ſe, hoc eſt incauſatum, & independens, non ens à ſe per excluſionem eſſendi ab alio tanquam à principio per veram actionem, n.3.

In Deo non ſolum formalitas eſſendi eſt divina, ſed etiam formalitas relationis, num.108.

In Deo ſicuti non datur, niſi una ſimplex realitas realiter, nec datur, niſi una ſimplex formalitas realiter. Ibid.

Deus eſto ſit una ſimplex formalitas ſumma; eſt tamen multiplex virtualiter, num.1131.

Multiplicitas iſta virtualis eſt ſufficiens fundamentum, ut diverſos conceptus formemus de Deo pro hoc ſtatu, & diverſis diffinitionibus, & oppoſitis prædicationibus exprimamus divinum eſſe. Ibid.

Repugnat Deo ſimplicitas excludens omnem diſtinctionem virtualem, n.116.

In Deo ſive exprimatur natura, ſive exprimatur relatio, ſemper tamen ſignificatur aliquid divinum, quod formaliter eſt idem cum omni perfectione divina, num.121.

Eſſe in potentia ad aliquam perfectionem eſt imperfectio non ſolum orta ex noſtro modo concipiendi, ſed ex parte ipſius rei conceptæ, n.223.

Deum eſſe ens per eſſentiam non eſt, quod ens ſit de eſſentia Dei, ſed quod Deus ſit ſuum eſſe ſubſiſtens in ipſa plenitudine eſſendi, n.535.

DVRATIO.

Angelos eſſe perpetuò duraturos eſt veritas fidei, n.717.

Poteſt admitti Angelos ex natura ſua petere infinitam durationem à parte poſt, ex eo, quod præcontinent totam perfectionem ſuæ ſpeciei, & in hoc genere habent quendam modum infinitatis, n.722.

Melius dicitur non exigere infinitam durationem, ut à ſe activè radicandam, ſed ut à Deo activè cauſandam, & eſt doctrina D.Thom. Ibidem.

Angeli, poſtquam liberè creati ſunt, exigunt ex natura ſua ſemper eſſe, ſemper vivere, & ſemper durare, n.718.

DÆMONES.

Licet non actu alligentur gehennali igni, dum ſunt in aere illo, tamen ex hoc ipſo, quod ſciunt illam alligationem ſibi deberi, eorum pœna non diminuitur, n.1299.

Infernus Dæmones ignominiat eo quod eſt carcer eorum. Ibid.

Dæmones multoties aſſumunt corpora ad peccandum, vel ad tentandum homines, n.734.

Cum Dæmon poſſidet corpus humanum, non aſſumit illud, quia non utitur illi ut per illud repræſentetur, n.736.

DIVINITAS.

Per hæc nomina *eſſentia*, & *relatio*, non ſignificatur adæquatè, ut eſt in ſe, ſed inadæquatè ſecundum quod à nobis concipitur, n.109.

Si divinitas adæquatè ſignificatur, explicaret quoddam ens formaliter abſolutum, & formaliter relativum. Ibid.

Divinitas non eſt formaliter relativa ratione abſoluti, nec eſt formaliter abſoluta ratione relativi, n.110.

Ante omnem operationem intellectus non dantur in divinitate eſſentia, & Paternitas ſecundum quod his nominibus ſignificantur, partitè, & diſtinctè. Ibid.

DICTIO.

Dictio, & intellectio in Deo non ſunt duo actus adæquatè diſtincti, n.20.

Dictio in Deo non eſt adæquatè abſolutũ, nec adæquatè relativum, ſed abſolutum modificatum relatione. Ibid.

Dicere formaliter eſt intelligere cum fœcunditate, n.21.

Digitized by Google

Dicere divinum, & generare non ſunt duæ formalitates eiuſdem proceſsionis, ſed vna indiviſibilis formalitas, n. 49.

DISTINCTIO.

Diſtinctio realis modalis, nec realis formalis non datur inter eſſentiam, & relationes, n. 100.

Inter naturam, & relationes non datur diſtinctio ſola rationis ratiocinantis, n. 113.

Quamvis intellectio, intellectus, ſpecies, & obiectum in Deo ſolum diſtinguantur diſtinctione rationis ratiocinantis; natura divina, & Paternitas differunt ratione ratiocinata, n. 115.

Diſtinctio virtualis, quæ reperitur in Deo inter naturam, & relationes non eſt maior, quam quæ reperitur inter eſſentiã, & attributa, n. 118.

Inter compoſitionem metaphyſicam, & diſtinctionem rationis cum fundamento in re aſsignatur diſcrimen, n. 223.

DOLOR.

In ſubſtantijs ſpiritualibus ſolum poteſt eſſe de his, quæ contrariantur voluntati, n. 1350.

Angeli non dolent de malis eorum, quos cuſtodiunt dolore ſimpliciter tali, ſed tantum ſecundum quid. Ibid.

Quomodo compatiatur, quod cum ſumma lætitia, Angeli cuſtodes habeant dolorem ſecundum quid de malis cuſtoditi, exponitur, n. 1357.

Angeli eſto ferventiſsima charitate nos diligant, non triſtantur, nec dolent de noſtra damnatione, ſed gaudent de adimpletione ordinis divinæ iuſtitiæ, num. 1358.

Eſto Angeli cuſtodes trahantur in iudicium pro peccato hominum, non quaſi rei, ſed quaſi teſtes, & ſic non dolent. Ibidem.

DONVM.

Donum eſt nomen alicuius divinæ perſonæ, n. 366.

Ratio Doni convenit Spiritui Sancto ex vi ſuæ proprietatis perſonalis, n. 368.

Si Spiritui Sancto cõvenit ratio primi Doni, & qualiter? n. 372.

Donum, Spiritus Sanctus, & Amor nõ multiplicant notiones in tertia perſona Sanctiſsimæ Trinitatis, n. 375.

Habitudo Doni ad creaturas non convenit Spiritui Sancto ratione prædicati eſſentialis, ſed notionalis, n. 374.

E

ENS RATIONIS.

DATVR relatio rationis, quæ ſit vera relatio, non tamen ſubſtantia, aut quantitas rationis, quæ ſit vera ſubſtantia, aut quantitas. Latè, n. 85.

Relatio rationis licet ſecundum eſſe *ad* non explicet eſſe fictum, implicat illud, quod ſufficit, vt non ſit vnivoce relatio cum relatione reali, n. 88.

Quando dividitur ens rationis in negationem, privationem, & relationem, negatio rationis non eſt vera negatio; at vero relatio rationis eſt vera relatio, n. 89.

An dentur relationes tranſcendentales rationis? Alij affirmant, Alij negant, vera deciſio ſtatuitur. Ibid.

Diſtinctio rationis reperta inter naturam divinam, & relationes non formatur à Deo, n. 119.

Ens rationis nequit exiſtere per exiſtentiã ſui fundamenti, n. 562.

ENS DIVINVM.

Sub hoc conceptu claudi in conceptu relationum eſt certum in ſententia Thomiſta, n. 131.

Loquendo de ente ſubſtantivè ſumpto ſimpliciter tali, hæc propoſitio non eſt concedenda, *tres perſonæ divinæ ſunt tria entia divina*, n. 169.

Ens prout dicit omne, quod eſt capax exiſtere exiſtẽtia reali ſive propria, ſive aliena; ſubſtantivè ſumptum, pluraliter dicitur in divinis, n. 197.

Ens divinum quamvis infinitum, & illimitatum ſit, dividitur per abſolutum, & relativum. Ibid.

Quamvis ens divinum ſubſiſtat in ipſa plenitudine eſſendi, non infertur, quod in divinis non poſsint prædicari tria entia, ſed ſolum quod cum illis identificetur, n. 199.

Ex quo admittantur in divinis tria entia ſubſtantiva, non infertur eſſe admittendas tres eſſentias, n. 200.

ÆTERNITAS.

In Deo non eſt diſtincta à duratione, & ſic repugnat multiplicari in Deo durationes, & non æternitates, n. 137.

Non poſſunt admitti in Deo tres æternitates relativæ, ſicut nec tres immenſitates. Ibidem.

ESSENTIA.

Non eſt inconveniens, quod eſſentia relativa ſpecificetur ab exiſtentia abſoluta, n. 137.

Eſſentia relationis non explicat *in*, ſed *Ad*, eſſentia exiſtentiæ non explicat *Ad*, ſed *in*. Ibid.

Non datur duplex actualitas, altera eſſentiæ, quæ incompleta eſt; & altera exiſtentiæ, quæ completa ſit, n. 138.

Proportio inter eſſentiam, & exiſtentiam petit, quod ſi eſſentia eſt ſubſtantia, exiſtentia ſubſtantialis ſit, non tamen, quod ſi eſſentia eſt relativa, etiam ſit relativa exiſtentia, n. 140.

ESSENTIA DIVINA.

Clauditur implicite actu in conceptu relationum, n. 121.

Relationes divinæ adveniunt eſſentiæ præciſè ſecundum explicitum, n. 125.

Hæc propoſitio. *Æternitas eſt eſſentia divina formaliter*, poteſt facere duplicem ſenſum, n. 129.

Vt verificetur quod *Deus Paternitate intelligit*, non ſufficit, quod Paternitas actu implicite claudat intellectum, ſed erat neceſſarium, quod intellectum exprimeret. Ibid.

Ex quo eſſentia claudat implicite relationes, non ſequitur, perſonas per relationem non conſtitui, n. 127.

Hæc propoſitio. *In Deo ſunt tres eſſentiæ*, non poteſt abſolutè concedi, n. 193.

EVCHARISTIA.

In Euchariſtia non dari miſsionem perſonæ Filij, ſed tantum corporis Chriſti, vt ibi exiſtat, quidam affirmant, n. 499.

Si admittatur eſſe miſsionem Perſonæ Filij, tunc illa miſsio erit viſibilis reductivè. Ibid.

Vtraque hæc poſitio valide refutatur. Ibid.

Perſona Filij adeſt in Euchariſtia per concomitantiam, non ex vi miſsionis illius, n. 500.

Corpus Chriſti non mittitur ad Euchariſtiam, dum conſecratur, ſed producitur ex pane. Ibid.

EXISTENTIA.

Significat formaliter vltimam actualitatem, per quam res ponitur extra cauſas, num. 134.

In Deo non datur exiſtentia relativa, ſed omnia divina exiſtunt vnica exiſtentia abſoluta, ibid.

Implicat relationem divinam duplici exiſtentia exiſtere, num. 135.

Quamvis filiatio divina producatur vera productione, exiſtentia filiationis non producitur, num. 141.

Eſto detur triplex ſubſtantia relativa, non tamen triplex exiſtentia, & cur, n. 139.

Exiſtentia relationis creatæ eſt aliquid abſolutum, num. 136.

Cōſiſtit in hoc, quod eſt ineſſe ſubiecto. Ibi.

Quod diſcrimen verſetur inter eſſentiam relationis, & eius exiſtentiam. Ibid.

Si darentur in Deo tres exiſtentiæ relativæ, etiam darentur tres durationes relativæ, & tres æternitates, num. 137.

Quamvis Verbum divinum ſit productum per æternam generationem; exiſtentia Verbi non eſt producta, ſed communicata, num. 141.

ÆQVALITAS.

Inter divinas perſonas datur æqualitas, & ratio D. Thomæ id convincit, num. 463.

Quamvis relationes divinæ dicerent perfectionem, adhuc inter divinas perſonas æqualitas perfectionis ſubſiſteret. n. 464.

Eſto Filius non habeat potentiam generativam, quomodo habet Pater, eſt æqualis in perfectione cum Patre, num. 465.

Perſonæ divinæ non dicūtur relativè æquales à relatione reali æqualitatis, n. 466.

Quamvis in Deo detur perfectiſsima æqualitas abſoluta realis, non datur æqualitas realis relativa, & cur num. 467.

Qui ponunt in Deo perfectiones reales relativas realiter inter ſe diſtinctas, tenentur ponere in Deo reales relationes æqualitatis, non tamen diſtinctas ab ipſis relationibus conſtituentibus perſonas, n. 460

F

FILIVS.

Ad plures Filios refertur Pater in creatis vnica, & indiviſibili relatione paternitatis, num. 217.

In divinis non poſſunt dari plures Filij, nec plures Spiritus Sancti, num. 454.

Tres huius rationes efficaces ibi expenduntur, & defenduntur, à num. 455.

FOECVNDITAS.

Spectat ad perfectionem Dei fœcunditas ad intra, & ſic ſi tres perſonæ non eſſent in Deo, Deus perfectus non eſſet, num. 177.

Duplex eſt fœcunditas in Deo, alia ad eſſendum in tribus perſonis, & iſta ſubiectivè eſt abſoluta, quamvis terminativè ſit relativa, alia eſt fœcunditas ad producendum

Digitized by Google

dum Filium, & Spiritum Sanctum, & hæc eſt mixta ex abſoluto, & relativo, num.177.

FVNDAMENTVM.

Vnam relationem non poſſe fundari ſupra aliam, in quo ſenſu ſit verum? num.466.

Fundamentum æqualitatis relativę in Deo eſt ipſa magnitudo abſoluta, penes quam habetur negatio maioris, & minoris. Ibi.

Fundamentum relationis paternitatis in divinis non eſt generatio, ſed potentia generativa ad actum reducta, num. 468.

FORMA.

Formæ cœlorum in prima productione nõ fuerunt eductæ de potentia materiæ, num.984.

Hoc verum eſt etiam ſi actio fuerit primo terminata ad materiam primam, & deinde ad formam. Ibid.

Defenditur hæc doctrina ab aliquibus impugnationibus. Ibid.

Si eadẽ actio eſſet creatio materiæ, & eductio formæ ſequerentur duæ contradictoriæ, & ſic talis actio repugnat, n.585.

Eſto detur duplex forma, altera materialis, & altera ſpiritualis, non datur duplex materia, altera corporea, & altera ſpiritualis, num.659.

FVTVRVM.

Multiplicia ſunt futura, alia, quæ neceſſariò eveniunt, vt ortus craſtinus ſolis, alia, quæ vt in plurimum eveniunt per cauſas naturales, ſed impedibiles, ſicut quod in vere ſunt tonitrua, alia, quę omnino cõtingenter accidunt, num.915.

Si cognoſcuntur vt futura nequeũt cognoſci extra cauſas, & vt exercentes determinatam durationem. Ibid.

Futura neceſſario futũra certò cognoſcũtur ab Angelis abſtractivè. Ibid.

Futura ſecundi generis D. Thom. affirmat, quod non cognoſcuntur ab Angelis certo, ſed coniecturaliter. Quomodo intelligendum? Ibid.

Futura, quę omnino contingenter eveniũt, Angeli viribus naturæ cognoſcere certo non poſſunt, num.916.

Qualiter autem ſpecies Antichriſti repræſentet Antichriſtum, quando non eſt, & quando eſt. Late exponitur, à n.914.

Refutatur Illuſtriſsimus Araujo. Ibid.

Reijcitur modus exponendi M. S. Thomæ, num.918.

Eligitur modus dicendi D. Thom. n.921.

Solvuntur inſtantia contra hanc doctrinam num.922.

De potentia abſoluta poſſunt Angeli cognoſcere certo abſtractive futura, n.928.

Non tamen adhuc inſpecto poſſe abſoluto poteſt ipſis dari notitia intuitiva futurorum, num.930.

G

GENERATIO.

COMMVNITER dicta qualiter diffinlatur, num.33.

Eius diſcrimen à creatione. Ibid.

Mutatio, quæ in eius diffinitione ponitur, dupliciter accipitur, phyſicè, & metaphyſicè. Ibid.

Generatio propria viventium, quid ſit? numer.34.

Cur nutritio propriè generatio non ſit? Ibi.

Ad generationem viventis petitur neceſſario ſimilitudo in natura ſpecifica. Ibid.

GENERATIO DIVINA.

Generationi Verbi divini nõ convenit diffinitio generationis communiter dictæ, num.33.

Proceſsio Verbi divini eſt generatio, n.39.

Qualiter verificetur, quod generatio Verbi ſit perfectio ſimpliciter ſimplex? n.41.

Diſcrimen inter generationem divinam, & alias generationes ex D. Thom. Ibid.

Quod primo communicatur Verbo divino eſt natura, quod in ipſo producitur primò eſt intelligi paſsivum intrinſecum, n. 42.

Verbum divinum ex vi generationis evadit ſimile ſimilitudine naturali, & non pure intentionali, num.39.

D. Thomas non concludit proceſsionem Verbi eſſe generationem ex eo, quod Intelligere Dei eſt eius eſſe in ſenſu formali, num.45.

Proceſsio Verbi, ita eſt generatio, vt Verbum perſonale, & Filius eandem ſignificent perſonalem proprietatem, eſto de ipſa aliquid exprimatur per Verbum, quod non exprimitur per Filium, n.48.

GRATIA HABITVALIS.

Nec creatur, nec concreatur, etiam cũ Angelis primo collata fuit, num.569.

Non producitur à Deo per vnam actionẽ, & poſtea per ſacramenta vnitur ſubiecto. Ibid.

Gratia, dum deſinit eſſe in ſubiecto, non annihilatur. Ibid.

Gratia in omni operatione ſuâ dependet ab anima. Ibid.

Actio, qua Deus infudit gratiam Angelis, ſuppoſuit actionem eorum creativam, num.572.

Qua-

Digitized by Google

Qualiter gratia contineatur in potentia naturæ, abſque eo quod naturæ ſit debita? num.574.
Eſto gratia in genere cauſę formalis ſit participatio divinæ naturæ, in genere cauſæ materialis eſt aliquomodo participatio animę, vel ſubiecti, num.575.
Actio productiva gratię eſt omnium perfectiſsima ex parte rei factę, licet non ex parte modi faciendi, num.576.
Gratia cauſatur ex animæ naturalitate non ſecundum quod eſt ſubdita Deo agenti naturali, ſed ſupernaturali, num.578.
Gratia habitualis proprie non eſt imago Trinitatis, num.626.
Qualiter gratia ſit participatio divinæ naturæ? exponitur, num.632.

GRADVS.

Non ſalvaretur perfecte gradus intellectivus in vniverſo, ſi Angeli non darentur, num.645.
Qualiter licet non ſit dabilis perfectiſsima creatura, ſit dabilis peafectiſsimus gradus, num.646.
Ex perfectione vniverſi, licet inferatur gradus intellectibus completus, non tamen vnio hypoſtatica, num.645.
Quando ſubſtantia tota ſimplex forma eſt vt Angelus, omnes gradus eius ęque actuales ſunt phyſicè, ſed non logicè, n.659.
Connaturalius eſt gradui immaterialitatis multiplicari, quam gradui rerum materialium, num.665.

H

HVMANITAS.

HVMANITAS Chriſti Domini duplici forma ſanctificante perficitur, num.135.
Actio productiva humanitatis Chriſti non producit exiſtentiam, ſed communicat, num.141.
Si terminaretur humanitas per ſubſiſtentiam abſolutam Dei, eſſet, tunc *hic Deus* perſona in natura humana, non vero in natura divina. num.143.
Probabilis eſt ſententia Thomiſtarum aſſerens formam ſanctificantem ſubſtantialiter humanitatem non eſſe naturam divinam, ſed perſonalitatem, n.178.
Qualiter in hac ſententia relatio ex proprio conceptu perfectionem relativam non dicat, exponitur. Ibid.

HOMO.

Omni homini in ſtatu viæ deputatur Angelus cuſtos, num.1333.
Homines non tranſferuntur ad ordines Angelorum, neque quoad naturam, neque quoad officia, num.1287.
Homines ſancti poſt hanc vitam ſecundum legem communem non adminiſtrant humana, nec rebus vivorum interſunt, ex quadam tamen ſpeciali diſpoſitione aliquibus ſanctis conceditur, vel vivis, vel mortuis huiuſmodi officia exercere. Ibid.
Homines aſſumuntur ad dignitates Angelorum quo ad gratiam, & gloriam, num.1288.
Ex hominibus aliqui ſunt Angelis ſuperiores, alij æquales alij inferiores. Ibid.

HYPOTHESIS.

Hypotheſis illa, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio ſi diſtingueretur realiter ab illo, vtiliter diſputatur, num.118.
Suppoſitio impoſsibilis dupliciter poteſt ſtatui: vno modo ita vt per locum ab intrinſeco duplex contradictorium ſequatur, alio modo ita vt per locum ab intrinſeco tantum vna pars contradictionis ſequatur, & talis eſt illa, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, &c. Ibid.

HYPOSTASIS.

Si hypoſtaſis apud Græcos ſignificet idem, ac apud Latinos ſubſiſtentia, & quomodo? Exponitur, num.155.
Quod fundamentum habuerunt PP. ad trāſferendum nomen hypoſtaſis per nomen ſubſiſtentia, num.156.
Hoc nomen *ſubſiſtentia* æquivoce ſignificat eſſentiam, & hypoſtaſim, & ſic ſi diceretur de Deo tres ſubſtantiæ, ſicut dicuntur tres hypoſtaſes, daretur occaſio erroris, num.156.

HIERARCHIA.

Ex parte Principis eſt vna Hierarchia omnium creaturarum intellectualium, non ſolum Angelorum, ſed etiam hominum, num.1262.
Ex parte vero multitudinis, alia eſt Hierarchia humana, alia Angelica, n.1263.
Accipiendo Hierarchiam ex parte multitudinis Principi ſupremo ſubiectę, debemus aſsignare in Angelis tres Hierarchias. Ibid.
Iſtæ Hierarchiæ non diſtinguuntur inter ſe, quia prima conſtat ex his Angelis qui à nullis alijs purgantur, & illuminantur; ſecunda ex his Angelis, qui purgantur, & illu-

Digitized by Google

illuminantur, ſed alios purgant, & illuminant, tertia vero ex his Angelis, qui ſolum purgantur, & illuminantur, num. 1266.
Ex hominibus vera conſtituitur Hierarchia num. 1267.
Non eſt dividenda humana Hierarchia in naturalem, Moſaicam, & Evangelicam, num. 1269.
Diſtinctio Hierarchiarum in Angelis eſt à natura, num. 1223.

I

INTELLIGENS.

CELEBRIS illa propoſitio D. Thom. *Quicunque intelligit ex hoc ipſo, quod intelligit producit aliquid, &c.* Exponitur, num. 6.
Non eſt vera in ſenſu univerſaliſsimo, n. 8.
Nec intellectioni ex conceptu eſſentiali intellectionis convenit poſitive eſſentialiter verbum producere contra Magiſtrum Araujo, num. 8.
Non recte adapta ur ad intentum D. Thom. A Magiſtro Serra, num. 9.
Nec à PP. Salmanticenſibus ibid.
Vera eius expoſitio, & mēs Authoris, n. 10

INTELLIGERE.

Intelligere Angeli non eſt ipſa ſubſtantia Angeli, nec actio cuiuſcunque creaturæ poteſt eſſe eius ſubſtantia, nu. 815.
Ratio qua D. Thom. id probat, defenditur, & illuſtratur, ibid.
Si intelligere Angeli eſſet eius ſubſtantia, eſſet ſubſiſtens, & vnum. Exponitur, numer. 817.
Intelligere Angeli non poteſt eſſe eius eſſe, num. 819.

INTELLIGERE DIVINVM.

Intelligere eſſentiale, & notionale in Deo non differunt, ſicut duo actus adæquatè diſtincti, num. 23.
Sicut non dantur duo intellectus adæquatè diſtincti, alter eſſentialis, & alter notionalis, ita nec duæ intellectiones ibid.
Non datur in Deo duplex intelligere, aliud abſolutum, & aliud relatiuum, num. 26.
Exponitur difficilis textus D. Thom. n. 27.

IMAGO.

Propriè accepta eſt ſimilitudo in ſpecie, vel in ſigno ſpeciei originata; vel expreſſa ab exemplari, num. 298.
Ratio imaginis vere, & proprie Filio Dei convenit, ibid.
Perfectiſsime convenit Verbo Divino. ibi.
Solum dicitur ratio imaginis de Filio, numer. 299.
Spiritus Sāctus imago nō eſt, quia procedit vt amor, num. 300.
Homo eſt imago Sanctiſsimæ Trinitatis, num. 625.
Angelus eſt expreſsior imago Trinitatis, quam homo, num. 627.
Gratia habitualis, quamvis ſit radix videndi, & amandi Deum, non eſt propria imago Trinitatis, num. 626.
Qualiter gratia habitualis ſit, aut eſſe poſsit expreſsio Sanctiſsimæ Trinitatis, n. 631.

INDIVIDVATIO.

Individuatio Angeli non poteſt deſumi per habitudinem ad corpus, num. 669.
Ea quæ numero differunt, individua ſunt, num. 670.
Reiicitur individuatio Angelica, ex eo quod Angelus Cuſtos Petri, v. g. ex natura ſua ordinatur ad cuſtodiam Petri, num. 671.
Licet in accidentibꝰs Angelicis intra lineā puri ſpiritus poſsint diſtingui principia eſſentialia, & individualia non poſſunt diſtingui in ſubſtantia ſpirituali, n. 673.
Individuatio naturæ Angelicæ adæquate deſumitur à gradu ſpecifico, num. 674.
Subſiſtentia, & exiſtentia in Angelis naturam individuam ſupponunt, & ſic individuationem variare non poſſunt, n. 681.
Cur in Angelis intra idem genus dētur plures differentiæ ſpecificæ, & intra eandem ſpeciem nequeant dari plures differentiæ individuales? Late, num. 683.
Individuatio in Angelis diſtinguitur virtualiter à gradu ſpecifico, num. 685.
Individuatio in Angelis non deſumitur ex habitudine ad ſubſtantiam, num. 697.

IMPVLSVS.

Eſt terminus manens intra voluntatem per volitionem productus, num. 55.
Diſtinguitur realiter ab actu voluntatis in creatis. Ibid.
Eſt neceſſarius ad exponendam proceſsionem Spiritus Sancti, ſicut verbi productio ad declarandam proceſsionem Filij, Ibid.
Valde difficile eſt productionis huius rationem aſsignare à priori. Ibid.
Traditur ex D. Thom. ex eo quod amatum eſt in amante, n. 56.
Licet impulſus per modum viæ, & tendentiæ explicetur, in re tamen vere eſt inclinatio, quam intus voluntas ſibi facit per hoc quod obiectum eſt amat, n. 57.

Qua-

Qualiter intelligatur D. Th. dum aſſerit in voluntate nihil produci, niſi per modum operationis, n. 58.

Inter Verbum, & amorem multiplex aſſignatur diſcrimen, ratione cuius Verbum dicitur perſonaliter, & amor aliquando eſſentialiter, aliquando perſonaliter, num. 58.

Qualiter impulſus per voluntatem producatur, & qualiter appetitiuum ad gradum vitæ pertineat? n. 59.

Impulſus productus, nec eſt res amata, nec eius ſimilitudo, ſed quoddam rei pondus, vel affectio, quam voluntas amando producit, num. 60.

Amor beatificus impulſum producit, eſto viſio beata non producat Verbum. Ibid.

Per omnem actum voluntatis ſiue amoris, ſiue odij, aut fugæ impulſus producitur, num. 62.

INTELLECTVS.

Inter intellectum, & voluntatem datur diſcrimen in eſſe aſſimilatiuo, & quomodo eſt? n. 69.

Intellectus Angeli, & quælibet eius potentia operatiua diſtinguitur realiter entitatiuè ab eius ſubſtantia. Latiſsimè à num. 821.

IMPVGNATIO DÆMONVM.

Homines impugnãtur à Dæmone, n. 1364.

Hæc impugnatio prouenit ex malitia, & inuidia Dæmonis: ordinatio huius impugnationis ex Deo. Ibid.

Dupliciter impugnant Dæmones, vno modo, puniendo, & ſic ſunt inſtrumenta diuinæ iuſtitiæ, & poſitiuè mittuntur à Deo, alio modo per modum inſtigationis ad peccandũ, & iſto modo non mittuntur à Deo, ſed permittuntur impugnare ſecundũ iuſta iudicia Dei, n. 1368.

Dæmon, qui ſuperatus ab aliquo non poteſt deinceps tentare illum, à quo ſuperatus eſt, quidã probabiliter aſſerunt, n. 1380.

Verius tamen dicitur, quod ſemel ſuperatus perfectè, non poteſt de eodem vitio tentare, de alio poteſt, alios autem homines & de eodem & de diuerſis. Ibid.

INSTRVMENTVM.

Eſt deplex aliud phyſicum, & aliud morale, conſtitutio, & diſcrimẽ inter vtrumque, num. 1297.

Angelus in aliquibus operationibus operatur vt inſtrumentum phyſicum Dei, aliquando vt inſtrumentũ morale. Ibid.

Nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum ad creandum, n. 604.

Omne inſtrumentum debet habere aliquã actionem, ſeu quaſi actionem, qua præuie operetur in paſſo. Latè, 605.

Variæ inſtantiæ contra hanc doctrinam ſoluuntur, num. 606.

Ex quo inſtrumentum debet efficere effectum principalis agentis actione diſtincta concluditur repugnantia inſtrumenti creatiui, num. 609.

Qualiter ſit intelligendum quod inſtrumẽtum deferat virtutẽ & imperium principalis agentis ad effectũ, n. 611.

S. IOSEPH.

Non eſt temerariũ aſſerere D. Ioſeph ſuper omnes Angelos habuiſſe gratiam, & gloriam, num. 1289.

Poſt veram maternitatem Mariæ ſequitur in dignitate Paternitas Ioſeph, quæ eſt de ordine hypoſtatico ſaltem ſecundum dici, num. 1290.

Pertinet ad hypoſtaticam Hierarchiam coſtantem ex ſupremo, Chriſto, medio, Maria, & infimo, Ioſeph. Ibid.

Fuit cuſtos Chriſti eo modo, quo alij pueri cuſtodiuntur à Parentibus, n. 1337.

Chriſtus voluit eſſe ſubditus Ioſeph, non Angelis per cuſtodiam. Ibid.

L

LIBERTAS.

Proceſsio Spiritus Sancti liberã non eſt, num. 441.

Libertas deſcendit ad voluntatem medio intellectu proponente illi libere amabile. Ibid.

Liberum oriri, & fundari in naturali optimè exponit D. Thom. n. 442.

Libere operari eſt taliter operari, quod agens poſsit non operari, n. 443.

Libere operari, & neceſſario operari pugnant ex terminis. Ibid.

LOCVS.

Eſſe in loco propriè conuenit Angelis, num. 729.

S. Scriptura abſolutè affirmat Angelos eſſe in loco, & mutare locum, n. 731.

Angelus non eſt in loco per ſuam ſubſtantiã, taliter quod ſubſtantia ſit ratio proxima contingendi locum, n. 735.

Sicut ſubſtantia Angeli ſe ipſa non eſt in tempore, ita ſe ipſa non exiſtit immediatè in loco, n. 738.

Rationẽ formalis exiſtendi in loco, nõ eſſe modum vnionis libere productum ab An-

Digitized by Google

Angelo, quo ſeruit loco, oſtenditur cōtra Vazquez, n.744.
Similiter nec per modum præſentiæ, aut vbi, Contra Suarez, n.745.
Angelus eſt formaliter in loco per operationem ſuam tranſeuntem, n.746.
Angelus non eſt in loco violento per purã paſsionem cauſatam ab aliquo corpore, vt Dei inſtrumento, n.757.
Non eſt admittendum Angelum poſſe eſſe in duobus locis ſibi adæquatis, n.770.
Bene poteſt Angelus eſſe in duobus exiſtentibus intra ſphæram actiuitatis ſuæ, ſine eo quod ſit in locis intermedijs, n.774.
Non poſſunt duo Angeli eſſe in eodem loco formaliter eodem, & adæquato, num.782.
Angelus poteſt ſe locare in puncto indiuiſibili, n.784.

LOCVTIO.

Angelos inter ſe loqui certum eſt, & huius redditur optima congruentia, n.1219.
Non fit huiuſmodi locutio per aliqua ſigna ſiue corporalia, ſiue ſpiritualia, num.1221.
Angelica locutio non fit per hoc, quod Angelus loquens producat ſpeciem impreſſam in intellectu audientis repræſentatiuam ſecreti cordis, n.1225.
Loquitur enim vnus Angelus alteri per hoc quod voluntarie dirigit ad illum Angelum, cum quo loquitur, conceptus ſuos, num.1229.

M

MATERIA.

EIVSDEM rationis cum noſtra non eſt in Angelis, n.647.
Nomine materiæ ſpiritualis ſolum poteſt intelligi primum ſubiectum receptiuum omnino indiuiſibile, & incapax quantitatis, n.654.
Materia purè ſpiritualis non datur in Angelis. Ibid.
Oſtenditur eius implicatio, quia deberet excedere omnem formam corpoream, num.655.
Si talis materia daretur, forma Angelica ab illa dependeret in aliqua operatione, & hoc implicat, n 656.
Admiſſa materia ſpirituali in Angelis, non repugnat multiplicatio materialis intra eandem ſpeciem athomam, n.699.
Materia cœlorum diſtinguitur à ſublunaribus generica, & ſpecifica diuerſitate, num.700.

B. V. MARIA.

Habuit Angelum cuſtodem, n.1339.
Optima ratione ex D. Thom. conuincitur, ibidem.
Eſto non potuerit peccare, nec mortaliter, nec venialiter, potuit in gratia proficere, dum fuit in via. Ibid.
Secundum S. Bernardum Archangelus Gabriel cuſtos fuit SS. Virginis. Ibid.
Non rectè colligitur Angelica cuſtodia Virginis, ex eo quod Angelorum præſentia potuerit recreari, & eorum iuuari miniſterio, n.1340.
B. V. M. inſtructa fuit ab Angelis, & quomodo. Ibid.
Cum eſſet pura creatura erat in ordine naturæ inferior Angelo, eſto maiorem gratiam quoad intenſionem habuerit, dum erat in via. Ibid.
Pie credendum eſt, SS. Virginem, dum erat viatrix, Deum in ſe viuiſſe tranſeunter. Ibidem.
Exaltata eſt ſuper omnes choros Angelorũ in viſione diuina, n.1290.

MVTATIO.

Ad veram mutationem requiritur, quod ſit aliquod ſubiectum commune vtrique termino mutationis, n.549.
Creatio non eſt vera, & realis mutatio, num.550.
Non ſufficit ad veram mutationem, quod res antea eſſet ſub ſtatu poſsibilitatis, & ſub negatione exiſtentiæ, & poſtea ponatur exiſtens. Ibid.
Ad mutationẽ non ſufficit habere eſſe poſt non eſſe, ſed eſt neceſſariũ quod eſſe poſt non eſſe ſit circa idem, n.551.
In creatione eſt eſſe poſt non eſſe circa idẽ logicè, non phyſicè, quod non ſufficit ad ad mutationem veram. Ibid.
Annihilatio non eſt mutatio, n.552.
Quando ex ſpeciebus ſacramentalibus generatur vermis, ibi interuenit vera mutatio, ſubtiliter exponitur. Ibid.
In tranſubſtãtiatione Panis in Corpus Chriſti interuenit mutatio, n.614.

MOTVS.

Angelus poteſt moueri localiter, n.787.
Cum duplex ſit motus, continuus, & diſcretus, vtroque motu ſe poteſt Angelus mouere, n.791. & n.796.
Angelus motu diſcreto perambulando per aliquod ſpacium non poteſt tranſire de extremo ad extremum locando ſe in om-

Digitized by Google

omni loco intermedio, num.799.
Poteſt Angelus tranſire de vno extremo ad alterum ſine eo quod pertranſeat locum aliquem inter medium, n.800.
Motus Angeli, ſive ſit continuus, ſive diſcretus, non poteſt fieri in inſtanti, n.807.

MIRACVLA.

Si miracula propriè accipiantur, Dæmones illa patrare non poſſunt, nec aliqua creatura, ſed ſolus Deus, n.1377.
Si autem miracula accipiantur pro eo quod excedit humanam facultatem, & operationem, ſic Dæmones miracula facere poſſunt. Ibid.
Illa mira opera, quæ Dæmones aliquando faciunt, vera miracula non ſunt: tamen non ſunt phantaſtica entia, ſed veræ res ſunt aliquando. Ibid.
Ad verum miraculum ſufficit quod ſuperet totas vires naturæ creatæ, vel ex parte rei factæ, vel ex parte modi faciendi, numer.1378.
Virga Moyſi miraculoſe fuit in ſerpentem converſa, non vero Virga Magorũ Pharaonis. Ibid.
Miracula poſſunt fieri ab Angelis vt inſtrumenta phyſica Dei, n.1297.

MISSIO ANGELORVM.

Angeli in miniſterium mittuntur, n.1296.
Non eſt idem miſsio Angelorum, & motus localis eorum, ſed neceſſario involuit eſſe vbi antea non erat ex vi imperij divini, n.1297.
Superiores Angeli nunquam ad exterius miniſterium mittuntur, n.1301.
Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim nunquam exercent exterius miniſterium: bene vero Virtutes, Poteſtates, Principatus, Archangeli. Ibid.
Dominationes; quæ ſunt primus ordo ſecundæ Hierarchiæ, nunquam mittuntur, num.1310.
Si Angeli, qui mittuntur, aſsiſtunt? Reſolvitur, n.1306.

MICHAEL.

Michaelem eſſe de ordine Seraphinorum, imò & ſupremum omnium quidam exiſtimant, n.1292.
Alij duplicem eſſe Angelum Michaelem dictum, alterum ſupremæ Hierarchiæ, qui fuit Dux cœleſtis militiæ contra Draconem, alterum ſecundi ordinis, qui fuit Princeps Synagogæ, & modo Eccleſiæ. Ibidem.
Verum eſt, eſſe Archangelum vnum ex ſecũdo ordine infimæ Hierarchiæ, n.1293.
Idem eſt Michael, qui pugnavit cum Dracone, & Archangelus, quem Eccleſia veneratur, n.1294.
Michael non eſt nomen officij, ſicut Seraphim, ſed perſonæ ſingularis, n.1295.

MISSIO DIVINARVM PERSOnarum.

Mitti convenit alicui perſonæ divinæ, numer.477.
Miſsio convenit perſonis ſecundum propriam rationem miſsionis, n.482.
Patri Æterno non convenit mitti ad nos, & conſequenter, non cuilibet perſonæ convenit mitti, num.484.
Miſsio divina eſt prædicatum eſſentiale connotans notionale, n.486.
Si miſsio accipiatur adæquatè ſecundũ omnia requiſita, ſic nulla perſona mittitur, niſi ab ea, à qua æternaliter procedit; ſi autem accipiatur inadæquatè prout dicit tantum principium effectus ad extra, ratione cuius res miſſa novo modo eſt in creatura, ſic poteſt dici, quod Spiritus Sãctus mittat Filium, & mittat ſe, n.489.
Inter miſsionem viſibilem, & inviſibilem hoc adeſt diſcrimen, quod in prima mittitur vna perſona, & manifeſtatur ſine alia, in miſsione inviſibili non poteſt vna mitti ſine alia, n.494.
Miſsio adæquatè dividitur in viſibilem, & inviſibilem, n.499.
Miſsio inviſibilis divinarum perſonarum ſolum fit per dona gratiæ ſanctificantis, num. 505.
Ratione aliorum donorum ſupernaturalium, quæ non ſunt gratia ſanctificans formaliter, vel eminenter, perſonas divinas mitti miſsione ſecundum quid, num.515.

N

NATVRA DIVINA.

Sub conceptu naturæ includitur in relationibus, n.131.
Si ſub munere naturæ à relationibus præſcinderet obiectivè, faceret metaphyſicã compoſitionem. Ibid.
Inter naturam divinam ſub munere naturæ, & ens divinum nulla datur præciſio, num.132.
Quamvis natura divina ſub munere naturæ claudatur in relationibus, hoc prædicatum *radix attributorum*, non poteſt affirmari formaliter de Paternitate, ſed ſolum

Digitized by Google

ſum, quod eſt res, quæ eſt radix attributorum, n. 133.
Quamvis eſſe radicem attributorum non prædicetur formaliter de Paternitate, nõ infertur quod natura divina ſub conceptu naturæ ſolum identicè ſit idem cum Paternitate. Ibid.
Natura divina eſt capax radicandi relationes, & non eſt capax referibilitatis per illas, num. 313.

NOTIO.

Sic diffinitur, *eſt ratio propria cognoſcendi perſonam divinam*, n. 234.
Ponendæ ſunt notiones in divinis perſonis, num. 235.
Tantum ſunt ponendæ quinque notiones in divinis perſonis, n. 240.
Inſpirabilitas in Filio non eſt notio. Reijcitur Vazquez, & Caietanus, & traditur vera ſolutio D. Thom. à n. 242.
Quod à Spiritu Sancto alia perſona non procedat, non eſt notio. Late à n. 247.
Ratio geniti in Filio, & in Patre ratio generantis, non eſt notio, n. 248.
Spiratio activa vera notio eſt, n. 250.

NOMEN.

Ad pluralitatem nominis ſubſtantivi non ſufficit multiplicatio formæ, ſed requiritur multiplicatio ſuppoſitorũ, n. 377.
Nomen ſubſtantivum ſignificat formã per ſe ſtantem, non ſolum, ſed etiam ſuppoſitum, n. 378.
Exponitur difficilis textus D. Thom. vbi videtur aſſerere, quod ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantivi attẽditur ſecundum formas, n. 379.
Nomen ſubſtantivum concretũ per ſe primo ſignificat compoſitum ex natura, & ſuppoſito, n. 378
Suppoſitum eſt cauſa adæquata eſſe vnitatis, & pluralitatis formæ ſignificatæ per nomen adiectivum, n. 380.
Diverſo modo ſignificatur humana natura per iſtum terminum *humanitas*, ac per *homo*. Ibid.
Nomina eſſentialia concreta propriè poſſunt ſupponere pro perſonis, n. 383.
Nomen numerale additum termino ſubſtãtivo numerum accipit à forma ſignificata. Exponitur, & defenditur, n. 335.
Si plures perſonæ aſſumerent eandem numero naturam, dicerentur plures homines iuxta Caietanum, exponitur, & ſtatuitur veritas iuxta D. Thom. n. 339.

NATIVITAS.

A nativitate deputatur homini à Deo Angelos ad ſui cuſtodiam, num. 1345.
Conciliantur textus aliqui D. Thom. prima luce pugnantes. Ibid.
Ratio D. Thom. ex eo quod beneficia homini conceſſa in quantum habet naturã rationalẽ ex tunc ei exhibentur, ex quo naſcendo talem naturam accipit, eſt efficax, n. 1346.
Duplex nativitas datur, alia in vtero, alia ex vtero, & cur cuſtodia Angelorum ab hac ſecunda incipit? n. 1356.
Puer à nativitate in vtero eſt diſtinctus à matre quantum ad beneficia intrinſeca animæ, quantum ad beneficia extrinſecã reputatur ac ſi eſſet idem cum matre, num. 1347.
Aſſignatur conveniens ratio huius diverſitatis. Ibidem.

O

OPPOSITIO.

Relationes, quæ non ſunt realiter oppoſitæ inter ſe non habent diſtingui realiter, num. 303.
Oppoſitio diſparata inter relationes, non cauſat realem diſtinctionem in divinis. Ibidem.
Increatis relationes non ſolum faciunt differre à ſuo correlativo oppoſito, ſed etiã ab alia relatione diſparata. Huius aſſignatur ratio, n. 316.

OPERATIO.

Opera ad extra ſunt communia toti Trinitati. num. 616.
Dicere quod in effectibus ad extra eſt aliquid productum à ipſo Patre, & aliquid à ſolo Filio, vere eſt poſitio hæretica, Ibidem.
Diſcrimen inter terminare naturam humanam, & producere effectum ad extra, aſſignatur. Ibid.
Ad operationem, ſeu productionem creaturarum ad extra non aliter concurrit Pater, & aliter Filius, & aliter Spiritus Sanctus, n. 617.
Eſto operatio ad extra, vel creatio ſit actio eſſentialis, non ſequitur, quod ſit prior operatione notionali, qualis eſt productio Verbi, n. 618.
Aſſignatur legitima ratio, cur in operatione ad extrà, perſonæ non concurrant ſecundum propria perſonalia, ſed ſecundũ eſſentialia, n. 619.

Digitized by Google

OBIECTVM.

Angelus intelligit ſe ipſum per propriã ſubſtantiã vnitã proprio intellectui per modũ formæ intelligibilis illum complete adæquãdo ad propriã intellectionẽ, n.886.

Angelus non intelligit propriã ſubſtantiam per ſe ipſam tanquã per propriũ Verbũ, ſed indiget Verbò diſtincto, num.889.

Loquendo propriè de ſpecie impreſſa, Angelus non cognoſcit Deũ per ſuã ſubſtãtiã tanquam per ſpeciem Dei, n.892.

Per propriam ſubſtantiam cognoſcit Angelus omnia accidentia, quæ ſunt veræ paſſiones eius, non tamen accidentia communia, n.896.

Angelus inferior non comprehendit ſuperiorem. n.900.

De fide certum eſt, Angelos ſingularia cognoſcere, n.910.

Attingit Angelus ſingularia directè per eandem ſpeciem, per quam cognoſcit naturam ſpecificam, n.911.

ORIGO.

Origo, & relatio in Deo quamvis re ſint idem, differunt tamen ſecundum modũ ſignificandi, n.413.

Perſonæ divinæ non conſtituuntur originibus, latè, n.414.

Perſonæ divinæ æquè primo non poſſunt cõſtitui originibus, & relationibus, n.420.

Licet relatio, quę accidens eſt, ſecundũ omnem conceptum fundetur ſuper originẽ, vel activã vel paſſivam, non tamen relatio, quæ ſubſiſtens eſt, n.419.

Origo vt talis ſignificatur, vt quid viale, & fluxibile; non tamen relatio, n.417.

Origo, vt talis, licet ſit ſubſiſtens, non ſignificatur vt ſubſiſtens, ſicut relatio, n.415.

ORDO.

In qualibet Hierarchia ſunt tres ordines Angelorum; eſt enim ibi ſupremum, medium, & infimum, n.1270.

In quolibet ordine Angelorum ſunt plures Angeli, n.1273.

Ex convenientia in ordine non infertur in Angelis ęqualitas ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, n.1274.

Diſtinctio inter ordinem Angelicũ, & Hierarchiam aſsignatur. Ibidem.

Ordines Angelici à natura diſtinguuntur, num.1275.

Ordines Angelorum ex Sacra Scriptura habentur, n.1277.

Ordines Angelorũ remanebunt poſt diẽ iudicij quoad diverſitatẽ graduũ naturæ, & gratiæ; quoad executionẽ officiorũ partim ceſſabunt; & partim remanebunt, num.1283.

OMNIPOTENTIA.

Si ponatur quod Filius ſolũ operatur ad extra tanquã Idea, S. Sanctus tanquã inclinatio, & Pater tãquã Artifex, nõ ponitur eos eſſe omnipotẽtes ſimpliciter, n.617.

Si quęlibet perſona divina eſſet Omnipotẽs ratione proprietatis perſonalis, eſſent tres Omnipotentes ſubſtantivè, quod eſt falſiſsimum. Ibid.

P

PROCESSIO IN DIVINIS.

De fide eſt dari proceſsionem in Deo, n.2.

Conſtat ex ſacris literis, & ex ſacris Concilijs. Ibidem.

Exponitur ratione Theologica D.Th. Ibid.

Iſtæ proceſsiones ſunt intra Deum, n.5.

Non ſunt immediatè à natura, ſed ab intellectu, & voluntate, n.13.

Hoc verificatur ſive natura conſtituatur per actualem intellectionẽ, ſive per intellectivum radicale, n.12.

Ex proceſsione vnius perſonæ ab alia nõ ſequitur, nec indigẽtia, nec depẽdẽtia, n.4.

Quod proceſsiones non ſint immediatè à natura divina, non rectè probatur ab aliquibus DD. n.14.

Efficax ratio ad hoc convincendum, n.15.

Divinę proceſsiones nõ ſunt actus adęquatè diſtincti ab intellectione, & volitione, 19.

Proceſsiones activæ in Deo ſunt intelligere, & velle divinum ſecundum quod modificantur relationibus, n.20.

Proceſsiones divinæ ſunt veræ actiones intellectus, & voluntatis, & non tantum emanationes intelligibiles, n.29.

Si Filius procederet à Patre per emanationem intelligibilem, & non per veram actionem, procederet à Patre per modũ proprietatis, quod eſt falſum, n.30.

PROCESSIO SPIRITVS SANCTI.

De fide eſt dari intra Deum proceſsionem Spiritus Sancti, n.54.

Eius proceſsio non eſt generatio, n.62.

Non rectè aſsignatur diſcrimen inter proceſsionẽ Verbi, & S.Sancti à P. Vazquez ex eo quod Verbũ proced. vt imago, nõ vero Spiritus Sanctus; latè reijcitur. Ibid.

Refutatur differentia alia ex eo quod eſto evadat S.Sãctus ſimilis in eſſentia nõ tamen accipit ex vi proceſsionis naturã fęcundã ad aliã proceſsionẽ ad intra, n.63.

Nõ rectè excluditur proceſsio S. Sãcti à ratione generationis, quia procedit à duobus ſuppoſitis, n.66.

Xxx Hoc

Hoc diſcrimen prout traditur ab Aliacenſi falſum eſt prout exponitur à D. Auguſtino, & D. Thom. veritatem habet, n.67.
Certa ratio diſcriminis traditur ex D. Tho. num.69.
Qualiter differant inter ſe in communicatione naturæ proceſsio amoris, & proceſsio Verbi, n.71.
S. Sanctus prout per ſe primo, & formaliter terminat proceſsionẽ non eſt formaliter Deus, n.73.
Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis non habet aſsimilari principio radicali illius, num.75.
Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis non procedit vt eſt in ſe adæquatè, eſto videatur vt eſt in ſe adæquatè, n.77.
Spiritui Sancto eſto per proceſsionẽ communicetur natura divina iḋẽticè, & materialiter, nõ poteſt dici Filius, aut genitus materialiter, aut identicè, n.78.

DE PROCESSIONE PATRIS.

In divinis ſolũ ſunt duæ proceſsiones, vna Verbi per intellectum alia amoris per voluntatem, n.79.
Pater nõ procedit ab ipſa eſſentia divina ſe ipſam intelligẽte, adhuc proceſsione ſecũdum rationẽ cũ ſu ſumeto in re, n.80.
Si Pater procederet ex intellectione perfectiſsima, qua Deus ſe ipſum cõprehendit, ne q; eſſet ingenitũ, ſed eſſet Verbũ, quorum vtrumque eſt abſurdum. Ibid. latè.
Intellectio ab hoc Deo, vt prævenit intellectionẽ notionalem eſt actio omnino eſſentialis impotens ad communicandam naturam Patris. Ibid.
Paternitas ſub munere, & exercitio formæ hypoſtaticæ intelligitur coniungi eſſentiæ divinæ abſque aliqua actione media per modum fundamenti, n.81.
Paternitas ſub munere formæ hypoſtaticæ dimanat à natura divina, ſicut aliæ proprietates. Ibid.

PRINCIPIVM.

Principium illud, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, exponitur, n.99.
Aliud principium, *quæ aliquo modo realiter non ſunt idem, aliquo modo realiter diſtinguuntur*. Ex cat, n.102.
Principium illud Thomiſticum, *duæ perfectiones identificatæ, quæ ſecundum implicitum, & explicitum ſe excludunt, poſſunt ad invicem determinari per modũ actus, & potentiæ*, exponitur, n.140.
Illud principiũ, *relativa ſunt, quorũ totum ſuũ eſſe eſt ad aliud*, exponitur, n.140.

PRÆDICATVM.

Prædicata cõtradictoria reſpectu eiuſdẽ entitatis realiter, ſi tamẽ ſit multiplex virtualiter, oppoſitionẽ non habent, n.111.
Communicari eſſentiam, nõ communicari Paternitatem non ſunt prædicata contradictoria, n.117.
Poteſt concedi in ſenſu identico, quod eſſentia eſt incõmunicabilis Filio, & quod in eodem ſenſu identico Paternitas eſt Filio communicabilis. Ibid.
Ad tribuendũ Deo oppoſita prędicata quorũ oppoſitiõ fundatur in oppoſitis perfectionibus non ſufficit diſtinctio rationis ratiocinantis, n.114.
Prædicata, quæ ſunt actus puriſsimi, ſi identificantur realiter, licet poſsit ex primi vnũ ſine alio, non poteſt ex primi vnum, quin actu implicetur aliud, n.133.
Prædicata eſſentialia abſolutè ſumpta ſunt priora noſtro modo intelligendi, quam prædicata perſonalia, n.256.
Prædicata abſoluta relatiyè ad creaturas ſunt poſteriora perſonalibus, n.257.

PRÆCISIO.

Inter relationes, & eſſentiã, ſeu naturã divinã nõ datur vera pręciſio obiectiva, n.122.
Vt duæ formalitates ad invicẽ præſcindantur plus petitur, quam quod ad invicem diſtinguantur, n.128.
Non ſufficit ad præciſionẽ cognoſcere explicite eſſentiam, & non cognoſcere explicite relationem, n.129.
Ad pręciſionẽ obiectivã non petitur realis ſeparatio, & ſic ex capite inſeparabilitatis realis nõ convincitur repugnantia pręciſionis inter naturã, & relationes. Ibid.
Ex cõceptu actus puri rectè infertur impræſcindibilitas, & ſic nec eſſentia à relationibus divinis, nec èconverſo relationes ab eſſentia poſſunt præſcindere. Ibid.
Paternitas divina nõ præſcindit à Filiatione, & ſpiratione paſsiva, quamvis ab illis realiter diſtinguantur, & quomodo hoc exponendum ſit? n.130.
Eſſentia divina nõ ſolum ſub conceptu entis divini tranſcendentis, ſed etiam ſub formali conceptu naturæ non præſcindit à relationibus, n.131.

PATER ÆTERNVS.

Eſto eſſentia Patris ſit tota in ordine ad Filiũ, exiſtẽtia Patris nõ eſt ad Filiũ, n.140.
Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, quo ſenſu eſt verum, n.336.
Pater, & Filius ſunt vnum Principium Spiritus Sancti, n.330.

Pa-

Pater æternus verè eſt Principium, n.251.
Hoc nomen *Pater* eſt nomen divinæ perſonæ, n.254.

PRINCEPS, PRÆLATUS.

Principibus, Prælatis, & huiuſmodi perſonis præter Angelũ cuſtodem peculiarem, alius deputatur Angelus, qui dirigat hominem, vt perſona publica eſt, n.1325.
Si iſte Angelus eſt diſtinctus ab illo, qui cuſtodit communitatem, ſub illo eſt, reſolvitur. Ibid.
Exponitur ſententia affirmans quod eſt idẽ Angelus, qui præeſt communitati. Ibid.
Angelus, qui aſſignatur Principi, aut Prælato ratione Prælatiæ tantũ durat in cuſtodia, quantum durat Prælatia, n.1353.

PUGNA, SEU DISCORDIA.

Inter Angelos bonos datur pugna, ſeu diſcordia, n.1359.
Princeps Regni Perſarum reſiſtens Gabrieli, an fuerit Angelus bonus, vel malus, reſolvitur. Ibid.
Pugna hæc inter Angelos bonos non eſt per diverſas volũtates, ſed quia circa aliquod idem merita inter ſe contraria offerunt Deo, latè exponitur, n.1360.
Diverſitas opinionum non repugnat amicitiæ, & concordiæ. Ibid.
Ex hac pugna, & oppoſitione opinionum in Angelis non infertur, quod in ipſis ſit judicium falſum ſubiectivè, ſed ſolum obiectivè materialiter, n.1361.
Ad concordiã, & debitam conſonantiã reducuntur, quæ alibi D.Th. docet, n.1362.

PUER.

Pueri ante vſum rationis, eſto non habeant motus partis rationalis regulabiles per legem, poſſunt tamen pro tunc diſponi ad habendos motus rationi diſſonos poſt vſum rationis, n.1350.
Puer quamvis per nativitatem ſeperatur à matre; tamen quoadvſque pervenit ad vſum rationis, ſemper eſt aliquid matris, & Patris in ordine ad ſpiritualia, n.1349.
Si quis puerum ante vſum rationis invitis Parentibus baptizaret, peccaret contra ius naturæ, n.1349.

PROPOSITIO.

Iſtæ propoſitiones ſunt per ſe. *Pater eſt Deus, Deus eſt Pater*, n.394.
Quamvis vtraque propoſitio ſit per ſe, non tamen eodẽ modo perſeitatis, n.395.
Iſtæ propoſitiones *eſſentia divina generat*, & iſta *eſſentia divina eſt res generans* ſunt valde diverſæ, n.393.
Hæc propoſitio *eſſentia divina eſt Pater* admittit ſenſum identicum verũ, non tamen iſta, *eſſentia divina generat*. Ibid.
Hæc propoſitio eſt falſa, *Pater genuit Deum, qui eſt Deus Pater*, [illegible].
Hæc propoſitio, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, exponitur, & elucidatur, à num.356.
Neceſſe eſt ponere plures perſonas in divinis, n.184.
In Deo ſunt tres perſonæ, nec pauciores, num.488.
Hoc nomen *Perſona* dictum de Deo ſignificet relationem vt ſubſiſtentem, ſeu per modum ſubſtantiæ, n.182.
Relatio divina, vt his ſolis terminis ſignificatur, eſt veluti ſignificatum materiale, in quo invenitur ſignificatum formale huius nominis *Perſona*, n.168.
Formale ſignificatũ huius nominis *Perſona* eſt relatio divina vt ſubſiſtens. Ibid.
Exponitur diffinitio Perſonæ, quam tradit Boetius, n.180.
Ratio perſonæ vere, & propriè reperitur in Deo. Ibidem.
Exponitur qualiter perſona ſignificet id quod eſt perfectiſſimum in tota natura, num.181.

POTENTIA GENERATIVA.

Datur in Deo, num.446.
Eſt intellectus divinus vt fœcundus connotando relationem Patris, n.449.
Potentia generativa duo dicit, vim productivã, & vim productivã termini realiter diſtincti; primũ habet ab abſoluto, ſecundum à relativo, n.451.
Intellectus divinus indiget connotatione Paternitatis vt ſit potentia generativa, non ex defectu virtutis ad producendũ, ſed vt habeat diſtinctionem realem à termino producto, n.452.

PRIORITAS.

Quatuor modos prioritatis diſtinguũt Thomiſtæ Theologi ſcilicet durationis, originis, naturæ, & intelligentiæ, n.472.
D.Tho. inter divinas perſonas ponit ordinẽ Originis, non prioritatem *in quo*, n.472.
Inter vnam, & alteram perſonam divinam D.Thom. videtur negare prioritatẽ intelligentiæ, exponitur, n.473.

Q

QUANTITAS.

Præſcindendo ab omni materia ſenſibili, & ſolum concernendo intelligibilem, prout ſic bona non eſt, n.169.

Digitized by Google

Hoc diſcrimen prout traditur ab Aliacenſi falſum eſt prout exponitur à D. Auguſtino, & D. Thom. veritatem habet, n.67.
Certa ratio diſcriminis traditur ex D. Tho. num.69.
Qualiter differant inter ſe in communicatione naturæ proceſsio amoris, & proceſsio Verbi, n.71.
S. Sanctus prout per ſe primo, & formaliter terminat proceſsionē non eſt formaliter Deus, n.73.
Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis non habet aſsimilari principio radicali illius, num.75.
Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis non procedit vt eſt in ſe adæquatè, eſto videatur vt eſt in ſe adæquatè, n.77.
Spiritui Sancto eſto per proceſsionē communicetur natura divina identicè, & materialiter, non poteſt dici Filius, aut genitus materialiter, aut identicè, n.78.

DE PROCESSIONE PATRIS.

In divinis ſolū ſunt duæ proceſsiones, vna Verbi per intellectum alia amoris per voluntatem, n.79.
Pater nō procedit ab ipſa eſſentia divina ſe ipſam intelligēte, adhuc proceſsione ſecū dum rationē cū fu ſ...mēto in re, n.80.
Si Pater procederet ex intellectione perfectiſsima, qua Deus ſe ipſum cōprehendit, ne q; eſſet ingenitū, ſed eſſet Verbū, quorum vtrumque eſt abſurdum. Ibid. latè.
Intellectio ab hoc Deo, vt prævenit intellectionē notionalem eſt actio omnino eſſentialis impotens ad communicandam naturam Patris. Ibid.
Paternitas ſub munere, & exercitio formæ hypoſtaticæ intelligitur coniungi eſſentiæ divinæ abſque aliqua actione media per modum fundamenti, n.81.
Paternitas ſub munere formæ hypoſtaticæ dimanat à natura divina, ſicut aliæ proprietates. Ibid.

PRINCIPIVM.

Principium illud, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, exponitur, n.99.
Aliud principium, *quæ aliquo modo realiter non ſunt idem, aliquo modo realiter diſtinguuntur*. Ex...cat, n.102.
Principium illud Thomiſticum, *duæ perfectiones identificatæ, quæ ſecundum implicitum, & expiicitum ſe excludunt*, *poſſunt ad invicem determinari per modū actus, & potentiæ*, exponitur, n.140.
Illud principiū, *relativa ſunt*, *quorū totum ſuū eſſe eſt ad aliud*, exponitur, n.140.

PRÆDICATVM.

Prædicata cōtradictoria reſpectu eiuſdē entitatis realiter, ſi tamē ſit multiplex virtualiter, oppoſitionē non habent, n.111.
Communicari eſſentiam, nō communicari Paternitatem non ſunt prædicata contradictoria, n.117.
Poteſt concedi in ſenſu identico, quod eſſentia eſt incōmunicabilis Filio, & quod in eodem ſenſu identico Paternitas eſt Filio communicabilis. Ibid.
Ad tribuendū Deo oppoſita prędicata quorū oppoſitiō fundatur in oppoſitis perfectionibus non ſufficit diſtinctio rationis ratiocinantis, n.114.
Prædicata, quæ ſunt actus puriſsimi, ſi identificantur realiter, licet poſsit ex primi vnū ſine alio, non poteſt ex primi vnum, quin actu implicetur aliud, n.133.
Prædicata eſſentialia abſolutè ſumpta ſunt priora noſtro modo intelligendi, quam prædicata perſonalia, n.256.
Prædicata abſoluta relatiuè ad creaturas ſunt poſteriora perſonalibus, n.257.

PRÆCISIO.

Inter relationes, & eſſentiā, ſeu naturā divinā nō datur vera prǽciſio obiectiva, n.122.
Vt duæ formalitates ad invicē præſcindant plus petitur, quam quod ad invicem diſtinguantur, n.128.
Non ſufficit ad præciſionē cognoſcere explicite eſſentiam, & non cognoſcere explicite relationem, n.129.
Ad præciſionē obiectivā non petitur realis ſeparatio, & ſic ex capite inſeparabilitatis realis nō convincitur repugnantia præciſionis inter naturā, & relationes. Ibid.
Ex cōceptu actus puri rectè infertur impræſcindibilitas, & ſic nec eſſentia à relationibus divinis, nec èconverſo relationes ab eſſentia poſſunt præſcindere. Ibid.
Paternitas divina nō præſcindit à Filiatione, & ſpiratione paſsiva, quamvis ab illis realiter diſtinguantur, & quomodo hoc exponendum ſit? n.130.
Eſſentia divina nō ſolum ſub conceptu entis divini tranſcendentis, ſed etiam ſub formali conceptu naturæ non præſcindit à relationibus, n.131.

PATER ÆTERNVS.

Eſto eſſentia Patris ſit tota in ordine ad Filiū, exiſtētia Patris nō eſt ad Filiū, n.140.
Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, quo ſenſu eſt verum, n.336.
Pater, & Filius ſunt vnum Principium Spiritus Sancti, n.330.

Pa-

Pater æternus verè eſt Principium, n.251.
Hoc nomen *Pater* eſt nomen divinæ perſonæ, n.254.

PRINCEPS, PRÆLATVS.

Principibus, Prælatis, & huiuſmodi perſonis præter Angelũ cuſtodem peculiarem, alius deputatur Angelus, qui dirigat hominem, vt perſona publica eſt, n.1325.
Si ille Angelus eſt diſtinctus ab illo, qui cuſtodit communitatem, ſub ſtie eſt, reſolvitur. Ibid.
Exponitur ſententia affirmans quod eſt idẽ Angelus, qui præeſt communitati. Ibid.
Angelus, qui aſsignatur Principi, aut Prælato ratione Prælatiæ tantũ durat in cuſtodia, quantum durat Prælatia, n.1353.

PVGNA, SEV DISCORDIA.

Inter Angelos bonos datur pugna, ſeu diſcordia, n.1359.
Princeps Regni Perſarum reſiſtens Gabrieli, an fuerit Angelus bonus, vel malus, reſolvitur. Ibid.
Pugna hæc inter Angelos bonos non eſt per diverſas volũtates, ſed quia circa aliquod idem merita inter ſe contrària offerunt Deo, latè exponitur, n.1360.
Diverſitas opinionum non repugnat amicitię, & concordiæ. Ibid.
Ex hac pugna, & oppoſitione opinionum in Angelis non infertur, quod in ipſis ſit iudicium falſum ſubiectivè, ſed ſolum obiectivè materialiter, n.1361.
Ad concordiã, & debitam conſonantiã reducuntur, quę alibi D.Th. docet, n.1362.

PVER.

Pueri ante vſum rationis, eſto non habeant motus partis rationalis regulabiles per legem, poſſunt tamen pro tunc diſponi ad habendos motus rationi diſſonos poſt vſum rationis, n.1350.
Puer quamvis per nativitatem ſeperatur à matre; tamen quoadvſque pervenit ad vſum rationis, ſemper eſt aliquid matris, & Patris in ordine ad ſpiritualia, n.1349.
Si quis puerum ante vſum rationis invitis Parentibus baptizaret, peccaret contra ius naturæ, n.1349.

PROPOSITIO.

Iſtæ propoſitiones ſunt per ſe. *Pater eſt Deus, Deus eſt Pater*, n.394.
Quamvis vtraque propoſitio ſit per ſe, non tamen eodẽ modo perſeitatis, n.395.
Iſtæ propoſitiones *eſſentia divina generat*, & ita *eſſentia divina eſt res generans* ſunt valde diverſæ, n.393.
Hæc propoſitio *eſſentia divina eſt Pater* admittit ſenſum identicum verũ, non tamen iſta, *eſſentia divina generat*. Ibid.
Hæc propoſitio eſt falſa; *Pater genuit Deum, qui eſt Deus Pater*, ibidem.
Hæc propoſitio, *Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto*, exponitur, & elucidatur, à num. 356.
Neceſſe eſt ponere plures perſonas in divinis, n.184.
In Deo ſunt tres perſonæ, nec pauciores, num.488.
Hoc nomen *Perſona* dictum de Deo ſignificet relationem vt ſubſiſtentem, ſeu per modum ſubſtantiæ, n.182.
Relatio divina, vt his ſolis terminis ſignificatur, eſt veluti ſignificatum materiale, in quo invehitur ſignificatum formale huius nominis *Perſona*, n.183.
Formale ſignificatũ huius nominis *Perſona* eſt relatio divina vt ſubſiſtens. Ibid.
Exponitur diffinitio Perſonæ, quam tradit Boetius, n.180.
Ratio perſonæ vere, & propriè reperitur in Deo. Ibidem.
Exponitur qualiter perſona ſignificet id quod eſt perfectiſsimum in tota natura, num.181.

POTENTIA GENERATIVA.

Datur in Deo, num.446.
Eſt intellectus divinus vt fœcundus connotando relationem Patris, n.449.
Potentia generativa duo dicit, vim productivã, & vim productivã termini realiter diſtincti: primũ habet ab abſoluto, ſecundum à relativo, n.451.
Intellectus divinus indiget connotatione Paternitàtis vt ſit potentia generativa, non ex defectu virtutis ad producendũ, ſed vt habeat diſtinctionem realem à termino producto, n.452.

PRIORITAS.

Quatuor modos prioritatis diſtinguũt Thomiſtæ Theologi ſcilicet durationis, originis, naturæ, & intelligentiæ, n.472.
D.Tho. inter divinas perſonas ponit ordinẽ Originis, non prioritatem *in quo*, n.472.
Inter vnam, & alteram perſonam divinam D.Thom. videtur negare prioritatẽ intelligentiæ, exponitur, n.473.

Q

QVANTITAS.

Præſcindendo ab omni materia ſenſibili, & ſolum concernendo intelligibilem, prout ſic bona non eſt, n.169.

In Deo quantitas virtutis eſt eſſentia divi-vina, n.463.

Si Angeli haberent materiam ſpiritualem, etiam haberent quantitatem, n.70.

Quantitas in rebus materialibus non oritur ex materia, ſed ex ſubſtantia corporea, ſed ex illa non oritur ratione formæ, ſed ratione materiæ. Ibid.

R

RELATIO.

SOLVM in his, quæ dicuntur ad aliquid inveniuntur aliqua ſecundum rationẽ, num. 84. vera intelligentia huius diſcriminis inter relationem, & alia prædicamenta traditur, n.85.

Relatio vt ſic non eſt communis vnivocè ad realem, & rationis, ſed communicatæ analoga ſecundum proportionalitatem. Ibidem.

Relatio, & poteſt conſiderari in ordine ad ſubiectum, & ſic explicat *in*, & in ordine ad terminum, & ſic exprimit *Ad*, & ſic ſecundum propriam rationem nihil ponit in ſubiecto, de quo dicitur, quod non habent aliæ formæ abſolutæ, n.86.

Entia abſoluta vt quantitas, & qualitas ſecundum propriam rationem explicant eſſe, non vero relatio. Ibid.

Datur in relatione *in* peculiare relativum, num.87.

Relatio ſecundum propriam expreſſionem non exprimit *Quid*, ſed *ad aliquid*. Ibid.

Relatio non accipit realitatem ex extremo ad quod refertur, n.88.

Dantur relationes reales diſtinctæ realiter à fundamento, & termino, quæ non tantum ſunt reales ſecundum conceptum *in*, ſed etiam ſecundum conceptũ *Ad* n.91.

Si relationes reales nõ diſtinguerentur realiter à fundamento, & termino poſſent Deo convenire in tempore, n.92.

Præterea ſequeretur quod Paternitas divina nihil aliud eſſet quam generans, & genitum. Ibid.

Alia efficax ratio ad diſtinctionem realem ſtatuendam, & fundamentum à priori. Ibidem.

Relationem dicere realitatem ex conceptu *Ad* probatur. Ibid.

Relationes reales creatæ dicunt bonitatẽ, & perfectionem diſtinctam à ſubiecto, non autem relatio divina, n.93.

Exponũtur varia loca D.Thom. quibus negare videtur diſtinctionem realem relationis à fundamento, n.95.

RELATIO DIVINA.

Inter relationes divinas, & eſſentiam non datur diſtinctio realis entitativa, n.98.

Nec diſtinctio realis modalis, n.100.

Hac poſita neceſſario etiam ſequitur quaternitas in divinis contra ſententiam SS. PP. Ibidem.

Etiam ſequitur finitas, & limitatio in Deo hac ſtatuta diſtinctione. Ibid.

Nec datur diſtinctio realis formalis actualis, num.104.

Si relationes divinæ non diſtinguuntur realiter ab eſſentia, nec actualiter diſtinguũtur, num.105.

Statuta qualibet diſtinctione reali in divinis, ſolvitur divina ſimplicitas, ponitur compoſitio Deo repugnans, n.106.

Inter relationes, & eſſentiam divinam adeſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, n.113.

Maior diſtinctio reperitur inter naturam divinam, & prædicata abſoluta, quam inter naturam, & relationes, n.118.

S

SIMPLICITAS.

DEVS non eſt ita ſimplex vt excludat omnium multiplicitatem etiam virtualem, n.116.

Si ſimplicitas divina non excluderet metaphyſicã compoſitionem, Deus eſſet obiectivè potentialis, quod repugnat, numer.122.

Si in Deo darentur diverſi gradus metaphyſici non eſſet magis ſimplex, quam conſtitutum ex ente, & modo entis. Ibid.

Deus non tantum dicitur ſimplex per excluſionem compoſitionis realis, ſed etiã per excluſionem compoſitionis metaphyſicæ. Ibid.

Deus ita eſt ſimplex, quod in creatis nullũ eſt prædicatum ſive ſpecificum, ſive genericum, ſive tranſcendens ſimplicius Deo, n.223.

SVBSTANTIA.

Dantur in Deo tres ſubſtantiæ relativæ, numer.139.

Subſtantia, & exiſtentia in Deo explicant eſſe non cum eadem determinabilitate, Ibidem.

Subſtantia nequit exiſtere niſi per exiſtentiam de linea ſubſtantiæ, n.140.

Subſtantia relativa poteſt per exiſtentiam abſolutam exiſtere. Ibid.

Quod

Digitized by Google

Quod ponitur in prædicamento ſubſtantiæ debet eſſe ens poſitivum, n.142.
Hæc propoſitio *in Deo ſunt tres ſubſtantiæ* non eſt abſolutè concedenda, ſed diſtinguenda, n.191.
Subſtantia Angeli realiter entitativè diſtinguitur à potentia operativa eius, numer.821.

SVBSISTENTIA.

Omnis ſubſiſtentia ſive creata, ſive increata conſiſtit in aliquo poſitivo, n.142.
Subſiſtentia ſupra naturam individuam non ſolum addit connotationem alicuius termini extrinſeci, ſed conſiſtit in quodam modo, quo terminatur natura ſubſtantialis, n.144.
Subſiſtentia immediatè modificat naturã, non exiſtentiam, n.148.
Si per potentiam Dei abſolutam poſſit conſtitui natura exiſtens, quin ſit ſubſiſtens? alij affirmant, & alij negent; deciditur, num.191.
Subſiſtentia non tantum petitur, vt natura connaturaliter accipiat exiſtentiam, ſed eſſentialiter. Ibid.
Exponuntur difficilia teſtimonia D.Thom. in quibus aſſerere videtur, quod ſubſiſtentia non diſtinguatur à natura individua, numer.146.
Modus ſubſiſtentiæ immediatè modificat naturam, non verò exiſtentiam, n.148.

SVPPOSITVM.

Dicit aliquid poſitivum, non tantum pro materiali, ſed etiam pro formali, numer.142.
Suppoſitum ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, non ratione individuationis, ſed quia ſuppoſitum, n.142.
Inter ſuppoſitũ naturæ materialis, & naturæ ſpiritualis aſsignatur diſcrimen, numer.146.
Qualiter verificetur quod formæ ſpirituales, quæ ſe ipſis ſunt individuæ, ſint ſuppoſita ſubſtantiæ. Ibid.

SVPPOSITIO.

Nomina eſſentialia concreta poſſunt ſupponere pro perſona, n.383.
Ly *Deus*, quia ſignificat habens Deitatem habet pro ſignificato mediato, perſonas, pro quibus ſupponere poteſt. Ibid.
Qualiter in hac propoſitione *Deus creat* ly *Deus* ſupponat pro eſſentia, n.384.
Ly *Deus* in hac propoſitione *Deus generat* ſupponit reſtrictè pro perſona Patris, numer.385.
Nomina eſſentialia in abſtracto ſignificata non poſſunt ſupponere pro perſonis, ratione cuius hæc eſt falſa *eſſentia generat*, num.392.

SVBSISTENTIA DIVINA.

In Deo vere datur ſubſiſtentia abſoluta, loquendo de ſubſiſtentia prout tantum tribuit naturæ independentiam ab alio in ſubſtentando, n.152.
In Deo datur hoc concretum *Deus* independenter à relationibus, & conſequenter ſubſiſtens independenter ab illis, n.143.
Eſto detur in Deo ſubſiſtentiã abſoluta, nõ ſequitur dari exiſtẽtias relativas, n.159.
In Deo præter ſubſiſtentiam abſolutam debent dari ſubſiſtentiæ relativæ, n.159.
Ratio perſonæ divinæ, ſeu ſubſtantiæ relativæ non eſt vnivocè ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, n.166.
Propriè loquendo de perfectione non datur perfectio in divinis ſubſiſtentijs relativis de linea relationis, bene tamen ẽ de perfectione large, & generaliter loquendo, num.169.

SEDVCERE.

Dæmones homines veris miraculis ſeducere non poſſunt; bene tamen apparentibus, n.1377.
Homines ſeducti per miracula Dæmonis arte facta recedentes ab authoritate Eccleſiæ, & vera virtute, excuſari non poſſunt, n.1379.
Signa, & portenta, quæ ducunt ad ſeductionem tenemur non credere, ſed repellere. Ibidem.

SPIRITVS SANCTVS.

Firmatur Catholica veritas, quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedat, num.301.
Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nõ diſtingueretur realiter ab illo, n.302.
In caſu, quo Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, ſed à Patre, non eſſent in Patre duæ productiones realiter diſtinctæ, ſed ſolum virtualiter, n.308.
Si Spiritus Sanctus non procederet à Patre, ſed à ſolo Filio, adhuc diſtingueretur à Patre, n.308.
Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, eſſet eadem Filiatio in Filio, ac modo eſt: plures ſolutiones reijciuntur, & vera eligitur, n.309.
Si Filius non ſpiraret Spiritum Sanctum, neceſſarium eſſet quod Filius ſpiraretur à Patre, n.314.
Rectè probat D. Thom. Spiritum Sanctum procedere à Filio, quia neceſſe eſt amorem.

Digitized by Google

rem producere à Verbo, num.319.
Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filiũ, num.327.
Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti, n.330.
Spiritus Sanctus ex vi proprietatis perſonalis, quam de facto habet, per ſe exigit procedere à Patre, & Filio, n.350.

STATVS POSSIBILITATIS.

Non eſt ſtatus alicuius realitatis phyſicæ, ſed purę non repugnantiæ, n.550.
Poſsibilitas illius ſtatus, nec eſt ens rationis, neque aliquid reale, quia poſsibilitas nõ eſt. Ibid.
Quomodo verificetur, quod de facto datur ſtatus poſsibilitatis? Exponitur. Ibid.

SPECIES PRÆDICABILIS.

Aliqui Thomiſtæ negant naturam Angelicam eſſe ſpeciem prædicabilem, n.693. Alij concedunt, ſed ſolum aſsignant in termino relationis plura conditionata, reijciuntur, alij ponunt repugnantiam phyſicam, & metaphyſicam, non tamen logicam ex parte modi concipiendi naturam admodum rerum materialiũ. Amplectitur. Ibid.
Plura inſtantia contra hanc doctrinam ſolvuntur, n.694.
Latiſsimè aſtruitur ratio ſpeciei prædicabilis in natura Angelica, n.705.

SPECIES IMPRESSA.

Angelus per ſuam ſubſtantiam non poteſt omnia cognoſcere, ſed indiget ſpeciebus impreſsis, n.834.
Res pure ſenſibiles, & materiales Angelus non intelligit per ſpecies à rebus acceptas, n.638.
Angelus naturaliter, & ſine miraculo alterum Angelum cognoſcere non poteſt per ſpeciem acceptam ab ipſo, n.846.
Angeli intelligunt obiecta per ſpecies per ſe infuſas à Deo ab initio ſuæ conditionis, num.850.
Species Angelicæ non oriuntur à natura Angelica tanquam veræ proprietates, à num.856.
Species, quibus Angeli vtuntur in cognitione ſuorum obiectorum, ſunt vniverſales in repræſentando, taliter quod per vnam ſolam ſpeciẽ repræſentantur plures quidditates, & plura individua ſecũdum propria, n.865.
Angeli quò ſuperiores ſunt ſecundum gradum ſpecificum, eò per vniverſaliores ſpecies intelligunt, n.876.

T

TALPA.

TALPÆ non convenit poſitive videre ex ratione generica animalis, num.8. Habet tamen aliqualem privationem iuxta D.Thom. & quomodo? n.8.

TRINITAS.

Myſterium Trinitatis ſolo lumine naturali nequit evidenter cognoſci, n.213.
Philoſophi antiqui non cognoverunt myſterium Trinitatis per propria, n.216.
In creatura rationali non datur triplex relatio, quæ referatur vt diſtincta ad tres divinas perſonas SS. Trinitatis, n.217.
Lumen naturale elevatum intrinſece per lumẽ ſupernaturale poteſt evidenter cognoſcere myſterium Trinitatis quoad an eſt, num.224.
D. Paulus poſtquam vidit Deum vt Trinũ, & recordabatur ſe illum vidiſſe, habuit evidentiam quo ad an eſt Trinitatis, numer.228.
Lumen naturale relictum ſuæ naturæ non poteſt indicare hoc myſterium eſſe impoſsibile. Ibid.
Virtute luminis naturalis tantum confortati extrinſeca aſsiſtentia fidei nequit homo, vel Angelus cognoſcere myſterium Trinitatis, n.229.
Per nullam Dei potentiam poteſt communicari viatori extra viſionem beatã notitia quidditativa evidens Trinitatis, numer.231.

TOTVM, SEV COMPOSITVM.

Poteſt creari, n.579.
De ratione eſſentiali totius non eſt quod ex partibus fiat, ſed quod ex partibus conſtet. Ibid.
Totum dupliciter poteſt produci, vno modo ex partibus, & ſic fit per tranſmutationẽ, alio modo ita vt productio per ſe primo terminetur ad totum, & ratione totius ad partes, & ſic fit per creationẽ, num.583.
Qualiter verificetur quod totũ eſt id, quod reſultat ex vnione partium, n.583.

TENTARE, TENTATIO.

Tentare aliquem propriè eſt ſumere experimentum de aliquo, n.1369.
Tentat Deus, homo, Diabolus, mundus, caro, diverſo modo. Ibid.
Tentare hominem inducendo eum in peccatum eſt proprium officium diaboli, num.1270.

Mun-

Digitized by Google

Mundus, caro, & homo tantum tentant; materialiter, & inſtrumentaliter. Ibid.
Omnia peccata procedunt ex tentatione Diaboli ſaltim indirectè, n. 1372.
Exponitur difficilis textus D. Thom. & aſſignatur diſparitas, cur omnia bona opera noſtra proveniant ex coöperatione Angelorum, non autem omnia peccata ex ſuggeſtione Dæmonum? num. 1374. & ſequentibus.

TERMINARE.

Eſto Pater, & Filius ſint vnum in ſpirando, non tamen eſſent vnum in terminando, ſi eandem naturam terminarent, n. 334.
Cur vna perſona divina poteſt terminare naturam humanam ſine alia, & non poſſit vna divina efficere aliquod opus ad extra ſine alia? n. 616.

D. THOMAS.

Exponitur difficilis eius ratio, quâ probat proceſsionem Spiritus Sancti eſſe à Filio, num. 320.
Defenditur à calumnia P. Vazquez, n. 216.
Litera D. Th. difficilis declaratur, n. 1374.
Quid intelligat D. Thom. per numerũ ſimplicem ſive abſolutum, ſive abſtractum à rebus numeratis? Variis reiectis exponitur proprium iudicium, n. 185.
Exponũtur textus difficilis, in quibus indicat quod Filius, aliter concurrit ad creãdum quam Pater, & Spiritus Sanctus, numer. 620.
Repugnantia multiplicationis Angelorum intra eandem ſpeciem eſt de mente Div. Thom. latè, à num. 677.
Illuſtratur locus D. Th. in quo docet quod ſi Angelus eſt forma ſimplex abſtracta à materia, impoſsibile eſt etiam fingere plures Angelos intrà eandem ſpeciem, num. 688.

V

VERMIS.

QVANDO ex ſpeciebus Sacramentalibus generatur vermis, ibi intervenit vera mutatio, & quomodo? num. 33.
Quando ex ſpeciebus Sacramentalibus vermis producitur, tunc Deus non creat novam materiam, ſi ex vi præcedentis miraculi quantitas in materiam convertitur, n. 587.
In hoc caſu vermis eſſet verè creatura, & facta ex nihilo, & quomodo hoc verificetur? n. 588.

VERBVM DIVINVM.

Verbum perſonale, & Filius exprimunt eãdem proprietatẽ perſonalem, n. 48.
Verbum perſonale in recto non importat abſolutum, ſed relativum, n. 49.
Habet ex propria ratione produci per dictionem. Ibid.
Sapientia genita idem ſignificat ac Verbũ, non tamen eodem modo, n. 51.
Verbum divinum non dicit reſpectum realem producti ad producentem ad totam Trinitatem, ſed tantum reſpectum rationis repræſentativi totius Trinitatis, numer. 52.
Propriè loquendo de Verbo in divinis tantum dicitur perſonaliter, n. 261.
Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione Patris Æterni, n. 66.
Etiam per ſe procedit ex cognitione ſui, num. 269.
Verbum divinum per ſe procedit ex cognitione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, num. 272.
Verbum divinum procedit per ſe ex cognitione poſsibilium, n. 276.
Eſto Verbum divinum de facto procedat ex cognitione futurorum; illa tamen per ſe non petit ad ſui proceſsionem, n. 292.
In Verbo importatur reſpectus ad creaturas, n. 296.

VNIO HYPOSTATICA.

Non eſt perfectio exacta ab vniverſo, ſed purè obediẽtialiter ei cõveniens, n. 645.

VESTIGIVM.

Quid ſit exponitur, n. 622.
In omni creatura eſt repræſentatio Trinitatis per modũ veſtigii; in creatura rationali per modum imaginis. Ibid.
Inter veſtigium, & imaginem adeſt diſtinctio, ſicut inter terminum perfectum, & magis perfectum, n. 623.
Creaturæ non ſunt veſtigiũ Trinitatis propriè, ſed metaphoricè, n. 624.
Per creaturas poſſumus venire in cognitionem Trinitatis, non diſtinctè, ſed confuſe, quatenus cognoſcimus appropriata Trinitati, ſcilicet potentiam, ſapientiam, & bonitatem. Ibid.

VERBVM.

De hoc nomine *Verbum* dupliciter loqui poſſumus, num. 50.
Species impreſſa non producitur *vt quod*, bene tamen Verbum. Ibid.

VBI

Digitized by Google

VBI.
Angeli non ſunt in loco per modum præſentiæ, ſeu per *Vbi*, n.745.
Corpus Chriſti non contigit ſpecies Sacramentales per ipſum *vbi* Sacramentale, ſed ex hoc quod ſe ipſo prout ex pane contingit ſpecies oritur *vbi* Sacramentale. Ibidem.
In Angelis reperitur *vbi* intrinſecum, numer.764.
Tale *vbi* prædicamentale non eſt, numer.765.
Non eſt æquiparantia inter *vbi* Angelicum, & præſentiam animæ ad corpus. Ibidem.
Vbi Angelicum corporale non eſt, nec reſultat ex actione locante Angelum, ſecundum quod attingit paſſum, ſed ſecundum quod denominat agens Angelum, n.768.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

F. C

Digitized by Google

Digitized by Google